PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. — VENEUNT MILLE ET TRECENTIS FRANCIS SEXAGINTA ET DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR; HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR.

PATROLOGIÆ TOMUS CXCIV.

VEN. GERHOHUS. ARNO REICHERSPERGENSIS. JOANNES DIACONUS. HUGO PICTAVINUS. ISAAC ABBAS DE STELLA. ALCHERUS ET PETRUS DE ROYA CLARÆVALLENSES MONACHI. RILINDIS ET ERRADIS HOHENPURGENSES ABBATISSÆ.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1855

SÆCULUM XII

VEN. GERHOHI

PRÆPOSITI REICHERSPERGENSIS

OPERA OMNIA

ACCEDUNT

ARNONIS REICHERSPERGENSIS, JOANNIS DIACONI, HUGONIS PICTAVINI, ISAAC ABBATIS DE STELLA, ALCHERI ET PETRI DE ROYA CLARÆVALLENSIUM MONACHORUM, RILINDIS ET ERRADIS HOHENBURGENSIUM ABBATISSARUM

OPUSCULA ET EPISTOLÆ

ACCURANTE J.-P. MIGNE
BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ
SIVE
CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

TOMUS ALTER

VENEUNT 2 VOLUMINA 16 FRANCIS GALLICIS

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM
SEU PETIT-MONTROUGE

1855

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CXCIV CONTINENTUR.

Ex typis Migne, au Petit-Montrouge.

VEN. GERHOHI

PRÆPOSITI REICHERSPERGENSIS

EXPOSITIONIS IN PSALMOS

CONTINUATIO.

—

PSALMUS LXIV

SIVE

LIBER DE CORRUPTO ECCLESIÆ STATU

AD EUGENIUM III PAPAM.

(Expositionem psalmi LXIV, quam Baluzius in *Miscellaneis*, et post eum Gallandius seorsim ediderunt, D. Bernardus Pezius, cum integram Gerhohi lucubrationem in lucem protulit, post enarrationem psalmi LXIII, suo loco reposuit. Non est cur ab eo recedamus; textum tamen Gallandii (*Vet. Patr. Biblioth.* XIV, 549) sequimur.

—

GERHOHI EPISTOLA AD HENRICUM PRESBYTERUM CARDINALEM (1).

I. Psalmo sexagesimo quarto de duabus civitatibus inter se contrariis, Jerusalem videlicet et Babylonia, earumque civibus inter se contrariis agitur. De quorum permistione ac distinctione in tempore papæ Eugenii largo tractatu agentes, hunc ipsum psalmum pro materia tunc habuimus, eumque ipsi beatæ memoriæ pontifici legendum præsentavimus, hac intentione scilicet, ut curia Romana, quæ, contestante Petro, Ecclesia est in Babylone collecta (*I Petr.* v, 13), per nomen Babylonis tropice notata urbe Roma; ut, inquam, curia illa semetipsam attenderet, seseque ac pariter Ecclesiam totam, quam regere debet, a confusione Babylonica distinctam exhibere satageret sine macula et ruga. Neque enim vel hoc ipsum carere macula videtur, quod nunc dicitur curia Romana, quæ antehac dicebatur Ecclesia Romana. Nam, si revolvantur antiqua Romanorum pontificum scripta, nusquam in eis reperitur hoc nomen, quod est curia, in designatione sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ: quæ rectius Ecclesia, quam curia nominatur, quia nomen curiæ, ut ante nos dictum est, a cruore derivatur, sive a curis, ut ait quidam:

Curia curarum genitrix, nutrixque malorum,
Injustos justis, inhonestos æquat honestis.

II. Absit autem a sacrosancta Romana Ecclesia talis macula et ruga, qualis nomine curiæ notatur! Quod nomen his qui mollibus vestiuntur, et in domibus regum sunt, atque judicibus cunctis in judicio sanguinis cooperantur ad vindictam malefactorum, non improbabiliter attribuitur, sicut olim senatui Romano congruebat, quando sub judicibus cinctis, imperatoribus, dictatoribus, consulibus, non urbis tantum, sed et orbis dominium sibi vindicavit. Verum quia sedes tunc imperialis, nunc facta est apostolica, dum Antiochus et Remus concedunt Petro regni solium, cedente quoque imperatore Constantino a Roma seniore ad novam, quam

(1) Hanc epistolam eruit R. P. Bernardus Pezius ex codice Reicherspergensi. Lectionum varietatem damus. Incipit: *Henrico venerabili S. Romanæ Ecclesiæ cardinali presbytero frater G. de Richersperg devotas orationes cum fideli obsequio. Desiderio desideravi ex longo tempore sanctam Romanam Ecclesiam videre ornatam sine macula et ruga. Neque enim*, etc.

Constantinopolim a suo nomine vocavit, non immerito in urbe Roma præferendum est nomen Ecclesiæ nomini curiæ; quoniam et hi, qui nunc in ea se faciunt senatores, etsi habeant potestatem sine sanguinis vindicta tractandi et judicandi causas civiles et lites forenses, quemadmodum docet beatus Petrus in ordinatione Clementis; attamen grandiora urbis et orbis negotia longe superexcedunt eorum judicia, spectantque ad Romanum pontificem, sive illius vicarios Lino et Cleto similes, ei tanquam beato Petro fideliter cooperantes : itemque ad Romanum imperatorem, sive illius vicarium urbis præfectum, qui de sua dignitate respicit utrumque, videlicet domnum papam, cui facit hominium, et domnum imperatorem, a quo accipit suæ potestatis insigne; scilicet exertum gladium.

III. Sicut enim hi, quorum interest exercitum campo ductare, congrue investiuntur per vexillum; sic non indecenter ex longo usu præfectus Urbis ab imperatoribus cognoscitur investitus per gladium, contra malefactores Urbis exertum, ut videlicet gladio legitimo pereant, qui gladium non legitimum accipientes, vindictam sanguinis temere usurpant. Præfectus vero Urbis desuper sibi dato gladio, tunc legitime utitur ad vindictam malorum, laudem vero bonorum, quando exinde tam domno papæ, quam domno imperatori ad honorificandum sacerdotium et imperium famulatur, promissa et jurata utrique fidelitate, ac servata inter eos tali distinctione, qualis est inter duo luminaria magna, quæ Deus ita creavit et ordinavit, ut alterum præesset diei, alterum nocti. Quia spiritualia quibus præest domnus papa, diei; et temporalia quibus præest domnus imperator, nocti comparantur. Ecce duo luminaria, et ecce duo gladii hic : luminaria, propter judicia Domini vera justificata in semetipsis; gladii, propter vindictas in illos exerendas, qui nolunt obedire judiciis Domini veris, justificatis in semetipsis; veris, ne judex fallatur in discernendo bonum et malum, justum et injustum; justificatis, ut solo intuitu justitiæ, absque munerum captatione, absque personarum acceptione, reprobetur malum et eligatur bonum; sive per illum judicem qui habet gladium spiritualem, sive per illum, qui non sine causa gladium portat materialem. Munera enim excæcant oculos etiam sapientum, et acceptio personarum aliquando pervertit judicium. Perversum vero judicium, sive muneribus coemptum, coram Deo robur non habet, etiamsi nullus hominum dicere audeat judici : Cur ita facis?

IV. Hinc est illud in Isaia : « Væ qui convertitis judicium in absinthium (*Amos* v, 7). » Et in Apocalypsi « nomen stellæ quæ de cœlo cecidit, dicitur absinthium (*Apoc.* VIII, 11). » Quia enim succus absinthii sumptus extorquet vomitum, recte absinthio judicium illud assimiletur, quod a piis et justis juste ac pie respuitur. Et tunc etiam nomen stellæ dicitur absinthium, cum sub nitore justitiæ, injustum fit judicium : tanquam si vinum sit felle mistum, quod cum gustasset Christus in passione sua, noluit bibere. Unde non mirum quod servi ejus nolunt bibere judicium felle iniquitatis mistum, quod quasi absinthium facit vomitum. Quanquam non audeat istud manifeste improbare qui opprimitur talis judicii perversitate, tunc maxime cum judices perversi omnes diligunt munera, sequuntur retributiones; audet tamen is, qui veritatem intelligit et diligit, ipsam veritatem approbare saltem in corde suo, assimilatus illi beato Joseph, qui non consentit judicibus Christum judicantibus injuste. Audet quoque cum eodem Joseph Christum sepelire, dum veritatem velut sepultam in corde suo tacitus veneratur, certus quod eadem veritas quandoque resurgat et dicat : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII, 18), » in sacerdotio et regno, in spiritualibus et temporalibus.

V. De quorum distinctione pro posse nostro disseruimus in tractatu subsequenti super psalmum prætaxatum : quem et prius beatæ memoriæ papæ Eugenio porreximus, et nunc denuo tibi, Henrice, cardinalis presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ, pro munere offerimus (2). Quia enim zelo domus Dei te sensimus inflammatum, gratia Dei aspirante amplius te accendi optamus eo igne, quem Dominus Jesus misit in terram, et voluit vehementer accendi. « Ignem, inquit, veni mittere in terram; et quid volo nisi ut ardeat? » (*Luc.* XII, 49.) Iste est ignis, de quo in lege dicitur : « Ignis iste erit semper in altari, quem nutriet sacerdos, subjiciens ligna mane per singulos dies (*Levit.* VI, 12). » Cum igitur in ministerio tabernaculi afferant principes donaria magna, scilicet aurum, argentum, lapides pretiosos, ad ornandum sive altare, sive rationale, sive humerale, nos pauperculi saltem ligna offeramus ad ignem sanctum nutriendum, et pilos caprarum ad operiendum tabernaculum. Talia denique cupimus esse qualiacunque opuscula nostra, quibus et ignis charitatis tanquam lignis cedrinis nutriatur, et pœnitentiæ operimentum, quasi de pilis caprarum exinde contextum, proficiat ad illius beatitudinis augmentum, de qua dicitur : « Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata (*Psal.* XXXI, 1). » Suscipe igitur munusculum

(2) Cod. Reichersperg. addit : *Non quasi aurum et argentum, quia hoc est magnorum principum, scilicet offerre aurum, argentum, lapides pretiosos ad ornandum humerale sive rationale summi pontificis. Nostra vero qualiacunque scripta utinam sint in tabernaculo Domini saltem pro lignis quibus nutriendus est ignis altaris juxta præceptum legis dicentis : « Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subjiciens ligna mane per singulos dies. » Denique ignis charitatis in altari cordis fidelis veluti lignis quibusdam nutriendus est exhortationibus piis, ut, etsi abundante iniquitate in multis frigescat, saltem in paucis electis permaneat.*

hoc de manu paupertatis nostræ, qui auro et argento minime abundamus, ne omnino illius præcepti transgressores inveniamur, de quo in lege A Domini dicitur: « Non apparebis in conspectu Domini Dei tui vacuus (*Exod.* XXXIV, 20). »

PSALMUS LXIV.

I. *Te decet hymnus, Deus, in Sion, et tibi reddetur votum in Jerusalem.* Psalmo isto tertia jam recapitulatione reditur ad summum spei, id est ad finem sæculi, quando sumus in patriam cœlestem resumptis corporibus profecturi. Inscribitur autem sic: *In finem. Psalmus David. Canticum Jeremiæ et Aggæi de verbo peregrinationis, quando incipiebant proficisci.* Et est sensus: Hic psalmus est David prophetæ considerantis in finem, id est in ultimam ætatem. Psalmus dico, est canticum, id est jucunditas et lætitia Jeremiæ et Aggæi, et omnium fidelium. Jeremias interpretatur *excelsus Domini;* Aggæus, *solemnis* vel *sublimis.* Hi utrique prædixerant futuram peregrinationem Judaici populi, et reversionem in patriam. In qua etiam reversione Aggæus interfuit. Utrique vero intellexerunt peregrinationem fidelium quæ fit in hac vita, et reditum, qui tandem erit, per illam designari. Per hos autem duos designantur omnes fideles; quoniam illi, sicut sub illius peregrinationis figura hoc exsilium spiritale magis plangebant, sic et in illius reversionis lætitia, de spiritali potius liberatione gaudebant. Et Jeremias quidem plus cæteris lamentatus et afflictus, non dubitatur plus cæteris quoque lætificatus, et vere juxta nomen suum in regno cœlorum insigniter excelsus, pro eo quod super gentes et super regna constitutus ut evelleret, destrueret, disperderet, et dissiparet, ædificaretque ac plantaret, multa in hoc officio contraria passus, et valde humiliatus, ac passioni Christi expresse complantatus est. Sed tamen per ipsum Jeremiam, licet præcipuum, significantur minus perfecti et mediocres; per Aggæum, qui in reditu adfuit, perfecti, qui non solum se peregrinari agnoscunt, sed juxta Apostolum conversatio eorum jam in cœlis est, ubi secundum nomen Aggæi solemnizant, et gaudia cœlestis patriæ in terra peregrinationis jam prægustant.

II. Sic et in Evangelio, dicente Domino ad Petrum: « Tu me sequere (*Joan.* XXI, 19); » de Joanne vero: « Sic eum volo manere (*ibid.*, 22), » per apostolorum principem significatur vita mediocrium in actione bona bene laborantium; et per Joannem vita perfectorum, tanquam super pectus Jesu in contemplationis requie pausantium, dulcedinemque vitæ perennis in hac peregrinatione prægustantium, cum utrumque istorum, Petrum videlicet et Joannem, constet in utraque vita fuisse consummatum. Et quidem valde honorandus est beatus Joannes, qui supra pectus Domini in cœna recubuit. Sed tamen præ cæteris apostolis apostolorum principi, tanquam principaliter cum Jeremia super gentes et super regna constituto, data est auctoritas confirmandi fratres, et destruendi portas inferi, ut eleventur portæ æternales; portæ Sion, quas diligit B Dominus super omnia tabernacula Jacob: quarum ad introitum cum Jeremia et Aggæo anhelantes ejusdem Sion peregrini cives, dicunt assidue oris et cordis clamore: *Te decet hymnus, Deus, in Sion; et tibi reddetur votum in Jerusalem*, subauditur, cœlesti. Et, ne quis illorum illic desit, orant in metu et spe: *Exaudi nos, Deus, salutaris noster, spes omnium finium terræ, et in mari longe*, et cætera.

III. Nota est historia quod Jeremias captivitatem Judæorum in Babyloniam et prædixit et vidit. Prophetavit etiam eos post septuaginta annos redituros. In illa vero captivitate fuerunt in Babylonia prophetæ, inter quos erat Ezechiel et Aggæus. Completis autem septuaginta annis, permittente Cyro rege Persarum, regressi sunt Jerosolymam, et Ag- C gæus cum illis, et restitutum est templum. Quoniam autem hæc in figura contingebant illis, intelligendum est duas esse civitates spiritualiter: unam malorum quæ cœpit a Cain, alteram quæ cœpit ab Abel. Illius cupiditas, hujus charitas cives facit. Ambæ permistæ sunt corpore, non desiderio; quia, quandiu in corpore sumus, hæc ut illa peregrinatur a Domino. Hujus autem peregrinationis causa fuit verbum quod primis parentibus factum est, « eritis sicut dii (*Gen.* III). » Quod non incongrue dicitur verbum peregrinationis, quia causa est universalis peregrinationis, in qua captivi detinemur. Incipit tamen ad patriam exire qui incipit amare, ut tandem penitus constitutus in dexteram separetur. D

IV. Nec vacat quod post septuaginta annos de peregrinatione redeunt. Hic enim numerus tempus vitæ designat præsentis, quo maxime ante adventum tenebatur populus in confusione: unde regredi cœpit per Christum, qui natus est in septuagesima septima generatione. Hoc ergo canticum de reversione, consolatio est in exsilio, ne quis desperet, certum audiens reditum, et per quem, et quæ divitiæ sint reversis. Primo autem Propheta affirmat reditum et precatur; secundo laudes Dei describit ibi: *Spes omnium finium terræ, et in mari longe*

V. De hac ergo reversione voce revertentium Propheta cantat et ait: *Te decet hymnus, Deus, in Sion.* O Deus juste! cujus justo judicio sumus in

peregrinatione sub rege Babylonico, sed tandem reversuros nos confidimus ad patriam, cœlestem videlicet Jerosolymam, ad quam proficisci nunc incipimus, qui manentes in Ecclesia per fidem ambulamus, *te decet hymnus: te*, non deos gentium dæmonia; *decet hymnus*, id est laus cum cantico. Ubi? *in Sion*, id est in Ecclesia, quæ secundum statum sive motum peregrinationis, in qua per fidem nunc ambulat, Sion, id est *speculatio*, dicitur; secundum statum vero æternitatis ad quam tendit, Jerusalem, id est *visio pacis*, nominatur; quia tunc videbit facie ad faciem quod nunc per speculum videndo, Sion dicitur, id est *speculatio*. In hac Sion te Deum verum *decet hymnus* ab illius civitatis civibus. Nam, etsi aliquis illorum fuerit etiam in fornace Babylonica secundum corporalis angustiæ detentionem et hominum despectionem, tamen, quia spiritu spiritualia et cœlestia speculatur, bene trium puerorum cantat hymnum, qui neque ad adorandam statuam auream, id est ad sectandam avaritiam declinatur, neque igne Babylonico, quæ turpissima est immunditiæ libido, perniciose uritur. E contra, si civis aliquis Babylonicus amori sæcularis vel gloriæ, vel concupiscentiæ, vel utriusque deditus, maxime avaritiæ servus, quæ est idolorum servitus, fuerit in Sion, id est in præsenti et peregrinante nunc Ecclesia, vel dignitatibus ecclesiasticis honoratus, vel specie sanctitatis tanquam civis Jerusalem palliatus; non te Deum verum decet hymnus in talis confusionis vel una persona, vel plurium synagoga; quia non est speciosa vel pretiosa laus in ore peccatoris, maxime in obsequio divino quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi quærentis, quod est adorare auream statuam.

VI. Propterea namque in quatuor temporum jejuniis, quibus hymnorum cantores ad sacros ordines promoventur, trium puerorum post aureæ statuæ contemptum, post incendium fornacis devictum, subnectitur hymnus, ut instruantur ordinandi quod, etsi cives dicantur et habentur Jerusalem, non tamen decet eos hymnum Deo vero cantare, vel altari sacro ministrare, nisi contempto prius aureo simulacro exitialis avaritiæ, victoque vel exstincto in se libidinis igne piceo ac sulphureo, quem rex Babylonis nutrit, rex Jerosolymitanus detestatur et odit: quique non pueros Domini Spiritu sancto vento roris protectos incendit, sed ministros regis Chaldæos incendit, qui eum nutriunt, non exstinguunt. Porro tres pueri, omnes videlicet pure colentes trinum in unitate Deum, non hunc ignem in se nutriunt, sed jejuniis, vigiliis, orationibus, cæterisque spiritualibus exercitiis restinguunt. Et, cum restinctus fuerit, vel ut non sit, quod senibus contingit aliquoties; vel certe, ut non obsit, quanquam legi membrorum naturaliter insit, quod juvenibus evenit; qui, etsi sentiunt in se carnis concupiscentias, non tamen eunt post eas, neque arma iniquitatis faciunt membra sua, legi Dei mente serviendo, legique membrorum carnalium

A in Spiritu sancto, tanquam vento roris flante, resistendo; tunc demum, certificante illos Apostolo, quod nihil damnationis est eis qui non secundum carnem ambulant, quodque illis qui in carne ambulantes non secundum carnem militant, corona debetur tanquam legitime certantibus; accedant, vocante illos Domino, ad sacros ordines accipiendos, et hymnos Deo canendos; quia *te decet hymnus, Deus*, in tali *Sion* tales cives etiam in medio Babylonis, in medio nationis pravæ, habente. Sed peramplius et perfectius *tibi reddetur votum in Jerusalem* illa, quæ sursum est, libera penitus ab omni confusione Babylonica, quæ est mater nostra.

VII. Non omnium est illa trium puerorum per-
B fectio, ut hymnum cantare possint in terra aliena. Unde et dicunt: « Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? » (*Psal.* CXXXVI, 4.) Sed in Jerusalem tibi reddetur votum ab omnibus Jerosolymitanis civibus, quando caro humana, quæ nunc terra est aliena corruptibilis, scilicet sua corruptione aggravans animam quantumlibet spiritualibus ac cœlestibus intentam, fuerit in electis omnino incorruptibilis et impassibilis. Nunc vero, etsi vento roris flante viri spiritales afflati et refrigerati cantant hymnum Domini in terra aliena, tamen et illi crebro suspendunt organa in salicibus in medio Babylonis: et qui sunt fragiles, adhuc in lucta carnis inferiores, omnino conticescunt ab hymnorum
C cantico exsultativo, ac super flumina Babylonis residentes, dulce habent flere, suisque pascuntur lacrymis, manducando simul panem doloris. Mente igitur in Jerusalem supernam proficiscentes, illiusque memoriam in principio lætitiæ suæ ponentes, vota laudis, et gratiarum actiones vovent, quæ tandem in Jerusalem persolvent ac reddent.

VIII. Sed, quoniam antequam perveniatur in illam Jerusalem, dum proficisci nunc incipimus, et in convertendo captivitatem Sion, quasi laxata captivitate, restincto per martyrum sanguine Babylonico igne, alteram Babyloniam, id est Romam videmus, et gaudemus in civitatem Sion commutatam; *te decet hymnus, Deus, in Sion*, id est in Ecclesia catholica Petri apostoli fide firmata, et per
D apostolos virosque apostolicos erudita, quasi per Jeremiam et Aggæum. Petrus quippe apostolus, qui respiciente se Domino flevit amare tanquam in lamentationibus Jeremiæ, peregrinos cives Jerusalem docet seminare in lacrymis, quod post metatur in exsultatione. Cui sociatur Paulus apostolus, velut alter Aggæus, quod interpretatur *solemnis* vel *sublimis*; quoniam raptus usque ad tertium cœlum, solemniter et sublimiter est magnitudine revelationum glorificatus, et tanquam vas electionis vere digne est glorificandus. Vel, quia Jeremias multimoda passione attritus et tandem martyrio coronatus est, per illum significari potest martyrum candidatus exercitus. Per Aggæum vero in convertendo captivitatem Sion factum sicut consolatum,

notare possimus cœtum confessorum in pace quiescentium, et auxilia regum ad ædificandas ecclesias habentium.

IX. Sicut enim Cyro laxante captivitatem, per Aggæum cæterosque illius temporis prophetas reædificata est Jerusalem, sic, imperatore Constantino dante pacem sanctæ Dei Ecclesiæ, quasi destructo jam regno Babylonico, portæ Sion sunt reædificatæ, atque tam imperialibus quam et pontificalibus edictis, tanquam seris et vectibus firmatæ. Spurcissimus Nero, qui velut alter Nabuchodonosor primus in secunda Babylonia erexerat idololatriam quasi auream statuam, cum suis posteris martyrum Christi tortoribus incendia fornacis augientibus (*sic*) jam judicatus erat ; ita ut quidam, ex talibus humiliati ad pœnitentiam, fenum quasi bos comederent, et altissimum in regno hominum dominantem recognoscerent, quidam vero cum Balthasar nimium secure luxuriantes et tyrannizantes, omnino amisso regno cum vita perirent ; sicut gesta martyrum contestantur quosdam ex tortoribus et senatoribus in urbe Roma, tanquam in Babylonia, sub jugum Christianæ legis humiliatos, quosdam vero tam visibiliter quam invisibiliter in manus dæmonis traditos, et regno simul ac vita privatos. His igitur partim condemnatis, partim conversis, nomen quoque commutatum est illius Babylonis, ut rectius urbs illa dicatur jam Sion quam Babylon. Et ideo pridem suspensa illic organa jam captantur ad cantica.

X. Quando enim fides Christiana in procinctu adhuc posita, et, ut ait quidam :

. . . . *agresti turbida cultu,*
Nuda humeros, intonsa comas, exserta lacertos
Pugnans, nec telis meminit, nec tegmine cingi.
Pectore sed fides valido membrisque retectis,
Provocat insani frangenda pericula belli :

non erat otium sedis apostolicæ pontificibus, ita perornare cultum fidei sicut nunc est perornatus, et in altaris ministerio tanquam in capite gloria et honore coronatus, jam concrepantibus organis et cantoribus ad canendum expeditis, maxime in cœnobiis per pontificum Romanorum decreta et privilegia communitis. His ergo nunc citharas percutientibus in domo Domini, *te decet hymnus, Deus, in Sion*, id est in Ecclesia Romana, quæ nomine Babylonis per apostolicam fidem commutato in nomen Sion, fundamenta nunc habet in montibus sanctis.

XI. Te decent sancta sacerdotalis officii ministeria spiritalibus canticis et hymnis in illa Sion perornata. Cum verbi gratia quidam Romanorum pontificum statuit psalmos ante sacrificium canendos antiphonatim, quidam *Gloria in excelsis*, quidam *Sanctus, sanctus, sanctus*, quidam *Agnus Dei* sacro adjunxit officio. Et quædam precum solemnia inseruerunt ejusdem Ecclesiæ Romanæ pontifices cum canticis et hymnis festivis, maxime in solemnitatibus præcipuis, quarum in vigiliis præcedit quasi

A lamentator Jeremias jejunando, vigilando, plorando coram Domino qui fecit nos. Et in diebus festivis consequenter adest Aggæus ille solemnis, qui reversioni de Babylonia in Jerusalem præsentialiter interfuit : sicut excellens quælibet solemnitas, verbi gratia paschalis, in canticis et hymnis quasi præsentialiter nobis post derelictam Babylonem supernæ pacis et lætitiæ ingerit visionem. Nam in tanto festo lamentationibus quadragesimalibus et vigiliis ac jejuniis prævento, incipientibus proficisci sursum, quibus conresurgentibus Christo sapiunt ea quæ sursum sunt, exsultat jam angelica turba cœlorum, exsultant divina mysteria ; in quibus decenter ordinatis, et Babylonis civibus inde sequestratis, *te decet hymnus, Deus, in Sion*. Et hic
B hymnus præparatio est voti perfecte reddendi quandoque in Jerusalem.

XII. Sed nunquid, o Deus ! te decet hymnus in Sion, interdictus a principibus ejusdem Sion, qui suis decretalibus edictis interdicunt officia et beneficia ecclesiastica clericis cum Nicolao fornicatore manifeste incestuosis, et cum Juda mercatore pessimo, vel Simone Mago turpiter negotiantibus, et in domo Dei latrocinantibus, quia materialibus quoque armis tutati atrociores inveniuntur Juda, qui redarguente propria conscientia dixit : « Peccavi tradens sanguinem justum (*Matth.* XXVII, 4) ; » et Simone Mago, qui ab apostolo Petro imprecatus, dixit eidem Petro ac cæteris apostolis : « Preca-
C mini vos pro me Dominum, ut nihil veniat super me horum quæ dixistis ? » (*Act.* VIII, 24.) At isti malitiosi neque propria conscientia redarguente humiliantur, neque ab aliquo veritatis æmulatore se argui patienter sufferunt ; quin potius tales persequuntur et odiunt, suisque militibus trucidandos et occidendos exponunt. Quid igitur intendunt isti, vel princeps mundi hujus Babylonicus quid per eos intendit, nisi civitatem Sion destruere atque Babyloniam reædificare ?

XIII. Quando enim Romanum imperium, quasi caminus igne Babylonico ardebat contra cultores Trinitatis, crucians eos diversis tormentis qui spreverunt auream statuam, idololatriam, præcipueque avaritiam : tunc non immerito a Petro apostolo
D urbs Roma tropice dicta est Babylonia. « Salutat, inquit, vos Ecclesia in Babylone collecta (*I Petr.* V, 13). » Sed, refrigerato et exstincto igne persecutionis in imperio Romano jam ad fidem Christi curvato, ipsa urbs urbium Roma recte Sion dicitur, ut jam dictum est. Neque Babylonicæ tyrannidi, vel confusioni de cætero locus est permittendus in ea, cum sit aula pudicitiæ, sedes justitiæ, asylum religionis canonicæ ac monasticæ, rationabilibus privilegiis velut quibusdam propugnaculis defensando undique claustra ordinata regulariter, ut liberum sit in eis cantoribus de canticis Sion hymnos frequentare, secundum quod *te decet hymnus, Deus, in Sion*.

XIV. Subsistere hic libet aliquantulum, et in

termisso paulisper expositionis cursu, ad eos intendere confutandos, qui muros Jerusalem destruere murosque Babylonis, quantum in ipsis est, conantur ædificare. Nonne ea quæ Deus conjunxit separant, vel quæ ipse disjunxit ac distinxit in unum confundunt, muros Babylonis, id est confusionis in altum attollunt? Imperium quoque Romanum nituntur facere Babylonicum, et quod pejus est, regnum Christianum volunt esse paganum: vel certe de duobus repugnantibus insimul confusis restaurant regnum Babylonis, et resuscitant regnum ejus, de quo Dominus in propheta Jeremia conqueritur, dicens: « Grex dispersus Israel, leones comederunt eum (*Jer.* x, 21). » Primus comedit eum rex Assur; iste novissimus exossavit eum Nabuchodonosor rex Babylonis. Vere leones bestialis ferocitatis principes comederunt gregem Domini: et primus rex Assur, quia primus princeps Assyriorum, Judæorum scilicet seipsos dirigentium, comedit eum, vel quando Pilatus eorum tetrarcha occidit Christum, disperso grege discipulorum ejus, vel quando, ipsis Judæis concitantibus, misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia. Deinde reliqui leones a Nerone usque ad Diocletianum per decem universales persecutiones, ita comederunt ac disperserunt gregem Domini, ut illa bestia decem cornibus terribilis Danieli præostensa, jam singulis cornibus in singulis persecutionibus debacchata, et sanguine sanctorum satiata sit ultra quam dici possit. Et quia ultima persecutione, Diocletiano et Maximiano tyrannizantibus, decem annis vexata est Ecclesia; sive in decem universalibus persecutionibus, sive in decem annis ultimæ persecutionis intelligas decem cornua crudelis bestiæ, Romani videlicet imperii, gratanter accipe humiliationem ex tunc illius bestiæ, ita ut fenum quasi bos comedens, et præsepe Domini sui agnoscens, rore cœli tincta sit; baptizato videlicet Constantino imperatore, non ut hæretici contendunt, ab hæretico Eusebio Ariano, sed ut Catholici sentiunt, a catholico urbis Romæ pontifice Silvestro.

XV. Memini enim, cum in urbe Roma fuissem, fuisse mihi objectum a quodam causidico Ecclesiæ Dei adversario, non esse rata privilegia imperatoris Constantini ecclesiasticæ libertati faventia, eo quod ipse vel baptizatus, vel rebaptizatus fuisset in hæresi Ariana, ut insinuare videtur historia Tripertita. Quo contra tunc ex parte disputavimus, et adhuc disputare et probare parati sumus, quod sicut in antiqua Babylonia rata fuerunt edicta Deum Danielis condonantia (3), licet a pagano imperatore promulgata, sive cum Nabuchodonosor Filium Dei sibi in fornace manifestatum glorificavit, sive cum exposito sibi per Danielem somnio, ipsum Danielem in sublime super omnes principes Babylonis extulit, atque Deum ipsius et trium puerorum laudibus magnificavit; quem et postea de regno ejectus, et denuo restitutus in regno, hominum dominari confessus est: multo magis in secunda Babylonia privilegia vel edicta imperialia imperatorum Deum glorificantium, et servos ejus in sublime super omnes regni terreni principes extollentium, rata sunt habenda, in quantum propheticis, evangelicis, apostolicisque documentis inveniuntur consona, etsi vita imperatorum non sit omnimodis approbanda.

XVI. Si enim Cyrus rex Persarum testimonio divino laudatur, et Christus Domini a propheta nominatur, non quia sanæ fidei exstiterit, vel juste vixerit, qui paganus fuit; sed quia imperiali edicto captivitatem populi Dei primus laxavit, permittens cives Sion reverti ad canendos hymnos in Sion: quomodo non est laudandus imperator Constantinus, qui primus imperatorum Romanorum publicis edictis libertatem tutatus est Ecclesiæ, ut vacaret servis Dei libere Deo servire in psalmis et hymnis et canticis Sion? Quod cum usque ad ipsius tempora fieret in urbe Roma, in altera videlicet Babylonia, per cryptas et alias latebras, tanquam in silentio suspensis organis in medio Babylonis; ex tunc ædificatis ope ipsius muris Jerusalem, in templis magnificis Deo vero sacrificatur, conjubilantibus electis cantoribus exercitatis in canticis Sion. Quis sapiens et intelligens hæc, non opus divinæ pietatis veneretur, cujuscunque sit fidei vel conversationis æstimatus homo, per quem talia Deus est operatus?

XVII. Legimus regum paganorum, Cyri, Darii, Artaxerxis, optima scripta et edicta pro reædificandis muris Jerusalem promulgata, nec pro eorum perfidia illa censemus repudianda; sed pro divina pietate, qua inspirante processerunt, amanda et veneranda, in eo præcipue quod ex reipublicæ sumptibus quædam remittendo, quædam largiendo, adjutorium præbuerunt famulis Dei reædificantibus domum Dei, et muros Jerusalem post laxatam populi Dei captivitatem. Legimus et veneramur epistolas bonas regis Assueri, prioribus epistolis malis ex consilio Aman Agagitæ hostis Judæorum datis contrarias, et laudamus eas. Quomodo igitur non laudemus edicta Constantini aliorumque imperatorum paci ecclesiasticæ faventium, qualitercunque se habuerit fides et conversatio eorum? Certe in historia ecclesiastica laudatur, Eusebio narrante, fides et pietas Constantini principis; a qua, si postea, ut in Tripertita historia legitur, deviando, baptizatus vel rebaptizatus est ab Eusebio Ariano, culpa ejus ad ipsum spectat, neque tamen bona scripta ejus evacuat. Sicut et culpa regis David, licet illi multum nocuerit, scripta tamen ejus bona evacuare non potuit; sic scripta Salomonis bona et sancta tenemus, quanquam novissima senectutis ejus per luxuriam et idololatriam graviter fœdata non ignoremus. Prophetiam quoque Balaam arioli mercedem iniquitatis amantis, quia sacris

(3) Forte error est typogr. pro *commendantia*.

litteris consona invenitur, in summa recipimus A auctoritate, non pensando quis dixerit, sed quid.

XVIII. Fuerit ergo imperator Constantinus in suis extremis cujuscunque sectæ sectator, derelicta, ut fertur, fide catholica, pro qua laboraverat in synodo Nicæna, quod ego minime credo, cum ejus etiam filios Constantinum et Constantem paternæ fidei successores duo testes, duæ olivæ, ac duo candelabra, Joannes videlicet et Paulus, in opprobrium Juliani apostatæ commendent, et Catholicos atque in fide catholica et conversatione bona stabiles, de regno terreno ad regnum cœleste translatos prædicent. Fuerit ergo pater eorum Constantinus, circa fidem peste Ariana, contra quam ante laudabiliter dimicaverat, maculatus, ut asserit Cassianus; cujus non solum in laude nimia Tripertitæ B historiæ, sed et in cæteris opusculis notatur et repudiatur sensus hæreticus, quanquam de Vita Patrum scripta ejus teneamus, ea duntaxat quæ approbavit vir illustris Hieronymus. Nam cætera sunt apocrypha, et, ut Prosper, doctor eruditissimus, notat, pro sensu hæretico repudiata. Quædam tamen ab ipso Prospero inveniuntur emendata. Quomodolibet ergo Tripertita historia de baptismo Constantini sit recipienda vel respuenda, nihil hoc attinet ad infirmanda ejus edicta pro catholica fide in defensionem sanctæ Dei Ecclesiæ promulgata, et per apostolicos doctores roborata, inter cætera imperialia scripta.

XIX. Unde in Gestis ecclesiasticis legitur inter C cætera: « Denique reges et præsides ac magistratus, non solum adjacentia tribuere, sed et ipsi propria largiti sunt per universa regna terrarum, unde alerentur egentes qui in mundo nihil possidebant, ecclesiæque fabricarentur atque restaurarentur, Deoque et Ecclesiæ ejus rite famulantium, servorumque illius supplementa absque necessitate tribuerentur. E quibus vir religiosissimus Constantinus, primus fidem veritatis patenter adeptus, licentiam dedit per universum mundum in suo degentes imperio non solum fieri Christianos, sed et fabricandas ecclesias, et prædia tribuenda constituit. Denique idem præfatus princeps donaria immensa, et fabricam templi primæ sedis beati Petri principis apostolorum instituit, adeo ut sedem imperialem, D cui quippe Romani principes præsidebant relinqueret, et beato Petro suisque successoribus profuturam concederet. » Audiat adversarius quia imperator Constantinus in gestis ecclesiasticis vir religiosissimus nominatur, et ejus institutio, non quia ejus fuit, sed quia justa et rationabilis exstitit, laudatur. Neque enim tam laudabili constitutioni hoc adversatur, quod jurisperiti dicunt rem publicam non posse usucapi, cum hoc dicto sane intellecto astruatur id quod juris publici est in privatum jus non posse redigi. Denique res publica Ecclesiæ donata manet adhuc publica, in publicum summi Regis obsequium, non in jus privatum vindicata.

XX. Cujus transpositionis multa inveniuntur laudabilia exempla, non solum in sancta Ecclesia, sed et in gente non sancta et pagana. Legamus gesta regum paganorum in libris Machabæorum, et inveniemus Jerusalem, peccatis exigentibus, aliquoties miserabiliter humiliatam et a gentibus conculcatam, quam Deo propitiato, reges gentium valde honoraverunt, et reipublicæ sumptibus ditaverunt. Nam, cum sancta civitas habitaretur in omni pace, leges etiam in ea optime custodirentur, fiebat ut ipsi reges gentium in summa veneratione haberent locum sanctum, quem postea legibus Dei contemptis, profanatum ac dehonestatum, per bella triumphalia Machabæorum, denuo legimus reparatum, et coronis aureis ornatum, regibusque gentium valde humiliatis, eorum largitione magnifice honestatum. Cui rei simile est quod post prælia martyrum victoriosa, inclinata sunt regna, et per Constantinum pium principem in obsequium Christi mœnia et prædia imperialia translata, et libertas ædificandi et ditandi ecclesias publicis edictis confirmata.

XXI. Post Constantinum quoque ipsius in imperio et pietate successores catholici reges et imperatores eamdem libertatem sanctæ Dei Ecclesiæ firmaverunt: videlicet junior Constantinus et Constans, Valentinianus, Arcadius et Honorius, Carolus et Ludovicus; quorum statuta imperialia super ecclesiastica libertate præ manibus habentur, quibus ecclesiasticæ immunitatis et libertatis privilegia, tam ab ipsis quam a suis antecessoribus promulgata, censentur omnino rationabilia et inviolabilia. Unde Arcadius et Honorius dicunt inter cætera: « Quæcunque a parentibus nostris diversis sunt statuta temporibus, manere inviolata atque incorrupta circa sacrosanctas ecclesias præcipimus. Nihil igitur a privilegiis immutetur: omnibus qui ecclesiis deserviunt, tuitio deferatur. Quia temporibus nostris addi potius reverentiæ cupimus, quam ex iis quæ olim præstita sunt, immutari. » Valentinianus quoque decrevit, dicens: « Universos quos constiterit custodes ecclesiarum esse, ac sanctorum locorum religiosis obsequiis deservire, nullius attentationis molestiam sustinere decernimus. »

XXII. Multa his consimilia ex legibus et edictis imperatorum seu regum possemus colligere. Sed habemus firmiora munimenta in decretis pontificum Romanorum libertatem et immunitatem prædiorum ecclesiasticorum, et omnium quæ possident Ecclesiæ munientium sui apostolatus in contradicibili auctoritate: quibus rerum ecclesiasticarum fraudatores, vastatores, alienatores anathematis jaculo feriuntur, et ut sacrilegi pronuntiantur. Si vero de gestis ecclesiasticis inde tibi suboritur ambiguitas, quod in ecclesiastica historia in aliquibus videtur dissonare a Tripertita historia, circa ea quæ de imperatore Constantino scripta sunt utrobique; prætermissa diversitate codicum de baptismo Constantini varie agentium, unam tamen et eamdem

pietatem jam dicti principis contestantium; respice, quæso, pontifices Romanos ejusdem veritatis attestationi unanimiter consonantes. Quod si adhuc firmiora petis argumenta, recurre ad immobile fundamentum evangelicorum, apostolicorum, propheticorumque testimoniorum, quibus aperte invenis approbatum, regibus et principibus cæterisque divitibus mundi hujus esse licitum ac salubre sanctam Dei Ecclesiam larga munificentia honorare, Christoque in ea regnanti aurum de thesauris suis offerendo, cunabula ejus, quæ sunt famulantium sibi habitacula cœnobitalia, ornare; quemadmodum sancti martyres offerendo myrrham, et sancti confessores offerendo thus, eadem cunabula pro sui ordinis congruentia ornant, dum in eis reliquiæ martyrum collocatæ virtutibus et miraculis coruscant, suisque meritis inibi militantes adjuvant, et doctrinæ confessorum sanctos mores informant, orationibusque suffragantur bovi et asino hujusmodi præsepe Domini sui recognoscentibus.

XXIII. Et quia non solo cibo angelorum, sed et feno animalium decet refertum esse hoc præsepe Domini: comportent hoc fenum divites mundi hujus, faciendo sibi amicos de mammona iniquitatis, ut cum defecerint, recipiatur ab eis in æterna tabernacula; pro quibus consequendis ipsi reges offerant ædificia regalia, ut impleatur quod scriptum est: « In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami et junci (*Isai.* xxxv). » Quod ad litteram quoque impletum perpendimus, qui non solum templa idolorum, sed etiam palatia imperatorum et regum, in ecclesias et habitacula Deo militantium conversa videmus. Pro exemplo sit nobis in urbe Roma domus rotunda Sanctæ Mariæ; quæ dæmonibus fabricata, nunc est in honore beatissimæ virginis Mariæ omniumque sanctorum dedicata. Similiter et palatium Lateranense, prius imperiale, nunc factum sacerdotale, manifeste repræsentat hujus prophetiæ veritatem, qua dicitur: « In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami et junci. » Nihilominus et in cœnobiis auxilio divitum fabricatis, quasi cubilia draconum calami et junci replent: cum lingua docentium, quasi calamus scribæ velociter scribentis verbum Dei firmat, et fides audientium ad modum virentis junci, non in superbiæ rupe, sed in humilitatis valle radicata verbum sibi dictum conservat ne pereat, quomodo et cophini de juncis contexti fragmenta quinque panum servant ne pereant. Et Maria humilium regina, et humilitatis exemplar præcipuum, conservabat omnia verba suæ fidei credita conferens in corde suo, donec ea committeret calamis apostolorum et Evangeliorum, de talibus digne loquentium et scribentium, quod non decebat sexum femineum.

XXIV. Propemodum simile est huic in cœnobiis regularibus, quia infirmis ac femineis personis orantibus, et fortibus atque viribus [*forte* viris *aut* virilibus] viriliter ac fortiter verbum Dei
A scripto vel dicto contestantibus, invicem sibi cooperantur calami et junci, fortes et infirmi, eloquentes et taciturni. Quod spectatorem et dilectorem Dei mirabilium præcipue delectat, cum fit in cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, sicut in palatiis regum, vel antiquis templis dæmonum, prout supra exemplificatum est in rotunda domo Sanctæ Mariæ, et in palatio Lateranensi. Torqueantur super hoc spectaculo invidorum lippi oculi; ego vero delectabor in Domino talia operante, atque serenis oculis aspicio Deum jacentem in quolibet tali præsepio, in medio duum animalium, bovis et asini, tanquam in medio calami et junci. Nam bos animal mundum et sacrificiis aptum, ruminans atque triturans, apte significat chorum litB teratorum verbi ministerio deditorum, quorum linguæ assimilantur calamis velociter scribentium. Et asinus animal simplex atque oneriferum, non incongrue significat gregem simplicium; verbi gratia fratrum conversorum, vel sororum devotarum, seu aliarum fidelium personarum, quæ omnino paratum cor habent ad onus obedientiæ pro suo posse ferendum, et in charitate quæ omnia suffert, omnia sustinet, et ipsi tanquam Issachar asinus fortis humerum supponunt ad omnia sufferendum et sustinendum.

XXV. Quis non, ista considerans, videat Jesum venisse in partes Cæsareæ Philippi? quia, cum Cæsar esset imperator et Philippus tetrarcha, non inC congrue his nominibus prænotatur potestas Christi eo usque in mundo processura, ut imperatorum cæterorumque principum, majorum scilicet ac minorum, sibi colla inclinaret. Quo modo antiquus ille Jesus, qui et Josue dictus est, quinque regum colla suis principibus calcanda substravit, sole diem prolongante usque ad consummationem talis victoriæ. Putasne sine mysterio non alibi, sed in loco tali dictum est Petro: « Quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum; et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis? » (*Matth.* xvi, 19.) Poterat hoc alio in loco DoD minus dixisse Petro, sed voluit ostendere Cæsares ac tetrarchas cæterosque principes mundi hujus per principatum dignitatis apostolicæ aut frangendos aut flectendos. Et beati qui flexibiles inveniuntur, ut princeps Constantinus, et post ipsum Arcadius et Honorius, Valentinianus, Gratianus, Carolus et pius Ludovicus, cæterique horum similes a malo ad bonum inclinabiles. Miseri vero qui, flecti nolentes, frangi meruerunt, ut Nero, Decius et cæteri tales in paganismo tyrannizantes, et quidam postea in Christianismo illis nequiores, ut Constantius Arianus, et Apostata Julianus, cæterique reges hæreticorum vesaniæ contra Ecclesiam Dei faventes, aut moderno tempore spiritalia dona, quæ minime habebant, vendentes, ac potius vendere si-

mulantes in constitutionibus episcoporum, abbatum, præpositorum, capellanorum, non ad Dei, sed ad sui beneplacitum, captando in omnibus quæstum Simoniacum.

XXVI. Volebant enim reges mali et Simoniaci, cæterique principes illis consentanei, vel absque omni electione canonica episcopatus, cæterasque dignitates ecclesiasticas pro velle suo dare, vel tales fieri electiones, in quibus ipsi potestative dominarentur, eo quod secundum canones, consensus honoratorum requirendus et admittendus est in electionibus episcoporum. De isto assensu honoratorum cujusque civitatis admittendo et requirendo in electione pontificis, copiose memini tractatum in epistola beatæ memoriæ Chuonradi Salzburgensis archiepiscopi ad archiepiscopum Magdeburgensem Norbertum virum litteratum. Voluerat enim ille inter honoratos cujusque civitatis etiam potestativos principes vel reges reipublicæ administratores esse comprehensos : quod sacrorum canonum censura omnino contradicit. Unde in septima synodo universali, habita a quinque patriarchis cum CCCL Patribus sub Adriano papa, capitulum tertium sic se habet : « Omnis electio episcopi, vel presbyteri, vel diaconi a principibus facta irrita manet, secundum regulam quæ dicit : Si quis episcopus sæcularibus potestatibus usus Ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur et segregetur, omnesque qui illi communicant. » Item concilio Antiocheno : « Si quis presbyter vel diaconus per sæcularem dignitatem Ecclesiam Domini obtinuerit, dejiciatur et ordinator ejus, et a communione modis omnibus abscindatur, et sub anathemate sit sicut Simon Magus a Petro. » Ex synodo Symmachi papæ cum CCXVIII episcopis : « Non placuit laicos ad statuendum aliquid in Ecclesia aliquam habere potestatem, quibus obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi. » Octava synodus, cap. 11 : « Promotiones et consecrationes episcoporum, concordans prioribus conciliis, clericorum electione ac decreto, et episcoporum collegio fieri hæc sancta et universalis synodus definivit et statuit, atque jure promulgavit, neminem laicorum principum vel potentum semet inserere electioni vel promotioni patriarchæ vel metropolitani aut cujuslibet episcopi, ne videlicet inordinata et incongrua hinc fiat contentio vel confusio. Præsertim cum nullam in talibus potestatem quemquam potestativorum, vel cæterorum laicorum habere conveniat, sed silere et attendere sibi, usquequo regulariter a collegio Ecclesiæ suscipiat finem electio futuri pontificis. Si quis vero laicorum ad concertandum et cooperandum invitatur ab Ecclesia, licet hujusmodi cum reverentia si forte voluerit obtemperare se asciscentibus. Taliter enim dignum sibi regulariter ad suam Ecclesia promovet salutem. Quisquis autem sæcularium principum vel potentum, vel alterius dignitatis laicus, adversus communem ac consonantem atque canonicam electionem ecclesiastici ordinis agere tentaverit, anathema sit, donec obediat et consentiat quod Ecclesia de electione et ordinatione proprii præsulis se velle monstraverit. » Canones Parisiaci : « Si per ordinationem regiam honoris istius culmen pervadere aliquis nimia temeritate præsumpserit, a provincialibus loci ipsius episcopis recipi penitus nullatenus mereatur, quem indebite ordinatum agnoscunt. Si quis eum de comprovincialibus recipere contra interdicta præsumpserit, sit a fratribus omnibus segregatus, et ab ipsorum omnium charitate semotus. »

XXVII. Hujusmodi regulis de pontificum promotione promulgatis, excluditur violentia regum seu principum, cæterorumque laicorum potestativorum ab electionibus et promotionibus episcoporum, quanquam recte requiratur assensus cujusque civitatis honoratorum. Huc accedit novum papæ Innocentii decretum, quo præcipitur electio a canonicis fieri secundum consilium religiosorum. Quibus omnibus diligenter pensatis, quatuor inveniuntur distinctiones in electione canonica. Nam spiritales et religiosi viri habent consulere, canonici eligere, populus petere, honorati assentire. Qui tamen si consilio religiosorum Patrum et electione clericorum ac petitione populi concurrente in unum, noluerint præbere assensum, non propterea irrita erit electio, si alias est canonica. Quia neque regibus, neque honoratis eam cassandi est ulla potestas, sed, ut Symmachus papa dicit, obsequendi necessitas. Jure denique, sicut fabricans mundum in principio fecit Deus cœlum et terram, sic in fabricanda nova creatura prius formantur cœlestia et spiritalia, dehinc terrestria et corporalia; ut videlicet spiritaliter electo et constituto episcopo, deinde accedat laicorum assensio, et illa regalium donatio, de qua constitutum jam episcopum rex vel imperator investire habet, quando jam in electione vel promotione prorsus non est contradictio.

XXVIII. Nam, si electionis patet dissonantia, jure in talibus exspectatur judicum spiritalium sententia, ut electo jam confirmato fiat regalium donatio : quanquam eadem jam ecclesiis olim donata, in possessione sint ecclesiastica censenda, sed obsequio decenti apud regem deservienda, non ad nutum ejus ecclesiis quasi ex novo conferenda vel auferenda. Reges enim ac principes in tali malitia pertinaces, ut vellent ad nutum suum dispensari ecclesiastica vel ipsa regalia, ex parte fracti sunt, humiliatis cæteris ad obedientiam apostolicæ sedis : ita ut jam lætari possemus in his quæ dicta sunt et acta, in domum Domini euntibus his qui veniunt de Babylone in Jerusalem, si non videremus a quibusdam reædificari Babylonem, id est illam confusionem, qua rex Babylonis diabolus in diebus istis novissimis exossat gregem Domini, sicut Jeremias deplorat, dicens : « Grex dispersus Israel, leones comederunt eum. Primus devoravit eum rex Assur, iste novissimus exossavit eum Nabuchodonosor rex Babylonis (*Jerem.* L, 17). »

XXIX. Quid enim est gregem Domini exossari, nisi eum ita fascinari ut in errorem inducatur, si fieri potest, et electi ossibus carnem portantibus assimilati, sed peccatis exigentibus eorum numero sociati qui cives potius Babylonis quam Jerusalem censentur? Verbi gratia, in clero hi qui cum sint valenter litterati, dicuntur tamen et sunt Acephali, et, ut ait Isidorus, hippocentauris assimilati, qui nec equi nec homines, mistum genus et confusum in se repræsentantes, neque clericali neque laicali disciplina utentes, ex eo quod vocantur clerici vel canonici, cum sint synagoga Satanæ, volunt pro suo libitu ecclesiasticos honores partim sibi usurpare, partim sui similibus vel etiam nequioribus conferre. Horum quidam præcipuas in Ecclesia dignitates et sedes occupant, atque cives Jerusalem tanto gravius gravant, quanto licentius in ipsa Jerusalem regi Babylonis militant, sæcularia spiritualibus miscendo, et omnia ita confundendo, ut si videas hujusmodi hominem, neque in habitu, neque in conversatione valeas perpendere illius professionem. Similiter et inter laicos vix invenias in ordine militari aliquem suis contentum stipendiis, ad sæcularem videlicet militiam pertinentibus; ita ut non habeant decimas militiæ spiritali potius quam sæculari divina ordinatione destinatas. Et hi ergo, veluti ex diverso genere confusi, cives Babyloniæ sunt, separantes quæ Deus conjunxit, et jungentes quæ separavit. Hujus autem confusionis præcipui sunt machinatores episcopi talem clerum foventes, et laicis talia beneficia præstantes; et principes eadem sua potentia manu tenentes, atque in hoc non Deo, sed regi Babylonis militantes. Diligit enim tales confusiones rex Babylonis, ut spiritalia et sæcularia insimul confusa repræsentent quodam modo chaos antiquum, quando adhuc terra erat inanis et vacua, et tenebræ erant super abyssum.

XXX. Sed, ne semper talis esset confusio rerum, Spiritus Dei ferebatur super aquas, ut ex tanta rerum confusione produceret formas discretas, et ab invicem sua proprietate distinctas. Multo nunc benignius fertur super aquas baptismi, ut ex his ad lucem producat quidquid illud pulchritudinis et jucunditatis fuit. Unde sibimet ipsi applaudebat antequam quidquam faceret æterna Dei sapientia, ludens in orbe terrarum, pro deliciis habens esse cum filiis hominum. Hæc eadem novissime diebus istis loquens in carne propria hominibus, et manens cum hominibus, ipsos cum quibus manebat homines inter se discrevit, aliter loquens discipulis suis in monte, aliter turbis in loco campestri: ostendens videlicet, quod sui discipulatus electi sectatores a turbis hominum secernendi, sibique in monte celsioris conversationis jungendi essent. Hujus divinæ institutionis memor beatus Petrus, in ordinatione Clementis dicit: « Te quidem oportet irreprehensibiliter vivere, et summo studio niti ut omnes vitæ hujus occupationes abjicias, ne fidejussor ex-

A istas, ne advocatus litium fias, neve in ulla aliqua occupatione prorsus inveniaris mundialis negotii occasione perplexus. Neque enim judicem aut cognitorem sæcularium negotiorum hodie te ordinare vult Christus; ne præfocatus præsentibus hominum curis, non possis verbo Dei vacare, et secundum veritatis regulam secernere bonos a malis. » Item: « Sicut impietatis est crimen, neglectis verbi studiis, sacerdotes sollicitudines suscipere sæculares; ita unicuique laicorum peccatum est, nisi invicem sibi et in his quæ ad communis vitæ usum pertinent, operam fideliter dederint. » Et Paulus doctor gentium: « Nemo, inquit, militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit (*II Tim.* II, 4). » Item: « Omnis pontifex
B ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum (*Hebr.* V, 1). » In his, inquit. quæ sunt ad Deum; non in his quæ sunt ad sæculum.

XXXI. Quæ nimirum doctrinæ apostolicæ salubria monita, non ita sunt accipienda, ut illis Apostoli dictis inveniantur contraria, quibus asserit se suique similes habere potestatem etiam angelos judicandi, quanto magis sæcularia? Item: « Spiritualis, inquit, judicat omnia, et ipse a nemine judicatur (*I Cor.* II, 15). » Judicet ergo spiritualis omnia, præsertim suæ sollicitudini commissa, etiam sæcularia, sic tamen ut in sæcularibus negotiis non se implicet. Aliud est enim de sæcularibus juste
C judicare, aliud eisdem se implicare. Nam de sæcularibus judiciis et judicibus habet potestatem judicandi episcopus, sciens reprobare malum et eligere bonum, sciens juxta legem discernere inter lepram et non lepram, inter sanctum et non sanctum. Sed alia sunt judicia et negotia, quæ spiritalis homo sedens in cathedra Moysi per semetipsum potest administrare, alia quæ debet sensatis laicis committere, præcipue quæ spectant ad vindictam malefactorum, contra quos minister armatus et judex cinctus non sine causa gladium portat; quem nemo debet sua præsumptione accipere, ne gladium accipiens gladio pereat; sed ecclesiastica potestate ordinante sæcularem atque interdum frenante, interdum stimulante, sic per sanctos judicentur natio-
D nes, ut ipsis juste dominantibus munda sit manus et lingua sacerdotis a negotio sanguinis. Neque enim sanguis per judicem cinctum, licet ab episcopo constitutum, fusus, imputandus est episcopo, si tamen eidem judici non sinit esse potestatem liberam, seu violentiam contra justitiam.

XXXII. Sic enim legimus a pontificibus Romanis quosdam regum seu principum, pro inutilitate vel nequitia sua excommunicatos et destitutos, aliosque pro illis constitutos, ut ii quos provexerunt, non solum ex instituto, sed etiam ex præcepto eorum gladio vindice persequerentur hostes Ecclesiæ vel regni. Sane in talibus bellis movendis pro defensione patriæ seu Ecclesiæ, sacerdotali quoque tuba cum principis edito consonante, sic se lingua

sacerdotalis debet cohibere, ne se videatur mortibus etiam hostium commiscere; sicut de beato Gregorio legimus, qui, cum Romanos milites in defensione Urbis contra Longobardos pecunia ecclesiastica velut sacellarius juvaret, atque doctrina sacerdotali tanquam justitiæ signifer animaret; a mortibus tamen ipsorum Longobardorum studuit sibi cavere, ipsis quoque hostibus parcendo, nec bella inferendo vel inferri præcipiendo, nisi quantum exegit necessitas injuriæ propulsandæ, vel urbis ac patriæ defensandæ. Hinc est quod hostibus versus urbem properantibus monet a tergo instandum, vel ex adverso resistendum: quibus in pace quiescentibus, et Ecclesiam non lædentibus minime docet bella inferenda, quanquam nota fuerit hostilis eorum nequitia. Inde est quod penes imperatorem Mauritium sibi prorsus infensum, dudum accusatus quod Malchum episcopum sui patrimonii provisorem, pro reddendis pensionibus tandiu in custodiis afflixisset, quousque spiritum exhalaret, Sabiniano suo Constantinopolitano diacono scribens, ait: « Unum est quod breviter suggeras serenissimis dominis nostris, quia si ego servus eorum in mortem vel Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec regem, nec duces, nec comites haberet, atque in summa confusione divisa esset. Sed, quia Deum timeo, in morte cujuslibet hominis me miscere formido. Malchus autem isdem episcopus neque in custodia fuit, neque in aliqua afflictione; sed die qua causam dixit et addictus est, nesciente me a Bonifacio notario in domum ductus est, ibique prandidit et honoratus est ab eo, et nocte subito mortuus est inventus. »

XXXIII. Quam vero crudele visum fuerit huic sacratissimo doctori, ut episcopo jubente aliquis ita castigaretur, ut ex ipsa castigatione mortis causa inferretur, inde colligitur, quod Joanni episcopo Calliopolitano inter alia scribens, ait: « Matricula, quam frater et coepiscopus noster Andreas Tarentinus episcopus fecit fustibus castigari, quamvis exinde post octo menses hanc obiisse non credamus, tamen quia eam contra propositi sui ordinem hujusmodi fecit affligi, duobus hunc mensibus a missarum solemnitate suspende, ut vel hæc eum verecundia qualem se de cætero exhibere possit, instituat. »

XXXIV. Audiant hæc episcopi, qui ultro et contra justitiam plerumque bella movent, guerras excitant, et plerumque innocentes etiam personas truncari et morte tenus male tractari præcipiunt, officiumque militis et sacerdotis in una persona confundunt, comitis et pontificis dignitatem simul administrant, hostibus non tyrannizantibus, verum ea quæ pacis sunt et gratiæ humiliter quærentibus, gladios intentant et eos occidi vel truncari præcipiunt: quos utinam vivos capi præciperent, et a mortibus eorum sibi caverent! qui si, capi se non permittentes, a militibus episcoporum occiderentur, qualicunque pallio excusationis verecunda patrum

A tegerentur, ne homicidæ viderentur. Nunc autem quia episcopi quidam sic tyrannizant, ut etiam innocentes personas et spiritales, militum suorum gladiis interdum exponant; esurimus et sitimus hanc justitiam, ut judicia et negotia spiritalia per spiritales, et sæcularia per sæculares ita peragantur, ne termini a patribus constituti negligantur. Talibus judiciis in Ecclesia Christi distincte ordinatis, confunderetur et excluderetur omnino rex Babylonis, princeps tenebrarum et confusionis, qui nunc rebus male mistis et confusis gloriatur se abundare filiis et filiabus multiplicatis super numerum filiorum et filiarum Jerusalem.

XXXV. Misereor super filias Babylonis, miseras illas falso sanctimoniales dictas, quæ si aut Christo
B per votum continentiæ spiritaliter nuptæ, vel ante votum sæculariter conjugatæ fuissent, poterant esse filiæ Jerusalem, vel inter sexaginta reginas, inter octuaginta concubinas contemplantes regem Salomonem in diademate suo, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis suæ. Nunc autem sanctimoniam professæ, mundo autem nimis amicæ, filiæ Babylonis et confusionis recte dicuntur, et a filiabus Jerusalem, non tanquam fatuæ virgines, in ultimo tantum sponsi adventi secernendæ sunt; sed et nunc in interitum carnis tradendæ Satanæ, ut spiritus earum salvus fiat, sicut nuper in concilio Remense tu, papa Eugeni, de talibus mandasti, ut Christiana etiam sepultura careant, nisi vitam suam in congregationibus secundum Regu-
C lam beati Benedicti, vel sancti Augustini emendent, et relictis propriis, communiter vivant. In quo statuto exsequendo episcopi quidam non bene vigilant. Sed et ipsæ filiæ Babylonis remurmurant inter se dicentes: Quid est rationis quod nobis feminis in claustro quolibet stabilitis et nutritis, neque tamen regulæ alicujus voto adhuc obligatis, quia votum regulæ solemus differre usque ad lassitudinem senectutis; nunc imponitur invitis observantia regularis? Quibus cum respondeo, quia estis in monasterio et utimini stipendio regulariter viventibus constituto, respondent: Nonne similiter et canonici episcopalium ecclesiarum vivunt de stipendio regulariter viventibus constituto, et ipsi nullam pe-
D nitus observant regulam, neque saltem illam dissolutam, quam sibi a Ludovico dicunt propositam sive impositam: quæ, cum eos jubeat in claustris suis insimul habitare, nec permittat illis extra dormitoria sua dormire absque inevitabili causa, non ita fit; sed unusquisque discurrit, et dormit ubi vult. Quare itaque nobis feminis illud prohibeatur, quod in viris Deo sacratis toleratur, cum nec saltem in sua illa jam dicta regula illis hoc permittatur?

XXXVI. Sic murmurant filiæ Babylonis miseræ contra ejusdem Babylonis filios, utinam tam parvulos ut possent teneri, et allidi ad petram! Nam petræ inhærentes Petri successores multa sollicitudine tales constringere laboraverunt, verbi gratia

præcipiendo ut tam episcopi quam clerici neque in superfluitate seu inhonestate, vel varietate colorum, aut fissura vestium, neque in tonsura intuentium, quorum exemplum et forma esse debent, offendant aspectum; sed potius ita in suis actibus errata condemnent, et amorem innocentiæ conversatione demonstrent, sicut dignitas exigit ordinis clericalis. Magnifice dictum : « Sicut dignitas exigit ordinis clericalis ! » Ne intelligatur exiliter, pensanda est ordinis clericalis dignitas, non secundum vulgaris opinionis æstimationem frivolam, sed secundum legem divinam. Locutus est enim Dominus ad Moysem, dicens : « Tolle levitas de medio filiorum Israel, et purificabis eos juxta hunc ritum : Aspergentur aqua lustrationis, et radant omnes pilos carnis suæ. Cumque laverint vestimenta sua, et mundati fuerint, tollent boves de armentis, » etc. (*Num.* VIII, 8.) Radant, inquit, omnes pilos carnis suæ : Pili carnis sunt vitæ veteris cogitationes, ut ait beatus papa Gregorius, quas sic a mente incidimus, ut de amissione earum nullo dolore fatigemur. Pili carnis, sunt quælibet superflua humanæ corruptionis. Levita namque *assumptus* vocatur.

XXXVII. Oportet ergo levitas omnes pilos carnis radere; quia is, qui in obsequiis divinis assumitur, debet ante Dei oculos a cunctis carnis cogitationibus mundus apparere. Non illicitas cogitationes mens proferat, et pulchram animæ speciem quasi pilis fuscantibus deformem reddat. Sed, quantum libet, ut diximus, quempiam virtus sanctæ conversationis evexerit, adhuc tamen ei de vetustate nascitur vitæ qui toleratur. Unde et ipsi levitarum pili radi præcepti sunt, non evelli. Rasis enim pilis, in carne radices remanent, et crescunt iterum ut recidantur; quia magno quidem studio superfluæ cogitationes amputandæ sunt, sed tamen amputari funditus nequaquam possunt. Semper enim caro superflua generat quæ semper spiritus ferro sollicitudinis recidat. Sed hæc in nobis tunc subtilius conspicimus, cum speculationis alta penetramus. Verum hanc munditiæ vel pulchritudinis perfectionem consequi non poterit, nisi qui cunctas prius ab animo suo facultates sæculi, divini amoris novacula raserit. Proinde Dominus noster, qui legem non solvere, sed adimplere venit, ut ista quoque levitarum lex a suis assumptis possit impleri, dicit adolescenti diviti : « Si vis perfectus esse, vade et vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me (*Matth.* XIX, 21). » Ac deinceps : « Et omnis qui reliquerit domum vel fratres (*ibid.*, 29), » et cætera.

XXXVIII. Hanc plane levitarum esse rasuram Moyses quoque in Deuteronomio probat, cum dicit in benedictionibus Levi : « Qui dixit patri suo et matri suæ : Nescio vos; et fratribus suis, ignoro illos : et nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum et pactum tuum, servaverunt judicia tua, o Jacob, et legem tuam, o Israel (*Deut.* XXXIII, 9). » Sic, inquam, spiritaliter debere radi filios Levi

A probat hic ipse Moyses, cum et illic protinus subjungit : « Ponens thymiama in furore tuo, et holocaustum super altare tuum (*ibid.*). » Et hic cum dixisset : « Aspergantur aqua lustrationis, et radant omnes pilos carnis suæ (*Num.* VIII, 7), » continuo subdit : « Cumque laverint vestimenta sua et mundati fuerint, tollent bovem de armentis, et libamentum ejus similam oleo conspersam. Bovem autem alterum de armento accipies pro peccato : et applicabis levitas coram tabernaculo fœderis, evocata omni multitudine filiorum Israel. Cumque levitæ fuerint coram Domino, ponent filii Israel manus suas super eos, et offeret Aaron Levitas munus in conspectu Domini a filiis Israel, ut serviant in ministerio ejus. Levitæ quoque ponent manus suas

B super boum capita, » etc. (*Ibid.* 7, 12.) Quidnam est aqua aspersos levitas et rasos, lotisque vestimentis mundatos, bovem alterum in holocaustum, alterum pro peccato manibus suis super capita positis coram Domino tangere, positis antea vel insimul manibus filiorum Israel super se? Quid, inquam, hoc est? nisi spiritalis propositi viros a propriis vitiis mundatos, a cunctis facultatibus curisque sæculi rasos, ad hoc solum vacare ad quod assumpti sunt : videlicet, ut ponant thymiama in furore Domini, et holocaustum super altare ejus, id est interveniant pro peccatis populorum. Filii namque Israel manus suas super levitas, qui ab ipsis decimas accipiunt; et levitæ manus suas ponunt super capita boum, e quibus unum, inquit, facies

C pro peccato, et alterum in holocaustum, quando spiritalis ordinis viri sæcularium peccata suscipiunt, quorum ex eleemosynis vivunt, et ea coram Domino sacrificiis orationum oblatis, deprimere et usque ad remissionem vel indulgentiam eorum superare contendunt. Quod quia magna est instantia faciendum, in fine capituli trina repetitione commemoratur factum : « Feceruntque Moyses et Aaron, et omnis multitudo filiorum Israel super levitas, quæ præceperat Dominus Moysi (*ibid.*, 20). » Et deinde : « Purificatique sunt, et laverunt vestimenta sua, etc. (*ibid.*, 21). » Ac deinde tertio : « Sicut præceperat Dominus Moysi de levitis, ita factum est (*ibid.*, 22). »

D XXXIX. Et quidem de levitis ita factum est ut Dominus præceperat, purificatis et rasis primo litteraliter ministris veterum et carnalium sacrificiorum : deinde sub novo legislatore benedictionem dante spiritaliter purificatis et rasis filiis Aaron sacerdotis veri, Christi videlicet apostolis, novi sacrificii primis et præcipuis ministris. Verum, sicut in captivitate Babylonica presbyteris iniquis inique judicantibus, egressa est iniquitas a senioribus qui videbantur regere populum, neglecto præcepto per Moysen dato de purificatione levitarum; sic et modo, quasi tyrannizante rege Babylonico, et populo Dei captivo, egreditur iniquitas a senioribus qui videbantur regere populum, neglecta purificatione et rasura levitarum, quæ instituta est per Christum,

paucissimis levitarum exceptis, qui exemplo trium puerorum et Danielis prophetæ se castrantes propter regnum cœlorum, digni et idonei existunt hymnum Deo canere, visiones regni cœlestis videre ac senes impudicos judicare. Judicium vero talium presbyterorum cum filiabus Israel temporibus turpiter agentium, et filiabus quoque Juda Susannæ consimilibus insidiantium, ex eo tempore cœpit acrius agitari, ex quo talibus interdicta sunt officia divina et beneficia ecclesiastica, tanquam Daniele præsidente in quolibet casto et justo apostolicæ sedis antistite. Sed, quia necdum tota captivitas Babylonica soluta, vel reversio in Jerusalem peracta est, adhuc super flumina Babylonis flendo sedemus, et hujusce confusionis remedia majora exspectantes, cum Jeremia et Aggæo canimus : *Te decet hymnus, Deus, in Sion, et tibi reddetur votum in Jerusalem.*

LX. Quænam remedia majora exspectamus et expetimus? Illa videlicet, ut sicut in reversione populi Dei de captivitate, cantores et sacerdotes et Nathinæi descripti sunt cautissime per tribus et familias suas, ac de sacerdotio ejecti sunt qui suam de scripturis genealogiam indicare non potuerunt; ita et nunc fiat, exaudita oratione Jeremiæ dicentis : « Converte nos, Deus, ad te, et convertemur; innova dies nostros sicut a principio (*Thren.* v, 21). » Denique, si ad principium nascentis Ecclesiæ respiciamus, dies claros et serenos in ordinibus ecclesiasticis inveniemus. Ita ut alii vice apostolorum, pontifices, alii vice septuaginta discipulorum, sacerdotes; alii cum Stephano, diacones rite sequerentur suæ professionis duces ac principes, tanquam suæ genealogiæ seriem cautissime observantes. A qua serie si quis deviavit, ut Judas traditor et mercator pessimus, Nicolaus fornicator, Simon perversus negotiator, continuo detectus de ordine sacerdotali ac levitio projiciebatur, et ordo leviticus in sua puritate servabatur, sub aliqua certa regula vel simul in unum cohabitandi lege synodali, exemplo Christi discipulorum, qui primitus in unum cohabitando formam cœnobitalis vitæ præostenderunt, uno corde unaque anima Deum colendo, et postea dispersi per diversas regiones Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ et Bithyniæ, sancte conversabantur in medio nationis pravæ ac perversæ verbum vitæ continentes, et sicut luminaria in hoc mundo lucentes. Qua nimirum conversatione dispersorum fratrum sanctorum vita informatur Dei ministrorum verbum vitæ continentium, et in medio nationis pravæ ad hoc ordinatione divina dispersorum, ut luceant inter eos tanquam luminaria in hoc mundo.

XLI. Lege in apostolorum Actibus, Luca scribente, primitivam regulam cœnobitalis vitæ. « Multitudinis, inquit, credentium erat cor unum et anima una in Deo, » etc. (*Act.* iv, 32.) Lege apostolorum principis epistolas fratribus in dispersione positis missas, quasi primas decretales regulas in omni concilio sanctorum decreta fabricantium præ oculis habendas, ut hujusmodi fratres ad omnem sanctimoniam sint informati, tanquam verbis Petri apostoli dicentis : « Obsecro vos tanquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, conversationem vestram inter gentes habentes bonam, » etc. (*I Petr.* ii, 11, 12.) Item : « Seniores obsecro consenior et testis Christi passionum, qui et ejus quæ in futuro revelanda est gloriæ communicator ; pascite qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in clero, sed forma facti gregi et ex animo : et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam (*I Petr.* v, 1-4). » Item : « Vos autem curam omnem subinferentes ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Hæc enim si vobiscum adsint et superent, non vacuos nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Jesu Christi cognitione. Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est et manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum. Quapropter, fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando; sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi (*II Petr.* i, 5-11). » Item : « Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Si quis loquitur, quasi sermones Dei ; si quis ministrat, tanquam ex virtute qua administrat Deus. Ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum Dominum nostrum (*I Petr.* iv, 10, 11). »

XLII. Quanquam dicta et hortamenta hæc apostolica universæ conveniant Ecclesiæ, tamen, quia fratribus in dispersione positis, tanquam advenis et peregrinis inter gentes conversantibus missa sunt, specialiter eos instruunt qui pie inter impios vivendi et eos instruendi habent propositum et officium : a quo qui exorbitant secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit, correptionem vero habuit suæ vesaniæ subjugale mutum ; hi, ut beatus Petrus ait, sunt fontes sine aqua, et nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reservatur. Superba enim vanitatis loquentes pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conversantur, libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis : « A quo enim quis superatus est, hujus et servus est (*II Petr.* ii, 19), » et cætera. Nimirum per hæc apostolica dogmata, non solum qui sequendi, sed et qui cavendi sint monemur, ne insipientium errore traducti excidamus a propria firmitate, sive in congregatione sive in disper-

sione simus; quoniam ad utrumque modum conversandi firmas regulas habemus, primo et principaliter in actibus et dictis apostolorum, deinde in exemplis et regulis Patrum ipsos imitantium. Denique, omnes qui vitæ cœnobitalis regulas recte ordinaverunt, illud quod in Actibus apostolorum de multitudine credentium cor et animam unam in Deo habentium, nihilque suum dicentium scribitur, quasi cardinem doctrinæ suæ habuerunt, ut verbi gratia Basilius, Augustinus, Benedictus, quorum in Regulis recte ordinatur vita congregationis.

XLIII. Verum pontifices Romani cæterique Patres orthodoxi, qui decretalibus aut synodalibus institutis clericos in dispersione positos informaverunt; apostolicas epistolas quasi primitivas et principales regulas et leges civitatis Jerusalem in principio lætitiæ suæ proposuerunt, nec aliquid ab eis dissonum docuerunt. Etenim quod clericorum congregationes ab initio nascentis Ecclesiæ communem vitam secundum Actus apostolorum servaverint, Urbanus papa et martyr decimus sextus a beato Petro in suis decretis manifestat. Quod et beatæ memoriæ papa Innocentius II in quadam epistola sua commemorat, cujus hoc est rescriptum:

« Innocentius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Conrado, Salzburgensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

« De dignitate et excellentia vitæ canonicorum multa nos docet divina Scriptura, et multa possemus dicere, quod vita canonicorum vita est apostolica; quoniam apostoli, contemptis omnibus, hac vita cum Domino vixerunt, et post Ascensionem cum multitudine credentium, cujus erat anima una et cor unum, hac vita viventes, eam posteris suo exemplo tenendam reliquerunt. Quod martyr et pontifex Urbanus ad informationem fidelium in suis decretis memorare curavit, dicens: Scimus vos non ignorare quia vita communis hactenus inter bonos Christianos viguit, et adhuc gratia Dei viget, et maxime inter eos qui in sorte Domini electi sunt, id est clericos, sicut in Actibus apostolorum legitur: « Multitudinis credentium erat cor unum et anima una (*Act.* IV, 32). » Hanc beati Augustini regulis ordinatam sanctus Hieronymus suis epistolis informavit. Horum itaque et aliorum muniti auctoritatibus, non minoris meriti æstimamus vitam canonicam aspirante ac prosequente Domini spiritu observare, quam religionem monasticam ejusdem spiritus perseverantia custodire. Unde antecessorum nostrorum decretis statutum esse meminimus, ne professionis canonicæ quispiam, postquam Dei vice super caput sibi honorem imposuerit, alicujus levitatis instinctu, vel districtioris religionis obtentu, de claustro audeat sine prælati et congregationis permissione discedere.

A Quorum vestigiis inhærentes, quod quidam fratres in claustro Berthersgadmensi de munitione ordinis sui vana præsumptione attentare voluerunt, apostolica auctoritate ne fiat interdicimus, præcipientes ut quod Deo voverunt, reddere; et regulam beati Augustini, quam professi sunt, Domino juvante, fideliter observare studeant. In cujus observantia si eos forte remissos et minus ferventes repereris, monemus fraternitatem tuam, ut secundum datam sibi a Deo sapientiam, professionem et ordinem suum servare, et mandatis regulæ obedire, sicut tua interest, districte commoneas. Data Laterani XVII Kalendas Aprilis. »

XLIV. Cum ergo scriptis apostolicis moniti, et divina institutione informati agnoscamus bipertitam B conversationem clericorum, vel in congregatione communiter, vel in dispersione disciplinate conversantium, et regulas vel cœnobitales vel synodales quas appellamus canones, observantium; quis nisi rex Babylonis et confusionis adinvenit genus tertium clericorum nimis confusum, nimis Babylonicum, laicali pariter et clericali conversatione commistum in quoddam neutrum, neque in congregatione vacantium canendis hymnis ita decenter, sicut *te decet hymnus, Deus, in Sion;* neque in dispersione ordinabiliter militantium contra carnalia desideria, quæ militant adversus animam? Hi ante nos a sanctis Patribus inveniuntur hippocentauris assimilati, qui nec equi nec homines, *mistumque,* ut ait propheta (4), *genus, prolesque biformis,* quia C nullius agnoscuntur certæ sectatores religionis. Horum quosdam solutos atque oberrantes, ut Isidorus ait, sola turpis vita complectitur et vaga; quia nullius cautæ institutionis religamine jugo Domini sunt astricti, quasi liberi et velamen habentes militiæ libertatem, non sicut servi Dei, sed sicut servi mammonæ. Pro quo quæstu seu luxu variantes loca, vel quod pejus est, occupantes loca plura contra interdicta synodalia, quibus mandatur ne vagus clericus ante canonicam stabilitatem litteris commendatitiis ac propria confessione roboratam serviat altari, seu vivat de altari, prohibeturque unus in duabus vel pluribus ecclesiis intitulari, ut verbi gratia, in sede cathedrali sit canoD nicus et in rure plebanus, vel inter plebanum et episcopum talis medius, qualis in concilio Remensi sermone apostolico per te, papa Eugeni, nuper est præscriptus pariter et proscriptus; eo quod quidam suis conductitiis nomen plebani fraudulenter concedunt, et ipsi sub episcopis et super hujusmodi plebanos inter se medios constituunt, ut gregem devorent non curent, vastent non pascant.

XLV. Hos impugnari vel expugnari ob hoc nimis est laboriosum, quod cum sua quærant, et non quæ Jesu Christi, tenent arcem in Jerusalem, et sicut in libris Machabæorum legitur, facti sunt in diabolum malum in Israel, suntque magna plaga casti-

(4) Forte *poeta.* Virgilius, Æneid., VI, 25, habet hunc versum.

tatis, et duces reliquis alienigenis in vexationem sanctæ civitatis, usque adeo ut per talium gravamina deserta sit Jerusalem a suis civibus, et inhabitetur a gentibus juxta illud: « Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam: posuerunt morticina servorum tuorum bestiis terræ, » etc. (*Psal.* LXXVIII, 1, 2.) Sed innotescet quandoque in nationibus ultio sanguinis servorum Dei, et introibit in conspectu Dei gemitus compeditorum. Sicut enim Simone sacerdote magno exaltato, hi qui erant in arce, primo conclusi, deinde sunt ejecti; sic, annuente Deo, eveniet istis. Ita enim legitur: « Qui autem erant in arce Jerusalem prohibebantur egredi et ingredi in regionem, et emere ac vendere, et esurierunt valde, et multi ex eis fame perierunt. Et clamaverunt ad Simonem, ut dextras acciperent, et dedit illis, et ejecit eos inde, et mundavit arcem a contaminationibus. Et intraverunt in eam tertia et vicesima secundi mensis, anno centesimo septuagesimo primo, cum laude et ramis palmarum, et cinyris et cymbalis et nablis, et hymnis et canticis, quia contritus est inimicus magnus ex Israel. Et constituit ut omnibus annis agerentur dies hi cum lætitia. Et munivit montem templi qui erat secus arcem, et habitavit ibi ipse, et qui cum eo erant (*I Mach.* XIII, 49 53). »

XLVI. Nonne huic facto simile est illud, quod irregulares canonici, licet in arce positi, per decreta pontificum Romanorum prohibentur ecclesias emere ac vendere in regione, propter quod esuriunt valde, non sicut illi beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, sed sicut hi qui ardent per avaritiam? Veniet, veniet tempus acceptabile, quo ejiciantur de arce primo particulariter emundata; videlicet quælibet cathedrali ecclesia; deinde universaliter ventilatione ultima, nec proderunt eis propugnacula, vel jacula quibus jamdiu tutati sunt in arce. Habent enim in regula sua, non secundum apostolos ordinata, quædam capitula rationabilia vel fortissima propugnacula, quibus defenditur conversatio eorum tanquam sit canonica. Et revera, si viverent secundum illa, quæ de sanctorum Patrum tractatibus excerpta illic sunt aggregata, vita dici posset et esset canonica. Sed admistum illic modicum fermentum totam massam corrumpit; illud videlicet, quod non de scriptis Patrum, sed aliunde ascitum, destruit illic positas sanctiones sanctorum. Quasi enim regis legitimis edictis primo positis, aliis imo et contrariis edictis legationem mittunt post illum, dicentes: « Nolumus hunc regnare super nos (*Luc.* XIX, 14). » Nam, cum priora edicta eis interdicant proprietatem et habitacula privata, posteriora illa penitus apocrypha concedunt hujusmodi: non ea discretione, qua beatus Gregorius clericis extra sacros ordines manentibus, et legitima conjugia sortitis, extra congregationes dari permittit stipendia competentia psalmodiæ invigilantibus, et viventibus

A sub Christiana regula prohibente illicita; sed ea confusione, qua scripsit rex Antiochus regno suo ut esset omnis populus unus. Unde apud illos inter sanctum et profanum nulla distantia est, inter sacerdotes et laicos modica discretio; nisi forte in eo discernantur, quod clerici plus laicis deviant, exceptis paucissimis inter eos ita sensatis ut intelligant et doleant se non esse observatores vel illius confusæ regulæ nisi in vilissima ejus portione, cum ea illic negligant quæ sancti sancta docent, et ea solum teneant quæ in permissione proprietatum et privatorum habitaculorum nescio quis indulget.

XLVII. Nonne itaque regula ista vel colenda est ut sit pura et sanctis consona, vel, si colari non B potest, omnino auferenda? Provenit enim ex illa talis confusio, qualis olim de jam commemorato regis Antiochi evenit edicto, quo scripsit omni regno suo, ut esset omnis populus unus. Nam, si sola sua, ut eis illic permissum est, retinerent quæ relinquere nullus cogitur, nisi qui voto vel proposito vitæ arctioris tenetur, esset hoc utcunque tolerabile, dummodo res Ecclesiæ, ut in sacris canonibus præcipitur, haberent non in proprietate, sed in communitate, neque ad instar filiorum Heli (*I Reg.* II) in Silo carnes in communi caldario coquendas et intra sancta edendas, dividerent crudas in habitacula sua muliercolis frequentata deportandas. Sane a talibus congregationibus proprietates omnino disamputare, ac privatas eis mansiones peni- C tus non permittere; hoc utique esset securim ad radicem arboris malæ ponere, non etiam ramos solum præcidere. In qua nimirum præcisione ramorum hi frustra laborant, qui permissis eis proprietatibus ac privatis mansionibus, a vestibus superfluitates et sæcularis pompæ nævum, atque a moribus vitia conantur resecare. Quandiu enim radix proprietatis et mansionum privatarum usus radicitus non evellitur, quantumlibet operæ ad præcidendos ramos inutiles vineæ Domini quisque studiosus cultor impenderit, de vitiosa radice alii æque inutiles pullulabunt. Nam, si in claustris canonice absque proprietate ordinatis, vix vitia vel etiam crimina bene vigilante studio magistrorum D resecari poterunt, quanto minus ubi fraterni testimonii absentia, et privati domicilii secretum, insuper et ætatis lubricum, otiumque cum abundantia, coquorumque diligentia, et familiæ obsequela concurrerint?

XLVIII. Sed objicitur nobis a talibus, nec inter nos vitiosos, nec inter illos virtuosos omnino deesse. Atque utinam, sicut apud nos unus forsitan vitiosus studiosorum multitudine premitur, quatenus aut mutetur intus, aut foras egrediatur, ita apud eos quispiam studiosus vitiosorum multitudine non opprimeretur, imo et persecutionis rabie non pelleretur! Quis enim ex eis vitia aliorum sciens, et æmulatione fraterna impetens, declinans et arguens, cum talibus ne dicam pacem habere, sed vivere se-

cere potuit? « Ingressus es, » inquiunt, « ut advena; nunquid ut judices? » (*Gen.* XIX, 9.) vimque faciunt ei vehementissime, ita ut non aliud restet cuilibet animam salvare cupienti, nisi de medio talium fugere, nec in omni circumjacenti regione subsistere; sed in monte altioris professionis salvum se facere. Unam tamen considero viam hanc litterarum civitatem expugnandi, qua cuilibet vero Caleph, cuilibet secundum cor Dei ordinato castrorum Dominicorum duci video accessibilem, qua paulatim tales Cariatharbei expugnari et exterminari possint, ita ut non redigatur terra in solitudinem; si videlicet a throno cuncta innovare cupientis Dei, et ab his quorum est in terris vicem Christi gerere, tale edictum procedat: aut etiam, si quilibet episcoporum divinitus inspiratus hoc firmiter in corde suo ponat, ut unoquolibet eorum qui ejusmodi sunt decedente, non alterum ei similem in locum ejus substituat; sed præbendas et beneficia ecclesiastica in manu sua retinens, pauperibus interim distribui in eleemosynam faciat, donec tanta fiat præbendarum liberatio, unde vel sex vel decem, aut quot canonicos regulariter viventes in vicina aliqua capella foveat, quos illis malis vinitoribus viritim decedentibus, subintroducere in hæreditatem Domini hæredes legitimos possit. Quod in una jam ecclesia Sancti Mauricii in Burgundia factum, nobis pro exemplo satis sit: in qua introductis canonicis, aliquanti adhuc de prioribus clericis superstites videntur stipendia sua foris accipientes. Non autem hi Burgundiones præ cæteris omnibus sæculariter degentibus clericis peccatores fuerunt: sed in illis divina censura exemplum statuit, imitari cupientibus possibilitatem monstravit, qualiter in toto de similibus faciendum sit, ac sine difficultate fieri possit.

XLIX. Quam multa moveor dicere contra hujusmodi exordinationes et Babylonicas confusiones; quibus tandem ablatis, *te decet hymnus, Deus, in Sion*, quem nunc blasphemat meretrix Babylon, « de sanguine sanctorum, » sicut in Apocalypsi legitur (*Apoc.* XVII, 6), ebria: quia gratiam Domini transferens in luxuriam, deliciatur in conviviis de substantia sanctorum copiose ferculatis et poculatis, mistis in medio convivantium feminis impudicis. Vix continent manus ab eo sacrilegio, quo rex Babylonis Balthasar bibendo et potando concubinas suas de sacris vasis, iram Dei promeruit, quæ illi per articulos manus in pariete scribentis innotuit, sancto Daniele interpretante (*Dan.* V). Atque utinam contra istos convivatores tale aliquid scribi valeat, quo ira Dei eis innotescat: qui fortasse inde plus irascitur, quod hujusmodi manducant et bibant indigne sacramentum carnis et sanguinis sui, quam si exemplo regis Balthasar vinum de sacris vasis biberent, et a sacramento altaris abstinerent, ne in populo Dei scandalum facerent! Quando enim laici omnino illitterati vident hujusmodi clericos altari audenter ministrare, quibus interdum sic ministrantibus, aut hymnos de canticis Sion canora voce jubilantibus, assistunt eorum feminæ tanquam filiæ Babylonis miseræ, ita egressa iniquitate a clericis et senioribus qui videntur regere populum; cernere habemus miserabile spectaculum, scilicet in medio tui, Jerusalem, populum pene totum Babylonicum.

L. Quomodo ergo *te decet hymnus, Deus, in Sion*, cujus populus, populus Gomorrhæ seu Babyloniæ, absque doctoribus et ductoribus justitiæ? Nam hi, « qui videbantur regere populum (*Dan.* XIII), » pene « omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum (*Psal.* XIII, 3; *Rom.* III, 12). » Etiam illi, quibus quasi Cherubim flammeus datus est gladius ad custodiendam viam ligni vitæ (*Gen.* III), cum deberent manifeste criminosis interdicere, ac prohibere accessum ad mensam Domini usque ad condignam satisfactionem, passim confuse omnibus accedentibus, licet manifeste criminosis, porrigunt fructum ligni vitæ, quem talibus deberent negare. « Ideo inter » nos « multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi (*I Cor.* XI, 30). » Et quia Babylonica ista confusio nullos magis respicit quam desides negligentesque rectores, ideo justo judicio Dei effusa est contentio super principes tam sæculares quam spiritales, et errare fecit eos in invio et non in via: dum et spiritales implicari se gaudent sæcularibus negotiis, et sæculares intermiscere se audent spiritalibus causis. Quæ nimirum confusio corpus totius Ecclesiæ facit languere, et membra ejus contra se invicem dissidere: tanquam si dicant oculi pedibus et manibus, opera vestra non indigemus; et manus vel pedes oculis, non estis nobis necessarii. Spiritales enim, qui quasi oculi dirigere deberent manus ad operandum vel pugnandum, pedes ad ambulandum, sic tenentur captivi sub regibus et principibus Babylonicis, ut eis dicatur: « Hymnum cantate nobis de canticis Sion (*Psal.* XIII, 6, 3). » Hymnum, inquiunt, cantate nobis, non contra nos, voluntates nostras malas cohibendo, sed nobis beneplacita loquendo. Hymnum tamen de canticis Sion, quia nolumus videri principes Babyloniæ, sed Sion. Volumus audire cœlestem doctrinam; sed ad perficiendam, non impediendam voluntatem nostram.

LI. Tale fuit quod rex Herodes mittens et congregans omnes principes sacerdotum et Scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur; tanquam diceret: « Hymnum cantate nobis de canticis Sion. » Atque utinam tales illi fuissent, ut ei sic maligne sciscitanti respondissent: « Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? » (*Ibid.*, 4.) Quomodo prodemus cœlestia mysteria tibi alienigenæ volenti regem verum occidere? Filius quoque ipsius alter Herodes, paternæ impietatis hæres, et ipse volebat audisse hymnum de canticis Sion per os Joannis Baptistæ, quem metuebat et libenter audiebat, quoadusque illi molesta canere incipiebat, dicens: « Non licet tibi habere uxorem fratris tui (*Marc.* VI, 18). » Cantabat quidem ille hymnum de

canticis Sion, non ut Herodes vel Herodias voluit sibi optatum vel acceptum. Similiter ab ipso rege ac summo sacerdote Sion voluerat audisse hymnum de canticis Sion, cupiens ex multo tempore videre Jesum, et gaudens quod ei Pilatus misisset illum. Sed ipse indignum judicans margaritas mittere ante porcos, coram eo tacuit, nec signum aliquod fecit, magisque sperni quam honorari voluit ab illo et exercitu ejus. Tunc enim illi fuit tempus tacendi. Sed postquam resurrexit a mortuis, ubicunque tempus loquendi fuit; loquens ipse in discipulis veritatem non tacuit ante reges et præsides, dando suis os et sapientiam, cui non poterant resistere omnes adversarii eorum. Istis legitime canentibus, et quasi tubis sacris circa Jericho clangentibus, corruerunt muri civitatis anathematizatæ, principante Josue vero introductore in terram lacte ac melle manantem : cujus publico edicto maledictus enuntiatur qui reædificaverit Jericho.

LII. Et ecce tamen quidam reædificare audent maledictam civitatem nuntios Josue, imo apostolos Jesu Christi persequentem, cum sola domus Raab, sancta videlicet Ecclesia, de perditione hujus civitatis excepta sit : quæ videlicet, ruentibus mundanis ædificiis, ipsa in ædificatione morum simul et murorum crescit in templum sanctum in Domino : « In quo, » ut Apostolus ait, « omnis ædificatio constructa crescit (*Ephes.* II, 21), » non decrescit. Spectaculo hujus rei cum in toto mundo, tum certe clarius in urbe Roma fidelium pascuntur oculi cum palatia imperialia cæteraque mira ædificia illic divitum ruinam repræsentent Jericho, et ecclesiastica ædificia de die in diem crescentia, et auratis imaginibus fulgentia, morum simul et murorum quotidiano incremento et ornamento evidenter ostendant quasi domum Raab salvatam, sanctam videlicet Ecclesiam fide et nomine Petri firmatam. Sic in diebus nostris ecclesia Lateranensis, et ecclesia Sanctæ Crucis, et ecclesia Sanctæ Mariæ Novæ crescentes profecerunt in religione simul, et in forinseca murorum ampliatione. Domus quoque beati Pauli apostoli per Gregorium VII reparata, claret nunc in religione monastica, qua et monasterium Sanctorum Quatuor Coronatorum, et Sancti Anastasii florere videmus, cum cæteris ecclesiis, ac monasteriis in urbe Roma religiose ordinatis. Unde non immerito dolemus, quod adhuc in domo beati Petri, principis apostolorum, desolationis abominationem stare videmus, positis etiam propugnaculis, et aliis bellorum instrumentis in altitudine sanctuarii supra corpus beati Petri. Quod licet non audeamus judicare malum esse, tamen sine dubio judicamus esse a malo, eorum videlicet qui suæ rebellionis malitia cogunt fieri talia.

LIII. Cogor heic reminisci cujusdam sententiæ beati Augustini, qui in libro Quæstionum Veteris et Novi Testamenti dicit inter cætera : *Quare ergo sententia data est, ut qui accipit gladium gladio pereat? nisi quia nulli licet, excepto vindice, gladio*

A *quemquam occidere. Apostolo autem Petro usque ad hoc permissum est quod terrorem faceret, non quod occideret. Hoc enim audiens, ne iterum perculeret didicit.* Idem ad Publiolam : *Qui repelluntur aliquo terrore ne mala faciant, et ipsis aliquid fortasse præstatur.* Hæc dicente sancto Augustino de sensu evangelico et exemplo apostolico, credimus licita comprobari quæ in vicinio Saracenorum, sicut audivimus, fieri solent, armis comportatis in altas turres ecclesiarum vel monasteriorum, quorum ostentatione per spirituales quoque viros terrentur barbari, ne invadant loca sancta : quæ audenter invaderent, si ea nullis defensionum instrumentis præmunita cognoscerent. Quod non puto ideo reprehendendum temere, quia id fieri constat nimia
B extorquente necessitate, ut interdum clerici quoque vel monachi super muros illic appareant loricati vel scutati; non intentione aliquem lædendi, sed hostes terrendi, et quomodolibet repellendi ab incursu locorum sanctorum. Quibus interdum jacula vel saxa desuper jacientibus, ut hostem repellant longius, fit quidem res inordinata, sed ob majus periculum devitandum, et terrorem barbaris incutiendum jure toleranda, semota penitus intentione aliquem occidendi : quod a spiritualis propositi viris non licet fieri, qui malle debent occidi quam occidere, quantacunque armorum vel armatorum ostentatione hostes arceant a suimet læsione.

LIV. Si autem ab ordinata potestate hujusmodi
C armatura providetur, nihil inordinate in hoc agitur. Quoniam et Paulus apostolus cum suas insidias prænovisset, per tribunum potestatis Romanæ sibi tutelam providit armorum : in quæ si hostes illius mortem et sanguinem sitientes incidissent, non ipse reus homicidii fuisset; sed illis debita ultio provenisset, sanguisque ipsorum super capita esset eorum, dum non aliis sed sibimetipsis reatus imputaretur suæ interfectionis. Tutela vero armorum, quæ tunc a potestate legitima data fuit uni ecclesiasticæ personæ, recognoscitur nunc data universali Ecclesiæ : ut videlicet hæc a regno sibi collato contra hostes habeat armatos ministros, quibus Ecclesiam defendentibus, vel episcopum pro sui tutela comitantibus, et ea quæ recta sunt juvantibus,
D etiamsi contingant ab eis homicidia, non est episcopus homicida magis quam Paulus apostolus homicida fuisset, si in ipsius deductione aliquis hostium suorum interemptus cecidisset. Porro, si ad mala negotia episcopus abutitur suis ministris, ipse utique homicida efficitur, si quis ab eis in tali ministerio interficitur : quo modo reges, duces et comites homicidæ fiunt, si absque judicio et justitia homines occidunt vel occidi faciunt. Eadem videlicet consideratione inter Christianos muniuntur quædam turres ecclesiasticæ armis et propugnaculis; per quæ si hostes Ecclesiæ lædantur, sanguis eorum super eos erit, dum propria solummodo iniquitas et nocendi aviditas ad talia eos impellit.

LV. Alia sane ratio est, cum potestas ordinata, suæ ordinationis inscia vel oblita, Ecclesiam persequitur; alia quando a paganis exterius, vel ab inimicis domesticis interius gravatur. Potestas enim legitima vel ad ordinationis suæ obedientiam verbo doctrinæ dirigenda est; vel si dirigi non potest, verbo excommunicationis frangenda; salva scilicet unitate Ecclesiæ, dum regnum Deo inobediens scinditur, quemadmodum in Saule contigit, cui David fidelis in regno successit. Porro exterorum forinseca gravamina, quia verbo doctrinæ submoveri non possunt; quoniam de his qui foris sunt judicandi potestatem non habet Ecclesia; viribus humanis per arma, simulque divinis per orationes arcenda sunt jure tam civili quam imperiali. Quæ duo jura quando sibi concordant in Ecclesiæ defensione, principibus recte ordinatis et civibus bene pacatis, facile resistit Ecclesia impugnationibus forinsecis vel paganorum vel excommunicatorum. Denique altero jure violato, est Ecclesia in grandi periculo, nisi aut imperiale jus eam defendens, cives tumultuantes reprimat; vel civium unanimitas principes tyrannizantes cohibeat, sicut sæpe contigisse narrant ecclesiasticæ historiæ. Verum tunc imminent Ecclesiæ majora pericula, quando eam vexant intestina bella, simul principibus et civibus convenientibus in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus. In tali periculo necesse est mare percuti quasi virga Moysi, virga scilicet pastorali, ut dividatur in divisiones verbo doctrinæ percussum et discissum. Sic Paulus apostolus unanimitate se persequentium prægravatus, verbo doctrinæ fecit Pharisæos et Sadducæos ab invicem dissidere, ut quasi mare diviso transiret absque periculo; Pharisæis scilicet pro eo agentibus contra Sadducæos, ut in Actibus apostolorum legitur.

LVI. Similiter accidisse meminimus non semel in urbe Roma, dissidente inter se populo Romano, et parte fidelium infideles reprimente, sacerdotali simul auxilio cooperante. Verum si rebelles istos Ecclesia velut castrorum acies ordinata magis ordinate persequeretur; non per eos Jericho seu Babylonia reædificaretur, ut Romæ apparet in æde Capitolina olim diruta et nunc reædificata contra domum Dei, contra domum Raab; sed claresceret in certamine sapientia simul et fortitudo Ecclesiæ; sapientia videlicet in clericis recte docentibus, et fortitudo in militibus eorum doctrinæ obedientibus, atque ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum suas vires impendentibus, et omnem altitudinem adversus scientiam Dei erigentem se destruentibus, ea videlicet cautione servata in castris Domini, ut clericus vel etiam episcopus non recte docens deponeretur, et episcopatum ejus acciperet alius; atque miles vel etiam princeps rectæ doctrinæ inobediens et acquiescere nolens ut Saul, anathematis jaculo percuteretur, aliusque illi subrogaretur ut David. Denique in omni militum vel civium guerra et discordia, vel pars altera justa et altera injusta, vel
A utraque invenitur injusta. Cujus rei veritatem patefacere debet sacerdotalis doctrina, sine cujus censura nulla bella sunt movenda. Sic ergo manifestata justitia, pars justa sacerdotalibus tubis animanda, et etiam communione Dominici corporis ante bellum et ad bellum roboranda est; quia panis iste cor hominis confirmat, quando pro defensione justitiæ vel Ecclesiæ aliquis ad pugnam se præparat; cui pars iniqua resistens, et pacto justæ pacis acquiescere nolens, anathematizanda, et etiam negata sibi sepultura Christiana humilianda est.

LVII. Nunc autem civitate contra civitatem, regno adversus regnum, principe adversus principem non justa bella moventibus, ambabus partibus absque cunctatione seu causarum ventilatione datur corpus
B Domini, tanquam divisus sit Christus, et possit esse in tam divisis et contrariis partibus. Qui certe vel alteri vel ambabus est negandus, nec alicui aperte contra justitiam pugnanti aliquatenus dandus; ne forte per incuriam sacerdotum sic traditus in manus evidenter peccatorum, justa ira moveatur contra sacerdotes denuo ipsum cum Juda tradentes. In talis tam magnæ justitiæ magna siti et esurie, micas licet modicas lambere fames ipsa compellit.

LVIII. Unde refero factum justum et honestum, quod in terra Hungarica et barbarica vix nomine tenus Christianorum principum dominio subdita laudabiliter accidit. Nam cum rex illius terræ anno plusquam præterito se ad bellum præpararet contra regem Græcorum, ante procinctum cum episcopis
C illius terræ habuit consilium : qui tanquam viri litterati cautissime discutientes causam pugnæ, atque invenientes pactum pacis ex parte Hungarorum primo violatum, recordati sunt prophetiæ dicentis : « Qui dissolvit pactum, nunquid effugiet? » (*Ezech.* XVII, 15). Qua prophetia instructi prophetaverunt, regem si pugnaret contra jus pacti et fœdus pacis, minime triumphaturum et auxilio Dei cariturum. Quo audito rex, licet immitis ac barbarus, tamen procinctum relaxavit, et sua ex parte ruptum fœdus reparavit.

LIX. Quanto magis ergo in Ecclesia sanctorum refrenaretur animositas principum vel capitaneorum contra se in Romano imperio tumultuantium, et
D Ecclesias multas desolantium, si episcoporum scientium reprobare malum et eligere bonum sententia concordaret in unum? Enimvero ut non sit vel esse possit schisma inter eos, unus omnibus est præpositus, cui dictum est : « Confirma fratres tuos (*Luc.* XXII, 32). » Quo nimirum confirmante quamlibet episcoporum sententiam justitiæ regni Dei consentaneam, licet regibus mundi hujus contrariam, non esset in Ecclesia rex qui auderet, vel si auderet, posset refellere illam. Porro, si is qui cæteros confirmandi habet potestatem et auctoritatem, præcentor fieret in qualibet justa sententia episcopis per epistolas directa, quis eam refellere posset, cum sit velut alter Jeremias constitutus non solum super Ecclesias, sed etiam super regna, ut evellat

et destruat, et disperdat et dissipet, ædificet et plantet? Sic reges profanos et Simoniacos jnvenimus evulsos auctoritate apostolica, cooperante gratia Dei, quæ per mundi hujus infirma sæpe confundit fortia, eligens ignobilia et contemptibilia, ut magna vel instruat et destruat. Puto quod Paulus apostolus idipsum intendebat scribens discipulis: « Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate; et non ut inimicum existimetis illum, sed corripite ut fratrem (*II Thess.* III, 14). » — « Si quis, » inquit, « non obedit, » non episcopum, non principem, seu divitem excipiens, quin esset corripiendus etiam a minimis fratribus atque instruendus: primo in spiritu lenitatis ad obedientiam prætermissam vel intermissam humiliter recipiendam: quam si recipere nollet, in promptu se habere testatus est ulcisci omnem inobedientiam: « Omnem, » inquit, etiam « episcoporum et principum. Cum impleta, » inquit, « primum fuerit vestra obedientia (*II Cor.* x, 6); » subaudis in admonitione fraterna.

LX. Primo enim sunt admonendi qui manifesto peccant, etiam reges, quanto magis episcopi, ut exemplo David regis male acta corrigant; non exemplo Herodis monitores jugulent. Quasi enim decollator est præconis, qui acquiescere nolens monitis, obstruit viam vocis in deserto clamantis. Atque utinam soli hoc facerent reges Herodis consimiles, non etiam pontifices Caiphæ imitatores! Oportet enim Scripturas impleri, quibus hoc prænuntiatum est et præfiguratum, quia non solum bestia, sed et pseudopropheta veritati adversatur. Hinc est quod omnis Pharao suos habet magos, omnis Nabuchodonosor suos habet ariolos, omnis Herodes habet sibi consentaneos scribas, a quibus sciscitatur quomodo vel ubi Christum persequatur, vel quomodo ejus præcones decollandi opportunitatem inveniat, ut eis vocem præripiat, etiamsi eos corporaliter non occidat: quod est quædam quasi decollatio et testium Christi occisio.

LXI. Bestiæ humani sanguinis avidæ, quatuor conspiciuntur in Daniele pugnantes inter se; quibus quatuor significata sunt regna sanguinaria, Babylonicum, Persicum sive Medicum, Macedonum sive Græcorum, atque Romanorum. Quibus bestiis omnino ablatis, conspicitur in nube Filius hominis, cui datum est regnum et honor; quia Christo datus est principatus et honor regni permaxime in humana facie, in qua datum est ei et judicium facere, quia filius hominis est. Unde regni ejus ministros delectat mansuetudo humana, potius quam crudelitas ferina secundum exhortationes, non pseudoprophetarum, sed sanctorum prophetarum, quibus datum est in regno Christi sacerdotium sanctum, usque adeo a sanguinis effusione immaculatum et alienum, ut sacris canonibus exterminetur a sacerdotali ministerio, qui aliquando militans quantumlibet juste occidit hominem, vel in judicio sanguinis pulsando vel ministrando cooperatus est judici quantumlibet juste occidenti. Unde Felici episcopo Nuceriano Innocentius papa scribens, ait: « Designata sunt genera, de quibus ad clericatum pervenire non possunt, id est si quis fidelis militaverit; si quis fidelis causas egerit, hoc est postulaverit; si quis fidelis administraverit. » Promotos quoque in sacerdotio sacri canones instruunt hujusmodi ad cautelam. Legitur enim in Decretali epistola Nicolai papæ ad Carolum regem: « Reprehensibile valde esse constat quod subintulisti, dicendo majorem partem hominum episcoporum die noctuque cum aliis fidelibus tuis contra piratas maritimos detineri, ob idque episcopi impediantur venire, cum militum Christi sit Deo servire, militum vero sæculi sæculo, sicut scriptum est: Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus (*II Tim.* II, 4). » Quod si sæculi milites militiæ student, quid ad episcopos et milites Christi, nisi ut vacent orationibus? » Ex concilio Hilerdensi capitulo primo: « De clericis qui in obsidionis necessitate positi fuerint, id statutum est, ut qui altario ministrant, et Christi corpus et sanguinem tradunt, vel vasa sacro officio deputata contrectant, ab omni humano sanguine etiam hostili abstineant. Quod si occiderint, officio et communione priventur: quibus post biennem pœnitentiam receptis promotio denegetur. » Ex concilio Toletano cap. 44: « Clerici qui in quacunque seditione arma volentes sumpserint aut sumpserunt, reperti, amisso ordinis sui gradu, in monasterium pœnitentiæ contrudantur. » Ex concilio Toletano cap. 7: « His a quibus Domini sacramenta tractanda sunt, judicium sanguinis agitare non licet. Et ideo magnopere talium excessibus prohibendum est, ne indiscretæ præsumptionis motibus agitati, aut quod morte plectendum est sententia propria agitare præsumant, aut truncationes quaslibet membrorum in quibuslibet personis aut per se inferant, aut per se inferendas præcipiant. Quod si quisquam horum immemor præceptorum, aut in Ecclesiæ suæ famulis, aut in quibuslibet personis tale aliquid fecerit; et concessi ordinis honore privatus et loco, sub perpetuæ damnationis teneatur religatus ergastulo. Cui tamen communio exeunti ex hac vita non neganda est propter Domini misericordiam, qui non vult peccatoris mortem, sed ut convertatur et vivat. » Ex concilio Toletano cap. 30: « Sæpe principes contra quoslibet majestatis obnoxios, sacerdotibus negotia tua committunt. Et quia sacerdotes a Christo ad ministerium salutis electi sunt, ibi consentiant regibus fieri judices, ubi jurejurando supplicii indulgentia promittitur, non ubi discriminis sententia præparatur. Si quis ergo sacerdotum contra hoc commune consultum discussor in alienis periculis exstiterit; sit reus effusi sanguinis apud Christum et apud Ecclesiam, perdat proprium gradum. »

LXII. Præceptis salutaribus hujusmodi moniti, et apostolica institutione informati, optamus episcopos et reliquos altaris ministros a judicio et negotio sanguinis esse alienos, nisi quantum officium do-

cendi et præcipiendi requirit, quomodo instruendi A
et constringendi sunt sæculares judices a spiritalibus omnia judicantibus, ut recte judicent suamque potestatem exerceant ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. Quod autem per labia sacerdotis quæ custodiunt scientiam, et per os de quo requiritur lex Domini irreprehensibilis, exeat judicium sanguinis, reprehensibile nimis est. Proinde ipsæ quoque potestates et dignitates imperiales Ecclesiis datæ; verbi gratia, ducatus, comitatus et his similia; per laicas personas eisdem Ecclesiis fidelitate obligatas ita oportet administrari, ut neque in judicio, neque in negotio sanguinis, quamlibet juste fundendi, polluantur labia et manus, quibus conficiendum est Christi corpus. Ad hoc enim sicut in regno Antichristi cooperantur B
sibi in malum bestia et pseudopropheta, ut mysterium iniquitatis pallietur specie quadam justæ ordinationis; dum non alium bestia Pilatus ad mortem damnavit, quam quem Caiphas juste interficiendum prophetat; sic in regno Christi cooperantur sibi in bonum regalis potestas et sacerdotalis dignitas, ita ut omnis David suum habeat Nathan quem audiat, et omnis Ezechias per sibi contemporaneum regatur Isaiam, et omnis Josias per suum deploretur Jeremiam, et omnis Zorobabel subminister sit Jesu sacerdotis magni : habita nimirum distinctione congrua potestatis utriusque, sicut docent regulæ Patrum dignitates ambas recte distinguentium.

LXIII. De quibus cum plura possemus ponere, C
sufficiat ad præsens unum decretum Nicolai papæ dicentis inter cætera : « Cum ad verum ventum est, ultra sibi nec imperator jura pontificatus arripuit, nec pontifex nomen imperatorium usurpavit : quoniam idem mediator Dei et hominum homo Christus Jesus sic actibus propriis et dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit, propria volens medicinali humilitate sursum efferri, non humana superbia rursum in inferno demergi, ut et Christiani imperatores pro æterna vita pontificibus indigerent, et pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur : quatenus spiritalis actio carnalibus distaret incursibus, et ideo militans Deo minime se negotiis sæ- D
cularibus implicaret, ac vicissim non illa rebus divinis præsidere videretur. » Item : « Denique hi quibus tantum humanis rebus et non divinis præsidere permissum est, quomodo de his per quos divina ministrantur judicare præsumant, penitus ignoramus. » Hæc dicente papa Nicolao, nos eidem consona dicendo affirmamus, eum qui præsidere debet rebus terrenis in administratione tantummodo negotiorum sæcularium, non se debere implicare negotiis spiritalibus : et e converso judicem spiritalem vacare oportere divinis, et tamen sine sui spiritus implicamento etiam per doctrinam regere ipsos quoque reges et imperatores, quanto magis minores potestates?

LXIV. At illi persæpe dominari volunt, et doceri nolunt; imo testes veritatis occidunt. Etiam quidam nomine tenus et facie tenus pastores, intrinsecus autem lupi rapaces, et contra doctrinam præcipui pastoris Petri apostoli dominantes in clero, testes veritatis occidunt; et imitando Herodem, se arguentes primo incarcerant inter claustra silentii, ne ab ipsis publice arguantur : deinde quantum in ipsis est, omnino decollantes interficiunt, cavendo quidem sibi, ut æstimant, a reatu homicidii, sed non effugientes crimen testicidii. Aliud est enim hominem occidere, atque aliud testem. Nam hominem occidit, qui ei vitam tollit : testem vero interficit, qui ei testificandi et legendi facultatem præcidit; ea videlicet intentione ut quasi licenter illicita committendi habeat libertatem, nemine arguente vel contradicente. Verumtamen, sicut metuebat Herodes Joannem sciens eum virum justum et sanctum, et audito eo multa faciebat, et eum custodiebat et libenter audiebat; sic et isti libenter se audire simulant eosdem, quos metuunt, incarcerant et occidunt, quia eorum voces in deserto clamantium penitus audire nolunt, nec in solitudinibus et montibus et speluncis vel cavernis terræ, quanto minus in domibus regem luxuriose convivantium, et in ipsis conviviis de morte Joannis tractantium, quem dolent adhuc vivere in spiritu et virtute Eliæ atque ideo moliuntur eum in viris justis et sanctis exstinguere. Sed nunquid ideo verbum de ore Domini semel egressum revertetur ad ipsum vacuum? Non : sed faciet quæcunque voluerit, et prosperabitur in his ad quæ misit illud. Sicut enim in creatione mundi ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt; sic usque ad consummationem sæculi manens cum electis ipse dicit et fiunt. Quod quia pauci credunt, ideo dicitur : « Cum venerit Filius hominis, putas, inveniet fidem super terram? » (*Luc.* XVIII, 8.) Vident enim pene omnes ollam succensam, flante aquilone; sed soli et pauci fideles vident simul cum Jeremia virgam vigilantem, qua demonstratur quod Dominus vigilat super verbo suo, ut faciat illud, qui ad perficiendum omne quod intendit, prospere procedit et regnat, nec est qui ejus giganteo cursui obsistere valeat.

LXV. Duas hic perpendo intentiones inter se repugnantes. Nam et olla succensa, diaboli vel Antichristi significat malitiosam intentionem, qua intendit omnia confundere, ita ut in errorem inducantur si fieri potest etiam electi hujus ollæ fumo cæcati; quo contra Dominus intendit ut fiat salva omnis caro diebus malis breviatis, qui nisi breviarentur, sicut ipse ait, non fieret salva omnis caro, sed propter electos, inquit, breviabuntur. Ergo non solum ipsi electi robusti et perfecti, sed etiam fragiles infirmi nomine carnis designati, salvabuntur, ut et de perfectis dicat ipse : « Hoc nunc os ex ossibus meis (*Gen.* II, 23); » et de imperfectis hominibus, tamen bonæ voluntatis, adjiciendo subinferat,

« et caro de carne mea (*Gen.* II, 23). » Sic : *Te decet hymnus, Deus, in Sion* ut fiat quod in eodem canitur hymno, ubi dicitur : *Ad te omnis caro veniet.* Non enim deficient in Ecclesia sancta Jeremiæ et Aggæo similes, licet infirmi ac pauperes, per quos confundantur hujus mundi fortia, illud prohibentia quantum in se est, ne ad te omnis caro veniat, neve omnis caro salva fiat, secundum quod Jeremias et Aggæus in hoc hymno prophetant : quibus in antistite sedis apostolicæ Jesus magnus sacerdos orando, exhortando, epistolas mittendo, synodalia decreta condendo, favere dignoscitur, dum quivis Catholicus et religiosus, licet pauper et modicus, contra iniquos quantumlibet magnos animatur auctoritate Petri, cui prævalere non possunt istæ portæ inferi. Similiter in quolibet catholico principe a Deo misso, et apostolicæ sedis auctoritate firmato ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, conspicuus est ille Zorobabel dux populi a peregrinatione revertentis juxta verbum Domini, sicut scriptum est : « Et factum est verbum Domini secundo ad Aggæum in vicesima et quarta mensis, dicens : Loquere ad Zorobabel ducem Juda, dicens : Ego movebo cœlum pariter et terram, et subvertam solium regnorum, et cunctam fortitudinem regni gentium, et subvertam quadrigam et ascensorem ejus, et descendent equi et ascensores eorum, vir in gladio fratris sui. In die illa, dicit Dominus exercituum, assumam te, Zorobabel, fili Salathiel, serve meus, dicit Dominus, et ponam te quasi signaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum (*Agg.* II, 21-24). » Notandum quod subvertendum prophetat solium regnorum, priusquam substituat ducem sibi dilectum et electum.

LXVI. Eodem modo si quis rex aut princeps imperio sacerdotali quasi per Samuelem commonitus ferire impios, vastare Amalecitas, percutere Agag regem populo Israel inimicum ; talibus contra mandatum sacerdotale pepercerit, aut quod pejus est, inimicos Dei fovere atque amicos persequi ausus fuerit, jure hic talis potestate qua male utitur, privatur, ita ut regnum ab eo scindatur : maxime si et ipse scindere audet pallium sacerdotale vel prophetale, minuendo jus et decus Ecclesiæ ; quod est in ornatu sacerdotalis excellentiæ, quæ clare splendescit in illa reversione de captivitate Babylonica in Jerusalem, secundum hunc hymnum, qui te decet Deus, in Sion. Jam quippe solio regnorum subverso in Judaico populo, primo regibus Israel cultoribus vitulorum aureorum propter scissuram sui a domo David, vel potius ob idololatriam deletis et a regno Dei exterminatis, deinde regibus quoque Juda in transmigratione Babylonis terminatis, et quibusdam eorum laudabiliter in regno cœlorum coronatis, quorum David, Ezechias, Josias erant præcipui, ex tunc, ut jam dictum est, regnorum solio subverso, et regio nomine penitus ablato, Zorobabel quanquam genitus de tribu regia, non tamen in regem sed in ducem promotus, habuit sibi succedentes non reges, sed duces usque ad illud tempus, quo post ablatum sceptrum de Juda oportuit etiam ducem de femoribus ejus auferri, subintrante rege alienigena Herode, qui ex patre Idumæo et matre Arabica natus fuit ; ac proinde illo regnante, vel potius tyrannizante, illum nasci regem decuit, de quo patriarcha Jacob longe ante prædixerat : « Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat cui repositum, et ipse erit exspectatio gentium (*Gen.* XLIX, 10). » Diminuta igitur aliquantulum jam tunc sæculari dignitate regum Judaicorum in duces, quando incipiebant proficisci de peregrinatione sua cives Jerusalem : sacerdotium prius quidem religiosum, sub regibus tamen aliquatenus depressum, sicut indicat liber Regum ; verbi gratia, ubi legitur Elias regis et reginæ persecutionem passus in Israel, et in Juda Zacharias inter templum et altare jussu regis lapidatus (*Luc.* XI, 51) ; jam super duces eorumque principatum legitur magis ac magis exaltatum et glorificatum, coronisque regalibus honorificatum, juxta illud in propheta : « Sumes, ait Dominus, argentum et aurum, et pones in capite Jesu, filio Josedec, sacerdoti magno (*Zach.* VI, 11). » Super hoc vir illustris Hieronymus ait : « Imponuntur autem coronæ Jesu, filio Josedec, sacerdoti magno, quia per singulas virtutes nostras Dominus coronatur, imo nobis per virtutem pœnitentiæ coronatis, Salvator in singulis coronas accipit. »

LXVII. Cum ergo rex et sacerdos idem sit Jesus Christus Dominus noster gloria et honore coronatus ; tamen sacerdotalis dignitas tunc magis in eo coronatur, cum quis de Babylonica malitia per pœnitentiam revertitur in Jerusalem, in qua tunc defecisse constat regale quodam modo fastigium, quando rex Babylonis vel in Ecclesia vel in qualibet prius fideli anima sibi usurpat principatum. Jugo itaque illius per pœnitentiam, quæ ad sacerdotale officium pertinet, a facie olei computrefacto, recte Jesu sacerdoti magno imponuntur coronæ. Cujus rei typus in Jesu sacerdote magno agnoscitur præcessisse, simulque illud præfiguratum esse, quod regnis idololatris, schismaticis atque indisciplinatis, usque ad sui fastus defectum curvatis, amplius glorificanda et coronanda erat sacerdotalis dignitas, ita ut stratoris quoque officium pontifici Romano a regibus et imperatoribus exhibendum sit : renovatis videlicet miraculis antiquis, quibus agnoscitur Joseph in curru Pharaonis exaltatum, Danielem regis purpura ornatum, Mardochæum regali equo subvectum. Hæc nimirum spectacula nunc regibus partim ablatis, partim diminuto eorum regno humiliatis, et exaltato sacerdotio, delectant spectatorem benevolum, torquent invidum. Qui ut amplius crucietur, et pius oculus magis jucundetur, forsitan sicut ante primum Christi adventum regibus ablatis duces principati sunt usque ad ipsum ; sic ante secundum ejus adventum per lapidem sine

manibus abscissum de monte, aurea statua regnorum tota contrita in quantum regno divino invenitur contraria, succedet in sæculari dignitate minoris nominis potestas, diminutis regnis magnis in tetrarchias, aut minores etiam particulas, ne premere valeant ecclesias vel ecclesiasticas personas, patrocinio magni sacerdotis præsidis sedis apostolicæ coronati, et super omnia regna exaltati defensas, et privigeliis apostolici principatus communitas.

LXVIII. Quis jam cujus oculus nequam non est aut lippus, ad invidendum potius quam ad videndum patulus, non ista cernat partim completa, ut jure omnis benevolus exspectator et spectator de implendis minime ambigat, cum tanta videat impleta secundum quod in Scripturis veritatis inveniuntur expressa? Quis non cum veneratione aspiciat Petrum apostolum sacerdotem magnum, imo in ipso sacerdotem summum Jesum Christum, tot coronis aureis coronatum super quot regna constituit illum? « Ecce, » inquit, « constitui te super gentes et super regna, ut evellas et destruas, et disperdas et dissipes, ædifices et plantes (*Jer.* I, 10). » Clarus ergo sanctorum senatus apostolorum princeps est orbis terrarum rectorque regnorum, ecclesiarum mores et vitam moderando, quæ per doctrinam apostolicam fideles sunt ubique. Antiochus et Remus concedunt tibi, Petre, regni solium. Cum talia per Ecclesias canoris vocibus declamantur, et hymnos de canticis Sion in laudibus regalibus ad apostolorum, præcipue autem principis apostolorum gloriam sacra canunt solemnia, *Te decet hymnus, Deus, in Sion;* sic dictis facta compensantur, et magnalia divina, quæ in verbis resonant, rebus clarentia etiam oculis demonstrantur, ut possimus canere hymnum dicendo : « Sicut audivimus ita et vidimus in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus (*Psal.* XLVII, 9). » Ad hoc enim Dei mirabilia, quæ in hymnis et psalmis, cæterisque canticis spiritalibus enuntiamus, condigno rerum effectu etiam oculis demonstrabilia fieri optamus, ne quando dicant gentes : « Ubi est Deus eorum ? Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus ? » (*Psal.* XLI, 4.) Nesciunt miseri qui hæc dicunt, beatos esse quibus hæc dicunt : quoniam istis invidentibus et non videntibus, videbitur ab illis Deus deorum in Sion. Et ideo te decet, hymnus, Deus in Sion, cujus in plateis ponendi sunt infirmi ut, veniente in sui principatus gloria Petro apostolo, saltem umbra illius obumbret quemquam illorum, et liberentur ab infirmitatibus suis, ne quando dicant gentes : Ubi est Deus eorum, cum viderent sanatas infirmitates eorum.

LXIX. Respice, o princeps apostolorum, hujus civitatis plateas lectulis et grabatis infirmorum plenas. Respice, vel potius illum respectum nobis obtine quo te respexit Dominus, ut fleres amare sauciatus, et languens adhuc magna infirmitate : a qua

A ita sanatus es et roboratus, ut jam non timeres mundi dominam Romam, qui adhuc infirmitate tua sacerdotis expaveras ancillam. Trahe nunc post te successores tuos apostolicæ sedis præsules, imo et nos oves tibi creditas, ut omnes curramus in odore unguentorum tuorum sub te in Christo rectore omnium regnorum, et moderatore omnium Ecclesiarum.

LXX. Sed dicet aliquis : Quomodo per principem apostolorum regna regi, vel Ecclesiæ gubernari possunt, quæ sedis apostolicæ præsuli minime obediunt? Ad hoc pro captu meo sine majorum præjudicio ego minimus respondeo. Cautela ecclesiastici regiminis in ea discretione insigniter enitescit, qua
B rector Ecclesiæ « butyrum et mel comedit, ut sciat reprobare malum et eligere bonum (*Isa.* VII, 15). » Per butyrum, quod est corrupti lactis congesta pinguendo, intelligi potest morum corruptela, qua incrassatus, impinguatus, dilatatus quis derelinquit Deum factorem suum, et recedit a Deo salutari suo. Per mel vero, quod de cerea favi spissitudine separatum dulce simul est et purum, puritas intelligitur morum dulcium. Licet enim bene sibi conveniant mel et lac sub lingua sponsæ, aut in terra fluente lac et mel, vel etiam in die illa, in qua stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lac et mel, dilectione proximi per lac, Dei vero per mel intellecta; tamen per butyrum, quod est corrupti lactis excrementum, non incongrue intelligitur, ut dictum
C est, corruptio morum, sicut per mel dulce ac purum, puritas morum. Quod cum ita sit, rector Ecclesiæ, et in illo habitans Emmanuel, butyrum et mel comedit, quando mala et bona in Ecclesia sibi commissa, diligenter investigans exquirit, ut sciat reprobare malum et eligere bonum. De occultis malis ad præsens non loquimur, quæ nullius prælati est judicare, nisi aut legitimus accusator inveniatur, aut prava opinio pertinaci animositate defendatur.

Porro de manifestis malis, etiam nullo accusante vel testificante, aut etiam quod pejus est, populo stulto et insipiente approbante illa, judicis eadem reprobantis etiam invitis auditoribus est ingerenda sententia, sive per sermonem, sive per epi-
D stolas, cum tanta comminatione ut sciant et scire cogantur non solum qui talia faciunt, sed et qui facientibus consentiunt, aut eis post interdictum cibo vel salutatione temere communicant, pari damnatione teneri. Angelis vero talium Ecclesiarum talis butyri fermento corruptarum, litteris apostolicis denuntiandum est, quod nisi tam certa et aperta mala corrigant, vel si corrigere non possunt, excludant; vel si ea pro strage vitanda excludere non valent, æquitate improbent, et cum discreta reclamatione quasi plaustrum onustum feno stridendo portent, ipsi seipsos excludendos vel deponendos agnoscant, movente candelabrum eorum Christo, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum.

LXXI. Septem candelabra aurea septem Ecclesiæ A sunt, in quibus per numerum septenarium intelligitur universitas omnium Ecclesiarum, quæ sic per litteras apostolicas visitandæ sunt, ut alicubi quasi per vocem tonitrui arguatur doctrina et secta Nicolaitarum in incestu clericorum; alicubi doctrina Balaam conductitii prophetæ in secta conductitiorum; alicubi nequitia Jezabelis tyrannizantis et prophetas Dei occidentis in tyrannis Eliæ similes justos persequentibus; alicubi specialis desidia ipsorum angelorum vel charitatem primam relinquentium, vel nomen vivum in officiis, mortuum in operibus malis habentium, vel tepidorum de ore Dei, nisi pœniteant, evomendorum. Item si respicimus Epistolas Pauli apostoli, videmus exemplo illius per epistolas apostolicas arguendas Eccle- B sias, ut cum hujusmodi cibum non sumant qui fratres nominantur, et sunt fornicatores, avari, ut se subtrahant ab omni fratre ambulante inordinate; ut si quis non obedit verbo apostolico per epistolam misso, hunc notent, et ut fratrem corripiant, atque si correptus emendari noluerit, ut hostem caveant. Nam, propter cautelam inter tales habendam: « Videte, » inquit, « quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt (*Ephes.* v, 15). » Et ne in diebus malis ita quis putet redimendum sibi tempus, ut malis aliquo modo consentiat, dicit: « Auferte malum ex vobismetipsis (*I Cor.* v, 13). » Ostendens itaque etiam propter unum forni- C catorem, quasi per modicum fermentum totam massam corruptam: « Expurgate, » inquit, « vetus fermentum, ut sitis nova conspersio (*ibid.*). » Non exspectavit super hoc manifesto malo accusationem vel testificationem cujusquam, nisi manifestæ infamiæ clamorem, de quo ait: « Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes (*ibid.*). » Neque vero illi soli, sed toti Ecclesiæ illum toleranti virgam minatur; nisi is qui hoc malum operatus est de medio eorum tollatur, et Satanæ tradatur in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini.

LXXII. Longum est in epistolis apostolicis ostendere per singula, quomodo rector Ecclesiæ apostolorum exemplo debeat butyrum et mel comedere, D ut sciat reprobare malum, et eligere bonum. Sufficiat in hujus rei exemplum sedis apostolicæ præsulibus imitandum beatus papa Gregorius, qui tanto studio butyrum et mel comedit, ut coarctante illum sollicitudine omnium Ecclesiarum, scriberet ultroneas epistolas pro causis multis nonnisi per famam sibi delatis: in quibus quanto studio reprobaverit malum et elegerit bonum, testantur ejus epistolæ pontificibus, regibus, cæterisque personis ecclesiasticis ultro ingestæ, nullo eas interdum petente, sed publica fama exigente, vel etiam qualibet veraci relatore ad aures ejus rem perferente. Unde solemne ipsi erat in exordiis epistolarum quorumdam sic dicere: *Perlatum est ad nos*, vel: *Pervenit ad nos*. Unde Romano defensori scribit dicens: « Perlatum est ad nos reverentissimum fratrem nostrum Basilium episcopum, velut unum de laicis in causis occupari, et prætoriis inutiliter deservire. Quæ res quoniam et ipsum vilem reddit, et reverentiam sacerdotalem annihilat; statim ut experientia tua hoc præceptum susceperit, eum ita ad revertendum districta exsecutione compellat, quatenus ei illic te insistente, quinque diebus sub qualibet excusatione immorari non liceat, ne, si quolibet modo eum ibidem amplius moram habere permiseris, cum ipso apud nos incipias esse culpabilis. » Item Anthemio subdiacono: « Pervenit ad nos, Priminium, Amalphitanæ civitatis episcopum, in Ecclesia sua residere non esse contentum, sed foris per diversa loca vagari. Quod videntes alii, nec ipsi in castro se retinent, sed ejus exemplum sequentes foris magis eligant habitare. Et quia hæc agentes ipsi potius ad suam hostes deprædationem invitant; idcirco hac tibi auctoritate præcipimus, ut suprascripto episcopo interminare non desinas, quatenus hæc de cætero facere non præsumat, sed in Ecclesia sua sacerdotali more resideat. Quem si forte non emendari post tuam interminationem cognoveris; in monasterio eum deputare, et nobis curabis modis omnibus indicare, ut quid facere debeas nostra iterum præceptione cognoscas. » Item Secundo, servo Dei, inter cætera sic: « Fratrem Marianum episcopum verbis quibus vales excita, quia eum obdormisse suspicor. Nam venerunt quidam ad me, in quibus quidam senes mendicantes, qui a me discussi sunt a quibus quid acceperint, et per singula retulerunt quanta eis et in itinere data sint. Quod dum sollicite de prædicto fratre requirerem, quid eis dedisset, responderunt se eum rogasse, sed ab eo nihil accepisse; ita ut neque panem in via acciperent, quem dare omnibus illi Ecclesiæ semper familiare fuit. Dixerunt enim: Respondit nobis dicens: Non habeo quod vobis dare possim. Et miror si is qui vestes habet, quid pauperibus daro non habeat. Dic ergo illi ut cum loco mutet mentem; non sibi solam lectionem et orationem credat sufficere; non ut remotus studeat sedere, et non de manu fructificare; sed largam manum habeat, necessitatem patientibus concurrat, alienam inopiam suam credat. Quia si sic non habet, vacuum episcopi nomen tenet. »

LXXIII. In hunc modum plures inveniuntur ejus epistolæ, quibus ultro et nullo petente missis, reprobantur mala et eliguntur bona. Videtis ergo, o benevoli spectatores, quomodo iste sanctus pro lege Dei sui certaverit; quomodo butyrum et mel comedens, investigatis undique malis et bonis, scivit et studuit reprobare malum et eligere bonum; non exspectatis accusationibus vel testificationibus in rebus manifestis, et quomodolibet sibi notificatis. Certe si nunc in diebus istis novissimis et temporibus periculosis iste sanctus viveret, multa mala increpare haberet, quæ ita fiunt in aperto, ut nullo

accusationis vel testificationis egeant ordine judiciario.

LXXIV. Si ergo super his reprobandis apostolicæ mittentur epistolæ, simulque scribetur viris religiosis, ut si quis non obedit verbo per epistolam misso, hunc notent juxta doctrinam Pauli apostoli: multa, favente gratia Dei, emendabuntur, quæ nunc libere, cum sint mala et turpia, fiunt non solum in occulto, sed etiam in aperto, et habentur etiam pro bonis, cum sint mala, quia non est qui reprobet illa. Possemus digito monstrare ac manifesto nomine significare mala quædam reprobanda, evellenda, destruenda, disperdenda; et ex opposito bona quædam eligenda, plantanda et ædificanda. Sed apostolicæ vigilantiæ quam sollicitudo angit omnium Ecclesiarum, et ad quam spectant omnium regimina regnorum, relinquimus in his omnibus butyrum et mel comedendum, ut sciat reprobare malum et eligere bonum. Sciat videlicet in sacerdotio reprobare levitas minime juxta legem Dei purificatos et rasos, eligendo bonos bene purificatos et hæreditate qua Deus est contentos. Sciat nihilominus in regno reprobare dominatores iniquos, et eligere bonos ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum divinitus missos. Sciat, inquam, reprobare, quosdam, salva ecclesiastica pace, penitus excludendo, quosdam propter apertas iniquitates a ministerio altaris vel communione Dominici corporis et sanguinis prohibendo, et tamen intra Ecclesiæ societatem pacis intuitu sufferendo, in hujus peregrinationis via, qua de captivitate Babylonica tendimus in Sion sive in Jerusalem, cujus præcipui senatores cum rege suo in ultima ventilatione, reprobatis omnibus malis, eligent bona omnia.

LXXV. Quanto ergo nunc diligentius per Ecclesiarum gubernatores reprobantur mala indecentia et eliguntur bona bonos decentia; tanto congruentius te decet hymnus Deus in Sion, et tanto decentius tibi reddetur votum in Jerusalem. Quod quia magis orando quam disserendo ut fiat acceleratur, post assertionis largam digressionem redeamus ad intermissam psalmi expositionem et orationem. Non enim aliud hac expositione magis intendimus, quam ut Patrum sensus congerendo in hoc opusculo rusticano velut in cophino, vase ut dicitur stercorario, nosmetipsos et ea quæ scribimus lecturos excitemus, in quantum, Deo favente, possumus, in eumdem laudandi et orandi affectum, quem continent verba psalmorum et super ipsos paternarum expositionum. Quapropter sive David, sive Idithun, sive Asaph, sive aliorum in psalmis loquentium personas frequenter assumimus, ut eorum affectus vehementius exprimamus. Et in hoc igitur psalmo assumpta persona Jeremiæ sive Aggæi sive amborum cum orantibus oremus, cum laudantibus laudemus, et vota in Jerusalem reddenda vovamus in via peregrinationis hujus. Tu autem, Domine, cui reddenda sunt laudis vota in patria, exaudi orationem meam nunc in via; quia si exaudieris, imo quia exaudies, *ad te omnis caro veniet*. Si enim dies mali non abbreviarentur, ut tu dicis, non fieret salva omnis caro. Sed propter electos, ut tu promittis et ego Jeremias et Aggæus ex promisso tuo certificatus rogo, abbreviabuntur dies mali: quibus breviatis, *ad te omnis caro veniet*, id est ex omni genere hominum, pauperes, divites, docti, indocti, pueri, senes, Judæi et gentes, viri et feminæ, quæ sæpe significantur nomine carnis, ut illic: « Dedit illis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt (*Joan.* I, 72). » Item: « Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea (*Gen.* II, 23). »

LXXVI. Ut ergo impleatur quod scriptum est: *Erunt duo in carne una* (*ibid.*), sponsus et sponsa, caput et membra, indubitanter, ad te omnis caro veniet: non solum illa de qua certum est quod breviatis diebus malis fiet salva, videlicet ad salutem prædestinata, quantumlibet sit fragilis et infirma; sed et illa quæ non erit salva, tunc ad te judicem veniet, quando, ut scriptum est, omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et videbit omnis caro salutare Dei. Quod ergo dico ego Aggæus, *ad te omnis caro veniet*, partim prophetia, partim oratio est. Nam prophetia est quantum ad illud, quod omnis caro ventura est ad te judicem; sed oratio est quantum ad illud, quod brevitatis diebus captivitatis non in errorem ducantur electi, et his recta via de captivitate in Sion redeuntibus, eorum ducatu tanquam per Jeremiam et Aggæum salva erit omnis caro, id est etiam fragiles; electis tamen et fortibus per obedientiam et charitatem cohærentes, pariterque cum illis incipientes proficisci.

LXXVII. In Hebræo legitur: *Omnis caro ad te veniat*. Recte itaque orationem in conspectum Dei recitaturus ego Jeremias vel Aggæus, efficaciter exaudiri desiderans, aliam orationem præmitto dicens. « Exaudi orationem meam (*Psal.* XXXVIII, 13). » Qua oratione subsequentis orationis præparatoria sic præmissa, tanquam si diem festum præcedat vigilia cum lamentante Jeremia, consequenter quasi cum Aggæo festivo depromitur oratio, qua in finem psallens Psalmista, oro ut *omnis caro ad te veniat*. Quia, enim tu vis omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire; voluntati tuæ concordans recte oro ut omnis caro, id est omnis homo ad te veniat, et benedicantur in te, semine Abrahæ, omnes tribus terræ. Non quod salventur aut benedicantur omnes homines; quod non habent quæ Abrahæ dictæ sunt promissiones; sed omnes tribus, id est aliqui de omnibus tribubus terræ, ita ut non sit personarum acceptio, quando in omni gente omnis qui timet Deum et operatur justitiam, acceptus est illi.

LXXVIII. Sic nos oramus, qui, proficisci nunc incipientes, in finem tendimus, ubi videatur Deus deorum in Sion, ubi te decet hymnus, Deus, in Sion; sed non exaudimur quam cito vellemus. Quare? quia *Verba iniquorum prævaluerunt super nos*.

Iniqui primi fuerunt, serpens, Adam, Eva : inter quos conflata sunt verba peregrinationis nostræ causa effectiva, dicente per serpentem diabolo angelo iniquis humani generis parentibus « Comedite, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum (*Gen.* III, 5). » Quibus nimium creduli parentes nostri, facti sunt cupidi, elati et curiosi. Nam per appetitum comedendi cibum vetitum, concupiscentia carnis; per appetitum similitudinis Dei, elatio mentis; per appetitum sciendi bonum et malum, subintravit curiositatis vitium. Et quidem verba hæc iniquorum, verbum scilicet peregrinationis, præcesserat ex ore Dei egrediens verbum benedictionis, quo dictum est parentibus nostris : « Crescite et multiplicamini, et replete terram (*Gen.* I, 28). » Quo verbo fecundati habebant virtutem pariendi solos filios benedictos in patria benedicta mansuros. Verbum postea subsecuta sunt propter peccatum verba peregrinationis, dicente Deo ad Evam : « Multiplicabo ærumnas et conceptus tuos (*Gen.* III, 16); » ac si diceret : Super numerum benedictorum filiorum conceptus tuos multiplicabo, ut parias multo plures filios maledictionis quam benedictionis; ita ut ipsi filii benedicti, sint inter maledictos peregrini et quasi captivi usque ad illam utrorumque disjunctionem, qua maledictis in terra maledicta dominantibus, et benedictos filios inique gravantibus, dicatur : « Ite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV, 41); » benedictis quoque filiis in terra maledicta peregrinantibus, et inter verba iniquorum sibi prævalentia laborantibus tunc dicitur : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi (*ibid.*, 34). » Quorum numero, fide ac spe sociati, eo quod inter verba iniquorum nobis prævalentia gemendo potius cum Jeremia lamentamur, quam in illis consensu pravo delectemur; hoc ipsum conquerimur, quod verba iniquorum prævaluerunt super nos : ita ut nos filii benedicti, licet primitias Spiritus sancti habentes, et ad supernam patriam redire cupientes, tamen intra nosmetipsos gemamus, videntes legem iniquam in membris nostris repugnantem justitiæ, sanctæ ac bonæ legi mentis : qua videlicet lege iniqua nos captivante in lege peccati et mortis, recte conquerimur, quod *verba iniquorum prævaluerunt super nos.*

LXXIX. Verba iniquorum plurimorum super numerum nostrum valde multiplicatorum prævaluerunt super nos paucos. Divitum, potentum, superborum, perversorum verba prævaluerunt super nos pauperes, infirmos, humiles, ad te, Deus, conversos, et de medio Babylonis in Jerusalem redire paratos. Cum ergo sint facies nostræ ad te conversæ quasi euntium in Jerusalem, relicta quasi post dorsum Babylone; tu exsurgens misereberis nostri civium Sion, et impietatibus nostris in Babylone commissis tu propitiaberis. Revertentibus quippe nobis de captivitate ad patriam, Jesus magnus sacerdos a dextris tuis interpellat pro nobis, et ipse, hostia perfecta, factus est propitiatio pro peccatis nostris. Fiet ergo per Verbum tuum incarnatum, ut verba iniquorum quæ in Babylone prævaluerunt super nos, dum incipimus inde proficisci, non possint ultra prævalere; dum non præ oculis in faciem sonant, et quasi post dorsum nostrum susurrant, et quasi de humo eloquium subobscurum mussitant. Si ergo beatificamus eos, qui Babyloniorum verba postponendo incipiunt proficisci ad cantum propheticæ tubæ sonantis per os Jeremiæ vel Aggæi; multo magis *beatus quem elegisti et assumpsisti*, quique assumptus inhabitat in atriis tuis.

LXXX. Beatus præ omnibus consortibus suis homo, quem tu Verbum Dei sic assumpsisti, tibique in una persona mirabiliter univisti, ut verba iniquorum nunquam potuerint prævalere illi : quoniam ille est « beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit (*Psal.* I, 1). » Beatus plane homo electus ex millibus, quem tu, Pater Deus, elegisti et Deum fecisti : non utique Deum adoptivum, sed Deum verum naturalem filium tuum; non per hominis in Deum assumptionem, sed per hominis in Deum assumptionem (5). Neque enim solummodo illum elegisti de massa perditionis in sui conceptione vel prius in tua prædestinatione, sed etiam assumpsisti cum gloria in consessum dexteræ tuæ, sicut ipse dicit : « Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me (*Psal.* LXXII, 24). Beatus homo quem sic elegisti, et assumpsisti in sacerdotem magnum populo tuo peregrinanti valde necessarium; sicut Jesus magnus sacerdos ille figuralis, olim fuit necessarius : qui typum hujus veri sacerdotis et regis legitur coronis aureis coronatus, ut supra in brevi perstrinximus.

LXXXI. Beatus etiam post ipsum et in ipso et per ipsum, quem de mundo elegisti, et in aliquod ministerium salutis tam suæ, quam aliorum assumpsisti. Quod opus egregium quia ipse tecum operatur, sine quo tu, pater, nihil operaris, cum sit ipse manus tua tecum et in te operans omnia quæ tu operaris : quæcunque enim tu operaris, hæc et ille similiter facit. Recte ac vere tuis ac suis electis ipse dicit : « Non vos me elegistis, sed ego vos elegi, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat (*Joan.* XV, 16). » Item : « Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret. Quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit eos mundus (*ibid.*, 19). » Beatus quem sic elegisti de mundo, ut ob hoc ipsum sustineret odium mundi; quia tu eum elegisti et assumpsisti, non ad opus malum, vel ad horam in atriis tuis mansurum, sed ad opus bonum et permansurum in æternum, quoniam *inhabitabit in atriis tuis.* Servus non manet in domo in æternum, filius

(5) Hæc vitiosa fortasse typographi incuria, restitue sic, juxta illud Athanasianum : *Non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum.*

manet n æternum. Propterea servus malus ad tempus assumptus propter aliquod opus necessarium, retro aspiciens et retro abiens non habitabit in atriis tuis, in quæ illum assumpsisti; sed filius habitabit in atriis tuis tanquam hæres legitimus. Et nos, qui de Babylonia in Sion proficiscimur, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi efficimur: et ita per ipsum qui caput nostrum est, replebimur.

LXXXII-IV. Beatus quidem ille est qui electus et assumptus a te inhabitabit in atriis tuis. Verumtamen in ipsis atriis non est plenitudo beatitudinis. Etenim licet stantes pedes nostri in atriis tuis Jerusalem beati sint, tamen plane beati sunt soli qui habitant in domo tua, Domine, ubi in sæcula sæculorum laudabunt te. Hic incipimus proficisci lætantes in his quæ dicta sunt nobis, et in domum Domini ibimus, et multas viaticas refectiones euntibus nobis providet Jesus sacerdos magnus. Sed cum pervenerimus, tunc omnino replebimur in bonis domus tuæ Deus. Dona domus suæ sunt ineffabilia, sive domus ipsa intelligatur humana natura in Deum assumpta, sive angelorum portio electa, sive etiam tota sancta universalis Ecclesia. Quæ domus est etiam templum, non qualecunque sed mirabile; non in structuris artificiosis et manu factis, ornatis auro vel argento seu lapide pretioso, sed in æquitate. Non mireris quia dixi templum illud mirabile in æquitate, quod omni caret iniquitate, ac summa claret æquitate. Si enim templum non manufactum, Dominicum videlicet corpus respicias, nulla est in eo iniquitas, imo ad abolendas iniquitates omnium nostrum sufficit et superabundat illius æquitas.

LXXXV. Quid enim justius vel æquius, quam ut ad perditam libertatem redeat servus, pro cujus iniquitate servilibus pœnis voluntarie subjacuit filius? Quid justius vel æquius, quam ut prædo iniquus amittat jus et dominium, quod habuerat in hominem peccatorem, qui manus violentas misit in hominem peccato prorsus carentem, et in summa æquitate Deo Patri suo gratias agentem. Nempe in hoc maxima erat hominis iniquitas, quod a Deo bene creatus, ipsi Creatori suo penitus, non solum gratias non agebat, sed nec unde ageret habebat, vitio suo nudatus, et plagis impositis semivivus relictus. Gratias namque condignas agere de aliquo beneficio, est ipsi benefactori suo de toto quod accepit esse devotum; ita ut nihil minus rependere studeat in servitio quam accepit in beneficio. Nam si minus rependat, in libra æquitatis apud Deum non est acceptabile munus oblatum cum tali fraude vel iniquitate. Constat autem quod primi parentes bene creati et paradisiacis bonis ditati, nullas Deo gratias egerunt, sed ingrati benefactori suo, ejus hosti gratis venundati succubuerunt. Sic distorti a regula æquitatis genuerunt filios iniquitatis, filios maledictionis, filios iræ; quorum nullus fuit idoneus ad agendum gratias Deo, præpediente omnes paternæ ingratitudinis originali peccato. Unde inter omnia patriarcharum vel prophetarum præconia, cum sonet sæpe vox laudis, vox confessionis, vox exsultationis et salutis in tabernaculis justorum, nusquam sonat vox gratiarum actionis, nisi in hoc templo mirabilis æquitatis.

LXXXVI. Ante Christum namque nullus sanctorum legitur Deo gratias egisse, quia noverant se ad hoc non sufficere. Ipse autem primus, unus pro suis omnibus Deo patri gratias egit, sicut in Evangelio legitur; primo ubi de paucis panibus multam turbam hominum satiavit, deinde ubi Lazarum suscitavit, novissime ubi accipiens panem gratias egit, benedixit et fregit, et dedit discipulis suis dicens: « Hoc est corpus meum, » etc. (*Matth.* XXVI, 26.) Sed et tota ejus in mundo conversatio quid fuit, nisi condigna gratiarum actio? Annon etiam nunc summæ Trinitati gratias agit a summo usitata et usque ad summum provecta in ipso Dei Filio natura humana? Discipulis quoque per ipsum et in ipso gratias agendi Deo Patri potestatem dedit ibidem, sic dicens: « Hoc facite in meam commemorationem (*Luc.* XXII, 19), » id est meo exemplo, meoque adjutorio quod feci facite, me in vobis et per vos operante. Ecce sacerdos magnus carens omnino iniquitate, ipse hostia sufficiens pro abolenda omnium iniquitate, ipse templum mirabile in æquitate, in solo rependitur Deo æqua gratiarum actio absque iniquitatis fraude; quia totum quod a Deo fuit homini assumpto donatum, divinis obsequiis integre fuit impensum in holocaustum suavissimi odoris, et in sacrificium plenissimæ gratiarum actionis, quod ante ipsum nullus potuit facere. « Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? » (*Psal.* CXV, 12) ait unus electorum præcipuus. Et cum in se nihil digne donis Dei retribuendum invenisset: « Calicem » inquit « salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo (*ibid.*, 13), » id est illum exspectabo et fideliter invocabo qui, calicem passionis innocens bibiturus, perfecta gratiarum actione satisfaciet Patri per suæ carnis et sanguinis hostiam salutarem.

LXXXVII. Quod etiam in ipso et per ipsum nunc donatum est Ecclesiæ, cui sacrificanti hanc ipsam hostiam in hoc ipso templo gratias agere solemne est, ita ut dignum et justum est, æquum et salutare, in summa æquitate, in statera æquitatis et justitiæ. In qua « utinam appendantur peccata mea et calamitas quam patior, ait sanctus Job (*Job* LXII), desiderio desiderans hoc templum mirabile in æquitate, atque in eo stateram justitiæ, in qua per duas lances brachiorum crucis, seu justitiæ et misericordiæ, pondus humanæ calamitatis quasi arena maris gravior apparet omnibus omnium hominum in hoc templo sacrificantium peccatis. Etenim calamitas probrosæ mortis in persona Dei incarnati, absque iniquitate propria propter iniquitates nostras passi, longe in infinitum præponderat in lance misericordiæ peccatis nostris in lance justitiæ;

ita ut lanx misericordiæ tantæ calamitatis pondere quasi arena maris gravior apparens, et usque ad infernum despoliandum subsidens, in judicio superexaltet lancem justitiæ tam vehementi exaltatione, ut excussis inde peccatis credentium in profundum maris, mirabile fiat spectaculum divinæ pietatis et æquitatis, merso Pharaone per judicium æquitatis eo quod aviditate nocendi ausus est persequi a se recedentes, et ad illum protectorem confugientes, qui et in columna nubis pius, et in columna ignis justus, nullius fuit reus iniquitatis : qui etiam templum est mirabile in æquitate, ita ut ad ipsum tutissimum fit refugium ab omni iniquitate.

LXXXVIII. Sanctum est ergo templum tuum, mirabile in æquitate, cui et sanctitas abundat in se ipso, ita ut recte dicatur Sanctum sanctorum, et æquitas ad Patrem, sive totius Trinitatis divinitatem, cui perfecte gratias agendo servavit mirabilem æquitatem; ita ut neque hosti iniquo iniquam inferret violentiam, sed æquitate illum superaret, cum inconcessa pervadenti concessa judicialiter auferret. Est etiam in hoc hujus templi non manu facti æquitas mirabilis, et nulli rationi penetrabilis quod quanto tempore hic cœlestis regni legitimus hæres parvulus fuit nihil differens a servo in similitudine carnis peccati, sic semetipsum exinaniendo minimis suis servulis coæquavit, ut pedes eorum lavaret, et cum iniquis reputatus, non de iniquitate hac indignaretur, sed Patri, totius æquitatis auctori, gratias ageret, ejusque justitiam collaudaret, simul excusans per ignorantiam quosdam iniquorum, dicens : « Pater juste, mundus te non cognovit (*Joan.* XVII, 25). » Item : « Pater, ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII, 34). » Quis non miretur simulque veneretur in abundantia tantæ iniquitatis collaudationem paternæ justitiæ judicantis omnia in summa æquitate? Quis denique hominum judicante se homine tam inique judicatus, tam inique cum iniquis reputatus, laudaret æquitatem judicis talia disponentis, vel cum non prohiberet fieri sinentis? Prorsus nemo. Sed hic Deus homo se sic humiliat sub judicio divino, tanquam si nihil differat a servo : nec rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, quandiu in forma servi humiliatus et servis coæquatus, atque cum iniquis reputatus, disciplinam servis iniquis debitam pro ipsis humiliter sustinuit. Propter quod et Deus illum exaltavit, et donans illi nomen quod est super omne nomen, sibimetipsi cum summa gloria coæquavit, ut omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris, tam secundum eam naturam quam credimus in eo exaltatam et summo nomine donatam, quam secundum illam, quæ ab æterno erat altissima

LXXXIX. Humana quippe natura in Deum Dei Filium assumpta, etsi tempore assumptæ mortalitatis paulo minus ab angelis minorata, longe sub Deo in Deo fuerit, tamen sub Deo minorem gloriam, sed in Deo et cum Deo prorsus habet eamdem gloriam, data sibi omni potestate in cœlo et in terra, quam ipse Deus, Dei Filius in divinitate sua, una cum Patre suo Deo æternaliter habuit, sed in humanitate sua ex tempore accepit, minor quidem Patre permanendo secundum humanitatis naturam, sed non minor secundum divinam suæ humanitati potentiam et gloriam donatam. Nonne in hac humanitatis ad summa provectione, sicut mirabilis, ita est etiam rationabilis æquitas? Quia enim sponte sua humiliatus, et cum iniquis reputatus, eisque in pœna pro Dei Patris gloria coæquatus est, justo æquitatis judicio naturæ humanæ sic humiliatæ datum est eousque ascendere, ubi erat prius ipse Dei Filius cum Patre altissimo altissimus, adimpleta ironia sive prophetia, qua olim dictum est : « Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est (*Gen.* III, 22). »

XC. Quod enim contra veterem Adam gravissima fuit ironia; de novo Adam suavissima erat prophetia, de quo in veritate habet Deus Pater dicere : « Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, » id est nobis in gloria coæquatus est, sciens bonum et malum æque ut unus nostrum, potens ad faciendum judicium æque ut unus nostrum. Unde sicut ad veterem Adam adducta sunt animantia cuncta, ut videret quid vocaret ea : omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus; sic ad istum judicaturum adducenda sunt omnia, ut videat quid vocet ea, secundum sententiam (6) boni et mali, qua ipse optime scit reprobare malum et eligere bonum, servata in omnibus æquitate, quia ipse templum est mirabile in æquitate, non discrepans in donata sibi claritate ab inhabitante se altissima divinitate. Sic lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris. Mirabile videlicet in illa potissimum æquitate, qua lapidis vel templi hujus naturalis essentia minor divinitate in se permanens indestructibilis ultra se provecta est usque ad æqualitatem gloriæ divinæ se inhabitantis, juxta illud Apostoli : « In quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Et estis, » inquit, « in illo repleti (*Coloss.* II, 9, 10); » secundum quod hic psallentes dicimus : « Replebimur in bonis domus tuæ, sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate (*Psal.* LXIV, 5). » Revera mirabilis erat æquitas, qua dictum est homini Filio Dei a Deo Patre : « Sede a dextris meis (*Psal.* CIX, 1). » Quod idem est ac si dixisset : In mei æqualitate conregna mecum. Quod secundum humanam naturam illi dictum est, quia secundum illam datum est ei regnum et honor, non particulariter, sed universali-

(6) Forte err. typogr. pro *scientiam*

ter; sicut ipse de se contestans: « Data est, » inquit, « mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII, 18). » Sicut in similitudinem lapidis aquæ durantur, sic ima summis coæquantur. Etenim sicut aqua non pereunte substantia, vel substantiæ quantitate, sed sola qualitate quæ fluxa fuerat, in soliditatem transeunte, in similitudinem lapidis duratur, et res prius liquida rei naturaliter duræ in duritia coæquatur; sic assumptus in Deum fragilis homo, non pereunte substantia, primo ascendit illocaliter super cœlos cœlorum ad orientem, id est ultra choros omnium cœlestium virtutum, usque ad Verbum sibi personaliter unitum.

XCI. Ubi notandum quia non dicitur ad ortum vel oriturum, sed ad orientem. Illa enim ineffabilis genitura, non secundum præteritum et futurum consideratur, sed sempiterno præsenti filius a patre generatur. Verumtamen hoc localiter quoque accipiendum est, quia ascendit super firmamentum cœli, et hoc versus orientalem plagam. Nam quod dictum est usque ad orientem, id est usque ad Verbum sibi personaliter unitum, non utique secundum locum, sed secundum humanæ naturæ immutationem dictum est: qua immutatione et nos juxta apostolum pro modo nostro immutabimur. Nec vero sic immutata est, ut in illam orientis substantiam versibilitate naturæ substantia carnis transiret; sed æquitate judicii divini homini usque ad mortem crucis pro glorificatione Patris humiliato accessit paternæ gloriæ magnificentia, non decessit humanæ conditionis essentia; absorpta est passibilitas, accessit impassibilitas; transivit infirmitas in virtutem, mortalitas in æternitatem, ut homo prius minor angelis esset in gloria Deo Patri coæqualis. Et hoc est mirabile in æternitate.

XCII. Admirantibus ergo simulque venerantibus nobis hoc templum mirabile in æquitate, cui et nomen est: « Admirabilis consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis (*Isai.* IX, 6), » aliquantula sublucet ratio hujus æquitatis, quam fraudare non debeo conservis. Cum enim per Christi divinitatem sine labore cuncta creata, per ipsius humanitatem cum multo labore sint restaurata, et utique constet opus restaurationis melius opere creationis, æquitas judicii divini poscebat, ut humanitas in Christo, licet naturaliter minor divinitate, tamen coæquaretur eidem in gloria et in claritate omnimoda, propter excellentiora opera per ipsius laborem et humiliationem consummata. Unde cum dixisset: « Ego te clarificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam (*Joan.* XVII, 4); » quasi et judicio æquitatis donarium reposcens, adjunxit: « Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate, quam habui priusquam mundus esset apud te (*ibid.*, 5). » Quibus verbis, Hilario interpretante, claritas Verbi æterni postulatur carni: ut qui minor fuit et est Patre secundum humanitatis conditionem, jam non

A sit minor secundum ejusdem humanitatis glorificationem. Unde in libro de Trinitate ait jam dictus Hilarius: « Glorificaturus Filium Pater major est, glorificatus autem Filius minor non est. » Proinde quod Athanasius ait: « Minor Patre secundum humanitatem, » referendum est ad naturam, non ad gloriam: vel certe ad illud tempus quo minor fuit etiam angelis, non ad illud quo gloria et honore coronatus, super opera manuum Patris constitutus, jam nulli est in gloria posthabendus, ut in prima hujus operis parte firmissimis Patrum testimoniis copiose demonstratum est.

XCIII. Adhuc est alia mirabilis æquitas, quam in templo isto spectantium oculis ipsa ejusdem templi repræsentat claritas et charitas. Quia enim in re-B demptione humani generis templum datum est pro templo, non manu factum pro manu facto, impollutum et sanctum, pro polluto et profanato; non esset aliud pro alio datum, nisi quod emebatur esset æque gratum quomodo pretium pro illo datum. Est igitur etiam sic templum illud sanctum mirabile in æquitate, servata venundati et redempti æqua charitate. Super hujus admirabilis æquitatis admiratione altisona voce canunt ipsius redempti templi vivi lapides, quasi cum Aggæo festivo festive dicentes: O inæstimabilis dilectio charitatis! ut servum redimeres, Filium tradidisti. Contenti nunc simus in hac peregrinationis via de templo isto mirabili mirando potius quam exponendo hæc C pauca dixisse; cujus aditus philosophiæ mundanæ seratus, fidei vero catholicæ nunc ex parte reseratus, in futuro plene pandendus, non est quæstionibus indisciplinatis irrumpendus, sed orationibus humiliter et reverenter pulsandus. Hoc igitur templum sanctum mirabile in æquitate, ut remissis iniquitatibus mereamur ingredi a rege Babylonico liberati, tu Christe, qui es templum simulque ipsius templi ostiarius et ostium, *exaudi nos, Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, et in mari longe.*

PARS ALTERA.

XCIV. Exaudi nos pulsantes, et ut omnis caro ad te veniat fideliter orantes. Exaudi hunc hymnum qui te decet, Deus, in Sion; non in illa parvula et D angusta Sion, quæ modicam Judææ particulam occupavit, sed in illa magna civitate quæ fundatur exsultatione universæ terræ, secundum quod tu rex ejus regnas ubique; spes omnium finium terræ, non tantum Judææ, sicut vult carnalis judex, vel tantum Africæ, sicut voluit Donatus, vel cujusquam privatæ sectæ, ut hi volunt qui dicunt: *Ecce hic*, aut: *Ecce illic*, sed *omnium finium terræ;* ut omnis caro, non solummodo continentium, sed etiam conjugatorum possit venire ad te, licet sint in finibus terræ, vel in mari longe. Sicut enim regina Æthiopiæ de finibus terræ venit audire sapientiam Salomonis; ita universalis ex Judæis et gentibus electa et collecta Ecclesia, veniet ad te, verum Salomonem, a finibus terræ, imponens videlicet finem

vitiis cupiditatibusque terrenis. Vel etiam ad litteram *spes es omnium finium terræ*, in omnem terram sono apostolorum exeunte, et in fines orbis terræ verbis eorum pervenientibus; ita ut non sint loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum, etiam in extremis finium terræ et in mari longe; sive ad litteram in insulis marinis longe positis a cohabitatione aliorum hominum; sive quia mare hujus sæculi amarum curis et turbidum tentationibus, ac procellosum, spiritibus malignis quasi ventis contrariis agitatum, in quo pisces devorantur a piscibus; recte dicuntur esse in mari longe a civitate Sion et Jerusalem visione pacis, mundi hujus amatores inter se tumultuantes; quibus tamen, si digne pœniteant, et mediante te Jesu, magno sacerdote, gratiam quærant invenire in Sion, spes est misericordiæ consequendæ in te, per id quod tu es *præparans montes in virtute tua*.

XCV. Prædicatores enim Jeremiæ et Aggæo similes, in se parvos et humiles, tu facis altos et immobiles *in virtute tua*, non sua. Hoc et ipsi confitentur, dicentes: « Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum; non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est, qui et idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti, non littera sed spiritu. Littera enim occidit, spiritus autem vivificat. Quod si ministratio mortis, litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita ut non possent intendere filii Israel in faciem Moysi præ gloria vultus ejus quæ evacuatur, quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria? Si ministratio damnationis gloria est, multo magis abundat ministerium justitiæ in gloria (*II Cor.* III, 4-9). » Similiter et nos dicere possumus in hymno præsenti: Quod, si ministratio reversionis in terrestrem Jerusalem fuit in gloria, ita ut ejus administrator præcipuus Jesus sacerdos magnus, fuerit coronis aureis, jubente Domino, coronatus, et ablatis ab eo sordidis vestimentis, legatur pretiosis mutatoriis ornatus; quomodo non ministratio reversionis in cœlestem Jerusalem quæ sursum est libera mater nostra, erit in gloria? Imo si ministratio illius reversionis meruit coronis et mutatoriis honestari, multo magis gloria et honore coronandi sunt qui in sacerdotio novo stant coram Domino sacrificantes hostiam vivam, et increpant sibi adversantem Satanam.

XCVI. Quomodo enim tunc Satan stabat contra Jesum ut adversaretur ei; sic et modo in his qui resistunt veritati Satan stare cognoscitur, qui et increpante illum Verbo Domini, abit et cadit retrorsum, quomodo illi abierunt retrorsum, quibus verus Jesus jam seipsum sacrificaturus in cruce, jamjamque sacrificatus in cœna sua dixit: « Quem quæritis? At illi dixerunt: Jesum Nazarenum. » Quibus cum respondisset: « Ego sum (*Joan.* XVIII, 4-5), » verbi hujus fulmine repercussi ceciderunt in terram. Qui ergo fulgorem solis æterni adhuc

A sub nube mortalitatis ferre non potuerunt, sed eo repercussi ceciderunt in terram; quomodo nunc ferent ejus faciem sicut sol lucet in virtute sua clare splendentem? Cum se talem demonstravit in monte coram paucis discipulis transfiguratus, nec ipsi eum ferre potuissent, nisi eadem virtute qua territi erant, fuissent etiam confortati. Et Joannes, in Apocalypsi, cum vidisset eamdem Jesu faciem sicut sol lucet in virtute sua, cecidit ad pedes ejus tanquam mortuus. « Et posuit, » inquit, « dexteram suam super me dicens: Noli timere. Ego sum primus et novissimus, et fui mortuus, et ecce sum vivens in sæcula, et habeo claves mortis, et inferni (*Apoc.* I, 17-18). » Sic, Domine Jesu, præparas montes in virtute tua, dicens cuique illorum: *Noli*

B *timere*. In quo dicto est largitio virtuosæ constantiæ. Dicendo autem: « Ego sum primus et novissimus, et fui mortuus, et ecce sum vivens in sæcula, et habeo claves mortis et inferni, » ostendis te accinctum potentia, qua prævales ad omnia quæcunque volueris facienda, utpote vivens in sæcula ea vita, qua vivificare potens es omnia membra tua, et habes claves mortis et inferni, quibus concludere potenter vales mortem et infernum, diabolum scilicet mortis inventorem populumque tenebrosum, in quo velut in inferno diabolus et mors habet locum nimis amplum et profundum, sed minime quietum, quia tu *conturbas profundum maris*, id est populum nimis amarum tu conturbas, non in superficie quasi vento leni, sed in profundo, et quasi ab imo fundo

C undas ejus concutiendo.

XCVII. Alia littera sic habet: *Circumcinctus potentatu tuo*. Quod ad similitudinem regis undique suis militibus constipati dictum potest intelligi; quia tu rex gloriæ, Dominus exercituum te circumstantium, per eosdem exercitus propugnando potens es in prælio non solum campestri, quo commovisti terram et conturbasti eam; sed etiam navali, quo conturbas profundum maris. Quasi enim campestre certamen tunc fuit in campo Dura provinciæ Babylonis, erecta velut aurea statua, quando caput imperii Romani, quasi altera Babylonia, Roma defensabat idololatriam dura edicta proponendo, et fornacem persecutionis incendendo. Sed jam fabricatis ecclesiis atque cœnobiis, tanquam navibus ul-

D tra mare ad terram promissionis tendentibus, surgunt venti contrarii, et non desunt naves piraticæ latronibus plenæ; conventicula videlicet perversa, quibus contra invicem decertantibus, mare turbatur, et sonitus fluctuum ejus augmentatur, quoadusque tu ventis imperes et mari, precibus Ecclesiæ suscitatus, qui nunc peccatis exigentibus dormiendo in navi *conturbas profundum*, et *sonum fluctuum ejus* ad hoc esse permittis, ut a discipulis attentius orantibus cito exciteris, et te increpante ventos et mare, fiat tranquillitas magna.

XCVIII. Aliter: *Conturbas profundum maris* commovendo profunda hominum corda, vel ut sequan-

tur, vel ut persequantur electos tuos : et *sonum fluctuum ejus* excitas et sedas prout vis, arescentibus hominibus præ confusione sonitus maris et fluctuum ; discipulis autem tuis, cum viderint hæc fieri, ad te respicientibus ac levantibus capita, quoniam appropinquat redemptio illis a te promissa. Levabunt capita, id est exhilarabunt corda, scientes post brevem tempestatem, secuturam quietis æternæ tranquillitatem. Alia translatio habet : *Sonum ejus quis sufferet ?* id est quis sustinebit illam commotionem ? Vere nullus virtute humana, sed plures virtute tua : qui præparas montes in virtute tua, montes altos, quos transcendere non valent mirabiles elationes maris, montes immobiles de quibus dicas mari, « Huc usque venies, et hic confringes tumentes fluctus tuos (*Job* xxxviii, 11). » Dum enim cernunt idololatræ gentes, vel etiam falsi Christiani, creaturæ potius quam Creatori, mammonæ potius quam tibi, Deo vero, servientes, immobilitatem simul atque celsitudinem turrium sanctæ civitatis fundatæ in montibus sanctis, ad quam revertentes de Babylone cives beati nunc incipiunt proficisci, quandoque feliciter perventuri. Ex tali consideratione turbabuntur ipsæ gentes aliquantæ per timorem servilem, sicut rege civitatis hujus nato et regibus orientalibus manifestato, rex Herodes turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo ; aliquantæ per timorem filialem : quomodo apostoli conturbati sunt et conterriti, existimantes post resurrectionem regis hujus, non corpus ressuscitatum, sed solum se spiritum videre !

XCIX. Neque enim parva est conturbationis causa, cum sola regis hujus existimatur spiritalis adesse præsentia suis discipulis, non etiam corporalis. Quorum conturbationi apte subvenitur, cum se non solum videndum, sed etiam palpandum præbet Jesus sacerdos magnus, in sacerdotibus catholicis visibiliter et corporaliter gloria et honore coronatis, cæterisque dilectis et electis, quibus per veram pœnitentiam vestimenta sordida sunt ablata, et mutatoria munda sunt collata. Similiter cernitur idem conspicuus in bonis ducibus Zorobabeli consimilibus : Et hæc non modica est bene turbatis consolatio, et male turbatis augmentatio conturbationis.

C. Nam diversis modis *turbabuntur gentes et timebunt*. Primo serviliter, deinde qui ex eis credent filialiter et caste timebunt nomen tuum, *qui habitant terminos terræ*, id est non solum vicini, sed etiam in extremis finibus terræ positi, quando in omnem terram exibit sonus apostolorum, et in fines orbis terræ verba eorum. Vel etiam quando per successores eorum prædicabitur Evangelium in toto mundo usque ad ultimum terræ. *Turbabuntur*, inquam, *a signis tuis :* primo per miracula, deinde per virtutum præclara et insignia facta, quæ considerabunt in electis tuis, quibus *exitus matutini et vesperæ delectabis*, id est quos ita perfectos esse facies, ut exitus matutini et vesperæ, sint eisdem delectabi-

A les. Cum enim per mane prosperitas, et per vesperam notetur adversitas ; ita erunt imperturbabiles, ut alternante se rerum vicissitudine, sint eis delectabiles exitus matutinæ prosperitatis in vespertinas adversitates ; quando in altero peregrinationis hujus consolationem, in altero sui provectus invenient exercitationem. Itaque dum crebro fiunt exitus matutini in vesperam, et e converso vesperæ in matutinum, neutra res illis displicebit, sed in omnibus gratias agent, præcipue quando sentient ex tua Deus ordinatione sibi vesperam Sabbati non tenebrescere in noctem obscuram, sed lucescere in prima Sabbati, procul exclusa nocte illa de qua beatus Job rogat : « Ne computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus ; sed sit solitaria nec
B laude digna. Noctem » inquit, « illam tenebrosus turbo possideat : exspectet lucem et non videat, nec ortum surgentis auroræ (*Job* iii, 6, 7, 9). » Itaque de nocte illa exitus non erit in matutinum, quæ non est visura ortum surgentis auroræ.

CI. Talis nox fuit Judæ traditori : de quo legitur quia cum accepisset de manu Christi buccellam, introivit in illum Satanas, et exivit continuo. Erat autem nox. De hac nocte nimium tenebrosa nullus ei fuit exitus in lucem matutinam, quia non egit fructuosam pœnitentiam, licet pœnitentia ductus retulit argenteos male acceptos, dicens : « Peccavi tradens sanguinem justum (*Matth.* xxvii, 4). » Sera nimis fuit hæc pœnitentia nec laude digna ; quia
C non tam fuit de admisso peccato, quam de infatuato ejus consilio. Quomodo enim præambulus ipsius Achitophel seipsum laqueo suspendit gravi conscientia tortus, eo quod infatuato ipsius consilio prænovit regnaturum David, cujus regno et gloriæ invidit ; sic et Judas mercator pessimus, Christi regno et gloriæ invidus, atque odiens fidelium discipulorum pium sensum, per quem suum consilium patuit esse fatuum, dum nullus eorum sentiret secum, quamvis exemplo Chusai Arachitæ Petrus apostolus Christum verum David non corde sed ore negaverit, quomodo ille Chusai David coram Absalone denegavit. Nempe sicut illa Chusai denegatio ex prudenti consilio David processerat, qui per illum prophetaverat infatuandum esse consi-
D lium Achitophel ; sic Petri negatio ipsius Christi admissa est prudenti consilio, non solum ad demonstrandum principi apostolorum seipsum, qui nimis improvide jactaverat se nunquam negaturum, sed etiam ut per ipsum Petrum infatuaretur Judæ consilium, dum propter negationem putatus non esse amicus veri David mortis immaturæ periculum evasit, qui tamen postmodum gloriosa morte ipsum clarificavit, fatuumque Judæ Christum regnare nolentis consilium, non solum vivendo, sed etiam monendo annihilavit.

CII. Hic notandum quod peccatum Judæ profunda malitia excogitatum, totum nocturnum ac tenebrosum, non invenit exitum in lucis matutinæ serenum. Petri autem culpa tanquam caligo ve,

spertina luce simul ac tenebris permista, dum Christum lingua negavit quem corde amavit, fragilitate potius quam malignitate peccando, exitum procul dubio invenit a vespera in matutinum, quando post galli cantum luce jam propinquante flevit amare. Similiter matutinum Petri seipsum cingentis ac nimis de se præsumentis, non ita fuit lucidum sicut matutinum Luciferi qui nimis mane oriebatur, quia in sua luce non in Domino vel pro Domino, sed contra Dominum gloriabatur. Denique talis gloriatio et præsumptio de odio fuit Creatoris. Petri autem præsumptio de radice processit amoris; non quidem adhuc plene consummati usque ad claritatem diei, sed quasi matutini adhuc tenebris permisti. Exitus autem fuit hujus matutini Petro, et delectabilis consummatio ipsius amoris usque ad tantam diurnæ lucis meridianam claritatem, cujus ipse sibi conscius magistro sciscitanti sub trina interrogatione an se amaret? confidenter ei respondit: « Domine, tu scis, quia amo te (*Joan.* XXI, 16). » Puto anima quæ sic amat, ipso amore suo ad amatum clamat: « Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie (*Cant.* I, 6). » Propter quod etiam Petro sic amanti dicitur: « Pasce agnos meos; » item: « pasce oves meas (*Joan.* XXI, 17). » In quibus pascendis exitus matutini et vesperæ delectabilis fuit Petro in meridie cubanti et pausanti, nunc imminente vespera contra lupos vigilanti et laboranti. Qui nimirum vespertinus labor, seu etiam ut meridianus fervor, etsi aliquoties gravabat, tamen exitus ejus delectabat.

CIII. Hinc alius pastor ovium crebra vicissitudine matutini et vesperæ probatus et exercitatus, hujusmodi varietatum delectatus exitu, dicit: « Cupio dissolvi, et esse cum Christo (*Philipp.* I, 23). » Revera laudabilis est ista delectatio. Quem de talibus non delectat exire, facile capitur lucris terrenis; utpote quem non delectat promissio vel exspectatio lucri cœlestis. Qua si animus quantum debet delectatur, nec per matutinum prosperitatis extollitur, nec per vesperam adversitatis frangitur, nec inter hujusmodi varietates ipse variatur, ibi habens fixum cor ubi verum est gaudium; juxta quod oramus ut inter mundanas varietates ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia. Ubi enim est thesaurus hominis, ibi delectatur et cor ejus. Est autem delectatio vilis et instabilis in transitoriis bonis et temporalibus deliciis, pretiosa vero et minime fastidiosa semperque mansura in spiritalibus deliciis et æternis bonis, ut est justitia, sapientia, charitas, benignitas, cæteraque hujusmodi charismata beatas animas delectantia nunc ex parte, sed ibi plenarie, ubi delectationes in dextera tua Deus in finem fine carentem permanebunt. Quia non de puteo illo haurientur, cujus aquam libenter bibentes iterum sitient, ibi maxime ubi dives ille sitivit, qui guttam aquæ petens, obtinere non potuit; quia delectatio ejus in sinistra transierat, nec ad illam pertinuit delectatio quæ est in dextera tua.

CIV. Tota hæc delectatio exinde provenit, quia tu, Domine, quem decet hymnus in Sion, natus in ea, *Visitasti terram et inebriasti eam.* Visitasti terram benedictam, de qua dicitur alibi: « Benedixisti, Domine, terram tuam (*Psal.* LXXXIV, 1). » Terram hanc benedictam a terra maledicta spinas et tribulos germinante segregatam visitasti proprio adventu tuo, factus caro in utero virgineo, flos benedictus de terra benedicta germinans fructus benedicti ventris. Quod recognoscens angelus: *Benedicta*, inquit, *tu in mulieribus.* Et item sancta Elizabeth: « Benedicta, » inquit, « tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui (*Luc.* I, 42). » Visitaveras quondam steriles, verbi gratia Saram, Rebeccam, Rachelem, et eam quæ genuit Samsonem, vel Samuelem, vel Salomonem, ac novissime illam quæ genuit Joannem Baptismam, quo inter natos mulierum non surrexit major. Septem istæ matres cum fuissent pridem steriles, te visitante viros magnos genuerunt; videlicet Isaac, Jacob, Joseph, et reliquos jam nominatos viros inclytos. Et ecce plusquam Salomon, vel Samson, vel unus illorum est hic. Virginis, in quo visitavit et fecit redemptionem plebis suæ benedictus Dominus Deus Israel. Nam prædictarum matrum sterilium fecundatio licet ex munere divinæ visitationis provenerit, nulli tamen illarum congruit quod hic dicitur: *Visitasti terram et inebriasti eam.* Sola virgineæ carnis terra singularis visitationis prærogativa est insignis: quæ non virilis operationis aratro exculta; sed per angelum Gabrielem visitata, et Spiritu sancto confota, ac virtute Altissimi obumbrata, concepit Filium Dei. Singulari ergo visitatione tu Domine, quem decet hymnus, Deus, in Sion, visitasti hanc terram civitatis Sion, et inebriasti eam; rore videlicet sive imbre sancti Spiritus, quemadmodum præoptaverat egregius ille sponsæ hujus paranymphus, qui longe ante prædixerat: « Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum; aperiatur terra et germinet Salvatorem, et justitia oriatur simul (*Isai.* XLV, 8). » Magnifice igitur, Domine, visitasti terram, et mirifice inebriasti eam, de torrente voluptatis tuæ potando illam, quæ de terra maledicta spinas et tribulos germinante, ad hoc fuit segregata ut germinaret Salvatorem.

CV. Postquam hæc terra dedit fructum suum, fructum benedictum, juxta illud evangelicæ salutationis oraculum: « Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui (*Luc.* I, 42); » eodem fructu per passionem triturato, et per mortem denuo in terra seminato, atque in terra mortuo, multus inde fructus provexit juxta illud: « Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert (*Joan.* XII, 24). » Quo fructu multo *multiplicasti locupletare eam;* quoniam honor filii magna ex parte ascribetur matri, dum ipsa tanquam regina dominabitur in regno filii. Tu enim, Domine, qui moriens in terram cecidisti, resurgens a

mortuis multum fructum attulisti, quoniam « ascendens in altum captivam duxisti captivitatem, dedisti dona hominibus (*Ephes.* IV, 8). » Per quæ dona iterum visitasti terram et inebriasti eam, ita ut musto putarentur esse pleni discipuli tui, quos tuo Spiritu sic inebriasti et a semetipsis alienasti, ut terrena eorum substantia cœlitus inebriata fieret omnino cœlestis. Postquam ergo sic visitasti terram et inebriasti eam, prius terrestres effecti cœlestes, « cœli enarraverunt gloriam Dei (*Psal.* XVIII, 1); » quos etiam quasi nubes imbriferas misisti super omnem terram, quam eorum doctrinis visitasti et inebriasti, Ecclesia sancta per orbem terrarum dilatata, quæ præclaro calice passionis tuæ inebriata, obliviscitur ea quæ retro sunt, extendendo se ad anteriora, in quibus multiplicasti locupletare eam, quia multiformis gratiæ donis ditasti eam, quæ hoc ordine pervenerunt ad eam.

CVI. Primo : ***Flumen Dei repletum est aquis.*** Id est prior populus, ripis mandatorum legalium limitatus, cujus propter exiguam benedictionis venam pene desiccatus fuit alveus; quia tamen in pinguedine terræ, et in rore cœli desuper erat benedictio ejus, eo quod cum Esau detentus et occupatus venatione carnium, pene solis carnalium et terrenorum bonorum lactabatur promissionibus et exspectationibus, usque adeo ut ipsi quoque apostoli de populo illo electi, circa primordia sua sentirent carnaliter de regno Dei; populus, inquam, ille in paucis exinde vocatis flumen Dei nominatur, et est. Nam cæteris, velut aquis lacunosis, Isaias improperat dicens : « Quia de aquis Juda existis (*Isai.* XLVIII, 1), » id est qui tantummodo secundum carnis fluxum, et non secundum fidei fructum, semen Juda estis. Etenim secundum conversationis vestræ ignobilitatem, semen Chanaan et non Juda estis, quia pater vester Amorrhæus et mater vestra Cethæa. Istis ergo velut aquis cœnosis jure arescentibus et deficientibus, flumen Dei repletum est aquis in veris Israelitis · qualium unus fuit ille, de quo ipse fons fluminis hujus ait : « Ecce verus Israelita, in quo dolus non est (*Joan.* I, 47). » Tales fuerunt omnes apostoli, excepto Juda, qui exierat de aquis Juda penitus alienus a fidei ejus nobilitate.

CVII. Hujusmodi ergo aquis reprobatis tanquam putridis et amaris, flumen Dei purum et dulce repletum est aquis, quando sedentibus apostolis in uno cœnaculo, « factus est repente de cœlo sonus advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes, et repleti sunt omnes Spiritu sancto (*Act.* II, 2). » Quibus ita potatis, ne cibi deesset copia, *parasti cibum illorum*, ut aqua sapientiæ salutaris potati, cujus veritatis adimplendæ habuerunt intellectum, ejus quoque adimpletæ viderent effectum, quasi panem solidum. Neque vero id casu accidit, *quoniam ita est præparatio ejus* cibi, quo cibantur electi, ut primo intelligant quid petere vel desiderare debeant, purificante et reficiente illos aqua sapientiæ : deinde rerum intel-

A lectarum petant et accipiant manifestos effectus, quasi panem vitæ et intellectus, ita ut pro aqua et potu salutari sit eis intellectus bonus, pro cibo vero ejusdem sit effectus manifestus. Huic præparationi quidam increduli contradicunt, et dicunt : « Quoniam percussit petram et fluxerunt aquæ et torrentes inundaverunt; nunquid et panem poterit dare, aut parare mensam populo suo? » (*Psal.* LXXVII, 20.) Quod est dicere : Quoniam percusso latere Christi aquæ sapientiæ de ipso latere templi effluxerunt, et intellectu adimpleverunt corda credentium, ut sciant quid sit petendum vel agendum; nunquid adjiciet huic dono intelligentiæ donum efficientiæ? Num quia velociter currit sermo Dei per ora docentium vel calamos scribarum velociter scribentium, simili B velocitate sequetur obedientia qua præcucurrit intelligentia? Revera sic ille prædixit futurum, qui alias dicit : « Populus quem non cognovi servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi (*Psal.* XVII, 47). » Mira velocitas obedientiæ, quæ comes est audientiæ! ubi non post auditum auris consequitur obedientia injuncti operis, sed « in auditu, » inquit, « auris obedivit mihi. »

CVIII. Porro de his qui tardi et claudi viatores pedem intelligentiæ sanum habent et fortem, pedemque inobedientiæ debilem portant et suspensum, consequenter adjungitur. « Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis (*ibid.*, 46). » Illorum procul dubio illa est C murmuratio, qua dicitur : « Quoniam percussit petram et fluxerunt aquæ et torrentes inundaverunt, nunquid et panem poterit dare aut parare mensam populo suo? » (*Psal.* LXXVII, 20.) Audiunt isti verbum, sed obedire differunt. Audiunt signum quo ad Ecclesiam vocantur, sed venire differunt. Quod est dicere : Num quia facile magistris est imperare, similiter facile discipulis esse poterit eorum præcepta servare? Audiunt intrinsecum sancti Spiritus consilium, quo ille suggerit aliquid faciendum, sed acquiescere differunt. Ideo audivit Dominus et distulit. Audivit eorum petitionem, sed distulit exauditionem. Audivit eorum gemitus in tribulationibus, sed distulit eos liberare de ipsis. Audivit super eos inimicorum insultationem, sed distulit ultionem ac defenD sionem. Nam de doctrina sane intelligitur quod dicitur : « Si quis sitit, veniat ad me et bibat, et de ventre ejus fluent aquæ vivæ (*Joan.* VII, 37). » Item : « Qui biberit aquam quam ego dedero ei, non sitiet iterum; sed aqua quam ego ei do, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam (*Joan.* IV, 13). »

CIX. Hujusmodi aquis venæ viventis repletum est flumen Dei, quando Spiritus sanctus in linguis veniens apostolos docuit, et intellectu adimplevit corda eorum : quibus cito et ultro intellectæ veritati acquiescentibus et quasi musto plenis, cito et ultro parasti cibum illorum, videlicet opus perfectum, et bonæ intelligentiæ bonum effectum, de quo dicas : « Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei (*ibid.*, 34). » Erat quippe in discipulis obedientia

sine mora, in qua panem dare ac mensam parare A populo suo Deo fuit in promptu; sicut econtra idem loquens in apostolo suo, in promptu habet ulcisci omnem inobedientiam.

CX. Ideo Petro jam potato per intellectum, et esurienti effectum, de cœlo dictum est: « Macta, et manduca (*Act.* XI, 7). » Parata in conspectu ejus mensa multis cibariis plena, in qua erant animalia terrestria et volatilia cœli, quia de gentibus convertendi erant activi et contemplativi, in Ecclesia Dei futuri et in corpus Petri transituri per obedientiam sine mora exhibendam, qualem primo in domo Cornelii centurionis ex gentibus invenit Petrus, et qualem in Regula sua commendat venerabilis Pater sanctus Benedictus. « Primus, inquit, humilitatis gradus, est obedientia sine mora. Hæc convenit B his, qui nihil sibi Christo charius aliquid existimant, seu propter metum gehennæ vel gloriam vitæ æternæ, mox ut aliquid imperatum fuerit a majore, ac si divinitus imperetur, moram pati nesciunt in faciendo. De quibus Dominus dicit: « Obauditu auris obedivit mihi (*Psal.* XVII, 45). » Et iterum dicit Dominus: « Qui vos audit, me audit (*Luc.* X, 16). » Ergo hi tales relinquentes statim quæ sua sunt, et voluntatem propriam deserentes, mox exoccupatis manibus et quod agebant imperfectum relinquentes, vicino obedientiæ pede jubentis vocem factis sequuntur, et veluti uno momento prædicta magistri jussio et perfecta discipuli opera in velocitate timoris Dei ambæ res communiter citius explicantur, C quibus ad vitam æternam gradiendi amor incumbit. Ideo angustam viam arripiunt. Unde Dominus dicit: « Angusta est via quæ ducit ad vitam (*Matth.* VII, 14); » ut non suo arbitrio viventes, vel desideriis suis et voluptatibus obedientes, sed ambulantes alieno judicio et imperio, in cœnobiis degentes, abbatem sibi præesse desiderent. Sine dubio hi tales illam Domini imitantur sententiam qua dicit: « Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me, Patris (*Joan.* VI, 38). » Sed hæc ipsa obedientia tunc acceptabilis erit Deo et dulcis hominibus, si quod jubetur, non tepide, non tarde, non trepide, aut cum murmurio, vel responso nolentis efficiatur: quia obedientia quæ majoribus præbetur, Deo exhibetur. Ipse enim dixit: « Qui vos audit, D me audit (*Luc.* X, 16). » Et cum bono animo a discipulis præberi oportet; quia *hilarem datorem diligit Deus* (*II Cor.* IX, 7). Nam cum malo animo si obedit discipulus, et non solum in ore, sed etiam in corde, si murmuraverit, etiamsi impleat jussionem, tamen acceptum jam non erit Deo, qui cor ejus respicit murmurantis, et pro tali facto nullam consequitur gratiam; imo pœnam murmurantium incurrit, si non cum satisfactione emendaverit. »

CXI. Porro in Regula beati Augustini, ubi dicitur: « Præposito tanquam patri obediatur; » licet verbis paucissimis eadem commendatur obedientia, non servili pigritia et indevotione, tanquam ex tristitia et necessitate, sed ex filialis charitatis hilaritate persolvenda. « Præposito, inquit, tanquam patri obediatur; » ut videlicet is qui obedit potius amore filiali quam timore servili ad obediendum pertrahatur, et is cui obeditur, licet utrumque sit necessarium, tamen plus optet amari quam timeri; amari ut pater, non timeri ut dominus. Non enim potestate dominante, sed charitate serviente se felicem reputabit, qui licet honore coram hominibus nominetur et sit prælatus, timore tamen coram Deo etiam subjectorum pedibus erit substratus. In hujusmodi prælatis apostolicæ vitæ sectatoribus et apostolorum successoribus post ipsos, *Flumen Dei repletum est aquis*, ut supra est expositum de ipsis apostolis. Et tu Deus, *parasti cibum illorum* sicut et apostolorum, dando eis primo sanum intellectum, quasi potum, deinde realem effectum, quasi cibum solidum.

CXII. Vel etiam *flumen Dei repletum est aquis*, dum creditum est verbum Veritatis in Scripturis. Et tu, Deus, parasti cibum credentium, dando illis tui corporis et sanguinis refectionem vivificam, cunctis incredulis denegatam; *quoniam ita est præparatio ejus cibi*, ut primo credatur, deinde accipiatur. Solis quippe credentibus dici congruit: « Accipite et manducate. Hoc est corpus meum (*Matth.* XXVI, 26). »

CXIII. *Rivos ejus inebria.* Quando multitudinis credentium erat cor unum et anima una in Deo, neque adhuc facta est eorum inter gentes dispersio, sed erant omnes discipuli pariter in eodem loco, ac pene omnes in eodem sanctæ conversationis proposito, nulla fuit adhuc fluminis Dei per multos rivos divisio, sed insimul fuit omnis aquarum ejus plenitudo. Flumen quippe Dei proprie dicitur, cujus fons et origo ipse Deus invenitur, qui hujusmodi conversationis qualem apostoli tenuerunt solus est auctor et institutor, cui et dicitur: « Domine, apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen (*Psal.* XXXV, 10). » Fons apud Deum fontem, Deus Christus apud Patrem. Non tamen duo fontes, sed unus fons; quomodo non duo dii, sed unus Deus. Inde procedens amborum Spiritus quasi vena utrique consubstantialis, apostolorum pectora invisibiliter penetravit, et sic in eis *flumen Dei repletum est aquis* adhuc in angusto Judææ loco adunatis; quando, ut dictum est, erant omnes discipuli pariter in eodem loco, sub indifferenti unius communis vitæ sancto proposito. Deinde facta discipulorum dispersione, tanquam fluminis unius in multos rivos diductione, alios discipulos delectabat esse omnino solitarios, quorum disciplina peperit monachos, alios Ecclesiæ docendæ ac regendæ occupatio retinuit, quorum institutio viguit in clero ad communem vitam religiose ordinato. De gentibus quoque ad fidem conversæ multitudinis, tanquam unius fluminis in multos rivos distinctio facta est: aliis ad continentiæ propositum restrictis, tanquam in angustia riparum suæ devotionis aquam in omnimoda puritate conservantium; aliis ad conjugium legitimum relaxatis, velut aquis in plano decurrentibus, ac proinde

lutum quidem trahentibus, verumtamen se ad sui fontis originem tenentibus, et ideo computandæ sunt in rivis ejus: quemadmodum quondam Jordane ad transitum Jesu diviso, pars quæ ad fontem se tenuit, rivi nomen retinuit: quæ autem discissæ a fontali origine in mare Mortuum defluxerunt, alveo earum penitus desiccato, rivi nomen perdiderunt, et ipsæ tanquam non essent perierunt ac defecerunt, suoque defectu viam populo Dei patefecerunt.

CXIV. Nam sicut in libro Jesu Nave legitur, ipso cum arca fœderis per medium Jordanis alveum transeunte, aquæ superiores ad instar montis exaltatæ, procul videbantur, inferiores autem defluentes et deficientes omnino disparuerunt, quarum in locum sic vacuefactum postea superiores aquæ descenderunt. Sic pereant, sic ad nihilum deveniant tanquam aqua decurrens, omnes impiorum sectæ, quæ propter nomen Christianitatis et baptismi sacramentum videntur esse aquæ Jordanis, cum tamen desectæ sint a vena fontis hujus nominis. Pereant ac deficiant, suoque defectu populo Dei viam patefaciant, veris quoque aquis Jordanicis de fonte suo pendentibus alveum suum suo defectu et discessu vacuum relinquant. Inter cæteras autem sectas perituras, ut jam Deo gratias multæ perierunt, etiam illa secta pereat clericorum et ad nihilum deveniat, quæ sanctis Patribus describentibus nomen habet acephalorum, quod interpretatur *sine capite*, ut ex hoc intelligatur etiam vita quæ sine capite membris non est omnino carere, quorum conversatio vaga et dissoluta nusquam invenitur in omnibus regulis ab evangelicæ vel apostolicæ doctrinæ fonte seu flumine derivatis, cum neque secundum canones vivant, neque cœnobitalis vitæ servent regulas, a fonte seu flumine Dei quod repletum est aquis derivatas. Ut autem fluminis hujus impetus lætificet civitatem Dei usque in finem sæculi; tu fons luminis hujus purissimi *rivos ejus inebria*, ut nec ex defectu personarum, nec ex defectu virtutum sit ulla inopia in omni conversatione secundum regulas evangelicas et apostolicas ordinata, etiam in conjugatorum vita secundum legem divinæ justitiæ disposita. *Rivos ejus inebria*, ut primitus vita continentium se a vino in quo est luxuria, id est ab omni hujus mundi vanitate illecebrosa, vino meliore inebrietur, implente illam Spiritu sancto, juxta illud Apostoli: « Nolite, » inquit, « inebriari vino, in quo est luxuria; sed implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes Deo in cordibus vestris (*Ephes.* v, 18). »

CXV. Quoniam ergo *te decet hymnus, Deus, in Sion*, psallentes et hymnizantes personas ita inebria, ut nihil eis desit in ulla gratia exspectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi sacerdotis magni, reducentis de captivitate populum suum, et reædificantis templum sanctum suum Chaldaico igne avaritiæ et luxuriæ conflagratum. Quia vero continentium vita non in omnibus eamdem profitentibus esse potest uniformis, *Multiplica genimina ejus*; ut qui potest capere capiat sanctitatem virginalem cum beata virgine Maria, et ejus procuratore Joanne evangelista. Qui hanc non potest capere, post publica peccata perpetrata capiat continentiam pœnitentialem cum Matthæo evangelista et Maria Magdalena. Multiplica etiam in hoc genimina ejusdem vitæ, ut sint multa cœnobia regularia, unius quidem puritatis et sanctitatis, verumtamen pro distributione multiformis gratiæ, sit eis consuetudo multifariam multisque modis distincta, secundum quod legitur Joseph vestitus una quidem talari tunica sibi a patre suo parata, quæ tamen unius coloris non fuit, sed polymita, variis scilicet coloribus distincta. Sic assistat regi præ filiis hominum forma specioso formosa et speciosa regina, uno quidem vestitu deaurato perornata, sed tamen in fimbriis aureis circumamicta; videlicet pro diversarum ecclesiarum seu etiam personarum diversa qualitate vel consuetudine, ut qui potest capere capiat et teneat rigorem paucis et solis fortibus imitabilem: qui hoc non potest capere, capiat condescensionis discretionem pueris etiam seu feminis tolerabilem, qualis erat in Ecclesia primitiva sub ea discretione ordinata, ut non solum fortibus viris, verum etiam fragilibus feminis esset religio ipsa portabilis. Et erat in ea Stephanus plenus gratia et fortitudine, sed is ministrabat fragilitati femineæ. Vacabant illi majores orationi et ministerio verbi; satagebant minores circa frequens ministerium vitæ præsenti necessarium. Erat omnibus pariter majoribus et minoribus cor unum et anima una in Deo, nec quisquam eorum aliquid suum vel habebat, vel dicebat. Sed tamen distribuebatur non omnibus æqualiter, quia non æqualiter omnes valebant; sed potius unicuique sicut cuique opus erat, videlicet alii plus, alii minus, prout cuique fuit neccessarium; quia neque fragiles angariabantur a fortibus ad arctiora suisque viribus majora, neque fortes ab infirmis trahebantur ad laxiora solis debilibus congruentia. Sic flumen Domini repletum fuit aquis, ut etiam in temporalibus adjumentis non esset quisquam egens inter illos.

CXVI. Eadem nunc plenitudo rivis ejus optatur, cum dicitur: *Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus*, ut nihil desit in ulla gratia vitæ arctiori et caste sectantibus disciplinam a sanctis apostolis ordinatam, et a summo puritatis fonte derivatam. Sed quia non omnes capiunt hoc verbum, ut egredientes de Sodoma statim festinent conscendere ad montis altiora; sic concessum fragilibus remanere in Segor parvula et modica, quia modicam habent virtutem, neque idonei sunt ascendere in montem Domini, aut stare in loco sancto ejus, quo innocens manibus et mundo corde ascendit sociatus in sexto gradu octo beatitudinum beatis illis, qui mundo corde Deum videbunt. Sint isti minoribus et inferioribus beatitudinum gradibus contenti; videlicet beati

pauperes spiritu, beati mites, beati lugentes, beati esurientes et sitientes justitiam, beati misericordes, quia per opera misericordiæ mundanda et purificanda est vita conjugatorum; ut qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur, et qui habent uxores, tanquam non habentes sint. « Volo, » ait Apostolus, « juniores nubere, filios procreare (*I Tim.* v, 14). » Item: « Unusquisque habeat uxorem suam, et unaquæque habeat virum suum (*Ephes.* v, 33), » propter fornicationem scilicet vitandam, et propter sobolem procreandam.

CXVII. Talibus documentis velut quibusdam *stillicidiis* irrigata, *lætabitur germinans* terra, flumini Dei repleto aquis ita contigua ut, etsi non possit inebriari inter rivos ejus, tamen in stillicidiis ejus lætetur germinans, dum ex bene ordinata vita conjugatorum provenit germen beatorum beneque disciplinatorum filiorum seu filiarum, et fructus bonorum operum. Descendant hæc stillicidia super terram, et germinare eam faciant. « Rorate vos, cœli, desuper, et nubes pluant justum; aperiatur terra, et germinet Salvatorem (*Isa.* XLV, 8). » Aperiatur sanæ doctrinæ acquiescendo, et germinet Salvatorem Christum, Dei virtutem et Dei sapientiam in suis fructibus ostendendo. Descendat hæc ipsa Dei virtus et Dei sapientia sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram, ut et ex pluvia hujusmodi vellus virginalis propositi repleatur, et in stillicidiis ejus lætetur germinans terra conjugatorum, ex hoc utique laudabilis quod etsi non penitus abstinet a vino in quo est luxuria, quomodo virginitas a tali vino est omnino aliena; tamen frumentum electum et vinum germinans virgines in fructu ejus invenitur, dum plebs benedicta ex legitimo conjugio nascitur, qualis fuit homo missus a Deo natus de legitimo conjugio beatus Joannes vinum et siceram non bibens, et omne immundum non manducans; in cujus nativitate quia multi gaudebant, lætabatur et ipsa germinans terra frumentum hoc electum tantæ lætitiæ fore causam.

CXVIII. Vultis audire quæ vox exsultationis et lætitiæ in terra illa sonuerit? « Benedictus Dominus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ (*Luc.* I, 68), » ait pater pueri. Et ad ipsum puerum faciens apostropham: « Tu, » inquit, « puer, propheta Altissimi vocaberis; præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus (*ibid.*, 16). » Memor sane fuit promissionis angelicæ, qua dictum fuit: « Ipse præibit ante illum in spiritu et virtute Eliæ parare Domino plebem perfectam (*ibid.*, 17). » Gratulabatur et mater, atque vicini ejus congratulabantur ei, ut verus comprobaretur sermo angeli dicentis: « Et multi in nativitate ejus gaudebunt (*ibid.*, 14). » Jucundum spectaculum videre in una domo fluvium Dei repletum aquis, dum filius adhuc ex utero matris repletus est Spiritu sancto, et rivos ejus inebriatos, dum parens nati meritis uterque abdita pandit; et terram in stillicidiis ejus lætantem, dum vicini lætantium parentum congratulabantur eis.

A Et primo quidem adventu in mundum Filii Dei sibi ædificantis domum præcursoris, unius in angusto Judææ loco suffecerit præconium. Sed nunc ante secundum adventum, cujus illustratione Antichristus præcipuus princeps Babyloniæ destruendus, et templum ab illo destructum reconstruendum est, non unus puto sufficiet præco; sed ut in ore duorum testium stet omne verbum, duo testes, duæ olivæ, duo candelabra, duæ lucernæ ardentes et lucentes exiguntur ad fugandas tenebras per Antichristum seminatas, et in toto mundo sparsas.

CXIX. De his duobus testibus et secundi adventus præconibus magni et sancti Patres varia dicunt. Nam plures quorum beatus Gregorius est præcipuus, Eliam et Henoch asserunt corporaliter venturos, B et cum Antichristo pugnaturos, atque ab illo corporaliter interficiendos. Alii, quorum vir illustris Hieronymus est præcipuus, Moysen et Eliam duos jam designatos testes interpretantur, qui cum Domino in monte apparuerunt: quos et Malachias nominatim exprimit dicens: « Mementote legis Moysi servi mei, quæ mandavi ei in Horeb ad omnem Israel, præcepta et judicia. Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis; et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum, ne forte veniam, et percutiam terram anathemate (*Malach.* IV, 4-6). » Locum hunc pertractans beatus Hieronymus ait inter cætera: « Post Moysen, cujus mandata specialiter docuimus esse servanda, Eliam dicit esse C mittendum. In Moyse legem, in Elia prophetiam significans, dicente Abraham ad quemdam divitem purpuratum: « Habent Moysen et prophetas: audiant illos (*Luc.* XVI, 29). » Et Dominus atque Salvator transfiguratus in monte loquentes secum habet Moysen et Eliam in candidis vestibus, qui et dicebant ei quæ passurus esset in Jerusalem. Lex enim et omnis prophetarum chorus Christi prædicat passionem. Igitur antequam veniat dies Domini, et percutiat Dominus terram anathemate, sive omnino vel subito, ut Septuaginta transtulerunt: hoc enim significat ἄρδην, mittet Dominus in Elia, qui interpretatur *Deus meus*, et est de oppido Thesbi, quod conversionem et pœnitentiam sonat, omD nem prophetarum chorum, qui convertat cor patrum ad filios, Abraham videlicet, et Isaac, et Jacob, et omnium prophetarum, ut credant posteri eorum in Dominum Salvatorem, in quem et illi crediderunt. Abraham enim vidit diem Domini, et lætatus est. Sive cor patris ad filium, id est cor Dei ad omnem qui spiritum adoptionis accepit; et cor filiorum ad patres eorum, ut et Judæi et Christiani qui nunc inter se discrepant, pari in Christo religione consentiant. Unde dicitur ad apostolos, qui seminarium in toto orbe Evangelii prodiderunt: « Pro patribus tuis nati sunt tibi filii (*Psal.* XLIV, 17). » Si enim Elias non cor patrum ad filios ante converterit et cor filiorum ad patres eorum, cum venerit dies magnus et horribilis; magnus sanctis,

horribilis peccatoribus; percutiet verus et justus judex, non cœlos nec eos qui versantur in cœlo, sed terram anathemate, qui faciunt opera terrena. Judæi et judaizantes hæretici suum Eliam putant esse venturum et restituturum omnia. Unde et Christo in Evangelio proponitur quæstio: Quid quod «Pharisæi dicunt, quod Elias venturus est?» (*Matth.* XI, 14.) Quibus ille respondit: «Elias quidem veniet; sed si creditis, jam venit:» in Elia Joannem intelligens.

CXX. Hæc dicente sancto Hieronymo, non est incredibile, sensu Judaico reprobato, Moysen et Eliam, legem esse et prophetiam: quibus jam diligenter expositis, et in omni auditorio totius Ecclesiæ propositis, quicunque non obedierint, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent ei; neque si Elias corporaliter, ut Judæi et judaizantes putant, venerit, credent ei; neque si Henoch et Elias, qui, ut beatus Gregorius ait, mortem distulerunt, non evaserunt, visibiliter appareant, ut cum Antichristo pugnantes, et ejus tyrannidem tolerantes mortis debitum solvant, ut plures exspectant, credent eis, qui Moysen et prophetas non audiunt, qui catholicos doctores in spiritu et virtute Moysi et Eliæ loquentes contemnunt; qui de oppido Thesbi, quod interpretatur *conversio* vel *pœnitentia*, surgentes et suo exemplo alios ad conversionem et pœnitentiam provocantes, despiciunt et sequi nolunt. Hi denique non super flumina Babylonis residentes flendo in captivitate spirant; sed eisdem fluminibus immersi velut pisces, de reædificando nido sanctæ civitatis et templi non curant. Attamen hi qui super flumina Babylonis more avicularum sedent, nidum suum requirunt, canendo assidue: *Te decet hymnus, Deus, in Sion, et tibi reddetur votum in Jerusalem. Exaudi orationem meam.* Illis ergo incipientibus proficisci, ne desint præcones aut præcursores Moysi et Eliæ, vel Aggæo et Jeremiæ, vel secundum aliorum sensum, Henoch et Eliæ consimiles; in spiritu videlicet et virtute illorum loquentes et agentes; flumen Dei repletur aquis in viris omnino spiritualibus, et ut illi multiplicati abundent, in stillicidiis ejusdem fluminis rigata lætabitur germinans terra, secundum illius benedictionis gratiam, qua dictum est in principio. «Germinet terra herbam virentem, et afferentem semen, lignumque pomiferum secundum genus suum (*Gen.* I, 11).» Nulla in hac enuntiatione mentio est vel spinarum vel tribulorum; quibus terra maledicta est post peccatum, Deo dicente: «Cum operatus fueris terram, non dabit fructus suos, sed spinas et tribulos germinabit tibi (*Gen.* III, 18).» Talibus in germinibus non lætabitur germinans terra peccato primi parentis Adæ polluta, propter verbum peregrinationis a diabolo per serpentem susurratum. Nam ex quo dictum est mulieri»: Multiplicabo ærumnas et conceptus tuos (*ibid.*, 16);» ita sunt multiplicata genimina viperarum, fi- A lii nequam, filii iræ, filii gehennæ, ut in eorum multitudine peregrina esset paucitas electorum: in quibus germinandis terra muliebris conditionis erat pene sterilis, multiplicatis ærumnis et conceptibus malorum filiorum, quos tanquam spinas et tribulos ultro germinavit maledicta terra illa feminea, pene sterilis bonorum et fertilis malorum germinum usque ad illum (7) *benignitatis tuæ, et campi tui replebuntur ubertate.*

CXXI. Annus benignitatis est, quo apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos faciens per lavacrum regenerationis et renovationis, qui perditi eramus per fœditatem generationis, et culpam antiquæ B prævaricationis. Unde etiam sanctus vir in benedictione dulcedinis præventus, qua benedixerat Deus ante peccatum primis parentibus, dicens: «Crescite et multiplicamini et replete terram (*Gen.* I, 22);» tamen conqueritur dicens: «Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea (*Psal.* L, 7).» Sed quia incerta et occulta sapientiæ Dei Deo manifestante cognoscens, non ignoravit se de benedictione potius quam de maledictione ad mulierem facta in mundum venisse ad abolendas maculas carnalis conceptionis et generationis, prophetat sibimet ipsi lavacrum regenerationis, dicens: «Asperges me, Domine, hyssopo et mundabor; lavabis me et super nivem dealbabor (*ibid.*, 9).» Igitur iste licet natus ante annum C benignitatis, pertinere se tamen demonstrat ad hunc annum fertilem cujus tota corona per circulum suæ revolutionis est benedicta, et copiosa ubertatis fructibus referta, secundum quod scriptum est: «Apprehendet messium tritura vindemiam, et calcator uvæ mittentem semen (*Levit.* XXVI, 5).» Quod est dicere: Tanta erit messium copia in horrea Domini congreganda, ut multitudine segetum considerata, sit rogandus Dominus mittere vel ejicere operarios multos in messem multam: quibus metentibus et triturantibus, præ nimia copia frugum prolongabitur opus metentium ac triturantium usque ad vindemiam, in qua calcator uvæ plurimæ diu occupatus apprehendet mittentem semen ad alterius mesD sis præparationem. Qua tandem, finito et in se reducto anno benignitatis, colligentur omnia zizania usque ad illam messem toleranda.

CXXII. Ecce sic benedicetur anni hujus corona, ut per totum ejus circulum redundet copia, nunc metentium seu triturantium, nunc vindemiantium vel uvas calcantium, denuoque seminantium, sine interceptione tam jucundæ agriculturæ. Tempus primæ messis illud intelligitur, quo dominus messis ait primis messoribus: «Levate oculos vestros et videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem (*Joan.* IV, 35).» Item: «Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum mes-

(7) Videtur deesse aliquid vitio typogr. Forte legendum, *ad illud: Benedices coronæ anni*, etc.

sis, ut mittat operarios in messem suam (*Matth.* IX, 37, 38). » Tunc enim convertendæ non solum multitudinis credentium ex Judæis, quibus cor unum et anima una erat futura, sed etiam multitudinis gentium vivas aquas petentium, tempus instabat; quando ex occasione Samaritanæ unius conversæ, ac civium de illa civitate ad se venientium dominus messis ista loquebatur, qui tunc in hujusmodi primitiis totam gentium segetem quasi maturam ad messem contemplabatur, ad eamdem contemplationem vocans discipulos, quibus dixit: « Nonne vos dicitis: Adhuc quatuor menses sunt, et messis venit? » (*Joan.* IV, 35, 38.) Quo dicto quasi reprobato: « Levate, » inquit, « oculos vestros, et videte regiones quia albæ sunt jam ad messem. Ego misi vos metere quod vos non laborastis. Alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis. » Multi enim reges et prophetæ voluerunt videre quæ datum est videre apostolis, et non viderunt: sed aratrum longanimis exspectationis tenendo, messorem quidem comprehenderunt, quia usque in ipsius adventum fidei ac spei suæ oculos intenderunt, quibus et diem ejus videntes exsultaverunt a longe illum salutando, et completa est per eos prophetia, dicens: *Comprehendet arator messorem* (*Amos* IX, 13). Verumtamen ipsi non introierunt in messem, quia dies eorum velociores erant cursore, ut sanctus Job conqueritur. Ipse quoque ultimus orator Joannes Baptista, qui manibus etiam corporalibus comprehendit baptizando ipse miles regem, servus dominum; tamen ostendit sibi esse denegatum cum sanctis apostolis aliisque idoneis messoribus post Christum ambulare, atque calceamenta ejus portare in agro frugibus pleno, cujus odorem patriarcha Jacob a longe præsenserat. Sed nec ipse, nec aliquis mortem Christi præcedentium granum illud vidit multiplicatum, quod necdum in terram cadens erat mortuum, quodque primi apostolorum oculi beati viderunt multum fructum attulisse, multiplicato et dilatato credentium numero usque ad ultimum terræ. Quod licet ipsi Abrahæ fuerit promissum, tamen oculis ejus non fuit præsentialiter exhibitum; quia nondum venerat annus benignitatis, cujus tota corona, totus circulus abundantia fructuum plenus est.

CXXIII. Sic ergo messores apostoli alienos labores introgressi multitudines gentium congregaverunt in horrea Dominica. Et adhuc illis in tali messe manipulos colligentibus, comprehendit eos vindemia, et calcator uvæ primus Nero botros electos Petrum et Paulum, deinde cæteros ad passionum torcularia paratos et maturos calcavit. Sic post illum frequentata persecutione calcator uvæ non defuit, quoadusque mittentem semen comprehendit. Quia videlicet post martyrum dira certamina, in sanctis confessoribus atque doctoribus toto terrarum orbe multiplicatis, per manifestatas utriusque testamenti expositiones exiit qui seminat seminare semen suum. Et bonum quidem semen seminavit A in agro suo. Sed cum dormirent homines ejusdem agri custodes, inimicus homo superseminavit zizania in medio tritici, et abiit. At ubi zizania nimis prævalentia triticum suffocant, et sola ipsa occupare nituntur agrum Domini, non est causa cur eis parcatur, sicut illic ubi utrisque simul crescentibus cavendum est ne dum eradicantur zizania, eradicetur simul et triticum illis intermistum Sic plurimæ sectæ pravæque doctrinæ ob hoc sunt eradicatæ ac judicio synodali damnatæ, quia simul cum illis triticum non potuit crescere. Secta vero clericorum sub nulla regula vel synodali vel cœnobitali viventium falce apostolica multoties invenitur putata, ex quo tempus putationis advenit; quia enormitas vestium et cæterarum exordinationum de- B cretis apostolicis a talibus resecatur. Sed nisi penitus eradicetur, et regula illa minime authentica in qua gloriantur, omnino condemnetur, bonum semen regularum sanctarum et paternarum traditionum suffocatur. Quæ denique necessitas est in præcipuis et matricibus ecclesiis profiteri clerum, se servaturum regulam in curia regis conflatam: quæ dum sanis Patrum doctrinis est intermista, et modico regalis concessionis fermento corrupta, quasi vinum felle mistum, quod cum gustasset Dominus noluit bibere, sine dubio est repudianda suoque nomine privanda; ne videlicet nominetur canonica regula, quæ sacris canonibus invenitur contraria, et est in decretis Urbani papæ exinde omnino prædamnata. C

CXXIV. Cum enim iste insignis martyr auctoritate apostolica suis decretis rebus Ecclesiæ legem describat, secundum quam eas dispensandas esse constat; videlicet clericis communi vita viventibus et cæteris pauperibus, nullius momenti est regalis et laicalis potestas ad statuendum contraria. Quia, ut Symmachus papa suis decretis affirmat, « laicis quamvis religiosis, nulla unquam legitur attributa facultas in disponendis ecclesiasticis. » Fuerit ergo, sicut fertur, pius agnomento et re ille imperator Ludovicus, qui res cujusque matricis Ecclesiæ communi vita viventibus et pauperibus destinatas distribui concessit divitibus, et de suo abundantibus. Pluris mihi est auctoritas apostolica in decretis Ur- D bani papæ ac martyris de rebus ecclesiarum satis evidenter expressa, et sub interpositione damnationis ita firmata, ut nulli ne dicam laicorum, sed nec episcoporum sit liberum statutis ejus aliquid contrarium statuere. Ipse denique de præsignatis rebus Ecclesiæ aliter quam ipse describit agentibus, judicium Ananiæ et Saphiræ intentat cum tanto damnationis pondere; ut quod illi pro defraudatione rerum talium passi sunt in corpore, sequaces eorum patiantur in anima, cujus mors morte corporis magis est pavenda. Præmissa enim confirmatione communis vitæ in clero per matrices Ecclesias, a tempore apostolorum usque ad sua tempora conservatæ, quam et futuris semper temporibus affirmat in eis conservandam, de rebus Ecclesiæ dat

sententiam in omni Ecclesia servandam, et in nulla regum curia mutandam. « Ipse, inquit, res singularum parochiarum in ditione episcoporum qui locum tenent apostolorum erant et sunt usque adhuc, et futuris semper debent esse temporibus : e quibus episcopi et fideles dispensatores eorum omnibus communem vitam degere volentibus ministrare cuncta necessaria debent, prout melius potuerint, ut nemo in eis egens inveniatur. Ipsæ enim res fidelium oblationes appellantur, quia Domino offeruntur. Non ergo debent in alios usus quam ecclesiasticos et prædictorum Christianorum fratrum vel ingentium converti; quia vota sunt fidelium et pretia peccatorum, atque ad prædictum opus explendum Domino traditæ. Si quis autem, quod absit! secus egerit; videat ne damnationem Ananiæ et Saphiræ percipiat, et reus sacrilegii efficiatur. »

CXXV. Hæc dicente sancto Urbano, lex posita est ecclesiastico stipendio ex apostolicorum actuum principali exemplo : secundum quam legem qui voluerint et potuerint militare, accipere debent stipendium suæ militiæ. Quia vero non omnes capiunt hoc verbum, ut communis vitæ simulque continentiæ propositum nemini per violentas et iniquas angarias imponendum sponte arripiant qui computantur in clero, hujusmodi quoque fragilibus apostolica discretio condescendit, cum beatus papa Gregorius Augustino Anglorum episcopo scribens, postquam regulam vitæ communis a sanctis apostolis Christo auctore constitutam clero in congregatione viventi assignavit, et prædicto episcopo una cum sibi commanentibus clericis observandam commendavit, etiam de inferioris ordinis clericis idem beatus adjunxit : « Si qui vero sunt clerici extra sacros ordines constituti qui se continere non possunt, sortiri uxores debent, et stipendia sua exterius accipere. Et quia de eisdem partibus de quibus præfati sumus novimus scriptum, quod dividebatur singulis prout cuique opus erat; de eorum quoque stipendio cogitandum atque providendum est, et sub ecclesiastica regula sunt tenendi, ut bonis moribus vivant, et canendis psalmis invigilent, et ab omnibus illicitis cor et linguam et corpus, Deo auctore, conservent. » Notandum quia non sub canonica vel apostolica, sed sub ecclesiastica regula clericos conjugatos tenendos affirmat sanctus Gregorius, quam succincte comprehendens : « Bonis, » inquit, « moribus vivant, et canendis psalmis invigilent, et ab omnibus illicitis et cor et linguam et corpus, Deo auctore, conservent. » Hujusmodi clericis Christiana regula informatis, et extra congregationes foris accipientibus congrua stipendia, non confunditur congregatio in unum collecta ea confusione, quam invenimus in regula regis Ludovici : quæ cum sanctissima communis vitæ contineat multa instituta, tamen in hoc invenitur confusa, quod eisdem clericis quibus illic ordinantur cœnobia vel claustra, permittuntur quoque habitacula privata et propria. Quod quid est aliud quam oppositio in adjecto, ut alterum destruatur ex altero; sicut cum dicitur animal mortuum, per id quod animali additur mortuum, consequitur tali adjecto animal destructum. Nam si est mortuum, non est animal, quia rei vivæ nomen est animal. Similiter cum disposito jam claustro claustrique portis et custodiis, ejusdem claustri habitatoribus domus privata et propria relinquitur, et quadam quasi pia condescensione pii regis indulgetur; tota claustralis dispositio confunditur et corrumpitur, tanquam si multo vino parum veneni addatur, ut illud væ damnationis æternæ suavius bibatur, quod Scriptura indicat, dicens : « Væ peccatori terram ingredienti duabus viis! » (*Eccli.* II, 14.)

CXXVI. Annon duabus viis incedunt, qui secundum concessionem talis regulæ congregationis instituta simul cum privatæ domus indulgentia suscipiunt? Est quoque illud reprehensibile in præfata regula, quod in primo ejus capitulo evangelica summæ perfectionis hortamenta, ut est : « Vade, vende quæ habes et da pauperibus, et veni, sequere me (*Matth.* XIX, 21), » cæteraque his similia solis monachis assignantur, et per quædam inferiora baptizatis in Christo cunctis communiter servanda simul indistincte informantur clerici æque ut cæteri Christiani. Decet sane potius in aula regia, quam in sede apostolica fabricata esse talia documenta. Quoniam, sicut scripsit rex Antiochus omni regno suo ut esset omnis populus unus, ita rex Ludovicus, exceptis tantummodo monachis, clerum socians populo, scripsit, vel cuiquam ex capellanis suis clerico scribenti consentit et ipse omni regno suo, ut esset populus unus, fieretque sicut populus sic sacerdos. Meliora sunt ergo legis quam regis mandata, quoniam in lege tribus Levi legitur a reliquis tribubus omnino segregata, ac terrena hæreditate privata; et benedictionem dans novæ legis lator, verbi sui ministros et dispensatores mysteriorum Dei voluit et docuit non solum a populo communis Christianismi, sed etiam a cœtu spiritalis et monastici propositi segregandos; ita scilicet ut non omnes monachi fiant clerici, sed ex iis tantummodo electi et segregati quadam prærogativa sanctius inter cæteros conversandi.

CXXVII. Ideo Paulus apostolus segregatus in Evangelium Dei gloriatur in Domino, se una cum Barnaba, sicut in Actibus apostolorum legitur, in opus evangelizandi segregatum, non solum a sæculariter viventium et conjugio utentium laxo proposito, sed etiam a communi vita viventium stricto et quasi monastico instituto. Ministrantibus enim discipulis et jejunantibus dixit Spiritus sanctus : « Segregate mihi Paulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos (*Act.* XIII, 2). » Proinde omnis doctrina conjungens quod Deus separavit, aut separans quod ipse conjunxit; ut præfati regis institutio separans a monachis clericos in sanctitatis proposito, quos Deus adjunxit, et quantum ad sacerdotale pertinet officium, superextulit, conjun

gens clericos populo quos ab eo distinguit sermo divinus, ut pastores bipedes erecto vultu supino a grege quadrupede in humum prono, ut nubes in alto volantes in terra deorsum jacente, ac de altis nubibus imbrem sitiente; omnis, inquam, talis doctrina similis est non flumini, cujus impetus lætificat civitatem David, sed aquæ turbidæ, quam sicut legitur in Apocalypsi, misit draco de ore suo tanquam flumen post mulierem, quæ peperit masculum gentes omnes recturum, ut eam faceret trahi a flumine. Sed « aperuit terra os suum, et absorbuit flumen adjuvando mulierem (*Apoc.* XII, 16). » Sic non solum in absorbenda hæretica doctrina os apertum est veram fidem astruentium doctorum; sed etiam in absorbenda præfata regula turbidæ aquæ assimilata os terræ non semel apertum est. Sed adhuc flumen ejus non penitus est absorptum, vel manifesta damnatione cauteriatum, nec repudiatum prout oportet repudiari sacrificium, etsi recte oblatum, non tamen recte divisum, sed nimis confusum : dum in sanctitatis observantia clericis a monachis distinguntur, et populo ab eis regendo nimis confuse junguntur.

CXXVIII. Multo rectius obtulit, rectiusque divisit Urbanus papa secundus de ordine canonico scribens regularibus clericis in hunc modum : « Oportet nos qui licet indigni Petri residemus in loco prava corrigere, recta firmare, et in omni Ecclesia ad interni arbitrium judicis sic disponenda disponere, ut de vultu ejus judicium nostrum prodeat, et oculi nostri videant æquitatem. Omnipotenti ergo Domino, cujus melior est misericordia super vitas, gratias agimus quod vos estis qui sanctorum Patrum vitam probabilem renovatis, et apostolicæ institutа disciplinæ in primordiis Ecclesiæ sanctæ exorta, sed crescente Ecclesia jam pene deleta, instinctu sancti Spiritus suscitatis. Duæ enim ab Ecclesiæ sanctæ primordiis vitæ ejus filiis sunt institutæ : una qua infirmorum debilitas retinetur, altera qua fortiorum virtus beata perficitur; una remanens in Segor parvula, altera ad montis altiora conscendens : una lacrymis et eleemosynis quotidiana peccata redimens, altera quotidiana instantia merita æterna conquirens. Alteram tenentes inferiorem terrenis bonis utuntur, alteram sequentes superiorem terrena bona despiciunt et relinquunt. Hæc autem quæ a terrenis divertitur, in duas pene unius ejusdem propositi dividitur portiones, canonicorum scilicet ac monachorum. Harum secunda per divinam misericordiam frequentata satis jam sæculo universo elucet. Prima vero decalescente fervore fidelium, jam pene omnino, defluxit. Hanc martyr et pontifex Urbanus instituit, hanc Augustinus suis regulis ordinavit, hanc Hieronymus suis epistolis informavit, hanc Gregorius Augustino Anglorum archiepiscopo instituendam præcepit. Itaque non minoris æstimandum est meriti hanc vitam Ecclesiæ primitivam, aspirante ac prosequente Domini spiritu, suscitare, quam florentem mona-

A chorum religionem ejusdem spiritus perseverantia custodire. »

CXXXIX. Cum in his dictis Romani pontificis Ecclesia tota suis ordinibus distincta cautissime describatur, nusquam in ea comprehenditur vita clericorum secundum regulam regis Ludovici conversantium, vel potius eamdem regulam in potioribus institutis prævaricantium. Sic absorpti sunt juncti petræ judices iniqui, deformantes ordinem cleri antiquitus bene informatum, et super petram firmiter fundatum. Bibamus ergo de spiritali consequente nos petra, in Petri apostoli ejusque successorum purissima doctrina : et caveamus bibere de flumine turbido, quod misit draco de ore suo in omni seductione pestiferæ doctrinæ, qualis invenitur B non solum in erroribus hæreticorum fidei sinceritatem commaculantium; sed etiam in doctrinis hominum sæcularium Christianæ conversationis puritatem prava confusione perturbantium, quæ Deus conjunxit separantium, vel quæ separavit conjungentium. Cum enim scriptum sit : « Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus (*Psal.* XCVIII, 6); » non incongrue transfigurato Domino in monte, per Moysen accipitur ordo clericorum, et per Eliam primum solitarium sacer ordo monachorum, quos duos in unius montis celsitudine sibi Christus utriusque ordinis auctor conjunxit, quos et in semetipso evidenter expressit, cum jejunans in deserto quasi monachus fuit in silentio, et postmodum quasi pontifex erat C quotidie docens in templo.

CXXX. De his duobus ordinibus insignis doctor Ambrosius loquens in epistola Vercellensibus missa, dicit inter cætera : « Duo hæc in attentiore Christianorum devotione præstantiora esse quis ambigat, clericorum officia, et monachorum instituta? Ista ad comitatem et moralitatem et disciplinam, illa ad abstinentiam assuefacta atque patientiam. Hæc velut in theatro, illa in secreto. Spectatur ista, illa absconditur. Ideo bonus athleta ait : *Spectaculum facti sumus huic mundo et angelis et hominibus* (*I Cor.* IV, 9). Dignus sane qui spectaretur ab angelis cum luctaretur, ut ad bravium perveniret, cum certaret ut in terris vitam angelorum institueret, in cœlo nequitiam angelorum refelleret. Colluctabatur D enim nequitiis spiritualibus. Merito mundus eum spectabat, ut mundus eum imitaretur. Hæc vero vita in stadio, illa in spelunca. Hæc adversus confusionem sæculi, illa adversus carnis appetentiam. Hæc subjiciens voluptates corporis, illa refugiens. Hæc gratior, illa tutior. Hæc seipsam regens, illa semetipsam coercens. Utraque tamen se abnegans ut fiat Christi, quia perfectis dictum est : *Qui vult venire post me*, » etc. (*Matth.* XVI, 24.) Vides quomodo beatus Ambrosius ad perfectionis apicem sua doctrina informat tam clericorum quam et monachorum ordinem? Quod non facit illa regalis regula in domibus regum fabricata et apostolicis doctrinis contraria, ut ostendunt præmissa Urbani papæ sanctique Ambrosii testimonia. Beatæ quoque me-

moriæ papa Paschalis contra præfatam regulam bene os suum aperuit in tractatu, quem canonicis Sanctæ Mariæ in Portu firmavit : cujus hoc est primum capitulum :

CXXXI. « Clericorum ordinem in Ecclesia tribus Leviticæ locum tenere, et apostolicæ dignitatis jura servare et officia gerere, nemo sanum sapiens dubitat. Unde certum est eos levitarum et apostolorum regulas et vitas imitari debere, quorum noscuntur locum tenere, dignitatem habere, et officia gerere. Quæ enim lex levitis, et quæ a Domino regula datur apostolis, hæc eadem Catholicis pariter clericis usque in finem mundi vices eorum supplentibus indicta nequaquam ambigitur. Equidem quod levitis interdicitur adhuc in umbra gradientibus, quomodo nobis conceditur jam in veritate persistentibus, cum multa legamus illis fuisse concessa, quæ nobis procul dubio sunt prohibita? Aaron itaque et filiis ejus cæterisque levitis a Domino dicitur: *In terra filiorum Israel nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos. Ego enim pars et hæreditas vestra in medio filiorum Israel* (*Num.* XVIII, 20). Et paulo post subsequitur : *Filiis Levi dedi omnes decimas Israelis in possessionem pro ministerio, quo serviunt mihi in tabernaculo fœderis.* Et de eisdem post pauca : *Nihil aliud possidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in usus eorum et necessaria separavi* (*ibid.*, 23, 24). Et hæc quidem in Veteri; in Novo autem Testamento quid cuique sui discipulatus perfectioni adhærere volenti dixerit, audiamus : *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes et da pauperibus, et veni sequere me* (*Matth.* XIX, 21); et alibi : *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV, 33). Et in alio loco cum ad prædicandum mitteret, prohibuit eis, dicens : *Nolite possidere aurum vel argentum* (*Matth.* X, 9). Quod se Petrus implesse evidenter ostendit, dicens : *Argentum et aurum non est mihi* (*Act.* III, 6). Hoc etiam cæteros apostolos fecisse testatur idem Petrus, cum pro se et aliis condiscipulis suis interrogat Dominum dicens : *Domine, ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te : quid ergo erit nobis?* (*Matth.* XIX, 27.) Cui et in quo omnibus idem facientibus respondens Dominus dicit : *Amen dico vobis, quia vos qui reliquistis omnia et secuti estis me in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domum, aut patrem, aut matrem, aut fratres, aut sorores, aut agros pro nomine meo, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit* (*Matth.* XIX, 28, 29). Hæc levitis et hæc apostolis mandata sunt. Utrisque una regula, et eadem lex præcipitur : utrisque possessio tollitur, terrena facultas interdicitur. Qui ergo alii regula et lege ista tenentur nisi clerici, qui levitarum Domini et discipulorum Christi locum tenent, ministerium implent, vices servant, ordines habent? Ad hoc etiam mandatum tenendum et perpetuo implendum eccle-

A siis suis pretia peccatorum, vota et oblationes fidelium, primitias ac decimas rerum dari Deus instituit: quatenus hi qui divino cultu mancipati propriis facultatibus exspoliantur, sibi statuta perpetuo stipendia habeant unde vivant, ecclesiæ serviant, et pauperum necessitatibus subministrent, atque studiosius quæque sui ordinis ministeria impleant, nulliusque rei vel necessitatis occasione ab his unquam se separent, aut sæcularibus negotiis intendant. Ex his igitur patenter ostenditur, Christo militantibus clericis fore illicitum et terrenas facultates tenere et res ecclesiasticas sumere, in sæculo patrimonium habere, et ecclesiasticam portionem suscipere. Cui sententiæ confirmandæ aptatur illud Apostoli : *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus,*
B *ut ei placeat cui se probavit* (*II Tim.* XXIV). Et illud Salomonis : *Væ peccatori terram ingredienti duabus viis* (*Eccli.* II, 14). Quapropter qui Christi discipulatum sequi voluerit, sæcularibns negotiis renuntiare debebit : et qui semel sacer effectus de sacro vivere cœperit, jam ad vivendum sacris uti præcipitur. Sed ne soli hoc super vita et regula catholicorum clericorum videamur sentire, accedant et alii testes in idem consentientes, viri religiosissimi et scientia plenissimi, Hieronymus videlicet, Augustinus et Prosper, et quid super hoc dixerint vel intellexerint, audiamus. Hieronymus ad Nepotianum de vita et moribus clericorum inter cætera scribit, dicens : « Clericus qui Christi servit Ecclesiæ, inter-
C pretetur primum vocabulum suum, et nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur. Si enim *cleros* Græce, Latine sors appellatur, propterea vocantur clerici, quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus ipse sors, id est pars eorum est. Et quia vel ipse clericus pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet ut ipse possideat Dominum et ipse possideatur a Domino. Qui possidet Dominum et cum Propheta dicit : *Pars mea Dominus* (*Psal.* LXXII, 26), nihil extra Dominum habere potest. Quod si quidpiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus. Verbi gratia : si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem, cum istis partibus Dominus pars ejus fieri
D non dignatur. Si autem ego pars Domini sum et funiculus hæreditatis ejus, nec accipio partem inter cæteras tribus, sed quasi levita et sacerdos vivo de decimis; et altari serviens altaris oblatione sustentor, habens victum et vestitum, his contentus ero, et nudam crucem nudus sequar. » Et post pauca in eadem epistola scribit eidem, dicens : « Procuratores atque dispensatores domorum alienarum atque villarum quomodo possunt esse clerici, qui proprias jubentur contemnere facultates? » Hucusque Hieronymus. Augustinus autem in nonodecimo capitulo libri de verbis Domini sic scribit, dicens : « Venerunt et publicani ad Joannem ut baptizarentur ab eo, et dixerunt ad eum : *Magister, quid faciemus? At ille dixit*

« eis : *Nihil amplius exigatis, quam quod constitu-* A « *tum est vobis*. Et post pauca : *Interrogaverunt* « *eum et milites : Quid faciemus et nos? Ait illis* « Joannes : *Neminem concutiatis, neque calumniam* « *faciatis, sed contenti estote stipendiis vestris* (*Luc.* « III, 12 14). Heic jam cognoscere se debet omnis « homo qui militat. Non enim tantum de his mili- « tantibus Scriptura loquitur, qui armata militia « detinentur; sed quisquis militiæ suæ cingulo uti- « tur, dignitatis suæ miles ascribitur. Atque ideo « hæc sententia potest dici ; verbi gratia, militibus « et protectoribus cunctisque rectoribus, et quicun- « que stipendia sibi publice data consequitur, si « amplius quærit, tanquam calumniator et concus- « sor Joannis sententia condemnatur. » Et paulo B post addit, dicens : « Nam et clericus catholicus « hac sententia retinetur. Si enim non contentus « stipendiis fuerit, quæ de altario, Domino jubente, « consequitur, sed exercet mercimonia, interces- « siones vendit, viduarum munera libenter ample- « ctitur; hic magis negotiator videtur quam cleri- « cus, » etc. Quæ ut facta ejus loquerentur magis quam lingua, in domo ipsa episcopi statuit monasterium clericorum, ubi nemini licebat habere aliquid proprium, sicut ipse testatur, dicens : « Volui « habere in domo ista episcopi monasterium cleri- « corum. Ecce quomodo vivimus. Nulli licet in so- « cietate nostra habere aliquid proprium. Sed forte « aliqui habent? nulli licet. Si qui faciunt, faciunt « quod non licet. » Hæc Augustinus. Sed nunc quid C inde beatus senserit Prosper audiamus : « Proinde « quem possidendi, inquit delectat ambitio, Deum, « qui possidet omnia quæ creavit, expedita mente « possideat, et in eo habebit quæcunque sancte ha- « bere desiderat : sed quoniam nemo possidet « Deum, nisi qui possidetur ab eo; sit primitus « ipse Dei possessio, et efficietur ei Deus possessor « et portio. » Et paulo post subjungit, dicens: « Quid « ultra quærit cui omnia suus conditor fit, aut quid « ei sufficit cui ipse non sufficit? » Et post pauca in eodem capitulo : « Quis, inquit, cui Deus digna- « tur esse possessio, aliquid aliud quærit? Aut quis « non præ amore illius omnia quæ putantur magna « contemnit? Ergo qui Deum vult possidere renun- « tiet mundo, ut sit illi Deus beata possessio; quia « quandiu sua non relinquit, mundo cujus bona « retinet, servit. Et utique non potest mundo servire « simul et Deo. Ac sic propterea voluit Deus cultores « suos omnibus renuntiare propter quæ diligitur « mundus, ut exclusa cupiditate mundi, divina in « eis charitas possit augeri vel perfici. Et ideo de- « cimas atque primitias frugum, primogenita et « sacrificia pro peccato, vel vota quæ sibi Deus « jussit offerri sacerdotibus ac ministris distribui « debere constituit, ut devotissimo populo mini- « strante, ipsi Creatori ac pastori suo liberius mi- « nistrarent. » Hoc usque Prosper. Nunc jam igitur ista de propriis facultatibus renuntiandis sufficiant. Quod autem, fratres charissimi, propriis

etiam voluntatibus renuntiare debeatis, evidenter Dominus in Evangelio ostendit, dicens : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et sequatur me. Et qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam, et qui perdiderit eam propter me, inveniet eam* (*Matth.* XVI, 24, 25). Et in alio loco : *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me* (*Joan.* VI, 38). Et alibi sacra perdocemur Scriptura : *Fili, avertere a voluntatibus tuis* (*Eccli.* XVIII, 30). Nam sicut alibi dicitur : Voluntas habet pœnam, necessitas parit coronam. Et in alio loco præcipitur : *Post concupiscentias tuas non eas* (*ibid.*). Quas qui sequuntur, quid de eis per Prophetam dicatur, audiant : *Corrupti et abominabiles facti sunt in voluptatibus suis* (*Psal.* XIII, 1). Unde idem Propheta voce prælatorum suscepta scribit, dicens : *Subjecit populos nobis et gentes sub pedibus nostris.* (*Psal.* XLVI, 4). His ergo exemplis, fratres, moniti, aliis pro Deo subesse non recusemus; sed prorsus nostris voluntatibus renuntiatis, Christi voluntatem alieno, sed spirituali ac discreto arbitrio exsequamur. Quod autem in unaquaque congregatione canonica unus eligendus sit, qui cæteris præesse debeat, et usus ecclesiasticus divinitus inspiratus exigit, et in Veteri et in Novo Testamento evidenter ostenditur; cum Moysen, et post Moysen Josue, omnibus filiis Israel, et Aaron cæteris levitis, Petrum quoque cæteris discipulis Dominus præposuit. Qualis autem esse debeat qui præfertur, trina Domini interrogatio et trina Petri manifeste monstrat responsio. Cum enim pascendarum ovium cura illi committitur, ter Dominus interrogat Petrum si diligat, et ter Petrus respondit quia amat, ter Dominus jubet ut pascat. Trinam igitur Domini interrogationem trina Petri de dilectione responsio; et trinam ejus responsionem trina pascendi gregis injunctio sequitur. Sed nunc quomodo trina dilectio in eligendis haberi debeat, videamus. Trinam itaque dilectionem ille habet, qui Deum et quæ Dei sunt mente credit et amat, voce confitetur et prædicat, opere imitatur et servat. Trina autem tunc fit interrogatio, cum sicut debemus exquirimus, prævidemus et discutimus, D utrum eligendus hanc trinam dilectionem habeat. Quod si cordis fidem et dilectionem competens sermo et actus foris ostendat, trinæ interrogationi jam satisfecit trina responsio. Cui etiam bene ter pascendi gregis cura injungitur; quia quisquis oves pascendas suscipit, cordis jugi vigilantia prospicere, vocis officio monere ac defendere, et actuum exemplis semper eas ad Christum debet pertrahere. Illi ergo recte pascendi gregis cura injungitur, qui in mente plenam habet fidem et dilectionem interius : et in voce perfecte monendi, libere arguendi, prudenter exhortandi scientiam et possibilitatem exterius; ut qui opere quæcunque loquitur servat et sequitur. Nec quisquam pro qualibet culpa si jam satisfecerit, in hoc officio recusandus est; cum et Petro post trinæ negationis la-

crymabilem satisfactionem, quia trina in eum dilectio patuit, gregis a Domino injuncta sit pastio. Hæc igitur trinæ dilectionis forma, fratres charissimi, in primo pastore non ab alio quam a Christo præsignata in eligendis est prævidenda, non solum prioribus, sed et omnibus personis in ecclesia præferendis. » Huc usque verba Paschalis papæ.

CXXXII. Huic scripto in sede apostolica firmato et approbato subscripserunt primo Paschalis papa, deinde cardinales sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quorum nomina sunt adnotata : Crescentius Sabinensis episcopus, Petrus Portuensis episcopus, Cono Prænestinus episcopus, Vitalis Albanus episcopus, Bonifacius cardinalis Sancti Marci, Deusdedit cardinalis Sancti Laurentii, Desiderius cardinalis Sanctæ Praxedis, Guido cardinalis Sanctæ Balbinæ, Petrus cardinalis Sanctorum Cosmæ et Damiani, Petrus cardinalis Sancti Adriani, Rossemannus diaconus Sancti Georgii, Comes cardinalis diaconus Sanctæ Mariæ in Aquiro, Gregorius cardinalis diaconus Sancti Angeli, qui postmodum effectus est papa dictus Innocentius, Joannes cardinalis diaconus Sanctæ Luciæ.

CXXXIII. Quæ cum ita se habeant, si doctrina hæc apostolica uni tantum congregationi destinata, universaliter esset enuntiata, poterat inde absorberi aqua multa et turbida ex ore draconis emissa, cujus non modica lacuna est in illa regula sæpe notata, et adhuc Deo volente amplius notanda et cauterianda. Est enim regula ista, ni fallor, quædam de illo flumine magno Euphrate collecta vel egressa exundatio, in qua puræ ac turbidæ aquæ Babylonica quædam est confusio. Quid enim purius quam quod in collectario sententiarum paternarum regulæ huic antepositarum vita communis apertissime declaratur, in qua solis illis quos necessitas aut voluntas pauperes fecit stipendium competens prout cuique opus est ordinatur : in qua etiam talis dispensator eorumdem stipendiorum commendatur, qui, ut Prosper ait, vel omnia sua pauperibus distribuit, vel ecclesiæ rebus adjunxit? Quid, inquam, purius hoc documento saluberrimo apostolicæ doctrinæ per omnia consono? Quid vero turbidius eo Sadducæorum fermento, quo plenum est ejusdem regulæ illud capitulum quo præcipitur, ut in una eademque congregatione his qui multa sua possidendo divitiis affluunt, et his qui nihil vel parum habendo pauperes sunt, æqualia dentur stipendia? Sed, ut jam dictus Prosper ait : « Habenti dare nihil est aliud quam perdere; quoniam quod habet Ecclesia, cum nihil habentibus commune debet habere. » Magna utique perditio, et filio perditionis licet necdum revelato placita institutio agnoscitur, cum res pauperibus debita datur divitibus; et apostolicæ doctrinæ forma non tenetur, cum divitibus et pauperibus æqua portio dari præcipitur. Quæ distributionis coæqualitas nec inter ipsos veros Christi pauperes in
A congregatione viventes admittenda est, quia non æqualiter omnibus victus et vestitus donandus est, cum non omnes æqualiter valeant. Et ideo pensata singulorum diligentia, prout cuique opus est in hujusmodi habenda est cautissima differentia. Quæ cum ita se habeant, super hujus doctrinam regulæ ira Dei de cœlo recte creditur quandoque revelanda, et illa phiala iracundiæ Dei plena plenius effundenda, de qua legitur in Apocalypsi : « Et sextus angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphratem, et siccavit aquam ejus, ut pararetur via regibus ab ortu solis. Et vidi de ore draconis et de ore bestiæ et de ore pseudoprophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum procedere (*Apoc.* XVI, 12, 13). »

B CXXXIV. Septem angelorum septem phialas iracundia Dei plenas post cantum septem angelorum septem tubas habentium legimus effusas, et tubis quidem sonantibus plagas magnas, phialis vero effusis plagas majores invenimus et novissimas, de quibus dici conveniat : *Ignis accensus est in furore meo, et ardens usque ad inferni novissima.* Ubi ergo sextus angelus tuba cecinit, soluti sunt quatuor angeli qui alligati erant in flumine magno Euphrate, et plaga fuit corripiens populum Dei per quatuor principalia regna mundi sub quibus afflicti sunt Israel sive Juda per judicium Dei. Non fuit illa plaga de novissimis, in quibus consummatur iracundia Dei; quia non animas, sed corpora tradebat talibus angelis, id est regnis
C terrenis

CXXXV. At vero phiala heic effunditur iracundiæ Dei in illud flumen, non ut solvantur tales angeli, sed ut siccaretur aqua ejus, et pararetur via regibus ab ortu solis. Ergo in aqua fluminis effunditur phiala iræ Dei. Et idcirco aquam talem oportet intelligi, cui rationabiliter dicatur deberi iracundia Dei. Alias autem cum et mare et flumina et fontes aquarum in sanguinem anteriores phialæ damnaverint; quid est quod flumen Euphrates propriam meretur phialam, nisi quia inter cætera mala quæ fiunt sub sole, malum quoddam aquæ fluminis hujus significatur? Est enim malum cujus damnatio in anterioribus phialis per quinque
D angelos effusis non invenitur, sed angelo sexto reservatur : quod heic et prius per aquas fluminis illius, et deinde per tres immundos spiritus in modum ranarum prorepentes significari recte intelligitur. Nimirum malum hoc trifidum est, et ejus partes sunt præstigia magorum, commenta philosophorum, figmenta poetarum? Eorumque profunda malitia et turbida loquacitas congrue per aquas Euphratis significatur; quia videlicet Euphrates Babyloniæ flumen est, et per eam fluens in multa capita dividitur, quæ ipso quoque nomine suo in Scripturis significare solet universam generationem impiorum contrariam generationi rectorum; civitatem diaboli contrariam civitati Dei. Babylon quippe interpretatur *confusio.*

CXXXVI. Igitur postquam et super flumina fontesque aquarum phialæ effusæ sunt, effunditur et ista in Euphratem; quia cum damnationem sibi acquisierint tyranni vel reges impii cum nationibus sibi subditis, qui nomine maris, fluminum et aquarum notati sunt, illis quoque ira debetur, qui illos dementaverunt erroremque illis auxerunt vaniloquiis, imo et scripturis suis malitiosis, mendacibus, fabulosis et omnino falsis, vel quod pejus est, veritate simul et falsitate permistis: quomodo prænotata regula flumini Euphratæ paradisiaco simul et Babylonico magno ex parte assimilata. Sicut enim fluvius Euphrates de fonte paradisi venam trahens originis, et pluribus adulteratus aquis extraneis fluit per medium Babylonis, illis videlicet aquis connumeratus, de quibus captivi cives Jerusalem dicunt: « Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus (*Psal.* cxxxvi, 1); » ita multoties hæreticorum doctrina de fonte veritatis aliqua trahit testimonia, callide eisdem permiscet falsa, ut non tam civibus Jerusalem captivis, quam civibus Babylonis ad bibendum sapiat hujusmodi aqua. Similiter et illa de qua loquimur regula, de aula regis egressa, multa in suo contextu habet sana Patrum documenta ex dictis orthodoxorum Patrum decerpta, vitam communem secundum apostolorum doctrinam apte informantia; sed illis præmissis adulterina quædam sunt admista, quibus priorum puritas ita est infecta et turbata per nescio quos aulicos dictatores veris falsa, bonis mala permiscentes, et prioribus contraria docentes, ut veris civibus Jerusalem non sit magis aqua illa potabilis, eo quod arguitur admistæ vanitatis, quam philosophorum vel poetarum vel etiam hæreticorum scripta, quæ multa continent vera falsis permista. Si enim justo judicio Dei effunditur phiala iracundia Dei plena non solum in terram, quo nomine terreni; et super mare, quo nomine amari; et super flumina, quo nomine voluptuosi vel furiosi; et super sedem bestiæ, quo nomine mendaces notantur; sed etiam in solem, quo nomine homines clari, et pro specie pietatis ostentata, cœlo digni videntur notari; si, inquam, etiam in tales tam claros, tam altos effunditur phiala iræ Dei, secundum quod alibi legitur: « Effusa est contemptio super principes; et errare fecit eos in invio, et non in via (*Psal.* cvi, 40), » atque ideo etiam super talium impietatem recte revelatur ira Dei de cœlo, non mirum debet videri, quod flumini Euphratæ non parcitur: quod quamvis de paradiso egressum, de platea Babylonis lutum collegit non modicum, in his potissimum doctrinis, quæ conscriptæ sunt ad placitum Babylonis civium seu principum. Et ideo super tales doctrinas merito ira Dei de cœlo est revelanda, ut judicentur vel hæreticæ, vel apocryphæ seu pestiferæ ac mortiferæ, ne putentur scriptis authenticis et sanis connumerandæ.

CXXXVII. Scriptura enim sana, præcipue quæ nomen habet regulæ, nihil in se debet habere fœdum vel tortuosum, ne se sequentes non tam in viam rectam dirigat, quam in viam pravam deducat; ut prænotata regula non recte regens aliquem, atque ideo nomine regulæ indigna: contra quam nunc tantopere disputare illud cogit, quod etiam quidam canonici vitam communem secundum regulam beati Augustini professi, ex interpositione sermone beati Augustini allecti, eamdem sic acceptant, ut in conventibus suis eam recitari faciant quasi authenticam, et nullius erroris permistione infectam, non attendentes eam doctrinæ apostolicæ in multis contrariam. Proinde si placet apostolicæ discretioni ut aulica illa scriptura in ecclesiis matricibus teneatur pro clericorum canonica regula: primo ipsius prava in directa fiant, ut aulica edicta edictis apostolicis de clericorum vita efficiantur consona, decisis inde pravis, et reliquis auctoritate apostolica canonizatis. Quæ namque ratio est, ut majores et plures clericorum congregationes regulam profiteantur aulicam nulla sedis apostolicæ auctoritate canonizatam, cum plura inveniantur Patrum orthodoxorum scripta directissima, quæ pro sui rectitudine haberi possunt pro regula, tam ad informandam vitam clericorum in congregatione sub prælatis viventium, quam et eorum qui foris positi secundum canones recte vivendi habent propositum sub regimine antistitum? Quod his duobus clericorum generibus amplius est, a malo est; et affirmante Isidoro, nec inter clericos religiosos, nec inter laicos catholicos censendum est.

CXXXVIII. Et, ut ad flumen Babylonis Euphratem respiciamus, hujusmodi clerici, exceptis paucissimis, non sicut aves nidi sui, quod est Jerusalem, in principio lætitiæ suæ memores flendo super flumina Babylonis resident, sed eisdem aquis velut pisces immersi, taliter in eis ludunt, ut nunquam cogitent revolare ad illum Jerosolymitanæ cohabitationis nidum, in quo primis Ecclesiæ filiis, tanquam bonis pullis erat cor unum et anima una in Deo, nec quisquam eorum aliquid suum esse dicebat. Paucis igitur, ut dictum est, exceptis, quibus animus est conversionis et reversionis in Jerusalem, plures eorum contemptis aquis Siloe quæ fluunt cum silentio, plus diligunt flumina Babylonis, et aquas turbidas, Deo volente, per phialam sexti angeli omnino desiccanda.

CXXXIX. Cum enim septima et ultima phiala iracundia Dei plena effusura sit iram judicii in aerem, id est in aerias potestates, dæmones scilicet omnesque ipsorum complices, non abs re creditur hæc sexta sexti angeli phiala desiccans aquas fluminis Euphrates ultimum judicium præventura, secundum quod dictum est, « ut pararetur via regibus ab ortu solis (*Apoc.* xvi, 12); » quibus utique ad judicium tanto erit via planior, etiam nunc in præsenti vita, quanto viderint aquas Babylonicas magis desiccatas, quas nimirum præter paucas lacunas, videmus maxima ex parte jam annihila-

tas. Etenim antequam super aquas hujusmodi revelaretur de cœlo ira Dei per Evangelium Christi, non poterant eas transire reges sancti, scilicet hi qui principes sive auctores fuerunt Scripturarum veritatis, quales dicuntur recte venisse ab ortu solis, quia non venerunt aut locuti sunt a semetipsis, sed ut loquerentur quod loquerentur acceperunt ab illuminatione Divinitatis. Non poterant aquas illas transire reges isti, non poterant cum una lingua Hebraica occurrere Græcis facundis disertisque Latinis grammaticis, rhetoribus, dialecticis, tot poetis tragicis, comicis, satyricis. Necdum enim flumen Dei repletum erat aquis, necdum rivos ejus inebriavit Spiritus veritatis, et adhuc plenissime redundabant suosque alveos implebant flumina Babylonis : quorum est famosissimum illud flumen magnum Euphrates de paradiso egressum, et aliis multis aquis adauctum; quia veritatis quibusdam sententiis intermista plura mendacia fabulosa ita sonuerunt, ut a vocibus aquarum multarum Babylonicarum in hujus mundi mare descendentium fierent mirabiles elationes maris, cum necdum appareret mirabilis in altis Dominus, nec testimonia ejus credibilia essent mundo tot mendaciis dementato et fascinato, tot aquis Babylonis fluminis inebriato.

CXL. At ubi venit ille Spiritus veritatis ut argueret mundum de peccato, et de justitia, et de judicio; nimirum arguendo id quoque effecit ut siccarentur tantæ aquæ tanti tam magni fluminis. Stultam enim fecit hujus mundi sapientiam. Procedente namque sapientia Dei et rationem reddente de eo quod videbatur stultum Dei, quemadmodum Apostolus dixit : « Nos autem prædicamus Jesum Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus stultitiam (*I Cor.* I, 23) : » ex comparatione ejus stultum esse apparuit et aridum, quod eatenus grande videbatur et profundum. Quam vilis, quamque exsecrabilis et abjecta fuerit vel apparuerit illa talis sapientia sæculi in oculis eorum, quos veritas illuminavit, pulchre in sua persona insinuat Joannes, cum dicit : « Et vidi de ore draconis et de ore bestiæ et de ore pseudoprophetæ spiritus immundos tres in modum ranarum procedere (*Apoc.* XVI, 13). » Spiritus immundos ait, id est sectas quasi sapientiæ et scientiæ magicæ, poeticæ, philosophicæ, quas contrarius Spiritui sancto immundus hujus mundi spiritus aspiravit : spiritus namque immundos magi præcipue patronos quo nescio infelici quodam pacto asciverunt sibi. Poetæ vero sub nominibus honestis eosdem rogitant spiritus immundos aspirare sibi, sacrilega præsumptione deos appellantes, cum dæmones sint. Porro qui philosophis spiritus aspiravit, is quoque sine dubio immundus exstitit. Annon de illis Apostolus dicit : Quia « dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, et evanuerunt in cogitationibus suis ? » (*Rom.* I, 21.)

CXLI. Et vide quantam usque ad immunditiam evanuerunt, qui servientes creaturæ potius quam

A Creatori, propterea in passiones ignominiæ suæ, in desideria cordis sui, in immunditiam traditi sunt. Recte ergo dicuntur spiritus immundi. Porro draconis nomine diabolus, bestiæ vero appellatione bestiale regnum diaboli hoc loco recte designari intelligitur. Nam apud Danielem per quatuor bestias quatuor mundi regna principalia significantur, scilicet Babylonicum, Persicum sive Medicum, Macedonum atque Romanum. De ore ergo draconis spiritus primus processit; quia magicam artem humana curiositas de confabulatione diaboli addidicit. De ore bestiæ sequens spiritus exivit; quia bestiali regno mundi hujus adulando humanæ mentis ignobilitas reges terrenos homines figmentis poeticis in deos et in cœlum stellarumque orbes translatos

B fabulosis neniis decantavit. Pseudopropheta philosophica quoque professio exstitit, quæ fanaticorum spurcitias deorum, verbi gratia, adulteria Jovis zelumque Junonis sororis et conjugis, et meretricia Veneris, et cætera talia, retulit ad elementa mundi, cupiens ea quæ jam erubescere poterant homines de diis suis quasi interpretationibus subornare allegoricis. Vere pseudoprophetæ talis quisque interpres exstitit; quia de corde suo prophetavit, et vane pudorem humanum consolatus est adulteria deorum fictis et inutilibus adornando mysteriis, et in eo remanendo nihilominus ut serviret creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in sæcula. Amen. « Vidi, » inquit, « de ore draconis, et de ore

C bestiæ, et de ore pseudoprophetæ exire spiritus tres immundos. » Et addit adhuc : « In modum ranarum (*Apoc.* XVI, 13). » Nimirum ranæ et immundæ sunt et turpes, et exiguæ et quasi loquaces. In luto namque commorantes, importune et quasi cum garrulitate coaxando quietem auferunt. Congrua ergo assimilatio, dum ranis adæquantur vel similes perhibentur hi, qui sibi magni et eloquentes videntur; verbi gratia poetæ, qui sibi magna sonare videntur; sed omnis eorum materia fabulosa lutum est, et magnitudo eorum inflatio est.

CXLII. Quapropter quoniam scientia illorum cum nulla sit, inflatur adversus scientiam Dei. pulchre satis eorum spiritui congruit illud de fabella Æsopi, ubi rana sufflando tentans se extendere ad

D magnitudinem bovis, dum conatur, et pellem frustra distendit, tandem ultra vires sufflando crepuit. Denique ubi nunc illi sunt grandiloqui, qui se extulerunt adversus veram magnitudinem scientiæ Dei? « Periit memoria eorum cum sonitu, et Dominus in æternum permanet (*Psal.* IX, 8). » Quis enim loquacitati eorum hominum credit? imo quis eorum theologias turpes legens vel audiens, non irridet? Porro magi, quorum principes in Ægypto Jamnes et Mambres per incantationes suas coram Pharaone adversus Moysen et Aaron ranas eduxerunt, et ultra non valuerunt; modum recte dicuntur habere ranarum, ut eis similes sint quas contra Deum fecerunt, ultra quas eorum præstigia non valuerunt. Apostolo autem contestante quemadmodum Jamnes

et Mambres restiterunt Moysi, ita et nunc homines reprobi mente corrupti resistunt veritati : « Sed ultra, » inquit, « non proficient : insipientia enim eorum manifestata est, sicut et illorum fuit (*II Tim.* III, 7). » Ultra, inquam, non proficient quam et illi profecerunt, qui exhibitis ranis ultra non potuerunt facere signa signis Moysi consimilia. Sic et hujus temporis quidam causidici, et legistæ vel sophistæ, seu dialectici, vel potius hæretici sophistice loquentes, ideoque odibiles, contra legem divinam, quasi contra Moysen et contra sacerdotium legitimum et vere leviticum, quasi adversus Aaron dimicantes, et regno Pharaonis contra regnum Dei faventes, cum in sua garrulitate ranis loquacibus et in luto coaxantibus æquabuntur, ultra non proficient. Insipientia enim illorum manifestata, et per sanctam Scripturam confutata evidens erit, quod non de Spiritu sancto inspirata, sed per spiritus malignos et immundos conspirata sit loquacitas hujusmodi hominum veritati resistentium, et ipsam veritatem Dei in injustitia retinentium. Quasi enim captivam detinent veritatem sanæ doctrinæ circumventam suo mendacio, per spiritus malignos ita conflato, ut magna in eo inveniatur veri similitudo et bonitatis imago.

CXLIII. Unde confutari non possunt hujusmodi mendacia sine magno conflictantium prælio, quale habuerunt martyres contra tyrannos idololatras ac templorum pontifices, quale nihilominus habuerunt sancti confessores contra hæreticos et reges in malo illis faventes, ac novissime in diebus istis viri religiosi contra Simoniacos, conductitios, incestuosos, gyrovagos, vagos, dissolutos, oberrantes, aut, quod pejus est, irregulariter congregatos clericos prælium grande in tempore septimi Gregorii papæ habuerunt et adhuc habent; septem spiritibus nequam in aperte malis, et septem aliis nequioribus in ficte bonis contra vere bonos dimicantibus, et importuna loquacitate illos infestantibus. Unde, cum dixisset Joannes vidisse de ore draconis, et de ore pseudoprophetæ spiritus immundos exisse, addidit in modum ranarum, et adjecit : « Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa, et procedunt ad reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei (*Apoc.* XVI, 14). » Vere, inquam, illos immundos dixerim : sunt enim spiritus dæmoniorum. Nam revera cum veritati sint contraria dogmata eorum, nulli dubium quin omnes magnitudines, imo inflationes ejusmodi sint aspirationes dæmoniorum. *Et procedunt*, inquit, *ad reges totius terræ, congregare illos in prælium.*

CXLIV. Primi hoc, ut sancta narrat Scriptura, jam dicti malefici illi Jamnes et Mambres fecerunt. Processit enim qui in illis erat spiritus seductionis ad regem Ægypti, et fiducia signorum quæ faciebant quasi similia signis virtutis Dei, auxerunt stultitiam ejus, ut contra Deum pugnantem pro Israel auderent præliari. Tali vel simili modo cæteri malefici, poetæ, philosophi congregaverunt reges totius terræ; non quidem in unum locum, sed in unum eumdemque pessimæ voluntatis statum, ut præliarentur contra Dominum, ut præventi magna æstimatione illorum reges terræ dedignarentur aut negligerent magna æstimare miracula, quæ servi Domini facerent, vel mirari sapientiam quam prædicarent; quoniam et illi econtra mira facere, et magnifice ut sapientes loqui consuevissent.

CXLV. Omnium illorum qui sic veritatem Dei, ut Apostolus conqueritur, in injustitia detinent, similitudo processit in regno scisso quondam in domo David : ubi rex Jeroboam vitulos aureos excogitato consilio fabricavit, quibus et festivitates festivitatibus Dei similes constituit; ut hujusmodi quasi divina reverentia vitulis aureis exhibita detineret populum tali cultu fascinatum, ne in Jerusalem requireret Deum verum, vel reverteretur ad domus David regnum legitimum. Deceptor iste sic peccans in Spiritum sanctum contra propriam conscientiam, proprioque judicio condemnatus, nulla venia dignus est habitus. Verum deceptus ab eo populus magna ex parte ad pœnitentiam per sanctos prophetas est revocatus : quorum ille fuit præcipuus, quo prophetante atque clamante contra prædictum Jeroboam super altare stantem et sacrificantem, scissum est altare per medium, et effusus est cinis ejus. Propemodum simile est huic, quod hæresiarchæ vel schismatici proprio nunc judicio condemnati, peccantes non per ignorantiam, sed per malitiam in Spiritum sanctum, non habent ullum pœnitentiæ remedium; sed ab eis decepti aliquoties emendantur, maxime cum sacrificia hujusmodi hæreticorum vel schismaticorum quasi cineri assimilata exsufflantur, ac Deo molesta esse manifestantur.

CXLVI. Cujus veritatis testes quam caute se ab interdictis abstinere debeant, ne videlicet cum hujusmodi post interdictum vel cibum sumant, illius prophetæ docemur exemplo, qui ab alio propheta deceptus, et comedens interdicta, leoni occidendus legitur traditus. Cavendi ergo sunt veris prophetis falsi prophetæ, ne per illorum seductionem decepti communicent interdictis, et incidant in os leonis qui circuit quærens quem devoret, cum tamen devorandi potestatem non habeat veros et bonos prophetas, etiam quando eos mordendi vel occidendi occulto, sed non injusto judicio Dei permittitur illi potestas. Etenim propheta prænotatus, quia deceptionem prophetæ mendacis non repulit, leoni datus est occidendus, non tamen devorandus et, ut creditur, hac ipsa morte fuit expiatus. Unde leo qui eum Deo irascente occiderat, jam Deo placato cadaver occisi et asinum quoque illius non tangens custodiebat. Nonnunquam in sede apostolica sive alia Moysi cathedra, exaltato per violentiam laicam quolibet Simoniaco, subintruso vel superposito alicui catholico regulariter electo et provecto, hujusmodi emerserunt controversiæ, in quibus plurimum

dementati sunt Ægyptii potentes et tyranni, per id quod in sua secta clericos habebant valenter litteratos, et in identitate sacramentorum, tanquam in similitudine signorum gloriantes contra Ecclesiam, cum ipsi essent extra Ecclesiam; non attendentes vel attendere volentes, quod etsi extra Ecclesiam sit locus veri sacramenti, non tamen nisi in sancta catholica Ecclesia est locus veri sacrificii, ut beatus Augustinus asserit.

CXLVII. Tempore Petri Leonis schismatici, fautoribus ejus una cum ipso excommunicatis valde gloriantibus in identitate sacramentorum, tam apud ipsos quam apud excommunicatorem ipsorum beatæ memoriæ papam Innocentium, cum essem tunc temporis in curia Romana, coactus sum plures de Scripturis veritatis auctoritates colligere, quibus evidenter enituit sacramenta quidem ritu ecclesiastico celebrata tam foris quam intus esse inviolabilia; sed in sacramentis extra celebratis non magis operari spiritum Christi, quam in signis magorum Ægyptiorum digitus Dei operabatur, qui tandem ipsis confitentibus in signis Moysi et Aaron claruit. Sic et in illa mea concertatione, astipulante mihi tunc venerabili viro beatæ memoriæ Gwalterio archiepiscopo Ravennate, palmam obtinuit inter sententias multas, id quod dicit papa Pelagius: « Schisma, inquit, ipsum quod Græcum nomen est, scissuram sonat; sed in unitate scissura esse non potest. Non ergo unitati communicant. Partes sibi ipsi fecerunt, et ab eo quod unum est, ut apostoli Judæ verbis jam loquar, semetipsos segregantes, spiritum non habent. Quibus omnibus illud efficitur, ut quia in unitate unum non sunt, ut quia in parte esse voluerunt, ut quia spiritum non habent, corporis Christi sacrificium habere non possint. » Multa in hunc modum congessimus tunc in unum veridica Patrum testimonia, quibus comprobatum et Eimerico tunc temporis cancellario satagente approbatum, extra ecclesiam celebrata missarum officia, etsi habeant sacramentalia signa signis Catholicorum similia, esse tamen irrita et vacua, utpote neque Spiritum sanctum neque corpus Christi habentia (8). Præliati sunt tamen et adhuc præliari non desinunt contra istam veritatem veritatis inimici: quorum plures, cum sint uxorati vel concubinarii vel conductitii, sacrificant licet interdicti. Et quia magnarum congregationum cathedrales clerici sunt hujusmodi conductitiorum conductores et protectores, non est leve prælium quod movent. Præliati sunt ergo et præliari non desinunt, persequendo omnes qui in Christo pie vivere volunt; sed malo suo, quia taliter congregati in prælium, congregabuntur in judicium. Unde, cum dixisset heic congregare illos in prælium, addidit, dicens: « Ad diem magnum Omnipotentis (*ibid.*). » Nam dies magnus Omnipotentis dies erit judicii, sine dubio magnus, sicut Propheta dicit: « Juxta est dies Domini magnus, juxta et velox nimis. Vox diei Domini amara. Turbabitur ibi fortis (*Soph.* I, 14), etc. »

CXLVIII. Juxta est, ait ille; et verum est. Nam etsi aliqua mora videtur ex quo ille prophetavit usque ad illum diem magnum Omnipotentis; at certe prope est unicuique mors et præsentis vitæ finis, et nescitur quando venturus sit. Ait ergo confestim: « Ecce venio sicut fur (*Apoc.* XVI, 15). » Malus servus dicit in corde suo: Moram facit Deus venire. Dominus autem dicit: « Ecce adsum, cito venio (*ibid.*); » additque « sicut fur, » videlicet negligentibus et dormientibus formidandus. Furis namque similitudinem ipse sibi adhibere dignatus est, dum præmisso servis suis præcepto ut vigiletis, « quia nescitis, » inquiens, « qua hora Filius hominis venturus est (*Matth.* XXIV, 44), » ait: « Illud autem scitote, quoniam si sciret pater familias qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam (*Luc.* XII, 39). » Eadem intentione vel causa, qua illic dicit: « Sint lumbi vestri præcincti: beati servi illi quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes (*ibid.*, 35); » continuo et hic subjungit: « Beatus qui vigilat et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, et videant turpitudinem ejus (*Apoc.* XVI, 15). »

CXLIX. Hoc propter magnum suum diem Omnipotens intulit, quia promissum erat congregari reges terræ in prælium, in loco qui vocatur Hebraice Hermagedon. Quos illos congregavit? Utique reges, quia de regibus congregatio ista scribi cœpta est. Sunt autem heic diversi, imo oppositi et contrarii reges. Nam de bonis regibus præmissum fuerat, ut pararetur via regibus ab ortu solis: de malis vero subjunctum: « Et procedunt ad reges totius terræ, congregare illos in prælium (*ibid.*, 14). » Quos ergo regum istorum congregavit in loco qui vocatur Hebraice Hermagedon, vel quis congregavit illos in tali loco? Non enim singularem aliquam personam præmiserat, neque aperte distinguit quos, malos an bonos congregaverit. Ergo dicere licet, quia bonorum et malorum congregatio heic illa præsignata est, de qua non ignoramus, quia cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, tunc congregabuntur ante eum non solum reges, sed etiam omnes gentes illic in prælium mirabile congregabuntur; quia illic videlicet prælii bonorum et malorum mirabilis et horrendus finis statutus est. Ille status recte designatur hoc nomine, quod heic ponitur

(8) Si sacramenta ritu ecclesiastico etiam foris celebrata *inviolabilia sunt*, ut paulo supra Gerhohus ipse concessit, intelligi vix potest quomodo in sacrificio foris peracto Christi corpus non habeatur, cum præsertim et sacramentum et sacrificium uno eodemque actu celebretur. Itaque hæc vel de illis intelligenda sunt qui ordinationis vitio in hæresi sacerdotio carent, vel de fructu ipso sacrificii accipienda, qui certe hæretico sacrificanti pro hæreticis nullus est. Idem cum proportione dicendum de sacrificio mali sacerdotis pro conductitiis, etc.

Hermagedon. Interpretatur enim *consurrectio in priora*, sive *mons globosus*. Congregationem vero illam recte significat, ubi et sancti reges qui venerunt ab ortu solis in priora consurgent, et ad judicandum sedebunt; et mali reges, tanquam mons globosus, tollentur cum diabolo suo principe; quia tunc revera dicetur monti huic : » Tolle te, et mitte te (*Matth.* XXI, 21), » non jam in mare, sed in profundum gehennæ. Nunc priusquam veniat illa dies magna, in qua sancti reges universi universaliter consurgent in priora; iidem reges quique suo tempore in anteriora extenti, et obliviscentes quæ retro sunt, in anteriora consurgunt. Cujus rei spectaculum jucundum cum late per Dei gratiam pateat, maxime in successoribus beati Petri oculos bonos delectat, et oculos malos cruciat.

CL. Pontifices enim Romani cum privilegia ecclesiis supra petram fundatis vel fundandis donant, Petri apostolorum principis auctoritate illa præcipue instituta roborant, quæ fundamento Ecclesiæ primitivæ concordantia judicant. Unde si aulica illa instituta in sæpe notata regula institutis apostolicis posteriora proferantur in medium cum prioribus et melioribus illis trutinanda in sede apostolica; non dubium priora illa illic approbanda, et posteriora ista prioribus contraria omnino esse reprobanda. Nam etiamsi posteriora ista de anterioribus habeant quædam sibi immista in prænotata regula, necessitate tamen cogente sic est aliqua damnationis ustione cauterianda, et velut aqua fluminis Babylonici desiccanda, ut in matricibus Ecclesiis hujus aquæ inundatione occupatis præparetur via regibus ab ortu solis; aut si hoc semel et simul non potest fieri, attamen tam tortuosa regula demonstretur esse aqua Babylonica flumini Euphratæ assimilata cum paradisiacis aquis lacuna Babylonis intermista, et ideo cavenda, ne in ea propter bonas Patrum sententias in unum congestas, etiam illud recipiatur, quod eisdem penitus adversatur. Ut enim de cæteris taceamus, est illic sermo beati Augustini dicentis : « Nulli licet in societate nostra habere aliquid proprium. Si qui habent, faciunt quod non licet. » Deinde quasi licitum quadam regali, ut dicunt, pietate ibidem conceditur, ut res propria et domus privata contra doctrinam beati Augustini præmissam possideatur. Quod concessum sancta sedes apostolica non recipit, sicut in præmissis Urbani papæ et martyris, item Urbani papæ secundi et papæ Paschalis evidenter claret. Item Nicolaus et Alexander pontifices Romani, quasi ex uno ore præcipiendo statuerunt ut sacrorum ordinum clerici, statutis Patrum de continentia obedientes, juxta Ecclesias quibus ordinati sunt, sicut oportet religiosos, simul maneant, manducent et dormiant; neque privata illis concedunt habitacula, solis conjugatis clericis a beato papa Gregorio indulta, et caste in congregatione viventibus omnino interdicta, utpote in quibus est occasio multa pravi-

A tatum et turpitudinum. Quod non ad plenum perpendisse vel in sua regula præcavisse pium regem Ludovicum non est mirum; quia non regi vel imperatori, sed Petro piscatori data est auctoritas confirmandi fratres, Domino dicente : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni cœlorum (*Matth.* XVI, 18). »

CLI. Inter portas inferi, quas Patribus exponentibus accepimus esse pravas doctrinas vel tyrannicas violentias, non absurde possumus computare supradictæ aulicæ regulæ pravam doctrinam, tanto periculosiorem, quanto illi secretius latent pestifera venena multo salubrium doctrinarum circumlita
B melle, dum sanctorum Patrum sanis institutis opposita et intermista est illa concessio regalis, qua conjungitur domus ad domum, et ager agro copulatur. Si enim, docente propheta : Væ his qui conjungunt domum vel agrum sæcularem domui vel agro sæculari cupiditate avaritiæ; quanto magis qui contra interdicta legis divinæ domui vel agro proprietatis suæ, unde sibi sufficienter abundant, jungere audent domum vel agrum, unde pauperes nihil habentes, ut Deo expedite servientes debent vivere? Dubitari poterat aliquando hanc regulam inter portas inferi deputandam, quando sub ea in multis ecclesiis erat honesta conversatio, et religionis canonicæ saltem umbra qualiscunque, propter
C habitas et usitatas vitæ claustralis quasdam formulas : quæ quasi vectes erant ejusdem portæ, quandiu tenebatur in consuetudine. At nunc, eisdem vectibus abjectis et valvis omnino patulis nullo repagulo tardante, neglectis claustralibus habitaculis, luxuriose nimisque irreligiose vivitur in domibus privatis, et gratia Dei transfertur in luxuriam, et sacræ militiæ stipendio militatur diabolo. Nam etiam illi qui communi dormitorio et refectorio aliquoties utuntur, et interdum quando et quantum eis libet in cubilibus suis propriis morantur, in alternatione tali patentes inveniunt sibi portas infernales; quibus utinam sublatis eleventur portæ cœlestes et æternales, disciplinæ videlicet regulares et vere cœnobitales, absque omni fictione ac fermenti
D totius intermistione!

CLII. Cum enim tria fermenta cavenda sacrum doceat Evangelium, Pharisæorum, Sadducæorum et Herodis; in bene dispositis claustris neque Pharisæorum placent phylacteria immoderatum rigorem præferentia, neque Sadducæorum laxa dissolutio in qua nulla est ad resurrectionem digna præparatio, neque dominatio Herodiana, in qua regnat superbia cum sævitia. Etenim theologo Joanne asserente, omne quod in hoc mundo est, aut concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia est vitæ, in qua est concupiscentia in hoc sæculo dominandi. Ex tribus istis concupiscentiis, illa quæ est oculorum, subest in phylacteriis, ac fimbriis magnificis cæterisque ostentationibus Pha-

risæorum. Illa vero quæ est carnis, principatur in conviviis cæterisque luxuriosis dissolutionibus Sadducæorum, spem resurrectionis minime habentium. Porro illa quæ est in hoc sæculo dominandi, tyrannizat in hominibus ambitiosis, vel dominantibus in hoc mundo; vel, quod pejus est, etiam dominantibus in clero. Quo contra boni et religiosi homines contra Sadducæorum fermentum sobrie, contra Pharisæorum juste, contra Herodis pie vivunt in hoc sæculo, exspectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. Cujus ex quo apparuit benignitas et humanitas, benedictio parata est coronæ anni benignitatis, et campi ejus replentur ubertate, bono semine in filiis regni multiplicato eo copiosius, quo semen filiorum gehennæ ab homine inimico superseminatum et usque ad vicinam messis ultimæ imminentiam toleratum, quandiu erat adhuc teneritudo utriusque germinis; nunc ubi hoc salvo tritico fieri potest, ab angelis messoribus a tritico separatur cautius et diligentius. Primæ, ut præmissum est, messis in hoc anno benignitatis messores, erant apostoli a Domino in labores aliorum introducti. Ultimæ hujus messis, de qua nunc agitur, messores erunt angeli, ut se habet assertio evangelica, Domino docente, quod ager est mundus, bonum semen filii regni, zizania filii gehennæ, messores angeli : per quos primum zizania sunt colligenda in fasciculis ad comburendum, et deinde triticum congregandum in horreum Domini

CLIII. Quæ omnia ultima quidem ventilatione in magna virtute per angelos creduntur ita ut prædicta sunt effectu manifesto complenda. Verumtamen quia « labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est (*Malac.* II, 7); » non absurde creditur et speratur per sacerdotum quædam angelica ministeria etiam nunc ante finem sæculi talia fieri ex parte, cum scriptis luculentis pravi mores tanquam zizania fasciculis alligata igne infernali demonstratur punienda; et boni mores tanquam grana triticeæ messis ostenduntur cœlesti præmio remunerari debere. Quod in libris moralibus beati papæ Gregorii clare invenitur : qui sciens reprobare malum et eligere bonum, vitiis et virtutibus morum caute ab invicem discernendis bene invigilavit loquendo et scribendo, quia angelus Domini exercituum erat, contra phalangas vitiorum caute ordinans exercitus morum et virtutum.

CLIV. Similiter et reliqui pastores et doctores catholici probantur esse angeli messores, vel sicut jam diximus, vitia et virtutes tanquam zizania et triticum separantes, vel filios gehennæ a filiis regni sic distinguentes, ut eorum vel sermones audiens vel scripta legens evidenter agnoscere valeat, utrum malum in aliquo sit ordine Catholicorum, sive monachorum sive clericorum Deo ita militantium, ut merito habitare debeant in æternis tabernaculis; sive laicorum qui talibus taliter militantibus ita

A obediunt, et de mammona iniquitatis bene faciunt, ut cum defecerint, ab ipsis quos obediendo et bene agendo sibi amicos fecerunt, recipiantur in æterna tabernacula; dum qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet, et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet. Sed in recipiendo prophetam, cavendus est pseudopropheta; in recipiendo justum, cavenda est falsa justitia. Et ideo necessaria est messorum diligentia separans a granis zizania, ne pro bonis recipiantur mala, pro veris falsa. Quia enim de duobus nunc ordinibus loquimur, clericorum videlicet et monachorum, quos amicos facere de mammona iniquitatis expedit hujus mundi divitibus, recipiendo in clerico prophetam et in monacho justum, ne
B in nomine prophetæ falso vel in nomine justi falso quis decipiatur; clericorum et monachorum quidam sic inveniuntur cauteriati, et nomine prophetarum sive justorum sic privati, ut nemo nisi fatuus eos recipiat in nomine prophetæ vel justi.

CLV. Beatus Benedictus in Regula sua quatuor genera monachorum designat : quorum duo sub nomine justorum approbat, cœnobitarum videlicet sub Regula et abbate militantium, et anachoretarum seu eremitarum solitudine gaudentium et jugitate orationis fruentium. Duo vero monachorum genera deterrima omnino reprobat; Sarabaitarum scilicet sine regula et abbate inordinabiliter viventium, et gyrovagorum per varia loca discurrentium. Quis
C ergo istos a tanto messore abjectos putet sub nomine justorum censendos vel recipiendos? Perditur eleemosyna talibus data, ex quo eorum conversatio cognoscitur nomine justitiæ privata. Similiter in clero sunt designata genera in nomine prophetarum suscipienda, videlicet communiter viventium, secundum laudabile discipulorum Christi exemplum, quibus erat cor unum et anima una in Deo, nec quisquam eorum aliquid suum esse dicebat; vel secundum canones in Ecclesia se populumque regentium, neque terminos a Patribus constitutos transgredientium, vel transgredi sinentium, et more speculatorum superventuros hostium incursus præcaventium, quorum cuique dicitur : « Clama, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam, et annun-
D tia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum (*Isa.* LVIII, 1). » Item : « Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion. Exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem. Exalta, noli timere (*Isa.* XL, 9). » Isti sunt custodes super muros Jerusalem constituti, ut die ac nocte non taceant. Isti sunt septem angeli cum septem tubis, aut septem phialis in Apocalypsi demonstrati. Isti sunt septem stellæ septem Ecclesiarum, et septem candelabra aurea cum septem lucernis ardentibus et lucentibus in conspectu Domini. Sed linum fumigans in sacerdotio falso multas habet manerias, pseudoclericorum videlicet acephalorum, Simoniacorum, conductitiorum, Nicolaitarum et irregularium conventiculorum; quos

ubi manifesta est insipientia eorum, suscipere in nomine prophetarum desipere est, maxime nominatim proscriptos, ut manifeste incestuosos et conductitios a sede apostolica non semel interdictos. Porro conductores eorum, quia et ipsi domum Dei domum negotiationis faciunt, nec ipsi in nomine prophetarum sunt recipiendi, sed arguendi et monendi, atque si redarguti non resipuerint, neque se alienaverint ab hoc negotiationis fermento, ipsi conductores cum suis conductitiis pari sorte censendi, et quasi transgressores canonum publici publice arguendi et cavendi.

CLVI. Velim hic esse commonitos quosdam episcopos et abbates, qui sub nomine plebanorum palliant fœditatem conductitiorum suorum. Conductitius enim est procurator plebis vel minister altaris, qui canonica portione minus accipiendo, subjectione indebita munus ab obsequio suo conductori persolvit. Quam speciem simoniæ beatus papa Gregorius damnat aperte simul cum ea, quæ fit per munus a manu, vel per munus a lingua. Quod si abbas episcopo concedente curam agit alicujus ecclesiæ, potest illic unum de suis fratribus ponere, cui tanquam cœnobitali religione astricto, nulla in decimis et oblationibus assignetur portio canonica, sed illa circa eum servetur dispensatio apostolica, qua distribuebatur unicuique sicut cuique opus erat. Qui vero sine lege claustrali sub lege sunt canonum, sive ab episcopo, sive ab abbate, vel præposito in ecclesiis plebalibus ponantur; secundum canones ibidem stipendiandi sunt, quia dignus est operarius cibo et mercede sua: quam si ordinatori suo ad hoc remittit, ut ipse qualitercunque oves non tam pascat quam furetur et mactet et perdat; quia de turpi lucro suo magis quam de ovibus curat, non est mirum si oves illum non sequuntur, sed ab eo fugiunt, quia non noverunt vocem alienorum. Neque vero hujus perfectionis in se aliquo modo suspicandæ materiam præbent, qua sine sumptu Evangelium prædicans Apostolus multis est mirandus et paucis imitandus, maxime jam ordinatis ecclesiis et ecclesiasticæ militiæ stipendiis, quibus Apostolus absque sumptu prædicans intendebat ordinandis. Proinde inordinata conductio potius quam ordinata institutio nominanda est hujusmodi clericorum subjectio indebita, quæstui alieno laborantium, et de hoc ipso aliquoties murmurantium, quod stipe suo labori debita fraudantur: de qua ipsis videntibus et invidentibus alii parum vel nihil laborantes convivantur et ditantur.

CLVII. Et quidem nimis detestanda est jam notata Simoniæ species in inferioribus personis, utpote sua propria damnatione contentis. Verum in episcopis clericorum ordinatoribus grande imminet periculum sanctæ Dei Ecclesiæ, judicante papa Nicolao, ut quicunque se ordinari permiserit ab eo quem Simoniacum esse non dubitat, una cum ordinatore suo non disparem damnationis sententiam subeat, ut uterque depositus pœnitentiam agat, et privatus a propria dignitate persistat. Et quidem non æstimo de hac re sententiam præcipitandam, sed apostolicam sedem consulendam, utrum præscripta conductionis pactio vel actio simoniacæ pestis vocabulo sit notanda, vel mitius nominanda, cum tamen scripta beati Gregorii papæ diligenter inspecta satis ostendant quo nomine tales negotiationes censeri debeant. Verum ne videamur præjudicia facere judicibus Ecclesiæ, non indecens est a successore Petri super talibus consilium quærere primo sine personarum proditione, ut parcatur eorum famæ, sed consulatur cautelæ, si forte audientes talia in sede apostolica improbari, et cauterio simoniacæ pravitatis notari, studeant ab his ante proditionem suæ personæ cito emendari: hoc scientes quod hæretica nota Simoniæ forsitan carebunt, si perperam gesta malunt pœnitendo in posterum cavere, quam defendendo suosque monitores persequendo augere. Sicut enim beatus Petrus non recte incedens ad veritatem Evangelii, simulatione sua quosdam cogens judaizare, cum argueretur super hoc a minimo apostolorum, quia benigne recepit admonitionem et emendationem, dignus laude judicatur, neque ob talem excessum reprobatur ejus auctoritas; ita nimirum si episcoporum quis excedit in his quæ simoniace fieri non attendit, et redargutus arguentem diligit, seseque in quibus debet corrigit; puto hunc non inimico homini zizania superseminanti comparandum vel cum illo damnandum, sed inter agricolas computandum, neque cum malis male perdendum, si Filium Dei non persequitur in suis membris, et acquiescit sanis monitis, diligitque grana vera, et sustinet zizania; quo contra mali agricolæ diligunt ac fovent zizania, et graviter sustinent grana.

CLVIII. Sane hic non omittendum puto eam consuetudinem satis esse tolerabilem, qua quidam religiosi abbates et præpositi ecclesiarum plebalium ad sua cœnobia pertinentium curas agunt per seipsos, neque assumunt sibi ad hoc ministerium coadjutores alios, nisi aut fratres suos regulariter institutos, aut clericos litteratos secundum canonum saltem disciplinam sibi per obedientiam alligatos, ut non sit eis liberum vel ab eis recedere, vel sub eis dissolute contra synodales regulas vivere. Qui nimirum taliter astricti non dicendi sunt conductitii, sed adjutores altario servientes et de altario viventes, jugumque etsi cœnobitalis, tamen synodalis obedientiæ sub magistro probabili probabiliter ferentes. Hi nimirum si habentes de suo ministerio victum et vestitum his contenti erunt, non quærentes quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, dum non ad aliud nisi ad ejus obsequium rebus Ecclesiæ utuntur, inter bonos agricolas computari poterunt, etsi non in ordine apostolorum sua omnia relinquentium, tamen in ordine imperfectorum perfectis adhærentium, ipsisque utcunque obedientium, et eos adjuvantium ad agrum Domini excolendum. Vera siquidem grana ex distinctione fructuum suorum

cognoscuntur, dum aliud tricesimum, aliud sexagesimum, aliud affert fructum centesimum. Quod multi doctorum in Dominica messe laborantium sic exponunt, ut in conjugum conversatione recta, et in viduarum seu continentium, sed non virginum castimonia, et virginum perfecta sanctimonia hos fructus intelligendos insinuent; eo quod nemo penitus extra hæc tria genera sobrie, juste ac pie viventium salvari poterit. Nutriuntur sane horum trium generum electa grana inter ipsa zizania, suo tempore sufferenda, et suo tempore auferenda. Quod qualiter fieri oporteat, evangelica nos doctrina patenter informat.

CLIX. Etenim ipse paterfamilias seminis boni seminator, qui dicit: *Ne forte colligentes zizania eradicetis simul cum eis et triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem* (*Matth.* XIII), ipse est rex regni cœlorum, id est præsentis Ecclesiæ vel congregationis sanctorum, in qua bono semini zizania, id est filiis regni filii nequam quos diabolus superseminavit, usque ad messem, id est usque ad consummationem sæculi permisti sunt. Illos tolerari jubet cum dicit: *Sinite utraque crescere usque ad messem*, cum sæpissime citius efflorescant et sublimius crescant, ita ut summos honores in ecclesiasticis gradibus apprehendant: eo quod nihil noceat bonis permistio malorum, quos ante messem pro tempore inviti sustinent, quia corrigere non possunt. Igitur quod præcepturus erat recte, et ut præceptorem decebat, prior ipse fecit, admittens Judam in illo sanctorum numero, quibus potestatem dabat ejiciendi spiritus immundos, et curandi omnem languorem omnemque infirmitatem; ut scias dona Dei pervenire ad illos qui cum fide accipiunt, etiamsi talis sit is per quem accipiunt, qualis fuit et Judas.

CLX. Sciendum tamen quia postquam, ut Lucas scribit, intravit in eum Satanas, et abiit et locutus est cum principibus sacerdotum et magistratibus quemadmodum eum traderet illis, et gavisi sunt et pacti sunt pecuniam illi dare, et spopondit; jam nec ejiciendis spiritibus immundis, nec in languoribus aut infirmitatibus curandis illa potestate apostolica usus est: quippe qui sequenti die inter cœnandum per buccellam intinctam proditor designatus continuo exivit, et antequam eum quem tradiderat in crucem suspenderent Judæi, laqueo se ipse suspendit. Nec vero tam segnis patientiæ veros Christi apostolos fuisse arbitremur, ut postquam ille designatus est, si non exisset, communicare illi potuissent ut prius. Hæc idcirco dicimus, ut zizania, quæ inimicus homo semini bono superseminavit, non absque discretione rerum vel temporum toleranda esse, vel communionem illorum nihil obesse putemus. Cum adhuc esset Judas occultus fur, idque solus sciret Deus Christus, nihil apostolis oberat, quod eis communione vel potestate apostolica commiscebatur. At ubi deterrima ejus iniquitas actu

A prodiit, ut cum inimicis Domini et magistri sui pactum iniret proditionis et homicidii; ubi hoc hominibus notum fecit homo Christus, nunquid rationi placet sine culpa potuisse fieri, ut deinceps illi diabolo aliqua communione homines fideles commiscerentur? Sic nimirum quandiu quilibet filii nequam, quantalibet regno Christi faciant, ita agunt ut tamen sub specie boni, ac nomine Christiano tegantur, solusque quales sint noverit Deus, tolerandi sunt. At ubi manifesto convictos actu notaverit eo nomine, quo digni sunt, Christus qui in Ecclesia loquitur, jam nec ratio nec veritatis regula patitur, ut cum ejusmodi vel cibum sumamus.

CLXI. Sic toleratus est filius ancillæ in domo Abrahæ una cum filio liberæ, donec prodita est
B ejus malignitas evidenti persecutione: qua perspecta, dictum est Abrahæ a matre libera: *Ejice ancillam et filium ejus. Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac* (*Galat.* XXX). Et quomodo tunc is qui secundum carnem, persequebatur eum qui secundum spiritum; ita et nunc. Apostolica enim communis vitæ regula per evangelistam Lucam descripta, jam Deo gratias post longam sterilitatem peperit electam et nobilem prolem; clerum videlicet regularem hæredem universorum quæ habet Ecclesia in spiritalis militiæ stipendium Deo et sanctis ejus oblata. Hunc videntes mali coloni dicunt apud se non recte cogitantes: *Hic est hæres. Venite, occidamus eum, et habebimus hæreditatem ejus*
C (*Matth.* XXI). Item: *Ecce somniator qui accusat fratres apud patrem crimine pessimo. Venite occidamus eum, et videamus quid prosint illi somnia sua* (*Gen.* XXXVII), quibus nostros manipulo suo posthabendos prædicat; cum divina officia ob crimina pessima simoniæ vel apertæ mœchiæ, ut asserit, nobis interdicta vilipendit, suumque ac sibi similium, sicut dicit, rationabile obsequium in divinis officiis plus justo magni pendit. *Venite*, inquiunt, *occidamus eum, et videamus quid prosint illi somnia sua*. Quasi vero pro somniis inanibus et vacuis habenda sint sedis apostolicæ interdicta vel mandata: quæ utique in tantum firma sunt et rata, ut illis cœlum claudentibus non descendat ros aut pluvia, nisi juxta oris eorum verba, quibus in beato Petro data est
D potestas judiciaria. Plura istorum interdicta quasi cœli clausuras possemus demonstrare, sed unum hic sufficiat commemorare.

CLXII. GREGORIUS (9) episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri OTTONI Constantiensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

« Instantia nuntiorum tuorum festinanter redire volentium non permisit, nos fraternitati tuæ quæ in Romana synodo constituta sunt seriatim intimare. Hæc tamen necessario tibi scribenda fore arbitrati sumus. Nos juxta auctoritatem sanctorum Patrum in eadem synodo sententiam dedisse, ut hi qui per

(9) Gregor. VII.

simoniacam hæresin, hoc est, interventu pretii, ad aliquem sacrorum ordinum gradum vel officium promoti sunt, nullum in sancta Ecclesia ulterius ministrandi locum habeant. Illi quoque qui ecclesias datione pecuniæ obtinent, omnino eas perdant; nec deinceps vendere vel emere alicui liceat. Sed nec illi qui in crimine fornicationis jacent, missas celebrare, aut secundum inferiores ordines ministrare altari debeant. Statuimus etiam, ut si ipsi contemptores fuerint nostrarum, imo sanctorum Patrum constitutionum, populus nullo modo eorum officia recipiat; ut qui pro amore Dei et officii dignitate non corriguntur, verecundia sæculi et objurgatione populi resipiscant. Studeat igitur fraternitas tua sic se in his nobis cooperatricem exhibere, seu crimina ista de ecclesiis tuis radicitus evellere, quatenus boni pastoris meritum apud Deum valeas obtinere, et Romana Ecclesia de te sicut de bono fratre et studioso cooperatore debeat gaudere. »

CLXIII. Interdicta hæc illisque similia servantibus, magna imminet infestatio ab eorum transgressoribus, maxime alta loca et officia in Ecclesia tenentibus. Cum ergo tali persecutione claruerit quæ pars moveat, et quæ sustineat injustam violentiam, dignum est ut quasi filius ancillæ, atque ut vere schismaticus projiciatur, qui non jam cum Juda fure adhuc occulto insidias machinatur, sed cum eodem jam detecto per manifesta furoris ac tyrannidis molimina contra bonos debacchatur, et odio maligno non solum quos scit, sed etiam quos putat bonos persequitur, neque cum ipse sit lolium, secum in eodem agro sinit crescere semen bonum; quod si una secum in eodem agro æquanimiter ferret, ferendus et ipse esset. Verbi gratia si quolibet clerico irregularis congregationis mortuo, vel juste deposito, paterentur hoc residui ut in locum decedentis alter succederet, qui relictis propriis in claustro viveret, quoadusque filiis Annæ multiplicatis, filii Phenennæ omnino deficerent, dum sterilis pareret plurimos, et quæ multos habebat filios infirmaretur; possent portari talia portantes, et stipendia sua exterius accipientes, atque etiam si sacris ordinibus carerent, legitima conjugia sortientes, et sub Christiana regula vivendo, ut beatus Gregorius dicit, cor et linguam et corpus, auctore Deo, ab illicitis custodientes. Neque vero inter sic viventes aliqui censentur esse zizania, nisi qui non diligunt meliorum et communiter viventium sanctius propositum; quod qui in se non habentes, in aliis diligunt, aliorum bona diligendo sua faciunt. Qui autem bonos, vel quos bonos putant, non ferunt, nec ipsi utique ferendi sunt.

CLXIV. Qualiter autem zizania cognoscenda, sufferenda vel auferenda sint, beatus Augustinus, unus ex electis messoribus, in libro Quæstionum evangelicarum clero describit dicens: « Bene intelliguntur hæretici zizania in medio tritici, quia non societate unius Ecclesiæ vel unius fidei, sed

A societate solius nominis Christiani permiscentur bonis, ut illi qui in eadem fide mali sunt, palea potius quam zizania deputentur. Inter hæreticos et malos Catholicos hoc interest, quod hæretici falsa credunt, illi autem vera credentes non ita vivunt ut credunt. Solet autem quæri etiam schismatici quid ab hæreticis distent, et hoc inveniri, quod schismaticos non fides diversa facit, sed communis dirupta societas. Qui falsa de Deo credit, vel de aliqua parte doctrinæ quæ ad fidei pertinet ædificationem, ita ut non quærentis cunctatione temperatus sit sed inconcusse credentis, nec omnino scientis opinione atque errore discordans, hæreticus est, et foris est animo, quamvis corporaliter intus videatur. Multos enim tales portat Ecclesia,

B quia non ita defendunt falsitatem suæ sententiæ, ut intentam multitudinem faciant. Quod si fecerint, tunc pelluntur. Item: Quicunque invident bonis, ita ut quærant occasiones excludendi eos, aut degradandi eos, vel crimina sua sic defendere parati sunt, si objecta vel prodita fuerint, ut etiam conventiculorum segregationes vel perturbationes cogitent excitare; jam schismatici sunt, et ab unitate corde discissi, etiamsi non inventis occasionibus aut occultatis factis suis, sacramento Ecclesiæ corporali conversatione socientur. Quapropter illi soli Catholici mali recte deputantur, qui quamvis prædicant vera quæ ad fidei doctrinam pertinent, etsi quid forte nesciunt sed quærendum existimant,

C salva pietate discutiunt sine aliquo præjudicio veritatis, et bonos, aut quos bonos putant, amant atque honorant quantum possunt, tamen flagitiose facinoroseque vivunt, contra quam vivendum esse credunt; tales etiamsi prodantur aut accusentur, pro disciplina Ecclesiæ salutisque suæ causa correpti, vel a communione suspensi, nullo modo a communione catholica sibi recedendum esse putant, quocunque permissi fuerint satisfactionis locum quærentes, et aliquando per pœnitentiam mutantur in frumentum, aliquando sub nomine pœnitentium ita vivunt ut solent, aut multo minus, quidam etiam amplius, nullo modo tamen a catholica unitate discedunt, quibus si mors obrepserit, paleæ deputantur usque in finem. Hoc etiam ipsi credunt. Nam

D si aliter credunt et inconcusse tenent, jam inter hæreticos numerandi sunt. Boni Catholici sunt qui et fidem integram sequuntur et bonos mores. Quod autem ad fidei doctrinam pertinet, ita quærunt si quid quærendum habent, ut absit concertatio periculosa vel quærentibus, vel ei cum quo quærunt, vel eis qui disserentes audiunt. Ita autem docent si quid docendum habent, ut usitata, ut confirmata securissime et fidentissime et lenissime ut possunt insinuent; inusitata vero, etiamsi veritatis manifestatione liquidissima perceperunt, quærendi potius quam præcipiendi aut affirmandi modo, propter audientis infirmitatem. Si enim tantum pondus habet aliquod verum ut vires discentis excedat, suspendendum est, ut extendat crescentem, non im-

ponendum ut opprimat parvulum. Unde est illud : *Filius hominis, cum venerit, putas, inveniet fidem in terra?* (*Luc.* XVIII, 8.) Aliquando etiam occultandum est, sed cum spe hortatoria, ut non faciat desperatio frigidiores, sed desiderium capaciores. Inde est illud : *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo* (*Joan.* XVI, 12). Quod vero ad mores pertinet, hoc bene et breviter dicitur : Aut confligendum est cum amore temporalium bonorum, ut non vincat ; aut edomitus subditusque esse debet, ut cum surgere cœperit facile repellatur ; aut ita exstinctus, ut se omnino nulla parte commoveat. Ex quo fit ut ipsam mortem propter veritatem alii fortiter obeant, alii æquanimiter, alii libenter. Quæ tria genera fructus sunt fertilis terræ, triceni et sexageni et centeni. In horum aliquo genere inveniendus est tempore mortis suæ, si quis de hac vita recte cogitat emigrare. »

CLXV. Hæc dicente sancto Augustino, facile cognoscitur terra bona, melior, optima, fructu tricesimo, sexagesimo, centesimo distincta. Quod si quis numerosius hominum genera salvanda voluerit distinguere præmissa tripertita distinctione ; vel illa nihilominus tripertita, qua duo in lecto, duo in agro, duo in pistrino monstrantur, quorum unus assumitur et alter relinquetur ; mittimus eum ad prædicti Patris volumina, in quibus de omni hominum maneria salvanda invenimus egregia et specialia opuscula. Nam ad instruendam vitam conjugum librum De bono conjugali ; ad erudiendam castimoniam viduarum, librum De bono viduitatis ; ad consummandam perfectionem virginum, librum De virginitate scripsit lucidissime ; atque ad informandos milites et principes, librum scripsit Ad comitem. Porro ad informationes monachorum, librum scripsit De opere monachorum. De vita vero clericorum, scripsit regulam sermone succinctam, sensu copiosam, doctrinæ ac vitæ apostolorum per omnia consonam. Dum ergo doctoris hujus considero libros de ordinibus Ecclesiæ distinctis distincte compositos, quasi quosdam ejus perpendo manipulos cum exsultatione messoris ante dominum messis portandos. Item beati papæ Gregorii scripta lucidissima, quædam sunt regulæ præclaræ de omnibus ordinibus totius Ecclesiæ : dum et in libro Pastoralis curæ clerum, et in Dialogo suo vita Patris Benedicti descripta instruit ordinem monasticum, et in homiliis, et epistolis atque scriptis moralibus cunctum docet populum christianum, secundum quod ei fuit injuncta sollicitudo omnium Ecclesiarum.

CLXVI. Prædictorum ergo et aliorum Patrum orthodoxorum doctrinæ, quædam sunt rectissimæ regulæ ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Unde ab his exorbitantes, necessarium est curari pœnitendi medicina. In qua tamen cavendæ sunt falsæ pœnitentiæ, quæ a nostri temporis messoribus Romanis pontificibus Gregorio VII et Innocentio papa II ita sunt ab agro Dominico exterminatæ, atque fasciculis comburendis alligatæ, ut eorum scripta et interdicta pensantes liquido cognoscere valeant, non magis valere falsam pœnitentiam contra peccatum actuale, quam falsum baptismum contra peccatum originale. Quod cum ita sit, recte movemur et dolore afficimur videntes in Ecclesia Dei quosdam excommunicatos vel interdictos, per falsam pœnitentiam, vel, quod pejus est, per nullam admitti ad Dominici corporis communionem laicam, vel, quod pejus est, leviticam ; quasi flammeus gladius ad custodiendam viam ligni vitæ positus omnino ita sit in diebus nostris exstinctus, ut ad illud pateat accessus ligno scientiæ boni et mali abutentibus, ac pudenda sua tegentibus, vel, quod pejus est, peccata sua etiam manifesta defendentibus. Multos hac tempestate videmus cum Herode vel Herodiade illicita præsumentes, et paucos cum Joanne talia redarguentes.

CLXVII. Et ut a bonis exempla sumamus, multi reges et principes exemplo David regis peccant, sed pauci exemplo ejus emendant. Multi pontifices et sacerdotes exemplo Petri cadunt, sed pauci exemplo ejus resurgunt. Multi animales spiritum non habentes, et omnino inordinate viventes, nulla regula vel cœnobitalis vel saltem Christianæ religionis utentes, manifeste semetipsos a corpore Christi segregant, ita ut nec speciem in se alicujus boni membri ostendant ; et tamen eidem corpori sacramento tenus, nemine prohibente, communicant, aut, quod pejus est, idem corpus immolant atque dispensant. Unde non immerito etiam a quibusdam illitteratis jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur, et pauci sunt qui dicere valeant vel dicant cum apostolo : « Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei (*I Cor.* IV, 1). » Item : « In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, ut non vituperetur ministerium nostrum (*II Cor.* VI, 4). » Solummodo gladiis et fustibus, minis et terroribus exigunt plures talium, ut non vituperetur ministerium eorum, cum sit vituperabile in oculis Dei et hominum.

CLXVIII. Itaque, deficiente nunc humano consilio et auxilio, Domine, refugium tu factus es nobis a generatione in generationem, quia in te solo nobis est fiducia, quod mittas et ejicias operarios in messem tuam ; mittas voluntarios, ejicias etiam invitos, quos tu nosti esse idoneos operarios : quales optamus esse omnes omnium Ecclesiarum prælatos, et maxime apostolicæ sedis antistites, cardinales atque legatos, ut videlicet per ipsos corrigatur sicubi a cæteris erratur. Mitte, Domine Jesu, angelos tuos in messem tuam, qui colligent de regno tuo omnia scandala, et de campis tuis omnia zizania, inter quæ non minimum est illa sæpe notata regula ; cujus malæ frutices in campis suis uberiora occupant loca, ita ut, sicut Amos propheta deplorat, desiccatus sit vertex Carmeli, et

lugeant speciosa pastorum. Ait enim: « Dominus de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam. Et luxerunt speciosa pastorum, et exsiccatus est vertex Carmeli (*Amos* I, 2). »

CLXIX. Non ergo solum *te decet hymnus, Deus, in Sion*, sed etiam rugitus de Sion. Quia sicut hymnus est vox exsultationis in tabernaculis justorum sanctæ civitatis Sion sive Jerusalem civium, sic rugitus est vox terroris, tanquam de ore leonis in terribilibus judiciis super speciosis pastorum, et de vertice Carmeli. Olim super speciosa pastorum et super verticem Carmeli Deus majestatis intonuit, quando Judæorum sacerdotibus in pretioso et specioso templo gloriantibus et dicentibus: « Templum Domini, templum Domini, templum Domini est (*Jer.* VII, 4): » e contra vox Domini confringentis cedros, id est humiliantis falsos gloriosos, redarguit eos in verbis mendacibus, eo quod ipsis in templo Dei latrocinantibus, jam non esset illud templum nominandum, sed spelunca latronum, atque justo judicio divino, superveniente rege Babylonis, omnia templi speciosa essent vastanda, et vertex Carmeli, superbia videlicet Judæorum in scientia circumcisionis quod sonat Carmelus vane gloriantium, foret humiliandus, et subtracta sibi pluvia desiccandus. Quod et factum est, primo per primam Babyloniam, secundo per secundam Babyloniam, Romam, captivatis Judæis atque vastatis omnibus eorum speciosis: ita ut etiam nubibus non pluentibus imbrem gratiæ super Carmelum, cujus nomen quia *scientia circumcisionis* interpretatur, omnem Judaicæ religionis demonstrat cultum; recte ipse Carmelus comparetur montibus Gelboe, pro eo quod nec ros nec pluvia cœlestis gratiæ veniat super Judaicas observantias, quantumlibet speciosas, et ex scientia legis et circumcisionis gloriosas. Recte itaque luxerunt speciosa pastorum, in quibus Deo non fuit beneplacitum: et recte siccatus est vertex Carmeli, subtracto sibi rore et imbre cœlesti. Quod autem de falsis Judæis carne tantum et non fide vel imitatione filiis dictum est, contra gloriam eorum vane gloriantium in speciosis pastorum et vertice Carmeli; hoc idem procul dubio nunc Spiritus dicit Ecclesiis: in quibus cum sit cultus parietum speciosus et multo auro fulgidus, mentium situs neglectus invenitur et sordidus.

CLXX. Vertex etiam Carmeli desiccatus comprobatur, quando cujuslibet Ecclesiæ angelo in vertice pontificalis apicis exaltato vere dici potest: « Charitatem primam reliquisti (*Apoc.* II, 4); » vel: *Quia tepidus es, incipiam te evomere* (*Apoc.* III, 16); vel: *Nomen habes quod vivas, sed mortuus es* (*ibid.*, 1); vel: *Nescis quia tu es miser et miserabilis, et cæcus, et nudus* (*ibid.*, 17). Quidnam ista contra Ecclesiarum angelos dicta significant, nisi verticem Carmeli desiccatum? Sed cum dicitur unicuique talium: « Pœnitentiam age (*ibid.*, 19); » spes datur veniæ simul et gratiæ, cujus rore ac pluvia vertex Carmeli denuo rigatus irriguo superiori et inferiori madeat ac germinet, fructusque dignos pœnitentiæ faciens, pro urtica libidinis myrtum castitatis, et pro saliunca desidiæ abietem ferat vitæ contemplativæ simul et activæ: quæ ambæ notantur in abiete, quæ in terra stans, in altum crescendo erigitur, ut ejus radicatio inferius et celsitudo superius doceat nos terrena despiciendo in usu tenere, cœlestia suspiciendo in desiderio sancto ardere.

CLXXI. Ablatis igitur hujusmodi urticis, et saliuncis, quales gignit humus inculta, et nullo vel cœnobialis vel saltem Christianæ regulæ aratro versata secundum Patrum sana documenta; tu qui maledicis ficulneæ foliis tantum sine fructu venustæ, malignæ videlicet Synagogæ, habitu pomposæ, a virtutibus vacuæ, *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ*, fertilitatem donando post multam sterilitatem: et sic effusa benedictione tua, campi tui eatenus inculti, nunc bene culti replebuntur ubertate omnino sufficiente ad implenda horrea Dominica ultimæ illius messis copia, in qua tollenda sunt omnia zizania. Campi tui, homines scilicet æquitate justitiæ pleni, replebuntur ubertate bonorum operum: et cum lugeant speciosa pastorum, de quibus jam supra dictum est: econtra pinguescent speciosa deserti; quia repudiatis Judæis eorumque similibus, pietatis quidem speciem habentibus ac proinde speciosis, virtutem vero ejus abnegantibus ac proinde contemptibilibus; pauperes evangelizantur, non solum ex Judæis, verum etiam ex gentibus, mundo contemptibiles, Deo autem qui corda videt speciosi. Hi tales deserti et derelicti a sæculo, pinguescunt intus coram Deo, cui et dicit quisque talium. « Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea (*Psal.* LXII, 6). » Quo contra illi quibus dicitur: « Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta (*Luc.* XIII, 35); » etsi foris opulentia temporalium bonorum sint incrassati, impinguati, dilatati, pinguedine carent vituli saginati: quem dum interdicti et a Spiritu sancto deserti sacramento tenus immolant et manducant, rei fiunt corporis et sanguinis ejus, non participes pinguedinis ipsius.

CLXXII. De hac ipsa pinguedine *pinguescent speciosa deserti*, dum pauperes hoc sæculum deserentes et ab ipso deserti, digne sacrificant vel manducant corpus Domini, per quod fiunt participes Spiritus sancti, qui est pinguedo vituli saginati. Animales autem seipsos segregantes, spiritum non habentes, etsi assidue sacrificent vel communicent, jejuni sunt ab hac pinguedine, qua, ut dictum est, *pinguescent speciosa deserti, et exsultatione colles accingentur*. Colles in hoc deserto specioso, vel in his campis ubertate repletis illi possunt intelligi qui quoniam se humiliant exaltabuntur, et in hac ipsa exaltatione tunc exsultabunt in gloria coram simul discumbentibus, cum dicetur cuique illorum: « Amice, ascende superius (*Luc.* XIV, 10). » Vertex Carmeli desiccatus, ut supra ex parte ostendimus

multum dissimilis est istis collibus, præ multitudine dulcedinis ipsos inebriantis gaudentibus et exsultantibus. Isti namque secundum quod spiritus eorum adhærens Deo unum efficitur cum eo, intus exsultatione replentur; sed secundum quod corpus humilitatis ipsorum configurabitur corpori claritatis ejus, etiam forinsecus exsultatione accingentur.

CLXXIII. Et quia de numero talium fiunt quidam magistri gregum rationabilium; sicut ob gratiæ prærogativam colles, ita propter commissos greges dicuntur arietes, qui prænotata exsultatione cum cæteris quidem collibus accingentur, sed præ cæteris induentur, ita ut quisque illorum cum propheta dicere valeat: « Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Domino meo. Quia induit me vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis (*Isai.* LXI, 10). » In sponsi nomine paternum, sed in sponsæ maternum pensa pietatis affectum: cui merito geminum debetur ornamentum, tam sponso quam sponsæ decentissimum. *Et colles abundabunt frumento.* « Montes » quidem « exsultabunt ut arietes, et colles sicut agni ovium (*Psal.* CXIII, 4), » tum exsultatione colles accingentur, et arietes eadem exsultatione tanquam nuptiali veste induentur. Sed valles hujusmodi collibus inferiores, videlicet sancti et humiles corde, nulla præditi ecclesiastica dignitate, abundabunt frumento virtutum spiritualium, quales Apostolus enumerat, dicens: *Fructus autem Spiritus est: charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, castitas* (*Galat.* V, 22). Hujusmodi fructibus abundantes non tacebunt a laude vel gratiarum actione, qua clamabunt, non contra Dominum, sicut blasphemi arrogantes et murmurantes, aut etiam sua merita jactantes, aliaque tacenda loquentes; quod non est abundare frumento, sed spinas et tribulos germinare:

CLXXIV. Clamabunt ergo tam colles quam valles, tam prælati quam subjecti, assidue orando et laudando Deum, seu gratias illi agendo. Contra verbum peregrinationis, quod eis fuit causa diuturnæ captivitatis, clamabunt prædicando verbum salutis, quod eis erit causa efficiens reversionis. Illo verbo venundati super flumina Babylonis non canendo, sed flendo sederunt, quia hymnum de canticis Sion in terra aliena cantare non potuerunt. Isto verbo redempti, et in Jerusalem cœlesti nunc spiritu positi, posthac etiam carne transponendi, resumunt organa pridem suspensa, hymnumque de canticis Sion tanto solemnius frequentant, quanto elongantes a Babylone, supernæ Jerusalem portas expeditius intrant.

CLXXV. Cum enim scriptum sit: *Introite portas in confessione, atria ejus in hymnis;* isti a Babylone reversi stant in atriis Jerusalem. Etenim hymnum dicent, quem non dicerent, si extra hæc atria essent. *Hymnum dicent*: non qualem decuit in camino ignis dici a paucis tali martyrio aptis in medio Babylonis; verbi gratia sub persecutione spurcissimi et nequissimi Neronis; sed hymnum, de quo in principio cantici hujus præcipui de canticis Sion dictum est: *Te decet hymnus, Deus, in Sion.* Quis est iste hymnus, nisi post omnium regum Babyloniorum, quorum Antichristus erit ultimus, destructionem, et civitatis Jerusalem reædificationem, cantus exsultativus qualis in ultimis septem psalmis invenitur expressus, ubi universalis Ecclesia, vel quælibet ecclesiastica persona de gladio maligno liberata, vel in spe, vel quod melius est, in re sic exsultat in rege suo Christo, ut non solum tres pueri seu viri fortissimi, sed etiam filiæ Sion exsultent in rege suo regi Babylonis valde opposito. De rege Babylonis dicit Daniel: « Quos volebat interficiebat, quos volebat percutiebat, quos volebat exaltabat, quos volebat humiliabat (*Dan.* V, 19). » Quos inquit, volebat, non quos debebat.

CLXXVI. Propterea igitur filiæ Sion exsultant in rege suo, qui dicit: « Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me Patris (*Joan.* VI, 38); » quia ille neminem quantumlibet carnaliter propinquum exaltat, nisi prout causa æquitatis postulat. Qui etiam fratres suos Judæos existente culpa reprobat, et neminem percutit vel humiliat, quem fides et humilitas commendat. Unde nec gentiles a gloria sanctis præparata repellit, quos alias dignos esse constiterit. Ac proinde ipse est rex justitiæ dignus gloria et honore, dignus hymno civium Sion, prout *te decet hymnus, Deus, in Sion.* Etenim hymnum dicent juvenes et virgines cum junioribus, pusilli cum majoribus unanimiter canentes: Gloria Patri, cujus templum est mirabile in æquitate; gloria Filio, ipsi templo; gloria Spiritui sancto, qui est illa pinguedo, qua pinguescent speciosa deserti. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto, uni ac trino Deo, tam in templo admirabili æquitate quam in campis ubertate repletis. In templo illum glorificent sacerdotes et levitæ mirabili æquitatis observantia; dum inter populum mediatores non declinent ad iniqua judicia, vel Deum fraudantes, minus annuntiando quam debent ejus justitiam; vel populum fraudantes, minus quam decet increpando ejus peccata. Item in campis repletis ubertate glorificet illum totus populus christianus afferens illi gloriam et honorem in fructibus justitiæ vel dignæ pœnitentiæ. Amen, amen, amen.

Epistola Eugenii tertii papæ ad Gerhohum, quo approbat opusculum supra descriptum.

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei dilecto filio G. Reicherspergensi præposito, salutem et apostolicam benedictionem.

Scripta devotionis tuæ benigne recepimus, et fervorem tuæ religionis ex eorum inspectione manifeste cognovimus. Concaluit enim cor tuum intra te, et in meditatione tua exardescit ignis. Ignitum quoque eloquium tuum vehementer. Super hoc itaque quod contra pessimas novitates, commotiones

quoque, quæ contra Ecclesiam Dei et personas ecclesiasticas oriuntur, te zelo charitatis exardescere cognoscimus, paterno affectu gaudemus, et devotionem tuam in Domino collaudamus. Verum quoniam bonum est incipere, sed multo melius consummare, dilectionem tuam in Domino commone- A mus ut in bono proposito firmiter perseveres, quia nos personam tuam, tanquam litteratum et religiosum virum, paterna charitate diligimus, et in quibus secundum Deum possumus honorare et manu tenere volumus.

GERHOHI EPISTOLA

AD EBERHARDUM ARCHIEPISCOPUM SALZBURGENSEM.

Serenissimo domino suo et Patri E. venerabilis Ecclesiæ Juvavensis archiepiscopo, frater G. de Reichersperg devotus, orationes cum fidei obedientia.

Partem expositionis Psalmorum, quam necdum vidistis, nunc offero perspiciendam vestris columbinis et aquilinis oculis : columbinis propter simplicitatem pietatis ; aquilinis propter acumen subtilitatis. Porro de oculis corvorum sinistre judicantium de scriptis meis ego parum curo, dummodo placeant oculis dilecti et dilectæ : dilecti, cujus oculi sicut columbæ, quæ lacte sunt lotæ, et resident juxta fluenta plenissima ; dilectæ, cujus oculi columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. Proinde vos, Pater in Domino charissime, dignemini perlegere opusculum filioli et servuli vestri, et si quid in eo vos offendit, mihi significate sine dubio favente Dei clementia vel emendandum vel rationabili defensione muniendum.

PARS SEPTIMA.

INCIPIT PROLOGUS GERHOHI.

Præcedentis partis psalmo ultimo ad sedem apostolicam directo diffusius, quam psalmi requirebat expositio, evagati sumus, dum exordinationes, quas in Ecclesia Dei fieri videmus et dolemus, auribus apostolicis fideliter et sufficienter exponere gratia Dei favente conati sumus, credentes et sperantes quod de throno apostolici regiminis per sanctæ recordationis papam Eugenium procederent fulgura et voces et tonitrua contra multimoda errorum monstra et exordinationum portenta. Et ad hæc quidem persuadenda illum Deo gratias benevolum, doctum et attentum invenimus auditorem præsentata ei per nostram personam prædicti psalmi expositione, pariterque audita per os nostrum de his quæ scripseramus, etiam vivæ vocis exhortatione; C sed effectum nostro affectui desiderabilem non invenimus, quia illi beato viro jam tunc velut alteri Eliæ persecutionibus plebis Romanæ tanquam Jezabelis impiæ vexationibus gravato, vel etiam ut alteri Jonæ tempestatibus vexato mors optabilior fuit quam vita, ita ut cum Elia diceret : *Sufficit mihi*, B *Domine, tolle animam meam* (*III Reg.* XIX, 4). Vel cum Jona : *Melior est mihi mors quam vita* (*Jon.* IV, 3).

Quam vero illi fuerit accepta nostræ parvitatis persuasio, illud sine dubio erat pro indicio, quod nostræ humilitatis personam postea destinavit pro Ecclesiasticæ fidei ac disciplinæ seminibus mittendis in duo magna regna, Ungarorum videlicet atque Rutenorum, quo tamen venire non potuimus propter offensam regis Ungarici, pridem per nos increpati, et ob hoc nobis irati. Illius igitur tanquam alterius Herodis seu Pharaonis devitantes incidere manus cruentas, legationis ministerium nobis injunctum non potuimus exsequi, eo quod scriptis nostris missis in Ungariam tetigeramus prædicti crudelitatem Herodianam. Sic dilato, et ablato legationis ministerio in personam nostram per Eugenium papam destinato ille beata morte obiit, suique fervoris ac bonæ voluntatis apud nos, imo et in tota sancta Ecclesia dulcem reliquit memoriam dolentibus multis, quod post illum in sede apostolica

non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi, sicut epistolæ ac gesta contestantur succedentis ei papæ Anastasii senis infirmi, de quibus non est modo dicendum per singula, cum nullus hominum judicare debeat de Petri successoribus sive cum illo gladium vibrantibus et mare calcantibus, sive cum illo inter ministros mortis trepidantibus et in tempestate periclitantibus. Hoc tamen dicimus pro persona parvitatis nostræ, quod papa Eugenio velut altero Elia sursum rapto, quia non vidimus ei substitutum quasi alterum Eliseum, consternati sumus in tantum, ut ponereraus ori A nostro silentium pene penitus cessando ab opere in Psalmos cœpto, contenti orationum et lectionum studio. Nunc autem, quoniam Adrianus (10) papa, qui successit Anastasio, de spiritu papæ Eugenii vel potius de spiritu Petri apostoli, seu etiam de spiritu ipsius Christi hoc habet, ut quos bonos credit, aut novit, diligat, et pro lege Dei sui certantes manuteneat, quasi exspergefacti de somno tristitiæ per resurrectionem sopitæ ad tempus lætitiæ septimæ huic parti exordium demus a psalmo 65, qui intitulatur *De Resurrectione*.

(10) Nicolaus Brakspere Anglus e collegio cardinalium, dictus Adrianus IV, anno 1154.

PSALMUS LXV.

B *Jubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini ejus, date gloriam nomini ejus*, etc. Psalmus iste ac duo continuatim sequentes in splendidam Moysi faciem tendunt, cum a littera legis mysticum sensum trahendo inde materiam sumunt. Nam præsens hic psalmus inde trahit materiam, ubi scriptum est in libro Numeri : « Factum est autem in die qua complevit Moyses tabernaculum, et erexit illud, unxitque, et sanctificavit cum omnibus vasis suis, altare similiter, et vasa ejus, obtulerunt principes Israel et capita familiarum munera coram Domino sex plaustra tecta cum duodecim bobus, etc. (*Num.* VII, 3). » Non sine grandis mysterii significatione factum est, quod completo atque erecto tabernaculo jubente Domino singuli duces per singulos dies C offerunt munera in dedicatione altaris, et omnium eadem sunt munera, ut Dominus ordinavit. Nempe primo die obtulit oblationem suam Naasson filius Aminadab de tribu Juda acetabulum argenteum pondo trecentorum triginta siclorum, phialam argenteam habentem septuaginta siclos juxta pondus sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium, mortariolum aureum centum viginti siclis aureis plenum incenso, bovem et arietem et agnum anniculum in holocaustum, hircumque pro peccato, et in sacrificio pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Similiter singuli duces reliquarum tribuum quisque in die sua obtulerunt munera ejusdem quantitatis et pretii. Æqualia obtulerunt universi, D et non fatigatur calamus Moysi duodecies eadem dicere per singulas duodecim tribus eisdem verbis eisdemque plene syllabis.

Quid hoc sibi vult, nisi quia mysterium grande isto quoque loco legis littera subtegitur. Igitur et nunc ad eum respicimus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, qui in semetipso legem adimplevit, quemadmodum dicit : « Nolite putare, quia veni legem solvere ; non veni solvere, sed adimplere (*Matth.* V, 17). » Utique adimplendo et hanc partem legis vocavit ad se, quos voluit ascendere in montem, et venerunt ad eum, et fecit ut essent duodecim cum eo, et ut mitteret eos prædicare, et dedit eis potestatem curandi infirmitates et ejiciendi dæmonia. « Et cum, » inquit Marcus, « audissent sui, exierunt tenere eum. Dicebant autem : Quoniam in furorem versus est (*Marc.* III, 21). » At ille vere et unice beatus vir non in furorem versus erat, sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabatur die ac nocte, quippe qui ipsum totius legis sacrarium erat. Tunc meditabatur legem implere, id est secundum præsens legis hujus mysterium duodecim spiritualium castrorum duces ordinare. Nam et hoc respiciens eisdem apostolis dicit alio loco : « Amen dico vobis quod vos, qui reliquistis omnia, et secuti estis me, in regno, cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX, 28). » Dixerat enim illi Petrus : « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te : quid ergo erit nobis ? (*ibid.*, 27.) Multum eos honoravit, multum honorem et grande præmium signavit, cum illis ita respondit. Vult enim intelligi se quidem Dominum esse tabernaculi cœlestis, ipsos autem duces fore tribuum Domini, de quibus Psalmista cum dixisset : « Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum, » continuo subdidit : « Illic enim ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israel ad confitendum nomini Domini (*Psal.* CXXI, 3) ; » et quod illis ducibus duodecim filiorum Israel jussum est facere vel offerre corporaliter,

hoc ab ipsis vel per ipsos implendum fore spiritualiter. Quando enim erectum unctumque et sanctificatum est cum omnibus vasis suis tabernaculum istud cœleste, cujus secundum exemplar tabernaculum istud Moyses fecit? tunc utique quando tabernaculi pontifex Jesus Christus Filius Dei sanguinem suum fudit, in quo universam Ecclesiam, quanta collecta fuerat ab origine mundi, remissionem peccatorum conferendo unxit et sanctificavit. Subsecuti denique confestim principes isti boves et plaustra obtulerunt ad portandum tabernaculum vel tabernaculi sanctuarium, dum patriarcharum et prophetarum fidem per mundum universum prædicandam susceperunt. Hoc modo ipsi plaustra sunt, ipsi rectores, ipsi portitores Ecclesiæ sunt.

Obtulerunt singuli acetabulum argenteum pondo centum et triginta siclorum, qui numerus ex unitate centena et ternario deceno consistens unius Dei triumque personarum recte significat fidem. Phialam quoque argenteam habentem septuaginta siclos, qui numerus ex denario, septenarioque compositus, evangelicam septiformis Spiritus sancti gratiam et legis, cujus decem præcepta sunt, veram designat scientiam. Obtulerunt etiam mortariolum aureum centum triginta siclis aureis incenso plenum, id est Christum Dei Filium consona voce prædicaverunt, cujus de virgine concepti corpus aureum, corpus immaculatum omne in se continens puræ orationis incensum pretiosum, mortis passione pro nobis est contribulatum. Hæc illi obtulerunt, hæc ad laudem, et gloriam Dei prædicaverunt singuli die suo, id est unusquisque secundum mensuram gratiæ vel revelationis, quam accepit a Deo, ab uno eodemque Domino Spiritu sancto. Et alii quidem plures, alii pauciores ad fidem traxerunt. Sed idem omnes eodem Spiritu et eodem sensu prædicaverunt quemadmodum isti principes tribuum alii plura, alii pauciora suæ tribus millia sub manu habuerunt, sed omnes æqualia, cuncta eadem vasa obtulerunt. Et illi quidem similam in vasis; similam, inquam, visibilem oleo visibili conspersam obtulerunt, isti autem spiritum legis in littera latentem veram et invisibilem similam prædicaverunt, verum et vitalem cibum animarum credentium.

Obtulerunt nihilominus bovem et arietem et agnum anniculum in holocaustum hircumque pro peccato, et in sacrificio pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc, inquam, principes nostri singuli obtulerunt. Nam prædicantes aliis, ne ipsi reprobi fierent, semetipsos afflixerunt, semetipsos etiam passionibus objecerunt. Nam ipsi sunt, quorum singuli in psalmo, quem nunc versamus, dicunt : *Et locutum est os meum in tribulatione mea, holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum, offeram tibi boves cum hircis*. Istorum namque principum totus iste psalmus vox est, ac si dicat quisque eorum : Etiam in tribulatione positus aliis prædi-

A cabo, et ut ipsi ad idem meo inducantur exemplo, et hic interim offeram tibi holocausta medullata, id est, me ipsum factum holocaustum medullatum totum interiori charitatis igne combustum, incensis arietibus, incensis bobus et hircis omni repugnantia, omni extollentia, omni fœditate vitiorum carnis et spiritus. Nam idcirco quinque sunt arietes, quinque sunt agni, quinque sunt hirci, quia videlicet in quinque sensibus caro, cum licet, lascivit. Concordat sensui nostro

Titulus :

(Vers. 1). In finem canticum psalmi resurrectionis. Mittit namque hic titulus auditores attentos *in finem*, quando completo ædificio cœlestis taberna-
B culi dedicandum est ipsum tabernaculum resurrectione universali, quod nunc de die in diem fabricatur, quoadusque omnibus columnis et tabulis cum omni structura ejus consummatis elucescat dies dedicationis, quæ intelligitur dies *resurrectionis* universalis, cujus aurora jam spargit polum, dum sancti posthac resurrecturi corporaliter nunc resurgunt spiritaliter complantati, videlicet non solum similitudini mortis Christi per holocausta medullata et cætera sacrificia in hoc psalmo notata, sed etiam similitudini resurrectionis ejus jubilando, et gloriam laudi ejus dando, qui et primitias resurrectionis in semetipso exhibuit resurgens a mortuis multis corporibus sanctorum cum ipso resurgentibus,
C et ejusdem resurrectionis gloriam promisit non electis tantum de Judæa, sed etiam vocatis ex multitudine gentium de omni terra. Propter quod dicitur :

Jubilate Deo omnis terra. Jubilate Deo, ut sit *canticum* laus vestra, et ut sit *canticum psalmi*, *psalmum dicite nomini ejus*. Et hoc quidem universale universalis spei *canticum* est, ut omnes jubilemus, qui resurrecturi sumus, propter quod et universaliter dicit hic psalmus : *Jubilate Deo, omnis terra. Psalmum dicite nomini ejus, date gloriam laudi ejus*, etc.

Verumtamen et sæpe dicto pugnatori decantat, quo ordine sperare debeat, quo tenore liberatrix gratia speranda proponatur. *Iniquitatem*, inquit,
D *si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus*. Ac si dicat : Si ego, qui pugnare debeo contra legem, quæ est in membris meis, iniquitatem eorumdem membrorum meorum dilexi et libenter aspexi, tacitus, *non exaudiet Dominus*, ut gratia sua liberet me de corpore mortis hujus. Nam *aspexi*, inquit pro eo, ut *dilexi* diceret, ideo videlicet, quia ad id, quod diligimus, frequentius oculos retorquemus. *Propterea exaudivit Deus*, quia *locutum est*, ut prædixi, *os meum in tribulatione mea*, confessus sum in infelicitate mea, scilicet in carnis repugnantia et dixi : *Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum, offeram tibi boves cum hircis*. Per *arietes* omnem repugnantiam carnis, per *boves* extollentiam, per *hircos* omnem malorum operum fœdita-

tem vult intelligi, quæ omnia se offerre dicit, dum confitendo et pœnitendo punit.

Hoc sine dubio pertinet ad *canticum resurrectionis*, quia sic agendo prima resurrectione, quæ est animæ, resurgit. Judæi ex justitia legis sperabant temporalia bona, et sibi solis resurrectionem beatæ vitæ, licet in ea non intelligerent alia bona vel oblectamenta nisi terrena. Propter quod quæstioni Sadducæorum de septem viris mulieris respondere non poterant nescientes inde solutionem Christi: « Neque nubent, neque nubentur (*Matth.* XXII, 30), » non est enim necessaria successio, ubi non erit decessio. Contra hanc præsumptionem et superbiam illorum ostenditur in hoc psalmo ad eamdem spem resurrectionis pro fide gentes quoque vocatas, ut quo præcessit Christus primitiæ resurgentium, eo nostra tota suspendatur intentio. Unde vocatur *canticum resurrectionis in finem*, id est, exsultatio de resurrectione futura per Christum, quæ et *psalmi* dicitur, quia propter hanc bene operari monemur.

Hac igitur spe Ecclesia læta primo monet omnes de resurrectione Christi, qui vitam dat, gaudere. Secundo incipientes ad opera Dei consideranda invitat, ut quos unum exspectet præmium, una fides conjungat, ubi illa opera Dei exponens aperte dicit gentes resurrecturas repulsis Judæis, ibi : *Venite, et videte opera Domini*. Tertio gentes monet Deum benedicere quod, licet nos tribulationibus probet, tamen ducit ad regnum : *Benedicite, gentes, Deum nostrum*. Quarto non jam rudes sed devotos monet, ut suæ liberationis exemplo amplius confidant in Domino, ibi : *Venite et audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum*. Ergo sicut dictum est in isto cantico resurrectionis in hoc solemni tripudio universalis dedicationis tabernaculi, quod fixit Deus, et non homo, jubilet non sola Judæa, sed omnis terra invitantibus ad hoc festum dedicationis universam terram Sanctis Apostolis, ac dicentibus :

VERS. 2. *Jubilate Deo omnis terra*. Quinque terrigenæ et filii hominum simul in unum dives et pauper, Judæus et Græcus, Barbarus et Scytha, masculus et femina pariter *jubilate* pro gaudio istius dedicationis, pro festo videlicet resurrectionis. *Jubilate* in cordibus vestris ista magnifice gaudendo, ut ipsum gaudium nostrum sit plenum, et ita mirificum, quatenus nec silentio tegi, nec eloquio explicari valeat. Ne autem talis jubilatio cordium remanens in occulto non ædificet foris eam bonis operibus ostendendo ad Dei gloriam, non tamen ostentando ad jactantiam.

Psalmum dicite, id est, opera bona facite non nomini vestro dilatando, sed *nomini ejus*, qui de tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum, posuitque in tabernaculum suum, vel potius vos ipsos fecit tabernaculum suum, in quo cunctis diebus, quibus nunc militat, suosque hostes de vobis et in vobis expugnat, festum vobis futuræ dedi-

A cationis præparat, quod tunc perficietur, cum debellatis inimicis omnibus canet novissima tuba non jam concitando milites ipsius ad pugnandum, sed excitando ad resurgendum : « Canet enim tuba illa, et mortui resurgent incorrupti et nos immutabimur (*I Cor.* XV, 52), » id est, omnino sanctificabimur, et dedicabimur, qui nunc in tabernaculo isto bene militamus, quique ipsi tabernaculum Dei sumus, de quo alias dicitur : « Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis, et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus (*Apoc.* XXI, 3). » Et tunc absterget Deus in illa dedicatione omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, sed jubilatio perpetua. Ut ergo ad
B illam sempiternam jubilationem veniatis præparati et exercitati, etiam nunc *jubilate* ac *psalmum dicite nomini ejus* bene operando.

Neque vobis inde captetis gloriam; sed *date gloriam nomini ejus*, non industriæ vestræ sicut Judæi, qui meritis suis dant justitiam, et gentibus invident gratiam. Si gloriari oportet, non expedit quidem, non glorietur homo in virtute sua, sed in Domino, qui ad hoc elegit infirma mundi et ea, quæ non sunt, ut confundat fortia, et ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret, ut non glorietur omnis caro coram illo, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, deponit potentes de sede, et exaltat humiles. Unde nimis timendum est ne gra-
C tiam quam dedit humili, subtrahat eidem de ipsa gratia superbienti. Quia ergo non virtus humana, sed Divina operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate, magnopere timendum est, ne, si opus divinum voluerimus attribuere humanæ virtuti, gratia subtrahatur. Sic accedit Judæis qui, cum dicerent : Videmus, cæci facti sunt. Sic accidit hujus mundi philosophis qui dicendo se sapientes, stulti facti sunt. Sic omnis, qui se existimat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit, nec pro aliqua dignitate vel generis nobilitate sic vane gloriantibus judicii divini severitas parcit. Si enim Deus naturalibus ramis olivæ ultra mensuram suam nimis elatis non pepercit, quomodo ramis oleastri contra naturam tali olivæ insertis vane
D gloriando excrescentibus parceretur? Vide ergo bonitatem Dei et severitatem; bonitatem quidem in eos, qui olivæ inserti *jubilando* et bene *psallendo dant gloriam* non sibi, sed *nomini ejus* in omni terra; severitatem vero in eos, qui inter Dei dona non Deum, sed se glorificantes et de sua virtute gloriantes decidi meruerunt. Ideo cum prius dixerim : *Jubilate*, quod ad gaudium spectat, ne forte quis exsultet sine tremore, cum alias dictum sit : « Servite Domino in timore; et exsultate ei cum tremore (*Psal.* II, 11), » nunc dico :

VERS. 3. *Dicite Deo, quam terribilia sunt opera tua, Domine!* Vos ipsi, qui cum exsultatione jubilatis Deo pro aliquo dono vobis collato in re vel in spe, simul in tremore ac timore tremendi ejus ju-

dicit dicite ipsi Deo : *Quam terribilia sunt opera tua, Domine!* Quis ad plenum pensare valeat, *quam terribilia sunt opera tua, Domine*, cum proximos tuos Judæos repuleris, et filios amicorum tuorum patriarcharum quasi hostes, imo vere hostes et inimicos devastaveris ?

Quod nimirum justo judicio fecisti, quoniam *in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui*, ex amicis tuis geniti. Non suffecit eis mentitos esse multoties *in multitudine virtutis tuæ*, verbi gratia, cum dicerent, in Beelzebuth ejicere te dæmonia, et, *Non est hic homo a Deo, qui Sabbatum non custodit* (*Joan.* IX, 16), quin insuper adhuc ad cumulum suæ nequitiæ *in* multa *multitudine virtutis tuæ*, cum tu ex mortuis resurrexisses, et multa corpora sanctorum suscitasses, emerunt a militibus tui Sepulcri custodibus tale mendacium, quod apud eorum posteros divulgatum adhuc manet et manebit usque in finem sæculi, cæcatis hoc ipso mendacio Judæis omnibus exceptis paucis reliquiis juxta vaticinia prophetarum salvandis et salvatis. Ideo non solum tunc mentita est iniquitas sibi, sed et *mentientur tibi* mendacio, non tibi sed illis nocivo, qui amant ipsum mendacium reliquiis illis inde liberatis, quas tu veritas liberas. « Nam et ego Israelita sum (*Rom.* XI, 1), » ait Apostolus, cum de reliquiis ageret partim salvatis et partim salvandis, etiam se computans inter hujusmodi reliquias. Et in omnibus quidem tuis operibus agnoscitur *multitudo virtutis*, quia tu operatus es opera, quæ nemo alius fecit, videlicet non ut cæteri sancti aliena virtute divisiva, precibus impetrata, fecerunt mirabilia, sed *in multitudine* ac plenitudine *virtutis tuæ* propriæ agens imperiose, verbi gratia imperans ventis et mari, et obedierunt; imperans dæmonibus ut tacerent vel exirent, et obedierunt; imperans mortuis ut resurgerent, et obedierunt. Hanc *multitudinem virtutis tuæ* centurio ille agnovit, qui tibi dixit : « Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. » Dic, inquit, « verbo, » videlicet non deprecativo, sed imperativo, *et sanabitur puer meus*. Atque ut humana quoque ratiocinatione comprobaret se verum dixisse, addidit : « Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic : Vade, et vadit; et alii : Veni, et venit; et servo meo : Fac hoc, et facit (*Matth.* VIII, 8 *et* 9). » Ergo, inquit, « verbo tantum dic, et sanabitur puer meus. » In omnibus hujusmodi mirabilibus factis tuis abundavit tibi multitudo propriæ tuæ virtutis. Unde quando inter talia preces fudisti ut in suscitatione Lazari, hoc fecisti pro solo exemplo, non tibi, sed nobis necessario, quoniam tu *in multitudine virtutis tuæ* omnia, quæcunque voluisti, fecisti, quorum hoc fuit præcipuum, quod potestatem habens ponendi animam tuam et iterum sumendi eam propria potestate *in multitudine virtutis tuæ* resurrexisti, et alios tecum resurgere fecisti, et in te ipso primitias dormientium item *in multitudine virtutis tuæ* suscitandorum dedicasti. Revera non solum tu in multitudine virtutis tuæ surrexisti, sed etiam illos in eadem virtute suscitasti, quoniam et tibi mors ultra non dominabitur, et de illis fidelissime creditur, quod qui in testimonium tuæ resurrectionis jam peractæ, ac nostræ adhuc futuræ surrexerunt, ulterius ad sepulcra non redierunt, sed jam stolas geminas acceperunt, quod etiam de beatissima virgine Maria, quamvis certa non affirmetur assertione, tamen æstimatur pia opinione, ut videlicet stolam geminam non solum in anima, sed etiam in spiritu glorificata jam acceperit, cujus corpus, ut fertur, humanitus quidem a sanctis apostolis fuit sepultum, sed in sepulcro postea non est inventum, sicut et corpus Dominicum post sepulturam suam non est in sepulcro inventum.

Nec mirum, si *in multitudine virtutis tuæ*, qua matris virgineum corpus resuscitasse fideliter æstimaris, *mentientur tibi inimici tui*, cum etiam *in multitudine virtutis* indubitatæ, qua Divinum propriæ carnis tabernaculum triduana sepultura complicatum, denuo erectum dedicasti, *mentiantur tibi inimici tui*. Et tu quidem virtutis hujus opus mirificum proprio testimonio commendasti dicendo : « Solvite templum hoc, et post triduum reædificabo illud (*Joan.* II, 19). » Item : « Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus (*Matth.* XII, 40). » Sed *inimici tui* nihilominus negantes hoc templum corporis tui reædificatum sive dedicatum, sed *mentientur tibi*, ut hoc ipsum mendacium tibi, non ipsis ad honorem proveniat. Inimici hominis domestici ejus aliquando sic de illo mentiuntur, ut ejus per mendacium gloria minuetur, sed tua gloria per hoc amplius magnificatur, quod *in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi* inimici tui. Si enim de te mentientibus inimicis non fuisset crucifixus (11). Nam si te *in multitudine virtutis tuæ* principes cognovissent, non te crucifixissent. Si non fuisses exaltatus in cruce, non omnia traheres ad te : neque tu, granum frumenti, posses multiplicari fide populorum, nisi mortificatus fuisses mendacio judiciorum. Creditum est ergo inimicis tuis de te mentientibus ac te seductorem sive magum dicentibus, ut virtus in infirmitate perficeretur, imo et multitudine virtutis tuæ multitudo infirmitatis nostræ absorberetur, et morte tua mors nostra moreretur juxta illud : O mors, ero mors tua. Similiter adhuc hæreticis aliisque falsiloquis de te mentientibus amplius clarescit veritas eloquiorum tuorum defendentibus orthodoxis ipsam doctrinam tuæ veritatis *in multitudine virtutis*. « Non enim erubesco Evangelium, » ait Apostolus; « virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judæo primum et Græco (*Rom.* I, 16). » Judæus tamen incredulus Evangelio tuo contradi

(11) Forte, *si enim mentientibus de te inimicis creditum non esset, non fuisses crucifixus.*

cens mentietur tibi, quia multitudinem virtutis tuæ in eo non vult videre, sed mavult invidere gentium saluti. Ut ergo amplius invidendo videat, unde torqueatur,

VERS. 4. *Omnis terra adoret te, et psallat tibi.* Quia rami naturalis olivæ fracti sunt, rami silvestris oleastri pro eis inserti ferant fructum pinguedini radicis congruum. Abraham principalis radix olivæ « tres vidit, et unum adoravit (*Gen.* XVIII, 2, 3). » Sed isti carnales filii Abrahæ opera ipsius Abrahæ nolunt facere, quia te Deum verum nolunt adorare, imo quærunt te interficere. Hoc Abraham non fecit: Abraham Pater istorum exsultavit, ut videret diem tuum, et vidit, et gavisus est; isti autem et viderunt et oderunt et te et Patrem tuum. Propterea istis reprobatis, et gentibus eorum loco subrogatis dilatetur Ecclesia toto terrarum orbe diffusa, et sic *omnis terra*, id est omnis Ecclesia in *omni terra* te adoret, te timeat, te diligat, te sequatur, ut dum jugiter per vestigia tua graditur, ad cœlestia promissa te ducente pervenire mereatur. *Adoret te* veritatem, et in te veritate adoret Patrem veracem, quia « veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate (*Joan.* IV, 23), » dum Spiritu sancto eos vivificante ac sanctificante, simulque te veritate ipsos illuminante corde puro et conscientia bona et fide non ficta diligunt illum, et in illo te ipsius Filium unigenitum, qui ex ipso Patre natus ante initia omnium sæculorum, et ex matre virgine genitus es in fine sæculorum. Propterea æque ut Patrem tuum Deum verum *te* nihilominus Deum verum simulque hominem verum consubstantialem Patri simul et matri *omnis terra*, id est omnis Ecclesia simul cum Patre *adoret* corde credendo ad justitiam et ore confitendo ad salutem. *Psallat tibi* operibus fidei congruentibus. Et ne inter operandum surrepat inanis gloria proprii nominis jactantia, *psalmum* totius bonæ operationis *dicat*, et ascribat *nomini tuo*, non suo.

Hic apud Hebræos interponitur *Sela*, et apud nos *Diapsalma*. *Sela* interpretatur *Semper*, quia *semper* nomini Domini est psallendum. *Diapsalma, distinctio* psalmi, notat hic personas mutari. Facta etenim apostrophe convertitur ad alloquendos ipsos adoratores, de quibus quasi absentibus fuit locutus.

VERS. 5. *Venite*, inquit, *et videte opera Dei*. Quidam codices habent: *Omnis terra adoret, psalmum dicat nomini tuo*, Altissime, quod idem est, ac si dicatur: Quanquam *in multitudine virtutis mentientes tibi inimici tui*, te negent Altissimum pro eo, quod te vident novissimum virorum cum iniquis reputatum: tamen absque omni vera contradictione tu Filius Altissimi simul cum illo et in illo es unus Altissimus æque ut Pater tuus adorandus, o Altissime, propter Divinitatem tuam semper altissimam et propter humanitatem tuam gloria et honore Divinitatis coronatam et exaltatam non ad mensuram, A sicut exaltantur sancti cæteri, quorum nullus dicitur Altissimus, quantalibet gloria inveniatur sublimatus: verbi gratia, Petrus vertex apostolorum nimis est honorificatus, et post illum sive cum illo cæteri amici tui nimis honorati sunt. Nullus tamen inter omnes illos est Altissimus tibi comparandus. O Altissime, non solum in tua excelsa Divinitate, sed etiam in tua ineffabiliter exaltata humanitate. Sic lapis, quem reprobaverunt mendaces mendacia sua fabricantes, exaltatus et in caput anguli factus est Altissimus, et hoc est mirabile in oculis nostris. Ad hoc ergo mirabile spectaculum simplici oculo contemplandum *venite, et videte* vos, gentes, veritatem quærentes, quam reprobant Judæi mentientes.

B Super hunc locum beatus Gregorius papa dicit in homilia (12): « Sciendum est valde ut in omni quod agimus, omnipotentis Domini semper consilia occulta timeamus, ne, dum mens nostra exterius fusa a sua voluptate se non revocat, intus contra eam judex terribiliter adversa disponat. Quod bene Psalmista intuens ait: Venite, et videte opera Dei, quam terribilis in consiliis suis super filios hominum. Vidit itaque quod alius misericorditer vocatur, alius justitia exigente repellitur: et quia alia parcendo, alia Dominus irascendo disponit, expavit, quod penetrare non potuit: et quem non solum investigabilem, sed etiam inflexibilem vidit, terribilem in consiliis esse memoravit. »

Venite itaque credendo, *et videte* intelligendo, quia C nisi credideritis, non intelligetis. *Videte opera Domini*, quia Dominus est iste Filius hominis, et facit mirabilia magna solus, quia una cum Patre ac Spiritu sancto ipse solus est altissimus, præsentissimus et secretissimus, misericordissimus et justissimus, ideoque *terribilis in suis consiliis super filios hominum*, inter quos quem vult indurat, et cui vult miseretur suo secretissimo consilio discernens quem induret, quemque mollificet, sive quem de fluxo, et lubrico faciat solidum. Quod nimirum facere illi est consuetum,

VERS. 6. *Qui convertit mare in aridam*, id est amara, turbida, procellosa gentium corda convertit ad fidei soliditatem et castitatis ariditatem. Talis arida sitit imbrem cœlestis gratiæ, et desuper compluta reddit fructum sanctimoniæ. Et illi, qui con- D versi sunt *in aridam*, non tamen evaserunt adhuc flumen fluxæ mortalitatis, in qua more fluminis velut unda supervenit undæ, alia veniunt, alia transeunt, alia transitura succedunt. Sed qui credunt in Christum, non suffocantur, aut merguntur sub flumine isto, quoniam *in flumine* isto *pertransibunt pede*, sicut quondam filii Israel pertransierunt pede sicco per medium Jordanis arca Dei præcedente, atque viam in medio fluminis pandente. Hi in curribus et hi in equis venerunt, qui populum Dei pedibus mare Rubrum transeuntem cum Pharaone persecuti sunt et in mediis fluctibus obruti

(12) Lib. I, homil. 4 in Evang.

sunt. Sed filii Israel pertransierunt pede absque curru superbiæ vel equo lasciviæ. Sic et modo in flumine mortalitatis undosæ quisque pedestris, id est humilis facilius transit, quam si vectetur equis aut curribus Ægyptiacis elatus, videlicet superbiæ vehiculis.

Et est quidem in transitu isto nonnulla mœstitia, dum nescit homo, utrum sit perventurus ad littus æternæ stabilitatis. At cum pervenerimus illuc, *ibi lætabimur in ipso*, qui sicut olim convertit mare Rubrum in aridam faciens viam populo suo, et sicut fluenta Jordanis divisit: ita et modo per baptismum traducit populum suum submerso spiritali Pharaone cum omni comitatu suo, atque per fluenta prætereuntis mortalitatis traducit gradientes pede humilitatis non saltantes pede superbiæ, de quo alias dicitur: « Non veniat mihi pes superbiæ (*Psal.* XXXV, 12). » Veniet autem hic pes superbiæ, si lætabimur in nobismetipsis, aut in hujus mundi vanitate, ac non in Domino. Ideo *lætabimur in ipso*, et non nisi in ipso.

VERS. 7. *Qui dominatur in virtute sua in æternum.* Nostra virtus nobis æterna non est, qui cecidimus in peccatum virtuti contrarium, ac de peccato lucrati sumus pœnam repleti multis miseriis, de quibus erui non possumus, nisi per illum, *qui dominatur in virtute sua in æternum.* Si enim virtutis ejus erimus participes, in illo erimus fortes, non nostra, sed ipsius virtute; ipse autem non aliena, sed sua propria virtute fortis est, velint nolint inimici ejus mentientes ei in multitudine virtutis suæ, quam quia mentientes negant Judæi salvatis de numero eorum paucis electis ac minutis reliquiis, cæteris vero cæcatis et induratis: *Oculi ejus super gentes respiciunt*, apostolis ejus, qui sunt oculi corporis ejus, ita dicentibus: « Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repulistis illud, et indignos vos judicastis vitæ æternæ, ecce convertimur ad gentes (*Act.* XIII, 46). Inde Judæi repleti zelo invidiæ murmurant, et suis murmurationibus Deum exasperant, atque ideo *qui exasperant, non exaltabuntur in semetipsis*, id est, quandiu fiduciam habent in se suisque meritis vel in carnalibus observantiis. Desinant igitur gloriari vel confidere in semetipsis et una cum gentibus agnoscant infirmitatem propriam, qua recognita consequi poterunt medicinam sicut et gentes.

Diapsalma. — VERS. 8. *Benedicite, gentes, Deum nostrum et auditam facite vocem laudis ejus.* Judæi, qui gratiam gentibus invident, et in hoc Deum exasperant, merito suæ perversitatis repulsi sunt: et vos, *gentes*, in semine Abrahæ benedictionem accipitis juxta promissionem Dei ad ipsum Abraham dicentis: « In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ (*Gen.* XXII, 18). » Ideo et vos, *gentes, benedicite* Deo, a quo benedicimini; et proximis, quos propter ipsum diligitis, *auditam facite vocem laudis* non vestræ, sed *ejus*, cujus gratia sumus, quod sumus. *Benedicite Deum* toto corde, tota

A anima, tota fortitudine diligendo eum, et proximos diligendo sicut vosmetipsos. *Auditam facite* illis *vocem laudis ejus*, ut hac voce per vos audita etiam ipsi diligant Deum exemplo vestro ex toto corde, ex tota anima, et ex tota fortitudine. *Vox laudis ejus* cum sonet ubique in Scripturis veritatis, tamen illa specialiter *vox laudis ejus* est, quæ audita est vel in baptismo vel in transfiguratione ipsius Patre dicente: « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite (*Matth.* XVII, 5). » Igitur audite, simulque *auditam facite vocem laudis ejus* coram regibus et principibus, ut agnoscatur hic homo Deus Dei Filius juxta *vocem laudis ejus.* Qui etiam per hoc agnosci potest verus Deus, quod in me David, vel in me quolibet pœnitente, verbi

B gratia, in me Petro apostolo talia operatus est, qualia nemo potest operari nisi solus Deus. Quæ sunt illa? Hæc scilicet:

VERS. 9. *Posuit animam meam ad vitam, et non dedit in commotionem pedes meos.* Certe qui *posuit animam meam ad vitam*, testimonium dedit sic operando, quod vere ipse Deus est. Anima mea posita fuit ad mortem, quando ego Petrus tertio negavi Dominum, vel quando præsumpsi ultra modum. Sed ipse *posuit* eam *ad vitam* respiciendo me, suoque respectu faciendo, ut flerem amare. Item quando tertio interrogans me, an amarem se, deditque mihi veraciter confiteri tertio amorem sui, etiam tunc *posuit animam meam ad vitam*, quæ negatione trina posita fuit ad mortem.

C Etiam quisque cæterorum principum de numero duodeno similiter gratias agere potest ei, *qui posuit animam* suam *ad vitam, et non dedit commoveri pedes ejus.* Nimirum talis gratiarum actio similis est illi oblationi, quam fecerunt principes duodecim tribuum, quando completum est tabernaculum et erectum, in die dedicationis duodecim boves illi obtulerunt ad subvehendum tabernaculum. Duodecim boves isti sunt, qui de Judæa in gentes tabernaculum Dei portaverunt pedibus bovinis, discretis et fortibus, ita ut quisque illorum gratias ageret ei, *qui non dedit commoveri pedes ejus.* Singula singulis conferamus. Duodecim boves illi principes obtulerunt ad subvectionem tabernaculi. Duodecim boves

D isti principes exstiterunt, et nimis confortatus est principatus eorum ad supportandum vivum tabernaculum, cujus ipsi non solum duces a Judæa in gentes, verum et columnæ ac bases fuerunt, quia supra fundamentum ipsorum apostolorum et prophetarum innititur totius tabernaculi hujus ædificium. Principes illi acetabula duodecim argentea et phialas duodecim argenteas obtulerunt, isti principes in hoc psalmo dicunt:

VERS. 10 et 11. *Quoniam probasti nos, Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.* Sic nimirum probato et examinato argento ipsi assimilati acetabulis, et phialis argenteis inveniuntur, illis antiquis tanto meliores, quanto melioris testamenti sunt ministri et annuntiatores meliorisque libaminis

propinatores. Illi obtulerunt mortariola duodecim aurea incenso plena : isti psallunt et dicunt : *Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra. Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.* Quod idem est, ac si dicant : Per impositas nobis *tribulationes* et per subjectiones humillimas etiam pessimis hominibus in cathedra Moysi super capita nostra exaltatis, tuæ passioni, rex Christe, sumus complantati, atque tibi tanquam in mortariolo aureo assimilati. Sumus quoque incenso pleni, vel quia transivimus *per ignem* tentationis, vel quia flagramus igne dilectionis, quo liquefaciente duritiam nostram dum fiunt nobis lacrymæ panes die ac nocte, inducimur per hujusmodi *aquam in refrigerium*, pro certo habentes, quia « si complantati facti sumus similitudini mortis Christi, simul et resurrectionis erimus. Si compatimur, et conregnabimus (*Rom.* VI, 5). » Etsi nunc inter beatos lugentes flemus, posthac accepta consolatione ridebimus. Non enim fallis nos tu veritas, quæ dicis : « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (*Matth.* v, 5). » Item : « Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis (*Luc.* VI, 21). » Item : « Beati eritis, cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et exprobraverint, et ejecerint nomen vestrum tanquam malum propter Filium hominis, gaudete et exsultate : ecce enim merces vestra multa est in cœlo (*Luc.* VI, 22, 23). » *Sic transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium*, dum partim in spe, partim in re tenemus ex tuis promissionibus certissimum solatium. Quod autem principes illi obtulerunt bovem et arietem, et agnum anniculum in holocaustum hircumque pro peccato, et in sacrificio pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque supra in proœmio psalmi hujus est expositum, qualiterque conveniat apostolis Novi Testamenti principibus eorumque sequacibus, quorum quisque in præsenti cantico dicit :

VERS. 13, 14 et 15. *Introibo in domum tuam in holocaustis, reddam tibi vota mea. Quæ distinxerunt labia mea. Et locutum est os meum in tribulatione mea. Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum : offeram tibi boves cum hircis.* Quærat quis et dicat : Quare offers hæc omnia? Ideo scilicet, quia Deus meus, cui in præsenti psalmo jubilo, et jubilandum suadeo, *posuit animam meam ad vitam, et non dedit in commotionem pedes meos. Posuit animam meam ad vitam* resurrectione prima suscitando eam de morte peccati ad vitam fidei et justitiæ, quia « justus ex fide vivit (*Gal.* III, 11). » Præterea firmavit et non dedit commoveri pedes meos ab illa firmitudine spei, quia certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem, qua resurrectione secunda vivificabit et mortale corpus meum configurando illud corpori claritatis suæ, ut fiat plena tabernaculi hujus dedicatio. In cunctis diebus, quibus nunc milito, exspecto, donec veniat illa talis immutatio, illa videlicet solemnis dedicatio et sanctificatio totius illius tabernaculi, quod est Ecclesia catholica. Et hoc unde spero, Deus meus? Inde videlicet, quoniam *probasti* et non reprobasti *nos igne* tribulationis vel tentationis, vel etiam dilectionis, quo igne sic *examinasti nos, sicut examinatur argentum*, quod per ignem non convertitur in cinerem sicut ligna, fenum, stipula, sed accipit purgationem consumpta in eo tota scoria, vel sorde, ut sit fabricabile, nec frangatur, sed dilatetur crebra tunsione malleorum, sicut percussionibus frangitur argentum sordidum non bene decoctum vel probatum seu examinatum. Bono igitur ordine primo nos *examinasti, sicut examinatur argentum* per ignem charitatis, quæ non siuit sentiri vel gravia videri tormenta tribulationis, et postea sic examinatos et probatos *induxisti nos in laqueum* per sanctioris propositi votum voluntarium tua nobis inspiratione persuasum. Inde Sapientia dicit cuique nostrum : « Illaqueatus es propriis sermonibus (*Prov.* VI, 2). »

Postquam ergo sic nos illaqueasti, qui tale votum nobis inspirasti, deinde *posuisti tribulationes in dorso nostro*, dum cogeremur obedire duris præceptis hominum, quos posuisti *super capita* nostra, dum super nos extulisti magistros onera gravia nobis imponentes, et omnino digito suo ea movere nolentes. Nos tamen eadem præcepta portavimus, ubi tuis præceptis eadem non esse contraria intelleximus, et in hoc tibi obedivimus dicenti : « Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia ergo, quæ dicunt vobis, facite, secundum opera vero eorum nolite facere (*Matth.* XXIII, 2, 3). » Amplius autem tribulati sumus, quando malis tibique non placitis præceptis hominum super capita nostra positorum restitimus dicentes : « Quoniam obedire oportet Deo magis quam hominibus (*Act.* v, 29), » quantumlibet super capita cæterorum hominum exaltatis vel spiritali vel mundano principatu, si divinis præceptis contraria præcipiunt. Bonis quoque hominibus capiti nostro superpositis dum libenter obediremus, prout debuimus, tribulationis molestia non caruimus, quia in arcta via strictæ ac justæ obedientiæ non desunt infestationes diabolicæ atque humanæ volente diabolo vel per se vel per alios iter nostrum vel omnino intercludere vel saltem utcunque tardare. Sic multis modis *posuisti tribulationes in dorso nostro*, dum *posuisti homines super capita nostra*, quibus recta, vel non recta imperantibus multas tribulationes in via justitiæ habuimus, et interdum tormentis, interdum quoque blandimentis tentati sumus. Sed quia fides vera nec terrore concutitur nec blandimento seducitur, nos in fide constantes effecti *transivimus per ignem et aquam; per ignem* videlicet tormentorum et *per aquam* blandimentorum ad similitudinem fortissimi viatoris, qui nec æstu nec pluvia tardatur, vel cessat a via nolens alicubi sui cur-

sus finem ponere nisi ad locum destinatum in patria sua perveniat.

Talis cursor Paulus apostolus fuit, qui obliviscens posteriora, et extentus in anteriora: « Ego, » inquit, « sic curro, non quasi in incertum, sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar (*I Cor.* IX, 27). » Sic præcursor Joannes nec æstu nec pluvia tardari potuit a suæ præcursionis velocitate, qua ei viam paravit, qui post ipsum exsultavit ut gigas ad currendam viam, transiens et ipse per ignem et aquam, dum tribulatus igne passionis de latere suo fudit aquam baptismatis et salutis.

Ad litteram per hæc duo elementa præcipue mors martyrum impleta est. Sed quoniam ignis urit, aqua dissolvit et corrumpit, recte per *ignem* adversitas urens, per *aquam* prosperitas dissolvens et corrumpens accipitur, beatis martyribus in Domino gloriantibus et dicentibus: *Transivimus per ignem et aquam*, id est transivimus prosperitatem et adversitatem illæsi. Attende, quod vas fictile igne firmatum non timet aquam. Si vero solidatum igne non fuerit, tanquam lutum aqua solvitur. Sic et tu prius coctus et probatus adversitate non dissolveris prosperitate. Unde unum de vasis præcipuis positum in medio ignis ne forte creparet nimietate ustionis, clamat ad figulum suum, dicens: « Manus tuæ, Domine, fecerunt me, et plasmaverunt totum in circuitu, et sic repente præcipitas me? Memento quæso, quod sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me (*Job* X, 8, 9). Item: « Parce mihi, Domine, nihil enim sunt dies mei (*Job* VII, 16); » item: « Usquequo non parcis mihi, nec dimittis me, ut glutiam salivam meam? » (*Ibid.*, 19.) Et rex David, quamvis igne diuturnæ persecutionis et tribulationis percoctus ad regnum ascenderit, prosperitatis aqua in regno suo pene dissolutus periit, quando adulterio simul et homicidio corruptus fuit. Unde ut amplius igne fortiori coqueretur, curante illum figulo suo adhibita est iterum fortissima tribulatio, quando a filio suo expulsus de regno perdoctus est illa tali tam grandi adversitate, ut sibi caveret a simili dissolutione in prosperitate. Revera deinceps cautus a corruptione carnis etiam aquam desideratam noluit bibere, castigando videlicet in rebus licitis desiderium suum prius in illicitis corruptum. Et quia corruptione carnis exclusa surrepere solet mentis insolentia, postea iterum arridente sibi prosperitate peccavit numerando populum, quod fuit arrogantiæ seu jactantiæ peccatum sufficiens illi ad damnationem, nisi denuo fuisset curatus per ignem tribulationis et sacrificium justæ satisfactionis. Nam cum vidisset angelum cædentem populum, semetipsum obtulit pro populo interficiendum, dicens: « Ego sum, qui peccavi, ego inique egi: isti qui oves sunt, quid fecerunt? » (*II Reg.* XXIV, 17.) Item: « Obsecro, Domine, vertatur manus tua in me, etc. (*ibid.*). » Obtulit quoque sacrificium in area Ornan Jebusæi A hominis gentilis ad præceptum Domini, ut discamus mystica virtute unici sacrificii, quod nunc offertur in area gentilis populi, posse talia peccata expiari. Unde in eodem sacrificio celebrando ignis adhibetur et aqua. Propterea et in sacramentis, in catechizando et exorcizando prior adhibetur ignis, quo adustus nonnunquam clamavit spiritus immundus ardere se hoc igne: post venitur ad aquam baptismi. Sic in columna ignis et nubis populum in exitu Israel de Ægypto angelus castra Dei præcessit, qui etiam se inter exercitum Pharaonis persequentis, et exercitum populi Israel eumdem Pharaonem fugientis medium interposuit, quoadusque ventum est ad aquas Rubri maris, in quo et populo Dei via patuit, et idem Pharao cum exercitu suo B mersus interiit. Similiter in Sabbato sancto paschæ primo de igne solemniter benedicto accenditur candela spectabilis quasi columna ignis, et postea proceditur ad benedicendum fontem baptismatis, ut videlicet per ignem et aquam transeant in refrigerium, qui susceperint et custodierint integritatem cœlestium sacramentorum.

Quod autem in sacramentis fit, hoc et in tentationibus fieri est perspicuum, ut videlicet ignis præcedat aquam. Naturali enim quodam ordine prius tentatur homo tentationibus iræ, superbiæ cæterisque spiritalibus nequitiis, quorum noxius ignis invenitur etiam in pueris adhuc libidinis pravæ omnino ignaris, in ætate vero pubescentis adolescentiæ aqua dissolvit eorum præcipue carnes, quorum prius C adustæ sunt mentes igne superbiæ vel iræ. Quo contra beati mites igne superbiæ simul et iræ carentes, quoniam ipsi possidebunt terram, videlicet carnem suam bene domitam, sibique subjugatam regendo sub mansueti Spiritus ordinato dominio: « Mansueti enim hæreditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis (*Psal.* XXXVI, 11). » Igitur contra ignem et aquam tentationis adhibetur ignis et aqua in sacramentis, ut fugientes ignis et aquæ periculum noxium, per ignem et aquam meliorem capiant refrigerium, dum restincto igne iracundiæ flammescit igne charitas, accendit ardor proximos, et aqua dissolventis libidinis desiccata fons oriatur alterius aquæ salientis in vitam æternam. Ergo D bonus ignis malo igni succedit, quando exstincta flamma litium et ablato calore noxio flammescit igne charitas, accendit ardor proximos. De hoc igne bono alias habes: « Dicit Dominus, cujus est ignis in Sion, et caminus ejus in Jerusalem (*Isa.* XXXI, 9), » quia videlicet in Sion, id est in peregrinante nunc Ecclesia flammescit charitas aliquantula, sed comparatione ignis futuri permodica, quia tunc velut in camino candenti charitatis ignis erit consummatus in Jerusalem per ipsius Christi, qui pax nostra est, præsentem visionem, cujus nunc per fidem accendimur, ut tunc in visione ipsius consummemur, et per ignem consummatæ charitatis holocaustum id est totum incensum sit sacrificium nostrum. Ignis iste optabilis et amabilis plenus invenietur in domo

Domini, videlicet in consortio sanctorum angelorum, quorum quidam dicuntur Seraphim, id est ardentes vel incendentes, qui quanto Deum vicinius vident, tanto amplius in ejus amore ardent.

Igitur et ego David, vel ego pœnitens adhuc frigidus, ut hoc igne accendar, introibo *in domum tuam, in holocaustis* cupiens totus ardere, atque *holocaustum* fieri, quod erit in resurrectione, in illa videlicet summa tabernaculi sanctificatione, qua ipsum tabernaculum peregrinantium dedicabitur in templum seu domum regnantium, cum divino igne absorbebitur mors in victoria in domo resuscitatorum corporum nunquam ruitura. *In* hanc *domum introibo in holocaustis* meipsum tibi offerens in *holocaustum.*

Interim vero, dum in tabernaculo militantium, non in domo vacantium subsisto, non otiosus ero, sed *reddam tibi vota mea,* non stulta per indiscretionem facta, et ideo potius corrigenda quam persolvenda, sed *quæ distinxerunt labia mea* non solum recte offerendo, sed etiam recte dividendo. Nam si recte offeras, et non recte dividas, peccasti, ait Veritas. Cain recte obtulit, sed non recte divisit, ideo taliter offerendo peccavit, neque iram Dei placare, vel gratiam ejus provocare tali sacrificio potuit. Recte obtulit, quia creaturam Creatori dedit, sed non recte divisit, quia quod charius erat, videlicet seipsum, Deo subtraxit servata ira contra fratrem. Ego autem si persensero iram in corde meo contra fratrem, vadam prius reconciliari fratri meo, et tunc veniens offeram munus acceptum, videlicet primitus meipsum, deinde munus extrinsecum.

Aliter: *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea,* discernendo quid sim, quid possim sine te, quid habeam, quod non acceperim a te, quodque tu non eges me, sed ego te. Quibus omnibus cautissime distinctis nihil boni habebo de meo tibi dare, sed justitia dictante cogor hoc reddere, quod accepi, qui et hoc ipsum accepi, quod aliquid boni vovere volui et potui. Non ergo dabo quasi mea, sed *reddam tibi* quasi tua munera *vota mea, quæ distinxerunt labia mea,* tuæ videlicet largitati, non meæ possibilitati assignando illa, utpote munera et dona tua quæ, ut tibi voverem, tu me commonuisti, cum tribulatione valida me strinxisti. Et ego vexatione intellectum dante auditui meo locutus sum *in tribulatione mea,* imo *locutum est os meum* tibi eatenus mutum, sed ipsa *tribulatione* apertum. Quid *locutum est?* hoc scilicet: *Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum: offeram tibi boves cum hircis. Holocausta medullata* intus habentia medullam charitatis et totius devotionis *offeram tibi*; quia si eleemosyna tibi in tuis minimis obtulero, non ex tristitia aut necessitate id faciam, sed nesciente sinistra quid faciat dextera mea, ex devotione cum hilaritate, sciens quia hilarem datorem tu diligis. Item si oravero vel jejunavero, non ero similis hypocritis, qui omnia faciunt propter homines, in

A superficie imaginem sanctitatis et speciem pietatis ostendentes, virtutem vero ejus intus abnegantes. Non, inquam, talibus ego similis ero, sed intrans in cubiculum cordis, et claudens illud contra ventum gloriæ inanis psallam spiritu, psallam et mente, orabo spiritu, orabo et mente. Nam si spiritu orabo vel psallam et non mente, non est medulla in tali holocausto, imo nec est holocaustum, quod igne devotionis et attentionis non est totum accensum. Similiter cum jejunavero, si faciem sic exterminavero, ut pareant hominibus jejunans, non est medulla in holocausto, nec est holocaustum nominandum triste ac frigidum jejunii sacrificium. Itaque, ut jejunium meum sit holocaustum, cum jejunavero, faciem meam levabo, et caput ungam

B oleo, ne aut facies demolita vel exterminata tristitiam prætendat hypocritarum, vel caput squalidum et tinniosum deturpet jejunantis habitum forinsecum. Et quia, cum agitur de holocausto medullato, magis cura debet esse de intrinseco, quam de forinseco faciei vel capitis habitu, interiorem faciem lacrymis et aqua compunctionis lavabo, et interius caput, quod est principale mentis, oleo lætitiæ ita perungam, ut de testimonio divino potius quam de humano gaudeam, quando Spiritus sanctus per oleum significatus testimonium reddit spiritui nostro intus in secreto, quod sumus filii Dei. Si autem filii, et hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, oleo lætitiæ præ suis consor-

C tibus uncti. O quanta medulla et pinguedo est in tali holocausto, quando rationabile obsequium vel jejuniorum vel orationum seu eleemosynarum commendabile et acceptabile invenitur ipsius Christi testimonio intrinseco, ubi tu, Christe, auditui meo dabis gaudium, quod est oleum spirituale, quoties invenio me aliquid boni fecisse, te teste, spiritui meo testimonium reddente, quod hujusmodi obsequia mea sint *holocausta medullata* juxta illud in Isaia dictum: « Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ. Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, et telam, quam orditus est super vos universas nationes, præcipi-

D tabit mortem in sempiternum. Et auferet Dominus lacrymam ab omni facie, et opprobrium populi sui auferet de universa terra, quia Dominus locutus est (*Isa.* XXV, 6-8). » Quis est iste mons, in quo tale fiet convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ, nisi illa celsitudo justitiæ, de qua dicitur alibi: « Justitia tua sicut montes Dei? » (*Psal.* XXXV, 7.) Hæc est nimirum justitia fidei, non operum legis, quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram Deo. Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est per fidem Jesu Christi testificata a lege et prophetis. Justus enim ex fide vivit, non ex lege, quæ iram, non vitam operatur. Justitia vero hæc sublimis, et monti altissimo consimilis testante Apostolo

est « ex fide in fidem (*Rom.* I, 17). » Ex fide videlicet fideliter loquentis et promittentis; in fidem fideliter id, quod dicitur et promittitur, credentis.

Namque ut Deus justificetur in sermonibus suis, id est ut justus et verax inveniatur in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis, quæ se promisit operaturum, irretractabiliter operatur maxime in sacramentis evangelicæ institutionis, in quibus licet nos tantis mysteriis simus indigni ministri, dummodo simus ministri, nullo videlicet authentico interdicto a ministerio separati, ipse verax promissor gratiæ suæ dona non deserit, justus et fidelis permanens in omnibus verbis suis, illis potissimum, quibus in monte sermonem justitiæ simul et gratiæ plenum contexens ordinavit convivium pinguium docens illic inter cætera peti panem quotidianum sive supersubstantialem. De cujus panis copiosissima pinguedine olim dictum est in benedictione Aser per patriarcham Jacob : « Aser pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus (*Gen.* XLIX, 20). » Hic est panis quasi oleatus, et quasi gustum similæ cum melle habens, panis angelorum habens omne delectamentum et omnem saporem suavitatis, qui apud Lucam dicitur « quotidianus (*Luc.* XI, 3), » apud Matthæum « supersubstantialis (*Matth.* VI, 11), » quia Lucas in via commemorans Dominum de hoc pane locutum vocat eum panem quotidianum propter quotidianum præsentis vitæ viaticum christianæ animæ pernecessarium, ne si dimittatur ab hoc pane jejuna, deficiat in via. Matthæus autem sermonis Domini et orationis Dominicæ, prout in monte audivit, fidelissimus narrator panem *supersubstantialem* nominavit, quem super omnia condita exaltatum sive altissimum nobis insinuare curavit. Hic est enim panis, qui de cœlo descendit, ubi semper Altissimus fuit, et convivio pinguissimo de se nobis instituto sursum ascendit, ubi erat prius. Sane istud non disposuit in imo, sed in alto cœnaculo ea nocte, qua tradebatur, accipiens panem quem benedixit, fregit et dedit discipulis suis dicens : « Accipite et comedite : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur in remissionem peccatorum (*Matth.* XXVI, 26). » Hoc erat convivium pinguissimum de pane supersubstantiali paratum. Similiter et postquam cœnavit, accipiens calicem benedixit, et dedit discipulis suis dicens : « Accipite, et bibite. Hoc est sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum (*Ibid.*, 28). » Hoc erat convivium vindemiæ defæcatæ. Atque ut hujus convivii talis opulentia perseveret in sancta Ecclesia, discipulis suis et in eis ipsorum posteris dedit potestatem faciendi hoc ipsum, quod ipse tunc fecerat. « Hoc, » inquit, « facite in meam commemorationem (*Luc.* XXII, 19). »

Quid mirum, si Christus, mons elevatus in verticem montium, mons pinguis, mons coagulatus, mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, potuit in semetipso de semetipso tale ordinare convivium? quod cum valere asserit in remissionem
A peccatorum, non absurde intelligitur ejus mystica virtute fieri, quod Isaias præcinuit de præcipitanda facie vinculi colligati super omnes populos, et de præcipitanda tela, quam Dominus orditus est super universas nationes, et de præcipitanda morte in sempiternum. Vinculum quippe colligatum super omnes populos congrue peccatum originale, mors animæ, intelligitur, quo universa posteritas Adæ solo Christo excepto vinculata non dubitatur. Sed tela, quam Dominus orditus est super universas nationes, ipsa est pœna peccati mortalis et mors corporum, quam Dominus orditus est justo judicio et benignissimo consilio, ne videlicet si homo in anima mortuus, de ligno vitæ comedens immortalitatem consequeretur corporis, esset omnino ipsi dia-
B bolo consimilis, cujus est misera immortalitas et immortalis æternaque miseria, scilicet mors nunquam moritura. In electis autem, fide Christi pro se morituri vel mortui vivificatis, mors mortua tunc est, quando in ligno mortua vita fuit. Præcipitabitur autem tunc mors in sempiternum, quando beati mortui, qui in Domino moriuntur, etiam resuscitatis corporibus immutabuntur, ita ut absorbeatur, quod mortale est, a vita, et non sit in eis mors ulla vel animarum vel corporum, sed vivant cum Christo in æternum configuratis corporibus eorum corpori claritatis ejus, qui pro ipsis est mortuus, cum de nulla sua culpa esset mortis debito aliquatenus obnoxius. Tunc non jam in sacramentorum speculo
C vel Scripturarum ænigmate, sed in manifesta æternæ optimæque veritatis visione faciet Dominus electis suis convivium pinguium medullatorum et vindemiæ defæcatæ, quando ipse panis vivus, panis quotidianus et supersubstantialis, panis angelorum, panis pinguis gustabitur in sua dulcissima puritate ac purissima dulcedine.

Quia tamen ad illud supremæ dulcedinis convivium via est altaris unicum sacramentum sursum in cœnaculo dispositum, et in monte præordinatum, ego cœtus apostolicus vel ego quicunque apostolorum pedissequus non in valle filiorum Ennom tibi sacrificabo, sed in monte altioris propositi, quo non conscendunt filii Ennom valle sua contenti. Legitur enim populus Israel sic fuisse dementatus, ut dere-
D licto monte sancto, in quo templum Domini fuit, ubi solummodo sacrificari licuit, irriguam quamdam campi planitiem speciosam et nemorosam sibi ad sacrificandum elegerint filii non jam Israel, sed filii Ennom, quia, sicut dictum est, elegerunt sacrificare in valle illa dicta Ennom, unde, ut Hieronymus asserit, nomen *Gehennæ* tractum, primum a Salvatore ponitur, et spreverunt montem sanctum, in quo templum Domini erat fundatum divinitus ad hoc ordinatum, ut in eo legitime offerretur Deo sacrificium. Ipse est enim mons Moria, de quo dixit Dominus ad Abraham : « Tolle filium tuum, quem diligis, et vade in terram visionis, et offeres illum ibi in holocaustum super unum montium, quem dixero tibi (*Gen.* XXII, 2). » Similiter et postmodum

per Moysen diligenter fuit prohibitum, ne quis offerret sacrificium in terra promissionis extra locum, quem Dominus elegit. Cum hæc ita se haberent, filii tamen Israel in valle Ennom sacrificaverunt. Unde et Dominus in Propheta graviter irritatus comminatur, se locum illum cadaveribus mortuorum sic adimpleturum, ut jam non dicatur *Gehennon*, id est vallis filiorum Ennom, sed Polyandrium, id est tumulus mortuorum.

Propemodum simile est huic illud, quod nunc in Ecclesia Dei cernimus actitari. Nam derelicta celsitudine apostolicæ disciplinæ, in qua ministri Domini debent altari ministrare ac de altari vivere, ita ut neque vituperetur ministerium eorum, neque habentes victum et vestitum quærant aliud lucrum nisi tantummodo animarum, videmus pene omnes, quæ sua sunt, quærere, non quæ Jesu Christi in ipso ministerio Christi. Hinc abundant Simoniaci conductores et conductitii clerici sacrificantes non in monte, de quo dictum est Abrahæ, sed in valle Gehennon, sive, ut apertius dicamus, in profundo gehennæ, maledicti videlicet ac pœnis gehennalibus addicti cum vexillifero suo Simone mago, cui dictum est a Petro apostolo sacrificatore montano: « Non est tibi pars, neque sors in sermone isto, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. » Item: « Pecunia tua tecum sit in perditionem (*Act.* VIII, 20, 21). » Quia ergo multi, vestigiis Petri apostoli derelictis, vestigia sectantur et exempla Simonis negotiatoris in sacro ministerio, intendentes turpibus lucris, homines turpissimæ conversationis, juste conventicula taliter sacrificantium dicuntur *Polyandrium*, id est tumulus mortuorum, quia comeduntur illic sacrificia mortuorum. De hujusmodi sacrificiis in solemni Dominicæ passionis celebratione, cum essem in curia domni papæ, quale testimonium in consistorio publico dixerim, placet hic subnectere, ne quis putet verbum nostrum solummodo in cubiculo et in aurem sonuisse ac non in tectis, cum satis clare auditum fuerit in curia Romana occasione quadam mihi opportune oblata. Reverso enim ad sedem apostolicam, expleta legatione sua, domino cardinali Octaviano, cum dominus papa Eugenius exigeret a me narrationem eorum, quæ me præsente acta vel dicta sunt ab eodem legato, surrexi die quadam, petitaque audientia, vocem exaltavi in hæc verba vel non multum his dissimilia:

Placuit sanctitati vestræ, Pater et domine, a parvitate mea requirere, quomodo legatus vester dominus Octavianus negotia ecclesiastica, quibus ego præsens interfui, tractaverit. Et ego de his multa dicere possem, si verbum fieret ipso nesciente vel absente. Parco autem, ne quis existimet supra id, quod habet veritas, me loqui propter ejus præsentiam, neve aut me loquentem adulatio notet, aut ipsum audientem elatio tentet, si rem narravero, sicut se habet, cujus actio ita magnifice, gratia Dei favente, processit, ut etiam domino regi Chuonrado

A pro grandi miraculo fuerit. Unde et dicebat se non credidisse quod factum erat, possibile fuisse, etiamsi filius ipsius ipso totis viribus juvante in officio episcopali esset actor actionis hujus. Multa itaque silentio præteriens præcipua et scitu necessaria huic sanctæ curiæ curabo narrare. Cum accederemus ad civitatem Augustam, viri religiosi et litterati me majores et sapientiores erant in comitatu ejus, cum quibus ipse legatus pertractavit, quid vel qualiter agendum foret, maxime contra crimina manifesta, quibus multitudo involuta nullum seu vix ullum admittit accusatorem. Dicebat autem sine accusatione ac testificatione canonica non esse judicis aliquem damnare, ubi culpa negatur quanquam certissime a multis, etiam ab ipso judice agnoscatur. Tunc

B unus eorum, qui aderant, inter cætera sic ait: Bene conqueritur Dominus per Prophetam de his, qui liniunt luteum parietem, quia multi sic planant pessimorum actuum superficiem, ut etiam turpitudini honestatem, et crudelitati ascribant pietatem. Contra hos linitores parietis ab ipso Domino quæritur saltem unus, qui fodiat parietem dicendo: « Fili hominis, fode parietem (*Ezech.* VIII, 8). » Et tu, domine cardinalis, fode parietem, etiam sine accusationibus diligenter investigans rei veritatem super his quæ audisti, ex quo terram nostram introisti. Forsitan perfosso pariete videbis abominationes majores his, quas audisti. Sic dictum, et sic factum est. Nam cum introissemus civitatem Augu-

C stam, assidente domino cardinali caterva fratrum religiosorum, quorum dominus Frisingensis episcopus erat præcipuus, ita fodit parietem, ut multis ultro confitentibus inveniret abominationes multas, et sicut scriptum est in Propheta, universa idola domus Israel videret in pariete depicta. Novit sapientia istius curiæ, quam multa invenitur differentia inter idola domus Israel et idola gentium. Nam idola gentium prima fronte ostendunt vel crudelitatem ut idolum Martis et Herculis, vel turpitudinem ut idolum Veneris et Junonis. Idola vero domus Israel speciem pietatis habentia, virtutemque ipsius abnegantia talia sunt, ut per hæc in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Hæc procul dubio sunt officia sacerdotalia ritu quidem

D ecclesiastico celebrata; sed ab Ecclesiæ Romanæ pontificibus terribiliter interdicta, ubi scitur indubitanter vel concubinatus vel vagæ fornicationis reatus eo minus notitiæ populi dubius, quo fuerit vel confessus vel convictus vel certe partu vel cohabitatione assidua vel alterius notæ indubitabili evidentia proditus, etiamsi hoc dissimulet quis negligens episcopus vel infirmus, ut erat ille Augustensis episcopus, in cujus tunc episcopatu fuimus, et ille Eistetensis, in cujus episcopatum postea devenimus. Repertis ergo ibi tot idolis domus Israel, ne divina illis reverentia ulterius exhibeatur, beneficio simul et officio privatus est clericus manifeste incestuosus. Attamen, quia in tanta miseria misericordia fuit necessaria simul cum justitia,

quibusdam eorum sic indulta sunt ecclesiastica beneficia, ut non præsumant divina officia, priusquam acta pœnitentia fiat super his a sancta sede hac indulgentia congrua. Sic visum est prudentibus, qui aderant, opportunum, ut quidquid fieret de beneficiis ad indulgentiam, qualitercunque tolerari posset. Verum de officiis totum reservatum est vobis, Pater universalis Ecclesiæ atque vobis, domini cardinales, quia præ cæteris Verbi Dei ministris vobis datum est nosse mysterium regni Dei, quod operatur salutem in officiis licitis, et mysterium iniquitatis, quod operatur perditionem in filiis diffidentiæ, qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ manifeste servientes Pharaoni adhuc in Ægypto positi, et sordidis operibus luti et lateris dediti, propter quod sicut in exitu Israel de Ægypto facta est Judæa sanctificatio ejus tunc primum, quando exempta fuit a turpissimo illo servitio : sic et modo fieri oportet. Notandum sane quod dicunt Moyses et Aaron in sacerdotibus ejusdem populi primi et præcipui : « Dominus, » inquiunt, « Deus Hebræorum præcepit nobis, ut eamus viam trium dierum in solitudinem, et sacrificemus Domino Deo nostro, ne forte accidat nobis aut pestis aut gladius (*Exod.* v, 3). » Videtis quia contra pestem aut gladium non arbitrantur valere suum sacrificium nisi egressis de Ægypto viam trium dierum in solitudinem. Fortassis ideo contra nos jam sævit et pestis, quia in Ægypto positi sacrificamus, cum verus ille noster legislator tres ipsas dietas manifeste descripserit, quibus nos, antequam ei sacrificemus, de Ægypto recedere voluit. « Qui vult, » inquit, « venire post me, » videlicet fugiens de Ægypto, « abneget semetipsum, » quod est una dieta, « et tollat crucem suam, » quod est altera dieta, « et » ita « sequatur me (*Matth.* xvi, 24), » quod est dieta tertia. Quia ergo multi sacrificantium nondum pertransierunt has dietas, ideo inter nos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi, quia non dijudicamus corpus Domini, a cujus communione omnino sunt arcendi omnes, qui adhuc sunt in operibus luti. Qui quoniam sacrificantes non placent, non placant; non ignoramus de Augustensi Ecclesia simulque de Eistetensi, ubi plura et majora idola inventa sunt, vobis preces porrigendas vel jam porrectas, ut interdicta restituatis illic officia. Sed est in vobis tanta vigilantia, sicut credimus, ut quid super hoc agendum sit, vos commonere minime arbitremur necessarium, cum sitis ipsi sapientes, vos, domine Pater, et vos, domini cardinales. Nostis quod Dominus dicit discipulis suis : « Posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat (*Joan.* xv, 16). » « Quæ Deus conjunxit, homo non separet (*Matth.* xix, 6). » Bene conjunxit Deus « ire, fructum afferre, fructumque manere, » quia « ire fructumque afferre » parum prodest, nisi « fructus maneat. » Quia ergo legatus vester ivit et fructum attulit, vobis, Pater, incumbit providere, ne fructus hic depereat, sed maneat stante

A sententia contra clericos impudicos, usurarios ac sacerdotum filios canonice deprompta, nisi quantum relaxari deposcit longa et secundum canones ordinata pœnitentia. Qua nondum vel inchoata quibusdam in curia ista supplicationibus de numero illorum dicuntur officia jam relaxata.

His dictis respondit dominus papa : De fructu isto, qui per legatum nostrum provenit, nos non ipsum laudamus, sed auctori omnium bonorum super eo gratias agimus, qui facit mirabilia magna solus, nec est in hujusmodi mirabilibus aliquid humanæ virtuti ascribendum, sed soli Deo totum, quod bonum est, in humanis actibus tribuendum est. Et quia divina gratia operante factus est iste fructus, ipsa quoque adjuvante per nos erit conser-
B vandus, ut maneat. Revera in curiam istam venerunt quidam de clericis illis depositis, et voluerunt obtinere officia, qui etiam, sicut fertur, mentiti sunt a nobis discedentes, apud curiam hanc displicuisse rigorem contra ipsos habitum. Sed noverunt fratres nostri, qui præsentes sunt, et in quorum præsentia iidem repulsi fuerunt, quod legati sententiam in eos et eorum similes ratam et gratam tenuimus et tenemus, neque a tenore sacrorum canonum in talibus recedemus. Unde scias tu, et per te sciant alii in terra Teutonica, quod mentita est iniquitas sibi dicentibus illis alia quam quæ a nobis audisti.

Hæc idcirco nunc breviter interserendo commemoravi, ut minus dubitetur esse veras assertiones
C nostras contra sacrificatores illicitos et interdictos etiam ipsi curiæ Romanæ abominabiles et abjectos, utpote sacrificantes non in monte sancto, sed in valle Gehennon, sicut supra ex parte perstrinximus, ubi conventicula eorum Polyandriis assimilavimus, imo ab ipso Domino per prophetam Jeremiam assimilata ostendimus. Proinde custodiente me Deo, non ego cum illis in valle sacrificabo, sed ipsius gratia juvante ascendam in montem Domini, et stabo, ac sacrificabo in loco sancto ejus. Judica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta, sacrificante in valle specietenus deliciosa, sed introrsus fœda et cadaveribus mortuorum plena. Et ego super hac ipsa mei liberatione, atque a gente
D tali discretione gratias tibi acturus ascendam in montem, vel manens in monte sancto tuo *introibo in domum tuam in holocaustis, et reddam* illic *tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea. Et* sicut *locutum est os meum in tribulatione*, sic *holocausta medullata offeram tibi.* Atque ut ex ipsis medullatis hostiis fiat convivium pinguium medullatorum juxta prænotatum Isaiæ vaticinium, *cum incenso arietum offeram tibi boves cum hircis.*

Boves pingues cum hircis pinguibus juncto simul incenso vel incensu arietum pinguium, conferentur in unum convivium super unum montium patri Abrahæ præostensum, quoniam sicut Abraham credidit Deo, et reputatum est illi ad justitiam, dum non aliud vel aliter vel alibi obtulit, quam prædocuit is, cui credidit:

Sic et ego credens tibi, Christe, dicenti : « Hoc facite in meam commemorationem (*Luc.* XIX, 22), » faciam devote, quod instituisti, non in mei quæstus vel honoris amplificationem, sed in tui commemorationem, in tuæ videlicet passionis, resurrectionis et ascensionis recordationem, repræsentationem et venerationem, cupiens videlicet similitudini mortis, et resurrectionis tuæ simulque ascensionis tali holocausto complantari moriendo peccatis, resurgendo in novitatem vitæ, sursum cor habendo, ubi tu es in dextera Dei sedens. Hoc nimirum est in monte sacrificare, atque hoc sacrificium tunc erit acceptabile, cum fuerit oblatum in carnis castitate ac mentis humilitate servata in omnibus obedientia et disciplina sacrificatoribus justis ordinata, vel habita saltem pœnitentia peccatoribus necessaria. Sunt enim tam in numero justorum quam et peccatorum *arietes* et *boves* nunc vivi offerendi, nunc immolandi et incendendi. Nam boni *arietes* duces gregum rationabilium sive boves rationales, de quibus tabernaculum Dei portantibus vel bene triturantibus Deo cura est, computantur in numero sanctorum, et quia illis vivere Christus est et mori lucrum, tam vita quam mors illorum Deo reputatur acceptabile sacrificium. Porro *hircus* non acceptatur in sacrificio nisi cultro sacerdotali mactatus et immolatus, quia per hircum pecus libidinosum et fœtidum constat significari peccatorem in peccato suo jam famosum, qui nisi cultro pœnitentiæ ad arbitrium legitimi sacerdotis mortificetur, vel igne multæ charitatis in holocaustum Deo sacrificetur, sicut illa peccatrix, quæ quoniam dilexit multum, dimissa sunt ei peccata multa, non est acceptabilis in sacrificio, dum vivit adhuc in peccato suo. *Hirci* tales non offeruntur soli, sed cum bobus, prout nunc dicitur : *Offeram tibi boves cum hircis*, quia publicani cum Zachæo sua pauperibus tribuendo, et eos de mammona iniquitatis amicos sibi faciendo, simul cum ipsis merentur in æterna tabernacula recipi, vel doctoribus in area Dominica triturantibus per obedientiam et disciplinatam commanentiam societati simul cum ipsis merentur acceptari exemplo Matthæi, qui de numero publicanorum numero accessit apostolorum, factus et ipse de publicano apostolus, de hirco bos, de teloneario evangelista.

Sunt etiam arietes ac boves mali similiter immolandi, quia sicut in hirco notatur fœditas libidinis, ita in ariete repugnantia proterva et in bove cervicosa extollentia interdum notatur, et ideo talis aries ac talis bos non nisi occisus et immolatus vel etiam incensus in sacrificio est acceptabilis. Ego igitur, qui nonnisi in monte cum Abraham tibi, Deus meus, elegi sacrificare, ut omnino sit acceptabile sacrificium meum, sic introibo in domum tuam in holocaustis, ut *reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea* bonos arietes et boves a malis discernendo, atque alios vivos, alios mortuos offerendo ex numero arietum et boum, sed hircos omnes occidendo, priusquam eos admittam sacrificio tuo. Qui qualiter debeant immolari, ego in memetipso exemplum præbebo, quoniam sacrificaturus vel etiam communione laica sacrificio sancto communicaturus meipsum faciam holocaustum totum charitatis igne succensum, ita ut orem pro salute quoque inimicorum meorum incensis primo in memetipso arietibus, bobus et hircis, id est omni repugnantia, omni extollentia, omni fœditate vitiorum carnis et spiritus abnegata, et eorum contrariis fideliter professis et initiatis, videlicet, ut repugnantiam expungat sancta obedientia, extollentiam subjectio voluntaria, quæ est regina virtutum sancta humilitas ; fœditatem vero libidinis pravæ destruat continentia sive castitas. Ad hæc omnia vel mala in memetipso exstinguenda vel bona exsequenda et sectanda velle mihi diu adfuit, perficere autem non inveni, nisi quantum divino auxilio adjutus fui. Ut ergo vos, qui timetis Dominum, capiatis de meo profectu exemplum,

VERS. 16. *Venite, et audite.* Diapsalma hic interponitur, et quarta jam pars inchoatur, in qua non jam rudes catechizat, sed devotos, justos et timoratos exemplo suo ad meliora provocat dicens : *Venite, et audite, et narrabo* vobis, *qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ*. O vos, qui timetis Deum, *venite, et audite, et narrabo*. Bonus ordo. « Initium » quippe « sapientiæ timor Domini (*Psal.* CX, 10; *Eccli.* I, 16). » Proinde si Deum timendo initium sapientiæ nunc habetis, nolite in illo primo gradu subsistere, quoniam sapientia, cujus nunc initium habetis, vocat vos ad arcem summæ perfectionis, ut ibi majora capiatis. Ideo *venite* incessu morum, non pedum, *et audite* interiori simul et exteriori aure, ut præparati per timorem Domini sitis auditores benevoli, dociles et attenti. *Et* tunc *narrabo* vobis, *quanta fecit animæ meæ* Deus, cum vobis timor Domini aures aperuerit, sine quo frustra clamatur, quia sermo veritatis non capit in eis, qui sunt expertes divini timoris. Ergo, illo in cordibus humanis præcurrente atque aspera in vias planas faciente, quia sic via paratur Dei verbo, ego vobis timoratis, ad audiendum bene præparatis, *narrabo* de clementissimo Domino, *quanta fecit animæ meæ*, quæ si vultis et ad ipsum clamatis, faciet quoque animæ vestræ. Nam cum ad ipsum prius mutus ad simulacra muta, prout ducebar, irem, parum vel nihil boni fecit animæ meæ. Sed ut multum boni faceret animæ meæ, primitus hoc fecit animæ meæ, quod a simulacris mutis nihil boni animæ meæ facientibus omnino aversus,

VERS. 17. *Ad ipsum ore meo clamavi. Ad ipsum* videlicet vivum et verum Deum faciente ipso *clamavi*, ad ipsum sequendum, non aliquid ab eo, et sub eo creatum *clamavi ore meo*, id est interioribus meis consono. Non enim suo clamat ore, cujus vox dissonat a suo corde vel operatione. At ego *ad ipsum* consequendum *ore meo*, interioribus meis consono, *clamavi* clamore non solum cordis valido,

sed etiam oris manifesto et publico. qui clamor attentus erat quasi holocaustum propter orationis incensum. Sed ut idem holocaustum esset medullatum. *Exsultavi* [*vulg.* exaltavi] *sub lingua mea*, sponsæ illi assimilatus, cui dicitur : « Mel et lac sub lingua tua (*Cant.* IV, 11). » *Exsultavi sub lingua mea*, cum et lingua mea divinis laudibus ac sanctis precibus esset occupata, et intrinsecus exsultaret spiritus meus in Deo salutari meo. *Exsultavi sub lingua mea*, dum et lingua mea quasi calamus scribæ velociter scribentis bona verba foris exprimeret, et intus eructaret cor meum verbum bonum verbis bonis exterioribus omnino consonum. Dico breviter : Quod in ore, hoc in corde, verbum scilicet benedictionis, quo Deus et proximus benedicuntur, contra illud, quod de simulatoribus dicitur : « Ore suo benedicebant et corde suo maledicebant (*Psal.* LXI, 5) ; » item : « Labia dolosa, in corde et corde locuti sunt (*Psal.* XI, 3). » Sic dupliciter vel multipliciter loqui non est confiteri, quia si bonum voce clamas, et malum corde amas, loqueris, non confiteris. Confiteri namque simul fateri dicimus, dum quod corde gerimus, id ipsum ore proferimus, sive malum nobis assignando in confessione peccatorum, sive bonum Deo bonorum omnium largitori et auctori attribuendo in confessione laudis. Tali confessione *ad ipsum* Deum *ore meo clamavi*, sive me de malis meis accusando, sive ipsum de bonis ab ipso profectis laudando. Ideo confidenter dixi Deo : « Intende deprecationem meam » pro malis removendis, « auribus percipe orationem meam, non in labiis dolosis (*Psal.* XVI, 1). » Quia enim bonæ simplicitatis et nullius duplicitatis mihi conscius fui, inde *sub lingua mea* intus in conscientia *exsultavi*, quia simpliciter bonæ voluntatis mihi conscius fui, qua dilexi justitiam et odivi iniquitatem sive propriam sive alienam, propterea fiducialiter dico :

VERS. 18. *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus*, id est *iniquitatem si aspexi*, si dilexi, quia quod diligimus, hoc libenter et diligenter aspicimus ; si, inquam, *aspexi*, hoc est, dilexi ullam *iniquitatem in corde meo*, cum ad Deum clamarem ore meo, *non exaudiet Dominus*. Sunt, qui amant *iniquitatem* suam et aliorum, quod est perversissimum : non ita ego *iniquitatem aspexi* vel dilexi. Sunt item alii, qui damnant *iniquitatem* in aliena vita, sed diligunt et aspiciunt eam *in corde suo* sine operibus suis. Non ita ego *iniquitatem in corde meo aspexi*, ex quo resurrexi resurrectione prima, ex quo frequentare cœpi canticum istud resurrectionis, ex quo festivus dies illuxit istius dedicationis et sanctificationis, in quo boves, arietes et hircos meos Deo sacrificare cœpi. Nam antea fateor, dilexi et *aspexi* hæc omnia *in corde meo*, ipse ego bos cornupeta, ipse aries protervus, ipse hircus fœtidus existendo, et tales mihi consimiles diligendo ac libenter aspiciendo. Cum autem placuit ei, qui me segregavit a consortio talium, et vocavit per gratiam suam, continuo non acquievi carni et sanguini, ut vel iniquitatem in corde meo aspicerem seu diligerem, vel in aliis quantumlibet carnaliter propinquis amarem. Non me dico ita perfectum, ut nulla cordi meo suggeratur iniquitas, quia inter primam et ultimam resurrectionem pugna restat, in qua iniquitas memoriam diverberat suggestionibus assiduis etiam clauso contra eam sanctuario secreto voluntatis, quod est festivitas primæ resurrectionis et dedicationis tabernaculi Deo fabricati, sed hoc ore meo dico et inde *sub lingua mea exsulto* ad gloriam Christi, qui est mihi resurrectio et vita, quod *iniquitatem* cordi meo suggestam non *aspexi* diligendo, sed despexi eam odiendo atque hoc facere semper intendo.

VERS. 19. *Propterea* me clamantem *exaudivit Deus, et attendit voci deprecationis meæ*. Sic loquens ego apostolica et primitiva Ecclesia, sive psallens ego pœnitens exemplum do vobis auditoribus, ut et vos ita faciatis, quomodo me fecisse aut facere auditis, hoc scientes et meo exemplo cognoscentes, quod non ante meritum laboris expetendum est præmium consolationis et quietis. Nisi enim prius euntes eatis, et lacrymarum seu laborum semina mittatis, non est unde manipulos exsultationis metatis, et nisi prius hircos vestros per castitatem Deo immoletis, nisi arietinam repugnantiam et bovinam cervicositatem trucidetis, non est unde *sub lingua vestra exsultetis*, quia pecuales mores in vobismetipsis aspiciendo et diligendo malam conscientiam habetis : et inde licet clametis, clamor vester non est acceptabilis, nisi primo loquatur quisque vestrum in tribulatione et in cordis contritione, sicut et os meum locutum est in tribulatione, hoc scilicet : *Holocausta medullata offeram tibi : offeram tibi boves cum hircis*. Ita primo locutum est os meum in tribulatione, Deo ipsam tribulationem propter hoc ipsum, sicut credo, immittente, ut sic loquerer, et sic agerem, vota scilicet vovendo et solvendo ipsum placarem criminibus abnegatis. At postea validius *ad ipsum ore meo clamavi* pro impetrandis virtutibus, et clamor meus non est repulsus, quia fuit ordinatus, et in canticum resurrectionis formatus. Quia ergo tanta fecit animæ meæ Deus, non propria mea virtus, mihi absit gloriari nisi in ipso, qui mihi est resurrectio et vita, cui et gratias agens dico :

VERS. 20. *Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam et misericordiam suam a me*. Benedicant eum omnes angeli et sancti ejus. Benedicant eum cœli et terra, mare, et omnia quæ in eis sunt. Benedicat eum anima mea, et omnia quæ intra me sunt, *qui non amovit* orationem meam a se, et misericordiam suam a me. *Non amovit orationem meam*, quia dedit perseverantiam ad se clamandi, nec *misericordiam suam* longe fecit abesse precibus meis, quibus crebro assiduatis et diu continuatis non defuit clementia exauditionis. Expertus in hoc sum, quod « omnis, qui petit, accipit, et qui quæ-

rit, invenit, et pulsanti aperietur (*Matth.* vii, 8), » A si tamen perseveraverit petens, quærens et pulsans ad ostium amici quiescentis, qui tandem surgit ac pulsanti aperit et postulata concedit, etiamsi talis, qui perseveranter pulsat, qualem sermo evangelicus describit dicens : « Et ille, si perseveraverit pulsans, etsi non eo, quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, et dabit illi panes, quotquot habet necessarios (*Luc.* xi, 8). » Perseveranter itaque orare et efficaciter impetrare simul sibi sunt ita indissolubiliter connexa, ut quæ Deus conjunxit, homo separare non possit. Si ergo non tepes in oratione, certus esto de certa exauditione. Deus enim, *qui non amovit orationem meam a se et misericordiam suam a me*, tibi faciet similiter. Etiamsi differtur, non aufertur, quod instanter petitur fide non hæsitante in corde, quæ si per dilectionem, ne sit mortua, vivificatur et inflammatur, etiam tacente lingua desiderium ejus pro clamore valido reputatur. Sic « desiderium pauperum exaudivit Dominus (*Psal.* x, 17), » quia ipsum justitiæ ac virtutum reliquarum constans et perseverans desiderium coram Deo est oratio, quæ tunc non amovetur a Deo, cum non tepescit coram ipso, et huic tali orationi prope est misericordia divina, neque ullatenus amovebitur ab illa. *Benedictus* ergo *Deus, qui non amovit* deprecationem sive *orationem meam et misericordiam suam a me.* Benedictus Deus Pater, qui orationem meam suscepit. Benedictus Deus Filius, resurrectio et vita mea, quo mediante, oratio mea pervenit ad Patrem. Benedictus Deus Spiritus sanctus, ipsa Dei Patris et Filii misericordia, quæ non est a me orante amota. *Gloria* et benedictio *Patri et Filio et Spiritui sancto*, Uni ac Trino Deo, cujus est opus prima resurrectio animarum B et secunda corporum, qua peracta sempiterna resuscitatorum sequitur jubilatio, ad quam provocamur hoc præsenti cantico. Fiat, fiat. Amen, amen.

PSALMUS LXVI.

Deus misereatur nostri, et benedicat nobis, etc. Et C iste psalmus ut præcedens fundamentum suæ materiæ habet in littera legis, ubi locutus est Dominus ad Moysen, dicens : « Loquere Aaron et filiis ejus : Sic benedicetis filiis Israel, et dicetis eis : Benedicat tibi Dominus, et custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem. Invocabunt nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eis (*Num.* vi, 23). » Quod hic Pater Dominus loquens Moysi sub velamine litteræ ejus abscondit, hoc Filius ejus verus Nazaræus sanctificato capite jam resurrectionis indutus mutatoriis gloriosa claritate revelavit. Dixit enim discipulis suis : « Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti (*Matth.* xxviii, 19). » Quæ enim alia præter hanc benedictio est, qua benedicat sacerdos ille sanctus filiis Israel? « Benedicat, » inquit, « tibi Dominus, » subauditur : Pater. « Ostendat faciem suam tibi Dominus, » subauditur : Filius. « Convertat vultum suum ad te Dominus, » subauditur : Spiritus sanctus. Ita plane Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus. Quid hoc pulchrius, quid jucundius ? Ecce hic in antiquissima lege novæ gratiæ lucem videmus nominis sanctæ Trinitatis, quam odit Judæus, quam dissipat hæreticus Arius, quam confundit Sabellius. Hanc in antiquo legis libro amabiliter conjunctam, clare distinctam cognoscimus.

Et nota singularum enuntiationum pulchritudinem : « Dominus, » inquit, scilicet Pater « benedicat tibi, » quod est bona dare : « et custodiat te, » quod est a malis liberare : « Dominus » Filius « ostendat faciem suam tibi, » quod est bona dare : « et misereatur » tui, quod est a malis liberare. « Dominus » Spiritus sanctus « convertat vultum suum ad te, » quod est bona dare : « et det tibi pacem, » quod est a malis liberare. Nam hic geminus est divinæ benedictionis fructus ut bonis repleamur et malis careamus, ut signati hoc nomine Trinitatis hic in præsenti peccatorum remissionem, et quodlibet divisivæ gratiæ donum percipiamus, et in futuro pœnis inferni, corporum quoque corruptione penitus exuamur, quod in gloria resurrectionis futurum spectamus. « Invocabunt, » inquit, « nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eis, » D quia dixerat Aaron et filiis suis : « Sic benedicetis filiis Israel. » Ne quis putaret benedictionem esse hominis vel ab homine quemquam benedici, definivit quod dixerat : « Invocabunt, » inquiens, « nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eis. » Nemo ergo de auctoritate glorietur hominis, ut verbi gratia, dicat quisque nostrum : Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego vero Christi. « Nunquid, » ait Apostolus, « Paulus crucifixus est (*I Cor.* i, 13) pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis ? » Igitur quocunque invocante nomen Domini super nos, solus, qui benedicit, ipse est Dominus Deus unus Pater et Filius et Spiritus sanctus, cui et cum Psalmista in præsentis loci sensu dicimus : *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.*

Non debet a memoria nostra excidere sæpe dictus certator, qui in isto medio psalmorum quinquagenario agonizat, pugnans videlicet inter spem et metum, sperans vincere ac timens vinci; sperans vincere consentiendo mente legi Dei auxilio ipsius Dei, et timens vinci a lege membrorum, cum sit anceps periculum, in quo assidue orandum et clamandum est. Licet ergo nihil de labore certaminis vel de spe victoriæ in littera evidenter sonare videatur, tamen omnino commodum atque fructuosum est volente et consentiente totius psalmi sensu eos nos intendere, ut in timore cadendi et spe triumphandi psallamus, et dicamus: *Deus misereatur nostri*, scilicet secundum depressionem motuum carnalium, id est vitiorum: *Et benedicat nobis* secundum profectum motuum spiritualium, id est virtutum: *Illuminet vultum suum super nos*, id est, det nobis cognitionem Filii sui qui idcirco *vultus* ejus dicitur, quia cognoscitur ex ipso quemadmodum quis ex vultu suo. Hanc misericordiam vel miserationem optantes omnibus, qui invocant nomen ejus, deinde subjungimus: *Confiteantur tibi populi, Deus*, etc. Hæc de sæpe dicti certatoris agonia nunc dicta sufficiant, quæ, prius quam latius explananda ingrediamur, adhuc veluti stantes in limine introspiciamus, et in sua membra psalmum hunc, verbis compendiosum, sensu copiosum distinguamus, qui post canticum resurrectionis apte continet desideria benedictionis. Habet autem hunc titulum.

VERS. 1. IN FINEM IN HYMNIS PSALMUS CANTICI DAVID.

Qui titulus jam sæpius expositus non est iterato exponendus, hoc tamen caute animadverso, quod hic psalmus congruit David, id est, cuilibet vere pœnitenti et *in finem* Christum tendenti. Primo autem petit a Domino benedici, ut salvatoris, in quo benedicendæ sunt omnes tribus terræ, habeatur notitia salutaris. Deinde secunda parte intentionem suam aperit, petens ut ei omnes confiteantur, qui et in hac vita dirigit, et in futuro judicabit, ibi: *Confiteantur tibi populi, Deus.* Tertia parte repetens eumdem versiculum: *Confiteantur tibi populi, Deus*, addit de *fructu terræ*, quo de terra orto per hunc ipsum benedictum fructum ventris virginei rogat secundo ac tertio benedici. Hanc ergo benedictionem prophetans orat, et orans prophetat sic psallendo:

VERS. 2. *Deus misereatur nostri* peccata relaxando ac miseriam, quæ peccati pœna est, lævigando vel amovendo, prout expedit nostræ utilitati et saluti. *Et benedicat nobis* dando gratiam plenam universaliter toti Ecclesiæ, sicut gratiam plenam singulariter dedit uni personæ, scilicet virgini Mariæ, cui dictum est ab angelo: « Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui (*Luc.* I, 28), » de quo fructu in sequentibus dicitur: *Terra dedit fructum suum.* Ne itaque nos infructuosi maneamus: *Deus misereatur nostri*, ut dictum est, *et benedicat nobis* dando fertilitatem fidei et boni operis. Nam quod maledictio Dei fertilitatem auferat, illud est pro

A exemplo, ubi dictum est homini peccanti: « Maledicta terra in opere tuo, cum operatus fueris eam, non dabit fructus suos (*Gen.* III, 17). » Item quod benedictio Dei fecunditatem conferat, inde patet, quia benedicens Deus primis hominibus et deinde filiis Noe dixit: « Crescite, et multiplicamini, et replete terram (*Gen.* IX, 1). » Deus ergo *misereatur nostri* auferendo noxiam sterilitatem: *et benedicat nobis* conferendo utilem fecunditatem.

Aliter: Est benedictio, qua Deus benedicit in sola misericordia: et est benedictio, qua benedicit quandoque in ira et quandoque in misericordia, (quæ et communis est bonis et malis, videlicet in largitate bonorum temporalium, quia si hæc solis bonis daret, putaret malus propter hæc Deum colendum, B quod si solis malis, timeret infirmus ad Deum converti, et sic bonis talibus privari. Ergo dat bonis, ut consolentur et inde sustententur; dat etiam malis, ut discant boni quærere alia, non communia cum istis malis. Item tollit ea bonis, ut eorum probetur fortitudo et exerceatur patientia: sicut patet in beato Job, qui dixit: « Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum (*Job* I, 21). » Tollit ea et malis, ne infirmus converti ad eum timeat propter illa servanda, quæ vidit servari non posse nec a malis nec a bonis, quanquam illi differenter ea perdant. Mali enim cum spoliantur domo sua rebus evacuata, in vacua torquentur conscientia. Boni vero cum C amiserint hæc exteriora, gaudent intus in sua conscientia, ubi exemplo formicarum collegerunt æstate unde gaudeant in hiemali frigore. Sic beatus Job velut sapiens formica, hieme adversitatis commemorat sibi ad consolationem plura opera pietatis facta in tempore prosperitatis. « Oculus, » inquit, « fui cæco, et pes claudo. Ostium meum viatori patuit: si comedi buccellam meam solus; si negavi pauperibus quod volebant, et oculos viduæ exspectare feci (*Job* XXXIX, 5; XXXI, 16, 17 et 32). » Sic apud bonos etiam paupertas est quodammodo secura, et apud impios copia est anxia, et tam copia quam inopia ipsis est noxia, quia et copia corrumpuntur et inopia franguntur. In ira ergo et non in misericordia tales benedicuntur benedictione illa communi bonis D communibus ditati, et specialibus bonorum spiritualium donis privati. Sic benedictus est Esau gulosus et invidiosus in pinguedine terræ atque in rore cœli desuper irascente illi Deo juxta illud ipsius dictum: « Jacob dilexi, Esau autem odio habui (*Malach.* I, 2 et 3). » Et propterea in ejus benedictione penitus nihil sonat de illis bonis, quæ præparata sunt electis. Cum enim ei dicitur: « In pinguedine terræ et in rore cœli desuper erit benedictio tua (*Gen.* XXVII, 39), » solis his verbis temporalis felicitas notatur, qua idem Esau et ejus posteritas copiose abundasse legitur, in pinguedine terræ ac cœli bona temperie benedictione Patris Isaac illum prosequente, ac Deo effectum benedictionis tribuente, quamvis eum non dilexerit, sed odio ha-

buerit, ac proinde non de misericordia, sed de ira talis benedictio fuit, quatenus dum talibus beneficiis esset ingratus, plus adhuc fieret dignus odio in aperto, quam fuisset in utero.

Porro Jacob, quem dilexit Dominus, non in ira sed in magna misericordia legitur benedictus dicente ad illum patre suo : « Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus (*Gen.* XXVII, 27). » Quibus in verbis nomine boni odoris ad similitudinem agri pleni a Domino benedicti notatur plenitudo misericordissimæ benedictionis in bonis æternaliter permansuris. Quis denique ager est adeo benedictus, nisi ille « speciosus forma præ filiis hominum, » quem propterea « benedixit Deus in æternum (*Psal.* XLIV, 3), » ut fructus benedictionis ejus maneat in æternum, redundante illi semper copia æternalium bonorum, quæ in illo tanquam in agro pleno dum semper metuntur, nunquam minuuntur. De hoc agro messuerat insignis martyr Laurentius eas divitias, de quibus ad Decium loquitur. Cum enim Decius thesauros Ecclesiæ ab eo perquireret, ille intento digito in pauperes Christi, quos aggregaverat, quosque spiritualibus bonis ditatos agnoverat, sic ait : Isti sunt thesauri æterni, qui non veterascunt nec minuuntur, qui in singulis disperguntur et in omnibus inveniuntur. Et quia odor quoque agri pleni beato martyri huic non defuit : « Ego, » inquit, « me obtuli sacrificium Deo in odorem suavitatis. » Congrue itaque in verbis præmissis Isaac filium Deo dilectum benedicentis intelligitur largitio æternæ felicitatis in bonis permansuris in æternum. Verum ne temporalium quoque bonorum deesset illi subsidium, additur adhuc : « Det tibi Deus de rore cœli et de pinguedine terræ abundantiam frumenti et vini : et serviant tibi populi, et adorent te tribus : esto Dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuæ ; qui maledixerit tibi, sit ille maledictus, et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur (*Gen.* XXVII, 28 et 29). » In benedictione fratris odiosi nulla est mentio abundantiæ vel plenitudinis, cum ei dicitur : *In pinguedine terræ, et in rore cœli desuper erit benedictio tua*, quia semper avarus eget, et dum avaritia neque copia neque inopia minuitur, avaro tam deest quod habet, quam quod non habet. Etsi ergo divites plerumque inveniantur, quibus Deus irascitur, tamen quia fallaces eorum divitiæ indigentiam non tollunt sicut promittunt, semper in egestate sunt, qui falsas divitias amant, et ideo fructus non capiunt ex eis. Illi autem, quos Deus cognoscit in benedictionibus suis conservando illis misericordiam suam, non solum ditescunt in spiritualibus, verum etiam recte utendo istis temporalibus, parce sive large sibi distributis, fructus æternos capiunt ex eis, dum sic transeunt per bona temporalia, ut non amittant æterna. Quod totum in illis operatur benedictio divina, quando ipsam benedictionem et præveniens misericordia præordinat et subsequens conservat. Proinde in primo hujus psalmi versiculo et præveniens benedictionem petitur misericordia, deinde ipsa benedictio atque denuo iterum quæritur misericordia, ipsam videlicet benedictionem conservatura.

A

Et notandum, quod in fine præcedentis psalmi Deus ab homine benedicitur, ubi dicitur : *Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam et misericordiam suam a me.* Hic autem benedictio Dei super homines optatur, dum tertio dicitur : *Benedicat nobis*, vel *nos Deus*, et misericordia, quæ ibi dicitur non esse amota, hic requiritur quasi adhuc remota. Ex quo datur intelligi benedictionem geminam homini esse necessariam, ut videlicet benedicendo et laudando Deum super omnia benedictum vicissim benedici mereatur ab eo, non quod illi, sed nobis prosit utraque benedictio. Item cum adesse persentitur misericordia divina, ut amplius adsit precibus, est jugiter invocanda. Oremus igitur, et dicamus : *Deus misereatur nostri*, ut misertus est Jacob sui dilecti, priusquam aliquid boni ageret. Deinde *benedicat* nobis dictante misericordia, ut benedictio nobis fiat fructuosa, sicut est fructus agri pleni, quem benedixit Dominus. Et ne depereat vel decrescat, sed magis ac magis incrementum felicissimi profectus capiat, iterum *Deus misereatur nostri*, ut misericordia, quæ nos prævenit, ut benediceremur, subsequatur etiam, ne benedictionis fructum vel perdamus vel minus plene, quam oportet, capiamus. Nolumus illam benedictionem, quam prævenit ira, quamque subsequitur major ira, sicut in Saulis unctione apparet, quem Dominus regem constituit in ira sua, et abstulit in indignatione sua, sicut ipse in Osea propheta contestatur dicens : « Dabo eis regem in furore meo, et auferam in indignatione mea (*Ose.* XIII, 11.) » Quia enim populus Israel indisciplinate regem petendo judicem legitimum Samuelem, et in ipso judicis auctorem Dominum projecerunt, sicut ipse ait : « Non enim te abjecerunt sed me (*I Reg.* VIII, 7), » justo judicio in ira datus, et in ira legitur ablatus iste rex inique postulatus. Et ira quidem dantis cum Dei non fuit manifesta, quia legitur idem rex electus et bonus, atque ipso ejus ordinatore contestante a Domino electus. Videtis, inquit, « quem elegit Dominus (*I Reg.* X, 24). » Ista ergo talis electio, et in regnum promotio per unctionem propheticam nonne fuit quædam benedictio? sed quod esset in furore Domini, per hoc innuitur, quia non de cornu sicut David, sed de lenticula fuit unctus. Lenticula vasculum erat olearium quadrangulum in latere apertum a liniendo dictum. Cornu vero plenum oleo, de quo per eumdem prophetam fuit unctus David, longe ampliorem continens abundantiam, constantem ac perseveraturam in David signabat regalem pariter ac prophetalem gratiam. Nam directus est Spiritus Domini in David a die illa, et in reliquum. Ex quo patet præveniente misericordia illum fuisse unctum sive benedictum, videlicet cum ungeretur oleo visibili, pinguedo invisibilis a

radice sese diffudit in ramos bonæ arboris. A radice, inquam, id est, ab eo, qui dicit : « Ego sum genus et radix David (*Apoc.* XXII, 16). » Nam qui postea per novam carnis nativitatem factus est genus David, ipse jam per antiquam divinitatis naturam erat radix David, sancti Spiritus verum oleum veramque pinguedinem, totius benedictionis fontalem virtutem subministrans, unde floreret, fronderet, fructumque faceret, super quo fructu confiteri possunt omnes populi, quia *terra dedit fructum suum, fructum* bonum, *fructum* benedictum. Nam de ipso natus est ille benedictus fructus ventris virginei, in quo benedicendæ sunt omnes gentes. Propter quod sicut in præsenti psalmo habemus, *in omnibus gentibus* jam *salutare Dei* cognoscitur; quia de omnibus gentibus aliqui salvantur, de quibus et dicitur : *Lætentur et exsultent gentes.*

Nonne igitur patriarchæ David benedictio sive unctio in Dei misericordia præordinata fuit, ex qua tantus fructus provenit ? Sic et nos optamus benedici, cum dicimus : *Deus misereatur nostri, et benedicat nobis.* O quam multi hoc in tempore per furorem Domini electi sicut Saul, cum sint electi et boni ad ministerium furoris Domini contra indisciplinatos populos, cum benedicuntur et oleo visibili vel in reges vel in pontifices aut sacerdotes perunguntur de oleo invisibili, de pinguedine videlicet Spiritus sancti vel nihil vel parum accipiendo, ex fructibus tandem suis cognoscuntur, quam sint malæ arbores et illi valde consimiles, de quo legitur : « Filius unius anni erat Saul, et duobus annis regnavit (*I Reg.* XIII, 1). » Sic enim erat innocens, quando regnare cœpit, sicut filius unius anni est, et in eadem innocentia duobus annis regnasse dicitur. Arbor magna et fertilis valde cito inveteravit, quæ tantum duobus annis fructificandi gratiam retinens statim, corrupta radice, frondium venustatem simul et fructuum honorem perdidit. Qualis putas vermis intrinsecus radicem ejus momordit? Utique vermis superbiæ, quo et ille vitiatus computrescere potuit, de quo in Ezechiele dicit verbum Domini : « Ecce Assur quasi cedrus in Libano pulcher ramis et frondibus nemorosis, excelsusque altitudine, et inter condensas frondes elevatum est cacumen ejus, etc. Pro eo, quod sublimatus est in altitudine, et dedit summitatem suam virentem atque condensam, et elevatum est cor ejus in altitudine sua, tradidi eum in manu fortissimi gentium (*Ezech.* XXXI, 3, 10 et 11). » Plane et de isto veraciter dicas, quia pro eo quod elevatum est cor ejus multitudine sua, tradidit eum Deus in manu fortissimi gentium. Nam Spiritus Domini recessit ab eo, et exagitabat eum spiritus nequam a Domino. Grandis pœna regis, grandis confusio populi, qui contra Dei voluntatem regem postulavit. Etsi cætera non desint exempla judicii et veritatis, vel hoc solum pro testimonio sufficere possit, quod nunquam ad bonum status sui finem perveniat omnis plantatio quam non plantavit Pater cœlestis, quod omnis ordinatio domus Domini, quæ inconsulta voluntate ejus per voluntatem hominum facta est, inordinationis pœnas datura sit. Hujus opprobrii maculam subsequens abstulit regnum David ordinatum per voluntatem et per manum Dei, quemadmodum et Samuel superius testificando dicit : « Quæsivit sibi Dominus virum juxta cor suum, et præcepit ei Dominus, ut esset dux super populum suum (*I Reg.* XIII, 14). » Quod profecto cum dicit, ex proposito datur intelligi, quod nunquam Saulem Dominus juxta cor suum quæsierit. Ac proin cum dicitur : « Quia erat Saul electus, et bonus, et non erat vir de filiis Israel melior illo, » utique subaudiendum est : non juxta cor Domini, sed juxta cor populi. Sequitur etenim : « Ab humero et sursum eminebat super universum populum (*I Reg.* IX, 2). » Quo videlicet dicto brutum percutit vulgi judicium, eo quod staturæ, non meritis fasces ascribat vel gloriam dignitatum.

Quæ stultitia nostro tempore in electionibus episcoporum cæterorumque spiritalium prælatorum quotiescunque admittitur, ut videlicet in eligendis talibus caro et sanguis, quæ regnum Dei non possidebunt, potius quam virtus morum bonorum, quibus intratur in regnum cœlorum, consideretur. Ex hac enormitate multa perditio animarum consequitur, dum non pastoribus per ostium, verum latronibus aliunde intrantibus, grex Domini committitur. « Qui » enim « non intrat per ostium, » quod est Christus, « ille fur est, et latro ; » item : « Fur non venit, nisi ut furetur et mactet, et perdat (*Joan.* X, 1, 10). » Furetur videlicet vel temporales vel spiritales Ecclesiarum divitias in suos quæstus vertendo. Mactet corpora in hoc furto sibi resistentium, perdat vero animas consentientium. Tales cum solemni benedictione vel unctione promoventur, quasi de lenticula uncti cum Saule in ira Domini benedicuntur, neque istis convenit cantare : *Deus misereatur nostri, et benedicat nobis* ante suam consecrationem, quam non prævenit misericordia Dei, sed ira, quia non sunt electi, vel quæsiti secundum cor Dei, sed secundum cor populi, quæ sua sunt quærentis, non quæ Jesu Christi.

Porro qui sicut David eliguntur et inveniuntur secundum cor Dei, quemadmodum loquitur ipse Deus : « Inveni David secundum cor meum (*I Reg.* XIII, 14), » congrue psallentes dicunt et dicere possunt : *Deus misereatur nostri, et benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri,* eo quod misericordia Dei præveniente ac subsequente in eorum benedictione oleum consecratum super illos effusum non dubitatur de illo cornu salutis, unde alias canitur : « Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ, et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui (*Luc.* I, 68 et 69). » Cum ergo fiant quædam benedictiones in ira, vel etiam in dolo, sicut in Esau et Saule ostensum est, et sicut alias dicitur : « Verumtamen propter dolos posuisti eis, »

videlicet divitias et honores, in quibus « dejecisti eos, dum allevarentur (*Psal.* LXXII, 18), » non sunt appetendæ hujusmodi promotiones in ira vel in dolo a Deo tolerandæ, ac tandem in sola ira districtissime judicandæ, ut patet in Saule per iram Dei exaltato et per iram projecto, per iram ditato ac purpurato, per iram denudato ac spoliato, in monte Gelboe. Quod plangens David, secundum cor Dei electus et in misericordia ipsius benedictus: « Montes, » inquit, « Gelboe nec ros, nec pluvia veniat super vos (*II Reg.* I, 21), » videlicet, ut ipsa montis ariditas perpetua et permanens posteris sit necessariæ rei documentum, ut semper præ oculis habeant unde commoneantur futuri reges cæterique prælati cavere superbiæ vitium, propter quod in monte Gelboe Saul occisus ac denudato cadavere inhonestatus, hostium visibilium et invisibilium præda factus est. Nonne iste toties in ira sive in dolo benedictus est, quoties electus et bonus, eo quod non esset vir melior illo in Israel, prædicatus est? Sic multoties « laudatur peccator in desideriis animæ suæ et iniquus benedicitur (*Psal.* X, 3) », quando ira Dei super eum thesaurizatur, et sub specie benedictionis maledictio in eum congeritur. Ne itaque sic per iram Dei benedicamur, vel potius maledicamur, *Deus misereatur nostri*, non tantum in via copiose disponens viaticum auxilium, sed *in finem*, id est in Christum psallentibus, prout habet titulus, conservans finale præmium, quod est *pro victoria* in misericordia et in miserationibus coronari, et in regnum sempiternum exaltari. Hac misericordia nobis præordinata in secreto divini consilii *benedicat nobis Deus* ad effectus bonos exhibendos, ut cæteri videant opera nostra bona, et glorificent atque benedicant Patrem qui in cœlis et etiam in nobis est, quia de terrenis cœlestes facit, quos in misericordia sua sic benedicit, ut ipse in eis ac per eos benedicatur.

Atque ut hoc manifeste fiat evidens, quod ipse Pater in Spiritu suo per nos in nobis ac nobiscum bene operante facit nos veraciter clamare ad se: « Abba Pater (*Rom.* VIII, 15), » tanquam dilectos filios, *illuminet* ipse *vultum suum*, id est filium suum naturalem *super nos* filios adoptivos, qui cum sit sol justitiæ, super nos lucendo faciat nos quoque fulgidos in splendore justitiæ, ut verbis et operibus virtutes annuntiemus ejus, qui de tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum.

Aliter: *Illuminet vultum suum super nos*, id est, imaginem suam non inferiori nostro, quod est caro, sed superiori nostro quod est mens, Creatoris gratiæ opere impressam, sed peccato et miseria oppressam, salvatricis gratiæ ope ita reformet, ut faciat imago in suo corpore, quod facit forma divini *vultus*, æterna videlicet sapientia in suo sibi unito corpore. Illa enim suum corpus non solum illud de virgine assumptum, sed et illud de membris Ecclesiæ omnibus compactum bene regendo illustrat, ita ut illud speciale suum veluti solare corpus igne Divinitatis plenum ineffabiliter fulgeat in se, ac radios justitiæ, virtutis et beatitudinis, in corpus illud universale totius Ecclesiæ pro mensura cujusque membri diffundat. Hanc formam, hunc vultum super ejusdem formæ seu vultus imaginem, scilicet nostræ mentis rationem veluti sigillum quoddam regale imprimendo ipse sibi adeo conformet, ut, sicut dictum est, faciat imago hæc in corpore suo, quod forma ipsa facit in suo, non tamen sua, sed ipsius formæ virtute mirabilia hæc in sua imagine operante, ut sicut ipsa forma imaginis attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter, sic et ipsa imago a suo corpore, fortiter contra mala, suaviter in bonis disposito, attingat fortiter et disponat suaviter sibi omnia commissa incipiens ab interioribus, ut omnis gloria ejus ab intus procedat foras, et pertingens fortissima suavitate ac suavissima fortitudine usque ad exteriora se contingentia sapienter disponenda.

Ne autem gratiæ, seu gloriæ hujus finis imperfectus reprehensibile faciat totum antecedens opus, ipse Deus Pater, qui præveniendo nos misericordia sua in benedictionibus dulcedinis fecit et facit nos florere virtutibus fructuosis, denuo *misereatur nostri* subsequente miseratione dando virtutem perseverantiæ usque in finem; quoniam qui « perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* X, 22). » Petimus quidem nos *illuminari*; sed ne vel in Judæa sola, vel in qualibet singulari secta lumen nostrum sub modio superstitionis cujusque vel sub lecto desidiæ aut lasciviæ abscondatur, imo sit super candelabrum, ut qui ingrediuntur de omni terra, de omnibus gentibus, lumen videant, petimus,

VERS 3. *Ut in tota terra*, id est in omnibus gentibus, *cognoscamus viam tuam*, qua recte incedendo ad te veniamus; et quia ipsa via *salutare* tuum est, in ipso æternaliter salvi maneamus. Repentina hic de tertia persona transitio ad secundam, ut de Deo loquens non dicat: *Viam suam*, vel *Salutare suum*, sed *tuam*, et *tuum*, vehementiam notat fortiter orantis, et gratiam Dei se inter medias preces oranti præsentantis. Ita et sponsa in Canticis canticorum cum quasi absente sponso loquens diceret: « Osculetur me osculo oris sui, » repente ad secundam personam transiens adjecit: « Quia meliora sunt ubera tua vino (*Cant.* I, 1). » Et hic similiter fortis cum Deo luctator, ut quasi alter Jacob gratiam benedictionis beatæ illi precibus et fletibus extorqueret, quoniam et ille flevit et rogavit quoadusque sic luctando benedictionem suique laboriosi nominis immutationem obtinuit, ut non ultra Jacob sed Israel vocaretur, et quasi vir videns Deum de illuminatione divini super se vultus in Domino gloriaretur, non solum de absente Deo, quasi longinquus invocator præmisit: *Deus misereatur nostri*, etc., sed etiam quasi præsens luctator Deum sibi præsentem stringit quodammodo sic

dicens ad ipsum : *Ut cognoscamus in terra viam* A *tuam*. In qua *terra? In omnibus gentibus*. Quam *viam tuam? Salutare tuum*; ne videlicet promissio Abrahæ facta et semini ejus de benedicendis omnibus gentibus ullo modo cassetur, sed salvato electorum numero de omnibus gentibus verax tu et justificatus appareas in sermonibus tuis, « et vincas, cum judicaris (*Psal*. L, 6). » Vincas et convincas omnes homines esse mendaces juxta illud : « Omnis homo mendax (*Psal*. CXV, 11) » : te autem in tuis promissionibus de benedicendis gentibus omnibus esse veracem semperque victoriosum, ne in verbis tuis ullum prorsus inveniatur mendacium, quanquam peccatis hominum et injuriis nimiis irritatus promissa tua mutare potuisses, nisi tu verax, B imo veritas immutabilis esses. « Ecce enim veritatem dilexisti (*Psal*. L, 8) », et gentibus quamvis non promerentibus promissam benedictionem largitus es. Quod ita creditum vel speratum non sufficit ad nostram consolationem, qui dolemus naturales ramos, Judæos scilicet abscissos, nisi oculis nostris in evidentia manifesta videamus, et *cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum*. Peccator Judæus in perfidia sua obstinatus videbit et invidebit. Videbit et irascetur super ista salute gentium : nos autem apostoli et apostolici viri videamus et *cognoscamus*, id est diligamus. Nam *cognoscere* interdum pro diligere ponitur ut ibi : « Oves meæ vocem meam audient, et ego Dominus agnosco eas. » Item : « Et cognosco C meas, et cognoscunt me meæ (*Joan*. x, 27), » id est, meas oves diligo, et illæ me diligunt. Nos igitur *cognoscamus* et diligamus *in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum*. Non stemus foris cum fratre seniore invido et irato de fratre, qui perierat, sed intremus, et in illa symphonia delectemur, quam grandis ille chorus cecinit, qui ut de die in diem grandior factus multiplicetur *in finem*, id est in consummationem, nos oramus et dicimus :

VERS. 4. *Confiteantur tibi populi, Deus; confiteantur tibi populi omnes. Confiteantur* tibi primo peccata sua dicente unoquoque : « Pater, peccavi in cœlum et coram te (*Luc*. xv, 21). » Deinde ut clara D fiat symphonia, *confiteantur tibi* assiduis, imo continuis laudibus, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia tua. Ordo bonus, quia « enim corde creditur ad justitiam, deinde ore confessio fit ad salutem (*Rom*. x, 10), » nos corde credendo ut in priori parte Psalmi hujus prosecuti sumus, primo *cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum*. Deinde, ut in hac secunda parte informamur, *confiteantur tibi populi, Deus*, et peccata sua et laudem tuam. Nec hoc tantum faciat unius terræ populus, sed omnes *populi confiteantur tibi*, ut sit Ecclesia non in Judæa tantum, vel in alio aliquo angulo terræ unius vel in scissura sectæ alicujus angustata, verum per omnes terras, in omnibus gentibus oleo lætitiæ diffuso,

VERS. 5. *Lætentur et exsultent gentes*. Ecce hymnus, et canticum præmissis confessionibus apte subjunctum. Jam enim confessi non timent judicium, quibus tu, Christe, advocatus es, qui peccatores confessos non damnare, sed liberare soles, cum sis pariter et judex confitentium in æquitate in futuro judicio ; et nunc *gentes in terra dirigis* in via æquitatis, ut sint, quibus postea misereri possis in judicio æquitatis. Magna igitur consolatio, quod tu, qui *judicas populos in æquitate*, nunc ante judicium *gentes in terra dirigis*. Unde fit ut æquitas illa judicii tui non sit timenda nimiis his potissimum *gentibus*, quas nunc *in terra dirigis*, et sub regimine tuo lætari et exsultare facis. Proinde *lætentur* mentis jucundo et lætabundo motu, et *exsultent* corporis disciplinato gestu populi et *gentes, quoniam judicas populos in æquitate* in futuro examine, atque ut judicium æquitatis ferre valeant, nunc freno disciplinæ *in terra* præsentis peregrinationis *gentes dirigis*. Quomodo enim quondam direxisti populum tuum in terra deserta, in loco horroris et vastæ solitudinis, ut habens in die columnam nubis, in nocte columnam ignis præviam, demonstratricem viæ, ut non posset aberrare : sic modo *gentes* ad fidem vocatas *dirigis* tam in die prosperitatis, quam in nocte adversitatis, nunc velut columna nubis misericordiæ blandimentis trahendo eas post te, Christe, qui tectus nube carnis humanæ, Salvator es naturæ humanæ, nunc velut columna ignis illuminando simul et inflammando per noctem ducis, quos inter adversa lucentes et ardentes facis, lucentes cognitione veritatis, ardentes amore virtutis. Propterea iterum atque iterum *confiteantur tibi populi, Deus*.

Pars tertia, in qua denuo admonentur omnes populi gratulari, et confiteri non solum super jam dictis beneficiis, verum etiam super his, quæ subnectuntur, cum dicitur :

VERS. 6 et 7. *Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes*, quia *terra* prius maledicta et spinis ac tribulis addicta nunc *dedit fructum suum*, cum virginea *terra* Spiritu sancto fecundata, et a maledictione omnino segregata *dedit fructum suum*, *fructum* benedictum, de quo illi dictum est : « Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui (*Luc*. I, 42). » *Fructus* iste benedictus Abrahæ promissus nunc omnibus gentibus est missus et datus, ut videlicet in illo benedicto fructu benedictæ terræ benedicantur omnes tribus terræ, quatenus et illæ faciant *fructum suum*, aliæ tricesimum, aliæ sexagesimum, aliæ centesimum secundum distributionem donorum sibi collatorum. Sic fiet, ut et *terra* ista insensibilis propter peccata hominum prius maledicta et sterilis effecta benedictione Domini respersa *det fructum suum* alias frumento, alias oleo, alias vino abundans, prout ei distributum est a Deo, qui sicut in hominibus, ita quoque in terris ditandis utitur mensura distributiva, prout vult ; ut alter alterius egeat, et

sic mutuatis hinc inde beneficiis fructus charitatis magis ac magis crescat tam inter diversas terras, quam inter hominum distinctas manieras.

Aliter : *Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes. Populi* spiritales fructu spiritalium desideriorum affecti, eisdem fructibus copiose ditati *confiteantur tibi*, et laudent nomen tuum, quia *terra* sive sancta Scriptura, sive sancta Ecclesia, sive caro Dominica quasi cadendo in terram mortua, et resurgendo multiplicata *dedit fructum suum*. Quæ confessio tunc plena dici poterit, cum nec unum iota de Scriptura veritatis non impletum erit, neque de convocatione justorum, quæ est Ecclesia vel unus electorum deerit, neque corpus Dominicum vel in uno membrorum suorum non clarificatum erit. Crescit autem ista confessio de die in diem crescente isto fructu sanctæ hujus triformis terræ; donec toto fructu in horrea cœli collecto verissime dici possit: *Terra dedit fructum suum* secundum populorum spiritalium spiritale desiderium.

Quia vero dictum est: *Confiteantur tibi populi omnes*, populi quoque animales, de quorum numero eliguntur spiritales, etiam ipsi pro suo sensu animali necesse habentes fructibus terræ insensibilis adjuvari, eisdem fructibus copiose ditati atque pauperibus inde per eleemosynas fructuosi *confiteantur*,* quod etiam talis *terra dedit fructum suum* ad laudem tuæ, Deus, pietatis bona temperie istam quoque terram fecundantis, et maledictionem, quapropter peccatum primi Adæ terra maledicta et sterilitati addicta est, secundi Adæ superabundante gratia, et benedictione auferentis. Sicut enim tunc abundavit maledictio, ita ut feminea terra opere conjugali seminata non daret fructus suos in electis velociter germinandis, verum gigneret spinas et tribulos impiorum multiplicatis ærumnis et conceptibus nimium superfluis, insuper etiam ista insensibilis *terra* fructu suo negato spinas et tribulos ultro germinaret : sic per Christum benedictum *fructum* ventris virginei superabundat benedictio, ut multiplicetur generatio sanctorum, et etiam *terra*, quam calcamus, det *fructum suum* tam copiose ut *confiteantur omnes populi* tam carnales quam spiritales, quia *terra dedit fructum suum*. Amplius autem et in hoc abundavit maledictio, ut cordis humani *terra* seminis boni, quod est verbum Dei, exceptoria non daret, nisi cum labore ac sudore, fructus huic semini congruos, videlicet sanctas cogitationes; pravas autem, sive inutiles germinaret ultro exigente primi Adæ merito. Per secundum vero cœlis desuper abunde rorantibus et nubibus pluentibus justum, cum sic Dominus dabit benignitatem, *terra* quoque dat *fructum suum*, dum cor humanum fit sanctis meditationibus floridum et sanctis operibus fructuosum. Quod quia totum non de humana virtute, sed de divina benedictione procedit,

VERS. 8. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus. Benedicat nos Deus* Pater, *benedicat nos Deus* Filius, qui nostra carne assumpta *noster* est factus, utpote quia Filius datus est nobis, qui puer natus est nobis. *Benedicat nos Deus* Spiritus sanctus. Et hac benedictione trina trini unius Dei super nos effusa nos eum diligamus pariter et metuamus, ut dum inter beneficia cum dilectione metus habetur, accepta gratia cautius custodiatur.

Aliter : *Benedicat nos Deus, Deus noster*. Et quantacunque super nos effundatur benedictio, quia incerti sumus de fine nostro, *metuant eum omnes fines terræ* nesciente unoquoque nostrum utrum odio an amore dignus sit, priusquam finis advenerit, qui cum venerit, *metuent eum omnes fines terræ*. Sed ne tunc *metuant* pœnali metu, quo etiam dæmones metuunt et contremiscunt, modo *metuant* medicinali metu *omnes fines terræ*, ut quos amor justitiæ a peccato non cohibet, saltem timor frenet.

Aliter : *Benedicat nos* fideles *Deus, Deus noster, benedicat nos Deus* gemina benedictione mentis et corporis, contemplationis et actionis, vel geminæ dilectionis : infideles autem nolentes recipere benedictionem, sic terreat, ut metuant, et metuere cogantur eum. Non sit, qui se abscondat a calore ejus per omnes fines terræ, quin vel accepta benedictione lætetur et exsultet, vel territus judicio, quo judicas populos, metuat secundum quod dicitur : *Metuant eum omnes fines terræ. Eum* dicit, non *eos*, quamvis tertio *Deus* præmiserit.

Super hunc locum beatus Gregorius dicit : (12*) « David, ut auctorem omnium Deum, Trinitatem ostenderet, dixit : *Benedicat nos Deus noster, benedicat nos Deus :* ac ne tertio Deum nominans tres deos dixisse putaretur, illico unitatem ejusdem Trinitatis insinuans addidit : Et metuant eum omnes fines terræ. Qui enim non eos, sed eum subdidit, unum tria, quæ dixerat intimavit. Unde et Isaias, cum laudem de unitate Trinitatis aperiret, Seraphim vocem exprimens ait : *Sanctus, Sanctus, Sanctus* (*Isa.* VI, 3). Ac ne tertio Sanctum nominans unitatem divinæ substantiæ scindere videretur, adjunxit : *Dominus Deus Sabaoth* (*ibid.*). Qui ergo non : Domini dii, sed, Dominus Deus addidit, unum existere, quod tertio sanctum vocaverat, indicavit. Hinc est, quod Paulus, ut operationem sanctæ Trinitatis ostenderet, ait : *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia* (*Rom.* XI, 36); atque unitatem ejusdem Trinitatis intimavit, cum protinus addidit : *Ipsi gloria in sæcula sæculorum* (*ibid.*) *:* qui ergo non ipsis, sed ipsi subdidit, unum naturaliter, tria secundum personas innotuit, quod superius tertio id ipsum dixit. » His tribus, huic uni sit gloria semper ubique. Amen.

Gloria Patri vultum suum, id est Filium suum naturalem nobis filiis adoptivis imprimenti. *Gloria*

(12*) Lib. XXIX Moral., cap. 31.

Filio vultui paterno nobis adoptivis impresso. *Gloria Spiritui sancto* misericordiæ Patris ac lumini vultus ejus, de quo alias dicitur : « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine (*Psal.* IV, 7). » *Gloria* uni ac trino *Deo miseratori, benedictori et illuminatori* nostro, cui dicimus : *Deus misereatur* A *nostri, et benedicat nobis : illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.* Glorietur ipse in nobis tanquam in filiis benedictis et illuminatis per misericordiam suam. Gloriemur nos in eo tanquam in misericordissimo benedictore et illuminatore nostro. Fiat, fiat, fiat. Amen, amen, amen.

PSALMUS LXVII.

Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant, qui oderunt eum, a facie ejus. Scriptum est in libro Numerorum : « Cumque elevaretur arca, dicebat Moyses : Surge, Domine, et dissipentur inimici tui, et fugiant, qui oderunt te, a facie tua. Cum deponeretur, aiebat : Revertere, Domine, ad multitudinem exercitus Israel (*Num.* X, 35, 36). » Levata nube, moventibus castra principibus, Moyses persistens in contemplatione exemplaris ejus, quod illi ostenderat Dominus, ut sæpe repetens hæc Scriptura testatur, *surge*, inquit, *Domine ;* sive : *Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus.* Nam hinc principium, hinc cœlestem habet causam sive materiam psalmus iste, cujus initium est : *Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant, qui oderunt eum, a facie ejus.* Quo Deus exsurgat? Illuc utique, quo exsurrecturum illum nubes elevata figurat. Hoc nempe in Psalmista propheticus scrutatus Spiritus quid sibi velit, quod elevata nube principes castra moventes proficiscuntur : *Ascendisti in altum*, inquit, *cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus.* Ac deinceps in præsentis loci sensu mystico persistens, *viderunt*, inquit, *ingressus tuos, Deus, ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto. Prævenerunt principes conjuncti psallentibus in medio juvencularum tympanistriarum. Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu. Principes Juda, duces eorum, principes Zabulon, principes Nephthalim.* Tertius accedit Apostolus, totoque amoto velamine sensum amborum revelata facie manifestius eloquitur, quæ videlicet sit elevatio nubis, et qui castrorum principatus, quæ ascensio in altum, et quæ dona in hominibus. « Unicuique, » inquit, « nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Propter quod dicit : Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi (*Ephes.* IV, 7-12). » *Exsurgat* igitur *Deus*, id est, ascendat in altum Christus, et per istos principes, qui elevata nube carnis ejus ad nos missi proficiscuntur, per apostolos, evangelistas, prophetas, doctores, atque pastores; per istos, inquam, principes Juda, principes Zabulon, prin- B cipes Nephthalim, qui sunt fide pulchri, spe fortes et charitate dilatati, ubi est et Benjamin adolescentulus in mentis excessu, scilicet Paulus apostolorum minimus usque ad tertium cœlum raptus, *dissipentur inimici ejus, et fugiant, qui oderunt eum, a facie ejus*, quod et factum est, et fit et in finem sæculi usque ad consummatam victoriam fiet. « Cum autem, » inquit, « deponeretur arca, aiebat Moyses : Revertere, Domine, ad multitudinem exercitus Israel (*Num.* X, 36). » Et hoc utique fiet, cum plenitudo gentium subintraverit. Tunc enim Dominus ad illum carnalem Israel revertetur, ut ex eis reliquiæ salventur.

* Notandum vero quod in hoc psalmo multa sæpe dictus præliator inter spem et metum certans contra C legem membrorum invenit, quibus pugnet, quibus hostem feriat, flagellet, elidat, incendat. *Exsurgat*, inquit, *Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant, qui oderunt eum, a facie ejus. Sicut deficit fumus deficiant : sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei*, etc. Hæc namque fideliter dicta velox comitatur effectus, et velut exsurgente Deo fugiunt, qui oderunt eum, maligni spiritus cum suis suggestionibus ut fumus deficientes, ut cera a facie ignis defluentes. Et ne forte desperet Dei miles, si quid incautius agendo perpessus est, si aliquo peccato vulneratus est, audit sibi postmodum dicentem Spiritum sanctum : *Deus in loco sancto, Deus, qui inhabitare facit unius moris in domo. Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos, qui exa-* D *sperant, qui habitant in sepulcris.* Hoc nempe sic factum est in universis gentibus, ut non sit, cur desperet unus vinctus; unus quamvis in sepulcro habitans, quamvis Lazaro fœtenti et quatriduano merito comparandus. Titulus autem psalmi hujus est :

VERS. 1. IN FINEM PSALMUS *cantici David.*

Agitur hic de exaltatione capitis Christi vel Ecclesiæ et membrorum, et inimicorum dejectione hic et in futuro, hac intentione, ut malos terreat ac bonos lætificet. Unde et in titulo et in psalmo multipliciter monet et mente exsultare et opere, primo breviter tangens, quæ post latius explicat, scilicet exaltationem Christi, et dejectionem inimicorum, bonorum gratiam et lætitiam hic et in futuro. Secundo de verbo Evangelii ibi : *Deus, cum egredere-*

ris. Tertio de donationibus Christi ascendentis, ibi : *Dum discernit cœlestis reges*. Quarto de operibus, quæ sunt conquassatio inimicorum, conversiones aliquorum, martyria ab utroque sexu, ibi : *Deus noster, Deus salvos faciendi*. Quinto precatur et asserit, quod inceptum est, confirmari, et ut hoc fiat, hæreticos destruit, ibi : *In ecclesiis benedicite Deo Domino*. Sexto eum, qui ascendit, dicit esse venturum, ut sanctos confirmet, ibi : *Psallite Deo, qui ascendit*.

Titulus psalmi prænotatus ita exponi potest : *In finem psalmus cantici David*, id est hic tractatus jucunditatis attribuendus est David prophetæ consideranti *in finem*, id est in Christum, qui est finis legis ad justitiam, qui etiam cum « dilexisset suos, in finem dilexit eos (*Joan.* XIII, 1) » pro eis moriendo, resurgendo, ascendendo, Spiritumque Paracletum mittendo, et illius operatione sanctam Ecclesiam, dissipatis inimicis ejus, construendo et glorificando. Hæc omnia prævidens et desiderans futura David psalmista psallit ipse, atque ad psallendum cæteros invitat in sequentibus dicendo : *Psallite Deo, qui ascendit super cœlos cœlorum ad orientem*. Attendens autem, quod Moyses et populus Israel pugnaturi contra gentes adversarias elevabant arcam fœderis dicendo : *Surge, Domine, et dissipentur inimici tui*, modum suæ locutionis inde figurat, et Christum, qui per arcam illam significabatur, in quo quasi duæ tabulæ testamenti sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi, per quem et tunc vincebat Israel, ad dejiciendos inimicos optat exaltari per gloriosam resurrectionem et admirabilem ascensionem dicens, ex intimo cordis affectu :

VERS. 2. *Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus*. Qui moriens in cruce ac jacens in sepulcro apparuit verus homo, ipse ut appareat verus Deus, *exsurgat* a mortuis in tanta suæ divinitatis claritate, ut hanc ferre non volentes *inimici* ejus *dissipentur, et fugiant qui oderunt eum a facie ejus*. Ipsi qui stabant ante faciem ejus in cruce pendentis insultantes ei, et dicentes : « Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere (*Matth.* XXVII, 42), » nunc *fugiant a facie* ipsius resurgentis terrente illos fulgureo aspectu primo angelicæ visionis ad sepulcrum, deinde ipsius Dominicæ glorificationis de vultu ejus procedente Spiritu sancto in igne, amicos apostolos inflammante simul et illuminante, inimicos autem Judæos ac cæteros malignos urente propter invidiam, et excæcante propter superbiam. Is igitur, qui mortuus est ut homo, *exsurgat* ut *Deus*, cum sit ipse pariter homo et Deus, non duo tamen, sed unus Christus. *Exsurgat*, inquam, *Deus, et dissipentur inimici ejus*. Confidenter optabat, quod præsciebat futurum. Jam vero factum est in parte, quod optabat. Surrexit enim Christus, et per omnes gentes dispersi sunt Judæi, adhuc amplius dispergendi cum cæteris inimicis ejus paganis, hæreticis, falsis Christianis ultimo judicio universaliter dissi-

A pandis. Qui etiam nunc particulariter dissipantur eo magis, quo evidentius Dominicæ resurrectionis testimonia credibilia facta sunt nimis in splendoribus sanctorum, signis et virtutibus ac prodigiis multis contestantibus, quod qui mortuus est homo propter delicta nostra, ipse quoque surrexit Deus propter justificationem nostram. Cum enim surrectio Christi sit causa efficiens nostræ justificationis, ut sol oriens causa est efficiens diei, quandiu vel quando non claret nostra justificatio, quasi mulieres lamentantes ad monumentum sepulti Domini sedemus, et ejus resurrectionem fieri nobis optantes dicimus : *Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus*. Quamvis enim semel mortuus ac sepultus in proprio corpore surrexerit, rursum tamen crucifigitur

B et ostentui habetur ac sepelitur, quoties veritas, quæ est ipse, opprimitur, contemnitur et mala falsitatis consuetudine quasi lapide magno advoluto intra silentii sepulcrum tenetur clausus veluti nunquam resurrecturus Christus veritas, quando per falsos Christianos, per falsos clericos, monachos, episcopos aliosque judices, nec non per falsos pœnitentes ita invalescit falsitas, ut putetur esse veritas. Contra quæ mala recte cum propheta optamus, ut *exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus. Exsurgat* Christus in veris Christianis ejus resurrectione justificatis : *et dissipentur inimici* ejus falsi Christiani. *Exsurgat* ipse Veritas in suis membris aut vere innocentibus aut vere pœnitentibus : *et dissi-*

C *pentur inimici ejus* neque vere innocentes neque vere pœnitentes. *Exsurgat* ipse justitia in suis aut per innocentiam justis, aut per pœnitentiam justificatis : *et dissipentur inimici ejus* injusti et justitiæ inimici. *Dissipentur* non in eo, quod sunt homines factura Dei, sed in eo, quod sunt iniqui et *inimici* Dei. Sic dissipatus est Saulus inimicus, ut fieret Paulus amicus, et multi ex inimicis amici facti ostendunt in se adimpletum, quod in sequentibus dicitur : *Lingua canum tuorum ex inimicis*, quia de inimicis Dei facti sunt canes Dei bene latrantes et in custodia domus aut gregis vigilanter excubantes. Qui autem, cum essent *inimici*, noluerunt bene dissipari, malo suo male dissipati et perditi sunt juxta illud : « Malos male perdet (*Matth.* XXI, 41). »

D Cum ergo sit gemina dissipatio et perditio inimicorum Dei, nos alteram, quæ in bono est optantes, alteram, quæ in malo est Prophetæ verbis prophetantes assidue dicamus : *Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus : et fugiant qui oderunt eum*, scilicet pertinaces inimici odientes justum, *fugiant a facie ejus*, fulgore justitiæ percussi odientes bonum, *fugiant a facie ejus*, fulgore bonitatis tanquam vespertiliones exagitati. Insipientes et maligni, qui oderunt sapientiam, *fugiant a facie ejus* fulgore sapientiæ ubique radiante, ita ut, etsi *fugiant*, non tamen effugiant *a facie ejus*, quin comprehendantur in astutia sua. Odientes veritatem et pietatem fugiant, nec tamen effugiant, quin veræ pietatis et piæ veritatis regulis et disciplinis, veluti quibusdam re-

tibus ipsi pisces maris, ita involvantur, ut vel pii fiant, vel impii, quod absit! permanentes vires nocendi vel semitas maris perambulandi non habeant. *Fugiant* non mutando locum, sed animum, quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus patet locus fugiendi, quoniam Deus ubique præsens ipse judex est, neque ullatenus judicium ejus declinari potest, nisi ab ejus ira fugiatur ad ipsius misericordiam. Talis autem non fit motu corporis locali sed motu mentis spirituali, dum vultus ejus iratus timetur, et ob hoc iniquitas cavetur. Sic ergo *fugiant, qui oderunt eum a facie ejus* peccata præterita flendo et flenda imposterum cavendo, ut ab ipso irato ad ipsum placatum sit eis tutissimum refugium. Veniente ipso, et apparente in nubibus, de quibus ait : « Amen dico vobis, videbitis Filium hominis venientem in nubibus cum potestate magna, et majestate (*Matth.* XXIV, 30), » a fulgurosa ipsius facie tunc ubique splendente in sanctis velut in speculis purissimis, quando ipse sol justitiæ apparebit in nubibus candidissimis, *fugiant* nubes atræ *a facie* majestatis *ejus*. Et quia tunc fugiendi erit appetitus, non tamen effugiendi ullus locus, expono quid dixerim : *fugiant* subdendo.

VERS. 3. *Sicut fumus deficiant. Fumus* duobus modis deficit, vel in altum elevatus, vel magnitudine surgentis flammæ devoratus. Igitur et isti elatione suæ mentis *deficiant*, ut malum quod volunt, non valeant, sed in pravis conatibus evanescant. Aut certe sicut *fumus* ex flammæ ascensu evanescit, ita ex flamma gehennæ considerata, ubi ignis eorum non exstinguetur et vermis eorum non morietur, fumosa eorum nequitia *deficiat* vel nunc per veram pœnitentiam quod oramus, vel tunc in judicio per pœnam quod prophetamus.

Et *sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.* Ardentibus candelis *cera fluit, ac perit a facie ignis*, et sui detrimento facit lumen sanis oculis. Est autem Deus noster ignis consumens peccata, quæ ipse non fecit, et illuminans rationalem creaturam, quam ipse fecit, ut *pereant peccatores*, et salventur homines, qui tamen salvari acquiescunt. Fiat, fiat ita, sicut præordinatum est, ut facie Dei se manifestantis et ignea virtute bonos illuminantis per veritatis agnitionem et inflammantis per virtutis amorem, *peccatores*, non homines *pereant*, et suæ perditionis exemplo aliis lumen et exemplum ostendant, quo instructi a perditionis fovea sibi caveant. Vel *pereant sicut fluit cera a facie ignis*, ut videlicet hic pœnitentiæ lacrymis fluant liquescente ipsorum duritia præ ardore bonæ voluntatis de peccato præterito dolentis, et de futuro libenter caventis. Hac vera pœnitentia de injustis fiant justi, et plures de numero peccatorum sociabuntur numero sanctorum semotis impœnitentibus male pereuntibus. Illis ergo sequestratis, et carceri pœnali mancipatis, ne perturbare valeant unanimitatem justorum,

VERS. 4. *Justi epulentur, et exsultent in conspectu Dei. Justi* vel per innocentiam glorificati, vel per veram pœnitentiam purificati *epulentur* in convivio nuptiali, ornati veste nuptiali, sciantque sibi dictum a sponso : « Comedite, amici, et bibite, et inebriamini, charissimi (*Cant.* V, 1), » et ideo non trepident rege introeunte, ut videat discumbentes; imo *exsultent in conspectu* ejusdem regis et *Dei sui*, bene sibi conscii de veste nuptiali, quæ intelligitur charitas Dei et proximi, quam qui habuerit non ejicietur foras a conspectu Dei in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium, sed intus manebit *in conspectu Dei*, visurus ipsum Deum beata et sempiterna visione, qua beati mundo corde eum videbunt. Ideo *exsultent* non in oculis hominum, suam justitiam jactanter ostendendo, sed *in conspectu Dei*, qui sine errore conspicit omne quod bonum habent, ipsius gratiæ attribuendo. Super cujus certo et inerrabili testimonio, quod Spiritus ejus reddit spiritui eorum contestans eos esse filios Dei, *exsultent in conspectu ejus*, non sicut antea servientes illi in timore et exsultantes ei cum tremore, cum necdum perfecta charitas foras misit timorem ; *sed delectentur in lætitia* sic nunquam illis finienda, sicut charitas eorum nunquam excidet. Hujus charitatis bene sibi conscii, misso foras timore, *lætentur, et epulentur, et exsultent in conspectu Dei*, atque remoto penitus pœnalis timoris aculeo, permanente tamen timore sancto et casto, *delectentur in lætitia*. Vobis autem dilectis Dei, qui tantæ *lætitiæ* in futuro consummandæ nunc arrham tenetis, quia Deum et proximum diligitis, facta nunc ad vos apostropha loquor ut præsentibus ego David vel ego quivis psalmista et dico vobis :

VERS. 5. *Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus : iter facite, qui ascendite super occasum. Cantate Deo* simplici bonitatis intentione, *psalmum dicite* bona operatione. *Cantate Deo*, ejus per omnia gloriam quærendo interno mentis proposito, atque ut proximi videant opera vestra bona et glorificent Deum, psallite *nomini ejus* bene operando. Et si quis nomini vestro attribuit hujusmodi *psalmum*, vos contradicite ac *psalmum dicite nomini ejus*, illi soli attribuendo bonum opus, qui solus operatur omnia in omnibus ad gloriam sui nominis, ad ostensionem suæ bonitatis. Petrus et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. Hoc erat *cantare Deo*. Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris suæ, audivit ab ipsis : « In nomine Jesu Christi surge et ambula (*Act.* III, 6). » Tunc exsiliens claudus ambulavit et intravit cum illis. Hoc erat *psallere in nomine Domini*. Unde nec Petrus dixerat : *Surge, et ambula in nomine meo*, sed : *In nomine*, inquit, *Jesu Christi* surge et ambula. Postea ubi populus vidit claudum ambulantem et laudantem Deum, non Petrum sive Joannem, sentientes apostoli a populo sibi de tanto miraculo gloriam assignari, dixerunt : « Quid nos intuemini, quasi nostra virtute aut pietate fecerimus hunc am-

bulare? Deus Patrum nostrorum glorificavit Filium suum, et in fide nominis ejus dedit integram sanitatem in conspectu omnium vestrum (*Act.* III, 12, 13, et 16). » Sic opus divinum ad gloriam nominis referre *psalmum dicere*, fuit *nomini ejus*.

Et vos igitur, per quos Deus usque in finem sæculi bona operatur, si quando super hoc tentamini, ut de his quasi vestra virtute aut pietate gesta sint, vel tacite vel aperte gloriemini, sic *psalmum dicite nomini ejus*, ut non vestrum, sed ipsius *nomen* glorificandum prædicetis, ne captando vel raptando vel sponte oblatum vobis acceptando gloriam, Deo non vobis debitam, sitis fraudulenti ministri recte quidem offerendo, sed non recte dividendo, quando bene quidem operamini, sed non bene gloriamini usurpando vobis gloriam boni operis. Rectius divisit angelus dicens: « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II, 14). » Gloria, inquit, Deo, pax hominibus, ut intelligatur solus Deus glorificandus per omnia et in omnibus, qui pacem largitur hominibus bonæ voluntatis. Contenti ergo sint oblata sibi pace, ac Deo relinquant gloriam, ne, si usurpant gloriam inconcessam, perdant pacem concessam.

Vos præcipue sitis de cautela ista commoniti, quibus attitulatur iste *psalmus cantici*, quoniam cantores et doctores pariterque operatores justitiæ ad hoc estis electi et constituti, ut in spiritu et in virtute Eliæ seu Joannis præcursoris viam Domino præparetis, reges aliosque principes malos increpando, plebem perfectam parando, prava in directa et aspera in vias planas ordinando. Et quidem nos cum parvulo David parvuli ad hæc agenda non sumus idonei vel digni: verumtamen in isto *psalmo cantici* applaudendo vestræ virtuti ex affectu psallimus, et dicimus vobis præconibus et præcursoribus Domini: *Iter facite ei, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.* Prædicatione vestra facite audientium corda de pravis recta, de asperis plana, simulque servate in omni puritate corda vestra, ut venienti Domino sint parata et grata non solum ad inambulandum, sed etiam inhabitandum, sicut ipse dicit: « Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus (*II Cor.* VI, 16). » *Iter* itaque *facite* illi deambulaturo in Ecclesia peregrinante in terris, quanquam super omnia exaltatus regnet in cœlis. Ipse est enim, *qui ascendit super occasum*, dum casum proprii corporis in morte recuperavit gloriosa resurrectione atque admirabili ascensione: vel *ascendit super occasum*, quia in nobis vetus vita cadens occidit, nova eum venientem suscipit.

Aliter: Sol iste visibilis post hiemale solstitium tendens ad æstivale quotidie *ascendit super occasum*, quia de die in diem altior ascendit, quam pridie occiderat, cum progressionario cursu ab hiemalibus signis ad æstivalia propinquat. Similiter sol justitiæ Christus quasi de alto et æstivali celsitudinis paternæ solstitio, ubi una cum Patre altissimo fuit ei

A æterna semper statio, ad humanæ fragilitatis infirma exinanitus, et tanquam in solstitio hiemali humilis et parvulus *inventus ut homo*, natus videlicet ex femina circa hiemale tempus, quando sol non descendit ulterius, ut ascenderet illuc ubi erat prius, extunc profecit « ætate ac sapientia et gratia coram Deo et hominibus (*Luc.* II, 25.) » is, qui erat « plenus gratia et veritate (*Joan.* I, 15), » jam tunc veluti post hiemale solstitium cœpit *ascendere super occasum*. Quasi enim toties visus est occidisse, quoties humana passus desiit suæ Divinitatis radios emittere: sed tamen *super* hujusmodi *occasum* fulgidior semper *ascendit*, quia infirmum ejus fortius hominibus claruit: verbi gratia, reclinatus in præsepio ut infirmus infans tanquam in *occasu* fuit;

B sed stella magos eo ducente, atque illis eum adorantibus mysticis muneribus *ascendit super occasum* rutilante in cordibus eorum splendore Divinitatis ejus tanto majori et mirabiliori claritate, quanto virtus in infirmitate non minuebatur, sed magis perficiebatur, imo ab æterno perfecta ostendebatur. Item quod femineis lactabatur uberibus, erat illi soli æterno quasi quidam *occasus*. Attamen *super occasum* hunc *ascendit* canentibus illi angelis: *Gloria in excelsis Deo;* vel certe in eo, quod ubera sugens feminea de cœlo cœlitus ipse impleverat manente matris virginea integritate, fuit illi *super occasum ascendere.* Item: Venit ad nuptias carnales quasi homo, quod fuit illi occidere, sed *ascendit*

C illic *super occasum* faciens de aqua vinum, quo miraculo se ostendens Deum, post humilitatem velut in *occasu* præcedentem, manifestavit gloriam velut in ortu corusco subsequentem, et *super occasum ascendentem.*

Sic orientalem splendorem Filii Dei præcedit semper quasi occidentalis humilitas ejusdem Filii hominis. Sicut enim sol non venit ad ortum nisi per *occasum*, neque unquam ascenderet in oriente, nisi prius occumberet in occidente: ita semper meritum humilitatis præcedentis janua est gloriæ subsequentis, quia « omnis, qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur (*Luc.* XIV, 11). » Igitur, ut dictum est, gloriam Filii Dei semper præcedit humilitas unius ejusdemque Filii hominis,

D quod agnosci promptum est fere in omnibus quæ fecit, vel perpeti dignatus est, in terris nostræ salutis voluntarie intentus operationi. Natus de femina, ut dictum est, virgineis lactabatur uberibus, pannis involutus, ab angelis « Gloria in excelsis Deo » canentibus collaudatur, et in præsepis angustia positus in latitudine cœli stella fulgente declaratur, ad templum tanquam peccator deportatus a Simeone lumen verum prædicatur, et inter peccatores ad servi sui baptismum veniens voce Patris et Spiritu sancto visibili specie super illum apparente Sanctus sanctorum manifestatur, fraudes perfert tentatoris et mox accedentes angeli ministrant ei. Famem patiebatur ut homo, sed de quinque panibus et duobus piscibus quinque millia sa-

tiavit ut Deus. Fatigatus in via petiit aquam a muliere Samaritana, sed mox eidem obtulit aquam vivam, quam qui biberit, non sitiet unquam. Fugit persequentium lapides, ne illi mortem, quam non præordinaverat, inferrent, et mox Lazaro mortuo quatriduano vitam reddidit. Sic semper humiliatus ante gloriam *super occasum ascendit* sol justitiæ Christus, ut eodem modo ascendere discat christianus. Filii Zebedæi quasi prætermisso tali occasu volebant ascendere petentes, mediante matre, ut unus ad dexteram, et alter ad sinistram sederet in regno Christi; sed ipse revocavit eos ad ordinem, docens, ante gloriam talis ascensionis bibendum calicem passionis (*Matth.* xx, 21).

Ad ultimum, ne arguamur tanquam Pharisæi et Sadducæi signum de cœlo quærentes, et tamen signa temporum dijudicare nolentes prosequamur ordinem solis justitiæ rutilo descensu ad *occasum* tendentis, et postea *super occasum* ascendentis. An non rutilus fuit ille descensus ejus ad mortis *occasum*, quem celebrat Ecclesia in die Palmarum solemniter commemorando ipsius adventum ad locum præscitæ passionis et mortis jam tunc imminentis? Multo vero amplius ascendendo *super occasum*, tunc sol iste resplenduit, cum tertia die valde mane orto jam sole depulsa est nox tristitiæ, atque illuxit illa dies lætitiæ, de qua canitur : « Hæc est dies, quam fecit Dominus, et lætemur in ea (*Psal.* cxvii, 24). » De hoc ejus *occasu*, et ascensu beatus Gregorius papa in homilia (13) disputans dicit : *Super occasum Dominus ascendit*, « quia unde in passione occubuit, inde majorem suam gloriam resurgendo manifestavit. Super occasum videlicet ascendit, quia mortem, quam pertulit, resurgendo calcavit. Ait ergo : *Ei, qui ascendit super occasum, iter facite*, id est resurgenti Domino in vestris cordibus per fidem præbete viam. Ei utique qui ascendit super occasum, iter facimus, cum ejus gloriam fidelibus mentibus prædicamus, ut eas et ipse post veniens per amoris sui præsentiam illustret. » Hinc Joanni per Spiritum dicitur : « Præibis ante faciem Domini parare vias ejus (*Luc.* i, 76). » Quisquis etenim prædicando a sordibus vitiorum audientium corda mundat, venienti sapientiæ viam præparat.

Notandum sane quia transcenso semel mortis *occasu* sol justitiæ Christus ulterius tali *occasu* non occidet; quia ultra non moritur, et mors illi non dominabitur, sed tamen in corpore suo, quod est Ecclesia, perseverat vicissitudo illa, in qua idem sol cognoscit *occasum* suum et ortum, nunc tenebris tentationum et errorum seu persecutionum contra Ecclesiam vel ecclesiasticam personam invalescentibus, nunc eisdem sedatis aut mitigatis in longitudine dierum fidelibus gaudentibus et pro-

A spere agentibus. De hac vicissitudine alias dicitur : « Posuisti tenebras, et facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ. Catuli leonum rugientes, ut rapiant, et quærant a Deo escam sibi ; » ac deinde : « Ortus est sol, et congregati sunt, et in cubilibus suis collocabuntur. Exibit homo ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperam (*Psal.* ciii, 20-23). » Varietas hæc alternari non cessabit usque ad illum solis ortum diei octavæ clarescentis universali resurrectione, in qua fulgebunt justi tanquam sol, in qua erit lux lunæ sicut lux solis, quando reformabitur corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis Christi. Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus nocturnis. Nox enim ultra non erit neque clamor
B neque luctus neque dolor, quia prima abierunt, quando sancti pro Domino suo laboraverunt, et in *occasu* ejus passioni complantati sunt, communicantes morienti, ut eidem complantarentur orienti et resurgenti, atque in cœlos ascendenti. Unde quia non est alia via, qua veniatur ad ipsum, vel qua veniat ipse ad nos nisi humilitas et obedientia, in *occasu* et morte ipsius præostensa, vos, qui docendi habetis officium, *iter facite ei, qui ascendit super occasum* præparando corda vestra et aliorum ad imitandum ipsius occasum per humilitatis et obedientiæ meritum solis occasui assimilatum. Quia sicut sol post occasum venit ad ortum, sic omnis, qui se humiliat exaltabitur, et qui ex charitate obe-
C dit mandatis, ipse in semetipso persentiet gressus ad se venientis illius Domini, *qui ascendit super occasum.* « Si quis, » inquit, « diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus (*Joan.* xiv, 23). » Ac ne forte ambiguum sit tibi, quod ab illo hæc possunt fieri, dico tibi : *Dominus nomen est illi.* Sunt qui dicantur Domini multi sive in cœlo sive in terra, sed improprie, quia nec in semetipsis, nec a semetipsis consistit eis potestas dominandi. Unde in cœlo dominationes ipsum adorant, a quo dominandi potestatem habent, et in terra excelsus dominatur in regno hominum, cui voluerit, dans illud, et quando voluerit, aufert spi-
D ritum principum. Sed ipse, *qui ascendit super occasum*, qui propter nos homines, et propter nostram salutem in forma servi humiliatus est usque ad mortis *occasum*, jam transcendit omne servile ministerium. Et sicut tunc a domino suo exinanivit semetipsum, cum in forma et officio servi diceret : « Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis (*Matth.* xx, 28), » ita nunc ex quo *ascendit super occasum*, resurgens a mortuis in Deo abscondita servili forma, *Dominum* se ostendit in cœlo et in terra. Unde et dicit : « Data est mihi omnis po-

(13) Homil. 17, in Evang.

testas in cœlo et in terra (*Matth.* xxviii, 18). › Vere itaque ac proprie *Dominus nomen* est *illi*, qui non solum in Divinitate sua semper habuit et habet cum Patre omnipotente ac Spiritu sancto individuam potestatem per omnia et super omnia dominandi, sed eamdem potestatem contestatur datam suæ humanitati. Nempe quod dicit sibi datam potestatem omnem in cœlo et in terra, non potest congrue ad Divinitatem ejus referri, quæ hanc potestatem semper habuit, sed ad humanitatem refertur aptissime, quæ hanc ex tempore accepit. Unde per omnia vere ac proprie *Dominus nomen illi*, qui hoc nomen super omne nomen omnium dominorum semper in Divinitate habuit, et idem *nomen* donante Patre in sua humanitate accepit. Quia enim humiliavit se ipsum factus obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis : ‹ Propter › hoc illum ‹ Deus exaltavit, et donavit illi nomen, quod › non est recensendum intra nomina dominorum multorum, sed ‹ quod est super omne nomen (*Philipp.* ii, 9). › ut quam proprie secundum suam Divinitatem dicitur et est omnium *Dominus*, ita nihilominus in sua humanitate eodem *nomine* super omne nomen glorificatus omnium *Dominus* dicatur et habeatur, nihilque dominationi ejus resistere valeat, sed potius in ‹ nomine ipsius omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris (*Philip.* x, 11). › Ergo *Dominus nomen illi.*

Et quia talis ac tantus est iste *Dominus*, ut ei servire sit regnare, vos, qui ei servitis *iter faciendo ei*, si forte in servitio tribulationem et dolorem inveneritis, nolite contristari, nolite deficere; sed potius omne gaudium existimantes, cum in tentationes varias incideritis, in servitio tanti *Domini exsultate in conspectu ejus. Exsultate*, non in conspectu hominum, qui sæpe falluntur, dum servos illius Domini aspiciunt quasi tristes, et nesciunt semper eos esse gaudentes, et ideo *exsultate in conspectu ejus* potius, qui falli non potest, quam in conspectu hominum, spe gaudentes intus, ubi Deus videt in tribulatione patientes, ut videntes homines glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. ‹ Qui autem conturbat vos portabit judicium quicunque est ille (*Gal.* v, 10), › sicut Achan ille turbatus est, qui turbaverat Israel præsumens interdicta sub anathemate civitate Jericho ruente. Dixerat enim Josue ad illum : ‹ Quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac (*Jos.* vii, 25). › Qua sententia data lapidatus est ille a populo. Ita nimirum turbabuntur, qui vos conturbant militantes in exercitu veri Jesu expugnantis hunc mundum totum in maligno et sub anathemate positum. *Turbabuntur*, inquam, *a facie ejus*. Cujus ejus ?

VERS. 6. *Patris orphanorum et judicis viduarum.* Orphani sunt, quibus mortuus est mundus et diabolus pater impiorum qualibus dicitur : ‹ Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere (*Joan* viii, 44). › Iste pater de concupiscentia mundana quasi de matre sibi consentanea gignit filios et filias cupientes facere desideria talis patris et talis matris. De numero talium colligitur Ecclesia catholica, cui dicitur : ‹ Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum (*Psal.* xliv, 11-12). › Qui hanc vocem libenter et obedienter audiunt, patre malo sibi mortuo et matre concupiscentia illis exstincta orphani fiunt, et meliorem patrem inveniunt, qui vere ac jure dicitur *pater orphanorum et judex viduarum*, quia paterna benignitate fovet animas malo patre destitutas. Quas etiam protegit quasi viduas, utpote quibus error maritus, imo adulter, mortuus est illo judicante, qui dicit Samaritanæ : ‹ Bene dixisti, quia non habeo virum : quinque enim viros habuisti, et nunc quem habes, non est tuus vir (*Joan.* iv, 17-18). › Similiter quæque fidelis anima quinque viros habuit, quandiu sub regimine quinque sensuum dirigi potuit ac debuit, in puerili videlicet ætate. At ubi ad annos discretionis ventum est, nisi vero sponso Jesu Christo nubat, magis autem si adulterinus error cum eo cubat, Samaritanæ verbis uti potest ita dicendo : ‹ Domine, non habeo virum. › Et Dominus comprobans hujusmodi veritatis et peccati confessionem respondere poterit illi : ‹ Bene dixisti, quia non habeo virum : quinque enim viros habuisti, et nunc quem habes, non est tuus vir, hoc vere dixisti. › Placet enim talis confessio illi patri orphanorum et judici ac defensori talium viduarum, quæ confitentur errorem præteritum, ut illa Samaritana, quæ a Domino redarguta, quod is, quem post quinque viros habuerat, non esset ejus vir : ‹ Domine, › inquit, ‹ ut video, propheta es tu (*Joan.* i, 21), › quod erat arguenti acquiescere, atque se viduam non uxorem, peccatricem non legitimam recognoscere, juxta verbum talis prophetiæ, qua dicta erant ei, quæ fecerat. *Reliquit ergo hydriam suam*, et facta est apostola suæ civitatis, annuntiando suis concivibus Jesum vidua illa quinque viris destituta, et de illo, quem non legitime habuit, redarguta. Similes illi fiunt, qui post regimen quinque sensuum suo tempore, ut dictum est, legitimum, perverso intellectui tanquam adultero sociati, et inde per doctrinam veritatis redarguti humiliter acquiescunt arguenti veritati, atque alios, prout possunt, in id ipsum trahunt, ut et ipsi veritatem audiant, suumque Salvatorem agnoscant, et ejus protectionem tanquam viduæ deposcant. Qui autem conturbant hujusmodi viduas Deum protectorem et judicem habentes, et ipsi utique *turbabuntur a facie ejus patris orphanorum et judicis viduarum. Turbabuntur* vel nunc ad pœnitentiam, vel posthac ad damnationem. Unde *turbabuntur ? a facie* scilicet *ejus*, id est, a manifesta notitia ejus, quæ per faciem notatur, quia in facie notitia et agnitio est cujusque personæ. ‹ Cognoscetur autem Dominus judicia faciens (*Psal.* ix, 17), › vel nunc discernendo suos a non suis dissi-

mili vita, vel posthac dissimili sententia. Et ex ista cognitione *turbabuntur* quidam ad sui emendationem per vestram doctrinam, *qui facitis iter ei, qui ascendit super occasum.*

Super hoc bono fructu laboris vestri *exsultate in conspectu ejus*, quia non solum de prædictis *orphanis et viduis*, verum etiam de malis ad pœnitentiam turbatis ædificatur *domus unius moris*, in qua Deo locus est requietionis, et *in* hoc *loco sancto suo*

VERS. 7. *Deus* habitat, et *inhabitare facit* non quoscunque, sed unanimes, *unius moris* disciplinam libenter servantes. Neque enim omnes, qui sunt *in domo*, in qua inter vasa honoris, etiam vasa contumeliæ reperiuntur, sunt vel dici veraciter possunt locus Dei Sanctus, sed solum unanimes, unum sentientes, id ipsum sapientes, id ipsum dicentes, et in eadem permanentes regula, quæ ad unum dirigit, quod est necessarium. Ipsi sunt *locus sanctus ejus*, et templum nomini ejus dedicatum et sanctificatum, non suæ virtutis aut pietatis merito, sed ipsius gratia gratuita, *qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos, qui exasperant, qui habitant in sepulchris.* Nempe tales erant ex istis multi, qui nunc a vinculis peccatorum soluti, et de sepulcris scelerum suorum educti *domus Dei*, et *sanctus locus ejus* effecti sunt. Unde neque adhuc desperanda est eorum salus, qui *similiter vincti* sunt et mortui ac sepulti, quoniam *Deus in loco sancto suo* manens nec unquam desinens operari opus suum, ipse usque ad suæ domus omnimodam consummationem, quam ipse verus Salomon sibi ædificat, lapides vivos de mortuis creat, quos in se angulari lapide uniat atque unanimes faciat. Propterea non dico ego David præteriti temporis verbis : *qui eduxit*, sed præsentialiter : *qui educit vinctos*. Denique incessanter *educit vinctos* ,quotidie solvit compeditos, venialibus scilicet peccatis irretitos, propter quæ quotidie ingruentia et quotidie quoque deflenda, quotidie necesse habemus dicere : « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris (*Matth.* VI, 12). » Neque vero hæc dicentes frustramur, si nos ex corde dimittimus. Verax est enim, qui dixit : « Dimittite, et dimittemini (*Luc.* VI, 37). » Qui etiam sub hoc pacto dimittentes debitoribus suis *educit vinctos* dimittendo illis debita venialia, qualia obrepere solent per ignorantiam seu fragilitatem contra boni propositi piam voluntatem.

Similiter etiam *eos, qui exasperant, educit*, quoniam voluntarie quoque peccantibus et ipsius iram contra se irritantibus, ipsiusque lenitatem, quantum in se est, exasperantibus non negat indulgentiam, si tamen invenerit ipsos paratos ad pœnitentiam. Ex talium numero quidam sepulti consuetudine peccandi ecce jam fetent ad similitudinem Lazari quatriduani. Etiam tales, qui sic *habitant in sepulchris*, Dominus pius vocans foras ad confessionem peccati suscitat ad vitam, flentibus et orantibus pro illis in sancta Ecclesia contemplativis et activis quasi Martha et Maria. *Vincti* ambulare quidem volunt, sed non possunt. Qui vero *exasperant* positi in profundo, contemnunt. Multo magis autem qui fetent in pravæ consuetudinis profundo sepulcro, non solum contemnunt, sed nec attendunt salutem suam. Hujusmodi *vinctos* et mortuos vocanti gratiæ acquiescentes *educit* Salvator a perditione ad salutem. Et hoc facit *in fortitudine* sua, qua ipse attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter. Vel *in fortitudine*, qua illos post multiplicatas infirmitates confortat ad bonum opus, ut jam adversus peccatum usque ad sanguinem certantes fortiter in se adimpletum comprobent illud Apostoli dictum : « Ubi abundavit iniquitas, superabundavit gratia (*Rom.* V, 20). » Quidam sic educti *de sepulcris* usque adeo convaluerunt de infirmitate, fortesque facti sunt in bello, ut castra everterent exterorum præliando in castrorum acie ordinata, quæ est Ecclesia Dei et de talibus adaucta.

Diapsalma hic interponitur, quo a dictis dicenda distinguuntur : satis congrue, quia hucusque breviter tetigit Psalmista, quæ deinceps latius explicaturus est ita incipiens :

VERS. 8. *Deus cum egredieris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto.*

VERS. 9. *Terra mota est, etenim cœli distillaverunt a facie Dei Sinai.* Verbis istis ita commemoratur historia præterita, ut simul annuntietur gratia futura hoc modo : Vere tu, Deus, educes *vinctos in fortitudine*, quod ita futurum probant exempla priora. Nam cum *egredereris* in exitu Israel de Ægypto, *vinctos* tuos educens a vinculis Pharaonis, te præcedente populum tuum in columna nubis per diem et ignis per noctem, præ magnitudine fortitudinis tuæ *terra mota est*, quoniam et Ægyptii terreni agnoscentes in tantis mirabilibus *fortitudinem* tuam *turbati sunt, et moti sunt*, ita ut imminentibus undique sibi fluctibus Rubri maris dicerent : « Fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos (*Exod.* XIV, 25). » Et hoc miraculum tuæ fortitudinis audientes principes Philisthiim « conturbati sunt, » itemque « principes Edom, et robustos Moab obtinuit tremor : obriguerunt omnes habitatores Chanaan, » quando irruit « super eos formido et pavor in magnitudine brachii tui (*Exod.* XXV, 15-16), » audientibus tunc ipsis, quod tu, *Deus, egredereris in conspectu populi tui* educens illum in manu potenti et brachio excelso. Cum ergo in tanta fortitudine, tu Deus, non solum *egredereris* ex Ægypto, sed etiam *pertransires in deserto*, annis quadraginta proximus generationi illi, quam sic eduxisti, revera *mota est terra*, et concussa sunt gentium corda terrena propter mirabilia tua inibi ostensa. *Etenim cœli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel*, sive ut alia translatio habet : *Mons Sina a facie Dei*, subaudis : fumavit ascendente in illum Moyse ac descendente super illum Domino. *Cœli distillaverunt*, quia de cœlis Domino loquente ad Moysen verba mandatorum et judiciorum veluti

quædam roris aut pluviæ stillicidia descenderunt. A Vel *cœli distillaverunt*, quando pluit illis manna de cœlo *a facie Dei Sinai*, quia in monte *Sina* data est lex. Interpretatur enim Sina *tentatio*, quod illic datæ legi satis congruit, quæ ad tentationem populo antiquo data fuit juxta verbum Domini dicentis: « Ut tentem eum, utrum ambulet in lege mea, an non (*Exod.* XVI, 4). » Vel quia ubi venit mandatum, revixit peccatum crebrescentibus inde magis tentationibus, quod populus ille duræ cervicis nitebatur semper in vetitum, quomodo primus homo plus appetivit lignum scientiæ sibi vetitum, quam omne lignum paradisi concessum sibi. Cœlis igitur ita distillantibus

VERS. 10 et 11. *Pluviam voluntariam segregabis* tunc ad litteram: Et *segregabis* adhuc in spiritu *hæreditati tuæ*, id est populo, quem elegisti, in *hæreditatem* tibi. *Pluviam* dico *voluntariam*, id est gratuitam, *hæreditati tuæ* segregasti, quia non fecisti taliter omni nationi, et judicia tua non manifestasti ulli super terram genti, sicut illi, *tuæ hæreditati*, quam propter hoc ipsum beatificamus dicendo: « Beata gens, cujus Dominus Deus ejus, populus, quem elegit in hæreditatem sibi (*Psal.* XXXII, 12). » Verumtamen quia non erat data lex, quæ posset vivificare, quia nihil ad perfectum adduxerat, imo infirmabatur per carnem facta importabilis per carnalos cæremonias, quarum « jugum neque nos neque patres nostri, » ait Petrus, « portare potuimus (*Act.* XV, 10), » et ipsa hæreditas, gens videlicet cultui tuo hæreditaria *infirmata est* in pluribus indisciplinatis, quorum corpora in deserto prostrata sunt. *Tu vero perfecisti eam* in paucis disciplinatis, verbi gratia in Josue et Caleb, cæterisque introductis in Terram promissionis, in qua velut *animalia tua* illi *habitabant*, qui legis jugum qualitercunque portare conati sunt.

Ecce in his verbis litteræ litteralem sensum quæsivimus, et invenimus, prout juvante Deo potuimus. Verum quia de illa gente per prævaricationem legis infirmata minus congrue dici potest: *Tu vero perfecisti eam*, quoniam percussa potius quam *perfecta* est illa generatio prava et perversa usque adeo, ut etiam propter murmurationes ejus amaricati Moyses et Aaron temporali morte fuerint percussi atque ab introitu Terræ promissionis prohibiti: melius et competentius omnia ista spiritaliter disseruntur et intelliguntur, quod etiam verba innuunt futuri temporis de futuro magis mysterio prophetantia quam de præterito historiam narrantia, cum dicitur: *Deus, cum egredieris coram populo tuo, cum pertransieris in deserto pluviam voluntariam segregabis, Deus, hæreditati tuæ.* Quod vero etiam interseruntur verba præteriti temporis, non est insolitum prophetis, qui multoties prænuntiant futura quasi narrando præterita, ut illic: « Foderunt manus meas, et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. Diviserunt sibi vestimenta mea: et super vestem meam miserunt sortem (*Psal.* XXI, 18, 19). » Sicut ergo ibi Christus in Propheta loquens conqueritur quasi præterita, quæ de illo, cum hæc scriberentur, erant futura, ita cum hic dictum fuit a propheta: *Terra mota est, etenim cœli distillaverunt: et infirmata est, tu vero perfecisti eam* et cætera in hunc modum, verbis quasi præteritæ historiæ contexitur de futuris enuntiatio prophetiæ.

Dicamus ergo: *Deus, qui educis vinctos, et similiter eos, qui exasperant, qui habitant in sepulcris*, hoc opus tuæ virtutis tunc maxime operaris, *cum egredieris in conspectu populi tui.* Quasi enim tunc intus in deserto latuisti, cum nedum egressus es in salutem *populi tui*. Egressus vero a Patre per mysterium sanctæ incarnationis tuæ operatus es salutem in medio terræ *in conspectu populi tui* de Abrahæ B stirpe geniti, et Patri tuo dilecti propter te inde nasciturum, et *egressurum de virga Jesse*. Populus ille tuus peculiaris *in conspectu* suo te habuit in spe nasciturum de se. Postquam vero *egressus es* realiter per incarnationis manifestationem *in conspectu* suo te habuit. Ipsi enim, quibus promissus et missus fuisti, consideraverunt et conspexerunt te, probaverunt et viderunt opera tua, qualia nemo alius fecit, quæ si non vidissent, peccatum non haberent; nunc autem et viderunt et oderunt et te et Patrem tuum. Propterea relicta illis domo sua deserta, quæ a te fuit prius inhabitata, pertransisti ad aliud desertum ex tunc a te inhabitandum juxta illud propheticum: « Lætabitur C deserta et invia, et exsultabit solitudo et florebit quasi lilium. Germinans germinabit, et exsultabit lætabunda et laudans (*Isa.* XXXV, 1, 2). Quare? » *quia gloria Libani data est ei.* Libanus ex uno latere terminus Judææ significat Judaicum populum, cujus gloria translata est ad gentilitatem prius desertam et inviam, quando ipsis repellentibus verbum Dei, quibus erat promissum et missum, transierunt apostoli ad gentes, dicente Paulo apostolo: « Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repulistis illud, et indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes (*Act.* XIII, 46). » Tunc *terra mota est* hominibus terrenis commotis partim ad obsequendum apostolis, partim ad persequendum eos eorumque sequaces. Nec mirum, quod D ita varie *mota est terra. Etenim cœli*, apostoli scilicet non uniformiter in una lingua stillaverunt, sed varie variis linguis loquentes magnalia Dei *distillaverunt* aliis annuntiando iram, aliis vero clementiam, prout sese habuit varietas audientium. Sic cœli enarrantes gloriam Dei *distillaverunt*, non a semetipsis tamen, sed *a facie Dei* per illos loquentis, et ipsos inhabitantis.

Alia translatio habet: *Mons Sina a facie Dei*, subaudis: *fumavit*, sive *distillavit*. *Mons* idem est, quod *cœli*. Nec moveat pluraliter dictum *cœli* et singulariter *mons* in ejusdem rei significatione, quoniam sic alibi, cum pluraliter dictum fuerit: « Cœli enarrant gloriam Dei (*Psal.* XVIII, 2), » singulariter

idem repetitur nomine *firmamenti*, quod intelligitur (A) vel unum *cœlum* propter unam fidem, vel plures *cœli* propter divisiones gratiarum. Isti *cœli distillaverunt* non ex propria virtute, sed *a facie Dei Sinai*, qui videlicet legem dedit in monte *Sina*, et *a facie Dei Israel*, qui eamdem legem adimplere venit per benedictionem, qua benedicit verum *Israel* commutans nomen *Jacob* in *Israel*. Ipse enim, qui dedit legem in monte *Sina* (quod interpretatur *tentatio*) quæ inter tentationes, quas excitat, non liberet; sed quasi pædagogus terreat, etiam dabit benedictionem, quæ liberando nomen Jacob in tentatione luctantis in nomen *Israel* commutet, ut hujusmodi luctator nequaquam ultra vocetur *Jacob*, sed *Israel* sit nomen ejus, cum attactu angelico seu divino emarcesceret nervus femoris data de sursum virtute casti- (B) tatis, quæ dari non potuit plene per legem tentationes augentem, datur autem per gratiæ divinæ pluviam voluntariam tentationes exstinguentem. Hanc *pluviam* mons Sina stillavit, quæ et lex gratiam præfiguravit, et apostolus Paulus ejusdem legis alumnus ipsam gratiam, quæ in eo vacua non fuit, gentibus prædicavit. Vel etiam cæteri apostoli similiter legis alumni tanquam *cœli* enarrantes gloriam Dei super terram *distillaverunt*, id est caute ac distincte prædicaverunt. Non enim omnibus omnia dixerunt; sed aliter infirmis, aliter fortibus, aliter senibus, aliter juvenibus, aliter sanis, aliter ægris loquendo secundum varia hominum genera multiformiter *distillaverunt* non parvo stillicidio, sed ita (C) copiose, ut illis distillantibus *pluvia* fieret universalis, non in Judæa tantum, sed in universa terra. Et *pluvia* quidem fuit universalis, qua pluit Deus super justos et injustos, verumtamen *segregabis* eam diversos effectus inde operando, cum terra universa exinde compluta in aliis dat fructum suum, in aliis autem permanet sterilis, sed quod pejus est, non solum non facit fructum nativitatis juxta seminis aut pluviæ nobilitatem, sed quanquam diligenter exculta, spinas tamen ac tribulos germinat. Propter quod dico de hac terra tua, de hac hæreditate tua, quod *infirmata est*, quantum ad illos, qui fructum bonum non fecerunt, *tu vero perfecisti eam*, quantum ad illos, qui corde bono et optimo verbum Dei retinentes fructum afferent in patientia. *Infirmata est* (D) *hæreditas tua*, in terra petrosa, spinosa et conculcata, *tu vero perfecisti eam* in terra bona fructum afferente vel tricesimum vel sexagesimum vel centesimum. Tricesimum in conjugatis disciplinate viventibus, sexagesimum in continentibus post conjugium seu fornicationem caste viventibus, centesimum in virginibus torum in delicto nescientibus, et ideo in respectione animarum sanctarum fructum centesimum habentibus. *Aliter:* Fructum tricesimum cognoscimus in fide Trinitatis, sexagesimum in perfectione operationis, centesimum in puritate contemplationis. His nimirum fructibus inter se distinctis et ab invicem segregatis comprobatur, quod tu Deus, *pluviam voluntariam segregabis hæreditati tuæ*.

Et infirmata est ipsa *hæreditas*, id est agnovit ex se nihil boni posse. *Tu vero perfecisti eam.* Nam « virtus in infirmitate perficitur (*I Cor.* XII, 9), » quando quis in se deficiens in Dei virtute proficit, atque in se responsum mortis habens in Deo convalescit, qui suscitat mortuos et vivificat se seque humiliantes exaltat

Aliter : Hæreditas tua, Deus, *infirmata est* abundante peccato : *tu vero perfecisti eam*, quoniam « ubi abundavit iniquitas et delictum, superabundavit gratia (*Rom.* V, 20). » *Hæreditas tua infirmata est*, quia lege ostendente, non autem sanante vulnera eorum, qui sub ipsa erant, « multiplicatæ sunt infirmitates eorum (*Psal.* XV, 4), » id est multæ apparuerunt infirmitates eorum. *Tu vero perfecisti eam* vel legem vel hæreditatem, quia non venisti solvere legem, sed adimplere ac perficere, ipsosque regni tui ac promissionum tuarum hæredes ita confortare, ut post multiplicatas infirmitates accelerarent sub gratia perficere opus propriæ salutis, quod sub lege perfici non valebat, quæ nihil ad perfectum adduxit. Recte itaque dicitur tibi Deus, quoniam et lex et hæreditas tua *infirmata est, tu vero perfecisti eam*, et perficies usque ad plenam consummationem segregando ei *pluviam voluntariam*, scilicet novæ legis gratuitam de qua dicitur : « Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus (*Jac.* I, 8). » Voluntarie genuit nos Deus Pater verbo veritatis assumendo nos in adoptionem filiationis, *tu vero*, Deus Fili, *perfecisti*, et perficis nos emittendo quasi *pluviam voluntariam* Spiritum tuum, qui ubi vult spirat, quique gratiam suam dividens singulis prout vult, *voluntariam pluviam* donorum suorum segregat *hæreditati tuæ*, alios faciendo prophetas, alios apostolos, alios evangelistas, alios pastores et doctores, quibus gregem tuum pascentibus *animalia tua habitabunt in eadem hæreditate tua*, quæ de se nihil boni posse recognoscens, et in semetipsa responsum mortis habens *infirmata est : tu vero perfecisti eam*, faciens eam convalescere de ipsa infirmitate, in qua virtus proficit, non deficit; nam virtus mentis in infirmitate carnis perficitur, et virtus gratiæ in infirmitate legis quæritur et acquiritur.

Aliter : *Hæreditas* gens *tua*, quam elegisti in hæreditatem tibi, *infirmata est*, quoniam exterior homo ejus corrumpitur : *tu vero perfecisti eam*, quoniam te operante interior homo renovatur de die in diem. « Quando enim infirmor, » ait Apostolus, « tunc fortior sum et potens (*II Cor.* XII, 10). » Ita nimirum in *hæreditate tua* fortitudo mentis virtus est, infirmitas autem carnis custodia virtutis. Hebraica veritas habet : *Deus, cum egredereris ante populum, et ambulares per desertum terra commota est, et cœli stillaverunt a facie Dei Israel. Pluviam voluntariam elevasti Deus, hæreditatem tuam laborantem tu confortasti.* Sequitur :

Animalia tua habitabunt in ea. Tu pluviam gratiæ segregas hæreditati tuæ, et in ea hæreditate vel

gratia *habitabunt animalia tua*, de quibus in unum coadunatis consistit ipsa hæreditas tua. Sic de multis ecclesiasticis personis habitantibus in Ecclesia consistit ipsa Ecclesia : sic de Sponsis obviam Sponso et Sponsæ obviantibus ipsa consistit Sponsa. Ergo *animalia tua* mansueta jugo disciplinæ assueta, mites videlicet atque humiles tui spiritu pauperes *habitabunt* in hæreditate tua, ita ut sint ipsi *hæreditas tua.*

Aliter : *Animalia tua habitabunt in ea*, gratia *pluviæ voluntariæ*, quam segregasti *hæreditati tuæ*, quibus et dicis : « Manete in dilectione mea (*Joan.* xv, 9), » tanquam si dicas : habitate in gratia mea, utimini *pluvia mea voluntaria.* Et quidem tu pluis super justos et injustos omnibus offerendo salutem. Verumtamen soli *hæreditati tuæ parasti in dulcedine* saporem gratiæ ; *tuæ hæreditati*, dico, *pauperi*, id est nihil boni suis viribus aut meritis attribuenti. Vel *pauperi* ea paupertate, de qua dicis in Evangelio : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* v, 3). » Sic *pauperi hæreditati tuæ parasti in dulcedine.* Quanta vel qualia bona ei præparaveris, ego David non dico nec dicere valeo, quia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparasti diligentibus te ; tamen dico quod ineffabilia bona, quæ sentiri seu intelligi non possunt, *parasti in dulcedine* quæ sentiri potest, et bene sentitur, dum non timore pœnæ sed dulci amore justitiæ verbum veritatis auditur et custoditur. Nec mirum si dulciter sapit hoc verbum, quia dulcis et rectus

Vers. 12. *Dominus dabit* ipsum *verbum evangelizantibus* juxta illud promissum : « Ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non possunt resistere, et contradicere omnes adversarii vestri (*Luc.* xxi, 15). » Dabitur ergo *verbum evangelizantibus* prædicatoribus, unde pascantur animalia. Dabitur dico cum *virtute multa*, secundum quod scriptum est : « Virtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri (*Act.* iv, 33). » Sic usque in finem sæculi *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa.* Quidam codices habent : *virtutem multam*, ut intelligas evangelizantibus verbum Dei sincere solo solius veritatis amore dari *virtutem multam* vel constantiæ in bona conversatione, vel etiam illius efficaciæ, qua fortiter currit verbum Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis. Non mireris, quia dixi Dominum dare *verbum evangelizantibus virtute multa* seu *virtutem multam.* Potens enim est ad dandam *virtutem multam*, qui est

Vers. 13. *Rex virtutum dilecti, dilecti.* Per ipsum quippe reguntur cœli cœlorumque virtutes. Unde alias quoque nominatur « Dominus virtutum, rex gloriæ (*Psal.* xxiii, 10), » quia regit exercitus virtutum cœlestium gloriose ipse rex virtutum suarum. Pro eo autem, quod dicere debuit *suarum*, dicit Psalmista *dilecti, dilecti* juxta usum veteris Scripturæ. Sic est illud : « Fecit Moyses sicut præ- A cepit Dominus Moysi (*Exod.* xxxix, 1). » Hunc morem loquendi secutus est Apostolus, ubi de hoc ipso dilecto loquens dicit : « Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi (*Rom.* i, 4). » Pro eo namque ut diceret *mortuorum suorum* dixit : *Jesu Christi.* Similiter et hic pro eo, ut diceret : Dominus Jesus *rex virtutum suarum*, dicitur *virtutum dilecti, dilecti.* Etenim ipse est, cui Pater loquitur : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui (*Matth.* iii, 17). » Bis vero *dilectus* nominatur sicut et in Canticis canticorum bis *pulcher* significatur a sponsa dicente illi : « Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus (*Gen.* xxxix, 6). » Non contenta est semel dicere « pulchrum, » B nisi addat et « decorum » eminentiam pulchritudinis illa repetitione significans aut certe in utraque dilecti substantia dignum expressit omni admiratione decorem, in altera gloriosæ Divinitatis, in altera glorificatæ humanitatis, pro qua gemina pulchritudine bis etiam nunc *dilectus* nominatur, cum dicitur : *Rex virtutum dilecti, dilecti* ; vel quia Pater eum diligit secundum utramque naturam, cui secundum divinam possidenti omnia secum æternaliter, dedit quoque, ut secundum hominem assumptam *Rex* esset omnium, non solum terrestrium, sed etiam cœlestium *virtutum.* Hinc *dilectus* ipse dicit : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* xxviii, 18). » Est ergo *Rex* gloriæ *virtutum* in cœlo et in terra regens, in cœlo cœlorum C *virtutes* regens, in terra eos, de quibus dicit Apostolus : « Posuit Deus in Ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, dein virtutes, exin gratias curationum, opitulationes, gubernationes (*I Cor.* xii, 28). » Hic nomine *virtutum* virtuosos intellige in cœlo angelos, in Ecclesia homines electos, a quibus utrisque, dum Christus eos regens diligitur, etiam isto respectu recte bis *dilectus* prædicatur, cum dicitur : *Rex virtutum dilecti, dilecti.*

Potest tamen per *Regem* Pater, per *dilectum* Filius accipi, ut sic legatur : *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa.* Quis *Dominus? Rex, Regis*, Pater, cui alias dicitur : « Deus judicium D tuum regi da, et justitiam tuam filio regis (*Psal.* lxxi, 2). » Ipse rex indivisum tenens regnum totius monarchiæ cum filio suo rege, *Rex virtutum* est *dilecti* filii sui, quoniam et angelicæ virtutes, et per quas operantur apostoli, cæterique rectores Ecclesiæ, æque sunt Patris et Filii Filio ipso protestante ac dicente : « Omnia mea tua sunt, et omnia tua mea (*Joan.* xvii, 10). » Ergo cum ait : *Dominus dabit verbum evangelizantibus* virtute *multa, Rex virtutum* Deus Pater intelligatur ; ab eo enim, a quo dantur, etiam reguntur virtutes angelicæ vel apostolicæ, quæ virtutes, cum sint Patris Filium diligentis, etiam *dilecti* Filii sunt, *dilecti, dilecti*, id est valde *dilecti*, vel *dilecti* Deo Patri et hominibus item *dilecti*, secundum quod dicitur :

« Dilectus Deo et hominibus, cujus memoria in benedictione est (*Eccli.* XLV, 1). » Istam tamen repetitionem *dilecti, dilecti* non omnes codices habent.

In Hebraica veritate sic habemus : *Reges exercituum fœderabuntur, fœderabuntur, et pulchritudo domus dividet spolia.* Et est sensus : *Reges exercituum*, rectores videlicet Ecclesiarum, *fœderabuntur*, ut id ipsum *sapiant* corde credendo ad justitiam, et id ipsum *dicant* ore confitendo ad salutem. Ergo *fœderabuntur*, et item *fœderabuntur*, ut id ipsum *sapiant et dicant.* Attamen ipse *Rex virtutum dilecti, dilecti* qui dat illis verbum evangelizare virtute multa in gemina dilectione *dilecti, dilecti* sapiendo id ipsum, cum sit ipse ipsa *pulchritudo domus*, dabit eis etiam *dividere spolia speciei domus.* Etenim ut *speciei domus* decorem et pulchritudinem faciant magis illustrem, *spolia* divident cum exsultatione, « sicut exsultant victores capta præda, quando dividunt spolia (*Isa.* IX, 3). » Denique cum fortis armatus diabolus custodivit atrium suum, totum videlicet hunc mundum in maligno positum, in pace fuerunt omnia, quæ possedit ; cum autem fortior illo supervenerit, secundum quod optamus dicendo : *Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus*, universa illius arma auferet *et spolia* ejus distribuet. Quod virtutis opus, quia *Rex virtutum* per ministros virtuosos operabitur a primo adventu dilecti Filii sui usque ad secundum adventum ejusdem *dilecti*, vel potius quia operatur in suis ministris ipsa virtus *dilecti* Filii Dei, *dilecti* Filii hominis, recte astruimus quod ipsis dabit *dividere spolia speciei domus.* Proficit namque ad decorem *speciei domus*, quod dividuntur *spolia* forti armato a fortiore ablata, dum exinde alios facit Christus apostolos, alios prophetas, alios evangelistas, alios pastores atque doctores in ædificationem domus suæ, quæ est Ecclesia. Sic *speciei domus* proficit, quod dividuntur *spolia*, dum exinde speciosa fit Ecclesia, quod in varios ordines distincta variis quoque donorum sancti Spiritus charismatibus ornata, *dividente* Spiritu sancto singulis prout vult. « Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent : ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra (*Rom.* XII, 4, 5). » — « Si totum corpus oculus, ubi auditus ? Et si totum corpus auditus, ubi odoratus ? Non possunt pedibus manus, vel manibus pedes dicere : Non estis nobis necessarii, neque omnino ullum est membrum in corpore, cui non sit aliud necessarium, cum etiam infirmiora sint magis necessaria (*I Cor.* XII, 17 et seqq.). »

Distinctis itaque membris in sancta Ecclesia recte *dividuntur spolia*, ita ut quæ videntur ignobiliora, inveniantur majori honore circumdata, ne *speciei domus* Dei fœditatem inferat, si *spolia* recte oblata non fuerint etiam recte divisa tam in universali domo, quæ est Ecclesia tota, quam in speciali qualibet Ecclesia ecclesiasticis canonum disciplinis, vel cœnobitalibus Patrum regulis ordinata. Etenim si distributores bonorum et officiorum ecclesiasticorum vel claustralium non recte *dividunt* pecuniam sibi creditam, et indignis dignitates tribuunt *speciei domus* Dei magnam fœditatem inferunt ; quo contra nunc in Spiritu sancto Ecclesia psallente monentur *speciei domus dividere spolia*, id est *dividere spolia*, ut *speciei domus* exinde accedat ornatus. Et quidem *spolia* dividenda sunt secundum distinctionem graduum dignitatum et officiorum sanctæ Dei Ecclesiæ, pro quibus ambiendis et accipiendis vos, qui *spolia* estis, nolite laborare, nolite solliciti esse, aut alios inde sollicitare ; nolite ante lucem surgere, sed surgite postquam sederitis. Audite quid suis discipulis Christus dicat : « Sedete, » inquit, « hic, et vigilate mecum, » et addit : « Dormite jam, et requiescite (*Matth.* XXVI, 38, 45). » Non quasi contraria mandantur, cum dicit « vigilate ; » additurque : « Dormite, » quia novit sponsa simul observare, quæ dicit : « Ego dormio, et cor meum vigilat (*Cant.* V, 2). » Non sic potest vigilare dormiendo vel dormire vigilando, nisi qui exemplo Jacob patriarchæ lapidem supponit capiti suo, ut videlicet in illum reclinet mentem suam, qui est lapis angularis maximumque ornamentum *speciei domus*, cujus dividuntur *spolia* rectissime his, qui super ipsum requiescentes dormiunt, et post aliquantulam dormitionem ab ipso audiunt : « Surgite, eamus (*Matth.* XXVI, 46). » His nimirum contemptu mundi primo soporatis, ac deinde ad collaborandum Evangelio Christi excitatis tanquam Jacob de somno dulci, ubi angelos ascendentes et descendentes viderat, evigilanti congruit lapidem capiti suo subpositum, laudibus et doctrinis erigere in titulum : si tamen *Rex virtutum dilecti dilecti speciei domus* dividendo *spolia* in illud officium eos assumpserit, ut non solum laudatores verum etiam prædicatores esse debeant. Alioquin solummodo contenti esse laudatores et magnificatores nominis ejus, ut illa, quæ ait : « Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo (*Luc.* I, 46, 47), » non sibi usurpent auctoritatem cujusque dignitatis in *spoliis* divisis aut dividendis, quin potius dormiant et requiescant, neque se ultro ac præsumptuose laboribus et sollicitudinibus curæ pastoralis inserant : sic dormire ac requiescere oblectabat Petrum, cum degustata in monte visionis dulcedine diceret : « Domine, bonum est nos hic esse (*Matth.* XVII, 4). » Nam et Lucas narrat ipsum filiosque Zebedæi obdormisse illic somno dulci eos gravante. O bonum dormire, o somni delectamentum, quod reddit hominem gravem gravitate laudabili, de qua dicitur : « In populo gravi laudabo te ! » (*Psal.* LXXXIV, 18.) Quo contra levitate vituperabili circumferuntur, qui nimis ambiunt *spolia* ipsos minime decentia. Frequentant curias, captant hominum gratias, colligunt munuscula minoribus et munera majoribus danda, salutant studiose nimis ac dolose pene consimiles jocu-

latoribus unicuique decenter adulantibus, quarum A praecipuus Gnatho quidam repræsentatur apud Comicum sic institutus apud semetipsum, ut diceret :

Negat quis, nego :. ait, aio.

(TERENT. *Euph.* act. II, sc. II.)

Sic mollibus adulationum tegumentis vestiuntur, qui in domibus regum sunt, et dignitates ambiunt sæculares, aut, quod longe periculosius est, etiam spiritales curas, quas utique, si saperent, fugerent, curialiter et curiose agendo appetunt, et rapitur somnus ab oculis eorum, dum nimis in crastinum solliciti sunt. Quo contra vos, qui sapitis quam dulcis est umbra sub qua requiescit sponsa, una cum illa requiescite, illamque dicentem audite : « Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus B meus inter filios. Sub umbra illius, quem desiderabam, sedi, et fructus illius dulcis gutturi meo (*Cant.* II, 3). » Exemplo sponsæ ad sedendum invitati et vos, qui laboratis et onerati estis, nunc tandem fessi et curis mordacibus lassati, residete sub umbra illius, qui dicit vobis ; « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris (*Matth.* XI, 28, 29). » Sub hac umbra, in hac requie dormite, non utcunque, sed inter medios cleros. Dormite, inquam, et requiescite cum magna spe magnæ utilitatis vestræ, quoniam

VERS. 14. *Si dormiatis inter medios cleros pennæ* C *columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in pallore auri.* Super hunc locum beatus papa Gregorius (14) dicit : « Cleros Latina lingua sortes dicimus. Dormire autem nostrum est a prava actione quiescere. Et quia electi qui a perversorum se inquietudine compescunt, terrena deserunt, cœlestia concupiscunt, nimirum inter medios cleros dormiunt, quoniam fugiendo temporalia et æterna præmia desiderando a perversis actibus quiescunt. Mente quippe ad summa volant, unde et pennæ vocati sunt. Qui bene columbæ deargentatæ memorantur. Columba vero deargentata sancta Ecclesia est, quæ apertæ prædicationis luce resplendet. Sed hæc columba in pennis quidem deargentata est, sed D posteriora dorsi ejus in auri specie refulgent, quia sancta Ecclesia modo per prædicantium linguas clara est; in illa autem remuneratione, quæ sequitur, non jam argenti nitore, sed auri fulgore decoratur. Ad illa quippe invisibilia bona proveniens, ad illa cœlestia dona pertingens, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, jam prædicationis eloquio non indigebit, sed sola auri specie in posterioribus pulchra est, quia in eo quod accipiet, solo resplendet fulgore claritatis. » Hæc de dictis beati Gregorii decerpta nos moraliter instruant.

Juxta sensum vero beati Augustini (15) *cleros* vocat duo testamenta, non quod hoc testamenti sit nomen. *Cleros* enim Græce, Latine *sors*. Unde Clernomia dicitur hæreditas juxta morem antiquorum sorte dividentium filiis hæreditates, quod etiam Josue in distributione terræ promissionis fecisse legitur. Rectius tamen intelligitur permisisse quam præcepisse Dominus, ut sorte distribueretur terra promissionis, quia quidquid præcepit, mutari non licebit, sicut est illud : « Diliges Dominum Deum tuum, » etc. (*Deut.* VI, 5), in hunc modum. Quæ autem propter duritiam cordis permissa fuerunt, ut de libello repudii et de sortibus, eo solum tempore licuerunt, quo permissa fuerunt. Hoc permisso etiam apostoli usi sunt in electione Matthiæ ante adventum sancti Spiritus, quo deinceps plenius instructi nunquam postea leguntur sortibus usi, quæ a sanctis Patribus postmodum sancto Evangelio coruscante interdictæ sunt utpote consuetudines paganæ adversantes religioni Christianæ. Manet tamen sortis vocabulum juxta morem antiquum in designatione vel hæreditatum, quæ sorte distribuebantur, vel testamentorum, quibus firmabantur hæreditates, vocabulo videlicet transsumpto ab eo, quod efficit ad id quod efficitur vel e converso. Efficiebatur enim hæreditas testamentis et sortibus, et rursum hæreditas causa erat, pro qua dividenda mitterentur sortes, et pro qua firmanda scriberentur testamenta. Sic vocabulum sortium transfertur ad hæreditatem significandam, et rursum ab hæreditate ad testamentum significandum. Qui tropus metonymia dicitur apud grammaticos. Ad hunc sensum loco præsenti possumus accipere cleros vel in significatione duorum testamentorum, quibus confirmatur gemina hæreditas promissionum vitæ, quæ nunc est, et futuræ, vel ipsarum hæreditatum præmissis testamentis confirmatarum et nomine Græco, quod est cleros, insinuatarum. Hinc etiam clericus in sortem, vel hæreditatem Domini assumptus, ita ut ipse Domini et Dominus ejus hæreditas nominetur et sit, sicut dicit Dominus : « Filiis Levi non dabis hæreditatem : ego enim ero hæreditas eorum (*Num.* XVIII, 20). » Duos igitur cleros duo testamenta primum dicamus, quorum quid sit medium, Salomone docente didicimus, qui cum descripsisset ferculum columnis argenteis fultum, ejusque ascensum purpureum, et reclinatorium aureum subjunxit : « Media charitate constravit, propter filias Jerusalem (*Cant.* III, 10). » Habes illic de columnis argenteis, habes hic de pennis columbæ deargentatis, quibus utrinque significatur puritas et nitor eloquentiæ. Habes item illic reclinatorium aureum, et hic *posteriora dorsi columbæ in pallore auri*, quibus dictis utrinque significatur fulgor æternæ Sapientiæ. Habes illic : *media charitate constravit* ; habes hic : *si dormiatis inter medios cleros*. Utrobique nomine medietatis charitatem intellige, quæ omnium Scripturarum nomine ferculi significatarum est media, quoniam de illa tanquam

(14) Apud S. Paterium de Expositione V. et N. Testam. lib. XI, cap. 139.

(15) In Exposit. Psalm. in hunc locum.

de medio stipite pendent omnia utriusque testamenti testimonia, sicut Veritas dicit : « In his duobus mandatis tota lex pendet et prophetæ (*Matth.* xxii, 49). » Item in descriptione columbæ habentis pennas deargentatas et dorsum aureum sic intellige medium, ut caveas angulum. Nota quod in medio Ecclesiæ aperit Dominus os justi; sed in angulis platearum orantes non audit. Stetit ergo Jesus in medio discipulorum suorum, ut oculis eorum intentis in illum commendaret illis medium charitatis mandatum, quod non in angulo sectæ unius, verum in tota universitate totius Ecclesiæ observandum proponitur omnibus, et sufficit omnibus ad vitam æternam consequendam, quod ejus glutino mediante quasi de multis membris fiunt columba una.

Hic attendendum quod non dixit *inter cleros* secundum usum Latinorum, sed *inter medios cleros* secundum usum Græcorum. Ubi enim nos dicimus : *Inter me et vos*, illi expressius dicunt : *Inter medium meum et vestrum*, volentes rerum aliquem significare consensum, quem usus Latinorum non exprimit. Unde et in eo quod Deus dicit ad Abraham : « Erit testamentum inter me et te (*Gen.* xvii, 2). » Et ad Noe : « Erit signum inter me et terram (*Gen.* ix, 13), » Græci ad exprimendum consensum habent, *Inter medium meum et vestrum* propter consensum evidentius exprimendum. Unde et hic *non inter cleros*, sed *inter medios cleros* dicens Psalmista rerum consensum expressit, qui sine media charitate non constabit. Quæ nimirum quia patiens est, benigna est, non æmulatur, non inflatur, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, et quod magis ad præsentem locum attinet, quia non est ambitiosa, nec quærit quæ sua sunt, velut in otio quietissimo aptitudinem facit illi dormitioni, de qua hic dicitur: *Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ*. Vos igitur, qui laborastis in circuitu ambulando, secundum quod dicitur : *in circuitu impii ambulant*, venite ad medium duorum clerorum servando charitatem, quæ media medulla est duorum Testamentorum. Sic enim datur verbum vobis evangelizantibus in virtute, si a vobis duorum Testamentorum auctoritas et duobus Testamentis commendata charitas firmissime teneatur, in cujus quietissimo cubiculo, *si dormiatis* temporalia bona Veteri Testamento promissa contemnendo et æterna Novo Testamento promissa patienter exspectando, sic in pace in idipsum dormiendo et requiescendo inter medios cleros eritis vos *pennæ columbæ deargentatæ*, de qua dicitur : « Una est columba mea (*Cant.* vi, 8). » Ista columba per vos quasi per pennas deargentatas elevatur, dum vel orationibus vestris eloquio divino consonis adjuvatur, vel prædicationibus eruditur. « Eloquia » enim « Domini eloquia casta, argentum igne examinatum (*Psal.* xi, 7) ; » nec est aliquid vel orandum vel prædicandum, nisi secundum regulam istorum eloquio-

A rum. Filii Zebedæi cum peterent, ut unus ad dexteram, alter sederet ad sinistram in regno Dei, pennas quidem orationis habebant, sed non deargentatas, nec de nitore divinorum eloquiorum splendidas, imo divinis eloquiis contrarias, quia in regno Dei sinistras sedes esse nulla divinorum eloquiorum docet auctoritas, nisi forte, cum regnum Dei præsens Ecclesia dicitur, in qua quia boni et mali, spiritales et sæculares sub nomine Christiano principantur quasi dexteras et sinistras habet sedes. Duobus vero modis habent sedes in præsenti Ecclesia tanquam in sinistra sancti Dei, dum vel regiminis illis datur auctoritas, ut sedeant cum principibus et solium gloriæ teneant; vel prænotata illis in tantum augetur claritas, ut in ea tanquam in

B sede mollissima quiescant et sibi vivant. At illi non de sedibus Ecclesiæ militantis, verum de sedibus ejusdem regnantis intendebant, quando sedem cum Christo appetebant. Propterea dictum est eis : « Nescitis quid petatis (*Matth.* xx, 22). » Quasi diceret : Habetis quidem orationis pennas, at non divino eloquio deargentatas. Et ideo directi sunt ad regulam eloquii divini, quo discerent prius calicem passionis bibendum, et postea in regno sedendum solummodo ad dexteram, non autem ad sinistram. Sinistra enim non erit illic. Multo vero magis verbum evangelizantibus virtute multa est necessarium, ut pennas doctrinæ habeant insignitas argento divinorum eloquiorum, ne videlicet aliquid docere

C præsumant, nisi quod *inter medios cleros* didicerunt : « Quis dabit mihi pennas sicut columbæ » (*Psal.* liv, 7) *deargentatas?* Quis me docebit sic evangelizando loqui ad homines, ut sermones cordis et oris mei omnes eloquiis Domini castis, argento examinato assimilatis, omnimodis assimilentur juxta illud : « Si quis loquitur quasi sermones Dei? » (*I Petr.* iv, 11.) Item : « Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis? » (*Matth.* x, 20.)

Aliter : *Dominus dabit virtutem evangelizantibus verbum*, si vos doctores, qui estis *pennæ columbæ deargentatæ*, *dormiatis inter medios cleros*, ut videlicet neque meditando, neque orando, neque docendo excidatis de illo *medio*, quod nunquam exci-

D det, quia charitas duorum Testamentorum quasi medulla media nunquam excidet.

Aliter : O vos, qui dividimini tanquam *spolia species domus*, nolite ambire altiora loca vel officia, quam distributa sint vobis, ut videlicet, qui est archidiaconus ambiat fieri episcopus : vel qui est episcopus, ambiat fieri archiepiscopus, et similiter in cæteris. Contenti estote locis et officiis, per quæ *speciei domus* Dei ornandæ dividente Spiritu sancto singulis prout vult, varie distributi estis. Quisque vestrum sedeat, quiescat et fultus hinc inde duobus *cleris* tanquam in lectulo suo *dormiat*, nisi forte is, qui eum invitavit, dicat illi : « Ascende superius (*Luc.* xiv, 10). » Taliter dormientes et quiescentes *inter medios cleros* eam gratiam accipietis, ut sitis *pennæ*

columbæ, dum per vos aut orantes in secreto et in A cubiculis, aut evangelizantes verbum virtute multa in publico et super tecta ornatur et exaltatur Ecclesia unica Dei *columba*. Sed et vos ipsi, qui dormientes humiliamini sub potenti manu Dei, tempore suo quasi *pennæ columbæ* in altum volabitis, « quia omnis qui se humiliat exaltabitur (*Luc.* XVIII, 14). »

Aliter : Vos prædicatores *virtute multa evangelizantes* verbum, qui estis *pennæ columbæ*, id est Ecclesiæ volantis in altum, quærentis quæ sursum sunt, *si dormiatis inter medios cleros*, eritis *deargentatæ pennæ* in anterioribus *columbæ*, in statu videlicet seu volatu præsentis Ecclesiæ, sed *posteriora dorsi ejus* in statu futuro post resurrectionem clarescent vobis *in pallore auri*, quando sicut in B diebus Salomonis abundante auro multo in Jerusalem argentum nullius erat pretii, sic fulgore sapientiæ angelicæ vel charitatis divinæ tunc super omnia clarescente non erunt necessariæ *pennæ deargentatæ* per nitorem doctrinalis eloquentiæ, quibus Ecclesia velut columba volat radicibus ipsarum pennarum fixis in posterioribus *dorsi* ejus. Nam *dorsum ejus* est charitas, in qua suscepta sarcina præceptorum Dei omnia suffert, omnia sustinet. Posteriora vero dorsi est illa futura et supercœlestis claritas, in qua perficietur, quæ hic incipit, charitas. In hac charitate *pallor* seu viror *auri* conspicietur, quoniam tunc per sapientiæ fulgorem per omnia et in omnibus fulgentem, cum erit Deus omnia in omnibus, videbitur Deus deorum in Sion C facie ad faciem, sicut est, ita ut nullus egeat doceri quasi per argentei eloquii tinnitum, vel quasi per tubas argenteas excitari ad castrorum motum, sicut in lege Moysi fuit ordinatum, quia tunc omnes a maximo usque ad minimum nullo demonstrante per se videbunt solem justitiæ, penitusque dissolvetur procinctus castrorum Dei nunc militantium et tubis indigentium, sicut in exitu Israel de Ægypto peregrinantibus Dei castris et ad pugnam dispositis erat præceptum fieri tubas argenteas, quibus clangerent sacerdotes, quando vel habebant in festis epulum solemne, vel quando ad præliandum castra movenda erant.

Et quidem in hac peregrinatione fugientibus ex Ægypto de sub potestate invisibilis Pharaonis hu- D jusmodi tubæ argenteæ sunt necessariæ, dum sacramentis Dominicis tanquam festivo epulo exhibetur congruus cultus duorum testamentorum seu duarum tubarum argentearum clangoribus in psalmis, hymnis canticisque spiritalibus eidem epulo congruentibus, et cantoribus argenti nitore candidis, ejusque tinnitu sonoris. Item bellis hinc inde nunc imminentibus eisdem tubis argenteis necessario excitamur ad præliandum, verbi gratia, docente Apostolo, ut « per arma justitiæ a dextris et a sinistris (*II Cor.* VI, 7.) » muniti confortemur in Domino et in potentia virtutis ejus ; « quoniam non est nobis colluctatio solummodo adversus carnem, et sanguinem, » sed, quod periculosius est, « adversus principes mundi, rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus (*Ephes.* VI, 12). » Istæ sunt tubæ sacerdotales et sacræ, ductiles, argenteæ, quarum clangore corruet Jericho civitas mundi hujus nuntios Jesu persequentis et ipsum recipere nolentis. Hujuscemodi clangorem desiderat, qui dicit : « Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum (*Isai.* LVIII, 1). » Per omnia hæc argentearum tubarum sive pennarum necessaria ministeria nunc ornatur et adjuvatur in suis anterioribus Ecclesia una Dei columba ; *sed posteriora dorsi ejus in pallore auri* fulgentia in futura vita, quando linguæ cessabunt, prophetiæ evacuabuntur, scientia destruetur, veniente quod perfectum est, et evacuato, quod ex parte est, non indigebunt electi vel pennis deargentatis in altum levari, quoniam semel tunc in altum sublimati sic semper cum Domino erunt, vel tubis argenteis in epulo festivo ad laudandum Dominum, seu in prælio ad debellandos adversarios excitari et animari, quoniam tunc pax erit atque Sabbatum æternum plenæque felicitatis otium beatissimum cessante ministerio sacramentorum et officiorum, quibus nunc utimur, et semoto penitus omni timore bellorum. Quod nimirum tantæ lætitiæ otium *posterioribus* columbæ reservatum, quia erit sempiternum, recte hic in Hebræo interponitur *semper*, pro quo nos habemus *Diapsalma*, signum videlicet distinctionis inter jam dicta et adhuc dicenda. Jam quippe duabus partibus psalmi exactis incipit *pars tertia* de donationibus Christi ascendentis agens hoc modo : *Si dormiatis inter medios cleros*, eritis *pennæ*, vel erunt vobis *pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in pallore auri*, sicut supra est positum.

Sed dicitis fortasse in cubilibus vestris, et cogitationes ascendunt in corda vestra hoc modo : Quandiu erit sic dormiendum? Ad hæc, inquam : Tandiu dormiendum et in civitate cum discipulis Christi sedendum et quiescendum est, quoadusque induamini virtute ex alto. Quod magnifice factum est, quando « factus est repente de cœlo sonus advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant discipuli sedentes (*Act.* II, 2) » et quasi dormientes *inter medios cleros*, quos etiam discernendo a cæteris hominibus fecit eos reges et rectores super Ecclesiam unicam *columbam*. Simili ergo modo nunc in cœnaculo spiritalis disciplinæ sedendum, quiescendum et quasi dormiendum est,

VERS. 15. *Dum discernit cœlestis*, id est, Christus in cœlum ad dexteram Patris exaltatus. Quid *discernit ? reges*, scilicet Ecclesiæ *super eam* variis dignitatibus distributos et discretos dividente Spiritu singulis prout vult, ut ex eis alii sint prophetæ, alii apostoli, alii evangelistæ, alii pastores et doctores ; qui profecto ut sint idonei suis officiis, *nive dealbabuntur in Selmon. Nive*, hoc est, ad similitudinem nivis naturaliter candidæ per remissionem peccatorum *dealbabuntur*, et hoc est non meritis suis,

sed *in Selmon*. Selmon *umbra* interpretatur, et significat gratiam, de qua dixit angelus ad Mariam: «Virtus Altissimi obumbrabit tibi (*Luc.* I, 35).» Et sponsa in Canticis canticorum dicit: «Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, et fructus illius dulcis gutturi meo (*Cant.* II, 3).» Item alias dicitur: «Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis (*Psal.* XC, 4).» Umbra ergo dicitur gratia, quæ ab æstu carnalium concupiscentiarum defendit carnem et a flamma vitiorum spiritualium, ut est ira, superbia, invidia, refrigerat mentem. Fit autem umbra lumine et corpore. Similiter gratia fit verbo et carne. Verbum enim lumen est, caro corpus. Accessit verbum carni, lumen corpori, ita ut Verbum caro fieret, Deus homo existeret. Qui quoniam gratiæ suæ umbra credentes in se protegit a malis et fovet in bonis tanquam gallina congregans pullos suos sub alis protegit a milvo ac fovet calore suo, recte *Selmon*, id est umbra, nominatur. Ne autem suspicetur quis montem istum cæteris montibus comparandum, dico vobis ego David propheta, quia *mons* iste

VERS. 16. *Mons Dei* est: *mons pinguis*, vel sicut alia translatio habet: *mons uber*. *Mons coagulatus, mons pinguis*. *Mons* iste juxta visionem Danielis de lapide parvo crevit in altum et longum, ut sui magnitudine impleat universum mundum (*Dan.* II, 35). Parvulus enim natus est nobis tanquam lapis modicus sine manibus de monte vel massa humani generis abscissus, utpote sola divina operatione segregatus a peccatoribus et excelsior cœlis factus; Filius quippe non solum immaculatæ virginis, verum etiam Dei Patris altissimi Filius recte vocatur, ita ut ipse quoque altissimus una cum Patre suo credatur, neque tamen Pater altissimus et Filius Altissimi altissimus duo sunt altissimi, sicut nec Pater Deus et Filius Deus duo sunt dii. Recte itaque *mons* iste *mons Dei* nominatur, cui datum est nomen, quod est super omne nomen, ut videlicet sic dicatur *mons Dei* per excellentiam, sicut et *Filius* dicitur per excellentiam. Cæteros namque filios Dei Deus adoptavit, istum vero genuit non solum æternaliter splendorem suæ paternæ gloriæ et figuram suæ substantiæ sibi Deo Deum consubstantialem, sed etiam in fine sæculorum temporaliter eumdem genuit operante amore suo, ut virgo ipsum conciperet, verumque Deum atque hominem perfectum geminæ substantiæ gigantem Patri Deo et matri virgini consubstantialem generaret. Quia ergo in utero virginis operante amore Patris et fide matris coagulatio facta est paterni seminis, quod est Verbum Dei Deus et materni seminis, quod erat materia formandi novi hominis, jure id, quod natum est ex ea, Sanctum vocatur angelo teste. Non autem quomodolibet vocatur Sanctum, sed Sanctum sanctorum, cui sanctitas non est accidentalis, ut est aliis sanctis, quibus datum est prius esse ac postea sanctos esse. Iste autem et in Divinitate ab æterno sanctus

A et in humanitate de Spiritu sancto conceptus, ex quo accepit, ut homo esset, pariter quoque accepit, ut Deus esset sanctus æque ut Pater suus et Spiritus sanctus amor Patris, quo est conceptus, de quo angelus ad matrem: «Hic enim erit,» inquit, «magnus et Filius Altissimi vocabitur (*Luc.* I, 32).» Revera magnus Dominus, cujus magnitudo non habet finem.

Similiter *mons Dei*, *mons pinguis*, cujus pinguedo non habet finem. Pinguedo quippe montis hujus inhabitans illum plenitudo Divinitatis est, quia carnem Christi licet solus Filius inhabitet eidem sic unitus, ut caro, anima et Verbum sit unus Dei Filius, tamen et Pater et Spiritus sanctus unum existentes cum Verbo, Verbi carnem sic inhabi-
B tant, ut ab ea nunquam recedant. Vere itaque *mons pinguis* est, cujus pinguedo summæ Trinitatis plenitudo est. Vere *mons coagulatus* vel incaseatus prædicatur, quia Verbum caro factum quasi panis in lac versus nutrit parvulos, quoadusque ad id proficiant, ut de pinguedine montis hujus aliquid pro modulo suo percipere valeant, qui nunc iterato *pinguis* dicitur, ut tam secundum humanitatem Verbo unitam, quam secundum ipsius Verbi naturam Spiritu sancto, qui æternæ Divinitatis pinguedo est, plenus esse non dubitetur. Mira hujus montis incaseati coagulatio, quæ de diversis naturis in unum coagulatis omnino solvi non potest quemadmodum solvi non potest corrigia calceamentorum ejus. Nempe
C actus vel passiones, quæ de hoc monte prædicantur, juxta naturarum proprietates aliquatenus distinguentur, verbi gratia ut dicatur soli carni Christi mors ad tempus accidisse, quando emisit spiritum in cruce, quem et recepit in resurrectione. Item soli animæ inesse tristitia potuit, propter quod ait: «Tristis est anima mea usque ad mortem (*Matth.* XXVI, 38).» Soli quoque Divinitati æternitas attribuitur, de qua dicit: «Ante Abraham ego sum (*Joan.* VIII, 58).» «Et ego sum, qui sum (*Exod.* III, 14).» Verumtamen sic naturarum istarum diversarum, carnis scilicet humanæ humanique spiritus et Verbi æterni facta est in unam personam coagulatio, ut homo in Deum assumptus dici veraciter possit æternus, et Deus Homini unitus recte prædicetur crucifixus et
D mortuus. Unde non ait: Ante Abraham fuit Divinitas mea; sed: «Ante Abraham,» inquit, «ego sum.» Et Apostolus Dominum gloriæ annuntiat crucifixum, quatenus hinc animadvertas in Domino nostro Jesu Christo tanquam in monte coagulato divisarum naturarum inseparabilem unionem, præcipue post illius templi non manufacti a Judæis per mortem soluti reædificationem seu resuscitationem, qua templum hoc ita est consolidatum, qua mons iste sic est coagulatus, ut ulterius dissolvi non possit vel disjungi. Quidquid enim post unionem disjungitur, vel actualiter, vel intellectualiter disjungitur. Actualiter, ut anima Christi a corpore ipsius disjuncta, fuit corpore jacente in sepulcro et anima ipsius vel triumphante in inferno, vel deliciante in

paradiso, prout ipse dixerat latroni: «Hodie mecum eris in paradiso (*Luc.* XXIII, 43);» intellectualiter, ut item ait: «Caro non prodest quidquam (*Joan.* VI, 64).» Caro videlicet sic intellecta sine spiritu, sicut intellexerant eam illi, qui dixerant: «Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?» (*Ibid.*, 53.) Et quidem caro, de qua tunc agebatur, utroque Spiritu erat plena, humano scilicet ac divino, sed in intellectu eorum sic fuit a Spiritu separata, ut velut pecudis caro mortua putaretur offerenda eis ad manducandum, cum diceretur eis: «Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis (*Joan.* VI, 54).» Si veluti macro intellectu carnem Christi a Spiritu separantes, ipsam quasi macram crediderunt comesturis distribuendam. At ille *mons uber, mons pinguis*, qui etiam in benedictione Aser dictus est «panis pinguis præbens delicias regibus (*Gen.* XLIX, 20),» quique in evangelica parabola dicitur vitulus saginatus, non ita obtulit carnem suam suis edendam, quasi macram a pinguedine Spiritus vel actu vel intellectu separatam. Propterea dicit: «Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam (*Joan.* VI, 64):» caro videlicet sic intellecta, sicut illi eam intellexerunt, non prodest quidquam. Proinde meliorem intellectum de carne sua ipse Christus insinuavit, cum quasi priora verba exponens ita subjunxit: «Sicut me misit vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; qui manducat me, et ipse vivit propter me.» Nota similitudinem. «Sicut, inquit, misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem:» similiter «et qui manducat me, vivet propter me.» Dixerat prius: «Nisi manducaveritis carnem meam, et biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis.» Subnectit postea: «Qui manducat me, vivet propter me (*ibid.*, 54, 58),» ut patenter intelligas per carnem Christi nominatam, carnem Christum significari, eo quod Verbum caro factum est, et ideo sicut vivens Pater a se genito dat vitam habere in semetipso: sic vivens caro Christi seu potius vivens Christus digne se manducanti dat vitam æternam.

Procul ergo a scholis ecclesiasticis discedant novi disputatores perverso intellectu, quod Deus conjunxit, separantes, dum aliud prædicant carnem Christi, quam carnem Christum.

Nos autem prædicamus absque sui mutabilitate Verbum carnem factum quasi montem coagulatum et incaseatum, ita ut qui digne manducat carnem Christi, non possit manducare vitam in carne ipsa manentem, et qui digne intelligit carnem Verbi, agnoscat Verbum in carne quasi carnis pinguedinem inseparabilem, quam insinuans evangelista maluit dicere: «Verbum caro factum est (*Joan.* I, 14),» quam Verbum carnem induit. Vestimentum namque ab aliquo indutum potest et actualiter exui ac deponi, et intellectualiter ab induente separari, sicut lineam vel colorem solo intellectu separamus a corpore, quanquam nusquam alias existentem nisi

A tantum in corpore. Non enim talis est coagulatio inter induentem et indumentum vel inter accidens corporis et corpus, ut non possit vel actu vel intellectu separari. Christus autem perfectus Deus idemque perfectus homo nullo disjungitur vel actuali vel intellectuali divortio, quoniam duæ naturæ ipsius ita in unam personam, in unum electrum, in unum Emmanuel, in unum montem coagulatæ sunt, ut omnis, qui disjungendo eas perverso intellectu solvit Jesum, denuntietur a Joanne apostolo esse Antichristus. «Omnis,» inquit, «Spiritus, qui solvit Jesum, a Deo non est et hic est, de quo audistis, quoniam venit Antichristus (*I Joan.* IV, 3).» *Et nunc jam in mundo est*, quia multi ejus præambuli seorsum de anima, seorsum de carne, seor-

B sum de Christi Divinitate disputant indisciplinatis et stultis quæstionibus. Corpus, aiunt, Christi fuit in sepulcro, non Christus. Item anima Christi fuit in inferno, non Christus; Divinitas Christi est ubique, non Christus. Longe salubrius habet se professio fidei catholicæ, in qua confitemur Christum crucifixum, mortuum, sepultum ad inferna descendisse, tertia die resurrexisse, atque postea in cœlum ascendisse, unde venturus est judicare vivos et mortuos, et nunc ante adventum suum cum suis est usque in finem sæculi.

Hac fide animata beata martyr Anastasia, cum interrogaretur a judice, ubi esset Christus, respondit: «In cœlo ad dexteram Patris, et in terra ubique sunt sancti ejus.» Hoc totum de toto Christo

C confitemur, qui etsi per solum corpus in sepulchro claudebatur, et per solam animam in inferno vel paradiso sanctis animabus præsentialiter, tamen totus utrobique operabatur, in sepulcro suum corpus custodiens, ne videret corruptionem, sed potius levaret de corruptione multa corpora sanctorum secum resurgentia, et in inferno vel paradiso suum Spiritum regens, et regnare faciens, ita ut dicerent adversariæ potestates: «Quis est iste Rex gloriæ?» Quibus responsum est: «Dominus fortis, et potens, Dominus potens in prælio, Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ (*Psal.* XXIII, 8).» Audis, quia et boni angeli et mali Christum montem coagulatum non dissolvunt, sed in anima sua sola

D regem gloriæ recognoscunt. Similiter et Maria Magdalena in solo corpore ipsum recognovit dicens: «Tulerunt Dominum meum, et nescio, ubi posuerunt eum (*Joan.* XX, 13).» Quid tu ergo illum solvis, de carne vel de anima vel de Divinitate ipsius ita segregatum disputans, ut juxta tuum sensum caro intellecta non prosit quidquam utpote quasi macra et illa pinguedine privata, de qua hic dicitur: *Mons Dei, mons pinguis?* Nonne tu ipse per solos oculos videns, per solas aures audiens, per solos pedes ambulans, per solas nares olfaciens, per solum palatum gustans, per solam mentem intelligens, per solam memoriam recordans, tamen te non negas hæc omnia sic facere, ut vere assignanda sint toti personæ tuæ? Quanto magis illa persona de

duabus naturis ita coagulata, ut et Deo Patri sit consubstantialis per suam Divinitatem et hominibus per suam humanitatem, quidquid agit secundum utramlibet naturam, sentit agere se totam? Hinc illa pinguedo erat ejus actibus humanis, ut de sputo ejus illiti oculi cæci lumine vestirentur, lingua muti tacta solveretur, et ipsius tactu lepra fugaretur, ipsius voce mortui excitarentur, ipsius imperio marini fluctus et venti sedarentur. Hinc est etiam, quod caro ejus manducata vivificat, quia in ipsa carne Spiritus est, qui vivificat, sine quo, ut ipse ait, *caro non prodest quidquam*. Quam qui absque spiritu manducandam putaverunt, quasi carne marca strangulatis faucibus pinguedinem ejus gustare non potuerunt. Unde et abierunt retrorsum. Sic etiam illi, quorum alii dicebant eum Joannem Baptistam, alii vero Jeremiam seu Eliam, non gustaverant in ipso pinguedinem illam, quæ sapuit Petro dicenti : *Tu es Christus Filius Dei vivi*. Propterea increpantur illi Spiritu prophetico, laudatur iste ab ipso Christo. Nam illis dicitur :

Vers. 17. *Ut quid suspicamini montes coagulatos*, esse *montem, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo?* Ita enim habent quidam codices : *Ut quid suspicamini montes coagulatos, montem, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo*. Ac si dicatur : Quare sic erratis homines de Filio hominis, ut suspicemini Eliam vel Jeremiam, vel quemquam ex prophetis ei comparandum? Sunt quidem et ipsi montes magni et coagulati, quia in illis naturæ humanæ accessit gratia Spiritus prophetici; sed incomparabiliter illos antecellit superexcellentia montis, qui est mons Dei, mons pinguis unguento videlicet illo perunctus, quod agnovit Petrus dicens : « Tu es Christus Filius Dei vivi (*Matth.* xvi, 16). » Agnovit montem et ascendit in montem, factusque est et ipse mons magnus, cum ei diceretur : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam (*ibid.*, 18). » Sed super verticem montis hujus ac montium cæterorum longe in infinitum superexcellit *mons, in quo beneplacitum est Deo* Patri, cui et dicit : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui (*Matth.* iii, 17). » Complacet ergo Patri *habitare* per se *in eo*, qui per ipsum Mediatorem in aliis montibus sanctis habitat. Vel *mons* est homo in Deum assumptus, *in quo beneplacitum est Deo* Verbo *inhabitare*, non quomodocunque, sed in finem.

Etenim Dominus Verbum Dei *habitabit* in eo *in finem*, in finalem perfectionem, id est non solum per essentiam, cujus ubique præsens majestas non dubitatur; aut per gratiam, qua quibusdam subtrahitur, quibusdam præsentatur; sed per unionem personalem, ut homo inhabitatus a Deo Dei Verbo et Deus inhabitans ipsum hominem sit una ex duabus et in duabus naturis existens persona, quæ proprie Filius Dei et Filius hominis nominatur, quia qui incorporaliter est a Patre genitus, ut intellectum bonum bonus gignit animus, idem quoque Spiritu A sancto amore Patris operante a virgine corporaliter conceptus et natus est permanens Deus Dei Verbum, quod erat semper, sed incipiens esse corporeum Dei templum finaliter a Deo inhabitatum, quod prius non erat; permanens intellectus et Verbum et ratio Patris, ut erat, sed inscriptus pelli humani corporis, quod prius non erat : permanens Verbum Patris intellectuale, sed factus Verbum non solum visibile, atque audibile, sed etiam palpabile juxta illud Joannis apostoli : « Quod vidimus et audivimus, quod manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ, et vita manifestata est (*I Joan.* i, 1-2). » Unde et Apostolus cum dixisset : « In quo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis (*Coloss.* ii, 9), » addidit : *corporaliter*, quia videlicet Verbum caro factum est, B et per carnem suam corporaliter habitavit in nobis. Etenim sicut Deus in Christo mundum sibi reconcilians *habitavit in finem*, sic et ipse Christus *habitabit* cum suis et in suis electis *in finem*, de quo dicitur : « Omnis consummationis vidi finem (*Psal.* cxviii, 96), » secundum quod ipse promisit dicens : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* xxviii, 20). » Vel *habitabit in finem* perducendo ipsos usque ad se contemplandum, qui est initium et finis omnium. Vel *inhabitabit* eos *in finem*, ut quidquid boni sunt aut faciunt, non referant ad aliam finalem causam, nisi ad ipsum, qui est finis legis ad justitiam omni credenti. Et quia Dominus habitabit in eis, inde C fiunt currus Dei portando Deum se regentem, sicut Simeon senex puerum portabat : puer autem senem regebat. Hos ita regendo perducit *in finem* sibi destinatum, de quo Apostolus ait : « Primitiæ Christus, deinde qui sunt Christi, deinde finis, cum tradiderit regnum Deo Patri (*I Cor.* xv, 23-24). »

Vers. 18. *Currus* iste non est unius formæ, ut verbi gratia solos martyres vel solos confessores vel alterius unius ordinis professores habeat; imo est *multiplex decem millibus*, ita ut numerum finitum pro infinito intelligas positum, perfectionis scilicet significativum, quæ in denario et millenario notari solet. Sunt ergo *decem millia* omnes ad hoc electi et perfecti, ut verbum Dei evangelizantes virtute multa portent ipsum Deum ad corda credentium. D Quod quia non faciunt ex tristitia vel ex necessitate, sed spontanea et devota hilaritate *currus* ipsi sunt *millia lætantium*, quoniam spe gaudentes et in tribulatione patientes, etsi fiunt interdum quasi tristes, attamen semper gaudentes lætantur in eo, quem portant, cujus et *currus* dicuntur, et sunt. *Currus* apud antiquos erant vehicula triumphantium et dominantium regum seu principum. De qua similitudine tractum videri potest, quod *currus Dei* dicuntur, in quibus triumphat Deus, condescendente Verbo Dei humanæ loquelæ, qua dicuntur currus triumphales regum, auro insigniti, fuisse ad ornamentum triumphalis pompæ. Tales per similes currus fuerunt Elias, et Eliseus, quorum uterque dictus est *currus Israel, et auriga ejus*. Cujusmodi

vero currus Elias fuerit, in curru igneo, quo raptus est, agnosci poterit, de quo in laudibus Patrum dicitur: « In diebus illis surrexit Elias propheta, et verbum illius quasi ignis, et quasi facula ardebat (*Eccli.* XLVIII, 1). » Qui causas rite perpendit, jure veneratur ignem faculæ tam vehementer ardentis zelum Domini tam fortiter in Elia, curru Dei, curru Israel, accensum, ut una die octingentos quinquaginta falsos prophetas ipse verus Propheta occideret. O igitur perfectum odium et sanctum boni zeli incendium, cujus dignitatem cœli testificati sunt continendo ad ejus imperium, et rursus dando terris pluviæ beneficium, amplius autem mittendo currum igneum cum equis igneis ad sublevandum victorem emeritum et potentem amicum Dominatoris omnium! Ex ejus glorificatione tam magna tamque stupenda exemplum accipiat spemque concipiat quisque veritatis æmulator et justitiæ amator, quod mercede non careat, si verbi Dei currus effectus militat contra mendacium falsis prophetis acceptum et veris prophetis odiosum. Veris autem prophetis falsos exemplo Eliæ occidere est eos gladio veritatis percutiendo confutare, quod in finem sæculi multiplicatis falsis prophetis bonum malum, malum bonum dicentibus erit pernecessarium. Propterea Veritas prædicit Eliam venturum, antequam veniat dies Domini magnus, et manifestus. « Elias, » inquit, « venturus est et restituet omnia (*Matth.* XVII, 11). De hoc plurimorum sententia doctorum est, quod circa finem sæculi cum Enoch venturus sit, et quod mortem, quam non evasit, inquiunt, sed distulit, pro communi debito persolvere habeat sub persecutione Antichristi.

Porro Hieronymus virorum illustrium non minimus aliter sentire videtur in fine Malachiæ prophetæ, ubi Dominus dicit: « Ecce mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis (*Malach.* IV, 5). » Ait enim post aliqua: « Hæc de Elia diximus secuti doctores, quanquam multi sint etiam nostrorum, qui credunt eum ad litteram venturum, et restituturum. Cæterum Dominus interrogatus ab apostolis de adventu Eliæ respondit: « Elias jam venit, et non cognoverunt eum, sed fecerunt in eum, quæcunque voluerunt (*Marc.* IX, 12), » *Joannem in Elia volens intelligi. Unde subsecutus adjunxit:* « Si vultis recipere, Joannes ipse est Elias, qui venturus est (*Matth.* XI, 14). » Cum hæc dicit, profecto doctoribus aliis, qui non secundum litteram, sed secundum Spiritum de adventu Eliæ sentiunt, sese consentire innuit. Dicendo etiam: *Quanquam multi sint etiam nostrorum, qui credunt eum ad litteram venturum, et restituturum omnia, ac mortis debitum persoluturum,* satis indicat quod eum velit jam esse a mortis necessitate solutum: quod si ita est, revera magnum et magnificum est multumque laudabile inter viros gloriosos, quod in eo magnificentia sua Dominus operatus est. Nam si mortem adhuc exspectat, æstimare licet quod minus beatitudinis assecutus sit, quam alii sancti, qui deposita omni corruptione mortalitatis grandi utique debito et gravi sunt fœnore liberati. Nam exspectatio mortis sine dubio habet pœnam, atque idcirco beatiores dicere licet eos omnes, quibus et de morte timor nullus et de gloria resurrectionis certa spes est. Magnificentius ergo cum illo actum est et cum beato Enoch, si mortem non distulerunt sed evaserunt, si viventes translati nullum habent de longa mortis sollicitudine vel exspectatione tormentum. Sed de his atque aliis divinorum miraculorum secretis, de quibus salva fide a diversis diversa sentiuntur, quisque prout vult, quibus vult, salva fide consentire potest absque præjudicio diversa sentientium, salva, ut dictum est, fide Catholica, contra quam nullius est auctoritas vel subtilitas recipienda. Non est autem contra fidem, sive corporaliter in persona sua Elias æstimetur venturus, sive in spiritu et virtute ipsius aliquis digne vocandus currus Israel et auriga ejus, quemadmodum ipse suusque discipulus Eliseus ambo sunt currus Israel nominati. Ille, cum in curru sursum raperetur: iste cum jam morti vicinus a rege Israel similiter currus Israel nominaretur. Quis scit, si convertatur et ignoscat Deus peccatis pœnitentium circa finem sæculi, et relinquant post se benedictionem tam copiosam tantumque abundantem, in quantum refrigescente charitate multorum novit abundare iniquitatem diebus novissimis, quantum abundante iniquitate in valde malis refrigescere novit charitatem in bonis?

Et quidem Elias raptus obtinuit Eliseo duplicem spiritum propter duplicis peccati per ipsum tam in Juda quam in Israel expugnandi augmentum. Nunc autem sic multiplicata est iniquitas abundans refrigescente charitate multorum, ut contra eam non sufficiat spiritus Eliæ simplex vel duplex, non sufficiat unus vel duo *currus* Israel contra innumerabiles *currus* Pharaonis, contra infinitos exercitus Antichristi exemplo Pharaonis regnaturi, et tandem in abysso inferni demergendi. Igitur bene ad consolationem Israel periclitantis in exitu de Ægypto persequente Antichristo promittitur *currus Dei decem millibus multiplex*, ut intelligas non unam solummodo, vel duas personas in spiritu et virtute *currus* Israel, *currus* ignei, qualis fuit Elias, excitandas, imo tantum exercitum, ut quisque fidelium habens oculos ad videndum possit cum Eliseo dicere: « Plures sunt nobiscum quam cum illis (*IV Reg.* VI, 16). » Denique certantibus nobis contra spiritales nequitias et carnalia desideria, quæ militant adversus animam, nobiscum est Pater et Filius et Spiritus sanctus. Nobiscum sunt agmina cœlestia in ministerium salutis nostræ missa. Nobiscum sanctorum millia contra carnem et sanguinem cunctasque nequitias diabolicas jam triumpho potita. Nobiscum *currus Dei decem millibus multiplex.* Atque ne putes hoc numero dicere *decem millium* finito comprehensos omnes, quos ille currus continet, addo numerum infinitum affirmans in eo esse *millia lætantium;* quatenus per numerum defi-

nitum infinitum intelligas exercitum multorum millium Deo militantium precesque assiduas tanquam jacula ignita mittentium contra diabolum et Antichristum. Isti sunt *millia lætantium*, id est non ex tristitia, sed in lætitia præliantium, et spe victoriæ gaudentium, atque ideo in tribulatione patientiam servantium.

Unde illis hoc? Non utique a se, sed a Domino, quia *Dominus in Sina in sancto*. Vel *in Sinai sancto*. *Sina* enim, vel Sinai mons est in Arabia, in quo data est lex Moysi. Congruit autem hujus vocabuli interpretatio dato illic mandato, quia Sinai interpretatur *mandatum*, et Apostolus ait : « Lex quidem sancta et mandatum sanctum et justum et bonum (*Rom.* VII, 12). » *Dominus* ergo *in Sinai sancto*, id est in mandato sancto est, quia Spiritus vivificans in B littera occidente est. « Littera enim occidit » solummodo instruens et faciens scire peccatum : « Spiritus autem vivificat (*II Cor.* III, 6), » qui dat velle et perficere bonum. « Charitas, » etenim, quæ plenitudo legis est, diffunditur, « in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (*Rom.* V, 5), » quem ut ab alto mitteres o Christe,

VERS. 19. *Ascendisti in altum*. Et priusquam ascenderes in altum, descendens in infernum illic *cepisti captivitatem* quasi victor spolia. Dein *accepisti dona in hominibus*, quæ prius acceperas in temetipso, largiente tua et Patris Divinitate atque accipiente tua humanitate. Et quidem tu in temetipso Spiritum *accepisti* non ad mensuram, sed *in* C *hominibus*, membris tuis dividere spolia sciens per distributionem donorum Spiritus *accepisti* hæc ad mensuram cujusque membri tui.

Aliter : *Dominus in Sina*, id est in tentatione suis adest *in sancto*. Et exinde habebunt lætitiam ipsa *millia lætantium*, quod *Dominus* adest *eis in Sinai*, id est in tentatione custodiens eos *in sancto* sanctitatis proposito faciens, ut omne gaudium existiment, cum in tentationes varias inciderint, scientes quod « beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ (*Jac.* I, 12). » Itaque propter hoc omne gaudium, quod etiam inter tentationes varias in sancto quolibet perseverat, *millia lætantium sunt*, quia *Dominus in Sina in sancto*. Et hanc sanctitatis devotionem in- D ter tentationes inviolabilem habent per gratiam ex hoc illis collatam, quod tu, Christe; *ascendisti in altum* ad dexteram Patris. Prius autem, quam ascenderes, *cepisti captivitatem*, id est mortem, quæ tenebat captivos, vicisti. Vel ipsos homines male a diabolo captivos tu bene *cepisti*, et sub leve jugum misisti. De tali captione dictum est Petro : « Ex hoc jam homines eris capiens (*Luc.* V, 10). » Hæc est beata captivitas, quam tu Christus *cepisti*, et post *accepisti dona in hominibus*, id est ipsos homines accepisti quasi donativum post triumphum. Vel *in hominibus* tuis membris *accepisti dona*

A ipsa, quæ dedisti. Unde Apostolus hunc versum exponens auctoritate apostolica verba mutavit et dixit : « Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus (*Ephes.* IV, 8). » Quod est dicere : Ascendens in altum Filium Dei æternaliter altissimus in sua Divinitate, sed exaltatus usque ad consessum Dei Patris in sua humanitate, *captivam duxit captivitatem*, id est multos electos de inferno liberatos quorum plures, ut essent veri testes ejus resurrectionis, corporaliter cum eo surrexerunt. In his denique ante mortem suam caro captivaverat spiritum in lege peccati et mortis repugnante legi mentis. Verum post resurrectionem caro ipsa captivata est a spiritu, quatenus hi, quorum corpora surrexerant cum Domino, toti essent spiritales et angelis beatis consimiles. Igitur in his captivitas captivata fuit, in quibus lex membrorum, a lege mentis in Deo et cum Deo regnantis absorpta, ipsi legi mentis ulterius repugnare non potuit, quod omnibus electis, qui nunc legi mentis in bonum consentiendo, legi carnis repugnant, finito isto prælio in præmium reservabitur. Et tunc absorpto eo, quod mortale est, a vita, cum absorpta fuerit mors in victoria, beata ista captivitatis captivitas erit consummata; quæ nunquam consummaretur in hominibus, nisi Christus ascendens in altum dedisset dona hominibus.

Super hunc locum beatus papa Gregorius (16) ait : « Quid his Prophetæ verbis nisi ascensio Dominica declaratur? Ascendens quippe in altum captivam duxit captivitatem, quia corruptionem nostram virtute suæ incorruptionis absorbuit. Dedit vero dona hominibus, quia misso desuper Spiritu alii sermonem scientiæ, alii sermonem sapientiæ, alii operationem virtutem, alii gratiam curationum, alii genera linguarum, alii interpretationem sermonum tribuit. Dedit dona hominibus, dum per ejus gratiam eorum in mundo virtus excrevit. »

Dedit ergo *dona* sancti Spiritus *hominibus*, mittendo illum sicut promiserat dicens : « Nisi ego abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos (*Joan.* XVI, 7). » Item : « Rogabo Patrem meum, et alium Paracletum dabit vobis (*Joan.* XIV, 16). » Ecce in eo, quod mittit Pater, mittit et Filius, hunc Paracletum Spiritum veritatis claret procedere ab utroque, procedere, inquam, non recedere, quia neque Filius nascendo a Patre separatur a Patre, neque Spiritus sanctus ab utroque procedens recedit inde, unde procedit, quoniam hi tres unum sunt : una videlicet essentia, una forma, una natura, unus Deus, unus omnipotens, unus immensus, unus æternus. Et ideo cum Spiritus datur hominibus, per hunc tota Trinitas habitat in hominibus, quod quidam non credunt. Sed dono sancti Spiritus multi ex eis credentes *currus Dei* fiunt.

Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum,

(16) Lib. II, homil. 29 in Evang.

dono ipsius gratuito fiunt credentes, et in semetipsis experiuntur verum esse, quod dicitur: « Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis (*Apoc.* XXI, 3). » Item: « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I, 14). » De talibus, quos ipse Deus inhabitat, vel qui habitant in adjutorio Altissimi, contexitur ille *currus Dei decem millibus multiplex*, in quo ipse triumphans contra currus Pharaonis prospere procedit et regnat. Favendo igitur ejus triumphali processui dicamus *die quotidie*, id est jugiter:

VERS. 20. *Benedictus Dominus* in curru suo super omnes cœlos exaltatus. *Benedictus die quotidie*, vel *de die in diem*, id est jugiter. Vel sicut habet Hebraica veritas: *per singulos dies*. Benedicant illum cœli et terra, mare et omnia, quæ in eis sunt, quia per omnia, et super omnia triumphavit, terram sanguine suo purpurando, mare calcando ac fluctus ejus mitigando, cœlorum alta penetrando. Quo ut illum prospero cursu alacriter sequamur: *Prosperum iter faciet nobis* ipse *Deus salutarium nostrorum*, id est auctor salvationum, dum et currus præparat, et in ipsis curribus triumphando captivitatem captivat, non uno die, sed *quotidie*, non solum in una sua resurrectione vel ascensione, quæ facta est una die, sed etiam in suorum sibi conresurgentium sibique in cœlo considentium glorificatione, quæ fit *quotidie*, donec omnibus curribus Dei consummatis, et omnibus curribus Pharaonis in abyssum projectis, in quadriga Evangelica occurramus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Ad istiusmodi cursum consummandum *prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum*.

Quid sit *iter prosperum* in omnibus motibus et actibus affectandum, Paulus apostolus insinuat scribens ad Romanos in hunc modum: « Testis enim mihi est Deus, cui servio in Spiritu meo, in Evangelio Filii ejus, quod sine intermissione memoriam vestri facio in orationibus meis obsecrans, si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. » Quare? « ut aliquid, » inquit, « impertiar vobis gratiæ spiritalis ad confirmandum vos, id est simul consolari per eam, quæ invicem est, fidem vestram, atque meam. Item: « Ut aliquem fructum habeam in vobis, sicut et in cæteris gentibus. (*Rom.* I, 9 et seq.). » In his apostolicis dictis colligitur hoc esse *iter prosperum*, quod in voluntate Dei dispositum sit hominibus fructuosum. Unde et ipse Deus *salutarium nostrorum* cum suis apostolis, curribus electis, et curruum suorum præcipuis aurigis dixisset: « Posui vos, ut eatis, » ne *iter* ipsorum non esset *prosperum*, adjecit: « Et fructum afferatis, » ac ne ipse itineris fructus putaretur transitorius, annexuit: « Et fructus vester maneat (*Joan.* XV, 16). » Sic ergo *prosperum iter faciat nobis Deus salutarium nostrorum*, ut in omnibus motibus nostris nihil fiat, quod non sit voluntati pietatis divinæ beneplacitum, et tam nobis quam cæteris hominibus fructuosum, præcipue his, quibus debitores sumus, sapientibus et insipientibus, multum sive parum fructificantibus, ita ut palmitibus malis manu agricolæ optimi succisis tota vinea Dei *salutarium nostrorum* sit fructuosa fructu salutari, et fructus noster maneat non in nobis aut nostris viribus, quæ nimis invalidæ sunt, sed in Deo *salutarium nostrorum*.

Tribus jam partibus psalmi exactis quarta sequitur, in qua quid de prædictis Dei donis eveniat, ostenditur, scilicet conquassatio inimicorum, conversiones aliquorum, martyria utriusque sexus fidelium. *Diapsalma* hic interponitur, pro quo apud Hebræos habetur *Sela*, quod interpretatur *semper*, quia hæc prosperitas in salutaribus fructibus, de quibus præmissum est, optanda est ut maneat *semper*. Et hoc inde possibile creditur, quia

VERS. 21. *Deus noster, Deus salvos faciendi est.* « Filius » enim « hominis non venit animas perdere, sed salvare (*Luc.* IX, 56). » *Deus*, inquam, *noster*, qui nostram suscepit naturam *Deus salvos faciendi* est, cui recte dicimus: « Salus nostra in manu tua est, Domine (*Gen.* XLVII, 25). » In quo multum commendatur gratia, dum non in nostra, sed in Dei virtute salus nostra consistere prædicatur, ut qui gloriatur, non in se sed in Domino glorietur.

Dicis itaque mihi: Cur ergo vel boni æque ut mali corporaliter moriuntur, vel ipsi mali tam animæ quam corporis morte destruuntur et a salute longe fiunt, qui Deum salvatorem credunt et confitentur dicentes, quia *Deus noster, Deus salvos faciendi est?* Ne forte sic loquendo mireris, et de mortalitate vel morte hominum indigneris, audi quia *Domini, Domini exitus mortis. Domini, Domini*, secundum geminam scilicet naturam suæ personæ ubique tam in cœlo, quam in terra dominantis. *Domini*, inquam, illius, qui peccatum non fecit, et ideo non subjacuit necessitati ullatenus morte corporis aut spiritus moriendi sicut Adam, cui dictum est: « In quacunque die comederis, morte morieris (*Gen.* II, 17). » *Domini*, inquam, talis dominatoris vitæ ac mortis, *exitus* de hac vita non erat alius nisi *mortis*, id est per mortem non necessitate sed voluntate admissam, ut cum in ejus persona conspicitur *exitus mortis*, evacuetur in suis famulis timor mortis, quibus ipse dicit: « Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere (*Matth.* X, 28). »

Aliter. Ut scias, quia *Deus noster Deus salvos faciendi est*, attende illum salvare servos suos, quorum Dominus est per conditionem, quia eos creavit, et Dominus quoque per Redemptionem, quia eos de dominio diaboli, de servitute scilicet invisibilis Pharaonis in suum jus transtulit, « ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso omnibus diebus nostris (*Luc.* I, 74, 75). » *Domini*, inquam, talis est *exitus mortis*, quia et ipse de morte corporis per resurrectionem suam, exivit, et in se cre-

dentibus de morte simul corporis et animæ patefe- A cit *exitum*, quando et mortem animæ moriendo destruxit et vitam corporum resurgendo reparavit.

VERS. 22. *Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum.* Quod est dicere : Quanquam Deus noster, *Deus salvos faciendi* sit, non tamen omnes indifferenter salvabit, sed *confringet capita inimicorum suorum*, duplici videlicet contritione seu confractione, alios humiliando ad pœnitentiam, alios pœnitere nolentes mittendo in gehennam. Cumque omnes inimicos suos confringendo sit positurus scabellum pedum suorum, tamen præcipue *confringet capita inimicorum suorum*, id est, vel capitaneos eorum, qui tenent inter eos malitiæ principatum, vel superbiam sive auctoritatem ipsorum. B Sic superbia et auctoritas Judæorum, tyrannorum et hæreticorum periit, super omnia ubique dominante Christi auctoritate, cui nemo jam præsumit aperte contradicere vel resistere.

Sed quia versutiæ falsorum Christianorum *perambulantium* de vitio in vitium, et perseverantium *in delectis suis* adhuc vigent, ita ut cum Elia possimus dicere : « Adhuc vigent fornicationes Jezabel (*IV Reg.* IX, 22), » *Confringet* Dominus etiam istum *verticem capilli perambulantium in delictis suis*. *Verticem capilli* possumus intelligere inanium quæstionum seu cogitationum versutias. Sunt enim, qui tales minutias calumnariium quærunt, ut et ipsos capillos callida subtilitate scrutari videantur, C quorum stulta et versuta cogitatio, si non fuerit inhibita et confracta, eos perducit ad culpam. Sed *Dominus* ubi et quando ei placebit, *confringet* hujusmodi *verticem capilli perambulantium in delictis suis*. *Confringet* nimirum duros, qui flecti nolunt, sicut alias legitur : « Dominus confregit in die iræ suæ reges (*Psal.* CIX, 5). » At illos, quos invenit flexibiles et convertibiles, ipse convertet. Unde hoc nosti? Ex eo scilicet, quod *Dominus*, qui mentiri non potest, cum sit veritas, ita *dixit:*

VERS. 23. *Ex Basan convertam*, seu *convertar in profundum maris.* *Basan* interpretatur *confusio* vel *siccitas*, quo nomine significantur hi, qui de peccatis suis confunduntur, et inopes atque sicci desiderant *pluviam voluntariam*. De his *dixit Domi-* D *nus : convertam, convertam* sive *convertar*, quia tales ad se convertit, et ad tales ipse convertitur.

Quidam codices habent : *Convertam in profundo maris*, quod est dicere : Illos etiam *convertam* qui sunt *in profundo* vitiorum per enormitates multorum criminum sic obtuti, velut *in profundo maris* positi sub magnis et amaris marinis fluctibus. Tales figuravit Jonas in ventre ceti positus, qui de profundis hujusmodi ad Deum clamans aiebat : « Fluctus tui super me transierunt, et ego dixi : Expulsus sum ab oculis tuis. Abyssus vallavit me, et pelagus cooperuit caput meum. Terræ vectes conclusserunt me. Putas, videbo templum sanctum tuum? Sed sublevabis de corruptione vitam meam (*Jonæ.* II, 4, et seqq.). » Sic orantem *in profundo maris* Dominus exaudivit, ac de ventre ceti eripuit. Sic etiam adhuc exaudit de profundis clamantes ad se, ut adimpleatur quod *dixit* ipse *Dominus : Ex Basan convertam, convertam in profundo maris.* Vel sicut alii codices habent : *Convertar in profundum maris*, id est, etiam ad eos liberandos, qui desperatissimi videntur, eo quod sint ipsi *profundum maris*, dicti propter profunditatem suæ amaritudinis. Talis fuit rex Manasses, quando veri Dei contemptor, idololatra effectus implevit Jerusalem sanguine innocentium usque ad os : sed postea in Babylonem ductus in ipsa captivitate pœnitentiam agens quasi de profundo maris ad Deum clamavit, et Dominus *ex Basan convertit* eum. Babylon quippe sicut et Basan suo nomine significat hujus mundi confusionem. Et ipsa Babylon profundum maris dici potest, quoniam et Isaias contra Babylonem locuturus prætitulat « onus deserti maris (*Isa.* XXI, 1); » et postea subnectit : « Facta est mihi Babylon in miraculum (*ibid.*, 4.) » Item : « Cecidit, cecidit Babylon (*ibid.*, 9). » Quibus dictis onus deserti maris et onus Babylonis unum idemque significat esse, quamquam seorsum tractet de utroque, primum videlicet de onere Babylonis, postea de onere deserti maris. Quos ergo Dominus *ex Basan* convertit, hos de Babylone sive de profundo maris convertendo eripit.

In Hebræo sic legitur : *Dixit Dominus : Ex Basan convertam, convertam de profundis maris.* Unde constat, Latinum de Græco interpretantem et Hebraicæ veritatis ignarum, vel errasse vel casum accusativum pro ablativo posuisse, ut cum dicere debuerit, *convertam de profundo maris*, diceret *in profundum maris*. Vitiose ergo obtinuit usus ut cantetur : *Convertam in profundum maris*, cum et Hebraica veritas dissonet, et correctiores codices habeant : *Convertam in profundo maris*, id est, illos qui sunt *in profundo maris*. Ubi autem legitur : *Convertar*, bene est *in profundum maris*. *Convertitur* enim Dominus etiam ad eos aliquoties liberandos, qui sunt, quasi *profundum maris*, turbidi nimis et amari atque a luce, quæ superficiem maris illuminat, penitus alieni, ob nequitiam profundam nimis et turbidam. De talibus convertendis vix haberi posset fiducia, nisi quod *Dominus*, qui mentiri non solet, *dixit : Ex Basan convertam in profundo maris*, vel *de profundo maris*, vel *convertar in profundum maris*. Et notandum non eos convertendos, qui glorientur in malitia sua, vel qui saturati et pleni sibi videntur : sed qui secundum nomen *Basan*, quod est *confusio*, vel *siccitas*, de peccatis suis confunduntur pœnitendo, et sicci sunt esuriendo ac sitiendo justitiam, propter cujus anhelant inopiam, suam semper attendendo siccitatem, quæ nisi desursum accipiat *pluviam voluntariam*, non potest ferre fructum a semetipsa. Sequitur :

VERS. 24. *Ut intingatur pes tuus in sanguine : lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.* In his dictis Propheta conversus ad Dominum quasi præsentem alloquitur, ac si dicat : O Domine, auditu auris interioris audivi te loquentem : *ex Basan convertam de profundis maris.* Et vere verum dixisti tu Veritas, quoniam ita quos volueris convertes, *ut intingatur pes tuus in sanguine*, id est, ut fiant ipsi pes tuus portando Evangelium, portando te Verbum incarnatum, te caput suum suis bonis dictis extollendo, et in orbe terrarum circumferendo usque ad sanguinem, et ita conversi ex inimicis fiunt *lingua canum tuorum*, non illorum, de quibus Apostolus : « Cavete, » inquit, « canes (*Philipp.* III, 2), » qui sunt canes alieni; sed *canum tuorum*, tibi scilicet fidelium, pro custodia domus tuæ latrantium, et de micis mensæ tuæ libenter edentium. Propterea non dico solummodo *canum*, sed addo : *tuorum*, neque dentes eorum commemoro, quibus fiunt vulnera, sed *linguam* laudo, qua linguntur et curantur ulcera et vulnera, secundum quod scriptum est de Lazaro, quod « canes veniebant, et lingebant ulcera ejus (*Luc.* XVI, 21). » Bona est hæc *lingua canum*, quam et antiquum commendat mysterium, ubi legitur, quod Gedeon dux Israel repudiatis cæteris eos tantummodo ad victoriosum prælium duxit, qui lingua sua, ut canes, aquam lambebant, quorum numerus usque ad trecentos multiplicatus crucis notat sacramentum propter T litteram, quæ trecentos significat, et sua figura crucem repræsentat, cujus victorioso vexillo triumphant omnes, qui fidem Sanctæ Trinitatis opere servant, et verbo tanquam manu et lingua, sicut illi trecenti commilitones Gedeonis manu ad os projiciendo aquam et lingua more canum lambendo eam, pulchre illos præfiguraverunt, qui opere simul et verbo se in Scripturis exercendo bibunt aquas sapientiæ. (*Judic.*, VII, 5). Quod sane tunc fit mirabilius, quando *ex inimicis* Dei malis fiunt *canes* Dei boni, *ab ipso* videlicet, cujus prius erant *inimici*, et postea facti sunt amici, non aliunde, nisi ab ipso.

Mira velocitas apostropharum! Prius locutus est auditoribus de Domino dicens : *Dixit Dominus : ex Basan convertam, convertam in profundum maris*, et mox ad ipsum Dominum conversus quasi præsenti loquitur dicens: *ut intingatur pes tuus in sanguine, lingua canum tuorum ex inimicis.* Atque iterum conversus ad auditores, ne mirentur unde hoc factum sit, quod, cum prius fuerint *inimici* Dei, nunc dicantur *canes* ejus, annuntiat hoc factum esse *ab ipso*, ne quis glorietur in suo libero arbitrio aut in sua virtute, sed qui gloriatur in Domino glorietur, quoniam *ab ipso*, et non aliunde, salus est, qui et dicit : Salus populi ego sum.

In Hebraica veritate sic legitur : *Ut calcet pes tuus in sanguine : lingua canum tuorum ex inimicis* A *a temetipso.* Pro secunda igitur persona in Hebraico posita Latinus interpres ponit tertiam, dicens auditoribus hoc totum bonum ex inimicis conversorum esse ab ipso Deo. Et rursum conversus ad Deum quasi præsentialiter loquitur ad eum dicens :

VERS. 25. *Viderunt ingressus tui, Deus.* Atque iterum conversus ad auditores dicit de Deo : *Ingressus Dei mei, regis mei, qui est in Sancto.* Super hunc locum beatus Gregorius papa (17) dicit : « Quid hoc loco canum nomine, nisi sancti doctores vocantur, qui fidelium in sancta Ecclesia custodes exstiterunt? Qui dum pro Domino suo diurnis nocturnisque vigiliis intenti clamaverunt, magnos, ut ita dixerim, latratus prædicationis dederunt. B Nonnulli quippe ab idolorum cultibus revocati facti sunt prædicatores Dei. Lingua ergo canum Ecclesiæ ex inimicis prodiit, quia conversos gentiles Dominus etiam prædicatores fecit. Unde et Judæorum tarditas, qui pro Deo loqui noluerunt, increpante Propheta reprehenditur, qui ait : « Canes « muti non valentes latrare. »

Dubitanti autem et sciscitanti quare isti canes in suo latratu minime trepidarent etiam inter pericula passionum, hoc sit notum quia tuis, o Christe, provocati sunt exemplis, quoniam *viderunt ingressus tuos*, vel *tui, o Deus*, ut sit genitivus casus *tui. Viderunt* primitus apostoli, quibus dictum est · « Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis (*Luc.* X, C 23) : » deinde post apostolos etiam canes tui ex inimicis gentilibus conversi *viderunt gressus tuos*, vel *tui*, quomodo videlicet *ingressus* in hunc mundum propter veritatem et justitiam, propter Patris obedientiam, propter fidem veritatis in toto mundo plantandam faciens et docens bona, sustinuisti a malis multa mala. *Viderunt* primo *ingressus tuos*, quibus ingressus es viam sanctæ obedientiæ per incarnationis humilitatem, egressus de secreto cœli et ingressus hunc mundum sicut dixisti : « Exivi a Patre, et veni in mundum (*Joan.* XVI, 28). Deinde iterum *viderunt ingressus tuos*, quibus relinquens mundum et vadens ad Patrem placuit tibi contumelias pati, et ita per contumelias et opprobria intrare in gloriam tuam. *Viderunt*, inquam, tales D *ingressus tuos*, et inde provocati exemplis tuis, etiam ipsi contendentes intrare per augustam portam tuæ imitationis, elegerunt inhærere vestigiis tuis.

Moraliter etiam quisquis inordinatos motus animi deviantis judiciorum Dei memoria in se reprimi conspicit, quasi in se deambulantis Domini gressus videt. Cujus videlicet *ingressus* ad mentem dirigit primo gressus intentionis, dein actionis, ita ut invisibilis ejus ingressus innotescat per opera bona forinsecus. Qui autem hæc vident et ob hoc amant et glorificant auctorem talium operum Patrem nostrum, qui in cœlis est, etiam de ipsis dici potest quod *viderunt ingressus Dei mei, Regis mei qui est*

(17) Lib. XX, Moral., cap. 6.

in sancto quolibet bene operante, vel in *sancto* quolibet opere, sine quo nihil est validum, nihil sanctum.

Quod si vos, auditores, vultis scire de cujus ingressibus loquar ego David, annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quoniam ago de ingressibus *Dei mei, Regis mei, qui est in sancto. Dei mei*, qui creator est omnium, et *Regis mei*, qui creata omnia gubernat naturas rerum conservando, vitia damnando, virtutes glorificando, dum et naturis administrat perpetuitatem essentiæ, vitiis quoque dispensat mensuram pœnæ vel emendatoriam vel peremptoriam et virtutibus gloriam. Sic se habet regimen *Regis mei, qui est in sancto*, quia Verbum Dei Deus regens cuncta est *in sancto* Patre, sicut ipse Filius mundum ingressus ait : « Ego in Patre, et Pater in me est (*Joan.* XIV, 10). » Vel est *in sancto* corpore suo ex Virgine sancta genito per ipsum Spiritum sanctum concepto, et ideo principaliter ac singulariter super omnia sancta *sancto*, ita ut recte dicatur Sanctum sanctorum : Ideoque ait angelus ad Mariam : « Quod nascetur sanctum ex te, vocabitur Filius Dei (*Luc.* I, 35). » De hoc *sancto* corpore alibi dicitur ad Patrem : « Non dabis sanctum tuum videre corruptionem (*Psal.* XV, 10). » *In* hoc *sancto* corpore, quia corporaliter inhabitat omnis plenitudo Divinitatis, recte dico de Deo meo, Rege meo, *qui est in sancto*, quia cum tota Trinitas plene habitet in corpore illo *sancto*, Verbum tamen, cui corpus illud mediante rationali anima est personaliter unitum, ita ut illud sanctum juxta præconium angelicum recte ac vere vocetur Filius Dei, specialius quodammodo, imo supra omnem modum est *in sancto* corpore illo, cui non ad mensuram dedit Deus Spiritum sanctum.

Præterea etiam sic Deus meus idemque Rex meus Dei Filius *est in sancto*, templo videlicet sancto suo, quod est Ecclesia, ut extra illam nihil inveniatur sanctum. Et quia, ut supra in hoc ipso psalmo dictum est, *Deus in loco sancto suo unius moris homines facit unanimes habitare in domo*, ubicunque, in quacunque domo ista unanimitas unius moris, unius charitatis, unius religionis, unius disciplinæ invenitur, absque dubio constat, quod illic est beata præsentia *Dei mei, Regis mei, qui est in sancto* hujuscemodi fratrum spiritualium collegio, creans per se invisibiliter et regens per se quidem invisibiliter, per vos autem vicarios visibiliter hunc talem currum suum, qui si etiam decem millibus multiplex invenitur ex diversitate personarium seu charismatum, tamen quia unanimis est in charitate, in una fide, in una spe, unus spiritus, unum corpus, unum cor et animam unam habendo in Deo, recte numero singulari dicitur sanctus iste *currus Dei multiplex*, pariterque simplex et multiplex : multiplex, propter diversitates charismatum, quas dividit Spiritus unicuique, prout vult ; simplex propter unum bravium, quo tendit omnis cursus curruum talium, quod, etsi multi sint accepturi quos *Dei mei, Regis mei*, et præscientia præordinavit et prædestinatio præparavit : attamen propter unitatem cordium in id ipsum tendentium bene ac vere dicitur, quod « unus accipit bravium (*I Cor.* IX, 24). » Adhuc autem et illud sine dubio constat quod, licet non sit sanctus, ut est Dominus, tamen in quolibet sancto suo membro, licet minimo, licet ab hominibus despecto et neglecto, ut fuit Lazarus, præsentialiter est ipse rex meus et Deus meus, qui est in omni sancto. Unde et dicet : « Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis (*Matth.* XXV, 40). » Item advocans ante se parvulum dixit : « Si quis receperit unum parvulum talem, in nomine meo, me suscipit (*Matth.* XVIII, 5). » Cum ergo hæc sit sententia non prophetæ, non apostoli, quibus utique in Spiritu veritatis loquentibus omnino credendum est, sed ipsius *Dei mei, Regis mei, qui est in sancto*, multo gratantius est recipienda, et ex ejus veraci enuntiatione ipsius *Dei mei, Regis mei* præsentia in quolibet *sancto* suo, licet minimo, minime dubitanda est adesse.

Quanto magis igitur in principibus illis, quos idem Rex meus constituit principes super omnem terram præsens est ipse, regens eos in virtute sua? In qua denique, nimis confortato principatu eorum,

VERS. 26. *Prævenerunt principes* isti alios *Dei mei, Regis mei* sequaces, quoniam sicut ipsi primi oculis beatis *viderunt ingressus Dei mei, Regis mei* : sic et ipsi primi post ipsum ingredientes viam obedientiæ *prævenerunt* alios ipsorum exempla secuturos. Unde non mirum quod *lingua canum* Dei *ex inimicis ab ipso* est formata et usque ad sanguinem confortata, quæ non solum ipsius *Dei mei, Regis mei*, sed et *principum ejus* et exemplis informata et auctoritate munita, ipsius favente gratia, potuit superare adversa. Ergo quidem *principes* primo *videntes ingressus Dei mei, regis mei*, primi et soli post ipsum ingredientes alios *prævenerunt*, sed non soli ad ipsum pervenerunt, quoniam ipsis præcedentibus in via justitiæ, in arcta semita obedientiæ multi, per ipsos crediderunt, et non solum in psalterio decachordo, lege Moysi spiritaliter intellecta, psallere, sed et in tympano Evangelii tympanizare didicerunt, viri scilicet cum feminis, juvenes et virgines, senes cum junioribus, Judæi primum, et Græci postea, *curru Dei decem millibus multiplice* currente usque ad ultimum terræ. Propterea ego David in spiritu prophetiæ futura quasi præterita enuntiando, quasi factum narro et in ore psallentium quotidie in Ecclesiis revera factum indico, quod ipsi principes in acie Christi *Dei mei, Regis mei* principales ac primi triumphales milites *conjuncti* sunt *psallentibus*, bonorum operum chordis et organis Deum glorificantibus, *in medio juvencularum tympanistriarum*, quia nec ad litteram sexus femineus excluditur ab isto choro psallentium, dum se in bonis operibus exercent, tympanizantium, dum se a concupiscentiis malorum operum coercent ; in quarum medio quasi columnæ honorabili ministerio fungentes, et totam domum fulcientes positi sunt *principes* isti, secundum quod di-

citur alibi : « Qui vicerit, faciam illum columnam in templo meo (*Apoc.* III, 12). » Item : « In medio Ecclesiæ aperiet os ejus (*Eccli.* XV, 5). » Item ipse Dominus et Princeps principum istorum de se dicit : « Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat (*Luc.* XXII, 27). » Cum ergo dicuntur *principes* isti esse *in medio juvencularum*, significatur honorabile ministerium, quo ipsius principum Principis Christi observant mandatum et exemplum. Nam cum suis discipulis ipse taliter ministrasset lavando pedes eorum dixit eis : « Exemplum dedi vobis, ut et vos ita faciatis (*Joan.* XIII, 15). »

Possunt quoque *juvenculæ* dici Ecclesiæ novæ sive fragiles personæ ad Deum noviter conversæ, quæ tunc laudabiliter tympanizant, cum tanquam siccato et extenso corio carnem suam crucifigunt cum vitiis et concupiscentiis, extensis omnium membrorum nervis in ligno Dominicæ crucis, dum juvenculæ singulæ desiderant comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas et profundum crucis, in latitudine charitatis longanimi perseverantia, in profundo fidei ac timoris, in alto spei et ad superna jugi desiderio.

Diapsalma. Incipit *pars quinta*, in qua tractatur de confirmatione hujus boni cœpti hoc modo :

VERS. 27. *In Ecclesiis benedicite Deo.* Supra memoravimus, quod *dixit Dominus : ex Basan convertam*, et hujus dicti efficaciam pluribus modis ostendimus : videlicet *in lingua canum ex inimicis* conversis formata, et usque ad sanguinis effusionem, quo pedes evangelizantium tincti sunt, confirmata ; dein in principibus istos canes prævenientibus ; dein in choro psallentium ac juvencularum tympanistriarum. Ut autem hæc tanta bona de die in diem proficiant nec deficiant, vos principes, vos boni canes, vos psalmistarum ac *tympanistriarum* chori non in synagogis Judæorum, non in conventiculis hæreticorum seu schismaticorum, non in sectis perditionum, sed *in Ecclesiis benedicite Deo.* Nolite gloriari quasi non acceperitis dona gratiarum quæ habetis, sed in gratiarum actionibus *benedicite Deo* Patri, *Domino* Filio, ex quibus ambobus procedit in vos ille Spiritus, qui adjuvat infirmitatem vestram, ut ex virtute non vestra, sed ipsius inveniamini laudabiles principes vel psalmistæ vel tympanistriæ, sive aliud membrum Ecclesiæ, in qua cum sint principes fortes *in medio juvencularum tympanistriarum*, satis apparet non esse ullam discordiam membrorum ejus, ut vel maximi minimos despiciant, vel minimi maximis invideant. Non dicunt oculi pedibus : Non estis nobis necessarii, quoniam sicut unius humani corporis membra multa, non eumdem actum habentia, reguntur anima una, ut non sit schisma in corpore : sic et in Ecclesiis diversarum professionum, verbi gratia prophetarum, apostolorum, martyrum, confessorum, virginum, innocentium, pœnitentium, continentium, conjugatorum, prælatorum, subditorum, clericorum, monachorum, viduarum Spiritus unus est, procedens a Patre ac Filio, qui omnia Ecclesiæ membra vivificat, quique in una Ecclesia Catholica multas Ecclesias distinguit pro diversitate charismatum, in quibus omnibus *Deus Dominus*, Deus Pater, Dominus Filius agente hoc amborum Spiritu benedicitur, quem animales hunc spiritum non habentes, imo semetipsos ab hoc Spiritu et ejus templo segregantes, etsi ore benedicunt, moribus et actibus blasphemant. Ideo vos psalmistæ ac tympanistriæ non in qualibuscunque conventiculis psallatis vel tympanizetis, verum in sanctis *Ecclesiis*, in ordinibus et cœtibus ecclesiasticis ecclesiastica disciplina informatis.

Ac ne in talibus eligendis et cognoscendis fallamini, eas tantum veras Ecclesias agnoscite, quæ de fontibus Israel profluxerunt. Apostoli enim, qui Ec-
B clesias per orbem terrarum ordinaverunt, ipsi fontes Israel fuerunt, quia de populo Israel ad hoc electi sunt, ut de ventre ipsorum fluerent aquæ vivæ primitus ad irrigandam primitivam Ecclesiam, deinde ad Ecclesias multas in gentibus plantandas et irrigandas. Successerunt postea cisternæ aquas continere non valentes, id est doctrinæ a doctrinis apostolicis dissidentes, inter quas etiam computare possumus illam clericorum regulam non in Ecclesia, sed in aula regis dictatam, qua congregationibus clericorum primo de fontibus Israel propinat sacratissima communis vitæ documenta, quibus recte informatur cœnobialis disciplina, sed postmodum indulgens quædam his contraria quasi de aqua putida
C corrumpit omnia priora pocula de fontibus Israel hausta. Leguntur enim inter cætera illic Patrum sana documenta, etiam sermones beati Augustini, in quibus recitata ex Actibus apostolorum lectione, qua narratur multitudinis credentium cor unum et anima una fuisse, nec quidquam eorum aliquem suum dixisse. His dictis de Actibus apostolicis quasi de fontibus Israel sumptis ipse beatus Pater annectit sua item de fontibus Israel derivata, quibus aptissime ordinatur vita cœnobialis clericorum viventium secundum formam de Actibus apostolorum, quasi de fontibus Israel sumptam. Dicit enim inter cætera : « Nulli in societate nostra licet habere aliquid proprium ; si qui habent, faciunt quod non licet. » Cum hæc et similia sanæ doctrinæ pocula de fonti-
D bus Israel sumpta sint in illa regula simul aggregata, nescio de qua cisterna mortifera illud hauritur, quod, post multa interdicta proprietatis, ipsa proprietas ejusdem regulæ professoribus indulgetur, et, post ordinatas claustri officinas communi vitæ congruas, etiam propriæ ac privatæ mansiones conceduntur, tanquam si pretioso indumento pannus vilissimus assuatur.

Sed esto : maneant ut volunt : non eos omnes damnamus, cum ex ipsis agnoscamus aliquos, licet paucos, esse ita disciplinatos ut, licet habeant propria, quasi non habentes habeant ea, et studeant in sectanda morum disciplina. Qui mihi similes videntur currentibus velociter, sed extra viam suo cursui destinatam, quia videlicet non tenent regulam

suæ conversationi propositam, et cum sint ipsi sapientes, libenter aut nimis patienter in suo cœtu sufferunt insipientes; cum sint ipsi casti, patienter sufferunt interdicta officia manifeste incestuosorum presbyterorum, diaconorum, subdiaconorum. Cumque, ut sibi videtur, vivant ipsi ordinate, non se subtrahunt ab omni fratre ambulante inordinate, ut monet

VERS. 28. *Benjamin adolescentulus.* Imo cum ipse dicat: *Nolite communicare infructuosis operibus tenebrarum, magis autem redarguite*, ipsi talibus communicant et minime redarguunt. Neque vero tutum sibi putant infringere antiquum proverbium, quo dicitur: « Inter arma silent leges, » cum indisciplinati fratres, parentati, clientibusque gladiatis undique stipati suo terrore se increpare debentibus indicant silentium. Novimus pro tali causa inflicta vulnera, perpetrata homicidia, sicut in Ecclesia Halverstatensi contigit, ubi a militibus præpositi unus e fratribus ob hoc in refectorio fuit occisus, quia de quadam exordinatione contra præpositum fuerat locutus.

Itaque, spretis hujusmodi synagogis Satanæ, ubi paucitas bonorum obruitur multitudine malorum, volentibus pure Deum benedicere, tute recteque in hoc psalmo consulit Spiritus sanctus dicens: *In Ecclesiis benedicite Deo Domino. In Ecclesiis*, dico, super apostolicæ disciplinæ petram fundatis, eorumque doctrinis quasi de fontibus Israel irrigatis. *In talibus Ecclesiis benedicite.* Quia *ibi* servatur apostolica doctrina per apostolum Paulum, Doctorem gentium præcipue in gentibus dilatata, qui quoniam de tribu. Benjamin natus legitur, dico fuisse *ibi Benjamin adolescentulum*, qui postremus omnium apostolorum fuit vocatus, qui etiam fuisse *adolescens* commemoratur in Actibus apostolorum, ubi testes falsi stantes contra Stephanum narrantur deposuisse vestimenta sua « secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus (*Act.* VII, 58), » a Saule impio rege denominatus, quasi *Benoni*, id est filius doloris. Hic postea Paulus, id est humilis et modicus a Paulo proconsule, quem convertit, agnominatus *Benjamin*, hoc est, *Filius dexteræ* convenienter nominatus, et licet novissime vocatus, primus tamen fontibus Israel insigniter est adnumeratus, cum hic dicitur: *Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu*, id est in stupore mentis omnium dicentium: « Nonne hic est, qui ad hoc venit, ut expugnaret nomen et istud? » (*Act.* IX, 21.) Vel stupore ac pavore mentis suæ, quando a Domino in via percussus pavidus ac stupidus factus est, qui et postea fuit *in mentis excessu*, id est in extasi, tunc videlicet, quando nesciens utrum in corpore an extra corpus, raptus est in tertium cœlum, et audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.

Licet autem solus iste nominetur Doctor gentium, tamen ubi ille ordinavit choros in Ecclesiis psallentium, et juvencularum tympanistriarum, ibi etiam cum eo sive in spiritu sive in corpore adfuerunt et alii principes populorum, videlicet *principes Juda, duces eorum*, scilicet, qui sunt in ipsis Ecclesiis. *Principes Zabulon, principes Nephthalim.* Has tribus ideo commemorat, quia forsitan apostoli ex illis tribubus erant. Quod tamen quia nusquam certa relatione alicujus authenticæ scripturæ narratur, ex qua videlicet tribu fuerit quisque apostolorum, sicut Paulus apostolus indicat se de Benjamin fuisse genitum, placet magis per nomina cæterarum tribuum hic posita illud attendere, quod ex interpretatione accipitur et cunctis apostolis eorumque sectatoribus viris apostolicis convenientissime adaptatur. Nam *Juda confessio, Zabulon habitaculum fortitudinis, Nephthali dilatatio mea* interpretatur: quæ omnia Ecclesiarum principibus, et præcipue post apostolos conveniunt sanctis martyribus. In martyrio namque prima virtus est non negare, sed confiteri fidem catholicam et apostolicam, propter quam si quid infertur adversi, assumitur fortitudo. Inde vero finitis adversis latitudo sequitur in præmio non solum in futura, sed etiam in hac vita plerumque, sicut ille persensit, qui Deo dixit: « In tribulatione dilatasti mihi (*Psal.* IV, 2). »

Aliter: *Principes Juda*, ipsi primi confessores, sancti apostoli sunt, quorum confessionis sonus exivit in omnem terram et in fines orbis terræ verba eorum. *Principes Zabulon* ordo martyrum sanctorum est, qui in confessione catholicæ fidei usque ad mortes innumeras agonizantes tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia, fortiter dimicantes, et sua fortitudine ac patientia idololatriæ monstrum enorme debellantes. *Principes* vero *Nephthalim* sancti pastores et doctores sunt, qui in pace degentes Ecclesiæ, post tribulationem martyrii dilatatæ, duces Dominicorum gregum lupinam hæreticorum rabiem a Christi ovilibus arcent, doctrinis invigilant, familiam Dei blanda quiete componunt.

Non solum autem in martyrio, vel in tribus jam dictis ordinibus servatur hic ordo confessionis, fortitudinis, dilatationis, verum et in omni recto proposito cujusque religiosæ conversationis, in cujus initio fit sanctæ alicujus disciplinæ professio non ex novis adinventionibus incipientium, sed sicut antiquitus ordinaverunt *principes Juda, duces eorum*, verbi gratia, Petrus apostolus, et post ipsum beatus Augustinus, *duces* clericorum, Joannes Baptista solitarius et post ipsum beatus Benedictus, *duces* monachorum. Facta igitur hujuscemodi professione quasi præcedente *Juda*, sequitur *Zabulon* dictus *habitaculum fortitudinis*, quia necessaria est fortitudo, ut angustam viam ingressi non lassentur in tentationibus vel tribulationibus, quibus inchoantes probantur et exercentur, sic autem probatis et exercitatis, quia jugum Domini suave et onus ejus leve fit, cum via mandatorum et consiliorum Dei angusto calle cœpta ex ipsa bene vivendi consuetudine voluntaria devotione curritur, *Zabuloni* adjun-

gitur *Nephthalim*, quod interpretatur *latitudo*, in qua positus fidelis cursor discit cantare : « Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatares cor meum (*Psal.* CXVIII, 32). » Item : « Cum invocarem te, exaudisti me Deus : in tribulatione dilatasti mihi (*Psal.* IV, 2). »

Bene autem *Benjamin adolescentulo*, Paulo videlicet apostolo nunc *mente* Deo *excedenti*, nunc gentibus, quorum Doctor fuit, sobrio, etiam tribus *Juda* cæterarumque tribuum *principes* associantur, quoniam et ipse Paulus apostolus, nolens esse in doctrina sua singularis, ascendit Jerosolymam ad Petrum et reliquos apostolos, et contulit cum illis Evangelium, quod prædicabat in gentibus, ne forte in vacuum curreret aut cucurrisset, si ab eorum doctrinis ejus doctrina discrepans inveniretur. Propterea etiam, qui videbantur columnæ esse dextras dederunt societatis ipsi et Barnabæ ad prædicandum Evangelium pari modo in gentibus, quomodo et ipsi prædicabant in circumcisione (*Gal*, II, 9). Hic ergo *adolescentulus*, licet suamet professione apostolorum minimus, tamen plus omnibus laborando Principi apostolorum sic est coæquatus, ut hi duo quasi duæ olivæ ac duo candelabra non impari gratia splendoris illuminent Ecclesiam, cujus in apice quasi lumen gentium duorum oculorum in capite urbem Romam simul ambo tenent, ubi et corpora eorum non sunt separata, sicut et in cœlis merita ipsorum creduntur coæquata. Ibi ergo *Benjamin adolescentulus*, et cum eo *princeps Juda* Petrus principali confessione Christum confessus dicens : « Tu es Christus Filius Dei vivi (*Matth.* XVI, 16), » et post trinam negationem trina divini amoris confessione purgatus, et illustratus. Quia vero Princeps apostolorum Petrus non pro se tantummodo, sed etiam pro condiscipulis Christum Dei Filium est confessus, et ipsi una cum illo dici possunt *principes Juda*, *duces eorum*, qui post ipsos recipiunt et ex tunc receperunt ejusdem confessionis fidem, sectanturque fidei huic aptam conversationem in tanta operis fortitudine, quantam exigit nomen *Zabulon*, et in tanta charitatis latitudine, quantam nomen *Nephthalim*. Tribus quippe his nominibus *Judæ*, *Zabulon* et *Nephthalim*, exprimitur fides, per dilectionem operans, quam et ille *Benjamin adolescentulus* in suis epistolis valde commendat, et omnis apostolica doctrina evidenter insinuat, ita ut confessio *Judæ* sit in fide, fortitudo *Zabulon* cognoscatur in opere, simulque in spe, quæ de boni operis bona conscientia efficitur firma ; latitudo vero ex nomine principum *Nephthalim* charitatis est præceptum : qua si diligamus invicem, sicut et Christus dilexit nos, etiam usque ad inimicos diligendos dilatati erimus etiam nos, etsi non *principes Nephthalim*, tamen principum illorum sectatores, qui hujus fidei per dilectionem operantis exempla nobis præbuerunt. Imo et ipsius Christi hanc dilectionem suo documento pariter, et exemplo demonstrantis erimus non tam servi, quam amici, « quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus (*Joan.* XV, 15), » nos autem scientes non humana, sed divina virtute impleri posse talia fidei, spei ac dilectionis mandata per Filium Dei nobis ostensa, conversi ad Patrem ipsius ex tota devotione illi dicimus :

VERS. 29. *Manda, Deus, virtuti tuæ.* O Deus Pater, quia tu scis in nobis nihil esse virtutis ad agendum quæ præcipis, aut consulis, *Manda virtuti tuæ*, id est Filio tuo, qui *virtus* est *tua* per naturam, et *virtus* tuorum per gratiam, quoniam ex quo hæc virtus tua infirmata est in manibus inimicorum tuorum, virtus crevit amicorum tuorum, qui ex eo convaluerunt de infirmitate fortesque facti sunt in bello, quod habuerunt fidem : veteres de *virtute tua* per incarnationem infirmanda, novi de hac ipsa per passionem infirmata, una fide in utrisque manente, per quam vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones. Hæc virtutum clara opera humanis viribus homines facere non potuissent, nisi tu, Deus, mandasses *virtuti tuæ*, sive, ut dictum est, Filio tuo sive Spiritui sancto in eis et per eos talia facere, qualia nemo potest absque tua virtute. Etenim et spiritus tuus virtus tua est, qui et *virtus* Altissimi dicitur, et *virtus* de Filio tuo exiens intelligitur, « quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes (*Luc.* VI, 19). » Qui etiam confortavit ipsos apostolos *principes Juda*, *principes Zabulon*, *principes Nephthalim*, quoniam debiles et infirmi erant, quoadusque induerentur virtute ex alto. Quanto magis nos, fragilis turba juvencularum, sive, ut in Hebræo habetur, *puellarum tympanistriarum*, sumus debiles ad bene tympanizandum, nisi tua virtute confirmemur ad id, prout oportet, agendum secundum exempla jam dictorum principum prius infirmorum, sed postea in tua virtute confirmatorum. Itaque ut et nos agnoscentes infirmitatem nostram, quæ mandas velimus et possimus, ipsumque velle ardens in affectu et posse clarescens in opere sit ad tuam non ad nostram gloriam, non sis contentus ad nos littera instruente ac per hoc occidente, sed *manda virtuti tuæ*, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, sic nos illuminare simulque juvare, ut quæ facienda cognoscimus illa nos illuminante, faciamus etiam eadem nos per Spiritum tuum et suum adjuvante. Sic dicimus conversi ad Deum Patrem.

Et quia omnis qui confitetur Patrem, confitetur et Filium, conversi quoque ad Filium dicimus : *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.* Tu quippe *in nobis*, in nostra scilicet natura Verbum caro factum et habitando *in nobis*, multa mirabilia *operatus es in nobis*, quæ oramus ut confirmes in nobis : verbi gratia, hoc initium signorum tuorum fuit, quo ad manifestandum gloriam tuam de aqua vinum fecisti. *Hoc* idem opus, *quod operatus es in nobis* et propter nos, *confirma in nobis*, ut et nos corruptibiles et velut aqua utribus mortalibus scilicet corporibus infirmis inclusa, nimis ad putrescendum prona, efficiamur vinum novis utribus in corru-

ptione conservandum, quod putrescere ac putere non sinat « incorruptio, » quæ, ut alias legitur, « facit esse proximum Deo (*Sap.* vi, 20). » Item cæcos illuminasti, leprosos mundasti, multitudinem languentium sanasti, vexatos a spiritibus immundis curasti, mortuos suscitasti, et, quod his non minus erat, pauperes evangelizando beatificasti, dicens: « Beati pauperes spiritu, etc. (*Matth.* v, 3). » *Hoc* idem petimus mirabilium tuorum insigne opus, *quod* corporali præsentia tua *operatus es in nobis*, nunc exaltatus in cœlum *confirma* in nobis, cæcitatem nostram [tam] in corpore, quam in anima illuminando, lepram carnis et amplius mentis fugando, nos ad peccatum pronos et ad bene agendum languidos in virtute bonæ voluntatis et actionis roborando, spiritus immundos et malignos, immundarum et malignarum cogitationum suggestores, per gratiam sancti et benigni Spiritus tui procul a nobis pellendo, et in abyssum, unde nunquam ad nos iterum vexandos emergant, eos cum suis et sibi datis porcis mittendo, mortuos quoque nos in peccatis et peccatorum pœnis tibi a mortuis resurgenti conresuscitando, et nunc a morte animarum liberos, posthac autem etiam a mortalitate ac morte corporum liberandos paschalibus gaudiis lætificando, ita ut gaudium nostrum sit plenum. Paupertatem et jam Spiritus, cui regnum cœlorum promittis, quam in tuis discipulis, principibus scilicet *Juda*, principibus *Zabulon*, principibus *Nephtalim operatus es*, operare, quam *et confirma* in nobis. Operare, inquam, omnia hæc, ut usque in finem proficiamus. *Confirma* hæc eadem, ne unquam deficiamus

Aliter : *Manda, Deus, virtutem tuam*, id est, Christum, subaudis : notificari hominibus per jam dictos principes. Vel *manda virtuti tuæ*, id est, fortibus tuis, ut annuntient te in gentibus. Et ne frustra fiat hæc illorum prædicatio, *confirma hoc quod operatus es in nobis*, dando fidem firmam ex auditu eorum. Vel illorum principum dogmata usque in finem sæculi, et usque in fines orbis terræ nuntianda tu *confirma* tua semper gratia cooperante, et sermonem eorum confirmante sequentibus signis miraculorum et operum bonorum, ut et infideles per signa mirabilia convertantur, et jam fideles facti per opera bona magis ac magis confirmari mereantur.

Aliter : *Confirma hoc, Deus*, in gentibus, *quod operatus es in nobis* Judæis, incipiens

Vers. 30. *A templo tuo, quod est in Jerusalem*, id est a Judæis conversis vel apostolis profluente gratia tua per illorum ministerium *a templo tuo quod est in Jerusalem*, secundum quod propheticis visa est oculis aqua de templo egrediens a latere dextro usque ad mare Mortuum (*Ezech*, xlvii). Templum tuum sive corpus Dominicum seu etiam Ecclesia primitiva eidem concorporata nunc est *in Jerusalem*, quæ sursum est. Sed nos gentiles, qui Mare mortuum sumus, de hoc templo egredientem aquam vivam petimus, ut ex ea vivificemur, et in vita sancta confirmemur.

Quod utique non frustra petimus. Nam a templo tuo aqua sancti Spiritus egrediente confirmati, *offerent tibi munera* omnes *reges* terræ, videlicet bene regentes terrenitatem suam. *Vel reges* terræ ad litteram sive spiritales *reges*, quos discernit cœlestis super columbam deargentatis pennis et pallore auri adornatam. Omnes hi *reges offerent tibi munera* non alias nisi in templo tuo, neque aliunde nisi *a templo tuo*, quoniam a Christo accipiunt, quod in Christo tibi Deo Patri offerunt, extra cujus templum, extra cujus corpus et Ecclesiam non acceptabis ullum sacrificium. *Offerent* ergo *tibi reges munera* et in templo tuo acceptabilia et *a templo tuo* accepta. Quid enim boni habemus, quod non ab illo et in illo accepimus, aut quid non boni ab illo et cum illo accepimus? Audi super hoc Benjamin adolescentum : *Qui enim*, ait, « proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? » De tuis itaque donis *tibi offerent reges munera* devotæ servitutis in operibus et moribus bonis, in sacrificio altaris, in laudibus devotis, in psalmis et hymnis, et canticis spiritualibus in disciplina sancta et doctrina sana.

Cui quoniam plurimi obstrepent ferino fremitu, ne ultra modum invalescant voces eorum,

Vers. 31. *Increpa feras arundinis. Feræ arundinis* dicuntur hæretici, quia, ut *feræ*, interdum non intelligendo nocent et aliquando perverse intelligendo Scripturam sanctam, quæ per *arundinem* significatur, corrumpunt. [Antiqui enim scribebant arundine, atque ideo convenienter per *arundinem* intelligitur Scriptura sacra, quam irrident increduli, quales erant illi, qui *arundinem* pro sceptro irrisorio dederunt in manus Christi. Quam tamen ille accepit serio, sciens quoniam inde percussurus esset venenata animalia, et scripturus nomina suorum in libro vitæ ac nomina infidelium in terra, secundum quod scriptum est : « Recedentes a te in terra scribentur (*Jer.* xvii, 13). Item : « Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur (*Psal.* lxviii, 29). » Ergo justorum nomina in cœlo scripturus recte Christus accepit *arundinem*, totius videlicet sacræ Scripturæ habens in semetipso auctoritatem. Cui tamen quoniam *feræ* obstrepunt, recte illi vel ejus Patri Deo nunc dicitur : *Increpa feras arundinis*, hæreticos videlicet corruptores veritatis, quantum in ipsis est. Nam ipsa in se corrumpi non potest.

Nomine quoque *arundinis* recte significantur omnes instabiles, qui omni vento doctrinæ moventur, inter quos plurimum valent hæretici et omnes potius nova quam vera docere studentes, quoniam tales auditores « a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur (*II Tim.* iv, 4). » Propterea vel ego David propheta hæc prævidens, vel ego Psalmista hæc mala instantia præsentialiter videns, conjunctus cæteris psallentibus in medio juvencularum tympanistriarum dico tibi auctor et

amator illius dogmatis, quod expressum est in Scriptura veritatis : *Increpa feras arundinis* emittendo Spiritum veritatis, qui per ora non solum principum et regum prædictorum tibi militantium, tibi munera offerentium, sed etiam canticis tympanistriarum tuarum arguat mundum de peccato et de justitia et de judicio. *Increpa*, inquam, *feras arundinis*, depravatores scilicet Scripturarum veritatis. Et utique necesse est ut increpes illas *feras* pessimas; quoniam sunt inter illas *feras tauri* pingues pingui cervice armati et cornibus terrenæ fortitudinis metuendi præcipue his, qui sunt seductiles et *vaccis* in eo consimiles, quod istos tauros libenter admittunt, et ab eis concipiunt dolorem et pariunt iniquitatem. Iidem ipsi *feræ* sunt atque *tauri*. *Feræ* propter crudelitatem; *tauri* propter superbiæ cervicositatem, quorum *congregatio* est *in vaccis populorum*, id est in decipiendis illis, qui facile seduci possunt, quos pro nimia sensus debilitate Apostolus vocat mulierculas dicens : « Ex his sunt, qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas (*II Tim.* III, 6). » Qui captivas ducunt mulierculas, ipsi sunt *tauri*, qui ipsi alliciunt *vaccas*.

Hoc tamen non sine utili causa permittetur a Deo, sed *ut excludant eos, qui probati sunt argento*, id est, ut qui in eloquiis Dei probati sunt, manifesti fiant. Proprie dicitur : *excludant* pro eo, ut diceretur : *eminere faciant*, quia et argentarii dicuntur *exclusores*, qui de confusa massa exprimunt formam cujusque formosæ imaginis prius in ipsa massa latentis. Nimirum sic et sensus in Scripturis paucorum intellectui cognitos et sub fidei signaculo reconditos ipsi pauci exponunt, et quodammodo *excludendo* parere multitudini faciunt, cum hæretici ex adverso stantes ad hoc eos compellunt. Dum enim pax est Ecclesiæ, sancti quique ac periti litterarum orationibus tantum et bonis operibus vacare student, et ante sanctuarium cœlestium secretorum cum reverentia excubant, neque illius januam pulsant, et in anteriora ejus vel prospicere vel intrare formidant, nisi cum adversantium cogit importunitas, et illos respondendi urget necessitas, maxime cum de altissimo secreto summæ Trinitatis, aut de profundissimo Dominicæ incarnationis mysterio quæstiones moventur, quibus non tam humanæ subtilitatis quam divinæ auctoritatis responsa reddenda sunt per eos, *qui probati sunt argento*, id est, exercitati eloquio divino.

Aliter : *Congregatio taurorum* ad hoc est *in vaccis populorum*, ut ab eisdem vaccis *excludant*, id est, separent eos, *qui probati sunt argento*, id est, qui sunt idonei docere Dei eloquia casta, quæ sunt « argentum igne examinatum, terræ purgatum septuplum (*Psal.* XI, 7). »

Quidam codices habent : *In vaccis bubalorum*, quod in sensu non discrepat; quoniam bubali silvestres boves indomiti sunt, et jugum ferre non consueverunt. Et in talium bubalorum grege plus quam inter domesticos boves lascivæ sunt vaccæ.

A Sic in turbis indisciplinati populi regnat petulantia, quæ a populo Domini et ovibus pascuæ ejus virga disciplinæ amovetur, cum ad instructionem sacræ Scripturæ non solum bubus seu bubalis, sed et *vaccis*, id est, plus inter lascivos lascivientibus jugum Dei suave imponitur. Sic enim boves, ordinante Domino, per Moysen trahebant plaustra in deserto portantia tabulas deauratas, bases argenteas vel æreas, columnas, vectes, cortinas et cunctam supellectilem tabernaculi. Sic et *vaccæ* in libro Regum leguntur arcam Dei traxisse, quæ etiam fetæ fuisse memorantur, et vitulis earum domi reclusis illæ dantes ab intimis mugitus non reflectebant colla Dei arcam trahentia, sed pergebant recta via Bethsames, quod interpretatur *domus solis* (*I Reg.* VI, 12).

B Nonne in sancta Ecclesia videmus nunc adimpleri hæc mirabilia, cum non solum viri, sed etiam feminæ, non solum fortes, sed etiam fragiles in ministerio ecclesiastico trahunt jugum Domini pergentes ad terram promissionis et ad domum veri Solis, ubi Christus est in dextera Dei Patris? Quæ nimirum feminæ, quod plus in illis quam in viris est mirabile, quasi vitulis suis domi reclusis compatiuntur, sed ad eos lactandos non redeunt, cum neque pro affectu filiorum seu consanguineorum religiosæ personæ in sexu quoque femineo deflectunt a via cœptæ religionis, in qua pergentes, et arcam Domini, Christum scilicet per fidem in cordibus portantes, tendunt ad domum æternam æterni Solis, ubi scilicet ipsum Christum Solem justitiæ, quem nunc C portant et non vident, clare tunc videant, et in visione illa æternaliter gaudeant juxta promissum Petri Apostoli dicentis : « In quem nunc non videntes creditis, autem exsultabitis lætitia inenarrabili : reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum (*I Petr.* I, 8, 9). » Non hoc promittitur *vaccis populorum* seu bubalorum, vel etiam *congregationi taurorum*, cum hujus modi vaccis lascivientium, dum adhuc in sua cervicositate seu lascivia durant. Neque enim tales *tauri* vel tales *vaccæ* consueverunt portare jugum sanctæ obedientiæ, imo etiam, quod pejus est, eos impugnare ac perturbare nituntur, qui sub jugo disciplinæ ordinate incedunt, prout possunt.

D Sed licet eos impugnent, ne forte, ut volunt, expugnent, o Domine, qui fortis et potens es in prælio, *dissipa gentes, quæ bella volunt*, quia scilicet student non correctioni sed contentioni. Hæreticos dico, ego David, *gentes* vel propter genera sectarum, ubi series malæ successionis tanquam generatio familiarum confirmat errorem, vel quia vivunt gentiliter ut gentes ad simulacra muta, prout ducuntur, euntes. Quid sunt enim hæreticorum documenta falsa quidem sed verosimilia nisi veræ doctrinæ quædam simulacra? Ducuntur autem ad hujusmodi simulacra vel diabolica suasione vel suæ gloriæ vana cupiditate. Nam hæreticus est, qui propriæ gloriæ ac maxime sui principatus cupiditate novas opiniones aut fingit aut sequitur. Qui autem

hujusmodi hominibus credit, homo est imagine quadam veritatis deceptus. Quia vero hæreticus in hoc distat a schismatico, quod hæreticus impugnat et corrumpere nititur sanctæ Scripturæ unitatem; schismaticus autem scindere laborat catholicæ pacis unitatem, possumus apte per *feras arundinis*, ut jam dictum est, hæreticos notatos intelligere; per *gentes* autem, *quæ bella volunt*, notare schismaticos, vel etiam quoslibet inquietos, qui contentionibus gaudent, sectas faciunt, inter fratres discordiam seminant, concordiam unanimitatis turbant, vinculum pacis et charitatis rumpere laborant, atque ideo semper *bella volunt*, quia in pace firma suas nequitias exercere non possunt. Quibus utique talione decenti optatur et in principio psalmi ut exsurgente Deo dissipentur hi tales inimici ejus, et nunc Deo dicitur: *Dissipa gentes, qui bella volunt.* Nam, quia illi dissipare nituntur fraternæ pacis unanimitatem, recte oratur ut et ipsi dissipentur, quod interdum ipsis malis dissipatis non est malum, semper vero ista dissipatio malorum bonis cooperatur in bonum. Sicut enim utile fuit mare Rubrum dividi, ut pateret via Israeli Ægyptios fugienti, et ad terram promissionis tendenti: sic semper bonis bona est non solum sua concordia sed et malorum discordia, quæ et ipsis malis aliquando erit utilis et occasio correctionis, aliquando vero inutilis, ut illis, de quibus dictum est: « Dissipati sunt, nec compuncti (*Psal.* XXXIV, 16). » Sed hic oratur utilis dissipatio inimicorum Dei, quam consequatur aut ipsorum aut certe aliorum ipsos in bono prævenientium conversio ad bonum. Quod, ego David, prophetans annuntio, dicens:

VERS. 33. *Venient legati ex Ægypto: Æthiopia præveniet manus ejus Deo.* Dissipatis quippe Judæis incredulis et inter gentes deputatis quasi naturali ramo fracto insertus est oleaster, et ex illorum delicto salus gentium provenit, dum illis excæcatis illuminatæ sunt gentes, quarum plenitudine introducta reliquiæ Israel salvæ fient. Quod hoc ordine complebitur: *Venient legati ex Ægypto: Æthiopia præveniet manus ejus Deo.* Sicut prædictum, ita et factum est. Primo *legati* venerunt in Ægyptum, apostoli videlicet missi per mundum universum. Deinde quoque *legati* venerunt etiam *ex Ægypto*, id est, ex tenebris gentium, qualis fuit sanctus Dionysius et beatus Augustinus. Omnes isti *legati* reconciliationis præcones intelliguntur. Unde Apostolus: « Legatione, » ait, « pro Christo fungimur, et tanquam Deo per nos exhortante obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo (*II Cor.* V, 20). » Hujuscemodi *legati* venerunt et *venient*, usque dum plenitudo gentium tota introeat. *Venient* autem non vacui, sed dona ferentes ad Christum *ex Ægypto* sicut quondam regi Salomoni a legatis regnorum multorum ferebantur munera, nominatim vero *ex Ægypto*, unde filiam Pharaonis adduxerat sibi in uxorem. Et illa quidem vocata et quæsita per

A legatos ipsius regis Salomonis venit ad ipsum: nam et in Ægyptum, et *ex Ægypto legati*, venerunt, qui adventui hujus filiæ Pharaonis apparatus congruos fecerunt. Sed regina Æthiopiæ veniens a finibus terræ audire sapientiam Salomonis prævenit hujusmodi legatos et apparatus invitatorios. Ultro venit non vocata hæc regina, cum multo comitatu, in Jerusalem, afferens aurum infinitum et gemmas pretiosas multaque aromata portantibus camelis.

Sic nimirum ad verum Salomonem pacificum regem Christum venerunt et *venient legati ex Ægypto*, legatione fungentes ad ipsum pro filia invisibilis Pharaonis, gentilitate scilicet ipsi desponsanda, cui et dicunt iidem legati: « Audi, filia, et vide,
B et inclina aurem tuam, et concupiscet Rex decorem tuum (*Psal.* XLIV, 11). » Sed regina Æthiopissa, id est, illa gentium turba, quæ se agnoscit magis denigratam peccatis, enormitatem scelerum suorum timens non exspectat vocantem seu legatos vocantis, vel manus ejus trahentis, ut illa, quæ dicit: « Trahe me post te (*Cant.* I, 3); » verum spontaneo adventu suo *præveniet manus ejus* cum Zachæo præcurrens, et arborem sycomorum, id est, lignum crucis ascendens, ut, si fieri potest, videat illum, priusquam videatur in sua nigredine. Sic in typum ejus mulier peccatrix non vocata venit ad ipsum retro accedens tanquam videre ac tangere desiderans et videri timens, videndi avida et, ne videretur, pavida. Sic
C item in ejus figuram, quasi fasciculus primitiarum de gentibus, venit ultro non vocata per apostolos aliosve legatos illa mulier Chananæa, urgente illam sua miseria. Unde et clamans dixit: « Miserere mei, Domine fili David: filia mea male a dæmonio vexatur (*Matth.* XV, 22). » Et tu ergo quicunque cujus filiam, id est, animam vel propriam vel tibi commissam vexat dæmonium variis passionibus tentationum seu tribulationum, curre ultro ad medicum præveniendo faciem ejus in confessione, ut etiam sibi congruat, quod hic dicitur: *Æthiopia præveniat manus ejus Deo.* Quomodo *præveniet?* per ultroneam conversionem et vitæ veteris ac nigræ innovationem et candidationem, latenter tamen ipsa prius præventa in prædestinatione seu etiam
D sancti Spiritus instinctu misericordissimo. Unde et dicitur: « Misericordia ejus præveniet me (*Psal.* LVIII, 11). » Quas autem Dei manus *Æthiopia præveniet? Manus* utique victrices et vindices, quibus percuti pavens et cavens ultro venit in deditionem legatos non exspectans, sed legationem mittens et rogans ea quæ pacis sunt adhuc illo longe agente, cui cum viginti millibus venienti, id est, cogitationum et actionum rationes exigenti nos etiamsi decem millibus, id est, bonis actibus muniti obviamus, resistere non valemus, quoniam duplo superatur ab illius exercitu noster exercitus. Quid ergo restat, nisi ut *Æthiopia*, id est, anima peccatis nigra, *manus ejus præveniat* præoccupando faciem ejus in confessione ac peccatorum condigna emen-

dalione, ne *manus* ferientis et vindicantis incidat, A quas effugere non valent, qui nimium sero, hieme scilicet aut Sabbato fugam ineunt, qualibus in principio psalmi dicitur: *Fugiant qui oderunt eum a facie ejus?* Fugient quidem illi sed non effugient, quia lucem, quam lippi eorum oculi oderunt, evitare non poterunt. Fugient ergo tunc inimici Dei a facie ejus, a qua nollent videri et quam non dulce habent videre : sed neque aspectum, neque manum ejus poterunt effugere. Hoc prænoscens *Æthiopia* nunc, dum tempus est fugiendi, prævenit *manus ejus* vindices fugiendo non ab ipso ut inimici; sed ad ipsum, ut ex inimicis fiant amici. Prævenit ergo *manus ejus Deo*, ipsi per fidem inhærendo.

Aliter : *Æthiopia præveniet manus ejus*, scilicet B Æthiopiæ. Quæ relatio ex Græco intelligi potest, ubi *ejus* relativum pronomen hoc loco invenitur feminini generis, ut sit idem, quod dicitur : *Præveniet manus ejus*, ac si dicatur, *manus suas*. Quo sane dicto per *manus* opera bona intelliguntur, quæ per fidem ex dilectione operantem, et aliquando sine operibus justificantem proveniunt. Est autem sensus. *Æthiopia præveniet manus suas Deo*, id est, antequam operetur, credet Deo. Et ideo ejus justificatio potius fidei per gratiam intus inspiratæ, quam operationi forinsecæ attribuitur, sicut peccatrici mulieri dicitur : « Fides tua te salvam fecit (*Luc.* VII, 50). » Præveniente autem hac fide sequitur operatio bona pro posse. Alioquin fides mortua esset, quæ operari cum posset, nollet : et C ideo sicut est laudabile, ut fides præveniat *manus* operantes, ita est omnino damnabile, si quis operari hoc renuit, quod sana fide sibi operandum credit.

Aliter : *Legati ex Ægypto* sunt apostoli ex Synagoga, quæ erat in tenebris. *Æthiopia*, id est, in peccatis nigra gentilitas *præveniet manus*, id est, opera *ejus Ægypti*, id est, Synagogæ, *Deo*, id est, ad honorem Dei. Prior enim populus gentilis fidei verbum recepit et credidit.

Est adhuc alia littera : *Æthiopia festinet manus dare Deo*. Quo dicto similitudo trahitur a victis, qui depositis armis manus victoribus dare festinant ne interficiantur. Ubi dicitur in littera : *Æthiopia præveniet manus ejus*, hic distinguunt quidam, D et postea quasi ab alio exordio incipiunt : *Deo, regna terræ, cantate*. Nos autem exemplaria veraciora *Deo* antecedenti litteræ adjungimus, et dicimus : *Æthiopia præveniet manus ejus Deo*, id est, ad Deum se convertendo. Super hunc locum beatus papa Gregorius dicit (18) : « David propheta videns quod ad Judæam redimendam veniret Dominus, sed ante gentilitas crederet, ut postmodum Judæa sequeretur, sicut scriptum est : Donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret, dicit : *Æthiopia præveniet manus ejus Deo*, id est, prius-quam Judæa credat, salvandam se offerret omnipotenti Domino peccatis, nigra gentilitas. Agamus itaque gratias unico summi Patris Filio nos, qui ex gentilitate collecti, atque ejus lumine perfusi Judæam quoque ipsam præcessimus ad fidem, ut impleretur, quod scriptum est : Æthiopia præveniet manus ejus Deo. Nigri ergo perfidiæ merito fuimus, sed suscipientes candorem gratiæ ipsam etiam Synagogam, per cujus sobolem vocati sumus ad gratiam Dei, prævenimus. » Sequitur :

VERS. 33. *Regna terræ, cantate Deo.* Ac si dicatur : Pro jam decursis beneficiis, non in Judaico solum regno angusto sed in toto mundo exhibitis, *regna terræ*, id est, omne genus hominum, omnes principes omnium regnorum, quæ per duo regna Ægypti et Æthiopiæ a parte totum significando notavimus, *cantate Deo* puritate mentis, et *psallite Domino* in operibus bonis.

Diapsalma, pars sexta. Psallite Deo Christo æque ut Deo Patri, quia ipse est

VERS. 34. *Qui* descendit et *ascendit* ad Patrem. *Ascendit* videlicet secundum quod homo assumptus in summam Divinitatis gloriam provectus est. Nam secundum quod Deus Patri Deo naturaliter æqualis est, non erat aliquid altius quo ascenderet. *Ascendit* autem *super cœlos cœli*, id est super omnes cœlos ad dexteram Patris. *Cœlos cœli* vocat excelsiores creaturas, super quas *ascendit*, qui sibi subjectis omnibus creaturis in altissimo throno paternæ majestatis consedit Patri ad dexteram ejus, id est in bonis potioribus, quæ Verbum cum Patre semper habuit, quæque humanitas non ad mensuram accepit, usque adeo ut ascenderit *ad orientem*, id est usque ad Verbi sibi uniti claritatem. Non dico : *ad ortum* vel *oriturum*, quia Verbi divina generatio non habet præteritum vel futurum, sed æternum et intransitorium præsens, secundum quod Filius Dei dicitur « oriens ex alto (*Luc.* I, 78) » Patre, qui fuit oriturus, et nunc est ortus vel natus ex humili matre. Quondam prædicabatur nasciturus ex Virgine, qui modo natus ex illa nuntiatur; sed ex Patre ipsius generatio initio caret et fine, ac propterea secundum illam non dicitur *ortus* vel *oriturus* sed *oriens*. Et unde *oriens? ex alto*, scilicet Patre. Unde recte « Altissimi Filius (*Luc.* I, 28) » vocatur non per adoptionem sed per generationem.

Aliter : *Ascendit ad orientem*, id est, versus orientalem plagam videntibus discipulis ad litteram. Vel *ab oriente*, id est, ab Jerusalem, quæ in oriente sita est, ubi de monte Oliveti *ascendit* localiter, qui in montem Oliveti spiritalem *ascendit* illocaliter, quando Patri suo, Patri misericordiarum, qui per montem Oliveti significatur, suam considere fecit humanitatem in throno majestatis, in omnimoda gloriæ summæ Divinitatis. Ad hunc montem nondum ascenderat in fide mulieris, cui dictum est ab

(18) Lib. XVIII Moral. cap. 52.

angelo : « Quem quæris mulier ? viventem cum A mortuis ? » (*Luc.* XXIV, 5.) Cui et ipse dixit Jesus : « Noli me tangere : nondum enim ascendi ad Patrem meum (*Joan.* XX, 17). » Ac si dicat : In tua fide, qua me credis a monumento sublatum, nondum *ascendi* ad Patrem meum ; nondum *ascendi* in montem Oliveti *super cœlos cœlorum.* Denique hominis assumpti ascensio *super cœlos cœlorum,* id est super altissimos ordines angelorum , fuit a monte Oliveti, quoniam Pater misericordiarum dedit hoc illi, sicut ipse ait : « Omnia mihi tradita sunt a Patre meo (*Matth.* XI, 27). » A quo utique Patre datum est homini nomen Dei, quod est super omne nomen, ut videlicet homo nominetur Deus, non ut dii multi per adoptionem, sed ut filius Al B tissimi per generationem, quia et hoc datum est homini, ut sit Filius Altissimi, quod sine dubio illi est ascendisse invisibiliter et illocaliter in montem Oliveti ; a quo et hoc illi datum est, ut localiter quoque ascenderet a monte Oliveti super *cœlos cœlorum ad orientem.*

Quod autem etiam in humana sua natura virtus illi sit divina, exinde patet, quod *ecce, dabit vocem suam vocem virtutis, ecce* dico quia evidens erit in adventu secundo, ego David quasi præsentialiter video quod ille, qui sicut agnus coram tondente se sine voce obmutuit, in extremo judicio *dabit vocem* non utique infirmitatis, sed *virtutis,* qua mortui suscitabuntur, impii judicabuntur, boni quoque immutabuntur. Etiam in primo adventu suo *voci suæ* C vel *vocem suam dedit* esse *vocem virtutis.* Nam dicente illo humanitus : « Lazare, veni foras (*Joan.* XI, 43), » in voce humana operata est virtus divina. Similiter in cæteris ejus dictis humanis enituit fulgor divinæ *virtutis,* ut cum dixit leproso : Mundare ille mundatus est ; cum dixit cæco : Respice, ille mox vidit ; cum dixit mortuo : Adolescens tibi dico : Surge, ille surrexit. Usque hodie quoque dat *voci suæ vocem virtutis* operando per verbum suum in officiis ministrorum suorum tantæ virtutis opera, ut inde illi semper debeatur gratiarum actio et gloria. Ergo

VERS. 35. *Date gloriam Deo* Christo in voce virtutis et nunc in Ecclesia operanti, et in fine omnia judicaturo, ac bonos de medio malorum separaturo. Tunc impiis in infernum projectis, super Israel, id est bonos Dei visione dignos erit evidens *magnificentia* ejus, quia quos vocavit et justificavit, illos tunc *magnificabit. Et virtus ejus in nubibus,* quia præ cæteris electis in virtutis gloria tunc fulgebunt, qui ut nubes volando *pluviam voluntariam* longe lateque portaverunt, et miraculis coruscando ac precibus et meritis obumbrando se minores juverunt et prætexerunt. Ne autem in nomine *nubium* quis capiat alium intellectum, dico evidentius :

VERS. 36. *Mirabilis Deus in sanctis suis Deus,* dico, *Israel,* id est illorum specialiter, qui tunc erunt *Israel,* mundo videlicet corde, de quo Deum videbunt sicut est. Et quidem *in nubibus* ac sanctis præcipuis præcipuam dabit *magnificentiam.* Sed et *plebi suæ* humili, ac sanctis illis fideliter obedienti, atque vinculum charitatis custodienti *dabit virtutem* in resurrectione, ut quod seminatum est in infirmitate, surgat *in virtute. Dabit* etiam illi *plebi* eatenus infirmæ in semetipsa fortitudinem impassibilitatis, quam ipse habet in corpore suæ claritatis, cui configurabitur corpus nostræ humilitatis per gratiam suæ pietatis. Ergo *benedictus Deus* in his *donis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.* Vel ex tunc *benedictus Deus* in sua gloria videbitur, et *in sanctis mirabilis* mirabiliter ab ipsis glorificabitur dicentibus in æternum singulis et omnibus : *Benedictus Deus.*

Gloria Patri Domino, qui *dabit verbum evangelizantibus virtutem multam. Gloria Filio,* ipsi scilicet Verbo, quod evangelizatur. *Gloria Spiritui sancto,* qui virtus amborum datus est in dona hominibus. Vel : *Gloria Patri* dilectori dilecti. Gloria *Filio dilecto dilecti* dilectoris sui. Gloria *Spiritui sancto* amborum dilectioni. *Gloria* uni ac *trino* Deo ab æterno et usque in æternum in cœlo sursum et in terra deorsum, ut pleni sint cœli ac terra gloria sua semper ubique hac laude sonante : *Benedictus Deus.*

PSALMUS LXVIII.

Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ D *usque ad animam meam.* Certator ille, qui in primo quinquagenario corroboratus per fidem, in hoc secundo, ut sæpe dictum est, præliatur spe victoriæ, animatus evidenter in hoc psalmo instruitur quomodo legitime certando pugnet non quasi aerem verberando, sed ipsum hostem precibus assiduis quasi telis acutissimis feriendo. Nam et ipsum caput nostrum Christus velut in fronte castrorum dux belli præcipuus hic inducitur, sic orans pro suis tribulationibus exterioribus, quomodo quemque suorum vult orare pro suis tentationibus interioribus. *Salvum me fac,* inquit, *Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, et non est substantia. Veni in altitudinem maris et tempestas demersit me.* Hæc namque et cætera orando suis inter vitia periclitantibus exemplum orandi se dare innuit cum dicit : *Videant pauperes et lætentur : quærite Deum et vivet anima vestra. Quoniam exaudivit pauperes Dominus, et*

vinctos suos non despexit. Unde bene habet titulum psalmus hic :

(VERS. 1.) IN FINEM PRO HIS, QUI COMMUTABUNTUR, PSALMUS DAVID.

Et est sensus : Hic psalmus agit pro his qui commutandi sunt in conformitatem Christi, ita ut sint euntes *in finem*, id est, in omnimodam perfectionem. Cum autem varie ac multiformiter mutetur « homo natus de muliere brevi vivens tempore, qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet (*Job* XIV, 1, 2), » duæ tamen sunt principales *commutationes* ejus : una, qua peccante Adam natura humana in ea corrupta per peccatum *commutata* est a statu bono, in quo creata est, mutatione miserabili in deterius, quoniam in quo omnes peccaverunt, in ipso quoque mortui sunt. Sed quia sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. Altera est mutatio, qua fideles a malo mutantur in bonum, proficiuntque de bono in melius usque *in finem*, propter quod et psalmus iste atitulatur : *Pro his qui commutabuntur in finem*, qui finis est Christus ad justitiam omni credenti, finis scilicet consummationis, finis ultra quem nihil est appetendum, quia ipse finis et causa finalis præliantium victores infinita gloria coronabit, quando eos finito certamine *commutabit in finem*. Nam commutationis hujus est initium, cum in præsenti mortalitate mutantur animæ a vitiis ad virtutes. *Finis* vero tunc erit, cum implebitur quod dicit Apostolus : « Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur (*I Cor.* XV, 52). » Hæc mutatio dextræ Excelsi ad hœdos in sinistra statuendos non pertinet; sed ad illos, qui cum Apostolo dicere possunt : « Nostra autem conversatio in cœlis est. Unde etiam exspectamus Dominum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ (*Phil.* III, 21, 22). » Hujus autem *commutationis* est causa efficiens ipsius Christi passio. Per hanc enim et ipse Christus transivit, et nos transire fecit de hoc mundo ad Patrem, de timore ad securitatem, de morte ad vitam, de corruptione ad incorruptionem, de terra ad cœlum, unde ipse descendit ut eos, qui ceciderant, sublevaret. Hic transitus dictus est Hebraice *Pascha*, factus in passione, quæ Græce Πασχειν. *Pro his ergo, qui* ita *commutabuntur in finem* Christum, est *psalmus* iste attributus ipsi *David*, id est Christo, et est unus de quatuor, qui de passione et resurrectione latius agunt. Quorum primus est : *Deus, Deus meus, respice in me;* secundus : *Judica, Domine, nocentes me:* tertius : *Exaudi, Deus, orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam.* Quartus iste, qui nunc habetur præ manibus, in quo sicut et in cæteris de passione agentibus initium triste, finis lætus invenitur.

Primo enim de tribulatione sua suorumque clamans Christus precatur salvus fieri, narrans quod

A multa patitur, *quæ non rapuit, solvendo*, et pœnas immeritas ferendo. Secundo precatur eos, pro quibus patitur, sua spe non frustrari, adjungens quanta et quam æquanimiter ferat, ibi : *Deus, tu scis insipientiam meam.* Tertio rogat a luto sæculi se suosque liberari. Item quid patiatur, commemorat ibi : *Ego vero orationem meam ad te, Domine.* Quarto quid inimicis sit venturum, prophetat ibi : *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum.* Quinto finem lætum passionis exponit et fideles hortatur ad laudem, quæ est intentio sua ibi : *Ego sum pauper et dolens : salus tua, Deus, suscepit me.* Loquitur autem in hoc psalmo totus Christus, nunc propria, nunc membrorum suorum voce clamans ad Deum Patrem suum dicens :

B VERS. 2. *Salvum me fac, Deus.* Ecce granum sinapis ego Christus, in forma servi parvulus, in horto projectus et conculcabilis, qui despicior a Judæis non credentibus, quod sim futurus magnum olus, imo arbor altissima, inter ipsos tribulantes et me conculcantes clamo, et dico : *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.* « Aquæ multæ populi multi sunt (*Apoc.* XVII, 15); » quia velut unda supervenit undæ, sic generatio præterit et generatio advenit. Sed generatio hæc mala et adultera, generatio nequam et perversa Judæorum, semper motibus avaritiæ, superbiæ, invidiæ cæterorumque vitiorum fluctuantium, recte assimilatur aquis turbidis et amaris, quæ

C *intraverunt usque ad animam meam*, quia prævaluerunt non tantum ad tenendum, ligandum, colaphizandum, sed *usque ad animam meam* tollendam. Quanquam enim dixerim : « Nemo tollet a me animam meam; sed ego pono eam, et iterum sumo eam (*Joan.* X, 17, 18) : » tamen ad exprimendam tentationis Judaicæ malitiam, qua clamaverunt : « Reus est mortis (*Matth.* XXVI, 66); » item : « Nos habemus legem, et secundum legem nostram debet mori, quia Filium Dei se fecit (*Joan.* XIX, 7), » recte dico, quod *intraverunt aquæ usque ad animam meam* tollendam : quia quod ego passus sum propria voluntate, illi sua malignitate arbitrati sunt mihi molestum et amarum, sicut fel et acetum, quod in passione mihi obtulerunt, quod etiam eisdem pro-

D pinantibus discipuli mei postea gustaverunt, quodque usque in finem sæculi omnes, qui pie vivere volent, malis infestantibus gustare habebunt. Unde meos pusillos in aquis turbidis periclitaturos transfigurans in me, pro ipsis quoque salvandis clamo, dum vox sanguinis mei de terra clamantis hoc exigit in conspectu Patris ac totius curiæ cœlestis, ut hi, pro quibus ego animam meam posui, non sinantur in aquis tentationum seu tribulationum sic obrui aut præfocari, sicut obruti ac præfocati sunt, qui in talibus aquis omnino defecerunt nimis amando animas suas in hoc mundo. « Qui enim amat animam suam in hoc mundo, perdet eam. » Quocontra, « qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam (*Joan.* XII, 25). » Pro-

pter hujusmodi animas in vitam æternam custodiendas ego Christus non necessitate sed spontanea voluntate sustinui *aquas intrantes usque ad animam meam*, non mihi invito extorquendam, sicut extortæ sunt animæ latronum, dum frangerentur crura ipsorum, sed voluntarie ponendam et in manus Patris commendandam. Denique ut ego Deus immortalis mori possem.

VERS. 3. *Infixus sum in limo profundi*, id est assumpsi hominem de *limo* plasmatum. Et quidem si hominem talem assumpsissem, qualem eum plasmaveram, *infixus* essem *in limo*, sed non *in limo profundi;* nunc autem quia ego Deus immortalis mortalem assumpsi hominem, ut mortem pro mortalibus gustare possem, recte dico quod *infixus sum in limo profundi, et non est substantia*, tum quia mortalis factus ad mortem usque deveni, quæ *non est substantia*, tum quia mihi prævaluit Judæorum profunda iniquitas, quæ *non est substantia*. Sicut enim nuditas in corpore, calvitium in capite *non est* aliqua *substantia*, sed substantiæ privatio: sic peccatum in anima, et pœna peccati, mors in corpore *non est substantia*, sed substantiæ quasi quædam annihilatio. Et quidem peccato ego Christus non fui annihilatus, quia peccatum nec originale nec actuale habui, et ideo integra mihi remansit substantia omni decore virtutum perornata. Non sic ille adolescentior filius custodivit substantiam suam, qui peregre profectus dissipavit eam cum meretricibus vivendo luxuriose. Attamen quia de talibus multi confitendo et pœnitendo *commutabuntur*, ego eorum querelas in me transformo et dico : *Infixus sum in limo profundi, et non est substantia*, id est non est virtus carnis evadendi mortem, quæ *non est substantia*, sed substantiæ destructio.

Vel quia *substantia* pro divitiis accipi solet, *non est* mihi *substantia*, quia egenus et pauper sum, usque adeo depauperatus, ut etiam veste mea nudatus et nudus in cruce suspensus, illius nuditatem luerem, qui descendens ab Jerusalem in Jericho incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, et plagis impositis abierunt semivivo relicto. Unde post pauca sequitur : *Ego sum pauper et dolens*, quia dolores illius vulnerati et spoliati super me accepi ego Samaritanus, ego illi factus proximus accipiendo in me ipsius naturam, non culpam : naturam quæ vere *substantia* est ; non culpam, quæ *non est substantia*, quam tamen, quia flagellis multis luo, quasi ego peccaverim, voce meorum dico : quod *infixus sum in limo profundi, et non est substantia*. Quandiu enim unus ex minimis meis *infixus* est *in limo profundi* per iniquitatem, quæ *non est substantia*, ego me conqueror *infixum in limo profundi*, id est, in limo non habente fundum solidum ad pedem figendum propter peccatum, quod *non est substantia*, sed nihil.

Concordat huic sensui Hebraica veritas ita se habens : *Infixus sum in limo profundi, et non possum subsistere*, quod idem est, ac si dicatur : non possum subsistere in profundo, quod non habet fundum, quia ipsum peccatum non est aliquid solidum, sed nihil : *non est substantia* substans alicui formæ vestienti se, nec est forma, sed deformitas : non est aliquid, sed nihil : non est vestimentum, sed nuditas. Unde Adam cognovit se nudum post commissum peccatum. Atque utinam quod cognovit per experimentum miseriæ, recognovisset per satisfactionem pœnitentiæ ! At ille ad nihilum devenit tanquam aqua decurrens ab alto justitiæ in profundum iniquitatis, quæ *non est substantia*, quia non est a Deo per Verbum facta. Omnia enim, quæ aliquid sunt, per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Per ipsum factæ sunt omnes creaturæ, omnes substantiæ, omnes formæ omniaque de substantiis et formis composita, quæ et laudant Dominum utpote artificem suum : non quod omnia sensum habeant laudandi, sed quia cuncta bene cogitata, et considerata pariunt laudem in spiritus rationabilibus, ita ut omnis spiritus laudet Dominum Creatorem omnium, considerata pulchritudine creaturæ, quarum essentia, ordo et utilitas trinum Deum commendat, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Inter quæ omnia Deum laudantia nullum habet locum iniquitas, quia *non est substantia* per Verbum creata, neque forma substantiæ, sed deformitas, quomodo in oculo cæcitas non est ejus forma, sed deformitas : quæ non est creata per Verbum, sed perversitas hominum fecit eam. Unde nec laudat Deum, quem laudant omnia creata non solum cœlestia, sed etiam terrestria usque ad infima reptilia. Homo ergo a laudibus Dei mutus ad iniquitatem lapsus *infixus* est *in limo profundi, et non est substantia*, tunc maxime, cum iniquitati consentit, et regnat in eo peccatum.

Sed ut cessaret hoc regnum, et regnaret justitia in his, *qui commutabuntur*, dum iniquitati, qua se tentari sentiunt, non consentiunt, ego Christus *veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me. Veni* sponte *in altitudinem maris*, id est, in profundum hujus sæculi, ubi mei patiebantur naufragium, *et tempestas* Judaicæ persecutionis *demersit me. Veni* ego Angelus magni consilii descendens in aquam, visitando scilicet gentem Judæorum, dum sumpsi carnem de progenie ipsorum, sed me descendente movebatur aqua, et facta est perturbatio magna fluctuantium, tumultuantium, procellas exaltantium atque clamantium : « Crucifige, crucifige eum (*Joan.* XIX, 6). » Talis *tempestas demersit me*, quia in fluctibus hujusmodi seditionis mortem passus quasi alter Jonas a ceto fui absorptus tribus diebus et tribus noctibus.

Dicat aliquis : Quare, Domine, Judæis in te sævientibus non dixisti, quod tu Messias illis promissus, et ad salvandum illos missus fueris ? Forte, imo certe, si te cognovissent, nunquam te Dominum gloriæ crucifixissent. Ad hæc ego Christus respondeo :

VERS. 3. *Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fau-*

ces meæ. Laboravi clamans, et prædicans quod ego, A Filius Dei et Filius hominis, venerim quærere et salvum facere quod perierat, contestans operibus divinis, quod essem Filius Dei Patris. Unde et dixi: « Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; si autem facio, etsi non vultis mihi credere, operibus credite ut cognoscatis, et credatis, quia in me est Pater, et ego in Patre (*Joan.* x, 37, 38). » Taliter clamando *laboravi* sicut alias dico: « Laboravi sustinens (*Isa.* i, 14). » Quid vero est quod omnipotens dicit: *Laboravi*, cui nihil difficile vel impossibile est? Sed *hoc*, ut beatus Gregorius (19) ait, ex persona Redemptoris Propheta de perverse adhuc viventibus dicit: Non enim sustinendo Dominus laborat, cujus divinitatis potentiam nulla fatigatio contingit, sed verbis humanitatis loquens ipsam B suam circa nos patientiam laborem vocat.

Item quod dicit: *Raucæ factæ sunt fauces meæ*, non legimus ad litteram contigisse. Attamen quantum ad illos raucus locutus est, a quibus non est auditus et intellectus. Unde et dicebant: « Quis eum potest audire (*Joan.* vi, 61). » Item: « Dæmonium habet, et insanit: quid eum auditis? « (*Joan.* x, 20.) Neque vero talia dicendo sunt excusabiles, quia non illis audiendi seu intelligendi eum defuit facultas, sed voluntas juxta illud: « Noluit intelligere, ut bene ageret (*Psal.* xxxv, 4). » Inter tales igitur auditores *raucæ factæ sunt fauces meæ*, sive ut in Hebræo legitur: *Exasperatum est guttur meum*: quia frustra laboravi ego, Christus, prædicando malignis auditoribus, usque adeo me odientibus ut me, verum Samsonem quasi rasum et decalvatum in loco Calvariæ C cæcarent, imo sensus meos omnes corporales exstinguerent, ut omnia membra mea in cruce distenta suis officiis carerent, dum neque aures audiendi, neque oculi videndi vires haberent in corpore mortuo et exstincto.

Ego autem, pro toto partem ponendo, de solis oculis conqueror et dico: *Defecerunt oculi mei dum spero in Deum meum*, id est, dum præstolor misericordiam divinam sicut infirmus alius homo, et non exero potentiam. Mirabile visu! visum illum deficere, quo videns Jesus turbas ascendit in montem daturus præcepta Novi Testamenti, quo videns Petrum et Andream vocavit eos, quo videns hominem D sedentem in telonio vocavit eum et fecit evangelistam, quo videns civitatem flevit super illam, quo videns flentes sorores flevit et ipse, quo videns mensas nummulariorum in templo commotus est magno zelo contra iniquas negotiationes, quo videns turbas misertus est earum, quia erant vexatæ sicut oves non habentes pastorem, quo suspiciens vidit Zachæum, quo etiam, cum sublevasset oculos, vidit maximam multitudinem venientem ad se, quo tandem videns matrem et discipulum juxta crucem pietate filiali motus est erga matrem et fraterna erga discipulum dicens matri: *Ecce filius tuus*; discipulo autem: *Ecce mater tua*. Visus quippe Jesu corporeus divinum quiddam, supra quam dici potest, radiabat, atque ideo nunc justitiæ, nunc etiam pietatis exercebat affectus, inter quos maxime delectat, quod videns Jesus discipulum dixit ei: *Ecce mater tua*. Visus denique iste attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter, ita ut omnis qui Christi discipulus fit verbum Dei audiendo et custodiendo, ipse illius frater, soror et mater fit, ac proinde huic tali fratri etiam sancta Maria mater fit. Quæ magno parturitionis dolore juxta crucem stando in Unigeniti sui morte multos filios peperit, quos idem Unigenitus in fratres adoptavit, quorum singulos matri suæ demonstrando ei dicit: *Ecce filius tuus.*

Utinam, Domine Jesu, et me benignis oculis videndo matri tuæ, matri misericordiæ dicas de me: *Mulier, ecce filius tuus.* Quem enim talibus *oculis* non aspexeris, neque frater tuus est, neque filius matris tuæ. His oculis intuitus es Simonem, cum diceres ei: *Tu es filius Joanna: tu vocaberis Cephas* (*Job* i, 42, Vulg. *Jona*). His oculis aspexisti peccatricem, cui dixisti: *Fides tua te salvam fecit, vade in pace.* Hos *oculos* tuos in nos converti, et a nobis nunquam averti optamus assiduis precibus, verbi gratia cum dicimus: *O Domine, respice in servos tuos et in opera tua.* Item: *Respice, Domine, de Sanctuario tuo.* Item: *Vide Domine, afflictionem nostram.* Item: *Aspice, Domine, de sede sancta tua* et cætera in hunc modum, quibus, o Domine, super nos invocamus benignum intuitum oculorum tuorum.

Nonne itaque mirabile simulque miserabile est oculos tuos corporales divina pietate radiantes vel ad tempus defecisse, qui, quasi quædam fenestræ patentes, huic mundo eatenus tenebroso intromiserunt lumen divinæ misericordiæ? Defectum luminum istorum in capite Christi, Solis justitiæ, sol mundi hujus videre non sustinuit, qui eis deficientibus et ipse defecit; ita ut tenebræ essent ab hora sexta usque ad horam nonam, qua mors Christi consummata lumen tenebris etiam infernalibus intulit, simulque accelerata resurrectione in die tertia spiritales oculos, qui etiam, ipso moriente, defecerant, apostolos videlicet restauravit, claro fidei lumine ipsos clarificando, qui usque adeo defecerant, ut omnes in eo scandalum passi, relicto eo, fugerent, et vix parvas fidei ac spei reliquias apud se retinerent. Unde est illud: « Nos autem sperabamus quod ipse esset redempturus Israel (*Luc.* xxiv, 21). « Notandum sane quod cum dicunt: *Sperabamus* verbi præteriti imperfecti temporis, innuunt spem suam penitus non defecisse, quoniam actus tali verbo significatus intelligitur non esse totus præteritus. Propterea dico ego Christus: *Defecerunt oculi mei*, discipuli videlicet, *dum spero in Deum meum*, id est dum ipsi sperant in Deum meum. Qua de causa etiam exteriores eorum oculi tenebantur,

(19) Homil. 8 in Ezechiel.

ne me cognoscerent, cum tamen adhuc sperarent et dicerent: « Nos autem sperabamus, » ac si dicerent: Spem habuimus, quam non ex toto deposuimus. Tales utique *oculi mei* me diligentes ad tempus *defecerunt*, et ad magnam paucitatem redacti sunt. Quo contra

VERS. 5. *Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui me oderunt gratis.* Ambiguum forte videtur, quos prius dixerim *aquas*, *limum*, *altitudinem maris*; ideo evidentius dico: *Qui oderunt me gratis.* Nam ipsi sunt *aqua* turbida, *limus profundi*, *altitudo maris*. Denique odiendo me quasi *mare* amari fuerunt. Sed quia gratis et absque ulla causa id fecerunt, *altitudo maris* dici possunt, quoniam alta et profunda eorum nequitia flante aquilone in altum fuit super me levata, cum tales *multiplicati sunt super capillos capitis mei*, quia infiniti erant numerositate atque *capillis* quodammodo comparabiles insensibilitate. Neque enim doluerunt aut senserunt, quando me in loco Calvariæ crucifigentes ipsi merito abrasi sunt a me, qui sum caput melioribus capillis dignum, de qualibus ait sponsa mea in Canticis canticorum: « Comæ illius sicut elevatæ palmarum, nigræ quasi corvus (*Cant.* v, 11). » Hi sunt electi mei mihi capiti suo inhærentes, primo videlicet apostoli ac post eos cæteri per ipsos credituri mihique inhæsuri. Qui cum sint multi, tamen *multiplicati sunt* super numerum eorum, *qui oderunt me gratis*. Quibus etiam, ut amplius multiplicentur, de numero discipulorum meorum quidam adduntur ut Judas falso discipulus et vere diabolus, quem in consimili apostasia imitabuntur multi.

Et quidem si essent multi tantum infirmi, esset malum utcunque tolerabile: nunc autem et super *capillos capitis mei multiplicati sunt*, et *confortati sunt* ipsi *inimici mei, qui persecuti sunt me injuste, gratis* scilicet *odiendo*. Hæc est laus passionis in me ac martyribus meis non pensanda ex pœnæ acerbitate sed ex causæ bonitate, quia non pœna, sed causa laudabile facit martyrium, maxime cum quis patitur innocens, ut ego, qui, *quæ non rapui, tunc exsolvebam*. Rapuit diabolus in cœlo arrogando sibi, quod suum non erat, cum jactaret se Altissimo similem, et ob hoc recte pœnas exsolvit rudentibus inferni detractus ab alto et ligatus, ampliusque adhuc ligandus in inferno, adveniente judicio extremo. Rapuit quoque Adam in paradiso, quando suasu diaboli dicentis: « Eritis sicut dii, » similitudinem Dei affectavit acquiescendo mulieri deceptæ, atque ideo recte pœnas exsolverunt cum omni posteritate sua expulsi de paradiso, et expositi multis miseriis in hujus mundi exsilio. At ego non rapinam arbitratus sum esse me æqualem Deo. Nam etsi arbitratus sum esse me æqualem Deo, non hoc erat vel est rapina, sed natura; quia, cum sim naturalis Dei Filius æque ut Deus Pater ego quoque sum Deus altissimus. Et tamen dicentibus inimicis « crucifigatur, quia Filium Dei se fecit (*Joan.* xix, 7), » *quæ non rapui, tunc exsolvebam*; quia puniebar ob hoc ipsum, quod me dixeram *Dei Filium*, quasi dixissem falsum testimonium, et quasi per rapinam Filii Dei nomen usurpassem, falso mihi arrogando similitudinem seu æqualitatem Dei. Quam certe rapinam diabolus et Adam fecerat, sed ego minime, quia et in natura divina una cum Patre *Deo* æternaliter mihi Filio Dei una divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas, et in natura humana, in qua exinanivi me ipsum, totam gloriam accepi per gratiam, quam in divina semper habui per naturam. *Accepi*, inquam, *non rapui*: accepi dante Deo Patre, non rapui nolente Patre. Unde et dixi: « Omnia mihi tradita sunt a Patre (*Matth.* xi, 27): » Item: « Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terra (*Matth.* xxviii, 18). » Non enim ad mensuram dedit Deus Spiritum mihi homini concepto de Spiritu sancto et Maria virgine, quæ utique simul virgo et sponsa erat: virgo scilicet viro nescia, sponsa vero Patris mei amore fœcundata, et sic in cellaria Dei Patris introducta, sicut sponsæ legitimæ introduci solent in possessiones virorum jure matrimoniali. Unde natus ego ex tali sponsa, hæres legitimus, non rapinam arbitratus sum, quod me dixi Dei Filium. Nam et angelus hoc ipsum contestans ait ad virginem, me Filium parituram: « quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei (*Luc.* i, 35). » Hoc ipsum et ego profitendo, quod scilicet essem Dei Filius, judicatus sum insipiens, et *exsolvi* pœnas quasi falsus testis, quasi raptor et usurpator nominis a me alieni, cum in conspectu sapientium hujus mundi viderer homo fatuus et insipiens atque in conspectu eorum, qui se justos arbitrabantur et aspernabantur cæteros, judicarer homo peccator. Dixerunt enim Pilato: « Si non esset hic homo malefactor, non tibi tradidissemus eum (*Joan.* xviii, 30). » Sic insipientem et peccatorem judicaverunt me judices iniqui. Sed

VERS. 6. *O Deus, tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita.* —*Pars secunda.*

O Deus, tu scis insipientiam meam, quia videlicet pro insipientibus ad sapientiam commutandis, ego super me accepi causam insipientium: *et delicta mea*, id est meorum, quæ suscepi, non quæ commisi, tu nosti. Etiam in hoc *scis insipientiam meam*, quod per Spiritum scientiæ facis hoc sciri, quod stultum meum sapientius est hominibus. Unde Apostolus hac scientia instructus ait: « Nos prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Judæis, atque Græcis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam; quia quod infirmum est Dei, fortius est hominibus, et quod stultum est Dei, sapientius est hominibus (*I Cor.* i, 23, 24, 25). » Ita Pater non solum *tu scis*, verum et alios scire facis *insipientiam meam*, stultorum quidem oculis fatuam, sed in tuis tuorumque oculis omni sapientiæ hujus mundi præferendam, quoniam per illam deceptus est ille serpens antiquus, qui erat sapientior cunctis animan-

tibus terræ, atque ideo, Pater mi, *tu scis*, id est A approbas et disponis *insipientiam meam*, videlicet mortem crucis, quæ cum videatur insipientibus esse magna *insipientia*, eo quod cum prædicer omnipotens, non decuerit me tanto labore humanum genus redimere, cum solo verbo id potuerim facere: tu tamen *scis* et disponis hanc velut opus magnæ sapientiæ.

Insuper *et delicta mea a te non sunt abscondita*. Objecta quidem sunt mihi *delicta* dicentibus Judæis: « Non est hic homo a Deo, quia Sabbatum non custodit (*Joan.* IX, 16). » Quia enim in Sabbato cæci nati oculos linivi et sanavi: quia paralytico item Sabbato curato præcepi tollere ac portare grabatum suum et ire in domum suam, quia et alteri habenti manum aridam Sabbato dixi: « Extende B manum tuam (*Marc.* III, 5). » Et item Sabbato erexi ac sanavi mulierem curvam, cæteraque feci opera in Sabbato per legem, sicut putabatur, prohibita. Illi nescientes me Dominum etiam Sabbati, reprehendebant hujusmodi opera bona quasi *delicta* maxima. Sed hæc *delicta mea a te*, Pater, *non sunt abscondita*. Primus Adam, postquam delictum prævaricationis admisit, abscondit se a facie tua in medio ligni paradisi, quia erubescebat fœditatem peccati sui a te videri. Unde et fecit sibi perizoma de foliis fici ad contegendam quoquo modo suam turpitudinem. Verum ego, secundus Adam, propter *delicta mea* non fugio a conspectu tuo, Pater, quoniam ipsa *delicta mea a te non sunt abscondita*, id C est omnino tuo aspectu digna sunt, et tibi placent utpote omni decore plena. Quod et ego æmulis meis talia *delicta* vituperantibus conabar interdum ratione ostendere, verbi gratia, dicendo: « Multa bona opera operatus sum vobis, propter quod eorum vultis me lapidare? » (*Joan.* X, 32). Item: « Si circumcisionem accipit homo in Sabbato, ut non solvatur lex Moysi: mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in Sabbato? » (*Joan.* VII, 23). At illi surdis auribus hæc prætereuntes me legis prævaricatorem judicaverunt propter jam commemorata et similia *delicta*, quæ tamen, cum sint honesta et bona opera, *non sunt a te*, Pater, *abscondita* vel abscondenda, imo conspectui tuo ac totius curiæ cœlestis offerenda quasi acceptabilia sacrificia, ut D his aboleantur *delicta mea*, id est meorum, quæ vere sunt *delicta mea*, non quidem a me perpetrata, sed mihi omnium meorum vicem gerenti ac pro eis morienti a te, Pater, imputata, sicut unus meorum fatetur dicens: « Ecce vidimus eum non habentem speciem, neque decorem, et Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum: disciplina pacis nostræ super eum (*Isa.* LIII, 2 et seqq). » Mira res! Pro servorum peccatis filius innocens castigatur et disciplinatur, non tamen invitus, quoniam ipse ultro suscepit causam servorum, et pro eis ad disciplinam oblatus est, quia ipse voluit et peccata servorum Dominus ipse portavit. Quid hac pietate honestius aut pulchrius.

Non igitur ego, secundus Adam, ut primus, abscondo me vel *delicta mea*, imo in conspectu tuo, Deus, et sanctorum angelorum ego pro *dilectis* hujusmodi exaltatus in crucem extra portam passus, volo ut omni creaturæ cœlestium, terrestrium et infernorum sint conspicua *delicta mea*, quæ, quantum ad personam meam, nulla sunt fœditate notabilia; quantum vero ad meos in me credentes attinet, meo sanguine deleta sunt. Si enim sanguine agni Paschalis potuerunt filii Israel expiari ac de Ægypto liberari, quanto magis ego Agnus, qui tollo peccata mundi, sanguine meo purifico, quos eodem sanguine in superliminaribus domorum suarum et in utroque poste posito muniendos pernosco. Neque enim fideles mei veri Hebræi de hoc mundo transituri sanguinem meum ponunt in poste uno tantum, communicando scilicet sacramento tenus ore solummodo; sed quod ore percipiendo velut unum postem liniendo accipiunt, etiam in poste cordis ponunt, cum se devota mente passioni meæ complantandos proponunt, abnegando se ipsos et tollendo crucem suam ac me sequendo, ut videlicet sic facti socii passionis, etiam socii resurrectionis et consolationis inveniantur. Hoc nimirum significavi ego discipulis meis, dando reliquias piscis et favi mellis post resurrectionem meam, ut videlicet spe certissima exspectarent melle dulcedinis æternæ se in regno meo sanandos, et in præsenti quoque peregrinatione quibusdam reliquiis deliciarum fovendos, hi duntaxat, qui mihi passo et pisci asso meo conformantur, ut carnem suam crucifigant cum vitiis, et concupiscentiis. Hanc sane mellifluam dulcedinem et ipsi exspectant, qui mihi asso et passo in eo complantantur, ut adversa propter justitiam sustineant. Quorum expectatio, ne sua spe frustretur, ego pro eis rogo, non pro mundo, quia mundus te non cognovit, Pater juste, sed hi te cognoverunt Patrem, qui me Filium tuum receperunt; quoniam qui habet Filium, habet et Patrem; sicut qui negat Filium, negat et Patrem. Rogo itaque, ut quoniam receperunt me,

VERS. 7. *Non erubescant in me, qui exspectant te, Domine, Domine virtutum. Qui te, Domine virtutum, exspectant* in me, ac per me opera *virtutum* facientem ante mortem meam, eadem *virtutum* opera consummaturum gloria resurrectionis et ascensionis, *non erubescant in me*: quod fieret, si magna opera *virtutum* exspectantes *in me*, atque cupientes videre quæ multi reges et prophetæ voluerunt videre et non viderunt, quia me in carne præsentem non habuerunt, et ipsi qui me habent præsentem, non viderent. Nam cum eis diceretur: Ubi est Deus vester? ubi est, qui dixit vobis: « Creditis in Deum, et in me credite (*Joan.* XIV, 1): » sic me Deum verum esse non possent operibus *virtutum* demonstrare, merito erubescerent. Sed ego rogo *te, Domine, virtutum*, fac per me a morte suscitatum et in cœlos exaltatum, præclara opera *virtutum*, quibus in mundo manifestatis *non erubescant in me, qui ex-*

spectant te, Domine virtutum, secundum promissa mea in eis operaturum. Dixi enim illis : « Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis (*Joan*. XVI, 23). » Item : « Qui credit in me, opera, quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado, et quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam (*Joan*. XIV, 12, 13). »

Hujuscemodi promissis meis increduli non *exspectant te, Domine virtutum*, virtutes aliquas in nomine meo facturum seu daturum. Sed in me credentes et credituri usque in finem sæculi *exspectant te*, Pater, *Domine virtutum*, virtutes tantas per me semper operaturum, ut nunquam vacet inimicis exsultare, meisque amicis insultare, quod quasi absque Deo sint in hoc mundo, cum tu, Domine virtutum, sis in me et ego in eis faciens per me in eis opera *virtutum*, quibus associentur angelicis virtutibus, quorum tu es Dominus, o *Domine virtutum*. Hoc promisi meis ante mortem meam, hoc peto in morte mea cum clamore valido, ut ipsi, qui promissis meis creduli *exspectant te Dominum* omnium universaliter, et specialiter *Dominum virtutum*, clarificentur sic te operante in eis opera *virtutum*, ut *non erubescant* interius destituti virtutibus et expositi vitiis amisso thesauro abscondito in agro bonæ conscientiæ.

Rogo ut etiam *non confundantur* exterius inimicis ultra modum insultantibus et exprobrantibus, eo quod quasi Dei crucifixi et mortui cultores et ipsi facti velut mortui, ante sepulcrum ejus jaceant et feteant, odore bonæ famæ amisso. Potius inimici nolentes me vivere angelico aspectu perterriti et facti velut mortui, imo vere in animabus mortui sic jaceant et feteant, ut eorum exemplo cæteri corrigantur, et etiam ex ipsis aliqui proprio fetore compulsi convertantur. Porro amici, *qui* cum beatis mulieribus *quærunt te*, Domine virtutum, portantes aromata morum sanctorum et pretiosorum ad sepulcrum meum, *non confundantur super me*, quia hi tales *quærunt te, Deus Israel*, Deus omnium generaliter, Deus videntium Deum specialiter, qui scilicet videntes me crucifixum non dubitant se videre Deum vivum, Deum Israel te Patrem in me Filio et me Filium in te Patre meo, atque in ambobus nobis amborum Spiritum. Tales igitur amici mei *non confundantur* insultationibus improborum super me moriente, sed glorificentur bonis moribus quasi odoriferis aromatibus, et dicatur eis ab angelis meis : « Nolite timere vos. » Quare? « Quia Jesum quæritis (*Matth*. XXVIII, 5), » qui se pure quærentibus est æterna salus. Omnia hæc ego Christus rogo exaudiendus jure tum pro mea reverentia, quia sum sacerdos magnus et in diebus meis placui Deo Patri, qui et dixit de me : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui (*Matth*. III, 17); » tum etiam pro multis ac magnis meritis meis, quibus gloriam magnam promerui non solum mihi, qui semper gloria dignus fui, sed servis et amicis meis meo merito ab omni opprobrio liberandis. Ut enim breviter in unum congregem quæ pro eis liberandis pertuli, curiam cœlestis ac terrestris Ecclesiæ cupio nunc attentam esse in conspectu tuo, dum et meritum meum narro, et præmium exposco. Meritum dico, non parvum :

VERS. 8. *Quoniam propter te sustinui opprobrium: operuit confusio faciem meam*, etc., usque: *In siti mea potaverunt me aceto*. His dictis de passione Dominica quasi collectus est pene totus ille fasciculus myrrhæ, qui semper commorari debet inter ubera sponsæ, ne unquam fiat immemor quod sponsus suus pro ea sit passus, quem suas passiones enumerantem qui habet aures audiendi audiat.

Non confundantur, ait, *super me, qui quærunt te, Deus Israel : quoniam* ego pro eis traditus in manus inimicorum *sustinui opprobrium*, ita ut diceretur mihi : « Ecce homo vorax, potator vini, filius fabri, amicus Publicanorum, dæmonium habet, et in Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia (*Matth*. XI, 19). » Sic multiplex *opprobrium sustinui* ego Christus, quod inde pretiosum ac laude simulque magna remuneratione dignum est, quia non propter meas culpas hoc *sustinui*, sed *propter te*, Deus Pater, factus obediens tibi annuntiando veritatem, pro qua testificanda ex tuo mandato veni in mundum, sicut dixi Pilato : « Ego in hoc natus sum, ut perhibeam testimonium veritati (*Joan*. XVIII, 37). » Sic itaque testificans veritatem dicendo bonum bonum, et malum malum, lucem lucem, tenebras tenebras ex tuo mandato et in tua obedientia, Pater, *sustinui opprobrium propter te* a mendacibus bonum malum et malum bonum dicentibus, mihique veritati usque adeo recalcitrantibus, quod *operuit confusio faciem meam*, quando mihi in faciem oblocuti sunt, et quando faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me.

Nec mirum sane, quod *confusio faciem meam operuit*; quia sic se habet natura humana, ut inter opprobria, licet falsa, rubore suffundatur, et quasi operiatur facies boni hominis, quod etiam speciale decus est illius dilectæ meæ, cui ego sponsus dico : « Sicut fragmen mali punici genæ tuæ, absque eo, quod intrinsecus latet (*Cant*. IV, 3). » Non denique magnum decus est genas inter opprobria tunc rubore perfundi, quando intrinsecus est in corde conscientia peccati. Sed cum absque eo, quod intrinsecus latet, rubor suffundit vitream cutem faciei usque adeo ut confusio talis faciem operiat, laudabile decus est et signum bonæ ac teneræ conscientiæ, quæ opposita est illi cui dicitur : « Frons meretricis facta est tibi, nescis erubescere (*Jer*. III, 3). » Ista e regione cum habeat intrinsecus unde jure debeat erubescere, indurata in malo nescit erubescere, sicut sponsa mea, cum sit absque conscientiæ offendiculo, quod intrinsece latet, genas tamen inter opprobria, licet falsa, similes habet fragmini mali punici, quod genus pomi, cum integrum bene oleat ac rubeat, fractum tamen longe

amplius et odoris boni fragrantia et ruboris pulchritudine delectat. Sic nimirum dilecta mea mihi dilecto suo assimilata nihil habens intrinsecus confusione dignum propter simplicem cordis oculum, qui totum corpus lucidum facit, cum nullis opprobriis laceratur, florida facie venusta est sicut cortex mali punici : verum inter exprobrantes assimilatur fragmini ejusdem pomi amplius rubenti et suavius olenti, absque eo tamen quod intrinsecus latet. Non ergo mirum, quod *operuit confusio faciem meam* rubore verecundiæ inter opprobria, licet falsa, quia sic se habet natura humana, cujus carni et sanguini ego Filius Dei communicavi per omnia naturalia, quæ sine peccato intelligi possunt. Et hoc est, quod dico : *Absque eo quod intrinsecus latet*, quoniam omne peccatum, quantum in se est, latet ac latere vult, cum sit opus tenebrarum; propter quod et « omnis, qui male agit, odit lucem (*Joan.* III, 20). » Ego autem totus lux, totum lumen de lumine cum venissem in mundum, et arguerem opera tenebrarum, *propter te*, Pater, qui tale opus lucis injunxisti mihi, *sustinui opprobrium*, et inde, licet carens vitio naturæ humanæ quod intrinsecus latet, tamen ex ipsius naturæ humanæ bona et tenera conspersione verecundiam passus in facie, sicut et tristitia in mente veraciter dico quod *operuit confusio faciem meam*.

Alia translatio habet : *Operuit irreverentia faciem meam.*— *Irreverentia* est non confundi, quasi quadam impudentia bona, qualem habuit Apostolus dicens : « Non enim erubesco Evangelium (*Rom.* I, 16). » Hanc impudentiam seu *irreverentiam* debemus habere inter eos quibus displicet Christus, ut eis improperantibus, quod mortuum adoramus, tanquam impudentes non erubescamus. Vel *irreverentia* impiorum nullam mihi reverentiam exhibentium, sed me in multis irreverenter habentium *operuit faciem meam*, quoniam ad litteram quoque velabant faciem meam prodentes per hoc malignitatem suam, qua volebant operiri potius quam aperiri splendorem faciei meæ, qui sum sol justitiæ : unde et sol iste visibilis abscondit eis faciem suam. Sed et ipsi valamen extunc habuerunt super corda sua, et revera *confusio* illos operuit, quorum *irreverentia faciem meam operuit*, sic ferre non valentibus eis claritatem vultus mei, sicut patres ipsorum quondam ferre non valebant claritatem vultus Moysi. Et certe non mirum quod *operuit confusio faciem meam*, quando ego pauper ac despectus inter divites et honoratos omni humano testimonio destitutus, compellebar de me ipso testimonium perhibere illis me subsannantibus atque clamantibus : « Ecce audistis blasphemiam (*Matth.* XXVI, 65). » Verba quippe veritatis de ore meo rapta judicabant blasphemiam, longe crudelius me condemnantes, cum essem frater eorum secundum carnem, quam olim patres eorum condemnaverunt Joseph dicendo : « Ecce somniator, venite, occidamus eum (*Gen.* XXXVII, 19). » Nam revera crudelius sonat : *Ecce audistis blasphemiam* quam : *Ecce somniator;* et tolerabilius fuit ille ve-

A nundatus in servum, quam ego fuerim venditus in mortem; ille ad serviendum, ego ad moriendum; ille propter somnia, ego, ut aiebant, propter blasphemias. « De bono, » inquiunt, « opere non lapidamus te, sed de blasphemia, et quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum (*Joan.* X, 33). » Plus igitur ego

VERS. 9. *Factus sum extraneus fratribus meis* Judæis, *et peregrinus filiis matris meæ*, Synagogæ. Nam inter illos venditores fratres ex patre Jacob nullus erat filius uterinus matris suæ Rachelis, quoniam defuit Benjamin frater ejus uterinus. At in mea venditione fratres de Synagoga mihi uterini discipulum meum quasi filium Rachelis, institutum videlicet sanctissimæ vitæ disciplinis junxerunt sibi B ad perficiendum scelus traditionis, qua traditus non ad serviendum, sed, ut dixi, ad moriendum *factus sum extraneus fratribus meis* ipsis venditoribus descendendo in Ægyptum, non tamen, ut illi volebant, illic periturus, verum potius dominaturus in tota terra Ægypti, cum et infernum velut inferiorem Ægyptum despoliarem, et hunc mundum quasi Ægyptum superiorem, devicto forti armato, legibus meæ disciplinæ subjugarem, ego verus Joseph, qui, sicut ille antiquus Joseph fratribus suis in odium venerat, non solum propter somnia sua, sed propterea quod accusaverat illos apud patrem de crimine pessimo : sic et ego istis fratribus meis in odium veni, non solum propter doctrinam meam bonam, sed propter vitam suam criminosam, quam frequenter accusavi, C dicens verbi gratia : « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi, hypocritæ, qui decimatis omne olus et graviora legis præteritis, justitiam et misericordiam et fidem, qui apparetis hominibus foris mundi ut sepulcra dealbata, intus vero estis pleni omni spurcitia, et immunditia, qui habentes clavem scientiæ, clauditis regnum cœlorum nec ipsi intrantes, nec alios intrare sinentes (*Matth.* XXIII, 25 et seqq.). » Talia quidem loquendo quasi accusator fratrum *extraneus factus sum* ipsis *fratribus meis*, permaxime autem ex hoc illis fui molestus quod contra eorum avaritiam disputando, et mensas atque cathedras eorum in templo subvertendo, atque ipsos de templo per flagellum de funiculis factum ejiciendo, ipsos latrones D esse asserui, dicens : « Scriptum est quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus; vos autem fecistis illam speluncam latronum (*Matth.* XXI, 13). » Quod tamen sic a me dictum et factum est, imo et usque in finem sæculi sic faciendum est, ut videlicet negotiatores mali ejiciantur de domo tua, Pater mi, et Spiritus veritatis arguat in ea latrocinantes?

VERS. 10. *Quoniam zelus domus tuæ comedit me* in persona propria, et comedet in electis membris meis usque ad illud extremum judicium, quo plene mundabitur domus mea sive domus Patris mei, sancta videlicet Ecclesia, ejectis inde latronibus et omnibus iniquis, magno judicii flagello de funiculis peccatorum et criminum contexto, quæ cum ubique sint abominabilia, tamen in templo Dei maxime

detestabilia sunt, in vita scilicet religiosam disciplinam professa, quæ sic præeminet in tota Ecclesia sicut templum in civitate Hierosolyma. Cum ergo in tota sancta Ecclesia detester mala quæ fiunt, vidensque civitatem flere habeam super illam, quando non cognoscit tempus visitationis suæ, tamen in sacratis personis vice templi ad officium sanctimoniæ dedicatis amplius moveor videns ab eis et in eis malas fieri negotiationes et latrocinia pessima, quæ cum a me vel a meis arguuntur conviciis veris, in spiritu veritatis ex bono zelo depromptis, falsa redduntur, quia increpati de peccatis suis tela opprobriorum jaciunt in increpantes, ut in memetipso expertus sum; quoniam *opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.*

Bene dico : *Exprobrantium tibi*, quoniam qui inhonorat missum, inhonorat mittentem. Sicut enim ego dico his quos ego mitto : « Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit (*Luc.* x, 16); » sic etiam qui me filium a te Patre missum vel gloria honorant, vel *opprobriis* et injuriis inhonorant, quod mihi faciunt, *tibi* faciunt : imo etiam quod uni ex minimis meis boni vel mali faciunt, mihi et *tibi* faciunt, atque ideo exprobrantes mihi, exprobrant *tibi*. Sed quia tu impassibilis et altissimus es, *opprobria* eorum tangere te non potuerunt : super me autem, qui sum passibilis factus, tam *opprobria* quam cæteræ injuriæ *ceciderunt* et usque ad mortem me oppresserunt. Similiter et post mortem meam discipulos meos et me in eis persequendo inimici oppresserunt, imo et olim prophetas meos adventum meum prænuntiantes et fructum vineæ, ipsis malis colonis commissæ, requirentes male tractaverunt, et *opprobria* multa super eos vel super te potius, qui eos misisti, projecerunt, quando alium ceciderunt, alium vero lapidarunt. Novissime autem cum diceres : « Verebuntur Filium meum, » atque me mitteres, « opprobria majora exprobrantium tibi ceciderunt super me (*Matth.* xxi, 37) » quam super alios nuntios tuos. Dixerunt quondam patres eorum famulo tuo Moysi cum irrisione in deserto : « Revera induxisti nos in terram lacte et melle manantem : an et oculos nostros vis eruere? (*Num.* xvi, 14.) Item : « Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? » (*Psal.* lxxvii, 19.) Sic et modo mihi in cruce pendenti cum improperio dixerunt : « Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere (*Matth.* xxvii, 42). » Item : « Vah qui destruis templum Dei, et in tribus diebus illud reædificas (*Marc.* xv, 29). » Hæc aliaque improperia *exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Illi sic me subsannabant; ego autem orabam.

Vers. 11. *Et operui in jejunio animam meam.* Esuries et sitis mea fuit, ut illi credendo in me transirent in corpus meum : sed quia illi credere noluerunt, me quasi vacuum et jejunum reliquerunt. Unde etiam cum in cruce dixissem : *Sitio*, illi, non, quod sitivi, novum scilicet vinum in re-
A gno meo bibendum mihi per devotionem fidei obtulerunt, sed vinum felle mistum atque myrrhatum, nimis utique amarum, quale fuit et cor eorum. Itaque tale vinum nolui bibere, ac magis jejunare volui, quam sic amaricatum potum recipere in corpus meum, significando per hoc, reprobandos et alienandos a corpore meo eos qui sunt amari et felle impietatis corrupti. Ut autem etiam tales dulcescant ex parte, dicitur illis ab Apostolo meo inter cætera : « Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur de medio vestrum cum omni malitia (*Ephes.* iv, 31). » Sic mutatos et dulcificatos bibo, pertinaciter vero amaros respuo, et a gustu eorum jejuno, sicut in cruce jejunavi *et operui in jejunio animam meam* quasi quo-
B dam pallio tristitiæ. Vel certe in hoc animam meam tunc operui, quod virtutes ejus non exerui vindicando in hostes, prout potui, quia in corpore tunc infirmo ac fragili, prout ego ipse volui, anima fortissima latuit suasque vires non exeruit, sicut exuta carne fecit spoliando infernum, perimendo Ægyptios, ditando Hebræos. Denique cum adhuc esset hora et potestas tenebrarum, servavi ac servandam demonstravi patientiam, differens et abscondens potentiam.

Et factum est in opprobrium mihi hoc ipsum, quod exhibui me infirmum, ut infirmos lucrifacerem. Hoc ipsum *opprobrium* adauxit etiam ille latro blasphemus, qui dixit mihi : « Si quid potes,
C salvum fac temetipsum, et nos (*Luc.* xxiii, 39). » At ego hanc imbecillitatem non habui ex natura vel divina vel humana, quia divinitas mea infirmari non potuit, quæ ad indicium suæ fortitudinis terram commovit. Humanitas quoque mea, cum esset absque culpa, de nullo jure subjacuit pœnis, quarum præcipua est infirmitas humana propter peccatum primi parentis immissa, quando tunicam pelliceam accepit in indicium suæ mortalitatis, qua videlicet mortalitate cum ego carens peccato jure debuissem carere, ut homo, quem ego Verbum indui, esset quasi vestimentum lene ac stola jucunditatis; tamen ut mortales a morte animæ atque corporis liberarem.

Vers. 12. *Posui vestimentum meum cilicium* volun-
D tarie admittens carnis mortalitatem quasi cilicinam asperitatem, in qua ego innocens pro nocentibus pœnitentiam egi, non solum quadraginta dies in deserto jejunando, sed alia difficilia et aspera in carne mea portando. Hanc sævientibus occultata divinitate mea opposui, ut de peccato in me commisso damnarem peccatum. In hac etiam tanquam in lugubri veste flevi super civitatem peccatricem. Flevi etiam Lazaro mortuo et tristis eram usque ad mortem, per quam cilicio sive sacro isto conscisso circumdatus lætitia exsultarem in carne glorificata, ego Jesus sacerdos magnus, cujus in typum legitur Jesus sacerdos magnus ablatis ab eo sordidis vestibus, mutatoriis indutus, et cidari munda ornatus, atque coronis aureis coronatus (*Zach.* iii, 4, 5).

Ipsos etiam crucifixores mei corporis, qui mihi erant *cilicium*, id est asperi, volui esse mihi *vestimentum*, cum orarem pro illis, dicens: « Pater, dimitte illis, nesciunt enim quid faciunt (*Luc.* XXIII, 24). »

Sic bona faciendo, et pro eis mala patiendo *factus sum illis in parabolam* irrisoriam, id est in similitudinem improperii ac maledicti, ut maledicentes cuilibet dicerent: « Tu discipulus illius sis (*Joan.* IX, 28), » id est ita tibi eveniat, sicut evenit illi crucifixo et cum iniquis reputato. Et quidem talis maledictio revera non est benedictio; sed tamen hæc et similia dicendo verificaverunt parabolas de me illisque dictas, verbi gratia: « Homo quidam plantavit vineam, » etc., usque « verebuntur filium meum (*Luc.* XX, 9 et seqq.). » Nam quod parabolice de malis colonis, filium interficientibus, illic dictum est, isti realiter impleverunt me crucifigendo extra portam, sicut in parabola filius occisus dicitur extra vineam. Item cum in alia parabola significatus fuerim per vitulum saginatum occisum, illi et hanc parabolam, licet nescientes, impleverunt, qui me crucifigentes occiderunt, ac tali modo prodigo filio reverso ad patrem convivium magnum paraverunt, quanquam eos torqueat invidia per eamdem parabolam in seniore filio notata. *Factus* ergo *illis in parabolam*, in parabolis loquebar illis. Unde et dixi discipulis meis: « Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, et audientes non intelligant (*Luc.* VIII, 10). » Illi autem cum parabolas meas minus intelligerent quam oporteret, non me cum reverentia super his interrogaverunt, sicut discipuli quibus humiliter quærentibus datum est nosse mysterium regni Dei, sed

VERS. 13. *Adversum me loquebantur*, ut sibi videbantur, sapientes, *qui sedebant in porta* juxta consuetudinem antiquam, qua solebant judices in portis civitatum sedere ad judicandas ingredientium causas, ut in Ruth legitur, ubi causa Booz a sedentibus in porta judicabatur (*Ruth* IV, 1 et seqq.). Fiebat autem hoc, ut quæque civitas inde pacata et imperturbata maneret, cum quisque civitatem ingressus a sedentibus *in porta* sapientibus, si quid habebat quæstionis, expeditus nihil querelæ haberet in civitate, sed considentibus *in porta* sapientibus curiositate sedula fiebant conventus hominum diversorum varias parabolas illuc et inde ferentium. Si ergo evenit *in porta* civitatis Jerusalem non cognoscentis in me tempus impletum visitationis suæ; si, inquam, evenit ut ingredientes vel egredientes aliqui simpliciores de me bene loquerentur, aliquibus dicentibus quia bonus est, aliis dicentibus, non, sed seducit turbas, ipsi qui tanquam judices et sapientes, clavem scientiæ habentes, *in porta sedebant*, *adversum me loquebantur* contradicendo his qui me dicebant bonum, et sua tanquam auctorabili sententia favendo illis qui me seductorem no-

A minabant, sicut et ipsi cum dicerent Pilato: « Domine, recordati sumus quia seductor ille dixit: Post tres dies resurgam (*Matth.* XXVII, 63). » Quia enim passio mea erat quasi communis fabula; inde est quod Cleophas ait: « Tu solus peregrinus es in Jerusalem, et non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus? » (*Luc.* XXIV, 18.) Quasi dicat: Tu qui peregrinus es, ignorare potes. Turbæ autem ad diem festum collectæ de regione una cum civibus urbis noverunt quæ facta sunt in illa his diebus. Ita, ut dixi: *Adversum me loquebantur majores, et in me psallebant* etiam minores, *qui* in tabernaculis conveniendo *bibebant vinum*, ubi inter crebras et superfluas potationes irrisio de me frequentabatur, maxime in illa nocte paschali, quando post paschalem agnum vino multo potati me a traditore suscepto vigilaverunt a vespera usque in mane tota nocte, illudentes mihi primo in domo Annæ, postea in domo Caiphæ. Sic indigesto vino, quod in cœna paschali solito amplius biberant, ructus magnos inter verba emiserunt in faciem meam. Propterea dico: *In me psallebant*, *qui bibebant vinum*, ironia gravissima vocans *psalmodiam* clamosam loquacitatem, qua tota nocte illuserunt mihi, cum debuissent magis tunc psallendo gratias egisse Deo, quia hæc nox erat quæ exspoliavit Ægyptios, ditavit Hebræos patres ipsorum, quibus utique ipsi beatiores longe melius ditati fuissent, si me verum Agnum cum reverentia sus-
C cepissent et comedissent non cum fermento veteri malitiæ et nequitiæ, sed cum azymis sinceritatis et veritatis.

Aliter: Ipsi quidem conversi in amaritudine vitis alienæ potantes me aceto *adversum me loquebantur*: sed *qui bibebant vinum* dulce in cœna mea, bibituri quoque illud novum in regno meo cum omnibus, idem vinum bibentibus nunc in peregrinatione ac postea bibituris in regno meo, *in me psallebant*, quia tales probabili opere me honorant, et in canticis psalmodiæ spiritalis glorificant.

Aliter: *In me psallebant*, *qui bibebant vinum*, quia non suffecit eis, quod ego, ut Jeremias deplorat, fui « psalmus eorum (*Thren.* III, 63), » cum
D psallerent irrisorie de me absente, nisi hoc idem facerent in me præsentem, quod maxime illa nocte fecerunt, qua non solum verba injuriosa in faciem meam jecerunt, sed et sputis assiduis ipsam faciem meam dehonestaverunt intermiscendo alapas multas et colaphos, ut tale opus manuum inter verba contumeliosa esset eis quasi quædam psalmodia, imo delectabilius quam psalmodia in psalterio decachordo modulata. Isti enim erant, quos notavit Amos propheta dicens: « Qui bibebant vinum in phialis, sicut David putaverunt se habere vasa cantici, et nihil patiebantur super contritione Joseph (*Amos* VI, 6). » Ego enim eram verus Joseph venundatus pro calceamento, ut item conqueritur Amos (II, 6), quia triginta denarii apud illos ponti-

fices, ingredientes pompatice domum Dei, vix erant pretium calceamenti; sicut viginti argentei ab Ismaelitis pro Joseph quondam fratribus undecim dati, vix erant pretium calceamenti, cum fuissent inter singulos distributi. Et illi tunc videntes angustiam animæ ejus, cum deprecaretur eos, et non audierunt, nihil patiebantur super contritione illius Joseph. Similiter et isti videntes angustiam meam, in nullo mihi vero Joseph compassi sunt; cum tamen sicut David putantes habere se vasa cantici *psallerent in me*, id est contra me, quia verba Scripturæ sacræ sibi usurparunt contra me, verbi gratia dicentes: « Nos legem habemus, et secundum legem nostram debet mori, quia filium Dei se fecit (*Joan.* XIX, 7). » Sic nimirum *psallebant in me* inimici mei, id est psalmos de mea passione scriptos compleverunt in me. Nam et in siti mea potaverunt me aceto, ut scriptum est in hoc præsenti psalmo, et cætera passionis meæ præconia psalmis Davidicis inserta ipsi compleverunt. Sed inter hæc videntes angustiam animæ meæ, quando, ut in alio psalmo dicitur: « Anxiatus est in me spiritus meus (*Psal.* CXLII, 4), » nihil patiebantur, nihil scilicet compassionis habebant in passionibus et contritionibus meis et meorum discipulorum, valde mihi compatientium, cum et mater mea gladio doloris transverberata cum dilecto discipulo staret juxta crucem meam spectaculo miserabili, quo non sunt hostes mei ad miserendum commoti.

VERS. 14. PARS TERTIA ET QUARTA. *Ego vero orationem meam ad te, Domine: tempus beneplaciti Deus.* In hac prædictis malis pro parte sua Christus orationem supponit, ut discamus ejus exemplo contumeliis, jurgiis et vituperiis non rixas, sed orationes opponere. Quasi dicat: *Ipsi adversum me loquebantur*, ut prædictum est: *Ego vero orationem meam ad te, Domine*, dirigebam, etiam pro eis ita dicens: *O Deus, tempus beneplaciti* est, quod per alium prophetam prænuntiasti, dicens: « Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tui (*Isa.* XLIX, 8). » Ecce nunc *tempus* acceptabile, *tempus beneplaciti*: ecce nunc plenitudo temporis, quo veni ego Filius tuus, cui dixisti: « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui (*Matth.* III, 17). » Quia ergo *tempus beneplaciti* est, quo ego granum in terram cadens mortificatum nunc debeo fructificare, tu *in multitudine misericordiæ tuæ exaudi me in veritate salutis tuæ. Multitudo misericordiæ tuæ* superabundet, ubi abundavit miseria.

Est autem duplex hominum, pro quibus patior, miseria, in peccatis videlicet atque pœnis. Ad hanc ego multam miseriam pellendam *in multitudine misericordiæ tuæ* sic *exaudi me* Filium, tu Pater, me hominem justum, Deus Pater juste, ut non solum liberer a pœnis quas indebite, volens tamen, sustineo, solvens *quæ non rapui*, sed et mei, pro quibus hæc solvo, solvantur a peccatis pariter ac pœnis. Et hoc totum fiat *in veritate salutis tuæ*, id est in ea *salute*,

A quam tu verax mihi promisisti, ut justificeris in sermonibus tuis, quibus mihi *salutem* promisisti, et olim in prophetis et nuper vocibus apertis. Olim denique multifariam multisque modis loquens patribus in prophetis, mihi *salutem* perfectam resurrectionis promisisti et præfigurasti, non in ambiguitate, sed in veritate contestando, quod sicut Adam primus per inobedientiam cecidit in multas miserias: ita ego secundus Adam per obedientiam passionibus et morte probata prorsus omnem evaderem miseriam, et mihi meisque omnem acquirerem gloriam, ut sicut in illo Adam omnes moriuntur, ita in me omnes vivificentur. In hujus veritatis figuram Joseph non ante, sed post venditionem et carcerem, totius Ægypti accepit dominium. Moyses

B prius parvulus in aqua morti expositus, postea marinas aquas dividendo iterumque jungendo, fratres liberando et hostes obruendo, inventus est princeps magnus. Jephte prius a fratribus suis reprobatus et expulsus, post fratribus et contribulibus est in principem exaltatus et nobili triumpho magnificatus. Samson rasis capillis dehonestatus et cæcatus atque infirmus effectus, postea columnas domus concutiendo fortis comparuit, quia plures moriendo quam vivendo ex hostibus interemit, sibique congeriem ruentis ædificii tumulum gloriosum effecit. Et ecce plus quam Joseph hic. Nam ego Deus Homo, ille purus homo: ille venundatus est in servum, ego in mortem; ille missus in carcerem, ego descendo

C in infernum. Propterea, Pater, *exaudi me in veritate salutis tuæ*, ut sicut in umbra tunc venturæ veritatis vivendo in gentibus ille dominabatur in tota terra Ægypti, sic ego Veritas *in veritate salutis tuæ* nunc *exaudiar* accipiens dominium totius mundi, ut appareat ipsis quoque venditoribus meis, quod data sit mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Hoc imminente jam passione petivi dicens: « Clarifica me, Pater, apud temetipsum (*Joan.* XVII, 5). » Item: « Clarifica Filium tuum, et Filius tuus clarificabit te (*ibid.*, 1). » Sic humanitati susceptæ claritatem divinæ gloriæ ac potentiæ mihi roganti tu respondisti: « Et clarificavi, et iterum clarificabo (*Joan.* XII, 28). » Ut ergo justificeris in sermonibus tuis et verax appareas in promissis tuis, *exaudi me, in ve-*

D *ritate salutis tuæ* et claritatis promissæ, non solum in singularitate illius misericordiæ tuæ, qua ego Filius hominis et Filius Dei nominor et sum, non rapinam arbitrans esse me æqualem Deo Patri, qui me in Filium proprium genuisti amore tuo, qui Spiritus sanctus est, Virginem matrem tui Filii faciendo, sed etiam *in multitudine misericordiæ tuæ*, qua me voluisti esse primogenitum in multis fratribus adoptivis, *multitudine misericordiæ tuæ* indigentibus, sicut latro, qui me in cruce confessus *in multitudine misericordiæ tuæ* salvatur, ut cæteris fides ac spes ad eamdem *multitudinem misericordiæ* consequendam tali exemplo tribuatur.

Et quia multi sunt hac *multitudine misericordiæ* indigentes, imo quia conclusit Scriptura omnia sub

peccato, ut non ex merito justitiæ, sed ex *multitudine misericordiæ salus* credentium perficiatur, *exaudi me*, Pater, *in multitudine misericordiæ tuæ*, ut sicut nullus meorum liber est a multa miseria, sic omnibus proveniat ex hac mea passione multa *misericordia in veritate salutis tuæ*, me veraciter et efficaciter dominante in tota terra Ægypti, et fratribus meis una mecum divitiis Ægypti bene utentibus, meque illis reddentem bona pro malis intime diligentibus, et exemplo meo similiter facientibus, *in multitudine* videlicet miseriæ debita relaxantibus, ut eadem misericordiæ mensura illa remetiatur, neque ullum peccatum proveniat ipsis ad malum, sed omnia illis cooperentur in bonum, *in veritate salutis* in æternum permansuræ. Quomodo fratribus Joseph non ad malum, sed ad bonum provenit, quod ipsum vendendo peccaverant in cœlum et in patrem suum Jacob: sic omnibus, quos mihi fratres præordinasti, vera de peccatis in me Filium ac te Patrem commissis pœnitentia et per hanc plena *misericordia* tribuatur. Nam qui peccaverit in Spiritum sanctum, ut Judas, qui me verum Joseph scienter et libenter malefaciens vendidit, reus erit æterni delicti. Similiter mundus in maligno positus et in malignitate obstinatus, reus erit æterni delicti, atque ideo non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi de mundo, ut omnes ad me verum Joseph veniant, et a me frumentum sibi necessarium recipientes mihique ubique dominanti obedientes vivant et non consumantur inopia, quæ mundum in maligno positum erit oppressura; sed sint *in veritate salutis tuæ*, dicendo: « Salus nostra in manu tua est, Domine, respiciat super nos misericordia tua, ut securi serviamus tibi (*Gen.* XLVII, 25). »

Iterum quia major Moyse sum ego, et plus illo in aquis periclitor, *quoniam intraverunt jam aquæ usque ad animam meam, venique in altitudinem maris, et tempestas demersit me*, cum ille de aqua sumptus et a filia Pharaonis in filium adoptatus, tandem factus grandis, equum et ascensorem se persequentem potius in mare demerserit, quam ipse in mare mersus fuerit: recte rogo, Pater, ut me *in multitudine misericordiæ tuæ* nunc *exaudias*, qui tunc illum exaudisti, et ad clamorem orationis ejus omnes currus Pharaonis in mare mersisti, viam præbens populo tuo, cujus ille dux erat. Et nunc igitur me ducem populi tui, quem dedisti mihi, *exaudi*, obsecro, *in multitudine misericordiæ tuæ*, ut multitudo populi tui et mei liberetur ab oppressionibus et persecutionibus invisibilis Pharaonis, et *in veritate salutis tuæ* perfruatur bonis tam in via peregrinationis quam in terra promissionis. Etenim *salutis tuæ* quædam fuit umbra illi populo exhibita, cui de cœlo panem dedisti habentem omne delectamentum et omnem saporem suavitatis, cui de petra produxisti aquas, quem glorificasti per crebras victorias. Attamen quia in his donis tuis non erat *veritas*, sed umbra *salutis*, ipsi te in deserto exacerbaverunt, et plurimi eorum diversis mortibus inter-

A ierunt. Ego autem veritas *in veritate salutis* opto *exaudiri*, ut quos dedisti mihi, Pater, educendos per aquam et sanguinem de Ægypto in veram terram promissionis, vere salventur, sicut salvati sunt apostoli quasi duodecim tribuum seminarium, et nemo ex eis periit nisi filius perditionis. Sic ergo, exceptis filiis perditionis, quibus est obstinata malignitas pravæ intentionis, me ducem sequentes et Pharaonem invisibilem fugientes, in *veritate salutis tuæ* conserventur.

Item sicut in umbra Jephte prius a fratribus est reprobatus, et postea gentem suam liberans in principem fuit exaltatus, ita ut pax esset genti suæ in diebus ipsius: etiam nunc mihi a fratribus meis Judæis reprobato *in veritate salutis* eveniat, ne me
B principante vel extraneus vel domesticus inimicus mihi subditos opprimere valeat, sicut illius tempore neque alienigenæ filii Amon, neque filii Ephraim domestici, semel ab eo contriti, poterant illo principante ulterius prævalere Galaaditis contribulibus ipsius Jephte, quorum ille princeps fuit, sicut ego Christus princeps omnium Christianorum nominor et sum *in veritate salutis* omnium hoc nomen *in veritate* conservantium.

Salus etiam per Samsonem in umbra præmonstrata, nunc *in veritate salutis* proveniat, ut ruente omni machina mihi meisque inimica gloriosum fiat sepulcrum meum de ipsa congerie talis ruinæ, dum timore atque amore meæ fortitudinis quasi duobus
C brachiis concussa ruent hujus mundi excelsa, ita ut ex tali ruina elucescat victoria et gloria mea, sitque in hoc sepulcrum mihi gloriosum, dum divitibus et superbis mundi humilitatis requiescat corpus meum, quod est Ecclesia, eorum et munificentia eam consolante et potentia protegente, quorum prius vexabatur improbitate. Sic Ecclesia per orbem terræ dilatata de divitiis et ædificiis prius mundanis faciat sibi cœnobia quasi gloriosa quædam sepulcra, in quibus requiescant membra mea, ut etiam tali modo adimpleatur, quod de me scriptum est: « Ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum ejus gloriosum (*Isa.* XI, 10). » Pro quo in alia translatione dicitur: *Et erit nomen ejus gloriosum*. Sit ergo de tali triumpho et sepulcrum et nomen meum glo-
D riosum *in veritate salutis*, Deus Pater, inimicis meis corruentibus per pœnitentiam, quod oro, aut per pœnam, quod promitto ex justo judicio, et membris meis beata requie fruentibus nunc pacifice vivendo, et post mortem sempiterna pace gaudendo.

Bona sepulcra sunt religiosa cœnobia et Ecclesiæ sanctæ, in quibus et corpora sanctorum in pace sepulta sunt, et illi minimi requiescunt, de quibus Christus dicet in judicio: « Quandiu fecistis uni de his minimis fratribus meis, mihi fecistis (*Matth.* XXV, 40). » Dum ergo tales unanimiter vivendo, et necessaria corporis et animæ habendo ex divitum eleemosynis excubant ad sepulcra martyrum sub altari Dei sepultorum, tam vivis quam defunctis membris Christi paratum est sepulcrum de ruinis

mundanæ altitudinis humiliante vero Samsone suos inimicos, et plures ex eis faciens amicos, ita ut inter tales et in talibus ipsum delectet requiescere tanquam in sepulcro pulcherrimo, seu tanquam in lectulo florido, quem ei demonstrat sponsa sua, dicens : « Lectulus noster floridus, tigna domorum nostrorum cedrina, laquearia nostra cypressina (*Cant.* I, 15, 16). » Quibus nimirum verbis religiosæ describuntur congregationes, in quibus diversarum virtutum personæ laudabiles et tam sponso quam sponsæ amabiles designantur, alii florum, alii tignorum, alii laquearium nomine, hoc significante Spiritu sancto, quod in lectulo tam florido in domibus ita perornatis delectabile sit sponso et sponsæ requiescere. Unde et sponsus ipse verus Samson, cum magno terræmotu et solis obscuratione totam mundi fabricam moriens concussisset, voluit in horto monumentum habere, ostendens etiam in hoc sibi suisque membris conveniens esse in loco florido requiescere, ubi videlicet floreat religio sancta, munda et immaculata, per disciplinæ custodiam sic munita, sicut hortus muniri solet maceria vel sepe, contra incursus mundani tumultus et malignorum spirituum insidias. Sic nimirum sepulcrum Domini erit gloriosum, quod non in platea, sed in horto florido invenitur positum. Quo contra de novissimis temporibus in Apocalypsi grandis est querela, eo quod corpora sanctorum occisorum non sinuntur in monumentis poni, sed « jacebunt in plateis (*Apoc.* XI, 8). » Quod videlicet ibi cernimus fieri, ubi loca Sancta sanctorum reliquiis dedicata sic profanantur, ut plateis lutosis omnia similia inveniantur, dum religio ecclesiastica non magis observatur in eis quam in plateis. Contra quæ mala ego Christus in præsenti psalmo vehementi clamore orans dico exaudiendus pro mea reverentia : *In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me, Deus* Pater, *in veritate salutis tuæ*, ut salus, quæ per Moysen, Josue, Gedeon, Jephte, Samson aliosque salvatores, nuncupative sic nominatos, in umbra veritatis antecessit, quando clamantibus ad te filiis Israel misisti salvatores hujusmodi, qui liberarent eos : nunc *in veritate* per sacrificium passionis meæ in hoc psalmo recitatæ compleatur.

Bene autem jungo *misericordiam veritati* hac oratione, qua peto ego veritas exaudiri, quia « universæ viæ Domini misericordia et veritas (*Psal.* XXIV, 10), » quibus quasi duobus pedibus ambulat in domo sua, quæ est rationalis electa creatura, dum ut condat duos parietes in unum, per *misericordiam* peccata hominum dimittit, per *veritatem* promissa complet, quæ per angelos et prophetas loquens prænuntiavit. Itaque interpellata, et commemorata *misericordia* simul et *veritate* peto exaudiri non in parvitate vel paucitate *misericordiæ* vel in umbra salutis, sicut exauditi sunt ante me salvatores prænuntii mei, sed *in multitudine misericordiæ*, et *in veritate salutis*, prout ego vere dicor Salvator mundi, non unius Judaici populi, secundum

A quod angelus exposuit, nominis hujus, quod est Jesus, rationem dicens : « Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum (*Matth.* I, 21). » Pro salute hac orans dico :

VERS. 15. *Eripe me de luto, ut non infigar.* Vel sicut alia translatio habet : *ut non inhæream. Eripe me* caput *de luto miseriæ*, quam pro meis membris eripiendis tolero solvens *quæ non rapui. Eripe me, ut non infigar*, vel hæream diutius quam expedit *in luto* sive *in limo*, in quo *infixus sum*, sponte mortalis factus. *Eripe de* hoc *luto* et *limo* per resurrectionis gloriam, glorificando carnem meam. Vel *eripe me* a Judæis impiis eorumque similibus hominibus, scilicet lutosis per immunditiam et impiis per nequitiam. Vel lutosis atque limosis per dilectionem
B mali, et impiis per odium boni ; propter quod dico : *Libera me ab his qui oderunt me* meosque odio profundo. Unde assimilandi sunt *profundis aquarum*, quales erant aquæ Rubri maris ante faciem Moysi. Ergo sicut tunc ipsum cum populo se comitante liberasti, sic me cum populo meo *libera*, non in umbra, sicut tu illum, sed *in veritate salutis tuæ*.

VERS. 16. *Non me demergat tempestas aquæ*, uti mersus est Pharao cum exercitu suo : non me involvat Judæorum seditio tempestuosa, etsi vexet me secundum carnis passibilitatem, qua infirmus et *infixus sum in limo profundi*, attamen quia spiritus promptus est, *non* sic *me demergat*
C hæc *tempestas*, vel *absorbeat me profundum* ejus, ut absorbear tristitia, qua *tristis est anima mea usque ad mortem*.

Aliter : *Non me absorbeat profundum* inferni, quo descensurus sum, ut illic tenear, sed solutis doloribus inferni, et liberatis inde meis me illic exspectantibus, impossibile sit me teneri ab illo *profundo : neque urgeat super me puteus* infernalis *profundi os suum*, quomodo illud super omnes homines urgere solebat ante meum adventum. Potius me illic triumphante ante faciem meam tollantur portæ inferi, et nulla earum prævaleat mihi.

Aliter : *Eripe me*, id est meos, *de luto* peccati et miseriæ, ut, etsi caro in talibus infirmetur per sen-
D sum, Spiritus non *infigatur* vel *hæreat* per consensum illecebræ seu per impatientiam miseriæ, sed in bona patientia possideant animas suas a consensu peccati, et impatientia laborum liberas, imo per me Salvatorem liberatas et ereptas. Hanc ereptionem et liberationem illis peto dicens : *Eripe me de luto* illecebræ, *ut non infigar* per consensum mentis, licet corpore *infixus sim in limo profundi. Libera me ab his qui oderunt me*, ne contra eos impatiens efficiar, *et de profundis aquarum*, earum scilicet tentationum quæ levi alluvione terram solidi propositi dissolvunt et in profundum trahunt. Item ne mihi, vel meis noceat illud genus tentationum, quod non leniter alluit, sed fortiter irruit, ita ut etiam saxa de loco suo transferat, quomodo in Job

dicitur, quod paulatim terra alluvione consumitur, « et saxum transfertur de loco suo (*Job* XIV, 18), » quo dicto hæc duo genera tentationum significata sunt, ne, inquam, vel mollior vel gravior tentatio meis noceat, contra unam petito auxilio, ne videlicet trahantur in profundum aquarum, et contra majorem et fortiorem peto fortius auxilium dicendo : *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum.* Idem est *puteus*, quod *profundum* iniquitatis humanæ. Illic quisque si ceciderit, in *profundum* cadit, ubi et tenetur, si claudit *os suum* a confessione peccati. Sed si peccata confitetur et clamat, *de profundis* evadit. Si autem cum venerit in *profundum*, contemnit, super eum *puteus* claudit *os suum*, et mortuus est, et impletum est in eo quod in Salomone dicitur : *A mortuo velut qui non sit, perit confessio.*

Super hunc locum dicit beatus papa Gregorius (20): « Omnis qui viam vitæ deserens in peccatorum tenebras se dejecit, semetipsum quasi in puteum vel foveam demergit. Si vero diuturna perpetratione etiam consuetudine iniquitatis opprimitur, ne ad superiora jam possit exsurgere, quasi angusto ore putei coarctatur. Hinc ergo David sub specie peccantium orat dicens : Non me demergat tempestas aquæ. Quem enim mali operis iniquitas a bona stabilitate commovit, quasi tempestas aqua rapuit. Sed si adhuc consuetudine non prævaluit, non demersit. Jam in puteum cecidit, qui hoc, quod divina lex prohibet, perpetravit. Sed si adhuc longa consuetudo non deprimit, nequaquam os suum puteus coangustavit. Tanto ergo facilius egreditur, quanto minore consuetudine coarctatur. Quædam namque quasi conclusioris angustia est, ab opprimente mala consuetudine exsurgere velle, nec posse : jam quidem desideriis ad superna tendere, sed adhuc actu in infirmis remanere : præire corde, non tamen sequi opere, atque in semetipsum contradictorem perpeti semetipsum. Cum vero ita tendens anima manu gratiæ exaltantis adjuvatur, ab angusto ore ad latitudinem pervenit, quia, victis difficultatibus, opera bona perficit quæ conspicit. David propheta conclusionem angusti oris aspexerat, cum dicebat : Salvam fecisti de necessitatibus animam meam, nec conclusisti me in manus inimici. Latissime salvatum se esse memorat, cum subderet dicens : Statuisti in loco spatioso pedes meos. In spatioso quippe loco pedes stabiliti sunt, quando ad congruentia bona tendimus, et nulla difficultate præpedimur. Quasi enim per latum locum, quo volumus, pergimus, quia nullis objectis difficultatibus angustamur. »

Præmissa autem oratione contra multa pericula, orat pro ipsa oratione exaudienda, dicens :

VERS. 17. *Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua.* — *Exaudi me* Christum, Pater misericordiarum, *quoniam benigna est misericordia tua.* Non obtendo meritum, quia loquor in persona membrorum, quorum nullum est meritum condignum exauditione. Dico igitur ego Christianus his verbis mihi congruentibus, quia ex meritis meis non sum dignus exaudiri : *Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua.* Passus est pro me Christus, quem tu Pater misisti, non quia merui eum ego in Adam perditus, sed quia *benigna est misericordia tua.* « Apparuit » enim « benignitas et humanitas Salvatoris nostri, » Filii tui, « non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam, » et tuam « misericordiam (*Tit.* III, 4, 5), » quæ cum *benigna* fuerit, ut hic Salvator promitteretur et mitteretur, multo magis nunc *benigna est* erga nos, membra ipsius, pro quibus ipse obtulit semetipsum sacrificium in odorem suavitatis. Unde alia translatio habet : *Exaudi me, quoniam suavis est misericordia tua*, videlicet propter passionis Dominicæ sacrificium in odorem suavitatis, licet semel oblatum, tamen in psalmo isto et Scripturis cæteris divinitus inspiratis multoties recitatum et recitandum, atque in sacramento altaris iteratum et iterandum curiæque supercœlesti præsentandum item in odorem suavitatis : ac proin *suavis est misericordia*, cum propter odorem suavitatis jam commemoratum et jugiter commemorandum, tum etiam propter instantiam tribulationum seu tentationum. Sicut enim panis *suavis est*, sic tribulatis consolatio, tentatis liberatio. Permittis enim aut etiam facis tu, Deus, misericorditer tribulationem, nec alimentum subtrahis, sed desiderium moves. Hoc enim modo sicut frigus [*f.* calor] algenti, potus sitienti, sic misericordia suavior erit miseriam patienti. Igitur et ego David vel ego pœnitens homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletus multis miseriis, multitudinem quæro misericordiæ dicens : *Exaudi me, Domine ;* non dico, ut *suavis sit*, sed *quoniam suavis est misericordia tua* flagellato mihi et anxiato jam tam multis miseriis, ut multis quoque *misericordiis* tuis indigeam ad consolationem meam. Propterea dico : *Secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me;* non in peccata mea, quorum tanta est multitudo, ut si ea respicias, exigente justitia me despicias. Quod ne fiat, « averte faciem tuam a peccatis meis (*Psal.* L, 11), » et *respice* non in ea, ne ad vindictam justam contra me irriteris; sed *in me* multis miseriis repletum interius et circumdatum exterius *respice secundum multitudinem misericordiæ tuæ* in affectu, *miserationum tuarum* in effectu. Et si ego peccatis meis exigentibus merui faciem tuam averti a me, tamen

VERS. 18. *Ne avertas faciem tuam a puero tuo*, qui et in cruce pro transgressoribus exoravit, ut non perirent, et nunc in cœlo interpellat pro eisdem, ne pereant. Nam et vox sanguinis ejus clamans ad te

(20) Lib. XXVI Moral., cap. 36.

de terra Ecclesia psallente auditur in psalmo isto et aliis psalmis passionem ejus commemorantibus. Ergo tu, Pater misericordiarum, *ne avertas faciem tuam a puero tuo* electo ex millibus, qui solus ad te nobis servis tuis placandum sit idoneus, et pro sua reverentia exaudiendus, de quo dicis in Isaia: « Ecce puer meus electus, quem elegi, posui super eum Spiritum meum (*Isa.* XLII, 1). » Primus homo de terra terrenus non accepit Spiritum tuum, quem consummata obedientia erat accepturus, nisi eum per inobedientiam prævenisset spiritus malignus. Iste autem *puer tuus* de Spiritu sancto conceptus, et tibi, Pater, obediens factus recte ac vere dicit: « Spiritus Domini super me, propter quod unxit me (*Isa.* XVI, 1). » Quomodo ergo avertas ab eo faciem tuam, qui habet super se Spiritum tuum? Quod autem dico ego David: *Ne avertas faciem tuam a puero tuo*, partim prophetia, partim oratio est. Nam de capite prophetia, de me cæterisque membris ejusdem *pueri* oratio seu exactio est, quia veluti ex quodam jure non solum orando, sed etiam exigendo requirimus faciem Patris per obedientiam Filii, dicendo: *Ne avertas faciem tuam a puero tuo.*

In Hebræo legitur: *Ne abscondas faciem tuam a servo tuo.* Sensus idem est. Qui enim propter nos *puer* natus est nobis, ipse quoque semetipsum exinanivit formam *servi* accipiens, non solum habitu inventus ut homo, sed et pœna inventus ut latro, cum iniquis reputatus propter iniquos liberandos. *Ne* autem item tu, Pater, *abscondas faciem tuam*, ab hoc *servo tuo*, serva eos, pro quibus orans dixit: « Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo (*Joan.* XVII, 15). » Non enim pro solis apostolis hoc dixit, sed pro his qui credituri erant per Verbum eorum, quorum ego pœnitens unus sum jam *puer*, id est humilis et flagellis humiliatus atque ut *servus* dignus plagis multis tribulationibus flagellatus, inter quas tribulationes clamans ad te, non murmurans contra te, nunc psallens dico: *Quoniam tribulor, velociter exaudi me. Velociter*, inquam, *exaudi*. Non enim est opportunum differri solatium, *quoniam tribulor* et secundum carnem et secundum animam. Sed mihi de anima major cura est. Ideo dico:

VERS. 19. *Intende animæ meæ et libera eam propter inimicos meos*, vel convertendos, quod opto, vel confundendos et infirmandos, quod justitiæ consentiens approbo. Notandum quod duæ sunt liberationes: una occulta, quæ propter ipsos sanctos fit, qualiter liberati sunt septem fratres Machabæi tormentis nimiis corporaliter interfecti cum matre sua ipsa eos hortante, ut eligerent potius mori pro legibus Dei quam vivere contra eas; est et alia sanctorum liberatio aperta, quæ fit propter inimicos convertendos vel puniendos, ut tribus pueris de incendio liberatis, Nabuchodonosor conversus Deum

A ipsorum, quem contempserat, prædicavit, et Daniele de lacu leonum liberato, inimici ejus traditi sunt eisdem leonibus devorandi. Ergo quod dico ego David: *Intende animæ meæ, et libera eam*, ad occultam liberationem pertinet, quæ oculis insipientium non patet. Quod vero dico: *Propter inimicos meos eripe me*, ad apertam. Sic ego verus David primo in animo liberatus continuo paradisum introivi, animamque latronis eo intromisi, cui et dixi: « Hodie mecum eris in paradiso (*Luc.* XXIII, 43). » Sed hæc solius *animæ meæ* liberatio non profuit inimicis. Exaltato igitur in cœlum corpore meo ascensione manifesta et misso desursum Spiritu sancto in igneis linguis apostolisque, pridem idiotis, extunc loquentibus variis linguis, ita ut in
B omnem terram exiret sonus eorum, liberatione mei corporis manifestata, inimici mei partim confusi, partim conversi sunt.

Super hunc locum beatus papa Gregorius in Job dicit (21): *Plerumque accidit ut justi tribulatione deprehensi supernum etiam solatium temporaliter percipiant, quod tamen temporaliter non implorant. Salvari etenim non propter se, sed propter adversariorum salutem concupiscunt, ut dum illos omnipotens Deus ab immensis periculis sancto quodam miraculo liberat, virtutem suam ipsis etiam persecutoribus innotescat, atque inde adversarios ad æternitatem redimat, unde suos temporaliter salvat. Hinc est quod Psalmista vocem martyrum suscipiens ait: Propter*
C *inimicos meos eripe me. Ac si diceret: Propter me quidem eripi de temporali tribulatione non appeto, sed tamen eripi propter adversarios concupisco, ut dum mea vita salvari mirabiliter cernitur, ipso miraculorum visu inimicorum duritia convertatur. Sicut enim sæpe Dominus vitam suorum temporaliter pro inimicorum conversione eripit, ita sæpe suorum voces propter damnationem persequentium non exaudit, ut videlicet inde reatum suum cumulent, unde prævaluisse se nequiter gaudent. Nam qui invisibilia despiciunt, moveri nonnunquam visibilibus miraculis possunt. Sed idcirco cum justis plerumque nil mirum visibiliter agitur, quia eorum adversarii illuminari invisibiliter non merentur.* Sequitur:

VERS. 20. *Tu scis improperium meum, et confu-*
D *sionem meam, et reverentiam meam.* Propter inimicos meos rogo manifeste liberari et eripi, non determinans unde. Nec enim opus est quia scienti omnia loquor tibi Deo scientiarum, cui præparantur cogitationes, et cui nuda sunt omnia. Tu ergo, qui *scis* omnia, *scis* etiam *improperium meum et confusionem meam, et reverentiam meam*, a quibus omnibus peto manifeste liberari propter inimicos meos *improperantes* mihi Christo, quod sim filius fabri, quod qui alios salvos feci, me ipsum salvare non potuerim, et confundentes me sputis, alapis atque colaphis illudendo mihi, addendo etiam *reverentiam* falsam quasi regem salutando me genu flexo, et

(21) Lib. XXVI Moral. cap. 18.

spinis coronando arundinemque pro sceptro dando, et chlamyde coccinea quasi regali purpura me induendo. In quibus omnibus erat *reverentia* falsa et ignominia vera. Unde in Hebræo ponitur, *ignominia*, ubi nos habemus *reverentia*, seu *verecundia*, ut quidam codices habent. Est autem *opprobrium*, quod objicit inimicus : *confusio*, quæ conscientiam mordet, quæ in Christo esse non poterat, in quo culpa non erat : *verecundia*, quæ facit ingenuam frontem etiam de falsis criminibus erubescere, quæ in Christo esse poterat et fuisse credenda est, maxime cum ipse pauper inter divites inimicos de se ipso testimonium perhibens eos audiret sibi contradicentes et dicentes : « Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum (*Joan.* VIII, 13). » Talia illis dicentibus erat quidem in facie *verecundia* quasi de objectione falsi testimonii, cujus tunc veritas abscondita suo tempori servabatur manifestanda. Sed nunc ipsa hujus testimonii veritate declarata per Spiritum sanctum, de quo dixit : « Ille testimonium perhibebit de me (*Joan.* XV, 26), » ac per apostolos testificantes in Jerusalem et in omni Judæa et Samaria et usque ad ultimum terræ, cum Christianis objicitur nomen Christi quasi vacuum nullius usque virtutis veræ significativum, fortibus ut Paulo nec *confusio* est nec *verecundia*, sed gloria. Unde ipse ait : Non erubesco Evangelium (*Rom.* I, 16). » Et : « Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi (*Gal.* VI, 14). » Quibusdam vero cum objiceretur, quod Christum occiderunt, compuncti sunt conscientia mala et salubriter confusi, ut dicere Deo posset quisquam illorum : « Tu scis improperium meum et confusionem meam. » Quidam etiam credunt, sed confiteri erubescunt, et improperia timent. Qui cum sint membra Christi, licet infirma, credendi sunt adjuvari hac ipsa oratione Christi, qua illorum *improperia* et *confusionem et verecundiam* transfigurando in se orat ad Patrem, dicens : *Tu scis improperium meum*, id est meorum, *et confusionem meam*, id est meorum, *et reverentiam* seu *verecundiam meam*, id est meorum, pro quibus confirmandis *improperium*, *confusionem* et *reverentiam* sustinui, ut eadem ferre discerent mei meo exemplo pariter et auxilio, quod inimici non norunt ; unde nec emendari volunt.

Tu autem, Pater, qui omnia *scis*, et a quibus et pro quibus talia sustineam, nosti, quoniam

VERS. 21. *In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me.* Quidam nescientes quid faciant, pro quibus et in cruce oro dicens : « Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII, 34). » Quidam vero scientes me tuum Filium hæredem vinearum, quas male possidentes inter se dicunt : « Hic est hæres, venite, occidamus eum (*Matth.* XXI, 38). » Pro talibus ego Christus non oro, quia voluntarie peccantibus post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccatis hostia ; terribilis autem exspectatio et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. Non dico peccatores, sed adversarios. Omnes

A enim peccaverunt et egent gloria Dei, justificati gratis per gratiam gratuitam, qui me Dominum vineæ susceperunt et suscipiunt : *qui* autem *adversari* mihi non desinunt, et in sua pertinacia *tribulant me* in memetipso vel etiam membris meis, te, Patre meo inspiciente, utique digni sunt indignationis tuæ ira justa et ignis æmulatione, quæ consumptura est adversarios irritantes te, Pater, *in conspectu tuo.* Etenim *in conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me*, improperia et miserias machinando contra me, non tamen nesciente vel nolente me, quia *improperium exspectavit cor meum et miseriam*, desiderio desiderans hoc Pascha manducare, quo transiturus eram ex hoc mundo ad te Patrem, et bibere calicem quem dedisti mihi tu, Pater piissime, per impiorum qui-
B dem cruentas manus mihi porrectum, sed ad consummandum summæ pietatis effectum, quæ est pro impiis mori, cum pro justo vix moriatur quis. Ego autem pro impiis, ut pii fierent, improperia et miseriam tandemque mortem sustinere volui, et ideo *improperium et miseriam* non declinavi, sed exspectavi. Nec dico simpliciter : exspectavi, sed *exspectavit cor meum*, ut exspectationis meæ desiderium intelligatur voluntarium, secundum illud propheticum de me dictum : « Oblatus est, quia ipse voluit (*Isa.* LIII, 7). » Licet enim caro mea fuerit infirma, tamen spiritus promptus et *cor meum* voluntarium fuit ad tolerandum *improperium et miseriam*, quæ tamen *miseria* verius assignari potest me crucifi-
C gentibus quam mihi crucifixo, cui potius congruit misericordia quam *miseria*, quia pro miseris me crucifigentibus ego misericors oravi dicens : « Pater, ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII, 34). » Pro illis etiam, qui scientes me Dominum vineæ, tamen præsumpserunt occidere, ut haberent hæreditatem meam, tristis erat usque ad mortem anima mea per viscera misericordiæ commota. Unde videns civitatem flevi super illam, cum illa non videret, ego autem viderem ipsius *miseriam*, quam in eo commeruit, quod non cognovit tempus visitationis suæ. Propterea quia illa noluit flere, magis flevi ego et contristabar.

Et sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit ex omnibus illis colonis scienter in me peccantibus
D vel unus qui simul contristaretur ; quin potius exsultando in rebus pessimis læti scelus propositum peregerunt. Ego quoque persistens in proposito meo crucis *improperium*, quod futurum *exspectaverat cor meum*, jam præsentialiter imminens voluntarie *sustinui*, tristis utique non propter calicem mihi propinatum, sed propter impietatem propinantium, *et sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit.* Nam etsi discipuli mei contristati, et mulieres lamentatæ ac flentes doluerint super me, tamen non simul tristabantur, quia carnalis fuit eorum tristitia de amissione vitæ præsentis, quam in me dilexerant, cujus morte se vivificandos nondum intellexerant ita pleno intellectu, ut possent vel de morte mea, qua transiturus eram ad Patrem, gau-

dere, vel de phreneticis, qui in me medicum irrue- A rant, ita contristari ut ego. Ipsa quoque Mater mea cujus animam pertransivit gladius doloris, cum videret me cruci affixum, quasi mulier, cum parit, tristitiam habuit; sed per omnia ipsius tristitia tristitiæ meæ consimilis non fuit, sicut nec apostolorum, quorum tamen tristitia, quia laudabilis, vertenda erat in gaudium. Matris enim et apostolorum tristitia, licet pia, tamen tristitiæ meæ longe fuit supponenda, quia illi tristabantur de meis injuriis, at ego tristabar de me injuriantibus inimicis. Ego enim quasi gallina congregans pullos suos sub alas volueram eos congregare, sed illi noluerunt. Ego quasi medicus illis ægrotantibus medicamenta salutaria gratis obtuli; sed illi talibus ingrati, et quasi phrenetici male fortes irruerunt in me medi- B dicum. *Et* in illa hora tenebrarum *non fuit qui consolaretur* me sui morbi recognitione ac susceptione medicinalis potionis, quam ego medicus de carne et sanguine meo paratam illis obtuli. Hanc illi bibere noluerunt, sed quasi acerbam respuerant ita dicendo : « Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? » (*Joan.* VI, 53.) Item : « Durus est, » inquiunt, « hic sermo, quis potest eum audire? » (*Ibid.*, 61.) Ita cibum et potum meum salubrem illi respuerunt, et retribuentes mihi mala pro bonis,

VERS. 22. *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.* Quia cum eos quærerem dulcem et sapidum cibum, ipsi fecerunt se fellicosos, et *in siti mea*, id est, ubi eos sitiebam, fece- C runt se acerrimos. Ad litteram quoque secundum Joannem passio Domini consummata fuit in eo quod, cum dixisset : *Sitio*, unus militum spongiam aceto plenam, impositam arundini et hyssopo circumpositam obtulit ori ejus. Et ipse cum accepisset acetum, dixit : « Consummatum est (*Joan.* XIX, 30). » Matthæus quoque narrat : « Vinum cum felle mistum a militibus illi datum, ut biberet (*Matth.* XXVII, 34). » Sed ille cum gustasset, noluit bibere.

Hic notandum quod vinum felle mistum secundum Matthæum, sive myrrhatum secundum Marcum a militibus nondum elevato in crucem oblatum, cum gustasset, noluit bibere; acetum vero D accepit hyssopo circumpositum jam in crucem exaltatus. Quo facto significatur quod amare de amaritudine sua pœnitentes, et humilitatem, quæ per hyssopum notatur, habentes non respuit is qui cor contritum et humiliatum non despicit, quique cinerem tanquam panem comedit, quando pœnitentes æque ut innocentes in corpus suum trajicit. Verum duplices animo, quales notantur per vinum myrrha seu felle seu etiam utroque permistum non illi sunt acceptabiles, qualium fuit unus ac præcipuus Judas mercator pessimus, qui dicens : Peccavi, tanquam in confessione peccati vinum obtulit, sed hoc vinum felle amaritudinis et myrrha impietatis mistum fuit in eo quod non ipsi Christo vel apostolis ejus cum spe veniæ, sed quasi alter Cain cum desperatione indulgentiæ criminis ejusdem consortibus Scribis et Pharisæis confessus est peccatum suum. Simon quoque Magus rogans Petrum aliosque apostolos, ut orarent pro se, quoniam non sincere hoc fecit, quasi vinum *felle* mistum offerens audivit a Petro apostolo inter cætera : « In felle amaritudinis, et obligatione iniquitatis video te esse (*Act.* VIII, 23). » Recte itaque Dominus vinum *felle* seu myrrha permistum cum gustasset, noluit bibere, quia duplices et ficte pœnitentes non recipit, qui tamen *acetum* legitur accepisse sibi porrectum circumposito hyssopo, quia placet illi pœnitentiæ amaritudo in spongia cordis contriti et humiliati, qualis erat pœnitentia Petri amare flentis, qui vere quasi unus militum bonorum Christo sitienti pœnitentiæ ipsius obtulit potum, fletu suo temperatum, non *felle* amaricatum. Talem potum se habere acceptum ostendit ipse Christus alias dicens : « Potum meum cum fletu temperavi (*Psal.* CI, 10). »

Notandum sane quod legitur de spongia, non de calice bibisse *acetum*. Qui enim de spongia bibit, partem sumit, partem in spongia relinquit. Sic et Christus non omnem pœnitentiam, licet simplici corde oblatam, recipit, sed eam duntaxat quam judicat fructuosam. Unde non dicitur : « Facite pœnitentiam; » sed « facite fructus dignos pœnitentiæ (*Luc.* III, 8). » Quos qui non facit pro suo posse, licet in amaritudine doloris offerat *acetum*, non tamen acceptabile illi est, qui desiderat dignum pœnitentiæ fructum. Tale *acetum* vinea illa obtulit, quæ conversa est in amaritudinem vitis alienæ, exspectata scilicet ut faceret uvas, fecit autem spinas. Nam et spinea corona imperium Christi derisit.

Videtur hoc loco littera psalmi a littera discordare sancti Evangelii. Legitur namque in Evangelio *fel* non *in escam*, sed in potum datum fuisse. Unde hoc potius mystice accipiendum est. In quo satis convenit, quod non dixit : *Fel dederunt escam*, sed *fel in escam dederunt*, ut littera quoque psalmi concordet cum littera Evangelii. Jam enim Dominus acceperat *escam*, qui cum discipulis Pascha comederat, ubi et sacramentum corporis et sanguinis sui ministraverat. Hæc *esca* est et sacramentum et res atque virtus unitatis membrorum et capitis in corpore Christi, quod est Ecclesia. De qua loquens Apostolus ait : « Unus panis, unum corpus multi sumus (*I Cor.* X, 17). » In hanc igitur *escam* tam suavem, tam sapidam tunc persecutores Domini *fel et acetum* injecerunt, quando eos non invenit secum tristes aut se consolantes, imo se contristantes, atque de sua suorumque tristitia, quod pessimum fuit, exsultantes. Ignari scilicet erant, quod ipsorum gaudium vertendum esset in luctum, et suorum tristitia convertenda in gaudium, quibus etiam ad expurgationem Judaici *fellis* ipse Christus post resurrectionem indulsit una

secum cibari de favo mellis. Sed nunc contemptores Christi sedentis in cœlo gravius peccantes quam Judæi, qui ambulantem in terra crucifixerunt, injiciunt *fel et acetum escæ*, cum male bibendum Ecclesiæ scandalum inferunt sive peccatores sive hæretici. Gustavit Dominus amarum poculum, docens hoc sacramento nos quoque gustare, id est pati tales, sed non bibit, quia recipi tales in corpus Christi non possunt. Hoc ergo mystice sic prædicitur, sicut in passione mystice factum est. Pro quibus ego Christus partim flectendis, partim frangendis oro dicens :

VERS. 23. *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum.* Ipsi meam *mensam*, qua Paschalem cœnam consummare disposui, disposuerunt coram me, sciente me, in laqueum mihi, quia eis machinantibus manus me tradentis mecum erat in mensa, ut per illam caperer et illaquearer. *Fiat* ergo illis justa *retributio*, ut et *mensa* eorum, sacra scilicet Scriptura, *coram ipsis*, id est in notitia eorum proposita illis ad Paschale convivium, quo parandus erat eis transitus ex Ægypto per mare Rubrum; scilicet ex hoc mundo per baptismum in terram promissionis, vertatur illis *in laqueum coram ipsis*, ut quasi vivi absorbeantur, dum suam videntes iniquitatem pariterque infelicitatem perseverant in ea ipsa littera Moysi, quam legunt, eos accusante, sicut eis ore proprio dixi : « Moyses vos accusat, de me enim ille scripsit, et huic vos non creditis (*Joan.* v, 45, 46, 47). » *Fiat* ergo ipsa littera legis *in laqueum*, qui volunt inde alios illaqueare abutendo Scripturis veritatis ad confirmationem sui erroris : quod non solum faciunt Judæi, sed omnes hæretici et cæteri doctores perversi. Qui, ne alios, prout volunt, pervertere valeant, opto illis ut suis laqueis illaqueati cadant, et hoc *in retributionem* sui voluntarii erroris accipiant, ut quia charitatem veritatis non receperunt aut recipere volunt, mittatur illis operatio erroris, et credant mendacio : quibus quidem primo verbum Dei oportuit prædicari ad confirmandas promissiones Patrum, quibus hoc erat promissum. Sed quoniam repulerunt et repellunt illud, apostoli mei convertentur ad gentes in reprobationem Judæorum, *et in scandalum*, id est offendiculum, dum sicut alter Esau graviter contristati offenduntur, propterea quod supplantatis ipsis gentes benedicuntur. Et primo quidem fient eis hæc mala ipsis scientibus. Verum quia scientia sua nolunt bene uti, et oculos habentes nolunt videre, sed invidere.

VERS. 24. *Obscurentur oculi eorum, ne videant.* Missi scilicet in tenebras exteriores, quia diligunt interiores. Qui ergo nolunt habere lumen conscientiæ bonæ videndo et diligendo me Christum solem justitiæ, perdant claritatem bonæ famæ, secundum quam dicti sunt filii Abrahæ, vel etiam filii Dei excelsi, et agnoscatur ab omnibus quod ex patre diabolo sunt, cujus et desideria facere volunt.

Beatus papa Gregorius (22) hunc locum perstringens in Job, dicit : *Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva.* « Hoc a Propheta de reprobis, non optantis animo, sed prophetantis mysterio denuntiatur. Oculi quippe sunt, qui in ipsa honoris summi facie positi, providendi itineris officium susceperunt. Quibus hi nimirum, qui subsequenter inhærent, dorsa nominantur. Ait ergo : *Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsa eorum semper incurva.* Ac si diceret : Qui humanæ vitæ actionibus quasi providendis itineribus præsunt, veritatis lucem non habeant, ut et qui sequuntur subditi, iniquitatum suarum oneribus incurvati statum rectitudinis amittant. (23) Quod factum in Judæa procul dubio novimus, cum ipso Redemptoris nostri adventu Pharisæorum turba, atque sacerdotum a vero lumine mentis oculos clausit, et per præpositorum exempla gradiens in infidelitatis tenebris populus erravit.

Dixerit ergo Propheta prophetando, quod futurum prævidit. Sed Christus, qui hæc præsentialiter pertulit, non tanquam propheta prænuntiat futura, sed tanquam judex justas dictando sententias contra injurias injuste sibi illatas dicat in conspectu Patris et totius curiæ cœlestis per os proprium. Dicat etiam per os psallentis Ecclesiæ, in qua et ipse creditur psallere, juxta quod alibi dicit ipse : « Confitebor tibi in populis, Domine, psalmum dicam tibi in gentibus (*Psal.* LVI, 10), » dicat, inquam, ipse Christus contra Judæos inimicos suos aliosque illis consimiles vinum *felle* mistum illi offerentes, id est mundissima et sanctissima sacramenta indigne tractantes vel percipientes, et in eis administrandis quæ sua sunt, quærentes, dum in omnibus, quæ in divinis officiis agunt, non Dominica, sed propria lucra cogitant. Annon vinum *felle* mistum offerunt, qui propter manifestos incestus et Simoniacos quæstus interdicti ut concubinarii et conductitii, tamen sacrificare præsumunt? Similiter odium, vel cujuslibet criminis mortalis amaritudinem gerentes in corde, cum præsumunt preces vel sacrificia offerre Deo, vinum *felle* mistum offerunt, quo sacrificio Deum non placant sed offendunt, maxime si commoniti et redarguti emendari nolunt, sed pertinaciter in sua malitia persistere volunt. Contra hos in psalmo isto dicat Christus judex justus : *Obscurentur oculi eorum, ne videant, et dorsum eorum semper incurva*, id est prælati eorum, qui se sapientes et clare videntes gloriantur, quia sapientes ad hoc sunt, ut faciant mala, et eadem facta, dum arguuntur, defendere sciant, perdant quod habent acumen rationis et lumen scientiæ, ne valeant alios in errorem

(22) Curæ Pastoral., part. I, cap. 1.

(23) Idem lib. XXV Moral., cap. 16.

seducere, sed intelligant se duce indigere. *Dorsum* quoque *eorum semper incurva*, ut sequaces eorum non sint erecti per superbiam, sed incurvati et humiliati vel ad pœnitentiam, quod per misericordiam volo, vel ad pœnam, quod per justum judicium tolero. Et hoc *semper* ita sit, secundum quod dico : *Dorsum eorum semper incurva*, ut et pœnitentibus humilitas maneat sempiterna, et impœnitentibus humiliatio item sempiterna, ut neque in illis per humilitatis virtutem, neque in istis per humiliationis pondus incurvatis ulla sit occasio elationis.

Aliter : *Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva.* Scriptum est : « Sapientis oculi in capite ejus, oculi autem stultorum in finibus terræ (*Eccle.* II, 14; *Prov.* XVII, 24). » Sapientis oculi sunt in capite ejus, quia in Christum, qui est caput omnium bonorum, qui etiam caput et principium est omnium creaturarum, sicut ipse ait : « Ego principium, qui et loquor vobis (*Joan.* VIII, 25), » et de quo Moyses ait : « In principio creavit Deus cœlum et terram (*Gen.* I, 1); » in illud, inquam, caput ac principium diriguntur *oculi* sapientis, ut inde habeant recte sapere, unde habent esse. *Oculi* autem stultorum in finibus terræ, quia sola terrena sapiunt, et quæ sursum sunt sapere nolunt. Quibus quia utilius est nihil sapere quam male sapere, ut potius assimilentur jumentis insipientibus, quam habeantur pro sensatis et sapientibus, *obscurentur oculi eorum ne videant*, ut perdita vel obtusa, in qua gloriantur, subtilitate scientiæ intus in homine interiore, foris quoque humilientur, *incurvato dorso* in homine exteriore sua dejectione interioris hominis cæcitatem contestante. Per faciem quippe interior homo, per *dorsum* vero exterior non incongrue accipitur, quia in illo vultus divini similitudo et imago exprimitur, ut iste ipsius regimine ducatur, et post ipsum quasi *dorsum* post faciem dirigatur. Obscuratis igitur oculis interioris hominis consequens est etiam deformari habitum exterioris, uti quondam rex Nabuchodonosor sensu privatus, etiam corpore incurvatus quasi bos fenum comedit septem annis, humiliatus hac pecuali deformitate, donec medicata superbia recognovit quod Altissimus dominaretur in regno hominum. Sic etiam nunc hominum contra disciplinam divinitus institutam superbientium deprimatur superbia, ut *obscurentur oculi eorum, ne videant, et dorsum eorum semper* incurvetur. *Semper* dico, quandiu sunt, quales modo sunt. Nam si fuerint alterati et humiles effecti, non eos tangit ista maledictio, sed convenit eis humilium beatitudo secundum illud : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* V. 3). » Illi vero, de quibus alias dicitur : « Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum; superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper (*Psal.* LXXIII, 23), » incurventur semper, ut evidens fiat in eis ista imprecatio, quam ego Christus ex ore psallentis A Ecclesiæ dico tibi, Pater juste : *Obscurentur oculi eorum, ne videant, et dorsum eorum semper incurva*, ut *semper* curvi et nunquam erecti non valeant opprimere bonos, prout volunt.

Et quia Ægyptiis quondam filios Israel opprimentibus et odientibus isti sunt in malitia comparandi vel etiam præferendi, comparentur quoque illis in pœna. De illis dixisti ad Moysen : « Extende manum tuam super Ægyptum, et sint tenebræ in Ægypto tam densæ, ut palpari queant, et factum est ita (*Exod.* X, 21). » Nam spatio trium dierum tenebræ horribiles erant super omnes Ægyptios, obscuratis scilicet oculis eorum, non exstincta in eis visione, sed circumfusa eis undique densa caligine, ita ut non posset quisquam illorum videre B fratrem suum, nec movere se de loco in quo erat. Sic et istis filios Israel odientibus, et bonos oculo nequam inspicientibus, vel potius despicientibus, præpediatur in longum latumque prospectus, ut licet habeant rationis acumen, tamen densa fatuitatis caligine circumfusi, non se possint, prout volunt, movere, seu mala, quæ moliuntur, promovere. Item Sodomitæ volentes irrumpere in domum Lot justi sic cæcitate percussi sunt, ut ostium invenire non possent (*Gen.* XIX. 11). Ita et isti Sodomitis in immunditia et nequitia consimiles domum justi, de qua scribitur : « Domus justi plurima fortitudo (*Prov.* XV, 6), » volentes irrumpere ac perturbare, sic percutiantur cæcitate, ut ostium invenire non possint, aditum nullum reperientes ad perturbandum quemlibet virum ju- C stum. Ipsum etiam Christum, qui dicit : « Ego sum ostium (*Joan.* X, 9), » nunquam inveniant, qui Sodomitica impietate pleni non fideliter, sed infideliter ipsum quærunt. Item a rege Syriæ missi milites ad capiendum prophetam Elisæum leguntur percussi cæcitate (*IV Reg.* VI, 18), ita ut nescientes quo irent, in Samariam civitatem regis Israel introirent, qui tamen rex Israel ab Elisæo prohibitus est eos lædere, licet missos ad lædendum se. Sic et isti bonos lædere parati, cæcitate utili percutiantur, et ab ipsis bonis in bono vincantur, sicut et illi Syri bonitate victi Elisei non apposuerunt ultra venire in terram Israel ad quemquam lædendum. Usque adeo fuit tam Syris quam Israelitis utile oculos inimicorum orante propheta D obscuratos ad tempus fuisse. Igitur geminæ utilitatis intentione oratio hæc deprompta sit : *Obscurentur oculi eorum, ne videant, et dorsum eorum semper incurva*, ut inimici Ecclesiæ perdita mentis astutia semper habeant ad aliis vel etiam sibimet nocendum corpora invalida, *et dorsa incurvata semper :* si tamen superbia eorum ascendit semper. Ad quam reprimendam vel exstinguendam, ne ultra modum ascendat.

VERS. 25. *Effunde iram tuam.* Non dico : stilla minutatim, sed : *Effunde* copiose in morem fluminis magni super eos, ut scilicet eos obruat *ira tua*, qualiter factum constat exercitu Romano Judæos vastante, atque in modum fluminis

exundantis, omnia mœnia eorum subvertente, ita ut non relinqueretur lapis super lapidem, quod erat evidens ostensio *irâ tuæ*, Deus judex juste, qui licet non irascaris per singulos dies, irasceris tamen aliquando licet animo tranquillo, atque extunc magis irasceris, cum peccantibus iram tuam abscondis. Ideo dico : *Effunde iram tuam*, ne intus occultata crescat et furor fiat, quia *ira* crescit in furorem, quando mitis correptio non emendat peccatorem. Et est quidem, o Deus, ab ira tua præsentialiter flagellante ad misericordiam tuam fuga secretissima his quos mutant et emendant ipsa præsentia flagella. Verum qui flagellis ipsis pejoratur, tandem finita vita præsenti furore ineffugibili comprehendetur. Ideo quia loco præsenti loquor de impiis inemendabilibus, *iram* simul et *furorem* pono dicens : *Effunde super eos iram tuam, et furor iræ tuæ comprehendat eos*, ut temporalibus pariter et æternis pœnis torqueantur, qui veritati et justitiæ pertinaciter adversantur. Quo contra is qui vere pœnitens pœnitentiales psalmos canit, *iram* simul et *furorem* cupiens effugere, dicit assidue : « Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me (*Psal.* VI, 2) : » sive ut habet usus translationis alterius : « Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. »

Est namque non parva differentia inter *iram* et *furorem* tuum, Deus judex juste : quoniam, « cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis (*Habac.* III, 2), » et *in ira misericordiæ memor eris ;* in *furore* autem tuo nulla est misericordiæ mentio. Utriusque rei exemplum tenemus in duobus judiciis tuis præteritis, quæ legimus. Nam et hominem suasu diaboli peccantem *in ira tua* judicans, ac de paradiso ejiciens memor eras misericordiæ, prohibens illum ab esu ligni vitæ, cujus fructum si peccator comedisset, atque inde in æternum vivere accepisset, nullus illi ad misericordiam tuam fuisset redeundi aditus, quoniam esset æque ut diabolus infeliciter immortalis, et immortaliter infelix, cum esset ejus misere in æternum viventis misera æternitas et æterna miseria, a qua miseria illum tunc misericordia tua, Deus Pater, custodivit, cujus *furor* diabolum in cœlo judicans atque inde illum quasi fulgur præcipitans nullius misericordiæ fuit memor erga illum superbum sola superbia in peccatis elatum, neque ulla fragilitate intrinseca, seu tentatione forinseca supplantatum, sicut homo fragilis deceptus et subversus est ab illo. Cum ergo sit multum grave *in ira tua*, Deus, corripi ad similitudinem Adæ prævaricatoris, omnino autem damnabile argui a te *in furore tuo* ad similitudinem Satanæ quasi fulgur de cœlo cadentis : pœnitens homo utrumque malum cupit evadere, diabolus autem et membra ejus thesaurizant sibi *iram* in die *iræ* et revelationis justi judicii tui, Deus. *Ira* vero thesaurizata et quasi cumulata recte *furoris* nomen accipit, qui misericordiam penitus nullam admittit, quia peccatores impœnitentes ita *comprehendit*, ut neque ab

A oriente neque ab occidente neque a desertis montibus pateat fugiendi locus, quoniam Deus judex est, cujus *iram* vix, *iræ* autem *furorem* nullo modo quis effugere potest. Ac propterea ego Christus vel ego David psallens hoc loco non optantis voto, sed justo judicio utrumque super impœnitentes venire concedo, *iram* videlicet et *furorem*, dicens tibi, Deus Pater : *Effunde super eos iram tuam, et furor iræ tuæ comprehendat eos.* Tu olim verbis præteriti temporis prænuntians futura, dixisti : « Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima (*Deut.* XXXII, 22). » Iste *furor iræ tuæ comprehendat eos*, ut, quia ipsi nolunt intelligere, ut bene agant, saltem bene agere volentes impedire non valeant.

B Aliter : *Effunde super eos iram tuam* per occultas pœnas animarum contra illud, quod mihi meisque opto liberationem occultam dicens : *Intende animæ meæ et libera eam.* Similiter etiam quomodo meis opto manifestam liberationem dicens : *Propter inimicos meos eripe me ;* sic inimicos in malitia sua obstinatos *furor* manifestus *iræ tuæ comprehendat*, ut cæteri timorem habeant, quando peccantes coram omnibus arguuntur quoque ac puniuntur coram omnibus pœnis manifestis eorum culpæ condignis.

Etenim quia propter conservandum locum et gentem prætendentes populo timorem, crucifixerunt me Dominum loci et gentis, dignum est ut

C VERS. 26. *Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.* Venientibus Romanis et tollentibus ipsorum locum et gentem. Sic Romanis, licet infidelibus Deo militantibus, et Judæi amisso templo et privatis habitaculis inclytæ ac sanctæ civitatis Jerusalem vagi sint ac profugi velut alter Cain super terram, quæ aperuit os suum et suscepit sanguinem Christi de manu eorum : et nunc Romanis fidelibus item Deo militantibus auctoritate regiminis apostolici falsi Christiani, et maxime falsi clerici negotiantes in domo Domini flagello Dominico ejiciantur de templo dicente illis Domino : « Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta (*Luc* XIII, 35), » ut *fiat habitatio eorum deserta*, *et in tabernaculis eorum*, quæ
D sunt eorum privatæ mansiones, *non sit qui inhabitet*, ne vacet illis in cubilibus et impudicitiis diabolo servire, qui Deo volunt servire.

Aliter : *Habitatio eorum*, in qua corporaliter habitant, videlicet ipsum templum, quod causa quæstus frequentant, et *tabernacula* privata, quæ mentis affectu *inhabitant*, cum e converso in templo mentis affectu *inhabitare*, atque in suis privatis domibus corporaliter solummodo habitare deberent, ita Romanis militantibus tollantur ab eis, ut et *habitatio eorum fiat* ab eis *deserta*, *et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet* de numero eorum, sed auferatur ab eis regium templum, regalis et sancta civitas, tradaturque genti facienti fructus ejus. Hoc ex parte impletum videmus, ejectis non solum

Judæis de templo Domini, sed et clericis Judæorum consimilibus item ejectis, et religiosis Dei cultoribus introductis in locum ipsorum. Sed quia psalmus iste intitulatur, *In finem pro his qui commutabuntur*, omnis consummationis finem verba hujus psalmi requirunt, ut videlicet perficiatur ex toto *in finem* quod in psalmo isto, psallente Christo, rogatur, cum dicitur: *Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet*, purificato videlicet sancto templo per spiritalem Antiochum profanato et polluto, quod purificari non potest, nisi ejectis Judæis et Judæorum similibus Christi crucifixoribus, atque introductis veris veræ religionis observatoribus. Nec mirandum, quod ego Christus naturaliter pius impios istos ita districte judico tuo, Pater juste, concordans judicio justo, in quo a filiis suis justificatur sapientia insipientibus istis et malignis, qui oderunt eam, indignata justissimo utique judicio.

VERS. 27. *Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* — *Quem tu*, Pater, *percussisti*, qui flagellas omnem filium quem recipis, quod in me satis ostendisti, dum mihi proprio Filio tuo non pepercisti, quem pro filiis adoptivis redimendis *percussisti* mortalitate aliisque miseriis, quæ sunt pœnæ iniquitatis, cum ego iniquitatem non fecerim: *Quem* ergo *tu* sic *percussisti* bona intentione tui percutientis et mei patientis, illi mala intentione *persecuti sunt* insistentes Pilato, ut crucifigerer, et de vinea mea projectus ego Dominus vineæ crudeliter occiderer, atque postmodum fugando apostolos meos de civitate in civitatem *persecuti sunt me* in membris meis crudelissime quosdam ex eis occidendo et crucifigendo, lapidando, flagellando in synagogis suis, « ut veniat super eos omnis sanguis justus, qui effusus est a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, quem occiderunt inter templum et altare (*Matth.* XXIII, 35). »

In omni autem sanguinis justi effusione *dolor vulnerum meorum* iste fuit præcipuus, quod nec vulneribus meis aut meorum dilectorum permoveri poterant inimici veritatis ad charitatem veritatis, licet viderent me meosque dilectos diligere veritatem usque ad mortem seu vulnera et omnia tormentorum genera, quibus etsi potuissent occidi, non poterant flecti martyres ac testes veritatis, imitatores meæ mortis, quam pro veritate sustinui ego in hoc natus ut testimonium perhiberem veritati. Etiam in hoc *super dolorem vulnerum meorum addiderunt*, quod post mortem meam Pilato dixerunt: « Domine, recordati sumus quia seductor ille dixit: Post tres dies resurgam; jube ergo custodiri sepulcrum, » etc. (*Matth.* XXVII, 63, 64.) Sic me persequendo non solum viventi *vulnera* intulerunt, sed et sepulto nomen seductoris imposuerunt signantes lapidem cum custodibus, quos et postea data pecunia copiosa coemerunt in falsum testimonium thesauris templi abutentes contra me Dominum templi. Quos adhuc

A imitantur nonnulli qui me in meis persequendo vulnerant ferro aut verbo aspero, quorum dentes arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus; *addunt* etiam *super dolorem vulnerum* vel mei vel *meorum*, ut ad perpetranda mala bonis ecclesiasticæ facultatis abutantur, quibus coemunt sibi militiam ad perficiendam malitiam. Quia ergo sic mala malis apponunt, tu, Pater judex juste,

VERS. 28. *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum.* Iniquitas eorum suadet illis occidere hominem justum injuste, ob hoc præcipue quoniam contrarius erat operibus eorum. *Super* hanc *iniquitatem* alia est addita, ut occiderent Filium Dei. Hanc tu, Pater, *apposuisti*, qui me per nuntios et servos tuos ab illis occisos, etiam ab eis occidendum misisti et

B occidi permisisti; quod ego tuæ voluntati obediens approbo, quantum ad intentionem tuam, Pater, sed improbo, quantum ad eorum intentionem, qui propterea me, *quem tu percussisti, persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt apponendo iniquitatem iniquitati*, ut me per iniquitatem occiso haberent hæreditatem meam item per iniquitatem. *Appone* igitur *iniquitatem iniquitati* puniendo, sicut apposuisti eam fieri permittendo ut me Domino vineæ sibi per æquitatem propter *iniquitatem* ablato auferatur quoque illis item per æquitatem propter *iniquitatem* hæreditas melioribus agricolis committenda.

Et non intrent in justitiam tuam, quæ ex fide est,

C qui suam pertinaciter volunt statuere, quæ ex lege est, cum justitia fidei quasi domina introducere valeat in regnum, vel potius ipsa sit regnum, sicut alias dicitur: *Regnum Dei non est esca vel potus, sed justitia et pax et gaudium in Spiritu sancto: justitia* vero legis quasi ancilla de regno Dei sit ejicienda cum suis sectatoribus, juxta illud: *Ejice ancillam et filium ejus*

Et quia multi hac falsa *justitia* decepti putant scriptos in libro viventium, id est justorum,

VERS. 29. *Deleantur de libro viventium* patefacta veritate, quod justus ex fide vivit, si tamen fides ipsa non est mortua, sed per dilectionem vivens et operans, non opera legalium cæremoniarum, sed significata earum, verbi gratia pro turture offerens

D castitatem, pro columba simplicitatem, pro agno innocentiam simulque patientiam cæteraque fidei per charitatem operantis opera bona, quibus carentes, aut, quod pejus est, contraria illis facientes *deleantur de libro* justorum ex fide per dilectionem operante *viventium*, ne justi nominentur aut putentur, sicut ipsi putant se habere vitam æternam ex notitia Scripturarum sine observantia earum. Propterea ego Christus Judæis in legis scientia gloriantibus dixi, et adhuc similibus eorum dico: « Scrutamini Scripturas, in quibus putatis vos habere vitam æternam (*Joan.* V, 39). » Quandiu ergo illud putant, quod in Scripturis vitam æternam habeant, suo arbitratu scripti sunt in libro vitæ. Sed auferatur eis hæc falsa opinio, ut intelligant se non

esse scriptos in libro vitæ, qui non tenent mandata vitæ. Si enim scripti essent in libro vitæ, qui est notitia præscientiæ meæ, nunquam delerentur inde. Nam quos præscivi una cum Patre meo conformes fieri mihi novo homini secundum Deum creato in justitia et sanctitate veritatis, illi complantati similitudini mortis meæ simul et resurrectionis erunt, mihique Verbo æterno pelli humanitatis assumptæ inscripto et ipsi ascripti non poterunt unquam de libro vitæ, qui liber vel quæ vita ego sum, *deleri*.

Attamen ex eis qui putantur ascripti, secundum quod a me Christo Christiani, a me justitia justi, a me sapientia sapientes denominati sunt, multi *delebuntur*, cum patefactis eorum iniquitatibus vel nunc vel in extremo judicio insipientes, injusti et ipsius diaboli vel Antichristi membra esse cognoscentur. Quod propter ipsos humiliandos et aliquos ex eorum numero vel exemplo emendandos oro fieri quantocius, ne tunc demum cadant a latere meo qui se putant sessuros mecum in judicio, vel a dextris meis qui se putant statuendos cum agnis ad dexteram, non cum hædis ad sinistram, quando nec illis nec aliis ulla ex eorum casu erit emendatio. Potius nunc *deleantur de libro viventium* et cadant de numero judicum, ut malitia eorum denudata potestas illis auferatur judiciaria, ne sint judices in Ecclesia præter illos quibus a Patre meo sedes est parata, qualibus dixi: « Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX, 28). » Qui ergo tunc etiam angelos judicabunt, ipsi nunc etiam sæcularia judicent: ne quis meorum fidelium habens negotium cogatur judicari apud iniquos et non apud sanctos, depositis inimicis meis potentibus de sede judiciaria, exaltatis humilibus, quod nunc particulariter agitur, in fine autem, sicut *in finem* psalmus hic titulatus est, omnino est complendum, quando universaliter omnes vere injusti et falso justi nominati *delebuntur de libro viventium*. Non est autem aliud *de libro viventium* aliquos *deleri*, quam in judicio divino manifestari quod nunquam fuerunt in eo conscripti. Unde quasi exponens quod dixi: *deleantur*, appono: *et cum justis non scribantur*, ut quos falsa justitia simulavit scriptos in libro vitæ, veritas justitiæ ostendat nunquam fuisse in eo scriptos.

Aliter: *Deleantur de libro viventium* Abraham, Isaac et Jacob, quorum dicitur esse Deus is qui non est Deus mortuorum, sed *viventium*. Omnes enim illi vivunt, qui horum Patrum fide justificati sunt, sicut « Abraham credidit Deo, et reputatum est illi ad justitiam (*Gen.* XV, 6). » De istorum consortio auferantur qui eorum fidei adversantur, *et cum justis* Novi Testamenti Patribus, apostolis videlicet, *non scribantur*, quorum etiam fidei et doctrinæ adversantur.

Aliter: *Deleantur de libro viventium*, qui est præscientia divina, non quod illic penitus nesciantur, cum a Deo tam mala quam bona omnia futura præsciantur, sed ita ut *cum justis non scribantur*, id est

A inter justos illic scriptos non inveniantur, sed inter impios item illic inscriptos et præscitos ad damnationem, sicut justi præsciti sunt ad salutem. Præscientia enim complectitur omnes tam malos quam bonos; prædestinatio autem pertinet ad omnes et solos bonos.

Aliter: Quandiu hæretici, vel quicunque sectatores pravæ sectæ alicujus nomen habent, quod vivant, cum sint mortui, ut angelus Ecclesiæ Sardis, cui dictum est: « Nomen habes quod vivas, sed mortuus es (*Apoc.* III, 1), » plus nocent vera pravitate iram Dei super se aliosque provocando in officio aliquo ecclesiastico, quam prosint mentita sanctitate quasi bona exempla prætendendo. Ipsi ergo *deleantur de libro viventium*, primo ut innotescat ipsis quod mortui sunt, ut pœnitentiam agant et
B confirment cætera quæ in eis, vel per eos moritura erant. Si autem pertinaciter manent in morte peccatorum pessima, nomen tamen habentes quod vivant, ne tali simulatione decipiantur alii, me Christo judice vivorum et mortuorum diligenter in Ecclesia exercente officium meum; *deleantur* hujuscemodi seductores *de libro viventium*, ut sicut corda eorum non vivunt in fide qua justus vivit, sic etiam nomina eorum non vivant in sæculo, sed agnoscantur mortua: et sicut morticinia immunda non sunt comedenda, sed abjicienda, sic nomina eorum, sive nominentur episcopi sive clerici sive universali nomine Christiani, sive rectores populi, ut sunt reges et principes mundi, omni sint abjectione di-
C gnissima, judicante sancta Ecclesia. Nomina autem eorum vivant in sæculo, quorum corda vivunt in cœlo, qui et dicere possunt cum Apostolo: « Nostra autem conversatio in cœlis est (*Philipp.* III, 20). » Item: « Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus (*Gal.* II, 20).

VERS. 30. *Ego sum pauper et dolens: salus tua, Deus, suscepit me. Pars quinta*, ubi dispensatio incarnationis et passionis fructus exprimitur. Ac si diceretur ipsi Christo: Quare venient hæc omnia maledicta super generationem istam *de libro viventium* delendam? Ista dicentibus respondeo ego Christus pauper et dolens hoc ipsum, quia *ego sum pauper et dolens*. Propterea quippe mali coloni maledici meruerunt, quia me Dominum vineæ foras
D extra vineam projicientes hæreditate mea privarunt dicentes: « Hic est hæres, venite, occidamus eum, et habebimus hæreditatem ejus (*Matth.* XXI, 38). » Propositio ista Judæorum partim ab ipsis impleta est, partim quotidie impletur a successoribus eorum. Nam quod dixerunt: « Venite, occidamus eum, » jam factum est; quod vero addiderunt: « Habebimus hæreditatem ejus, » non potuerunt perficere, quoniam venientes Romani tulerunt eis locum et gentem, ne pervasam tenerent hæreditatem. Sed eorum sequaces episcopi super cathedram Moysi sedentes, et clerici loca sancta quasi hæreditaria possidentes, qui et dicunt: « Hæreditate possideamus sanctuarium Dei (*Psal.* LXXXII, 13), » *pauperem* faciunt me in membris meis, in quibus me-

nec esurientem pascunt, nec sitientem potant, nec nudum vestiunt, nec hospitem colligunt, nec infirmum vel in carcere positum visitant; imo, quod pejus est, pretia peccatorum, patrimonia pauperum, redemptiones animarum, oblationes fidelium transferunt in luxuriam, supergressi flagitium illius adolescentis, qui dissipavit substantiam suam cum meretricibus vivendo luxuriose. Nam cum populus gentium adhuc ambulans in tenebris ignorantiæ viveret luxuriose in passione desiderii, sicut adhuc ambulant gentes, quæ ignorant Deum, non in suis luxuriis dissipavit substantias pauperum, sed suas. Isti autem, gentilibus nequiores, de rebus pauperum ditati ultra modum, vivunt luxuriose; at ego Christus, qui cum dives essem, pro meis minimis ditandis *pauper* factus sum, ut ipsi paupertate mea divites essent, in eisdem egentibus, angustiatis, afflictis nimia premor paupertate, quoniam ecce ipsi peccatores, et abundantes in sæculo obtinuerunt divitias, quæ sunt patrimonia pauperum meorum, quoniam ager figuli, terra sancta est ager sanguinis mei pretio comparatus in sepulturam peregrinorum non habentium hic manentem civitatem, sed futuram inquirentium. Sed ecce ipsis peccatoribus et abundantibus in sæculo, agrum sanguinis mei pretio emptum pene totum occupantibus, vix peregrini et pauperes mei sepulturam et requiem suorum corporum possunt invenire in ipsa terra sancta, quæ illis est hæreditaria. Sic olim patriarcha sanctus Abraham terram sanctam sibi suoque semini promissam, et ex promissione ipsi hæreditariam possidentibus Chananæis vix in ea speluncam, et in ea jus sepulcri obtinuit pretio dato *Ephron*, quod nomen interpretatur *pulvis inutilis*, quia sic futurum erat, ut impii tanquam pulvis, quem projicit ventus, tandem judiciali ventilabro dispergendi terram sanctam occuparent, et in terra sanctorum inique agerent juxta illud prophetæ: « In terra sanctorum inique gessit, et non videbit gloriam Domini (*Isa.* XXVI, 10). » Tolletur enim impius, ne videat gloriam Domini. Tales aliquando vix pretio inducuntur, ut in terra sancta quam occupant, aliquam speluncam sanctis Abrahæ filiis concedant, aliquando certe nec pretiosis muneribus induci possunt, ut eos tolerent secum jus sepulcri habentes, quinimo ejiciunt eos de finibus suis, et persequuntur de civitate in civitatem, ut veniat super eos omnis sanguis justus ab injustis effusus. Inter hæc *ego* Christus *pauper sum et dolens* gemino dolore. Nam et super malos male perdendos doleo affectu plusquam materno, quia eos tanquam gallina super pullis suis languida congregare volui, et illi noluerunt: et super minimos et pauperes meos, egentes, angustiatos doleo, in quibus et esurio et sitio, nudus et hospes, infirmus et in carcere multas causas dolendi habeo tam de inimicorum copia quam de pauperum meorum nimia inopia.

Sed inter has paupertatis et doloris angustias hæc mihi, meisque consolatio, quod *salus tua*, Deus

A *suscepit me. Salus tua*, de qua supra dixi: *Exaudi me in veritate salutis tuæ*, suscepit me Christum in propria persona ita ut sim non solum salvus in me, sed et salus populi credentis in me, quoniam qui crediderit in me, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur. Item: *Salus tua*, Deus, *suscepit me* David, seu quemvis exemplo meo humilem ac pœnitentem, ut mihi prius languido in grabato infirmæ carnis jacentia Salvatore meo sentiam dictum: « Surge et ambula (*Matth.* IX, 5). » Item: « Tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam (*Marc.* II, 11). » Propterea ego Christus in memetipso et in membris meis

VERS. 31. *Laudabo nomen Dei* salvantis me, sive det sive auferat ea quæ extra me sunt. Dico enim B laudans nomen ejus: « Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum (*Job* I, 21). » Hujuscemodi laudationem frequentabo non cum tristitia de rebus exterioribus ablatis ingesta, sed *cum cantico* lætitiæ de inamissibili gaudio salutis et spei, quod nemo tollet a me. Nam et ego Christus, cujus anima tristis erat in passione usque ad mortem, cum essem *pauper et dolens* ante mortem, jam devicto mortis imperio gaudio fruor æterno, et mei omnes, licet aliquoties in re tristes, tamen spe gaudentes, ita sunt in tribulatione patientes, et inter prospera humiles, ut eos nec adversa exercitantia frangant, nec prospera consolantia extollant, eo quod in gaudium C Domini sui nunc spe ingressi, post hac re ingressuri dulce habent inter adversa cito finienda non tam plorare quam cantare, scientes quod complantati similitudini passionis meæ simul et resurrectionis erunt. Unde in illis, tam inter adversa quam inter prospera, *Laudabo nomen Dei cum cantico*, lætus videlicet de bonæ conscientiæ thesauro tanquam de oleo in vasis cordium reposito. *Et magnificabo eum in laude*, operum bonorum lampadibus ardentibus et lucentibus coram hominibus, ut videant opera bona, et glorificent Patrem luminum et auctorem eorumdem operum lucidorum. Sic me laudante Deum *cum cantico*, et magnificante *eum in laude* sacrificium laudis honorificabit Deum.

VERS. 32. *Et placebit ipsi Deo super vitulum no-* D *vellum cornua producentem et ungulas*, qualis in lege pro peccato sacerdotis vel multitudinis offerebatur, quia Deo sacrificium laudis cum devotione cordis gratius est quam sacrificium brutæ pecudis. Neque vero absque ratione irrationabilia quærebantur animalia Deo sacrificanda, quia his præfigurabantur homines rationales Deo sacrificandi et sanctificandi, verbi gratia, in agnis innocentes, in bobus obedientes. *Vitulus* autem *producens cornua et ungulas*, licet nondum idoneus jugo, quo significatur obedientia perfecta; attamen dum et *cornibus* adversarios ventilat, et terram *ungulis* excitat juvenilis ætatis fervore calens et quodammodo impatiens, dat fiduciam se nutrientibus, quod de tali *vitulo* fieri possit bos fortis et jugo ferendo idoneus.

Talis *vitulus cornua producens et ungulas* fuit Moyses in Ægypto, quando adhuc adolescens Ægyptium cum Hebræo rixantem percussit quasi *cornibus* justæ ultionis. Qui etiam quasi *ungulis* terram excitabat, quando altera die duos Hebræos inter se rixantes ad pacem fraternam provocabat dicens: « Fratres, utquid nocetis alterutrum? (*Act.* VII, 26). » Et quidem placuit Deo hic talis *vitulus cornua producens et ungulas;* attamen *super* hunc *vitulum novellum cornua producentem, et ungulas placuit* ei, quod idem *vitulus* jam bos magnus factus, jam loris obedientiæ in Ægyptum reductus Domino mittente sic in tota Ægypto agriculturam grandem peregit conjugato sibi Aaron fratre suo quasi altero bove, ut semen verbi Dei sparsum illic in cordibus audientium grande operaretur judicium, non uno Ægyptio quasi cornibus vitulinis percusso vel uno Hebræo sic liberato, sed quasi bovinæ gravitatis maturitate universa terra Ægypti exarata, et tota Hebræorum gente inde liberata. Hinc etiam bos iste quasi mugitu grandisono laudabat Deum *cum cantico*, et magnificabat eum *in laude* sic dicens: « Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est: equum et ascensorem projecit in mare (*Exod.* XV, 1). » Istud canticum laudis *placebat Deo super vitulum novellum*, qualem in se idem Moyses expresserat, quando zelo justitiæ motus percusserat unum Ægyptium non ad hoc faciendum loro strictus obedientiæ vel jugo jussionis Domini, sicut jubente Domino, mare divisit, per cujus medium Pharaone cum exercitu suo merso populum Dei traduxit.

Ego etiam Christus quasi *vitulus cornua producens et ungulas* terram quasi *ungulis* excitavi, cum adhuc duodenis in medio doctorum sedens in templo interrogationibus meis eos feci attentos, ita ut stuperent super prudentiam et responsis meis, quibus utique cum ipsi terreni essent, excitabantur ad meditanda cœlestia. Sic per multas parabolas excitavi mentes eorum terrenas ad veritatis inquisitionem. *Cornibus* quoque interdum ventilabam brutos adversarios meos aperte sine parabolis increpando, ut verbi gratia, cum subvertendo mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas dicerem illis: « Scriptum est quia domus mea domus orationis est: vos autem fecistis illam speluncam latronum (*Luc.* XIX, 46). » Item: « Væ vobis Scribæ et Pharisæi, qui decimatis rutam et anethum et omne olus, et præteritis majora legis, misericordiam, justitiam et fidem (*Matth.* XXIII, 23). » Talia dicens, et opera mirabilia faciens assimilatus sum *vitulo novello cornua producenti et ungulas.* Non dico: *habenti cornua*, sed *producenti;* quia, dum producuntur cornua, de die in diem capiunt augmenta, secundum quod ego, cum adhuc *vitulus novellus* essem, proficiebam sapientia et ætate et gratia apud Deum et homines.

Item alius *vitulus* meus *novellus cornua producens et ungulas* adolescens, qui vocabatur Saulus, magis ac magis convalescebat, et corniculis quibus ante

A abusus erat adhuc spirans minarum et cædis in discipulos meos, jam tunc recte utebatur contra hostes meos. Plures in hunc modum *vituli* et *cornibus* adversarios ventilant, et *ungulis* terram excitant adversarios veritatis ventilando, et terrena sapientes ad sensum cœlestium provocando. Et quidem *placet* hujusmodi *vitulus Deo*, cui bona cuncta *placent.* Verumtamen *super vitulum novellum cornua producentem et ungulas placet Deo* bovina illa maturitas, qua jugum Domini suave suaviter portatur, et in cantico lætitiæ Deus laudatur in tali pace, in qua nec adversarius ventilandus, nec piger est excitandus. Pax ista est hominibus bonæ voluntatis in unum congregatis, quibus est bonum et jucundum habitare in unum. Sed plena et perfecta in hac pe-
B regrinatione pax ista non potest esse, quoniam hic initianda, et in futuro Dei regno erit consummanda. In quo regno ego Christus jam triumpho potitus ultra choros angelorum exaltatus, devicta morte gloria et honore coronatus, jam non *vitulus novellus* adhuc immolandus, quia mors mihi ultra non dominabitur, sed leo sive aquila nominandus *laudabo nomen Dei cum cantico, et magnificabo eum in laude. Laudabo, et magnificabo* in meipso, qui sum « psalterium jucundum » in spiritu, « cum cithara (*Psal.* LXXX, 3) » carnis mortificatæ in passione, sed glorificatæ in resurrectione. *Laudabo* in angelis, *laudabo* in Ecclesiis. Confitebor in gentibus, psallam in populis, dum psallentes, confitentes et laudantes fa-
C cio, quos mihi per fidem, spem et charitatem coadunabo. Et hoc sacrificium laudis in me, ac meis *placebit Deo super vitulum novellum cornua producentem et ungulas.* Cujus utique sacrificium non est pauperum, sed divitum, non infirmorum sed fortium, qualis erat Moyses, cum percussit Ægyptium, qualis erat Petrus, cum percussit servum principis sacerdotum, qualis erat Stephanus plenus gratia vitulinæ teneritudinis ac pinguedinis, et fortitudine *cornium*, fortes quoque tauros ventilantium. Sed « sacrificium laudis honorificabit me (*Psal.* XCIV, 23), » ac Patrem meum, quod tam pauperibus quam divitibus, tam infirmis quam fortibus offerre possibile est, imo de manu pauperum et infirmorum plus acceptabile est, quando exemplo il-
D lius paupetculæ viduæ, quæ totum victum suum in donaria misit, et ipsi totum, quod vivunt, quod sapiunt, quod possunt, in laudem nominis Dei expendunt nihil sibi de se reservantes, nunquam suam voluntatem a divina separantes, imo se, suaque omnia Dei obedientiæ subdentes.

VERS. 33. *Videant pauperes, et lætentur*, quoniam etsi vitulos offerre nequeunt, sint modo *pauperes* spiritu, laudantes Deum in paupertate sua, *Deo placebunt super vitulum novellum cornua producentem et ungulas. Lætentur* ergo *pauperes*, quia oblatio jam non in facultatibus posita est, sed in mente, ubi diviti *pauper* æquatur. Credant his dictis, quibus *pauperes* evangelizantur, hi potissimum, imo hi solummodo, qui *pauperes* permanent aut divitiis

carendo, aut affluentibus cor non apponendo, nec se vel de rerum prætereuntium, vel de virtutum copia ullatenus extollendo. Vos itaque *pauperes* paupertatis vestræ custodiam sic observate, ne vobis aliqua signa superbiæ ructantibus panis vitæ negetur, qui quærentibus, petentibus et perseveranter pulsantibus dabitur, et de sua virtute gloriantibus negabitur. *Quærite Deum* panem vitæ, panem vivificum, *et* ex illo *vivet anima vestra.* « Qui manducat hunc panem, vivet in æternum (*Joan.* VI, 59). » Istum panem *quærite o pauperes, et vivet anima vestra.* Exempla non desunt hujus rei, quam astruo ego Psalmista, vel ego Christus in passione mea cum *pauperibus*, imo et cum iniquis reputatus, et in paupertate mea orans exauditus a Patre, qui semper paratus est pauperes ad se clamantes exaudire, quod exinde claret,

VERS. 34. *Quoniam exaudivit pauperes Dominus, et vinctos suos non despexit. Exaudivit* patres nostros filios Israel in terra Ægypti *pauperes* ad se clamantes, et vinctos in potestate Pharaonis, illos *non despexit. Vinctos*, inquam, sub alieno dominio, sed tamen *suos* per fidem servos. Nam sunt vincti, sed non sui, dæmones scilicet, qui rudentibus inferni detracti a cœlesti serenitate in caliginoso aere detinentur vincti usque ad ultimum judicium, quo detrudendi sunt in inferioris inferni carcerem, unde illos non liberabit Dominus, quia non sunt vincti sui; sicut illi fuerunt qui, me Christo in infernum descendente, ad me clamaverunt: *Advenisti, Desiderabilis, quem exspectabamus in tenebris, ut educeres hac nocte vinculatos de claustris.* Hos nimirum *vinctos suos* Dominus *non despexit*, qui ut quondam Moysen pro liberandis filiis Israel de tenebris Ægypti, sic me nunc in fine sæculorum misit pro suis vinctis liberandis non solum de tenebris pœnarum infernalium, sed unde amplius gaudendum est, de duabus catenis, peccatorum scilicet atque pœnarum, quarum in signum Petrus quoque unus de vinctis meis erat « vinctus catenis duabus (*Act.* XII, 5, et 6), » in carcere hostis Herodis impii. Sed quoniam oratio fiebat ab Ecclesia ad Deum pro eo, *exaudivit pauperes Dominus, et vinctum suum non despexit*; vinctum *suum*, qui propter ipsum erat vinctus; Vinctum *suum*, qui habuit spem in ipsum, quod in vinculis non derelinqueret illum, donec afferret illi sceptrum regni et potentiam adversus eos, qui eum deprimebant.

Amplius autem, quia Herodes interpretatur *pelliceus*, quo nomine apte significatur diabolus, quo machinante factum est ut humanum genus, primum stola innocentiæ nudatum, necesse habuerit vestiri tunicis pelliceis, quibus notatur fragilitas humanæ mortalitatis, quia tunicæ pelliceæ non nisi de mortuorum pellibus animalium fiunt. Recte in Petro sub Herodis potestate captivato intelligitur Ecclesia Petri fide roborata, seu quælibet fidelis persona vinculis humanæ mortalitatis coarctata. Pro qua nimirum sic in terra sub potestate principis mundi

A hujus peregrinante, atque in vinculis miseræ carnis laborante supercœlestis Ecclesia ab his vinculis libera in angelis, liberata in animabus justis, orat instanter, sicut Petro in carcere vinculato oratio ab Ecclesia fiebat ad Deum pro eo. Milites vero istius Herodis dæmones et maligni homines intelliguntur, de quorum manibus et custodia boni omnes beato Petro in fide consimiles ita liberabuntur, ut quilibet eorum de hujus vitæ liberatus ergastulo valeat gratulari cum beato Petro, dicens: « Nunc scio vere, quia misit Dominus angelum suum, et eripuit me de manu Herodis, et de omni exspectatione plebis Judæorum (*Act.* XII, 11). » Plebs Judæorum perfidorum potest intelligi multitudo dæmonum Christum Dei Filium confitentium sicut in Evangelio habemus, quia

B dæmonia imperio ipsius increpata et exire compulsa confitebantur eum esse Filium Dei; « sed ipse increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum (*Luc.* IV, 41). » Judæorum istorum, dæmonum scilicet grandis est exspectatio super quolibet viro fideli et justo, promittente illis ipsorum principe diabolo, quod post Pascha, id est post hujus vitæ mortalis transitum, producat illis eum affligendum et irridendum. Contra quos orat in psalmo alio justus ex fide vivens ita dicendo: « Ad te, Domine, levavi animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam, neque irrideant me inimici mei (*Psal.* XXIV, 1-3). » Virtus igitur orationis hujusmodi obtinet a Deo, ut *vinctos suos*

C *non despiciat*, sed eos liberatos de manu Herodis et de omni exspectatione plebis Judæorum cum beato Petro aliquoties in præsenti vita honorificet, per amplius autem et perfectius in æterna vita lætificet, ita ut gaudium eorum sit plenum, et gaudium eorum nemo tollat ab eis. Super his igitur gratiæ Dei beneficiis largissimis

VERS. 35. *Laudent illum cœli et terra, mare et omnia reptilia in eis. Laudent illum cœli* enarrantes gloriam Dei, primo angeli, deinde apostoli sanctique martyres atque confessores, et omnes perfecti secundum altitudinem cœli a terra sublimati. *Laudet illum terra*, id est Ecclesia Judæorum fidelium, et *mare*, id est Ecclesia de gentibus, quæ ubique terrarum ambit Judæam sicut mare terram. Astra,

D solum, mare jucundentur, et omne genu cœlestium, terrestrium et infernorum flectatur in nomine Jesu. Exsultet cœlum laudibus, resultet terra gaudiis. Exsultet jam angelica turba cœlorum, exsultent divina mysteria, et pro summi Regis victoria tuba insonet salutaris. Gaudeat tellus tantis irradiata fulgoribus: et æterni Regis splendore illustrata totius orbis se sentiat amisisse caliginem. Lætetur et mater Ecclesia tanti luminis adornata fulgoribus, dum *pauperes exaudit Dominus, et vinctos suos non despicit*, in *terra*, et in *mari* salvans animalia sua spiritu vitæ animata, non solum gressibilia, quibus activi, seu volatilia, quibus contemplativi, sed et *reptilia*, quibus infirmi et imperfecti significantur quasi hærentes terræ figuris monstruosis abomina-

biles. De quibus omnibus dictum est Petro : « Macta, macta et manduca (*Act.* x, 13), » ut etiam tales in suum corpus recipiat sancta mater Ecclesia Petri fide roborata, et super petram quæ Christus est, fundata. *Laudent* ergo *illum* non solum *cœli* et sub cœlis volatilia, sed etiam *terra, mare* atque *omnia reptilia in eis*, A

VERS. 36. *Quoniam Deus salvum faciet Sion*, id est Ecclesiam etiam de reptilibus in unum congregatis augmentatam. Deus æternaliter justus et sanctus temporaliter justificat et sanctificat terram, mare et omnia reptilia in eis, atque hoc modo *salvam faciet Sion* salute sempiterna. Et de talibus malleo tentationum ac tribulationum politis *ædificabuntur civitates Judæ*, id est Ecclesiæ Christi de tribu Juda nati, et in quem credere ad justitiam, B quemque confiteri ad salutem debent omnes *civitates Judæ*. Una civitas Judæ universa est Ecclesia, de qua dicit sponsa : « Surgam et circuibo civitatem, quæram quem diligit anima mea (*Cant.* III, 2). » Item . « Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem (*Cant.* III, 3). » Sed hæc una *civitas* multos habet vicos angustos et plateas latas plurimas ; quia per angusta, et lata gradientes multas habet personas diversis ordinibus ac professionibus distinctas. *Et* ideo *inhabitabunt ibi* non quasi hospites et advenæ peregrinando, sed quasi cives sanctorum et domestici Dei constanter manendo, non solum grandes, verum etiam et parvuli reptilibus assimilati. *Et hæreditate acquirent eam* C *Sion*, vel quando ad cœlestem Jerusalem pervenient, *eam hæreditate acquirent*, adoptati videlicet a servis in filios, ut sint hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Unde Apostolus : « Si autem Christi, ergo Abrahæ semen estis secundum promissionem hæredes (*Gal.* III, 29). » Item : « Si autem filii, et hæredes (*Rom.* VIII, 17), » videlicet supernæ civitatis, de qua hic dicitur : *Et hæreditate* sive, ut quidam codices habent, *hæreditatem acquirent eam*.

Non solum autem filii, qui sunt perfecti, sed etiam servi licet imperfecti, de qualibus dicitur : « Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur (*Psal.* CXXXVIII, 16), » possidebunt eam, quodque magis mirum est, etiam

VERS. 37. *Semen servorum ejus possidebit eam*, cum in *servis* imperfecti, et in *semine servorum* Dei etiam inter imperfectos infirmiores valeant intelligi, qui omnes hæreditate possidebunt terram viventium passione Christi, quæ in hoc psalmo recitata est, liberati a terra morientium, si tamen *diligunt nomen ejus*, qui dicit : « Si diligitis me, mandata mea servate (*Joan.* XIV, 15). » Atque ne ignores, quæ sint mandata : « Hæc, » inquit, « mando vobis, ut diligatis invicem (*Joan.* XV, 17). » Hæc mandata ejus gravia non sunt volenti, licet gravia videantur nolenti. Gravia non sunt, imo levia et jucunda diligentibus Dominum civitatis et hæreditatis hujus atque cives ejus. Et ideo conclusione psalmi hujus hortor vos ego David propheta, ut, quia vos Deus prior dilexit ea charitate, qua majorem nemo habet ; vos quoque *diligatis nomen ejus*, et cives civitatis ejus, jura quoque ac leges, et disciplinam civitatis ejus pro vestro posse defendatis, et ubi deest posse, non desit velle, quia multum velle est diligere. Unde pax est hominibus bonæ voluntatis, hoc est, veræ dilectionis, quæ bipartita est in amorem Domini civitatis æternæ, atque cives ejus. Neque enim alii cives ejus erunt, nisi qui nomen Domini et decorem domus ejus diligunt. Et ideo hic sit finis psalmi in nomine Domini, quod *qui diligunt nomen ejus, habitabunt in ea* civitate, quam ipse, qui natus est *in ea*, fundavit Altissimus. Qui natus et passus est *in ea* parvulus, ipse fundavit eam Altissimus, fundamenta ejus in montibus sanctis et altis ponens, ipse mons montium factus in verticem montium, ipse fundamentum fundamentorum portans ædificium totum.

Gloria Patri Deo, cui loquitur Filius Deus, Homo dicens in hoc psalmo : *Salvum me fac, Deus*, etc. *Gloria Filio Deo* Jesu Christo sic oranti pro se ac membris a tempestate liberandis et salvandis, *Gloria Deo Spiritui sancto*, qui est illa dilectio et salus, qua Deus salvam faciet Sion, qua etiam qui diligunt nomen ejus, habitabit in ea. *Sicut erat* ei gloria *in principio* prædestinanti gloriosa, quæ dicta sunt de te, civitas Dei : sic in prædestinationis adimpletione sit ei gloria *nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.*

PSALMUS LXIX.

Deus in adjutorium meum intende. Psalmus iste D sicut et præcedens in persona Christi decantatur ad instructionem cujusque fidelis, ut et ipse oret et laboret in spe, quoties ab inimicis quærentibus animam suam diversis tentationibus fatigatur. Titulus autem ejus est :

VERS. 1. IN FINEM PSALMUS DAVID IN REMEMORATIONE EO QUOD SALVUM EUM FECIT DOMINUS.

« Finis Christus ad justitiam omni credenti (*Rom.* x, 4). » Similiter David Christus, ad quem verba hujus psalmi diriguntur tanquam *in finem*, tanquam in finalem causam, quisque hic orans intelligitur tanquam caput pro membris suis, rex David pro se ac militibus suis, bonus pastor pro ovibus suis partim salvatis partim salvandis. Unde additur : *In rememoratione eo quod salvum eum fecit Dominus*, id est in consideratione habita ea de re *quod salvum eum fecit Dominus*. Rememoratio hæc duobus

modis fit. Aut enim memores peccatorum nostrorum A judicium futurum formidamus, qualiter accipitur in psalmo tricesimo septimo, qui canitur *in rememoratione Sabbati*; aut dum promissa bona retinemus in memoria, securitatem concipimus de salute nostra *in finem* consummanda; qualiter hic accipitur, quod ostenditur ex eo quod subditur: *eo quod salvum eum fecit Dominus*. Congruum quippe fuit, cum in superiore psalmo Christus caput nostrum passionem suam narraverit et de spe quoque resurrectionis addiderit, vocibus et clamoribus propriæ suæ personæ atque in virtute sui sanguinis clamantis de terra, id est de sancta Ecclesia quæ aperuit os suum in confessione fidei, et suscepit ipsum de manibus parricidalibus Judæorum : nunc item in B hoc subsequente psalmo vocibus et clamoribus membrorum passiones eorum ediceret, simulque de spe resurrectionis et liberationis eorum annecteret, verbi gratia, cum in fine psalmi dicitur : *Adjutor meus, et liberator meus esto, Domine, ne moreris*. Est ergo vox tribulatorum, cum Christo inter passiones et tentationes certantium et periclitantium, sed de suo capite præsumentium tam martyrum quam cæterorum justorum qui, ex charitate veritatis quæ non gaudet super iniquitate, affliguntur et contristantur, quando ipsa veritas et justitia opprimitur a mendacibus et iniquis. Talis erat afflictio Lot justitiæ amatoris inter Sodomitas, qui, ut Petrus apostolus ait, « operibus iniquis affligebant animam justi (*II Petr.* II, 8). » De horum similibus C ait propheta : « Et peccatum suum sicut Sodoma prædicaverunt (*Isa.* III, 9). » Neque enim tales erubescunt cum in fronte, ubi signum Christi fuit impressum, portant characterem bestiæ, id est Antichristi. Propterea optatur istis, ut *convertantur* et *erubescant*, qui quandiu non erubescunt, ipsi mali et in malitia sua inverecundi bonos affligunt et persequuntur. Hanc persecutionem contra justos excitat diabolus multiformis proditor, qui est et leo in impetu et draco in insidiis.

In prima igitur parte psalmi oratur et contra violentias leonis, ubi dicitur : *Confundantur et erubescant, qui volunt mihi mala*, et contra insidias draconis blande sibilantis, ubi dicitur : *Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi : Euge, euge*. D Secunda vero parte monentur boni exsultare ac lætari, quos Deus et in certamine adjuvat pugnantes, et tandem a certamine liberatos coronat victores. In quo etiam patet intentio psallentis ibi : *Exsultent et lætentur in te omnes, qui quærunt te*. Clamat ergo ipse Christus pro suis et in suis tribulatus. Clamat etiam inter tentationes et tribulationes certator sæpe dictus, qui per totum istum quinquagenarium pugnat contra legem membrorum.

Vers. 2. *Deus*, inquit, *in adjutorium meum intende. Deus*, qui omnia vides et scis, tu *in adjutorium meum intende* sciens et videns quia nihil possum ex humana virtute, neque contra legem membrorum repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem aliquoties in lege peccati et mortis, neque contra violentias aut fraudulentias malignorum angelorum et hominum. Tu ergo, qui Divinitatis tuæ splendore luces in tenebris quoque, licet ipsæ tenebræ non comprehendant te, quia tu vides etiam non videntes te, nunc in tempore certaminis *in adjutorium meum intende* in bona voluntate tua, prout scis et vis, miserendo mei periclitantis in certamine diuturno, in quo si nimium tardabis adjuvare, non possum durare aut stare. Dico itaque, *o, Domine, ad adjuvandum me festina. Domine*, dominator cœlorum et terræ, cujus dominationis potentiæ nihil potest resistere, tu *ad adjuvandum me festina*. Tu Pater festinus venias in auxilium mihi Christo Filio tuo in membris meis laboranti et afflicto, secundum quod Saulo dixi : « Quid me persequeris (*Act.* IX, 4), » cum nihil persecutionis in memetipso paterer, sed in membris meis. Quandiu enim unus ex minimis meis affligitur, ego licet jam impassibilis compatior ipsis minimis meis. Ideo non dico : *In adjutorium meorum*, sed *in adjutorium meum intende*. Neque dico : *ad adjuvandum meos*, sed, *me festina*.

Aliter : Ego David, id est pœnitens quivis ut David, Saulis, hoc est peccati regnantis vel regnare appetentis in corpore meo mortali non valens tyrannidi resistere, confugio ad te Deus ita dicens: *Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina*. Præpositus mortis diabolus cum suis satellibus intendit me perdere; sed tu *intende* adjuvare. *Intende, Deus*, pro tuæ Divinitatis bonitate : *Festina, Domine*, pro tuæ dominationis invicta potestate, *ad adjuvandum* me, ne peccati aculeo tanquam lancea Saulis perfodiar, neve in manus ejus vel satellitum ipsius aliquando incidam.

Vers. 3. *Confundantur* potius « qui me persequuntur, et non confundar ego : paveant illi, et non paveam ego (*Jerem.* XVII, 18). » *Confundantur* erubescendo se cœpisse turrim superbiæ, dum non poterunt eam consummare. *Confundantur* linguis suis divisis, ut desistant ab ædificatione turris erectæ contra te *Dominum et Deum intendentem, et festinantem in adjutorium* pauperum, quorum unus ego sum, sicut in fine psalmi hujus dicturus sum : *Ego vero egenus et pauper sum : Deus, adjuva me. Confundantur* de sua perversitate conturbati, et a suis conatibus impediti, *et revereantur* timentes, ne pro læsa justitia sequatur pœna. Pœnæ hujus timore accusando peccata sua fiant confusibiles, qui prius ea defendendo, vel se in eis jactando erant in oculis suis gloriosi. *Confundantur et revereantur* de suis malis conatibus frustratis habendo verecundiam, et bonis per sua mala studia exercitatis et coronatis exhibendo reverentiam. Sicut fratres Joseph leguntur induti confusione simul et reverentia : confusione quantum ad sua mala studia frustrata; reverentia vero, quantum ad ea, quæ inde provenerant bona Deo vertente in bonum, quod illi cogi-

taverunt in malum. Sicut illi accusante conscientia confusi dixerunt: « Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum (*Gen.* XLII, 21), » et ipsius fratris potentiam reveriti proni ceciderunt in terram exhibendo illi reverentiam: sic induantur confusione et reverentia omnes inimici mei Christi, vel mei cujusque pauperis et egeni. *Confundantur, et revereantur, qui quærunt animam meam* tollere per mortem in tempore persecutionis aperte sævientis.

VERS. 4. *Avertantur* etiam *retrorsum, et erubescant, qui volunt mihi mala* in tempore pacis quando non audent manifeste ostendere mala, quæ contra me habent in voluntate. *Avertantur retrorsum*, ut qui suo arbitratu viventes non dignantur sequi vestigia sanctorum, sed quasi præcedunt eos, quorum documenta contemnunt, jam ulterius non præcedant, sed sequantur, nec suo vivant consilio, sed sanctorum. *Avertantur retrorsum*, sicut illa beata, quæ confusa et erubescens de peccatis suis accessit retro, et lacrymis lavit pedes illius, a quo ipsa lavanda fuit (*Matth.* IX, 20). Vel sicut illa *hæmorroissa*, *αἱμοῤῥοοῦσα* quæ postquam in medicos falsos frustra erogaverat omnem substantiam suam, postea retro accessit ad medicum verum, tetigitque fimbriam vestimenti ejus (*Matth.* XIV, 36). Vel *Convertantur retrorsum*, prout dictum est Petro: *Sequere me:* Vel sicut universaliter dictum est: « Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me (*ibid.*, XVI, 24). »

Aliter. *Convertantur retrorsum*, ut Maria in horto conversa est retrorsum, et vidit Jesum stantem, quem putaverat non vivum stare, sed mortuum jacere. *Avertantur retrorsum* cogitando dies antiquos et annos æternos, in quibus erat Jesus priusquam veniret in mundum, et sciant, quia illuc ascendit corpore, ubi erat prius: Divinitate. Alioquin dicetur eis: Nolite me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum, quantum ad pusillam fidem vestram, qua me per noctes quæritis in lectulo sepulcri, qui nunc ingressus palatium regni mei non ita claudor angustia unius loci, ut non possim pariter esse in cœlo et in terra etiam corporali præsentia, prout exposcit salus eorum pro quibus humanitas mea in divinitatis meæ personam conceptu virginali est assumpta, quæque nunc per gloriam resurrectionis in ejusdem divinitatis gloriam est assumpta. Hinc est illa gloria etiam corpori meo, ut assumptum in cœlum nec deserens cœlestia impleat altaria terrestria in tota Ecclesia per orbem terræ dilatata. Qui ergo ita me quærunt in sepulcro unius loci, ut non possim uno eodemque tempore pluribus in locis etiam corporaliter præsentari, *avertantur retrorsum*, et discant, me docente, quia nondum illis ascendi ad Patrem meum. Vadant etiam ad fratres meos et discant ab eis, quid sit: « Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum (*Job* XX, 17). » Nempe non aliud est homini assumpto in Filium id est, ut sit Dei Filius, ascendere ad

A Patrem suum, quam intrare in gloriam Patris sui, neque aliud homini assumpto in Deum, hoc est ut sit Deus, ascendere ad Deum suum, quam glorificari ea gloria, quam Deus habuit æternaliter in divinitate sua. Qui hæc nondum credunt, *avertantur retrorsum* cum Maria et discant, quod adhuc nesciunt de Dominicæ ascensionis gloria. *Avertantur* etiam *retrorsum*, sicut illi ceciderunt *retrorsum*, qui comprehenderunt me occidendum, illi, quibus contra me meosque ubi deest nocendi facultas, inest tamen obstinatæ malitiæ voluntas, quæ *volunt mihi mala. Avertantur* hi tales *retrorsum* per humiliationem, quia nunquam volunt cadere in facies suas per voluntariam humilitatem. *Avertantur* itaque primo cadentes *retrorsum* per coactitiam saltem humiliationem, ut sic humiliati discant non blasphemare, non inflari, non extolli; sed sponte assuescant humiliari sub potenti manu Dei, ut mereantur in tempore visitationis exaltari.

B

Nota diversa tempora in Ecclesia. Primo enim fuit impetus persequentium tyrannorum, unde supra ait: *Qui quærunt animam meam.* Nunc vero cessante aperta persecutione remansit malevolentia cogitantium. Unde hic ait: *Qui volunt*, sive qui cogitant *mihi mala.* Item: Notandum, quod duo sunt genera persecutorum, scilicet vituperantium et adulantium, et plus persequitur lingua adulatoris quam gladius persecutoris. Utrumque enim, id est vituperatio et laus ignis est, quia ut igne aurum, sic vituperio et laude auditor probatur. Est ergo

C beatus, qui ne hujus ignis fornacem intret, exauditur orans, ne intret sive inducatur in tentationem, usque adeo liberatus a malo isto, ut ne tentetur in talibus permanendo, scilicet immobilis inter vituperantes et laudantes, non abiens in consilio peccatorum seu terrentium seu blandientium. Hic talis quasi extra fornacem non sentit Babylonici regis ignem urentem. Sed esto, ut intret sive inducatur in hunc ignem, sentiendo videlicet linguæ urentis incendium, dum laude seu vituperio tentatur; caveat tamen alterutro sic flecti aut frangi, ut a veritatis et justitiæ rectitudine declinet, imo cum tribus pueris in medio fornacis Deum laudando et orando ipsius invocet auxilium, et ipse faciet ei

D medium fornacis quasi ventum roris flantem. Tactus hoc igne rex Herodes, cum populus ei acclamaret laudes moderatas, non dedit honorem Deo, se potius, quam Deum laudari delectabile habens. Unde percussus ab angelo computruit, et scatens vermibus exspiravit. Periculosus ergo est ignis linguæ vituperantis more illorum, *qui quærunt animam meam, qui volunt*, et cogitant *mihi mala.*

Sed longe periculosior est ignis linguæ adulantis more illorum, *qui dicunt mihi: Euge, euge.* Unde contra illos orans, *qui quærunt animam meam*, sive *qui volunt* et cogitant *mihi mala* dixi quidem: *Confundantur et revereantur, avertantur retrorsum*, sed non interposui *statim* quoniam inter vituperantes aliquoties exercetur patientia, reprimitur

superbia, detergitur culpa. Sensit hoc rex David, A quoniam aliquando maledictum est illi a servo nequam. At ille nec cumulatam injuriam sensit, quia præsensit gratiam. Unde et vetuit prohiberi maledicum convitiantem quæstum æstimans maledicta: « Quid mihi » ait, « et vobis filii Sarviæ? » Et addidit: « Dominus misit illum ad maledicendum David (*II Reg.* XVI, 10). » O vere hominem secundum cor Dei, qui non statim ut audivit maledicum, passus est imponi eidem silentium, sed se ulciscenti potius quam exprobranti succensendum putavit. Prorsus secundum cor Dei, qui de corde Dei ferebat sententiam. Sæviebat lingua maledica, et ille intendebat, quid in occulto ageret Deus. Vox maledicentis in auribus, et animus inclinabat se ad benedictionem. B Nunquid in ore blasphemi Deus? Absit! sed illo usus est ad humiliandum David. Nec latuit Prophetam, quippe cui incerta et occulta sapientiæ suæ manifestaverat Deus. Ideo in alio psalmo dicit: « Bonum mihi, quod humiliasti me, ut discam justificationes tuas (*Psal.* CXVIII, 71). » Et hic orans, ut hujuscemodi maledici *avertantur*, non addidit *statim* cupiens per tales humiliari priusquam *avertantur retrorsum*, eo quod humiliatio via est ad humilitatem in corde fidelis, qui dicit: « Bonum mihi Domine, quod humiliasti me, ut discam justificationes tuas. » Vides quia humilitas justificat nos? *Humilitas* dixi, *non humiliatio*. Quanti humiliantur, qui humiles non sunt! Alii cum rancore humiliantur, indignanter ferendo, cum vitu- C perantur, sive aliis modis tribulantur. Alii patienter, alii libenter hæc ferunt. Primi rei sunt, secundi innoxii, ultimi justi. Quanquam et innocentia portio justitiæ est, sed consummatio apud humilem. Qui autem dicere potest: « Bonum mihi, quia humiliasti me, » is vere humilis est. Non potest dicere, qui invitus portat, minus qui murmurat. Neutri horum promittimus gratiam, quod humiliatur, etsi sane longe hi duo a se differant, et alter quidem in patientia sua possideat animam suam, alter in suo murmure pereat. Sed enim etsi unus iram, neuter tamen gratiam promeretur, quoniam non humiliatis, sed humilibus dat Deus gratiam. Vera igitur et sincera humilitate in me servo tuo, Deus meus, confirmata. D

VERS. 5. *Exsultent et lætentur in te omnes qui quærunt te.* Videntes in me opera bona glorificent non me, sed te, *qui quærunt te* quæsiti prius a te. Tu enim prior eos quæsisti, et ut portares ovem perditam, descendisti. Igitur adversariis confusis et aversis *exsultent et lætentur in te*, in quo facti sunt lux, qui fuerunt aliquando tenebræ, *qui diligunt salutare tuum*, Filium tuum, quo et in quo solo salus est. Hunc ergo diligentes dicant semper: *Magnificetur Dominus*. Quisquis illorum dicat ex toto corde: « Magnificat anima mea Dominum (*Luc.* I, 46), » non quod ipse laudibus crescat in se, qui est absque omni defectu et profectu Sol justitiæ. Sed dum nos laudando illum proficimus, et de die in diem magis ac magis illuminamur, nos magnificamur in ipso et ipse in nobis. Hoc desiderantes oramus, ut semper *magnificetur Dominus* multiplicando et magnificando servos tales, quorum deceat eum vocari Dominum et amicum, quibus et dicat: « Jam non dicam vos servos, sed amicos (*Joan.* XV, 15). » Amici enim dici merentur, non qui timent serviliter, sed *qui diligunt salutare tuum* filiali dilectione. Annon diligendus est, qui prior dilexit nos? qui peccatorem vocat, confitentem justificat, juste viventem regit, perseverantem glorificat? Quos enim vocat, illos et justificat, et quos justificat, illos et magnificat a vitiis alienando et virtutibus ditando.

VERS. 6. *Ego vero egenus et pauper sum* præ omnibus quos cognosco egenos et pauperes. Nam etsi est in genere humano aliquis me pauperior hunc ego nescio, sicut meam paupertatem scio « ego vir videns paupertatem meam (*Thren.* III, 1). » Verba hæc Jeremiæ lamentantis, et suam paupertatem confitentis mihi quoque David pœnitenti conveniunt, quoniam et ego vir videns paupertatem meam confiteor, quia *egenus et pauper sum*. Teste conscientia mea tanta est egestas qua multis egeo, tantaque paupertas qua, quibus egeo, non habeo, ut omnium pauperum, quos in hoc mundo cognosco, me inveniam pauperiorem proprio videlicet judicio, quo inter pauperes invitatos ad cœnam Dei vix et cum tremore audeo mihi novissimum locum vindicare, quia plus omnibus invitatis *egenus et pauper sum*. Nam de his, qui foris sunt, non est meum judicare quod sint pauperes, cum ex abundantia divitiarum suarum seu villam seu quinque juga boum emendo seu certe uxorem ducendo excusent venire ad cœnam, solis *egenis* ac *pauperibus* paratam, quorum unus ego sum, qui, licet noverim quod sum invitatus cum cæteris pauperibus, tamen nescio an sim electus, quique legi Dei licet mente consentiens, tamen non per omnia perfecte obedio, quoniam video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ et captivantem me in lege peccati et mortis. Proin infelix ego homo in corpore mortis hujus *egenus et pauper*, egens adjutore fortissimo, sapientissimo et benignissimo contra inimicos, qui quærunt animam meam, qui volunt et cogitant mihi mala, qui dicunt mihi: Euge, euge.

Dico assidue: *Deus, adjuva me, adjutor meus et liberator meus es tu: Domine, ne moreris.* Sicut in principio, sic et in fine psalmi de adjutorio Dei agitur, ut sit quasi circulus in idipsum reductus hujus psalmi sensus aureus, quo velut armilla perforatur maxilla Leviathan, cujus membra sunt illi qui quærunt animam meam et cogitant mihi mala, qui dicunt mihi: Euge, euge, ut me devorent, sibique incorporent, quod et facerent nisi adjutorio divino invenirem exitum de ore ipsorum. Sic circulus adjutorii divini positus in naribus regis Assur, infatuabit astutias consiliorum ejus, ut teneatur fatuus et reducatur per viam qua venit, quoniam ad nocendum me David venit per invidiam,

sed reducetur ad majorem invidiam, cum viderit omnia sua machinamenta mihi ad malum intentata per adjutorium divinum jugiter invocatum, provenisse mihi bona sic magna, sic evidentia ut, eis clarescentibus Deumque in adjutorium meum intendisse, atque ad adjuvandum me festinasse demonstrantibus *confundantur, et avertantur retrorsum, qui volunt mihi mala, et avertantur statim qui dicunt mihi : Euge, euge. Avertantur*, inquam, *erubescentes statim*, quia suis adulationibus dicentes mihi : Euge, euge, voluerunt in me superbiæ turrim ædificare, sed non potuerunt consummare, Deo in adjutorium meum intendente atque ad adjuvandum me festinante. Quod cum illi sentirent, avertebantur statim. Sed nondum statim finis vel tentationum vel tribulationum, quandiu ego David, ego pœnitens et humilis ut David, mortalis adhuc et venundatus sub peccato, repletus multis miseriis nescio utrum odio an amore dignus sim, confidens quidem in adjutorio Altissimi, sed suspectam habens fragilitatem corporis infirmi; quia, licet spiritus promptus sit, caro tamen est infirma, indigens adjutorio fortissimo et continuo. Ideo dico : *Deus, adjuva me.* Et bene dico quia spem in alium non habeo præter in te, qui es *adjutor meus* in certamine, ut vincam, *et liberator meus* a certamine, ut libere tibi soli serviam, cui servire est regnare ac liberum esse, quomodo econtra io, qui tibi non servit, servus utique fit tot dominorum quot vitiorum.

Proin a vitiis tanquam a crudelissimis dominis recte ad te confugio, Deus meus, quoniam *adjutor meus et liberator meus es tu, Domine*, tantum *ne moreris*; id est auge mihi cum desiderio tui adventus, tui solatii, tui adjutorii, tuæ liberationis in exspectatione mea patientiam. Si enim quod spero, per patientiam exspecto, ero similis hominibus exspectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis, ut cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei. Si autem fuero impatiens, moram faciente sponso, dormitans aut dormiens potero fraudari ea beatitudine qua beati sunt servi illi quos, cum venerit, Dominus invenerit vigilantes; aut certe, quod amplius pavendum simul et cavendum est, ex nimio tædio moræ aspiciam retro, ut uxor Lot quæ ob hoc mutata est in statuam salis ut me condiat, ne insipidus et insipiens factus retro aspiciam, vel corde revertar in Ægyptum; similis illis, qui fatigati nimio tædio recordabantur ollarum et carnium Ægyptiacarum, petieruntque delicias in via, quas patienter et longanimiter exspectare debuerant sibi promissas et reservatas in patria. Exauditi sunt tamen, sed malo suo, quoniam cum adhuc escæ in ore ipsorum essent, ira Dei ascendit super eos, et occidit pingues eorum. Multa quidem et alia mala evenerunt illis propter impatientiam suam, quæ non oportet rememorari in psalmo isto *in rememorationem salutis* prætitulato. Hæc autem commemorata sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem longanimem semper habeamus contenti bonis et donis viaticis in via, et exspectantes majora in patria, ne ita longa vel tædiosa videatur mora temporum, quæ Pater posuit in sua potestate, ut tædio fracti deficiamus in via.

Sed ad hæc quis idoneus? Nonne etiam spiritu prompto caro est infirma? Inde, o Deus meus, et in principio psalmi, ut *ad adjuvandum me festines*, et nunc in fine oro : *Domine, ne moreris.* Nisi enim dies mali tuo festino adjutorio brevientur, non fiet salva omnis caro. Non tamen in justificationibus meis prosterno preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis peto, ut festines in adjutorium meum, *nec moreris* exauditis Ecclesiæ tuæ precibus ad te clamantis et dicentis : *Deus, in adjutorium meum intende.* Item : *Ne moreris* propter temetipsum, Deus, inclina aurem tuam, et vide tribulationem nostram. Item : « Revertere, dilecte mi, similis esto capræ, hinnuloque cervorum super montes Bethel (*Cant.* II, 17) » salienti et velociter currenti. Exsulta ut gigas ad currendam viam tuam *in adjutorium meum, nec moreris* in currendo et succurrendo mihi pauperi et egeno ad consolationem, tibi ad glorificationem.

Gloria Patri Deo in adjutorium meum intendenti. *Gloria Filio*, Domino ad adjuvandum me festinanti. *Gloria Spiritui sancto*, Domino adjutori et liberatori meo, quoniam « Spiritus adjuvat infirmitatem nostram (*Rom.* VIII, 26), » ait Paulus apostolus. Et : « ubi Spiritus Domini, ibi libertas (*II Cor.* III, 17). » *Gloria* uni ac trino Deo intendenti ad liberandum a malis et adjuvandum in bonis. Amen.

PSALMUS LXX.

In te, Domine, speravi, non confundar in æternum. Psalmi hujus voces manifestæ pugnatoris sæpe dicti voces sunt in certamine positi, spem retinentis, spem profitentis. *In te, Domine, speravi*, inquit, *non confundar in æternum.* Ac deinceps : *Quoniam tu es patientia mea, Domine, Domine, spes mea a juventute mea.* Item : *Ego autem semper sperabo, et adjiciam super omnem laudem tuam.* Nempe in eo, quod dicit : *Deus meus, eripe me de manu peccatoris, et de manu contra legem agentis et iniqui* : promptum est diabolum intelligi, cujus instinctu illa discordia fit, ut adversus legem mentis repugnet lex peccati, quæ

est in membris. Sane hujusce orationis præcentor ac prædoctor est ipse Christus legitime certantium caput et dux orans, ut eriperetur hic *de manu contra legem agentis* Judaici populi, *et iniqui* Romani imperii, eadem justitia vel divinitate, qua potens est et eos qui tentantur eripere. Denique titulus ejus talis est :

VERS. 1. PSALMUS DAVID, FILIORUM JONADAB ET PRIORUM CAPTIVORUM.

Et est sensus : Hic psalmus est Christi, quia ipse et in hoc psalmo loquitur, et de seipso loquitur. Est etiam *filiorum Jonadab*, quia de ipsis hic Dominus loquitur, qui filii prius captivi fuerunt. Unde et dicitur *priorum captivorum*. Bene autem *Jonadab* et secundum negotium et secundum nominis interpretationem hic apponitur. Secundum negotium ita : quia sicut *Jonadab* sacerdos filiis suis a vino abstinere et in tabernaculis habitare præcepit, ita Dominus noster fideles suos a temporali jucunditate prohibet, et in hac vita peregrinos et advenas se reputare atque futuram inquirere admonet. Secundum vero nominis interpretationem sic : *Jonadab Domini spontaneus* interpretatur. Quæ interpretatio apte Domino nostro congruit, quippe qui præ omnibus specialiter, ac singulariter Deo Patri usque ad mortem obedivit. Ipse in hoc psalmo orat, ut videlicet, sicut jam dictum est, exemplo suo filios suos orare doceat. Ad litteram iste est Jonadab, qui commendatur a Jeremia, qui præcepit filiis suis ut non biberent vinum, et non in domibus sed in tabernaculis habitarent (*Jer.* XXXV, 6, 7). Qui intelligentes Dominum præcepisse parentibus in bono obedire, sanctum servaverunt præceptum; propter quod benedixit eis Deus propter obedientiam, scilicet eos ostendens et exprobrans populo suo inobedienti. Quod Jeremias commendans id agebat, cum populo Israel suadens, ut se captivitati pararent, nec voluntati Dei resisterent. Judæi enim pro lege Dei contempta destinati sunt primæ et secundæ et tertiæ captivationi, ut corrigerentur. Antequam prima veniret, prænuntiata est per Prophetam. Videtur ergo inde tractus titulus hujus psalmi. Unde cum dixisset : *Filiorum Jonadab*, subjecit : *Et eorum, qui captivi primi ducti sunt*. Non utique quia *filii Jonadab* captivi ducti sunt; sed quia oppositi sunt captivandis. Oppositi sunt, ut intelligerent se ideo captivandos, quia Deo non obedierunt, sicut illi fecerant patri. Et captivati quidem sunt filii Israel primi, secundi, tertii. Sed de his psalmus nihil sonat.

Ex hac ergo comparatione *filiorum Jonadab* patri obedientium omnis potius inobedientia culpata est, per quam in lege peccati, quæ est in membris, sumus captivati, et per inobedientiam Adæ, in quo omnes peccaverunt, primi. Et ideo primi captivi per primum hominem, secundi redempti per secundum, quia primus homo de terra terrenus, cui similes sumus : secundus de cœlo cœlestis, a quo liberamur. Vel primi in hoc mundo, unde potest evadi, secundi in inferno, unde non potest. Vel quia prius, quod animale est, deinde quod spiritale est, dicit primi, quia ante vitiis captivati, quam *filii Jonadab*, id est *spontanei*, Christi scilicet, qui voluntate Deo Patri obediens nos, qui cum nihil nisi mali simus ex nobis, liberavit de corpore mortis hujus per gratiam suam, cujus misericordia sumus quidquid sumus. Hæc igitur tanta gratia nobis in hoc psalmo fere singulis syllabis commendatur, hac intentione, ut totam spem nostram constituamus in Domino, non in viribus nostris; non contumacium filiorum captivorum imitatores simus, sed obedientium *filiorum Jonadab*.

Est etiam considerandum in obedientia *filiorum Jonadab*, quia præceptum posuit illis pater eorum, quod non fuit a Deo positum, scilicet, ne biberent vinum neque habitarent in civitatibus, sed foris in tabernaculis. Unde imminente obsidione Chaldæorum, dum cogerentur manere in civitate, hoc ipsum reputabant sibi pro prima captivitate, ut exinde primi captivi nominari videantur in titulo psalmi hujus, cum dicitur : *Psalmus David filiorum Jonadab, et priorum captivorum*. Denique ipsorum talis captivitas prior erat ea captivitate, qua destructa Jerusalem ducti sunt in Babylonem Judæi, quo non sunt ducti isti *filii Jonadab*, quia principibus et bellatoribus partim occisis, partim abductis in Babylonem relicti sunt pauperes terræ in Judæa, de quorum numero cum essent *filii Jonadab*, et ipsi remanserunt in Judæa, soluti videlicet a captivitate illa, qua primi captivati fuerunt, quando in civitate contra patris præceptum et suæ voluntatis arbitrium coacti sunt habitare, in qua tamen vinum sibi oblatum contra patris sui mandatum bibere noluerunt. Et ob hoc a Deo benedicti pronuntiantur per Jeremiam prophetam ex illorum comparatione increpantem Judæos obedire nolentes præcepto divino, cum illi obedierint præcepto humano.

Audiant hæc mansueti, et lætentur, qui *filiorum Jonadab* sunt in hoc imitatores, quod obediunt suis prælatis quædam interdicentibus, quæ non interdixit Deus, ut est bibere vinum vel cohabitare turbis civitatum. Nonne sancti Patres Basilius, Augustinus, Benedictus et cæteri, qui regulas cœnobitalis vitæ ordinaverunt, hujusmodi quædam statuta posuerunt in abstinentia servanda in silentio tenendo et cæteris regularibus disciplinis? Qui ergo statuta talia observant, ipsi cum *filiis Jonadab*, filii Rechab merentur benedici, et quia pauperes spiritu sunt, licet prima illos gravet captivitas, qua vident aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ et captivantem eos in lege peccati et mortis, dum carnis oblectamenta inviti sentiunt : attamen in secundam captivitatem non veniunt, cum eisdem non consentiunt, quoniam præcipitur eis non bibere vinum, in quo est luxuria. Non itaque venient in Babylonem, sed accipient benedictionem, ut a secunda captivitate, quæ est consensus peccati, omnino sint liberi et a prima quoque cito liberandi, secundum quod quilibet eorum dicit :

« Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum (*Rom.* VII, 24, 25). » In desiderio hujus liberationis, gratia Dei per Jesum Christum citius accelerandæ, psallit quisque illorum dicens :

In te, Domine, speravi, non confundar in æternum. Primo in persona omnium *filiorum Jonadab* psallens David petit liberari exterius et laude repleri. Secundo idem petit sibi conservari tempore senectutis, ibi : *Ne projicias me in tempore senectutis.* Tertio de ista gratia gratias agit ibi : *Deus, quis similis erit tibi?* Dicat nunc Israel, dicat, qui redemptus est jam in spe, redimendus adhuc in re; dicat, inquam : *In te, Domine, speravi.* Ego *Jonadab spontaneus Domini*, Deo Patri sponte assistens pontifex me ipsum in ara crucis offerens, qui pro meis, quos dedisti mihi, Pater, me ipsum sanctificavi et sacrificavi, ut et ipsi sancti sint in veritate, *in te speravi*, quod *non confundar in æternum*, id est nunquam *confundar*, sicut confunduntur, qui non exaudiuntur in suis precibus bonis, vel etiam, qui exaudiuntur in petitionibus malis. Ego enim pro meis in me ac per me sanctificandis ad multorum exhaurienda peccata semel mortuus vitam petii a te, Pater, his, quos dedisti mihi, et in hac petitione spero, imo scio me non confundendum *in æternum*, sed exaudiendum pro salute meorum mihi cohærentium *in æternum*.

Aliter : Ego David, ego pœnitens, ego veri filius *Jonadab*, videlicet sponte sanctificari et in cruce sacrificati Christi spontaneus imitator, licet prima captivitate premar, dum velle mihi adjacet, perficere autem non invenio, quoniam aliam legem legi mentis meæ contrariam viribus meis vincere non valeo; tamen *in te, Domine, speravi* et spero, quod *non confundar in æternum*, etsi ad tempus inveniar confusus in Adam pro peccato non habens fructum in his, in quibus nunc erubesco, et confundor non ea confusione, quæ adducit peccatum, dum stulte quis erubescit confiteri et emendare peccatum, sed ea confusione, quæ adducit gloriam, dum is, qui non erubuit erubescenda perpetrare, jam de his confusus per pœnitentiam non erubescit eadem confiteri et emendare. Talis tam utilis est confusio *filiorum Jonadab* in prima captivitate, qua et ego David ego unus *filiorum Jonadab* confusus increpante me Nathan propheta spero, quod *non confundar in æternum*. Spero autem non in me, sed *in te, Domine* : non in mea, sed in tua virtute ac pietate. Neque enim deest Nathan propheta redarguens peccata *filiorum Jonadab*, quandiu sermo Dei adversarius est in via ne nos accuset in patria, qui adversatur in prima captivitate ut liberet a secunda. Cujus me in via redarguentis quoniam consentio legi quæ bona est, et ideo mente condelector ei, spero quod *non confundar in æternum*, sed a confusione liberatus, et mundo crucifixus gloriari valeam cum illo præcipuo filio *Jonadab*, qui in cruce Domini nostri Jesu Christi glorians dixit : « Vivo autem

A jam non ego, vivit vero in me Christus (*Gal.* II, 20). » Item : « Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo (*Gal.* VI, 14). » Absit igitur mihi gloriari in mea justitia, sed gloriari mihi detur in tua justitia, Domine, cui et dico .

VERS. 2. *In justitia tua libera me*, id est per fidem qua credo, quod justificas impium, quod reputatur ad justitiam quæ *tua* est, a te data, non mea quam si statuo, *justitiæ tuæ* non sum subjectus. Ideo dico : *In justitia tua libera me*, ut tu justificeris in sermonibus tuis, ut tu justus inveniaris et verax in eo, quod confitenti et pœnitenti vinumque illud, in quo est luxuria, bibere abnuenti gratiam promittis præsignatam in filiis *Jonadab* liberatis et a prima capti-

B vitate, ne in tabernaculis habitare consueti paterentur nimis diuturnam in civitate obsidionem, et a secunda, ne cum cæteris Judæis ducerentur in Babylonem. Est quidem opus misericordiæ, quod ad pœnitentiam vocas peccatorem, sed opus est non solius misericordiæ, imo etiam *justitiæ tuæ*, quod *liberas* jam pœnitentem, et de profundis mali primæ captivitatis ad te clamantem. Ideo ego jam pœnitens, jam cum filiis *Jonadab* vinum, in quo est luxuria bibere nolens, jam de lege peccati me captivante dolens et legi tuæ consentiens dico : *In justitia tua libera me* ab illius legis captivitate, ut fruar ea libertate, qua liberatus a peccato, servus autem factus tibi Domino legitimo nunc habeam fructum in san-

C ctificatione, finem vero exspectem vitam æternam.

Et quia ægrotus ego exaltare clamorem non valeo ad te Altissimum, tu *inclina aurem tuam ad me* jacentem semivivum relictum a latronibus, qui me vulneraverunt et spoliaverunt. *Inclina* sic *aurem*, ut appropians alliges vulnera mea, *et salva me* infuso pariter oleo et vino, gemino scilicet sancti Spiritus dono; uno in remissione peccatorum, altero in largitione virtutum : sicut apostoli tanquam oleo peruncti fuerunt in die resurrectionis dicente ad eos Domino : « Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata, remittentur eis (*Joan.* XX, 22, 23). » Et in die Pentecostes quasi vino potati etiam dicebantur musto pleni propter virtutem sancti Spiritus eos inflammantis et inebriantis ad evidentiam

D sibi datæ atque missæ salutis per oleum et vinum, id est per geminum sancti Spiritus donum, sicut dictum est. Sic multos ægrotos audiens medicatos et salvatos, ego quoque in te medicum verum sperando salutem peto dicens : *Inclina aurem tuam, et salva me.* Atque ut salutem semel acceptam non perdam inter hostes constitutus.

VERS. 3. *Esto mihi in Deum protectorem;* quia ego meipsum, sicut creare non potui ut essem, vel salvare ut bene essem : sic non possum defendere, ut tutus maneam. Ideo ad te confugio petens, ut sis mihi in domum refugii, sive *in locum munitum*, vel sicut Hebraica veritas habet : *Esto mihi petra fortis, robustum habitaculum.* Tu, qui fuisti metus Adæ fugienti, esto jam filiis *Jonadab* locus refugii,

ad quem, qui refugit, tutus est, quia sic est in alto, ut inimicos de subtus non timeat. *Esto mihi in locum munitum.* Sicut turris David, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. *Esto mihi in locum munitum*, ut quomodo me fecisti sic esse de nihilo, ut non possim non esse : similiter me ita de infirmo et ægroto *salvum facias*, ne amissibilis mihi sit a te data salus, qua das homini bene esse, liberans eum a prima captivitate, qui a te creatore habens esse non potest non esse, quantumlibet prematur vel primæ vel secundæ captivitatis miseria. Sicut ergo inamissibiliter habeo esse a te Creatore, sic habeam inamissibiliter bene ac beate esse a te liberatore, sub te *protectore, ut salvum me facias*, quoniam salus populi tu es, et in salute protegas atque conserves : *quoniam firmamentum meum es tu* contra tentationes et tribulationes in hac prima captivitate filios primi Adæ absorbentes, filios quoque *Jonadab*, secundi scilicet Adæ graviter infestantes. A quibus, ne absorbear ego David, ego pœnitens, ego filius Jonadab, *tu es refugium meum*, Deus meus. Tu qui es, Deus creator meus, tu idem ipse *es refugium meum* secundum incarnationis tuæ sacramentum, quod est filiis *Jonadab* mandata paterna servantibus, inexpugnabile *firmamentum*.

Vers. 4. Tu, *Deus meus, eripe me de manu peccatoris, et de manu contra legem agentis et iniqui.* Me Christum verum *Jonadab eripe de manu peccatoris* pagani legem non habentis, ut cesset persecutio tyrannorum gentilium idola colentium, et *de manu contra legem agentis, et iniqui*, videlicet Judæi carnalis et falsi christiani, legem quidem habentis et tamen *contra legem agentis*, unde *iniquus* judicatur, et per legem peccans per legem judicatur, sicut et paganus iniquus est, qui sine lege peccans judicatur, et peribit sine lege. Ab utroque, *Deus meus, eripe me*, ne talibus incorporer aut conformer. *Eripe*, dico, quod et supra dixi et nunc repeto eamdem precem propter geminam ereptionem valde mihi necessariam : primum, ne delectatio peccati mordeat, secundo, ne contra legem Dei consensus peccati omnino interficiat. Propterea dico : *Eripe me de manu peccatoris, et de manu contra legem agentis*, ne vel delectatio peccati repugnans legi mentis meæ sauciet, vel consensus mortificet. *Eripe* nihilominus *de manu iniqui*, universaliter omnis *iniqui*, sive angeli, sive hominis, sive alicujus iniqui, ut est ira, superbia, invidia mentis, et libido carnis, ne aliquis talis iniquorum sua manu, sua potestate valeat me gravare, ac spoliare mea innocentia vel, quod æque periculosum est, mea sapientia, quæ mihi non ex me, sed ex te.

Vers. 5. *Quoniam tu es patientia mea*, in qua, si perseverabo inter tentationes velut alter Job, scio quod non confundar, quoniam *patientia probationem operatur. Probatio vero spem : spes autem non confundit.* Ita ergo de *patientia* nascitur *spes*, et rursum de *spe* major *patientia*, dum *spe gaudentes*

A ex ipso *spei* gaudio magis erunt in tribulatione patientes. Hoc autem totum bonum ex te mihi, non ex me Deus meus, *quoniam tu es patientia mea, Domine*, in tribulatione seu tentatione, atque item tu, *Domine, spes mea* es, quod per te liberer de ipsa tribulatione ac tentatione. Cœpit autem hæc *spes mea a juventute mea*, quæ videlicet ætas apta est bellis et hæc mihi ex tunc cœpit, ex quo contra diabolum et carnem pugnaturus jam transactà infantia et pueritia suscepi arma fidei et *spei* et charitatis. Ad quæ suscipienda, ut essem idoneus, antequam ea susciperem, præventus sui misericordia tua, qua

Vers. 6. *In te confirmatus sum ex utero* antequam sperare scirem, qui primo fidei rudimento in utero Ecclesiæ conceptus, et post ex aqua et spiritu quasi B *de ventre matris* generatus non infirmatus sum fide. sed lacte alimoniæ spiritalis nutritus juvenilis roboris augmentum accepi. Unde *in te cantatio mea semper.* Spem in alium nunquam habui, nunquam habebo ; sed *in te cantatio mea semper.* Etiamsi aliquando in alio aliquo fuit mihi *cantatio* seu delectatio, amodo non erit, nisi *in te* Deo vero, adjutore meo fortissimo, quoniam dum in te sperans tuas justificationes amans et prædicans.

Vers. 7. *Prodigium factus sum multis. Tu adjutor fortis* mihi fuisti et eris, ut spero, usque in finem, et ideo in te *adjutore forte cantatio mea semper*, et dum per fidem ambulo, et dum per speciem videbo. Quod meum votum cantationis persolvendæ nunc et C semper et in sæcula sæculorum ne fiat irritum et vacuum, sed sit affectu devotionis et effectu consummationis plenum, peto :

Vers. 8. *Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam. Repleatur*, inquam, *laude os meum* sic, ut a fundo cordis usque ad labia oris plenitudo gratiæ tuæ, Deus, cordi meo infusæ atque diffusæ in labiis meis te affectuose magnificet, ne similis inveniar populo, de quo dicis : « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me (*Isa.* XXIX, 13). » Non erant hæc labia talis populi tua laude repleta, sed quasi forinsecus respersa corde intus vacuo, quod longe fuit a Deo. Ego autem dico : *Repleatur os meum laude* per gratiam cordi meo infusam atque inde scaturientem D et in labiis diffusam, sicut aliquis tuorum legitur plenus gratia et fortitudine, plenus Spiritu sancto et fide, in labiis quoque suis tanta gratia redundasse, ut audientes eum adversarii non potuerint « resistere sapientiæ et Spiritui, qui loquebatur (*Act.* VI, 8, 10). » Sic a fundo cordis exundante gratia tua usque ad os *repleatur* ipsum *os meum laude tua, ut cantem gloriam tuam.* Gloria est ore multorum celebrata laudatio. Istiusmodi *gloriam cantem* sociam habens in hoc bonorum multitudinem, qui etsi comparatione malorum pauci sunt, tamen quia ipsi mali « ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens (*Psal.* LVII, 8), » gloria hæc est et erit omnibus sanctis Dei, ut ore illorum celebrata laudatio sit gloriosa pariterque speciosa, sicut « con-

trario « in ore peccatoris non est speciosa laus (*Eccli.* xv, 9), » etiamsi in clamosa, quoniam Dei auribus est onerosa. Unde ait : « Aufer a me tumultum carminum tuorum, et canticum lyræ tuæ non audiam (*Amos.* v, 23). » Quod ne mihi te indigne laudanti dicatur, quæso *repleatur os meum laude tua* ita perfecte, ut *cantem*, prout decet, *gloriam tuam : tota die magnitudinem tuam. Tota die*, scilicet et cum per prospera fovendo consolaris, et cum per adversa corripiendo corrigis, *cantem gloriam tuam, et magnitudinem tuam*, qua me de non esse fecisti, ut essem aliqua creatura : et cum essem, protexisti ac promovisti, ut fierem nova creatura. Item cum peccassem, ignovisti, conversum justi, perseveranti coronam præparasti, quæ reposita est mihi apud te in tuæ pietatis magnitudine. Multa enim beneficia tua solo nomine magnitudinis tuæ concludo laudans, et cantans *tota die magnitudinem tuam.* « Magna enim sunt judicia tua, Domine, et inenarrabilia verba tua (*Sap.* xvii, 1). » Magna potentia tua, quæ omnia quæcunque vis, potes. Magna sapientia, qua omnia scis, et nulla te latet cogitatio. Magna misericordia, quæ misereris omnium, et nihil odisti eorum, quæ fecisti. Magna hæc omnia in te, imo una immensa *magnitudo* hæc omnia sunt in te, nec aliud a te, secundum quam dicitur : « Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus non est numerus (*Psal.* cxlvi, 5), et magnitudinis ejus non est finis (*Psal.* cxliv, 3). » Facis ergo mirabilia magna solus magna virtute, quæ nec senescit nec deficit, sicut hominis virtus et senescit et deficit. Igitur ego miser, et mortalis homo senio et defectui obnoxius ad te confugio, et tibi æternaliter manenti dico :

Vers. 9. *Ne projicias me in tempore senectutis. Pars secunda* de gratia *tempore senectutis* necessaria hoc habet exordium. *Ne*, inquam, *projicias me in tempore senectutis* frustrata exspectatione mea, qua spes mea existens a juventute mea hoc fecisti me sperare, quod non projiceres *me in tempore senectutis.* Reposita erat hæc spes mea in sinu meo quasi pignus et arrha desursum data. Unde quia spes non confundit, quasi debitum spei præmium requiro dicens : *Ne projicias me in tempore senectutis.* Tempus juventutis est, cum de suis viribus quis præsumens accingit se et ambulat ubi vult dicens : « In abundantia sua (*Vulg.* mea) non movebor in æternum (*Psal.* xxix, 7). » Vel : « Si oportuerit me mori, ego nunquam scandalizabor (*Matth.* xxvi, 33, 35). » Sed hæc juventus cito deficit, et talis ei succedit senectus et humanæ virtutis defectus, ut talis juvenculus immatura *senectute* præventus cogatur dicere : « Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem, avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus (*Psal.* xxix, 8). » Sera querela post istam conturbationem in alio psalmo deprompta, hic prævenitur, cum dicitur : *Ne projicias me in tempore senectutis*, quod tempus est, *cum defecerit virtus mea*, cum patientia quassata mollescit, cum tentatio diaboli vel carnis ultra quam sustinere possimus, invalescit, tunc *ne projicias* vel *derelinquas me*, fidelis Deus; sed facias cum tentatione etiam proventum, ut possim sustinere, quia virtus humana lassata eo magis indiget confortari a Spiritu Domini adjuvante infirmitatem nostram, quo magis experta est ipsam infirmitatem suam.

Dicitur etiam in Christo fuisse senectus non peccati sed pœnæ, ex qua vetustate vel senectute infirmus prodigium factus est multis, irrisus in cruce, ubi vetus homo noster simul crucifixus est, ut quomodo ille a nobis habuit infirmitatem, sic nos ab eo capiamus fortitudinem. Qui cum per omnia tentatus possit et his, qui tentantur, auxiliari, verus *Jonadab sponte oblatus* pro salute filiorum seu membrorum suorum recte intelligitur pro ipsis infirmantibus interpellare apud Patrem hoc modo : Infirmata est virtus mea in manibus inimicorum meorum, quanto magis infirmabitur virtus parvulorum filiorum meorum in manibus inimicorum suorum, quoties in priori captivitate, quæ illis est a primo parente, apponitur eis vinum bibendum, in quo est luxuria, in tentatione carnis invalescente ac virtute humana deficiente? Tunc igitur, *cum defecerit virtus mea*, id est meorum, *ne derelinquas me*, id est meos, in manibus inimicorum meorum exinde magis cavendorum :

Vers. 10 et 11. *Quia dixerunt inimici mei mihi, et qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum, dicentes : Deus dereliquit eum*, etc. *Inimici mei*, qui studio supplantandi *custodiebant animam meam consilium fecerunt*, id est ex consilio dixerunt, et ipsum *consilium fecerunt in unum*, ut quasi fascis non divisus et ideo gravis ad portandum gravius opprimeret. Audi, Domine, voces adversariorum meorum, qui *consilium fecerunt in unum, dicentes : Deus dereliquit eum, persequimini, et comprehendite eum, quia non est qui eripiat.* Hæc dixerunt, quia me viderunt calamitatibus fatigatum carnis infirmitate gravatum, variisque necessitatibus obstrictum, nec habentem ex me in me quidquam virium ad resistendum tot malis, tot vitiis, tot miseriis undique prementibus. Propterea dicunt : *Deus dereliquit eum. Deus*, quem prædicat, quem glorificat ipse *dereliquit eum*, sicut ipse attestatur dicens : « Deus, Deus meus, utquid dereliquisti me? (*Matth.* xxvii, 46.) » Sed malo suo putant me derelictum a Deo, quod tamen ipsum malum provenit aliis in bonum, his scilicet, qui secundum propositum vocati sunt sancti. Si enim cognovissent, nunquam me Dominum gloriæ crucifixissent. Si non fuissem crucifixus, non salvaretur homo perditus, nullo pretio nisi meo sanguine redimendus. Hoc illi nescientes (ignoraverunt enim sacramenta Dei) clamaverunt : « Reus est mortis (*Matth.* xxvi, 66) : » *Persequimini et comprehendite eum. Persequimini* ut tardum ; *comprehendite* ut invalidum, *quia non est qui eripiat* apprehensum, ligatum et cruci affixum. Sic de me vero *Jonadab* deliberaverunt, sicut etiam

de filiis meis censuerunt, quod videlicet a Deo essent derelicti, quando erant nimiis tentationibus vel tribulationibus expositi. Sed tu, Deus, qui omnia bona et mala scis, et bona sola vis tanquam summe providus et benignus.

VERS. 12. *Ne elongeris a me*, sicut videtur, dum tardas venire ad servos tuos. Festina per exhibitionem auxilii tunc maxime necessarii, cum insultant adversarii. *Ne elongeris* a me tardando auxiliari ac liberare de imminentibus calamitatibus. Et ne gravioribus exponar, *Deus, Deus meus, in auxilium meum respice* sic tuo respectu mihi subveniendo, sicut subvenisti Petro, quem quia *respexisti*, flevit amare, meruitque beatificari ea consolatione, de qua dicitur : « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (*Matth.* v, 5). » Item : « Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis (*Luc.* vi, 21). » Tu quondam curribus Pharaonis, populo tuo appropinquantibus, in auxilium ejusdem populi tui de Ægypto egressi « respexisti super castra Ægyptiorum (*Exod.* xiv, 24) » et ferebantur in profundum quasi plumbum in aquis vehementibus : ita nunc *respice* super castra dæmonum et vitiorum sive hominum vitiosorum, ut ferantur in tale profundum judiciorum tuorum, super quo liceat cantare populo tuo per tuum respectum liberatum, canticum Moysi dicentis : « Cantemus Domino, etc. (*Exod.* xv, 1.) » Sic *in auxilium meum* et meorum *respice*, per meam Deus Pater, placatus obedientiam, quæ major est obedientia filiorum *Jonadab*, quia illi obediendo patri suo noluerunt bibere vinum : ego autem tibi, Pater, obediendo gustavi vinum cum felle mistum sive myrrhatum, et bibi acetum tam in mea persona quam in personis martyrum meorum, sive confessorum carnem suam castigantium, sive aliorum fellita et amara opprobria, propter me portantium inter inimicos meos detrahentes animæ meæ, pro quibus oro dicens :

Confundantur et deficiant detrahentes animæ meæ, qui detrahunt *animæ meæ*, id est vitæ meæ, verbi gratia, dicentes : Homo vorax, potator vini, et cætera in hunc modum falsa opprobria, *ipsi confundantur* in suis detractionibus de justificante ac magnificante animam meam, id est vitam meam justificante per peccatorum immunitatem, magnificante per virtutum claritatem. Cujus fulgorem ferre non valentes ipsi detractores *animæ meæ confundantur* vel ad pœnitentiam, si per ignorantiam seu fragilitatem peccant in me, vel ad pœnam cæteris emendatoriam, si peccatum eorum sic est ad mortem, ut pro illo remittendo non sit orandum, quod fit, cum peccatur in Spiritum sanctum. Ita quomodolibet peccent, *confundantur* videntes falsificata opprobria detractionum suarum, te subveniente ac me patienter omnia sufferente ac sustinente in charitate patiente ac nunquam excidente in spe, quæ *non confundit*. Ipsi autem, qui adeo sunt mali, ut de me non habeant spem boni, *confundantur* per evidentiam bonorum, quæ in me clarescent : et *de*-A *ficiant* subtracta sibi materia detrahendi, sicut ignis deficit lignis subtractis. *Deficiant*, inquam, *detrahentes animæ meæ* vel meorum. *Confundantur* de peccatis suis, *et deficiant* a perversis viribus. *Confundantur* erubescentes malum se voluisse, quod etiam si perseverant velle, *deficiant* a viribus, ne quod volunt, facere prævaleant.

Quidam codices habent : *Deficiant committentes animam meam*, id est *committentes* bellum cum *anima mea*, ut eam provocent ad Deo resistendum, quod est committere bellum contra ipsum, ut faciunt, qui divinis judiciis non consentiunt, cum bonis adversa et malis prospera evenire sentiunt. Ad commissionem talis belli provocavit sanctum Job uxor sua dicens : « Adhuc permanes B in simplicitate tua? Benedic Domino et morere. » At ille pacem cum Deo servans, et ejus judicia, quanquam sibi dura commendans, « quasi una, » inquit, « de stultis locuta es. Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus? In omnibus his non peccavit Job labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est (*Job.* ii, 9-10), » cavens commissionem belli periculosissimi. Nam ex quo quis resistit tibi, Deus omnipotens, ex tunc ira tua implacabilis inardescit, quam sapientissime declinat, qui tuis judiciis humiliter acquiescit, non te, sed se culpando et veniam precando. Committitur etiam anima bello pernicioso si eos odit, a quibus patitur mala.

C Hebraica veritas habet : *Confundantur, et consumantur adversarii animæ meæ.* Tres erant quinquagenarii contra Eliam missi ab impio rege Israel cultore Beelzebub, quorum duo cum suis quinquaginta sunt consumpti Elia dicente : « Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, et devoret te, et quinquaginta tuos (*IV Reg.* i, 10-12). Tertius quinquagenarius non est consumptus, quia humiliter sentiens confusus est misericordiam precando, non iram provocando. Et adhuc testibus veritatis contra Beelzebub dimicantibus promittitur, quod sint candelabra in conspectu Domini terræ stantia, et si quis eos voluerit lædere, ignis exiet de ore ipsorum, et devorabit inimicos eorum. Dicit enim quisque illorum, quod in præsenti psalmo habemus : *Confun*-D *dantur, et consumantur adversarii animæ meæ. Consumantur*, igne cœlesti. Etenim « Deus noster ignis consumens est (*Deut.* iv, 24). » *Consumantur* igne ardentissimæ orationis vel justa sententia excommunicationis *adversarii animæ meæ*, non ut omnino non sint, sed adversarii non sint, nec adversari possint vel detrahere animæ meæ, sicut illi detraxerunt et adversati sunt Eliæ, qui eidem in monte posito dixerunt : « Homo Dei, rex præcepit, ut descendas (*IV Reg.* ix, 11). » Qui enim de alto professionis, de vertice sanctæ conversationis animam detrahunt vel detrahere cupiunt ad ima principis mundi negotia quasi auctoritate regia dicendo ad quemlibet sanctorum in vertice montis positum : « Homo Dei, rex præcepit, descende, » ipsi digni

taverunt in malum. Sicut illi accusante conscientia confusi dixerunt : « Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum (*Gen.* XLII, 21), » et ipsius fratris potentiam reveriti proni ceciderunt in terram exhibendo illi reverentiam : sic induantur confusione et reverentia omnes inimici mei Christi, vel mei cujusque pauperis et egeni. *Confundantur, et revereantur, qui quærunt animam meam* tollere per mortem in tempore persecutionis aperte sævientis.

VERS. 4. *Avertantur* etiam *retrorsum, et erubescant, qui volunt mihi mala* in tempore pacis quando non audent manifeste ostendere mala, quæ contra me habent in voluntate. *Avertantur retrorsum*, ut qui suo arbitratu viventes non dignantur sequi vestigia sanctorum, sed quasi præcedunt eos, quorum documenta contemnunt, jam ulterius non præcedant, sed sequantur, nec suo vivant consilio, sed sanctorum. *Avertantur retrorsum*, sicut illa beata, quæ confusa et erubescens de peccatis suis accessit retro, et lacrymis lavit pedes illius, a quo ipsa lavanda fuit (*Matth.* IX, 20). Vel sicut illa *hæmorroissa*, αἱμοῤῥοοῦσα quæ postquam in medicos falsos frustra erogaverat omnem substantiam suam, postea retro accessit ad medicum verum, tetigitque fimbriam vestimenti ejus (*Matth.* XIV, 36). Vel *Convertantur retrorsum*, prout dictum est Petro : *Sequere me :* Vel sicut universaliter dictum est : « Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me (*ibid.*, XVI, 24). »

Aliter. *Convertantur retrorsum*, ut Maria in horto conversa est retrorsum, et vidit Jesum stantem, quem putaverat non vivum stare, sed mortuum jacere. *Avertantur retrorsum* cogitando dies antiquos et annos æternos, in quibus erat Jesus priusquam veniret in mundum, et sciant, quia illuc ascendit corpore, ubi erat prius : Divinitate. Alioquin dicetur eis : Nolite me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum, quantum ad pusillam fidem vestram, qua me per noctes quæritis in lectulo sepulcri, qui nunc ingressus palatium regni mei non ita claudor angustia unius loci, ut non possim pariter esse in cœlo et in terra etiam corporali præsentia, prout exposcit salus eorum pro quibus humanitas mea in divinitatis meæ personam conceptu virginali est assumpta, quæque nunc per gloriam resurrectionis in ejusdem divinitatis gloriam est assumpta. Hinc est illa gloria etiam corpori meo, ut assumptum in cœlum nec deserens cœlestia impleat altaria terrestria in tota Ecclesia per orbem terræ dilatata. Qui ergo ita me quærunt in sepulcro unius loci, ut non possim uno eodemque tempore pluribus in locis etiam corporaliter præsentari, *avertantur retrorsum*, et discant, me docente, quia nondum illis ascendi ad Patrem meum. Vadant etiam ad fratres meos et discant ab eis, quid sit : « Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum (*Job* XX, 17). » Nempe non aliud est homini assumpto in Dei Filium id est, ut sit Dei Filius, ascendere ad Patrem suum, quam intrare in gloriam Patris sui, neque aliud homini assumpto in Deum, hoc est ut sit Deus, ascendere ad Deum suum, quam glorificari ea gloria, quam Deus habuit æternaliter in divinitate sua. Qui hæc nondum credunt, *avertantur retrorsum* cum Maria et discant, quod adhuc nesciunt de Dominicæ ascensionis gloria. *Avertantur* etiam *retrorsum*, sicut illi ceciderunt *retrorsum*, qui comprehenderunt me occidendum, illi, quibus contra me meosque ubi deest nocendi facultas, inest tamen obstinatæ malitiæ voluntas, quæ *volunt mihi mala. Avertantur* hi tales *retrorsum* per humiliationem, quia nunquam volunt cadere in facies suas per voluntariam humilitatem. *Avertantur* itaque primo cadentes *retrorsum* per coactitiam saltem humiliationem, ut sic humiliati discant non blasphemare, non inflari, non extolli ; sed sponte assuescant humiliari sub potenti manu Dei, ut mereantur in tempore visitationis exaltari.

Nota diversa tempora in Ecclesia. Primo enim fuit impetus persequentium tyrannorum, unde supra ait : *Qui quærunt animam meam.* Nunc vero cessante aperta persecutione remansit malevolentia cogitantium. Unde hic ait : *Qui volunt*, sive qui cogitant *mihi mala.* Item : Notandum, quod duo sunt genera persecutorum, scilicet vituperantium et adulantium, et plus persequitur lingua adulatoris quam gladius persecutoris. Utrumque enim, id est vituperatio et laus ignis est, quia ut igne aurum, sic vituperio et laude auditor probatur. Est ergo beatus, qui ne hujus ignis fornacem intret, exauditur orans, ne intret sive inducatur in tentationem, usque adeo liberatus a malo isto, ut ne tentetur in talibus permanendo, scilicet immobilis inter vituperantes et laudantes, non abiens in consilio peccatorum seu terrentium seu blandientium. Hic talis quasi extra fornacem non sentit Babylonici regis ignem urentem. Sed esto, ut intret sive inducatur in hunc ignem, sentiendo videlicet linguæ urentis incendium, dum laude seu vituperio tentatur ; caveat tamen alterutro sic flecti aut frangi, ut a veritatis et justitiæ rectitudine declinet, imo cum tribus pueris in medio fornacis Deum laudando et orando ipsius invocet auxilium, et ipse faciet ei medium fornacis quasi ventum roris flantem. Tactus hoc igne rex Herodes, cum populus ei acclamaret laudes moderatas, non dedit honorem Deo, se potius, quam Deum laudari delectabile habens. Unde percussus ab angelo computruit, et scatens vermibus exspiravit. Periculosus ergo est ignis linguæ vituperantis more illorum, *qui quærunt animam meam, qui volunt*, et cogitant *mihi mala.*

Sed longe periculosior est ignis linguæ adulantis more illorum, *qui dicunt mihi : Euge, euge.* Unde contra illos orans, *qui quærunt animam meam*, sive *qui volunt* et cogitant *mihi mala* dixi quidem ; *Confundantur et revereantur, avertantur retrorsum*, sed non interposui *statim* quoniam inter vituperantes aliquoties exercetur patientia, reprimitur

superbia, detergitur culpa. Sensit hoc rex David, quoniam aliquando maledictum est illi a servo nequam. At ille nec cumulatam injuriam sensit, quia præsensit gratiam. Unde et vetuit prohiberi maledicum convitiantem quæstum æstimans maledicta: « Quid mihi » ait, « et vobis filii Sarviæ? » Et addidit: « Dominus misit illum ad maledicendum David (*II Reg.* XVI, 10). » O vere hominem secundum cor Dei, qui non statim ut audivit maledicum, passus est imponi eidem silentium, sed se ulciscenti potius quam exprobranti succensendum putavit. Prorsus secundum cor Dei, qui de corde Dei ferebat sententiam. Sæviebat lingua maledica, et ille intendebat, quid in occulto ageret Deus. Vox maledicentis in auribus, et animus inclinabat se ad benedictionem. Nunquid in ore blasphemi Deus? Absit! sed illo usus est ad humiliandum David. Nec latuit Prophetam, quippe cui incerta et occulta sapientiæ suæ manifestaverat Deus. Ideo in alio psalmo dicit: « Bonum mihi, quod humiliasti me, ut discam justificationes tuas (*Psal.* CXVIII, 71). » Et hic orans, ut hujuscemodi maledici *avertantur*, non addidit *statim* cupiens per tales humiliari priusquam *avertantur retrorsum*, eo quod humiliatio via est ad humilitatem in corde fidelis, qui dicit: « Bonum mihi Domine, quod humiliasti me, ut discam justificationes tuas. » Vides quia humilitas justificat nos? *Humilitas* dixi, *non humiliatio*. Quanti humiliantur, qui humiles non sunt! Alii cum rancore humiliantur, indignanter ferendo, cum vituperantur, sive aliis modis tribulantur. Alii patienter, alii libenter hæc ferunt. Primi rei sunt, secundi innoxii, ultimi justi. Quanquam et innocentia portio justitiæ est, sed consummatio apud humilem. Qui autem dicere potest: « Bonum mihi, quia humiliasti me, » is vere humilis est. Non potest dicere, qui invitus portat, minus qui murmurat. Neutri horum promittimus gratiam, quod humiliatur, etsi sane longe hi duo a se differant, et alter quidem in patientia sua possideat animam suam, alter in suo murmure pereat. Sed enim etsi unus iram, neuter tamen gratiam promeretur, quoniam non humiliatis, sed humilibus dat Deus gratiam. Vera igitur et sincera humilitate in me servo tuo, Deus meus, confirmata.

VERS. 5. *Exsultent et lætentur in te omnes qui quærunt te.* Videntes in me opera bona glorificent non me, sed te, *qui quærunt te* quæsiti prius a te. Tu enim prior eos quæsisti, et ut portares ovem perditam, descendisti. Igitur adversariis confusis et aversis *exsultent et lætentur in te*, in quo facti sunt lux, qui fuerunt aliquando tenebræ, *qui diligunt salutare tuum*, Filium tuum, quo et in quo solo salus est. Hunc ergo diligentes dicant semper: *Magnificetur Dominus.* Quisquis illorum dicat ex toto corde: « Magnificat anima mea Dominum (*Luc.* I, 46), » non quod ipse laudibus crescat in se, qui est absque omni defectu et profectu Sol justitiæ. Sed dum nos laudando illum proficimus, et de die

A in diem magis ac magis illuminamur, nos magnificamur in ipso et ipse in nobis. Hoc desiderantes oramus, ut semper *magnificetur Dominus* multiplicando et magnificando servos tales, quorum deceat eum vocari Dominum et amicum, quibus et dicat: « Jam non dicam vos servos, sed amicos (*Joan.* XV, 15). » Amici enim dici merentur, non qui timent serviliter, sed *qui diligunt salutare tuum* filiali dilectione. Annon diligendus est, qui prior dilexit nos? qui peccatorem vocat, confitentem justificat, juste viventem regit, perseverantem glorificat? Quos enim vocat, illos et justificat, et quos justificat, illos et magnificat a vitiis alienando et virtutibus ditando.

VERS. 6. *Ego vero egenus et pauper sum* præ omnibus quos cognosco egenos et pauperes. Nam etsi B est in genere humano aliquis me pauperior hunc ego nescio, sicut meam paupertatem scio « ego vir videns paupertatem meam (*Thren.* III, 1). » Verba hæc Jeremiæ lamentantis, et suam paupertatem confitentis mihi quoque David pœnitenti conveniunt, quoniam et ego vir videns paupertatem meam confiteor, quia *egenus et pauper sum.* Teste conscientia mea tanta est egestas qua multis egeo, tantaque paupertas qua, quibus egeo, non habeo, ut omnium pauperum, quos in hoc mundo cognosco, me inveniam pauperiorem proprio videlicet judicio, quo inter pauperes invitatos ad cœnam Dei vix et cum tremore audeo mihi novissimum locum vindicare, quia plus omnibus invitatis *egenus et pauper* C *sum.* Nam de his, qui foris sunt, non est meum judicare quod sint pauperes, cum ex abundantia divitiarum suarum seu villam seu quinque juga boum emendo seu certe uxorem ducendo excusent venire ad cœnam, solis *egenis* ac *pauperibus* paratam, quorum unus ego sum, qui, licet noverim quod sum invitatus cum cæteris pauperibus, tamen nescio an sim electus, quique legi Dei licet mente consentiens, tamen non per omnia perfecte obedio, quoniam video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ et captivantem me in lege peccati et mortis. Proin infelix ego homo in corpore mortis hujus *egenus et pauper*, egens adjutore fortissimo, sapientissimo et benignissimo contra inimicos, qui quærunt animam meam, qui volunt et cogitant D mihi mala, qui dicunt mihi: Euge, euge.

Dico assidue: *Deus, adjuva me, adjutor meus et liberator meus es tu: Domine, ne moreris.* Sicut in principio, sic et in fine psalmi de adjutorio Dei agitur, ut sit quasi circulus in idipsum reductus hujus psalmi sensus aureus, quo velut armilla perforatur maxilla Leviathan, cujus membra sunt illi qui quærunt animam meam et cogitant mihi mala, qui dicunt mihi: Euge, euge, ut me devorent, sibique incorporent, quod et facerent nisi adjutorio divino invenirem exitum de ore ipsorum. Sic circulus adjutorii divini positus in naribus regis Assur, infatuabit astutias consiliorum ejus, ut teneatur fatuus et reducatur per viam qua venit, quoniam ad nocendum me David venit per invidiam,

A sed reducetur ad majorem invidiam, cum viderit omnia sua machinamenta mihi ad malum intentata per adjutorium divinum jugiter invocatum, provenisse mihi bona sic magna, sic evidentia ut, eis clarescentibus Deumque in adjutorium meum intendisse, atque ad adjuvandum me festinasse demonstrantibus *confundantur, et avertantur retrorsum, qui volunt mihi mala, et avertantur statim qui dicunt mihi: Euge, euge. Avertantur,* inquam, *erubescentes statim*, quia suis adulationibus dicentes mihi: Euge, euge, voluerunt in me superbiæ turrim ædificare, sed non potuerunt consummare, Deo in adjutorium meum intendente atque ad adjuvandum me festinante. Quod cum illi sentirent, avertebantur statim. Sed nondum statim finis vel tentationum vel B tribulationum, quandiu ego David, ego pœnitens et humilis ut David, mortalis adhuc et venundatus sub peccato, repletus multis miseriis nescio utrum odio an amore dignus sim, confidens quidem in adjutorio Altissimi, sed suspectam habens fragilitatem corporis infirmi; quia, licet spiritus promptus sit, caro tamen est infirma, indigens adjutorio fortissimo et continuo. Ideo dico: *Deus, adjuva me.* Et bene dico quia spem in alium non habeo præter in te, qui es *adjutor meus* in certamine, ut vincam, *et liberator meus* a certamine, ut libere tibi soli serviam, cui servire est regnare ac liberum esse, quomodo econtra io, qui tibi non servit, servus utique fit tot dominorum quot vitiorum.

C Proin a vitiis tanquam a crudelissimis dominis recte ad te confugio, Deus meus, quoniam *adjutor meus et liberator meus es tu, Domine,* tantum *ne moreris*; id est auge mihi cum desiderio tui adventus, tui solatii, tui adjutorii, tuæ liberationis in exspectatione mea patientiam. Si enim quod spero, per patientiam exspecto, ero similis hominibus exspectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis, ut cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei. Si autem fuero impatiens, moram faciente sponso, dormitans aut dormiens potero fraudari ea beatitudine qua beati sunt servi illi quos, cum venerit, Dominus invenerit vigilantes; aut certe, quod amplius pavendum simul et cavendum est, ex nimio tædio moræ aspiciam retro, ut uxor Lot quæ ob hoc mutata est in statuam salis ut me condiat, ne insipidus et insipiens factus retro aspiciam, vel corde revertar in Ægyptum; similis illis, qui fatigati nimio tædio recordabantur ollarum et carnium Ægyptiacarum, petieruntque delicias in via, quas patienter et longanimiter exspectare debuerant sibi promissas et reservatas in patria. Exauditi sunt tamen, sed malo suo, quoniam cum adhuc escæ in ore ipsorum essent, ira Dei ascendit super eos, et occidit pingues eorum. Multa quidem et alia mala evenerunt illis propter impatientiam suam, quæ non oportet rememorari in psalmo isto *in rememorationem salutis* prætitulato. Hæc autem commemorata sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem longanimem semper habeamus contenti bonis et donis viaticis in via, et exspectantes majora in patria, ne ita longa vel tædiosa videatur mora temporum, quæ Pater posuit in sua potestate, ut tædio fracti deficiamus in via.

Sed ad hæc quis idoneus? Nonne etiam spiritu prompto caro est infirma? Inde, o Deus meus, et in principio psalmi, ut *ad adjuvandum me festines,* et nunc in fine oro: *Domine, ne moreris.* Nisi enim dies mali tuo festino adjutorio brevientur, non fiet salva omnis caro. Non tamen in justificationibus meis prosterno preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis peto, ut festines in adjutorium meum, *nec moreris* exauditis Ecclesiæ tuæ precibus ad te clamantis et dicentis: *Deus, in adjutorium meum intende.* Item: *Ne moreris* propter temetipsum, Deus, inclina aurem tuam, et vide tribulationem nostram. Item: « Revertere, dilecte mi, similis esto capræ, hinnuloque cervorum super montes Bethel (*Cant.* II, 17) » salienti et velociter currenti. Exsulta ut gigas ad currendam viam tuam *in adjutorium meum, nec moreris* in currendo et succurrendo mihi pauperi et egeno ad consolationem, tibi ad glorificationem.

Gloria Patri Deo in adjutorium meum intendenti, *Gloria Filio,* Domino ad adjuvandum me festinanti, *Gloria Spiritui sancto,* Domino adjutori et liberatori meo, quoniam « Spiritus adjuvat infirmitatem nostram (*Rom.* VIII, 26), » ait Paulus apostolus. Et: « ubi Spiritus Domini, ibi libertas (*II Cor.* III, 17). » *Gloria* uni ac trino Deo intendenti ad liberandum a malis et adjuvandum in bonis. Amen.

PSALMUS LXX.

D *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum.* Psalmi hujus voces manifestæ pugnatoris sæpe dicti voces sunt in certamine positi, spem retinentis, spem profitentis. *In te, Domine, speravi,* inquit, *non confundar in æternum.* Ac deinceps: *Quoniam tu es patientia mea, Domine, Domine, spes mea a juventute mea.* Item: *Ego autem semper sperabo, et adjiciam super omnem laudem tuam.* Nempe in eo, quod dicit: *Deus meus, eripe me de manu peccatoris, et de manu contra legem agentis et iniqui*: promptum est diabolum intelligi, cujus instinctu illa discordia fit, ut adversus legem mentis repugnet lex peccati, quæ

est in membris. Sane hujusce orationis præcentor ac prædoctor est ipse Christus legitime certantium caput et dux orans, ut eriperetur hic *de manu contra legem agentis* Judaici populi, *et iniqui* Romani imperii, eadem justitia vel divinitate, qua potens est et eos qui tentantur eripere. Denique titulus ejus talis est:

VERS. 1. PSALMUS DAVID, FILIORUM JONADAB ET PRIORUM CAPTIVORUM.

Et est sensus: Hic psalmus est Christi, quia ipse et in hoc psalmo loquitur, et de seipso loquitur. Est etiam *filiorum Jonadab*, quia de ipsis hic Dominus loquitur, qui filii prius captivi fuerunt. Unde et dicitur *priorum captivorum*. Bene autem *Jonadab* et secundum negotium et secundum nominis interpretationem hic apponitur. Secundum negotium ita: quia sicut *Jonadab* sacerdos filiis suis a vino abstinere et in tabernaculis habitare præcepit, ita Dominus noster fideles suos a temporali jucunditate prohibet, et in hac vita peregrinos et advenas se reputare atque futuram inquirere admonet. Secundum vero nominis interpretationem sic: *Jonadab Domini spontaneus* interpretatur. Quæ interpretatio apte Domino nostro congruit, quippe qui præ omnibus specialiter, ac singulariter Deo Patri usque ad mortem obedivit. Ipse in hoc psalmo orat, ut videlicet, sicut jam dictum est, exemplo suo filios suos orare doceat. Ad litteram iste est Jonadab, qui commendatur a Jeremia, qui præcepit filiis suis ut non biberent vinum, et non in domibus sed in tabernaculis habitarent (*Jer.* XXXV, 6, 7). Qui intelligentes Dominum præcepisse parentibus in bono obedire, sanctum servaverunt præceptum; propter quod benedixit eis Deus propter obedientiam, scilicet eos obtendens et exprobrans populo suo inobedienti. Quod Jeremias commendans id agebat, cum populo Israel suadens, ut se captivitati pararent, nec voluntati Dei resisterent. Judæi enim pro lege Dei contempta destinati sunt primæ et secundæ et tertiæ captivationi, ut corrigerentur. Antequam prima veniret, prænuntiata est per Prophetam. Videtur ergo inde tractus titulus hujus psalmi. Unde cum dixisset: *Filiorum Jonadab*, subjecit: *Et eorum, qui captivi primi ducti sunt*. Non utique quia *filii Jonadab* captivi ducti sunt; sed quia oppositi sunt captivandis. Oppositi sunt, ut intelligerent se ideo captivandos, quia Deo non obedierunt, sicut illi fecerant patri. Et captivati quidem sunt filii Israel primi, secundi, tertii. Sed de his psalmus nihil sonat.

Ex hac ergo comparatione *filiorum Jonadab* patri obedientium omnis potius inobedientia culpata est, per quam in lege peccati, quæ est in membris, sumus captivati, et per inobedientiam Adæ, in quo omnes peccaverunt, primi. Et ideo primi captivi per primum hominem, secundi redempti per secundum, quia primus homo de terra terrenus, cui similes sumus: secundus de cœlo cœlestis, a quo liberamur. Vel primi in hoc mundo, unde potest evadi, secundi in inferno, unde non potest. Vel

A quia prius, quod animale est, deinde quod spiritale est, dicit primi, quia ante vitiis captivati, quam *filii Jonadab*, id est *spontanei*, Christi scilicet, qui voluntate Deo Patri obediens nos, qui cum nihil nisi mali simus ex nobis, liberavit de corpore mortis hujus per gratiam suam, cujus misericordia sumus quidquid sumus. Hæc igitur tanta gratia nobis in hoc psalmo fere singulis syllabis commendatur, hac intentione, ut totam spem nostram constituamus in Domino, non in viribus nostris; non contumacium filiorum captivorum imitatores simus, sed obedientium *filiorum Jonadab*.

Est etiam considerandum in obedientia *filiorum Jonadab*, quia præceptum posuit illis pater eorum, quod non fuit a Deo positum, scilicet, ne biberent B vinum neque habitarent in civitatibus, sed foris in tabernaculis. Unde imminente obsidione Chaldæorum, dum cogerentur manere in civitate, hoc ipsum reputabant sibi pro prima captivitate, ut exinde primi captivi nominari videantur in titulo psalmi hujus, cum dicitur: *Psalmus David filiorum Jonadab, et priorum captivorum*. Denique ipsorum talis captivitas prior erat ea captivitate, qua destructa Jerusalem ducti sunt in Babylonem Judæi, quo non sunt ducti isti *filii Jonadab*, quia principibus et bellatoribus partim occisis, partim abductis in Babylonem relicti sunt pauperes terræ in Judæa, de quorum numero cum essent *filii Jonadab*, et ipsi remanserunt in Judæa, soluti videlicet a captivitate C illa, qua primi captivati fuerunt, quando in civitate contra patris præceptum et suæ voluntatis arbitrium coacti sunt habitare, in qua tamen vinum sibi oblatum contra patris sui mandatum bibere noluerunt. Et ob hoc a Deo benedicti pronuntiantur per Jeremiam prophetam ex illorum comparatione increpantem Judæos obedire nolentes præcepto divino, cum illi obedierint præcepto humano.

Audiant hæc mansueti, et lætentur, qui *filiorum Jonadab* sunt in hoc imitatores, quod obediunt suis prælatis quædam interdicentibus, quæ non interdixit Deus, ut est bibere vinum vel cohabitare turbis civitatum. Nonne sancti Patres Basilius, Augustinus, Benedictus et cæteri, qui regulas cœnobitalis vitæ ordinaverunt, hujusmodi quædam D statuta posuerunt in abstinentia servanda in silentio tenendo et cæteris regularibus disciplinis? Qui ergo statuta talia observant, ipsi cum *filiis Jonadab*, filii Rechab merentur benedici, et quia pauperes spiritu sunt, licet prima illos gravet captivitas, qua vident aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ et captivantem eos in lege peccati et mortis, dum carnis oblectamenta inviti sentiunt: attamen in secundam captivitatem non veniunt, cum eisdem non consentiunt, quoniam præcipitur eis non bibere vinum, in quo est luxuria. Non itaque venient in Babylonem, sed accipient benedictionem, ut a secunda captivitate, quæ est consensus peccati, omnino sint liberi et a prima quoque cito liberandi, secundum quod quilibet eorum dicit:

« Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum (*Rom.* VII, 24, 25). » In desiderio hujus liberationis, gratia Dei per Jesum Christum citius accelerandæ, psallit quisque illorum dicens :

In te, Domine, speravi, non confundar in æternum. Primo in persona omnium *filiorum Jonadab* psallens David petit liberari exterius et laude repleri. Secundo idem petit sibi conservari tempore senectutis, ibi : *Ne projicias me in tempore senectutis.* Tertio de ista gratia gratias agit ibi : *Deus, quis similis erit tibi?* Dicat nunc Israel, dicat, qui redemptus est jam in spe, redimendus adhuc in re; dicat, inquam : *In te, Domine, speravi.* Ego *Jonadab spontaneus Domini*, Deo Patri sponte assistens pontifex me ipsum in ara crucis offerens, qui pro meis, quos dedisti mihi, Pater, me ipsum sanctificavi et sacrificavi, ut et ipsi sancti sint in veritate, *in te speravi*, quod *non confundar in æternum*, id est nunquam *confundar*, sicut confunduntur, qui non exaudiuntur in suis precibus bonis, vel etiam, qui exaudiuntur in petitionibus malis. Ego enim pro meis in me ac per me sanctificandis ad multorum exhaurienda peccata semel mortuus vitam petii a te, Pater, his, quos dedisti mihi, et in hac petitione spero, imo scio me non confundendum *in æternum*, sed exaudiendum pro salute meorum mihi cohærentium *in æternum*.

Aliter : Ego David, ego pœnitens, ego veri filius *Jonadab*, videlicet sponte sanctificari et in cruce sacrificati Christi spontaneus imitator, licet prima captivitate premar, dum velle mihi adjacet, perficere autem non invenio, quoniam aliam legem legi mentis meæ contrariam viribus meis vincere non valeo; tamen *in te, Domine, speravi* et spero, quod *non confundar in æternum*, etsi ad tempus inveniar confusus in Adam pro peccato non habens fructum in his, in quibus nunc erubesco, et confundor non ea confusione, quæ adducit peccatum, dum stulte quis erubescit confiteri et emendare peccatum, sed ea confusione, quæ adducit gloriam, dum is, qui non erubuit erubescenda perpetrare, jam de his confusus per pœnitentiam non erubescit eadem confiteri et emendare. Talis tam utilis est confusio *filiorum Jonadab* in prima captivitate, qua et ego David ego unus *filiorum Jonadab* confusus increpante me Nathan propheta spero, quod *non confundar in æternum*. Spero autem non in me, sed *in te, Domine :* non in mea, sed in tua virtute ac pietate. Neque enim deest Nathan propheta redarguens peccata *filiorum Jonadab*, quandiu sermo Dei adversarius est in via ne nos accuset in patria, qui adversatur in prima captivitate ut liberet a secunda. Cujus me in via redarguentis quoniam consentio legi quæ bona est, et ideo mente condelector ei, spero quod *non confundar in æternum*, sed a confusione liberatus, et mundo crucifixus gloriari valeam cum illo præcipuo filio *Jonadab*, qui in cruce Domini nostri Jesu Christi glorians dixit : « Vivo autem A jam non ego, vivit vero in me Christus (*Gal.* II, 20). » Item : « Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo (*Gal.* VI, 14). » Absit igitur mihi gloriari in mea justitia, sed gloriari mihi detur in tua justitia, Domine, cui et dico .

VERS. 2. *In justitia tua libera me*, id est per fidem qua credo, quod justificas impium, quod reputatur ad justitiam quæ *tua* est, a te data, non mea quam si statuo, *justitiæ tuæ* non sum subjectus. Ideo dico : *In justitia tua libera me*, ut tu justificeris in sermonibus tuis, ut tu justus inveniaris et verax in eo, quod confitenti et pœnitenti vinumque illud, in quo est luxuria, bibere abnuenti gratiam promittis præsignatam in filiis *Jonadab* liberatis et a prima capti- B vitate, ne in tabernaculis habitare consueti paterentur nimis diuturnam in civitate obsidionem, et a secunda, ne cum cæteris Judæis ducerentur in Babylonem. Est quidem opus misericordiæ, quod ad pœnitentiam vocas peccatorem, sed opus est non solius misericordiæ, imo etiam *justitiæ tuæ*, quod *liberas* jam pœnitentem, et de profundis mali primæ captivitatis ad te clamantem. Ideo ego jam pœnitens, jam cum filiis *Jonadab* vinum, in quo est luxuria bibere nolens, jam de lege peccati me captivante dolens et legi tuæ consentiens dico : *In justitia tua libera me* ab illius legis captivitate, ut fruar ea libertate, qua liberatus a peccato, servus autem factus tibi Domino legitimo nunc habeam fructum in sanctificatione, finem vero exspectem vitam æternam. C

Et quia ægrotus ego exaltare clamorem non valeo ad te Altissimum, tu *inclina aurem tuam ad me* jacentem semivivum relictum a latronibus, qui me vulneraverunt et spoliaverunt. *Inclina* sic *aurem*, ut appropians alliges vulnera mea, *et salva me* infuso pariter oleo et vino, gemino scilicet sancti Spiritus dono; uno in remissione peccatorum, altero in largitione virtutum : sicut apostoli tanquam oleo peruncti fuerunt in die resurrectionis dicente ad eos Domino : « Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata, remittentur eis (*Joan.* XX, 22, 23). » Et in die Pentecostes quasi vino potati etiam dicebantur musto pleni propter virtutem sancti Spiritus eos inflammantis et inebriantis ad evidentiam D sibi datæ atque missæ salutis per oleum et vinum, id est per geminum sancti Spiritus donum, sicut dictum est. Sic multos ægrotos audiens medicatos et salvatos, ego quoque in te medicum verum sperando salutem peto dicens : *Inclina aurem tuam, et salva me.* Atque ut salutem semel acceptam non perdam inter hostes constitutus.

VERS. 3. *Esto mihi in Deum protectorem;* quia ego meipsum, sicut creare non potui ut essem, vel salvare ut bene essem : sic non possum defendere, ut tutus maneam. Ideo ad te confugio petens, ut sis mihi in domum refugii, sive *in locum munitum*, vel sicut Hebraica veritas habet : *Esto mihi petra fortis, robustum habitaculum.* Tu, qui fuisti metus Adæ fugienti, esto jam filiis *Jonadab* locus refugii,

ad quem, qui refugit, tutus est, quia sic est in alto, ut inimicos de subtus non timeat. *Esto mihi in locum munitum*. Sicut turris David, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. *Esto mihi in locum munitum*, ut quomodo me fecisti sic esse de nihilo, ut non possim non esse : similiter me ita de infirmo et ægroto *salvum facias*, ne amissibilis mihi sit a te data salus, qua das homini bene esse, liberans eum a prima captivitate, qui a te creatore habens esse non potest non esse, quantumlibet prematur vel primæ vel secundæ captivitatis miseria. Sicut ergo inamissibiliter habeo esse a te Creatore, sic habeam inamissibiliter bene ac beate esse a te liberatore, sub te *protectore*, *ut salvum me facias*, quoniam salus populi tu es, et in salute protegas atque conserves : *quoniam firmamentum meum es tu* contra tentationes et tribulationes in hac prima captivitate filios primi Adæ absorbentes, filios quoque *Jonadab*, secundi scilicet Adæ graviter infestantes. A quibus, ne absorbear ego David, ego pœnitens, ego filius Jonadab, *tu es refugium meum*, Deus meus. Tu qui es, Deus creator meus, tu idem ipse *es refugium meum* secundum incarnationis tuæ sacramentum, quod est filiis *Jonadab* mandata paterna servantibus, inexpugnabile *firmamentum*.

VERS. 4. Tu, *Deus meus, eripe me de manu peccatoris, et de manu contra legem agentis et iniqui*. Me Christum verum *Jonadab eripe de manu peccatoris* pagani legem non habentis, ut cesset persecutio tyrannorum gentilium idola colentium, et *de manu contra legem agentis, et iniqui*, videlicet Judæi carnalis et falsi christiani, legem quidem habentis et tamen *contra legem agentis*, unde *iniquus* judicatur, et per legem peccans per legem judicatur, sicut et paganus iniquus est, qui sine lege peccans judicatur, et peribit sine lege. Ab utroque, *Deus meus, eripe me*, ne talibus incorporer aut conformer. *Eripe*, dico, quod et supra dixi et nunc repeto eamdem precem propter geminam ereptionem valde mihi necessariam : primum, ne delectatio peccati mordeat, secundo, ne contra legem Dei consensus peccati omnino interficiat. Propterea dico : *Eripe me de manu peccatoris, et de manu contra legem agentis*, ne vel delectatio peccati repugnans legi mentis meæ sauciet, vel consensus mortificet. *Eripe* nihilominus *de manu iniqui*, universaliter omnis *iniqui*, sive angeli, sive hominis, sive alicujus iniqui, ut est ira, superbia, invidia mentis, et libido carnis, ne aliquis talis iniquorum sua manu, sua potestate valeat me gravare, ac spoliare mea innocentia vel, quod æque periculosum est, mea sapientia, quæ mihi non ex me, sed ex te.

VERS. 5. *Quoniam tu es patientia mea*, in qua, si perseveravero inter tentationes velut alter Job, scio quod non confundar, quoniam *patientia probationem operatur. Probatio vero spem : spes autem non confundit*. Ita ergo de *patientia* nascitur *spes*, et rursum de *spe* major *patientia*, dum *spe gaudentes* ex ipso *spei* gaudio magis erunt in tribulatione patientes. Hoc autem totum bonum ex te mihi, non ex me Deus meus, *quoniam tu es patientia mea, Domine*, in tribulatione seu tentatione, atque item tu, *Domine, spes mea* es, quod per te liberer de ipsa tribulatione ac tentatione. Cœpit autem hæc *spes mea a juventute mea*, quæ videlicet ætas apta est bellis et hæc mihi ex tunc cœpit, ex quo contra diabolum et carnem pugnaturus jam transacta infantia et pueritia suscepi arma fidei et *spei* et charitatis. Ad quæ suscipienda, ut essem idoneus, antequam ea susciperem, præventus sui misericordia tua, qua

VERS. 6. *In te confirmatus sum ex utero* antequam sperare scirem, qui primo fidei rudimento in utero Ecclesiæ conceptus, et post ex aqua et spiritu quasi *de ventre matris* generatus non infirmatus sum fide. sed lacte alimoniæ spiritalis nutritus juvenilis roboris augmentum accepi. Unde *in te cantatio mea semper*. Spem in alium nunquam habui, nunquam habebo ; sed *in te cantatio mea semper*. Etiamsi aliquando in alio aliquo fuit mihi *cantatio* seu delectatio, amodo non erit, nisi *in te* Deo vero, adjutore meo fortissimo, quoniam dum in te sperans tuas justificationes amans et prædicans.

VERS. 7. *Prodigium factus sum multis. Tu adjutor fortis* mihi fuisti et eris, ut spero, usque in finem, et ideo in te *adjutore forte cantatio mea semper*, et dum per fidem ambulo, et dum per speciem videbo. Quod meum votum cantationis persolvendæ nunc et semper et in sæcula sæculorum ne fiat irritum et vacuum, sed sit affectu devotionis et effectu consummationis plenum, peto :

VERS. 8. *Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam. Repleatur*, inquam, *laude os meum* sic, ut a fundo cordis usque ad labia oris plenitudo gratiæ tuæ, Deus, cordi meo infusæ atque diffusæ in labiis meis te affectuose magnificet, ne similis inveniar populo, de quo dicis : « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me (*Isa.* XXIX, 13). » Non erant hæc labia talis populi tua laude repleta, sed quasi forinsecus respersa corde intus vacuo, quod longe fuit a Deo. Ego autem dico : *Repleatur os meum laude* per gratiam cordi meo infusam atque inde scaturientem et in labiis diffusam, sicut aliquis tuorum legitur plenus gratia et fortitudine, plenus Spiritu sancto et fide, in labiis quoque suis tanta gratia redundasse, ut audientes eum adversarii non potuerint « resistere sapientiæ et Spiritui, qui loquebatur (*Act.* VI, 8, 10). » Sic a fundo cordis exundante gratia tua usque ad os *repleatur* ipsum *os meum laude tua, ut cantem gloriam tuam*. Gloria est ore multorum celebrata laudatio. Istiusmodi *gloriam cantem* sociam habens in hoc bonorum multitudinem, qui etsi comparatione malorum pauci sunt, tamen quia ipsi mali « ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens (*Psal.* LVII, 8), » gloria hæc est et erit omnibus sanctis Dei, ut ore illorum celebrata laudatio sit gloriosa pariterque speciosa, sicut e con-

trario « in ore peccatoris non est speciosa laus (*Eccli.* xv, 9), » etiamsi in clamosa, quoniam Dei auribus est onerosa. Unde ait : « Aufer a me tumultum carminum tuorum, et canticum lyræ tuæ non audiam (*Amos.* v, 23). » Quod ne mihi te indigne laudanti dicatur, quæso *repleatur os meum laude tua* ita perfecte, ut *cantem*, prout decet, *gloriam tuam : tota die magnitudinem tuam. Tota die*, scilicet et cum per prospera fovendo consolaris, et cum per adversa corripiendo corrigis, *cantem gloriam tuam, et magnitudinem tuam*, qua me de non esse fecisti, ut essem aliqua creatura : et cum essem, protexisti ac promovisti, ut fierem nova creatura. Item cum peccassem, ignovisti, conversum ju·isti, perseveranti coronam præparasti, quæ reposita est mihi apud te in tuæ pietatis magnitudine. Multa enim beneficia tua solo nomine magnitudinis tuæ concludo laudans, et cantans *tota die magnitudinem tuam*. « Magna enim sunt judicia tua, Domine, et inenarrabilia verba tua (*Sap.* xvii, 1). » Magna potentia tua, quæ omnia quæcunque vis, potes. Magna sapientia, qua omnia scis, et nulla te latet cogitatio. Magna misericordia, quæ misereris omnium, et nihil odisti eorum, quæ fecisti. Magna hæc omnia in te, imo una immensa *magnitudo* hæc omnia sunt in te, nec aliud a te, secundum quam dicitur : « Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus non est numerus (*Psal.* cxlvi, 5), et magnitudinis ejus non est finis (*Psal.* cxliv, 3). » Facis ergo mirabilia magna solus magna virtute, quæ nec senescit nec deficit, sicut hominis virtus et senescit et deficit. Igitur ego miser, et mortalis homo senio et defectui obnoxius ad te confugio, et tibi æternaliter manenti dico :

Vers. 9. *Ne projicias me in tempore senectutis. Pars secunda* de gratia *tempore senectutis* necessaria hoc habet exordium. *Ne*, inquam, *projicias me in tempore senectutis* frustrata exspectatione mea, qua spes mea existens a juventute mea hoc fecisti me sperare, quod non projiceres *me in tempore senectutis*. Reposita erat hæc spes mea in sinu meo quasi pignus et arrha desursum data. Unde quia spes non confundit, quasi debitum spei præmium requiro dicens : *Ne projicias me in tempore senectutis*. Tempus juventutis est, cum de suis viribus quis præsumens accingit se et ambulat ubi vult dicens : « In abundantia sua (*Vulg.* mea) non movebor in æternum (*Psal.* xxix, 7). » Vel : « Si oportuerit me mori, ego nunquam scandalizabor (*Matth.* xxvi, 33, 35). » Sed hæc juventus cito deficit, et talis ei succedit senectus et humanæ virtutis defectus, ut talis juvenculus immatura *senectute* præventus cogatur dicere : « Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem, avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus (*Psal.* xxix, 8). » Sera querela post istam conturbationem in alio psalmo deprompta, hic prævenitur, cum dicitur : *Ne projicias me in tempore senectutis*, quod tempus est, *cum defecerit virtus mea*, cum patientia quassata mollescit, cum

A tentatio diaboli vel carnis ultra quam sustinere possimus, invalescit, tunc *ne projicias* vel *derelinquas me*, fidelis Deus; sed facias cum tentatione etiam proventum, ut possim sustinere, quia virtus humana lassata eo magis indiget confortari a Spiritu Domini adjuvante infirmitatem nostram, quo magis experta est ipsam infirmitatem suam.

Dicitur etiam in Christo fuisse senectus non peccati sed pœnæ, ex qua vetustate vel senectute infirmus prodigium factus est multis, irrisus in cruce, ubi vetus homo noster simul crucifixus est, ut quomodo ille a nobis habuit infirmitatem, sic nos ab eo capiamus fortitudinem. Qui cum per omnia tentatus possit et his, qui tentantur, auxiliari, verus *Jonadab sponte oblatus* pro salute filiorum seu membrorum B suorum recte intelligitur pro ipsis infirmantibus interpellare apud Patrem hoc modo : Infirmata est virtus mea in manibus inimicorum meorum, quanto magis infirmabitur virtus parvulorum filiorum meorum in manibus inimicorum suorum, quoties in priori captivitate, quæ illis est a primo parente, apponitur eis vinum bibendum, in quo est luxuria, in tentatione carnis invalescente ac virtute humana deficiente? Tunc igitur, *cum defecerit virtus mea*, id est meorum, *ne derelinquas me*, id est meos, in manibus inimicorum meorum exinde magis cavendorum :

Vers. 10 et 11. *Quia dixerunt inimici mei mihi, et qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt* C *in unum, dicentes : Deus dereliquit eum*, etc. *Inimici mei*, qui studio supplantandi *custodiebant animam meam consilium fecerunt*, id est ex consilio dixerunt, et ipsum *consilium fecerunt in unum*, ut quasi fascis non divisus et ideo gravis ad portandum gravius opprimeret. Audi, Domine, voces adversariorum meorum, qui *consilium fecerunt in unum, dicentes : Deus dereliquit eum, persequimini, et comprehendite eum, quia non est qui eripiat.* Hæc dixerunt, quia me viderunt calamitatibus fatigatum carnis infirmitate gravatum, variisque necessitatibus obstrictum, nec habentem ex me in me quidquam virium ad resistendum tot malis, tot vitiis, tot miseriis undique prementibus. Propterea dicunt : *Deus dereliquit eum. Deus*, quem prædicat, quem D glorificat ipse *dereliquit eum*, sicut ipse attestatur dicens : « Deus, Deus meus, utquid dereliquisti me? (*Matth.* xxvii, 46.) » Sed malo suo putant me derelictum a Deo, quod tamen ipsum malum provenit aliis in bonum, his scilicet, qui secundum propositum vocati sunt sancti. Si enim cognovissent, nunquam me Dominum gloriæ crucifixissent. Si non fuissem crucifixus, non salvaretur homo perditus, nullo pretio nisi meo sanguine redimendus. Hoc illi nescientes (ignoraverunt enim sacramenta Dei) clamaverunt : « Reus est mortis (*Matth.* xxvi, 66) : » *Persequimini et comprehendite eum. Persequimini* ut tardum ; *comprehendite* ut invalidum, *quia non est qui eripiat* apprehensum, ligatum et cruci affixum. Sic de me vero *Jonadab* deliberaverunt, sicut etiam

de filiis meis censuerunt, quod videlicet a Deo essent derelicti, quando erant nimiis tentationibus vel tribulationibus expositi. Sed tu, Deus, qui omnia bona et mala scis, et bona sola vis tanquam summe providus et benignus.

Vers. 12. *Ne elongeris a me*, sicut videtur, dum tardas venire ad servos tuos. Festina per exhibitionem auxilii tunc maxime necessarii, cum insultant adversarii. *Ne elongeris* a me tardando auxiliari ac liberare de imminentibus calamitatibus. Et ne gravioribus exponar, *Deus, Deus meus, in auxilium meum respice* sic tuo respectu mihi subveniendo, sicut subvenisti Petro, quem quia *respexisti*, flevit amare, meruitque beatificari ea consolatione, de qua dicitur : « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (*Matth.* v, 5). » Item : « Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis (*Luc.* vi, 21). » Tu quondam curribus Pharaonis, populo tuo appropinquantibus, in auxilium ejusdem populi tui de Ægypto egressi « respexisti super castra Ægyptiorum (*Exod.* xiv, 24) » et ferebantur in profundum quasi plumbum in aquis vehementibus : ita nunc *respice* super castra dæmonum et vitiorum sive hominum vitiosorum, ut ferantur in tale profundum judiciorum tuorum, super quo liceat cantare populo tuo per tuum respectum liberatum, canticum Moysi dicentis : « Cantemus Domino, etc. (*Exod.* xv, 1.) » Sic *in auxilium meum* et meorum *respice*, per meam Deus Pater, placatus obedientiam, quæ major est obedientia filiorum *Jonadab*, quia illi obediendo patri suo noluerunt bibere vinum : ego autem tibi, Pater, obediendo gustavi vinum cum felle mistum sive myrrhatum, et bibi acetum tam in mea persona quam in personis martyrum meorum, sive confessorum carnem suam castigantium, sive aliorum fellita et amara opprobria, propter me portantium inter inimicos meos detrahentes animæ meæ, pro quibus oro dicens :

Confundantur et deficiant detrahentes animæ meæ, qui detrahunt *animæ meæ*, id est vitæ meæ, verbi gratia, dicentes : Homo vorax, potator vini, et cætera in hunc modum falsa opprobria, *ipsi confundantur* in suis detractionibus de justificante ac magnificante animam meam, id est vitam meam justificante per peccatorum immunitatem, magnificante per virtutum claritatem. Cujus fulgorem ferre non valentes ipsi detractores *animæ meæ confundantur* vel ad pœnitentiam, si per ignorantiam seu fragilitatem peccant in me, vel ad pœnam cæteris emendatoriam, si peccatum eorum sic est ad mortem, ut pro illo remittendo non sit orandum, quod fit, cum peccatur in Spiritum sanctum. Ita quomodolibet peccent, *confundantur* videntes falsificata opprobria detractionum suarum, te subveniente ac me patienter omnia sufferente ac sustinente in charitate patiente ac nunquam excidente in spe, quæ *non confundit*. Ipsi autem, qui adeo sunt mali, ut de me non habeant spem boni, *confundantur* per evidentiam bonorum, quæ in me clarescent : et *de-*

A *ficiant* subtracta sibi materia detrahendi, sicut ignis deficit lignis subtractis. *Deficiant*, inquam, *detrahentes animæ meæ* vel meorum. *Confundantur* de peccatis suis, *et deficiant* a perversis viribus. *Confundantur* erubescentes malum se voluisse, quod etiam si perseverant velle, *deficiant* a viribus, ne quod volunt, facere prævaleant.

Quidam codices habent : *Deficiant committentes animam meam*, id est *committentes* bellum cum *anima mea*, ut eam provocent ad Deo resistendum, quod est committere bellum contra ipsum, ut faciunt, qui divinis judiciis non consentiunt, cum bonis adversa et malis prospera evenire sentiunt. Ad commissionem talis belli provocavit sanctum Job uxor sua dicens : « Adhuc permanes B in simplicitate tua? Benedic Domino et morere. » At ille pacem cum Deo servans, et ejus judicia, quanquam sibi dura commendans, « quasi una, » inquit, « de stultis locuta es. Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus? In omnibus his non peccavit Job labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est (*Job.* ii, 9-10), » cavens commissionem belli periculosissimi. Nam ex quo quis resistit tibi, Deus omnipotens, ex tunc ira tua implacabilis inardescit, quam sapientissime declinat, qui tuis judiciis humiliter acquiescit, non te, sed se culpando et veniam precando. Committitur etiam anima bello pernicioso si eos odit, a quibus patitur mala.

C Hebraica veritas habet : *Confundantur, et consumantur adversarii animæ meæ*. Tres erant quinquagenarii contra Eliam missi ab impio rege Israel cultore Beelzebub, quorum duo cum suis quinquaginta sunt consumpti Elia dicente : « Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, et devoret te, et quinquaginta tuos (*IV Reg.* i, 10-12). Tertius quinquagenarius non est consumptus, quia humiliter sentiens confusus est misericordiam precando, non iram provocando. Et adhuc testibus veritatis contra Beelzebub dimicantibus promittitur, quod sint candelabra in conspectu Domini terræ stantia, et si quis eos voluerit lædere, ignis exiet de ore ipsorum, et devorabit inimicos eorum. Dicit enim quisque illorum, quod in præsenti psalmo habemus : *Confun-*D *dantur, et consumantur adversarii animæ meæ*. *Consumantur*, igne cœlesti. Etenim « Deus noster ignis consumens est (*Deut.* iv, 24). » *Consumantur* igne ardentissimæ orationis vel justa sententia excommunicationis *adversarii animæ meæ*, non ut omnino non sint, sed adversarii non sint, nec adversari possint vel detrahere animæ meæ, sicut illi detraxerunt et adversati sunt Eliæ, qui eidem in monte posito dixerunt : « Homo Dei, rex præcepit, ut descendas (*IV Reg.* ix, 11). » Qui enim de alto professionis, de vertice sanctæ conversationis animam detrahunt vel detrahere cupiunt ad ima principis mundi negotia quasi auctoritate regia dicendo ad quemlibet sanctorum in vertice montis positum : « Homo Dei, rex præcepit, descende, » ipsi digni

sunt, ut ignis exiens de ore sanctorum devoret eos, A quod hic optatur, cum dicitur: *Confundantur, et consumantur*, sive *deficiant adversarii*, sive *detrahentes animæ meæ*.

Operiantur confusione, et pudore, qui quærunt mala mihi, quæ licet per se non inferant, attamen *quærunt* et desiderant ut *mala mihi* eveniant aliquando sciendo, aliquando ignorando quid faciant, sicut uxor Job, de qua jam dictum est, et uxor Tobiæ, quæ illi dicebat: « Ubi sunt justitiæ tuæ? (*Tob.* II, 16-22). » Tales videndo auxilium Domini super me *operiantur confusione et pudore* tanquam velo et operimento, quo tegantur eorum peccata, sicut alias dicitur: « Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata (*Psal.* XXXI, 1). » Nesciunt enim quid faciunt, cum in desperationem di- B vinæ consolationis me velut alterum Job sive Tobiam mittere *quærunt*, et hoc modo *quærunt animam meam* dejicere a celsitudine spei in foveam desperationis.

VERS. 14. *Ego autem semper sperabo* in Deo, dicens cum beato Job: « Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo (*Job* XIII, 15). » Esto ut permittatur Satanæ tentare seu colaphizare me ac privare divitiis, affligere morbis vel ulcere pessimo, quod est carnis prava libido, *ego* tamen *semper sperabo* divinum auxilium et solatium, dum nec in adversis murmuro, nec blandimentis pravis consentio. Sicut in principio psalmi de præterito loquens tempore dixi: *In te, Domine, speravi:* sic et nunc de futuro lo- C quens dico: *Ego autem in te sperabo*, id est in spe mea perseverabo.

Et quia spes non confundit, provenientibus bonis et speratis ego *adjiciam super omnem laudem tuam*. Laus tua, Deus Pater, magna erat in rerum omnium creatione, distinctione, ordinatione, gubernatione: sed ego Christus, ego verus *Jonadab* tibi Patri *sponte* obediens, et filios meos ad obedientiam sanctam instruens *adjiciam super omnem laudem tuam*, dum laudabilis agnosceris non solum de mundi constitutione, sed et de mundi restauratione per meam *spontaneam* obedientiam et gloriam tali obedientiæ debitam, sicut aliquis *filiorum Jonadab* dicit de me: « Humiliavit seipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et D Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris (*Philipp.* II, 8 et seqq.). » Laus hujus confessionis ante legem vel sub lege non erat. Sed ego Christus, ego *Jonadab super omnem laudem*, ante meum adventum præteritam, hanc laudem *adjiciam*.

Aliter: Tu, Deus judex juste, omni laude fuisti dignus pro justitia, qua vel ante legem vel sub lege numeras peccata, sed *super* hanc *omnem laudem tuam* laus misericordiæ tuæ adjicietur, cum in toto mundo prædicabitur, quod non spernas pauperem, peccatorem non horreas. Non horruisti confitentem latronem, non lacrymantem peccatricem, non Chananæam supplicantem, non deprehensam in adulterio, non sedentem in telonio, non supplicantem publicanum, non negantem discipulum, non persecutorem discipulorum, non ipsos crucifixores tuos. Cum de his, aliisque similibus gratiæ tuæ operibus laudaris, magna est adjectio laudis *super omnem laudem*, qua in populo antiquo laudabaris. Laudabat te Synagoga de beneficiis temporalibus et cum tempore transeuntibus, verbi gratia, quod eduxisti filios Israel de Ægypto in manu potenti et brachio excelso, quod eis divisisti mare Rubrum in divisiones, quod dedisti manna, quod exterminatis Chananæis introduxisti populum tuum in terram eorum. Sed ego Ecclesia super hanc *omnem laudem adjiciam* gratiarum actionem de beneficiis eisdem spiritaliter in me completis: verbi gratia, quod educta sum de tenebris ignorantiæ præcedente me Christi humana conservatione tanquam columna nubis, et divina miraculorum illustratione tanquam columna ignis, quod panem verum angelorum dat mihi Pater de cœlo in sacrosancto altaris mysterio, quod jam in spe introducta et re introducenda sum in regnum cœlorum, de quo exterminatæ sunt cateræ angelorum superbientium. Pro hujusmodi gratias agens *adjiciam super omnem laudem tuam*. Nec tantum in me laudabo, sed ad proximos in eamdem laudem instruendos.

VERS. 15. *Os meum annuntiabit justitiam tuam, tota die salutare tuum. Os meum annuntiabit justitiam tuam*, Christum scilicet, qui « factus est nobis a Deo sapientia et justitia et sanctificatio et redemptio (*I Cor.* I, 30). » Unde non meam *justitiam*, quæ ex lege factorum est, jactabundus annuntio cum Pharisæo dicente: « Gratias tibi ago Deus, quia non sum sicut cæteri hominum raptores, injusti, adulteri (*Luc.* XVIII, 11); » sed eam *justitiam*, quæ non est aliud quam *salutare tuum*, Filius tuus in principio mundi Creator, in fine sæculorum factus mundi salvator. Hoc *salutare tuum annuntiabit os meum tota die*. Tota dies intelligitur cum sua nocte, quia nox diei servit, non dies nocti. Laudabo igitur *tota die*, id est omni tempore, scilicet in prosperis et in adversis, quia nox, per quam significantur adversa, cum die intelligitur, quia in bona bonorum conversatione non dies nocti, sed nox diei servit, dum non propter carnis emolumentum fit sanctitatis exercitium, sed potius quidquid in carne fit, sanctitatis exercitio conducit et proficit, dum non evangelizamus, ut manducemus, quod esset diem nocti servire; sed manducamus ut evangelizemus, et ad alia spiritalia exercitia validi et expediti simus, quod est noctem diei servire, et in ipsius diei nomen transire, dum « nox ut dies illuminabitur (*Psal.* CXXXVIII, 12), » et corporalis exercitatio vel ipsius corporis discreta procuratio ad modicum utilis, ministerio subservit pietatis ad omnia valentis atque promissiones vitæ, quæ nunc est et futuræ,

habentis. Aliter : *Os meum annuntiabit justitiam*, qua justus sum, esse tuam quæ ex fide est, non meam quæ ex lege est.

Quoniam non cognovi litteraturam legalem : *non cognovi*, non approbavi ego Ecclesia litteram occidentem posse mihi prodesse ad justificationem, quia lex sine gratia, littera sola est non vivificans mortuum, sicut baculus Elisæi mortuo superpositus non vivificavit illum. Venit ergo ipse Propheta magnus, qui venturus erat in mundum, et per illum Deus visitavit plebem suam. Iste Propheta magnus magnitudinem suam ad mortui corpusculi pravitatem contraxit, et remoto legis baculo et onere, « quod neque nos neque patres nostri portare potuimus (*Act.* xv, 10), » ait Petrus, per semetipsum visitavit plebem suam de Domino servus, de divite pauper, caro de Verbo, et de Dei filio Filius hominis fieri non dedignatus. Æternus erat, sed puer natus est nobis ; magnus erat, sed parvulus datus est nobis ; Creator erat, Salvator factus est, et ipse factor factus est mihi Ecclesiæ in salutem.

Habuit et Judæa quosdam salvatores, quia clamabant filii Israel multoties a facie tribulantium ad Deum, et misit eis salvatores et propugnatores, qui liberarent eos de cæde vastantium, verbi gratia, Gedeonem, Samsonem, et alios tales, qui nuncupati sunt salvatores, longe utique impares, longe inferiores illo Jesu, illo salvatore, cujus nominis causam reddens angelus : « Ipse enim, » inquit, « salvum faciet populum suum a peccatis eorum (*Matth.* I, 21). » Præmissi tamen sunt illi ante istum tanquam littera legis ante spiritum, tanquam baculus ad mortuum, prophetam præveniens, et sua interpretari nomina nequierunt : vacua quippe erant. Superpositus mortuo baculus est, et non erat vox neque sensus, quoniam baculus erat, nec vitam in se habens, nec vitam dare valens. Si enim data esset lex quæ posset vivificare, vere ex lege esset justitia, sed conclusit Scriptura legis omnia sub peccato, nec valuit baculus legis vitam dare mortuo. Descendit tandem Propheta magnus, qui baculum misit, et mox salvum fecit populum suum a peccatis eorum, probans utique se esse, quod dicebatur : « Quis est hic, qui etiam peccata dimittit ? (*Luc.* VII, 49.) » Nimirum qui dicit : Salus populi ego sum. Jam vox, jam sensus est, et paret non inane portare nomen instar priorum. Sentitur infusa salus, et beneficium non taeetur. Intus sensus, foris vox. Audi vocem suscitati mortui : *Adjiciam*, inquit, *super omnem laudem tuam. Os meum annuntiabit justitiam tuam tota die salutare tuum, quoniam non cognovi litteraturam* legis mihi profuisse, non sensi per eam gratiam Spiritus infusam. Ideo *non cognovi litteraturam*, id est gloriantes in littera non vivificante, ac resilientes a gratia reprobavi, sciens quod lex sine gratia littera occidens est, id est vitam auferens vivo, nedum tribuat mortuo. Lex enim quinque libros habens convicit reos, quemadmodum piscina quinque porticus habens in ipsis porticibus continebat languidos, in qua non sanabat, quia concluserat Scriptura legis omnia sub peccato (*Joan.* v, 2 et seqq.) ; sed descendit angelus, et sanatur unus, quia Christus humiliatus et factus sub lege vivificavit ipsam legem prius mortuum imo et mortiferam, litteræ occidenti adjungens vivificantem spiritum per suæ passionis ineffabile sacramentum, quod ut perficeretur, mota est aqua, et suscitata est magna tempestas Judaicæ persecutionis adversus angelum, qui descenderat salvare ipsum Judaicum populum, qui erat velut aqua mobilis omni vento erroris cedens, et solidam veritatem sibi oblatam recipere nolens. Mota est igitur aqua illa usque ad ipsius angeli submersionem, propter quod dicit : « Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam (*Psal.* LXVIII, 1). » Sic in illa tempestate mortuus est angelus, et sanabatur unus, quia per mortem Christi non sanatur quisque ab unitate fidei ad Deum et dilectionis ad Deum pariter et proximum servanda segregatus, ut illi, de quibus dicitur : « Animales, seipsos segregantes, spiritum non habentes (*Judæ* 19). » Potest etiam sic littera continuari :

Vers. 16. *Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini*, id est quoniam nec in legis cæremoniis habui fiduciam salutis, ideo *introibo in potentias Domini*, id est recipiam et custodiam sacramenta Christi. Quia enim lex infirmata per carnem nihil ad perfectum adduxit, neque aliquem vivificare potuit, ego *introibo in potentias Domini*, sciens potentia et potenter salvantia Christi sacramenta non consistere in virtute humana, sed in potentia ipsius Domini, qui recte prædicatur Dominus fortis, Dominus potens in prælio, qui et potestatem habet in terra dimittendi peccata per suæ mortis et resurrectionis atque ascensionis vivifica sacramenta. In morte quippe ipsius baptizati sumus, ut quomodo surrexit ipse a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus, *introducti* videlicet *in potentias Domini*, sive ut in Hebræo legitur : *In fortitudinem Domini*. Non enim parum *fortitudinis* aut *potentiæ* præstat mihi, quod magnus ille vir propheta potens in opere et sermone de excelso cœlorum descendens visitare dignatus est me, cum sim cinis et pulvis, misereri mortuo, inclinare se jacenti, contrahi, coæquari parvo, cæco partiri lumen oculorum suorum, et os mutum oris proprii osculo solvere, debilesque manus manuum suarum roborare contactu.

Suaviter rumino ista et replentur viscera mea et interiora mea saginantur, et omnia ossa mea germinant laudem. Hoc semel contulit universitati, hoc quotidie singuli in nobis actitari sentimus, et cordi scilicet tribui intelligentiæ lumen, et ori ædificationis verbum, et manibus opus justitiæ. Dat sentire fideliter, dat perferre utiliter, dat adimplere efficaciter. Hic est funiculus triplex, qui difficile rumpitur, nimirum fortis ad extrahendas animas de car-

cere diaboli et trahendas ad regna cœlestia tecum et post te, si recte sentias, et digne proloquaris, si vivendo confirmes. Oculis suis tetigit meos, interioris hominis frontem claris luminaribus ornans, fide scilicet atque intellectu, ori meo junxit suum et mortuo signum pacis impressit. Non ergo sola glorietur sponsa, jam tota pulchra, jam in cubiculum introducta, jam in sinu Abrahæ dulci requie potita, in patriarchis et prophetis annulo fidei arrhata, in regibus et justis multis coronata, quod osculo oris sui eam sponsus dignatus admittere de ipsius carne semen Abrahæ suscitavit. Osculatus est et me de gentibus Ecclesiam, quoniam, cum adhuc peccatores essemus, reconciliavit nos Deo Patri Filius Deus justitiæ mortuos. Non glorietur senior filius, quod litteram legis tenens nunquam mandatum Patris præterierit, et ob hoc solus ipse in domo paterna hæres esse debeat, quoniam ego adolescentior filius ego populus gentium, qui habitabam in tenebris, vidi lucem magnam, vidi clementissimi Patris erga me pietatem dignanter ipsius admissus osculo, et ejus jussu prima stola indutus, annulo fidei ornatus, et in præparationem Evangelii pacis calceatus audivi piam gratulationem ipsius dicentis fratri meo seniori : « Oportet te, fili, gaudere, quia frater tuus mortuus fuerat et revixit, perierat et inventus est (*Luc.* xv, 32). » Mortuus quippe fui, sed revixi per osculum Patris piissimi, qui os suum ori meo applicuit iterato inspirans in faciem meam spiraculum vitæ, sed sanctioris quam primo. Nam primo quidem in animam viventem creavit me, secundo in spiritum vivificantem reformavit me, annulo fidei ornavit me, ut doceret manus meas ad prælium et digitos meos ad bellum, pedes meos munivit calceamento evangelico dans mihi potestatem et virtutem calcandi super serpentes et super scorpiones et super omnem virtutem inimici, et, quod his majus est, dans omnibus, quotquot eum receperunt vel recipient usque in finem sæculi, potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus, qui non manent sub legis *litteratura*, sed adjuvante gratia ingrediuntur *in potentias Domini* certo experimento cognoscentes, quantum distet inter litteram occidentem, et spiritum vivificantem, inter umbram et rem, inter figuram et veritatem. « Lex » enim litteræ occidentis « per Moysen data est : gratia autem et veritas per Jesum Christum facta est (*Joan.* I, 17). » Synagoga ergo, quæ solam legis cognovit *litteraturam*, repellendo gratiam voluit introire *in potentias Domini*. Hinc est illud : « Nos scimus quia Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus unde sit (*Joan.* IX, 29). » Item cæco aiunt illuminato : « Tu discipulus illius sis, nos autem Moysi discipuli sumus (*Joan.* IX, 28). » Item : « Nos legem habemus, et secundum legem nostram debet mori (*Joan.* XIX, 7). » Sic illa in legis *litteratura* glorians noluit introire *in potentias Domini*. Sed ego ex gentibus Ecclesia, *quoniam non cognovi litteraturam*, le-

A gis, *introibo in potentias Domini* gratanter suscipiens Evangelium Christi.

Alia translatio habet : *Quoniam cognovi negotiationem, introibo in potentias Domini.* Est *negotiatio* laudabilis, de qua dicitur : « Simile est regnum cœlorum homini negotiatori (*Matth.* XIII, 45), » et de qua dicit paterfamilias servis suis : « Negotiamini, dum venio (*Luc.* XIX, 13), » quia bonum est bona temporalia dari, et ministeria corporalia fieri pro spiritalibus lucris : Hanc *negotiationem* Judæi carnales nescierunt, qui Deo tantum pro temporalibus litteram legis tenendo servierunt, quod erat male negotiari, dum in promissionibus legalibus, verbi gratia, in abundantia frumenti, vini et olei aliud non intellexerunt, nisi quod littera sonuit, quæ sola

B illis temporalia, quantum ad superficiem *litteraturæ*, promisit. Perversa nimirum fuit ista *negotiatio* pro temporalibus tantum servire Deo in judaismo : perversa est adhuc in christianismo talis *negotiatio*, et hujusmodi negotiatores flagello Dominico ejiciuntur de templo, neque aliquis talium introire poterit *in potentias Domini*, cum sint extra templum projecti, et a potentia virtutis divinæ penitus alienati dicente Petro ad Simonem Magum : « Non est tibi pars, neque sors in sermone isto, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri (*Act.* VIII, 21, 20). » Quo dicto illius pessimæ *negotiationis* arguitur intentio, qua ille intenderat sic donum Dei quasi proprium possidere, ut illud semel emptum posset,

C quoties vellet, vendere. Neque enim evangelicus ille negotiator inde reprehensibilis est, quod inventa pretiosa margarita dedit omnia sua, et comparavit eam. Tales negotiatores quærit, qui dicit : « Vade, et vende, quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me (*Matth.* XIX, 21). » Talibus dicit : « Negotiamini dum venio (*Luc.* XXIX, 13), » ut quia *negotium* quasi *negans otium* vel quasi *nec otium* dicitur, nullus otio in familia Dei locus relinquatur. De hac *negotiatione* minime dicitur : *Quoniam non cognovi negotiationem, introibo in potentias Domini*, quia nisi cognoveris et exercueris istam evangelicam *negotiationem*, qua terrena pro cœlestibus, temporalia pro æternis, corporalia pro spiritalibus lucris expenduntur, non

D introibis *in potentias Domini*, dummodo sit ætas et facultas ita negotiandi, quod propter infantes et naturaliter fatuos dictum.

Porro Judaica vel Simoniaca illa *negotiatio*, qua spiritalia et divini cultus exercitia, ut est jejunium sive oratio seu cujuslibet ecclesiasticæ dignitatis administratio, fiunt pro quolibet vel quæstus vel gratiæ humanæ seu laudis terreno emolumento, claudit introitum in regnum, *in potentias Domini*, et in thalamum sponsi. Propterea fatuis virginibus clausa est janua, quia eunt ad vendentes oleum, quod est favor adulantium. Item de his qui omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus, dicit Veritas : « Quia receperunt mercedem suam (*Matth.* VI, 5, 16). » Turpis *negotiatio* dedisse aurum pro

luto, scilicet jejunium sive orationem vel aliud tale A pro favore humano vel quæstu terreno. Hinc est quod hujusmodi negotiatores more forensium negotiatorum sua omnia magnifice appretiant, et aliena plus justo vilificant, sicut ille, qui dixit : « Jejuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ possideo (*Luc.* XVIII, 12). » Præmiserat autem : *Non sum sicut cæteri hominum*, ut sua merita præcellere ostenderet meritis aliorum, sicut mercatores forenses in arte negotiationis præferunt suas merces mercibus aliorum, quod tamen non est artis vitium, sed hominum arte abutentium, quæ per se non est mala, si absque mendaciis et fraudibus exerceatur. Quod quia nullatenus aut vix potest fieri, maxime ab hominibus quærentibus, quæ sua sunt, non immerito pœnitentibus interdicitur officium negotiandi sicut militandi, cum tamen sive negotiari sive militare perfectus homo valeat sive damnatione, servata præcipue illa cautela, ut non faciat alteri quod sibi nolit fieri. Possunt ergo etiam tales negotiatores introire *in potentias Domini* vel non fraudando, vel defraudata exemplo Zachæi, etsi non ut ille, in quadruplum, saltem pro posse reddendo. Verum Judaica, ut dictum est, vel Simoniaca *negotiatio* claudit introitum *in potentias Domini*. Potuit Simon Magus in felle amaritudinis manens intrare in fontem baptismi sive in templum Domini vel etiam accipere corpus Domini, sed *quoniam cognovit* et approbavit *negotiationem* pessimam ex tunc ab ipso denominatam, non potuit per sacramenta visibilia introire *in potentias Domini*.

Sic multi usque hodie illi consimiles negotiatores, in officiis ecclesiasticis maxime vel solummodo quæ sua sunt quærentes, *non introibunt in potentias Domini*; quia, licet speciem pietatis habeant, tamen virtutem ejus abnegant. Et constat sine virtute pietatis ita inania et mortua esse omnia sacramenta, sicut corpus absque anima. Propter quod sancta Ecclesia ex filiis *Jonadab*, id est, *spontanei Christi* collecta ipsi Patri obediens, et contra ejus præceptum non bibens vinum, in quo est luxuria, contenta vino, quod lætificat cor hominis, habitansque in tabernaculis, quæ sunt habitacula peregrinantium seu militantium, sicut sunt ecclesiæ vel monasteria, D vel xenodochia sanctorum sancte viventium; Ecclesia, inquam, talis in filiis castis in hoc mundo peregrinantibus et militantibus atque Patri obedientibus recte ac veraciter dicit : *Quoniam non cognovi negotiationem, introibo in potentias Domini*; cum speciem pietatis habendo etiam virtutem pietatis; ut, verbi gratia, dicens me in Christo manere ambulem sicut ipse ambulavit, non in mea, sed in ejus potentia, qui omnibus, « quotquot eum receperunt, dedit potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus (*Joan.* I, 12), et credendo *introibunt in potentias Domini* minime confidentes in potentiis animæ humanæ vel corporis corruptibilis, ipsas animæ potentias aggravantis et deprimentis, ut ejus memoria oblivionem, ratio errorem, voluntas teporem facillime incidat, si eam divinæ pietatis potentia non adjuvat.

Videntur dissonare translationes, dum alia *litteraturam*, alia *negotiationem* habet. Sed si consideratio adhibeatur, non multum discordant. Propheta namque videns, quia nihil proderat lex litteraliter accepta, *non cognovi*, inquit, *litteraturam*, id est, non probavi ponere spem salutis in lege juxta litteram intellecta, quia littera legis non sanat morbum concupiscentiæ, sed gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Et ideo *introibo in potentias Domini*, id est, in spiritalem sensum, qui potenter vivificat eum, quem littera occidit. Ab eodem sensu non multum recedit illa translatio, quæ habet : *Non* B *cognovi negotiationem*. Siquidem lex litteraliter intellecta populum nonnisi carnaliter informabat, et nihil non terrenum sapere docebat juxta illud : « Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis (*Isa.* I, 19), » et ideo tales intellectores negotiatores fecit, hoc est, circa bonorum temporalium quæstus occupari. Porro Propheta libertatem spiritus, qui *negotiationis* hujus vincula dirumpit, amplectens *non cognovi*, ait, *negotiationem*, id est, non placet mihi lex sic intellecta, ut involvat me *negotiationibus* observantiarum carnalium usque ad tempus correctionis impositarum, et tunc maxime inutilium vel etiam damnabilium, cum fiunt propter emolumentum quodlibet sæculare, ut est favor huC manæ laudis vel gratiæ sive commodum temporale. Liber itaque, imo per gratiam liberatus a talibus *negotiationibus* ego Filius *Jonadab spontanei* sponte videlicet Patri obedientis *Christi*, et ego per obedientiam spontaneam introductus *in potentias Domini*.

Domine memorabor justitiæ tuæ solius, quæ non est ex lege cæremoniarum in littera legis traditarum, nec ex viribus liberi arbitrii liberatore indigentis, cum simus de numero priorum captivorum, ut supra est expositus, *memorabor justitiæ tuæ solius*, quæ non ex lege, sed ex fide est credentibus in te, qui justificas impium. In hac justitia nihil potest attribui humanæ virtuti; quoniam sola divina pietas in corde credentis excitat voluntatem seminando bonas cogitationes, et juvat ad bonas actiones, et inflammat ad bonas affectiones per se ad justificationem sufficientes, ubi forte defuerit tempus et facultas operandi quod bonum est. Quia ergo hæc *justitia* ex te, Deus, initium profectum et consummationem habet, tibi sola assignanda est, et ideo *memorabor justitiæ tuæ solius*. Et ut hoc intelligerem, tu,

VERS. 17. *Deus, docuisti me a juventute mea, et usque nunc pronuntiabo mirabilia tua.* Tu *docuisti* me intelligere quod justitia fidei tua est et ex te est, qui fidem inspiras, et eidem, ut per dilectionem operetur velle rectum, aspiras dans recte sentire ac recte consentire, ut sint recti corde quicunque justificantur et rectificantur ex te. Ita *docuisti me*,

quia quidquid justitiæ seu rectitudinis habeo, ex te habeo. « Quid enim habes, homo, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? (*I Cor.* IV, 7.) » Hoc scriptum lego et intelligo, quod nihil boni habeo ex me, sed multa mala, inter quæ sunt etiam delicta juventutis meæ vel secundum tempus ætatis humanæ vel secundum primitias fidei, quando non juveniliter præsumens cingebam me et ambulabam ubi volebam. *A juventute* itaque *docuisti me*, ut periculis propriis eruditus discerem non præsumere de me, illius exemplo eruditus, qui quoties de sua virtute præsumpsit, toties infirmitati suæ relictus magistrum negavit. Et ego cum essem junior, cingebam me, et ambulabam ubi volebam præsumptione ultronea intentus ad maxima bona, minime sufficiens vel ad minima, sicut postea in multa probavi experientia, qua tu, *Deus, docuisti me a juventute mea et usque nunc.*

Etiam atque etiam post acceptam et diu exercitatam fidem doceri mihi est necessarium, ne te cessante a docendo fiam insipiens et non intelligens quid desit mihi. Non enim sic se habet opus doctrinæ divinæ sicut humanæ, quia homo docet hominem, verbi gratia, agriculturam vel artem carpentariam vel aliud tale, instructusque homo, recedente a se instructore, ipse, absque illo, æque ut ille vel fortasse melius operatur sive in agricultura sive in domo fabricanda seu in opere alio, quod quidem didicit a magistro; sed operari novit et potest etiam sine magistro. In miraculis quoque per hominem factis id ipsum invenies, quia suscitati mortui per Eliam et Eliseum, recedentibus illis vixerunt absque illis. Lazarus quoque suscitatus per Hominem Deum, recedente a se Christo, corporaliter, potuit vivere absente suscitatore. Sic et qui plantat et qui rigat, opere suo peracto, gaudet sua ope opus non indigere, quod operatus est visibiliter, si tamen Deus adest incrementum dando invisibiliter, qui si manum subtraxerit, opus ipsius manere non poterit. Sicut enim sol iste visibilis præsentia sua suo splendore aerem illustrans diem facit super terram, quo absentato per occasum, dies, quam fecit super terram, deficit nec restauratur, nisi denuo sol super terram ortus iterum sua præsentia illustret subjecta ætheris et aeris spatia : sic Sol justitiæ licet ubique sit et nusquam non sit, nec tamen alicubi localiter sit, suam per sui gratiam nunc exhibet præsentiam, permaxime illustrando rationalem creaturam in angelis electis ætheri purissimo, in animabus humanis carne adhuc indutis aeri crasso et nebuloso assimilatam, facitque diem, de qua dici potest : « Hæc est dies, quam fecit Dominus, exsultemus, et lætemur in ea (*Psal.* CXVII, 24). » Sed si gratiam subtraxerit, profecto dies hæc deficiet, nec renovabitur unquam, nisi denuo ipse Sol justitiæ per gratiam redditam suam dignetur exhibere præsentiam. Eliseus derelictus a doctore suo Elia non solum non defecit, sed magistri spiritu in ipsum duplicato etiam profecit. Tu autem, *Deus*, qui *docuisti me a juventute mea et usque nunc*, si me vel ad momentum deserueris, omnino me deficere non nescis, quia, cum tu sis animæ meæ vita, sicut ipsa est corporis mei vita, quomodo anima subtracta cuncta corporis harmonia dissolvitur, ita ut nec oculi videant, nec aures audiant, neque reliqua membra sua teneant officia : sic te deserente me ac cessante a justificatione animæ meæ, ipsa erit injusta, quam si tua præsentia non illustras, erit tenebrosa ; si non vivificas, erit mortua; quia quod sobrie, juste, pie, sapienter vivit, non ejus est natura, sed *tua mirabilia*, qui supra naturam facis hæc *mirabilia* solus. Et ideo, Domine, in his *memorabor justitiæ tuæ solius*, qui eadem *mirabilia* facis, ut justificeris in sermonibus tuis, per quos talia mirabilia promisisti, tu, qui nescis mentiri. Ergo in omnibus talibus mecum a juventute mea peractis non jactabo mea merita, sed *pronuntiabo mirabilia tua* ego ecclesiastica persona vel ego universalis Ecclesia. Et quia scio talia *mirabilia* deficere, si gratiam subtraxeris, et de præteritis gratias ago, et de futuris orans dico :

VERS. 18 et 19. *Usque in senectam et senium Deus ne derelinquas me.* Ego Ecclesia tunc juvenile robur habui, quando apostolis aliisque viris apostolicis prædicantibus per Evangelium genita, et non solum lacte, sed et solido cibo enutrita et confortata fortiter in martyrio contra tyrannos dimicavi. Senecta mea successit huic juventuti, quando cani sensus mei enituerunt in confessoribus, fidem rectam verbo sanæ doctrinæ ac moribus maturæ disciplinæ commendantibus. Adhuc exspecto *senium* jam cito instantibus vel patenter ecce nunc exstantibus temporibus periculosis, in quibus abundante iniquitate ac refrigescente charitate multorum, fidei fervor est in paucis electis, qui et ipsi forte, si fieri posset, in errorem inducerentur, nisi dies tam pessimi senii breviarentur. Et si de his, qui electi reputantur, pavendum est ne inducantur in errorem propter signa mendacia, sacramenta videlicet speciem quidem pietatis habentia, virtutem vero ejus abnegantia, verum est utique veritatis verbum contestantis quod, nisi breviati fuerint dies illi, non fiet salva omnis caro. Caro enim dicuntur infirmi ac fragiles et seducibiles in Ecclesia, quo modo illi dicuntur ossa, qui sunt fortes.

Utrique ad Christi corpus pertinent, cujus in figura dixit Adam : « Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea (*Gen.* II, 23). » Tanquam dicat secundus Adam : Ego in corpore meo, et de corpore meo formatos habeo non solum fortes, verum etiam fragiles, utrosque apud me prædestinatos et electos in me ante constitutionem mundi. Dicit enim unus de ipsis electis : « Sicut elegit nos in ipso ante constitutionem mundi, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate (*Eph.* I, 4). » Hoc ego scio Ecclesia catholica de filiis *Jonadab* coadunata in juventute mea valida, in senecta matura, in senio decrepito multas infirmita-

tes passura, et jam forsitan ex parte passa juxta illud : « Si autem in potentatibus octoginta anni, et amplius eorum labor et dolor (*Psal.* LXXXIX, 10). »

Labores itaque et dolores multos et magnos jam passa, plures et majores timeo in *senio* ætatis decrepitæ, multis defectibus et suspiriis expositæ. Ideo dico, imo supplico tibi, *Deus* meus, qui *docuisti me a juventute usque nunc*, ut *usque in senectam, et senium ne derelinquas me*. Tu verus *Jonadab*, *spontaneus* in omnibus, quæ propter filios tuos erudiendos fecisti bona, et sustinuisti mala, promittens ipsis filiis tuis multa bona, inter cæteras promissiones tuas dixisti : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XVIII, 20.), » hoc est, *a juventute* circa primordia Ecclesiæ, in *senectu* circa medium, et in *senio*, quo finienda ad consummanda est Ecclesia. Ideo bonum illud fiducialiter peto, de quo promissorem veracem te ipsum teneo, qui et dico, ut justificeris in sermonibus tuis, ut justus et verax appareas, ut prophetæ tui, qui talia crediderunt et prophetaverunt, fideles et justi et veraces inveniantur : esto nobiscum usque ad consummationem sæculi. Esto mecum, *Deus* meus, qui *docuisti me a juventute mea usque nunc*, et *usque in senectam et senium Deus ne derelinquas me. Ne derelinquas* fortes, qui sunt os ex ossibus et infirmos, qui sunt caro de carne mea. Memor esto verbi tui, quo dicturus *vobiscum sum*, præmisisti : *Ecce ego*. « Ecce, » inquis, « ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XVIII, 20). » Dicens : « Ecce ego, » duo desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum promisisti, evidentiam videlicet cunctis demonstrabilem per adverbium demonstrativum, præsentiam non umbraticam sed substantivam per nomen item demonstrativum et etiam substantivum. Quondam præsens eras populo tuo in columna ignis et nubis et aliis umbraticis figuris. Non talem nunc præsentiam tuam quæro, sed omnino substantivam et demonstrativam, ut et verum sit, quod dixisti : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi : » et nos in hac veritate gloriantes dicamus : « Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi (*Joan*, I, 29). Item : « Ecce Deus meus, et honorabo eum : Deus Patris mei, et exaltabo eum (*Exod.* XV, 2), » neque ultra dicant in gentibus : Ubi est Deus eorum, Deus Christianorum, qui esse dubitatur apud sanctos, quando deficit sanctus, quando diminutæ fuerint veritates a filiis hominum, quasi apud nullos permaneat veritas divinorum promissorum, quorum tamen evidentia etiam *senio* Ecclesiæ non dubitatur promissa. Hanc postulo, ego Ecclesia, vel ego ecclesiastica persona, dicens : *Usque in senectam et senium Deus ne derelinquas me*, ut sicut *juventus* mea claruit in robore fortitudinis fidei, *senecta* in maturitate spei : sic extremum senectutis meæ tempus, quod dicitur *senium*, clareat in misericordia verbi, secundum

A quod extremis Job reposita erat major misericordia quam primis utpote jam Satanæ tentationibus omnino superatis. Sicsic jam superata violentia tyrannorum per martyres, fraudulentia hæreticorum per confessores, tandem superetur versutia falsorum fratrum per bonos fratres, vere fideles et prudentes, ne insultetur *senio* Ecclesiæ, quod non sit ei fidelis dispensator et prudens, quem constituat Dominus super familiam suam, ut det illis tritici mensuram, tempore *senii* permaxime necessariam, quando erit fames et fuga Eliæ, imminente nimia siccitate, regnante Jezabelis nequitia et spurcitia. Usque ad illius temporis novissimi omnia pericula superando, *esto mihi Deus in Deum protectorem et in locum munitum*, sicut supra est expositum B circa initium psalmi, quod assimilari potest meæ juventuti. Hoc igitur peto ut, factus mihi in locum munitum et in domum refugii, circa initium fidei dans mihi robur viriliter agendi, non me deseras *senii* tempore, *cum defecerit virtus mea*, sed imprætermisse usque in finem fortiter me adjuva.

Donec annuntiem brachium tuum generationi omni, quæ ventura est, potentiam tuam, et justitiam tuam Deus usque in altissima quæ fecisti magnalia. Inter has vicissitudines rerum, et temporum, quibus generatio præterit et generatio advenit, velut unda supervenit undæ, generatio rectorum quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob non deficiat, *donec* ego Ecclesia per hanc generationem, de qua promissum teneo quod non præteribit donec C omnia fiant, *annuntiem brachium tuum generationi omni quæ ventura est*, sive bona sive mala, ut non sit qui se abscondat a calore solis hujus, in quo verus *Jonadab* posuit tabernaculum suum, præcipiens etiam suis filiis ut habitent in tabernaculis, peregrinantes et militantes exemplo patris sui vere *Jonadab*, vere *spontanei* ad obediendum Deo Patri suo. Per hujus itaque filios usque in finem sæculi permansuros *annuntiem brachium tuum* prædicans ubique, quod in virtute brachii tui dispersisti inimicos meos, quod fecisti potentiam in *brachio tuo*, cum dispersisti superbos mente cordis sui, deposuisti potentes de sede et exaltasti humiles. Sic *annuntiem brachium tuum* in præteritis dominatum, D in præsenti dominans, in futuro dominaturum *generationi omni, quæ ventura est*; quia semper *brachium tuum*, Filius tuus, per quem fortia operaris, resistet superbis, humilibus autem dabit gratiam.

Sic *annuntiem* et *potentiam tuam*, qua potens et indurare quem vis, et misereri cui vis, *et justitiam tuam*, sine qua neutrum horum facis, qui omnia, quæ facis, potenter et juste facis, ita ut nullus te arguere possit, quod inique facias vel indurando quos induras, vel miserendo quibus misereris. Hæc potens *justitia*, et justa *potentia* tua, Deus, attingit a fine usque in finem fortiter, et disponit omnia suaviter, a fine usque ad finem, a vermiculo usque ad angelum, ab infimis abyssi usque in altissima cœli, *usque in altissima, quæ* non solum in

terra, sed etiam in cœlo *fecisti magnalia*, diabolum superbientem de cœlo projiciendo, et illuc hominem, qui cinis et pulvis est, exaltando non solum usque ad alta cœlestium virtutum agmina, quibus associanda sunt Ecclesiæ totius membra, etiam infima, dummodo sint in charitate non ficta, sed etiam *usque ad altissima* illa, quæ habet Pater in majestate sua, cujus ad dexteram collocata est in Christo natura humana, ut ait Leo papa, « illius gloriæ sociata in throno, cujus naturæ copulabatur in Filio. »

Annuntiabo etiam in hoc *potentiam tuam, et justitiam tuam, Deus, usque in altissima quæ fecisti mirabilia*, quod sive homo in infirmis sive angelus in altissimis inveniatur potens et justus, non est hæc *potentia et justitia* vel hominis vel angeli, sed *tua*. Tibi soli assignanda, cui et supra dixi : *Domine, memorabor justitiæ tuæ solius.*

Cum hæc ità se habeant, *o Deus, quis similis tibi?* Nullus utique, quia tu propria virtute tua es quod es, potes quod potes : alia omnia ex te habent esse quidquid sunt, posse quidquid possunt. Hoc non considerans Lucifer in cœlo præsumpsit se cæteris angelis connaturalibus et consociis præferre, quasi esset vel esse posset *similis Altissimo.* Sed in ruina sua didicit vel potius nos in ea discimus, quod non est *similis tui, Deus*, is qui cadendo serpenti est assimilatus. Quem et ingressus utpote vas aptum sibi et congruum, persuasit primis hominibus perverse appetere similitudinem Dei, dicens : « Eritis sicut dii, scientes bonum et malum (*Gen.* III, 5). » Et illi ergo projecti de paradiso multimoda miseria edocti sunt et diabolum falsum promissorem et illum verum doctorem, qui dicit : *Deus, quis similis tibi?*

Nullus itaque propria virtute; sed nonnulli assimilantur tibi ex dono gratiæ tuæ. Nam in ista convalle lacrymarum, de qua clamamus ad te : *Deus, quis similis tibi?* quosdam facis tibimetipsi assimilari secundum mensuram donationis tuæ. Alioquin frustra esset homo factus ad imaginem et similitudinem tuam, si omnes homines in regione longinqua dissimilitudinis tuæ perirent. Sed non est ita, quia requiritur drachma perdita, et in ea reformatur pulchritudo abolita : invenitur ovis perdita, et reportatur humeris pastoris : suscipitur filius prodigus ad patrem suum reversus : promittitur denique omnibus tui vultus, o Deus, lucida similitudo, qui suos inimicos diligunt et eis, prout valent, bene faciunt ad similitudinem tui, qui solem tuum oriri facis super bonos et malos, ac pluis super justos et injustos. Hac via sanctæ charitatis, obedientiæ ac pietatis obtinebitur Dei similitudo, quam nec angelus in cœlo per extollentiam, nec homo in paradiso per inobedientiam valuit obtinere. Per aliam ergo viam redeundum est in regionem nostram, ad quam, cum venerimus, similes Deo erimus, et videbimus eum sicuti est. Redeundum quippe illuc est per humilitatem et obedientiam, unde ce- A cidimus per superbiam et inobedientiam, quatenus quod non possumus per naturam, simus per gratiam, Deo videlicet similes in ipso et cum ipso manentes, et hanc similitudinis gratiam et gloriam de ipso tanquam fonte inexhausto jugiter bibentes. Nam qui per se vel a se putat se aliquid esse vel posse, cum nihil sit a se vel possit, ipse se seducit, quia taliter esse vel posse solius est naturæ divinæ, quæ sola est super omnia et potest, ac scit omnia per se nullo extrinseco egens adjutore. Quisquis igitur hominum vel angelorum talem potentiam vel scientiam sibi a semetipso usurpat perverse ambiendo Altissimi similitudinem, decidet in foveam dissimilitudinis, vel sicut diabolus inibi relinquendus, vel sicut homo longis funibus tribulationum exinde B retrahendus. Qui enim cum hominibus non flagellabuntur ut dæmones, ipsi cum ipsis dæmonibus tandem mittentur in abyssum cruciandi cum eis æterno igne. Qui autem prædestinati sunt ad vitam æternam, ne in abyssum sempiternæ perditionis mittantur, plurimis tribulationibus flagellantur et ad viam sanctæ humilitatis, velint, nolint, coarctantur. Quod ita esse, tam ego Ecclesia quam ego ecclesiastica persona multis experimentis didici. Nam, o Deus,

VERS. 20. *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas, et malas, et conversus vivificasti me, et de abyssis terræ iterum reduxisti me!* Mihi volenti assimilari tibi Altissimo per extollentiam primi homi- C nis, qui noluit ut servus teneri præcepto, ut nullo sibi dominante fieret sicut Deus, mihi tali, ne talis permanerem, *quantas ostendisti tribulationes* tantæ debitas extollentiæ vel inobedientiæ, quod nimirum patet in ipso primo parente priorum captivorum. Nam quia solvit præceptum, prior ipse captivatus est, et ejus posteri simul in ipso captivati priusquam nati. Et hæc ipsa captivitas *quantas* habeat *tribulationes multas et malas*, enarrari non potest, quamque in his Deo beato et ab omnibus tribulationibus extraneo tribulatus et captivatus homo sit dissimilis, item enarrari non potest. Unde non tam enarrando, quod est inenarrabile, quam certe admirando exclamare compellor : *Deus, quis similis tibi? quantas ostendisti mihi tribulationes multas et* D *malas*, numerosas quantitate, *malas* noxia qualitate! Has *tribulationes multas et malas* non solummodo immisisti, ut punires propter culpam, sed etiam *ostendisti*, ut erudires ad disciplinam, quorum alterum justitiæ, alterum vero misericordiæ opus fuit, ac proinde utrumque simul junctum vinum cum oleo profuit mihi vulnerato. Nam per hæc duo *conversus* ad me, qui per culpam superbiæ fuisti aversus a me, ut non remanerem cum præposito mortis diabolo in morte sempiterna, *vivificasti me, et de abyssis terræ iterum reduxisti me.* Tu, Propheta magne, ad me mortuum *conversus* fecisti per temetipsum, quod fieri non potuit per baculum tuum, quia contractus ad meam parvitatem factus homo *vivificasti me.*

Et hic modus erat vivificationis meæ, quod *de abyssis terræ iterum reduxisti me*. Sicut aliud est creari, aliud recreari hominem : sic est aliud educi, aliud reduci eum de abysso terræ. Semel creatus est, et hujus divinæ operationis penitus nulla est vel esse potest iteratio, quia creatus ex nihilo ulterius non redit in nihilum, ut iterum possit creari de nihilo. Attamen factus de nihilo sic naturali defectu ad nihilum tendit, cum penitus nihil esse non possit, ut ei semel creato multoties recreari sit necessarium per divinæ pietatis assiduum sive continuum solatium. Similiter semel eductus est homo *de abyssis terræ*, in quibus latuit, cum adhuc sub aquis *abyssi* latens esset inanis et vacua et tenebræ fuissent super *abyssum*. Tunc opere divino aquis *abyssi* congregatis in locum unum, *de* ipsis *abyssis* educta est terra, formandi hominis materia. Hujus divinæ operationis nulla est iteratio, quia ultra non erit confusio rerum, qualis fuit in primordio mundi. Eductus autem *de* sub aquis *abyssi* mortalis homo cum esset cinis et pulvis, ultra modum suum se nimis extulit, quando suo Creatori, altissimo spiritui per superbiam præsumpsit velle assimilari credens deceptori dicenti : « Eritis sicut dii (*Gen.* III, v). » Propterea dignus fuit audire : « Terra es, et in terram ibis (*Gen.* III. 19) : » quia æquitas judicii divini hoc exposcebat, ut quia se ultra cœlum extulerat, sub cœlo multis plagis humiliaretur, donec reverteretur in terram, unde sumptus erat, quod morte corporali perficitur, quæ omni homini ex Adam per concupiscentiam genito debetur.

Sed in homine uno sine concupiscentia carnali per operationem sancti Spiritus concepto, de virgine genito, reducta est humani generis terra in eam dignitatem, ut nihil haberet juris in eum mors corporis, in quo non erat mors animæ; quia non habuit in se peccatum vel originale vel actuale. Attamen sponte admisit mortem indebitam, sponte descendit in *abyssum* inferni, mortuus quidem corpore, sed inter mortuos liber a morte animæ. Non ergo dicat aliquis : « Quis descendit in abyssum ? » quia « hoc est Christum ab inferis revocare (*Rom.* x, 7), » ait Apostolus. Solus illuc liber descendit; sed non solus inde rediit, quia multos inde secum reduxit, ex quibus multi etiam corporaliter cum eo surrexerunt *de abyssis terræ*, id est de sepulcris, et introierunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis, ut in principio apparuit arida semotis *abyssis*. Hæc fuit una reductio *de abyssis*.

Iterata vero est reductio *de abyssis* et de profundis, quæ sunt in lacu miseriæ animarum, per fidei sacramenta resurrectio prima, qua qui resuscitati perseverant, vivunt. In his secunda mors potestatem non habet, quæ est extrema impiorum damnatio et projectio in *abyssum* dicente Judice : « Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus (*Matth.* xxv, 41), » quibus nulla est reductio de puteo *abyssi*, de profundo inferni, de lacu miseriæ, quia non est illis commutatio permanentibus in sua

A malitia sine pœnitentia. Porro prædestinatis ad vitam hominibus, qui vel innocentiam custodiunt post baptismum, vel dignos pœnitentiæ fructus faciunt ante obitum suum, postrema erit reductio *de abyssis* resurrectio corporum, non in judicium damnationis, cum « judicia Dei » sint « abyssus multa (*Psal.* xxxv, 7), » sed in gloriam illius commutationis qua, cum omnes resurgamus, non tamen omnes immutabimur. Nam « omnes quidem mortui resurgent incorrupti, » id est quantum ad integritatem membrorum perfecte integri, « sed non omnes immutabimur (*I Cor.* xv, 51), » ait Apostolus de se suique similibus, quia liberati *de abyssis terræ* tunc non opprimentur vel submergentur in lacum æternæ miseriæ per judicia tua, Deus, quæ sunt *abyssus*

B *multa*, de quibus, ut jam dictum est, *reduxisti me* tertio iterata reductione. Sic, inquam *reduxisti me* universalem Ecclesiam, ut hoc in gratiarum actione commemorans digne adjiciam super omnem laudem tuam. Licet enim magnum et omni laude sit dignum quod semel *eduxisti me de abyssis terræ* in prima rerum formatione : tamen quia hoc faciendo non laborasti, dixisti enim : *Fiat* hoc, vel illud, *et factum est ita*, neque tunc in dicendo seu faciendo vel tu, Pater, laborasti, qui verbum bonum eructasti, vel tibi Filio, qui Verbum es Patris, fuit laboriosum gigni de corde Genitoris in partu non dolentis, sed æternaliter gaudentis ; neque tibi Spiritui sancto, qui tunc ferebaris super aquas *abyssi*, fuit

C laboriosum taliter superferri, ut operatione totius Trinitatis homo educeretur *de* illis aquarum tenebrosis *abyssis ;* verum nunc tu, Fili Dei, una in Trinitate persona, ut tertio educerer ego Ecclesia *de abyssis terræ*, ut dictum est, homo factus multum laborasti sustinendo in carne mortali diuturnam conversationem : in doctrina contradictionem, tanquam seductor fueris ; in miraculis derogationem, tanquam in principe dæmoniorum ea feceris, in victu subsannationem, tanquam vorax et potator vini fueris, postremo sputa, colaphos, flagella, vestem irrisoriam, spineam coronam, crucem et in cruce mortis turpissimæ addictionem sustinuisti, cum per hæc omnia *de abyssis terræ iterum reduxisti me*. Proinde super omnem laudem illius eductio-

D nis, qua sine labore de abyssis terræ in principio *eduxisti me*, hanc laudem adjiciam et superextollam, qua *de abyssis terræ iterum reduxisti me* in laboribus et passionibus multis, ut et istas reductiones contemnentibus major sit culpa ingratitudinis, et eas, prout dignum est, recognoscentibus major materia et vehementior sit causa gratiarum actionis non solum pro universalibus illis iterationibus reductionis *de abyssis*, quæ, ut ostensum est, habent numerum certum, sed etiam pro singularibus et particularibus, quæ non habent numerum. Cum enim septies cadat justus in die ac resurgat, cumque septuagies septies peccanti et pœnitenti promittatur peccatorum remissio, quæ non est aliud quam *de abyssis terræ* toties iterata reductio : quis dinu-

merare valeat quot et quantis iterationibus hujusce reductionis tu, Deus, A

VERS. 21. *Multiplicasti magnificentiam tuam, et conversus consolatus es me.* Taliter enim per diversa et multa flagellorum et consolationum genera tuos filios *Jonadab spontanea* diligentia reducis *de abyssis* peccatorum, quoties ea inciderint et de profundis ad te clamaverint, ut quisque non solum universalibus, sed etiam particularibus reductionibus reductus *de abysssis terræ* habeat causam tibi in gratiarum actione assidue dicendi : *Multiplicasti magnificentiam tuam, et conversus consolatus es me. Multiplicasti magnificentiam tuam* in flagellis, quia multa flagella peccatoris, et multimodis flagellas omnem filium quem recipis. Attamen quia, cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis, per ipsam B misericordiam fulgura in pluviam faciens, quasi de austeritate ad lenitatem *conversus consolatus es me*, non sinens me inter flagella sic absorberi abundantiori tristitia, ut obrepat salutis desperatio, sed etiam inter flagella spe gaudendo per spem salutis obtineam rem. Quod evenisse mihi filio *Jonadab sponte* in flagellis humiliato et *sponte* per obedientiam paternæ disciplinæ captivato exinde constat, quod confessio peccati ad me accusandum, et gratiarum actionis ad te Deum laudandum jugiter in cordis devotione, ubi tu audis, frequenter in aure, ubi homines audiunt, resonat.

VERS. 22. *Nam et ego confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam Deus*, quod est confessio laudantis : et *psallam tibi in cithara, sanctus Israel*, C quod est confessio pœnitentis, carnem suam castigantis et crucifigentis cum vitiis et concupiscentiis ad gloriam *sancti Israel*, qui se pro suis in cruce sacrificavit, ut et ipsi sancti sint in veritate psallendo et citharizando in omni sanctitate. Psalterium namque *vas* sive instrumentum psallendi, quod de superiori sonat, significat Spiritum, qui desuper est, qui spe jam surrexit, et quæ sursum sunt, sapit, ubi Christus est in dextera Dei sedens. *Cithara* vero ab inferioribus resonat significans corpus castigatum et laudibus Dei adaptatum, quod quidem de terra sumpsit originem, sed in resurrectione futura cœlestem et angelicam accipiet impassibilitatem in tanto majori gloria, quanto nunc magis D exercitabitur in servitio divino bene psallendo et recte operando, quia bonus psalmus bonum est opus, et « bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo, Altissime (*Psal.* xci, 2). » Proinde *confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam, Deus*, hoc sciens quod psalmi et psalmorum verba seu cantica sunt quasi argentea vel aurea vasa veritatis, vinum et charitatis oleum continentia et servantia. Propter hoc sive in psalterio desuper sonoro per studium sanctæ contemplationis; sive *in cithara* de subtus canora per studium bonæ actionis, *tibi, Deus, psallam in vasis psalmi* oleo exsultationis plenis. Hoc faciam non per angariam crucem portando, sed voluntaria oris mei voluntarie sacrificando, et inter sacrificandum in hilaritate, quam diligis tu Deus, exsultando : quoniam

VERS. 23. *Exsultabunt labia mea cum cantavero tibi, et anima mea, quam redemisti. Exsultabunt labia mea*, dum psallam spiritu : exsultabit *anima mea*, dum psallam et mente. Nam spiritu solummodo psallere, mente sine fructu existente, omnino est inutile. Spiritu vero psallere est memoriter psalmorum verba proferre ; mente autem psallere est vitalem verborum sensum mente percipere, qui tunc dulcior est gustui animæ, *quam redemisti*, Domine, cum suæ redemptionis mysteria in psallendo ruminat, ut, verbi gratia, eum psallendo canit : *Panem angelorum manducavit homo*, non tam furfurem litteræ sequendo quam similam spiritus illum intelligat panem, non quem Moyses dedit, vel quem Moyses cum populo manducavit; quoniam illius manducatio etsi carnem aluit, non tamen ad redemptionem animæ sufficit, sed quem Pater significavit, et in quo vitam mundo dedit, quo angelos immortaliter pascit. Quod quia Judæi non faciunt, occidentem litteram et non vivificantem sequendo spiritum, contemptibile est, quod psallentes offerunt, recteque illis per prophetam dicitur : « Offertis super altare meum panem pollutum (*Malach.* i, 7). » Itaque ut anima mea, quam redemisti, Domine, de abyssis terræ iterum reducendo eam, valeat exsultare, non ero contentus *in vasis psalmi* extrinsecus nitorem argenteum seu fulgorem quasi aureum spectare, sed vinum lætificans cor hominis et oleum exsultationis repositum in vasis ipsis gustabo, et videbo, quoniam suavis es, Domine, tu, qui *de abyssis terræ iterum reduxisti me.*

Gustum suavitatis hujus *in vasis psalmi* vas et ipse electionis Paulus acceperat, qui ad idem nos exhortans, et a contrariis dehortans aiebat : « Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini Spiritu sancto (*Eph.* v, 18). » Et quasi dubitantibus, quibus ex vasis Spiritum sanctum haurire possemus, benevolus doctor vasa demonstrans, et quasi manu porrigens adjecit : « Loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus cantantes, et psallentes » non quidem semper coram hominibus in aperto, sed « in cordibus vestris Domino (*ibid.* 19). » In hujus impletionis spe, imo et quantum dederis impletionis ipsius adjutus re *psallam tibi in vasis psalmi*, cor meum exhibens tibi instrumentum psallendi, *psallam*, ut implear, et implebor, ut *psallam*, tibi, Domine; *psallam*, inquam, et psallens pro capacitate mea replebor, repletus efficiar et ego vas ex *vasis psalmi* plenum spiritu sapientiæ et intellectus, spiritu consilii et fortitudinis, spiritu scientiæ et pietatis, et replebit me ex *vasis psalmi* spiritus timoris Domini. « Spiritus enim vitæ » est « in his rotis (*Ezech.* i, 20), » in psalmorum vasis, digitis et manu Dei tornatis et rotatis. Sed quid, si nimis pigrum animal sum, ut cum his rotis elevatis a terra pariter non possim elevari, et quocunque rotæ gradiuntur, pa-

riter gradi, ut psallens spiritu semper psallam et A mente, idque semper versetur in corde, quod profertur ore? Hic est enim psallendi modus legitimus et semper a nobis desiderandus. Sed quid, si nitimur et non exsequimur, conabimur et relabimur, numquid ideo a *vasis psalmi* sine fructu et vacui redimus, contestante Apostolo, quod in spiritu tantum et lingua psallentium mens sine fructu est? Sed consolatur me verbum angeli dicentis: « Pax hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II, 14). » Item vox Psalmistæ dicentis: « Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi (*Psal.* LXXV, 11). » Quæ est enim illa confitens Deo hominis cogitatio, nisi principalis illa Deo placendi et confitendi in psallendo intentio? quæ nisi relicta nobis a Deo semen esset B etiam in psallendo, irruentibus interdum in nos noxiis aut vanis cogitationibus, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrhæ similes essemus.

Nunc itaque hanc principalem Deo placendi, et confitendi intentionem acceptante Deo, de quo Psalmista: « Media, » inquit « nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justificationis tuæ (*Psal.* CXVIII, 62) », et e diverso immissiones aliarum cogitationum me repellente vel invito sustinente, hujus cogitationis principalis a Deo relictæ nobis reliquiæ diem festum agent tibi, dum finis orationis melior erit quam principium psallentis et confitentis tibi, quoniam *de abyssis terræ iterum reduxisti me*, primo iterum confiteor me reductum in C *anima, quam redemisti*, secundo iterum in corpore meo, cujus primitiæ in te, Christe, in his qui tecum surrexerunt, jam *de abyssis terræ iterum reductæ* fulgent in cœlo. Unde *cum cantavero tibi*, non solummodo *exsultabit anima mea, quam* tua morte *redemisti*, et vivificasti;

VERS 24. *Sed et lingua mea tota die meditabitur justitiam tuam. Lingua* exterior loquendi quidem et non meditandi est instrumentum. Sed cum hoc versatur in corde, quod profertur ore, ipsa quoque *lingua* carnis fit instrumentum bonæ meditationis. Propter quod non dico: *Lingua mea* loquetur, sed dico: *Meditabitur justitiam tuam.* Nam in illa iterata reductione *de abyssis terræ*, quæ intelligitur in carnis beata resurrectione, ipsa quoque *lingua* car- D nis cum omnibus corporalibus membris ita efficietur spiritalis, ut rectius de illa dicam, quod *meditabitur justitiam tuam*, quam si dicerem, *loquetur*, quia loquela illic vocalis non erit necessaria, ubi *linguæ* cessabunt, ubi prophetiæ evacuabuntur, ubi sine monitore, Domine, memorabor justitiæ tuæ solius, ubi *lingua mea tota die*, id est, in æternitate, sine fine *meditabitur justitiam tuam. Tota*, inquam, *die* absque nocturno timore: nox enim non erit illic. *Tota*, inquam, *die* in magna serenitate ac securitate, quæ non est nec esse potest hic inter illos, *qui quærunt mala mihi*; sed erit tunc plene, *cum confusi et reveriti fuerint, qui quærunt mala mihi.* Confundentur enim et turbabuntur timore horribili, et quasi cum reverentia, licet nimium tarda, mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, videntes mihi provenisse bona inæstimabilia, cum illi semper mihi quæsierint *mala.* Tunc enim erit sanctis locus securæ exsultationis, cum impiis in divino judicio confusis et in abyssos terræ detrusis non licebit ultra dominari. Tunc erit solummodo vox exsultationis, et salutis in tabernaculis justorum cum Christo regnantium, sed non ita in tabernaculis militantium, ubi voces cum exsultatione psallentium crebro interrumpunt gemitus flentium et dolentium. Cui enim carnis adhuc sarcina gravato sic *in vasis psalmi* redundat oleum exsultationis, ut non interdum cogatur gemere de ipsorum vasorum vacuitate, sed, quod pejus est, vacuitate simul et raritate? Est enim domus misera, ubi vasa vinaria, seu olearia multa quidem sunt, sed vinum non habent sive oleum. Sed miserrima est illa, ubi nec ipsa inveniuntur vasa vini vel olei capacia.

Sic nimirum ubi disciplinata est psalmodia verbi gratia, canentium: « Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum, sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus (*Psal.* CXXXII, 12) », et non est illic ipsum unguentum vel jucunditas fratrum cohabitantium in unum, vasa quidem psalmi spectantur pulchra, sed inania sunt et vacua, sicut antequam primitus educeremur *de abyssis terræ*, ipsa terra erat inanis et vacua, nullo videlicet fructu frumenti, vini et olei adhuc venustata. Item cum alius Deo psallit: « Tuus sum ego, salvum me fac, quoniam justificationes tuas exquisivi (*Psal.* CXVIII, 94), » et est ipse servus mammonæ, servus tot dominorum, quot vitiorum, nec ab ipsis vitiis aliquando sic justificari quæsivit, ut possit vere dicere Deo: *Justificationes tuas exquisivi*: nonne vas psalmi hujus etsi tinnule sonet in ore velut æs sonans aut cymbalum tinniens, vacuum est ab interna dulcedine atque illa veritate, de qua dicit bene psallens: *Confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam, Deus?* At ubi neque forinseca servatur psallendi disciplina, ibi domus est miserrima, utpote nec vasa habens in se vel vacua, ut non dicam plena. Et illius domus familiæ necessaria est talis magisterii diligentia et sollicitudo materna, qualis fuit in illa vidua, quæ cum fuisset una de uxoribus prophetarum, viro suo mortuo venit ad Eliseum prophetam in diebus suis maximum prophetarum, dicens illi: « Servus tuus vir meus mortuus est, et ecce creditor venit, ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi. Et ille ait: Quid vis, ut faciam tibi? Quid habes in domo tua? Et illa dixit: Non habeo ancilla tua in domo mea quidquam, nisi paululum olei, quo ungar. Et ille: Vade, inquit, et pete a vicinis tuis vasa vacua non pauca, et claude ostium domus tuæ super te, et super pueros tuos, et cum intrinsecus fueris, mitte in omnia vasa, et cum plena fuerint, tolles (*IV*

Reg. IV, 1 et seqq.). » Et factum est ita, quoniam de oleo modico in omnia vasa misso ipsa vasa fuerunt repleta ita, ut diceret propheta : « Vade, vende, et redde creditori tuo ; tu autem et filii tui vivite de reliquo (*ibid.* VII). »

Salvo nimirum sacratiore ac mystico sensu, quo vidua illa universalem significat Ecclesiam secundum notam dudumque a Patribus expositam allegoriam, suavitas moralitatis hic aspirat. Quælibet namque anima verbis prophetarum credula quasi una de uxoribus prophetarum recte habet refugium ad illum Prophetam magnum, qui semel mortuus et mors mortis factus, ac destructo mortis imperio suscitatus ultra non moritur, et mors illi ultra non dominabitur. Huic recte suam paupertatem conqueritur anima, cui prophetiæ seu psalmodiæ spiritus, qui erat vir ejus, est mortuus, de quo et duos filios habet subditos, scilicet activos et contemplativos, sed mortuo patre, spiritu videlicet exstincto, sic depauperatos, ut creditor ille pessimus diabolus, a quo peccati nummus homini datus est, eos tollere velit ad serviendum sibi. Sicut enim conjungit Apostolus duo hæc : « Spiritu ferventes, Domino servientes (*Rom.* XII, 11) » : ita e contrario junguntur duo hæc . Spiritu exstincto tepidi, servi diaboli. Cum enim tepidos recalescere nolentes minetur Dominus de ore suo emovendos, nisi pœnitentiam egerint, quid illis in tepore suo permanentibus erit residuum, nisi ut leo rugiens quærens quem devoret, eosdem incorporet sibi animales, spiritum non habentes, et per hoc se a corpore Domini segregantes ? Quæ igitur spes consolationis in tanta desolatione ? Illa nimirum, quæ concipitur ex ore ac verbis prophetæ docentis : « colligite vasa vacua non pauca (*IV Reg.* IV, 3), » petenda scilicet a vicinis. Nam ne de longe petantur exempla, unicuique patri seu matrifamilias vicina et disciplinata cœnobia vasa psalmi sufficienter habentia sunt ad imitandum pigris discipulis proponenda, ut exinde petant vasa non pauca, studendo scilicet in consimili disciplina psallendi, et bene secundum Scripturas vivendi ; quæ scilicet vasa, etsi vacua sint apud eos, qui psallunt spiritu et mente, aut operantur bene, sed non ex devotione : attamen in congregatione puerorum in domo clausa cum matre obedienter manentium et illi vasa offerentium, crescit oleum, fitque de parvo magnum, si vel una illic est anima de uxoribus prophetarum, quæ in vasa mittit oleum pro posse attendendo sensum Psalmorum.

Claudatur ergo domus, ne dissoluti evagari possint pueri. Claudatur ostium, ut clauso ostio quisque puerorum et filiorum Ecclesiæ oret Patrem suum, oransque lætificet matrem suam, id est eam, in qua nutritus est, congregationem. Sicut enim universalis Ecclesia mater est singulorum suorum, sic unaquæque congregatio digna censeri inter uxores prophetarum recte mater dicitur singulorum, quos nutrit, quosque liberos esse cupit a servitio credi-

A toris. Huic accedit ad augmentum consolationis, quod in domo disciplinata et regulariter clausa mater nostra, quæ sursum est libera, familiare habet suis commanere filiis ordinate psallentibus et vasa illi offerentibus. Ex illa namque sunt « principes conjuncti psallentibus in medio juvencularum tympanistriarum (*Psal.* LXVII, 26) », sancti videlicet angeli, quorum in conspectu psallam tibi Deus. *Nam et ego confitebor tibi in vasis psalmi*, psalmos ipsos, et psalmorum cantica, utpote vasa, quæ fabricata sunt manu artificis in conspectu supernæ matris proponens interdum plena, interdum semiplena, interdum vacua. Quæ plena fuerint vino vel oleo lætitiæ, tu conservare digneris : quæ semiplena seu vacua fuerint, adimpleri postulo saltem B per reliquias cogitationis, quæ diem festum agent tibi. Bonum quidem esset ac maxime optandum, ut primitiæ cogitationum *in vasis psalmi* offerantur, et sic ipsa vasa plena inveniantur, ut nec unum sit in psalmo verbum vacuum, sed in toto psalmo a principio usque ad finem psallatur sapienter, ita ut sapiat in palato mentis intellectus verborum. Sed quis mortalium gloriari poterit se ita sapienter psallere, ut sapiant a principio psalmi usque ad finem primitiæ cogitationum cum reliquis omnibus psalmodiæ verbis integro sensu prolatis ? Si est aliquis ita sapienter psallens, magnus est coram Domino et coram hominibus venerabilis, attamen paucis imitabilis. Mecum bene agitur, si de C reliquiis cogitationum dabitur mihi agere diem festum. Reliquiæ ciborum, quæ supersunt comedentibus, parvæ sunt comparatione ciborum, quorum sunt reliquiæ. Sic in comparatione illius, qui omnino sapienter psallit, meum sapere quasi reliquiæ parvæ sunt in paucis cogitationibus diem festum agentibus. In ipsis est illud paululum olei, quo ungar, quodque in vasa vacua dispertitum sic spero posse augmentari ex benedictione magni Prophetæ, ut non solum sufficiat mihi ægrotativo vel ægrotanti ad salutiferam unctionem, sed et pueris meis vasa mihi afferentibus, id est, mecum disciplinate psallentibus ad omnimodam liberationem a creditore atque ad sufficientem sustentationem vitæ sobriæ, justæ ac piæ, in qua sit

D *Gloria Patri* de sobrietate, *Filio* de justitia, *Spiritui sancto* de pietate : *sicut erat in principio* prædestinata ista gloria in filiis *Jonedab* permansura Patri et Filio et Spiritui sancto in omnia sæcula. Amen. Notatur enim sobrietas filiorum *Jonadab* in eo, quod vinum non biberunt ; justitia in eo quod ex injuncta sibi obedientia in tabernaculis extra civitates habitaverunt ; pietas in eo quod hoc totum sibi a patre pie mandatum, pie observaverunt non ex tristitia aut necessitate, sed ex hilaritate, quam diligit Deus, cui ut dictum est, de hac ipsa sobrietate, justitia et pietate sit semper et ubique gloria : sicut erat in principio prædestinatum et præordinatum ante tempora sæcularia. Amen.

PSALMUS LXXI.

—

A *Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis.* Psalmo isto quarta jam recapitulatione ad summum spei nostræ revocamur dum dicitur : *Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis*, etc. Quod dicit : *da*, jam primo adventu factum est. « Pater » quippe « non judicat quemquam; sed judicium omne dedit Filio (*Joan.* v, 22). » Ipsum autem *judicium* secundo adventu futurum est, quando Rex iste juxta veritatem evangelicam sedebit in sede majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes. Illic in eo metus est, quia judicabit *in justitia;* in eo vero spes, quia *parcet pauperi et inopi et animas pauperum salvas faciet.* Habet autem hic psalmus hunc titulum :

VERS. 1. PSALMUS DAVID IN SALOMONEM.

B David, inquam, Prophetæ respicientis in Christum, qui est verus *Salomon*, verus *pacificus*. Ipse enim posuit pacem inter Deum et homines, inter angelicam et humanam creaturam, inter Judæos et gentiles, de qua pace psalmus hic : *Orietur*, inquit, *in diebus ejus justitia et abundantia pacis. Salem* interpretatur *pax*, unde *Salomon* denominatur, quod est *pacificus*. Quo nomine antiquus ille *Salomon* in figura, Christus vero in veritate nominatus est. Ipse enim gentibus diruens idololatriam, et in Judæis legem mandatorum evacuans, quæ invicem abhorrebant, utrosque populos fecit unum in fide, per quam eosdem reconciliavit cum Deo. Addidit quoque *pacem* super *pacem*, quia post *pacem* reconciliationis dat *pacem* immortalitatis, sicut ipse de C utraque dicit in Evangelio : « Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis (*Joan.* xiv, 27). »

In hunc *Salomonem*, id est Christum commendandum dirigitur iste *psalmus*, qui ejus utramque naturam quartus ostendit. Primo orat futurum judicium *Filio dari*, et per eum prius populo dari pacem. Secundo, asserit quod oravit addens de æternitate illius ibi : *Judicabit pauperes populi.* Tertio, dicit quis et qualis venturus et quanta reverentia regnaturus ibi : *Descendet sicut pluvia in vellus.* Quarto, qualiter utilis ibi : *Quia liberabit pauperem a potente.* Quinto de honorificentia ejus et nostra per eum ibi : *Et vivet et dabitur ei de auro Arabiæ.* Sexto, intentionem aperit, cum et hortatur ad laudem ejus benedicendos in ipso ibi : *Sit nomen ejus* D *benedictum in sæcula.* Septimo, laudat eum ipse Propheta ibi : *Benedictus Dominus Deus Israel.* Prævidet Propheta quod, cum modo judicet occulte tota Trinitas Deus, in futuro tamen Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio; non quin haberet illud in una Deitate cum Filio, sed ut in homine venturo illud offenderet. Quod ergo prævidit orat, et ait :

VERS. 2. *O Deus* Pater, *da judicium tuum regi* Christo, quia Filius hominis est. Ipse namque in eo quod Filius tuus est, habet æternaliter æque ut tu, Pater, potestatem judicandi. Sed quia ipse Filius tuus, Filius quoque hominis, et homo factus est hominem assumendo, tu eidem homini assumpto *da judicium* facere soli visibiliter, quod tota Trinitas faciet invisibiliter. Et quidem non est potestas, nisi a te, qui regnare facis aliquando hypocritam propter peccata populi, et injustos justis dominari permittis justo quidem judicio, quantum ad te, sed injusto, quantum ad se, quia quod tu juste ordinas, illi non juste prosequuntur abutentes data sibi potestate, ut Pilatus inique judicans Regem *filium Regis*, aliisque tales judices justos ejusdem Regis servos injuste judicantes. Ut ergo talibus judicibus *judicium* sine *justitia* exercentibus non sit liberum, prout volunt, contra justos dominari, tu, Judex omnium, qui cum tranquillitate et cum magna reverentia disponis omnia per judicia semper justa, licet ipsa judiciorum justitia interdum sit occulta, tu, inquam, Judex omnium, *da judicium tuum Regi*, scilicet homini uncto in *regem*, tali unctione misericordiæ tuæ, qualis præfigurata est in unctione *Salomonis* Regis *filio Regis*, mei scilicet, quia ego David rex illum genui, et in throno meo regnare disposui cum pace, sedata undique adversariorum infestatione? Sic et tu, Deus Pater, undique humiliatis et subjugatis inimicis pacis *judicium tuum da Regi filio Regis*, quem tu, Rex, a te genitum ita unxisti præ consortibus suis, ut non solum in sua tibi consubstantiali Divinitate sanctus, sed etiam in sua uncta humanitate a se sanctificatus idoneus sit, non solum invisibiliter tecum, sed etiam visibiliter per se ac membra sua regere omnia et judicare. Unde, cum sederit in sede majestatis suæ judicare sæculum per ignem, sedebunt et illi secum judices, qui mundum spernentes eum fuerint secuti. Non solum autem judices erunt in illo extremo judicio, sed et antea, potestate sibi data ligandi et solvendi. Quæ potestas quoties usurpatur a filio iniquitatis, a filio perditionis, Antichristo scilicet ac membris ejus, agitur quidem *judicium*, sed sine *justitia*.

Ut ergo exterminetur de regno tuo hæc potestas inique judicantium, tu, Judex juste, *judicium tuum Regi da, et justitiam tuam filio Regis*, ne sit in regno tuo ullum *judicium* sine *justitia*. *Justitia* dico, non legis, quæ ex operibus est, sed tua, quæ ex fide est, quæ justificat credentes in eum, qui justificat impium, quia justus ex fide vivit, et sine ipsa nulla est vera *justitia :* unde nec vita, quia, ut dictum est, « Justus ex fide vivit (*Rom.* i, 17). » Fidei ergo

justitia in illa unctione *Salomonis* fuit præsignata, qua unxit eum Sadoch sacerdos et Nathan propheta. *Sadoch* enim interpretatur *justus*, *Nathan dedit* vel *dantes*, quibus nominibus illa significatur *justitia*, quæ non est ex hominibus per legis opera sed, per fidem fideique sacramenta et illis congrua opera desursum data secundum gratiam, qua omne datum optimum et omne donum perfectum desursum et a Patre luminum, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio. Tu ergo, Pater luminum, apud quem non est transmutatio, qui intransmutabiliter disposuisti regnaturum in homine assumpto Filium tuum, præcave ne regnet, illo supplantato, Adonias, qui dicit in corde suo : « Ego regnabo (*III Reg.* I, V). » Quo dicto notatur ambitio vel quod pejus est, Absalon scilicet manifestus persecutor. Exterminentur ambo isti et interveniente Bethsabee, sancta scilicet Ecclesia soli *Salomoni* detur potestas plenaria in tanta pace tenenda, ut ei suisque amicis liceat sine perturbatione frui deliciis, quæ continentur in ejus canticis, quæ propter sui excellentiam dicuntur *Cantica canticorum*, sicut ob similem causam dicitur ipse verus *Salomon* Rex regum, Dominus dominantium et Sanctus sanctorum. Qui cum sit Rex legitimus, utpote *Filius Regis* æterni, Filius tuus, o Deus Pater, qui regis omnia : tamen ut doceat non usurpandum cuiquam regiminis officium (neque enim recte quisquam sumit sibi honorem, sed vocatus a Deo tanquam Aaron), et ipse licet *Regis Filius* cum reverentia exspectat Patris vocem dicentis : « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea (*Psal.* II, 8, 9). » Vox ista Regis Patris Filium suum regnare disponentis et dicentis : « Reges eos in virga ferrea, » in hoc psalmo ad *Salomonem* dictato desideratur, cum psallentibus dicitur : *Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio Regis. Da judicium, et justitiam* homini assumpto in personam Filii tui, ut habens potestatem in terra dimittendi peccata dimittendo ipsa peccata justificet impios et peccatores pœnitentes, damnet impœnitentes aut ficte pœnitentes, deponat potentes de sede per ambitionem præsumpta, quo modo *Salomon* deposuit Adoniam fratrem suum affectantem per hoc regnum, quod Abysag Sunamitem petiit in conjugium judicante *Salomone* contra animam suam sic Adoniam locutum esse, ut per affectatum reginæ conjugium postularetur ei et regnum. Dixit enim ad matrem suam : « Quare postulas Abysag Sunamitem Adoniæ? Postula ei et regnum (*III Reg.* II, 22). » Sic deprehensa iniquæ ambitionis fraude jussit rex regni sui insidiatorem interfici.

Similiter inter duas meretrices deprehensa fraudulentia, ei, quæ fuit mater viventis pueri, præcepit ipsum puerum dari. Semei quoque maledicum sibi deputatis pœnitentiæ terminis non contentum præcepit occidi, et alia multa exercuit judicia justa in figuram veri *pacifici* Filii Dei, cui tam in suis membris, quam in propria persona psallens *in Salomonem* peto *judicium* dari a te, Pater omnipotens, ut possit *judicare populum tuum in justitia et pauperes tuos in judicio* vero, id est *in* justo *judicio*. *Pauperes* dico *tuos*, tuo scilicet spiritu *pauperes*, id est humiles factos juxta illud : « Beati pauperes spiritu (*Matth.* V, 3). » *Pauperes* istos judicet regno suo dignos judices et milites, ita dicens : « Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei (*Luc.* VI, 20). » Ut autem isti *pauperes* libere possint in regno Salomonis *judicare* ac militare, atque una cum ipso et sub ipso regnare, ipse per se ipsum *judicium* et ultionem exerceat contra sui regni perturbatores ambitiosos, Adoniæ similes humiliando, meretrices filiorum suorum interfectores a veris matribus distinguendo, primo Synagogam a sancta Ecclesia discernendo, deinde in Ecclesia omnem sectam pravam quasi meretricem, et suorum filiorum interfectricem damnando, maledicos quoque Semei consimiles, Absalonis consocios, imo Antichristi ministros, Christi persecutores, veri *Salomonis* blasphematores mortui, nisi vere pœniteant, addicendo, quod facere est *judicare populum tuum* Deus *in justitia, et pauperes tuos in judicio*. Dicendo *tuum judicium, tuam justitiam, tuum populum, tuos pauperes*, ostendo *tua* omnia esse illius, et quæ sunt ejus, *tua*, ut ipse ait ad te Pater : « Omnia mea tua sunt, et omnia tua mea (*Joan.* XVII, 10). » Hæc quidem omnia data sunt Filio ab æterno, tamen dabuntur eidem, quia Filius hominis est, ut in homine ostendantur manifeste, quæ ante hominis assumptionem data sunt occulte ipsi æterno *Filio Regis* æterni. Qui per Spiritum sanctum conceptum et natus homo de homine, Filius hominis factus habere cœpit membra humana et in suo singulari corpore, quod est in Patris gloria exaltatum super omnia, et in suo magno corpore, quod est Ecclesia sancta. In quibus quidam sunt magni ut montes, quidam parvi ut colles, quidam vero minimi, campis aut vallibus comparandi.

Et quia in regno *Salomonis* pacifici nihil est acceptius pace ipsa, quæ exsuperat omnem sensum, quaque junguntur cœlestia et terrestria, ita ut fiant utraque unum regnum per omnia pacificum, primo ab ipso Rege pacifico in die triumphali resurrectionis ejus ipso dicente ad montes : « Pax vobis (*Joan.* XX, 26). » *Suscipiant* ipsi *montes*, apostoli videlicet *pacem* diruto pariete inimicitiarum per sanguinis ac mortis ejus inæstimabile pretium. *Suscipiant*, inquam, *pacem* reconciliati Deo, qui et posuit in eis verbum reconciliationis, ut se agnoscant suscepisse *pacem* non solummodo sibi custodiendam, sed et *populo* conferendam. Propterea dico : *Suscipiant montes pacem populo*, ut non solum sit ipsis peccatorum remissio, quæ vera pax est, et reconciliatio ad Deum, sed et quorum remiseritis peccata, remittantur eis, in *populo*. Factum est hoc, ubi stans in medio discipulorum *Salomon* verus dixit eis : « Pax vobis. Hoc dicens revera osculatus est eos osculo oris sui.

Nam et « insufflavit eis dicens : Accipite Spiritum sanctum (*Joan.*, xx, 22). »

Non autem sufficit ad pacificandum regnum suum totum solos *montes* ab eo accepisse Spiritum sanctum per tale osculum diu in Canticis canticorum præoptatum, nisi etiam speciosi pedes evangelizantium *pacem* dirigerentur in viam *pacis* ad dandam scientiam salutis plebi ejus. « Dixit ergo eis iterum : « Pax vobis, » et adjecit : « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos (*Joan.* xxvi, 21). » Ac si diceret : Sicut misit me Pater *pacem* vobis *montibus* dare, ita et ego mitto vos *pacem populo* dare; non quod vos sitis auctores tanti muneris et gratiæ, sed sic vos existimet *populus* ut ministros meos et dispensatores mysteriorum sacrorum secundum mensuram donationis meæ, ac proinde non alter adversus alterum infletur seu glorietur dicendo : « Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, ego autem Christi (*I Cor.* I, 12), » cum sint omnes neque a Paulo Pauliani, neque ab Apollo Apolliani, sed a me Christo Christiani denominandi, per quemcunque ministrum baptizati, confirmati, ordinati seu consecrati. Hoc notificari *populo* est *pacem* dari *populo*, ut non sit schismatis ulla occasio in regno meo pacifico, cui ego verus *Salomon* « pacem do, pacem relinquo (*Joan.* xiv, 27). » *Pacem* quippe meam do vobis *montibus* tenendam : *pacem* quoque relinquo vobis in *populo* docendam, secundum quod optatur in psalmo, ubi dicitur : *Suscipiant montes pacem populo. Ipse populus* accipiens *pacem* a *montibus* dicat in gratiarum actionem : « Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi (*Psal.* cxx, 1). » Sed quia ipsi *montes* non sunt hujus *pacis* et auxilii creatores vel auctores, consequenter subnectat : « Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum, et terram (*ibid.*, 2), » ac proinde auctor est omnium gratiarum tam in terrestribus et visibilibus utilitatibus, quam in cœlestibus et invisibilibus fructibus dans terrestria bona *populo* suo ad utendum, cœlestia vero ad fruendum : fructus enim Spiritus sunt charitas, gaudium, *pax* et cætera hujusmodi charismata, nunc et in æternum permansura, ac proinde meliora his, quæ cum vita præsente transitura sunt.

Inter omnia vero charismata *pax*, quæ et charitas nominatur, est eminentior in regno sive in thalamo *Salomonis*, plus illam unam reginam, illam unam columbam perfectam et electam suam diligentis quam sexaginta reginas, scilicet virtutes alias post illam unicam diligendas. Ideo principaliter *suscipiant montes pacem populo* afferendam et offerendam : deinde *suscipiant et colles justitiam* populo similiter annuntiandam, quia *regnum* Salomonis veri « non est esca et potus, sed justitia, et pax et gaudium in Spiritu sancto (*Rom.* xiv, 17). » *Colles* minores *montibus* ipsi sunt apostolorum discipuli, *pacis*, et *justitiæ* post ipsos ministri. Et quidem *montes pacem* primi susceperunt, quia quod ante adventum sancti Spiritus Christo prædicante credi-

A derunt, hoc eodem Spiritu adveniente atque intellectu adimplente corda eorum plene intellexerunt, et in hoc intellectu *pacem* servaverunt ; quoniam et tunc neque a Scripturis neque a se invicem in intellectu veritatis dissenserunt, sicut apparet in eo, quod *pacem populo* gentium concorditer ipsi apostoli prædicaverunt, et hoc ita faciendum per Scripturas confirmaverunt. Sed eorum discipuli quasi *colles montibus* minores non erant in hac doctrina concordantes, quoadusque a montibus æternis illuminati hanc fidem susceperunt, ut crederent, quod non Judæorum Deus tantum, sed et gentium. Hac igitur fide persuasa *colles* acceperunt *justitiam*, quia justus ex fide vivit, nec est ulla vera *justitia* sine fide apostolica, qua docetur Ecclesia sancta non in B Judæis coarctata, sed in omnes gentes adeo dilatata, ut recte dicatur *Catholica*, id est universalis, eo quod per ipsam undique ampliatam admirabile est nomen Domini in universa terra, non in sola Judæa vel in aliqua particulari secta, quæ ab universali Ecclesia invenitur divisa. Qui ergo secreta Scripturæ sacræ mysteria cum apostolis intelligunt et diligunt, ipsi quasi *montes* tenebrosa aqua, quæ in nubibus aeris est, altiores habent *pacem* cum Deo et inter se. Qui autem talium doctrinis credunt et mandatis obediunt, ipsi quasi *colles* infra nubes quidem sunt, eo quod obscuram litteram non intelligunt, sed fide simul et obedientia justificantur.

Aliter : *Suscipiant montes pacem populo* non solum per os proprium dicente vero *Salomone :* « Pax C vobis, » verum et per ora episcoporum in ejus vice dicentium : *Pax vobis*. Item sacerdotibus catholicis dicentibus : « Dominus vobiscum, » vel : « Pax Domini sit semper vobiscum, » *suscipiant montes*, id est, omnes, qui in sublimitate sunt, principes populorum *pacem populo* necessariam, et *colles*, minora gerentes officia, magnates regiminis tam sæcularis quam spiritualis ministri *suscipiant justitiam*, ut et mundi cursus pacifice in regno *Salomonis* dirigatur, et Ecclesia sancta tranquilla devotione lætetur

Aliter : *Suscipiant montes pacem populo*, ut *pacem* unitatis et compagem concordiæ servent in *populo*. Hæc enim debet esse vigilantia summa summorum in Ecclesia principum, ne superbe dominando in D clero et abutendo principatu suo schismata faciant in *populo Salomoni* subjecto. *Suscipiant* etiam *colles justitiam* sic præsidendo et præeminendo campis et vallibus, ut non desinant subesse obedienter suis majoribus, scilicet *montibus*, ante omnia monti *montium* Regi regum, *Salomoni* vero, contra cujus imperium nulli penitus est obediendum, cui obedire vera est *justitia* non solum in his quæ per semetipsum præcepit, sed etiam per eos de quibus dicit : » Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit (*Luc.* x, 16). » Per hos enim suos vicarios juste judicantes,

Vers. 5. *Judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum, et humiliabit calumniatorem. Pars secunda*, qua fructus præmissæ orationis af-

firmatur. Ac si dicatur : Ecce quod concupivi, jam in spiritu video : quod speravi, jam teneo in certitudine fidei, quæ certum est argumentum rerum non apparentium carneis oculis, cum sint manifesta oculis fidei. Petivi enim judicium Regi *Salomoni, filio Regis* dari, et exaudita est oratio mea. Nam ipse data sibi omni potestate in cœlo et in terra *judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum*. Populus christianus in regno *Salomonis* ante ipsius extremum judicium sic est confusus, ut sint in eo divites, quibus dicitur : « Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram (*Luc.* VI, 24) : » *et pauperes*, de quibus dicitur : « Beati pauperes spiritu (*Matth.* V, 3). » Sed nunc particulariter et in ultimo examine universaliter ipse Judex justus *judicabit pauperes populi* discernendo eos a divitibus, ut regnum cœlorum talibus promissum soli accipiant, sequestratis inde divitibus, qui nunc saturati postea esurient, nunc ridentes postea flebunt et lugebunt. *Judicabit* ergo *pauperes populi* solos eos faciens hæredes regni *pauperibus* promissi, quoniam et hic regnare incipiunt regendo carnem suam et omnia sibi subdita (*Rex* enim a regendo seu recte agendo nominatur), et in futuro amplius regnabunt. Hic regnant more David bellatoris inclyti, dum non sinunt regnare peccatum in suo mortali corpore ad obediendum pravis desideriis, quæ militant adversus animam ; sed in futuro amplius regnabunt more *Salomonis* pacifici Regis, quando nec erit nec esse poterit peccatum in eorum corpore tunc immortali et impassibili, quia tunc ipsi *pauperes populi* erunt sicut angeli Dei. Sic *judicabit pauperes populi* verus *Salomon*, quibus ipse utpote perfectis in monte loquens et aperiens os suum grandi enuntiatione dixit : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* V, 3). »

Et salvos faciet filios pauperum, scilicet minores majorum, tamen pro suo posse imitatores, quibus *in loco campestri* loquens mediocri enuntiatione dixit : « Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei (*Luc.* VI, 20). » Et quidem tam in monte, quam in campo non aliis atque aliis discipulis loquebatur, sed tamen ipsa locorum diversitate inter perfectos et minus perfectos pauperes tanquam inter patres magnos et eorum filios minusculos distinctio est notanda. In principio denique nascentis Ecclesiæ Domino in monte sedente atque ad culmen summæ perfectionis provocante se sequentes, accesserunt ad eum discipuli ejus sicut domestici, sicut perfecti, sicut alacres altiora quæque virtutum studia viriliter appetentes : nunc autem quasi descendens de monte stat Jesus *in loco campestri*, condescendens parvulis apostolorum filiis et imitatoribus, ut *salvos faciat* ipsos *filios pauperum*, scilicet apostolorum. Qui quoniam pro patribus nati sunt Ecclesiæ filii, ac proinde principes constituendi super omnem terram, *Salomon* verus ipsos honorabit, ac *salvos faciet* in regno suo, et per ipsos *humiliabit calumniatorem*, quoniam infirma mundi eliget, ut confundat fortia, et ignobilia et contemptibilia, ut ea, quæ sunt, destruat.

Calumniator est diabolus, qui per calumniam bonis detrahit, eosque deprimere nititur, in quantum a Deo permittitur, sicut de viro simplici et recto ac timente Deum dixit : « Nunquid gratis Job colit Deum ? » (*Job* I, 9.) Sed *Salomon* verus, et in propria sua persona, secundum quod homo est, gratis Deum colens, Patri suo usque ad mortem obediens, aliosque suo exemplo pertrahens ad eamdem obedientiam, gratis imitandam, sic *humiliat calumniatorem*, ut evidens fiat ejus mendacium, quo calumniatur vitam bonam bonorum, quippe accusator fratrum et *calumniator* accusans eos in conspectu Dei die ac nocte, id est, in prosperis et adversis, quomodo beatum Job calumniabatur et accusabat in prosperis, quod non gratis coleret Deum, similiter, et in adversis per ora calumniantium amicorum et uxoris, maxime autem per os Eliu detraxit ejus perfectioni multis versutiis, quibus omnibus per os ipsius Job, et maxime per os Dei loquentis pro eo falsificatis *humiliatus* et confutatus est *calumniator*, ostensa viri simplicis et recti ac timentis Deum virtute præclara, qua et inter prospera humilis, et inter adversa securus, a dextris et a sinistris per arma justitiæ munitus, nec divitiis corruptus est ad extollentiam, nec miseria motus ad impatientiam.

Per amplius autem, et perfectius in illo viro simplici et recto, qui non solum vir, sed et Deus est, Filius hominis et Filius Dei, *calumniator* iste *humiliatus* est, et *humiliabitur* usque in finem, falsificatis ejus ministris primo Judæis, qui per calumniam dixerunt eum seductorem, magum, malefactorem dæmonium habere et insanire, deinde paganis deos factos ipsi Deo factori, deos perditores ipsi Deo salvatori calumniose præferentibus, nec non hæreticis ipsius gloriæ detrahentibus, et postremo falsis fratribus, fictis christianis, qui verbis eum confitentur, factis autem negant. His omnibus falsificatis et confutatis *humiliabit calumniatorem* per *pauperes populi*, quos *judicat* longe discernens eos a *populo* in loco campestri constituto per culmen sanctæ contemplationis, et per *filios pauperum*, quos in ipso *populo salvos facit* manentes quidem in loco campestri cum *populo*, sed in hoc distinctos a *populo*, quod ad eos principaliter et specialiter fit sermo Salomonis dicentis : « Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei (*Luc.* VI, 20). » Nam sicut sedens in monte *pauperibus*, quos tali celsitudine dignos *judicat*, os suum aperit, ut magna sublimiter audiant : sic stans in campo elevatis oculis suis in *filios pauperum* specialiter intendit, ut audita patenter intelligant. Per hæc ergo duo genera *pauperum* vel in monte contemplantium sedentem et transfiguratum *Salomonem* verum, vel in campo stantium et stando laborantium stantique *Salomoni* collaborantium, juxta quod unus talium dicit : « In

quo laboro usque ad vincula (*II Tim.* II, 7). » Et ad fidelem discipulum. « collabora, » inquit, « Evangelio Christi (*II Tim.* I, 8); » per hæc, inquam, duo genera pauperum verbo vacantium et in verbo laborantium, *Salomon* verus *humiliabit calumniatorem* diabolum et Antichristum, quorum uterque multum confundetur, quando videbit *pauperes* apostolos et *filios pauperum*, scilicet imitatores eorum, judices sæculi, vera mundi lumina, coruscare in potestate judiciaria et miraculorum, seu, quod excellentius est, morum prærogativa, in eis ipso rege *Salomone* opus suum, opus mirificum, opus gloriosum, quo exaltans humiles *pauperes* et deponens elatos potentes *humiliabit calumniatorem* in suis membris omnibus diebus, qui sole oriente et occidente formabuntur, usque ad consummationem sæculi.

VERS. 6. *Et hoc agens permanebit cum sole et ante lunam in generationes generationum.* Sicut enim *solis* ortu et occasu dies formabuntur, et *lunæ* candore interdum nox ut dies illuminabitur, quando videlicet *luna* plena est, interdum vero lumine ipsius imminuto pars noctis obscurabitur, et in hoc opere suo duo luminaria *permanebunt* usque in finem temporum per successiones *generationum generationibus* ordinate succedentium, ne ulli unquam tempori desit ministerium istorum duorum luminarium: sic ipse *Salomon* Rex *justitiæ* verusque *Sol justitiæ* suæ claritatis nunc manifestatione dies formando, nunc occultatione creans noctes et formans tenebras *in* omnes generationes *generationum* tempora ornabit usque ad consummationem sæculi, ne unquam stante sæculo deficiat religio Christiana prosperitatibus diurnis et adversitatibus nocturnis jugiter exercenda, neque in die prosperitatis luce solari, quæ est splendor gloriæ in vero *Salomone*, neque in nocte adversitatis luce lunari, quæ est candor conversationis ejus, unquam destituenda. Nam conversatio *Salomonis* hujus in carne mortali et passibili habita præ oculis inter adversa demonstrat vias vitæ ac patientiæ, ne timeamus a timore nocturno vel a negotio perambulante in tenebris: transfiguratio vero ejus in monte, qua facies ejus resplenduit sicut sol, vel potius glorificatio ejus in excelso throno paternæ majestatis habita præ oculis in sui comparatione vilescere nobis facit gloriam mundi et florem carnis in tempore prosperitatis, ne unquam lædamur a sagitta volante per diem, vel a dæmonio meridiano, dum fidei et spei oculis jugiter præsens est visio desiderabilis hujus claritatis, quomodo præsentia *solis* non defutura est unquam diebus formandis.

Quia vero noctibus creandis aliquando subtrahitur præsentia lunæ lucentis, recte cum dictum sit prophetice, quod *permanebit cum sole* Salomon semper adfuturus Ecclesiæ suæ pacificatæ per se regem pacificum, quomodo *sol* visibilis aderit semper diebus per ejus præsentiam formandis; recte, inquam, cum satis congrue dictum sit: *Permanebit*

A *cum sole* pro expressa *solis* et ipsius apta similitudine dici non debuit: *Permanebit cum luna*, quia similitudo ipsius cum *luna* usque adeo claudicat, ut maxima dissimilitudo intercedat, cum illa sæpe nocturnas tenebras absentata vel obscurata destituat, interdum quoque eclipsin sustineat: Christi autem conversatio humana in oculis fidei evadens quasi *luna* perfecta in æternum semper sui candoris ostensione faciat, ut nox sicut dies illuminetur. Ille igitur *Salomon*, qui dicitur permanere *cum sole* propter congruam similitudinis convenientiam, ipse dicitur permanere *ante lunam* propter sui candoris etiam secundum opera sua humana permanentiam et ostensam inter adversa suam patientiam, quæ quasi *luna* perfecta in æternum *permanebit*, nam
B patientia pauperum non peribit in æternum, dico illorum, de quibus jam dictum est, quod *judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum.*

Aliter: *Permanebit cum sole et ante lunam*, id est, cum temporibus et ante tempora per *solem* et *lunam* disterminata. *In generationes generationum*, quia dum *generatio* præterit et *generatio* advenit, ipse a *solis* ortu usque ad occasum jugiter nomen suum laudabile ostendit et clarum sicut *sol* et plus quam *luna*. *Sol* enim in se jugiter clarus Deum Patrem significat, splendor *solis* Deum de Deo genitum, scilicet Filium. Qui cum sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus, tamen, ut purgationem
C peccatorum faceret, visus est ad tempus in passione sua obscuratus, quod et *sol* iste visibilis eo moriente sua obscuratione testatus est. Verum dum ascendit super occasum devicta morte resurgens et « orto jam sole (*Marc.* XVI, 2, 9) » discipulis suis apparens magna claritate rutilans, per potentiam in cœlo et in terra sibi datam clare ostendit, quod ipse splendor *solis*, ipse Filius æterni Patris cum ipso Patre suo, qui *Sol* æternus est, et ipse nihilominus dici potest *Sol justitiæ* clarificato jam suo corpore. Quod nimirum cum tempore defectivæ mortalitatis, propter nos assumptæ, dici potuerit corpus lunare: nunc ex quo decorem gloriæ divinæ induit, corpus solare creditur esse, *soli* visibili per hoc aliquatenus assimilatum, quod sicut in corpore solari
D tota virtus ignis ætherei habet fontem suum, sic in corpore Domini omnis plenitudo divinitatis corporaliter habitat, atque inde radios gratiarum dispensat *in generationes generationum*, id est in regeneratos a prima generatione in secundam translatos. Primæ generationes sunt, quibus mortaliter generamur: *generationes* vero *generationum* sunt, quibus Ecclesia natos ad mortem regenerat ad salutem. Quia ergo non omnibus generatis, sed solis regeneratis iste *sol* impertit splendorem suum, recte dicitur *permanere in generatione generationis* vel *in generationes generationum* sive *in sæculum sæculi*, ut habent codices quidam.

Item sicut *sol* iste de cœlestibus ac terrenis æqualiter elementatus, de cœlestibus claritatem, de ter-

renis soliditatem retinens medium ætheris ac medium planetarum locum obtinens, medio cœli et terræ libratur spatio, nec sursum evolans nec deorsum subsidens, sed hinc in physica ponderum ratione medio, ut dictum est, libratus spatio sua utrique jura conservat naturæ : sic Dominus Jesus geminæ gigas substantiæ recte mediator Dei et hominum constitutus est, in semetipso cœlestia ac terrena continuans et pacificans, cœlestia illustrat, terrena calefacit, illuminat ac suo calore vivificat, cœlestibus adest, terrenis non deest, exsultatque ut gigas ad currendam viam suam medio universitatis ad utilitatem cœlestium ac terrestrium libratam, nec est, qui se abscondat a calore ejus, et ita *cum sole, et ante lunam permanet in generationes generationum.*

Hebraica veritas habet : *Et timebunt te, quandiu erit sol et ultra lunam in generatione generationum.* Hoc est : humiliato calumniatore sub pedes pauperum tuorum, quibus das potestatem calcandi super serpentes et scorpiones et super omnem virtutem inimici, pauperes ipsi non de hac victoria extollentur, sed licet in te audaces, tamen in se pavidi suæ sibi fragilitatis conscii *timebunt te, quandiu erit sol et ultra lunam in generatione generationum*, id est omni tempore, quo *sol* et *luna* sui cursus peragunt ministerium ad usum *generationum* decedentium et succedentium.

PARS TERTIA. VERS. 6. *Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram.* Ordo artificialis est. Prius enim dictum est de futuro judicio Regis, nunc de nativitate ipsius, quemadmodum præcedit, subjungitur. Et hic ordo, ut dictum est, artificialis est, naturali oppositus, quia naturalis est, cum quod prius actum est, prius narratur, et posterius posterius. Artificialis vero est, cum quod posterius actum est, narratione anticipatur, et quod prius actum est, posterius annectitur, ut in hoc loco narrato Regis judicio quasi quærat aliquis : Quomodo erit adventus ejus, vel quomodo incipiet regnum ejus ? Respondetur : Non veniet in spiritu grandi et forti conterente petras, non veniet in commotione vel igne, sed « in sibilo auræ lenis (*III Reg.* XIX, 12), » ut dictum est Eliæ. Præcessit quidem adventum ejus et spiritus conterens petras in captivitate decem tribuum Israel ; sed non in spiritu Dominus, quia nondum fuit tempus adventus ejus. Præcessit et commotio in captivitate regis Joachim spoliata Jerusalem : sed non in commotione Dominus. Præcessit et ignis, quando captivato rege Sedecia civitas Jerusalem Chaldaico igne conflagrata et vastata est in transmigratione Babylonis. Sed neque in commotione neque in igne Dominus, quoniam differebatur adventus ejus usque ad Virginem, annuntiatione angelica per Spiritum sanctum tanquam sibilo auræ lenis afflandam, et quasi vento roris flante fecundandam. Quod ego David prænuntio dicens : *Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram.* Ge-

A nuina ista similitudine adventum ejus primum cognosce. Nam in secundo venturus est in spiritu conterente petras, quia « spiritu labiorum suorum interficiet impium (*Isa.* XI, 4), » quem sicut Apostolus ait, « Dominus Jesus interficiet Spiritu oris sui (*II Thess.* II, 8). » Veniet quoque in commotione, quia commovebit non solum terram, sed et cœlum : « Nam virtutes cœlorum movebuntur (*Luc.* XXI, 26). » Veniet etiam in igne, quoniam « ignis in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas valida (*Psal.* XLIX, 3). » Si primo adventu talis et taliter venisset, quis eum sustinuisset ? Non sic venit in virginem partui consecrandam divino. Sed quomodo *descendet* in Virginem ipsum Filium Dei unigenitum parituram, et *descendet* in Ecclesiam
B filios multos per gratiam regenerationis parituram ? Descendit *et descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram. Sicut pluvia* sine strepitu descendit in lanam, sic Deus leniter occulta virtute in Virginem. Lana in bibendo et reddendo aquam non rumpitur : sic Virgo concipiens et pariens Filium permansit incorrupta et integra. Similiter et mater Ecclesia et ipsa Verbo Dei fecundata, filios Dei parit manens incorrupta, quia sic leviter veniet ad eam sponsus ejus Verbum Dei *sicut stillicidia* roris, blande, sine strepitu *stillantia super terram.*

Cujus rei signum Gedeoni quondam fuit ostensum, qui pugnaturus contra Madianitas petiit, quod si esset victoriam adepturus, *vellus* positum in area
C rore impleretur et area remaneret sicca, quod ita factum est. Item propter idem petiit, ut rore madefieret area et *vellus* positum in ea inveniretur siccum, quod etiam sic factum est. Mystice *vellus* humidum Judæa, quæ rore cœlestis doctrinæ per legem ac prophetas irrorata unum Deum colebat. *In* hoc *vellus* ipse Filius Dei *sicut pluvia descendit*, quia gratia sua de Judæa in virgine carnem assumpsit. Discipulos inde elegit totius orbis area sicca manente, quia nubibus prohibebatur, ne pluerent super hanc aream. Unde est illud : « In viam gentium ne abieritis (*Matth.* X, 5). » Judæis autem hanc pluviam gratiæ a se repellentibus *vellus* excæcatæ Judææ siccum remansit, et tunc descenderunt *stillicidia*
D gratiæ *super terram* siccæ prius areæ gentium. Bene autem Judæa *velleris* nomine designatur, quæ sicut *vellus* aufertur ab ove, ita erat exspolianda doctrinæ auctoritate : vel quia sicut *vellus* retinet aquam, ita Judæa doctrinam sine fructu. Area vero per aquam irrigata germinans germinabit. Sic et vocatio gentium compluta per verbum germinans germinabit et exsultabit lætabunda et laudans, eo quod gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron ; quia vestibus Esau valde bonis junior filius indutus, ex ipsa vestimentorum fragrantia spirat odorem, quo delectatus Pater æternus dicit : « Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus (*Gen.* XXVII, 27). » Vis audire hujus agri pleni, *stillicidiis* de rore cœli post longam siccitatem irrigati, quæ

sint germina Regem *Salomonem* delectantia ? Nimirum ista sunt, quod

VERS. 7. *Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis, donec auferatur luna* vel *extollatur* vel *tollatur*, quæ omnia versantur circa sensum eumdem. Sancta enim Ecclesia nunc pulchra ut *luna*, quæ nec in plenilunio suo caret macula, sic ab eo statu, in quo nunc est, auferenda vel tollenda vel extollenda est, ut perficiatur quod de illa dicitur : « electa ut sol (*Cant.* VI, 9). » Hoc autem erit, quando mortale induet immortalitatem et eam claritatem, in qua corpus humilitatis nostræ speratur configurandum corpori claritatis ejus, de quo supra dictum est : *Permanebit cum sole ;* nunc vero antequam sic extollatur *luna*, lumen suum a sole mutuata, ex beneficio ejusdem solis, terram *stillicidiis* complutam suo calore foventis. *Orietur in diebus ejus justitia*, quæ per fidem est, quia justus ex fide vivit per ipsam fidem reconciliatus Deo, ut sit pax inter Deum et hominem, inter spiritum et carnem, inter Ecclesiam in angelis immortalibus atque spiritibus justorum in Domino, vel, quod plus est, pro Domino mortuorum regnante et Ecclesiam in hominibus mortalibus peregrinantem. Sic *orietur justitia et pax*, ut etiam cum modica *justitia* sit *pacis abundantia*, quando pax erit hominibus bonæ voluntatis, etiamsi desint boni effectus ipsius bonæ voluntatis, quæ est modica *justitia* illius comparatione quæ non solum fervet in affectu cordium, sed etiam claret in effectu operum. Erit igitur *abundantia pacis*, quoniam pax ista inter bella initiabitur, sed post bella ita consummabitur, ut, postquam novissime inimica destruetur mors, ultra non sit in monarchia *Salomonis* regis pacifici ulla perturbatio, regno ejus per omnia pacato. Quod antequam fiat, ipse dominabitur in medio inimicorum suorum, *et*, ut pacem perficiat,

VERS. 8. *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.* Sic dominando dilatabit regnum suum ultra terminos angustos terræ Judaicæ, *a mari usque ad mare*, id est circumquaque in orbe, quem circumdat mare magnum. Incipiet autem hoc opus dilatationis *a flumine*, ac perducet *usque ad terminos orbis terrarum*, quoniam baptizatus in Jordane flumine, Spiritu sancto super eum apparente ac voce Patris desuper sonante manifestatus est hic esse, qui baptizat in Spiritu sancto. Abhinc ejus doctrina dilatari cœpit. Cui et post resurrectionem ipsius baptizandi regula est addita ipso dicente ad apostolos : « Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII, 19). » Sic baptismi ejus doctrina currente dilatatum est regnum ejus, quod est Ecclesia *a flumine usque ad terminos orbis terrarum :* Quod in partibus apparebit. Nam

VERS. 9, 10 et 11. *Coram illo procident Æthiopes, reges Tharsis, reges Arabum et Saba*, cæterique re- A *ges terræ adorabunt eum*, ac proinde in omnibus regibus curvato mundi hujus imperio consequens erit, ut *omnes gentes* regibus subjacentes *serviant ei. Servient* amici amando, quærendo, sapiendo quæ sursum sunt ; sed *inimici ejus terram lingent* terrena sapiendo et amando in modum serpentis, cui dictum est : *Terram comedes.* Vel *terram lingent*, id est terrenos doctores amabunt, quibus auctoribus contradicunt eloquiis divinis.

Super hunc locum B. Gregorius dicit in Job (24): « Libet intueri hoc, quod per Psalmistam dictum est : *Inimici ejus terram lingent.* Duo quippe sunt genera hominum ambitioni servientium : unum videlicet, quod semper ad avaritiam blandimentis utitur linguæ, aliud vero, quod aperta vi intendit ra- B pinæ. Nam cum aliquid exterius forti annisu atterimus, rodimus. Lambitur autem, quando hoc, quod facile edi non potest, impressa linguæ lenitate gustatur. Omnes ergo etiam sub specie fidei prave viventes, qui aliena appetunt, sed ea, quæ appetunt, rapere nequaquam possunt, blandis autem sermonibus, et quasi mollitie dulcedinis concupita abstrahere conantur, quid aliud, quam terram lingunt, qui terrena quæque quæ virtute nequeunt, auferre mollitie linguæ moliuntur ? Qui vero in hoc mundo aliqua potestate suffulti sunt, et concupiscentes aliena blandiri quidem ex fraude despiciunt, quia etiam injusto robore possunt implere, quod volunt, hoc, quod appetunt, non lambunt, sed rodunt, quoniam C propinquorum vitam fortitudine virium velut annidentium demoliuntur. »

Aliter : *Reges Tharsis, et insulæ munera offerent : reges Arabum, et Saba dona adducent.* Hæ patriæ diversis odoribus nares mulcent, et significant mundum variis oblectamentis respersum. Sed qui hæc blandimenta rigidæ disciplinæ subjiciunt, ipsi *reges Arabum et Saba* dici possunt, et hi tales Regi *Salomoni* libenter *serviunt.*

Aliter : *Tharsis exploratio gaudii. Arabia humilis* vel *campestris*, *Saba incensio* vel *conversio* interpretatur. Quibus nominibus hoc significatur, quod contemplativi gaudia æterna explorantes, humiles conversi, et igne, quem Dominus misit in terram, in- D censi, dum et ipsi bene vivunt, et alios ad bene vivendum regunt, quasi reges dona *Salomoni adducunt. Reges* etiam tyranni, dum sanctos affligunt et martyres faciunt, licet nolentes Deo *serviunt* et ei *dona adducunt*, vero *Salomone* impiis ministris pie utente, ut omnia cooperentur in bonum his, qui secundum propositum, vocati sunt sancti. *Insulæ* quoque sunt, qui vitia mundi circumfluentia a se excludunt. Et hi tales *munera offerunt*, cum in sancta devotione opera bona faciunt, et hæc non suæ, sed divinæ laudi ascribunt ; *Æthiopes* etiam, qui situ locorum sunt ultimi, vel significatione suæ nigredinis peccatores teterrimi, *coram illo procident*

(24) Lib. XX Moral. c. 14.

adorantes eum, ut ex tali numero Ecclesia dilatata, et coram illo humiliata repræsentent illam reginam Æthiopiæ, quæ venit a finibus terræ audire sapientiam *Salomonis*. Auditur etenim sapientia *Salomonis* non solum ex ore sapientum, sed etiam ex ore infantium et lactentium, dum linguas infantium facit disertas Rex magnus, Rex pacificus, quem *adorant reges terræ*, quales aliquando adorabantur et sacrificiis honorabantur; ut Augustus, cui adulans insignis Poeta dicit :

O Melibœe, Deus nobis hæc otia fecit.
Namque erit ille mihi semper Deus : illius aram
Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.
VIRG., *Ecl.* I, 6.

Item Flaccus ait ad eumdem :

Præsenti tibi maturos largimur honores,
Jurandasque tuam per numen ponimus aras.

In divinis quoque Scripturis tantæ præsumptionis exempla non desunt, quoniam in regno Ægyptiorum Pharao, et in regno Babyloniorum Nabuchodonosor Deo vero se prætulerunt, et in regno Persarum, licet secundus a rege, Aman tamen se adorari voluit quasi deum. Sic in regno Græcorum rex Antiochus honorem divinum sibi arrogavit. Sic in regno Romanorum jam dictus Augustus pro deo coli non expavit, sub cujus tempore natus est hic *Salomon* Rex pacificus, etiam per hoc honorificatus et Rex pacis demonstratus, quod eo nascente pax in toto mundo fuit, quam suæ industriæ Augustus falso arrogavit, cum ab illo esset, cujus in ortu angelica vox audita est dicens : « Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II, 14). » Hunc jure tanquam pacis auctorem cuncti *reges adorare*, huic *gentes*, licet terrenos dominos habentes tanquam summo Domino servire debent, quod et faciunt omnes ex omni natione, quæ sub cœlo sunt linguæ : *omnes gentes*, non tamen omnium gentium omnes homines. Non est gens, de qua non sint aliqui conversi ad hunc Regem adorandum. Et merito :

VERS. 12 et 13. *Quia liberabit pauperem a potente.* Ab hoc dicto pars quarta incipit, qua ostenditur, quæ sit utilitas adorantibus. Est enim pergrandis utilitas ac magnus fructus hunc Regem venerantibus veris adoratoribus : *quia liberabit pauperem a potente; pauperem* spiritu *a potente* hujus mundi principe, qui tanquam potens et fortis armatus custodivit atrium suum usque ad istius Regis adventum, qui fortior illo superveniens vincet eum, et *liberabit* ab ejus potestate *pauperem*, non qualemcunque, sed eum, *cui non erat adjutor*. Pauperes enim spiritu, id est, humiles inveniuntur etiam sancti angeli, qui non indigent *ab* hoc *potente* liberari, quia potentiores ipsi sunt in bono quam ille in malo, et illorum potentia Deum habens adjutorem longe superexcellit illius potentiam, quæ tanquam phrenesis imaginem habet fortitudinis, cum sit infirma contra Deum fortem et potentem in prælio et contra ejus angelos ipso adjuvante fortes et potentes. Sed pauper, *cui non erat adjutor*, homo erat, qui descendens ab Jerusalem in Jericho, a paradiso in hunc mundum, incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, et plagis impositis abierunt semivivo relicto. Huic *non erat adjutor* prætereunte sacerdote ac levita, quia neque sacerdotium Leviticum neque legis ministerium profuit aut prodesse potuit illi ad curationem vel salutem. Hunc itaque *pauperem, cui non erat adjutor*, liberat iste Rex pacificus, Rex pariter et medicus infundens ejus vulneribus oleum et vinum; ducens in stabulum sepibus ecclesiasticæ disciplinæ munitum, et curam ejus agens. Et quia peritus medicus est, non parcet morbo, quem depellit, non parcet carnibus putridis, quas desecat, sed inter hæc agendum *parcet pauperi et inopi*, salvans naturam, delens naturæ culpam, et sic dum culpas animarum delet, *animas pauperum salvas faciet*, non imputando illis peccatum, pro quo abolendo se ipsum dabit pretium. Nam sui sanguinis pretio

VERS. 14. *Ex usuris, et iniquitate redimet animas eorum.* Futuræ pœnæ vocantur *usuræ*, quia plus amaritudinis invenietur in suppliciis æternis quam in temporali peccato inveniatur dulcedinis : verbi gratia, ex brevi quis libidine ulciscendi se per homicidium solum corpus inimici sui occidit ac perimit, propter quod ipsius et anima et corpus in gehenna perdetur et cruciabitur æternaliter, si non ante mortem pœnituerit. Item, qui fornicationis actum perpetravit, ex turpi et brevi libidine, actu licet jam præterito, reatu ejusdem actionis constringitur æterno, si non fuerit ei subventum ab illo Rege, qui *ex usuris, et iniquitate redimens animas pauperum salvos faciet eos.*

Aliter : Peccatum sive originale sive aliud, quod est causa peccatorum aliorum subsequentium recte *iniquitas* nominatur antonomastice, dum nomen generale fit speciale propter eminentiam. Sic licet multi sint poetæ, nomen tamen *poetæ* Virgilio soli apud Latinos congruit specialiter propter ipsius in poesi excellentiam. Sic nomen, quod est *apostolus*, multis commune est, tamen Paulo apostolo propter ipsius in laboribus plurimis eminentiam datum est quasi proprium et speciale, ut cum dicitur absoluto *Apostolus*, intelligatur solus *Paulus*. Et peccatum igitur, quod est causa peccatorum subsequentium, recte nominatur *iniquitas* propter sui eminentiam, licet omne peccatum sit *iniquitas*, et omnis *iniquitas* peccatum. Talis *iniquitas* antecedens peccata subsequentia sicut nummus nummi *usuram*, recte comparatur primogenito Pharaonis vel cæteris primogenitis Ægypti, quæ primum Deus percussit ab homine usque ad pecus, ut exinde consequenter percuteret universum exercitum Ægyptiorum. Sic originale peccatum in regno *Salomonis* hujus primo deletur quasi primogenitum Pharaonis, dein actualia quasi quamdam illius peccati *usuram* tollit Agnus, qui tollit peccata mundi, non per litteram legis peccata demonstrantis, sed per virtutem gratiæ gratis

a malis omnibus liberantis, et ad omne bonum saluti necessarium similiter gratis adjuvantis, et item gratis in bono cœpto confortantis et conservantis, quod totum est *liberari, et redimi ab iniquitate* simul *et usuris* ipsius *iniquitatis eos*, qui nomen ejus et nomen Patris ejus in frontibus suis habent scriptum, ut ab ipso Christo vere nominentur et sint Christiani, vere nominentur et sint filii Dei Patris æterni. Et hoc *nomen*, licet mundo in maligno posito videatur contemptibile, tamen est *honorabile coram* ipso Christo, a quo denominati sunt Christiani, coram ipso Deo Patre, qui misit spiritum Filii sui in corda ipsorum clamantem : Abba Pater, ut exinde sint filii, quod habent Spiritum Filii. Vel *nomen ejus*, Regis, erit *honorabile coram* ipsis referentibus gratias de beneficiis, quorum hoc est præcipuum, quod constat ipsum Regem eorum sua morte redemisse *animas eorum ex usuris et iniquitate*. Et illud quidem, quod mortuus est, credunt infideles quoque Judæi et pagani, sed non credunt quod sequitur :

VERS. 15. *Et vivet*. Nos autem credimus, propter quod, et loquimur, quia verus *Salomon*, qui semel mortuus est ad multorum exhaurienda peccata, jam vivit, et vita hominum cum eo surrexit impleta prophetia, quæ dixit : « Et vivet. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel : quod autem vivit, vivit Deo. Mortuus est propter delicta nostra et resurrexit propter justificationem nostram (*Rom.* VI, 10). » Mortuus est ut et nos peccato moriamur : surrexit et vivit ut et nos in novitate vitæ ambulemus. Vivit suscitatus a mortuis, et mors illi ultra non dominabitur, ut ipsius membris licet peccato gravatis, peccatum tamen non dominetur, neque regnet in eorum corpore, quamvis mortali, expectantibus ipsis futuram gloriam, quæ fiet, ut nec sit nec esse possit peccatum in eorum corpore immortali.

Magna consolatio militum inter multa mortium genera periclitantium, quod Rex eorum *vivet*. Unde unus ac præcipuus militum istorum seipsum consolans dicit inter cætera : « Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, » etc. usque : « reposita est hæc spes mea in sinu meo (*Job* XIX, 25). » Magna consolatio morientium, quod is, pro quo vel in quo moriuntur, *vivet* in æternum. Cui si commorimur, et convivemus atque divitias ejus pariter cum ipso possidebimus. Dives enim est hic Salomon, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi.

Huc accedit, quod ad clarificandam divitiarum ejus magnitudinem *dabitur ei de auro Arabiæ*. Per *Arabiam* gentilitas intelligitur, toto significato per nomen partis, in qua *est aurum* pretiosum : per ipsum vero *Arabicum aurum* sapientia philosophorum sæculi significatur, verbi gratia, Platonica, sive Aristotelica doctrina, sive numerorum scientia per characteres et figuras Arabicorum elementorum comprehensa et inter Arabes multum exercitata et, ut quidam volunt, primitus illic reperta. Hujusmodi *aurum Arabicum* non totum *Salomoni* offertur, quia sæcularis scientia non tota in Scripturis divinis approbatur, sed ex parte recipitur et ex parte reprobatur. Unde non dictum est : *Dabitur ei aurum*, sed *dabitur ei de auro Arabiæ*, quia quod in sæcularibus libris ad instructionem sanæ scientiæ ad ædificationem bonæ vitæ accommodatum reperitur, hoc tanquam ab iniquis possessoribus milites *Salomonis* auferunt et ipsi offerunt, dum exinde fidei seu morum doctrinam vel ornant vel muniunt. Sic spoliatur Ægyptus, sic justi tulerunt et adhuc tollunt spolia impiorum, sic mulier alienigena crinibus abrasis et sectis unguibus transit in conjugium Israelitæ, dum sapiens doctrina magistrorum sæcularium desectis inutilibus, quasi crinibus et unguibus vitali sanguine carentibus, interseritur eloquiis divinis, ut quasi *de auro Arabiæ* fulgeant, vasa mensæ imperialis in convivio *Salomonis*.

Et adorabunt de ipso semper. *Adorabunt* ipsum Filium Regis, quomodo Patrem ejus æternum. Et hoc ipsum, quod adorant ipsum, *de ipso* habent, quoniam ipse docuit eos orationem, qua vel orent vel etiam adorent ipsum. « Cum stabitis, » inquit, « ad orandum, dicite : Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, » etc. usque « Libera nos a malo (*Matth.* VI, 9). » Sic orabunt *et adorabunt* ipsum *de ipso* habentes formam sic orandi et adorandi Patrem in Filio, Filium in Patre, Spiritum sanctum in ambobus, quia in hac oratione Dominica per nomen Patris tota Trinitas intelligitur, ut ibi : « Unus Deus et Pater omnium, qui super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis, qui est benedictus in sæcula (*Ephes.* IV, 6). » Cum enim dicitur : « Deus Pater omnium » vel « Pater noster, » universalis illa paternitas gratiæ intelligitur, qua multorum filiorum Pater insinuatur unus trinus Deus, qui est supra omnia et per omnia *et in omnibus nobis*, quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia : verum, cum singulariter Pater æternus æterni Filii Pater nominatur, naturalis illa paternitas intimatur, in qua est illi solus unigenitus æternus Filius : Itaque cum dicit hic *Salomon* Regis Filius : « Pater meus usque modo operatur et ego operor (*Joan.* V, 7); » Item : « Pater meus, quod dedit mihi, majus est omnibus (*Joan.* X, 29), » illa singularis paternitas pro nomine possessivo, quod est *meus*, exprimitur, ex qua solus Unigenitus recte se Patri suo coæqualem gloriatur, eo quod quæcunque ille facit, hæc et Filius similiter facit, quia potestatem dedit ei et *judicium* facere sicut in principio psalmi postulatur, ubi dicitur : *Deus judicium tuum Regi da, et justitiam tuam Filio Regis : judicare populum tuum in justitia, et pauperes tuos in judicio*. Verum, cum docet nos inter orandum, sive *adorandum* dicere : « Pater noster, qui es in cœlis, » per nomen « Patris » tota Trinitas intelligitur, quæ « in cœlis, » id est in spiritibus mundis manens

adoratur, cujus in una persona, quæ Filius est, etiam natura humana in ipsum assumpta recte *adoratur*. Neque tamen hac adoratione ab illa regula deviatur, qua dicitur : « Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies (*Deut.* VI, 13). »

Quod si mihi Photinus objicit, genus esse idololatriæ creaturam sicut Deum adorare, quia ille Christum non concedit *adorandum*, quem putat esse purum hominem, nulla melius auctoritate me defendendum puto, quam ea, quæ mihi est ab ipso. Nempe, cum adhuc mortalis inter mortales viveret, a mortalibus fuit *adoratus*, et non abnuit, imo se adorantibus largitus est gratiam, verbi gratia, cuidam leproso ipsum *adoranti* et dicenti : « Domine, si vis, potes me mundare (*Matth.* VIII, 2), » largitus est munditiam, quam postulavit. Item reges ab oriente venientes, licet in cunis jacentem, tamen procidentes adoraverunt eum (*Matth.* II, 11), » quem et suis muneribus contestati sunt hominem, Regem, Deum, ac proinde recte *adorandum;* nec in adoratione Christi vel hominem a Deo, vel Deum ab homine sequestrandum. Unde, ut longe supra in alio psalmo demonstravimus, recte synodus Ephesina sub anathemate damnavit non solum eos, qui hominem a Verbo Dei assumptum docebant non *adorandum*, sed etiam eos, qui hominem Verbo asserebant *coadorandum*, quia una simplex adoratio debetur Homini Deo, quia Verbum caro factum dedit suæ carni suæ adorationis indiscretum consortium. Unde Patres Ephesini concilii, cui præsedit Cyrillus Alexandrinus patriarcha, dicunt inter cætera : « Si quis audet dicere, assumptum hominem a Verbo coadorari cum Deo Verbo et conglorificari et connuncupari Deum tanquam alterum alteri (adjectio enim unius syllabæ, id est *co*, hoc cogit intelligi), et non magis una reverentia veneretur Emmanuel, unamque venerationem dependerit, secundum quod Verbum caro factum est, anathema sit. »

Igitur quod dictum est : *Adorabunt de ipso semper*, sic est accipiendum, ut Regem *Salomonem* non solum in Divinitate, sed etiam in humanitate sua credamus et confiteamur *adorandum* una prorsus et indissimili adoratione ac veneratione ; quoniam, etsi ex duabus et in duabus naturis Christus existat, una tamen, salva naturarum permanentia, est utriusque naturæ claritas, in qua facta sunt utraque unum. Hinc Hieronymus super Jeremiam (XVII, 5) exponens illud : « Maledictus homo, qui confidit in homine, » dicit inter cætera : « Si maledictus est omnis homo, qui confidit in homine, Paulus autem Samosatenus, et Photinus, quamvis sanctum et cunctis excelsum virtutibus prædicent Salvatorem, tamen tantum hominem confitentur. Ergo maledicti erunt spem habentes in homine. Quod si nobis oppositum fuerit, quod et nos credamus in eum, qui dicit : Nunc autem quæritis me interficere hominem, qui veritatem locutus sum vobis, quam audivi a Deo : hoc Abraham non fecit, vos facitis opera Patris vestri; respondebimus illud Apostolicum : « Etsi Christum aliquando juxta carnem cognovimus, sed nunc jam non novimus. » Denique idem Apostolus in principio Epistolæ suæ scribit ad Galatas : « Paulus apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, et Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis, et qui mecum sunt omnes fratres. » Si enim mors absorpta est in victoria, quare non carnis humilitas, quæ propter humanam salutem assumpta est, in Divinitatis transierit majestatem, ut fecerit utrumque unum, et non adoremus creaturam, sed Creatorem, qui est benedictus in sæcula? »

Hæc dicente illustri viro Hieronymo nostra illi per omnia consonat assertio, qua Hominem-Deum simplici adoratione *adorandum* fatemur juxta illud : *Et adorabunt de ipso semper; Adorabunt* ipsum et hoc habent *de ipso*, quia palmes non habet vitam nisi de vite, neque membrum vivit sine capite, atque ideo, quod membra caput *adorabunt*, *de ipso* semper accipiunt, in quo semper vivunt et sine quo nihil possunt. *De ipso* accipiunt virtutem *semper* et jugiter orandi et *adorandi. Semper*, id est omni tempore, sine intermissione orabunt et *adorabunt*. Finito vero temporalitatis cursu in æternitatis *tota die benedicent ei*.

Alii codices habent : *Adorabunt pro ipso*. Quid est orare *pro ipso* nisi vel *pro ipso* consequendo, vel *pro ipso* in suis membris multiplicando et magnificando? Vel sic distingue : *Reges Tharsis et insulæ munera offerent : reges Arabum et Saba dona adducent et adorabunt*, et postea subjunge : *De ipso semper tota die benedicent ei*. Hoc est : In semetipsis habent causas et materiam sive orandi sive plorandi coram ipso *semper;* sed de ipso accipient causas et materiam, unde *tota die benedicant ei*. Laudandi seu benedicendi eum causæ non minimæ sunt hæ, quod

VERS. 16. *Erit firmamentum in terra in summis montium; quod superextolletur super Libanum fructus ejus, et florebunt de civitate sicut fenum terræ.*

Legimus *firmamentum* factum in medio aquarum, cum adhuc terra esset inanis et vacua. Hoc erat opus primariæ creationis. Videmus hoc cœlum stellis adornatum, pulchrum opus et mirificum, quod factum est per Verbum necdum incarnatum. Sed longe mirabilius et venerabilius est, quod ipsum Verbum incarnatum est *et erit firmamentum in terra* prius inani et vacua. *Erit firmamentum in terra*, quia panem angelorum manducavit homo, et hic panis cor hominis confirmans *erit firmamentum in terra* tanto pulchrius illo cœlesti firmamento, quanto differentius præ illo nomen hæreditabit. Qui enim cœlum illud æthereum vocavit *firmamentum*, eo quod firma distinctione dividat aquas ab aquis, ipse ponens *firmamentum in terra* dedit ei nomen, quod est super omne nomen, et potestatem dedit ei et judicium facere, ut dividat aquas ab aquis, populum suum a populo non suo. Nam « aquæ multæ

populi multi (*Apoc.* XVII, 15). » Sed ex his alii super *firmamenti* soliditatem sic manent, ut similes inveniantur homini ædificanti domum suam supra firmam petram, « petra autem est Christus (*I Cor.* X, 4) » : alii vero huic *firmamento*, huic firmæ petræ nolunt inniti, sed tamen ejus dispositionibus minime poterunt reniti. Et ideo sub illo tanquam sub *firmamento* stringuntur, nec super illud extolli poterunt quantislibet moveantur tempestatibus, quando exaltati fluctus ascendunt usque ad cœlos minime tamen valentes exaltari super cœlos.

Propter has aquas in ordine suo distinguendas et constringendas *erit firmamentum in terra*, quæ jam non est inanis et vacua : quia *in summis montium superextolletur super Libanum fructus ejus; et florebunt de civitate sicut fenum terræ.* Copiosa fertilitas terræ, in qua non solummodo valles abundabunt frumento, sed etiam *in summis montium superextolletur super Libanum fructus ejus. Terra*, Ecclesia *firmamentum* fides vel Scriptura canonica : *Montes* electi, de quibus alias dicitur : « Fundamenta ejus in montibus sanctis (*Psal.* LXXXVI, 1); » *Summa montium* vel eminentia virtutum in sanctis vel auctoritas fidei et Scripturarum : *fructus in summis montium* charitas est, quam dicit Apostolus: « Excellentiorem viam, et super omnia vinculum perfectionis (*I Cor.* XII, 31; *Colos.* III, 14). » *Hic* est *fructus*, de quo dictum est ipsis *montibus*: « Ego vos elegi de hoc mundo, ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat (*Joan.* XV, 16). Hæc mando vobis, ut diligatis invicem (*ibid.*, XV, 17). » Item : « Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem (*Joan.* XIII, 34). » Item : « Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos (*Joan.* XII). » *Fructus* iste nunquam excidens non tantum extollitur, sed etiam *superextollitur*, id est multum extollitur *super Libanum. Libanus* interpretatur *candidatio*, et significat aliquando candorem virtutum, aliquando nitorem sæcularium dignitatum. Sed quomodolibet intelligas hic *Libanum*, *super* hunc *extolletur* fructus charitatis, quæ non solum carnalia, sed etiam spiritalia Dei dona superexcellit. Nam cum sint charismata magna fides, spes, major tamen his est charitas.

Et florebunt de civitate sicut fenum terræ. Duæ sunt civitates, altera Dei, cujus nomen *Jerusalem*, alia diaboli, cujus nomen *Babylonia*. De utraque intelligi potest, quod dicitur : *Et florebunt de civitate. De civitate* Dei sic legitur : Vere *superextolletur super Libanum fructus ejus, terræ* scilicet, in qua erit *firmamentum*. Nam qui sunt *de civitate* Dei, quæ est Ecclesia, *florebunt* gratissime *sicut fenum terræ* fructiferum, sicut est *fenum* frumenti, quod in Genesi dicitur *fenum*, ubi legitur : « Producat terra omne lignum, et omne fenum (*Gen.* I, 11). » In *feno* enim frumentum accipitur, quia de frumento post hæc verba nihil adjecit. Civitas vero sæculi est, de qua in Genesi dicitur (*Gen.* IV, 17), quod Cain condidit *civitatem*, cujus gloria sicut flos feni. De hac ita lege : Vere *super Libanum*, id est super sæcularem candorem, est *fructus terræ*, cujus *firmamentum* est Dominus. Est enim *fructus* manens in æternum. Sed in sæculari candore hi, qui sunt *de civitate*, *florebunt* quidem, sed inaniter, sicut *fenum terræ*, quia in illa civitate « omnis caro fenum et omnis gloria ejus tanquam flos feni (*Isa.* XL, 6), » quoniam, sicut fenum arescit, et flos ejus decidit, sic mundana gloria cito deficit. *Fructus* autem illius *terræ*, in qua regnabit *Salomon* Rex pacificus, permanebit in æternum, ergo

VERS. 17. *Sit nomen ejus benedictum in sæcula*, id est in æternum, quia fructum confert in æternum, et *nomen ejus* ab æterno est et in æternum, quoniam *ante solem permanet nomen ejus. Solis* cursu distinguuntur tempora, et ideo recte per *solem* intelliguntur tempora. Est ergo *ante solem nomen ejus*, et significatum nominis ejus, qui est æternus, qui et præcedit *solem* non tempore, sed æternitate, non tempore ut dies hesterna hodiernam vel hodierna crastinam, sed æternitate, ut Creator initio creans creaturam quandoque inchoatam, et cum esset informis, formatam. *Sit nomen ejus benedictum*. Et ne illa benedictio sit solitaria, *benedicentur in ipso omnes tribus terræ.* Non dico *in ipsis* quasi in multis, sed quasi in uno dico : *in ipso*, qui semen est Abrahæ, cui dictum est in promissione : « Et benedicentur in semine tuo omnes tribus terræ (*Gen.* XXII, 18). » Sicut promissum est, et fiet usque in finem sæculi. Nam *benedicentur in ipso* non solæ duodecim tribus Israel, sed *omnes tribus terræ*. Atque ideo ex omnibus tribubus *omnes gentes magnificabunt eum*, id est magnum corde credent ad justitiam et ore confitebuntur ad salutem. Dixi : *magnificabunt*, et ego David magnificans et magnificandi formam præostendens aliis, in laudem ipsius secundum carnem Filii mei, Regis æterni, Regis pacifici *Salomonis* hymnum de canticis Sion brevem sermone, sensu grandem, eructo dicens

VERS. 18. *Benedictus Dominus Deus Israel*, id est omnium, qui ad hoc tendunt, ut sint *Israel*, *qui facit mirabilia solus* propria virtute, sive per se sive per alios illa operetur, quæ nemo alius facit, quia nemo sine illo facit. Quanquam enim dicat : « Pater in me manens ipse facit opera (*Joan.* XIV, 10), » tamen sine ipso, qui est manus, brachium, virtus et sapientia Patris, nec Pater facit aliquid nec Spiritus Patris, qui et Spiritus ejus est, quia indivisa sunt opera summæ Trinitatis. *Facit* ergo *mirabilia solus*, nec tamen solitarius, quia homo assumptus in Verbum, quod est unius cum Patre ac Spiritu sancto essentiæ, in totius Trinitatis operatur virtute ac potestate seu majestate. Sit ergo ipse *benedictus*,

VERS. 19. *Et Benedictum nomen majestatis ejus in æternum, et replebitur majestate ejus omnis terra : Fiat, fiat.*

In Hebræo legitur : *Et benedictum nomen gloriæ ejus in sempiternum, et implebitur gloria ejus universa terra : Amen, amen.* Benedictus *in æternum*, quem *nomine æterno* hæreditavi. Pater æternus dans

illi « nomen, quod est super omne nomen (*Phil.* II, 9), » ut dicatur et sit super omnia Deus benedictus in sæcula. Et hoc *nomen* gloriæ seu *majestatis ejus*, quia est æternum, sit *benedictum in æternum. Et replebitur majestate ejus omnis terra. Ejus* scilicet *Salomonis.* Vel *nominis ejus majestate*, atque gloria *replebitur omnis terra*, quia non solum in cœlo, sed etiam in terra « multiplicabitur ejus imperium (*Isa.* IX, 7), » et regnante ipso Rege pacifico, *pacis non erit finis* exterminantis tandem a regno ejus omnibus pacis inimicis, quod quotidie agitur particulariter, sed cum sederit super sedem *Majestatis* suæ, tunc adimplebitur universaliter. *Fiat, fiat. Fiat* nunc particulariter, et *fiat* tunc universaliter. *Fiat* nunc prout necessarium est ad viæ solatium : *fiat* tunc ad plenum gaudium patriæ cœlesti condignum. Vel *fiat* semel dictum sit subscriptio Principis concionantis : iterum dictum sit consensus astantis et astipulantis multitudinis ac dicentis : *Fiat* sive *Amen.* Quod semel dicere psallentem signum est A optantis : iterato autem dicere signum vehementer desiderantis. Dicamus igitur omnes : *Fiat, fiat*, sive *Amen, amen* vehementi desiderio desiderantes videre Regem *Salomonem*, non solum in diademate, quo coronavit eum mater, sua coronans illum spinea corona, qua significata est Ecclesia de peccatoribus et peccatricibus collecta et in modum coronæ Christo aptata ; sed etiam in diademate, quo coronavit eum Pater suus propter passionem mortis, gloria et honore coronans eum et constituens in throno gloriæ sempiternæ. De quo throno petimus : Regat omnia sibi subjecta, ita ut *repleatur majestate*, atque gloria *ejus* universa *terra.*

Gloria Patri æterno Regi, suo Filio Regi danti judicium. *Gloria* ipsi *Filio* Regi vero *Salomoni* faB cienti pacem in toto regno suo. *Gloria Spiritui sancto* qui est pax omnium *Salomoni* huic militantium et ministrantium : peramplius autem pax erit his Spiritus eorumdem cum ipso in cœlis regnantium. *Fiat, fiat : Amen, Amen.*

PSALMUS LXXII.

Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde. Præcedenti psalmo pro judicio Regi Regis Filio dando clamatum est ad ipsum Regem Regis Patrem, quo judicio judicabitur populus Dei tandem in justitia tanta, ut nulli bono male, nulli malo bene sit, dum nullus bonus habebit, unde tristetur, nullusque malus, unde lætetur. Sed, antequam perficiatur illud judicium, sæpe dictus certator nonnunquam deficit, et a sua spe paululum decidit videns multos peccatores quamdam pacem habere in malis, justos autem adversitatibus fatigari : sed postmodum pœnitet illum hujus erroris sui. Hic talis correctus sequenti, id est septuagesimo secundo psalmo sic loquitur : « Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde. Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos pacem peccatorum videns. » Ac deinceps : « Si dicebam : narrabo sic : ecce nationem filiorum tuorum reprobavi. » *Si*, inquit, *dicebam vel narrabam sic :* imo si dixero sic : *Quomodo scit Deus, et si est scientia in Excelso*, etc. *Ecce nationem filiorum tuorum reprobavi*, id est tunc ero contrarius omnium sanctorum auctoritati. Nam qui hæc vel hujusmodi dicunt, illi præmisso titulo denotantur : « Defecerunt, » inquit, « laudes David, Filii Jesse (*Psal.* LXXI, 20). » *Filii*, inquit, *Jesse*, id est eorum in quibus regnavit David, filius Jesse, et quicunque illos imitantur nimio terrenorum sive carnalium amore, *laudes defecerunt*, dum sic dicunt, dum nisi rerum temporalium affluentiam habeant, Deum laudare desinunt. Quid igitur? *Mihi autem,* ait, *adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meum.* Vera namque laus a spiritalibus viris amore cœlestium et contemptu terrestrium fieri C incipit. Nunc titulum evidentius pandamus, qui se sic habet :

VERS. 1. *Defecerunt laudes vel hymni David, filii Jesse* (25) *Psalmus Asaph.*

Præter solitum addit : *Filii Jesse*, per carnalem generationem significans laudem carnalem. Solebat enim Israeliticus populus pro temporalibus beneficiis laudare Deum, sicut in historiis legitur, qui submersis Ægyptiis cantaverunt, et sæpe in deserto pasti, et victores hostium, et accepto regno in Jerusalem cecinerunt. Sed deficientibus hujusmodi prosperitatibus propter peccata eorum *defecerunt* quoque *hymni David*, non dico : Filii Dei, sed *filii Jesse*, qui temporale regnum habuit in Jerusalem, id est *defecerunt hymni*, qui pro temporalibus D erant. Non enim in defectu temporalium laudaverunt Deum quidam, quibus ipse videbatur perversus dando malis prospera, bonis adversa. Fuerunt autem quidam de eodem populo, qui ipso defectu eorum profecerunt : nam deficientibus illis, quæ pro magno acceperant, coacti sunt quærere ea, quæ nunquam deficerent, et intellexerunt sicut in radice fructum, ita suas promissiones in figuris veteribus latuisse. In Veteri enim Testamento Novum erat, sed occultum, sicut et Christus in David et Abraham, pro quibus in titulo est : *Psalmus Asaph*, id est fidelis Synagogæ, quæ licet propter terrena, tamen pie coluit Deum, a quo solo illa petebat, non

(25) In editione Vulgata titulus est : *Psalmus Asaph.* Priora vero verba sunt præcedentis Psalmi LXXI, versus ultimus, nimirum vigesimus : non tamen ibi in Vulgata habetur : vel Hymni.

a dæmonibus sicut gentes. Attendens autem blasphemos his abundare, pro quibus serviebat, cœpit nutare, nesciens quid in his figuris lateret, quasi non esset aliquid melius, quod Deus daret. Sed admonitus iste *Asaph* per hæc sibi subtracta quærere ea, quæ non habet cum malis communia, intentionem movet, ut deficientibus temporalibus, tamen pro æternis sit *hymnus*. *Hymnus* continet tria. Est enim *laus* et Dei et cum cantico : In *laude* confessio est, et hilaritate cantici amantis affectio. Nisi enim cantetur hilariter, non est *hymnus* : non cantat, qui non amat.

Primo describit *Asaph* felicitatem malorum, et pœnitens recordatur ejus zelo se fuisse deceptum. Secundo suum et aliorum de prosperitate malorum errorem exponens dicit, se et illos inde reversos ad melius consilium, ut scilicet attendant impiorum novissima ibi : *Ideo convertetur*. Tertio aperit causam prosperitatis malorum et pœnam, et suam liberationem ab ea ibi : *Verumtamen*. Quarto arguit se de hoc, quod terrena zelavit, et quærit cœlestia ibi : *Quid enim*. Ut ergo melius credatur experto, ipse *Asaph*, qui erraverat, castigans se et recogitans, quid subtractis temporalibus Deus suis reservet, ait :

VERS. 2. *Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde*. *Israel* vir videns Deum sive princeps cum Deo talis intelligitur, qui claros et mundos habens oculos æternum lumen veritatis, justitiæ, sapientiæ, bonitatis, æternitatis intueri delectabile habet, quia dulce lumen est oculis mundis et sanis, quod ægris est pœna. Hinc ille *Israel*, qui in omnibus, quæ sub sole fiunt, Solem justitiæ velut in speculis requirit, videns omnia juste ordinari, delectatur visione ipsius justitiæ quasi princeps cum Deo et amicus sponsi in his etiam, quæ non rectis non recte videntur fieri, cum fiant omnia recte, dictante atque ordinante summa justitia, summa sapientia, summa bonitate ac potentia, quæ attingens a fine usque ad finem fortiter disponit omnia suaviter, ita ut omnia cooperentur in bonum *his*, *qui recto sunt corde*, quique habent oculos mundos et sanos. Unde cum delectatione interioris hominis, lege Dei condelectantis, etiam in his bonitatem Dei approbant, quæ mali male judicantes vituperant, quasi absque ordine justo injuste fiant : verbi gratia, cum bonæ voluntatis homines aliquando in tanta miseria laborant, ut et membris debiles, et rebus tenues ipsius bonæ voluntatis fructum per opera bona ostendere non valeant, et e regione vident in hujus mundi prosperitatibus florere malignos corde, damnosos opere. Hinc veluti cæci non videntes in talibus lumen divinæ justitiæ bonos per aspera castigantis, et velut aurum in fornace tribulationum probantis, atque malos per prospera excæcantis et reprobantis erumpunt in indisciplinatas murmurationes, quasi vel Deus non sit, vel cura illi de omnibus non sit, sed vel omnia vel ex omnibus aliqua fortuitis casibus agantur, et inde proveniant bonis mala vel malis

A bona. Cæci denique non considerant quod vincula hujus mundi asperitatem habent veram, jucunditatem falsam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem. His ipsi non recti corde inserunt colla et manus et pedes, cum falsas et fallentes divitias amant, nec facta sua existimant aliter fructuosa, nisi exinde proveniant eis præsentia et temporalia lucra.

In tali errore quisque obstinatus perit, non obstinatus resipiscit, et de suo errore pœnitens aliosque, ne similiter errent, instruens dicit : *Quam bonus Israel Deus*, quam pius, quam dulcis! Quibus? *His, qui recto sunt corde*, quorum cor non est curvatum
B ad inordinatos appetitus terrestrium, sed habentes ipsa terrena in usum necessitatis, non in abusione cupiditatis toto corde appetunt ea, quæ sursum sunt. Et quia ipsa temporalia bonis et malis communia sunt, non pro magno bono habent, quando affluunt, neque illis affluentibus cor apponunt, ne forte illis etiam defluentibus pariter et ipsi defluant. Unde fit, ut cum *Deus bonus* bonis talibus eos voluerit carere, careant eis absque dolore, quibus non inhæserant amore, sitque illis tanto major patientia in talium carentia, quanto voluntati divinæ per omnia rectissime voluntas humana fuerit coaptata, ut non sit torta sed recta, non in inferiora terræ declinata, sed sursum erecta. *O quam bonus Deus Israel* talibus, qui perversis perversus videtur.
C Unde illis errantibus gressibus effusis in invio et non in via, pedes eorum penitus moti sunt, ita ut caderent retrorsum permanendo in peccato suo.

VERS. 2. *Mei autem pedes*, etsi non penitus, tamen *pene moti sunt*; et non quidem penitus, attamen *pene effusi sunt gressus mei*. *Pedes meos* scilicet arbitrium mentis moveri persensi aliquantulum, non tamen usque ad casum; nam ipsum liberum arbitrium quasi *pedum* tenet officium, quo fixa voluntas ire disponit. *Gressus* vero sunt ipsi actus, quibus voluntas, quod disposuerat efficit. Hujusmodi *gressus mei pene moti sunt* extra viam justitiæ. Pene dico, non penitus, quia licet vix, tamen remansi intra limites æquitatis, ut non approbarem
D suggestionem erroris. Nec mirum, si ego *Asaph* graviter fui tentatus :

VERS. 3. *Quia zelavi in peccatoribus pacem peccatorum videns*, *pacem* temporalem, pro qua Deo serviebam, nondum intelligens, quia non venit Deus hanc *pacem* mittere sed gladium. Nondum quippe ante adventum Salvatoris missum fuit bellum bonum, ut rumperetur *pax* mala. Propterea *pacem* temporalem, quam præcipue appetibilem putavi, abundare peccatoribus *videns* zelo magno commotus fui, ac pene de via æquitatis exorbitavi. Quod mihi aliquando accidisse nunc doleo, dolens confiteor, et quasi pœnitentialem psalmum decantans dico : *Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde. Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt*

gressus mei, quia zelavi in peccatoribus pacem videns.

Super hunc locum beatus papa Gregorius dicit in Job (26) : « Cum malos florere infirmi conspiciunt, trepidant, et apud semetipsos peccantium prosperitate turbati, intus gressibus mentis nutant. Horum ergo speciem sumpsit Psalmista, cum diceret : Mei autem pene moti sunt pedes (*Psal.* LXXII, 2). Cum vero eorum gloriam fortes aspiciunt, protinus, quæ post mortem pœna sequatur, attendunt, et alta intus cogitatione despiciunt hoc, quod superbi foris fastu vacuæ elationis intumescunt. Unde et de hoc perfectorum despectu per beatum Job dicitur : « Ego vidi stultum firma radice, et maledixi pulchritudini ejus statim. » Pulchritudinem quippe stulti maledicere, est ejus gloriam ex considerata damnatione judicare, quia eo atrocius in tormentis obruitur, quo altius in peccatis elevatur, quia transit quod extollitur, permanet quod punitur, quia honoratus in via in perventione damnabitur, et quasi per amœna prata ad carcerem pervenit, qui per vitæ prospera ad interitum tendit. » Sic per temporalem prosperitatem stulti currunt ad æternam damnationem quasi oculis clausis præcipitando se in ignem :

VERS. 4. *Quia non est respectus morti eorum*, dum neque Dei misericordia respicit eos ad mortem properantes, quia de talibus dicitur : « Sine mortuos sepelire mortuos suos (*Matth.* VIII, 21) : » neque ipsimet respiciunt vel recogitant se nunc mortuos in anima post morituros in corpore, in oblivione Dei, et sui alto sopore depressi, de quo nec inter plagas evigilant, quia non est *firmamentum in plaga eorum.* Cum enim sint eorum vulnera putrefacta in pace ac prosperitate sua, forti sectione fuerant secanda. Sed non est firmamentum in plaga eorum. Plaga quidem peccati fœtentis, et inveterati alta est; sed *plaga* sectionis medicinalis non ita firmiter est impressa sicut exigit putredo profunda. Proinde *quia non est respectus* misericordiæ Dei sanandæ *morti eorum*, vel sicut in Hebræo legitur : *Quia non recogitaverunt de morte sua, et non est firmamentum in plaga eorum*, ita ut duret flagellantis castigatio usque ad emendationem : ideo

VERS. 5. *In labore hominum non sunt*, quia tradidit illos Deus in desideria cordis sui, ut qui in sordibus sunt, sordescant adhuc : sicut ægrotus, cui nihil prohibet medicus cernens, quod incurabilis est morbus.

Aliter : *Non est respectus morti eorum*, pro quo codices quidam habent : *Non est declinatio morti eorum*, id est non cito moriuntur, sed diu vivunt, et non percutiuntur plaga transitoria, sed est *firmamentum in plaga eorum*, id est flagellum eorum firmum est, non temporale, sed æternum. Et ideo *non sunt* modo *in labore hominum*, quia reservantur suppliciis dæmonum. Talibus enim dicetur : « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est dia-

A bolo et angelis ejus (*Matth.* XXV, 41). » Et ideo malo eorum fit, quod *cum hominibus non flagellabuntur* ad emendationem, qui cum dæmonibus cruciandi sunt ad æternam damnationem. Non egent vel ægrotant ut Lazarus mendicus, sed epulantur quotidie splendide, induti purpura et bysso quasi reges in purpura dominando, quia reges gentium dominantur eorum, et quasi pontifices bysso retorta ornati vindicant sibi honorem sacerdoti, cum nec imperio, quod ad purpuram, nec sacerdotio, quod ad byssum spectat, sint digni. Honorantur tamen, quasi digni et idonei sint, cum sint ministri Satanæ palliati honore forinseco, cum sint intrinsecus lupi rapaces. Ili, cum illicita perpetrant, a nullo increpantur : « Quoniam laudatur peccator in desideriis suis,

B et iniquus benedicitur (*Psal.* X, 3). » Et quoniam sic prospere cedit eis, ut nihil resistat pravis eorum desideriis,

VERS. 6. *Ideo tenuit eos superbia.* Non dico : superbierunt, quod quidem est grave malum, etiam cum de bonis per inanem gloriam superbitur quanto magis illa superbia est execrabilis, quæ de malis fit, cum quis gloriatur in malitia, eo quod sit potens in iniquitate ? Talis tam detestanda *superbia tenuit eos* tanquam servos captivos, quoniam « omnis, qui facit peccatum, servus est peccati (*Joan.* VIII, 44), » ac proinde a peccato quasi captivus tenetur funibus peccatorum circumplexus, non sicut ille, qui dolens ita se captivum teneri clamat cum Apo-

C stolo : « Quis me liberabit de corpore mortis hujus (*Rom.* VII, 24), » aut sicut alias legitur : « Funes peccatorum circumplexi sunt me, et legem tuam non sum oblitus (*Psal.* CXVIII, 61). » Non, inquam, sic istos *tenuit superbia* captivos, ut se liberari optarent, et ad Deum pro sui liberatione clamarent, quoniam sic *operti sunt iniquitate*, qua sunt injuriosi ad proximum, et *impietate* qua sunt blasphemi contra Deum, ut ne saltem caput eis, vel os liberum sit ad clamandum vel Spiritum veritatis attrahendum, sicut ille fecerat, qui dixit : « Os meum aperui et attraxi spiritum (*Psal.* CXVIII, 131). » At isti adeo sunt *operti* voluntaria *iniquitate et impietate*, ut nec ipsi videant, nec ab aliis videantur. Non dico quod sint amicti ut sponsa circumamicta va-

D rietate, quoniam in tali amictu facies tota relinquitur libera et compos sui, ut videat et videatur ipsa, sed dico eos *opertos iniquitate et impietate* quasi diploide ac duplici operimento, sub quo nec videri nec videre possunt. Non vident se nudos ut illi primi parentes, quorum ad hoc aperti sunt oculi, ut viderent, unde confusi erubescerent. Non videntur ab aliis, quia, cum sint intus miseri, foris putantur beati ab his, qui beatum dixerunt populum cui hæc sunt, quæ istos abundant, videlicet mundanæ divitiæ, in quibus incrassati, impinguati, dilatati non solum intrinsecus diligunt iniquitatem, quam qui diligit, odit animam suam, sed etiam forinsecus ad

(26) Lib. VI Moral., cap. 6.

læsionem proximi ostendunt illam. Nam quasi redundans ab intus foras.

VERS. 7. *Prodiit iniquitas eorum* non ex malitiæ necessitate, sicut fit cum quis furatur necessitate vel egestate compellente, sed *quasi ex adipe* de sola videlicet peccandi libidine, incrassatum cor habentes, et hujusmodi crassitudinem per opera mala ostendentes *transierunt in affectu cordis. Transierunt* de vitio in vitium vel *transierunt* audacter antiquos terminos Patrum. Vel *transierunt* ultra metas consuetudinaliter peccantium, quando ibant in adinventionibus suis, nova et eatenus inaudita committentes scelera. Vel *transierunt* metas communis humanitatis, ut se non recognoscerent cæteris hominibus natura pares, cum simul in unum dives et pauper habeant naturalia Dei dona, ut verbi gratia sint pariter homines rationales. At isti suam cum pauperibus non attendendo paritatem quasi obliti se transeunt extra se, implendo, non dico illa peccata solummodo, ad quæ videtur impellere aliqua necessitas vel trahere infirmitas humana, sed transeunt *in affectum* non Dei, sed *cordis sui*, ut ex intimo affectu liberi arbitrii suis cupiditatibus intenti non solum faciant, sed et diligant peccata. Hoc autem non ex improviso illis contingit, sed

VERS. 8. *Cogitaverunt, et locuti sunt nequitiam. Cogitaverunt* interiori mentis deliberatione. Nec hoc satis illis visum est, sed etiam *locuti sunt* foris docendo alios *nequitiam* intus conceptam. *Locuti sunt* non in occulto sed *in excelso*, id est clare multis audientibus. Minus peccarent, si malæ cupiditatis motum intra cogitationis claustra non simulatio sed timor absconderet : nam simulata æquitas duplex est iniquitas. Ille quoque, qui cogitata facinora divulgat dupliciter peccat, in altero lædens conscientiam, in altero famam, quæ duo sunt homini valde necessaria, ut videlicet bonam conscientiam habeat propter suimet salutem, et bonam famam propter ædificationem proximi, quem si diligit sicut se ipsum procul dubio cavet ne malo exemplo scandalizet illum. Si autem semetipsum recte diligit, conscientiam suam Deo teste mundam servare studet. Nam qui mala intendit sola intentione, solum Deum inspectorem cordium ostendit, ac proinde necesse habet dicere Deo : « Tibi soli peccavi, et malum coram te feci (*Psal.* L, 6). » Qui autem locutione seu et operatione mala cogitata foris ostendit, proximos hæc audientes aut videntes offendit contra illud : « nemini dantes ullam offensionem (*II Cor.* VI, 3). » Proinde impius in Deum propter pollutam conscientiam, crudelis in proximum propter neglectam famam, si resipiscit necesse habet dicere : « Pater peccavi in cœlum, et coram te (*Luc.* XV, 18). » In cœlum, » id est in sanctos, qui cœlum sunt, qui meis peccatis visis vel auditis offensi et contristati sunt. « Coram te » intus in corde multas malas machinans cogitationes, te inspectore. Sic deberent isti confiteri se peccasse in cœlum. At illi

VERS. 9. *Posuerunt in cœlum os suum, et lingua eorum transivit in terra. Posuerunt os in cœlum* vituperando bonos et sanctos, qui cœlum sunt, in quo Deus habitat, qui dicit : « Cœlum mihi sedes est (*Isa.* LXVI, 1). » Unde anima justi, quæ sedes est sapientiæ, quando a malis injuriatur, *cœlum* Dei sedes talibus injuriis pulsatur, et is, qui sedet in ea, inhonoratur. Neque vero sufficit illis Deum sic in cœlo suo, in sede sua inhonorare ; sed addunt peccatum peccato, et *lingua eorum* transit, etiam sæpe *transivit* ultra *cœlum*, usque ad ipsum Deum cœli blasphemandum. Mira præsumptio ! *Lingua eorum transivit* ultra cœlum, cum esset *in terra*, cum esset, terrena, deberetque his limitibus esse contenta, de quibus alias dicitur : « Qui de terra est, de terra loquitur (*Joan.* III, 33). » De tali præsumptione multoties hæretici emerserunt, qui cum essent *in terra* fixi amantes non cœlestia sed terrena, tamen ausi fuerunt de cœlestibus docere, quæ veritate magistra non didicerunt, sed ipsi ea de corde proprio confinxerunt. Imitantur autem illos adhuc multi, qui cum sint animales non percipientes ea quæ sunt Spiritus Dei, sæcularibus litteris eruditi ab illa sapientia, quæ terrena est, animalis, diabolica transeunt ad dijudicanda cœlestia, cum sint adhuc *in terra*, longe separati ab his qui sapiunt ea quæ sursum sunt, non quæ super terram. Possunt quidem istius modi homines terreni rotare verba spumantia buccis crepantibus de scripturis veritatis, sed ipse Spiritus veritatis, qui docet omnem veritatem discipulos Christi, longe abest ab istis discipulis Antichristi. Nam discipulorum Christi cor in cœlo est, ubi Christus est in dextera Dei sedens : istorum vero discipulorum vel præambulorum Antichristi cor *in terra* est, ubi thesaurus eorum est : « Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est cor tuum (*Matth.* VI, 21). » Unde amplius miranda est eorum insania, quæ, cum sit cor *in terra, lingua eorum transit* a terrenis ad cœlestia discutienda. Atque utinam simul cum *lingua* transiret illuc et vita, ut eorum conversatio esset in cœlis, qui disputant de cœlis !

Aliter : Arbitratu suo *lingua eorum transivit* ultra *terram* quasi ad cœlestia, sed revera *in terra* est, et de *terra* loquitur juxta illud Isaiæ : « Humiliaberis, de terra loqueris : Et erit quasi pythonis vox tua, et de humo eloquium tuum mussitabit (*Isa.* XXIX, 4). » Nam spiritualis homo, qui dijudicat omnia, et ipse a nemine judicatur quoties hujusmodi hominum dicta vel scripta examinat, quæ illic sua quasi furto ablata invenit, ea persæpe in usum disserendi assumit : quæ vero illorum sunt propria, quoniam cum loquuntur mendacium ex propriis loquuntur, hæc spiritalis repudiat quasi vocem pythonis de terra mussitantis.

PARS SECUNDA. VERS. 10. *Ideo convertetur populus meus hic.* In superiori parte tria dixit *Asaph*, scilicet pacem malorum, et quæ mala de pace illa contingunt, et quod zelo hujus pacis cœpit nutare et errare. Nunc in hac secunda parte qualiter errare

sœperi., exponit, et qualiter attendens mala, quæ A de pace peccatorum veniunt, resipuerit. *Ideo*, inquit, *convertetur populus meus hic*. *Populus meus* nomine meo, quod est *Asaph*, dignus *ideo convertetur hic*, id est in præsenti vita, quia non est ei pax peccatorum, sed flagellatur assidue propter peccata sua : illi vero *cum hominibus non flagellabuntur*. Ideo non ut homines *convertuntur hic*, sed ut dæmones damnabuntur illic, ubi non erit locus fructuosæ pœnitentiæ.

Aliter : *Ideo convertetur populus meus huc*, id est ad hoc diligenter considerandum, quod hic tractatur. Nam quia de pace malorum plura mala evenire cernuntur, *ideo convertetur populus meus huc* vel *hic* ad prospiciendum sibi et cavendum a tantis malis.

Hebraica veritas ita se habet : *Propterea convertetur populus ejus hic*. Sed quædam translationes B habent *huc*, et quædam *hic*. Sensus idem est. Possumus etiam sic dicere : *Populus meus hic*, id est in eodem zelo mecum cernens mala de malorum prosperitate venientia, *convertetur* ad veritatem perquirendam. Et cum veritatis desertores non dimidient dies suos, *dies pleni invenientur in eis*, qui eam diligunt et inquirunt. Plenitudo temporis vel *dierum* semper in bono accipitur in sacra Scriptura. Unde « cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum (*Galat.* IV, 4). » Et de Abraham sive alio quolibet sancto viro scribitur, quod mortuus est « plenus dierum (*Gen.* XXV, 8). » Et : « Elisabeth impletum est tempus pariendi (*Luc.* I, 57). » Et : « Completi sunt dies » Mariæ, « ut pareret Filium suum primogenitum (*Luc.* II, 6-7). » E regione *dies* vacui, *dies* inanes vel dimidii sive semipleni *dies* mali sunt. Si enim rex Ezechias dixit : « In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi (*Isa.* XXXVIII, 10). » Si inquam, *in dimidio dierum* timendæ sunt portæ inferi, eo quod *dies* dimidii veluti semipleni remuneratione beatitudinis non fuerunt digni, ac proinde rex prudens flevit, fletuque suo ac precibus dies plenos obtinuit. Quid de *diebus* omnino vacuis, otiose vel etiam damnose traductis censendum est, nisi quod non solum ad portas inferi mittunt, sed et in profundum inferni sepeliunt? Unde ille dives legitur « sepultus in infernum (*Luc.* XVI, 22), » cujus *dies* vacui a bono fructu fuerunt, aut si quid boni habuerunt, non ad plenitudinem perduxerunt, imo hic remunerati amiserunt, judicante illo, qui dixit : « Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala (*Luc.* XVI, 25). » Ille quippe *dies plenos* habuit, nec de plenitudine *dierum* quidquam perdidit affluentibus ei prosperis, sed inter adversa de die in diem profecit usque ad plenitudinem *dierum*. Quam plenitudinem ne diminuerent peccata venialia et quotidiana, recepit pro eis mala in vita sua. Sic *dies pleni invenientur in eis*, qui flagellis attriti convertuntur *hic*, et purgantur in hac vita per adversa. Cujus rei notitiam antequam plene comprehenderent, hæsitaverunt et apud se cogitaverunt :

VERS. 11. *Quomodo scit Deus, et si est scientia in Excelso?* Sciendum vero quod, sicut vicina sanitate magis æstuant et sudant ægri, sic anima quanto impetuosius alicujus quæstionis fluctuat tempestate, tanto citius ad intelligendæ veritatis pervenit portum. Ergo, quamvis periculose ac pene blasphemantes, tamen, ut ad veritatem transirent, dixerunt : *Si est scientia in Excelso?* Non dixerunt affirmative : Deus nihil scit, et non est scientia in Excelso, sed tanquam in re obscura hæsitando dicunt : *Si est scientia in Excelso*, id est an est scientia in Excelso? Et hoc recepto quod vere *scientia est in Excelso*, restat adhuc alia quæstio, videlicet *quomodo sciat Deus*. Hanc præoccupant dicendo : *Quomodo scit Deus?* utrum per semetipsum an per angelos internuntios? Absit autem ut Deus omnia præterita, præsentia et futura sciens aliquid per angelos discat, quasi prius incognitum sibi. Novit igitur omnia in semetipso et per semetipsum, quanquam velit habere ministerium angelorum, non sibi sed hominibus prædestinatis ad salutem necessarium, quia, ut Apostolus ait : « Omnes sunt administratorii spiritus missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis (*Hebr.* I, 14). » Propter eos, » inquit, non propter *eum* : « Propter eos videlicet, quos adjuvant sibi commendatos, non propter eum, qui misit illos. Nam sine illis ipse omnia novit et potest omnia quæ vult.

Adhuc tamen quærit *Asaph* et dicit : *Quomodo* C *scit Deus?* Utrum sic *scit* omnia, ut etiam de omnibus, quæ *scit*, sit illi cura, cum dicat ejus Apostolus : « *Nunquid de bobus cura est Deo?* (*I Cor.* IX, 9.) » an ita *scit* omnia ut de quibusdam nulla sit ei cura? Respondetur ad hæc : Deus ita *scit* omnia, ut etiam de omnibus ei sit cura. Nam quod Apostolus negat ei curam de bobus quadrupedibus esse; nomenque boum transfert ad prædicatores frumentum verbi triturantes, ita est accipiendum, ut, Deo cura non fuerit propter boves irrationabiles hoc in lege poni et præcipi, ut non alligaretur os bovi trituranti; sed propter boves rationabiles, quorum unus fuit ipse apostolus, unde et dixit : « An propter nos hæc non dicit? Sane igitur est intelligendum non hanc fuisse curam Deo de bobus qua- D drupedibus, ut propter eos in lege non præceperit, non alligari os bovi trituranti, sed sub tegmine litteræ providit inposterum, ne debitum stipendium negandum putaretur evangelizantibus verbum, cum potius is, qui evangelizatur verbo, communicare debeat ei, qui se catechizat in omnibus bonis. Dignus est enim operarius cibo suo. Alias autem, quantum attinet ad universalem Dei providentiam, cura Deo non est solum de magnis bobus, verum etiam de parvis passeribus, quorum unus non cadit super terram sine Patre, omnia, quæ fiunt patrante atque ordinante, qui et bona patrare atque mala ordinare ita consuevit; ut in tota suæ dominationis republica a summis cœlorum usque ad fundum rerum infimarum nihil fiat, quod non ab ipso aut

jubeatur aut permittatur, ordine decentissimo etiam in rebus infimis conspicuo. Quis enim fenum agri sic vestit, ut nec Salomon in omni gloria sua ita vestitus aut coopertus fuerit, nisi ipse? Quis etiam spinas et tribulos de terra propter peccatum primi hominis maledicta germinari facit, nisi ipse? Quis dat gallo scientiam ad distinguendas horas noctis, nisi ipse? Quis denique omnia, quæ fiunt in rebus creatis, dispensat, nisi Creator ipse? Qui si se a rebus creatis omnino subtraheret, omnis creatura in nihilum rediret, quia de nihilo facta sine factore suo subsistere non posset. Non enim Deus ita fecit creaturam sicut artifex arcam. Nam discedente artifice non propter ejus discessum desinit esse arca; Deo vero artifice ac fabricatore omnium se absentante, nihil omnium in rebus per se subsistere posset, sicut dies non subsistit, quando sol, qui eam sua præsentia facit, se subtrahit. Multo magis hoc de solæ justitiæ sentiendum est, quando sola sui spiritali præsentia creatur in hominibus justitia, et eo subtracto ac propter injustitias absentato nox accedit in justitiæ, utpote absentato Sole justitiæ, non locali aut essentiali absentatione, sed suæ gratiæ subtractione, prout ipse sciens omnia *scit*, quibus et quomodo adesse vel abesse debeat. Habemus jam, quo modo, imo quam sine modo, sine mensura, ultra omnes modos et mensuras, Deus *scit* omnia, de quo erat quæstio ista, *quomodo scit Deus?* Quod si ita est, *et si est scientia in Excelso* tam inæstimabilis, ut omnia *sciat*, omnia curet, omnia dispenset, atque ordinet, unde ista confusio in rebus, quod peccatores abundantes in sæculo obtinuerunt divitias. Nam

VERS. 12. *Ecce* in evidenti satis omnibus demonstrabile est, quod multi sunt et *peccatores et* tamen *abundantes in sæculo obtinuerunt divitias*, cum econtra justi multi sint egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non est mundus. Illi *peccatores et abundantes in sæculo;* isti sancti et egeni. Illi per violentias iniquas *obtinuerunt divitias* etiam alienas; isti non dico alienas obtinere, sed nec suas tenere potuerunt, quia quanto quis ab iniquitate recessit, tanto magis prædæ patuit. Magna oppositio, magna contrarietas esse peccatorem et abundare divitiis, esse justum et egere necessariis; illum epulari quotidie splendide, istum nec micas de mensa illius cadentes posse obtinere; illum sanitate gaudere, istum diuturna ægritudine languere; mammonæ servientem prosperitatibus florere, Deo servientem variis adversitatibus oppressum dolere. Cum hæc ita sint confusa in magna republica, *quomodo scit Deus*, et quomodo scire credendus est ista, qui non punit perversos et non consolatur pios ac sibi devotos? videtur judex iniquus, qui, sciens iniquos, non punit eos: excusabilior autem esset, si eos nesciret, nec puniret. Nunc autem cum id constet quod omnia *scit* Deus, et *est scientia in Excelso*, grandior mihi *Asaph* orta est non tam quæstio quam conquestio. Nam, cum adhuc Deo servirem pro temporalibus, et

A his magis abundaret serviens dæmonibus, ego turbatus ita dixi, hoc apud me cogitavi.

VERS. 13 et 14. *Ergo sine causa justificavi cor meum : et lavi inter innocentes manus meas.* Ergo, inquam, si Deus, aut inscius aut iniquus est, ego *Asaph sine causa*, id est frustra, *justificavi cor meum* per munditiam sanctæ cogitationis, *et lavi inter innocentes manus meas* per justitiam bonæ operationis, *et frustra fui flagellatus tota die*, cum nihil mihi prosit virtus patientiæ, et *frustra* fuit *castigatio mea in matutinis*, qui non tarde vel sero veni ad inserviendum Creatori, ut quidam pigri, sed in matutino, primo mane conductus ad operandum ac pondus diei et æstus portandum. Non hæc dicit *Asaph*
B confirmando, sed æstimando, quod melius apparet in Hebræo, ubi sic legitur : *Ergone frustra mundavi cor meum, et lavi in innocentia manus meas, et fui flagellatus tota die, et increpatio mea in matutinis, Et dixi : Si narravero sic, ecce generationem filiorum tuorum reliqui.* Sequitur :

VERS. 15. *Si narrabo sic, ecce nationem filiorum tuorum reprobavi.* Ordo verborum est, *Dicebam : Narrabo sic*, non contentus apud me hoc sentire, quod inscius vel injustus esset Deus, atque ideo frustra ei serviretur vel ignoranti vel non curanti, ac proinde non remuneranti servitium sibi exhibitum. Talia mihi proponenti erat languor fortissimus, ita ut non remansisset in me halitus, nisi mihi
C occurrisset et succurrisset auctoritas justorum et sanctorum sententiæ meæ non concordantium. Ideo dicebam : *Si narrabo sic : ecce nationem filiorum tuorum reprobavi;* quia contraria mihi est auctoritas Patrum sanctorum, qui docent Deum non inscium, non injustum, sicut quidam errantes putaverunt. Quorum errore destructo astruitur hoc verum ex auctoritate sanctorum *filiorum Dei*, quod omnia sciente Deo est scientia in Excelso, et cum sit ei cura de omnibus, nullus bonus vel malus erit ipso judicante irremuneratus, cum et boni recipiant mala in vita sua, et mali similiter bona pro his duntaxat meritis, quæ in hac vita sunt remuneranda. Nam quibus æterna debentur præmia sive bona sive mala, in futurum servantur bonis bona et ma-
D lis mala, ita ut peracto extremo judicio nulli bono male, nulli malo bene sit. Sic docet *natio filiorum tuorum* Deus, quam *reprobavi* et reliqui, si aliter et aliud *narrabo*, quam illi. Sic loquendo mecum repressi erroris impetum, ne, qui meam conscientiam polluerat per hæsitationem pravam, etiam alios corrumperet per doctrinam pravissimam. Correctus ergo, ut auctoritati majorum cederem et doctrinæ illorum crederem, post receptam sanæ doctrinæ credulitatem per fidei scalam nitebar ad intelligendam quæstionis hujus puram veritatem, quare videlicet in hac vita iniquis arrideat prosperitas, et justos plerumque tanta vexet adversitas, ut cogatur homo justus aliquando clamare, ac dicere : « Tædet animam meam vitæ meæ (*Job* x, 1). » Item ; « Heu

mihi, quia incolatus meus prolongatus est (*Psal.* cxix, 5). »

Vers. 16. *Et existimabam, ut cognoscerem* per intellectum, quod per fidem acceperam jam tenendum : sed *hoc labor est ante me. Hoc* ad plenum cognoscere *labor est ante me.* Laboriosum est intuitu eorum, quæ sunt *ante me*, id est rerum præsentium, quæ *ante* oculos habemus, in quibus tanti secreti rationem providere non valeo, quia sunt *ante me* quasi murus mihi oppositus. Fateor, quia, victus Patrum doctrina, non possum non credere, quod eos scio credidisse; sed *hoc* ipsum, quod credo, ratione vel intellectu cognoscere *labor est ante me*, cui hoc scire in hac vita penitus est impossibile. Sed non est *labor ante* Deum, quia non est impossibile ante Deum omne verbum. Unde, si et ego fuero *ante* Deum, credo, quod hujus quæstionis transgrediar murum per ipsius auxilium, qui solus aperit et nemo claudit, claudit, et nemo aperit illud sanctuarium, in quo clare videbitur, quod nunc est obscurum. Propterea non dico absolute, quod illud cognoscere *labor est ante me;* sed adjungo :

Vers. 17. *Donec intrem in sanctuarium Dei, et* illic *intelligam in novissimis eorum.* Interim sufficiat mihi scire inscitiam meam, quod primus gradus est ad plenam scientiam. Et in hac provida ignorantia ero prudenter nescius, et sapienter indoctus, contentus fide sola, quæ non solet irrumpere, sed reverenter pulsare ad ostium amici, donec surgat mihique aperiat, quod eatenus clausum erat, et ego, illo aperiente, *intrem in sanctuarium Dei*, secretum videlicet sanctæ contemplationis, quod malis absconditum, bonis vero expressum est in Scripturis veritatis. Vel *intrem in sanctuarium Dei*, quod est Christus in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi, quod *sanctuarium intrare* non est aliud, quam incorporari ejus membris et vivificari atque illuminari spiritu ejus, quem qui non habet, hic non est ejus. Illius ergo spiritu illuminatus et instructus de fine bonorum et malorum, *intelligam in novissimis eorum* Deum fuisse præscium futurorum, quando bonis bona æterna prædestinavit, et malis mala æterna præordinavit, pariterque utrosque de minutis bonis et malis meritis in præsenti vita remuneravit, sicut legitur, quod dives ille, qui guttam aquæ petiit, a patre Abraham audivit : « Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala (*Luc.* xvi, 25). » Sic introductus in *sanctuarium Dei* cognoscam sicut et cognitus sum, non ex parte, sicut modo per speculum et in ænigmate video.

Vers. 18. *Verumtamen* etiam nunc ante *sanctuarium* stans, et reverenter pulsans de quæstione hac prosperitatis malorum aliquid didici, quod prius ignoravi, hoc scilicet, quod tu, Deus *propter dolos posuisti eis. Dejecisti eos, dum allevarentur.*

Pars tertia, in qua prædictus Asaph aperit ex parte causam prosperitatis malorum et suam liberationem dicens : *Verumtamen propter dolos posuisti eis. Propter dolos*, quos intendunt aliis præ terrenis acquirendis, et ipsi capientur dolis et laqueis : Nam « qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli, et desideria multa, et nociva, quæ mergunt homines in interitum (*I Tim.* vi, 9). »

Hebraica veritas habet : *Verumtamen, posuisti eos in lubrico.* Quod idem est in sensu. Nam divitiæ illis *propter dolos* positæ *lubricum* sunt, in quo lubrico per amorem positi stare non possunt, sicut stant, qui veras divitias amant. Unde ait sanctus papa Gregorius (27) : « Si vere, fratres, divites esse cupitis, veras divitias amate. » Idem quoque dicit in Job (28) : « Reprobi cum recta opera divinis operibus non rependunt, cum totos se hic deserunt et affluentibus prosperitatibus dimittunt, unde exterius proficiunt, inde ab intimis cadunt. Hinc est quod in inferno cruciato diviti dicitur : Recepisti bona in vita tua, idcirco enim bona hic recepit et malus, ut illic plenius et mala reciperet, qui hic fuerat nec per bona conversus. Non ergo ait : Dejecisti eos postquam elevati sunt : sed cum allevarentur, quia hoc ipsum fit superbis interius dejici, quod eis falsa contingit gloria exterius elevari. Ordinante enim divino judicio non eis aliud culpa est, atque aliud pœna; sed sua illis in pœnam convertitur culpa, ut elevatis fastu superbiæ hoc ipsum sit vere intus cadere, quod foris ostenduntur profecisse. »

« Væ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis, (*Isa.* xxxiii, 1) » ait propheta, quoniam, qui prædam facit homini, præda efficitur diaboli : similiter hoc loco dicere possumus : Væ, qui dolo alios capis et decipis, nonne et ipse dolo capieris et decipieris? Aufert enim æterna ipse amor temporalium, quæ dolose aliis auferunt homines dolosi. Justo igitur judicio tu Deus sciens omnia doli figmenta *propter dolos*, licet hominibus absconditos, tibi tamen manifestos, *posuisti* dolosis ipsas divitias dolo acquisitas quasi decipulam, qua capiantur et dejiciantur. Nam *dejecisti eos* non solum postquam elevati sunt, sed *dum allevarentur* ad similitudinem rotæ, quæ, dum in posterioribus elevatur, in anterioribus dejicitur; sicut et isti, dum in exterioribus elevantur, in anterioribus de alto præcipitantur. Quo? in foveam profundam sempiternæ desolationis, quam comminatur Veritas dicens : « Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram : væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis : væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis (*Luc.* vi, 24, 25). » Magna utique desolatio erit illis perdentibus temporalia quæ amaverunt, et non obtinentibus æterna bona quæ neglexerunt. Propterea ego *Asaph*, ego fidelis congregatio intelligens in novissimis eorum grande periculum, et exitum, pro tanti erroris magnitudine compellor exclamare :

(27) Hom. 15 in Evang.
(28) Lib. xxxii Moral. cap. 9, et Cur. Pastoral. part. iii, cap. 26.

VERS. 19 et 20. *Quomodo facti sunt in desolationem!* Non hoc dico interrogando sed admirando, sicut et Jeremias ait: « Quomodo sedet sola civitas plena populo! (*Thren.* I, 1.) » Quia videlicet magna desolatio est ista vastari civitatem plenam populo, ut omnibus ejus civibus aut fugatis, aut captivatis, aut occisis redigatur in solitudinem, quod accidisse legimus in excidio civitatis Jerusalem primo per primam Babylonicam, secundo per secundam; quoniam et Roma dicta est Babylonia in Epistola Petri apostoli dicentis, cum esset Romæ: « Salutat vos Ecclesia in Babylone collecta (*I Petr.* v, 13). » Sicut ergo Babylonicis vel Romanis interfectores prophetarum, sapientum et Scribarum atque ipsius Christi traditi atque ab eis vastati *facti sunt in desolationem*: sic in novissimis eorum, qui prophetas et sapientes odio habent, æterna desolatio eveniet, quod mihi *Asaph* ita certum est esse futurum ac si jam videam factum. Unde magis verbis præteriti quam futuri temporis enuntio, quod in novissimis eventurum scio. Dico ergo: *quomodo facti sunt in desolationem*, id est qualiter sunt desolati amissis rebus in morte, qua repente veniente *subito defecerunt*; et quia novissima et mori habent commune cum bonis, addit, in quo differunt: *perierunt*. Quare? *propter iniquitatem suam*. Qualiter? *velut somnium surgentium* vel exsurgentes. Pauper accubat, somniat habere divitias, thesauros, honores et hujusmodi. Sed quæ clausis oculis habere videtur, apertis non habet. Sic et malis, cum de hac vita, qua cæci dormiunt, evigilaverint, moriendo nihil invenient, nisi miseriam. Vere. Nam, *o Domine*, etc. *Civitas* malorum, quam ædificavit Cain, terrena est, de qua ipsi abstulerunt *imaginem* Dei, et suas imagines vel effigies exstruxerunt, dum alius ferocitate factus est leo, alius levitate avis, alius sus libidinis sorde, alius asinus torpore et hujusmodi. Temporalem quoque felicitatem duxerunt, quæ tamen non est vera felicitas, sed ejus *imago*, id est similitudo. Hanc ergo quamcunque *imaginem*, quæ est *eorum*, id est quam ipsi fecerunt, o Domine, tu *rediges ad nihilum in civitate tua*, cœlesti Jerusalem. Nam etiam hic in parte civitatis tuæ adhuc peregrinantis *imaginem ipsorum ad nihilum redigis*, quos deposita vetustate peccatorum in novitate vitæ ambulare, ac tibi conformes fieri facis tu, Christe, qui es connaturalis imago Patris, cui conformandi sunt omnes ejusdem Patris adoptivi filii. « Nam, quos præscivit, hos et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus (*Rom.* VIII, 29). » Sicut enim quodlibet metallum in igne liquefactum formas, quas prius habuit natura sua permanente, amittit, formamque ipsius ignis induit: sic *in civitate* tua Jerusalem, quæ sursum est libera, omnes ipsius cives a peregrinatione hac, in qua sumus liberati, tuique amoris igne inflammati erunt conformes imaginis Filii tui, qui cum sis ignis consumens rubiginem, consummans aurum Filiusque tuus tibi coæternus et consubstantialis ignis et splendor gloriæ ac figura substantiæ tuæ non possunt tuo ipsiusque amore, qui est Spiritus sanctus, inflammati esse dissimiles tibi. « Nunc enim filii Dei sumus, sed nondum apparuit quod erimus. Cum autem apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III, 5), » ait Joannes ille præcipuus amator et civis illius civitatis, in qua *imaginem ipsorum ad nihilum rediges*, qui te oderunt, et *imaginem* Filii tui clarificabis in adoptivis filiis, quos inflammabis. Nec mirum si tunc inflammabis, quando clare videberis facie ad faciem.

VERS. 21 et 22. *Quia* et nunc *inflammatum est cor meum*, ex quo mentis intuitu et fidei gressibus intravi in sanctuarium Dei, et intellexi in novissimis, quod intelligere non poteram in primis. *Inflammatum est cor meum* nunc zelo justitiæ, Deo gratias. Sed prius, quando zelavi in peccatoribus pacem peccatorum videns, inflammatum fuit *cor meum* zelo stultitiæ, cum divitibus iniquis graviter inviderem, et bonos in egestate viderem, atque super hoc dolerem. Nunc autem zelo meliore *inflammatum est cor meum*, cum et bonos et malos æmulor Dei æmulatione, illos cupiens de bono semper in melius augmentari, et istos a malis ad bona commutari. Scio enim ex domestico argumento illud esse Deo possibile, per cujus gratiam *et renes mei commutati sunt*, cum temperata, seu restincta delectatione carnali, quæ regnabat in renibus meis, melior ei delectatio successit, de qua dicitur alias: « Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui (*Psal.* XXXVI, 4). » Item: « Delectationes in dextera tua usque in finem (*Psal.* XV, 11). » Prius autem, cum delectatus in bonis temporalibus invidi habentibus, *ad nihilum redactus sum*, per invidiam et æmulationem stultam. Nam, « etsi habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, charitatem autem » quæ non æmulatur, quæque benigna est, « non habuero, nihil sum (*I Cor.* XIII, 2): » quanto magis zelo æmulationis malignæ tabescendo *ad nihilum redactus sum* non habendo saltem scientiam ipsius peccati mei, quod erat profunda ignorantia jumentorum insipientiæ comparanda? Ideo peccatum et ignorantiam meam confiteor dicens: *Ad nihilum redactus sum, et nescivi.*

VERS. 23. *Ut jumentum factus sum.* Scio enim quod sicut « homo, cum in honore esset, non intellexit » honorem ipsum, « comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis (*Psal.* XLVIII, 13 et 21), » ita homo, cum in peccato est et non intelligit ipsum peccatum, comparatur jumentis, maxime cum diligens terrena et negligens cœlestia non ut homo rectus incedit, sed ut pecus prono vultu graditur. Sic ego *factus sum ut jumentum* sola terrena appetendo, non petendo tamen eadem vel a dæmonibus vel ab idolis gentium sed a Deo vero. Ideo dico: *Et ego semper tecum.* Nam quantacunque mihi fuerit appetitio terrenorum, non ea tamen quæsivi nisi a te Deo vero, te solum colendo, et in hoc *ego semper tecum* fui et ero. Fui *tecum* tempore

ignorantiæ; cum pro talibus adipiscendis te putavi colendum spretis invisibilibus et æternis bonis. Multo magis amodo ero *tecum* sciens in tui cultu primo et principaliter cœlestia quærenda, quibus adjicientur hæc omnia, quæ tibi servientibus erunt necessaria. Ideo *ego semper tecum*, quod propono mihi firmissime tenendum ex mea virtute, quæ nulla est, quoniam et in hoc ad nihilum redactus sum, ut sine te nihil posse me facere sciam, sed ex tuæ virtutis tuæque gratiæ adjutorio, cujus in hoc experimentum certum habeo, quod ex quo *factus sum ut jumentum* ad ferenda onera tua mansuetum et subditum, ita ut in hac obedientia *ego semper tecum sim*, tu

VERS. 24. *Tenuisti manum dexteram meam*, id est opera mea, *et in voluntate tua* gratuita *deduxisti me, et cum gloria suscepisti me*, id est adhuc suscipies me. Nam pro magna futurorum certitudine præteriti temporis verbo rem futuram enuntio. Scio enim quod, cujus *dexteram tenuisti*, quando videns ventum validum timensque mergi clamavi ad te, quemque *in voluntate tua* gratuita nullis meritis præventa *deduxisti*, hunc tandem *cum gloria* suscipies in regnum tuum. Atque ideo, quod credo et spero futurum, enuntio quasi præteritum et jam factum prophetico more, ut ibi : « Foderunt manus meas et pedes meos (*Psal.* XXI, 18), » dictum est de passione mea futura, sicut istud dicitur de gloria mea futura, qui psallo et loquor in *Asaph*, quia ego Christus ille sum David, cujus non deficient laudes, nec unquam defecerunt, etiam quando laudes defecerunt David filii Jesse carnalis, populi nati carnaliter ex Jesse.

Mihi ergo principaliter congruit, quod hic dictum est : *Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum. Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me.* Nam, cum in forma Dei essem, non rapinam arbitratus sum esse me æqualem Deo Patri meo; sed memetipsum exinanivi formam jumenti accipiens ad portandum illum semivivum, cujus me feci proximum faciendo misericordiam in illum. Et quidem ad hoc missus fui a te, Pater. Sed tamen *ego semper tecum* et tu mecum et non reliquisti me solum, quia tibi placita feci et facio semper Deus potens æque ut tu, quia ego et tu, Pater, unum sumus. Poteram itaque restitisse crucifixoribus meis; sed tu, Pater, sic *tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me*, ut oportuerit me dicere : « Pater non mea voluntas, sed tua fiat (*Luc.* XXII, 42). » Et quia, te tenente dexteram meam, id est opera mea bona et divina dirigente, obedivi ad voluntatem tuam, ideo tandem consummata obedientia *cum gloria suscepisti* et assumpsisti *me* in thronum celsitudinis tuæ, dans mihi nomen, quod est super omne nomen, ita ut dicere possem : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII, 18). » Primo quidem in conceptione *suscepisti me*, id est naturam meam humanam uniendam Verbo tuo, et erat utique in susceptione ista magna gloria, qua major

A non est, sed ista gloria fuit occulta, donec per gloriosam resurrectionem et admirabilem ascensionem sanctique Spiritus effusionem clare manifestatum est, quod oportuerat me pati, et sic per passionis contumeliam intrare in gloriam meam. Propterea cum potuisset manus mea dextera, quæ est Divinitatis meæ potentia, defendisse manum sinistram, id est humanitatem meam tot miseriis et contumeliis expositam, tu *tenuisti manum dexteram meam* vel manum dexteræ meæ, id est potentiam Divinitatis meæ, qua me potueram de manibus inimicorum excussisse atque illos in infernum dejecisse, quibus cum semel dixissem : « Ego sum, abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram (*Joan.* XVIII, 6). » Nisi ergo tu, Pater, manum meam dexteram tenuisses

B qua virtute feci, ut caderent in terram, eadem facere potuissem, ut caderent in abyssum. Sed *tenuisti manum meam* per obedientiæ vinculum astrictam, *et in voluntate tua deduxisti me* de cœlo in uterum virginis, de utero in mundum, de mundo in infernum, de inferno rursus in mundum, et deinde assumpsisti me *cum gloria* in cœlum tecum regnaturum in humanitate jam glorificata, sicut ab æterno regnavi tecum in Divinitatis meæ gloria æterna.

In Hebræo legitur : *Contractum est cor meum, et renes mei resoluti sunt. Et ego insipiens, et nescius quasi jumentum factus sum apud te, et eram semper tecum, et tenebas manum dexteræ meæ. In consi-*

C *lium tuum deduces me, et postea in gloria suscipies me.* Quibus in verbis aperte sonat et de peccatis perpetratis confessio, et de virtutibus gratiæ gratis collatæ gratiarum actio, et futurorum bonorum certa exspectatio. Nam quod dico ego *Asaph : contractum est cor meum*, idem est ac si dicam : Non habui charitatem, cujus latum mandatum in corde susceptum dilatat ipsum cor, quod per invidiam zelumque malum contractum non potest pariter esse in charitate dilatatum, sive ut supra diximus, *inflammatum.* Confiteor itaque quod *contractum est cor meum* per invidiam, sicut aliquando corium contrahitur siccitate nimia. *Et renes mei resoluti sunt*, quia delectatio carnalis nullis inhibita frenis, corde licet per malitiam contracto, per delicias de-

D fluxit renibus resolutis, quia eram sine illa justitia, quæ cingulum lumborum est, et sine fide, quæ cinctorium renum est. Eram igitur in grandi periculo corde siccus, carne dissolutus, et hoc ipsum intelligendo *ad nihilum redactus, et insipiens, ac nescius quasi jumentum factus sum.* Gratias tibi, Domine, qui me in hamo et freno constringens de stulto jumento et indomito fecisti sic mansuetum, ut *ego semper tecum* fuerim, ex quo tenebas *manum dexteræ meæ*, id est opera mea bona, quæ pertinent ad dexteram, sicut mala pertinent ad sinistram. Tu tenebas in dextera tua sustentando me, ne incipiens mergi totus mergeret, gradiens ad te super mare, ubi periculose ambulassem, nisi dexteram meam tu tenuisses, et ad portum salutis deduxisses, ac de

portu ad littus omnino solidum, ubi nullum deinceps periculum sit timendum, quod mihi futurum in Spiritu veritatis propheto dicens : *In consilium tuum deduces me, et postea in gloria suscipies me.* Consilium Dei quasi portus est optatus ab hoc mari magno et spatioso fugientibus : verbi gratia, virginitas et voluntaria paupertas, devotaque Patrum per omnia et in omnibus obedientia usque ad mortem. Quæ omnia hisque similia vitæ arduæ instituta quasi portus quidam excipiunt eos, qui undosas mundi hujus procellas fugiunt, quæ solo mandatorum navigio deditos aliquoties obruunt. De hoc portu ad littus æternæ stabilitatis facile venitur, ubi gloria æterna invenitur. Hoc ego *Asaph* in spe certa mihi promitto de tuo, Deus, adjutorio, qui *in consilium tuum deduces me*, ut a te audiam libenter et obedienter non solum proponentem salubria mandata, sed et saluberrima perfectionis consilia, *et postea in gloria suscipies me* consummata et servata usque ad mortem virtute obedientiæ, quæ velut scala patriarchæ Jacob ostensa per observantiam mandatorum terræ innititur, sed per observantiam consiliorum usque ad cœlum exaltatur dicente veritate : « Vende quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me, et habebis thesaurum in cœlo (*Matth.* XIX, 21). »

VERS. 25. *Quid enim mihi est in cœlo? Mihi* non solum præceptis, verum etiam consiliis divinis obedienti, et ob hoc thesaurum in cœlo habenti *quid* et quantum boni repositum est *in cœlo?* Abhinc *pars quarta* psalmi coarguit priorem stultitiam, qua terrena cœlestibus præferebantur ab his, qui Deum laudabant et laudandum putabant solummodo vel maxime pro sospitate corporis et prosperitate vel affluentia rerum temporalium. Hujusmodi autem laudes non defecerunt ex toto in Dei populo, priusquam Dominus noster Rex omnium sæculorum adveniret, et ex his, quæ passus est, confirmaret nos, ne scandalizaremur malos prosperari, bonos autem injuste opprimi videntes. Quis enim justus videns ipsam justitiam esse crucifixam ab his, quorum iniquitas quasi ex adipe prodiit, qui in labore hominum non erant et cum hominibus non flagellabantur; quis, inquam, justus cum sibi aliquid simile contigerit, dicat jam : *Ergo sine causa justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas?* Nam si narravit sic, *ecce nationem filiorum Dei*, imo ipsam naturalis Filii Dei passionem reprobavit. Bene ergo in commemoratione flagellati et crucifixi hujus naturaliter justi et boni Filii, die palmarum cantant filii adoptivi per illum justificati vel justificandi : *Quam bonus Israel Deus rectis corde!* ut isto cantico instructi etiam inter adversa Deum laudemus, et non moveantur pedes nostri, id est ratio et judicium nostrum, quando pacem peccatorum videmus, neque nosmetipsos, etiam cum possumus, vindicemus, sed Deo justo et pio vindictam reservemus, qui eo ipso tenet manum nostram, quo dicit : « Mihi vindictam, et ego retribuam (*Deut.* XXXII, 35). » Sic tenuit manum Filii sui tempore passionis, ne se tunc vindicaret, exemplum dans nobis, ut et nos ita faciamus, animasque nostras in patientia possideamus, quia « tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero spem (*Rom.* V, 3, 4), » qua speremus cœlestia, non terrestria.

Quid enim mihi est in cœlo? Et a te quid volui super terram? Non dico definite : hoc vel illud bonum repositum est mihi *in cœlo*, sed indefinite significans utcunque illud summum præmium, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, præ admiratione magna exclamo ego *Asaph* dicens : *Quid enim mihi est in cœlo? Quid?* Hoc est quantum? quam magnum? quam inæstimabile præmium mihi præparatum *est in cœlo*, si Deum diligo? Nam se diligentibus dabit se, quod est præmium inæstimabile. Hoc tu, Deus, præparasti diligentibus te, ac proinde stulte aliud appetivi pro te. Vilis commutatio lutum captasse pro auro, terram pro cœlo, creaturam transitoriam pro Creatore ipso! *Quid enim mihi est in cœlo?* Magnum *quid* verbis exprimi non potest, acquiri potest, æstimari non potest.

E contrario *a te quid volui super terram?* Delicias voluptatum? breves sunt et in æternas pœnas mittunt. Nam quasi putredo vermes gignunt, qui conscientiam rodentes non morientur in æternum, quia nec ignis eorum exstinguetur, nec vermis eorum morietur, quibus in judicio dicetur : « Ite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV, 41). » *Quid volui super terram?* Puta hujus mundi gloriam. Sed, o quam inanis, quam fallax est gloria, quæ quasi flos feni cito decidet, et sui amatores in æternam confusionem demerget! Consideratis in hunc modum singulis et omnibus, quæ *volui super terram*, non invenio aliud me captasse nisi umbram ad similitudinem canis, de quo in fabulis dicitur, quod portans in ore frustum carnis, dum in lignea semita transiret aquam, vidissetque in aqua carnis umbram, capessendo umbraticam perdidit carnem veram. Sic et ego desiderando falsa et umbratica bona *super terram* perdidi vera, nec ea ullatenus possum rehabere nisi vere pœnitendo, et his, de quibus pœniteo, contraria faciendo. Est autem primus gradus pœnitentiæ deficere a malo, secundus proficere in bono. Propterea

VERS. 26. *Defecit caro mea et cor meum. Defecit caro mea* pœnitentiæ castigationibus afflicta, ut ad mala opera sit languida. *Defecit et cor meum* a consuetudine ac studio cogitandi vana et inutilia, quæ si aliquando memoriæ oculos diverberant, ad cordis tamen voluntariam approbationem propterea non attingunt, quia ejus intima secreta melioribus desideriis occupata sunt. Nam *Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum*, quod est dicere : *Deus* possidet cor meum, et ego vicissim possideo eum. *Deus cordis mei*, subaudis : possessor est : *et pars mea*, id est possessio mea *Deus* non ad horam gau-

dente me vel exsultante in hac luce, *sed in æternum.* A *Deus cordis mei* eo pondere dictum est, quo dicitur : *Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob*, eo quod generaliter creator omnium, sit specialiter non solum creator sed et amator illorum. Sic et *cordis mei* non solum creator, sed et amator in eo cognoscitur, quod et ipse vicissim a corde meo præ omnibus creaturis amatur. Unde non in me, sed in ipso gloriando humiliter dico : *Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.*

Convenienter hoc dicit *Asaph*, id est congregatio eorum, qui sic assumuntur in clerum, ut non habeant hæreditatem seu possessionem propriam in terra, sed sit Dominus *pars*, et hæreditas eorum, et ipsi quoque sint *pars* et hæreditas Domini, sicut scriptum est in lege Domini : « Filiis Levi non dabis hæreditatem, ego Dominus ero hæreditas eorum (*Num.* XVIII, 20). » Cum ergo singulis veris Christianis dicere conveniat : *Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum*, præcipue illis congruit, quibus in terra non habentibus et habere nolentibus hæreditatem ipse Deus dignatur fieri hæreditas, ita ut confidenter dicere possint : *Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.* Ecce *quid mihi est in cœlo!* Eligant alii alia, *pars mea Deus* est. Petat filius adolescentior partem, quæ se contingat, et in regionem longinquam abeat, ego jam de regione longinqua reversus ad patrem præter ipsum non peto hæreditatem : ipse mihi de cætero sit hæreditas, ipse *Deus cordis mei* cultor et inhabitator sit atque possessor *in æternum, et pars mea Deus* ipse *in æternum*, a quo ulterius non abibo in regionem longinquam. Quoniam

VERS. 27. *Ecce qui elongant se a te, peribunt*, subaudis : nisi pœnitentiam egerint. Hoc enim subaudiri oportet in pluribus Dei comminationibus, ut ibi : « Omnis, qui acceperit gladium, gladio peribit (*Matth.* XXVI, 53), » subaudis : nisi pœnitentiam egerit. *Qui elongant se a te, peribunt*, non qui se aliquando elongaverunt, et postea resipuerunt, sicut ego *Asaph* elongatus a te ut jumentum factus sum, sed non nimis longe recessi a te, qui fui apud te ipsa temporalia, quæ dilexi, non quærens nisi a te. Tandem vero cognoscens, quod sicut talia non sunt quærenda nisi a te, sic nec appetenda sunt nisi propter te, sicut, verbi gratia, navis a transmarino peregrino ad hoc solummodo quæritur, ut ad patriam, quæ diligitur, perveniatur : elegi non solum esse apud te petendo hæc a te, non ab idolis gentium, sed etiam *semper* esse *tecum* dicens : *Et ego semper tecum*, diligendo videlicet solum te præcipue, ac post te vel in te, quid mihi prosit ad consequendum te. Dixi ergo : *Ego semper tecum.* Sed et tu ex tunc fuisti semper mecum. Nam *tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me*, quod supra expositum non est iterato exponendum.

Me itaque dicentem et firmiter proponentem, ut sim semper tecum, *tenuisti et in voluntate tua deduxisti.* Sed *qui elongant se a te, peribunt*, sicut jam plurimi tales perierunt. Nam *perdidisti omnem, qui fornicatur abs te*, idola colendo vel aliquid præter te, contra te ac plus quam te diligendo, quæ est magna fornicatio, cum tu solummodo vel saltem præcipue sis amandus amore casto, quo gratis te amantes in te solo habent omnia, quia te primo et principaliter quærentibus adjicientur omnia tali studio expedientia et utilia, sive prospera propter tales fovendos, sive adversa propter eos exercendos. Unde stulti sunt, qui a te recedunt, et hoc sibi utile credunt.

B VERS. 28. *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Deo spem meam, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. Mihi adhærere Deo* per fidem *bonum est, ponere in Domino Deo spem meam* similiter *bonum est*, ne sit fides absque spe. Super omnia vero bona *bonum est* habere tantam charitatem, ut et ego ipse te Deum laudem, aliis quoque *annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion*, quoniam veri amatoris est negotium et studium, id quod amat, laudare et coamatores allicere.

Aliter : *Mihi adhærere Deo*, id est facie ad faciem videre illum, summum *bonum est*, atque interim, dum hoc esse non potest, *bonum est* mihi *ponere in* C *Deo spem meam*, quatenus lacte fidei et spei nutriat ad visionem speciei et rei, qui fortasse ideo differor ab introitu civitatis diu desideratæ, in qua imagines inimicorum ad nihilum rediges, *ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion* sive in atriis *filiæ Sion.* Per *portas* vel atria *Sion* cœlestis, videlicet Ecclesiæ Deum speculantis, peregrinantis Ecclesiæ intelliguntur sancta exercitia, quæ dirigunt ad aulæ cœlestis illa ædificia, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, neque cor humanum comprehendit. Extra hujusmodi *portas* vel atria, quibus ambitur et unitur universa Ecclesia, laus omnis est inanis. Ideo proposui, *ut annuntiem omnes laudationes tuas* Deus non extra, sed *in atriis* vel *portis filiæ Sion*, id est Ecclesiæ peregrinantis, quæ filia est Ec- D clesiæ jam regnantis. Illa enim, quæ sursum est, libera est, quæ est mater nostra, cujus est filia nobilis Ecclesia laborans in terris conjuncta illi per vinculum illinc maternæ, isthinc filialis dilectionis.

Gloria Patri Deo Israel, qui bonus est rectis corde. *Gloria Filio Deo*, cujus dexteram manum Pater tenuit, atque in voluntate sua illum deduxit et cum gloria assumpsit. *Gloria Spiritui sancto* vero et vivo *Deo*, qui est illa Patris voluntas in qua ipse Pater deduxit Filium voluntarie obedientem in humanitate sua propter hominum salutem. Amen.

PSALMUS LXXIII.

Vers. 1. *Ut quid Deus repulisti in finem?* Psalmi hujus titulus est:

INTELLECTUS ASAPH.

Intellectum quippe habentes, et sapienter psallentes in hoc psalmo quæstiones proponunt dicendo: *Ut quid, Deus, repulisti in finem, iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ?* etc. Licet hujusmodi quæstiones proponant, non tamen id dubitando, sed aliorum saluti et instructioni providendo faciunt, ut prius positis quæstionibus attenti, et deinde solutionibus edocti exemplo eorum justo Dei judicio applaudant, nec de tribulatione fidelium contristentur, sed gaudeant spe, scientes quia dura et aspera patiendo perventuri sunt ad gloriam. *Asaph* synagoga, quæ cum sit quorumlibet congregatio, proprie tamen dicitur populi Israel. Huic Vetus Testamentum datum est, quod continet tria, scilicet præcepta, promissa, sacramenta. Præceptorum vero quædam fuere moralia, ut *Non occides;* quædam figuralia, ut circumcisio in die octavo; promissa vero temporalia, ut terra Chanaan copiosa et regnum temporale. In his autem præceptis figuralibus et promissis quædam alia promittebantur spiritualia, unde ipsa præcepta, et promissa erant rerum in se latentium sacramenta.

Præter hæc autem sacramenta figuralium præceptorum et promissorum fuerunt alia sacramenta, ut in venditione Joseph et hujusmodi. Sicut autem primus homo de terra terrenus, secundus vero de cœlo cœlestis: ita illi populo, qui portabat imaginem terreni prius oportebat promitti, quod animale est, id est, temporalia; deinde portanti imaginem cœlestis illud quod spirituale est, id est æterna. Sic ergo erudito animali populo in temporalibus volens eos Deus spiritales fieri, temporalia abstulit eis, et abundanter dedit iniquis, ut per hoc doceret ea, quamvis data a Deo, tamen non esse vere bona. Hic divisa est Synagoga in bonos et malos. Nam boni fuerunt qui prius videntes pacem peccatorum hæsitaverunt, sed ab hoc conversi sunt postea, ut solum peterent Deum sicut continet superior psalmus. His Novum Testamentum datum est, quod continet similiter tria, scilicet præcepta, promissa, sacramenta. Sed præcepta moralia eadem, quæ fuerunt in Veteri: non vero figuralia eadem. Promissa quoque et sacramenta non eadem. Ibi enim temporalia, sicut dictum est, promittebantur, hic æterna. Sacramenta etiam esse diversa manifestum est. Nam ibi promittentia, hic habentia Salvatorem. In quo nunc promittitur, in futuro dabitur salus. Illa ergo fuere sacramenta nunc præsentium, hæc futurorum. Illa enim Salvatorem, hæc salutem promittunt. Hic est *intellectus Asaph* id est fidelis synagogæ.

Denique quia quod tenetur, non est opus promitti, quia jam veritas venit, ablata sunt figuralia, sicut regnum, sacerdotium, templum, circumcisio et hujusmodi. Hic mali altera pars synagogæ non attendentes cœlestia, quæ promittebantur grandibus, timentes terrena amittere quæ acceperant parvuli, occiderunt Christum qui dederat, propter quod et illa amiserunt et ipsi occisi sunt. Ut autem tempus quoque causam ostenderet, revolutis quadraginta duobus annis in ipsa festivitate, qua Dominum occiderunt, a Tito et Vespasiano passi sunt et civitas eversa, quod in hoc psalmo plangit *Asaph.* Dicitur autem planctus iste *intellectus Asaph,* quia dum plangit causam irreparabilis eversionis, intelligit hanc, scilicet ut homo, relictis terrenis et Veteri Testamento, desinat esse animalis et exspectet cœlestia in Novo Testamento factus spiritalis, quæ est intentio psalmi.

Modus talis est. Primo deplorans destructionem irreparabilem precatur, ut saltem reliquiæ salvæ fiant, memorans quando et qualiter Judæi Deum irritantes destructi sunt. Secundo destructis signis ostendit rem ipsam, scilicet adventum Christi et salutem ubique per ipsum ibi: *Deus autem.* Tertio orat, ut Deus pœnitentibus parcat et Romanorum superbiam utiliter puniat ibi: *Memor esto.* Primus psalmus lamentationis, sed de ultima captivitate facta per Titum. Sequuntur alii duo de lamentatione, scilicet: *Deus venerunt gentes,* et: *Super flumina.* Attende vero quanta fuerit in Propheta misericordiæ amplitudo, qui cladem diu venturam deplorat in prosperis non aliter, quam Jeremias, qui visa captivitate deflexit. Est autem hoc genus dicendi plenum charitate, qua docemur flere cum flentibus. Ideo subversio civitatis deploratæ describitur, ut duritia Judæorum vel calamitatibus terreretur.

Prophetans ergo captivitatem ait in persona fidelis synagogæ: *O Deus,* tu *repulisti* populum tuum, sicut sæpe repulisti nos, *et destruxisti nos, iratus es, et misertus es nobis.* Quibus alternantibus *ostendisti populo tuo dura* pariter et suavia, per dura dans *metuentibus te significationem, ut fugerent a facie arcus,* per suavia, ut est pax et rerum temporalium copia, provocans ad æterna magis quam hæc appetenda. Sicut enim per dura temporalia, quæ natura ipsa docet fugienda, datur significatio te metuentibus, ut fugiant a facie arcus: sic per suavia temporalia, quæ natura ipsa monet appetenda, datur significatio te diligentibus, ut appetant æterna æternaliter suavia. Si enim per multa impendia difficilia laborant homines evadere vel cavere morbos temporales, quanto magis debent laborare,

ut evadant et caveant pœnas æternales? Item : Si magno studio diligitur et servatur salus corporum temporalis, quæ tandem, velimus nolimus, abscindenda est morte, contra quam nulla valet ars medicinæ, quanto majore studio laborandum est pro salute animæ non moriluræ? Propterea nunc aspera, nunc prospera vicissim populo tuo sæpe ostendisti, quia in his illum erudisti; sed sola modo dura durare video in finem, ex quo repulisti populum tuum in finem. Quod videndo et admirando ego *Asaph* cum dolore ac gemitu dico :

Ut quid, Deus, repulisti in finem? Repulisti quidem justo judicio, sed tamen occulto, populum tibi peculiarem a te et a tua defensione, atque ideo non contra justitiam ferientis murmuro ego *Asaph* intelligens te justum, sed inquiro illud, quod est occultum, qua videlicet ex causa illud sit justum, quod *repulisti* populum tuum non ad modicum tempus castigandum et cito liberandum, sicut sæpe liberasti eos de manibus gentium, quæ dominatæ sunt eorum, verbi gratia, per Gedeonem, per Samsonem, per Samuelem, per David regem, cæterosque salvatores et propugnatores. Nunc autem *repulisti in finem*, quoniam usque in *finem* sæculi sunt repulsi, et tunc non omnes convertendi, sed juxta Prophetam reliquiæ tantum, id est ex pluribus pauciores. Nam ubi ait apostolus : « Cum plenitudo gentium introierit, tunc omnis Israel salvus fiet (*Rom.* XI, 25 et 26), » subauditur : præordinatus ad vitam, ne contraria sentire videantur prophetarum eximius Isaias, et ipse doctor gentium Apostolus. Quosdam etiam ex illis ita *repulisti in finem* ut eos flagellis tuis eruditos mitteres et compelleres *in finem*, id est in Christum, qui est « finis legis ad justitiam credenti (*Rom.* X, 4), » qui est principium et *finis* A et Ω, initium rerum et consummatio. Quod manifeste impletum est in Paulo apostolo, quem plaga evidenti cæcitatis percussum *repulisti* a synagoga Satanæ et cæca et non intelligente ad *intellectum Asaph*, cujus in hoc psalmo titulus præfulget, quia ipse est *Asaph*, synagoga scilicet fidelis, cujus *intellectus* in præceptis ac cæremoniis legalibus totus tendit in Christum, quem fidelis *Asaph* intelligit omnis consummationis *finem*.

De his ergo non est querela, qui sic repulsi *in finem* consummationis et perfectionis dimissa figura tenuerunt veritatem, sed de his, qui repulsi sunt *in finem* defectionis usque adeo ut, non solum interius, verum et exterius deficerent in animabus mortui, in corporibus partim occisi, partim captivi et dispersi omnique cultu legalis pariter et evangelicæ observantiæ destituti, utpote neque templum neque sacerdotium, neque altare secundum legem habentes vel secundum Evangelium, ut sint omnino vastati ac desolati *in finem*, ultima scilicet captivitate facta per Titum et Vespasianum, qui quasi duo ursi de saltu Romani imperii venerunt et stultos pueros veri Elisei derisores dissipaverunt. In quo apparet quod non ut antea simpliciter et breviter es iratus,

A sed *iratus est furor tuus*, non dico singillatim iratus es aut furibundus es, sed dico : quod *iratus est furor* tuus, ut hac geminatione magnitudo iræ ac pariter furoris tui ostendatur. Et hoc non super hostes, sed *super oves pascuæ tuæ*, cum sit quodammodo naturale in illos parcius vindicare, qui domestici erant quandoque. Non in hoc judicium tuum ego *Asaph* reprehendo, sed proximis compatiendo cum admiratione conqueror dicens : *Ut quid* hoc fecisti? *ut quid* tantum furorem et iram *super oves* quondam *pascuæ tuæ* induxisti? Nonne tu, cum « iratus fueris, misericordiæ memor eris? (*Habac.* III, 2). » Igitur ne in hac ira tua misericordiæ immemor aut obliviscaris misereri, Deus,

VERS. 2. *Memor esto congregationis tuæ, quam*
B *possedisti ab initio*, ut tu, pius judex, consueta beneficia plus attendas, quam errata ovium te pastorem non agnoscentium. *Memor esto*, inquam, *congregationis*, *quam* non in fine sæculorum sicut gentes collegisti, sed *possedisti ab initio*. Nam, cum dimitteres omnes gentes ingredi vias suas temporibus multis ab initio mundi, a generatione mala Cain fratricidæ generationem hanc distinxisti, de qua tu, Deus homo, nasci voluisti. Huic signaculum circumcisionis et jugum legis posuisti. Huic patriarchas, judices, reges et prophetas disposuisti, quia eam sub disciplinæ tuæ freno possidere dignatus es, cum cæteras gentes quodammodo negligeres, neque aliquos ex eis operarios in vi-
C neam tuam conduceres usque ad hanc horam undecimam, in qua finis mundi creditur propinquus.

Non solum vero populum tuum hunc *possedisti ab initio* secernendo illum a populo non tuo per signum circumcisionis, et alia multa, verbi gratia, illorum sacrificia et hostias tanquam generationis Abel respiciendo, aliorum vero tanquam generationis Cain licet recte offerentis, tamen non recte dividentis, non respiciendo : sed et postea cum peccassent vendendo fratrem innocentem, et ob hoc fame urgente venerunt in Ægyptum, redigendi videlicet illic in servitium propter fratrem suum a se venundatum in servum, tu recordatus patrum fidelium, scilicet Abraham, Isaac et Jacob misertus es filiorum, et mittendo illuc virgam *redemisti virgam*.
D *Virga* quippe Moysi, per quam signa faciens populum tuum *redemisti*, hunc ipsum populum tuum significavit, qui et ipse quodammodo *virga* tua fuit, quia per eum multas gentes flagellasti, ut propter uxorem Abrahæ assumptam in domum Pharaonis ipse Pharao ac domus ejus flagellata est plagis magnis, ac postea majoribus plagis alter Pharao flagellatus est per hunc et propter hunc populum tuum, *virgæ* Moysi assimilatum, qua etiam *virga* duodecim gentes ejecisti de terra sancta sanctis tuis promissa. In quo autem gens ista *virgæ* Moysi assimilata est? in eo videlicet, quod, sicut *virga* Moysi primo recta, deinde in forma serpentis apparuit tortuosa, et deinde forma draconis deposita inventa est in manu Moysi denuo recta; sic illa

gens tua in antiquis justis ac patriarchis recta in manu Moysi fuit, quandiu legem per ipsum datam servavit, Christumque in lege promissum fideliter exspectavit. At ubi negavit illum, versa est in colubrum sic tortuosum, ut fugiat Moyses, imo ut accuset hanc ipse Moyses, in quo sperant, cujus dicta lectitant, sed frustra, quid littera ejus absque spiritu eos occidendo infert eis mortem, quæ significatur per serpentem, quia homini accidit per serpentem, imo per diabolum in serpente loquentem. Futurum est autem ut in fine tanquam in cauda Moyses apprehendat saltem reliquias populi hujus, circa finem sæculi recognoscentis Christum in lege Moysi præfiguratum et promissum, et tunc revertetur in statum pristinum.

Ut enim prætermittam sacrificia et hostias aliasque legales observantias, quibus multifariam multisque modis præfiguratus est Christus, in hac ipsa *virga* Moysi, de qua nunc sermo est, invenitur manifeste præfiguratus, qui et « virga virtutis » est florens « in splendoribus sanctorum (*Psal.* CIX, 2, 3), » quam propterea emisit Dominus, ut dominetur in medio inimicorum suorum sicut *virga* Moysi dominata est in medio Ægyptiorum. Hæc est *virga*, de qua Jeremias ait : « Virgam vigilantem ego video, » quod de se exponens Dominus ait : « Bene vidisti, quia vigilo ego super verbo meo (*Jerem.* I, 11, 12). » Hæc est *virga*, de qua Dominus ait ad Moysen petentem signum, per quod crederetur missus ab eo : « Quid tenes in manu tua? Et ait Moyses : Virgam. Et Dominus : Projice illam in terram. Quam cum projecisset, versa est in serpentem, et expavit Moyses et fugit. Et ait illi Dominus : Apprehende caudam ejus. Et apprehendit, et facta est iterum virga sicut prius fuit (*Exod.* IV, 2-4). » Mystice per serpentem, qui mortem suasit, intelligitur mors, per *virgam* Christus. Igitur *virga* serpens Christus moriens. Hic est serpens æneus erectus in deserto, in quem intuentes a serpentibus morsi sanabantur, quia credentes in Christum mortuum salvantur. Expavit Moyses, viso serpente, et fugit, quia timuerunt discipuli, visa passione, et recesserunt a priori spe. Reformatus est serpens in *virgam*, quia de morte rediit Christus ad vitam. Tenuit Moyses caudam sine timore, quia discipuli crediderunt firmiter cognita resurrectione. Qua dum caro ejus refloruit quasi *virga* Moysi sive Aaron, tales fructus attulit ut per ejus virtutem spolientur Ægyptii, ditentur Hebræi; spolietur infernus, ditetur paradisus; mergatur per aquam baptismi Pharao invisibilis cum suis exercitibus ac satellitibus, vitiis videlicet ac dæmonibus : et lætetur Dei populus cantans Domino, qui gloriose honorificatus est, equum et ascensorem projecit in mare ascensorem diabolum suffocando, sed equum de manu ejus liberando, videlicet sibi credulum genus humanum, baptismi sacramento purificatum, atque in hoc ipso *virgæ* Moysi, de qua nunc agit, assimilatum. Sicut enim ante nos di-

A ctum est ab hujus loci tractatoribus, per *virgam* Moysi humani generis rectitudo, in qua creatum est, accipitur. Deus enim fecit hominem rectum, sed ipse miscuit se infinitis quæstionibus. *Virga* igitur cadens in terram mutata est in serpentem, qui corporis sui tortuosis movetur anfractibus, quia diabolo per serpentem sibilantem allectus, a stabilitate ac rectitudine, in qua creatus erat, dejectus homo cecidit in hujus vitæ mortalis et instabilis miseriam, in qua gravatus morte animæ corporisque mortalitate, non valet erectus incedere, sed morte serpentis graditur super pectus suum, dum rationabilem sensum, quem habet sursum erigere non valens in terra deprimit, solaque vel

B maxime terrena concupiscit, et ad similitudinem serpentis terram comedit, cum terrena sapit. Serpens autem in cauda rediens ad manum Moysi fit *virga*, quia in fine sæculi, qui per caudam intelligitur, homo ad manum Domini resurrectione revertens primam rectitudinem recipiet. Hæc mutatio dexteræ Excelsi cœpit a resurrectione Christi, perficietur in electis ultima resurrectione, qua et omnes homines resurgent incorrupti, et soli electi sic immutabuntur, ut gaudeant se plus recepisse per gratiam quam perdiderint per culpam. Tunc enim perficietur, quod in exitu Israel de Ægypto præfiguratum, et his verbis prophetatum est : *Redemisti virgam hæreditatis tuæ.* Quod est dicere : pristinæ stabilitatis rectitudinem in humano genere

C reformasti. Quod ideo verbis præteriti temporis enuntiantur, quia certissime futurum speratur. Non immerito; quia illius universalis messis jam primitias habemus in Christi resurrectione simulque illorum, quorum corpora surrexerunt cum eo, sanguine veri paschalis agni redempti de inferno, sicut quondam sanguine figuralis agni redempti sunt de Ægypto hi, qui erant *virga hæreditatis tuæ*, sicut supra est expositum.

Longe vero excellentius *virga hæreditatis tuæ*, Deus, hi sunt, quos redemisti nunc de tenebris vocando id admirabile lumen tuum, quorum primi et præcipui erant apostoli de illa congregatione, *quam possedisti ab initio*, electi. Qui nimirum totius

C Ecclesiæ de gentibus collectæ *virga* sunt, quæ tua est *hæreditas* juxta illud : « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam (*Psal.* II, 8). » Item : « Ecce hæreditas Domini filii merces fructus ventris (*Psal.* CXXVI, 3). » *Virga*, inquam, illius *hæreditatis* apostoli sunt *virga* recta, qua regitur *hæreditas* ipsa quæ est *mons Sion*, quia eorum doctrina regitur et fulget Ecclesia ut sol et luna, ut sol in perfectis, ut luna in imperfectis. Atque ideo ipsi recte ac proprie dicuntur *virga hæreditatis tuæ*, novæ de gentibus Ecclesiæ. Unde mirabile, simulque miserabile nimis est populum illum sic repelli, de quo *virga*, hæc est egressa, ut usque in finem iratus furor tuus in eos non sinat recolligi dispersos, reduci abjectos, alligari confractos, cum tu sis ille pastor qui dicit : « Ecce ego requi-

ram oves meas : quod abjectum fuerat reducam, quod confractum fuerat alligabo (*Ezech.* XXXIV, 11, 16). »

Aliter : *Redemisti virgam hæreditatis tuæ*, id est *virgam*, quæ est *hæreditas tua* tibi a Patre tuo data, sicut dicis : « Tui erant, et mihi eos dedisti, et sermonem tuum servaverunt (*Joan.* XVII, 6). » *Virga* hæc recta et florida *hæreditas* fecunda tibi acceptissima nonne debet movere te ad misericordiam super gentem illam, de qua egressa est hæc *virga*, per quam *hæreditas* hæc est assumpta ? Sic de nova Ecclesia potest legi, quod sit *hæreditas*, cujus *virga* est apostolici regiminis disciplina, qua regitur Ecclesia tota. Verum specialiter ad alium nos mittit intellectum, quod adjungitur *mons Sion* vel *montis Sion in quo habitasti*. Hoc enim præteriti temporis verbo cogimur intelligere non novam Ecclesiam, in qua nunc Deus habitat, sed antiquam illam, in qua olim sic habitavit per legalia instituta Christum præfigurantia et promittentia, ut exinde recte vocaretur *mons Sion*. Dicamus ergo: *Redemisti virgam hæreditatis tuæ* intransitive, id est : *Redemisti* populum tuum antiquum, *virgæ* Moysi assimilatum, quo ab Ægypto exeunte, ac promissionis terram ingrediente, afflixisti populos flagellando, et expulisti eos introducendo in locum eorum hunc populum tuum, hanc *virgam* tuam, hanc *hæreditatem tuam*. Unde scriptum est : « Laudabilis populus, cui Dominus exercituum benedixit dicens : Opus manuum mearum tu es hæreditas mea Israel (*Isai.* XIX, 25). » Hæc *virga*, *hæreditas tua* est *mons Sion, in quo habitasti*. Unde in Hebræo sic legitur : *Redemisti virgam hæreditatis tuæ montem Sion, in quo habitasti.*

Quod vero in quibusdam codicibus additur : *In eo*, superfluum est. Quid enim necesse est, cum dicitur *mons Sion in quo habitasti*, addere *in eo*, nisi forte dicti hujus geminationem, cum dicitur : *In quo* et *in eo*, intelligamus hujus rei confirmationem, quantum spectat ad electos illius gentis Hebraicæ sive *montis Sion*, quorum præcipui sunt patriarchæ ac prophetæ, *in quo* monte per figurales observantias *habitavit in eo*, et per exhibitionem veritatis habitabit ? Licet enim figuraliter Abraham circumcisus fuerit, tamen exsultavit, ut videret diem Christi, videlicet lucem veritatis succedentis, et vidit, et gavisus est. Propterea ipse, illique in populo illo consimiles erant *mons Sion, in quo* et tunc per figuras habitasti, habitans etiam adhuc *in eo* per veritatem figuris ordinate succedentem tanquam nocti diem, in quo die videndo exsultavit pater Abraham, quo etiam nunc viso magis exsultavit cæteris illius populi fidelibus. Quorum fides ita Deum interpellat pro gente sua jam vastata, sicut archisynagogus Christum interpellabat pro filia sua mortua. Sed sicut filia illa non est resuscitata prius quam sanguinis fluxum patiens mulier tactu fimbriæ sanata est, qua curata tum demum filia illa mortua est resuscitata, sic non ante sed post-

A quam plenitudo gentium a fluxu idololatriæ curata fuerit, gens illa velut archisynagogi filia resuscitabitur, cum reliquiæ illius convertentur. Et hoc est, quod in parte hujus psalmi præmissa gemitibus inenarrabilibus desiderat et postulat *Asaph*, congregatio videlicet illius populi fidelis dicens : *Ut quid repulisti in finem, iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ ? Redemisti virgam hæreditatis tuæ mons Sion, in quo habitasti in eo.* Abhinc adversus inimicos postulat judicium et vindictam aliquibus emendatoriam, aliquibus peremptoriam, dicens :

VERS. 3. *Leva manus tuas in superbias eorum in finem.* Tu quidem, o Deus ultionum, jam « humiliasti sicut vulneratum superbum, et in virtute B brachii tui dispersisti inimicos meos (*Psal.* LXXXVIII, 11). » Sed quoniam adhuc superbiunt contra te. *Leva manus tuas in superbias eorum*, et exaltetur dextera tua, ut quasi ab alto vibrato ictu fortissimo superbia eorum feriatur *in finem*, hoc est ut habeat *finem*. *Leva manus tuas.* Exerce altam potentiam tuam in frangenda superbia eorum, gentilium scilicet Romanorum militum a quibus civitas tua sancta est eversa. *Leva*, dico, *in finem* partim defectionis, partim perfectionis, ut ex illis aliqui deficiant, ita ut non sint ultra prævalentes hæreditati tuæ, populo tuo, quem vexaverunt : aliqui etiam eorum sic deficiant a malitia et *superbia* sua, ut conversi et humiliati non deficiant *in finem* C defectionis, sed proficiant *in finem* perfectionis et consummationis, id est in Christum. Hoc ita ex parte impletum est, quia ipsi Romani vel Christum cognoverunt, et ita *in* bonum *finem* pervenerunt, vel pertinaciter negaverunt, et malo *fine* defecerunt. Utriusque rei exempla satis inveniuntur in ecclesiastica historia. Ipsa quoque subversionis historia, qua sancta civitas est eversa, o Deus, quanta continet lamentabilia ! *Quanta malignatus est inimicus in sancto !* Quis enumerare valeat, *quanta*, quam multa mala maligne operatus est *inimicus* idololatra gentilis populus *in sancto ?* Quis aut sensu æstimare, aut verbis explicare valeat, *quanta*, quam horribilia mala *malignatus est in sancto* mundus immundus in maligno positus, et ideo ma- D ligne operatus ? Quod si fieret in campo, ubi est occisus Abel primus justus a fratre malignante, detestabile poterat judicari : nunc autem *quanta malignatus est inimicus in sancto*, in sancta civitate, *in sancto* templo suo, in ipso sanctuario, in quo Deitatem venerari debuerunt, quod quasi pomorum custodiam posuerunt, imo deposuerunt, et destruxerunt. Cumque mala facta soleat sequi pœnitudo et conscientiæ remordentis humiliatio, isti non solum non sunt humiliati satiato furore suo, sed insuper

VERS. 4, 5. *Gloriati sunt* contra te, *qui oderunt te, in medio solemnitatis tuæ*, videlicet, cum ageretur paschalis festivitas, in qua justo judicio venit ultio super eos, qui Christum occiderant in die festo

contra suimet sententiam dicentium: « Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo (*Matth.* xxvi, 5). » Ideo juste quidem ordinatum est eos luere in die festo, scelus admissum in die festo, sed hoc per illos agi, *qui oderunt te*, nimis est miserabile ac tanto magis detestabile, quod sibi arrogando victoriam, non sua virtute, sed tuo permissu tuoque justo judicio peractam *gloriati sunt in medio solemnitatis tuæ* sacrilegiis multis ibi commissis ab his, *qui oderunt te*, ubi antea sacrificabatur tibi ab his, qui dilexerunt te.

Gloriati sunt autem non solum in corde suo superbo, sed ut evidens esset ipsa talis gloriatio, *Posuerunt signa sua, signa, et non cognoverunt sicut in exitu super summum. Signa sua*, Romani habebant in vexillis, quæ ostentabant in bellis ac triumphis aquilas scilicet ac dracones et alias effigies. Hujusmodi *signa* devictis hostibus super portas ponebant *in exitu* vel in via, quæ ut magis essent conspicua; ponebant *super summum*, id est in excelso loco. *Posuerunt* autem *signa sua*, quæ cum dolore mentis ego *Asaph* iterato *signa* dico, ut tu, Deus, qui sic repulisti nos, intuitu signorum istorum, provoceris erga nos ad misericordiam, contra illos ad vindictam, permaxime ideo, quia tanta sacrilegia fecerunt, *et non cognoverunt*. Non dixit quisquam ex illis: « Iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper (*Psal.* L, 3), » quia *non cognoverunt*, id est recognoscere noluerunt se peccasse. Vel *non cognoverunt* hoc esse a Deo. Vel *non cognoverunt sicut in egressu desuper*, id est *non cognoverunt*, quod hæc eorum potentia egrederetur desursum a Deo, quia non habuissent adversus civitatem sanctam potestatem ullam, nisi fuisset illis datum desuper.

Aliter: *Posuerunt signa sua super summum*, subaudis *civitatis* ædificium, quod erat ipsum templum Domini, super quod vel in quo sic cum magna irreverentia posuerunt vel statuas vel alia *signa sua sicut in exitu* viarum seu platearum.

Vers. 6. *Januas* etiam ejus templi scilicet, in quibus ornandis fuit olim cura maxima, *exciderunt securibus* absque omni reverentia *quasi in sylva* exciderent ligna nullo usui apta, nisi ad comburendum. Hoc totum fecerunt *in id ipsum*, id est unanimiter conspirati in eamdem voluntatem. Mira virtus prophetiæ! Nondum erat templum ædificatum, et ecce David prophetabat ejus eversionem. Sequitur: *In securi et ascia dejecerunt eam*, civitatem *ejus et eam*, et præ dolore non determinat cujus et quam. *Securi* grandia, *ascia* minora secantur. Per quod signat civitatem ita funditus vastatam, ut quæque etiam minora dejicerentur,

Vers. 7. *Incenderunt* etiam *igni*, cum non possent excidere *sanctuarium tuum*, non quod in cœlo est, sed quod est *in terra*. Nam illud, quod erat in cœlo non potuerunt. Vel *in terra*, id est usque ad terram dejicientes quoque culmina. *Polluerunt* sacrilegio *tabernaculum nominis tui*, quod Salomon prior ædificaverat nomini tuo. Hæc autem ideo fecerunt, quia

Vers. 8. *Dixerunt in corde suo* Romani, tota *cognatio eorum simul, dixerunt*, dico istud: *faciamus quiescere a terra omnes dies festos*, id est, eradicemus istum populum, ne faciant festum Deo, et ne sit in terra gloria nominis Domini. *Asaph* ex persona sua addit *Dei*. Non enim illi Deum appellarent, cujus templum evertebant.

Vers. 9. *Signa nostra non vidimus*. Ecce *intellectus Asaph*. Nam prædicta mala sunt ei disciplina. Intelligit autem, quoniam res venit, *signa* figurarum cessare. Unde ait: *Non vidimus*, quasi dicat: funditus eversa sunt omnia, quoniam quæ solemus videre *signa nostra*, *non vidimus*, id est nusquam sacerdos vel victima vel hujusmodi, quæ solent esse *signa* rei venturæ. *Jam non est propheta*, qui nostræ restitutionis diem vel annum prænuntiet, sicut in cæteris captivitatibus solet. *Et nos non cognoscet amplius* Deus, id est non reducet. Vel increpative dictum est: *signa nostra* nonne *vidimus?* Certe *vidimus*, sed non intelleximus. Vere *vidimus*, quia in hoc, quod *non est propheta*, jam et unctio cessat, ex quo venit Sanctus sanctorum, *et non amplius cognoscet*, id est nullus amodo prophetabit venturum, quia jam venit.

Vers. 10. *Usquequo* (æger relictus, qui maluit cædere medicum, quam ab eo curari, clamat), o Deus, *usquequo improperabit* ibi *inimicus*, gentilis populus? Et quasi subito cognosceret *usquequo*, supponit, *irritat adversarius nomen tuum in finem*, quasi dicat: tandiu, quandiu *irritat adversarius* Judæus *nomen tuum*, quod faciet usque in finem sæculi. Ideo iratus corripias, et sic ille cognoscet *in fine* Christum apprehensa cauda revertens ad regnum. Vel erit hoc *in finem*. Erit, non quantum ad grana, sed paleas.

Vers. 11. *Ut quid avertis manum tuam et dexteram tuam de medio sinu tuo in finem*. Mittit nos ad alterum signum, quod post signum virgæ dedit Dominus Moysi dicens: « Mitte manum tuam in sinum tuum: et misit. Dixit iterum: Produc eam. Et produxit eam, et inventa est leprosa. Ait iterum: Revoca eam in sinum tuum, et revocavit, et reversa est in colorem suum (*Exod.* iv, 6, 7). » Manus Moysi Israel populus Dei, qui foras missus immundus factus est. Quod deplorans *Asaph* ait. *Ut quid avertis manum tuam*, quod est *et dexteram tuam*, subaudis Judæos, *de medio sinu tuo?* Quousque non revocas *manum?* Quasi dicat: Revoca eam *in sinum tuum*, ut redeat ad colorem agnoscens Salvatorem, saltem *in finem*. Vel Judæi visa eversione irascentes dixerunt non utique pauci sed tota cognatio simul, id est omnes dixerunt hæc: *Quiescere faciamus*, etc., id est abjiciamus legem, quæ nos non liberavit. Nec etiam vidimus signa, quæ solebant fieri patribus, cum pauci vincerent multos. Stulti! Quasi dicat: deberetur reis, quod devotis fieri solet. Item verba desperantium: *Jam non est propheta*,

quem consolamus, ut olim in adversitatibus. Has desperationes Judæorum supposuit, ne videretur inclementia Dei, quod non est auditus *Asaph*, cum orasset pro eis, quos in pœna detinet impœnitentiæ culpa. Usquequo? quasi dicat: hoc dixerunt. Sed usquequo pateris improperia Judæorum? Non dixit hoc, ut velit eos perdi, sed in melius commutari.

Pars secunda. Vers. 12. *Deus autem*. Ecce destructis signis *intellectus Asaph* de ipsa re, id est de salute gentium, quæ in adventu Christi facta est excæcatis Judæis. Quasi dicat: Nos ita sine intellectu clamamus: *Jam non est propheta*, etc. *Deus autem Christus*, qui est *Rex noster* (*Rex* dico, non temporalis, sed *ante sæcula*) qui in principio Verbum, interim dum Israel cæcus deseritur, *operatus est salutem* mundi docens non quærenda terrena, sed æterna in terra ubique. Sed quoniam in Judæa, quæ dicitur medium terræ, et item in utero virginis quasi *in medio terræ* Deus factus est homo, non solum quid fecit et ubi, sed etiam unde et qualiter cœpit, voluit notari, cum ait: *In medio terræ*. Ecce cæcitas contigit in Israel, ut plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel, salvus fieret. Si non præcessit vel sequatur. Sequitur, qualiter fecit, et conversus ad eum ait:

Vers. 13. *Tu confirmasti in virtute tua mare*. Alludit illi facto, quod sic aqua Rubri maris duobus lateribus defixa est, ut esset iter siccum per eam, *mare*, gentes cingentes Judæam sicut mare terram. Has ablato idololatriæ fluxu, *tu confirmasti in virtute tua*, id est potentia firmasti tibi, ut essent solida terra sitiens imbrem tuum: *Contribulasti capita draconum in aquis*, id est destruxisti superbias dæmoniorum, dum gentes, quæ possidebantur ab eis liberasti per aquas baptismi. Ad litteram prælati Ægyptiorum submersi sunt, qui erant *dracones* volentes devorare.

Vers. 14. *Capita* etiam vel caput *draconis*, quod est Leviathan principis dæmoniorum, *confregisti*, quia initium peccati, quod est superbia, quod Evæ, id est Ecclesiæ, præcipitur devitare vel observare, debilitasti: et eum draconem *escam populis Æthiopum dedisti*. Legitur in Exodo (xxxii, 20), quod Moyses iratus vitulum conflatilem combussit et contrivit usque ad pulverem, quem sparsit in aqua, et dedit ex eo potum filiis Israel. Legitur etiam in Exodo (vii, 12), quod virga Aaron, quam acceperat Moyses, versa in colubrum devoravit virgas magorum versas in dracones. Mystice filii Israel et virga sunt primi apostolorum, qui de Judaico populo crediderunt, de quibus erat Petrus, cui ostensis reptilibus dictum est: « *Macta, et manduca* (*Act.* x, 13). » Ergo et filii Israel vitulum, et virga Aaron virgas magorum et Petrus reptilia manducavit, cum gentes, quæ erant simul typice vitulus, virgæ magorum atque reptilia, id est corpus diaboli credendo per apostolos transierunt in corpus

A Christi. Ipsi quoque Ecclesiæ de gentibus, quæ cum esset *populus Æthiopum*, id est peccatis nigra, conversione sua dealbata est, ipse diabolus est *esca*, sed aliter, quam Christus. Christus enim est esca gentibus, in quo se consummeut; diabolus vero, quem consumant. Sed hæc consumptio fit paulatim. Sic enim et Moyses vitulum prius combussit, ut forma confunderetur, deinde comminuit; ut paulatim consumptus biberetur a populo, quia et gentes, quæ convertuntur, formam diaboli confundunt in igne, cum amore Dei abstinent se ab omni specie mali, deinde comminuunt, cum paulatim mala dimittunt, et ad ultimum bibunt, cum perfecti ex toto consumunt. Est etiam diabolus *esca populis*, cum etiam adorantes eum accusant et reprehendunt
B adeo, quod iratus Judæus sive gentilis servo suo vocat eum Satanam, in quo maledicit diabolo quasi mordendo illum ut escam. Vel diabolus dum tentat, *esca* sanctorum est. Hac enim tentatione quasi *esca* sancti proficiunt, dum per ejus machinamenta facti martyres, quod desiderant, consequuntur. Vel *populis Æthiopum* nolentibus converti datus est *esca* diabolus, in quo delectentur. Sequitur

Vers. 15. *Tu dirupisti*, id est, ut manarent, aperuisti *fontes, et torrentes*. *Fons* et *torrens* in significatione, idem. *Fons* enim prædicationis verbum, quod propter abundantiam dicitur *torrens*, id est flumen. Vel in bonis verbum dicitur *fons* indeficiens, in quibus fit « fons aquæ salientis in vitam
C æternam (*Joan.* xiv, 14): » in malis vero, qui non sic habent verbum ut bene vivant, dicitur *torrens*, quia sicut *torrens* currit cum impetu, sed æstate siccatur: mali accepto verbo non tacent, cum fluunt, sed tentationis æstate deficiunt. Bene tamen de utrisque dicit: *Tu dirupisti*, quia per utrosque Deus irrigat terram. *Tu siccasti* quasi dicat: *fontes* verbi Dei manare fecisti, sed *siccasti fluvios Ethan*. *Ethan robustus*. Sensus: Doctrinas gentium, mathematicorum et Judæorum, qui sunt fortes, de se præsumentes, inutiles esse fecisti. Vel totum de peccatoribus. Illi enim etiam *fontes*, quorum mala jugiter influebant. Torrentes vero quorum mala subita et impetuosa. Utrosque vocat *fluvios*, qui de *Ethan*, id est, diabolo forti solent manare. Sed hos
D a fonte suo diabolo Deus dirupit et divisit, ne inde manarent. Etiam penitus siccavit cum eis peccata dimittens diaboli consilia pervertit.

Super hunc locum beatus Gregorius dicit: (29) « Ethan interpretatur fortis. Et quis est hic, nisi de quo per Evangelium veritas dicit: Nemo potest vasa fortis ingressus domum diripere, nisi prius alligaverit fortem? Fontes itaque, et torrentes Dominus dirupit, dum in apostolorum suorum cordibus fluenta veritatis aperuit. De quibus per Prophetam alium rursum dicitur: Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Ad eorum quippe doctrinam sitientes pergimus, et veritate plenas cordium

(29) Lib. xxxiii Moral., cap. 10.

nostrorum lagunculas reportamus. Sed emanantibus fontibus suis Ethan fluvios exsiccavit, dum doctrinam fortis, et maligni spiritus offenso radio suæ veritatis arefecit. Sequitur :

VERS. 16, 17. *Tuus est dies*, etc. *Dies*, *sol*, *æstas* sunt perfecti : *nox* vero et *aurora*, vel luna et *ver* sunt imperfecti; sed per rerum diversas qualitates diverso modo significantur. Perfecti enim dicuntur *dies*, qui cum sint spiritales, omnia judicant : qui dicuntur *sol* propter sapientiam, in qua permanent, et quam loquuntur inter perfectos, de quibus dicitur : « Dies diei eructat verbum (*Psal.* XVIII, 3), » quod erat in principio apud Deum. In hoc autem perseverant juxta illud : « Justus permanet sicut sol (*Eccli.* XXVII, 12). » Propter quod etiam dicuntur *æstas*, quia spiritu sunt ferventes. Imperfecti e contrario dicuntur *nox*, quia cum sint carnales, non possunt capere sapientiam verbi. Unde Apostolus . « Non potui vobis loqui sicut spiritualibus, sed tanquam carnalibus (*I Cor.* III, 1). » De his dicitur : « Nox nocti indicat scientiam (*Psal.* XVIII, 3), » scilicet quia Verbum caro factum est, et hujusmodi historialia. Hic dicuntur *aurora* quasi incipientes vel luna, quia mutantur juxta illud : « Stultus ut luna mutatur (*Eccli.* XXVII, 12). » Dicuntur etiam *ver*, quia novelli sunt in fide et temperati mansuetudine. Ut ergo nullus glorietur tanquam non acceperit, ait : *Tuus est dies*, *sol*, *æstas*. Item *nox*, *aurora* vel luna et *ver*. Vere. Nam *tu fabricatus es* ea, ita quod *plasmasti*, id est de nihilo fecisti, quod est plasmare ad litteram. In reformatione etiam *plasmasti*, quia primo gratiam dedisti, et deinde gratiam pro gratia. In dando vero gratiam *tu fecisti omnes terminos terræ*, id est ut unusquisque haberet proprium donum, alius quidem sic, alius vero sic. Vel *terminos* vocat apostolos, prophetas, qui sicut *termini* agros, ita fidei jura distinguunt. Vel omnia historice.

PARS TERTIA. VERS. 18. *Memor esto hujus*. Ecce quo tendat magnalia numerando, ut Judæis indulgeat. Quasi dicat : ita operatus es salutem in aliis : tu quoque, Domine, *esto memor hujus*, non addit cujus : sed ad ea, quæ ad litteram plasmare dixerat Deum, potest referri. Unde alii addunt : *creaturæ tuæ*, ut hic intelligantur Judæi. Hæc oratio jam cœpit impleri. Nam etsi rami fracti sunt, manet tamen radix, et de ramis fractis aliqui redierunt. Orans commemorat culpam eorum, et ait : *Inimicus*, id est Judaicus, *populus insipiens*, quia tunc erat *Asaph* sine intellectu, *improperavit*, id est improperia dixit tibi Domino gens tua, ut peccator est iste homo, vorax, amicus publicanorum, et per hujusmodi *incitavit*, vel exacerbavit, et factis provocavit *nomen tuum* super se.

VERS. 19. *Ne tradas*, Quasi dicat : *Asaph* sine intellectu ita improperavit tibi; sed ego *Asaph* intelligens precor, *Ne tradas bestiis*, de quibus supra confregisti capita draconum, id est *ne tradas* diabolo et angelis ejus *animam confitentem tibi* peccata sua, *et animas pauperum tuorum*, qui non, sicut prius, divites statuunt justitiam suam, *ne obliviscaris :* quin gratiæ beneficia conferas, per quæ tendat *in finem* Christum vel saltem *in finem* sæculi.

VERS. 20. *Respice in testamentum*, non quidem vetus, quod promittebat terrena, sed *tuum*, novum scilicet, quod promittit regnum cœlorum, de quo promittendo dixisti : « Consummabo Testamentum Novum (*Hebr.* VIII, 8; *Jerem.* XXXI, 31). » Sensus : Reliquiæ Israel salvæ fient, et hoc non per merita sua : nulla enim sunt. Quod ex hoc patet, *quia repleti sunt iniquitatibus* illi, *qui obscurati sunt*, id est qui excæcati habitant in *domibus terræ*, id est delectati terrenis. Corda etiam sunt *domus*, in quibus libenter habitant beati mundo corde, qui Deum videbunt : qui vero ibi terrena quærunt, non videbunt. Quare? *quia repleti sunt terra*, id est pulvere terrenorum, quæ cum amantur, excæcant oculos mentis, cordis. Unde addit, *qui obscurati sunt*. Quod totum venit ex habitatione *domorum iniquitatum*, id est, quoniam habent corda iniqua. Vel *repleti sunt dumis*, id est sentibus iniquitatum, qui *obscurati sunt terræ*, qui te et tuos obscuraverunt persecutionibus.

VERS. 21. *Ne avertatur*. Sic solet ab oratoribus fieri : mutat personam pro persona, gratum pro odioso ponens, ut dilectio devotorum temperet odium contumacium. Ait ergo : *Confusus*, quem sua superbia confundit, dum quod accepit, adeo suis viribus et meritis applicat, quæ confusio non est humilium. Ille, inquam, *confusus*, et ablata superbia *humilis factus*, et gratus *ne avertatur a* te. Nam *pauper et inops*, id est humiles spiritu tantum, non alii, *laudabunt nomen tuum*, id est confitentes peccata sua, desiderantes æterna. Ecce *Asaph* jam intelligens excutit terrena promissa Veteris Testamenti. Quia vero nondum accipit cœlestia, quæ sibi promittuntur, in Novo videtur deseri, et sustinet improperia dicentium : ubi est Deus tuus? Propter quod exclamat :

VERS. 22. *Exsurge*. Quasi dicat : contemptus es a Judæis in terra, et a falsis Christianis sedens in cœlo, et ego credidi, quod non vidi. Ergo *exsurge*, et *judica causam tuam*, ut ego coronam, quam promisisti, illi vero confusionem accipiant, vel hic ut convertantur, vel in futuro, ut damnentur. Cum ita deberet dicere *meam*, ait *tuam*, suam causam faciens judicis causam, ut eum efficacius moveat, cui negotii sui qualitas intimatur. Quale est enim negotium, quod, cum insultatur *Asaph* in dicendo : ubi est Deus tuus, ipsi quoque Deo detrahitur? Unde sequitur : *Memor esto improperiorum;* non dico meorum, sed *tuorum*, scilicet *eorum quæ sunt ab insipiente*, et hæc *tota die*, id est continue. Adhuc enim insultatur Christo. Nec deerunt usque in finem sæculi vasa iræ. Hoc ideo dicit, ut ipsa continuatio mansuetudinem patientis judicis incitet. Repetit orationem,

VERS. 23. *Ne obliviscaris*, quin deprimas blasphe-

mas *voces inimicorum tuorum*. Vel *ne obliviscaris*, quin exaudias *voces* deprecantium te. *Superbia* etiam *eorum qui te oderunt*, Romanorum scilicet, qui malignantes in sanctuario gloriati sunt, vel omnino dicentium : ubi est Deus tuus? *ascendit*, vel, sicut in aliis codicibus legitur : *ascendat semper* ad ad te : quod utique facit, quoniam eos aut punis aut corrigis. Nota quod superbiam, quam Deus specialiter exsecratur, ultimam posuit, ut specialiter in memoria conderetur.

Hæc de psalmo isto juxta Patrum expositiones dicta intellectum Asaph circa templi manufacti vastationem, quæ in vindictam sanguinis Christi facta est, ita detinet, ut finalis illius vastationis, quæ per illam significata est, quæque in fine mundi futura est, vix ulla sit mentio.

At nos memores beatæ memoriæ Chunonis episcopi Ratisbonensis, de hoc psalmo nobiscum diligenter conferentis, intellectumque *Asaph* intelligenter perquirentis ex occasione cujusdam revelationis qua visum erat cuidam religiosæ personæ secundum hunc psalmum contra nostri temporis abusionem agi finale judicium, quæ tunc inter nos complacuerunt, quæque tunc ipso petente scripsimus, iterato perstringere non gravabimur. Erat autem visus hujusmodi. Judicem omnium Deum in solio judicii sublimem residere assidente pariter senatu cœlestis curiæ, atque hinc inde cœlorum exercitu assistente, ante tribunal vero judicandæ universitatis multitudinem assistere. Et erat silentium in omnibus, timore ac tremore inenarrabili plenum, singulis sua secum opera reputantibus, et cogitationibus invicem accusantibus aut etiam defendentibus, dum exspectantur judicii sententiæ de throno processuræ astantibus pariter et cœnobitis ac judicium cum tremore nimio exspectantibus. Cum ecce de verbis psalmi hujus audiuntur voces intercessoriæ, choro nimirum sanctorum angelorum et martyrum iram judicis super cœnobitis specialiter placantibus et magno clamore dicentibus : *Ut quid, Deus, repulisti in finem? Iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ*. Quo clamore peracto visus est placatus judex super omnibus, qui Scripturarum pascuis inhærentes in eorum gustu veluti piæ oves enutritæ ac deliciatæ fuissent. Addunt vero sancti etiam orare pro his qui a pueritia, vel a parentibus, vel sponte Deo devoti in sancta conversatione permansissent, et dicunt : *Memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio*. Quo dicto etiam his judex placatus factus est. Adjiciunt quoque intercedere pro his, qui ad hoc profecissent, ut alios in disciplina Domini virga correctionis regere potuissent : *Redemisti virgam hæreditatis tuæ*. Pro his quoque, qui in ejusmodi ad culmen celsioris apicis ac fortitudinis excrevissent, dictum est : *Mons Sion in quo habitasti in eo*. Hisque sanctorum vocibus judice super his, pro quibus oratum est, placato, tandem auditæ sunt voces et istorum, pro quibus oratum est, et universæ sanctorum multitudinis, judicium

A de impiis postulantium atque dicentium : *Leva manus tuas in superbias eorum in finem. Quanta malignatus est inimicus in sancto*. Et sic usque in finem psalmo cum clamore decantato secundum ejus tenorem judicium etiam super impios peractum est.

Sed hæc quisque accipiat, ut volet. Nos vero magis Scripturis veritatis quam somniis innitentes intellectum *Asaph* de finali judicio, ut cœpimus perstringemus; nisi quod in ipsa quoque visione quasi vana somnia contemnere non possumus, quod secundum Scripturas veritatis expressum est de illo sensu, qui versatur circa finale judicium, judico per Romanos acto præfiguratum. Est quippe nobilior *intellectus Asaph* de significato quam de significante judicio, sicut nobilior fuit intellectus
B Apostoli de duobus Testamentis per duas feminas figuratis quam de ipsis feminis. « Scriptum est, » inquit, « quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de libera, quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo Testamenta (*Galat.* IV, 22, 24). » Et nos dicimus, quod ea, quæ scripta sunt de sanctæ civitatis exterminio, de templi Deo sacrati excidio, per allegoriam dicta sunt et intellectum *Asaph* sapienter psallentis ad finale illud exterminium dirigunt, in quo judicium incipiet a sanctuario, et consummabitur non in unius civitatis vel unius templi, sed totius mundi conflagratione, judicandis illic non solis Judæis captivitatis aut solis Romanis eos captivantibus et opprimentibus,
C verum cunctis gentibus Ecclesiam Dei persequentibus, et in ipsa Ecclesia templum Dei violantibus. « Templum » enim « Dei sanctum est, » ait Apostolus, « quod estis vos. Qui ergo templum Dei violaverit, disperdet illum Deus (*I Cor.* III, 17). » Contra fornicatores in semetipsis templum Dei violantes acriter invectus Apostolus : « An nescitis, » inquit, quia corpora vestra templa sunt Spiritus sancti? Qui autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus (*ibid.* 16, 17). » Hic subaudiri oportet, nisi pœnitentiam agat, quoniam et ipse Apostolus insignem illum fornicatorem, quem tradiderat Satanæ, suscepta ejus pœnitentia reconciliat. Quanquam enim dicat : « Fornicatores et adultores judicabit Deus (*Hebr.* XIII, 4), » tamen
D qui vere pœnitendo esse desinit fornicator sive adulter, evadet judicium fornicatoribus et adulteris præparatum in finali illo judicio, quo nos mittit *intellectus Asaph*, quinquies commemorans *finem* in psalmo isto : primo enim dicit : *Ut quid Deus repulisti in finem?* secundo : *Leva manus tuas in superbias eorum in finem;* tertio : *Irritat adversarius nomen tuum in finem;* quarto : *Ut quid avertis manum tuam et dexteram tuam de medio sinu tuo in finem?* quinto : *Animas pauperum tuorum non obliviscaris in finem*.

His prælibatis psallat *Asaph*, psallat Ecclesia mater illibata postulans judicium, imo cantans misericordiam et judicium, misericordiam scilicet misericordibus ante finem promissam, *in fine* dandam;

sine fine mansuram; judicium vero sine misericordia superventurum his, qui non habuerunt misericordiam erga sanctam Dei Ecclesiam, quam crudelius vastaverunt, quam Romani principes aut milites vastaverint Jerosolymam. Illi enim occiderunt corpora impiorum gladiis; isti occiderunt animas piorum pravis exemplis. Illi dissipaverunt lapides insensatos non relinquendo lapidem super lapidem, quem non destruerent; isti dissipant lapides vivos, quantum in ipsis est, non relinquendo lapidem super lapidem, cum destruere nituntur unius fidei veritatem per diversas hæreses, et Ecclesiæ unanimitatem per schismata; quoniam, sicut ante nos dictum est: hæreticus est, qui non sequitur catholicam veritatem; schismaticus est, qui non amplectitur catholicam pacem. Hæreticus ergo impugnat fidei doctrinam, schismaticus charitatis disciplinam. Ille fidei sinceritatem, iste morum puritatem corrumpere nititur, dum uterque Patrum traditionibus calcatis de via veritatis et pacis exorbitat, sanctamque Dei Ecclesiam dilaniat sicut duo ursi de saltu egressi pueros Hebræos Elisæi derisores dilaniaverunt, aut sicut duo principes Titus et Vespasianus de saltu imperii Romani venientes Christi derisores vastaverunt. Atque utinam et isti solos Christi persequerentur derisores, et paterentur vivere Christi amatores! At illi hos magis persequuntur, et a puritate Christianæ disciplinæ abstrahere nituntur. Pro his igitur, qui has persecutiones patiuntur, et contra eos, qui eos persequuntur, psallit *Asaph*, sane intelligens et illos in fine liberandos, et istos in fine damnandos.

Et quia boni quoque ac fideles terribili vultu judicis apparente turbabuntur, quando etiam virtutes cœlorum movebuntur, pro his primo placatus judex cum dicit *Asaph*, congregatio videlicet sancta et fidelis, in se ac pro se utcunque secura, utpote cum ipso judice judicatura, sed pro infirmis venia indigentibus multum sollicita: *Ut quid, Deus, repulisti* eos, qui alias dicunt: « Deus, repulisti nos, et destruxisti » nos? (*Psal.* LIX, 3.) Ut quid repulisti, cum sint fideles et bonæ voluntatis homines? Nunquid hujusmodi repulisti sic, ut sint repulsi a te *in finem*, id est æternaliter? Itane *iratus est furor tuus*, ut perdas justum cum impio, agnum cum lupo, et non parcas in judicio vel his, qui sunt *oves pascuæ tuæ*, quibus dulciter sapuerunt Scripturæ, quarum si aliquæ perierant, humeris tuis ad pascua tua reportatæ in eisdem sunt usque ad mortem deliciatæ, ut digne vocari debeant *oves pascuæ tuæ?* Nunquid *furor tuus* ita irascetur, ut etiam tales *oves* una cum lupis perdas? Absit hoc a te, qui *cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis!* (*Habac.* III, 2.)

In hac igitur misericordia *memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio*, id est eorum qui ab incunabilis manserunt in sanctæ religionis proposito et studio, licet minores perfectis, tamen subditi eis, quos ita redemisti, ut virtute redemptionis tuæ faceres eos *virgam hæreditatis tuæ*, qua hære-

A ditatem tuam, id est Ecclesiam regeres tanquam in virga directionis, in virga ferrea nunquam a rectitudine justitiæ damnabiliter curvata. Quidam vero ex numero talium sic in officio regiminis excreverunt in augmento virtutum, ut essent *mons Sion, in quo habitasti*, quemque ut speculam cæteris ad cautelam proposuisti. Nonne itaque parcere debes hujusmodi subditis bonæ, ut dictum est, voluntatis, et hujusmodi prælatis virgæ rectæ ac monti Sion assimilatis? His igitur parce pro sui cordis contritione atque humilitate, qui cor contritum et humiliatum non despicis, quique humilibus peccata sua non defendentibus, sed pœnitendo confitentibus das gratiam.

Verum quia superbis resistis, *Leva manus tuas in superbias eorum in finem*, quorum superbia duravit usque *in finem*, quia noluerunt converti aut humiliari ante finem propter insitam sibi malignitatem,
B quæ non solum latuit in affectu, sed etiam patuit in effectu. Nam, o Deus, *quanta malignatus est inimicus in sancto, et gloriati sunt, qui oderunt te in medio solemnitatis tuæ. Quanta*, quam horribilia *malignatus est inimicus in sancto!* Inimicus domesticus, qualis erat Judas mercator pessimus, fur loculorum Dominicorum, et qualis erat Simon Magus aut Nicolaus impurus. *Inimicus*, inquam, talis tanta *malignatus est*, ut exclamare compellar cum admiratione mista indignatione: *Quanta malignatus est*, quanta maligne operatus, et machinatus est hic talis *inimicus in sancto!* Nam et furtum Judæ minus fuisset exsecrabile in re peculiari, quod jure fori posset in duplum vel certe Zachæi exemplo in quadruplum reddi; sed *in sancto*, in re sacrata, sancto sanctorum Christo data fraudem fieri crimen est apertissimi sacrilegii. Similiter negotiatio Simoniaca
C inde magis est exsecranda, quod fit in loco sancto, dum domum tuam, Domine, quam decet sanctitudo, domum scilicet orationis, facit speluncam latronum, quod est peccatum in Spiritum sanctum. Item facta Nicolaitarum, quæ Deus odit, minus essent odibilia, si non fierent *in sancto*. Fiunt vero *in sancto*, dum de sancto sanctis usibus debito stipendio talis fit abusio, ut unde continentes ac Deo in castitate servientes vivere deberent, inde alantur mulieres impudica ingredientes domum Dei sanctam pompatice.
D Magna utique malignantium temeritas est in officio sancto clericalis ministerii distribuere vel accipere corpus Christi, quod sanctum est, nolle sancte vivere, imo velle gloriari de non sancta conversatione, per quæ deceret quemque humiliari potius quam gloriari. Sed isti peccatum peccato addentes, quomodo maligne in sancto peccaverunt, ita superbe amaverunt peccatum suum in corde suo, et insuper ore *gloriati sunt, qui oderunt te*. Oderunt enim veritatem suas pravitates redarguentem, quæ veritas es tu; insipientes et maligni oderunt sapientiam, quæ tu es: oderunt justitiam, charitatem et omne lumen virtutum, quod tu es. Et quomodo qui male agit, odit lucem, vere dico quod *oderunt te*, qui lux mundi es, quem qui sequitur non ambulat in tene-

bris. Et cum pro istis iniquitatibus noluerunt in luce confundi, aut erubescere, *gloriati sunt* in malitia potentes iniquitate. Ubi gloriati sunt? *In medio solemnitatis tuæ*, verbi gratia, in paschali festo, quod est solemnitas solemnitatum, sive in alia celebritate hujusmodi ostentaverunt se suasque mulieres in vestitu deaurato circumamictos varietate, non in angulis abscondendo talia, *sed in medio solemnitatis* communi et aperto spectaculo.

Posuerunt signa sua, signa. Denique cum renuerent habere sanctitatem, *signa* tamen sanctitatis *posuerunt* in rasura, in tonsura, in vestium clericali forma, sed ita depravata, ut potius dici potuerint *signa sua* quam signa tua, Deus, quia non tuam, sed suam exinde gloriam quæsierunt, et lucra non tua, sed sua captaverunt. *Et non cognoverunt*, id est recognoscere noluerunt peccatum suum in vita sua, *sicut in exitu* vitæ, velint nolint, cognoscent in hoc similes præambulo suo Judæ, nominetenus apostolo, sed revera diabolo, qui crebro increpatus a Christo non cognovit peccatum suum in tota illa commanentia, qua fuit cum Christo, sicut tandem *in exitu* suo illud cognovit dicens: « Peccavi tradens sanguinem justum (*Matth.* XXVII, 4). » Cognovit autem hoc peccatum suum *super summum* nimis inique commissum, quia Christo, qui est omnium summus, ita se superextulerat magnificando super eum supplantationem, ut eum venderet quasi mancipium proprium, cujus etiam peccati reatum contrahunt Simoniaci vendendo Spiritum sanctum, qui unus cum Patre ac Filio summus Deus est. Cognoscere hoc peccatum solummodo *in exitu* sera est pœnitentia, et nimis tarde projicientur tunc argentei male dati vel accepti, quos non licet mitti in corbonam, quia Deus non recipit pro tali peccato talem pœnitentiam.

Nec mirum, quia quandiu potuerunt, in domo Domini diabolo servierunt, et ipsam domum destruxerunt, ita ut nec *januis* ad ornatum, seu munimentum domus exquisitis parcerent. Nam *quasi in silva lignorum* agrestium nullo usui aptorum sic irreverenter *exciderunt januas ejus*, *in idipsum* opus conspirati, sive *in idipsum*, id est in unum acervum, in unam congeriem sive struem lignorum, cui supponendus erit ignis, qui talibus incendetur lignis et non exstinguetur. Regulas quippe, secundum quas quisque admittendus est ad clerum sive ad ordinem sacrum, sic annihilaverunt et confuderunt, ut per eas et secundum eas nullus aut rarus introitus sit sive ad episcopatum, sive ad aliud sacrum ministerium in domo Dei celebrandum, quia *in securi et ascia dejecerunt eam*, ut non tam domus quam ruina dici possit, quæ *in securi et ascia* dejecta est. Securis majus, ascia minus instrumentum ad ligna lædenda hoc insinuant, quod inimici Domini majoribus et minoribus impensis, laborando pro quæstu suo et luxu adimplendo majora et minora ornamenta Ecclesiæ destruxerunt, ac per hoc te, Deus, irritaverunt, non in temetipso, quia tu es impertur-

A habilis, sed in sanctis tuis zelum justitiæ habentibus, quos dum suis pravitatibus vexaverunt, *incenderunt igni sanctuarium tuum*, quia zelus domus tuæ velut ignis comedit eos qui dicuntur et sunt *sanctuarium tuum* in Ecclesia: pro eo quod sicut in civitate cæteris ædificiis præeminet sanctuarium, sic in Ecclesia ipsi præeminent populo propter sanctitatis et religionis meritum. Tale sanctuarium *incenderunt in terra*, id est in his electis et sanctis, qui adhuc peregrinantur in terra. Nam illi, qui de terra levati sunt in cœlum, jam requiescunt in pace, in summa tranquillitate. *Sanctuarium tuum*, Deus, quod pro integritate ac perfectione sanctimoniæ polluere non potuerunt, *incenderunt igni*, sicut dictum est. Verum *tabernaculum nominis tui*, quod minus erat
B firmum, quodque moveri poterat de loco ad locum, *polluerunt*, dum sanctos minus perfectos, tibi tamen militantes ad suæ iniquitatis consensum pertraxerunt *in terra*, id est occasione alicujus terrenæ utilitatis consequendæ sive inutilitatis vitandæ *in terra*, quam, dum plus cœlo amaverunt, a justitia exorbitaverunt et suo silentio, sua nimia patientia vel humilitate vires præbuerunt hostibus justitiæ, cui debebant strenue militasse, cum essent ipsi *tabernaculum nominis tui*.

Dixerunt in corde suo, id est cogitaverunt istud, *cognatio eorum simul*, verbi gratia: Moyses elegit fratrem suum Aaron in pontificem. Sic etiam adhuc eligit frater fratrem, cognatus cognatum, ut sint si-
C mul in unum cohabitantes et cantantes: « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum, » quod est illis agere diem festum (*Psal.* CXXXII, 1). Sed nos, qui nolumus habitare simul in unum, *quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra*, id est auferamus memoriam dierum festorum a terra. Hoc dixerunt impii apud se non recte cogitantes *in corde suo*, et rei facti sunt in cogitationibus, licet eas opere implere non potuerint, quoniam dies festi manebunt usque in finem sæculi secundum promissum Veritatis dicentis: « Amen dico vobis, non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant (*Matth.* XXV, 34); » item: « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem (*Matth.* XXVIII, 20). » Quibus dictis nunquam defu-
D turos significat in sæculo usque in finem sæculi, qui digni sint commansione Dei.

Quibus insultantes maligni dicunt inter cætera: *Signa nostra non vidimus, jam non est propheta, et nos non cognoscet amplius.* Ac si dicant: Ergo vos, qui dicimini et estis arbitratu vestro vel sanctuarium vel tabernaculum Dei, soli, ut putatis, prudentes estis, et *signa* sacramentalia cognoscitis, quæ, ut vos æstimatis, apud vos integra sunt et rata plenaque virtutis et salutis efficacia: nos autem *signa nostra non vidimus*, qui arbitratu vestro cæci sumus: *et jam non est propheta* inter nos, ut vos putatis, qui vobis prophetiam cæteraque sancti Spiritus charismata solis assignatis, *et nos non cognoscet amplius* Deus, quia tales æstimamur, qualibus

dicendum est in judicio a judice justo : « Discedite a me, operarii iniquitatis, nescio vos (*Luc.* XIII, 27). » Nonne apud nos quoque sicut et apud vos eadem *signa* sacramentorum sunt? Nonne *propheta* est apud nos quilibet litteratus, doctus et doctor aliorum? Nonne Deus cognoscet nos quoque ut vos, et certe amplius, quia ditiores et honorabiliores vobis in hoc mundo sumus, et cathedras tenemus, in quibus etiam de vobis judicandi potestatem habemus, et de laboribus vestris decimas exigimus, multaque dignitatum sunt apud nos insignia, per quæ amplius quam vos Deo cogniti monstrari possumus?

Usquequo Deus hæc et similia dicendo *improperabit inimicus* hæreticus, schismaticus, Simoniacus, Nicolaita falsusque Christianus, Christianitatis disciplinæ adversarius? *Usquequo irritat* hic *adversarius nomen tuum?* puto *in finem*, id est usque in sæculum sæculi, quia quandiu stabit mundus, Cain persequetur Abel pro eo maxime, quod munera ejus et sacrificia Deo sunt accepta, sua vero divino respectu digna non sunt, eo quod etsi recte offerat, recte tamen non dividit, qui sua Deo, se ipsum vero diabolo dat, virtutes aversando et vitia sectando. Tales non dimittunt populum tuum Domine, ut in pace sacrificet tibi, nisi in manu forti. *Ut quid* ergo *avertis manum tuam de medio sinu tuo*, id est de secreto tuo exertam taliter ostendere, ut ejus terrore vel conversi proficiant *in finem* consummationis, vel deficiant *in finem* consumptionis, quia tu, Deus, ignis consummans aurum, consumens plumbum?

Deus autem rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ. Ego quidem *Asaph* contra inimicos Ecclesiæ ultionem expeto : *Deus autem rex* regere potius, quam ulcisci promptus patienter agit nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam converti : atque ideo *operatus est salutem* non in angulo ubi lateret, sed *in medio terræ*, ut supra est expositum, ne quemquam scire volentem lateret, quia Jerusalem ubi moriendo et resurgendo salutem generis humani operatus est, *in medio terræ* sita est, neque in ea salutis opus clausum, vel occultatum fuit; sed « de Sion » exivit « lex, et verbum Domini de Jerusalem (*Isa.* II, 3), » testibus ejus incipientibus a Judæa et discurrentibus usque ad ultimum terræ, quoniam « in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines terræ verba eorum (*Rom.* X, 18). »

Quibus ubique prædicantibus et signa multa operantibus tu, Deus, *confirmasti in virtute tua mare;* quia visis miraculorum virtutibus mundus, prius amarus et fluidus, in fide nominis tui est confirmatus. Illis etiam baptizantibus *contribulasti capita draconum in aquis* baptismi suffocatis illic Ægyptiis, dæmonibus scilicet atque vitiis. Tu etiam *confregisti capita draconis*, videlicet principis dæmoniorum tanquam Pharaonis regis Ægyptiorum, qui septem *capita*, id est capitalia crimina erexerat, quæ jam confracta erigere non valet, quia lege cessante, sub qua peccatum dominabatur, gratia successit, qua donante peccatum facile superatur, confractis videlicet capitibus draconis, quem *dedisti escam populis Æthiopum.* Quod qualiter fiat, nolo me quisquam audiat vel notet quasi nova docentem, audiamus potius virum illustrem Hieronymum, qui in sermone de Agno paschali dicit inter cætera : « Non putemus agnum istum ubique posse comedi. Præcipitur nobis, ut in una illum comedamus domo, ne extra Ecclesiam immolari agnum putemus. Ex quo manifestum est, quod Judæi, et hæretici et omnia conventicula dogmatum perversorum, quia in Ecclesia non comedunt, non eos agni carnes, sed draconis comedere, qui datus est in escam populis Æthiopum. Nos vero comedimus azyma sinceritatis et veritatis. » Hæc dicente sancto Hieronymo, et nos illi consona sentiendo affirmare possumus, quod fel draconum est vinum eorum, qui sua quærendo in divino sacrificio et officio judicium sibi manducant et bibunt, quia recte quidem offerunt, sed non recte dividunt, cum semetipsos aut per fidem sine operibus mortuam, aut omnino falsam dividunt ab Ecclesiæ sanctæ communione animales seipsos segregantes, spiritum non habentes. Nam sacramenta, licet sint inviolabilia in semetipsis, tamen quasi fel draconis illis mortem operantur, qui bonum non bene accipiunt exemplo Judæ apostatæ, qui per acceptionem buccellæ, quam bonam non bonus et non bene accepit, locum in se diabolo præbuit.

Tu dirupisti fontes et torrentes, ita ut impetus fluminis per salutarem doctrinam lætificaret civitatem Dei. *Tu siccastis fluvios Ethan*, cassando hæreticorum falsam doctrinam. *Tuus est dies, et tua est nox, tu fabricatus es auroram et solem. Tu fecisti omnes terminos terræ, æstatem et ver tu plasmasti ea*, ut supra est expositum.

Qui hæc omnia fecisti, *memor esto hujus.* Cujus? Hujus videlicet pauperis et inopis et animæ confitentis tibi, quod in sequentibus colligitur, sed ad excitandum judicem præmittitur : « Inimicus improperavit Domino, et populus insipiens incitavit nomen tuum (*Matth.* XXVII, 43), » stultis improperiis et verbis irrisoriis garriendo contra gloriam Domini et honorem nominis ejus, verbi gratia : *Si est verus Filius Dei, liberet illum de manibus nostris:* aut si iste servus Domini, qui se confitetur servum Domini, liberet eum de manibus nostris, de dentibus bestiarum. Tu ergo, Domine, *ne tradas bestiis animam confitentem tibi, et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem;* sed ante finem libera. Quod ut citius facias : *Respice in testamentum tuum*, Testamentum Novum sanguine tuo conscriptum. *Respice* in titulum cruci tuæ superpositum, in quo Jesus nominaris, et rex Judæorum, id est rector, et non dementator te confitentium. Et ideo quanquam justa sit indignatio tua contra peccatores, tamen distingue contumaces contumaciter peccantes ab humilibus pauperibus ex infirmitate seu ignorantia delinquentibus. Illos in finem superbientes ac peccata sua pertinaciter amantes, obstinate defendentes ego

Asaph dictante justitia concedo, et judico a te justo judice *bestiis* tradendos, bestiis infernalibus, de quibus alias dicis : « Dentes bestiarum immittam in eos cum furore trahentium super terram atque serpentium (*Deut.* XXIV, 32). » Sed absit ut tu, Rex Judæorum, id est confitentium, *tradas bestiis* istis *animas confitentes tibi*, et se in suis peccatis per confessionem accusando, et te in tuis donis per confessionem laudando! Etsi ad tempus aliquos talium tradis bestiis, ut beatum Job tibi confitentem tradidisti Satanæ in corpore cruciandum, verumtamen animas eorum sic excipe, sicut excepisti animam, dicens ad Satan : « Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serva (*Job* II, 6). » Sic igitur et nunc *animas pauperum tuorum* servans *ne obliviscaris in finem*, sicut nec illius animam fuisti oblitus in finem, quem de manu bestiæ liberasti ante finem. Libera, dico, non ut nullatenus vexent eos bestiæ; neque enim major est servus domino suo a talibus bestiis usque ad mortem cruciato : sed ut non lædant, quos vexant, pauperes tuos, qui etsi peccant, non hoc fit per contumaciam, sed per fragilitatis et ignorantiæ miseriam; *quia repleti sunt* multis miseriis, ita ut quilibet illorum in semetipso experiatur verum esse, quod dicitur : « Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis (*Job* XIV,1). » Quia ergo *repleti sunt* miseriis, miserendum est illis, qui et hoc habent ad augmentum suæ miseriæ, quod *obscurati sunt terræ domibus iniquitatum*, scilicet domos luteas inhabitando, quibus velut cryptis rarum desuper lumen admittentibus et tenebras foventibus *obscurati sunt* in his *terræ domibus*, quæ dicuntur etiam *domus iniquitatum*, quia corpora sunt magis prona ad iniquitates perpetrandas, quam ad virtutes consectandas, maxime in *domibus iniquitatum*, videlicet cum de domibus orationum fiunt speluncæ latronum, quæ vere dici possunt *domus iniquitatum*. In talibus *domibus iniquitatum*, superbi et protervi honorantur, sed humilis quisque inhonoratur, et confunditur pauper, et inops relinquitur, dum facultates Ecclesiæ distrahuntur in abusionem superbiæ.

Igitur ab hominibus aversus tanquam lapis, quem reprobaverunt et averterunt ædificantes, iste *humilis factus confusus*, *ne*, quæso, *avertatur* a te pio et justo judice, quem decet sic ab hominibus reprobatos *in domibus iniquitatum* consolari et exaltare in domo tua, in qua mansiones multæ sunt. Ideoque non soli reges et justi, virtutibus magnis ditati, sed etiam *pauper et inops laudabunt* in ea *nomen tuum* scientes magis per nomen tuum, quo Salvator diceris, quam per meritum suum se salvatos.

Segregatis igitur a tempestate judiciali humilibus

A et pauperibus, de quibus jam dictum est, qui et modo confitentur peccata sua, et postmodum laudabunt nomen tuum, noli ultra differre judicium; sed *exsurge, Deus, et judica causam tuam* in tota Ecclesia, sicut judicasti causam tuam in civitate Jerosolyma segregatis primo inde pauperibus tuis apostolorum discipulis, qui divina revelatione præmoniti secesserunt in regnum Agrippæ, ubi tuti erant a Romanorum vastatione. *Exsurge*, quæso, et *judica causam tuam* contra Simonem perversum negotiatorem, contra Judam traditorem, contra Nicolaum fornicatorem, qui tres iniqui et iniquorum vexilliferi sic vexant universam Ecclesiam, sicut tempore obsidionis vexabant Jerosolymam tres principes iniqui et seditiosi, videlicet Joannes, Eleazarus

B et Simon, qui, ut Josephus refert, Romanis foris oppugnantibus civitatem gravius et crudelius tyrannizabant intus, maxime per sicarios occidendo mistæ multitudinis tantam stragem, ut ex putredine mortuorum cadavere fœtor nimius gravaret populum fame tabefactum simulque pavore confectum, quoniam foris vastavit gladius Romanorum, et intus pavor sicariorum. Contra illos tunc judicasti causam tuam, ut seditionibus devastarentur, qui, te reprobato, Barabbam seditiosum elegerant. Et nunc *judica causam tuam* contra eos, qui te in tuis minimis reprobando Barabbæ similes in Ecclesia exaltant. Atque ut non tardes ulcisci, *memor esto improperiorum tuorum, quæ ab insipiente sunt tota die*.

C Nam quod uni ex minimis tuis improperant tibi improperant. « Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum, » verbi gratia altisona voce clamantium : « Non habemus regem nisi Cæsarem (*Joan.* XIX, 15). » Cui simile est quod nunc dicunt eorum sequaces : non habemus legem sive regulam nisi Cæsaris. Hoc nimirum dicunt regulis apostolicis et synodalibus calcatis, et pravis consuetudinibus veritati prælatis, quod est magna *superbia*. Et hæc *superbia eorum*, *qui te* veritatem *oderunt ascendit semper*, quia ut olim superbi homines proposuerunt ædificare turrim in campo Sennaar, cujus culmen pertingeret usque ad cœlum : sic et isti habent superbiendi contra te audaciam detestabilem, et quantum in ipsis est, interminabilem. Propterea tu, Judex

D juste, confunde linguas eorum, quibus mendacia sua fabricare intendunt, ut, etsi habeant sempiternum superbiendi affectum, non obtineant effectum.

Gloria Patri, qui hoc judicium dedit Filio. *Gloria* ipsi *Filio*, qui judicavit civitatem Jerosolymam, et qui adhuc judicabit Ecclesiam totam; nam qui foris sunt, et non credunt, jam judicati sunt. *Gloria Spiritui sancto*, qui pauperes spiritu, de quibus dictum : *Pauper et inops laudabunt nomen tuum*, proteget in justo judicio. Amen.

PSALMUS LXXIV.

Confitebimur tibi, Deus, confitebimur, et invocabimus, nomen tuum, etc. Psalmus iste proficit intento lectori, et sæpe dicto certatori contra legem peccati reluctanti ad constituendum fortissimum spei solatium, quod quandoque sit perventurus ad triumphum, quo potitus arguat cæteros ad reluctandum peccato adhuc pigros. Animi quippe bene confortati, bona spe consolidati est dicere iniquis: *Nolite inique agere, et delinquentibus: nolite exaltare cornu, nolite extollere in altum cornu vestrum*, etc. Sane capitis nostri Christi principaliter sunt voces istæ. Neque enim alius præter ipsum dicere potest: *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo*. Et *ego confirmavi columnas ejus, et omnia cornua peccatorum confringam*. Unde bene habet in titulo:

VERS. 1. *In finem, ne corrumpas, psalmus Asaph cantici*. Et est sensus: *O Asaph*, id est infidelis *congregatio* Judæorum, *ne corrumpas* aliquid in hoc psalmo male illud exponendo, vel alicui præter Christum attribuendo. Verumtamen cum dicit pluraliter: *Confitebimur, Invocabimus* et *Narrabimus*, cum suis membris caput communiter se loqui profitetur. Loquitur ergo hic totus Christus, et præmittitur primo canticum sonoræ confessionis, quo confortatur humilis ad spem. Secundo terretur superbus commemoratione judiciorum Dei, ubi dicitur: *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo*. Et quia hucusque in Psalmorum expositione multos fecimus excursus occurrendo hinc inde infestantibus contradicentium diversis oppositionibus, unde et opus istud in longum extendimus, adjuvante Deo, conabimur de cætero non tam exponendo, quam canendo psalmos transcurrere tendendo *in finem*, prout *psalmus* iste, atque complures alii attitulati sunt *in finem*.

VERS. 2. *Confitebimur tibi, Deus: confitebimur, et invocabimus nomen tuum. Narrabimus mirabilia tua*. Iteratio confessionis confirmatio est, ut in Evangelio *Amen, amen*, et in fine quorumdam psalmorum *fiat, fiat*: et somnium Pharaonis iteratum Joseph docente, ipsa iteratione fuit confirmatum (*Gen.* XLI). Non ergo sufficit nobis confiteri semel peccata nostra in cordis contritione; sed repetimus eamdem confessionem in cordis humiliatione, quia cor contritum tibi, Deus, non placet, nisi fuerit et humiliatum. Est autem cor contritum, quod dolet de peccatis perpetratis: humiliatum, quod libenter cavet a perpetrandis. Itaque *confitebimur tibi, Deus*, corde contrito, et item *confitebimur* corde humiliato scientes minime placere unum sine altero.

Aliter: *Confitebimur tibi, Deus*, misericordi indultori, non terreno, judici crudeli ultori. *Confitebimur* tibi nos peccasse, ut alias dicitur: « Tibi
A soli peccavi (*Psal.* L, 6), » ut si tu solus indulgeas, nullus jure debeat inferre pœnas, quoniam « beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum (*Psal.* XXXI, 2). » Quis enim debita exigat, quæ tu, Domine, cui soli debentur, confitentibus relaxas? Hac igitur spe indulgentiæ *confitebimur tibi, Deus*, peccata nostra, nosmetipsos accusando. *Confitebimur* etiam dona tua te laudando et glorificando, ut sit confessio gemina, et nostræ impietatis, et tuæ pietatis, qua et peccantes diu portas, et eosdem, cum volueris, ad pœnitentiam vocas. Non enim venisti vocare justos, sed peccatores in pœnitentiam, cujus ardore inflammati dicunt assidue: *Confitebimur tibi, Deus, et confitebimur, et invocabimus nomen tuum. Narrabimus mirabilia tua*. Ordo bonus. Pri-
B mo *confitebimur* peccata, ut purificemus corda, quæ quasi vasa munda creata, postmodum fuerunt peccatis coinquinata, quibus per confessionem purgatis et evacuatis a sordium contagio, ut impleantur illis bonis, de quibus alias dicitur: « Esurientes implevit bonis (*Luc.* I, 53), » recte *invocabimus nomen tuum*, ut tu in nobis habitare digneris infirma nostra corroborando, frigida inflammando, tenebrosa illuminando, vacua implendo. Et tunc ex abundantia cordis eructando verbum bonum *narrabimus mirabilia tua*. Neque enim nosmetipsos prædicabimus, aut quæremus gloriam nostram, sed tui nominis gloriam *narrabimus*, et contestabimur his ipsis virtutibus, quas operaberis in nobis, ut viden-
C tes opera nostra bona glorificent eorumdem largitorem et auctorem, a quo hæc accepimus non nos mendicos, qui hæc et gratis accepimus, et nulla nostra virtute conservare possumus, atque proinde gravius erimus judicandi, quam si non acceperimus, nisi de pecunia tua, Deus, lucrum debitum faciamus. Dicit enim:

VERS. 3. *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo*. Quod est dicere: Licet ego Dei Filius æque ut Pater meus, Deus æternaliter habeam cum ipso potestatem judicandi omnia, tamen ex eo, quod, ubi venit plenitudo temporis, temporalis et mortalis factus ex muliere, factus sub lege minor Patre, imo minor et angelis, humiliavi me ipsum habitu inventus ut homo, non veni, ut judicem mundum, sed
D ut judicarer in mundo: recte illud tempus exspecto, quod Pater posuit in sua potestate, quæ potestas et mea est, quia ego et ille unum sumus. Atque ideo non solum a Patre, sed et me ipso dante accepturus sum in humana forma *tempus* judicii, quod semper habui in forma divina. Quod *cum accepero*, tunc *justitias judicabo*. Cum ego æternus accepi secundum hominem *tempus* nascendi, moriendi, resurgendi, adhuc judicium distuli; sed cum *acce-*

pero, id est cum demonstrabo me semper in divinitate habuisse atque in humanitate accepisse *tempus judicandi*, tunc ego injuste judicatus juste *judicabo*.

Vel ego caput cum electis membris inique judicatis in hoc mundo *judicabo*, de hoc mundo juste judicando sine misericordia, quia et ille judicavit me ac meos absque misericordia prætenta interdum quadam, ut putabatur, justitia, ut illic : « Nos legem habemus, et secundum legem nostram debet mori (*Joan*. XIX, 7). » Itèm : « Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum (*Joan*. XVIII, 30). » Talia dicendo quasdam sibi finxerunt justitias, et ego nondum accepto tempore illis contradicendi aut illos judicandi servavi *tempus* tacendi. Sed cum *accepero tempus* loquendi, tunc ego *justitias* illorum falsas *judicabo* demonstrans manifeste quod omnis falsa justitia vere injustitia est. Sed quia nunc apparet justitia, quæ non est, et fallit plerumque humana judicia, ego judex verus, qui falli non potero, *justitias judicabo*, ego tecta nudabo, ego abscondita revelabo in his præcipue, qui palliantur quodam colore justitiæ, cum servi sint injustitiæ, qui cum se fingant servire Deo, serviunt potius mammonæ, dum quæstum pietatem existimant, et veram pietatem negligunt, cujus tamen speciem prætendunt, virtutem vero ejus abnegant. Talium tunc *justitias ego judicabo*, qui non fallar in judicando. Nam de his, qui foris sunt, et non credunt, constat, quod jam judicati sunt, quoniam quorum peccata manifesta sunt præcedentia ad judicium, jam judicantur hac sententia, quæ subinfertur :

VERS. 4. *Liquefacta est terra, et omnes qui habitant in ea*. Sicut amatores cœlestium dicuntur *cœli*, ut illic : « Cœli enarrant gloriam Dei (*Psal*. XVIII, 2), » sic amatores terrestrium bonorum dicuntur *terra*, ut hic : *liquefacta est terra*. Et quasi tu quæras, quæ sit hæc *terra*, exponitur per id quod sequitur : *Et omnes, qui habitant in ea*. Quorum vero conversatio in cœlis est, isti sunt *columnæ* de *terra* electæ, atque in altum subrectæ. Nam cum *terra liquefacta* sit per concupiscentias varias diffluendo, ego tamen posui *columnas*, quibus aliqui terrigenæ innitendo starent. Sed et columnæ aliquandiu nutabant, quia de resurrectione corporum nonnulli etiam discipulorum dubitabant. At ego de morte suscitatus exemplo meæ resurrectionis *confirmavi columnas* ipsas adhibito simul testimonio multorum sanctorum, quorum corpora mecum surrexerunt, et apparuerunt multis.

Aliter : *Terra*, quæ prius erat frigore hiemali constricta, flante austro *liquefacta est* et apta germinibus, quia, me judicante, Judæorum *justitias* falsas et visitante per Spiritum sanctum corda terrena gentilium peccata sua confitentium *liquefacta est terra, et omnes qui habitant in ea*, plantata videlicet, ac dilatata sancta Ecclesia per universum mundum. Quæ, ut firmiter stare valeat, neque ali- quo impulsu moveatur, *ego confirmavi columnas ejus*, apostolos videlicet dando illis in omnium genere linguarum spiritum veritatis, quo loquente per os eorum.

VERS. 5. *Dixi iniquis, nolite inique agere*. Stantibus in paradiso dixeram, ne iniqui fierent mandati obedientiam transgrediendo ; sed illi acquiescendo serpentinæ deceptioni facti sunt *iniqui* et tortuosi eidem serpenti, per quem decepti sunt, assimilati, unde filii illorum in iniquitatibus concepti, et ipsi sunt *iniqui*. Quibus *iniquis* ego Christus homo sine iniquitate conceptus *dixi* per me ipsum, per apostolos meos, per Spiritum sanctum illis datum. Quid *dixi*? *Nolite inique agere, nolite* iniquitatem, quæ in vobis est, amare vel augmentare. Sic *dixi*. At illi neque stantes me audierunt ne caderent, neque jacentes ut surgerent ; sed adhuc amplius peccaverunt, quia relictis monitis meis scienter deliquerunt. Adhuc tamen illos non deserui; sed *delinquentibus dixi : Nolite exaltare cornu* superbiendo in peccatis contra homines, ut Pharisæi aspernando cæteros.

VERS. 6. *Nolite extollere in altum cornu vestrum* superbiendo contra ipsum Deum sicut Adam fecit refundendo culpam suam in eum, cum diceret : « Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi (*Gen*. III, 12). » Sic ille *in altum* extulit *cornu* elationis, ut justissimum Deum æstimaret auctorem suæ iniquitatis. Imitantur adhuc illum plures ipsius filii, qui vel necessitati divinæ præscientiæ vel constellationibus siderum a Deo formatorum vel fragilitati carnis a Deo creatæ atque spiritui rationabili conjugatæ imputant peccata sua. Sic exaltant *cornu* elationis usque ad injuriam Dei altissimi, quem putant injustum eo quod puniat peccata, quorum ipse auctor existat ; vel in eo putant injustum Deum, quod ordinante ipso vident bonos tribulari, malos prosperari. Atque interdum non sufficit eis ita sentire in corde ad injustiam, nisi etiam id loquantur ore ad sui aliorumque perditionem, sicut e contrario « corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem (*Rom*. X, 10), » quod Deus justus est, et non est iniquitas apud ipsum. Dixi ergo talibus : *Nolite loqui adversus Deum iniquitatem*, quia « corrumpunt mores bonos confabulationes pessimæ (*I Cor*. XV, 33), » accrescetque judicium damnationis plurimum de plurimis corruptis. Ipsum quoque reatum cordis talia cogitantis et approbantis expavescite, *quoniam Deus judex est*, cui abscondita cordis manifesta sunt, et a cujus ira nulla sunt ab ipso refugia. Quod probatur per partes :

VERS. 7, 8. *Quia neque ab oriente* in occidentem, *neque ab occidente* in orientem, *neque a desertis montibus* ad alios montes cultos, neque universaliter alicubi est locus fugiendi, *quoniam Deus judex est*, qui localis non est, qui ubique est, qui nusquam deest, qui continet omnia loca, et ipse non continetur a loco, qui operatur in *oriente* ut illic sol oria-

tur, in *occidente*, ut ibi abscondatur, in *desertis montibus*, ut nunquam sol appropiet illis. Nam proprie *deserti montes* dicuntur, qui siti sub arctico, et antarctico polo, ubi terra semper glaciali frigore torpet, nunquam beneficio solis ita incalescent, ut esse possint habitabiles, quoniam hæ duæ totius terræ partes extremæ sic ob nimietatem frigoris habitari non possunt, sicut media, quæ dicitur perusta, non potest inhabitari ob nimietatem caloris, utpote solis ardore illi semper imminente, ad illas vero nunquam pertingente. Propter quod montes illic positi recte dicuntur *deserti*, utpote incultiles et omnino inhabitabiles. Feruntur autem in hujusmodi montibus esse loca pœnalia nimii frigoris, quomodo in Sicilia mons Ætna fertur habere loca pœnalia nimii caloris. Constat vero *montes* utrosque *desertos* esse tam illos, qui ob nimietatem frigoris, quam qui ob intolerantiam caloris et ardoris inhabitabiles sunt. Sed tamen si qui deputantur ad pœnam in illis, ut aut frigore, aut ardore torqueantur, vel utroque puniendi, sicut in Job legitur : « Transeant ab aquis nivium ad calorem nimium (*Job* XXIV, 19), » non est illis fuga ullatenus ab his *desertis montibus* post factum judicium, qui nunc fugere possent ante judicium, si obedienter audirent vocem post tergum monentis et dicentis : *Nolite inique agere, nolite exaltare cornu : nolite extollere in altum cornu vestrum : nolite loqui adversus Deum iniquitatem, quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus* subaudis fuga patet, *quoniam Deus judex est.*

In sensu autem spirituali per *orientem* boni, quos sol justitiæ illuminat; per *occidentem* vero mali, apud quos idem sol justitiæ accidit et quasi moritur, qui bonis oritur, possunt accipi, a quibus post judicium non est locus ullus fugiendi, quoniam inter utrosque firmatum erit chaos magnum, ita ut neque hinc, neque inde possit aliquis transmeare, *quoniam Deus judex est*, cujus judicium justum sicut irreprehensibile, sic erit impermutabile. *Montes* quoque *deserti* non incongrue dæmones possunt accipi, qui sub typo *montium* Gelboe sunt maledicti, ita ut nec ros, nec pluvia veniat super illos. Isti *montes* inculti, frigidi, ac tenebricosi recte censentur nomine Gelboe, quod interpretatur *devoratio*, sive *decursus*, quia princeps eorum diabolus ipse est, qui devorat in abscondito pauperem, quique habet ministros ipsius devorationi partim in abscondito, partim in aperto cooperantes. Nam et ipsi ad ejus instinctum devorant pauperes. Unde est ista querela : « qui devorant plebem meam sicut escam panis (*Psal.* XIII, 4). » Item : « Peccata populi mei comedunt (*Ose.* IV, 8). » Hos in domo Dei latrocinantes et prædam de populo facientes Salvator cum flagello ejicit. Hos in domo Dei negotiantes, et in Spiritum sanctum per Simoniacam hæresim peccantes ipse Spiritus sanctus maledicit, ita ut nec ros neque pluvia gratiæ ipsius veniat super illos, aut super sacrificia eorum, quoniam ibi abjectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo. Parum dictum est in Propheta, quod iste clypeus sit abjectus. Plus invenimus in Apostolo, quia videlicet ibi non solum abjectus, sed et interfectus est clypeus fortium, clypeus Saul, Christus scilicet, quasi non esset unctus oleo lætitiæ præ consortibus. Hunc prænotati devoratores, non solum abjiciunt, sed indigne corpus ejus manducando, quantum in ipsis est, interficiunt, unde rei fiunt corporis et sanguinis ejus. Qui vero non abjiciunt clypeum fortium, clypeum Saul, id est Christum protectorem fortium, lectulum ejus ambientium et custodientium, imo et ipsi censentur in consortio fortium istorum tenentium gladios propter timores nocturnos, ipsi longe sunt a *monte Gelboe*, alienique ab hoc nomine, quod, ut dictum est, interpretatur *devoratio* sive *decursus*, quia non devorant plebem Dei sicut escam panis, neque ad nihilum devenient, sicut aqua decurrens et non ad fontem suum recurrens ad nihilum deveniet, quia decurrendo penitus deficiet. Cui similes efficiuntur omnes elati per elationis vitium a Deo fonte virtutum separati. Quo contra dicit humilis : « Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino spem meam (*Psal.* LXXII, 28). » Talis quasi vallis bene compluta *a desertis montibus* distinguitur ante judicium ; quia invenietur in ea ipse Christus lilium convallium, et tales valles abundabunt frumento, afferentque fructum in patientia sive centesimum virginitatis, sive sexagesimum castitatis, sive tricesimum copulæ conjugalis et thori honorabilis et immaculati. Qui extra hos fructus in fine vitæ suæ sine vera pœnitentia reperientur, inter *desertos montes* censentur, a quibus illis post vitæ hujus terminum et firmatum super eos judicium nullum patet effugium, *quoniam Deus* inter fructuosas valles et *desertos montes* cautissime discernens.

VERS. 9. *Hunc humiliat, et hunc exaltat. Hunc humiliat*, qui se ipsum exaltat ; et *hunc exaltat*, qui se humiliat. « Omnis enim qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur (*Luc.* XIV, 11). »

VERS. 10. *Quia calix in manu, Domini vini meri plenus misto. Calix* pro mensura ponitur, quia judicium Dei mensurate agitur, ita ut in qua mensura quisque mensus est, remetiatur ei ; et quantum quisque biberit de *calice* Domini communicans ejus passioni, tantum communicabit et ejus resurrectioni addito insuper cumulo æternitatis, quia non solummodo mensuram bonam et justam, sed et supereffluentem dabit in sinum eorum copiosus remunerator bonorum. Item qui biberit de *calice* dæmoniorum, bibet quoque cum eis damnationis potum, *quia calix in manu Domini* tam ille quam iste, alter plenus *vini meri*, quod bibendum est in regno Dei novum, sincerum et *merum* ; alter ejus *fæx non est exinanita* per pœnitentiam et confessionem. De qua *fæce bibent omnes peccatores terræ*, id est amatores terrenæ concupiscentiæ, sive hi qui emunt quinque

juga bovum et arant terram, sive hi, qui villam emunt et terrenas divitias ambiunt, sive hi, qui uxorem ducunt et delicias terrenas deliciis cœlestibus anteponunt.

Aliter : *Calix* est omnis Scriptura divinitus inspirata et secundum mensuram donationis Christi administrata. *Calix* iste habet *merum* et *mistum* et *fæcem*. Quid est ibi *merum?* Præcepta moralia verbi gratia : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua, et proximum sicut te ipsum (*Marc.* XII, 28). » Item promissa cœlestia *merum* sunt, in quibus promittuntur sola æterna bona, ut illic : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* V, 3). » Et : « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*ibid.*, 8). » Præcepta vero figuralia, ut ubi lex præcipit Sabbatum custodiri, et Evangelium præcipit faciem lavari aut caput ungi, pro *misto* possunt reputari, quia spiritalis intellectus latet in dictis et rebus figuralibus. Item promissa figuralia, verbi gratia, terram lacte ac melle manantem promittentia, et ipsa reputantur pro *misto*, quia in his cœlestium et terrestrium, pariter continetur promissio. In Evangelio quoque, ubi dicit Dominus : « centuplum accipietis, et vitam æternam possidebitis (*Matth.* XIX, 29), » quia in centenario numero illa significatur perfectio, quæ sanctis datur in hoc sæculo etiam « cum persecutionibus, » ut ait Marcus (*Marc.* X, 30), *mista* est promissio spondens viatica bona cum præmio æterno. At ubi talis est comminatio de malo, quæ nihil habet admistum de bono, ut in lege. « Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima (*Deut.* XXXII, 2), et in Evangelio. « Tunc dicet Rex sinistris : ite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV, 41). » *Fæx* est nimium turbulenta, quam soli et *omnes bibent peccatores terræ*, in quibus nullum reperitur desiderium cœlestium terrenis eorum desideriis permistum. Denique ubi permista inveniuntur desideria bona et mala, ibi quoque de *misto calice* bibendum erit, prout judex ipse disposuerit vel tormentum tolerabilis mali purgatorium, vel refrigerium tolerabilis boni remuneratorium. Dicitur autem tolerabile malum vel bonum, quod non excitavit contra se multas querelas hominum. Sed « omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, » non contenti bonis mediocribus, ita se in bona meliora extendunt, ut necesse sit illos persecutionem pati a dissimilibus, eorum bona studia vel impedientibus vel tardantibus, quantum in ipsis est (*II Tim.* III, 12). Et *quia calix* iste *plenus mero* et *misto* et *fæce in manu Domini* est, ipse, prout novit, *inclinabit ex hoc in hoc*, videlicet contemperando alterum alteri, ut nec sine misericordia judicium, nec sine judicio sit misericordia ejus, quia « universæ viæ Domini misericordia et veritas (*Psal.* XXIV, 10). »

Aliter : *Inclinabit ex hoc* Judæo superbo *in hoc* videlicet in hunc humilem gentilem. *In hoc* enim A spiritalis sensus aliquatenus est. *Verumtamen fæx ejus non est exinanita*, quia *fæx* carnalium sacramentorum apud Judæos remansit. Insuper et *fæx* æternæ damnationis reposita est illis, exceptis tamen reliquiis, qui tandem *bibent mistum* recipiendo cum lege antiqua Novum Testamentum spiritualiter intellecta. Nunc autem neque Judæi neque Manichæi *bibunt mistum*, quia nec illi Novum nec isti Vetus recipiunt Testamentum. Nos autem Christiani *mistum bibimus*, quia utrumque Testamentum suscipimus. In orationibus quoque nostris *merum bibimus*, cum sola cœlestia petimus, ut ibi : « Adveniat regnum tuum (*Luc.* XI, 3) : » *mistum*, cum cœlestia simul et terrestria petimus ut ibi : « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie (*ibid.*, 3). » B *Fæcem* vero *bibunt*, qui sola terrena commoda petunt et concupiscunt. Hanc *fæcem bibent omnes peccatores terræ* per appetitum carnalis et terrenæ concupiscentiæ. Quæ cum eis abundat, inebriantur et in rebus pessimis exsultant : cum vero desunt, contristantur, murmurant, et interdum blasphemant.

VERS. 10. *Ego autem cantabo Deo Jacob.* Ego Christus in me ipso et meis fidelibus *non corrumpens* titulum cantici hujus, quod a confessione cœpit, ut in confessione quoque desinat, *cantabo Deo Jacob. Annuntiabo in sæculum*, id est semper, et *cantabo* vel psallam *Deo Jacob*, *Deo* junioris populi, qui seniore supplantato accepit benedictionem semini Abrahæ promissam, de qua in titulo dicitur : C *Ne corrumpas.* Est quippe merum talis benedictio, sed corrumpitur, si humanæ laudis misceatur fermento aut aliquo terreni quæstus emolumento, quod etsi affluit, « nolite cor apponere (*Psal.* LXI, 11), » dicit Spiritus Ecclesiis, ut quisque regni Dei amator benedictione cœlesti cupiat benedici cum *Jacob*, cui dictum est : « Ecce, odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus (*Gen.* XXVII, 27), » non benedictione terrestri, tali quali benedictus est Esau dicente patre : « In pinguedine terræ et in rore cœli desuper erit benedictio tua (*Gen.* XXVII, 39, 40). » Non habet odorem, sed fœtorem, ista benedictio de solo terreno sonans commodo, qua ille senior fuit contentus, qui contra juniorem fratrem cornua elevationis et damnationis erexerat. D Unde et ejulatu magno flebat audiens a Patre : « Dominum tuum illum constitui, et omnes fratres ejus servituti ejus subjugavi (*Gen.* XXVII, 37). » Quid tandem actum est? Cornua illius invidi sunt confracta et cornua Jacob simplicis exaltata, quia regnante David et posteris ejus, qui de cornu prophetæ unctus fuit, legitur humiliatus Edom factusque tributarius non soli David, sed et cæteris regibus de stirpe Jacob natis. In hunc modum ego verus David, cujus in domo cornu salutis erectum est.

VERS. 11. *Omnia cornua peccatorum confringam, et exaltabuntur cornua justi. Cornua* illorum, qui non obediunt mihi dicenti : *Nolite exaltare cornu,*

nolite extollere in altum cornu vestrum, *cornua*, inquam, illorum, id est potentias eorum, ego *confringam in finem*, secundum quod hic psalmus titulatur *in finem*, quia ego ipse *finis* ero malis *cornibus*, ut annihilentur, bonis, ut consummentur, atque ideo *exaltabuntur cornua justi*, eo quod non sunt alia ejus *cornua*, quam mea munera. *Gloria Patri*, cui dicimus : *Confitebimur tibi Deus. Gloria Filio*, qui dicit : *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo, et omnia cornua peccatorum confringam. Gloria Spiritui sancto*, cujus dona sunt cornua justi exaltanda in æternum. Amen.

PARS OCTAVA.

INCIPIT PROLOGUS GERHOHI.

Quid agis, anima mea, quare tristis es, et quare conturbas me? Tristaris de opere imperfecto, eo quod psalmos exponendo velut in media via defecisti partim corporis infirmitate, partim ex illo tædio, quo dormitas ultra modum, faciente moram sponso, qui si tibi velociter advenisset, imo si tibi fuisset hic, non fuisses mortua, nec quasi triduo sepulta nihil operans vitale, aut etiam, quod pejus est, jam fetens velut cadaver quatriduanum. Inde tristis es, anima mea, et inde conturbas me. Sed spera in Deo, quoniam videns Dominus flentes et orantes pro te sorores, jam tibi reparavit ex parte sanitatem corporis. Potens est etiam earumdem precibus exoratus tædium, quo premeris lævigare cantabiles tibi faciendo justificationes tuas in loco peregrinationis tuæ, prout ipsæ in Deo dilectæ sorores expetunt, quæ Psalmorum expositiones adhuc sitiunt, adhuc esuriunt juxta illud Sapientiæ dictum : *Qui edunt me, adhuc esuriunt, et qui bibunt me, adhuc sitient* (*Eccli.* XXIV, 29). Volueram quidem illarum siti et esuriei satisfieri ex lectione voluminum per sanctos Patres in Psalmos editorum, vel etiam per glossas magistrorum de his ipsis voluminibus excerptas. At illæ opportune, importune instant mihi, ut si non plenaria expositione sicut hactenus conabar, saltem breviario quodam in Psalmos, qui adhuc restant, ita percurram, ut etsi non exponendo, saltem quasi canendo ad illum finem perveniam, ubi dicitur : *Omnis spiritus laudet Dominum* (*Psal.* CL, 6). Adsis ergo, Spiritus omnium spirituum fortissime simul ac suavissime, fortiter ac suaviter disponens omnia, ut te dirigente pedes meos in viam pacis curram sine offendiculo per hoc longum studium usque ad desideratum bravium, quo accepto spiritus meus inter spiritus et animas justorum laudet Dominum.

PSALMUS LXXV.

Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus. Finem omnium, quem et sperando metuimus, et metuendo speramus, quinta jam recapitulatione psalmus iste intendit. *Notus*, inquit, *in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus : et factus, est in pace locus ejus*. Ac deinceps : *De cælo auditum fecisti judicium : terra tremuit, et quievit, cum exsurgeret in judicium Deus, ut salvos faceret omnes mansuetos terræ. Fecisti*, etc. Prophetice dixit pro eo, ut diceret *facies*, præterito utens pro futuro tempore. Sane in eo quod ait : *De cælo auditum fecisti judicium : terra tremuit, et quievit*, ingentis metus causa est. Idem enim est, ac si diceret : Terra, id est impii terræ amatores trement et quiescent, quia male operari desinent. Compescet enim illos Judex magnus dicendo : « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV, 41). » In eo vero quod ait : *ut salvos faceret omnes mansuetos terræ*, plurimum mansuetorum spes animatur. Idem est enim, ac si diceret : Exsurgens in judicio mansuetos, qui peccata sua non defendunt, sed eleemosynis ea redimunt, salvabit dicendo : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi (*Matth.* XXV, 34). » Titulus psalmi hujus talis est :

(VERS. 1.) IN FINEM, IN LAUDIBUS, PSALMUS ASAPH, CANTICUM AD ASSYRIOS.

Assyrius *dirigens* interpretatur, et hoc loco Judæos significat, qui se dirigunt de genere Abraham, vel de operibus legis inaniter extollunt, putantes hoc satis esse, quod carnalis Judæa et carnalis Israel sunt. Contra horum extollentiam psalmus dicit, quia in illa, quæ vere *Judæa* est, *notus* est *Deus*, et

in illo, qui vere *Israel* est, *magnum est nomen ejus.* Judæa *confessionem* peccatorum, *Israel*, quod interpretatur *videns Deum* sive *directus cum Deo*, certantem significat virum contra impetus vitiorum, de quali viro jam sæpe est dictum. Porro quod sequitur : *Et factus est in pace locus ejus*, illum designat statum, de quo Apostolus : « Infelix, » inquit, « ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum (*Rom.* VII, 24). » Nam revera *ibi confregit Deus potentias, arcum, scutum et gladium et bellum.*

Prima parte ostenditur, nomina gloriæ, quæ sunt Judæa, Israel, Sion, Salem translata esse ab illis Judæis, qui rectius dicuntur Assyrii quam Judæi vel propter superbiam, qua se dirigunt suam statuendo justitiam, justitiæ Dei non subjecti, vel propter crudelitatem nimiam, qua ita persequuntur Ecclesiam, sicut olim Assyrii persequebantur Synagogam. Secunda parte ostenditur quid faciat Christus de his, a quibus et ad quos hæc nomina transtulit ibi : *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis.* Tertio intentionem aperit admonens devotos solvere vota ibi : *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi*, etc. Psallat igitur Ecclesia mater illibata vere Judæa nominanda cum propter suæ iniquitatis tum etiam propter divinæ pietatis confessionem. Psallat, inquam, et dicat :

VERS. 2. *Notus in Judæa, Deus.* Ad litteram *Judæa* dicta est illa portio terræ promissionis divisæ in tribus duodecim, quæ sorte obvenit tribui Juda, ex qua tribu reges ac principes sive duces in populo Dei fuerunt usque ad Herodem alienigenam, quo regnante jam sceptro ablato de Juda et duce de femoribus ejus natus est Christus. Quem qui confessi fuerunt, ut Petrus dicens illi : « Tu es Christus Filius Dei vivi (*Matth.* XVI, 16), » propter veritatis confessionem Judæi, hoc est, confitentes recte censentur, sicut hi, qui eum negaverunt, dicentes : « Non habemus regem nisi Cæsarem (*Joan.* XIX, 15), » non Judæi, sed *Assyrii* dicuntur juxta illud in Daniele : « Et non erit ejus populus, qui est eum negaturus (*Dan.* IX, 26). » Negans ergo eum populus, non est populus ejus, nec est *in Judæa*, id est in confessione, propterea non est in ea notitia Dei; sed *in* vera *Judæa*, quæ est sancta Ecclesia fidem Christi confessa, *notus* est *Deus* ea notitia, quam non caro et sanguis revelavit, sed Pater cœlestis. *Notus* ergo in apostolis ac martyribus Deus, *notus* in confessoribus *notus* in veris Christianis *Deus*. Qui autem verbis aut factis aut utroque negant Deum, *Deus* non est *notus* in illis, etsi sit *notus* illis. Illis enim, qui cum cognovissent Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, *notus* utrumque fuit *Deus*; sed non fuit *notus* in illis, quomodo cognoscitur in veris Judæis, de qualibus dicit Apostolus : « Si prophetent omnes, intret autem quis infidelis aut idiota, convincitur ab omnibus, et sic cadet in terram pronuntians, quod vere Deus in vobis sit (*I Cor.* XIV, 24, 25). » In talibus ergo Judæis sive *in* tali *Judæa*

A *notus* est *Deus*, perinde illis et in illis manifestus, quod in eis et per eos loquitur confessionis verba fidelissima ipso Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis « aliquando miraculorum (*Marc.* XVI, 20), » semper autem piorum operum, ut eorum doctrina sit vere confessio, dum corde creditur ad justitiam, ore autem confitentur ad salutem (*Rom.* X, 10). Hoc est enim confiteri *simul fateri ore*, quod tenes in corde. Nam si ea doces quæ per fidem ex dilectione operantem non tenes, loqueris, non confiteris, ac proinde ipsa tua locutio non est confessio, nec est *Judæa*, in qua sit *notus Deus*, etsi tibi utcunque sit *notus Deus* ea notitia, qua eum noscunt etiam dæmones et contremiscunt (*Jac.* II, 19). *Notus* ergo *Deus* in vera con-
B fessione contestata fidei virtute atque operum signis.

Et quia per fidei veram confessionem venitur ad ipsius veritatis, quæ creditur, claram visionem, Deo remunerante fidei meritum per intelligentiæ præmium, recte is, qui ob fidei confessionem dicitur Judæus, ob intellectus boni claram visionem dicitur *Israel*, quod interpretatur *vir videns Deum*, et *in* hoc *Israel magnum nomen ejus.* Unde hoc? Inde nimirum, quia hic talis, ut obtineat vere nomen *Israel* et sit vere Israelita, in quo dolus non sit, luctatur cum Deo dicens illi assidue : « Non dimittam te, nisi benedixeris mihi (*Gen.* XXXII, 26). » Quod autem lucta ista fiat precibus et fletibus in tentatio-
C nibus, indicat Oseas propheta sic loquens de Jacob : « Invaluit ad angelum, flevit et rogavit eum (*Ose.* XII, 4). » Sic et tu luctando precibus et fletibus contra legem peccati, quæ est in membris tuis repugnans legi mentis tuæ, si persistis in certamine, donec obtineas victoriam per adjuvantem gratiam, videbis Deum salvatorem tuum, ut dicere valeas : « Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea (*Gen.* XXXII, 30). » Bona quippe Salvatoris ac liberatoris visio in ipso liberationis ac salvationis evidenti experimento noscitur, a qua visione *Israel* vir videns, vel *princeps cum Deo* recte nominatur. *In* hoc *Israel magnum* est *nomen* Dei, quia per talem *Israel* valde *magnus*, valde nominatus et inclytus apparet magnificator *ejus* ipse Deus,
D quomodo magnus apparet medicus in eo, qui per eum sive a lepra sive ab alia infirmitate magna cernitur sanatus, ita ut recepta vel potius *ea*, quam non habuit, accepta sanitate valeat cum forti medico fortiter luctari non dimittendo illum, usque ad suæ sanitatis finale complementum, quodammodo illud assidue replicans : « Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. » Tale est illud quod alias dicit iste luctator : « Deus misereatur nostri, et benedicat nobis (*Psal.* LXVI, 1). » Item : « Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus (*ibid.*, 7, 8). »

Et est quidem valde beatus, qui præventus in benedictionibus dulcedinis per observantiam virginalis integritatis nullam seu parvam sentit luctam carnis menti repugnantis. Attamen « ubi abundavit ini-

quitas, » ita plerumque « superabundat gratia (*Rom.* v, 20), » ut per luctam fortissimam nomine *Israelis* obtento ex fructibus pœnitentiæ magis clarescat magnitudo *nominis Dei*, etiam tales liberantis ac salvantis, quam ex quorumdam innocentia, qui non indigent pœnitentia. Verum si et tales agant pœnitentiam sic deplorando peccata cogitationum, quomodo illi peccata operum, tam innocentes quam pœnitentes, tam justi quam publicani habebunt pacem ad Deum, nec spernet vel judicabit alter alterum, quomodo cum peccatrice Maria pacem habet sancta virgo Maria in regno pacis ambæ Deo gratias agentes, illa, quod a malis obumbrante Spiritu sancto, est custodita; ista, quod, eodem Spiritu mundante, a malis est liberata?

Sciendum sane multis modis pacem nominari; sed est alia pax donum Dei, alia pax ipsa essentia Dei. De illa dicitur Deo: « Dona nobis pacem. » Item: « Da pacem, Domine, in diebus nostris: » de ista vero dicitur: « Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum (*Philipp.* iv, 7). » De hac superexcellenti pace quasi de inexhausto fonte omnis pax bona credenda est manare. Dico autem *pax bona*, quia est et pax mala, quam non venit Dominus mittere, sed contra eam misit gladium. Et *pax bona* manans ab illo, a quo nisi pax universitatis administraretur, tota creatura pace destituta et in se sibi contraria destrueretur, et in nihilum redigeretur. Universalis vero hujus pacis a Deo manantis multiplex distinctio est, de qua sic ante nos tractatum est. Pax corporis, ordinata temperatura partium seu elementorum corpus componentium. Pax animæ irrationabilis, ordinata requies appetitionum. Pax animæ rationabilis, ordinata cognitionis actionisque consensio. Pax corporis et animæ ordinata vita et salus animantis. Pax hominis mortalis et Dei ordinata in fide sub æterna lege obedientia. Pax hominum ordinata in bona voluntate concordia. Pax domus ordinata imperandi et obtemperandi concordia inhabitantium. Pax civitatis ordinata imperandi atque obediendi concordia civium. Pax cœlestis civitatis ordinatissima et concordissima societas fruendi Deo et invicem in Deo. Pax omnium rerum tranquillitas ordinis. Ordo vero est partium disparium que rerum sua cuique tribuens dispositio, quæ non est, nisi a Deo. Unde Apostolus: « Quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt. Ideo qui potestati resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt (*Rom.* xiii, 2). » *Potestati* dico, non tyrannidi, quoniam sicut potestati legitimæ resistentes damnationem sibi acquirunt, sic tyrannidi resistentes coronati sunt beati martyres nolentes habere pacem cum inimicis pacis. Unde Joannes et Paulus dixerunt ad Terentianum: Si tuus dominus est Julianus, habeto pacem cum illo; nobis alius non est nisi Dominus Jesus Christus. Recte omnino respuerunt pacem cum illo, qui adversatus est Christo. Nam ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum, quique ubi morte sua destruxerat parietem inimicitiarum, suscitatus a morte suis imprecatus est pacem, dicens: « Pax vobis (*Joan.* xx, 19). » Dixerat et ante mortem suam suis: « Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis (*Joan.* xiv, 27). » Item: « Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis (*Joan.* xvi, 33). » Pacem habeatis non utcunque, sed *in me*, ut videlicet *in me* veritate veraces, *in me* sapientia sapientes, *in me* via incedentes ad me patriam tendentes mea pace viatica utamini, et me pace summa fruamini. Pax viatica est, ut vos diligatis invicem, non quomodocunque, sed *sicut dilexi vos*, id est ad hoc amate vos in me, ad quod amati estis a me, quia sine hoc amore non potestis habere veram pacem, quæ, nato me, annuntiata est ab angelo dicente: « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* ii, 14). » Pacem hanc pacis auctor diligit.

Vers. 3. *Et factus est in pace* hac *locus ejus*, quia in scissura mentium Deus non est, qui *pax* et unitas est: et ideo *factus est in pace locus ejus*, quia is, qui non est localis, ipse sibi est et in seipso est. Unde qui *pacem* respuunt, Deum, qui *pax* est, a se repellunt. Etenim *factus est in pace locus ejus*, vel, sicut in Hebræo legitur: *Et in Jerusalem tabernaculum ejus*, quod idem est. Nam *Salem pax*, *Jerusalem visio pacis* interpretatur, in qua Deus habitat, qui *pax* est, et *pacem* amat. Hanc non habet, qui litigat contra Deum, quod utique facit, cui displicet, quod Deo placet, vel e contrario placet, quod Deo displicet. In hoc non habet *locum* Deus.

Quidam codices habent: *In Salem umbraculum ejus*. Quo dicto significatur, quod virtus Altissimi obumbrat menti pacificæ, ut in ea ille possit requiescere, qui dicit: « Super quem requiescam, nisi super humilem et quietum et trementem verba mea? » (*Isa.* lxvi, 2.) *In* hujus animæ *pace factus est locus ejus*, qui tales animas visitat. Verumtamen in illis non habitat, quas etiam sic visitat, nisi *paci*, quam tenent, illud studium socient, quo per invisibilium bonorum fidem tendant ad eorumdem visionem, videlicet obliviscendo, quæ retro sunt, et in anteriora se jugiter extendendo, ut quæ nunc tenent per fidem, concupiscant obtinere per spem, ita ut fidei succedat visio tanquam flori decidenti fructus in æternum permansurus. Nunc enim manent fides et spes, tanquam flores casuri; charitas autem, quæ in visione rerum credendarum et sperandarum perficietur, nunquam excidet, quoniam hæc est fructus, de quo dicitur: « Et fructus vester maneat (*Joan.* xv, 16). » Hæc est ille ignis, de quo dicitur: « Vivit Dominus, cujus est ignis in Sion, et caminus ejus in Jerusalem (*Isa.* xxxi, 9). » Denique in Sion, id est in ea speculatione, qua nunc videtur veritas per speculum et in ænigmate, quantuluscunque sentitur ignis amoris, quo eadem veritas diligitur; sed *in Jerusalem*, id est in clara illa visione, qua facie ad faciem videbitur Deus, *Caminus* erit perfectissimi amoris, nihil admittens frigoris aut torporis. At nunc in Sion commorantibus et Deum per ænigma

speculantibus nobiscum bene agitur, si prædictus ignis, ne penitus exstinguatur, de die in diem nutrimentis competentibus augmentatur secundum præceptum legis dicentis : « Ignis iste semper erit in altari, quem nutriet sacerdos subjiciens ligna mane per singulos dies (*Levit.* VI, 12). »

Utinam ea, quæ scribimus, ad ignem hunc in cordis altari nutriendum sint apta fomenta veluti ligna in domum Domini comportata! Neque enim principibus illis nos comparare audemus, qui ad ornandum sive altare sive rationale aut humerale offerunt aurum et lapides pretiosos. Atque utinam vel pilos caprarum ad contexendum tabernaculi operimentum cilicinum, vel sicut diximus, ligna offeramus ad ignem sanctum nutriendum in cordibus legentium! Qui si fuerint innocentes, quasi altare thymiamatis indigent ardentibus prunis ad dilatandam fragrantiam suavissimi odoris, ut videlicet per documenta et exempla sanctæ charitatis ignescant et luceant. Ignescant coram Deo, luceant coram hominibus. Verum si fuerint pœnitentes, operimento cilicino indigent, ut videlicet condignis fructibus pœnitentiæ tecta sint eorum peccata. Hoc est quod intendimus, dum scriptis nostris vel sanctimoniæ vel pœnitentiæ hortamenta et exempla inteximus legentibus intuenda et speculanda. Nam in tali speculatione ille habitat, de quo hic psallimus : *Et habitatio ejus in Sion*, id est in eis, qui ea, quæ retro sunt obliviscendo se in anteriora extendunt.

Attende ordinem et sensum. Præmittitur enim *Judæa*, id est confessio, sequitur *Israel*, quia prius est confiteri peccata, quorum puram confessionem sequitur indulgentia, in qua gustatur et videtur Deus juxta illud : « Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus (*Psal.* XXXIII, 9). » Deinde sequitur *Pax*, quia dejecto per indulgentiam pariete inimicitiarum, qui de peccatis originalibus et actualibus constructus hominem separavit a Deo, jam pax est homini bonæ voluntatis. Extremum est *Sion*, id est specula, qua Divinitatis contemplatio hic per speculum quoquo modo initiatur, qua in æternum consummata nihil ultra desiderabitur.

VERS. 4. *Ibi confregit*, id est absque dubio confringet Deus *potentias*, potentiæ suæ contrarias, quia non erit illic tempus belli sed tempus pacis, non tempus negotiandi sed tempus otiandi, ac proinde ibi *confringet*, atque in his, qui eo pervenerunt, jam *confregit potentias* malas, videlicet *arcum*, id est dolos insidiantium, ut ex improviso itinerantes vulnerantium, de quibus alias dicitur : « Intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum (*Psal.* LXIII, 4, 5). » Item : « Filii hominum dentes eorum arma et sagittæ (*Psal.* LVI, 5). » *Confregit* etiam, sive confringet illic, *scutum*, id est omne defensionis instrumentum, quippe quod illic non erit necessarium, ubi non exercebuntur ultra ad prælium. Confringet etiam *gladium*, quo A cominus pugnatur sicut *arcu* eminus, quia non erit illic vel de longe vel de prope aliquos impugnaturus. Quidam codices habent : *Ibi confregit potentias arcuum*, quod idem est in sensu.

Diapsalma : VERS. 5. *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis.* Super hunc locum beatus papa Gregorius dicit in Job : (30) *Qui orientem solem contemplari non valet, irradiatos montes aspicit, et quia sol ortus sit deprehendit. Ex æternis ergo montibus nos Deus illuminat, quia per admiratam vitam Patrum præcedentium radio nos suæ claritatis illustrat. Ecce in studio devotionis Dominicæ et charitatis accendimur, sed in hac devotione atque charitate melius horum montium contemplatione formamur. Quid devotius Petro? Quid charius Joanne? Ille per devotionem* B *fluida maris dorsa calcare non timuit* (*Matth.* IV); *iste per amorem, et in ipso auctoris nostri pectore requievit, et qui ad corporalis cœnæ refectionem venerat, spirituale pabulum de sinu Redemptoris sumpsit* (*Joan.* XXI). *Sed quia signari per montes præcedentium Patrum vitam diximus, necesse est ut adhuc ad medium etiam superiorum Patrum exempla deducamus. Ecce cum præceptis cœlestibus subdi per obedientiam cupimus, consideratis antiquorum Patrum vestigiis adjuvamur. Quid enim Abraham obedientius, qui ad unam vocem Dominicam cognatos deserit et patriam, et pro adipiscenda æterna hæreditate, ipsum ferire non trepidat, quem senex jam et pene moriturus acceperat hæredem?* (*Gen.* XXII.) *Cum* C *patientiæ virtutem apprehendere conamur, præcedentium exempla conspicimus. Quid enim Isaac patientius, qui ligna portat, de holocausto interrogat, atque post paululum ligatur et non loquitur, aræ superponitur et non reluctatur? Quid ergo isto viro dici patientius potest, qui quasi ad solatium ducitur et requirit, ad feriendum ligatur et conticescit, et oblaturus holocaustum interrogat, offerendus in holocaustum tacet? Cum accingi ad laborum tolerantiam nitimur, exemplis præcedentibus informamur. Quia enim Jacob laboriosius, qui apud Laban longo tempore propinquo jure cognationis opera exercuit servitutis, et vice obsecutus est famuli, ut frueretur præmiis hæredis? Cum arcem continentiæ et castitatis ascendere nitimur, exemplis præcedentium sublevamur.* D *Quid ergo Joseph castius, qui ad desiderium petulantis dominæ jugo luxuriæ premi non potuit etiam captivus?* (*Gen.* XXXIX.) *Et quidem hominibus servus exstitit, sed contra dominantem nequitiam et in servitio liber fuit. Cum mansuetudine repleri cupimus, præcedentium exemplis adjuvamur. Quid enim Moyse mansuetius, qui commissi sibi populi seditionem tolerat, et tamen irascentem Dominum pro suis persecutoribus rogat, seque pro illis divino furori objicit, quia in sancto ejus pectore etiam ex persecutione charitas ignescit? Cum contra adversa mundi formari mentis constantia nitimur præcedentium consideratione fulcimur. Quid enim Josue constantius,*

(30) Lib. XXVII Moral. cap. 10.

qui ad explorandam qualitatem gentium missus, nec proceritatis magnitudinem, nec numerositatem multitudinis expavit? (*Jos.* x.) *Unde et easdem gentes, quas explorando non timuit, et præliando prostravit. Cum benignitatis culmen conamur apprehendere, præcedentium exemplis instruimur. Quid enim Samuele benignius, qui principatu regendi populi dejectus successorem sibi humiliter requirit, inventumque ungit in regem, unctum mox tolerat persecutorem, a quo ne moriatur, trepidat, et tamen ne ei Dominus irascatur, rogat?* (*I Reg.* xii.) *Ipse quippe cum mitteretur ait: Audiet Saul, et interficiet me* (*I Reg.* xvi). *Et ei per semetipsam Veritas dicit: Quousque tu luges Saulem, cum ego abjecerim eum? Quid ergo isto viro benignius dici potest, qui et hunc non vult divinitus percuti, a quo formidat occidi? Cum ad pietatis atque humilitatis celsitudinem tendimus, præcedentium exemplis levamur. Quid enim David misericordius, quid humilius dici potest, qui a rege reprobo pro victoria contumelias recepit, qui de manu hostili Israeliticam plebem fortis eripuit, et tamen ipse, ne moriatur, quasi debilis fugit, qui et se electum divino judicio et persecutorem suum reprobum agnoscit* (*II Reg.* xvi), *et tamen eidem persecutori suo crebræ satisfactionis humilitate se subjecit, qui persecutoris lanceam tollit, oram chlamidis detruncat, atque ad cacumen montis protinus properat, et uno eodemque tempore, quia occidendi potestatem habuerat, ostentat, et ne occidatur, rogat?* (*I Reg.* xx.) *Hinc est, quod de prædicatoribus per prophetam dicitur: Qui sunt isti, qui ut nubes volant? In cunctis ergo, quæ spiritaliter appetimus, exemplis præcedentibus informamur. More enim nubium extensa super nos vita Patrum tegimur, ut ad fructum fecundi germinis infundamur. Et quasi intuentes cœlum prius nubes aspicimus, quia bonorum facta admiranda cernimus, et post illa, quæ sunt cœlestia, experiendo penetramus.*

Quidam codices habent: *Illuminans tu mirabiliter*, quod ad superiora ita contexitur: *Notus in Judæa Deus*, inde videlicet, quia *illuminans*. Nam et *sol oriens* exinde cognoscitur, quod illuminat primo altos montes, deinde *a montibus* descendit claritas ejus in valles. Ita et tu Deus, primo *illuminans* montes, consequenter ex illuminatis *montibus* illustras et valles, quia ex consideratione præcipuorum sanctorum, qui sunt *montes æterni*, æternitatis lumine simul et calore, scientia et amore perfusi pauperes, mites et humiles corde, qui sunt valles illustrantur. Non ipsi montes a semetipsis habent seu dabunt lumen, sed tu lux vera « illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* i, 9) » per eos et ab eis emittis lucem tuam et veritatem. Hæc « lux » tua « venit in mundum; » sed « magis dilexerunt homines tenebras, quam lucem: erant enim eorum mala opera (*Joan.* iii, 19). »

Sed quia propter interpositum *Diapsalma* reprobari potest contextio ista istius litteræ ad superiora, dicamus ita ut ad ipsum Deum sit apostrophe in ipso *Diapsalmate* facta hoc modo: Ego *Asaph*, id est congregatio fidelis hactenus de Deo loquens ostendi, quam dulcis est ipse in Judæa, in Israel, in Sion. Sed nunc ostendere volens, quam sit terribilis inimicis illis, videlicet *Assyriis*, de quibus in titulo dictum est, ad ipsum Deum converto me dicens: *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis.* Hi sunt montes oppositi montibus illis, de quibus in præcedenti psalmo est actum. Unde illi montes deserti, sed isti *montes æterni* dicuntur. Isti montes omnes illuminantur et ita magnificantur, ut recte *montes æterni* dicantur. Nam « quos Deus præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, quos autem prædestinavit, hos et vocavit, quos autem vocavit, hos et justificavit, quos autem justificavit, illos et magnificavit (*Rom.* viii, 29-30). » Magnificati ergo nunc in Dei prædestinatione, quæ præfixa est immobiliter et æternaliter, *montes* magni et *æterni* recte dicuntur. Quos tu Deus justificando illuminas, ita ut non sit qui abscondat se a fulgore luminis hujus, quoniam lux ista etiam in tenebris lucet, sed tenebræ eam non comprehenderunt. Quod tale est, ac si dicatur: Tu Sol justitiæ radios lucis tuæ infundis non solum claris, verum et lippis oculis; sed lippi oculi eam non comprehenderunt, imo magis exinde turbati sunt. Hoc est, quod sequitur:

Vers. 6. *Turbati sunt omnes insipientes corde.* Cum tu Sol justitiæ illuminares mundum *a montibus æternis*, vel quibusdam inexstinguibilibus lucernis, qualis erat Joannes, de quo dictum est: « Ille erat lucerna ardens et lucens (*Joan.* v, 35), » illuminatus videlicet, ut testimonium perhiberet de lumine, lætificati sunt omnes mites et humiles corde. Sed præ fulgore luminis *turbati sunt omnes insipientes corde* tanquam noctuæ seu vespertiliones lucem ferre non valentes. Unde ad sibi amicas tenebras refugientes in cubilibus et impudicitiis delectati *dormierunt somnum suum. Suum* dico signanter *somnum* illorum, qui sibi vigilant, sibi dormiunt, sibi vivunt, dum in omnibus, quæ agunt, suo quæstui, suæ gloriæ, suæ voluptati cor intendunt sua quærendo, non quæ Jesu Christi.

Aliter: Mali *dormiunt somnum suum*, et boni *suum*, quia et boni *dormiunt* peccatis et mundo, cui et mortui sunt omnes, qui Deo vivunt. Sed mali *dormiunt* Deo et mortui sunt, qui sibi et huic mundo vivunt, qui et *viri divitiarum* non incongrue dicuntur, quia non ipsi *divitias* possident ut domini, sed possidentur, ut servi. Quo contra dicitur alias: « Redemptio animæ viri divitiæ propriæ (*Prov.* xiii, 8). » Sic Zachæus *divitias* proprias dando pauperibus distribuit eas ut dominus. Non sic *viri divitiarum* servi agunt, qui amore *divitiarum* consopiti non tam habendo, quam se habere somniando *divitias* falso divites et vere pauperes sunt, quia post mortem carnis a somno suo excitati *nihil in manibus suis* invenient.

Super hunc locum beatus papa Gregorius dicit in

Job (31): *Ut in suis manibus divites post sui mortem quidquam inveniant, eis ante mortem dicitur divitias suas, in quorum manibus ponant:* Facite, *inquit*, vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula (*Luc.* xvi, 9). *Dives ergo cum dormierit, in manibus suis nihil invenit. Res enim suas, cum moreretur, secum tulerat, si ad petentis vocem cum viveret, sibi tulisset. Nam terrena omnia, quæ servando amittimus, largiendo servamus, patrimoniumque nostrum retentum perditur, manet erogatum. Domini enim cum rebus nostris durare non possumus, quia aut nos illas moriendo deserimus, aut illæ nos viventes quasi deserunt pereundo. Agendum ergo nobis est ut res absolute perituras in non pereuntem cogamus transire mercedem. Dormit namque dives, et nil invenit, nihil nimirum de rebus, quas tenuit. Nam culpa rerum simul hinc ducitur, quamvis hic, pro quibus culpa perpetrata est, relinquantur. Eat ergo nunc, et acceptis rebus tumeat, seseque super cæteros extollat, glorietur se habere, quod proximus non habet. Veniet quandoque tempus, ut evigilet, et tunc cognoscet, quam vacuum fuerit, quod in somno tenuerat. Sæpe namque contingit dormienti inopi, ut se per somnum divitem videat, atque ex eisdem rebus animum extollat, lætetur se habere, quod non habuit, jamque dedignari quærat, a quibus dedignatum se esse doluit, sed repente evigilans evigilasse se doleat, quod interim divitiarum imaginem vel dormiens tenebat. Gemit enim protinus sub paupertatis pondere, cum inopiæ suæ angustiis premitur, et eo pejus, quo ad tempus brevissimum vel vacue dives fuit. Sic, sic nimirum sunt hujus mundi divites, qui rebus acceptis tument, bene operari de sua abundantia nesciunt quasi dormientes sunt divites. Sed paupertatem suam evigilantes inveniunt, quia nihil secum ad illud judicium, quod manet, ferunt, et quanto nunc ad breve tempus efferuntur sublimius, tanto contra se in perpetuum gravius ingemiscunt, qui teste sapientia damnationis suæ tempore dicturi referuntur: Quid nobis profuit superbia, et divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt ista omnia tanquam umbra, et tanquam nuntius percurrens. Vilia ergo et fugitiva fuisse quæ tenuerunt jam amissa, cognoscunt, quæ quandiu aderant, stultis eorum amatoribus et magna et mansura videbantur. Sero dives oculos aperuit, quando Lazarum requiescentem vidit, quem jacentem ante januam videre contempsit. Intellexit ibi, quod hic facere noluit, et in damnatione sua cognoscere compulsus est, quid fuit, quod perdidit, quando indigentem proximum non agnovit. Cum enim corpus obdormiscit in morte, tunc anima evigilat in vera cognitione. Et dormit ergo dives, et oculos aperit, quia cum carne moritur, ejus anima videre cogitur, quod videre contempsit. Tunc nihil esse conspicit, quod tenebat, tunc se vacuam invenit, quæ plena rebus præ cæteris hominibus lætabatur.*

(31) Lib. xviii Mor. cap. 18.

Aliter: *Viri divitiarum*, scilicet avari, *dormierunt somnum suum*, id est inter illos dormient, de quibus alias dicitur: « Sicut vulnerati dormientes projecti in sepulcris, quorum non es memor amplius, et ipsi de manu tua repulsi sunt (*Psal.* lxxxvii, 6). » Non solum autem *viri divitiarum* sic dormient, sed etiam superbi, quorum extollentia notari solet in eo, quod ascensores equorum dicuntur, in quorum multitudine reges Assyriorum et Ægyptiorum soliti erant nimis gloriari. Unde Rhapsaces nuntius regis Assyriorum gloriabundus insultando ait regi Ezechiæ: « Et nunc trade te domino meo, et dabo tibi duo millia equorum, si poteris extunc præbere ascensores eorum (*Isa.* xxxvi, 8). » Sic Pharao, cum curribus et equitibus persequens Dei populum propter elationem suam demersus est in profundum, quod est congruum superbiæ tormentum, sicut exaltatio humilitatis est præmium, quia « omnis, qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur (*Luc.* xiv, 11). »

Est autem quidam loquendi modus, qui dicitur sarcasmus, id est hostilis irrisio, cum per minus dictum plus notatur, ut hic:

Vers. 7. *Ab increpatione tua, Deus Jacob dormitaverunt, qui ascenderunt equos.* Iste tropus talis est, ac si dicatur de illo, qui missus est in ignem sulphureum, quod sit missus in balneum. Sic in Apocalypsi Dominus comminatur Jezabeli dicens: « Mittam eam in lectum (*Apoc.* ii, 22), » pro eo, ut diceret: Mittam te in infernum, ubi quiescat non tam ipsa, quam ejus malitia, qua terram turbaverat. Sic in hoc ipso psalmo dicitur: *Terra tremuit et quievit.* Similiter increpatio et dormitatio, quæ hic notatur sub irrisione hostili, majorem sensum innuit, quam ex verbis ipsis concipi valeat. Nam cum soleat increpatio Dei fieri solis verbis interdum, sicut illic, ubi corripuit regem Abimelech dicens: « En morieris propter uxorem, quam tulisti; redde uxorem viro, et orabit pro te, quia propheta est (*Gen.* xx, 3, 7). » Et non semel corripuit reges, dicens: « Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari (*Psal.* civ, 15), » prænotatos ascensores equorum, videlicet *Assyrios* et Ægyptios, rebus magis quam verbis corripuit. Sic enim corripuit sive increpavit *Assyrios* ascensores equorum, ut post jam dictam gloriationem, quam Rhapsaces contra humiles et humiliatos Judæos evomuit, una nocte angelus Domini percuteret in castris *Assyriorum* centum octaginta quinque millia de ascensoribus equorum, in quorum multitudine fuerat gloriatus, et ita rex *Assyriorum* cum dedecore suo reversus in terram suam in templo Dei sui orans a filiis propriis interfectus est (*IV Reg.* xix, 35). Item Pharao cum suo exercitu, quia, licet verbis et plagis increpatus increpanti Deo non acquievit, sed magis cor suum induravit et aggravavit quasi dormitans et vigilanter audire nolens modeste

increpantem, tandem sic est increpatus a te, o Deus Jacob. Deus minoris et junioris et humilioris populi, ut, vellet nollet, sic *dormitaret*, imo æterna morte sopitus periret in illud profundum abyssi detrusus, ubi vulnerati dormientes illi sunt, quorum non es memor amplius, et ipsi de manu tua repulsi sunt.

Est igitur hostilis irrisio, quod dicitur : *Ab increpatione tua, Deus Jacob, dormitaverunt qui ascenderunt equos*, quia non utcunque, sed fortissime increpati sunt in exemplum eorum, qui similiter superbientes identidem sunt increpandi, nunc particulariter, universaliter vero in die judicii. Et non utcunque *dormitaverunt*, sed profundo somno mortis æternæ depressi in abyssum ceciderunt, et abyssi operuerunt eos, descenderuntque in profundum maris in exemplum perditionis omnium illorum, qui adversantur et extolluntur contra Deum, quorum præcipuus est ille, qui adversatur « et extollitur super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui increpans illum et destruens illustratione adventus sui (*II Thess.* II, 4, 8). » Ipse est enim rex *Assyriorum*, ad quos canticum istud intitulatum est, qui semetipsos dirigunt et justitiæ Dei subesse nolunt non solum in judaismo, sed etiam in christianismo. *Assyrii* quippe, ut jam sæpius dictum est, *dirigentes* dicuntur, quo nomine apte notantur superbi, scientia inflante, non charitate ædificante pleni. Unde nullius ferunt jugum disciplinæ vel magisterii legitimi, quo flectatur seu frangatur voluntas ipsorum recta et a seipsa directa, ut ipsi arbitrantur, unde *Assyrii*, hoc est *dirigentes*, nominantur. Sed cum exsurget in judicio Deus, ut salvos faciat omnes mansuetos, id est humiles ac mites, jugum Domini sub sancta obedientia portantes, tunc isti *Assyrii* cum rege suo Antichristo erunt ita increpandi per angelos messores, quomodo illi priores *Assyrii* per angelum percussorem sunt increpati. Non erunt ulterius *ascensores equorum*, quia non habebunt subjectos, quibus dominentur, solo illo dominante, qui solus est legitimus *ascensor equorum*, cui alias dicitur? « Ascendes super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio (*Habac.* III, 8), » qui et in Apocalypsi cernitur « super equum album (*Apoc.* VI, 2), » et in Zacharia super « equum » roseum (*Zach.* I, 8), quia omnes illi subjecti aut invenientur innocentia candidi, aut martyrio rubicundi, sicut et ipse dilectus candidus est et rubicundus.

Duo vero esse genera martyrii, quibus calix Dominicæ passionis bibitur, per duos filios Zebedæi comprobatur, quibus cum ambobus dictum sit : « Calicem quidem meum bibetis (*Matth.* XX, 23), » tamen constat unum eorum, scilicet Jacobum, occubuisse per martyrium, alterum, scilicet Joannem, in pace consummasse diuturnum senium post multarum tribulationum longum exercitium, quod erat illi quasi martyrium, illis pro exemplo habendum, quibus porrigitur calix ille non tam per sævitiam

A tyrannicam, quam per nequitiam diabolicam sive in se, sive in aliis detestandam et superandam, in quo conflictu rationabilis et perseverans cautela patienter omnia sufferentis, omnia sustinentis, omnia credentis, omnia sperantis et nunquam excidentis charitatis reputatur pro martyrio. Et sic omnes *equi* Domini aut erunt albi aut rubicundi aut utrumque, sicut Joannes Baptista seu cæteri electi duplici sorte beati, candidi videlicet per innocentiam, rubicundi per martyrium, sicut ascensor eorum atque rector est candidus et rubicundus. *Equi* vero *Assyriorum*, sicut item in Apocalypsi cernitur, sunt rufi, aut nigri, aut pallidi, pariter cum suis ascensoribus damnandi. Rufi non sunt suo sed alieno sanguine, quoniam veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem, quorum præcipui erant, qui ad B nutum sive diaboli sive alicujus mali principis martyres occiderunt. Nigri sunt per mendacium sic veritati contrarium, sicut albo nigrum est oppositum, quorum præcipui erant hæretici, qui ad suggestionem sive ipsius patris mendacii sive cujuslibet hæresiarchæ studuerunt veritatem fidei catholicæ impugnare. Pallidi sunt, qui per invidiam tabescunt non rectis aut benevolis oculis aspicientes prosperitatem seu pacem Deo servientium, quorum præcipui sunt, qui cœnobia, in quibus Deo serviendum est, aut intus corrumpunt confabulationibus pessimis, dum sunt inimici hominis domestici ejus, aut foris impugnant manifestis persecutionibus. Omnibus hujusmodi *Assyriis*, et eorum *equis*

C VERS. 8. *Tu terribilis es, qui ascendes super equos tuos.* Nam illi ascendunt super equos alienos, dominando videlicet subjectis, qui ad se nullo jure pertinent. Sed tu *ascendes super equos tuos*, quos tu creasti, quosque, cum perditi essent, redemisti, quos etiam a Patre tuo, ut tui essent, accepisti, cui et dicis : « Tui erant, et mihi eos dedisti, et sermonem tuum servaverunt (*Joan.* XVII, 6). » Etiam sic tui sunt, ut tuam, non suam facere studeant voluntatem, in qua facienda tuam, non suam gloriam quærunt. Et quia cuilibet talium dicis : « Pasce oves meas (*Joan.* XXI, 17), » in pascendo tuas, non suas oves, tua, non sua lucra cogitant, ita ut quisque illorum vere dicere possit, quod unus talium equo- D rum dixit : « Mihi, » ait, « vivere Christus est, et mori lucrum (*Philipp.* I, 21). » Item : « Non quæro quod mihi utile est, sed quod multis (*I Cor.* X, 33). » Super tales equos tui timoris camo, tui amoris freno modificatos militando adversus equos *Assyriorum* et ascensores eorum *tu terribilis es*. Nam et angeli sancti equi tui sunt, quos Elisæo et puero ejus demonstrasti in specie igneorum equorum, quales et Eliam in cœlum devexerant. Similiter sancti homines equi tui sunt, ut jam supra ostendimus, quibus tu insidendo insuperabilis imperii rex ac semper magnificus triumphator adversæ dominationis vires reprimis, et hostiles nequitias potenter expugnas. Unde revera *tu terribilis es*, ad cujus terrorem præmonstrandum percussit angelus

tuus castra, ut dictum est, *Assyriorum*, ut exinde A percipiatur, quod nullus tibi angelo magni consilii potest resistere, quia « terribilis in consiliis super filios hominum (*Psal.* LXV, 5) » quidquid immobiliter disposueris, ad effectum perducis nullo resistente aut resistere valente.

Nam *quis resistet tibi? Quis* videlicet *Assyriorum*, contra quos psalmus iste canitur, suis viribus *tibi resistet?* Nullus utique; quoniam etsi parcere videris, iramque tuam dissimulas, quandiu quisque *Assyriorum* non *resistit tibi* gloriando in malitia, seu contra tuas increpationes defendendo peccata sua : tamen cum tui nominis timore projecto aut neglecto in peccatis superbiens, velut ascensor equi *tibi resistit*, peccatumque suum superbe defendendo redargutiones tuas relidit, *extunc ira tua* intolera- B bilis illi fit, sicut Sauli superbo contigit, quando increpatus a Samuele verbum Dei relidens peccatum suum defendere, ipsumque increpatorem suum pallio scisso injuriare præsumpsit, *extunc ira tua*, Deus, in illum desæviens neque ipsius prophetæ lamentationibus mitigari potuit, cui a te responsum est : « Usquequo tu luges Saul, cum ego projecerim eum, ne regnet super Israel? (*I Reg.* XVI, 1.) » Alias autem ubi *tibi* a non sic *resistitur*, quantumlibet grandis *ira tua* potest mitigari, ut in David mitigata est, qui tibi per Nathan prophetam illum, increpanti non *restitit*, sed humiliter acquievit dicens : *Peccavi*. Tribus istis unius verbi syllabis mitigata est *ira* totius Trinitatis, quia de humili et C contrito corde processit ista confessio peccati. Saul vero, cum item post aliquanta verba exquisita nequiter ad excusandas excusationes in peccatis dixisset : « Peccavi, » adjunxit : « Sed nunc honora me coram senioribus populi (*I Reg.* XV, 30). » Quo dicto satis deprehenditur, quod tali confessione potius honor vanus, honor humanus, quam gratia divina querebatur. Proinde potius Assyrius, quam Judæus fuisse indicatur, atque ideo *ira* in illum intentata non est aversa vel mitigata. Igitur huic similes in peccato similes erunt in supplicio non solum in illo brevi, quo in monte Gelboe interiit, sed etiam in illo æterno, quo ab isto brevi transivit. Nam et isti breviter quidem in corpore morientur, sed *extunc* in æternum punientur, et *extunc ira tua* D erit permansura. Propterea ne improvisa veniat dies illa, dies *iræ*, dies calamitatis et miseriæ, in qua *tunc*, et *extunc ira tua* erit, multis modis prænuntiata est, quia tu multifariam multisque modis loquens in prophetis,

VERS. 9. *De cœlo auditum fecisti judicium. De cœlo*, id est de cœlesti quolibet oraculo *auditu fecisti judicium*, quotiescunque judicare disposuisti aliquam civitatem sive regnum dans locum pœnitendi et iram tuam effugiendi, ut, qui *auditum judicium tuum* non timerent, inexcusabiliter *judicio* tuo subjacerent. Sic judicaturus civitates Sodomam et Gomorrham per angelos Abrahæ loquentes, et apud Lot fratruelem ejus hospitantes *auditum fecisti judicium*, quo audito ille cum suis liberatus est, generi vero ejus, quibus illo ludens loqui videbatur, ac proinde nolebant cum illo exire de civitate peritura, inexcusabiliter perierunt. Sic etiam judicaturus regnum Ægyptiorum *de cœlo auditum fecisti judicium* loquens per Moysen famulum tuum quasi per cœleste oraculum. Ninivitis quoque per Jonam prophetam *de cœlo auditum fecisti judicium* dans illis pœnitentiæ tempus et locum, unde ipsi habebunt surgere in judicio et condemnare generationem pravam et perversam et adulteram, quæ *de cœlo*, id est de Christo *auditum judicium* suæ damnationis et conversionis credere noluit ac pœnitere; sed impœnitens permanendo et a Romanis passa est confusionis *judicium* crudelissimum, et torquenda est cum dæmonibus in æternum, ut non solum tunc iram temporalem senserit, sed etiam ex tunc iram sempiternam sensura sit.

Hoc super generationem illam peccatis exigentibus destinatum *judicium* per multos prophetas *de cœlo auditum fecisti*, novissime vero per unigenitum Filium tuum clara enuntiatione idem *judicium fecisti auditum*. Nam ille non, ut prophetæ priores, loquebatur obscure sive in ænigmate, quod non facile posset intelligi, sed manifeste « videns civitatem flevit super illam dicens : quia venient dies in te, et circumdabunt te, et coangustiabunt te undique, et ad terram prosternent te, eo quod non cognovisti tempus visitationis tuæ (*Luc.* XIX, 41, 44). » Igitur auditui huic non credentibus durius debetur *judicium* quam Ninivitis Jonæ credentibus, cum sit plus quam Jonas hic, prænuntius et illius particularis judicii, quo Jerosolyma damnata est, et illius universalis, in quo idem Propheta magnus terribilis apparebit. Nam qui mitis ut agnus judicatus est injuste non aperiens os suum, « tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos (*Psal.* II, 5), » qui pejores Ninivitis credere illi noluerunt, neque pœnitentiam egerunt sive Judæi sive Græci; non enim est distinctio, quia qui in lege peccaverunt, per legem judicabuntur, et qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt.

Similiter in hoc tempore gratiæ præcedentis iram judicaturi, qui non appropinquat indultori, præsentabitur ultori : et qui suscipiunt regulam recte conversandi, per ipsam regulam judicabuntur, et qui non suscipiunt, sine regula peribunt. Gravius autem sonat *peribunt* quam *judicabuntur*, quia inter eos, qui sine lege aut regula pereunt, nullus omnino salvabitur : inter eos autem, qui per legem sive regulam judicabuntur, judice ipso dijudicante ac discernente, quis legem sive regulam susceptam caute servaverit, quis non, quidam salvabuntur, quidam peribunt. Inde est illud : « Duo in lecto, unus assumetur, et alter relinquetur. Duo in pistrino, unus assumetur, et alter relinquetur. Duo in agro, unus assumetur, et alter relinquetur (*Luc.* XVII, 34, 35). » Omnes quippe isti regulas acceperant legitimas vel in contemplationis lecto cum

Daniele quiescendi, vel in pistrino conjugalis vitæ cum sancto Job molendi, vel in agro prælationis cum Noe vineas plantandi, fruges quoque seminandi, metendi et cætera digna dignitate commissa gerendi, secundum quod uni talium dictum est : « Ecce constitui te super gentes et super regna, ut evellas et destruas, disperdas et dissipes, ædifices et plantes (*Jerem.* I, 10). » Igitur qui legem habent, per legem judicabuntur, ita ut unus, id est legem servans assumatur, et alter legem prævaricans relinquatur. Qui autem legem nullam tenent sine jugo totius disciplinæ, sine professione ordinis alicujus ecclesiastici dissolute vivendo, simul omnes peribunt, neque inter illos illud judicium discretionis habebitur, et unus assumatur et alter relinquatur, sed, ut dictum est, omnes peribunt sine lege absque distinctione. De illo judicio universali dicitur hic : *Terra tremuit et quievit*,

VERS. 10. *Cum exsurget in judicio Deus.* Quibus verbis præteriti temporis more prophetico res futura nuntiatur, ut illic : « Foderunt manus meas et pedes meos (*Psal.* XXI, 18). » Quod enim certissime futurum est, jam quasi præteritum narrari poterit. Est autem certissime futurum, ut sicut *terra tremuit*, cum resurgeret a monumento Deus, et facti sunt inimici ejus velut mortui, amici autem ejus apostoli *sicut consolati*, quoniam et Judæi pessimi usque ad mortem contristati sunt audita et cognita ejus resurrectione, quem occiderant; sed discipuli sunt gavisi, viso Domino : sic et multo amplius, *cum exsurget in judicio Deus, ut salvos faciat omnes mansuetos terræ*, vel sicut alias legitur, ut *arguat in æquitate pro mansuetis terræ*, quia pro *mansuetis* cœli, qui sunt angeli, nullus arguetur in die judicii : *cum*, inquam, sic *exsurget, terra tremet et quiescet.* Revera in illa die tremenda, quando cœli movendi sunt et terra, ipsa *terra tremet* omnesque amatores terrenorum *trement*, et in ipso tremore turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis eorum, qui tunc erunt gavisuri, viso Domino, cujus gloriam videbunt quasi unigeniti a Patre pleni gratia et veritate. Gloriam istam ne videat impius, qui nomine *terræ trementis* hic notatur, in ipso tremore suo tolletur, et in infernum mittetur, ubi conticescet et quiescet juxta illud : « Et impii in tenebris conticescent (*I Reg.* II, 9). » Tunc enim lingua eorum cruciata flammis infernalibus cessabit loqui verba inutilia et criminalia, tunc ligatis manibus et pedibus in tenebris exterioribus *quiescent.* Quod ut supra memoravimus per tropum, qui dicitur sarcasmus; irrisione hostili dictum est : quia non ita *quiescent* a laboribus ut illi de quibus legitur : « Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos (*Apoc.* XIV, 13.), » quin imo ita *quiescent*, ut extra omnem requiem corporum et animarum tormentis æternis expositi ligatis manibus, ultra non valeant per opera mala inquie-

A tare vel turbare quietem sanctorum, quæ illis dabitur, *cum exsurget in judicio Deus, ut salvos faciat omnes mansuetos terræ* juxta illud : « Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram (*Matth.* V, 4). Item : « Mansueti autem hæreditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis (*Psal.* XXXVI, 11), » quibus in illa die dicetur : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi (*Matth.* XXV, 34). » Duplici enim ex causa tunc *exsurget in judicio Deus*, videlicet, *ut salvos faciat omnes mansuetos terræ* vocando illos ad regnum sibi ab origine mundi paratum, et impios mittat in ignem æternum, diabolo et angelis ejus paratum, ut sit regnum ejus omnino paratum solis et omnibus bonis angelis et B hominibus in illo collectis, et omnibus malis angelis et hominibus foras ejectis et in ignem diabolo paratum projectis.

[*Diapsalma.* VERS. 11.] *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi. Tertia pars*, qua monentur devoti solvere vota, potest continuari ad superiora hoc modo : Audivimus nos attenti auditores, quod in judicio tuo Deus, mansueti terræ salvabuntur. Et hoc fieri credimus neque sine merito neque cum oneroso merito, *quoniam cogitatio hominis*, bona meditantis, apud te reputatur pro merito, quanquam eadem cogitatio non proveniat, nisi ex tuo dono. Et ideo ipsa *cogitatio confitebitur tibi*, vel ad tuum beneplacitum peccata confitendo, vel ad tui C gloriam dona tua cum gratiarum actione memorando.

Diapsalma vero interpositum videtur magis urgere, ut continuativa conjunctio potius ad sequentia quam ad antecedentia respiciat hoc modo : *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi*, Deus, qui notus es in Judæa : ideo ego *Asaph*, id est fidelis congregatio, invito auditores ad tui cultum non ita onerosum, sicut fuit in lege, cujus « jugum » fuit importabile, « quod neque nos neque patres nostri portare potuimus, » ait Petrus apostolus (*Act.* XV, 10). Nunc autem *quoniam* sub jugo suavi sola *cogitatio* bona, ubi operandi facultas non est, *confitebitur tibi*, Deus, ad hoc jugum suave recipiendum, D quos potero, invito dicens :

VERS. 12. *Vovete, et reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu ejus afferent munera.* Grave jugum legis erat, sub quo peccata mortalia morte puniebantur, minora vero vel talione, verbi gratia, oculum pro oculo, dentem pro dente solvendo, vel hircos, arietes et tauros aliaque similia offerendo expiabant : nunc autem *cogitatio hominis confitebitur tibi.* Si cogitas homo dolens te peccasse, ac volens de cætero cavere, quid offeras Deo pro peccato tuo, scito quod hæc ipsa *cogitatio* recipitur pro magno sacrificio, et est apud illum clara confessio, cui omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum. Est enim talis *cogitatio* quasi oblatio primogenitorum de animantibus mundis, sive

primitiarum de frugibus cæterisque fructibus, quas primitias tunc legitime offerimus, quando in principio boni alicujus propositi aut voti mala nostra præterita improbamus et accusamus juxta illud : « Justus in principio accusator est sui (*Prov.* XVIII, 17). » Sed post istud principium, post istas primitias Deus requirit etiam *reliquias*, ut videlicet bono bonæ conversationis initio bonum finem adjungas, quia in cogitatione tua conceptio voti sancti est quasi holocaustum primogeniti, aut quasi duo panes primitiarum, dum et malis operibus abrenuntias, et ad bona intentionem tuam præparas. In hujus rei figuram Deus requisivit in lege oblationes primogenitorum et primitiarum Sed in primogenitorum sacrificio non aliquid femininum, sed solummodo masculinum requisivit : « quia omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur (*Luc.* II, 23), et in primitiarum oblatione duos panes de duabus decimis similæ per singulas domus Israel exegit, ut scias in ipso votorum tuorum primordio nihil femineum, nihil fluxum vel molle aut dissolutum Deo acceptum, nihil nisi purum, perfectum, sincerum et mundissimæ similæ assimilatum divinis conspectibus offerendum. Neque vero illud vacat, quod de duabus decimis similæ duo panes primitiarum debebant offerri, quia videlicet in omnibus votis piis et religiosis exigitur perfectio geminæ dilectionis, quæ videlicet perfectio gemina in duabus decimis simila figurata est, quia in numero denario significari solet perfectio, qui et secunda unitas dicitur, ut exinde insinuetur decimarum nostrarum sacrificium nonnisi in unitate fore acceptum, quia in scissura mentium Deus non est.

Et quidem placent Deo et placant Deum isti panes primitiarum in principio votorum religiosorum, sed multo amplius acceptæ sunt eorumdem panum *reliquiæ*, dum bona vota bono consummantur fine. Sicut enim de quinque aut septem panibus majores collectæ sunt reliquiæ, quam essent ipsi panes, ac proinde major materia laudis erat in reliquiis quam in panibus ipsis ita hic dicitur : *Quoniam cogitatio hominis*, quæ est prima conceptio voti, *confitebitur tibi, et reliquiæ cogitationis*, in quibus intelligitur consummatio bonæ conversationis, *diem festum agent tibi*. Sicut vigilia cujusque festi propter intermistum jejunium non habet plenum gaudium, sic primordia religiosæ conversationis propter intermistum de malis præteritis pœnitentiam non habent plenam lætitiam, sed cum perfecta charitas foras miserit timorem, tunc *reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi*, Deus, quia, cum se senserit homo a malis liberatum et in bonis confirmatum, tunc reminiscendo mala in quibus fuit, simulque gustando bona quæ accepit, liberatori suo gratias agens *festum diem* celebrat, habens nunc fructum suum in sanctificatione, finem vero vitam æternam de Dei exspectans promissione. Tales erant quibus apostolus Paulus dicebat : « Cum enim servi essetis

A peccati, liberi fuistis justitiæ ; nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem vero vitam æternam (*Rom.* VI, 20, 22). » Attende quod egregius Doctor jam liberatis a peccato loquens de ipso peccato eos commonefacit, ut in die bonorum præsentium non sint immemores malorum præteritorum, sed habeant *reliquias cogitationum* in materia gratiarum actionis erga liberatorem suum, cui tales reliquiæ diem festum agent. Hinc ipse Apostolus memor, qualis fuerit, in gratiarum actione dicit : « Qui fui blasphemus et persecutor injuriosus, sed misericordiam consecutus sum (*I Tim.* I, 13). » Et David similiter intentus diei festo ait : « Iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra B me, » vel coram me « est semper (*Psal.* L, 5). » Item : « Iniquitatem meam annuntiabo, et cogitabo pro peccato meo (*Psal.* XXXVII, 19). » Talis peccatorum præteritorum jugis recordatio *dies festus* est coram Deo. Sic agendum nobis est. Alioquin cæteros peccatores tanquam indignos contemnimus, et ita equos cum Assyriis ascendendo meremur ab increpatione Dei opprimi, ut dormitemus, quod ne accidat, cavendum est. Igitur ut cogitatio vestra confiteatur Domino : *Vovete*, non solum quæ debetis, sed etiam quæ ante votum non debetis : et ut *reliquiæ cogitationis diem festum* agant, *reddite* quæ vovistis, non immemores quales ante votum fuistis. Cum dico : *Vovete*, intelligite simul et præ- C ceptum et consilium ; præceptum in his, quæ necessario debetis, etiamsi non voveatis, ut est fides, spes, charitas et quæ his adjunguntur, ut non occidere, non mœchari, non furari, etc., sine quibus non est salus, quæ, etiamsi quis non voveat, tamen si vult salvari, necesse est ut persolvat. Quia vero minus laudabilis est necessitas quam non comitatur devota voluntas, *vovete* id ipsum quod est necessarium, ut sit et voluntarium, possitisque dicere Deo : « Voluntarie sacrificabo tibi (*Psal.* LIII, 8), » et sitis non jam servi nominandi, sed amici et filii sicut illi quibus dictum est : « Jam non dicam vos servos sed amicos (*Joan.* XV, 15). » Sed « cum omnia, quæ præcepta sunt, feceritis, dicite : D Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus, » ait Veritas in Evangelio (*Luc.* XVII, 10). Proinde si vultis non inter servos inutiles deputari, sed filii charissimi nominari, non sitis contenti servare præcepta, sed insuper admittite consilium in his vovendis et tenendis, de quibus non habetis præceptum, verbi gratia : « De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, » ait Apostolus (*I Cor.* VII, 25). Item ut relinquas omnia et nudus Christum sequaris, non tibi præcipitur, sed consulitur, dicente Domino : « Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni sequere me (*Matth.* XIX, 21). » Qui sic recipiunt cum præcepto ad salutem necessario etiam perfectionis consilium vovendo et reddendo ultra

debitum necessarium perfectionis holocaustum voluntarium, ut sint quasi oves detonsæ « omnes gemellis fetibus, » sicut in Canticis canticorum (IV, 2) legitur, isti sufficienter et obedienter audierunt vocem se monentis et dicentis : *Vovete et reddite Domino Deo vestro.*

Sciendum sane quod quæ ante votum fieri vel non fieri licuit, post votum prætermitti non licebit. In hujusmodi namque fovere permittitur voluntati, sed promissa reddere ascribitur necessitati, quia votum non solum prævaricari, sed velle prævaricari, Apostolo judicante, omnino damnabile est, qui de viduis Deo devotis, non quidem nubentibus, sed nubere volentibus judicat, quod damnationem habent, quia « primam fidem irritam fecerunt (*I Tim.* v, 12). » Si autem votum sola voluntate fractum damnatur, quanto magis indubitata est damnatio prævaricationis opere non solum voluntate affectato, sed etiam actualiter perpetrato? Proinde *vovete et reddite*, si vovetis, reddite ne voti fidem faciendo irritam sitis damnandi. Sane ante votum non exigitur, ut amputetis vobis licita et concessa, sicut est conjugium et possessio propriorum, si tamen ita eatenus vixistis, ut in rebus illicitis et interdictis criminaliter non excesseritis. Nam qui sibi conscius est criminaliter se peccasse in rebus illicitis, huic ad faciendos fructus dignos pœnitentiæ necessarium est non solum vovere, sed reddere, ut se restringat a rebus licitis pro modo et quantitate perpetratæ iniquitatis, cui oportet coæquari modum et quantitatem satisfactionis, prout admittit facultas possibilitatis. Unde Apostolus talibus ait : « Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem (*Rom.* VI, 19). » Dicendo : « Sicut tunc, ita nunc » exigit coæqualitatem, quæ non pensanda in diuturnitate temporum, sed in affectu studiorum, qui consummatus in brevi explevit tempora multa, dum unius horæ pœnitentia latroni confitenti aperuit paradisum diuturno latrocinandi studio illi clausum. Sive igitur ex necessitate, sive, quod magis laudabile est, ex voluntaria libertate voveatis, omnino est necessarium ut, quod vovistis, nisi forte feceritis vota stulta, quæ corrigendo ipsam emendando stultitiam potius frangere quam servare debetis. Pro quibus cavendis prius dicitur, *quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi*, ac deinde subjungitur : *Vovete et reddite*, ut videlicet cauta cogitatione deliberes, quid voveri oporteat, quid non. *Vovete*, inquit, *et reddite*. Cui? *Domino Deo vestro*, qui notus est in Judæa, non diis gentium, qui sunt dæmonia vel simulacra muta.

Jam demonstratum est quod et cui vovere debeatis, nunc exigit ordo ut et vos ipsos designem qui vovere debetis. *Omnes* scilicet, *qui in circuitu ejus affertis* vel *afferunt munera*. Quinam sunt *in circuitu ejus?* Utique humiles medium veritatis punctum sic respicientes, sicut medium centrum circulus æqualiter circumductus non habens angulum. Superbi ascensores equorum, qui dicuntur in hoc psalmo *Assyrii*, sigularitatis vel hypocrisis alicujus habent angulos, et nituntur veritatem, quæ omnibus se quærentibus media et communis est, in partem trahere dicendo : « Ecce hic, aut ecce illic (*Luc.* XVII, 21). » Sed humiles veritatis amatores *in circuitu ejus* ita consistunt, ut eam communiter habeant, neque in angulos singularitatis alicujus trahant. Unde « in medio » talium stetit « Jesus, et dixit eis : pax vobis (*Luc.* XXIV, 36). » In medio, inquam, discipulorum stetit, non in angulo ut omnes, qui *in circuitu ejus* erant, possent eum communiter adorare, pacemque ab illo imprecatam indissimiliter accipere. Non sic hæretici, non sic hypocritæ, non sic variæ sectæ nimis gloriantes in suarum observantiarum seu doctrinarum singularitate tanquam in angulis orantes et in capite omnium platearum, dum et aspectus hominum quodammodo refugiunt, et tamen videri appetunt; non, inquam, sic sunt *in circuitu* Jesu sicut ejus discipuli, quorum in medio sicut stetit corporaliter ad horam, sic stabat et stat spiritualiter non ad horam, sed nunc et in æternum, et ipsi sunt *in circuitu ejus* hic tanquam devoti ministri, illic tanquam laudatores indefessi, quod in Apocalypsi (*Apoc.* v, 6) pulchra visione declaratur, ubi agnus in medio quatuor animalium conspicitur. Sed et omnes angeli stabant *in circuitu ejus*, ut scias neque inter homines, neque inter angelos beatos angulari fortitudine turbari vel turpari communitatis rotunditatem. Puerum illum quoque parvulum, quem statuit Jesus in medio discipulorum in humilitatis exemplum dicens : « Nisi efficiamini sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum cœlorum (*Matth.* XVIII, 3). » Puerum, inquam, illum quidam sanctorum intellexerunt vel ipsum Jesum, qui erat medius eorum, sicut ait . « Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat (*Luc.* XXII, 27), » vel Spiritum sanctum, quem posuit Jesus in medio discipulorum, id est in cordibus eorum, quia locus cordis medietas est animalis.

Omnes igitur *qui* ad similitudinem discipulorum veritatis estis *in circuitu ejus*, et ei *affertis munera*, videlicet qualiacunque pietatis obsequia, ut eadem placeant magis ac magis, *vovete* illi et illa et adhuc plura, quæ cum voveritis, *reddite*, ut placeatis ex utroque scilicet ex voti devotione et operis exhibitione, sitisque filii Israel, de quo supradictum est : « In Israel magnum nomen ejus. » Sicut enim Israel Deo exinde magis placuit quod, cum evigilasset de somno, in quo Dominum innixum scalæ vidit, « votum » illi « vovit, » quod et postea solvit (*Gen.* XXVIII, 20) : sic vos magis exinde placebitis, si demonstrata vobis illa scala, id est vivendi forma, cujus culmen cœlos tangit, votum feceritis ut ille, decimas et hostias pacificas offerendi atque illi soli serviendi, cui et ille servire disponens ait : « Erit

mihi Dominus in Deum, et lapis iste, quem erexi in titulum vocabitur domus Dei, pavensque ait : Quam terribilis est locus iste! (*Gen.* XXVIII, 21, 22 et 17.) »

Et ego vobis dico : *Vovete Domino terribili* apud omnes reges terræ. Primus Jacob, qui et Israel dictus est, inter omnes Patres antiquos ac fideles votum vovisse legitur, atque ideo in votis Deo vovendis recte cunctis vere Israelitis, in quibus dolus non est, ille in exemplum proponitur. Unde recte cum de Nathaele diceretur : « Ecce vere Israelita, in quo dolus non est, » continuo paucis interpositis annectitur : Quia vidi te sub ficu, credis; majus his videbis. » Et additur : « Videbis cœlum apertum, et angelos Dei ascendentes et descendentes super Filium hominis (*Joan.* I, 47, 50, 51). » Nonne in his verbis jucundissime commemoratur illud somnium Jacob, qui et *Israel* dictus est, in quo vidit scalam, cujus cacumen usque ad cœlos pertingebat, in cujus altissimo gradu innixum eidem scalæ Dominum vidit vere Israel, vere videns Deum, et exinde sibi loquentem audivit eum dicentem sibi : « Terram, in qua dormis, tibi dabo et semini tuo post te (*Gen.* XXVIII, 13). » Ille vero Jacob, dissimilis illis, qui ab increpatione tua Deus Jacob, dormitaverunt, non depressus alto sopore dormivit, aut premente illum somno dormitavit sed evigilavit. Cumque evigilasset, votum vovit quod et solvit. Vos igitur, qui vultis dici et esse filii Israel, in quo est magnum nomen Dei, quique cum illo Jacob luctamini contra Edom, contra carnem et sanguinem, videte scalam perfectæ consummationis, in qua cognoscuntur angeli ascendisse ac descendisse, atque ut apertius loquar, in qua sancti ex hominibus angeli facti docendo et vivendo nunc ascenderunt, nunc descenderunt. Prædicando enim ascendit, qui dixit : « In principio erat verbum (*Joan.* I, 1). » Descendit quoque dicens : « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*ibid.*). » Item idem vivendo ascenderat, qui omnia sua reliquerat secutus Jesum; sed eodem jubente cogebatur descendere, curamque suscipere primo matris ejus immaculatæ, deinde sanctæ Dei Ecclesiæ, quam rexit in Asia, nunc ad cœlestia eam provocando per amorem Dei, nunc in terrestribus informando per amorem proximi, ascendens videlicet ac descendens in ea perfectionis altissima scala quæ illi fuerat ostensa.

Hanc igitur scalam intuentes *vovete et reddite*, *vovete* cum Jacob decimas et hostias pacificas. Omnis electus et perfectus recte dicitur decimus et decimatio. Et in libro Machabæorum secundo (V, 27) ita scriptum est : « Judas autem Machabæus, qui fuerat decimus, secesserat in desertum locum. » Fuerat quippe hoc ipsum perfectionis indicium, quod eo tempore fugerat in desertum, quo in Jerusalem Deo sacrificare nulli erat liberum sordibus idololatriæ jam templo Domini polluto ab impio rege Antiocho, et legis prævaricatoribus ipsum templum tenentibus cum Jasone sacrilego, qui empto a rege sacerdotio tyrannizabat in loco sancto. Per decimas ergo intelligitur propositum perfectionis, quæ proponitur, non imponitur. Proponitur volentibus, ubi dicitur : « Si vis perfectus esse, vende quæ habes, etc. (*Matth.* XIX, 21). » Non imponitur nolentibus, maxime his quibus nimium terribilis est locus iste, dum illic trepidant timore, ubi non est timor. Horum figuram prætulit Petrus dicens : « Exi a me, Domine, quia homo peccator sum (*Luc.* V, 8). » Hi velut in perturbatione consilium non habent, dum moriuntur et vitam timent, dum arctioris vitæ vias aggredi metuunt, et tamen in sui corporis ignavia dormitare ac jacere non pertimescunt. Qui talis est, hic si audiet sibi Dominum dicentem : « Noli timere, ex hoc jam homines eris capiens (*ibid.*, 10), » terrore malo in bonum commutato intelliget sic Dominum *terribilem* sive locum terribilem metuendum, ut non ab ipso, sed ad ipsum fugiatur. Quod et Petrus intellexit, qui licet dixerit : « Exi a me, Domine, » tamen cum Domino permansit, a quo factus piscator hominum capiens homines ad eam perfectionem illos informavit, quam ipse primo expaverat. Et patriarcha Jacob licet primo dixerit locum illum terribilem, ubi scalam viderat usque ad cœlos pertingentem, tamen postea vocavit nomen loci illius *Bethel*, id est *domus Dei*, erexitque illic in titulum lapidem, super quem fuderat oleum, significans veritatis et justitiæ duritiam pietatis et misericordiæ divinæ oleo mitigandam, præcipue his, qui venerantur domum Dei vel in ea rite hostias pacificas immolando, vel immolantibus pie obtemperando.

Constat tamen verum, quod dixit Jacob : « Terribilis est locus iste (*Gen.* XXVIII, 17), » constat item, quod terribilis est Dominus iste, *qui aufert spiritum principum*. Et revera *terribilis* est locus, ubi votum perfectionis initiatur : *Terribilis* est Dominus, cui votum vovetur, *terribilis* est utique, sed incipientibus, et sub timore pœnæ vitandæ servientibus. Angusto enim calle via perfectionis incipienda est, quæ procedentibus et de die in diem proficientibus tandem foras misso timore per latum mandatum charitatis ita dilatatur, ut dicat quisque in ea gradiens : « Viam mandatorum cucurri, cum dilatares cor meum (*Psal.* CXVIII, 32). » Cui hoc dicitur? *Terribili* Deo, qui minis terret non duros corde, qualis erat Pharao vel quales erant *Assyrii* ascensores equorum, qui minis ejus territi non sunt, et ideo ab increpatione ipsius non evigilaverunt, sed dormitaverunt. Est autem *terribilis* humilibus et mitibus, non tamen quos ipse humiles invenit, sed quos humiles fecit ipse *terribilis*, qui suo terrore *aufert spiritum principum*, ut fiant pauperes spiritu, qui spiritu magno inflati, et quasi vento distenti erant.

Aliter : *Qui aufert spiritum principum* sive malorum sive bonorum per mortem corporalem, Vel *aufert spiritum principum*, ut inferat suum juxta

illud : « Auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ (*Psal.* CIII, 29, 30). » Proinde cum timore illi serviendum et cum tremore est exsultandum *terribili apud reges terræ.* Non dico *apud terram*, quæ nunc terreri non potest, et tamen tandem territa tremet et quiescet; sed *apud reges terræ*, qui regunt corpora sua, quæ licet gravia et terrena redigunt in A servitutem Spiritus Deo servientis, et sola cœlestia quærentis et appetentis.

Gloria Patri, noto in Judæa carnali. *Gloria Filio* noto in Judæa spiritali, cujus in Israel magnum nomen. *Gloria Spiritui sancto*, qui lumen illud est, quo illuminas tu, Deus, mirabiliter a montibus æternis. *Gloria* uni ac trino Deo noto in Judæa id est in Ecclesia. Amen.

PSALMUS LXXVI.

Voce mea ad Dominum clamavi. Psalmo præcedenti de judicio futuro actum est, ubi tu, Deus, terribilis eris et quis resistet tibi? Quia ergo illic resistentes Deus perdet atque salvos faciet omnes mansuetos terræ, metus et spes illic præsentandis hominibus congruit, quibus tanquam duobus lapidibus molaribus cor humile conteritur, ut sit contritum et humiliatum, quod Deus non despiciat, cujus precibus intendat, cui etiam in certamine contra legem peccati membris carnis insitam dignetur assistere in die tribulationis, et in hora tentationis agonizanti et oranti sive clamanti. Talis certator inter spem positus et metum inducitur hic psallens ac dicens : *Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Deum, et intendit mihi. In die tribulationis meæ Deum exquisivi manibus meis.* Ac deinceps : *Exercitatus sum, et defecit spiritus meus.* In ipso exercitio, *anticiparunt*, inquit, *vigilias oculi mei*, id est plus aliis laboravi, et tamen defeci, unde et turbatus sum, videlicet dolendo pro ipso defectu, et non sum locutus, non sum indignatus contra Deum deficiente vel tardante laboris mei fructu. Et dixi : *Nunquid in æternum projiciet Deus, aut non apponet, ut complacitior sit adhuc?* Hæc et cætera dicendo, nimirum inter metum spemque laboret, et nunc quidem metu deficit, nunc autem defectum ipsum bona spe consolatur. Habet autem psalmus hic in titulo *pro Idithun*, quod interpretatur *transiliens*, videlicet pro bona voluntate et recta intentione, qua omnibus postpositis solum appetit Deum : *renuit*, inquiens, *consolari anima mea : memor fui Dei, et delectatus sum.* Titulus vero hic est :

VERS. 1, IN FINEM, PRO IDITHUN, PSALMUS ASAPH.

Sæpe dictum est quod *Idithun* interpretatur *transiliens eos, et Asaph, congregatio.* Huic *Asaph* attribuitur iste psalmus, in quo ipsa fidelis congregatio exemplo suo jubet calcare illecebras sæculi, et transilire ad Christum, ultra quem nihil est, qui sufficit, quoniam Deus est cum Patre, quem petebat Philippus transiliens et dicebat : « Ostende nobis Patrem, et sufficit nobis (*Joan.* XIV, 8). » Putabat ille Filium transiliendum, et sic ultra, vel
B extra Filium Patrem inveniendum. Sed instructus est a Filio, quod Pater esset in ipso Filio, nec alias quærendus vel ostendendus nisi in ipso. « Qui videt, » inquit, « me, videt et Patrem (*ibid.*, 9). » Proinde sciat Idithun non ultra Filium pro Patre videndo esse transiliendum, quoniam « qui videt Filium, videt et Patrem. »

Primo dicit se, prætermissis omnibus, Deum quæsiisse. Secundo narrat quanto deliberationis labore, an sit redimendus, quæsierit; ibi : *Anticipaverunt vigilias.* Tertio ponit, quid deliberando invenerit, quod scilicet per Christum redemptio Israel; ibi : *Et dixi : Nunc cœpi.* Quarto exsequitur, quæ Christus ad redimendum veniens fecit; ibi : *Viderunt te aquæ.* Diligenter divide quid enarret iste transi-
C liens se quæsiisse, et qualiter, et qua necessitate, et quando, et ubi, et quo fructu. Hoc enim paucis verbis non tam explicat quam implicat, quia verbum non tam format quam eructat, cum ex abundantia et plenitudine cordis ita intonat :

VERS. 2. *Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Deum, et intendit mihi.* Ista ingeminatione, qua dico : *Voce mea*, et iterum : *voce mea* vehementiam significo desiderii magni, quo etiam tacens clamavi, ut Moysi tacenti dictum est : « Quid clamas ad me? (*Exod.* XIV, 15.) » *Clamavi*, id est vehementer desiderio desideravi, ita ut fortissimum desiderium meum quasi vocis clamosæ importunitate apud Dominum dominatorem omnium
D et Deum creatorem omnium obtinerem panes, quotquot habebam necessarios. Imo quia mihi transilienti omnia clamor fuit ad illum, qui est super omnia Dominus et Deus, ut illum verum panem habentem omne delectamentum gustarem; non frustra *clamavi*, quoniam ipse, ad quem clamavi, audivit me, atque *intendit mihi.* Ad illud namque clamatur, quod in clamore potissimum desideratur. Ideo de quibusdam sine Dei desiderio clamantibus dicitur : « Clamaverunt ad Dominum, nec exaudivit eos (*Psal.* XVII, 42). » Item de his aliisque similibus eorum dicitur : « Deum non invocaverunt (*Psal.* LII, 6). » Hoc enim quisque in oratione sua invocat quod orans obtinere affectat

Ego utique *Idithun* transiliendo cuncta, quæ sub Deo erant, *ad* ipsum *Dominum, et Deum clamavi,* non quomodocunque, sed *voce mea. Voce* non sua, sed aliena clamat ad Dominum, qui se non exhibet ei servum. Talibus ipse dicit: « Quid me vocatis, Domine, Domine, et non facitis, quæ dico (*Luc.* VI, 46): » Item: « Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, ipse intrabit in regnum cœlorum (*Matth.* VII, 21). » Ego autem *Idithun* sive *Asaph clamavi ad Dominum voce mea,* quia quem Dominum invocavi, huic me servum fidelem fideliter exhibui. Quem Deum invocavi, hujus me creaturam esse recognovi; quem Patrem invocavi, hujus filius esse studui per amorem, sicut ejusdem Domini servus fueram per timorem. Sed ille, qui *Dominum* vocat, cujus non vult esse servus, vel Patrem cujus non vult esse Filius, vel magistrum cujus non vult esse discipulus, *voce* non sua, sed aliena clamat, si tamen clamat. Non enim omnis qui orat, orando *clamat,* sed is tantum qui, quod orat, vehementer desiderat, quod fieri solet maxime urgente aliqua magna tribulatione, sicut mihi accidit, quem ad orandum seu *clamandum* vehementia tribulationis excitavit, persequente me lege peccati, quæ erat in membris meis, aut etiam in membris alienis, in quorum altero inimicus domesticus, in altero inimicus extraneus infestavit, ut essent mihi foris pugnæ, intus timores. Scio autem quod nihil mihi nocere possit extraneus inimicus homo vel diabolus, nisi ei consentiret domesticus inimicus: verbi gratia, nihil nocuisset mihi David mulier, alterius viri uxor exterius visa, nisi ad eam concupiscendam fuisset inflammata libido intrinseca. Unde Veritas non judicat reum, qui viderit mulierem, nisi videat « ad concupiscendam eam. » De hoc judicat, quod « jam mœchatus est eam in corde suo (*Matth.* V, 28). » Similiter Petro apostolo nihil nocuisset percontando ancilla sacerdotis, si non intus concussisset illam columnam timor mortis. Hæc est igitur dies tribulationis, in qua foris pugnæ, intus timores tribulant magis in die quam in nocte, magis cum prosperitas arridet quam cum adversitas fatigat, magis dæmonio meridiano quam timore nocturno, magis cum se angelus Satanæ tentans vel colaphizans transfigurat in angelum lucis, quam cum, sicut est, apparet angelus noctis et princeps tenebrarum.

Propterea dies hæc sive nox tribulationis totum tempus est vitæ hujus mortalis, dies comparatione infidelium filiorum noctis et tenebrarum, inter quos fideles verbum vitæ continentes lucent sicut luminaria in hoc mundo, nox vero comparatione sanctorum angelorum animarumque sanctarum cum Christo sole justitiæ in cœlo regnantium, quibus comparati quantumlibet sancti carne vestiti nox dici possunt, quandiu in hac regione umbræ mortis vivunt. Horum denique ista est querela: « Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, et cooperuit nos umbra mortis (*Psal.* XLIII, 20). » Quis sapiens? et intelliget hæc. Nam stultus non intelligit afflictionem sive tribulationem, nisi quam adversitas facit, verbi gratia, carcer, fames, febris, pauperies aliaque manifesta damna et gravamina, contra quæ singula quærit competentia levamina, scilicet de carceris angustia exitum, contra famem cibum, contra febrem sive alios morbos sanitatem, contra pauperiem divitias, contra quælibet incommoda his opposita commoda. Sed justus et sapiens omnia hæc sive commoda sive incommoda cuncta transiliens reputat sibi esse tribulationem, quandiu non habet summam et æternam consolationem, quam se super omnia diligentibus, et ad se ultra omnia transilientibus promittit summus consolator Deus dicens in propheta: « Sicut mater consolatur filios suos, ita consolabor vos (*Isa.* LXVI, 13); » item: « Consolamini, consolamini, popule meus, dicit Deus vester (*Isa.* XL, 1). » Igitur ego *Idithun* transiliens omnia sub Deo posita.

VERS. 3. *In die tribulationis meæ Deum exquisivi manibus meis, et nocte contra* vel *coram eo, et non sum deceptus.* In his paucis verbis auditores attenti potestis advertere, quando et qua necessitate *Deum exquisivi,* scilicet *in die tribulationis et nocte.* Habetis etiam quomodo quæsierim, scilicet *manibus* vel expansis in oratione, vel exercitatis in bona operatione, quod melius est utroque modo. Ut autem sciatis, quo fructu quæsierim, dico vobis quod *non sum deceptus,* imo quod petivi, adeptus. Vultis scire ubi quæsierim? *contra eum,* vel *coram eo* faciens bona per dexteram nesciente sinistra. Dicitur autem *contra eum,* quasi dicatur *ante eum* sive *coram eo.* Unde alibi dicitur: « Peccatum meum contra me vel coram me est semper (*Psal.* L, 5), » quasi dicat: *Contra* vel ante faciem meam statuo peccatum meum per jugem recordationem et recognitionem, quod non projicio post dorsum per negligentiam sive oblivionem. Sic etiam *contra* Deum vel coram Deo manus expandit, qui suæ orationis vel operationis nonnisi Deum testem quærit, nec ab ipso aliud petit quam ipsum, aut quod ei potest prodesse ad consequendum ipsum, sciens quod inspector ille, qui videt in absconso, reddet illi, *contra* vel ante cujus vultum se offert jugiter examinandum et remunerandum. In quo non decipitur, quoniam primo examinatur, deinde remunerabitur. Examinatur tentationibus, in quibus cum probatus fuerit, accipiet in remuneratione coronam vitæ. Difficilior autem est ipsa tentationis examinatio, quando nobis tribulatis offertur pro æterna temporalis consolatio, qua facile decipitur, qui non transilit omnia temporalia quærendo sola æterna. Sed ego *Idithun,* ego transiliens *non sum deceptus,* quia quod quærebam inveni, quod petebam accepi eo copiosiore vel spe vel re, quod pro illo, quod unicum petivi, alias consolationes, licet assidue mihi oblatas, recipere nolui, quas

ego, si pro illo accepissem *deceptus* fuissem, sicut illi, quibus dicetur in die judicii : « Recepistis mercedem vestram (*Matth.* VI, 5), » videlicet laudis aut gratiæ humanæ seu alterius emolumenti transitorii, quod habetur in rebus temporalibus cum tempore transeuntibus. In quibus omnibus

VERS. 4. *Renuit consolari anima mea*, quia illis vel patienter carendo si aberant vel sapienter utendo si aderant, sola æterna bona quæsivi, et omnia temporalia spiritu et anima transilivi ad solos usus infirmi ac fragilis corporis admittens necessaria et expedibilia de rebus terrenis et infirmis: Unde non dico : *Renuit consolari corpus meum* in talibus, quia corpori mortali necessaria sunt corporalia et alimenta et vestimenta, sed hæc admittenda sunt ad consolationem, non ad corruptionem, nec amplectenda sunt nequiter, sed transilienda fortiter, ita ut temporalibus subsidiis misericorditer adjuti sempiterna fiducialibus appetamus, et ex perceptione præsentium munerum firmior et ardentior sit exspectatio futurorum, ne contingat nos tentari, sicut patres nostri tentati sunt in deserto, qui carnibus concupitis abundanter in deserto satiati non Deo largitori gratias egerunt, neque se per temporalia solatia excitaverunt ad æterna quærenda. Ideo cum « adhuc escæ erant in ore ipsorum, ira Dei ascendit super eos, et occidit pingues eorum (*Psal.* LXXVII, 30, 31). » Simile malum filiis Israel de Babylone reversis accidisset, si non eos Zacharias propheta instruxisset. Nam cum diuturna captivitate afflicti per misericordiam Dei liberati permittente rege Persarum Cyro in Jerusalem venissent, murosque templi restauratos vidissent, quasi ultra non esset eis flendum, eo quod completa videretur consolatio eorum, miserunt ad Zachariam prophetam dicentes : « Nunquid flendum mihi est in mense quinto vel sanctificare me debeo, sicut feci jam multis annis? Et factum est, » ait, « verbum Domini ad me dicens : Loquere ad omnem populum terræ, et ad sacerdotes dicens : Cum jejunaretis et plangeretis in quinto et septimo per hos septuaginta annos, nunquid jejunium jejunastis mihi? Et cum comedistis et bibistis, nunquid non vobis comedistis, et vobismetipsis bibistis? » (*Zach.* VII, 3, 4). Revera sensus istorum procul dubio sic interrogantium erat imperfectus, qui quoniam templum videbant vel audiebant esse constructum, jam flendi et jejunandi causam sibi nullam superesse arbitrabantur. Manifestum est ex ipsorum interrogatione, quod temporalibus et visibilibus intenti de æternis et invisibilibus bonis nulla aut parva sollicitudine tenebantur. Memoriter tenebant, quod in quinto mense subversa civitate Jerusalem et templo populus captivus ductus est, quod in septimo Godolias interfectus est ab Ismael, et reliquiæ populi dispersæ sunt, et ob hoc per singulos annos jejunabant et flebant. Porro captivitatem illam universalem, qua humanum genus captivatum est a Deo in Adam non satis curabant, neque Liberatoris adventum, qui eatenus differebatur, valde suspirabant, aut propter hæc flendum sibi et jejunandum existimabant. Quod si causas istas præ oculis habentes jejunarent et flerent, nunquam taliter respondisset Dominus : « *Loquere*, » inquiens, « ad omnem populum terræ, et ad sacerdotes dicens : Nunquid jejunium jejunastis mihi? Et cum comedistis et bibistis, nunquid non vobis comedistis et vobismetipsis bibistis? » Longe aliter jejunanti Danieli responsum fuit, quia longe alias jejunandi causas ille propositas habuit. « Daniel, » inquit angelus Gabriel, « nunc egressus sum ut docerem te, et intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo. Ego autem veni ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es. Tu ergo animadverte sermonem, et intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, etc. (*Dan.* IX, 23, 24.) » Ille profecto jejunium Domino jejunavit, quia vir desideriorum ea, quæ Domini sunt, desideravit, videlicet non illud solum, ut reædificaretur illa civitas et templum manufactum, sed quod longe majus et incomparabiliter melius est, ut consummaretur prævaricatio, et finem acciperet peccatum, et deleretur iniquitas, et adduceretur justitia sempiterna, et impleretur visio et prophetia, et ungeretur Sanctus sanctorum.

Igitur quoniam unus, idemque Dominus, et hic per prophetam loquitur : « Nunquid jejunium jejunastis mihi, » et subaudiendum est : « Non, et cum comedistis, et bibistis, nunquid non vobis comedistis, et vobismetipsis bibistis, » et subaudiendum est : « etiam; » et alibi per Apostolum dicit : « Et qui manducat, Domino manducat, et qui non manducat, Domino non manducat (*Rom.* XIV, 6), » clare, atque studiose discernendum est inter eum qui, dum non manducat, Domino non manducat, id est dum jejunat, Domino jejunat, et eum qui, dum non manducat vel dum jejunat, non Domino, sed sibi non manducat aut jejunat : rursumque inter eum qui, dum manducat, Domino manducat, et eum qui, dum manducat, non Domino, sed sibi manducat. Nimirum qui ob hoc jejunat vel non manducat, ut per hunc pœnitentiæ laborem omnipotenti Deo de peccatis suis satisfaciat, et vitæ æternæ fructum recipiat, ille jejunium Domino jejunat, ille Domino non manducat. Qui idcirco jejunat vel non manducat, ut vel temporalem pœnam evadat, sicut Achab, vel transitoriam laudem recipiat sicut quivis hypocrita, ille non Domino, sed sibi jejunat; non Domino, sed sibi manducat. Similiter qui idcirco manducat, ut opus Domini operari valeat, quales ipse vult esse apostolos suos sive evangelistas, dicens : « Edentes et bibentes, dignus est enim operarius mercede sua (*Luc.* X, 7), » ille Domino manducat, et econtra, qui operatur, quamvis opus sanctum, quamvis opus Dei, ob hoc solum, ut manducet, ille non Domino, sed sibi operatur et sibi manducat. Amplius autem si non vult operari

et manducat, non Domino, sed sibi manducat. Dicat igitur : « Nunquid jejunium jejunastis mihi? » et subaudiatur : « non : » quia non jejunastis propter regnum Dei, non jejunastis ob hoc, ut civitatem cœlestem, quam in Adam perdidistis, in adventu seminis, quod Abraham promissum est, scilicet Christi, recuperare mereamini. Dicat, inquam : « Nunquid non vobis comedistis et vobismetipsis bibistis? » et respondeatur : « etiam; » quia non idcirco comedistis, ut operemini opus Dei, ut viatico sustentati pervenire possetis ad patriam vel regnum Dei.

Sed jam quid tandem de jejunio interrogatus post hæc Dominus responderit, audiamus. « Et factum est verbum Domini exercituum ad me dicens : Hæc dicit Dominus exercituum : Jejunium quarti, et jejunium quinti, et jejunium septimi, et jejunium decimi erit domui Juda in gaudium et lætitiam, et in solemnitates præclaras. Veritatem tantum et pacem diligite, dicit Dominus exercituum (*Zach.* VIII, 18, 19). » Ad id quod supra Sarasar et Rogomelech per legatos quæsierant, utrum in mense quinto jejunare deberent et plangere, an post ædificationem templi finire jejunium luctumque deponere multis in medio positis, quæ facerent, quæ sperarent, hæc Dominus per prophetam respondit. Et illi quidem de uno interrogaverant jejunio mensis quinti, Dominus autem respondens de cæteris quoque jejuniis suam sententiam deprompsit de jejunio quarti, de jejunio quinti, de jejunio septimi, de jejunio decimi. Erat autem jejunium quarti mensis, qui apud Latinos vocatur Julius, die septima decima ejusdem mensis, quando Moyses de monte Sina tabulas legis abjecit atque confregit et juxta Jeremiam muri primum rupti sunt civitatis. In quinto mense, qui apud nos appellatur Augustus, cum propter exploratores terræ sanctæ seditio orta esset in populo, jussi sunt non ascendere, sed per quadraginta annos longis a terra sancta circumire dispendiis, ut exceptis duobus Caleb et Josue omnes in solitudine caderent. In hoc mense et a Nabuchodonosor templum Jerosolymis incensum est atque destructum et populus in captivitatem abductus. In septimo, qui apud nos appellatur October, occisus est Godolias, et Judæ tribus ac Jerusalem reliquiæ dissipatæ. Mense decimo, qui apud nos Januarius dicitur, Ezechiel in captivitate positus audivit, et cunctus populus captivorum quinto mense templum esse subversum, quod plenissime in eodem propheta cognoscimus. Hæc igitur jejunia propter causas tristes ac flebiles merito jejunabant, sed jejunandi scientiam non habebant, quippe qui unum ex his, scilicet jejunium quinti jam non observandum esse volebant, quoniam captivitatem solutam et templum videbant reædificatum. Porro Dominus non usquequo templum reædificaretur, sed usquequo deleretur peccatum et finem acciperet prævaricatio, volebat observari jejunium, hoc est quod ait : « Jejunium quarti, et jejunium quinti, et jejunium septimi,

A et jejunium decimi erit domui Juda in gaudium et in lætitiam, et in solemnitates præclaras. » Quod idem est, ac si dicatur : Usque modo non petistis quidquam jejunando cum tristitia tristes ob causas : petite, ut gaudium vestrum sit plenum, videlicet non jejunando cum tristitia, sicut jejunant hypocritæ tristes, non, inquam, cum tristitia, sed cum lætitia juxta illud : « Tu autem cum jejunas, unge caput tuum et faciem tuam lava (*Matth.* VI, 17). » Unge caput, id est mentem tuam oleo lætitiæ, ut sit jejunium tuum in gaudium et in lætitiam et in solemnitates præclaras. Ibi est enim solemnitas præclara, ubi est intentio jucunda et munda eo suspensa exspectatione avidissima, ubi est gaudium plenum non de visione templi manufacti, quod in
B superna Jerusalem non erit, sicut Joannes ait : « Et templum non vidi in ea (*Apoc.* XXI, 22) ; » sed templi non manufacti, de quo item idem Joannes ait : « Dominus enim templum illius est et agnus (*ibid.*). » Ibi gaudium plenum et lætitia sempiterna, ibi solemnitas præclara, quam præcedunt etiam in hac peregrinatione solemnia præclara, quibus quatuor assignantur jejunia, quæ dicuntur Quatuor Tempora.

Denique cum Synagoga jejunaverit ob tristes causas jam commemoratas et præteritas, Ecclesia in solemnitates præclaras anno circumeunte semper venturas, et æterna solemnitate consummandas, Quatuor Temporum disposuit jejunia, scilicet vernale ante Pascha, æstivum, quod in quinquagesima
C fieri non decuit ante Pentecosten, cum dies lætandi et in azymis epulandi sunt in ipsa hebdomada præclaræ festivitatis de adventu Paracleti. Autumnale in Septembri simulque hiemale in Decembri ante festum Natalis Dominici, quod gemino decenter prævenitur jejunio, sicut et nox illa illius festi perornatur gemino sacrificio propter duas generationes Christi, unam de Patre, alteram de Matre. Ad generationem de Patre in prima missa illud pertinet, quod canitur : « Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te (*Psal.* II, 7). » Item : « In splendoribus sanctorum ex utero ante Luciferum genui te (*Psal.* CIX, 3). » Splendidius vero tangit illam generationem, quod in Evangelio de Maria
D dicitur : « Peperit Filium suum primogenitum (*Luc.* II, 7). » *Primogenitus* quippe *omnis creaturæ* Christus ab ipso Apostolo prædicatur potius secundum divinam generationem, qua ex Patre natus est ante sæcula, quam secundum eam, qua ex matre natus est in fine sæculorum. Dicitur tamen etiam secundum hanc primogenitus, non quidem omnis creaturæ, sed primogenitus mortuorum per ipsum de morte suscitandorum. Sed hoc pertinet ad festum suæ resurrectionis, qui primus ipse resurrexit a mortuis primogenitus mortuorum et primitiæ dormientium, quorum plurimi surrexerunt cum illo, et apparuerunt multis, ut exinde constaret, quod ipse est non solum primogenitus omnis creaturæ secundum suæ Divinitatis æternitatem, sed etiam

primogenitus in multis fratribus secundum suæ humanitatis temporalitatem, in qua benedictus est ipse, qui venit in nomine Domini, sicut in secunda missa canitur, in qua æternum Dei Verbum temporaliter factum commemoratur dicentibus pastoribus : « Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc Verbum, quod factum est (*Luc.* II, 15). » In publica vero missa simul utraque generatio commemoratur præcipue in Evangelio, ubi quod scriptum est : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum (*Joan.* I, 1), » generationem ejus tangit æternam, et quod sequitur : « Verbum caro factum est (*ibid.*, 14), » generationem ejus manifestat temporalem, qua « Puer natus est nobis et Filius datus est nobis (*Isa.* IX, 6). » Non ergo mirum quod duo jejunia Quatuor Temporum, sicut diximus, præcedunt istud festum gemina Filii Dei semper existentis generatione adornatum. Licet enim in hac peregrinatione aliquantula sit consolatio civibus illius cœlestis Jerusalem, quod laxata per indulgentiam peccatorum captivitate Babylonica visibilia ædificantur cœnobia vel templa per principes Zorobabeli duci consimiles, vel sacerdotes Jesu magno sacerdoti non impares, in quibus Deo famulantes vacant et solemnizant; attamen cuncta hæc temporalia solatia transilienda sunt, ita ut his juste ac sobrie tanquam navibus utendo festinemus ingredi in illam æternæ felicitatis requiem, ubi est plenum gaudium, ubi lætitia sempiterna, ubi solemnitas præclara. Divitiarum vero temporalia solatia sciamus non animæ rationali, sed corpori mortali et fragili concessa. Unde stultus erat ille dives, qui dixit animæ suæ : « Anima, habes multa bona in annos plurimos, comede, bibe, requiesce. » Talia loquenti recte dixit Deus : « Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te, et quæ parasti, cujus erunt? » (*Luc.* XII, 19, 20.) Stultus revera ille fuit, cujus anima talibus inhæsit, quasi requiem in eis inventura, cum sint omnia hæc instabilia et peritura. Ideo auditores cordati audite, quid dicat iste *Idithun* de anima sua transiliente omnia hæc temporalia tanquam non sua, tanquam ad se non pertinentia. *Renuit*, inquit, *consolari anima mea*, tanquam dicat : Etsi corporis fragilitas egeat sustentari solatiis temporalibus, tamen in his *renuit consolari anima mea*, potioribus delectata, scilicet æternis deliciis dulcioribus super mel et favum, æternis divitiis desiderabilioribus super aurum et lapidem pretiosum multum. Quis enim valeat explicare, quam dulciter animæ sapienti sapit sapientia, quantumque delectant delectationes in dextera tua Deus, cujus in sinistra divitiæ sunt et gloria? Igitur læva tua sub capite meo sit, et dextera tua me amplexetur. Per caput sane intelligitur cor juxta illud : « Levate capita (*Luc.* XXI, 28), » id est exhilarate corda. Proinde sub capite meo sit læva tua, ut cor meum suo desiderio superexcellat omnia

A temporalia ; et dextera tua me amplexetur, ut ipsum cor meum in solis cœlestibus jugiter delectetur, quoniam delectationes in sinistra tua vel nullæ vel parvulæ ac momentaneæ sunt ; sed « delectationes in dextera tua usque in finem (*Psal.* XV, 11) » fine carentem. Harum delectationum licet in hac vita nulli mortalium detur abundantia, tamen pascit ac reficit mentem vel sola memoria. Quod ego *Idithun* in memetipso expertus sum, quia

VERS. 4. *Memor fui Dei, et delectatus sum, et exercitatus sum, et defecit spiritus meus.* Super hunc locum beatus Gregorius dicit in Job (32) : *Sancti viri ad animum suum ex præsenti vita nullius gratiam consolationis admittunt. Nam plerumque hujus sæculi divites solent mentis tædio affecti bona temB poraliter accepta conspicere, et tristitiam delinire. Cum enim mœrore quodam tangi se sentiunt, equos aspiciunt, auri, argentique sui vascula contemplantur, prædia circumeunt, cumque per hæc temporalia oculos libenter trahunt, obortum animæ mœrorem vincunt. Unde eis in Evangelio Veritas dicit : Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram. Sed sanctus vir, qui hoc luget, quod ab æternis cecidit, consolationem de temporalibus non admittit dicens : Negavi consolari animam meam. Ac si aperte dicat : Qui temporalium amissionem non lugeo, de temporalium abundantia nequaquam consolari animam possum. Cui tanquam, si nos audientes ista diceremus, quid igitur quæris, qui consolari in his, quæ mundi C sunt, renuis? illico adjecit : Memor fui Dei, et delectatus sum. Ac si aperte dicat : Terrenarum rerum me nec abundantia refovet, auctoris autem mei, quem adhuc videre non valeo, vel sola memoria delectat.*

Idem in eodem (33) : *Exercitatus sum et defecit spiritus meus paulisper. Quid est quod ait : Spiritus meus, nisi spiritus hominis, videlicet spiritus elationis? Et quia per occultam gratiam ad amorem Dei temperata desuper mensura proficimus, quanto in nobis quotidie de Dei Spiritu virtus crescit, tanto noster spiritus deficit. Qui spiritus erroris, quia non a nobis subito penitus amputatur, bene paulisper defecisse perhibetur. Tunc vero in Deo plene proficimus, cum a nobis ipsis funditus defecerimus.*

D Aliter : *Memor fui Dei, et delectatus sum* super ejus bonitate, « quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus (*Psal.* CXXXV, 1), » quoniam miseretur omnium, et nihil odit eorum quæ fecit, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam, et quia miserationes ejus super omnia opera ejus : licet me delectaverit in factura sua et in operibus manuum suarum, super omnia delectabat ipsius pietas et misericordia. Verum sciens, quod eidem piissimæ ipsius misericordiæ individua comes est veritas et severitas justitiæ, in hujus justitiæ judiciis piissimis, justissimis et sapientissimis exquirendis *exercitatus sum.* Quid ni delectaret memoriam meam,

(32) Lib. XVIII Moral., cap. 41.

(33) Lib. XXII Moral. cap. 18.

et simul exercitaret consideratus dulcis et rectus Dominus? Annon dulce, quod misericordia Domini ab æterno, et usque in æternum super timentes eum? Annon dulce, quod stat propositum Dei, stat sententia pacis super timentes eum, ipsorum et dissimulans mala, et remunerans bona, ut miro modo eis non modo bona, sed et mala cooperentur in bonum? Sed rursum nimis horrendum est incidere in manus illius justitiæ, de cujus æterno arbitrio procedit, quod super impios æternaliter damnandos vigilat secretissima et severissima judicis animadversio, terribilis in consiliis super filios hominum præscitos ad malum. Unde illorum nec diluit mala, nec appetit bona, insuper et corda indurat, ne forte doleant et resipiscant, et convertantur, et sanet eos. Et hoc non absque certa et æterna ratione quod tanto formidolosius constat esse, quanto immobilius constat fixum in æternitate. Talia de Deo dulci et recto meditans *delectatus sum et exercitatus*, *delectatus* videndo ejus bonitatem, *exercitatus* videndo severitatem. Et quia utriusque rei æternas causas investigare non potui, *defecit spiritus meus*, *defecit* ratio, *defecit* ingenium perspicere non valens hujus rei profundum secretum, super cujus admiratione cogebar exclamare: « O Altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia illius, et investigabiles viæ ejus! (*Rom.* XI, 33.) » Magna denique altitudo sapientiæ ac scientiæ, qua Deus omnia disponit suaviter attingens a fine usque ad finem fortiter, ab angelo summo usque ad infimum vermiculum, a summo rerum usque ad fundum earum, a primordialibus causis usque ad finales causas cuncta ordinans et dispensans omni creaturæ pondus, mensuram et numerum. In his considerandis *defecit spiritus meus*, quia incomprehensibilia sunt; sed profecit fides, quia venerabilia sunt, et non solum scitu sed etiam quæsitu desiderabilia.

Diapsalma hic interponitur, et parti primæ secunda ita continuatur: Dixi ego *Idithun* quia *defecit spiritus meus*. Ne autem putet quis me negligentem vel tepidum sive pigrum fuisse in exercitatione mea, sciat, quod non solum cum cæteris communes vigilias observavi, sed

VERS. 5. *Anticipaverunt vigilias* aliorum *oculi mei*. Nam et oculos meos corporales, quibus discernuntur colores, assuefeci vigiliis nocturnis in perquisitione veritatis, vel etiam in laudibus divinæ bonitatis, et oculos mentis, quibus discernuntur mores boni a malis tanquam a nigris albi, semper vigiles habere studui anticipando in hoc studio alios item studiosos. Et quia non potui plene intelligere, quod quærebam, *turbatus sum* in corde meo. Sed tamen posui custodiam ori meo, *et non sum locutus* vel contra Deum stulte murmurando, vel quod non intellexi, temere affirmando sciens quia de re ineffabili tutius est caute silere, quam incaute loqui, *et ideo non sum locutus*, unde fui apud me turbatus. Aliis quoque mihi obloquentibus aliquoties fui *turbatus, et non sum locutus*, ne in respondendo nimis occupatus magis ac magis turbarer in cogitationibus, quas liberas esse volui, quia eas rebus melioribus occupaveram.

VERS. 6. *Cogitavi* enim *dies antiquos, et annos æternos in mente habui. Dies antiquos*, id est veteres dies præsentis vitæ, in quibus homo veterascit, in quibus omne, quod est mutabile, antiquatur et senescit ac prope interitum est, in quos dies homo cecidit, quando peccavit is, qui ad *æternos dies* et *annos* creatus fuit. *Dies*, inquam, illos *antiquos cogitavi et annos æternos*, in quibus nulla mutabilitas est, cum illis contuli, et illis antiquis cogitatis ac spretis istos *æternos in mente habui*.

VERS. 7. *Et meditatus sum nocte cum corde meo. Meditatus sum* de diebus antiquis, de annis indefectivis, quos in Adam perdidi, qualiter per secundum Adam patribus antiquis repromissum valeant recuperari. *Meditatus sum*, inquam, *cum corde meo*, intus in secreto, non inveniens foris aures tutas, quibus committerem secretas meditationes meas. *Et* ideo intus apud me ipsum tantummodo *exercitabar*, vel, sicut alia translatio habet: *Garriebam*. Intus enim garrire, ubi solus Deus audit, *exercitari* est in spiritu, cui garrienti in sanctis meditationibus non intermiscetur hujus mundi strepitus, maxime si fit, quod sequitur: *Et scobebam*, vel *scopebam*, sicut alius codex habet, *ventilabam*, vel sicut Hebraica veritas habet: *Scrutabar spiritum meum*. Quid est enim *scobere spiritum*, nisi per intentionem bonam quasi per scopam supervenientes irruentium phantasmatum sordes expurgare: aut quid est scobere seu *ventilare spiritum*, nisi per ejusdem intentionis vigilantiam quasi scobendo et scrutando facere humilitatis foveam sive scobem in spiritu rationabili, ventilato et ejecto inde omni terrenitatis pulvere? Scobem proprie dicimus egeriem tenebri vel aratri, ac proinde moraliter scobs dici potest peccatorum secretorum confessio et egestio, quæ quasi terebro vel aratro sanæ doctrinæ sic elicitur, ut peccator de peccato suo redargutus foris per confessionem ostendat, quod prius occultaverat. Et quidem laude dignum est, cum, alio redarguente, peccatum suum quis confitetur. Sed ego *Idithun*, vel ego *Asaph* non exspectavi linguam foris increpantem, quoniam ego ipse apud me scobebam spiritum meum. Attendite saltus per quos transilivi. Primo in die tribulationis quasi transiliens omnes consolationes terrenas Deum exquisivi. Sed, cum in eo quærendo defecit spiritus meus, ad mentem meam resilivi, et illic annos æternos memoriæ commendavi. Adhuc *in finem*, de quo titulus psalmi agit, cogitans transilire, ista cogitavi apud me.

VERS. 8. *Nunquid in æternum projiciet Deus?* Projecit ad tempus, cum diceret: « Terra es et in terram reverteris; » item: « In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es (*Gen.* III, 19). » Sed *nunquid in*

æternum projiciet? Et qui dormit, nonne adjiciet, ut resurgat? Nonne, qui mori homines disposuit per unius hominis inobedientiam, ipse quoque per unius hominis obedientiam suscitabit homines ad vitam? *Aut non apponet, ut complacitior sit adhuc?* Complacuit sibi Deus, cum videret singula, quæ fecerat, et erant singula bona. Sed cum videret omnia, simul magis in eis complacuit sibi, quia erant valde bona. Quæ singula erant bona, simul omnia erant valde bona. Sed accidit peccatum, quod Deo non placuit, et in quo sibi Deus non complacuit, quia ipse auctor peccati non fuit. Unde ob ipsum hominis peccatum juste iratus placari non potuit quoadusque alius homo natus fuit, quem videns Pater altissimus dicere potuit: « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui (*Matth.* III, 17). » Si enim recte sibi complacet quisque artifex opere aliquo egregio per se consummato, cum non sit ipse auctor materiæ, de qua operatus est, quanto magis recte sibi Deus Pater complacet in opere a se creato et consummato: Tale opus ego *Idithun* transiliendo cætera opera exspectavi, in quo sibi complacitus Deus placaretur quoque per illud ab ira sua, videlicet per unum Filium hominis plenum gratia et veritate repropitiatus hominibus, qui erant natura filii iræ.

Concordat huic sensui Hebraica veritas, in qua legitur: *Ergone in æternum projiciet Dominus, et non repropitiabitur ultra?* Pro quo posuit Latinus interpres: *Nunquid in æternum projiciet Deus, et non apponet, ut complacitior sit adhuc?* Usitatius vero diceretur *complacatior* quam *comvlacitior* pro Hebraico verbo, quod est *repropitiabitur*, quia repropitiatus et *complacatus* idem est in sensu. Et scimus Deum primis parentibus propter peccatum fuisse iratum; sed sacrificio Abel aliisque justorum piis obsequiis ante legem complacatum, ita ut promitteret Abrahæ patriarchæ semen de carne sua venturum, quo fieret complacatior, sive, ut supra diximus, *complacitior*, quo viso immemor iræ ac memor pietatis recordatus misericordiæ suæ, sicut locutus est ad patres nostros, ita esset hominibus complacatus vel sibimet complacitus, ut diceret: « Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui? » Hoc exspectans ego David, vel ego *Asaph*, vel ego *Idithun* scobendo, vel scrobendo, vel scrutando spiritum meum divinis promissionibus credulum, dixi apud me ipsum: *Nunquid in æternum projiciet Deus, aut non apponet, ut complacitior sit adhuc? Nunquid* jam complacatus et propitiatus usque adeo, ut semen sanctum cum juramento promitteret patribus, *non apponet*, *ut complacitior* vel complacatior *sit adhuc*, perficiendo videlicet quod promisit?

Vers. 9. *Aut* nunquid *abscidet misericordiam suam* tot repromissionibus inchoatam et firmatam quoque juramentis, quæ juravit in beneplacito gratiæ suæ? Si quibus juravit in ira sua, quod non intrarent in requiem suam, non potuerunt intrare in illam, præpediente illos ira, in qua juratum est contra illos: nunquid hi, quibus juratum est quod intrarent in illam, benedicti videlicet in semine Abrahæ, cui per semetipsum juravit, aut in semine David, cui etiam juravit, non introibit in requiem sibi promissæ ac juratæ benedictionis? « In semine, inquit, tuo benedicentur omnes tribus terræ (*Gen.* XXII, 18). » Item post immolationem Filii dictum est eidem patri Abrahæ: « Quia fecisti rem hanc, et non pepercisti unigenito tuo propter me, benedicens benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli (*Gen.* XXII, 16, 17). » Cumque impossibile sit mentiri Deum loquentem, quis arbitretur mentiri Deum jurantem? Adhuc enim, sicut Apostolus ait: « interposuit jusjurandum (*Hebr.* IX, 17) » suis repromissionibus jurando per semetipsum, quia majorem se non habuit, per quem jurare potuerit, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, cum illum promissorem et debitorem teneamus, cui confidenter dicere possumus: « Ut justificeris in sermonibus, » et promissionibus « tuis (*Psal.* L, 6), » neque ullatenus injustus aut mendax inveniaris, fac omnia quæ locutus es ad patres nostros de benedicendis in semine Abrahæ cunctis tribubus terræ.

Sic ego Idithun loquendo apud memetipsum, et sic scrobendo spiritum meum confortatus fide ac spe inter cætera dixi: *Nunquid in æternum projiciet Deus* eos quibus tanta bona promisit? *Aut non apponet ut complacitior*, sive complacatior, *sit adhuc* is, qui aliquantulum jam placatus et propitiatus filiis iræ tot promissa fecit clementiæ? *Aut in finem misericordiam suam abscindet*, quam profecto tunc initiavit, quando in ira misericordiæ memor inimicitias inter serpentem et mulierem se positurum promisit sic loquendo: « Ponam inimicitias inter te et mulierem, semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo illius? » (*Gen.* III, 15.) His dictis primo inchoata est misericordia erga miseros homines in fine sæculorum persolvenda. Nunquid ergo *abscindet misericordiam suam in finem*, cujus fidelia promissa exspectantur persolvenda *in finem*. Nunquid *abscindet misericordiam suam, abscindet a generatione in generationem* sic processuram semperque mansuram, ut ei veraciter cantari possit: « Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum? » (*Luc.* I, 50.)

Vers. 10. *Aut obliviscetur misereri Deus*, cui proprium est *misereri* semper et parcere creaturæ suæ, cui vere dicitur: « Misereris omnium, Domine, et nihil odisti eorum quæ fecisti? » (*Sap.* XI, 24, 25.) Nunquid fons inexhaustæ misericordiæ desiccabitur imminente siccitate miseriæ? Potuit siccari torrens beato Eliæ, quia non habebat ille torrens venam fluentis aquæ. Dicitur enim proprie torrens aqua decurrens in præceps ex imbre aut nive liquescente collecta, quæ proinde cito deficit

et ad nihilum deveniet, utpote aqua decurrens et non recurrens, ut omnia flumina, quæ per occultos meatus redeunt ad locum unde fluunt, ut iterum fluant Nunquid ita siccari potest fluminis impetus de inexhausto fonte misericordiæ procedens ac proinde lætificans civitatem Dei, quia non potest intercidi, vel abscindi, sicut Holofernes dux regis Assyriorum fecit abscindi aquæ ductum filiis Israel in Bethulia obsessis? (*Judith.* VII, 6.) Non sic impii, non sic abscindere poterunt, neque, ut ipse Deus abscindat, efficere valebunt impetum fluminis civitatem Dei lætificantis ex veridicis misericordiæ promissis, quorum promissorum non ita *obliviscetur Deus* ut desinat *misereri, aut contineat in ira misericordias suas*. Multis quidem provocatus et irritatus est hominum peccatis, ut magis ac magis irascatur, et misereri oblitus *contineat in ira misericordias suas*. Quod si faceret, non justificaretur, sed falsificaretur in sermonibus suis. Hoc autem, quia non potest fieri ut veritas mentita inveniatur, nunquid *obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas?* Absit. Nam potius *continebit* in misericordia iram suam, qui cum iratus fuerit, misericordiæ recordabitur, et his, quibus misericordiam promisit, propitiabitur.

VERS. 11. *Et dixi: Nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ Excelsi. Diapsalma* hic interponitur, quo a dictis dicenda distinguuntur. Nam ego *Idithun*, qui diu laboravi anxiatus in deliberatione, jam *nunc cœpi* quod quæsivi. Vel *nunc cœpi* sapere, quod prius non potui capere hoc scilicet quod in Deo, cui proprium est misereri et alienum irasci, potius ira mutatur in misericordiam quam misericordia in iram. Et *hæc mutatio dexteræ Excelsi* opus est, quia Filius *Excelsi* ad hoc humiliatus et incarnatus est, ut sit « propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi, » ut dicit apostolus (*I Joan.* II, 2). Per illum ergo desinet ira et operabitur misericordia, multis operibus et mirabilibus antiquis præsignata. Horum Domini operum

VERS. 12. *Memor fui* tempore præterito, ne accedente oblivione simul accideret ingratitudo, quæ ubi acciderit, gratiarum actio esse non poterit de beneficiis præteritis, et ita per ingratitudinem clauditur via futuris. Quod ne mihi accideret, *memor fui operum Domini* præteritorum, quæ signa erant futurorum, sicut immolatio agni per Abel, arietis per Abraham, significavit immolationem illius qui tanquam ovis ad victimam ducendus prophetabatur: et per arcam Noe in diluvio gubernatam et salvatam significata est Ecclesia inter undas mundanarum tentationum Christo regente gubernanda et salvanda. Non solum vero talium *Dei operum fui memor* in gratiarum actione, sed multo magis in memoria simul tenui majora Dei opera per illa minora præfigurata, quia illa magis erant memorabilia magisque mirabilia, unde illa vetera voco simpliciter *opera*; sed ista nova dico *mirabilia* lo-

A quens in exercitatione spiritus mei, et dicens. *Quia memor ero ab initio mirabilium tuorum.* Quasi dicatur: Ex hoc patet quod bene *memor fui operum* præteritorum, quia *memor ero* per illorum significationem et commonitionem cæterorum tuorum, Deus, operum plus *mirabilium*, verbi gratia: plus est mirabile invisibilem Pharaonem cum exercitu suo in baptismo suffocari, quam quod ille visibilis mersus est in mari Rubro. Item satis mirabile fuit panem de cœlo dari populo per mare traducto; sed mirabilius est panem de cœlo verum dari populo Christiano per aquas baptismi purificato: nam panis ille nec vivus erat, nec se manducantes vivificare poterat, sed iste panis vivus est, imo vita est. et se manducantes vivificat, sicut ipse dicit: « Qui
B manducat me, vivet propter me (*Joan.* VI, 58). » Talium Dei *mirabilium ab initio* prædestinatorum, et operibus mirabilibus præsignatorum semper *memor* ero, quia in talium recordatione pascitur fides, excitatur spes, delectatur charitas. Et ideo non solum recordabor, sed

VERS. 13. *Et meditabor in omnibus operibus tuis*, assidua meditatione perquirens quid intenderis, cum hæc et illa fecisti, quibus tuam vel potentiam, vel sapientiam, vel bonitatem demonstrando, notam fecisti in populis virtutem tuam. *In operibus* quidem *tuis meditabor* in gratiarum actione. Sed ne hoc ipsum, quod gratias ago, mihi sit infructuosum, pro me sollicitus ero, *et in adinventionibus*
C *tuis exercebor*, scilicet in præceptis justitiæ, quibus tu inveniris ab his qui te quærunt, vel quæ tu adinvenisti, qui omnem viam scientiæ et prudentiæ invenisti et dedisti eam Jacob puero tuo et Israel dilecto tuo. *In* his igitur *adinventionibus tuis exercebor* legendo, meditando, discendo, docendo et, quod magis valet, operando et orando atque laudibus tuis immorando. Inter quas laudes assidue dicere soleo:

VERS. 14. *Deus, in sancto via tua; quis Deus magnus, sicut Deus noster?* Pro eo quod nos habemus: *Et in adinventionibus tuis exercebor.* Alia translatio habet: *Et in affectionibus tuis garriam.* Ecce tertium garrire. Primo enim *garrivi* foris, *et defecit spiritus meus*, nec profeci mihi vel alteri, eo quod
D non essent auditores vel benevoli vel attenti, vel etiam dociles aut docti. Secundo *garrivi* intus in spiritu meo illum scobendo, vel scrobendo, vel exercitando, et profeci, quia intra me ipsum super veritate inquirenda utiliter deliberavi. Tertio nunc non apud me, sed supra me *garrio*, non in me, sed in Deo gaudendo, et in operibus ac mirabilibus ejus exsultando, atque in hoc *affectiones* divinas prægustando. Sicut enim terrena suas *affectiones* habent exterius delectando vel oculos ut spectacula, vel aures ut fabulæ, vel gustum ut epulæ: similiter qui omnia hæc transilit memor Dei, et delectatus in eo meditatur assidue, de illo habet interiores *affectiones*, ut cum visibilis hic mundus aspicitur, et in creatura Creatoris potentia, sapientia et bonitas

quæritur, atque invenitur nusquam displicens, sed per omnia placens, et super omnia fortia fortis, super omnia formosa formosus, super omnia dulcia dulcis, utpote fons et origo totius fortitudinis, pulchritudinis et dulcedinis, magna exinde nascitur *affectio* in anima contemplantis, ita ut garrire in laudibus Dei dulce habeat, et assidue dicat: *Deus in sancto via tua; quis Deus magnus sicut Deus noster?* Quod est dicere? O Deus *via tua*, qua venis ad homines, vel qua veniunt homines ad te, *in sancto tuo*, id est in Filio tuo est, quem sanctificasti et misisti in mundum, qui Sanctus sanctorum est, qui sibi adhærentes justificat, sanctificat et magnificat, qui « factus est nobis, » ut Apostolus ait, « sapientia, justitia, sanctificatio et redemptio (*I Cor.* I, 30); nec est in alio aliquo salus. Neque enim datum est hominibus nomen aliud sub cœlo, in quo oporteat salvos fieri (*Act.* IV, 12). » Atque ideo, qui confidunt diis gentium, decepti sunt, quia in nullo eis prodesse poterunt, imo animas eorum perdunt, « quoniam dii gentium dæmonia; Dominus autem cœlos fecit (*Psal.* XCV, 5), » qui *Deus noster* est. Igitur in laude ipsius Dei nostri dicamus: *Quis Deus magnus, sicut Deus noster?* Deus omnium creator, factus est noster salvator. Omnium dominando Deus et Dominus est omnium; nos autem salvando *Deus noster* est et omnium in se credentium, cujus agnoscendo magnitudinem, licet parvulus natus sit bonis, jure magnificamus eum dicendo:

VERS. 15. *Tu es Deus qui facis mirabilia*, et in corpore sanando infirmos, et in anima justificando impios, faciunt quidem et servi tui *mirabilia*, sed te in eis et per eos operante. *Tu* autem *facis mirabilia* solus virtute propria, qua et ipsos absque ipsis fecisti, qui faciunt *mirabilia*. Sic dicerem: *Tu es Deus qui fecisti mirabilia*, videri poterat, me loqui tantum de antiquis illis mirabilibus, quæ olim fecisti. Nunc autem, cum dico: *Tu es Deus qui facis mirabilia*, patet me loqui de illis mirabilibus, quæ facis modo et facere non desinis usque in finem sæculi. Olim per quadraginta annos manna pluisti: nunc omni tempore peregrinantis Ecclesiæ in deserto mundi hujus pluis panem verum de cœlo habentem omne delectamentum et omnem saporem suavitatis. Hujusmodi *mirabilia tu* solus *facis* non indigens ad hæc viribus alienis. Sine hominum quippe virtute ipsos virtuosos fecisti, per quos *mirabilia* fecisti.

Per hos *notam fecisti in populis virtutem tuam*. Vere *tuam*, non suam, quod et ipsi recognoscunt dicentes: « Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam (*Psal.* CXIII, 1). » Item cum dixisset unus talium: « Plus omnibus laboravi, » ne videretur hoc attribuendum suæ virtuti adjecit: « Non autem ego, sed gratia Dei mecum (*I Cor.* XV, 10). »

Aliter: *Notam fecisti in populis virtutem tuam*, Deus Pater, notificando Filium tuum, qui est *virtus* et sapientia tua: *virtus*, per quam de nihilo fecisti omnia; sapientia, per quam gubernas creata: vel *virtus* quæ non potest vinci, sapientia quæ non potest falli. Hujus invictæ *virtutis* evidens est argumentum quod sequitur: *Notam fecisti in populis virtutem tuam*, id est, ipsum Filium tuum, *virtutem tuam* per hoc notificasti, quod

VERS. 16. *Redemisti in brachio tuo*, in eodem Filio tuo, *populum tuum*, cujus in figura immolatus agnus *populum* antiquum liberavit ex Ægypto, cujusque in propria persona immolatio liberavit atque redemit *populum* suum ex inferno. Sicut enim Pharao potuit flagellari decem plagis, quibus tamen liberari non potuit *populus tuus* ab ejus imperio nisi agno typico immolato: sic per decem præcepta legis flagellari potuit diabolus, attamen sanctorum populus, qui tenebatur in morte captivus, liberari non potuit ab ejus imperio, nisi te vero agno immolato, cujus per sanguinem signatis frontibus nostris liberi erimus a gladio percussoris.

Igitur magnifice quidem liberasti olim *populum tuum, filios Jacob et Joseph*; sed nunc longe magnificentius liberas *populum tuum, filios Jacob*, id est electos de stirpe *Jacob, et filios Joseph*, id est electos ex gentibus. Quantum ad historiam, sufficeret dixisse: *Filios Jacob*, in quibus continentur filii *Joseph*, qui erat filius *Jacob*. Sed non est otiosa distinctio inter *filios Jacob et Joseph*. Nam per filios *Jacob* sive Israel recte intelliguntur Judæi credentes, et de ipso non solum secundum carnem, sed etiam secundum fidem genus ducentes, quorum licet *Joseph* unus fuerat, tamen quia venditus a fratribus post multas angustias inter gentes alienigenas est exaltatus, satis congrue a filiis *Jacob* distinguitur, et princeps gentium constitutus apte seorsum a filiis *Jacob*, qui eum vendiderunt, specialiter nominatur

Mystice autem idem *Joseph* Christum significat, qui a Judæis venditus de terra sua tanquam in Ægyptum gentium evectus est, ubi primo angustiatus et humiliatus est in persecutionibus martyrum, deinde glorificatus et exaltatus ad regnandum. Et sic legitur: « Omnes gentes servient ei (*Psal.* LXXI, 11). » Item: « Venient ad te, qui detrahebant tibi, et adorabunt vestigia pedum tuorum (*Isa.* LX, 14). » Hi sunt ergo filii *Joseph*, quibus ipse tanquam pius pater providet, ne fame pereant, qui ad ipsum clamant: « Salus nostra in manu tua est, Domine; respiciat super nos misericordia tua (*Gen.* XLVII, 25). » Istis adjunctis ad filios *Jacob* populus Dei augmentatur secundum nomen *Joseph*, quod interpretatur *augmentum*.

Diapsalma. PARS QUARTA hic incipit, qua exponitur ipse redemptionis modus, quo populus Dei est liberatus.

VERS. 17. *Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ, et timuerunt*. Cogimur hic accipere aquas ra-

tionales, quæ *videre* ac *timere* potuerunt. Nam licet aqua elementaris vim sui Creatoris persenserit, vel quando ad ejus nutum secedens in fundo maris et Jordanis iter siccum præbuit, vel quando se ipsi Filio Dei calcabilem exhibuit, non tamen timoris Dei capax fuit. Unde *aquæ* rationales recte intelliguntur, de quibus hic dicitur : *Viderunt te aquæ, Deus ; viderunt te aquæ, et timuerunt. Aquæ multæ, populi multi* esse dicuntur in Apocalypsi. *Aquæ* igitur istæ *viderunt te*, Deus, *viderunt*, id est intellexerunt *te, Deus*, per opera divina, quæ olim in servis tuis multifariam multisque modis operatus, novissime in Filio tuo incarnato fecisti, sicut ipse ait : « Pater in me manens ipse facit opera (*Joan.* XIV, 10). » In hujusmodi operibus divinis *viderunt*, id est, intellexerunt *te aquæ*, id est, populi aliqui ex Judæis, et iterum *viderunt te aquæ*, id est populi multi ex gentibus. *Viderunt te, et timuerunt*, secundum quod scriptum est : « Accepit omnes timor, et magnificabant Deum dicentes quia propheta magnus surrexit in nobis (*Luc.* VII, 16). » Item : « Videntes autem turbæ timuerunt, et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus (*Matth.* IX, 8). »

Aquæ timuerunt, sed turbatæ sunt abyssi, quia profundiores in malitia tam Judæorum quam gentium principes fidem populi *videntes turbati sunt* aliqui ad pœnitentiam, quia et multa turba sacerdotum ex Judæis obediebat fidei, et multi ex principibus gentium sequendo populi fidem bene turbati turbas credentium sunt imitati. Nonnulli etiam utriusque populi principes profundæ malitiæ velut *abyssus* multa in malum turbati fidem populi non secuti, sed persecuti sunt. Exinde

VERS. 18. *Multitudo sonitus aquarum*, quia sonant quasi mare confragosum diversa vota populorum in gemitu et confessione culparum, in actione gratiarum, in laudibus Dei assiduis, econtra sonantibus impiorum blasphemiis, arescentibus hominibus « præ confusione sonitus maris et fluctuum (*Luc.* XXI, 25). » Et quidem *sonitus* confusus ac tumultuosus auditus est *aquarum*, id est populorum; sed *vocem dederunt nubes, vocem* rationabilem, *vocem* jucunditatis, *vocem* exsultationis, quæ non confusa, ut *sonitus aquarum*, sed canora et quasi musicis harmoniis distincta nihil in se confusionis habuit, quanquam de *nubibus* audita sit longe lateque ut tonitrua magna. Tunc enim per *nubes*, id est altos et candidos prædicatores locuta sunt septem tonitrua *voces* suas. Etenim scripta prophetica quanquam septiformi Spiritu Dei aspirante fuerint edita, visa erant eatenus quasi tonitrua parum vel nihil rationis habentia, sed quasi tumultuario sono terrores audientibus incutientia. Tunc autem *vocem dederunt nubes*, cum per sanctos expositores prophetica et legalia scripta ostensa sunt ratione plena. Unde Petrus in Actibus apostolorum : « Scriptum est, ait, in libro Psalmorum : Fiat commoratio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet (*Act.* I, 20), »

A Item : « Fiant dies ejus pauci, et episcopatum ejus accipiat alter (*ibid.*). » Prophetiæ hujus tonitru sonante in Judæa terreri poterant, qui audiebant, nescientes quorsum tenderet ista comminatio, quia in sono illo non erat plena vel certa significationis distinctio, cum adhuc esset tenebrosa aqua in nubibus aeris et occulta scientia in prophetis. Verum Petro exponente jam dictam prophetiæ comminationem super Judam traditorem et ejus complices, *Vocem dederunt nubes* evidenter intelligibilem. Sic et in cæteris prophetiis actum est, juxta quarum vaticinia veritas prius occulta in toto terrarum orbe manifestata est.

Etenim sagittæ tuæ transeunt, id est, apostoli tui, qui erant sicut « sagittæ in manu potentis (*Psal.* B CXXVI, 4), » transierunt de angustia Judææ in latitudinem gentium. In luce *sagittarum* istarum nos gentes imus, cum dogmata eorum tenemus. *Etenim sagittæ tuæ transeunt*, cum præcepta tua per illos emissa non in auribus remanent, sed usque ad cor penetrant. Vel *transeunt* surdas et obduratas aures audire nolentium, ut, illo derelicto, qui noluit intelligere, ut bene ageret, alius, qui habet aures audiendi, audiat. Sic factum est, ut

VERS. 19. *Vox tonitrui tui in rota* manifeste audiretur. *Vox tonitrui*, hoc est, comminatio judicii futuri audita est *in rota*, id est, in orbe terrarum. Et quia ratum solet haberi testimonium, quod non solummodo auditu, sed etiam visu est confirma- C tum, *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ. Rota* et *orbis terræ* idem significant hoc loco, et alterum est alterius expositio. Unde præmisso, quod *vox tonitrui* est audita *in rota*, consequenter adjungitur : quod *coruscationes illuxerunt orbi terræ*, ut scias *in rota*, quæ est *orbis terrarum*, nubes imbriferas circumeundo et tonuisse præceptis et coruscasse miraculis. Harum nubium pluviæ sunt *sagittæ*, quæ transeunt rigando terram et vulnerando eam. Rigant enim bonam terram ut fructum afferat in patientia, vel tricesimum, vel sexagesimum, vel centesimum, sed sagittant et fulminant malam terram, petrosam, spinosam et conculcatam, nulloque fructui accommodatam. Idem namque verbum doctrinæ apostolicæ secundum diversos auditores D est pluvia et fulminea *sagitta* et *coruscatio* et *tonitruum*.

Propter quæ audita et visa *commota est et contremuit terra. Commota est* per timorem, *contremuit* per horrorem; quia « horrendum est incidere in manus Dei viventis (*Hebr.* X, 31). » *Terra* Judæa, scilicet sola terrena diligens, *commota est* audita prædicatione evangelica, in qua non promittuntur terrenæ divitiæ sicut in lege Moysi, sed laudatur angustia ulcerosi pauperis et culpatur quotidianum convivium divitis. Dum ergo dicitur : « Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei (*Luc.* VI, 20) ; » et : « Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram (*Luc.* VI, 24), » Synagoga terrenarum divitiarum cupida, et ob hoc *terra* nominata, non

mirum, quod *commota est et contremuit* propter novam sibique inusitatam doctrinam. Denique illorum doctores, Scribæ et Pharisæi « beatum dixerunt populum, cui hæc sunt, » videlicet « promptuaria plena eructantia ex hoc in illud : Oves eorum fetotosæ, abundantes in egressibus suis, boves eorum crassæ (*Psal.* CXLIII, 13, 14), » aliaque his similia cupiditatis fomenta et instrumenta. At novi doctores beatificabant pauperes, mites, lugentes, persecutionem patientes propter justitiam, dum esuriunt et sitiunt justitiam. Propter hujusmodi ergo insolitam doctrinam *commota est et contremuit terra* partim ad pœnitentiam et conversionem, partim ad indignationem atque illorum, qui talia prædicabant, persecutionem usque adeo, ut verbum Dei repellentes de finibus suis ejicerent eos, cogerentque transire ad gentes tanquam de terra in mare undosum ac procellosum, quod tunc temporis difficile fuit et periculosum, præcipue ubi tempestas persecutionis excitari cœpit per imperium Romanum, cujus minister Pilatus occiderat Christum, et alter ejus minister Herodes rex miserat jam manus, ut occideret quosdam de Ecclesia. In illa tempestate graviter periclitata est navis Ecclesiæ, præcipuo ejus gubernatore Petro incarcerato et Jacobo fratre Joannis occiso. In tali commotione turbabatur terra, ita ut hoc factum Herodis placeret Judæis terrenis. Atque ideo de terra sic turbata transferebantur montes in cor maris, in profundum videlicet nimis amaræ, falsæ ac turbidæ gentilitatis, in qua velut in mari piscis major minorem devorat, in quo mari sunt reptilia, quorum non est numerus, animalia pusilla cum magnis. Et tamen, quia illic naves tuæ, Deus, pertransibunt,

Vers. 20. *In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis* fuerunt et sunt. Nam sicut invisibiliter supra mare ambulasti, Petroque apostolo, ut id ipsum faceret, dedisti, sic modo invisibiliter ambulas, tuosque ministros facis ambulare super turbida gentium corda, quæ se tibi tuisque pedibus quam speciosis ad evangelizandum paratis, præbent calcanda, ut veritatis *vestigia* formentur in eis per *vias* mandatorum et *semitas* consiliorum. Crimina quippe interdicendo faciunt aspera in *vias* planas; arduas autem virtutes, ut est continentia seu virginitas et voluntaria paupertas, consulendo formant *semitas* non *in aquis* cunctis totius hujus maris, quia « non omnes capiunt hoc verbum (*Matth.* XIX, 11), » tam arduorum consiliorum, sed *in aquis multis*, quia perfecti etsi comparatione malorum sive imperfectorum pauci sint, attamen in sui numerositate *multi* sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, et qui ambulant in albis vel inter virgines, vel inter continentes, vel certe inter martyres, qui dealbaverunt stolas suas in sanguine Agni, sive aperto sive in occulto martyrio bibendo calicem Domini, sicut eumdem calicem differenter biberunt duo filii Zebedæi. Quibus cum ambobus dictum esset : « Calicem quidem meum bibetis (*Matth.* XX, 23), » ta-

A men solus Jacobus legitur manifeste passus ac decollatus, quod erat ei brevi martyrio calicem Domini bibere, dum cogeretur mori volens adhuc vivere. Joannes vero diuturnis laboribus fatigatus, dum cuperet dissolvi et esse cum Christo, contra voluntatem suam cogebatur vivere, ut fideles in fide confortaret et perfidos hæreticos debellaret. Dum ergo inter perfectos alius cingitur et ducitur, quo non vult, ut cogatur vivere, alius ut cogatur mori, *semitæ tuæ*, Deus, licet angustæ, non erunt in paucis, sed *in multis aquis, et semitæ tuæ non cognoscentur*, quia quo fine quisque in eis ambulet, quisve in eis ambulantium sit amore vel odio dignus, absconditum est a notitia hominum, etiam ipsorum, qui nunc bene ambulant, sed finem ignorant. Quod au-
B tem *vestigia tua*, Deus, *non cognoscentur*, inde provenit ex parte, quod cordibus nimium duris non alte imprimuntur : nimis vero mollibus, ut est aqua, licet impressa, cito abolentur. Hi sunt enim, qui « ad tempus credunt et in tempore tentationis recedunt (*Luc.* VIII, 13). » Qui vero nec ad tempus credunt, hi tanquam dura et petrosa terra *vestigia tua* non recipiunt. Tales erant Judæi, apud quos docuisti et miracula fecisti, quibus *vestigia tua* illis imprimere studuisti At illi *vestigia tua* non receperunt sicut scriptum est : « In propria venit, et sui eum non receperunt (*Joan.* I, 11). » Ideo *vestigia tua* nec ab eis nec in eis *cognoscentur*. Ab eis *non cognoscentur*, quia obcæcati sunt : in eis *non cogno-*
C *scentur*, quia indurati sunt. Quod inde magis est mirandum, simulque detestandum, quia nota est in populis gentium virtus tua, illi peculiari populo insigniter exhibita, in eo maxime, quod

Vers. 21. *Deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysi et Aaron. Deduxisti* ex Ægypto per desertum, per terram horroris et vastæ solitudinis non utcunque, sed *sicut oves*, cum plurimi ex eis non essent oves innocentes ac simplices, imo essent hædi petulci ad sinistram statuendi. Propter quod non dico : *deduxisti eos vere agnos vel oves*, sed *sicut oves*, qui ovium speciem prætendentes intrinsecus erant hædi vel etiam lupi rapaces, ut illi quos contra magisterium suorum pastorum ferina rabie sævientes terra deglutivit et ignis con-
D sumpsit, quique pro suis murmurationibus a serpentibus perierunt, aliisque diversis cladibus in deserto prostrati sunt. Attamen quia filios eorum servasti et ita multiplicasti, ut essent populus magnus, recte in gratiarum actione tibi dicitur : *Deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysi et Aaron*. Per hos duces populi tui et nomina eorum commendantur mystica facta ipsorum. *Moyses* enim interpretatur *assumptus*, ideo, quod filia Pharaonis de aquis assumpsit eum. *Aaron* vero *mons fortitudinis*. Ipsi vero eminenti fortitudine filiis Israel viam fecerunt in mari in figuram baptismi Christi, per quem erat fidelis populus liberandus, qui et honore assumptionis et electionis præeminet, et fidei stabilitate quasi mons immobilis consistit.

Huc accedit quod *Moyses* et *Aaron*, in sacerdotibus Dei, præcipui, figura erant novi sacerdotii cujus ministerio populus Dei liberatur de potestate invisibilis Pharaonis, et introducetur in terram promissionis. Unde merito populus ille culpatur et A arguitur ingratitudinis, qui ob tanta beneficia debitor fuit gratiarum actionis.

Gloria Patri excelso et *Filio* dexteræ Excelsi et *Spiritui sancto*, qui est illa delectatio, in qua *memor fui Dei, et delectatus sum*. Ipsi uni ac trino Deo gloria et gratiarum actio. Amen.

PSALMUS LXXVII.

Attendite, popule meus, legem meam. Psalmus iste sæpedicto pugnatori magnifica Dei opera meditanda proponit: *Attendite*, inquiens, *popule meus, legem meam; inclinate aurem vestram in verba oris mei*, etc. Hoc utique utiliter agit intendens ad corroborandam spem, quemadmodum dicit: *Filii, qui nascentur, exsurgent et narrabunt filiis suis*, continuo subjungens: *Ut ponant in Deo spem suam.* Multum enim valet ei, qui in agone contendit, assidua meditatio operum Dei. Attende autem hunc tractatum totum esse parabolicum, quemadmodum ipse Propheta testatur: *Aperiam*, inquiens, *in parabolis os meum*, et quod in his verbis historice dictum est, spiritaliter esse intelligendum. Verba namque psalmi totius, res sonantia præteritas, futura Christi mysteria significabant, Christum videlicet, et ea, quæ nunc in Ecclesia Christi sunt, Titulus:

(Vers 1.) Intellectus Asaph.

Psalmus iste narrat ea quæ in veteri populo divinitus acta sunt, et quæ illis beneficia contulit Deus, et quas intulit pœnas ingratis. In quo Novi Testamenti gratia declaratur, et novum populum, in cujus figura illa veteribus facta sunt, intendit monere ne ingratus beneficiis Dei ejus iram in se provocet graviorem. Quæ intentio patet ibi: *Ne fiant sicut patres eorum*, etc. Quam et Apostolus docet dicens: « Scripta sunt hæc ad correptionem nostram (*I Cor.* x, 11). »

In titulo et primis versibus duobus faciens prologum primo facit attentos pro rei magnitudine. Secundo sub argumento colligit, quod post late narraturus est, scilicet beneficia Dei, provocationes Judæorum et pœnas, ibi: *Quanta audivimus.* Tertio commemorans, quæ illis fecit Deus in Ægypto, narrat quæ fecit in mari et in deserto, et qualiter illi provocaverunt eum, ibi: *Coram patribus.* Quarto qualiter Deus differens ultiones dedit optata eis, ibi: *Ideo audivit.* Quinto pœnas eorum et simulatam timore pœnæ conversionem, et tamen sententiam Dei per misericordiam temperatam exponit, ibi: *Adhuc escæ eorum.* Sexto enumerat plagas Ægypti propter eos factas, quibus beneficiis eorum malitiam comparat, quam proponit ibi: *Quoties.* Septimo, quod eductos de servitute duxit in terram promissionis, et qualiter ibi iterum of- B fenderunt, ibi: *Et abstulit sicut oves populum suum.* Octavo de ultione eorum in terra promissionis, et qualiter eam in ipsos, per quos puniebat, retorsit, ibi: *Audivit Dominus.* Nono de qua tribu, et quem elegerit regem, et quo loco regnum constituerit, ibi: *Et repulit.*

Loquitur totus Christus primo in persona capitis ut sequentium reverentia crescat; deinde in persona *Asaph*, id est, fidelis Synagogæ, quæ malis exprobrat. Sciendum vero, ea quæ narrantur non modo in figura, verum etiam intus esse intelligenda in re. Unde etiam vocantur *parabolæ*, et *propositiones*, et in titulo verba *intellectus*, quem non solus *Asaph* intellexit, quamvis sub velo figurarum, quæ erant C in plenitudine temporis revelanda in re. Unde Apostolus: « Eumdem cibum spiritalem manducaverunt (*I Cor.* x, 37). » Idem enim cibus erat tunc, sed significatione idem, non spiritu, idem Christus in petra figuratus, nobis in carne manifestatus. Hoc enim exponendum est ita: Hic *intellectus Asaph. Intellectus* enim genitivus est; *Asaph* dativus, quod ex Græcis articulis patet, et est sensus: Hæc sunt verba *intellectus*, id est intelligentiæ, quæ data est huic *Asaph*, non quidem uni homini, sed congregationi populi Dei, cui nos quoque de nationibus aggregamur. Quamvis autem sicut tunc, « non in omnibus » illis « beneplacitum est Deo (*I Cor.* x, 5), » ita neque nunc est in istis: tamen neque nunc neD que tunc infructuose Dominus clamat et monet, non uni sed pluribus dicens: *O popule meus, attendite legem meam*, id est, rem ipsam, quæ in figuris tegitur, intuemini corde. Et qualiter, addit: *Inclinate aurem vestram*, id est humiliter attendite et intelligite, *in verba oris mei.* Non lex David aut populus David, sed personam ejus, ex quo loquebatur, assumens, ipsius auctoritate loquitur, cujus inspiratione replebatur. Hoc quotidie fieri in Ecclesia cernimus, si vigilanter intuemur. Nam stans in medio populi lector clamat: « Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, etc. (*Matth.* xxii, 32). » Et quod ipse Deus sit vere, profecto non dicit, nec, tamen per hoc quod dicit veritatis regulam deserit, quia cui ministerium lectione exhibet, ejus dominium voce prætendit. Itaque scriptores sacri eloquii, quia repleti Spiritu sancto super se trahun-

tur, quasi extra semetipsos fiunt, et sic de se sententias quasi de aliis proferunt.

Attendite, popule meus, legem meam. Popule meus, quem feci peculiarem et specialem de multitudine gentium segregando, et de potestate Pharaonis liberando, *attendite legem meam* vobis in deserto per Moysen datam. *Attendite* in factis parvis magna figurata, ne sitis ingrati mihi vos liberanti primo de potestate visibilis Pharaonis, deinde, quod amplius est, ex Ægypto infernalium tenebrarum, superato principe tenebrarum per verum veri Agni sacrificium. *Attendite* vos, quos in inferno inveni, licet in sinu Abrahæ requiescentes, attamen luce illa carentes, qua fruebantur sancti angeli. *Attendite,* quia gratis per gratuitam gratiam, non per justitiam legis liberati estis, ne tantæ gratiæ sitis ingrati. Amplius autem vos *attendite legem meam,* quibus onus legis antiquæ non imposui, sed novam legem proposui scriptam non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordium per digitum meum, dando videlicet Spiritum sanctum, qui doceat vos omnem veritatem, et quæ ventura sunt annuntiet vobis. *Attendite* in dictis meis antiquis et novis puram veritatem, quam capere ac sapere non potestis, nisi per puram veramque humilitatem. Quia sicut pluvia veniens de cœlo. a collibus defluit seque in vallibus colligit, sic veritas corda superba deserit atque in humilibus requiescit. « Super quem, inquit, requiescam, nisi super humilem et quietum et timentem verba mea? » Ideo *inclinate aurem vestram in verba oris mei. Aurem* cordis *inclinate* per fidem credendo *verba oris mei,* verba vitæ æternæ, ita ut quibusdam retro abeuntibus, et *verba oris mei,* quasi dura ferre non valentibus vos, humiliter venerando etiam quæ nondum intelligitis, ex fidei sapore dicatis : « Verba vitæ æternæ habes, et nos a te quo ibimus? » (*Joan.* VI, 69.) Alioquin si alta sapitis, et non humilibus consentitis, *intellectum Asaph* non capietis. *Asaph* quippe, id est fidelis congregatio per fidem tendit ad *intellectum* sciens rationis acumen valde invalidum ad discutiendas parabolicas propositiones verborum meorum. Nam paucis exceptis quibus datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris loquar in parabolis, ut videntes non videant, et audientes non intelligant.

VERS. 2. *Aperiam* ergo *in parabolis os meum : loquar propositiones ab initio* sæculi. Hoc in persona Christi dictum confirmat evangelista Matthæus, dicens : « Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas, et sine parabolis nihil loquebatur eis, ut adimpleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem : Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi (*Matth.* XIII, 34, 35). » Sane attendendum quod cum evangelista dicat : « Eructabo abscondita a constitutione mundi » pro eo, quod in psalmo habetur : *Loquar propositiones ab initio,* non sola illa hic parabolice intelligenda, quæ Deus operatus est in populo suo *ab initio,* quo illum segregavit a gentibus per si-

A gnaculum circumcisionis, verum et illa, quæ operatus est *ab initio* sæculi, sive *a constitutione mundi.* Cui sensui concordat Hebraica veritas, quæ ita se habet : *Aperiam in parabolis os meum, ænigmata antiqua.* Verbi gratia, in populo, qui pane angelorum, habente omne delectamentum, non contentus, imo illum fastidiendo appetivit carnes, recte intelligitur Adam, in quo omnes peccaverunt, quando ille omnium parens fastidivit lignum vitæ, quod erat ei concessum, plus appetivit lignum scientiæ boni et mali, quod ei fuit interdictum. Ex tunc, ut in parabola quadam loquitur Jesus, « Homo » ille « descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones (*Luc.* X, 30). » Descendit quippe alta sapiendo, et similitudinem Dei perverse intus appe-
B tendo. Ideo foris tentatus latrocinio serpentis et mulieris non potuit stare. « Ibi » quippe « ceciderunt, qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare (*Psal.* XXXV, 13) » parentes generis humani, ceciditque in illis tota ipsorum posteritas per carnis concupiscentiam descendens eadem via, ita ut non exciperetur sacerdos aut levita, descendens videlicet eadem via. Samaritanus autem quidam iter faciens, non tamen eadem via, quia natus in mundum sine carnis concupiscentia fuit alienus ab originali simul et actuali culpa, subvenit spoliato et vulnerato, spoliato bonis accidentalibus, quæ abstrahi potuerunt ei, ut est innocentia, obedientia : vulnerato in bonis naturalibus, ut est memoria, ratio, voluntas, quibus quidem non est om-
C nino privatus, attamen eisdem sauciatis et vulneratis ita debilitatus, ut memoriam Dei oblivio, rationem veritatis ignorantia, voluntatem prava concupiscentia premat, nec est medicamentum, quo sanari queat, nisi prædictus ille Samaritanus oleum et vinum vulneribus ejus infundens curam ejus agat. Ante adventum vero Samaritani hujus, ut vulnera sua cognosceret ipse vulneratus, sacerdos et levita legis antiquæ illum præcesserunt, lege ipsa non sanante, sed monstrante vulnera ipsa. In qua lege *o quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera!*

PARS SECUNDA. Huc usque Deus locutus est in propria persona instruendo *Asaph.* Nunc loquitur ipse
D *Asaph,* scilicet congregatio habens intellectum titulo psalmi significatum.

VERS. 3, 4. *Quanta,* inquit, *audivimus,* quam multa, quamque magnifica in Testamento Veteri audivimus, *et* in Novo *cognovimus* ita impleta sicut erant prænuntiata per idoneos prænuntios. Nam *et patres nostri* hæc divinitus cognoverunt, et *nobis* filiis suis fideliter *narraverunt,* videlicet primus Moyses, deinde prophetæ fideles. Quibus *mirabilia* Dei opera narrantibus etsi occulta fuerunt incredulis, *non* tamen *sunt occultata a filiis eorum, filiis* dico, non in generatione carnali, sed *in generatione altera,* scilicet spiritali, «qui non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt (*Joan.* I, 13),» quomodo et patres eorum, ad quos, quia

sermo Dei factus, et ab illis creditus est, audire meruerunt. «Ego dixi: dii estis, et filii Excelsi omnes (*Psal.* LXXXI, 6).» Quæ igitur illis patribus nuntiata fuerunt, *non sunt occultata a filiis eorum*, quoniam ipsi patres erant *narrantes laudes Domini*, videlicet laudabilia facta ejus, ut est creatio cœli et terræ omniumque visibilium et invisibilium creaturarum. Narrabant etiam *virtutes ejus*, quibus ea, quæ creavit, regit fortiter, et disponit omnia suaviter, ita ut ejus regnum considerantibus jure sit exinde laudandus et amandus, quoniam *quæ fecit* ex nihilo potenter, gubernat sapienter in cursu naturali, qualis est revolutio quotidiana firmamenti et recursus fluminum ad fontem suum. Per amplius autem laudandum pariter et amandum atque timendum contestati sunt eum *narrantes mirabilia ejus quæ fecit* contra usum, ut, verbi gratia, mare Rubrum dividendo, iter siccum suis in medio ejus præbendo, panem de cœlo pluendo, aquam de petra educendo. Hæc, et hujusmodi *mirabilia* non solum prædixit veraciter; sed et *fecit* efficaciter. Et per hæc *mirabilia*

VERS. 5. *Suscitavit testimonium in Jacob, et legem posuit in Israel. Jacob*, qui et *Israel* dictus, pro diversitate nominum diversitatem parabolice significat filiorum de ipso genitorum. Nam per *Jacob* minus perfecti; per *Israel* vero perfecti significantur. Unde idem *Jacob* tacto femore ipsius ab angelo claudicasse legitur, videlicet pede uno debilitatus, et in altero sanus (*Gen.* XXXII, 25, 31). Quæ res fuit rei majoris parabola, quam nunc evenisse cernimus genere ipsius partim cæcato et partim illuminato, ita ut his tantum qui illuminati sunt conveniat nomen *Israel*, qualium fuit unus ille, cui magnus ille angelus qui femur Jacob tetigerat, cum de illo carnem acceperat, sic ait: «Ecce vere Israelita, in quo dolus non est (*Joan.* I, 47),» Item et illi, quibus ille dixit: «Videbis cœlum apertum, et angelos Dei ascendentes et descendentes supra Filium hominis (*Joan.* I, 51),» Israelitæ veri fuerunt, quia Verbum Dei Deum cognoverunt et viderunt in carne sua manifestatum. «Sacramentum hoc magnum est,» ait Apostolus, «quod manifestatum in carne prædicatum est mundo, apparuit angelis, assumptum est in gloria (*I Tim.* III, 16).» Hujus tanti sacramenti *testimonium suscitavit in Jacob*, quando idem videns angelos ascendentes et descendentes in scala, quæ Christum significavit, visionis tantæ sacramentum intellexit, atque ideo in signum Christi venturi lapidem capiti suo suppositum perunxit fundens oleum desuper. Quem et erexit in titulum, prænoscens lapidem parvulum oleo lætitiæ præ suis consortibus unctum sic erigendum et exaltandum, et fieret mons magnus et excelsus. Hujus rei testimonium cum esset pene penitus mortuum, *in Jacob suscitavit*, quotiescunque prophetas in populo suo suscitavit, quibus clamantibus a somno suo evigilaret *Jacob*. Novissime autem juxta vaticinium Moysi prophetam suscitavit de semine *Jacob*, cui testimonium perhibet ipse Moyses, quod «omnis anima, quæ non audierit prophetam illum, peribit de populo suo (*Act.* III, 23).» Hinc est illa claudicatio *Jacob*, quod qui non audiunt prophetam illum, licet carne, sint Israelitæ, non tamen pertinent ad illum *Israel*, de quo hic dicitur: *Et legem posuit in Israel.* Licet enim cæcitas ex parte contigerit in Israel, tamen Propheta ille magnus *in Israel suscitatus in* ipso *Israel posuit legem*, quia de illa gente Apostoli et alii plures sunt electi, quorum in cordibus *posuit legem* suam scriptam digito suo, non in tabulis lapideis, duris et insensatis, sed in tabulis intellectualibus mentium rationabilium.

Ne autem remaneret legis hujus notitia in sola Judaicæ gentis angustia, ipsos apostolos de gente illa electos fecit esse Patres, et doctores eorum quoque filiorum, quos, cum essent longe lateque dispersi, ex omnibus gentibus venit congregare in unum. Hujus rei *testimonium suscitavit in Jacob* tam valenter, ut etiam pes ejus ille, qui claudicaverat juxta illud: «Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis (*Psal.* XVII, 46);» pes, inquam, ille claudicans *testimonium* perhibet huic veritati. Caiphas, quippe ille pontifex anni illius, quo crucifixus est Christus, prophetavit dicens: «Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat (*Joan.* XI, 50).» «Hoc autem, ait Joannes, a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit, quia Jesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum (*ibid.*, 51, 52).» Ergo dubitari non debet super hac veritate, cujus *testimonium suscitavit in Jacob*, et de qua *legem posuit in Israel* Deus verax, qui non mentitur. Cui etiam ad testificandam promissionem suam tam *Jacob* quam *Israel*, tam perversus quam bonus cooperantur, dum quod Caiphas prophetavit, sanctus evangelista comprobavit super *testimonio suscitato in Jacob, et lege posita in Israel*. In qua lege o *quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis*,

VERS. 6. *Ut cognoscat generatio altera. Mandavit* enim plura patribus antiquis observationibus mysticis, quæ vel ipsi non cognoverunt, vel etiamsi noverunt velamine tamen adhuc posito super splendorem vultus Moysi non se nosse indicaverunt suis contemporaneis temporalia et carnalia bona desiderantibus, ac de cœlestibus parum vel nihil curantibus. Mandata sunt tamen ipsa cœlestia sub velamento antiquis patribus, *ut nota facerent ea filiis suis*, paternæ scilicet fidei susceptoribus et successoribus, qui soli recte ac vere nominantur filii Abrahæ aliorumque patrum fidelium. Nam qui hanc fidem respuentes Abrahæ semen Christum recipere noluerunt, jure ab ipso Abrahæ semine Christo audire meruerunt: «Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere (*Joan.* VIII, 44);» item: «Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Vos facitis opera patris vestri (*Joan.* VIII, 39, 41).»

Quæ? « Ille homicida fuit ab initio, et in veritate non stetit (*Joan.* VIII, 44). » Unde vere ipsius comprobantur filii, qui Christum seu Christianos occidendo illum antiquum homicidam sunt imitati, quorum deterrimi erant Judæi atque sanguine Christi ac sanctorum polluti, qui veritate audita vel cognita in ea non steterunt, sed ipsam veritatem in mendacio detinuerunt, quorum præcipui erant hæresiarchæ judicio proprio condemnati, utpote magis per malitiam quam per ignorantiam errantes et alios in errorem mittentes. Succedunt quoque illis falsi Christiani et ipsi utique filii patris homicidæ propter odia homicidalia, quoniam « qui odit fratrem suum, homicida est (*I Joan.* III, 15). » Qui etiam, dum non stant in veritate Christianæ professionis agentes nomini suo contraria cum diabolica pertinacia, filii convincuntur illius patris, qui ut Veritas ait : *In veritate non stetit.* Soli ergo amatores veritatis et observatores fraternæ charitatis ostendunt se filios Abrahæ aliorumque Patrum fidelium, de quibus hic dicitur : *Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera*, quæ cognoscere noluit generatio prava et adultera. *Cognoscat generatio* de gentibus electa Judæis cæcatis mysterium gratiæ simul et veritatis. Etenim judicium veritatis est, quod rami naturalis olivæ succiduntur, et donum gratiæ, quod rami oleastri olivæ inseruntur ac pinguedinis ejus consortes efficiuntur. Istis congruit, quod hic subnectitur : *Filii qui nascentur, et exsurgent, et narrabunt filiis suis.*

VERS. 7. *Ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur operum Dei, et mandata ejus exquirant. Filii* denique priores, qui nati fuerunt secundum carnem, carnalia sola desiderantes, *exsurgere* noluerunt ad appetendum cœlestia et sapiendum ea quæ sursum sunt. Sed *filii qui nascentur* ex aqua et spiritu, agente illos eodem Spiritu, quo regenerati sunt, *exsurgent*, ea quæ sursum sunt quærendo et sapiendo. Et non contenti sua solum salute, *narrabunt filiis suis, ut* et ipsi sursum cor habendo *ponant in Deo spem suam*, non in legis operibus ut Judæi, non in idolis ut pagani, *et non obliviscantur operum Dei* vel sua bona opera jactando sibique arrogando, quæ nulla sunt nisi a Deo, vel mala opera, quæ Deus prohibet, operando, sed potius Dei semper memores ipsum timeant ac diligant, *et mandata ejus exquirant*, non tantum, ut ea intelligant, sed ut intellecta faciant, quoniam « intellectus bonus facientibus eum (*Psal.* CX, 10). » *Mandata*, inquam, *ejus exquirant*, quo et illuminante intelliguntur, quoque juvante implebuntur. Hæc diligenter exquirant filii per gratiam regenerati,

VERS. 8. *Ne fiant sicut patres eorum, generatio prava et exasperans*, ut Judæi, qui fuerunt *prava generatio* nolentes recipere veritatem, *et exasperans*, quia quod super omnes acerbitates est, præsentem sibi Salvatorem blasphemiis et contumeliis irritare studuerunt, ac tandem turpissima illum morte con-

A demnaverunt. Et ergo hæc *generatio prava* et perversa, *generatio* dico, *quæ non direxit cor suum*, ut prave intellecta corrigeret, et voluntatem suam distortam ad Dei voluntatem rectam dirigeret, quod facere student omnes recti corde, id est, voluntate, qui suam voluntatem divinæ ita subdunt per omnia, ut illum studeant imitari, qui dixit : « Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste ; verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat (*Luc.* XXII, 42). » Sola est ergo rectitudo voluntatis humanæ, si per omnia dirigatur ad beneplacitum voluntatis divinæ. Unde bene *direxit cor suum*, qui dixit : « Domine, quid me vis facere ? » (*Act.* IX, 6.) Saulus hic fuit, qui cor tortum prius habuit, sed hoc postmodum voluntati Dei subdendo direxit : *Generatio* autem *prava non*
B *direxit cor suum* volens quod Deus noluit, et nolens quod Deus voluit, quæ est magna fortitudo rationabilis voluntatis in angelo vel homine. « Quia » enim « rectum est verbum Domini (*Psal.* XXXII, 4), » ad ejus rectitudinem voluntas creata est erigenda et dirigenda, quod non facit *generatio prava*, quæ verbum Domini rectum non recipit. Quare ? Quia nec per se natura duce illud appetit : « animalis » quippe « homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei (*I Cor.* II, 14) : » *Nec est creditus cum Deo spiritus ejus. Spiritus* hominum per se infirmus est ad bene operandum, quia nec velle seu, quod minus est, cogitare bonum potest absque Dei adjutorio, ideo debet se credere Deo et committere, quod ille fecerat, qui
C dicebat : « Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem justus Judex (*II Tim.* I, 12). » « Scio, inquit, cui credidi, » hoc est, commisi spiritum meum quasi pretiosum depositum : « Et certus sum, quia potens est, » etc. Credidit spiritum suum Deo, et *spiritus ejus* Deo *creditus est cum Deo*, qui credit se non posse facere justitiam sine Deo, posse autem cum Deo, propterea quod legitur : « Omnia possibilia credenti (*Marc.* IX, 22). » Talis erat et taliter Deo *creditus* erat *spiritus* ejus, qui dixit : « Omnia possum in eo qui me confortat (*Philip.* IV, 13). » Item : « Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum, non quod simus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est (*II Cor.* III,
D 3-5). » Longe aliter se habet *generatio prava*, *quæ non direxit cor suum, et non est creditus Deo*, nec est *cum Deo spiritus ejus.* Sicut enim, qui adhæret Domino unus spiritus est cum eo, sic spiritus humanus rebellis Domino ita separatur a Domino, licet ubique præsente, sicut is qui cæcatur, a luce, quanquam vicina, separatur.

Hebraica veritas habet : *Generatio declinans et provocans ; generatio, quæ non præparavit cor suum, et non credidit Deo spiritus ejus.* Cum longe sit a Deo, qui etsi credat Deo, non tamen credit in Deum. Longius profecto a Deo recedit, qui nec Deo credit vel bona promittenti vel mala comminanti. Qui autem Deo credit, passibus fidei ad hoc proficere potest, ut etiam in Deum credat, id est

ipsum cui credit, credendo amet sitiens et quærens non aliud suæ fidei præmium nisi ipsum Deum. Talis fides habet gratiam, quæ non solum peccata dimittit, sed et spiritum hominis facit sibi cooperari in operibus bonis. Quod ut exprimerent Septuaginta interpretes, quorum translatione utimur, pro eo ut dicerent : *Spiritus ejus non credidit Deo*, quod habet Hebraica veritas, dixerunt : *Non est creditus cum Deo spiritus ejus*, id est non habuit fidem, quæ mediante spe atque charitate impetrat, quod lex imperat ; sed quasi ex operibus legis justificari voluit, quod ita sequitur :

VERS. 9. *Filii Ephrem intendentes et mittentes arcum conversi sunt in die belli*. Per *filios Ephrem* magis quam per aliam tribum, totam gentem Judæorum a parte voluit significare, ideo quia ipse fuit minor filius Joseph, cui patriarcha Jacob imponens dexteram benedixit, et Manasse fratri majori præposuit. Quæ tribus a domo David separata et scissa, pro Deo vero idola coluit et vitulos aureos, quos fecerat Jeroboam, divino cultu venerando et Baal quoque adorando. Unde hoc loco tribus illa maxime culpatur, quod cum fuisset in benedictione præcipua, conversatione facta est vilissima, quoniam propter jam dictam idololatriam penitus est reprobata, nec ejus captivitas est relaxata, qua translata est in Assyrios; Judæ autem captivitas post annos septuaginta relaxata est. Unde in sequentibus dicitur : *Tribum Ephrem non elegit, sed elegit tribum Juda*. Sic « erunt novissimi primi, et primi novissimi (*Matth*. XIX, 30), » quo modo prælatus est Ephraim junior Manasse seniori, cujus tamen prælatio non duravit, quia *in die belli* retrorsum abiit. Timeat ergo minor majori prælatus, ne forte, qui naturalibus ramis non pepercit, nec aliis parcat, si eos infructuosos inveniat. In eadem figura prælatus est Abel justus majori fratri, et Isaac Ismaeli, et Jacob Esau, et Phares Zaran, et David majoribus fratribus, et pharisæo publicanus, id est populus Christianus populo Judæorum, qui sectantes legis justitiam in legem justitiæ non pervenerunt, quoniam *intendentes, et mittentes arcum, conversi sunt in die belli*. Quasi enim præludentes ante bellum suæ fortitudinis arcum intenderunt, et ex eodem arcu quasi sagittas inaniter miserunt, cum ad Moysen dixerunt : « Omnia quæcunque Dominus Deus noster locutus est, faciemus (*Exod*. XXIV, 7). » *Conversi sunt in die belli*, quia in tempore tentationis recesserunt, et prophetam, cui a Moyse jussi sunt obedire, occiderunt.

Super hunc locum beatus papa Gregorius dicit in Job (34) : *Plerumque nos, qui doctores videmur, prædicamus, audientes instruimus, et loquendo alios armamus, sed ipsi ad laborum certaminis ire recusamus, ut scriptum est : Filii Ephrem intendentes arcum, et mittentes sagittas suas, conversi sunt in die belli. Ephrem quippe* fructificatio *dicitur. Et quæ talis, vel tam sancta fructificatio, quam lingua doctorum? Quæ dum verba seminat, multiplicat fructus animarum. Qui dum docere præparamus, et sensum sacræ Scripturæ exquirimus, arcum intendimus. Cum verba correptionis facimus, sagittas emittimus. Arcus enim nonnunquam in sacro eloquio ipsum sacrum eloquium poni solet, quod ex utroque Testamento velut ex cornu et chorda constat. Vetus quippe Testamentum figuratur cornu propter duritiam; Novum vero, quod incarnato Domino factum est, signatur chorda. Et dum chorda trahitur, cornu curvatur, quia, dum Testamentum Novum discutitur, a duritie litteræ Vetus inclinatur, et ad intellectum spiritalem flectitur, quia rigor ejus duritie non tenetur. Sagittæ enim sunt hæc ipsa verba, quæ doctores proferunt. Unde bene etiam per prophetam de sanctis doctoribus gentilitatem ingredientibus dicitur : Cum sagittis, et arcu ingredientur illuc. Nos ergo cum sacræ Scripturæ dicta pensamus, arcum intendimus : cum verba doctrinæ damus, sagittas emittimus. Sed in die belli convertimur, quia nonnunquam contra vitiorum certamina laborem subire recusamus.*

Figurative dicitur *intendentes et mittentes arcum* pro eo ut diceretur : *Intendentes arcum et mittentes jacula*, videlicet *ex arcu*. Unde habent quidam codices : *Filii Ephrem intendentes et mittentes arcu* vel *arcubus*. Patet sensus, quia *intendentes arcum*, et *mittentes* inde sagittas ante bellum, *conversi sunt in die belli*, sive, ut in Hebræo legitur, *terga verterunt in die belli*. Unde hoc probas? In eo, quod

VERS. 10. *Non custodierunt testamentum Dei*, decem præceptis comprehensum, non quia non potuerunt, sed quia *noluerunt ambulare in lege ejus*. Non hic agitur de lege Moysi, quæ pene tota consistit in observantiis cæremoniarum et sacrificiorum, quas, non jubente sed permittente Deo, instituit Moyses post reatum vituli, ut populum sacrificiis Ægyptiacis assuetum per sacrificia veritatem figurantia revocaret ab idololatria, sed de lege ac testamento Dei, quod ante reatum vituli fuit firmatum dictis ad Abraham, scriptis quoque ad Moysen. Unde ipse legislator legem Dei a lege cæremoniarum distinguens illam in decem præceptis digito Dei asserit scriptam, quod nusquam dixit, nec dicere debuit de lege cæremoniarum, quas transitorias esse noverat. Et Apostolus dum dixisset : « Hoc autem dico testamentum confirmatum a Deo quæ post quadringentos et triginta annos facta lex, non irritum facit ad evacuandam promissionem (*Galat*. III, 17), » protinus ait : « Quid igitur lex, propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui repromiserat, ordinata per angelos in manu mediatoris (*ibid*., 19). » Legem cæremoniarum ordinatam dixit non in manu vel digito Dei, sed « in manu me-

(34) Apud S. Paterium Exposit. sac. Script. ex libris S. Gregorii, lib. XI, cap. 103.

diatoris » Moysi, cum *testamentum* a Deo confirmatum asseruerit : sicut e converso Moyses præcepta vitæ digito Dei scripta dixit, cum de sacrificiis vel de solemnitatibus observandis nihil tale dixerit. Igitur non tantum ubi Moyses injustus non semel repetit de azymis, legemque dat de festis annuis, sed et ubicunque per manum ejusdem mediatoris populo illi aliqua instituuntur eorum, sine quibus *testamentum* a Deo cum Abraham confirmatum fuit, sic accipienda sunt, non tanquam jussa, sed tanquam promissa, videlicet *propter transgressiones*, ut verissime Apostolus ait. Vincula enim quædam fuerunt propter transgressiones posita, scilicet, ut dum talium sacrificiorum vel festorum ritu detinerentur, non vacaret, eis errare a Deo suo in suis adinventionibus et illicitis idolorum cultibus. Proinde confidentibus in illis loquitur per prophetam idem Deus dicens : « Holocaustomata vestra addite victimis vestris, et comedite carnes, quia non sum locutus cum patribus vestris, et non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatum et victimarum, sed hoc verbum præcepi eis dicens : Audite vocem meam, et ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus, et ambulate in omni via quæ mandavi vobis, ut bene sit vobis (*Jer.* VII, 21-23). » *Non sum locutus*, ait, id est non præcepi. Nam quæcunque talium velut ex ore meo Moyses jussit, non me jubente, sed me permittente præcepit. Et in David : « Nunquid, ait, manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? » (*Psal.* XLIX, 13) et multa his similia. Itaque cum hic Judæi culpantur, quod *non custodierunt testamentum Dei, et in lege ejus noluerunt ambulare*, testamentum sive lex sic debet intelligi, ne quis putet illos argui propter neglecta illa sacrificia, de quibus dicit ipse Deus alio psalmo : « Audi populus meus, et loquar Israel, et testificabor tibi : Deus tuus ego sum. Non in sacrificiis arguam te (*Psal.* XLIX, 7, 8). » Porro de prævaricatione fidei, qua credidit Abraham Deo et reputatum est ei ad justitiam, recte arguuntur, quia Christum, cujus diem ille in spiritu vidit et gavisus est, isti videntes in carne spreverunt, negaverunt et, quod pejus est, necaverunt, ejusque sanguinem suis posteris imprecando clamaverunt : « Sanguis ejus super nos et super filios nostros (*Matth.* XXVII, 25). »

Quare autem sic oderunt eum? Quia *in lege ejus noluerunt ambulare*. Nam legem decem præceptis comprehensam non ille venit solvere, sed implere : verbi gratia, dictum antiquis : « Non occides (*Exod.* XX, 13), » non solvit, sed implevit, quando iram, de qua procedit homicidium, prohibuit. Item dictum antiquis : « Non mœchaberis (*ibid.*, 14), » non solvit sed implevit atque firmavit, quando mulierem videri ad concupiscendum prohibuit. Item dictum antiquis : « Non perjurabis (*Matth.* V, 33), » non solvit sed confirmavit, quando suos discipulos omnino jurare prohibuit. Sic cætera suæ legis mandata non infirmavit, sed confirmavit.

Hic objicitur, quod Sabbati observantia in decem præceptis comprehensa in evangelica doctrina repudiatur, in qua lex Dei videtur ex parte soluta. Sed sciendum, præcipiente Deo, de observantia Sabbati meminisse illum illius diei, in quo Deus requievit ab operibus suis, ut ipsius Dei exemplo post operum suorum perfectionem sibi requiem speraret homo. Unde Apostolus cum dixisset : « Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei (*Hebr.* IV, 9), » addidit : « Festinemus ingredi illam requiem, ut ne in id ipsum quis incidat incredulitatis exemplum (*Hebr.* IV, 11). » Præmiserat autem quosdam non ingressos in requiem propter suam incredulitatem, quibus etiam legitur Deus jurasse in ira sua non eos intraturos in requiem suam. Cum ergo in lege dicit : « Memento ut diem Sabbati sanctifices (*Exod.* XX, 8), » idem est ac si dicat : In omnibus operibus tuis hoc intende, ut perfectis operibus ingrediaris in requiem Dei. Sensum hunc innuit quod sequitur : « Sex enim diebus fecit Dominus cœlum et terram et omnia quæ in eis sunt, et requievit die septimo, et benedixit diei septimo, et sanctificavit illum (*ibid.*, 11). » Hic est ille sabbatismus, qui asserente Apostolo relinquitur populo Dei. Nam de carnali sabbatismo nulla Deo cura esse intelligitur ex verbis Isaiæ dicentis : « Neomenias vestras et Sabbata vestra odivit anima mea, facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens (*Isa.* I, 13, 14). » Causamque addidit dicens : « Manus enim vestræ plenæ sunt sanguine. » Spreto igitur Sabbato sanguine Christi et justorum quos occiderunt Judæi, polluto populus Christianus diem Sabbati sanctificet, imo a Deo sanctificatum sic celebret, ut in omnibus operibus suis non nisi requiem sempiternam speret in præmium, quia requies illa dies ille sanctificatus est, qui illuxit nobis et de quo dicitur : « Hæc est dies quam fecit Dominus, exsultemus et lætemur in ea (*Psal.* CXVII, 24). » Item : « Annuntiate diem de die (*Psal.* XCV, 2), » id est Filium de Patre. Hic est enim lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, qua illuminante requiescunt nunc animæ justorum velut in Sabbato sancto exspectantes octavam suæ resurrectionis, quam et nos exspectare, ac sperare debemus perfectis videlicet nostris bonis operibus tanquam sex dierum creaturis, in sex operibus misericordiæ, quibus requies illa paratur, ad quam vocabuntur, quibus dicetur : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi (*Matth.* XXV, 34). »

Et est quidem beata exspectatio requietionis et Sabbati hujus, in quo requiescunt animæ corporibus exutæ. Sed major erit solemnitas, quando completa quasi luna paschali vespera Sabbati lucescit in prima sabbati, quia, cum plenitudo gentium tota intraverit, et omnes reliquiæ Israel salvabuntur, ita ut nullus electorum ad requiem prædestinatorum desit Ecclesiæ, quæ per lunam significatur paschalem plenam et perfectam, tunc erit

octava dies et vere solemnitas solemnitatum, quæ A in octava die Dominicæ resurrectionis inchoata erit consummata in finem conresuscitatis capiti suo Christo membris omnibus. Quibus quoniam ex tunc amodo jam dicet Spiritus, ut requiescant a laboribus suis, rectius Ecclesia celebrat octavam Dominica resurrectione clarificatam, quam septimam Judæorum scelere obscuratam. Altera enim die, quæ est post parasceve, id est in Sabbato, accesserunt ad Pilatum, suggerentes illi seductorem fuisse Jesum petentesque custodiri sepulcrum. Habeant igitur Judæi suum sabbatum suo scelere pollutum, Christiani vero scientes ipsum Christum diem esse a Patre sanctificatum, sicut ipse ait : « Quem Pater sanctificavit et misit in mundum (*Joan.* x, 36), » B jugiter observent ejus celebritatem non solum, commemorando ipsius resurrectionem præteritam, sed et suam exspectantes futuram. Sic enim vere adimplebunt legem dicentem : « Memento ut diem Sabbati sanctifices (*Exod.* xx, 8), » quoniam idem Christus, qui nunc animabus in se requiescentibus lucet ut Sabbatum, lucebit et clarescet illis amplius in diem octavum per resuscitationem corporum, secundum quod exspectamus ipsum Dominum Jesum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Hujus diei *testamentum* accepit Abraham, quando exsultavit, ut videret illum : vidit et gavisus est. Hoc *testamentum* filii Ephrem *non custodierunt*, qui Christum viderunt et oderunt, sicut ipse ait : « Si non venissem, et locu- C tus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem et viderunt et oderunt et me et Patrem meum, ut adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis (*Joan.* xv, 22, 24, 25). » Quare autem sic oderunt eum? Quia *in lege ejus ambulare noluerunt*, videlicet non per ignorantiam vel infirmitatem, sed per malevolentiam et detractando illius obedientiam. Huic malevolentiæ addiderunt ingratitudinem : quia

Vers. 11, 12. *Obliti sunt benefactorum ejus et mirabilium ejus quæ ostendit eis* non solum præsens in carne multa bona opera operando in eis, qualia nemo alius fecit, sed et olim nondum revelatus *coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti in campo Tancos.* Pars tertia. Ordo artificialis est. D Prius enim narrat quæ facta sunt in eductione, deinde plagas Ægypti, de quibus tamen breviter commemorat, cum dicit : *Coram patribus eorum fecit mirabilia*, non solum coram patribus malis, de quibus jam dictum est, *ne fierent sicut patres, eorum generatio prava et exasperans;* sed etiam *coram* bonis *patribus*, quales fuerunt Moyses et Aaron, et ante illos Abraham, Isaac et Jacob. Quorum quia se Deum nominari voluit is qui Moysen misit, etiam coram ipsis in Spiritu præsentibus facta sunt illa *mirabilia in terra Ægypti.* Non est enim Deus mortuorum, sed vivorum : omnes enim illi vivunt, qui dixerat ad Moysen : « Ego sum, qui sum (*Exod.* iii, 14). » Item : « Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob (*ibid.*, 15), » in altero naturam, in altero gratiam significando. Quid enim est, *qui est?* illi naturale est, cui non est aliud esse, aliud aliquid esse, verbi gratia, esse ac bonum sive potentem esse illi est idem, quod non aliis creaturis, quibus est aliud esse, aliud aliquid esse, ut, verbi gratia, homini vel angelo aliud est esse, aliud bonum sive potentem esse, sicut et corpori aliud est esse. Item bonitas, qua bonus est, non aliud quam ipse est; veritas, qua verax est, non aliud, quam ipse est; sapientia, qua sapit, non aliud quam ipse est; vita, qua vivit, non aliud quam ipse est, aliud aliquid esse, scilicet quantum vel quale, magnum sive parvum, nigrum sive album. Sic se habet omne compositum, ut aliud ei sit esse, aliud aliquid esse; Deus vero, qui simplex est, non habet aliud esse nisi quid, et quo est, quoniam esse ac Deum sive bonum sive justum, sive aliud quodlibet esse, non est in eo aliud et aliud, sicut in homine aliud humanitas, qua est homo, aliud ipse homo; in Deo autem Divinitas, qua ipse Deus est, non aliud quam ipse Deus est. Item bonitas, qua bonus est, non aliud quam ipse est; veritas, qua verax est, non aliud quam ipse est; sapientia, qua ipse sapit, non aliud quam ipse est; vita, qua vivit, non aliud quam ipse est. Unde recte dicit : « Ego sum, qui sum. Hæc dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos (*Exod.* iii, 14). » Hoc illi solum est nomen naturæ. Nomen vero gratiæ hoc est, quod ipse, qui est, nec aliquo indiget, ut sit, dignatur nominari *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus Hebræorum*, qui non habent esse nisi ab illo, nec bene vel beate esse nisi cum illo et in illo.

Igitur *coram* istis *patribus* in ipso viventibus ipse *fecit mirabilia in terra Ægypti. Mirabilia* solatia Hebræis per misericordiam, et *mirabilia* tormenta Ægyptiis per justitiam, quos perdomuit non ursis et leonibus, sed ranis, sciniphibus, muscis, locustis et bruchis pro eo militantibus contra eorum superbiam, quos non dignatus est humiliare per militiam vel angelicam vel humanam, præter quod in ultima plaga per angelum percussa sunt eorum primogenita. Has plagas, hæc *mirabilia* ego *Asaph* dico facta *in terra Ægypti*, et ut ex certo nomine provinciæ notiora fiant, ea commemoro facta *in campo Taneos.* Tanis vel Taphnis civitas est Ægypti, ubi sicut in cæteris locis Ægypti factæ sunt plagæ, non in occulto vel in angulo, sed *in campo*, id est in manifesto. Quia vero hæc dicta sunt per *parabolas* et *propositiones*, ut psalmi docet initium, quærendus est in his mysticus intellectus.

Ægyptus ergo, quod interpretatur *tenebræ* et *tribulatio*, mundus est. *Tanis humile mandatum, ut sit campus Taneos* planities *humilis mandati.* Hoc humile mandatum coram Patribus Novi Testamenti proposuit Dominus dicens : « Discite a me quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* xi, 29). » Qui hoc mandatum primi susceperunt, coram ipsis et per ipsos mirabilia fecit, ipsosque mirabiliter exaltavit

constituens eos principes super omnem terram tandemque transferens in angelicam et cœlestem gloriam, ut sequaces eorum ponant in Deo spem suam, scientes quod omnis qui se humiliaverit, exaltabitur exemplo eorum, et omnis, qui se exaltaverit, humiliabitur Ægyptiorum exemplo, quoniam et illi nimis honorificati sunt, qui exemplo Moysi et Aaron facti sunt amici Dei resistendo invisibili Pharaoni, et inimicos eorum demersit in mare, imo in infernum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus Hebræorum, Deus scilicet apostolorum, martyrum et confessorum, atque omnium de tenebris mundanæ cæcitatis transeuntium in admirabile lumen talibus promissum et reservatum in terra promissionis, dicente ipsa Veritate : « Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ (*Joan.* VIII, 12). » Etenim per Abraham, qui obedivit Deo dicenti : « Egredere de terra tua, et de cognatione tua (*Gen.* XII, 1), » recte intelligitur ordo apostolorum, qui primus obedivit Christo docenti, sectatoribus perfectionis omnia relinquenda et se solum sequendum. Unde Petrus : « Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te (*Matth.* XIX, 27). » Per Isaac, qui gladio paterno quasi victima holocausti mactari consensit, martyrum cœtus. Per Jacob maritum Rachelis et Liæ confessorum chorus, contemplationi et doctrinæ intentus, apte figuratus cognoscitur, cum Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob nominatur et invocatur. Cum vero *Deus Hebræorum*, quod interpretatur *transeuntium*, congrue hoc nomine significantur omnes, qui Ægyptiis tenebris per mare Rubrum transeunt in admirabile lumen Dei, ut idem sit dicere Deum Hebræorum, ac si dicamus Deum justorum transeuntium de ignorantiæ tenebris ad lumen Sapientiæ dicentis : « Transite ad me, omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis adimplemini (*Eccli*, XXIV, 26). » Sequitur :

VERS. 13. *Interrupit mare et perduxit eos, et statuit aquas quasi in utrem.* Historia nota est quæ, quia parabolice proposita est, nos corticem litteræ ob notitiam prætereuntes, medullam sensus mystici perquiramus. *Rubrum mare* baptismus est Christi sanguine rubricatus, per quem populo Dei ex Ægypto fugienti transitus est paratus, ubi et suffocatur invisibilis Pharao cunctusque illius exercitus. Tropologice quoque carnalis cupiditatis aquæ velut *in utre* sunt, cum lubrica pravorum desideria, quia operis effectum non inveniunt, sub carnali corde premuntur ; ac divinitus restringuntur, cum renuntiatur invisibili Pharaoni, ut ad promissum gloriæ Dei præmium quasi ad terram promissionis perveniatur.

VERS. 14. *Et deduxit eos in nube diei, et tota nocte in illuminatione ignis.* Et quidem grande spectaculum fuit populo antiquo columna nubis per diem, et ignis per noctem præmonstrans iter in deserto ; sed longe majus est in oculis fidelium Dominicæ resurrectionis mysterium, qua Deus incarnatus et *nube* humanitatis suæ obumbrat seu refrigerat contra fervorem solis, jactum in petrosa terra semen arefacientis, vel etiam feni florem per incentiva mala urentis, et *igne* Divinitatis suæ illuminat, atque inflammat contra tenebras ignorantiæ ac frigus malitiæ, quo nimis abundante refrigescit charitas multorum. Suos autem fideles *deduxit* Christus homo *in nube diei*, et idem Deus *tota nocte in illuminatione ignis*, ita ut eos neque in die prosperitatis, neque in nocte adversitatis aberrare sinat a via veritatis.

VERS. 15. *Interrupit petram in eremo, et adaquavit eos velut in abysso multa.* Attende miracula in contrariis. In medio maris per abyssum gradienti populo exhibuit iter siccum ; in terra deserta invia et inaquosa de *petra* emisit aquas ad potandum populum et jumenta , *velut in abysso multa.*

VERS. 16. *Et eduxit aquam*, quocunque ipsi ibant, de consequente eos petra : non quod petra de suo loco moveretur, sed aqua de petra fluens eos consequeretur. Cujus miraculi mysterium quidam satis eleganter versificando expressit dicens :

Bis silicem virga dux percutit atque propheta ;
Ictio bina ducis sunt duo ligna crucis.
Fons est de petra populo datus absque metreta ;
Larga salus homini corpore de Domini.

Petra enim percussa Christus est crucifixus, de cujus latere dextro exivit aqua munda et viva, quam qui biberit, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Hoc autem dicimus de spiritu, quem accipiunt credentes in eum. Qui nimirum spiritus in aqua visibili significabatur, quæ de latere dextro templi, videlicet corporis Christi egrediebatur. Quasi enim duo latera Christus habuit, sinistrum videlicet secundum tempus infirmitatis et mortalitatis ; dexterum vero secundum tempus glorificatæ ipsius humanitatis. Et de sinistro quidem latere non exivit aqua, quia spiritus non est datus, quandiu non fuit Jesus glorificatus. Dexterum vero latus ejus emisit aquas in salutem populi sui, quia resurrectionis gloria et honore coronatus ipsa die resurrectionis et glorificationis suæ insufflavit apostolis, dicens : « Accipite Spiritum sanctum ; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt (*Joan.* XX, 23). » Item coronatus diademate ascensionis in tanta copia emisit aquam Spiritus sancti, ut apostoli ac discipuli ex illo potati æstimarentur ebrii, dicerenturque musto pleni. Talis est enim aqua ista, ut revera faciat sobriam quamdam ebrietatem se bibentibus, eo modo quo eam docet bibendam Apostolus : « Nolite, » inquit, inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini Spiritu sancto loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritalibus, psallentes in cordibus vestris Domino (*Ephes.* V, 18, 19). » Psalmi enim et hymni cæteraque spiritalia cantica quasi vasa sunt argentea et aurea potum salutis continentia, de quibus toties bibimus, quoties non spiritu

solum, sed et mente psallimus exemplo illius, qui dixit : « Psallam spiritu, psallam et mente (*I Cor.* xiv, 15), » quod est vere et sapienter psallere, dum sapit in mente, quod vel profertur ore, vel ruminatur in spiritu sola meditatione. Spiritus enim dicitur hoc loco illa vis animæ, qua memoriter versamur in animo lecta vel audita. Sed mens absque fructu est, nisi memoriæ venter, in quo talia congesta sunt, quasi quædam cibaria cruda in se habeat ignem et calorem talia decoquentem. Quo dum fervet et calet stomachus mentis per desideria sancta inter psallendum seu canendum seu meditandum, pinguescit ex hoc totus homo interior tanquam sugens mel de petra oleumque de saxo durissimo.

Quod autem dicitur : *Adaquavit eos velut in abysso multa, et deduxit tanquam flumina aquas*, abundantiam significat gratiæ affluentis in impetu fluminis de hac petra affluentis, totamque civitatem Dei lætificantis, in qua et fortes bibunt, et simplices adaquantur velut jumenta, cum et « dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam (*Psal.* xviii, 3), » dumque vinum robustis, et lac datur parvulis. Ubi? in deserto, *in eremo*, in solitudine gradientibus et ex Ægypto fugientibus, id est huic mundo immundo sincere abrenuntiantibus magisque sitientibus aquas limpidissimas de petra deserti manantes quam turbidas aquas doctrinæ poeticæ ac philosophicæ, aut, quod pejus, hæreticæ, quæ sunt « aquæ furtivæ, » quæ stultis « dulciores » videntur quam aqua sapientiæ (*Prov.* ix, 17).

Vers. 17. *Et apposuerunt adhuc peccare ei.* Antequam acciperent aquam de petra, murmurantes tentaverunt Deum; et cum tot vidissent miracula in transitu maris, in eductione aquæ de petra, tamen adhuc illis non credentibus Dei potentiam tentaverunt Deum *in inaquoso*, id est in siccitate. Gravissimum quippe peccatum est non credere Dei potentiam, propter quod etiam Spiritus veritatis arguit mundum de peccato, incredulitatis præcipue, quia ex hoc peccato velut ex radice mala germina erumpunt peccatorum cæterorum, dum ex perfidia perit vita non credentium et non sperantium in Deo, sicut econtra « justus ex fide vivit (*Rom.* i, 17). » Itaque per peccatum incredulitatis, qua de Dei potentia dubitaverunt dicendo : *Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto*, *excitaverunt* eum *in iram*. Tanta quippe fuit illis irritantibus ira ejus excitata, ut Moysi quoque et Aaron super hoc irasceretur, apud aquam contradictionis, quam secunda vice iterato miraculo eduxit de petra. Nam primo, sicut in Exodo legitur, dum castra movissent de deserto Sin et venissent in locum, qui dicitur Rabpidin percussa petra dedit aquam (*Exod.* xvii, 6), quando, ut jam dictum est, *interrupit petram in eremo et adaquavit eos velut in abysso multa*. Secundo, ut legitur in libro Numeri, cum essent in deserto Sin, in loco qui dicitur Cades, iterum defuit aqua, ubi et Moyses dubitando peccavit et alii desperaverant, et tamen Moyse percutiente bis si-

A licem data est aqua, quæ vocata est *Contradictionis* (*Num.* xx, 11). Hæc autem omnia in figura contingebant illis. Quod enim prima percussione aqua educta de petra non est *aqua Contradictionis* dicta, quia ibi non dubitavit Moyses; in secunda vero ubi dubitavit, de petra bis percussa egrediens aqua dicta est *Contradictionis*, hoc innuit quod Moyses unus idemque homo alibi fidelium, alibi personam gessit perfidorum. Cum fiducia quippe aquam de petra educens figuram gessit apostolorum cæterorumque fidelium sine dubitatione credentium Christo dicenti : « Aquam quam dedero, qui biberit ex ea, non sitiet unquam (*Joan.* iv, 13). » « Si quis sitit, veniat ad me, et bibat, et de ventre ejus fluent aquæ vivæ (*Joan.* vii, 37-38). » Cum autem velut incre-
B dulus dixit : « Num de petra hac potero ejicere vobis aquam (*Num.* xx, 10), » figurabat Scribas et Pharisæos Christum crucifigentes, et duobus lignis crucis quasi bis percutientes, minime tamen credentes quod de ipsius corporis templo egrediantur aquæ vivæ.

Imitantur autem adhuc istos increduli rursum crucifigentes Christum, dum sacramenta ipsius indigne tractant, et aquis doctrinæ ac sapientiæ ipsius potari nolunt, sed eis verbo aut facto contradicunt. In horum figura Moyses et Aaron quanquam in se ipsis Dei amici, tamen increpati sunt, Deo dicente : « Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos
C populos in terram quam juravi patribus eorum (*Num.* xx, 12). » Et quidem non dubitantur isti amici Dei esse introducti cum cæteris fidelibus in veram promissionis terram, quæ est paradisus exsultationis : attamen figuralem illam promissionis terram non introierunt, significante per hoc Spiritu sancto, quod rebelles et increduli non introibunt in requiem Domini, quibus juravit in ira sua, dicendo : « Si introibunt in requiem meam (*Psal.* xciv, 11). » Justo namque judicio contra illos juravit in ira, quia *in iram excitaverunt Excelsum in inaquoso*, id est in ariditate plus cordis quam loci, et non petendo aquam cum diffidentia *iram Dei excitaverunt*. Sed in eadem perfidia

Vers. 18. *Tentaverunt Deum in cordibus suis, ut*
D murmurando *peterent escas animabus suis*. Nomine *animarum* vita significatur temporalis, ut illic : « Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam (*Matth.* x, 39). » Petierunt ergo isti murmuratores *escam* temporalem potius quam spiritalem, præsignando perversos oratores, qui suis orationibus ac precibus nisi potius temporalia quam æterna bona obtineant, contra Deum sæpe murmurant non credentes quod, si primo et principaliter quærendo regnum Dei Deo servirent, hæc omnia illis adjicerentur. Neque vero suffecit illis tentasse Deum in cordibus suis male cogitando, sed ex abundantia cordis peccatum locutionis peccato cogitationis addiderunt.

Vers. 19. *Et male locuti sunt de Deo.* Nam *dixe-*

runt cum diffidentia : *Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto?* Dedit quidem tanquam flumina aquas de petra. Et hoc miraculum nos videmus : attamen sine miraculo aquas de venis petrarum sæpe fluxisse scimus. Panem vero in deserto penitus inculto posse dari, quis ideo credat, cum naturalis possibilitatis modum excedat, ut *mensa* copiosæ refectionis paretur in *deserto* non uni homini, sed populo tanto, tam numeroso et saturari assueto in Ægypto? Dicimus ergo admirando et dubitando :

VERS. 20. *Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ, et torrentes inundaverunt. Nunquid et panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?* Non idem ordo est in hoc psalmo, quo per Moysen sancta et veridica contexta est historia. Illic enim res gestæ, quo factæ sunt, eodem et narrantur ordine, id est prius panis petentibus datus, et aqua de percussa petra producta esse memoratur. At vero hic taliter præposteratum est : *Interrupit petram in eremo et adaquavit eos velut in abysso multa, et eduxit aquam de petra, et deduxit tanquam flumina aquas.* Hoc primum posito ita subjunctum est. *Et apposuerunt adhuc peccare ei.* In quo? *Dixerunt : Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ, et torrentes inundaverunt. Nunquid et panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?* Hæc cum dicit, manifeste prius esse videtur, quod percussa petra *fluxerunt aquæ, et torrentes inundaverunt :* posterius autem, quod *mandavit nubibus desuper, et januas cœli aperuit, et pluit illis manna ad manducandum, et panem cœli dedit eis.* Cur hoc? videlicet, quia parabolice loquitur, sicut in initio psalmi proposuit dicens : *Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio.* Quarum videlicet parabolarum ne difficilis esset solutio vel interpretatio, subsecutus Apostolus cum dixisset : « Bibebant autem de spiritali consequente eos petra, » continuo subjunxit : « Petra autem erat Christus (*I Cor.* x, 4). » Hoc enim dicto quasi uno radio solari per fenestram injecto totius domus tenebras dispulit, ut clare videremus, quod aliam petram, aliamque de petra profluentem aquam in parabolis istis sapere debeamus. Dominus quoque, dicentibus sibi Judæis : « Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est : Panem de cœlo dedit eis manducare (*Joan.* vi, 31, » continuo contradicit respondendo : « Amen, amen dico vobis : Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum (*Joan.* vi, 32). » Non ille dedit præterito tempore, ut dicitis; sed iste dat præsentialiter. Sic loquendo Veritas ostendit verum esse panem, qui significatur in hoc psalmo, cujus testimonio abusi fuerant contradictores veritatis Judæi; figurativum vero et non verum, quem patres suos manducasse recolebant secundum historiam, cujus litterali sensui male aptaverunt psalmi hujus parabolam spiritali sensu prolatam. Igitur cum auctoritate multi- A plici, scilicet cum testimonio *Asaph* loquentis hic in parabolis, cum fide Apostoli dicentis : « Hæc omnia in figura contigisse illis (*I Cor.* x, 11), » cum veritate Christi panem se verum in Evangelio asserentis, et in percussione petræ passionem Domini, et in largitate panis cum rore super castra descendentis corpus ipsius, quod de sancto sumimus altari, fideliter intelligamus, ut ordinem parabolæ hujus rei veritate subnixum ostendamus, et non sine causa in hac parabola præposterationem factam contra legis litteram.

Sed dicit aliquis : Etsi petræ interruptio Christi passionem, et manna mensam Christi significavit paratam nobis in nostram salutem; nec sic oportuit historica facta præposterari, ut prius diceret B Propheta percussam fuisse petram, ut aquæ fluerent, et deinde mandatum esse nubibus desuper et manna illis deplutum esse, ut ederent. Nam antequam molestia crucis perculeretur Dominus Jesus Christus, ipse verbo suo januas cœli aperuit, et hoc manna pluit. Eadem nocte quippe qua tradebatur, propriis ipse manibus sanctam Eucharistiam, ut hoc faceremus nos, consecravit. Ad hæc, inquam, non ante passionem suam in ipso Dominus noster suæ passionis articulo hoc fecit. Jam enim venditus erat, jam tradebatur; jam tristis erat anima ejus usque ad mortem, jam imminebat hora in qua pavebat, et mœstus erat factusque in agonia, et orans sanguineas guttas desudabat, jam se propter certi- C tudinem mortis instantis in mundo non esse dicebat. Unde et hoc notandum, quia cum aliis locis panis hujus, id est suimet esum necessarium commendaverit dicendo : « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis (*Joan.* vi, 54), » nusquam tamen ostendit, quomodo posset vel deberet hoc fieri, nisi in hora illa, qua tradebatur, qua, ut jam dictum est, in angustia passionis agonizabatur. Cur hoc? Videlicet, quia passionis ejus opus res et virtus est sacramenti, qua substantia panis et vini in veritatem nobis convertitur corporis ejus et sanguinis. Unde Apostolus : « Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat (*I Cor.* xi, 26). » D Sed et illud nemo qui nesciat prius esse, ut invitetur quisque ad fidem Dominicæ passionis, quam ad participationem hujus panis, id est ut prius baptizetur in morte ejus, quam ad sanctum altare admissus communicet carni et sanguini illius. Recte ergo sic Propheta historicos actus præposteraverit, ut prius diceretur interruptam fuisse petram ut fluerent aquæ, posterius januas cœli apertas, ut homo cibaretur angelorum pane.

Item dicat aliquis : Cum Apostolus dicat de patribus : « Et omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritalem biberunt (*I Cor.* x, 3, 4), » quomodo dicit Christus, ubi Judæis loquitur : « Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem

de cœlo verum? » Dicimus ad hæc : Cum dicit Apostolus « escam eamdem (*Joan.* VI, 32) » nullatenus littera innuit, illum subaudiri voluisse eamdem quam nos. Et quidem ante nos magni Patres hanc relationem subintellexerunt. Sed sicut a quodam pro alia re dictum est, quanquam grandis auctoritatis sint et sanctitatis vel sapientiæ ipsorum magnitudo nos opprimat, nos magis evangelica Christi auctoritate ducimur quam cujuslibet eloquentiæ argumentis. Nec enim ratio patitur, ut figura et res idem sint. Dixit autem Apostolus tam de hoc quam de cæteris, quæ facta sunt, quia « omnia in figura contingebant illis (*I Cor.* x, 11). » Proinde cum dicit : « et omnes omniumque, » deinde distinctionem facit dicendo : « Sed non in pluribus eorum beneplacitum fuit Deo, nam prostrati sunt in deserto (*I Cor.* x, 5), » planum intellectui est, idem esse ac si dixisset : Unam omnes escam manducaverunt, et unum omnes potum biberunt spiritalem, id est non naturali ordine sed spiritali virtute provenientem, et tamen in illam repromissionis terram non omnes introierunt, videlicet in figura nostri, qui omnes eodem participamur sacramento corporis Christi, et tamen in illam terram viventium non omnes pariter sive bene sive male vixerimus, sumus admittendi. Igitur et quod Veritas de præterito tempore negans, de præsentibus vero confirmans : «Non Moyses, inquit, dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum (*Joan.* VI, 32), » et quod veritatis Apostolus dicit : « Omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eumdem potum biberunt spiritalem (*I Cor.* x, 4), » non esse repugnantia sive contraria ratio manifesta convincit.

Nunc jam de hujus panis mysterio dicturi aliquid, litteram historiæ inspiciamus, quæ ita se habet : « Ecce ego pluam vobis panes de cœlo. Egrediatur populus, et colligat quæ sufficiunt per singulos dies (*Exod.* XVI, 4). » « Pluam vobis, » inquit. Huic verbo consonans Propheta dicit : *Et mandavit nubibus desuper, et januas cœli aperuit, et pluit illis manna ad manducandum.* Quid autem per *manna* intelligi velit, innuens continuo subjungit : *Panem cœli dedit eis, panem angelorum manducavit homo.* Quisnam hic est *panis cœli, panis angelorum?* Nunquid angelus illo pane cibatur in cœlo, quem populus ille colligens similem semini coriandri frangebat mola, sive terebat mortariolo? Ergo panis cœli, panis angelorum ipse est, qui in Evangelio suo dicit : « Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum (*Joan.* VI, 51, 52). » Hic enim victus est et vita angelicæ substantiæ : nam in eum desiderant angeli prospicere. Quod qui facere contempsit, cecidit angelus et factus est diabolus. Qui et hujus panis sempiternam patiens inediam semper est pallidus, et mors illum sequitur. Digna ergo exclamatio Prophetæ, digna admiratio, quia januis cœli apertis *panem angelorum manducavit homo!* Unde

A hoc? videlicet ex eo quod *mandavit nubibus desuper, et januas cœli aperuit,* id est, præostendit apostolis sive etiam prophetis, de quibus illud est. « tenebrosa aqua in nubibus aeris (*Psal.* XVII, 12), » id est, occulta scientia in prophetis, et deinde per semetipsum clausas prius hominibus januas cœli aperuit solutis in carne sua veteribus inimicitiis, sicque terrenis cœlestia conjunxit, id est, homines angelis sociavit, ut eodem vescantur pane cœli, illi in conspectu manifesto Divinitatis, isti adhuc in terra positi in sacramento pietatis, de quo Apostolus : « Magnum, inquit, est sacramentum pietatis, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est mundo assumptum est in gloria (*I*
B *Tim.* III, 16). » Et quidem hic panem cœli, panem angelorum singulariter : illic autem : « ego pluam vobis panes, » pluraliter dictum est. Nullam tamen suspiceris dissonantiam. Nam et hic pluraliter subjunctum est : *Cibaria misit eis in abundantia.* Ergo secundum se panis unus Christus, vel unum corpus Christi est, verumtamen secundum locales Ecclesias et secundum offerentium sive accipientium personas innumerabiles *cibaria* sive *panes* recte dicas pluraliter. Verbum ipsum : *Pluit,* quo utraque Scriptura usa est, in illa Deo dicente : *Ecce ego pluam,* in ista autem : *Et pluit illis manna ad manducandum,* eamdem ubique terrarum paratam omnibus pusillis et magnis significat copiam, ut et de se ipso magnus Propheta dicat : *Parasti in con-*
C *spectu meo mensam.* Et de nobis licet minimis : « Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum qui requirunt eum; vivent corda eorum in sæculum sæculi (*Psal.* XXI, 27). Sequitur :

VERS. 21. *Ideo audivit Dominus, et distulit.* PARS QUARTA, in qua narratur, quod Deus dilata ultione prius dedit, quod petiverant, quamvis petierint murmurantes et tentantes, et postea punivit murmuratores et tentatores. Non enim punivit subito murmurantes, sed *distulit* pœnam. Sed prius *audivit* dando rogata, ne videretur non posse dare, et postquam dedit postulata, *ignis accensus est in Jacob, et ira ascendit in Israel.* Vultis nosse, in quo eos *au-*
D *divit,* et quam iram *distulit?* In eo scilicet *audivit* eos, quod

VERS. 23, 24, 25. *Mandavit nubibus desuper, et januas cœli aperuit, et pluit illis manna ad manducandum, et panem cœli,* non labore hominum acquisitum *dedit eis.* Magna gratia, quod *panem angelorum manducavit homo,* significativum scilicet panis angelorum, qui dictus est *manna,* quod interpretatur : *Quid est hoc?* quem Judæorum populus primo ignorabat quid esset. Sic etiam de corpore Christi admirando quæritur, quid sit vel quomodo fieri possit. Pie igitur quærentibus veritas hujus rei declaratur, infidelibus autem penitus occultatur.

Sequitur : *Cibaria misit eis in abundantia.* Non solum quippe manna, sed et alia *cibaria misit eis in*

abundantia, in quanta non possent consumi ab eis. Qualiter misit eis?

Vers. 26. *Transtulit austrum de cœlo* superiori, ut flueret juxta castra, *et induxit africum* non fortuito motu auræ, sed *in virtute sua*.

Vers. 27, 28, 29, 30. *Et* in hac virtute per ventos calidos et australes *pluit super eos sicut pulverem carnes, et sicut arenam maris volatilia pennata*, id est coturnices, et ne capiendi difficultas esset, *in medio castrorum eorum ceciderunt* duobus cubitis super terram volantes *circa tabernacula eorum*. Has coturnices ad compescendas murmurationes eorum Dominus bis legitur dedisse, prius in deserto Sin, postea in solitudine Pharan, qui locus dicitur sepulcra concupiscentiæ propter plagam, quæ illic accidit, quia, postquam concupitas carnes *manducaverunt, et saturati sunt nimis*, scilicet usque ad nauseam, et ita *desiderium eorum attulit eis* usque adeo, quod *non sunt fraudati a desiderio suo*, continuo sunt puniti, et plurimi ex eis occisi. Nam cum *adhuc escæ erant in ore ipsorum, ira Dei ascendit super eos, et occidit pingues eorum*.

Notandum sane, quod cum in deserto Sin peterent escas animabus suis, licet male locuti sint de Deo, dicentes: *Nunquid poterit Deus panem dare, aut parare mensam populo suo?* non tamen sunt puniti, quin potius cum solum panem peterent ultro Deus illis coturnices dedit. Hic autem, scilicet in solitudine Pharan, quia panem de cœlo habentes et hunc fastidientes absque ulla necessitate concupiscentia carnium flagraverunt, gravissime puniti sunt. Et hæc igitur ut cætera, quæ illis contigerunt, « scripta sunt ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt (*I Cor.* x, 11), » ut, etsi petimus a Deo necessaria viatica, quibus utamur, caveamus tamen concupiscere superflua, quibus abutamur. Ad hanc nos cautelam Jacobus apostolus instruit dicens: « Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis (*Jac.* iv, 3). »

Mystice per *austrum* et *africum* ventos meridianos et calidos intelliguntur doctores intelligentia lucidi, charitate fervidi, quibus in cœlo flantibus auditores magni ut nubes volant; sed propter parvulos in terra nutriendos transferuntur de cœlo interdum, sicut ille, qui dixit: « Non potui vobis loqui tanquam spiritualibus, sed tanquam carnalibus lac vobis potum dedi, non escam (*I Cor.* iii, 1, 2). » Sic Pastor æternus parvulam fidem non tentantium, sed credentium pascit carnea lingua editis vocum signis et per aerem transcurrentibus quasi volatilibus mundis, quibus vesci licitum est ac salubre *austro* afflante, qui significat Spiritum sanctum, cujus afflatu verba quæ dicuntur, « Spiritus et vita sunt (*Joan.* vi, 64), » et quasi munda volatilia manducantibus utilia. Verbo vero hæreticorum et omnia perversa dogmata quæ, flante aquilone, id est maligno spiritu, volant pennis eloquentiæ sæcularis, immunda sunt volatilia populo Dei per legem prohibita: verbi gratia, cum dicitur: « Aquilam et gryphem et milvum et vulturem juxta genus suum, et omne corvini generis non comedetis. Upupam quoque et vespertilionem, et omne de volucribus quod graditur super quatuor pedes, abominabile vobis erit, et quicunque morticinia eorum tetigerit, polluetur et erit immundus usque ad vesperam (*Lev.* xi, 13 et seqq.). » Quid porro sunt hæreticorum verba, nisi eorum generis volatilia immunda? Quorum tangit morticinia, quisquis vel ad modicum sensui eorum consentit, et inde immundus erit usque ad vesperam, id est, usque ad pœnitentiam, qua peccandi calor frigescit, et peccator, qui sibi lucens videbatur in suis oculis, tenebrescit. Verba etiam doctorum quærentium in Ecclesia, quæ sua sunt, assimilantur volatilibus rapacibus, ut est aquila et milvus aut supra quatuor pedibus in terra gradientibus, utpote quærendo et appetendo sola terrestria, vel tanquam nocturna volatilia lucem fugiendo ut vespertilio, vel stercori libenter insidendo sicut upupa, quæ avis humano stercore libenter vescitur. In hujusmodi volatilibus lege divina interdictis pravorum doctorum, principaliter autem hæreticorum verba, quam sint vitanda insinuatur, cum subjungitur quod jam exposuimus, ut potuimus: « Quicunque morticinia eorum tetigerit, polluetur, et erit immundus usque ad vesperam. »

Volatilia vero munda, verba scilicet sanæ doctrinæ, licet pulveri ob vilitatem, vel arenæ maris propter amarum saporem videantur comparabilia, secundum quod dicitur: *Pluit super eos sicut pulverem carnes, et sicut arenam maris volatilia pennata*, sunt tamen populo fideli pretiosa et sapida.

Potest etiam per esum carnium ante manna datarum significari usus carnalium cæremoniarum populo Dei licitarum, priusquam descendisset panis angelorum. Unde quod dictum est a Moyse: « Vespere comedetis carnes, et mane panes in saturitate (*Exod.* xvi, 12), » sic intelligi potest, ac si dixerit: Carnales observantiæ permittentur vobis, antequam descendat panis de cœlo verus. Quod vero post gustatum panem, habentem « omne delectamentum et omnem saporem suavitatis (*Sap.* xvi, 20), » concupierunt concupiscentiam carnium, quæ cum adhuc essent in ore ipsorum, ira Dei ascendit super eos, figura fuit Judæorum, qui post Christi adventum gustata ipsius doctrina retrorsum abierunt vel ad judaismum fastidiendo evangelicam doctrinam et appetendo ritum in lege sibi consuetum, vel certe illorum, qui post acceptum panis angelici vitale sacramentum non angelorum vitam spiritalem diligunt, sed pecudum more carnaliter vivunt, qui tunc majore damnationis prementur cumulo, cum *non fraudabuntur a desiderio suo*.

Adhuc escæ erant in ore ipsorum, etc. *Pars quinta*, in qua tractatur de vindictis et simulatis reversionibus eorum timore pœnarum, et tamen sententia Dei per misericordiam temperata. Duo autem sunt

præmissa, ubi dictum est: *Audivit et distulit*. Exposito igitur qualiter eos Deus audivit non fraudando a desiderio suo, exponit qualiter ultio, quam distulit super eos venerit, hoc modo : *Adhuc escæ erant in ore ipsorum* de Deo male loquentium.

Vers. 31. *Et ira Dei ascendit super eos*. Bene dico *ascendit*, non *descendit:* quia « flamma combussit peccatores (*Psal.* cv, 18), » et naturale est flammæ ascendere, non descendere. Hæc *ira et* hæc flamma *occidit* peccatores in suo peccato morientes, *et electos Israel impedivit*, ne, quibus irascebatur Deus, ipsi possent humano et paterno affectu prodesse aut consulere. *Impedivit* revera usque adeo, ut Moyses quoque præcipuus ex electis fere pro illorum desperaret murmurationibus. Unde et dubitans ait : « Num de petra hac poterimus vobis aquam ejicere? » (*Num.* xx, 10.) Propter hanc dubitationem licet fuerit *electus*, tamen *impeditus* est, vel sicut in quibusdam codicibus legitur, *compeditus*, ne intraret vel alios introduceret in terram promissionis.

Hebraica veritas habet: *Et electos Israel incurvavit*. Vere sic factum est, et sic adhuc fieri videmus. Nam cum perversi divinitus corripiuntur pestilentia, grandine, sterilitate seu alia plaga cum impiis, qui flagellantur in exemplum justitiæ, boni quoque sub eisdem pœnis *incurvantur*, id est humiliantur in exemplum patientiæ. Qui etiam compediuntur et impediuntur nimietate peccantium, ne suis precibus valeant placare *iram* Dei, cum sint ipsi pauci, mali vero irritantes eamdem *iram* sint multi.

Vers. 32. *In omnibus his* vel beneficiis deliniti vel plagis correpti *peccaverunt adhuc*. In quo? In eo scilicet, quod in nequitia sua permanserunt, secundum quod scriptum est : « Qui in sordibus est sordescat adhuc, et qui nocet noceat adhuc (*Apoc.* xxii, 11). » Nam hoc est *peccare adhuc*, non sufficere peccatori peccata præterita, nisi adhuc voluntarie adjiciat alia. Sic illi *peccaverunt adhuc, et non crediderunt in mirabilibus ejus*. Quod peccatum, scilicet *non credere* peccatum est maxime imputabile arguente mundum spiritu veritatis « de peccato et de justitia et de judicio. De peccato quidem, quia non credunt » in Christum (*Joan.* xvi, 8, 9), multa *mirabilia* facientem, sicut et patres eorum *non crediderunt in mirabilibus* Dei.

Vers. 33. *Et* ideo *defecerunt in vanitate dies eorum, et anni eorum cum festinatione*. Denique sicut ambulantibus in veritate *dies* proficiunt, sic ambulantibus *in vanitate dies deficiunt*. Sicut enim qui nascitur mortuus, dicitur natus in vanum, sic « vidua, quæ in deliciis vivens mortua est (*I Tim.* v, 6), » vivit in vanum. Quod quia de vidua, teste Apostolo, constat, multo magis de viris in deliciis luxuriantibus affirmari potest, quod *defecerunt* et adhuc deficiunt *in vanitate dies* talium, qui si, relicta vanitate, veritati crederent et credendo inhærerent, annos æternos lucrari possent : sicut econtra « viri sanguinum et dolosi, » nequitia pleni et a

A veritate per dolum nimis alieni, « non dimidiabunt dies suos (*Psal.* liv, 24), » utpote ab illo veritatis fonte separati, cui vere dicitur : « Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient (*Psal.* ci, 28). »

Vers. 34. *Cum occideret eos, quærebant eum*. Non ante pœnam ex amore, sed in pœna ex timore *quærebant eum*. Unde apparet non veram sed simulatam fuisse ipsorum conversionem sive reversionem, qua *revertebantur, et diluculo veniebant ad eum*, cum occiderentur quidam ex illis. Non enim occisi *quærebant eum*, sed residui. De uno enim populo quasi de uno corpore dictum est : *Cum occideret eos, quærebant eum*, cum non occisi, sed vivi quærerent eum. Qui etiam timore occisionis perterriti *revertebantur* verbotenus ore, non corde, *et* B *diluculo veniebant ad eum*, quasi primo mane operarii conducti, vel potius compulsi ad opus, quod quasi *diluculo* bene inceperunt dicentes : « Omnia quæcunque præcepit Dominus, faciemus (*Exod.* xix, 8). » Transacto autem *diluculo* non sufferentes pondus diei et æstus defecerunt, neque usque ad vesperam persliterunt in servitio mane cœpto, sicut ille beatus operarius, de quo alias dicitur : « Exibit homo ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperum (*Psal.* ciii, 23), » quod est opus bonum perducere usque ad consummationem. Qui autem « ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt, isti quasi (*Luc.* viii, 13) » diluculo ad Deum veniunt, sed ad perfectum diem non perveniunt. Quæris forte quomodo isti *veniebant ad* C *eum?* Nunquid pedibus ambulando sive in curribus aut equis aut navibus aliisque in hunc modum vehiculis illi, qui est ubique, appropinquando? Non, sed motu cordis, quo solo acceditur ad Deum vel receditur ab eo. Isti ergo in hoc *veniebant ad eum*, quod

Vers. 35, 36, 37. *Rememorati sunt* cogentibus malis, *quia Deus adjutor est eorum, et Deus excelsus redemptor eorum. Adjutor* videlicet in bonis, *redemptor* a malis. *Et dilexerunt eum in ore suo*, non in corde, stulti non pensantes, quod ei omnia secreta nuda sunt et aperta. *Et lingua sua*, qua dixerunt : « Quæcunque locutus est Deus, faciemus (*Exod.* xix, 8), » *mentiti sunt ei. Cor autem eorum non* D *erat rectum*, quia non erant recti corde, sed erat illis distortum a rectitudine justitiæ Dei, nec erat rectum in Deo, quia non erat *cum eo*. Non enim quærebant Deum propter Deum. Unde sequitur : *Nec fideles habiti sunt in testamento ejus*, quia non sicut promiserant, observabant præcepta, et temporalia potius quam æterna bona petebant, quæ illo testamento sicut et in novo promittebantur, quanquam ibi sub velo figurarum, hic sine velo. Similes illis fiunt, qui nunc in Dei servitio labiis Deum laudando, corde longe sunt ab eo, præcipue vel solummodo quærentes bona temporalia, in hoc disjuncta a paganis, quod illi a diis falsis quærunt, isti autem a Deo vero non vera bona petunt, non ut exinde vero Deo serviant, sed ut in suis vanitatibus insu-

mant. Propterea nec dicendi sunt colere Deum, A quia in ejus obsequio non quærunt eum. Hoc enim quisque colit, quod præ cæteris diligit, et propter quod consequendum facit vel patitur libenter sive patienter, quæ sibi expedire credit ad id consequendum, quod inter omnia super omnia diligit.

Vers. 38. *Ipse autem est misericors, et propitius fiet peccatis eorum.* In eo, quod mentiti sunt Deo, nec fideles habiti sunt in testamento ejus, iram Dei super se provocaverunt, quem suis pravitatibus irritaverunt : *Ipse autem*, cui proprium est misereri semper et parcere, non dico *fuit*, sed *est misericors* æterna misericordia, « quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus (*Psal.* cxxxv, 1). » Et ut eadem misericordia quæ illi est in affectu, appareat in manifesto effectu, *propitius fiet peccatis eorum*. B Et hoc apparet in eo, quod *non disperdet eos*, juxta quod alibi dicit Deus : « Ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos (*Psal.* lviii, 12). » Licet enim quosdam ex eis occiderit, quando, cum occideret eos, quærebant eum ; tamen *non* omnino *disperdet eos*, quia reliquiæ salvabuntur ex eis propter quas reliquias exinde nascituras *non disperdet eos* omnino, sicut in Exodo dixerat Moysi : « Dimitte me, ut deleam eos faciamque te in gentem magnam (*Deut.* ix, 14). » Sed, orante Moyse, *abundavit ut averteret iram suam* non in eo, quod nulla esset ejus ira, sed quod *non accendit omnem iram suam*, quoniam cum iratus fuerit, misericordiæ memor erit, solem suum faciens oriri super justos et injustos, pluit quoque manna illis tam pravis C quam probis, et licet ramis aliquot fractis, radicem tamen gentis illius conservavit, ex qua sancti apostoli pullulaverunt, et reliqui eis prædicantibus conversi sunt de numero illorum, qui Christum occiderunt, quoniam plurimi ex illis cum sanguine, quem infideles fuderunt, postea fideles biberunt. Non solum autem propter futuras reliquias pepercit eis, verum etiam propterea, quod

Vers. 39. *Recordatus est quia caro sunt : spiritus vadens et non rediens. Spiritus* quippe hominis vadit in mortem, et non redit ad corpus in hoc mundo. Quod ergo dicitur *Spiritus vadens, et non rediens*, brevis descriptio mortis est, quia corpus moritur, quod nisi alio suscitante nunquam resurget. Similiter se habet mors animæ, quia Spiritus humanus, D licet aliquando sit promptus ad bonum, quia caro est infirma, illa gravante semper est pronus ad peccandum, et non redit per se, sicut in Proverbiis de via iniquitatis dicitur : « Omnes qui ambulant in ea, non revertentur (*Prov.* ii, 19), » non quod nullo modo revertantur, sed quod per se reverti non valent, cum sola gratia illos reducat, quos bonus pastor, quod perierat requirens, in humeris suis reportat.

Super hunc locum beatus Gregorius papa dicit (35) : *Omnipotens Deus, sicut ex nihilo bona facere potuit, ita cum voluit, per incarnationis suæ mysterium perdita bona reparavit. Duas vero ad intelligendum se creaturas fecit, angelicam videlicet et humanam. Utramque vero superbia perculit, atque a statu ingenitæ rectitudinis fregit; sed una tegumen carnale habuit, alia vero nil infirmum de carne gestavit. Angelus namque solummodo spiritus; homo vero spiritus et caro. Misertus ergo Creator, ut redimeret, illam ad se debuit reducere, quam in perpetratione culpæ ex infirmitate aliquid constat habuisse; et eo altius apostatam debuit Angelum repellere, quo, cum a persistendi fortitudine corruit, nil infirmum ex carne gestavit. Unde recte Psalmista, cum misertum Redemptorem diceret, ipsam quoque causam misericordiæ expressit, dicens:* Et recordatus est, quia caro sunt. *Ac si diceret : Quia eorum infirma vidit, eo districte culpas punire noluit. Est adhuc aliud, quo et perditus homo reparari debuit, et superbiæ Spiritus reparari non potuit, quia nimirum angelus sua malitia cecidit; hominem vero aliena prostravit.*

Congruebat ergo hunc reparari alio juvante, qui lapsus est alio tentante. Qui vero, nullo tentante, cecidit spontanea superbia, nullo quoque juvante, resurgere deberet, si posset : quod quia non potest, et ipse non minus quam homo, imo magis quam homo dici potest spiritus vadens et non rediens, juxta quod illi dicit Veritas : « Vade, Satanas (*Matth.* xvi, 23). » Non ei dictum est : « Revertere, » sicut in Canticis canticorum dicitur fideli animæ Dei sponsæ : « Revertere, revertere Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te (*Cant.* vi, 12). » Vadit ergo spiritus ille, nec redibit aliquando, quia obstinatus et induratus est ille spiritalis Pharao in peccato suo. Assimilantur huic spiritui vadenti et non redeunti homines in suis peccatis obstinati. Qui etsi aliquando redire videntur ut Pharao interdum concedens abire populum Dei et iterum prohibens, non dicendi sunt redire in veritate, qui nolunt stare in veritate : sicut et ille spiritus mendax « in veritate non stetit (*Joan.* viii, 44), » qui et mendax est et pater ejus mendacii quod primus invenit. Imitantur autem eum, qui sunt ex parte ejus, quales illi fuerunt, qui *dilexerunt Deum in ore suo, et lingua sua mentiti sunt ei*, de quibus et alias conqueritur dicens. « Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt et claudicaverunt a semitis suis (*Psal.* xvii, 46). » Tanta fuit eorum claudicatio, ut præ indignatione simulque admiratione pravitatis eorum libeat exclamare :

Vers. 40, 41. *Quoties exacerbaverunt eum in deserto!* Non solum supradictis modis, verum etiam aliis multoties *exacerbaverunt eum in deserto.*

Pars sexta, in qua comparat mala eorum beneficiis Dei. Dicturus enim plagas Ægypti propter eos factas repetit eos Dei oblitos Deum tentasse multis modis, quibus *exacerbaverunt eum*, ut tolleret bona,

(35) Lib. iv Moral. c. 3.

quæ dederat eis *in deserto*, ubi magis eguerunt auxilio divino, destituti humano, et *in iram concitaverunt eum*, ut mala inferret eis *in inaquoso*, ubi potius debuerant eum timere, quam contra ejus judicia murmurare et ei mentiri. Sed illi non sincera voluntate *conversi sunt* ad eum dicentes : « Quæcunque locutus est Dominus, faciemus (*Exod.* XIX, 8). » Hoc dicendo mentiti sunt, quod exinde patet quia *tentaverunt Deum* cum diffidentia et murmuratione petendo quæ desideraverunt, et desiderata percipiendo ingrati exstiterunt, ac per hoc *exacerbaverunt sanctum Israel*, Deum scilicet, quem sanctificat verus *Israel*, et qui sanctificat verum *Israel*. Mira ingratitudo ! Nec præsentia Dei beneficia in deserto illis exhibita illos ad gratias agendum provocare potuerunt, nec præterita illis in memoria fuerunt, quanquam recenter facta magnifice contra magna pericula, Deo liberante illos in manu potenti et brachio excelso. Sed illi

VERS. 42. *Non sunt recordati manus ejus* extentæ contra manum Pharaonis *in die, qua redemit eos de manu tribulantis.* Potentia Dei et potentia Pharaonis uno quidem censetur nomine *manus*, cum dicitur : *Non sunt recordati manus ejus in die, qua redemit de manu tribulantis ;* sed nulla est in fortitudine utriusque manus comparatio, quia *manui* tribulantis *manus* liberantis prævaluit. Et hoc liberatis in memoria permansisse debuit. Sed illi *non sunt recordati manus ejus in die, in qua redemit eos de manu tribulantis* per talia mirabilia, quæ plus mirabilium fuerunt signa et prodigia. Nam

VERS. 43. *Sicut posuit in Ægypto signa sua* quasi characteris vestigia Judæorum duris cordibus impressa, et *prodigia* majora, scilicet miracula, quæ dicuntur *prodigia*, quasi *porrodicia*, eo quod magnas res indicant venturas : ita postmodum facturus erat in universali Ægypto contra invisibilem Pharaonem, quem decem præceptis datæ legis quasi decem plagis castigavit et tandem per immolationem paschalis agni devicit. « Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus (*I Cor.* v, 7). » Ipse enim verus est agnus, qui abstulit peccata mundi, qui mortem nostram moriendo devicit, et vitam resurgendo reparavit. Rerum tantarum quædam *signa posuit in Ægypto*, quam decem plagis attrivit, et *in campo Taneos*, quæ una principalium civitatum in Ægypto fuit, cujus in campo majora exhibita sunt miracula, quæ pro suæ significationis magnitudine *prodigia* dicta sunt. Nomen vero *Taneos* Latine interpretatum sonat *humile mandatum*, quo monemur in hoc mundo, in hujus civitatis Ægyptiacæ lato *campo*, in quo Deus mirabilia multa operatur, sub ejus mandato humiliari, ut in æternum exaltemur : « quia omnis, qui se » in campo isto « humiliat, » in terra promissionis « exaltabitur ; » sicut econtra, « qui se » ut Pharao et exercitus ejus contra Deum et ejus populum « exaltat, humiliabitur (*Luc.* XIV, 11), » non jam in profundum maris Rubri, sed in profundum inferni, nisi pœnitentiam egerit.

VERS. 44. *Et convertit in sanguinem flumina eorum.* Hic incipit narrare plagas in Ægypto propter liberationem eorum factas. Tres prætermittit, scilicet sciniphes, ulcera, tenebras : alias tres ponit, quæ non leguntur in Exodo, scilicet rubiginem, pruinam, ignem. Neque vero mirum, si is, qui dixit : *Aperiam in parabolis os meum*, non per omnia tenet historiæ seriem, quia maxime contendit insinuare sensum spiritalem. A plaga ergo prima incipiens dicit : *Et convertit in sanguinem flumina eorum, et imbres*, hoc est pluviales aquas vel in cisternis collectas, vel in fossis exquisitas, quia foderunt Ægyptii, et sanguinem pro aquis invenerunt. Revera justus Dominus in suis judiciis ! Nam quia masculos Hebræorum in flumen projectos occiderunt, juste illis aquæ versæ sunt in sanguinem, quatenus in illo elemento punirentur viri sanguinum, quo cruentum perpetraverunt homicidium tot parvulorum. Initium fuit hæc prima plaga in aqua versa in sanguinem, novissima vero in aqua Rubri maris, exercitus et currus eorum suffocantis, quomodo illi suffocaverant parvulos Hebræorum. Solos parvulos illi peremerant in flumine, feminis reservatis, et soli masculi perierunt in mari, feminis domi reservatis. Eadem quippe mensura, qua mensi fuerant, remetiendum fuerat illis.

VERS. 45, 46, 47, 48. *Misit* etiam in eos *cœnomyam*, quæ dicitur *canina musca*, quia *cynos* dicitur *canis, et comedit eos, et ranam* misit, *et disperdidit eos. Et dedit ærugini fructus eorum*, qui nascebantur sine cultura. Hoc non est in Exodo. *Et labores eorum locustæ*, id est sata *dedit locustæ. Et occidit in grandine vineas eorum : et* item occidit *moros eorum in pruina*, quæ multum distat a grandine. Nec istud est in Exodo. *Et* item *tradidit jumenta eorum grandini*, quod ibi exsequitur : *et* item *tradidit possessionem eorum igni*, qui non legitur in Exodo aliquid incendisse, sed tantum quod et grando et ignis mista pariter in fulguribus ferebantur. *Non pepercit a morte animarum eorum*, cum quibus *jumenta eorum in morte conclusit.* Jumentis comparat homines, qui dum ratione non agunt, comparabiles sunt jumentis. *Et percussit primogenitum omne in terra Ægypti*, et etiam *primitias omnis laboris eorum*, id est omne solatium vitæ suæ, *in tabernaculis Cham*, non in terra Gessen, ubi erant Judæi.

Mystice sicut aqua immutata in vinum significat historiam, vel moralem sensum converti in sui italem, vel populum in melius : ita *aqua versa in sanguinem*, per quem accipitur caro, significat de spiritalibus carnaliter sentire. *Cœnomyia* canini mores sunt non honorare parentes aut prælatos. *Ranæ* est in cœnosis sensibus vana loquacitas et garrulitas in hæreticis. *Ærugo*, quam alii interpretati sunt rubiginem velut *cuniculum* occulte nocet, quæ comparatur vitio, quod difficile apparet, ut est multum fidere in se. Aura noxia hoc in fructibus operatur latenter et nocet. Sic in moribus occulta superbia, quia difficile apparet, cum se quisquam putat aliquid

esse, cum nihil sit. *Locusta*, quæ ore lædit et segetes comedit, est malitia, quæ testimonium boni detractione corrodit. *Grando* violenta iniquitas auferens aliena bona furto et rapina, a quibus ipse fur vel raptor magis vastatur. *Pruina* est tenebrosa stultitia, qua quasi nocturno frigore charitas proximi congelascit. *Ignis* est magna ira, de qua fit et homicidium : vel cupiditas, quæ *possessiones*, id est statum mentis devastat et consumit. Illis figuralibus plagis mortua sunt jumenta, quia homines significati jumentis eisque per concupiscentiam similes damno pudicitiæ pereunt. Concupiscentia illa genitalis, per quam fœtus procreantur, communis nobis cum jumentis et pecoribus, bestiis et volucribus est. Huic succumbere ipsiusque motibus libidinosis voluntarie servire in flagitiis crimen est impudicitiæ; frenare vero illam sub rationis moderamine, virtus est pudicitiæ. Hanc sentiens in carne sua homo pudicus clamat cum Apostolo : « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? » (*Rom.* VII, 24.) Impudicus ergo motum ejus, etiam antequam surgat, appetit juxta illud : « Et concupierunt concupiscentiam in deserto (*Psal.* CV, 14), » et postquam surgit, ejus libidini explendæ servit ipse servus ipsius turpitudinis effectus, a qua illectus et devictus est. Ab hac servitute peccati nemo liberatur aut liber potest esse nisi per gratiam illius hominis, qui solus natus est inter mortuos liber. Hic sine concupiscentia carnis conceptus et natus absque peccato, ac proinde liber a peccato solus potens est in servitute natis libertatem donare, in qua nunc fructum habeant sanctitatis, fine vero excipient vitam æternam.

Notandum sane quod et *primogenita* Ægyptiorum, Deo judicante, sunt occisa, et primogenita Hebræorum sanctificata, quia omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domini vocabatur, et aut in obsequium Domini assumebatur, aut pretio redimebatur, aut ne in usu communi esset, interficiebatur. Hæc omnia in figuram contingebant, scripta sunt autem ad instructionem nostram, ne simus Ægyptii quorum primogenita sunt occidenda, sed Hebræi quorum primogenita sanctificanda sunt. Princeps Ægyptiorum, qui et princeps mundi hujus nominatur, ab initio mendax, et pater ejus mendacii quod concepit et peperit, sic puniendus est, ut primogenitum ejus mendacium quo dixit : « Ero similis Altissimo (*Isa.* XIV, 14), » penitus interimatur, ita ut de solio affectatæ celsitudinis projectus in abyssum cum suis curribus in inferiori inferno convincatur falso gloriatus, quod esset similis Altissimo. Similiter omnes illius complices et ipsi primogenitæ elationis crimina enixi cum suis primogenitis interimendi sunt, vel salubriter et voluntarie humiliati ad pœnitentiam, secundum quam dicitur : « Verte impios, et non erunt (*Prov.* XII, 7), » vel inviti et quasi rudentibus inferni detracti ab alto elationis in profundum perditionis. Primogenitum vero masculinum in Israel, quod aperit vulvam, recte humilitas elationi opposita intelligitur, quæ tanquam primogenitum sanctum prima inter virtutes ponitur, ubi dicitur : « Beati pauperes spiritu. » Sanctificatur autem hoc primogenitum, cum additur : « Quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* V, 3). » Nonne primogenitum hoc masculinum sanctum Domino vocatum vulvam clausæ Virginis aperuit, cujus quia Dominus humilitatem respexit, masculum sine masculo concepit, « virumque, » ut Jeremias ait, « femina circumdedit » non operante viro (*Jer.* XXXI, 22). Nonne similiter universa Ecclesia, vel quæque fidelis anima, in qua Dominus humilitatem quam diligit, invenit, mater Dei efficitur, et vulva ejus aperitur, ut semen æterni Verbi credendo concipiat, loquendo et docendo pariat? Annon et ipsa æterna Veritas incarnata id quod dicimus affirmat? « Si quis, » inquit, « fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, soror et mater est (*Matth.* XII, 50). » Quam bonum primogenitum sanctæ humilitatis fundamentum primitus in corde pauperum spiritu firmiter locatum et firmatum per timorem Domini sanctum permanentem in sæcula sæculorum! Virtutum siquidem bonum quoddam ac stabile fundamentum sancta humilitas. Nempe si nutet illa, virtutum aggregatio nonnisi ruina est. Hæc est ergo primogenitum digne in Israel sanctificandum, sicut econtra vitium superbiæ primogenitum Pharaonis ab initio se adversus Deum extollentis detestandum est non solum in ipso invisibili Pharaone, sed etiam in cunctis Ægyptiis illi faventibus, quorum primogenita occiduntur, dum veritate per humiles et spiritu pauperes ubique triumphante omnemque intellectum captivante, in obsequium Christi destruitur omnis altitudo, quæ adversatur et extollitur adversus scientiam Christi humilitatem docentis et dicentis : « Tollite jugum meum super vos et discite a me quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* XI, 29). »

Et quidem nunc particulariter occiduntur quædam primogenita Ægypti, sanctificanturque primogenita Israelis. In illo autem judicio, ubi princeps mundi hujus cum toto exercitu Ægyptiorum suorum demergetur in abyssum, non relinquetur vel unus eorum, qui contra Deum elati filios Israel persequuntur, qui non mittatur in abyssum, filiis Israel tunc plene liberatis, quando omnis, qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur. Sed ante hanc ultimam Ægyptiorum plagam prima illos illa plaga multum condemnat, qua omne quod de aquis hauriunt Scripturarum sanctarum vertitur illis in sanguinem, dum veritas ab eis intellecta non eis erit in adjutorium, sed in testimonium : quia non inde juvantur ad bene vivendum, quod utique nolunt, sed convincuntur esse nequam servi, qui scientes voluntatem Domini sui et non facientes digni sunt vapulare plagis multis. Cisternas etiam, quas per sæcularem philosophiam sibi fodiunt, sanguine plenas inveniunt, quia per creaturam Creatorem intelligentes ipsi creaturæ potius, quam

Creatori eligunt servire, plus diligendo facta quam factorem, qui est benedictus in sæcula. Econtrario filiis Israel in terra Gessen habitantibus, id est veritati appropinquantibus (Gessen quippe *appropinquans* interpretatur), aqua non in sanguinem, sed potius in vinum commutatur, quod lætificat gaudiumque illud in bibentibus excitat, de quo dicitur: « Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris (*Isa.* XII, 3). » In cæteris etiam plagis ea distinctio servatur, ut solis Ægyptiis noceant, Hebræis vero, id est omnibus electis diligentibus Deum, omnia cooperentur in bonum, sicut Israelitis cooperabantur in bonum clades Ægyptiorum, quibus visis in Dei laudem excitati sunt Moyse præcinente ac dicente : « Cantemus Domino; gloriose enim honorificatus est, equum et ascensorem projecit in mare. Fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem (*Exod.* XV, 1, 2). » Ad suos quippe famulos erudiendos justus Dominus quasi pugnator omnipotens impios punivit, in hoc præcipue, quod

VERS. 49. *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, et tribulationem, immissionem per angelos malos.* Est *ira* misericordiæ divinæ intermista, sicut dicitur : « Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis (*Habac.* III, 2), » vel « in ira misericordiæ memor eris. » Sed hujus *iræ* magna exaggeratio est, cui adjungitur *indignatio, tribulatio, immissio per angelos malos.* Primo quippe Deus irascitur non per fragilitatem vel ignorantiam, sed per superbiam peccanti; deinde indignatur eidem suas iniquitates amanti et perizomate adamiano velanti. Post redargutum vero peccatum non illud recognoscenti, sed defendenti *tribulationem* immittit *per angelos malos.* Nulla tamen periculosior *tribulatio* quam blandiens illa tentatio, qua traditur peccator in reprobum sensum, per quem nudatus defensione Dei præcipitatur in illud perditionis profundum, de quo Sapiens dicit : « Peccator, cum venerit in profundum malorum, contemnet (*Prov.* XVIII, 3). » Non mirum, quod bonus Deus utitur malis angelis vel ad perditionem perversorum, ut patet in Ægyptiis, vel ad probationem bonorum, ut patet in Job, vel ad humilitatem eorum, ut claret in Paulo ; quoniam et bonus homo bene utitur malo servo sive ad castigationem conservorum, sive ad ministerium filiorum. Denique ut homo bonus vel malus utitur visibili materia, terra, aqua, aere, igne pro suo modo non solum in necessariis, sed etiam superfluis et ludicris et artificiosis operibus : sic angeli boni et mali, prout cuique potestas est, quæ illis est amplior quam hominibus, et major est bonis quam malis, tamen secundum nutum Dei utuntur creaturis.

Sciendum vero, quod in malis potest diabolus, ut in suo pecore nisi prohibeatur a majori potestate, in bonis nonnisi permittatur, sicut homo suum pecus agit quo vult, prout vult nulla petita licentia, quem tamen ab hoc ipso interdum prohibet fortior potestas. De alieno vero pecore, ut faciat quod vult, exspectat sibi dari potestatem ab eo, cujus est.

A Hinc est illud, quod Satan, licet prosperitatibus Job nimis invidisset, non ausus fuit vel ipsum vel quæ ipsius erant, contingere ante concessam sibi potestatem a Domino. Et verus Job dicit Pilato Satanæ ministro : « Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi esset datum desuper (*Joan.* XIX, 11). » « Apparuit autem illi angelus de cœlo confortans eum (*Luc.* XXII, 43), » ut ex hoc appareat, bonos angelos nunquam bonis defuturos, imo tunc maxime affuturos, cum ipsi boni tentantur per angelos malos immissionibus vel tribulationum vel suggestionum, si tamen tribulatio patientiam operatur, et suggestio mala per consensum non recipitur. Per bonos vero angelos tribulari homines non acquiescimus, tum quia tale quid in Scripturis non invenimus, tum quia eos « in ministerio salutis » missos B legimus « propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis (*Hebr.* I, 14), » pro quibus interdum vindicandis ac tutandis ipsi angeli boni malos male perdunt, ut in vindictam Lot, male a malis oppressi, oppressores ejus primo cæcitate percusserunt, ne ostium invenire possent, ac deinde civitate illorum perversa malos male, ut digni erant, perdiderunt (*Gen.* XIX, 11).

Et quia, ut Jeremias deplorat, peccatum civitatis Jerusalem gravius et majus fuit peccato Sodomorum (*Thren.* IV, 6), juste quoque Judæi cæcati sunt, ita ut illum in lege sua invenire non valeant, qui dicit : « Ego sum ostium (*Joan.* X, 9). » Quorum et civitas miseC rabili subversione interiit conflagrata per Romanos, corporibus eorum fame aut gladio interemptis, atque animabus in infernum detractis juxta illud : « Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima (*Deut.* XXXII, 22). » Universale quoque judicium simili forma erit peragendum, quo qui veritati more Sodomitarum, vel Jerosolymitarum studiose adversantur, et a justis monitoribus redarguti eos opprimunt, nec audire acquiescunt, et ipsi divino judicio cæcati ostium, id est aditum lædendi bonos minime inveniunt, vel, quod pejus est, ipsum qui dicit : « Ego sum ostium, » non invenientes aliunde ascendere nitentes corruunt, ultima totius mundi conflagratione involvendi, et tanquam prædicti Sodomitæ perdendi, nisi per veram D pœnitentiam de civitate perdenda exeant, et vel in Segor parvula servando mandata justitiæ, vel in monte servando consilia perfectionis liberentur exemplo jam dicti Lot, qui de Sodoma exiit, seseque primo in Segor, deinde in monte servavit. Sic et apostoli de civitate Jerusalem perdenda exierunt, et salvati sunt sectando non solum præcepta justitiæ, sed et consilia vitæ perfectæ. Quibus autem non sufficit malos esse, sed insuper eos persequuntur, qui fugiunt ab ipsorum societate ut Ægyptii fecerunt, qui Hebræos a se fugientes persecuti sunt ipsis congruit, quod in psalmo isto *Asaph* de Deo dicit :

VERS. 50. *Viam fecit semitæ iræ suæ, non pepercit a morte animabus eorum.* Erat quippe *semita iræ*

Dei occulta æquitas, quia iniquos Ægyptios ob nequitiam solius voluntatis punire potuisset, si voluisset. Cui *semitæ* prius angustæ, atque a paucis intelligendæ, *fecit viam* planam et latam satis conspicuam, dum permisit eos cadere in aperta scelera, ut aperta quoque fieret punientis justitia, qua dictante, sicut ipsi non pepercerunt Hebræorum pueris, quos in flumine occiderunt, ita ipse justus judex *non pepercit a morte animabus eorum*, quæ prior est morte corporis. Nam duplici contritione contriti sunt, dum non solum corpora eorum grandine vastante et angelo percutiente ac tandem Rubro mari eos involvente interierunt, sed, quod pejus illis fuit, etiam animæ illorum vita, quæ Deus est, privatæ ac proinde mortuæ in infernum detrusæ sunt absorbente illas abysso infernali sicut abyssus operuit corpora eorum descendentia in profundum quasi lapis et quasi plumbum in aquis vehementibus. Induratum quippe atque ingravatum cor Pharaonis merito lapidi ac plumbo comparatur, cum quo exercitus ipsius duritie consentaneus merito in abyssum projectus damnatur, in exemplum videlicet eorum, qui cum similes illis inveniantur in culpa Dei servos odiendo et persequendo, similes quoque illis erunt in pœna, Deo non parcente, *a morte animabus eorum*, sicut in Ægypto non pepercit a morte animarum eorum, quorum *et jumenta in morte conclusit.*

Vers. 51. *Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti*, de quorum percussione jam supra dictum est. Percussit *primitias omnis laboris eorum*, præcipua videlicet fructuum terræ, sicut in Exodo legitur, quia primi fructus a grandine vastati sunt, serotini autem non sunt læsi aut lædi potuerunt, « quia serotini erant (*Exod.* IX, 32). » Cui simile est, quod peccata quorumdam præcedentia ad judicium, quia manifesta sunt, manifesto quoque judicio in hac vita puniuntur et quasi grandinantur cœlis desuper tonantibus, coruscantibus et fulminantibus, et quasi lapides grandinis mittendo sententiam damnationis, ut cæteri timorem habeant : quorum vero peccata subsequuntur, et veluti serotina sunt, quoniam occulte fiunt, humanæ sententiæ non feriuntur grandine, sed sunt in Ægyptiorum pastum, quoadusque veniat super eos abyssus judiciorum Dei, cui alias dicitur : « Judicia tua abyssus multa (*Psal.* XXXV, 7). » Tabernacula Ægyptiorum dicit *tabernacula Cham*, propterea quod Ægyptii descenderant de stirpe *Cham*, qui cum in sua propria persona fuisset, liber æque ut Sem, de quo Hebræi sunt orti, cujus etiam servitio addictus est Chanaan filius, *Cham* patre Noe maledicente, jam nunc servilitas ejus notatur, cum *in tabernaculis Cham* narratur facta primitiarum vastatio pro liberando Hebræorum populo, in patre suo Sem benedicto, et item in Abraham, Isaac et Jacob benedictionibus adaucto.

Vers. 52. *Et abstulit sicut oves populum suum.* Pars septima, in qua post commemorationem plagarum super Ægyptios missarum narratur Hebræorum liberatio, tali modo : *Et abstulit sicut oves populum suum, et perduxit eos tanquam gregem in deserto.*

Vers. 53, 54. *Et deduxit eos in spe, et non timuerunt, et inimicos eorum operuit mare. Et deduxit eos in montem sanctificationis suæ, montem, quem acquisivit dextera ejus. Et ejecit a facie eorum gentes, et sorte divisit eis terram in funiculo distributionis.* Historica narratio patet, nec multa expositione indiget, in qua licet magnifica narrentur miracula Dei, populum suum liberantis, et in terram promissionis introducentis, ubi cum prius essent numero paucissimi, ejectis adversariis valde sunt multiplicati, et in regnum dilatati : attamen hæc audientes mundi hujus principes regibus Hebræorum potentiores, maxime Romani dominantes orbi usque adeo, ut tempore illo, quo natus est Rex Judæorum Christus, ad censum illis persolvendum describeretur universalis orbis, nisi majora intelligantur, et intelligenda monstrentur, quam sonet littera nominans *montem sanctificationis*, in quo templum a Salomone fundatum est, *montem quem acquisivit dextera ejus* et cætera litteraliter promissa, irridere poterant, per hujusmodi Regis altissimi potentiam prædicari, cum se scirent latiora occupasse regna, quam fuerit regnum Judæorum, quod etiam, ut cætera regna redactum fuit in potestatem Romanorum. Sed ecce plus quam Salomon hic est, qui de vivis et electis lapidibus ædificat sibi domum, sanctam scilicet Ecclesiam super se *montem sanctificationis* fundatam, qui et dicit : « Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam (*Matth.* XVI, 18). » Petra hæc « lapis est abscissus de monte sine manibus (*Dan.* II, 34), » qui et crevit *in montem* magnum regnis mundi hujus curvatis, imo contritis juxta visionem Danielis, quia nec aureum Babylonis, nec argenteum Persarum, nec æneum Græcorum, nec ferreum Romanorum regnum præpedire potuit aut poterit, quin regnet Rex regum et Dominus dominantium. Regnando quippe ac dominando *abstulit sicut oves populum suum*, qui eum exspectabat in tenebris Ægyptiacis, imo infernalibus devicto illic Pharaone invisibili, et suffocato per suum sanguinem cum aqua de latere ipsius egredientem. *Abstulit* quoque illos de ore leonis *sicut oves* hic manu fortis David, qui leonem ipsum interfecit, *et perduxit eos tanquam gregem* faciens unum ovile de diversis ovibus associatis, videlicet gentibus et Judæis in ipsum credentibus, quos ipse bonus pastor perducit *tanquam gregem in deserto* sæculi hujus, ubi eos pane angelorum pascit.

Et magna jam ex parte *induxit* realiter, *spe* autem omnes *in montem sanctificationis suæ*, in quo latronem pœnitentem quasi ovem de ore lupi ereptam primo posuit socians illum nonaginta novem ovibus, id est, choris angelicis in die suæ passionis; qua exaltatus ipse a terra omnia sua trahit ad se *in montem, quem acquisivit dextera ejus.* Nempe a latere dextro emisit aquas cum sanguine, quibus invisibilis Pharao cum suo exercitu obruitur, et

omnes ad vitam prædestinati liberantur, quibus æternas mansiones in domo Patris sui præparavit, a quibus *ejecit gentes*, malignos videlicet spiritus gentibus dominantes. Quibus *a facie* suorum ejectis *divisit eis terram in funiculo distributionis*, dum et in præsenti operatur in eis unus atque idem spiritus dividens singulis prout vult, et in futuro habitacula cœlestis vitæ distinguet *in funiculo distributionis*, ut quomodo stella differt a stella in claritate, sic fiat in resurrectione mortuorum, qui sunt *tribus Israel*, id est, videntium Deum.

VERS. 55. Quos *et habitare fecit in tabernaculis* gentium duobus modis, quoniam et nunc terra gentium gentiliter viventium, et dæmones colentium translata est magna ex parte in usum pie viventium, Deumque verum colentium; et in cœlo, unde maligni spiritus ejecti sunt, eorum tabernacula possidebunt homines electi, secundum quod nunc dicitur: *Et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israel.* Quis ergo similis Domino in fortitudine, qua et nunc inimicos expugnat suosque de manu fortiorum liberat, et olim filios *Israel* de manu Pharaonis liberavit, quibus multa beneficia impertiuntur? Attamen illi beneficiis ingrati.

VERS. 56, 57. *Tentaverunt et exacerbaverunt Deum*, quamvis *excelsum, et testimonia*, id est legem, *ejus non custodierunt. Et averterunt se* a Deo, *et non servaverunt pactum, quemadmodum et patres eorum* non servaverunt, quod pepigerunt dicendo: « Quæcunque præcepit nobis Deus, faciemus (*Exod.* XIX, 8). »

Hucusque de diversis tanquam de eisdem locutus est secundum regulam, quam Thiconius inter septem regulas ponit, et dicitur de Domini corpore permisto, cum de diversis agitur tanquam de uno corpore, vel unius corporis membris. Sic superius dictum est: *Cum occideret eos, quærebant eum*, cum non occisi, sed residui ejusdem populi quæsissent eum. Ita dicens eos ex Ægypto eductos, et in montem sanctificationis inductos eadem regula utitur loquens de diversis tanquam iidem sint, qui de Ægypto exierunt, et qui in terram promissionis intraverunt, cum illis omnibus usque ad duos in deserto mortuis eorum filii per Josue introducti sunt in terram patribus promissam, Deo promittente, quod eos introduceret in terram lacte et melle manantem, quam juraverat patribus eorum se daturum semini ipsorum, verbi gratia, cum dixit Abrahæ: « Semini tuo dabo terram hanc (*Gen.* XII, 7). » Cum ergo semen Abrahæ fuerint æque illi, qui nascebantur in deserto, quam qui de Ægypto sunt egressi, veritas promissionis per hoc non potuit evacuari, quod illi mortui sunt, quibus in Ægypto promissa est terra possidenda olim patribus promissa, quoniam de ipsis nati suppleverunt loca patrum, pertinentes æque ad semen Abrahæ, cui repromissio facta est.

Amplius autem promissio hæc firmatur in semine Abrahæ, quod est Christus, qui primo in se, deinde in suis membris hæres est ipsius promissionis. Neque enim frustra dictum est fidelibus: « Ergo Abrahæ semen estis secundum promissionem hæredes, » cum sit unum semen Abrahæ, « quod est Christus (*Gal.* III, 29), » atque ideo non dictum est: « In seminibus quasi in multis, sed quasi in uno: et semini tuo dabo, » inquit, « terram hanc, et in semine tuo benedicentur omnes tribus terræ (*Gal.* III, 16, 8). » Semini ergo Abrahæ adhuc permisto in Ægypto facta est promissio, quod introducendi essent in terram suis patribus promissam; sed soli erant promissionis hæredes, qui cum fideli Abraham reperti fideles, qui et *filii* dicuntur *promissionis*, non carnis, quoniam qui secundum solam carnem filii fuerunt Abrahæ, ut Ismael, non reputantur in semine, sed sunt carnalis Israel, quibus Isaias improperat dicens: « Qui de aquis Juda existis (*Isa.* XLVIII, 1), » id est, non secundum virtutem fidei, sed secundum fluxum carnis ex Juda orti estis. De ipsis tamen carnalibus corpori spiritalium admistis ita formatur sermo interdum, ut quasi ad eosdem, vel de eisdem fiat, cum de diversis intelligendum sit quod dicitur. Ad hoc pertinet in Cantico canticorum: « Fusca sum et speciosa, ut tabernacula Cedar, ut pelles Salomonis (*Cant.* I, 4). » Non enim ait: « Fusca fui, ut tabernacula Cedar, et speciosa sum ut pelles Salomonis, » sed utrumque esse se dixit propter temporalem unitatem intra unum rete piscium bonorum et malorum. Tabernacula enim Cedar ad Ismaelem pertinent, qui non erat hæres cum filio liberæ. Itaque cum de bona parte dicat Deus: « Ducam cæcos in viam, quam non noverunt, et semitam quam non noverunt, calcabunt, et faciam illis tenebras in lucem, et prava in directum. Hæc verba faciam, et derelinquam eos (*Isa.* XLII, 16), » mox de alia parte, quæ bonæ permista est, dicit: « Ipsi vero conversi sunt retro (*ibid.*, 17), » tanquam de ipsis loquatur, de quibus loquebatur. Non tamen semper in reti uno erunt. Ipse est quippe ille servus commemoratus in Evangelio, cujus Dominus cum venerit, « dividet eum, et partem ejus cum hypocritis ponet (*Matth.* XXIV, 51). » Similiter cum hic dicitur: *Abstulit sicut oves populum suum, et induxit eos in montem sanctificationis suæ*, de diversis agitur tanquam de eisdem, cum alii patres, alii fuerint filii. Sed nunc, ubi dicitur: *Et averterunt se, et non servaverunt pactum quemadmodum patres eorum*, dividit quod prius univit, separatim videlicet loquens de filiis malos parentes in malo imitantibus in eo, quod *averterunt se* a Deo, *et non servaverunt pactum quemadmodum patres eorum. Patres* quippe intelliguntur, qui exacerbaverunt Deum in deserto; filii vero, qui in terram promissionis introducti, patres malos imitati sunt. Qualis enim est quisque, talium parentum est filius censendus, ut videlicet soli recte dicantur filii Abrahæ, qui fidem illius tenent. Unde ait Veritas: « Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite, » addiditque: « Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris

vestri vultis facere (*Joan.* VIII, 44). » Ergo murmuratores murmuratorum sunt filii, patribus in hoc assimilati, quod *conversi sunt in arcum pravum.* Arcus pravus est, qui facile remittitur, vel qui non eminus jaculatur, sed in se spicula convertit.

Quidam codices habent : *In arcum perversum,* quod exponens beatus papa Gregorius ait (36) : *Arcus perversus ipsum, a quo intenditur, percutit,* etc. *Unde in dictis suis ob arrogantiam linguæ arcui perverso sunt similes, quia dum contra elationem verba faciunt, in suis auctoribus sagittas figunt. Unde summa cura providendum est ne, dum accepta sapientia ignorantiæ tenebras illuminat, lumen humilitatis tollat, et jam sapientia esse nequeat, quæ etsi virtute locutionis fulgeat, elationis tamen velamine cor loquentis obscurat. Alia namque sunt bona summa, alia bona media, ut prophetia, doctrina, curationum virtus,* etc. *Quæ ita in utrumque sunt posita, ut aliquando per hæc sola æterna patria, aliquando vero gloria terrena quæratur. Medias ergo has virtutes dicimus, quas ad quodcunque mens appetit, inclinamus, quibus perceptis ita uti animus sicut terrenis divitiis potest. Per terrenas namque divitias alii in gloriæ ostentatione superbiunt, alii erga proximorum indigentiam ministeria pietatis operantur. Cum per doctrinam igitur atque prophetiam laus exterior quæritur, quasi per corporales divitias culmen terrenæ gloriæ ambitur. Cum vero doctrina atque prophetia lucrandis animabus impeditur, quasi acceptæ divitiæ egenis fratribus largiuntur. Quia ergo sæpe per ipsa quæ percipit, exsultat, a manu dantis incautus animus elongat, vigilanti provisione curandum est ut prius subigantur vitia, et post sub circumspectione dona teneantur. Nam si in eis mens incaute se deserit, non per hæc ad vitam provehitur, sed quasi pro ante actis laboribus remunerata reprobatur. Unde fit etiam ut accepta virtus, dum in usu transitoriæ laudis assumitur, quia vitio militat, virtus non sit. Quia enim origo virtutis humilitas est, illa nobis veraciter pullulat, quæ in radice propria, id est humilitate, perdurat. A qua nimirum si abscidilur, arescit, quia vivificantem se in infimis humorem charitatis perdit.* Hæc de *arcu pravo* et *perverso* beati Gregorii verbis moralem sensum informent.

Hæc etiam illis apte adaptari possunt, qui cum sint a magistris bonis ad bonam informati eruditionem utriusque Testamenti, ea peritia magistros suos feriunt, qua ipsos adjuvare debuerunt, similes videlicet *perverso arcui* se intendentem ferienti. Historialiter vero *arcui pravo* assimilata est perversa intentio illorum, qui perverse contra Deum factorem suum erigebantur, cultumque illi debitum detorserunt ad simulacra. Unde sic habet Hebraica veritas : *Incurvati sunt quasi arcus inutilis, et provocaverunt eum in excelsis suis et in sculptilibus suis ad æmulandum eum concitaverunt.* Idem sensus est in eo, quod nostri habent codices :

VERS. 58. *In iram concitaverunt eum in collibus suis, et in sculptilibus suis ad æmulationem eum provocaverunt.* Solebant quippe *in collibus* et in montibus idola sua collocare pro ipsorum veneratione. Unde arguuntur sæpe a prophetis, eo quod sacrificaverunt in excelsis, regesque ipsorum graviter notati sunt, cum dictum est de quolibet eorum : *Verumtamen excelsa non abstulit :* vel, quod pejus erat : *Sacrificavit in excelsis.* In hujusmodi excelsis et *collibus* Deum, qui naturaliter mitis est, *in iram concitaverunt, et in sculptilibus suis ad æmulationem,* id est ad indignationem *eum provocaverunt.* Vel secundum alios codices : *In sculptilibus suis æmulati sunt eum,* dum honorem suum diis alienis impenderunt, quod præcipue arguitur fecisse rex Jeroboam, qui sacrificia et festa idolis fieri constituit ad similitudinem sacrificiorum et festorum Deo vero institutorum.

Mystice *in collibus* idola ponimus in superbis cogitationibus, dum eis consentimus, aut, quod nequius est, etiam actu servimus, et aut luxuriosi Venerem, aut furibundi Martem, aut cætera hujusmodi vitiorum portenta vitiosi colimus.

VERS. 59, 60, 61. *Audivit Dominus et sprevit.* PARS OCTAVA de ultione in terra promissionis, quasi dicatur : Ipsi provocaverunt Deum. Quod *audivit Deus et sprevit Israel,* et spernendo *ad nihilum redegit valde* peccantes valde. Quo spernente *ad nihilum redacti sunt,* qui eo adjuvante fuerunt quod fuerunt. Vere *ad nihilum redacti sunt.* Nam pro idololatria, qua servierunt creaturæ potius quam Creatori, etiam sacerdotes illius temporis Ophni et Phinees avare ab invitis rapiendo sacrificiorum carnes crudas et dormiendo cum mulieribus ante ostium tabernaculi (*I Reg.* II, 12 et seqq.), *tabernaculum* ipsum, quod erat in *Silo, repulit. Tabernaculum,* dico, *suum,* sibi antea dilectum, *ubi habitavit,* non in parietibus, sed *in hominibus.* Non enim Deus, qui spiritus est, in manufactis ædificiis habitat, sed in spiritibus rationabilibus, unde illos, qui adorant eum oportet in spiritu adorare. Attamen vult habere manufacta sive templa sive tabernacula, in quibus ei serviatur ab hominibus, quorum inhabitat mente per fidem ex dilectione operantem. Quæ fides atque dilectio, si fuerit exstincta *in hominibus,* parum curat ipse de templorum parietibus quantumlibet speciosis et pretiosis. Sic hæreticos, qui se abrumpunt ab unitate Ecclesiæ, qui notantur per *Silo,* quod interpretatur *abruptio,* deserit, quorum corpora et mentes prius per fidem inhabitaverat.

Sacerdotes quoque avaros et impudicos, quales erant Ophni et Phinees, omnino spernit, et si non gladio materiali ut illos, id est filios Heli, attamen gladio verbi occidendos exponit, et a sanctorum consortio repellit, quemadmodum et illos repulit in eo *quod tradidit in captivitatem virtutem eorum et pulchritudinem eorum in manus inimici. Virtutem et*

(36) Lib. XXVII Moral. cap. 46.

pulchritudinem eorum dicit arcam fœderis, per quam A videbantur invicti, et sibi placebant stulti, et in hoc decepti, quod putabant sedere Deum super Cherubim de auro conflato et super arcam posito, cum throni sive Cherubim, in quibus Deus habitat ac sedet juxta illud : « Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim (*Psal.* LXXIX, 2 et 3), » spiritus angelici sint, ob hoc throni vel sedes nominati, quod in eis quiescit æterna sapientia disponens omnia suaviter et judicans fortiter. Attamen grande fuit Israelis opprobrium, quod illa visibilis Arca, licet manu facta, in manus inimicorum tradita fuit propter peccata populi, et maxime sacerdotum sub prætentu divini obsequii suæ avaritiæ, quæ est idolorum servitus, famulantium, et famam suam usque adeo negligentium, ut propter eorum turpem B conversationem detraherent homines sacrificio Dei. Quos quia pater ipsorum sacerdos Heli non digne corripuit, et ipse, filiis in bello interemptis, vindictam Dei non evasit. Namque audito nuntio de morte filiorum et de captivitate arcæ de sella retrorsum cadens fractis cervicibus mortuus est. Uxor quoque Phinees proxima partui, audito, quod mortuus esset vir ejus, incurvavit se in dolore ac peperit, ac sic mortua est (*I Reg.* IV, 19).

Super hunc locum dicit beatus Gregorius (37) : *In captivitatem virtus et pulchritudo in manus inimici traditur, cum deceptæ menti antiquus hostis ex boni operis elatione dominatur. Quæ tamen virtutis elatio, quamvis plene non superat, utcunque tamen* C *et electorum sæpe animum tentat, sed cum destituitur, destitutus ad formidinem revocatur. Hinc enim David iterum dicit :* « Ego dixi in mea abundantia : Non movebor in æternum (*Psal.* XXIX, 7). » *Sed quia de confidentia virtutis intumuit, paulo post, quid pertulit, adjunxit :* « Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus (*ibid.*, 8). » *Ac si aperte dicat : Fortem me inter virtutes credidi, sed quantæ infirmitatis sim, derelictus agnovi. Hinc rursum dicit :* « Juravi et statui custodire judicia justitiæ tuæ (*Psal.* CXVIII, 106). » *Sed quia ejus virium non erat manere in custodia, quam jurabat, debilitatem suam protinus turbatus invenit. Unde ad preces repente se contulit dicens :* « Humiliatus sum usquequaque, vivifica me secundum verbum tuum (*ibid.*, 107). » D

VERS. 62. *Et conclusit in gladio populum suum*, quia una die ceciderunt de populo triginta millia, et *hæreditatem suam sprevit. Hæreditatem*, quam sibi ex omnibus gentibus elegerat in populum peculiarem, cui et dicit : *Hæreditas mea Israel.* Hanc *sprevit* non curans eam defendere ab hostium cæde. Nam

VERS. 63. *Juvenes eorum comedit ignis*, id est fortissimos eorum consumpsit ira et furor hostium furore ipso velut igne ardentium. Tantus autem fuit metus hostilis, quod *virgines eorum non sunt lamentatæ* juxta consuetudinem funebrem, quia nec ipsæ virgines lamentabantur super occisione virorum, nec super ipsis prædæ hostium expositis lamentabantur viri undique terrente illos metu hostili.

VERS. 64. *Sacerdotes* etiam *eorum* Ophni et Phinees (*I Reg.* IV, 19) *in gladio ceciderunt*, et *viduæ eorum non plorabantur*, quia non vacabat in tanta perturbatione per consuetos planctus honorem funeribus exhibere. Sic et mali, rebelles Deo, traditi aliquoties in manus diaboli undique insurgentibus tentationibus tanquam allophylis clauduntur in occisionem animæ. Nam *ignis* concupiscentiæ malæ *comedit juvenes* et fortes. Sacerdotes etiam sacerdotibus prædictis consimiles in gladio cadunt sui oris verbo condemnandi, sive quia male docent ut hæretici, sive quia bene docentes male vivunt ut pseudoprophetæ ac pseudoapostoli, seu etiam ut Scribæ ac Pharisæi, quibus Dominus dicit : « Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali ? » (*Matth.* XII, 34.) Vultis audire, quo gladio verbi sunt occisi vel occidendi tales ? « Bene, inquit, prophetavit de vobis Isaias propheta dicens : Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me (*Matth.* XV, 7, 8). » Quis hoc dicit ? Veritas et vita, ut scias ab hac vera vita elongata corda esse mortua, secundum quod ipsa vita dicit : « Cor autem eorum longe est a me. » *Virgines* etiam corpore, non spiritu, corruptioni expositæ non erunt lamentandæ in tanta iniquitatis abundantia, quia tolerabilius est illis, esse corruptas ea turpitudine, quam sæpe sequitur confusio pœnitentialis, quam permanere in ea fatuitate salva corporis virginitate, pro qua damnabuntur fatuæ virgines oleum in vasis non habentes. Etiam sic *virgines non lamentantur, et viduæ non plorantur*, ut interdum cadentibus de tam alto proposito accidat mentis obstinatio, qua præpeditæ et induratæ mentes nec suum damnum lugeant, nec aliis de se fiduciam præbeant fructuose pro ipsis posse lacrymas fundi, cum non sint, ut Lazarus, veritatis amici vel amicæ tales, nec habeant sorores aut ullos debitores pro se flentes et intercedentes, imo sunt de numero illorum, de quibus Veritas dicit : « Sine mortuos sepelire mortuos (*Matth.* VIII, 22). »

VERS. 65. *Et excitatus est tanquam dormiens Dominus.* Hic ostendit pœnam in adversarios esse retortam, cum dicit Asaph : *Dominus*, qui videbatur *tanquam dormiens*, dum ita permitteret eos affligi, sicut et nunc dormire videtur, dum tradit suos in manus odientium sive purgandos, sive damnandos : *Dominus*, inquam, *dominans*, etiam *in medio inimicorum suorum*, tandem *excitatus est* gemino clamore, videlicet Samuelis, aliorumque illius temporis fidelium, licet paucorum, et hostium contra se suosque gloriantium et cachinnantium, suamque arcam non bene tractantium quia eam posuerunt in templo Dagon dei falsi. Quibus utique assimilantur, qui arcam fœderis, scilicet corpus Christi deo falso

(37) Curæ Pastoral. part. IV.

quasi associant, dum permanendo in aliquo criminali peccato, quod plus Deo diligendo colunt pro Deo, præsumunt sancto corpori communicare hostes Ecclesiæ. Sicut ergo tunc *Dominus tanquam potens crapulatus a vino excitatus est*, more hominis tunc fortius agentis, quando vino multo potatus et soporatus repentino clamore familiæ vel hostium suscitatur : sicut, inquam, tunc suscitatus Dominus.

VERS. 66. *Percussit inimicos suos in posteriora*, ita ut prominerent extales eorum, plaga videlicet manifestata, qua percusserat eos in secretiori parte natium (*I Reg.* v) sic et nunc adversus consimiles eorum excitatur et percutit eos primo in secretiori parte naturalium membrorum, ut in reprobum sensum traditi faciant ea quæ non conveniunt, imo B quæ contra naturam sunt. Et cum nec in his erubescunt, prominere facit eorum verecunda per manifesta opera immunditiæ, pro qua sicut *opprobrium sempiternum dedit illis*, qui arcam Dei collocaverant in templo Dagon : et istis æque *opprobrium sempiternum* dat nunquam delendum, nisi per veram pœnitentiam se corrigant, et relicta incontinentia continentiam puram teneant, quod est pro anis deturpatis anos aureos offerre exemplum Philisthinorum, qui anos aureos obtulerunt ob sanationem plagæ, qua in secretiori parte natium percussi turpes anos tam diu habuerunt, donec a satrapis suis commoniti anos aureos obtulerunt secundum numerum civitatum, in quibus plaga hæc facta erat C (*I Reg.* v, 6, et seqq.).

Satrapæ sapientes illi sunt, qui monent immunditiis abrenuntiare ac munditiæ servandæ operam dare dicentes cum Apostolo : « Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem : ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem (*Rom.* VI, 19). » Quod idem est ac si dicatur : Sicut exhibuistis anos, per immunditiam deturpatos, ita nunc studete habere anos aureos, id est mundos per studium continentiæ ac fructuosæ pœnitentiæ. Similiter mures ebulliunt agri, quando propter peccata in arcam Dei commissa emergunt fures et latrones vel spiritaliter vel corporaliter latrocinantes, et more murium sata vel scripturarum vel etiam terrarum vastantes (*I Reg.* D v, 6). Tunc autem pro muribus carneis aurei offeruntur, cum tales ad puritatem fidei, quæ asserente Petro apostolo, « multo pretiosior » est « auro (*I Petr.* I, 7), » conversi operantur, quod bonum est ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei, quæ, ut dictum est, pretiosior auro satisfacit coram Deo de præterito errorum peccato.

Aliter : Pœna, qua *percussit* eos Dominus *in posteriora*, significat eos in gehenna puniendos post hanc vitam, qui cum in anteriora deberent extendi, respiciunt *in posteriora*, quæ, sicut Apostolus ait, deberent reputare « ut stercora (*Philipp.* III, 8). » Qui enim sic suscipiunt Testamentum Dei, ut se veteri vanitate non exuant, similes sunt illis allophylis qui arcam testamenti juxta idolum Dagon posuerunt. Sicut autem illis nolentibus et dolentibus corruit Dagon : ita quoque vetera cadunt, quia fenum carnis aruit et flos gloriæ ejus decidit; arca vero, id est, secretum verbum Dei manet in æternum, vel secretum arcæ regnum cœlorum est, ubi verbum Dei permanet, sicut alias dicitur : « In æternum, Domine, permanet verbum tuum in cœlo, in sæculum sæculi veritas tua (*Psal.* CXVIII, 89 et 90). » Sic, sic illi, qui *posteriora* diligunt, ex eis cruciabuntur *opprobrio sempiterno*, sicut *opprobrium sempiternum dedit illis*, quorum pœna cæteris peccatorum pœnis erat dissimilis ad augmentum confusionis, quia nullus ita punitus est.

VERS. 67, 68. *Et repulit tabernaculum Joseph.* PARS NONA de constitutione regni. Quasi dicat : Illi, apud quos arca Dei captivata et male tractata, atque juxta idolum collocata fuit, merito puniti sunt. Sed Hebræi, ad quos reducta est arca, magnificati sunt, non tamen omnes, quia *repulit Deus tabernaculum Joseph, et tribum Ephraim non elegit. Sed elegit tribum Juda, montem Sion, quem dilexit.* Non dixit : *Repulit tribum Ruben*, qui primogenitus erat, et cæteros, qui videntur merito repulsi, cum Jacob peccata eorum detestetur : vel *Benjamin*, ex quo Saul vicino tempore reprobatus fuit; sed eos potius nominavit, qui videbantur excellere. *Joseph*, qui impie venditus pro justitia sublimatus, pavit fratres et patrem. De quo *Ephraim* majori benedictione avi prælatus est. Per hæc præclari meriti nomina totum illum vetustum populum repulsum intelligimus, et electam *tribum Judæ* non pro meritis Judæ, quo melior fuit *Joseph*, sed quia de ea Christus. Novum igitur populum Christi prælatum veteri populo Scriptura testatur. Unde et *montem Sion* Ecclesiam accipimus, quæ futura speculatur, non terrena. Sic ab initio electionis Hebrææ gentis usque ad Christum procedit. Hunc parabolice significat nomine *Judæ* atque David, ex quibus etiam secundum carnem est ortus, et per quos magnifice præfiguratus est. Nam quod in benedictionibus duodecim patriarcharum per Jacob et Moysen splendidius quam cæteri benedictus est Judas, ad Christum spectat, qui est super omnia benedictus Deus: quodque David præ cæteris fratribus, cum esset minimus, est in regem electus, regnum Christi præsignavit, cujus processum loco præsenti velut in brevi tabella depictum continet hæc parabolica narratio, qua dicitur : *Et repulit tabernaculum Joseph et tribum Ephraim non elegit.* Quod explanans Apostolus: « Videte, ait, vocationem vestram, quia non multi potentes, non multi sapientes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes, et quæ infirma, ut confundat fortia et ignobilia, et contemptibilia, et quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret (*I Cor.* I, 26, 27, 28). »

Vere in principio regni sui Deus in Christo, mundum sibi volens reconciliare non elegit potentes, ut

fuit *Joseph* dominator totius Ægypti, neque dignitate vel divitiis præcellentes, ut fuit *Ephraim*, qui ob divitiarum et frugum prærogativam generisque sui majorem in sobole multiplicationem prælatus est Manasse fratri suo primogenito. Non tales, inquam, elegit; *sed elegit tribum Juda*, videlicet peccatores peccata sua confitentes, qualis erat Matthæus publicanus. *Judas* quippe *confitens* interpretatur, quo nomine se indignos ostenderunt, qui confiteri noluerunt vel se peccatores vel Christum Dei Filium. Hunc Petrus confitendo : « Tu es, inquit, Christus Filius Dei vivi (*Matth.* XVI, 16), » et ideo nomine *Judæ* honoratur, atque ut alter *Judas* præ cæteris fratribus coapostolis benedicitur, cum ei dicitur : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam (*ibid.*, 18) » De illo dictum est : « Juda, te laudabunt fratres tui (*Gen.* XLIX, 8). » Huic dictum est : « Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos (*Luc.* XXII, 32). » De illo dictum est : « Catulus leonis Juda, requiescens accubuisti ut leo (*Psal.* XVI, 12). » Huic significatum est qua morte clarificaturus esset Deum, videlicet extensis manibus in cruce ab alio cinctus moriendo, ut Christus leo leonis catulus cui Petrus et ipse leo leonis catulus in morte assimilatus est. An non leonis habet fortitudinem Petrus in Christo a Deo confortatus, ut portæ inferi non prævaleant ei? Quod autem de *Juda* dictum est : « Adorabunt te fratres tui (*Gen.* XLIX, 8), » longe superexcedit personam Petri, et pertinet specialiter ad Christum solum inter homines hominem adorandum. Nomen vero *Judæ*, id est *confitentis*, non soli Petro petram confesso, sed et omnibus electis Dei congruit, a quibus corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Igitur *elegit tribum Juda* ex massa reproborum Deus, et hanc tribum fecit esse *montem Sion*, id est, Ecclesiam quæ futura speculatur, et invisibilia bona contemnens visibilia sciens, quod, quæ videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna.

VERS. 69. *Et ædificavit sicut unicornis sanctificium suum in terra, quam fundavit in sæcula.* Ad litteram Deus quondam *in terra* promissionis, *quam fundavit* promissione firmissima stabiliendo eam in hæreditatem semini Abrahæ, templum sibi per Salomonem regem *ædificavit sicut unicornis*, imo vere unicornis propter unius cornu altaris, de quo alias dicitur : « Constituite diem solemnem in condensis usque ad cornu altaris (*Psal.* CXVII, 27). » Judæis enim, quibus dicebatur : « Coram altari isto adorabitis (*II Paral.* XXXII, 12), » non licebat multiplicare altaria, sed in uno templo, coram uno thymiamatis altari unum Deum adorare jubebantur, qui se adorantibus erat et est cornu fortitudinis, contra quod nihil valet virtus contrariæ fortitudinis. Unde reges Israel et Juda, qui sibi multiplicabant altaria et extra templum colebant simulacra, perdita vera fortitudine quasi cornu suo amisso frequenter hostibus tam visibilibus quam invisibilibus leguntur succubuisse. Mirabilius vero illi perierunt, qui cum essent unicornes, unius Dei cultum profitentes, unicum Dei templum fecerunt speluncam latronum latrocinando in eo contra unius Dei unigenitum. Propter quod dicit : « De ore leonis libera me, Domine, et a cornibus unicornium humilitatem meam (*Psal.* XXI, 22). » Dicebatur tamen ipsum templum *sanctificium*, pro quo Hebraica veritas habet ; *sanctuarium*, quia per illud signabatur corpus Dominicum Judaica impietate solvendum, et post triduum divina virtute reædificandum, quod revera erat *sanctificium* seu *sanctuarium*, nulla unquam violatione corrumpendum, sicut scriptum est : « Non dabis sanctum tuum videre corruptionem (*Psal.* XV, 10). »

Hoc *sanctificium*, cœleste videlicet *sanctuarium* tunc ædificatum est *in terra*; *quam fundavit in sæcula*, quando « Sapientia ædificavit sibi domum (*Prov.* IX, 1), » septem columnis cœlestibus subnixam. Quæ licet sit fabricata *in terra* virgineæ carnis, altior tamen est facta cœlis non solum pro sublimitate septem columnarum, cœlestes choros longe supereminentium, quibus domus hæc subnixa est, etiam pro illa suæ dedicationis celebritate, qua post triduum reædificata et glorificata est, atque ut Apostolus affirmat, excelsior cœlis facta. In hoc etiam *ædificavit sanctificium suum in terra quam fundavit in sæcula*, quod Spiritum sanctum de cœlo misit ad sanctificandam primitivam Ecclesiam de lapidibus Judaicæ terræ collectam, quam *sicut unicornis ædificavit*, quia lapides ipsos ita univit, ut esset cor unum et anima una multitudinis credentium et illam unam rem petentium, de qua alias dicit : « Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ (*Psal.* XXVI, 4). » Unus etiam prædictorum lapidum dicit : « Unum autem, quæ retro sunt oblitus, extendens me in anteriora persequar ad bravium (*Philip.* III, 13 et 14). » Item suos discipulos provocans ad unum illud bravium, quod non nisi unus accipit, comprehendendum ait : « Sic currite, ut comprehendatis (*I Cor.* IX, 24). » Item : « Unus Dominus, una fides, una spes, unum baptisma, unum corpus (*Ephes.* IV, 5 et 6) » ab eo commendatur, ne sit schisma in corpore uno, uno spiritu vivificato, uno cornu confortato. Quod nimirum cornu non est aliud quam unus Deus et Pater omnium, qui est super omnia, et in omnibus lapidibus electis una charitate conglutinatis. Annon et Petrus Ecclesiæ primitivæ scribens ostendit eam sic ædificatam, ut sit *sanctificium* sive *sanctuarium* Dei? « Vos, inquit, genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes ejus annuntietis, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum? » (*I Petr.* II, 9.) Quia vero et alios lapides habuit, qui non erant de hoc *sanctificio*, videlicet oves, quæ non erant ex hoc ovili, ut illis

quoque adductis fieret unum *sanctificium*, unum ovile, ad hoc vocavit.

VERS. 70. *Et elegit David servum suum*, pastorem videlicet paucularum ovium in Judæa, ut esset positus in lucem gentium colligens eas ad ovile suum. Quod ita factum est per ipsum *David servum suum*, id est per Filium in carne genita ex *David* servili forma humiliatum. Qui cum in forma Dei non servus, sed Dominus esset, de *David* formam accepit servi, cui etiam per hoc assimilatus est, quod sicut *David* sublatus est *de gregibus ovium* ad regnandum super homines: ita ipse a Judæis ad gentes tanquam a paucis ovibus ad multas translatus est, non in sua persona, in qua corporaliter ad gentes non transivit, in qua et solummodo ad « oves, quæ perierant, domus Israel (*Matth.* x, 6), » se missum testatus est. In cœtu vero apostolorum, in quibus ipse loquebatur et operabatur, de Judæis ad gentes transivit, non utcunque, se *de post fetantes* acceptus. Fuerant quippe in Judæa oves non steriles, imo gemellis fetibus honorabiles, scilicet perfectionis amatores, non contentæ observare præceptum justæ conversationis, quin insuper adderent etiam servare consilium perfectionis. Hujusmodi *oves* tonsæ, id est propriis rebus desectis quasi nudæ ascenderunt de lavacro baptizante Petro una die tria millia, et alia quinque millia, quibus in unum congregatis erat cor unum, nec eorum ullus dicebat aliquid suum. His dispersis per regiones Samariæ, Cappadociæ, Bithyniæ, cum essent oves bonæ ac fecundæ, nec ibi defuerunt arietes fetantes, scilicet perfecti doctores perfectionis amatores et monitores Hi sunt, quibus Petrus *pastor ovium* scribit dicens : « Seniores obsecro consenior, pascite eum, qui in vobis est, gregem non coacti, sed spontanee, neque turpis lucri gratia, et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam (*I Petr.* v, 1 et seqq.). »

Istis ergo velut bonis arietibus oves bonas fetantibus, regente utrosque, videlicet arietes fetantes et oves fetas vero David pastore ovium, qui et in Petro pastore ovium loquebatur, *de post* ipsos *fetantes* ipse verus David fuit acceptus

VERS. 71. *Pascere* inter gentes *Jacob servum suum*, id est bonos activos, bene satagentes circa frequens obsequium, quale in ministerio Marthæ demonstratum est, *et Israel hæreditatem suam*, id est contemplativos optima parte ex parte beatos, et adhuc plene beandos, quæ nimirum pars optima est, hæreditas æterna danda non extra se sed in se. Unde recte ipsi tali hæreditate ditandi vel ditati *hæreditas Dei* nominantur, et in hac parabola, cum dicitur : *Pavit Israel hæreditatem suam ;* et alias ubi dicit : « Opus manuum mearum tu es hæreditas mea, Israel (*Isai.* xix, 25). » Item : « Filiis Levi non dabis hæreditatem, » ait Dominus in lege, « ego enim ero hæreditas eorum (*Num.* xx, 18). » Quorum igitur Deus est hæreditas, ipsi quoque Dei sunt hæreditas, cum sancto sancti, cum electo electi, quos utique Deus elegit in hæreditatem sibi, sicut alias dicitur : « Beata gens, cujus Dominus Deus ejus, populus, quem elegit in hæreditatem sibi (*Psal.* xxxii, 12). » Verus itaque David, servus Dei secundum formam susceptæ humanitatis, et nihilominus omnipotens Dominus non solum in Dei forma æterna, sed etiam in forma hominis jam glorificata, et in thronum regni paterni exaltata, ipse pascit per se invisibiliter, et per suos visibiliter, scilicet *Jacob servum suum et Israel hæreditatem suam*, contestante Apostolo, quod « apparuit gratia Salvatoris omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie et juste et pie vivamus in hoc sæculo (*Tit.* ii, 11, 12) : » sobrie, quantum ad ordinem continentium ; juste, quantum ad ordinem rectorum juste viventium et juste judicantium ; pie, quantum ad ordinem conjugatorum pietatis operibus per eleemosynas assiduas Deo servientium, ut sint Jacob servus Dei sicut virgines cæterique continentes propter optimam, quam elegerunt, partem, dicuntur et sunt hæreditas Dei, ut supra demonstratum est. Sequitur :

VERS. 72. *Et pavit eos in innocentia cordis sui, et in intellectibus manuum suarum deduxit eos.* Convenientius quidem videretur, si diceretur : *Pavit eos in innocentia manuum et in intellectibus cordis*, quia manibus nocent, qui nocent, corde intelligunt, quicunque intelligunt. Attamen recte *in innocentia manuum* datur cordi, ut intelligatur non perfecta innocentia, nisi procedat ex corde, quam verus David vere habuit, qui præ omnibus innocens manibus et mundo corde fuit, quia sine peccato conceptus et natus « peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (*I Petr.* ii, 22), » cujus nullum seminarium fuit in corde ipsius. Item intelligentia, quæ proprie cordis est, recte datur manibus ejus, quæ alias dicuntur « aureæ plenæ hyacinthis (*Cant.* v, 14), » eo quod opera ejus fulgida sunt aureis litteris consimilia, quæ non solum videntis aspectum, sed et legentis pascunt intellectum : verbi gratia, de quinque panibus quinque millia hominum satiavit. Quod opus divinum divinis et aureis manibus peractum simpliciter inspectum delectat aspectum, sed mysterialiter expositum pascit intellectum. Quis denique alius quam verus et summe bonus pastor David, qui solus habet clavem David, in hac ipsa littera parabolica, quam versamus, ea quæ de quinque libris Moysi leguntur inserta, reseravit ? Ipse est qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit, non solummodo Psalmos David, quibus quotidie inter psallendum suas oves pascit dando eis psallere sapienter ; sed etiam totum totius veteris Testamenti librum septem signaculis clausum solus inventus est dignus aperire ac solvere signacula ejus, quoniam occisus est ipse bonus pastor pro suis ovibus, nec detentus est in morte, sed surrexit ipse pastor bonus ultra jam non moriturus. Unde qui oves suas *pavit* ante mor-

tem *in innocentia cordis sui et in intellectibus manuum suarum deduxit eos*, verbi gratia, dicens: « Scitis quid fecerim vobis? Ego Dominus et magister exemplum dedi vobis, ut et vos ita faciatis (*Joan.* XIII, 12 et 15): » ipse quoque nunc devicta morte amplius pascit gregem suum Spiritu sancto de cœlis misso, qui doceat omnem veritatem clare demonstrans *intellectus manuum*, id est operum ejus, qui suis exemplis iter salutis ostendit, per quod suas oves deducit.

In Hebræo legitur: *Qui pavit eos in simplicitate* A *cordis sui, et prudentia manuum suarum dux eorum fuit.* Ergo ipse pastor, ipse dux militum, ipse doctor, ipse ductor, pastor simplex, prudens, dux verus David, qui tanquam dux prudens militum prudentiam requirit, quibus et dicit: « Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ (*Matth.* x, 16). »

Gloria Patri hujus David. *Gloria Filio* ejus huic David. *Gloria Spiritui sancto*, qui est ubertas pascuarum hujus pastoris David. Amen.

PSALMUS LXXVIII.

Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam. Psalmo septuagesimo septimo expleto, sequens, videlicet septuagesimus octavus, esset exponendus, nisi quod jam nox illa imminet, in qua nemo potest operari. Saltu ergo facto abhinc usque ad psalmum centesimum decimum octavum, quem antehac, prout Deo favente potuimus, exposuimus, continuando tunc expositionem usque in finem Psalterii; sed nunc imminente potestate tenebrarum cogimur cessare ab expositione. Sed ne medios psalmos intactos præterisse videamur per negligentiam, en reddimus causam.

Spiritalis Antiochus jam regnat, cujus tyrannica violentia sic Ecclesia opprimitur, sic templum Dei violatur et profanatur atque polluitur ingravescente nimis periculo schismatis, ut magna sit materia canendi vel potius lamentandi et flendi secundum verba hujus psalmi: *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum.* Nam per gentes, id est, homines gentiliter viventes nomen Dei blasphematur, dum talibus est liberum in templo Dei negotiari et circa templum Dei scortari, sicut in diebus Machabæorum legimus evenisse Antiocho vendente sacerdotium primo Jasoni, deinde Menelao, atque mulieribus impudicis, ultro se ingerentibus loco sancto et optimis epheborum in lupanaribus positis.

Hanc desolationem deplorare videtur *Asaph*, cui attitulatur hic psalmus. Habet enim titulum: *Psalmus Asaph.* Sed eidem *Asaph*, id est, congregationi psallenti *in finem* potius congruit lamentari hanc desolationis abominationem, quam nos jam fine mundi appropinquante videmus imminere, spiritali Antiocho regnante ac templum Dei profanante, nullis vel paucis Machabæorum similibus illi resistentibus, arescentibus hominibus præ timore et exspectatione, quæ supervenient universo orbi. Scriptum est enim in libro Machabæorum: « Pessima autem et universis gravis malorum erat incursio. Nam templum luxuriæ et comessatio- B nibus erat plenum et scortantium cum meretricibus, sacratisque ædibus mulieres se ultro ingerebant intro ferentes ea quæ non licebat. Altare etiam plenum erat illicitis quæ legibus prohibebantur. Neque autem Sabbata custodiebantur, neque dies solemnes patrii servabantur, nec simpliciter se quisquam Judæum esse confitebatur (*I Mach.* VI, 3 et seqq.). »

Hæc omnia, si otium esset ad exponendum, tempestuoso huic tempori satis poterant coaptari, nisi quod malis, quæ tunc per Antiochum facta sunt, longe superexcellunt mala, quæ in templo Dei, quod est Ecclesia, nunc fiunt, profanato sanctuario Dei multimoda legum veterum et novarum transgressione atque abominatione C desolationis, quam considerans *Asaph*, id est, congregatio fidelis exclamat: *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum*, etc.

Quibus malis quia ego pusillus cœpi obniti scriptis ac dictis, ecce sum expositus persecutioni, quia compellor a loco mihi commisso fugere: ac proinde non possum, prout hactenus feci, expositioni psalmorum, qui adhuc restant, invigilare, atque omnes periochas prosequi, per quas distincti sunt psalmi. Verum ne omnino lateat ipsarum periocharum distinctio, singulos psalmos abhinc usque ad centesimum decimum octavum succincte perstringere curamus, quasi deosculando capita psalmorum et summatim insinuando D intentiones eorum. In quorum primo, quem nunc præ manibus habemus, *Asaph* gemituosa declamatione tribulationes refert sanctorum, ut ostendat eas fieri ad utilitatem fidelium, quatenus confirmentur, ne desperent in quovis agone interiorum seu exteriorum tentationum, hoc scientes et sine dubio sperantes quod introibit in conspectu Dei clamor et gemitus compeditorum dicentium: *Domine, non secundum peccata nostra facias nobis*, etc., usque in finem. *Cito*, inquiunt, *anticipent nos misericordiæ tuæ*, ne te mo-

ram faciente in miserendo alicui filio prodigo ad te revertenti senior frater accusator junioris fratris superveniat et miserationes præpediat.

Senior frater diabolus est, qui exinde frater, quod a Patre nostro Deo æque ut homo creatus est, sed exinde senior, quod prior homine creatus est. Vel quia invidia senescere facit, quem vastat, senior dicitur, qui de salute recepti fratris cruciatur. Sic etiam senior frater Esau cruciabatur de benedictione Jacob fratris junioris, in typum Judaici populi tabescentis præ invidia de recepto gentili populo. Sic omnis homo invidus vel angelus paratus ad nocendum prodigo filio per tribulationes ad te patrem redire coacto, vel gratiæ matris consilio vestibus Esau valde bonis et bene fragrantibus ornato. Sed tu, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, festina benefacere nobis, dicendo servis tuis: « Cito proferre stolam primam (*Luc.* XV, 22); » *cito*, inquam, priusquam veniat senior frater, cujus improperiis quid respondeamus non habemus, quia *pauperes facti sumus nimis;* maxime per hoc depauperati, quod *venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum*, etc. Sane cuique fideli sua vitia barbaræ gentes sunt, quæ polluerunt sanctum Dei templum, id est corpus nostrum, testante Apostolo, qui dicit: « An nescitis quia corpora vestra templum sunt Spiritus sancti? » (*I Cor.* III, 16.) Resistentes igitur atque A certantes, ut sæpe dictum est, adversus peccatum, recte in hoc psalmo dicunt: *adjuva nos, Deus, salutaris noster*, etc.

Quia vero in tractatibus magistrorum exponentium Psalmos, Patrum sanctorum Augustini, Ambrosii, Hieronymi, Cassiodori, Remigii sanctique Hilarii crebro inducuntur sententiæ, quibus contexuntur pene omnes expositiones modernæ: sancti autem Gregorii papæ sententiæ nusquam vel raro in expositionibus vel glossis novis introducuntur. Nos, prout hactenus fecimus, ejus dicta nostris ad nectemus, quæ cum sint moralia, mores videlicet bonos informantia, multum juvant et instruunt illum certatorem, qui contra vitia morum in isto medio quinquagenario quasi alter Jacob luctatur, B cui et læta victoria in fine psalmi reposita est quasi corona justitiæ pro justo et bono certamine, quoniam quasi certamine peracto cursuque consummato, licet nondum in re, tamen in spe victoriæ gratulantur fideles certatores dicentes: *Nos autem populus tuus et oves pascuæ tuæ confitebimur tibi in sæculum, in generatione et generatione annuntiabimus laudem tuam.* Vere *tuam*, non nostram laudationem annuntiabimus, quia non nostra, sed tua virtute bonum certamen certavimus, cursum consummavimus, fidem servavimus. Unde non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo debetur gloria, laus et honor per infinita sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM EDITORIS

Hactenus Gerhohus, qui psalmorum sequentium usque ad centesimum decimum octavum nullam aliam expositionem in Reicherspergensibus codicibus attexuit, quam quæ perbrevi titulorum, quibus singuli psalmi insigniti sunt, enarratione ac unius et item alterius versus explicatione, verbi sancti Gregorii Magni concepta, constet. Itaque ne lectoribus perenni quadam singulorum psalmorum expositione, in hoc commentario carendum esset, pro more lacunam ex Honorio Augustodunensi explere visum fuit. Ad Gerhohum revertemur cum ad Psalmum CXVIII *attigerimus.*

PARS NONA.

PSALMUS LXXVIII.

Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, etc. Finis præcedentis psalmi memorat veram David templi ædificationem, hic vero deplorat ejusdem templi violationem. Sicut enim Antiochus templum Jerosolymis sub Machabæis polluit; sic Julianus Apostata vel hæreticorum grex Ecclesiam templum C Christi profanavit. Tres psalmi in lamentatione ejusdem templi scribuntur. Primus: *Ut quid Deus*, in quo Ecclesiæ templi Christi subversio a persecutoribus, ut illud a Romanis lamentatur. Secundus. *Deus venerunt gentes*, in quo violatio istius ab hæreticis, ut illius ab Antiocho et gentibus, de-

ploratur. Tertius: *Super flumina Babylonis*, in quo istius destructio sub Antichristo, sicut illius sub Nabuchodonosor defletur. Est et aliud sacramentum, quia præcedens psalmus retulit, quod Christus tribum Juda elegerit, quod tempore Antichristi erit: hic refert, quanta mala pro fide Christi passura sit.

Hic psalmus in septuagesimo octavo loco ponitur, qui numerus in sexies duodecim dividitur, et sex superant, quod perfectionem nobis mysticant. Per duodenarium doctrina apostolorum, per senarium intelligitur perfectio justorum, qui propter justitiam persecutionem patiuntur, qui ad octo beatitudines perducuntur. Titulus ejus est:

VERS. 1. PSALMUS ASAPH.

Hoc est: Ita laus attribuitur perfectis fidelibus de Judaico populo, qui agunt in hoc psalmo de tribulatione sua, quæ videtur eis esse, illata: inde quia monuerant fidelem Asaph ad spiritalem intellectum; sicut in Actibus apostolorum legitur quod prædicatores magnam persecutionem patiebantur (*Act.* XIII, 50). Vel fidelis Asaph ante Christi adventum hic loquitur, id est prophetæ, et alii perfecti in populo Dei prævidentes in Spiritu Ecclesiæ persecutionem, quam significat illa persecutio sub Antiocho in Jerusalem facta.

Materia psalmi est afflictio Ecclesiæ sub hæreticis templi Dei violatoribus, de quibus multa præcedens tractavit psalmus. Intentio est ostendere tribulationem fidelium esse ad commodum eorum, et ad damnum tribulantium. Verba mutuata videntur de historiis Machabæorum, ubi gentes templum Dei polluerunt, sanguinem justorum ut aquam effuderunt. Significat autem quod hæretici Ecclesiam templum Dei vivi profanaverunt, multum sanguinem catholicorum effuderunt. Prima pars est: *Deus venerunt*, in qua Ecclesiæ ærumnæ memorantur. Secunda: *Usquequo, Domine*, in qua divina auxilia contra adversarios fideles precantur. Tertia: *Ultio sanguinis*, in qua vindictam Dei impiis justi imprecantur. *Asaph*, id est fidelis populus, sub persona Mathathiæ hic loquitur.

Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam. Hoc sub Machabæis contigit, quando Antiochus et aliæ *gentes* in Judæam *hæreditatem* Dei venerunt, et *templum* Dei *polluerunt*, quia idolum in eo posuerunt, et dæmoniis ibi sacrificaverunt. *Posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam*, hoc est sicut tugurium custodis *pomorum* remanet desertum collectis pomis, ita Jerusalem desertam fecerunt habitatoribus occisis.

VERS. 2. *Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ*, hoc est occisos sepeliri non permiserunt, sed avibus et *bestiis* devorandos projecerunt.

VERS. 3. *Effuderunt sanguinem ipsorum tanquam aquam in circuitu Jerusalem.* Sicuti pro nihilo ducitur, quod aqua effunditur, ita pro nihilo habebant, quod *sanguinem* illorum effundebant; sicut Eleazaro

A et septem Machabæis cum matre sua et multis aliis faciebant. *Et non erat qui sepeliret*, quia tot erant, qui sepeliri non poterant, nec etiam superstites præ hostibus eos sepelire audebant. Unde et hic versus, *Effuderunt*, in historia Machabæorum pro eadem causa introducitur, ut totus psalmus inde scriptus non dubitetur (*II Mach.* I, 8). Hoc ad priorem psalmum continuatur, ubi legitur quod juvenes eorum et virgines comedit ignis, et præ multitudine non sunt lamentati. Mathathias et Machabæi videntes tanta mala clamant:

VERS. 4. *Facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio, et illusio his, qui in circuitu nostro sunt.* Tempore Antiochi erant Judæi opprobrium omnibus nationibus, qui eis ritum legis improperaB bant, comprehensos subsannabant, captivis illudebant.

Simili modo factum est Ecclesiæ sub Juliano Apostata, vel sub Constante hæretico, quæ gemebunda dicit: *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam.* Hæreditas Dei est Ecclesia ad hæreditatem regni vocata, de qua in superiori psalmo scribitur: *Pascere Israel hæreditatem tuam. In* hanc *hæreditatem gentes venerunt*, dum hæretici gentiliter viventes cum judæis et paganis in Ecclesiam Dei ut lupi in oves irruerunt, et Christianos crudeliter persecuti sunt. *Posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam*, hoc est, posuerunt Ecclesiam in desertum, sicut deseruntur pomorum custodiæ, cum poma transierint. Fideles C namque qui remanserunt aliis, perfidia pollutis, aliis occisis, quasi desertum tugurium fuerunt privati a solamine et societate aliorum, qui vel occisi vel polluti erant. Sed quando Ecclesia gentibus, vel hæreticis visa est deserta, tunc in cœlestem mensam spiritus martyrum tanquam de horto Dominico multa et suavissima pompa transierunt. *Posuerunt morticina*, id est cadavera *servorum tuorum escas volatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum* posuerunt escas *bestiis terræ*. Si tantum diceret *volatilibus et bestiis*, sufficeret; sed *cœli* et *terræ* addidit ad denotandam intentionem. Cum enim spiritus martyrum velut poma ad agricolam suum transiissent, et infideles quotidie audirent a fidelibus promitti redintegrationem corporum suorum, sparserunt frustratim illoD rum membra per aera et per terram, ut quasi per hoc ostenderent non posse esse, quod Christiani asserebant, cum ea ab avibus et bestiis devorata constaret. Quorumdam cadavera igni combusserunt, et cinerem in aquam sparserunt, quasi inde resurgere non possent. *Effuderunt sanguinem ipsorum tanquam aquam in circuitu Jerusalem*, id est in toto orbe tam viliter quam aqua effunditur. *Et non erat qui sepeliret*; vel propter timorem persecutorum, vel tot fuerunt occisi, quod vivi non sufficiebant eos sepelire. In multis enim locis cadavera sanctorum diu insepulta jacuerunt, donec a religiosis quodammodo furata sepelirentur. Majorem persecutionem passa est Ecclesia ab hæreticis quam a paganis vel judæis. Multis occisis, superstites clamant: *Facti*

sumus opprobrium vicinis nostris. Tam ignominiose tractamur, quod sumus *opprobrium vicinis* jam inde ad fidem venire volentibus, quia sumus *subsannatio et illusio* infidelibus, qui in circuitu nostro sunt. Mathathias pro Machabæis.

Vers. 5. *Usquequo, Domine, irasceris* genti Judaicæ te colenti, permittens eam sævitia paganorum affligi? Facis hoc *in finem*, id est usque ad totius populi consumptionem? Usquequo *accendetur velut ignis zelus tuus? Zelus* erat, quod Phinees Judæum in scorto occidit. *Zelus* erat, quod Mathathias Judæum idolis sacrificantem occidit. *Zelus* dicitur æmulatio vel indignatio. Hic *zelus velut ignis* est accensus, dum Judæos pro idololatria tradidit gentibus occidendos. Satis vindicasti in nos: jam

Vers. 6. *Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt*. Ita abundanter mitte indignationem tuam super adversarios, qui nos affligunt et te non colunt, quam multipliciter misisti super nos qui te colimus. Et *effunde iram tuam in gentes*, qui hic infundis nobis *iram tuam*, id est occultam vindictam in futuro *effunde*, hoc est exerce manifestam et omnimodam vindictam in gentiliter viventes. *Quæ te non noverunt*, id est in te non crediderunt. *Et in regna quæ nomen tuum non invocaverunt*, id est in patrias, in multas regiones, quæ non adoraverunt *nomen tuum*, quod est Christus Jesus. Et ideo *effunde* in eos *iram*:

Vers. 7. *Quia comederunt Jacob*. Hoc est *supplantatores* vitiorum pro fide tua luctantes quosdam polluerunt, in errorem suum duxerunt, quos ut cibum in corpus perditionis devoraverunt. Insuper *locum ejus desolaverunt*, quia alios ad fidem venire prohibuerunt. Sed ad litteram *loca* fidelium *sunt desolata*, dum conventus eorum sunt destructi, et ipsi a persecutoribus oppressi. Et quoniam scimus quod vindicas in nos reatum, qui nihil sinis impunitum: Oramus,

Vers. 8. *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum*, id est ex parentibus venientium propter ignorantiam aut juventutem factarum. *Cito anticipent* ut bonum velimus, et conforta arbitrium nostrum ut in bono perseveremus. Velociter præveniat *nos tuæ misericordiæ* effectus, antequam anticipet defectus: *Quia pauperes facti sumus nimis* originalibus et actualibus oppressi malis, et paradisi ac mundi privati bonis. Contra hæc mala

Vers. 9. *Adjuva nos, Deus salutaris noster*, et ad superandum inimicos, ut conformemus eos nobis. *Et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos* a persequentibus, ut in nomine Christiano gloriemur. *Et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum*: Qui propter peccata tribulationem nobis induxisti, afflictis propitiare *propter nomen tuum*, quia propter illud nomen ista omnia patimur, eo quod Christiani dicimur: *Libera nos*:

Vers. 10. *Ne forte dicant in gentibus: Ubi est Deus eorum*, quem dicunt se habere adjutorem et defensorem? Ecce modo faciunt quod volumus, et præcipimus! Propitiare nobis, et hæc propitiatio *innotescat in nationibus coram oculis nostris*, ut subdas nobis qui nos volunt sibi subdere. Et non differas usque post mortem nostram; sed *coram oculis nostris* corporeis facias, ita ut nos videamus, in vita nostra. Mathathias pro Machabæis.

Vindica sanguinem servorum tuorum, qui effusus est. Ita habet alia translatio. Sanguis septem Machabæorum, et aliorum plurimorum pro lege Domini effusus est, quem Dominus vindicavit, dum Antiochum crudeli morte consumpsit, et populum suum exterminavit bellis.

Vers. 11. *Intret in conspectu tuo gemitus compeditorum*, id est in captivitate positorum. Multos enim ceperant, quos in vincula conjecerant, quorum gemitus in conspectu Dei introivit, quia adversarios eorum per Judam et fratres ejus punivit. *Secundum magnitudinem brachii tui posside filios mortificatorum*, hoc est illos factos filios nostros quos mortificant, *posside* secundum fortitudinem tuam, quasi propriam hæreditatem tuam, ut ulterius non sinas recedere a te.

Vers. 12. *Et redde eis* factis *vicinis nostris septuplum* improperium *in sinu*, id est in interiori *eorum; improperium*, dico, *ipsorum*, id est ab ipsis illatum: *Quod exprobraverunt tibi, Domine*, in nobis arbitrantes te in servis tuis deleri a terra. Conversi namque ad fidem multum in anima dolebant, quod unquam Deo vel sanctis improperaverant, et septies tantum sibi improperabant, quam prius Christo vel suis improperabant, quos persecuti sunt.

Vers. 13. *Nos autem* (quos persecuti sunt) *populus tuus, et oves pascuæ tuæ*, quas pavisti pane vitæ et intellectus, *confitebimur tibi in sæculum*, id est laudabimus te corde, et ore, et opere in æternum. *In generatione et generatione* (38), hoc est, quandiu succedet *generatio* et *generatio*, *annuntiabimus* aliis *laudem tuam*, ut et ipsi te laudent, et hic et in futuro.

Aliter: *Innotescat in nationibus ultio sanguinis servorum tuorum*, hoc est tempore Christianorum innotesce cunctis gentibus, quod tu sanguinem martyrum vindicabis. Hoc jam factum est, quia persecutores Christianæ religioni subjugati sunt, alii autem deleti sunt. *Introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum*, quos mortale corpus aggravat, qui ingemiscunt gravati, habitatione, quæ de cœlo est, superindui cupientes, ut mortale a vita absorbeatur. *Secundum magnitudinem* hæreditatis tuæ *posside filios mortificatorum*. Pro Christi nomine compediti gravissimas persecutiones pertulerunt, et in ipsis passionibus constituti oraverunt pro Ecclesia, ne infructuosus esset posteris sanguis illorum. *Filii mortificatorum* sunt, qui exemplo martyrum pro Christo passi sunt. Hos Dominus *possedit secundum*

(38) Vulgata: *In generationem et generationem*.

magnitudinem brachii sui, quando persecutores subjecit imperio nominis Christiani. *Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum.* Hoc non maledicendo, sed prædicendo dicitur. *Vicinos* vocant Hæreticos vel falsos fratres in eadem religione et in eodem cultu constitutos, sed Ecclesiam vel pravis moribus vel perverso dogmate impugnantes. His *septuplum* opprobrium *in sinu eorum* reddet, dum eos omnimoda pœna in sempiterno opprobrio puniet. Tunc reddet eis *opprobrium ipsorum*, quo Domino exprobraverunt male vivendo, vel perverse docendo, dum dicet : « Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, et angelis ejus. (*Matth.* XXV, 41). » Ipsi quidem ibunt in supplicium æternum : *Nos autem, populus tuus et oves pascuæ tuæ*, a dextris constitue, quibus dices : « Venite, benedicti Patris mei, confitebimur tibi in sæculum (*ibid.*, 34), » id est laudabimus te sine fine.

PSALMUS LXXIX.

Qui regis Israel intende, etc., etc. Superior psalmus retulit calamitatem Ecclesiæ, quam pertulit ab hæreticis, hic refert cladem Synagogæ, quam sustinuit ab adversariis. Titulus ejus est :

(VERS. 1.) IN FINEM PRO HIS, QUI IMMUTANTUR, TESTIMONIUM ASAPH, PSALMUS PRO ASSYRIIS (39).

Hoc est : Iste hymnus est tendens *in finem* Christum, *pro his qui immutantur* de Judæis ad Christianos, de carnali intellectu ad spiritalem ; qui psalmus est *testimonium Asaph*, id est fidelis Synagogæ, *pro Assyriis*, hoc est, pro Judæis adhuc perfidis, qui se reputant justos, et in lege directos. *Assyrii* namque interpretantur *dirigentes*. Testatur etenim hic, quod Judæi ideo exterminati sunt, quia in Christum non crediderunt, et quod de Judæis Christiani ideo exterminium evaserunt, quia fidem Christi receperunt. Denique hoc *testimonium* et Christum et vineam confitetur, hoc est caput et corpus, regem et plebem, pastorem et gregem, et totum omnium Scripturarum mysterium.

Materia psalmi est oratio fidelis Synagogæ pro Christi adventu, et Ecclesiæ oratio pro ejus adventu secundo. Intentio est, ut Deum oremus, quatenus nos hic convertat, et quandoque facie ad faciem, sicuti est faciem suam nobis ostendat. In tria secatur, quia Synagoga ter destructa narratur, a Babyloniis, a Græcis, a Romanis. Prima pars est : *Qui regis Israel*, in qua Christi primus et secundus adventus optatur. Secunda est : *Vineam de Ægypto*, in qua Ecclesiæ dilatatio memoratur. Tertia est : *Domine, Deus virtutum converte*, in qua Ecclesiæ visitatio postulatur.

Hic psalmus est in ordine septuagesimus nonus, et significat fideles post captivitatem hujus mundi venturos ad consortium novem ordinum angelorum. Verba psalmi videntur tracta de oratione Machabæorum, qui orabant ut sic Christus eos suo adventu liberaret de Antiocho et de pressura adversariorum, sicut Moyses eripuit patres de Pharaone et afflictione Ægyptiorum. Vox est *Asaph*, id est prophetarum pro conversione eorum populi Judaici tempore apostolorum, et vox primitivæ Ecclesiæ pro conversione eorum post exterminationem Judæorum, quæ conversio fit quotidie et maxime tempore Antichristi.

VERS. 2. *Qui regis Israel, intende. Is* dicitur *vir*, *ra* videns, *el* Deus. *Israel* ergo dicitur *vir videns Deum*. Per *Israel* designantur in hoc loco angeli semper videntes faciem Patris. O rex cœli, *qui regis* angelos, *intende* ad nos homines venire in terris. Tu, dico, *qui deducis velut ovem Joseph*, hoc est, qui populum de *Joseph* et suis fratribus ortum de Ægypto eduxisti per desertum, sicut *oves* pastor ad bona pascua deduxisti, veni, et nos eripe, et in tuto loco constitue. Ideo nomen *Joseph* pro populo ponitur, quia ipse quasi princeps in illo populo fuisse legitur, et pro significatione etiam ponitur. *Qui sedes super cherubim, manifestare*

VERS. 3. *Coram Ephraim, Benjamin, et Manasse. Cherubim* et seraphim sunt summi ordines angelorum. *Super cherubim* Christus sedet, qui super omnem principatum et potestatem, et supra omne nomen, quod in cœlis vel in terris nominatur, in dextera Patris exaltatur. *Cherubim* interpretatur *plenitudo scientiæ ; Ephraim, fructificatio ; Benjamin, filius dexteræ ; Manasses, oblivio.* Hæc omnia tantum posita sunt propter significationem. Per hæc enim tres ordines Ecclesiæ designantur. Per *Ephraim* doctores alios in fide fructificantes. Per *Benjamin* continentes, qui sunt *filii dexteræ*, id est imitatores Christi ad dexteram ejus constituendi. Per *Manassen* conjugati, qui opera et pompas diaboli obliviscuntur, et Christi præcepta sequuntur. Dicitur ergo : *Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Benjamin, et Manasse*, hoc est, sicut es cognitus in cœlestibus creaturis, et in eis quiescis : ita fac te cognosci ab eis, qui sunt in Ecclesia doctores, continentes et conjugati, ut in eis quiescas.

Ad litteram quiddam notatur in his vocabulis. De tribu *Benjamin* primus rex Saul regnavit in Israel, et de hac tribu venturus erat Paulus doctor

(39) Vulgata : *In finem pro iis qui commutabuntur, testimonium Asaph.*

orbis. Diviso regno in Judam et Israel, de *Ephraim* A Jeroboam primus rex præfuit in Israel, qui *Ephraim* in benedictione Jacob est prælatus. De *Manasse* erat Gedeon dux in Israel, qui signo velleris partum præfiguravit virginis, et mirabili pugna Christi pugnam præsignavit. Unde per *Benjamin* primitiva Ecclesia de Judaico populo accipitur, in qua primitus Christus regnavit. Per *Ephraim* Ecclesia de gentibus in fide fructificans intelligitur, in qua nihilominus Christus regnavit. Cujus nomen ideo hic præponitur, quia et ipse in benedictione est præpositus, et gentilis populus Judaico populo a Christo est prælatus. Per *Manasse* Ecclesia adhuc de Judæis creditura exprimitur, qui quasi in oblivione nunc absconditur, sed adhuc ut Gedeon sævo bello cum Antichristo congreditur. His omnibus Christe B *intende*, et his appare.

Et ut hoc facias, *excita potentiam tuam, et veni ut salvos facias nos*, sicut Moyses salvavit illos. Cum res, quæ significative fit, nondum transacta est, quasi sopita videtur; sed cum significatum per illud fit, quasi excitari videtur. Potentia Dei erat, quod populum de Ægypto eduxit, et hostes submersit, et significat salvationem justorum et damnationem malorum. Hæc res sopita est excitata, quando Christus de inferno justos eduxit, dæmones stagno ignis immersit. Et quia potentia tua, Christe, in cruce erat sopita, cum patereris ex infirmitate, *excita potentiam tuam* nunc, *et veni* ad judicandum, *ut salvos facias nos*, et inimicos nostros perdas, sicut in mari Rubro fecisti. Et ut hoc C fiat,

Vers. 4. *O Deus, converte nos* de pravis operibus ad bona opera, de vitiis ad virtutes: *Et ostende faciem tuam*, manifesta te ipsum nobis, sicut promisisti: *Et salvi erimus* ab hostibus mentis et corporis æterna salvatione.

Vers. 5. *Domine, Deus virtutum*, converte nos, hoc est, qui es Dominus et creator angelorum. *Quousque irasceris super orationem servi tui?* id est quandiu differs iratus, quod orant servi tui? Quasi diceret: Cito ostende te. Per hoc notatur desiderium sanctorum in tribulatione. Si ostensio faciei ejus est misericordia, tunc revera dilatio est ira, qualis in Deo est. Hoc ad illud continuatur, ubi D superius legitur: *Usquequo, Domine, irasceris?* Merito oramus cito eripi. Nam

Vers. 6. *Cibabis nos pane lacrymarum*, id est cladibus, et ærumnis sinis nos hic ut patres in Ægypto affligi. *Panis lacrymarum* est vita plena doloribus. In labore et dolore vivunt hic præcipue justi. *Et potum dabis in lacrymis*. Cibo et potu sustentatur humana fragilitas. Per hæc duo intelligitur quod justorum vita tota in luctu, et gemitu, et lacrymis consumitur. Et hoc tamen *in mensura*, quia ad æqualitatem virium illorum a Deo labor temperatur. Fortes quippe ad majorem laborem ferendum ponuntur, ut Laurentius, et alii martyres, imbecilles ad minorem, ut confessores.

Vers. 7. *Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris*. Christianis contradicebatur et a Judæis, et a gentibus, ut scribitur: « Notum est quod sectæ huic ubique contradicatur (*Act.* XVIII, 19-22). » Unde et de ipso capite dictum est: « Hic positus est in signum, cui contradicetur (*Luc.* II, 34). » *Asaph* ergo, id est primitiva Ecclesia de Judæis dicit: *Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris*, quia Judæi vicini eorum, qui erant increduli ut Pharisæi, contradicebant doctrinæ eorum, ut Paulo et Barnabæ fecisse leguntur (*Act.* XIII). *Et inimici nostri*, scilicet pagani *subsannaverunt nos*, id est deridebant dicentes: Vos adoratis mortuum crucifixum. Ecclesia quoque de gentibus dicit: *Posuisti nos in contradictionem* hæreticis in eodem cultu Christi *vicinis nostris*, qui contradicunt fidei nostræ, et impugnant doctrinam nostram, et *inimici nostri* Judæi et pagani *subsannaverunt nos*, quod hominem cum latronibus damnatum coleremus, et tam in fide ejus diversa sentiremus. Hic versus ad illum continuatur. *Facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio et illusio his, qui in circuitu nostro sunt*. Quod de Machabæis ad litteram intelligitur, quibus gentes contradicebant, et pro cultu Dei deridebant. Sequitur:

Vers. 8. *Deus virtutum, converte nos*, quia lacrymis afflictionis ut cibo et potu jugiter vescimur, et a Judæis et paganis et hæreticis nobis contradicitur: o *Deus*, qui das virtutes, creator angelorum, *converte nos* de mundanis ad cœlestia, *et ostende faciem* divinitatis tuæ, quam electis tuis ut Moysi manifestabis, *et salvi erimus* ab his, quæ patimur malis. Et quia sex diebus laboratur, sex versibus labor Ecclesiæ hic mystice describitur.

Vers. 9. *Vineam de Ægypto transtulisti: ejecisti gentes, et plantasti eam*. Hic locus illi continuatur, ubi legitur: « Abstulit sicut oves populum suum, et perduxit eos tanquam gregem in deserto, et induxit eos in montem sanctificationis suæ; et ejecisti a facie eorum gentes (*Psal.* LXXVII, 52-54). » *Vinea*, a vitibus est dicta. *Vineam*, id est Hebræorum gentem, unde nata est congregatio prophetarum et aliorum fidelium, Deus *ex Ægypto* magnis miraculis deduxit, et expulsis gentibus, id est Amorrhæis, Ethæis, Jebusæis, cæterisque aliis tanquam mirabilis agricola plantavit,

Vers. 10. *Dux itineris fuisti in conspectu ejus*, quia in columna ignis et nubis eos præcessisti, et, ut eis placuit, pavisti. Et *plantasti radices ejus*, id est firmasti patres eorum introductos in illa hæreditate, *et implevit terram* promissionis multiplici generatione.

Vers. 11. *Operuit montes umbra ejus*, hoc est, non solum campos, sed etiam montana occupavit habitatio ejus. *Et arbusta ejus cedros Dei*. *Arbusta* vocantur vites, quando in arbores ascendunt. *Arbusta cedros* operuerunt, quia multi montem Libanum, in quo *cedri*, occupaverunt.

Vers. 12. *Extendit palmites suos usque ad mare*,

id est fideles protulit de mari cunctarum gentium. A *Et usque ad flumen propagines ejus*, hoc est, de Judæis multos per fidem propagavit. Per *flumen* enim Judæa intelligitur, in qua est Jordanis in quo baptismus cœpit : per *mare* vero gentilitas, quæ semper in amaritudine infidelitatis fuit. Vel *propagines* a flumine usque ad mare extendit, dum filios regenerationis a baptismate Jordanis incipientes usque ad oceanum undique dilatavit. Post hæc beneficia Ecclesiæ collata sequuntur ejus incommoda, quæ incurrit propter quorumdam vitia.

VERS. 13. *Ut quid destruxisti maceriam ejus?* *Maceria* vineæ Christi, id est Ecclesiæ, est sacra Scriptura, qua undique est firmiter munita. Hanc *maceriam* Deus *destruxit*, dum culpa fidelium sacram Scripturam ab hæreticis corrumpi permisit. B Et ideo *vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam*, id est subversa ab hæreticis Scriptura conculcant Ecclesiam etiam hi, qui non credunt in Christum. Cum enim ab hæreticis cœpisset infamari, mox etiam cœpit a gentibus impugnari. Unde sequitur:

VERS. 14. *Exterminavit eam aper de silva*, quia Romanum imperium de gentilitate eam persecutionibus devastavit. *Et singularis ferus depastus est eam*, quia Antichristus singulariter *ferus* ut pabulum herbæ variis cruciatibus consumet eam. Vel *aper* singulariter *ferus* est diabolus, qui est *de silva*, id est de agrestium cogitationum via: qui Ecclesiam *exterminavit*, dum multos in hæreses et varios errores præcipitavit. Hanc est *depastus*, dum in di- C versis vitiis saginatos devoravit. Sequitur oratio justorum :

VERS. 15. *Deus virtutum*, id est angelorum, *convertere* ab ira ad misericordiam. *Respice de cœlo*, id est de Christo, *et vide*, hoc est, fac te videre per cœlum tuum, scilicet per Filium tuum, *et vide* miseriam, direptionem, conculcationem vineæ tuæ, *et visita vineam istam*, cui tot beneficia contulisti. *Visita* Ecclesiam liberando eam ab hæreticis et persecutoribus. *Visita* Synagogam dando ei fidem et bonam operationem.

VERS. 16. *Et perfice eam*, id est Ecclesiam in virtutibus, *quam plantavit dextera tua*, id est Christus Filius tuus per se ipsum et per apostolos. *Et super* D *filium*, (40) *quem confirmasti tibi*, hoc est, *perfice eam* fundatam *super* Christum, tuum *Filium, quem confirmasti tibi* in omnibus virtutibus, id est ad honorem tuum. Si eam perfeceris, tunc

VERS. 17. *Incensa igni et suffossa ab increpatione vultus tui*, id est peccata per cupiditatem et timorem commissa per prædicationem Filii tui in eis *peribunt*. Omne enim peccatum aut cupiditate aut timore committitur, dum [quis] aut aliquid cupit adipisci, aut timet damnum ab alio sibi inferri. *Incensio* ignis est ardor cupiditatis. *Suffossio* vineæ est timor penetrans intima animæ. *Increpatio* est evangelica prædicatio. *Vultus* Dei est Christus, qui est imago Dei. Si ergo Deus Pater et agricola vineam suam a vitiis purgaverit et in virtutibus perfecerit, tunc omnia peccata per cupiditatem et timorem facta per evangelicam prædicationem Christi *peribunt*, et mundati palmites plurimum fructum afferent. Et quia hic primum est testimonium *Asaph pro immutatis*, intelligitur hic oratio conversorum de Judæis pro adhuc convertendis, et de perfidia ad fidem Christi immutandis: *Deus virtutum*, quandiu es aversus populo Israelitico? *Convertere* ad eum, *respice* eum per Christum, qui est cœlum cœlorum, *et vide* eum per misericordiam faciens eum te videre per fidem, *et visita vineam istam*, id est Synagogam per te ab Ægypto eductam, et in terra repromissionis olim plantatam, sed nunc destructam. *Visita* per Eliam et Henoch, *et perfice eam, quam* in Abraham et patriarchis fodere cœpisti, quam in prophetis *plantavit dextera tua*, id est operatio tua. *Perfice eam super filium, quem confirmasti tibi* Jesum Christum, qui est semen Abrahæ, in quo omnes gentes benedicentur, firmum fundamentum ædificandæ domus. In hac vinea *incensa igni et suffossa ab increpatione vultus tui peribunt*, dum hi, qui impietatis igne succensi, et prava operatione suffossi ex eadem gente in Christum credere noluerunt, in futuro judicio *ab increpatione* Christi *peribunt*, cum dicet: « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV, 41). » Ut autem hanc vineam visites.

VERS. 18. *Fiat manus tua*, id est potentia tua *super virum dexteræ tuæ*, id est super Christum Filium tuum, *et super filium hominis*, scilicet virginis, *quem confirmasti* signis et prodigiis *tibi*, hoc est, ad honorem tuum, ut suscites eum a mortuis, et hæc omnia per illum fiant. Et cum ad eum conversi fuerimus,

VERS. 19. *Et non discedimus a te*, sicut prius fecimus, cum ad idololatriam declinavimus : *Vivificabis nos* a morte animæ per mortem Filii tui, *et nomen tuum*, quod est Pater, per Filium *invocabimus*. Ideo

VERS. 20. *Domine, Deus virtutum, converte nos* de perfidia ad fidem, *Et ostende faciem tuam*, et fac nos intelligere Christum, qui est facies tua, *et* per eum *salvi erimus* in vita æterna.

Oratio Ecclesiæ: *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, et super filium hominis, quem confirmasti tibi*. Manus Dei est operatio ejus. Vir dexteræ est Filius Dei in dextera ejus sedens. Filius hominis, Filius Mariæ. Hinc sumptum est, quod frequenter dicitur in Evangelio: *Filius hominis*, id est Filius virginis. Dicitur ergo *Fiat manus tua*, hoc est, fiat potentia tua, Deus Pater, *super* Christum *Filium hominis* ad dexteram tuam sumptum, *quem* Spiritu sancto *confirmasti tibi* Filium, ut in majestate tua veniat ad judicium,

(40) Vulgata: *Filium hominis*.

et de vinea sua colligat fructum. Et amplius *non discedimus a te* per vitia aberrantes a vera via, sicut prius fecimus. *Vivificabis nos* a morte resuscitando, *et nomen* majestatis tuæ laudando *invocabimus : Domine, Deus virtutum, converte nos* de mortalitate ad immortalitatem, *et ostende* nobis sicut angelis A *faciem tuam, et* sic *salvi erimus*, cum tu eris omnia in omnibus.

Hic versus dicitur intercalaris, et est jam tertio repetitus, quia per Trinitatem hæc omnia perficiuntur, dum tres ordines Ecclesiæ ad cœlestia assumuntur.

PSALMUS LXXX.

Exsultate Deo adjutori nostro. Hic psalmus videtur decantari pro victoria. In superioribus etenim psalmis facta est regi querimonia, quod hostes hæreditatem ejus pervaserint, quod vineam ejus devastaverint, et subintelligitur, quod ipse eos bello contriverit; in hoc vero victores regi suo adjutori exsultant, et Deo, ac triumphatori jubilant. Unde et verba psalmi videntur a Machabæis sumpta, qui devicto Antiocho et gentibus in hymnis Dominum benedicebant, qui eis victoriam dederat. Et significat, quod fideles de Judæis Domino jubilant, postquam de Antichristo et persecutoribus triumphabunt. Hic psalmus in hoc præcedenti continuatur, quod ille de vinea tractavit, hic de torculari intitulatur. Torcular quippe pertinet ad vineam. Et notandum in omnibus psalmis, quod semper sequens præcedenti aut per titulum, aut per textum continuatur. Titulus est :

(VERS. 1.) IN FINEM PRO TORCULARIBUS QUINTA SABBATI, PSALMUS ASAPH (41).

Finis est Christus, in quo omnia consummabuntur. *Torcular* est calcatorium, in quo uvæ premuntur, vina in apothecas effunduntur, acini porcis projiciuntur. Significat autem Ecclesiam, in qua justi a malis graviter premuntur ; sed justi cœlestis Regis mensæ dulce vinum inferuntur : impii ut fæx porcis, id est, dæmonibus projiciuntur. Ideo autem dicitur *pro torcularibus* pluraliter, quia sunt duæ Ecclesiæ, una de Judæis, altera de gentibus. *Quinta Sabbati* est quinta feria, in qua Deus produxit ex aqua aves et pisces, et aves in aera levavit, pisces in gurgite reliquit. Et significat, quod Christus baptizatos quosdam ad alta sublevat, quosdam in ima præcipitat. *Psalmus* est opus Dei, id est, cantus qui fit in laude Dei. *Asaph* dicitur Synagoga, quod est congregatio Dominica. Exponitur ergo titulus sic : Hic hymnus Dominicæ congregationis est tendens *in finem*, id est, in Christum omnia consummantem. Cantus *pro torcularibus*, id est, Ecclesiis hic a malis oppressis, considerans ea, quæ facta sunt *quinta Sabbati;* quia, sicut Deus volucres ex aquis creatas ad alta sustulit, pisces fluctibus immersit, ita oppressos in Ecclesia ad cœlestia sublevabit, malos in tartara damnabit.

B Materia psalmi est exsultatio liberatorum pro victoria. Intentio est, ut victores vitiorum jubilemus Deo, quatenus ab eo pane vitæ, et melle æternæ dulcedinis saturemur. Hic psalmus per duo diapsalmata in tria membra distinguitur, quia duæ Ecclesiæ in tres ordines, id est, virgines, viduas, conjugatos dividuntur, qui per duo præcepta dilectionis in fide Trinitatis cœlestia assequentur. In prima parte laus a liberatis Regi canitur. In secunda Rex populum alloquitur. In tertia remuneratio amicorum et inimicorum ponitur.

Hic psalmus est octogesimus, per denarium et octonarium multiplicatus. Nam octies deni vel decies octoni summam illius numeri constituunt. C Significat, quod hi, qui cum armis decem præceptorum dimicant, ad octo beatitudines perveniant. Notandum quod in hac decade rex ter populum alloquitur. Primo, ubi dicit : « Cum accepero tempus, ejus justitias judicabo (*Psal.* LXXIV, 3). » Secundo, ubi dicit : « Attendite, popule meus, legem meam (*Psalm.* LXXVII, 1). » Tertio in hoc psalmo, ubi dicit : « Audi, popule meus, et loquar. » In primo loco ut judex justum judicium promittit; in secundo legem populo ut rex proponit; in tertio remunerator dignam mercedem legis observatoribus, et supplicium ejus contemptoribus dabit. Vox est sacerdotum, liberatos vel victores ad laudem Regis adhortantium.

VERS. 2. *Exsultate Deo adjutori nostro.* O congre- D gatio Domini exsultanter cantate Regi, qui adjuvit nos hostes superare, et eruit nos de illorum crudelitate. *Jubilate Deo Jacob*, id est, nostro luctatori. *Jacob* enim, qui cum angelo luctatus est, pro luctatore ponitur. *Jacob* Dominus dilexit, Esau odio habuit : et ipse est minor filius, cui major servit. Et significat Christianum populum, cui Judaicus populus, auctore Deo, jam servit. Hunc Dominus supplantatorem vitiorum diligit, illum propter perfidiam odit. Vos ergo, qui estis *Jacob jubilate Deo* pro vobis luctante voce, et corde eum laudate hoc modo :

VERS. 3. *Sumite psalmum, et date tympanum; psalterium jucundum cum cithara.* Per *psalmum* cœlestis doctrina, per *tympanum*, quod est corium ex-

(41) Vulgata : *In finem pro torcularibus. Psalmus ipsi Asaph.*

tensum carnis afflictio, ut est jejunium; per *psalterium*, *quod a superioribus sonat, superna præcepta; per *citharam*, quæ ab inferioribus resonat, bona opera accipiuntur. Quod est dicere : Cœlestem doctrinam ut cibum avide *sumite*, eleemosynas et jejunia reddite, in contemplativa vita spiritualibus hymnis hilariter Deo canite, in activa bonis operibus insistite. His armis pugnastis et vicistis, his instrumentis pro victoria tripudiare debetis. Pro signo etiam victoriæ canite tuba, hoc est, ad laudem victoris Christi aliis prædicate. Hoc est, quod dicit :

VERS. 4. *Buccinate in Neomenia tuba. Neomenia* est nova luna vel Kalendæ. Hebræi menses a nova luna numerant, quam sacerdotes observant, et ea prima visa tubis buccinant, hocque signo festum populo nuntiant. In lege tres festivitates scribuntur, *Pascha*, *Pentecostes*, *Scenopegiæ*. *Pascha* erat, quo de Ægypto transibant ; quod festum in vere celebrabant. *Pentecostes* erat, quo legem quinquagesimo die egressionis suæ a Domino acceperant ; quod festum in æstate solemnizabant. *Scenopegia* erat festum tabernaculorum, quod in autumno in mense Septembri agebant : ante quod festum decem diebus usque ad vesperam jejunabant, et a primo die septimi mensis tuba canebant, deinde scenopegiam celebrabant. Ædificato autem templo addita est quarta solemnitas, quæ *encœnia*, id est *dedicatio* dicebatur, quod in hieme agebatur. Secundum hunc morem servat adhuc Ecclesia Quatuor Temporum jejunia. Per jejunium exprimitur pugna Christianorum contra acies vitiorum. Decem dies jejunii sunt decem præcepta, quæ sunt arma nostra. Clangor *tubæ* est vox orationis vel prædicationis : septem dies in septimo mense sunt septem dona in septiformi Spiritu. Festivitas, quæ jejunium sequitur, est futurum gaudium, quod nobis promittitur. Nova luna est Ecclesia, quæ quotidie per novum solem Christum de veteri vita innovatur. In hac *tuba* buccinant qui in Ecclesia ea, quæ jam diximus, prædicant. Sequitur :

In insigni die solemnitatis vestræ, quod est Pascha, quando Christus immolatus est pro nobis, et de infidelitate ad fidem transivimus. In Pentecoste vero, id est in quinquagesimo die post Resurrectionem legem amoris per Spiritum sanctum accepimus. In hac die buccina clangunt, qui hanc gratiam redemptis annuntiant. Festivitas tabernaculorum, quando post ruinam resurgimus, et corpora nostra tabernacula animæ per pœnitentiam innovamus. Festum enim erit angelis super pœnitentibus. Unde hoc festum jejunium et clangor tubarum præcedit, quia per jejunia et orationes pœnitentia accepta erit. Dedicatio autem templi illud festum exprimit, quo Christus Ecclesiam, suum templum, in resurrectione æterna gloria dedicabit. In his festis *tuba* canimus, cum hæc populo prædicimus.

Notandum quod musicis instrumentis jubemur Deum laudare. Antiqui enim solebant in sacrificiis

A his uti artibus : unde et nos in divinis officiis utimur organis. Tota Ecclesia est organum Dei, electi sunt fistulæ dulcisonæ. Ipsi etiam cithara corde Deum resonantes. Sicut enim diversæ fistulæ vel variæ chordæ sunt in cantu quasi dissonæ, et tamen omnes in convenientia consonæ : ita vitæ sanctorum quasi inter se dissonant, dum hic libenter orat, alter assidue plorat : ille jejunat, ille magis vigilat, sed omnes in una charitate consonant. Musica enim ars est cœlestis disciplina, cujus prima partitio est harmoniaca, rhythmica, metrica; secunda partitio percussibilis ut cymbala ; intensibilis, ut cithara ; inflatilis, ut organa. Tertia partitio in septem symphoniis. Quarta in quindecim tonis. Per hanc artem multa miracula et in sæcularibus, et in divinis

B libris gesta leguntur, sicut illud, quod malignus Spiritus a Saul hac arte est expulsus, et quod muri Jericho clangore hujus artis corruerunt. Ideo hac arte instructi divina verba in hac laude modulamur ut hymnos et cætera, et instrumentis hujus artis ut organis, cymbalis et campanis Deo servimus, quia et psalmos per musica instrumenta prolatos scimus.

VERS. 5. *Quia præceptum in Israel est. Præceptum* in populo *Israel est*, ut rite hæ solemnitates fiant. *Et judicium Deo Jacob*, id est Deo Christianorum est datum, ut celebratores harum solemnitatum coronet, spretores condemnet.

VERS. 6. *Testimonium in Joseph posuit illud*, *cum*

C *exiret de terra Ægypti, linguam, quam non noverat, audivit. Joseph* non *exivit*, sed intravit in *terram Ægypti*, et ibi *linguam*, *quam non novit*, *audivit*. Porro per *Joseph*, qui princeps fuit *in Ægypto*, totus populus ab ejus progenie descendens accipitur, qui exiens de *terra Ægypti linguam*, *quam non noverat*, *audivit ;* dum Deum in monte loquentem decem præcepta audivit. Illud ergo *testimonium* Deus *in Joseph posuit* ignotam *linguam*, quam de cœlo per angelos audivit quando etiam pro signo tubis insonuit, dum præcepta legis dedit, et pro hac significatione tubis insonuit.

VERS. 7. *Divertit ab oneribus dorsum ejus*, *manus ejus in cophino servierunt*. Joseph non legitur onera portasse, *vel in cophino* serviisse. Post populus Is-

D rael gravia onera lapidum ad construendas domos Pharaoni ferebat, cujus *manus in cophino servierunt*, dum in luto et latere sudantes hæc *in cophinis* comportabant. *Ab* his *oneribus* Deus *dorsum ejus divertit*, dum eum de servitute Pharaonis eripuit. *Joseph* dicitur *augmentatio*, et est Christus, quia, sicut ille venditus in Ægyptum post tribulationes est exaltatus, ita et Christus ad gentes transiens post passiones martyrum est in Ecclesia glorificatus. Quæ Ecclesia dicitur *augmentatio*, quia « multi filii desertæ magis quam ejus, quæ habet virum (*Isai.* LIV, 1). » Joseph ergo exiens de Ægypto, hoc est, populus per Joseph multiplicatus transivit per mare rubrum, quia populus Ecclesiæ de veteri vita per baptismum Christi sanguine consecratum egrediens,

linguam quam non noverat, audivit, id est percepit mysteria quæ non novit. *In* hoc *Joseph testamentum posuit*, dum Evangelium hunc populum docuit. Qui *linguam, quam non noverat, audivit*, dum apostolos variis et ignotis linguis loqui audivit; et illud præceptum : « Diligite inimicos vestros (*Luc.* VI, 27), » audivit, quod prius ignoravit. Per hanc linguam *divertit ab oneribus dorsum ejus*, hoc est, *divertit* eum a vitiis, quæ onerabant animam. Vere onera portabat, nam *manus ejus in cophino servierunt*, quia, sicut illi in luto et latere ad construendas civitates Pharaoni serviebant, ita ipsi sordidis actibus ad construendam civitatem diaboli Babyloniam se ipsos replebant. Hic introducitur persona Dei sic loquentis : O Joseph, observa quæ per ignotam linguam audisti : quia

VERS. 8. *In tribulatione invocasti me, et liberavi te*, etc. Populus Israel *in tribulatione* Ægypti Deum invocavit, et Dominus per Moysen eum liberavit. *In abscondito tempestatis* eum exaudivit, dum Pharaone cum exercitu insequente quasi gravi tempestate ingruente clamantem *in abscondito cordis* præ timore de insequentibus hostibus eripuit. *Probavi te apud aquam contradictionis*. Hoc ibi contigit, ubi eum siti tentavit, et murmuranti aquam de petra produxit, quando Moyses et Aaron Deum offenderunt, et ideo terram repromissionis non sunt ingressi (*Num.* XX, 10 et seqq.). Christianum populum in tribulatione Deum invocantem Dominus liberat, cum de qualibet afflictione eripit, vel in dolore pœnitentiæ posito peccata condonat. *In abscondito tempestatis* eum exaudit, cum de occulta tentatione eripit. *Apud aquam contradictionis* eum probat, dum inter populum bonæ vitæ contradicentem, se ut uvam in torculari prementem, velut aurum in fornace examinat.

Diapsalma. Hic rex utrumque populum et bonorum et malorum alloquitur :

VERS. 9, 10. *Audi, populo meus, et contestabor te : Israel, si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum*. Hæc verba sumpta sunt de lege, ubi Dominus dixit : « Audi, Israel, Deus tuus unus est : non facies sculptile, non adorabis alium Deum præter me. Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti (*Deut.* v, 6 et seqq.; VI, 4). » O popule meus, per fidem *audi*, id est obedi his quæ tibi præcipio, *et contestabor te*, id est juro tibi quod implebo quod tibi promitto. O *Israel*, per Scripturam videns Deum, si me in Scripturis audieris, si doctrinæ meæ obaudieris, *non erit*, id est non sit *in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum*, et ego remunerabo te, quia os tuum implebo omni dulcedine. Et potens sum hoc facere.

VERS. 11. *Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti*, hoc est de infidelitate ad fidem. *Deus recens* est ad tempus factus; Deus non recens in æternitate semper manens. Et nota quod non dixerit : *Ante te*, quasi simulacrum forinsecus

A adhibitum, sed *in te*, in corde tuo scilicet, in imagine phantasmatis tui, in deceptione erroris tui. In se recentem Deum facit, qui Deum quasi gloriosum regem in corde imaginando fingit. Deum alienum adorat, qui Filium Patre minorem, vel Spiritum sanctum creaturam prædicat. Omnes hæretici Deum alienum adorant, quia quod a Deo est alienum, de eo prædicant. Sed et omni Deus recens erit, qui Deum ventrem colit. Deus est colendus, per quem de Ægypto diabolicæ servitutis ad vitam educti sumus. Qui est veritas, ubique totus, hic cultori suo dicit : *Dilata os tuum, et implebo illud*, hoc est, dilata os cordis tui ut pulli avium, et saturabo illud. Desidera virtutes, et dabo tibi eas : hoc populo præcepi, et hæc ei promisi,

B VERS. 12. *Et non audivit populus meus vocem meam, et Israel non intendit mihi. Populus* secundum sacramentum fidei *meus, vocem meam non audivit :* quod præceptis meis non obedivit, et *Israel*, scilicet docti, non intenderunt doctrinæ meæ. Et ideo iratus

VERS. 13. *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum*. Prius retinui eos, ne sibi inferrent æternam mortem. Sed, postquam verba despexerunt, *dimisi eos* ire in præcipitium. *Ibunt* ergo *in adinventionibus suis*, hoc est, implent desideria quæ ad perditionem sui excogitaverunt. Miserrimis videtur esse Dei beneficium, cum voluntates suas permittuntur explere, et nesciunt iram Dei esse, et interiorem
C vindictam, sicut scriptum est : « Tradidit eos Deus in desideria sua, in immunditia (*Rom.* I, 24.), » ut judicentur secundum opera sua. Quanto enim plus peccaverunt, tanto gravius damnabuntur. Quia misericors sum, recipiam eos; hoc vult illud, quod sequitur : si reversi fuerint.

VERS. 14, 15. *Si populus meus audisset me*, faciens quod ei præcepi : *Israel si in viis meis*, id est in præceptis meis *ambulasset : Pro nihilo forsitan*, hoc est, facile, *inimicos eorum humiliassem*, id est dæmones superbos hostes animarum repressissem · *Et super tribulantes eos*, id est super vitia et peccata eos interius tribulantia *misissem manum*, id est potentiam *meam*, auferens ea, ne tribularent eos. *Forsitan* ideo dicitur quia eos non conversuros
D præscivit. Similitudo est affectuosi patris, qui pervicacem filium in nequitia dimittit facere quod vult, et tamen postea conquerendo dicit ad amicos suos se velle recipere, si resipisceret. Hoc tractum est de Judæis, qui legem Dei abjicientes traditi sunt inimicis.

Diapsalma. Sequitur vox *Asaph* prolocutoris Regis. Rex populo præcepta dedit, præmia promisit, et ipsi promiserunt se omnia facturos : sed

VERS. 16. *Inimici Domini mentiti sunt ei*. Omnis, qui amicus est hujus sæculi, *inimicus* Dei constituitur. Qui non implent quod in baptismo Deo promiserant, *inimici* Dei fiunt, dum mentiuntur ea quæ se facturos promiserant, et ad vomitum ut canes redeunt. *Et erit tempus eorum in sæculo*, hoc est, in

hoc tempore et in hoc *sæculo* faciunt quod volunt; in alio sæculo in puncto ad inferna descendunt. At, cum hoc fecerint, quæ desideraverunt, post hæc *erit tempus eorum in sæcula*, scilicet tempus punitionis in æternum, quando eis dicetur: « Ite in ignem æternum (*Matth.* XXV, 41.), » ubi « vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur (*Isa.* LXVI, 14; *Marc.* IX, 43, 45, 47). » Sic solemus dicere: Cras erit tempus tuum, id est cras lues quidquid peccasti. Vel *tempus*, id est defectus eorum erit in æternum sine fine. Et qui sunt isti *inimici?* Quos

VERS. 17. *Cibavit ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos*, hoc est, quos communicavit sacramentis suis. Hoc tractum est de historia, ubi manna eis pluit, et aquam *de petra* produxit. Per hoc datur intelligi quod ille panis cœli, qui omne delectamentum habuit, naturaliter ut optimum *frumentum* sapuit, et aqua *de petra* producta pro delectatione utentium saporem mutavit. Nam alibi de hac *petra* scribitur: « Ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo (*Deut.* XXXII, 13). » Alicui enim ut *mel*, alicui ut oleum vel vinum sapuit. Per *adipem frumenti* intelligitur corpus Domini, per quod reficiuntur electi. Per *mel de petra* accipitur dulcedo Spiritus sancti. Vel *mel de petra* est sapientia fluens de Christo. Videtur enim magna dulcedo, quod quis proposita ænigmata potest solvere. Inimicos suos sibi mentitos Rex damnabit; amicos autem suos frumenticeo cibo et mellito potu saturabit, id est omni dulcedine pleni gaudii replebit.

Nota ordinem octavæ decadis ad gratiam Novi Testamenti pertinentis. In primo psalmo describitur potentia, et justitia novi Regis a Deo missi Judæis. In secundo, insolitus mos ejus, a quibus culpatur, quia hostes suos divitiis et honoribus exaltat, amicos suos egestate et oppressione coangustat. In tertio, mirabilis æquitas judicii ejus refertur, quia malos per malos punit, sicuti Judæos per Romanos contrivit. In quarto, pro judiciis suis a populo laudatur. In quinto, habitatio Regis in Sion et Jerusalem memoratur. In sexto fit querimonia humani generis in conspectu Regis pro ejectione sua de hæreditate paradisi. In septimo, Rex legem pro populo proponit, per quam hæreditatem recipere possit, et *Asaph* prolocutor Regis refert beneficia, quæ patribus contulit, quibus de afflictione eductis amissam hæreditatem reddidit. Sem quippe primitus terram Chanaan inhabitavit, sed post divisionem linguarum progenies Cham habitatores illius terræ expulit et eam possedit: quos Dominus per Hebræos, proprios hæredes ejecit, et hæreditatem vi ablatam reddidit. In octavo fit gravis apud Regem lamentatio de hæreditate ejus ab hostibus pervasa, et in urbe regia depopulata occisis habitatoribus, regione vastata. In nono iterum querimonia de vinea ab hostibus dissipata, quæ magna cura a Rege erat plantata. His omnibus a Rege juste judicatis, in decimo populus ad victoriæ solemnitatem tubis clangentibus convolat, in qua Regi organis et tympanis concrepat, a Rege frumento et melle reficitur, amissa hæreditas, lac et mel fluens gaudentibus redditur.

PSALMUS LXXXI.

Deus stetit in Synagoga deorum, etc. Novem ordines angelorum in Scripturis inveniuntur; et hæc nona decas, in qua multa de filiis Dei vel angelis et æterna beatitudine scribuntur. De illo enim tractat, qui est Deus et homo, per quem homines angelis consociantur. Hic psalmus est octogesimus primus, qui numerus octonario et denario et monade est distinctus. Per octonarium resurrectionis beatitudo, per denarium laboris remuneratio, per monadem æternæ vitæ gaudium, quod « unum necessarium (*Luc.* X, 42.), » intelligitur. Ideo hic numerus huic psalmo ascribitur, quia omnes, qui Christum Deum et hominem fideliter credunt, in resurrectione vitæ præmium ipsum percipiunt. Materia enim psalmi est Dei in homine conversatio. Intentio est ut Christum crucifixum Deum credamus, quatenus Dei filii, vel dii nominemur et simus. Titulus est:

(VERS.) 1. PSALMUS ASAPH.

Hoc est, hæc laus Dei est fidelis populi ad infidelem populum, ut cognoscant Christum esse Deum. Verba sumpta sunt de lege, ubi sacerdotibus, qui dii dicuntur, præcipitur, ut juste judicent populum; et respicit ad principes sacerdotum, qui injuste judicaverunt Christum. Per duo diapsalmata, ut tria membra secatur, quia per duo testamenta tres partes mundi Asia, Africa et Europa ad fidem Christi convertuntur. Prima parte Christus Deus et homo describitur; in secunda Judæorum iniquitas et ignorantia culpatur; in tertia justorum Deificatio, impiorum dejectio Christi in omnibus gentibus hæreditas memoratur. Vox *Asaph*, id est fidelium:

Deus stetit in Synagoga deorum. Synagoga deorum est congregatio justorum. Sacerdotes etenim vel prophetæ oleo uncti dii, ut in lege scribitur: « Diis non detrahas (*Exod.* XXII, 28), » vel sacerdotibus. Et Moysi dicitur: « Deum te constitui Pharaonis (*Exod.* VII, 1). » Non angeli, sed homines dicti sunt dii, quia Deus assumpsit hominem, non angelum. Unde, dum quidam angeli voluerunt dii appellari,

a summo Deo sunt damnati. *Deus* igitur *in Synagoga deorum stetit*, dum *Deus* in Christo inter homines conversatus, inter apostolos et sacerdotes mansit. *Stetit* enim pro *mansit* sæpe ponitur. Nunc dicimus : in illa civitate per annum *stetit*, id est mansit vel conversatus est. *In medio autem deos dijudicat*. Prophetæ dii Christum præcesserunt, apostoli dii eum secuti sunt. *In medio* ipse quasi meditullium fuit, qui utrosque in se conjunxit, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Hic deos dijudicat, id est discernit, quia apostolos per dona Spiritus sancti a sacerdotibus legis discrevit. *Deos* etiam discrevit, dum uni scientiam, alteri sapientiam, alii prophetiam, alii aliam gratiam dedit. *Deos* autem, scilicet principes sacerdotum judicavit, dicens :

VERS. 2. *Usquequo judicatis iniquitatem?* Iniquum judicium erat, quod mentham, rutam et anethum offerendum censebant, et justitiam Dei negligebant. Injuste judicabant, qui prophetas a Deo missos occidi decernebant. Iniquitas erat, quod Filium Patris ad vineam missum occidendum judicabant, ut ipsi hæreditatem ejus haberent. Usquequo *facies peccatorum sumitis?* Præceptum erat in lege, ut personas in judicio non acciperent, sed juste omnibus judicarent. Ipsi vero divites justificabant, pauperes vero opprimebant. *Usquequo*, id est quandiu hæc facitis? Usque adeo hoc fecerunt, dum faciem Barrabbæ latronis sumerent, et faciem Christi innocentis damnarent,

VERS. 3. *Judicate egeno et pupillo. Diapsalma.* Christus *egenus* erat, qui non habuit, ubi caput reclinaret, quia, cum esset dives, pro nobis pauper factus est. Idem erat *et pupillus*, quia in cœlo non habuit matrem, in terra caruit patre. Huic o sacerdotes secundum justitiam ejus judicate et nolite condemnare : *Humilem et pauperem justificate.* Christus excelsus in cœlis, humilis factus est in terris. Dives in cœlis, pauper in terris. Hunc in judicio vos populi *justificate*, et nolite reum clamare. Est etiam sic intelligendum, ut judices *egeno et pupillo* juste judicent, *humilem*, id est despectum *et pauperem* in causa sua justificent. Et vos principes,

VERS. 4. *Eripite pauperem* Christum a Judæis furentibus comprehensum, *et egenum de manu peccatoris*, id est de manu Pilati injuste damnatum de morte *liberate*. Hoc omnibus bonis faciendum est, ut *pauperem*, membrum Christi, de oppressionibus eripiant ; *egenum* de impiis liberent. Sequitur :

VERS. 5. *Nescierunt, neque intellexerunt*, hoc est, Scribæ et Pharisæi *nescierunt* Christum esse Deum, *neque intellexerunt* legem de eo scriptam. *In tenebris ambulant*, id est in cæcitate perseverant usque dum lumen æternum morte exstinguant. Quod si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Quod quia fecerunt, *movebuntur omnia fundamenta terræ.* Quando enim crucifixus exspiravit, tota terra commota tremuit.

Aliter : *Omnia fundamenta terræ movebuntur;* quia principes terræ ad fidem Christi cum fidelitate converterentur.

Diapsalma. Christus, in infirmitate carnis crucifixus resurgens, in virtute Dei stetit in medio discipulorum, id est apostolorum, dicens :

VERS. 6. *Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes.* Hunc sensum aliis verbis expressit dicens : « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt (*Joan.* XX, 23). » Peccata namque dimittere est officium Dei.

Quæritur, quando dixerit apostolis : *Dii estis?* Utique quando eos dixit amicos suos et fratres. Christus est Deus : ergo sui fratres sunt *dii, et filii Excelsi*, id est Patris. Sed Christus per naturam Deus, ipsi per gratiam. Ipse per naturam Dei Filius ; ipsi per gratiam adoptivi *filii*, et hæredes regni, cohæredes Christi. Christus a Patre natus Deus, sed factus homo ; ipsi nati homines, sed facti *dii*.

VERS. 7. *Vos autem* summi sacerdotes, *sicut homines moriemini.* Hic discrevit deos a diis, apostolos a sacerdotibus. Alia translatio habet : *Vos sicut Adam moriemini*, hoc est, ego statui ut dii essetis, et veni in carne, ut filii Excelsi et hæredes regni Dei omnes essetis : *vos autem* per malitiam decepti *sicut Adam moriemini*, qui deceptus fuit a diabolo : vel *sicut homines*, scilicet carnales in peccatis *moriemini* æterna morte, quia non vultis me vitam cognoscere. *Et sicut unus de principibus cadetis.* Decem ordines erant in cœlo : in unoquoque princeps suus. Dignior ordo cecidit, et multitudo angelorum secum corruit, ut scribitur : « Draco traxit cum cauda in terram tertiam partem stellarum (*Apoc.* XII, 4). » Sicut ergo princeps dæmonum cecidit de cœlo, sic *vos* principes sacerdotum *cadetis* a gloria, qua dicti estis dii. Et sicut princeps diabolus, cum sponte cecidit, non est seductus ab alio aliquo, ita Caiphas et alii principes non seducti per alium aliquem, sed sponte Dominum occiderunt, et ideo cadent a gloria Dei in profundum inferni. Sequitur vox *Asaph*, id est fidelium, quia nolunt converti :

VERS. 8. *Surge, Deus, judica terram.* Qui injuste judicatus jacuisti in sepulcro ut homo, *surge*, in judicio ut Deus, *judica* terrenos, excæca Judæos : *Quoniam*, illis excæcatis, *tu hæreditabis in omnibus gentibus*, id est pro uno populo fido possidebis per fidem omnes gentes. Superius facta est querimonia a colonis, quod hæreditas (regnum Judææ) pervasa sit a gentibus. Hæc hæreditas nunc ei multipliciter redditur, dum omnes gentes ab eo possidentur.

Aliter : Deus surgens terram judicabit, dum Christus Deus et homo in judicio terrenos, id est terrena amantes damnabit, et in omnibus gentibus hæreditabit, dum de omnibus gentibus justos ad hæreditatem regni vocabit, quos ipse in æternum possidebit.

PSALMUS LXXXII.

Deus, quis similis erit tibi, etc. Hic psalmus agit (A) de perditione hostium. In superioribus psalmis dictum Ecclesiæ est, quod hæreditas Regis sit vastata, et vinea ejus dissipata, et quod denuo sit ei possessio omnium gentium restituta. In hoc psalmo tractatur, qui hæreditatem et vineam ejus vastaverint, vel istam impugnent, aut qualem mercedem receperint, vel adhuc recepturi sunt. Et sicut in priori psalmo Christus Deus et homo cum suo corpore, id est electis est descriptus : ita in hoc psalmo Antichristus cum suo corpore, id est cum omnibus reprobis tangitur, qui omnes Ecclesiam, hæreditatem et vineam Christi tollere laborabunt, pro qua re ad extremum peribunt.

Hic psalmus est octogesimus secundus, qui numerus in quadraginta et quadraginta, et in duo dividitur. (B) Quadraginta pœnitentiam, duo exprimunt dilectionem. Ideo hic numerus huic psalmo apponitur, quia uterque populus et Judaicus, et gentilis, qui Ecclesiam, hæreditatem Dei impugnat, et pœnitentiam agere non vult, damnabitur; et populus Christianus geminam dilectionem habens salvabitur. Titulus psalmi est :

(VERS. 1.) CANTICUM PSALMI ASAPH.

Canticum psalmi est una dictio, et est cantus quem chorus præcinit, et organa sequuntur, vel consonant. Et significat lætitiam mentis pro æternis cum bona operatione. Istud *canticum* est *Asaph*, id est fidelis congregationis de Judæis, quod cantat Deo in lætitia spirituali pro hostium Ecclesiæ dejectione, et fidelium remuneratione. (C)

Materia psalmi sunt invasores hæreditatis Christi. Intentio est nos hortari talium studia declinare, ut possimus in hæreditate Domini computari. Verba sumuntur partim de libro Judicum, partim de libro Regum, in quo scribitur, quod multæ gentes Hebræorum gentem pervaserint, et vastaverint, et oppresserint. Et significat, quod Judæi, pagani, hæretici, falsi christiani impugnant Ecclesiam Christi, dissipant, opprimunt, diripiunt.

In duo secatur. Prima pars est : *Deus, quis similis*, in qua dicitur, qualiter Antichristus cum suo corpore in Ecclesiam sæviat, qui vineam Christi dissipare festinat. Altera : *Fac illi sicut Madian*, (D) in qua scribitur, qualiter eum Deus cum suis subvertat. Vox Asaph, id est fidelis congregationis :

VERS. 2. *Deus, quis similis erit tibi?* Antichristus non solum Deo vult esse similis, sed etiam « extollitur supra omne quod dicitur, aut quod colitur Deus (*II Thess.* II, 4). » Sed, o Christe, verus *Deus, quis* erit in judicio *tibi similis?* Nullus. Hic multi videntur tibi esse similes per hoc quod impune peccant. Sed erit quandoque, cum videbuntur non tibi fuisse hic similes, cum subibunt pœnas, quas non poterunt repellere de hoc quod se tibi assimilaverunt. Et tunc, Domine, *ne taceas* a vindicta, qui nunc taces in patientia, « dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam (*Sap.* XI, 24). » Vindica, *neque compescaris, Deus*, a vindicta. Qui nunc patienter tolerat iniquitatem malorum, tunc non compescetur, id est non refrenabitur in æternum a supplicio eorum. Oppone eis potentiam tuam,

VERS. 3. *Quoniam ecce inimici tui*, Judæi, pagani, hæretici, falsi christiani magnum exercitum congregaverunt, tuba *sonuerunt, et qui oderunt te*, id est hi omnes odientes *te, extulerunt caput*, hoc est, Antichristum in regem levaverunt, et ut Deum adoraverunt. *Inimici* Domini *sonant*, cum malum prædicant: *odientes* eum caput extollunt, dum mentem in superbiam erigunt.

VERS. 4. 5. *Super populum tuum malignaverunt consilium.* Inimici tui congregati fecerunt malignum consilium *super populum tuum* Christianum. *Et cogitaverunt adversus sanctos tuos*, quomodo eos perderent. *Dixerunt : Venite, disperdamus eos de gente, et non memoretur nomen Israel ultra*, hoc est : pariter super Christianos irruamus, et eos de humano genere tollamus, ut non sit ultra memoria Christiani nominis in terra. *Israel* namque sunt fideles, qui sunt semen Abrahæ. Resiste eis,

VERS. 6. *Quoniam cogitaverunt unanimiter*, id est multi sunt unanimes, et erunt in cogitatione contra nos. *Simul adversus te testamentum disposuerunt*, hoc est, pactum contra tuos pepigerunt, obligantes se promissione ad persequendum tuos. Et qui *disposuerunt?* Undecim gentes Ecclesiam sub custodia duodecim apostolorum impugnantes. Gentes dico gentiliter viventes, scilicet

VERS. 7, 8, 9. *Tabernacula Idumæorum et Ismaelitæ, Moab, et Agareni, Gebal et Ammon, et Amalec, alienigenæ cum habitantibus Tyrum. Etenim Assur venit cum illis : facti sunt in adjutorium filiis Lot.*

Hæ gentes devastaverunt olim gentem Hebræorum, et significant eos qui quotidie devastant populum Christianorum. His occurrit David cum exercitu, et occidit septingentos currus et quadraginta millia equitum, et victor rediit cum magna præda; quia Christus hostes Ecclesiæ in vitiis prosternit, atque de eis prædam reducit, dum eos ad studia virtutum convertit. *Tabernacula Idumæorum* est multitudo terrenorum. Esau dictus est *Edom* : inde

dicuntur *Idumæi*, quod sonat *terreni*, qui illos significant, qui tantum terrena sapiunt, ut Judæi. *Ismael* erat filius Abrahæ ex Agar. *Ismaelitæ* interpretantur *obedientes sibi*, quod sunt falsi Christiani, qui obediunt voluptatibus suis. *Moab* fuit filius Lot ex filia, et dicitur *ex patre* vel *ex lege*, quod designat illos qui ex patre sunt diabolo, et rejiciunt legem Domini, id est præcepta ejus, et sua instituta volunt ponere. Ab *Agar* dicuntur Agareni, quod sonat *alieni*, et sunt hæretici, qui se alienant a corpore Ecclesiæ per hæresim suam. *Gebal* fuit rex orientalium et dicitur *vallis vana* et significat hypocritas qui, jejunando et aliis modis, se religiosos esse fingunt, propterea ut nomen religionis sibi acquirant. Isti sunt mortiferi in Ecclesia, quia, cum dant sententiam erroris, cito creditur propter sanctitatem, quæ in eis putatur. *Ammon* erat filius Lot ex altera filia, et dicitur *turbidus populus*. Et sunt magistri hæreticorum, qui alios faciunt turbidos sua immunda doctrina, qui prius erant clari, dum rectam fidem haberent. *Amalech* erat filius Eliphaz filii Esau, et dicitur *lingens terram*. Significat vero illos qui, in Ecclesia positi ambiunt divitias mundanas et honores, quasi aliqua beatitudo sit in eis. Isti sunt multum nocivi, quia exemplo suo et admonitione aliquando docent alios appetere terrena. *Alienigenæ* sunt Philisthæi ab urbe *Philisthiim* dicti, quæ et Ascalon dicitur: ideo *Alienigenæ* dicti, quod magis omnibus aliis alieni erant a Judæis, et eos persequebantur. *Philisthæi* autem interpretantur *potione cadentes*, et significant luxuriosos, qui inebriati fœtore libidinis cadunt in interitum. *Tyrus* est civitas quam condidit Sidon filius Chanaan, quæ Hebraice Sor a quodam pisce, quod sonat *angustia* vel *tribulatio*, et significat *infideles*, qui inhabitant *Tyrum* studentes inferre fidelibus angustiam et tribulationem. Vel habitant in *Sor*, hoc est, in angustia animæ. *Assur* erat filius Nemrod, a quo Assyrii, in quibus regnabat Nabuchodonosor, qui duxit exercitum super populum Domini. *Assur* dicitur *dirigens*, et intelligitur diabolus dirigens impios in perditionem. *Hic venit cum illis*, id est inspirat eis, ut persequantur Ecclesiam Dei. In hoc, quod dicit: *cum illis*, notat liberum arbitrium illorum, quod non coacti, sed sponte persequantur eos.

Hi omnes *facti sunt in adjutorium filiis Lot*, id est adjuvant dæmones in destructionem Ecclesiæ. *Lot* erat filius Aran fratris Abrahæ, et interpretatur *declinans*, designans principem dæmonum, qui sponte declinavit a gratia Dei, cujus filii sunt alii dæmones, imitatores ejus, conantes destruere Ecclesiam, quod non possunt, nisi per ministerium aliquorum. Descriptis undecim gentibus super Ecclesiam congregatis prosequitur principes earum septem, scilicet Madian, Sisara, Jabin, Oreb, Zeb, Zebee, et Salmana, qui olim gentem Hebræorum destruere nitebantur. Et significant illos qui nunc Ecclesiam Dei destruere conantur. Sed, sicut illi victi sunt a muliere, scilicet Debora prophetissa vel Jahel, ita isti conterentur a Dei sapientia. Quorum damnatio hic scripta est:

Vers. 10. *Fac illis sicut Madian*. Historia tangitur, quæ talis est: Filii Israel, derelicto Domino, servierunt Baal, et tradidit eos Dominus in manus *Madian*, et Amalec, et ab oriente Gebal Ismaelitarum. Qui sicut arena maris repleverunt vastantes Israel. Quibus Gedeon cum trecentis occurrit, ac media nocte hostes insiliens clangore buccinarum, et strepitu lagenarum adeo castra perterruit, ut omnes se mutuis vulneribus occiderent, reliqui fuga ad Jordanem dispersi sunt (*Judic.* VII). Quorum principes *Madian*, Oreb, Zeb, ab Ephraim capti, cum aliis centum viginti millibus bellatorum prostrati sunt. Zebee vero et Salmana, qui primi equos domuisse feruntur, cum aliis quindecim millibus trans Jordanem profugerunt, ibique occisi sunt. Sic fac istis ut propriis mucronibus corruant, et *fac illis* sicut *Sisaræ, et sicut Jabin in torrente Cisson*. Alia historia tangitur, quæ talis est: Filii Israel adoraverunt idola, et conclusit eos Dominus in manus *Jabin* regis Assur: quingentis curribus falcatis oppressit Israel, et servierunt ei viginti annis. Barac autem judex Israel, assumptis decem millibus pugnatorum, venit ad montem Thabor cum Debora. Tunc *Sisara* princeps militiæ regis *Jabin* castra posuit in torrente *Cisson* cum nongentis curribus. Ad quem descendens Barac, perterrefactis a Domino curribus, persecutus est eos Barac, et contrivit eos. Sisara autem fugiens pedibus pervenit ad Jahel uxorem Haber Cinæi et Galilæam (42). Quæ susceptum abscondit in conclavi, dormientemque per tempora clavo fixit. At filii Israel cæteros persecuti sunt in Endor, qui est vicus grandis ad meridiem montis Thabor, et deleverunt eos (*Jud.* IV). *Sicut* illi perierunt, sic pereant hostes Ecclesiæ. *Fac illis*, hoc est, facies illis *sicut Madian*. *Madian* dicitur *declinans* vel *relinquens judicium*, et significat eos, qui a mandatis Dei declinant, et relinquunt justum judicium, nec timent futurum judicium. Et *Sisaræ*, quod sonat *visio equi* vel *exclusio gaudii*, et significat bellis et litibus contentos, per discordiam gaudium a se excludentes. *Sicut Jabin*, quod dicitur *intellectus*, et significat philosophos in sua sapientia confidentes, non in gratia Domini. Vel *Jabin* interpretatur *sapiens in sua generatione*, et significat illos qui sapienter congregant aurum et argentum, etc. *In torrente Cisson*, quod dicitur *duritia*, hoc est, illi tales existunt in abundantia malitiæ cordis. Et ideo

Vers. 11. *Disperierunt in Endor*, quod sonat *fons generationis*, quia, qui in carnali generatione sunt, et regenerationem ad vitam ducentem non curant, peribunt. Ideo fontem posuit, quia generatio ex generatione procedit. Et quandoquidem dediti erunt

(42) Ita Cod.

perditioni, et nihil boni faciunt in hac vita, quare permittit eos Deus vivere? Hoc non est sine utilitate, quia *facti sunt ut stercus terræ*, id est similes erunt stercori, quod in se immundum et vilissimum superjectum terræ facit eam fertilem. Ita ipsi in se viles et sordidi faciunt Ecclesiam Dei fructiferam inferendo tribulationem. In futuro ita facies eis, et infideles peribunt. In hac autem vita

VERS. 12, 13. *Pone principes eorum*, scilicet magistros hæreticorum, falsorum christianorum, infidelium, *sicut Oreb*, quod dicitur *foramen*, in quo habitat serpens, et inde sibilat, et significat hæreticos, qui sunt foramen antiqui serpentis, per quos sibilat, et in quibus latitans pungit alios aliquo errore. Et sicut *Zeb*, quod interpretatur *lupus*, et significat infideles, qui quotidie insidiantes rapiunt gregem Dei, et trajiciunt in corpus suum. *Et Zebee*, quod dicitur *victima lupi*, quod sunt falsi Christiani, qui se ipsos faciunt victimam diaboli peccando. *Et* sicut *Salmana*, quod interpretatur *consummatio*, et sunt Judæi consummati in vitiis. Sicut illi omnes ponendi sunt, sic *pone* omnes hostes Ecclesiæ. *Et omnes principes eorum, qui dixerunt: Hæreditate possideamus sanctuarium Dei*, id est obtineamus Ecclesiam Dei more hæredum.

VERS. 14. *Deus meus, pone illos ut rotam*, id est fac eos similes rotæ. Fac eos cadere in anteriora, et surgere in posteriora sicut rota facit. Anteriora sunt æterna; posteriora sunt temporalia. In anterioribus, id est in potioribus cadunt, qui ea appetunt. *Et* pone eos *sicut stipulam ante faciem venti*, hoc est, fac eos impotentes, ut facile cedant omni pravæ suggestioni. Ita pones eos in hac vita, in futuro autem pones eos sic:

VERS. 15, 16. *Sicut ignis, qui comburit silvam, et sicut flamma comburens montes, ita persequeris illos in tempestate tua, et in ira tua turbabis eos*, hoc est, ita convinces eos in judicio tuo, in quo erit tempestas, id est ventilatio separans grana a paleis: et ita *turbabis eos in ira tua*, id est in vindicta tua, scilicet in ipsa pœna, *ita*, dico, sicut persequitur *ignis comburens silvam*, et sicut persequitur devastans montes. Majorem habet vim ignis *in monte*, ubi ventus plus potest, quam in *silva* posita in valle. Et ideo, ut magnam persecutionem denotaret, dicit: *Et sicut flamma comburens montes. Tempestas* Dei sunt boni angeli, qui hoc faciunt in judicio, quod facit *tempestas* in aere. Ideo dicit Scriptura Dominum venturum et judicium « in tempestate valida (*Psal.* XLIX, 3). » Sequitur oratio pro convertendis.

VERS. 17. *Imple facies eorum ignominia*, id est *imple facies* quorumdam confusione in hac vita, hoc est, perfecte confundantur de hoc quod persecuti sunt sanctuarium tuum, *Et quærent nomen tuum, Domine*, constituere, quod prius quærebant destruere. Et quorum facies hic non implentur ignominia, tandem

VERS. 18, 19. *Erubescant*, id est confusionem habeant de omnibus peccatis suis, *et conturbentur in sæculum sæculi*, id est doleant in æternum, *et confundantur* coram angelis et hominibus, *et pereant* cum dæmonibus, *ut cognoscant quia nomen tibi Dominus*, quia noluerunt te hic cognoscere Dominum, ut Patrem. Et hoc *cognoscant*, quoniam *tu solus Altissimus in omni terra*, id est *tu solus* potentissimus es in toto mundo. Hæc erit retributio inimicis Domini, qui nunc destruunt hæreditatem ejus, quando tradentur in tenebras exteriores, cum quærent homines mortem, et non invenient. Et tunc amici Domini obtinebunt gaudium et lætitiam, et fugiet dolor et gemitus.

Notandum quod sacra Scriptura multis modis per similitudines loquitur, aliquando per Hebræa nomina, ut maxime in hoc psalmo, aliquando per lapides, ut in Ezechiele, ubi dicit: « Omnis lapis pretiosus operimentum tuum, jaspis, onychinus, beryllus, etc. (*Ezech.* XXVIII, 13); » aliquando per arbores, ut in libro Sapientiæ, ubi dicit: « Quasi cedrus in Libano, et quasi cypressus in monte Sion (*Eccli.* XXIV, 17); » aliquando per loca, ut in Tobia: « Jerusalem, luce splendida fulgebis (*Tob.* XIII, 13); » aliquando per bestias, ut ibi: « Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem (*Psal.* XC, 13); » aliquando per aves, ut ibi: « Factus sum sicut pellicanus, et sicut passer (*Psal.* CI, 7); » aliquando per herbas, ut ibi: « Sicut granum sinapis (*Matth.* XIII, 31; XVII, 19), » et multa talia reperies.

PSALMUS LXXXIII.

Quam dilecta tabernacula tua, etc. Præcedens psalmus cecinit retributionem malorum, hic canit remunerationem justorum. Hic est in ordine octogesimus tertius. Octonarius resurrectionem, senarius numerus præmium, ternarius exprimit Trinitatem, qui numerus designat, quod electi in resurrectione præmium vitæ in Trinitate percipiant. Titulus ejus est:

(VERS. 1.) IN FINEM PRO TORCULARIBUS, FILIIS CORE PSALMUS.

Finis ad quem sancti tendunt, est æternæ vitæ gaudium. *Torcularia*, in quibus uvæ vel baccæ olivæ

premuntur, sunt Ecclesiæ, in quibus electi a reprobis graviter affliguntur. Sed, sicut vinum vel oleum in apothecas eliquatur, vinacium vel amurca foras ejicitur, sic justi de pressuris mundi in æterna tabernacula recipiuntur, impii vero in sæva tartara recluduntur. *Core* dicitur *calvaria*, *filii Core* sunt imitatores Christi in loco Calvariæ crucifixi. Iste psalmus, id est hæc metrica laus Dei ascribitur *filiis Core*, id est imitatoribus Christi in pressuris mundi, quæ laus canitur *pro torcularibus*, id est pro Ecclesiis a malis oppressis, tendentibus *in finem*, id est in æternum gaudium. Nota quod tantum in tribus psalmis ponitur titulus : *Pro torcularibus*, in octavo scilicet et octogesimo et octogesimo tertio. Octavus Christi resurrectionem; octogesimus nostram resurrectionem ; tertius significat Trinitatis visionem. Octavus ascribitur *David*, quod dicitur *manufortis*, quia Christus fortis in prælio vicit mortem in resurrectione; octogesimus attitulatur *Asaph*, quod dicitur *congregatio*, quia significat nostram congregationem in resurrectione in ipso; octogesimus *tertius* attribuitur *Core*, quod dicitur *calvus*, significans Christum, quia post resurrectionem Christum in Calvaria crucifixum in gloria Trinitatis videbimus.

Materia psalmi est desiderium sanctorum de futura beatitudine. Intentio est ostendere necessarias esse pressuras præsentis vitæ ad consequendam beatitudinem supernæ patriæ. Verba sumpta sunt, de ipso David, qui post tabernaculum Domini a Moyse factum aliud fecit, expensas in opus templi dedit, quod ipsum facere prohibuit; et significat quod fidelis populus Ecclesiam tabernaculum Domino facit, bona opera ad construendum in cœlo templum expendit, in quo ipse Deum in sæculum sæculi laudabit. In tres partes dividitur, quia trinus ordo Ecclesiæ, virginum, viduarum, conjugatorum ad visionem Trinitatis in domum Dei colligitur. Prima pars est : *Quam dilecta tabernacula*, in qua laudatio justorum in domo Domini in æternum describitur. Secunda est : *Beatus vir cujus est auxilium abs te*, in qua visio Dei exprimitur. Tertia est : *Protector*, in qua dies æternitatis, in qua gratia et gloria memoratur. Vox *filiorum Core*, id est perfectorum æterna gaudia desiderantium.

VERS. 2, 3. *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum. Tabernacula* nostra, in quibus Regi nostro militamus, sunt corpora nostra, in quibus premimur ut uva in *torcularibus*. *Tabernacula* autem Domini sunt æterna gaudia, in quibus milites sui immensa perfruuntur lætitia. O Domine supernarum virtutum, nostra *tabernacula* sunt despecta, quia mœrore, tristitia, pressura sunt plena, tua *tabernacula* sunt multum *dilecta*, quia gaudio et lætitia sunt plena ! Ideo *concupiscit et deficit anima mea in atria Domini*. Atrium vocatur domus Dei propter amplitudinem quæ tanta est, quod alter minus non habet propter alterum, quod hic non est, quia quanto

A unus plus habet, tanto alius minus. *In* hæc *atria*, multum desiderat *anima mea* venire, et non ab eis, sed in ea *deficit*, sicut uva per pressionem deficit ab eo, quod uva erat, et fluit in vasa Domini, quod non potuit interim, dum uva fuit ; per hoc notatur quod milites æterni Regis, qui hic sunt in militiæ labore, cupiunt cum Domino esse in requie. Unde sequitur : *Cor meum, et caro mea exsultaverunt in Deum vivum*, hoc est, ratio mea et carnalitas, id est sensualitas mea cum exsultatione cupit ire in *Deum vivum*, hoc est, in illam immortalitatem et impassibilitatem, quæ in Deo est. Perfectorum est istud, cum jam sensualitas concordat cum ratione, et idem cupit, scilicet æterna : vel anima et corpus meum Deum in æterna vita videre cupiunt, ubi B æternaliter exsultent, qui hic in pressuris gemunt.

VERS. 4. *Etenim passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos. Passer* non in silvis habitat, sed in parietibus nidificat domorum, et apto loco reperto nimium exsultat, quia se ab insidiis rapacium volucrum tutum sperat. *Turtur* vero non domum ut *passer* quærit, sed nidum in secreto loco quibusdam particulis construit. Per *passerem* anima accipitur, quæ in cœlesti domo mansionem habere cupit, ubi ab insidiis dæmonum et pressuris malorum secura esse possit. Per *turturem* vero, quæ nonnisi uni conjungitur, corpus intelligitur, quod rationi animæ subjicitur, quod vigiliis, jejuniis, eleemosynis nidum sibi ædificat, ubi C *pullos*, id est bona opera reponat. Cor tanquam *passer invenit domum*; caro tanquam *turtur nidum, ubi ponat pullos. Domus* tanquam ad sempiternum erigitur: *nidus* ad tempus congeritur. Corde cogitamus Deum tanquam passerem volantem ad domum suam; carne autem agimus bona opera. *Domus* est charitas, *nidus* catholica fides. *Passer domum invenit*, dum anima charitatem, quæ Deus est, ad æternam mansionem erigit. *Turtur nidum sibi, ubi pullos ponat*, construit, dum corpus bona opera in fide catholica reponit. Quæ *domus*, et quis *nidus? Altaria tua, Domine virtutum*. Vel, sicut in priori versu legitur : *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum*, ita legendum est : Quam dilecta *altaria tua*, D *Domine virtutum*. Quæ figura dicitur apodosis [*Cod.* aposini], id est a communi, quando superiora respondent ad inferiora. *Altaria* Dei sunt Christi humana caro et rationalis anima, super quæ quotidie offeruntur fidelium sacrificia, in quibus æternas mansiones habebimus, et cœlestibus conviviis super has mensas epulabimur, quia ipse est *Dominus virtutum*, id est angelorum. *Rex* noster regens nos in virtutibus, cum contra acies vitiorum militamus; *et Deus* noster, qui nos creavit sibi subditos, æternis bonis remunerabit. De quibus subditur :

VERS. 5. *Beati, qui habitant in domo tua, Domine*. Domus Dei est cœlestis Jerusalem, in qua est visio Dei, omnimoda gloria, plenum gaudium. Qui

in hac domo habitant, beati sunt, quia omnia incommoda eis absunt, universa bona pro voto eis affluunt Et quid ibi faciunt? *In sæculum sæculi* [vulg. *in sæcula sæculorum*] *laudabunt te.* Hoc erit totum negotium nostrum sine defectu. Stabilitas est ibi magna, et ipsa immortalitas jam corporis nostri suspenditur in contemplatione Dei. Amor sempiternus et insatiabilis pulchritudo ibi erit : ideo et laus sine fine erit, quia et illa beatitudo perennis erit. Ad hanc beatitudinem nemo perveniet, nisi auxilio Dei. Ideo sequitur :

VERS. 6, 7. *Beatus vir, cujus est auxilium abs te.* Hoc est, ille tantum erit *beatus*, cui tu auxiliaberis in hac vita. Et per gradus ascensionis ascendat illuc in valle lacrymarum. Unde subditur : *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum*, id est ille *vir* positus *in valle lacrymarum*, id est in dejectione corporis et animæ, in qua sunt *lacrymæ*, id est multæ miseriæ. Ex libero arbitrio et ex gratia *disposuit* in interiori suo ascendere de hac *valle* per gradus virtutum. Ipse *disposuit*, sed facere non potuit, nisi Deo auxiliante : verbi gratia, potest disponere totam substantiam pauperibus erogare, monasterium intrare ; sed nullo modo, nisi per gratiam adjutricem poterit perficere. *Vallis* est hic mundus, mons cœlum. Mundus *vallis lacrymarum*, plenus miseriarum; mons altitudo gaudiorum. De *valle* ad montem ascensus sunt virtutum gradus. Ille *vir* est *in loco, quem posuit*, id est in peregrinatione hujus mundi, quam peccando in primo homine promeruit. Vel quem *locum* Deus posuit, dum homini intelligere dedit, quod in imo positus sit, et contristetur se hic esse cupiatque hinc discedere. Vel *in locum* est ascendendum, quem Deus *posuit*, *in* quo *loco* facie ad faciem videbimus, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Et quomodo sit auxilium ab eo, dicit :

VERS. 8. *Etenim benedictionem dabit legislator.* Legislator est Christus. *Lex* sunt præcepta charitatis, benedictio est adjutrix gratia. Ergo, qui *legem* dedit, *benedictionem* quoque *dabit*, quia, qui præcepta instituit, etiam gratiam ad implenda ea *dabit*, et implentibus legem *benedictionem* æternæ hæreditatis *dabit*, cum dicet : « Venite, benedicti Patris mei (*Matth.* XXV, 34). » Hac spe suspensi et gratia Dei adjuti *ibunt de virtute in virtutem* ascendentes in scala charitatis per gradus *virtutum* in locum, quem Dominus posuit, in quo est omnimoda gloria et plenum gaudium, et sic tandem *videbitur* ab eis *Deus deorum in Sion*, hoc est, Deum Christianorum in cœlesti Sion videbunt facie ad faciem. Quasi enim scala de valle mundi ad cœlum charitatis erigitur, dum excellentior scientiæ via ab Apostolo describitur, cui quasi diversi gradus virtutum inseruntur, cum dicitur : « Charitas patiens est, benigna est (*I Cor.* XIII, 4), » etc. Qui per hos gradus scandentes ambulabunt, Deum *in Sion*, id est in superna speculatione videbunt. Finita enim ne-

A cessitate mortalitatis Christus sicuti est *Deus* apud *Deum*, Verbum apud Patrem, mundis corde apparebit.

Aliter. *Deus*, qui per Moysen legem dedit, *in Sion* visus est, dum Christus in Hierosolymis apparuit, qui *in Sion* hospitium habuit. Quia talis est beatitudo, ut dixi, quam sancti in supernis habebunt, ubi ipsum Deum videbunt. Pro nimio desiderio, quod inde habet, orat, ut eum *in Sion* videat.

VERS. 9. *Domine, Deus virtutum, exaudi orationem meam.* Qui es *Dominus* in rebus, et *Deus* creator omnium *virtutum*, da effectum *orationi* meæ, ut te videam in Sion. *Auribus percipe, Deus Jacob.* Qui es *Deus* laborantium, *percipe* in omni-
B potentia tua *orationem meam*, ut de *Jacob* facias me *Israel*. *Jacob* sunt, qui hic in Ecclesia peregrinante militant, luctantes contra vitia : Israel sunt, qui Deum in regnante Ecclesia conspiciunt in gloria.

VERS. 10. *Protector noster* a vitiis *aspice nos* laborantes in pugna, et fac te, Deus, videri a nobis. Et quia propter peccata non vis in nos aspicere, qui fœdi sumus, *respice in faciem Christi tui*, id est in speciositatem Filii tui. Merita Filii tui prætendimus, qui pro nobis factus est speciosus et decorus : et ideo justum est, ut nos miserando aspicias, et te ad aspiciendum nos perducas. Quare tantum desideras venire in atria Domini?
C Ideo,

VERS. 11. *Quia melior est dies una in atriis tuis super millia. Dies una* est æternitas, quæ est melior *super millia* dierum in hac vita, quia nulla tempestate obscuratur, nullo æstu uritur, nullo vespere terminatur. Et *quia melior est* illa *super millia*. *Elegi abjectus esse in domo Dei mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Apud me potius *elegi* esse ultimus in *domo Dei*, quam dominus esse in transitoriis domibus peccatorum. Nota, quod dixit : *Habitare*, cum tabernacula sint ad tempus, quia si etiam sibi concederetur ita habitare, ut posset usque ad finem mundi vivere, tamen potius eligeret minor esse in *domo Dei*, quam primus esse *in tabernaculis peccatorum*. Et qua fiducia appetis
D illum diem? Hac,

VERS. 12. *Quia misericordiam et veritatem diligit Deus*, id est ipse misericors et verax in promissis. *Misericordiam diligit*, quia primo mihi subvenit. *Veritatem diligit*, ut credenti det quod promisit. In Hebræo habetur : *Quia sol et scutum sit Dominus Deus.* Ipse enim per illuminationem misericordiæ suæ efficitur nobis sol justitiæ promissa sua veraciter implens *scuto* bonæ voluntatis suæ coronat nos. *Gratiam et gloriam dabit* nobis *Dominus* ; *gratiam*, ut bona faciamus; *gloriam*, ut coronam vitæ percipiamus. Quod est dicere : Ego, qui ut uva premor hic in torculari, elegi præ divitiis et honoribus mundi habitare, vel abjectus in domo Dei esse, ubi est dies una melior super millia, quia per miseri-

cordiam et veritatem Christi dabitur gratuito æterna gloria.

VERS. 13. *Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia*, hoc est, non auferet ab eis æterna *bona*, qui hic perseverant usque in finem *in innocentia*. Et cum Deus æterna *bona* eis non auferat, gaudium eorum nemo alius tollet ab eis. Ad hæc *bona* per spem pervenitur. Unde et sequitur : *Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.* Hoc est : O *Domine virtutum*, qui in te sperant ibunt de virtute in virtutem. *Hic homo beatus* est, quia hoc modo perveniet ad summam beatitudinem.

PSALMUS LXXXIV.

Benedixisti, Domine, terram tuam, etc. In superiori psalmo milites Regis in tabernaculo oppressi ab hostibus tabernacula imperatoris adire desiderant. In hoc psalmo hæreditatem Domini ingressi læti gratias agunt. Hic psalmus est octogesimus quartus, quod sunt septies duodecim. Per septenarium æterna requies, per duodenarium perfectio exprimitur. Designat autem quod omnes perfecti per septiformem Spiritum sequentes doctrinam duodecim apostolorum introibunt in requiem Domini. Titulus est :

(VERS. 1.) IN FINEM FILIIS CORE PSALMUS.

Hoc est : Ista laus tendit in Christum cantata imitatoribus Christi. *Finis* laboris nostri est Christus. Ad hoc enim laboramus ut ad eum perveniamus. *Core* dicitur *calvus*, et est ille qui a Judæis velut Eliseus a pueris irrisus est, quando in Calvariæ *monte* crucifixus est. In hunc calvum, id est in Christum credentes, et eum imitantes filii ipsius sunt. « Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus (*Job* I, 12). » His cantatur hic *psalmus* ; et ipsi erunt possessores hæreditatis Domini.

Materia psalmi est laus eorum qui hæreditatem Domini possederunt. Intentio est ut de collatis beneficiis gratias agamus, ut hæreditatem ejus capiamus. Verba tracta sunt de populo qui post captivitatem recepit hæreditatem, et significat genus humanum quod post diabolicam captivitatem per Christum recepit paradisi hæreditatem. Per duo *diapsalmata* partitur in tria membra, quia per duo præcepta charitatis pervenitur ad visionem Trinitatis. In primo membro gratiarum actio pro beneficiis Dei ; in secundo humani generis vivificatio et Dei ostensio ; in tertio pax hominibus reddita memoratur. Vox est lætantium hæreditatem Domini possidentium.

VERS. 2. *Benedixisti, Domine, terram tuam. Terra* Dei est Ecclesia. Hæc erat maledicta, dum idola colebat, et dum spinas et tribulos peccatorum gignebat. Hanc *Dominus benedixit*, dum Filium suum in terram misit, qui eam a maledictione solvit, quæ imbre benedictionis et fonte baptismatis irrigata fructus bonorum operum protulit. Similitudo est ab illo qui terram diu incultam amissam recipit et tunc omni instantia eam excolit. Et quomodo benedixerit, dicit : *Avertisti captivitatem Jacob*. Hoc tractum est inde quod populus captivus a Babylonia est reductus. Per *Jacob* intelligitur populus fidelis a diabolo in confusione peccatorum captivus. Cujus *captivitatem* Dominus avertit, dum eum morte Filii sui liberavit. Per cujus mortem

VERS. 3. *Remisisti iniquitatem plebis tuæ*. Debitum dimisisti, et per fidem tuam plebem, non prius tuam, fecisti. Et in baptismo *operuisti omnia peccata eorum* originalia et actualia. Similitudo ab his qui in mari sunt operti cum liberati evaserunt læti. Et postquam tibi satisfactum est a Filio tuo pro homine,

VERS. 4. *Mitigasti omnem iram tuam*, id est alleviasti omnem meriti vindictam. *Omnis ira* Dei erant pœnæ peccati, mortalitas, passibilitas et omnis cruciatus. Hæc jam fidelibus *mitigavit*, non ex toto abstulit ; sed per spem futuræ gloriæ alleviavit ; in futuro autem omnem dolorem a suis auferet. *Avertisti ab ira indignationis tuæ. Ira* Dei indignationis vel furoris (ut alia translatio habet) est æterna damnatio. Ab hac ira se Deus avertit, dum per Christum homini debitum Adæ remisit, et ab æterna damnatione eripuit. Nota sex Dei beneficia per figuram omoteleuton [*Cod.* omœoteleuton] expressa, quæ similibus litteris multa terminat ut : *Benedixisti, avertisti, remisisti, operuisti, mitigasti. Benedixisti, Domine* Jesu, *terram* nascendo. *Avertisti captivitatem* prædicando. *Remisisti iniquitatem* moriendo. *Operuisti peccata* resurgendo. *Mitigasti iram* Spiritum sanctum dando. *Avertisti* a furore naturam nostram ad cœlos ducendo, avertes adhuc in judicio a damnatione eripiendo.

Diapsalma. Quia per mortem Mediatoris hæreditate recepta multi peccaturi erant, unde iterum hæreditatem redditam amissuri erant, ideo nunc orant :

VERS. 5. *Converte nos, Deus salutaris noster*, qui nos in cruce salvasti, *converte nos* a peccatis nostris ad pœnitentiam, a lapsu ad veniam ; et de persecutoribus Ecclesiæ defensores, de blasphemis fac prædicatores, de contradictoribus discipulos. *Et averte iram tuam a nobis*, ne in judicio iratus auferas hæreditatem tuis per crucem redditam, per fidem et operationem receptam. Et quia Deus multos pro peccatis in hac vita flagellat, subditur :

VERS. 6, 7. *Nunquid in æternum irasceris nobis?* A Hoc est: si hic nos ut filios paterno affectu castigas, num *in æternum*, ut servos rebelles iratus Dominus damnas et hæreditate privas? Non facies. *Aut extendes iram tuam a generatione in generationem*, ut nos punias pro peccatis parentum nostrorum, aut filios nostros pro nostris commissis? Non facies. « Filius non portabit iniquitatem patris, nec pater portabit iniquitatem filii, sed quisque onus suum portabit (*Ezech.* XVIII, 20). » Ira Dei est vindicta ejus. De illa ira mortales sumus, tormentum dolorum et vinculum mortis, et laqueos tentationum in hac carne portamus. Hæc ira extensa est *a generatione* Adæ usque *in generationem* Christi, in quo omnes vivificabuntur, sicut in Adam omnes moriuntur. Num *extendes* hanc *iram* ab hac *generatione*, quæ B in hoc mundo est, in illam *generationem*, quæ post resurrectionem futura est, ut ibi talia patiamur, qualia hic patimur? Non sic erit. Quia *tu, Deus*, a nobis propter peccata aversus, propter Christum ad nos *conversus* in anima *vivificabis nos* per baptismum vel pœnitentiam: *et plebs tua lætabitur in te*, quæ malo suo lætabatur in se. De se voluit habere gaudium, et invenit in se planctum. Nunc, quia Deus est totum suum gaudium, lætatur in eo solo.

Aliter: *Deus tu conversus* ab ira ad misericordiam *vivificabis*, id est resuscitabis *nos* in resurrectione; *et plebs tua*, quæ hic fuit, *lætabitur* in eis quæ *in te* sunt, immortalitate et impassibilitate. C Ideo

VERS. 8. *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam*, id est in hac vita *ostende* te esse misericordem dimittendo nobis peccata; et in futuro *ostende* quam misericorditer nos salvaveris; *et ibi salutare tuum*, id est Christum Filium tuum *da nobis* amplectendum et possidendum, et munere æternæ gloriæ perfruendum. Da, ut noverimus, et videamus Christum tuum, non quomodo illum Judæi viderunt et crucifixerunt, sed quomodo angeli vident et gaudent.

Diapsalma. Post hanc orationem Propheta cohibens se a strepitu mundi, et avertens se ad se, et a se ad illum, cujus vocem audiebat interius quasi tumultuantem contra vitæ hujus inquietudinem, et D contra animam corpore quod corrumpitur aggravatam, et sensum terrena inhabitatione deprimentem, multa cogitantem, ait:

VERS. 9. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*, id est Spiritus sanctus. Per hoc datur auctoritas, quod Deus hunc librum per hominem locutus sit, qui non auribus exterioribus loquitur, sed interiori homini inspirando loquitur. *Audiam* ut servus, quid præcipiat *Dominus*, et intelligam ut filius, quid loquitur cordi meo *Deus*. Et quia de terrenis ad cœlestia raptus fuit, quid ei Rex locutus sit, dixit: *Quoniam loquetur pacem in plebem suam*, hoc est, promittit suis æternam *pacem* et quietem, ut ultra non turbentur aliquo metu. Vox Dei *pax est*: ad *pacem* vocat Deus in torcularibus oppressos. In filiis Dei, filiis *Core*, imitatoribus Christi, erit pura *pax* omnibus se amantibus, omnibus se videntibus, plenis Deo, cum erit Deus omnia in omnibus, ipsa plena et perfecta *pax*. Hanc *in plebem* suam *loquitur*, *et super sanctos suos*, id est super sancte viventes in illa plebe, *et in eos qui convertuntur ad cor*, id est in pœnitentes, qui de mortiferis ad salutaria cogitanda convertuntur, sicut prodigus filius de porcis in se reversus de patre cogitavit. Dominus *pacem in plebem suam* locutus est, quando Christus *pax* vere natus est. Unde mox angeli *pacem* hominibus bonæ voluntatis nuntiaverunt. *Super sanctos suos pacem* locutus est, quando a mortuis resurgens apostolis dixit: « Pax vobis (*Luc.* XXIV, 36). » *Pacem in eos, qui convertuntur ad cor*, locutus est, quando gentibus a diabolo conversis ad Creatorem remissionem peccatorum et gratiam suam dedit. Quanquam omnes salvet, non tamen ad omnes corporaliter veniet.

VERS. 10. *Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius.* Apud Judæos conversabitur, in gentibus prædicabitur. Christus erit salvatio omnibus Deum timentibus. Non longe est a Deo quisque regionibus sed affectibus. Qui amat Deum prope est, qui odit eum longe est. Omnibus se communem præbebit. *Ut inhabitet gloria in terra nostra*, id est in Ecclesia. *Gloria* jam per Christum *in terra nostra* habitat, quia Romanum imperium sub Christiana religione imperat. *Gloria in terra nostra* habitat, quia in futuro Rex gloriæ in Ecclesia, *terra* viventium, sine fine regnabit. *Gloria* quoque *in terra nostra* habitabit, quando immortalitas et impassibilitas in carne nostra perpetuo habitabit. Per quid veniet illa pax et illa gloria? Per hoc quod

VERS. 11. *Misericordia et veritas obviaverunt sibi*, id est, quod Deus ita misertus est hominibus, sicut promisit per prophetas. Concorditer occurrunt in homines et *misericordia* redemptionis, et *veritas* promissionis.

Aliter: *misericordia* in gentibus, *veritas* in Judæis *obviaverunt sibi* per mediatorem Dominum Jesum Christum, qui fecit utraque unum. Vel obviabunt in futuro, id est, concordabunt sibi in Deo *misericordia* et *veritas*.

Justitia et pax osculatæ sunt, id est, qui fecerit justitiam inveniet *pacem*. Vel *justitia* est remissio peccatorum, *pax* vero dilectio Dei et proximi, quæ per Christum inventæ sunt hominibus.

Aliter. Gloria terræ nostræ dabitur, quia *misericordia* et *veritas* sibi in judicio obviabunt, id est, concordabunt: *misericordia*, quæ dextros in gaudium Domini sui intromittet; *veritas*, quæ sinistros in ignem projiciet. Tunc *justitia* et *pax* se osculabuntur, quia justi in pacem et gratiam Dei Patris per Filium recipientur. Hoc totum inde fiet, quia

VERS. 12. *Veritas de terra orta est*, hoc est, Christus, per quem omnia Patris promissa complentur, de Maria virgine natus est. *Et justitia de cœlo pro-*

spexit, id est, Verbum Dei, per quod peccatores justificantur, et omnia juste disponuntur, de Patre, qui est cœlum cœlorum, processit.

Aliter. *Veritas de terra* oritur, cum confessio peccatorum de terrenis offertur, *justitia de cœlo* prospicit, cum fit remissio peccatorum per cœlum cœlorum. Quod autem *veritas*, id est, confessio oritur ex nobis, fit per gratiam. Unde subditur :

VERS. 13. *Etenim Dominus dabit benignitatem*, id est, per gratiam suam inspirabit nobis confiteri peccata nostra. *Et terra nostra dabit fructum suum*, id est, virgo Maria pariet Deum et hominem.

VERS. 14. *Justitia ante eum ambulabit*, id est, justi promovebuntur in fructu bono ad beneplacitum ejus. *Et Dominus ponet in via gressus suos*, id est, vestigia sua *ponet* in his qui sunt aliis via operando et docendo. *Ambulabit* cum eis, hoc est, adjuvabit eos ad bene operandum. Vel justi *ponent* opera sua *in via*, id est, in conformitate Christi, qui est via ducens ad se vitam et veritatem.

Iste psalmus in hoc continuatur priori, quod ibi cantatur : *Misericordiam et veritatem diligit Deus;* hic autem : *Misericordia et veritas obviaverunt sibi.* Ibi : *Gratiam et gloriam dabit Dominus*, hoc est, *ut inhabitet gloria in terra nostra.* Hic psalmus ideo in Nativitate Domini psallitur, quia ibi *veritas* Christi *de terra* virgine oritur.

PSALMUS LXXXV.

Inclina, Domine, aurem tuam. Titulus hujus psalmi est :

ORATIO IPSI DAVID.

Hoc est, *oratio* designata his vocibus attribuitur vero David, Domino Jesu Christo. Duo tantum psalmi sunt, quibus *oratio ipsi David* inscribitur, scilicet decimus sextus et iste, quia duæ sunt Ecclesiæ, una de Judæis, altera de gentibus, quæ corpus Christi nominantur, et quarum caput ipse describitur, et aliquando ipse in membris suis orat, aliquando membra per caput orant. Orat pro nobis ut sacerdos noster, orat in nobis ut caput nostrum, oratur a nobis ut Deus noster. Ipse namque est Deus de Deo, et homo cum hominibus, cum Deo exaudiens, cum hominibus orans. Et quia in præcedenti psalmo facta est mentio pacis, quæ est regnum cœlorum, hic psalmus jure sequitur, in quo oratur, ut de inferno inferiori eruatur. Hic psalmus est octogesimus quintus. Et Moyses octoginta erat annorum, quando descendit in Ægyptum, ut educeret populum, cui dedit legem quinque librorum, significans Christum qui in hoc octogesimo quinto psalmo scribitur descendisse ad inferna, ut educeret populum quinque sæculorum.

Materia psalmi est *oratio* Christi pro Ecclesia, vel Ecclesiæ in capite suo Christo. Intentio est nos informare ad orationem, per quam perveniendum est ad æternam hæreditatem. Verba sumpta sunt de ipso David, super quem iniqui insurrexerunt, et synagoga potentium, scilicet Saul, Absalon et alii animam ejus quæsierunt, quem Dominus adjuvit, et imperium dedit. Significat autem Christum, super quem iniqui Judæi insurrexerunt, et synagoga principum sacerdotum animam ejus perdere quæsierunt, quem Dominus adjuvit in passione, et dedit ei imperium in resurrectione.

In tres partes secatur, quia corpus Christi in tres ordines, in doctores, continentes, conjugatos, partitur. Prima pars est : *Inclina, Domine*, in qua propria oratio capitis scribitur. Secunda est : *Deduc me, Domine*, in qua capitis oratio exprimitur. Tertia est : *Deus, iniqui*, in qua Christi passio et resurrectio tangitur. In hoc psalmo nunc caput, nunc corpus loquitur. Vox Ecclesiæ :

VERS. 1. *Inclina, Domine, aurem tuam, et exaudi me.* Ad infirmum *auris* inclinatur, ut vox ejus audiatur. Humanum genus infirmum jacuit in lacu miseriæ et in valle lacrymarum, ad quod bonus medicus Deus *aurem* misericordiæ inclinavit, et vocem clamantis exaudivit ita dicentis : *Quoniam inops et pauper sum ego. Inops*, quia opes paradisi perdidi; *pauper*, quia egestate et infirmitate extabui. Hanc vocem pius medicus exaudivit, dum Filium suum ad subveniendum misit (ut præcedens psalmus retulit), quia jacentem de cœno levavit, propriis humeris saucium portavit, balneo baptismatis lavit, stola prima, quam amisit in paradiso, induit, nomen suum ei imposuit, regni hæredem ascripsit. Vox Christi :

VERS. 2. *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum.* O Pater! Ex tuo præcepto in lacum miseriæ descendi, hominem lapsum de luto fæcis extuli, sine sordibus peccatorum ipse mansi, in hac sanctitate animam meam custodivi. Aliquando in psalmis loquitur infirmum membrum, ut ibi : « Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum (*Psal.* VI, 3). » Aliquando sanum per Christum caput sanctificatum, ut hic : *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum*, scilicet per baptisma et corpus tuum. Vox membri :

Salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te. Qui me redemisti, te recognosco Dominum, me profiteor *servum tuum* Qui me creasti, te confitebor *Deum meum*, in te spero solum. *Salvum fac*

tibi obedientem, et *in te sperantem.* Vox membri in tristitia positi :

VERS. 3, 4. *Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die,* id est, assidue vel omni tempore. Qui assidue Deum orat, hunc Deus clamantem a tribulatione miserando liberat. *Lætifica animam servi tui* per veniam in amaritudine pœnitentiæ positam : *Quoniam ad te, Domine, animam meam levabo* [Vulg. *levavi*] bona intentione, quæ jacuit in carnali delectatione. In te nunc delector,

VERS. 5. *Quoniam tu, Domine, suavis et mitis, et multæ misericordiæ, et copiosus in misericordia,* vel, ut alia translatio habet : *Omnibus invocantibus te. Suavis es,* quia es ipsa dulcedo, tristitiam tollens, lætificans animas, dans virtutes. *Mitis* es, quia patienter sustines peccantes, et non statim punis. *Copiosus* es *in misericordia* condonando peccata per pœnitentiam. *Multæ misericordiæ omnibus invocantibus te,* non aliud. Qui Deum invocat pro pecunia, pro dignitate, pro inimicorum vindicta, non Deum invocat, sed illud quod assequi desiderat. Porro omnibus qui te orant, ut non punias eos propter peccata sua, sed patienter feras, ut condones eis, ut postea des eis bene operari, es *mitis, suavis et misericors.* Vox membri in tribulatione positi :

VERS. 6, 7. *Auribus percipe, Domine, orationem meam,* id est, clementer audi quæ oro : *et intende voci orationis meæ,* hoc est, intellige quid orem. *Oratio* est pro præsentibus, deprecatio pro futuris. Pro utrisque exaudi me orantem. Nam *in die tribulationis meæ clamavi ad te, quia exaudisti me,* hoc est, in tempore afflictionis *exaudivisti me,* quia *clamavi ad te* cupiens exire de tribulatione, et ad te, qui es æterna requies, pervenire. Totum tempus hujus vitæ est *dies tribulationis.* Nullus est dies, quo non tribuletur justus, quia « quandiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino (*II Cor.* 5, 6). » Si dulcis est patria, amara peregrinatio; si amara peregrinatio, tota die tribulatio : unde tota die est clamandum ut liberemur. Vox membri liberati, et de liberatione jubilantis :

VERS. 8. *Non est similis tui in diis, Domine.* In diis gentium vel in diis a te factis nullus est tibi *similis. Et non est secundum opera tua.* Nullus potest talia facere, qualia tu facis, qui justificas impios, et liberas oppressos. Vox sacerdotum Ecclesiæ :

VERS. 9. *Omnes gentes, quascunque fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine.* Adam et Evam fontem omnium gentium fecit Dominus, de quo fonte *omnes gentes* fluxerunt. Ergo *omnes gentes* fecit. Ideo omnes venient ad Creatorem suum, non pedibus sed fide et religione et relictis idolis *adorabunt coram te, Domine,* in interiori suo, et in beneplacito tuo, *et glorificabunt nomen tuum,* hoc est, laudabunt te bonis operibus. Et merito :

VERS. 10. *Quoniam magnus,* id est potens *es tu, et faciens mirabilia* qualibet, alii non :

Quia tu es Deus solus naturaliter, alii gentium

A electione vel tua constitutione. Vox totius corporis :

VERS. 11. *Deduc me, Domine, in via tua.* De omnibus gentibus ad te curro, *deduc me in via tua,* Christe, hoc est, in fide et cognitione Filii tui, qui nobis est via ad te vitam, *et ingrediar in veritate tua,* id est, in præceptis Christi, qui est veritas, in institutis. *Lætetur cor meum* in via ambulando, *ut timeat nomen tuum,* quod est, Domine, præcepta tua servando.

In Hebræo habetur : *Unicum fac cor meum, ut timeat nomen tuum,* hoc est, multiplex erat in desideriis mundi; *fac unicum* in tuo amore, et dilectione. Vox populi de inferno liberati :

VERS. 12. *Confitebor tibi, Domine Deus meus, in*
B *toto corde meo,* hoc est, laudabo te in tota anima mea, qui es *Dominus et Deus meus, et glorificabo nomen tuum in æternum,* id est, gloriam nominis tui et hic et in futuro cantabo. Et merito :

VERS. 13. *Quia misericordia tua magna est super me,* qui me in refrigerium duxisti; *et eripuisti animam meam ex inferno inferiori.*

Quæritur quid sit *infernus inferior.* Superior infernus est mortalitas, quæ est in corpore : *Infernus inferior* est mors animæ, quæ est mors interior, et ideo vocatur *infernus inferior.*

Aliter : Est habitatio quædam cœlestis angelorum, ubi vita ineffabilium gaudiorum, ubi immortalitas et incorruptibilitas, ubi omnia secundum donum
C Dei et gratiam permanentia : illa pars rerum superna est. Sic ergo illa superna est, hæc terrena, ubi caro et sanguis, ubi corruptibilitas, ubi nativitas et mortalitas, ubi successio atque decessio, ubi mutabilitas et inconstantia, ubi timores, cupiditates, lætitia incerta, spes fragilis, caduca substantia, et hæc pars rerum infernus est. Sed rursus ab hoc inferno, id est ab hac parte inferni, est aliud inferius, quo eunt mortui, unde voluit Deus eruere animas nostras etiam mittendo illuc Filium suum. Etenim propter ista duo inferna missus est Filius Dei undique liberans. Ad hoc infernum missus est nascendo; ad illud moriendo.

Est et alia opinio. Fortassis apud inferos est aliqua pars inferior, quo traduntur impii, qui plurimum
D mum peccaverunt, ubi dives cum torqueretur, levavit oculos suos ut Abraham videret. Non autem posset levatis oculis videre, nisi ille esset superius, ille inferius. Ergo inter ista forsitan duo inferna. quorum in uno quieverunt animæ justorum, in altero torquebantur animæ impiorum, lætatur iste animam suam eripuisse Deum de *inferno inferiori,* id est, de talibus peccatis, per quæ posset duci ad tormenta *inferni inferioris.* Per quid animam ejus de *inferno eruerit,* dicit, scilicet per mortem Christi. Hoc est quod sequitur. Vox Christi :

VERS. 14, 15. *Deus, iniqui,* id est Judæi, *insurrexerunt super me,* et comprehenderunt me, *et synagoga potentium,* id est, congregatio principum, sacerdotum, *quæsierunt* perdere *animam meam : et*

non proposuerunt te in conspectu suo; sed occiderunt me Filium tuum. *Et tu, Domine Deus*, Pater *miserator et misericors, patiens, et multæ misericordiæ, et verax, respice in me* hominem a te assumptum, et per me libera hominem perditum. *Et miserere mei* dando homini immortalitatem per me qui subivi pro eo mortem. *Da imperium tuum puero tuo*, id est, *da* potestatem dilecto tuo, ut *imperium* diaboli destruam, animas inde eruam. *Et salvum fac* de morte me *filium ancillæ tuæ* Mariæ. Hoc homo ad verbum dicit.

VERS. 16. *Fac mecum signum in bono*, ut resurgam, non in malo, ut de cruce descendam. In isto quippe est humani generis reparatio, in illo vana acclamatio. Tale signum fac, *ut* inimici mei Judæi *videant, qui me oderunt, et confundantur*, id est, erubescant; *quoniam tu, Domine, adjuvisti me* resuscitando a morte, quem putaverunt te dereliquisse, *et consolatus es me* in tristitia, quia animas per me eduxisti de inferno ad gaudia.

Notandum quod Patrem septem nominibus appellat, et per singula verba paterna majestas diffinitur. Est quippe *Dominus* omnium, *Deus* creator universorum, *miserator*, quia singulis rebus misericordiam facit; *misericors*, quia semper pia est natura Deitatis; *patiens*, quia peccatores sustinet; *multæ misericordiæ*, quia ad conversionem invitat; *verax*, quia omnia promissa sua implebit. Hæc licet de Patre dicantur, tamen et Filio et Spiritui sancto similiter inesse non dubitantur. Pater signum Jonæ cum Filio fecit, quia sicut piscis illum tertia die evomuit, ita hunc post triduum infernus reddidit. Imperium ei dedit, quia omne judicium ei commisit, et super omnia eum exaltavit. Unde ipse dicit: « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII, 18.) » Qui oderunt eum, confusi sunt, quia Judæi a Romanis occisi sunt. Potest et hoc de Ecclesia intelligi. Vox martyrum :

Deus, iniqui insurrexerunt super me, id est, persecutores afflixerunt me, *et synagoga* Judæorum *quæsierunt animam meam*, id est, vitam meam ad perdendum eam. *Et non proposuerunt te in conspectu suo*, id est, non crediderunt te Deum, sed potius me populum tuum in te credentem exquisitis pœnis occiderunt. Et tu, Domine, *respice in me*, qualiter crucior pro te; *et miserere* mei liberando me de æterno cruciatu, et *imperium*, quod nunc habent impii, qui nos discruciant, *da puero tuo*, id est, populo Christiano. *Et salvum fac* hic et in futuro *filium ancillæ tuæ*, id est populum Ecclesiæ tuæ. Cujus Ecclesiæ vox sequitur : *Fac mecum signum in bono. Signum* Deus cum Ecclesia fecit, quia Romanum imperium, quod eam persequebatur, pedibus ejus subegit. Hoc *signum in bono* fuit, quia Christo summo imperatori credidit. Hoc viderunt Judæi, qui eam oderunt, et confusi sunt, quia ab urbibus expulsi sunt; quoniam Dominus adjuvit Ecclesiam in persecutionibus, et consolatus est eam dando pacem, in futuro promittendo gloriam. Hic psalmus ideo in Epiphania Domini cantatur, quia ibi Christus a gentibus adoratur ut Deus.

PSALMUS LXXXVI.

Fundamenta ejus in montibus sanctis, etc. Superiori psalmo facta est mentio tabernaculi et domus Dei : in hoc autem psalmo describitur civitas Dei, in quam introducuntur electi. Hic psalmus est octogesimus sextus, quod sunt duodecies septem, insuper tria. Duodenarius designat apostolos hujus civitatis principes; septenarius sapientes septiformi Spiritu plenos, hujus civitatis doctores; ternarius omnes fideles hujus civitatis cives Trinitatem colentes : titulus psalmi est :

(VERS 1.) FILIIS CORE, PSALMUS CANTICI.

Hoc est : Iste hymnus compositus est de magna jucunditate, propositus omnibus fidelibus. *Psalmus* ex psalterio dicitur; *canticum* vero ex ore profertur. *Psalmus* refertur ad manus, id est, ad actionem; *canticum* ad contemplationem. *Filii Core* sunt filii resurrectionis.

Materia psalmi est civitas Dei. Psalmus etiam *magnus Dominus* de civitate Dei describitur; sed ille de civitate magna Jerusalem, iste quasi de turri Sion in urbe posita editur. Intentio ejus est nos hortari per fidem et operationem hujus civitatis cives fieri.

Per duo *diapsalmata* in tria membra distinguitur, quia habitatores hujus urbis in tres ordines, in doctores, continentes, conjugatos dividuntur, qui lege geminæ dilectionis reguntur. In prima parte ipsa civitas laudatur; in secunda habitatores ejus beatificantur; in tertia lætitia civium ejus memoratur. Verba accepta sunt de situ Jerusalem in monte positæ, in quam Babylonii, Tyrii et Æthiopes et alii populi confluxerunt, et lætitiam in ea habuerunt, et significat Ecclesiam in monte Christo locatam, in quam populi omnium gentium convenerunt, in qua æternam lætitiam habebunt. Vox Spiritus sancti :

Fundamenta ejus in montibus sanctis. Istud *ejus* non conjungitur his quæ in libro sunt, sed his quæ scriptor libri interius in spiritu vidit. Raptus enim extra se conspexit in spiritu civitatem Dei, et hoc etiam aliis narrare volens ex magna lætitia prorupit dicens : *Fundamenta ejus in montibus sanctis*, hoc

est, gloriosa est illa civitas, quam ego intus vidi, *fundamenta ejus sunt in montibus sanctis*. Ecclesia per simile dicitur civitas, quia sicut in civitate congregantur cives, sic in unam fidem coadunantur Ecclesiæ fideles. Hujus civitatis fundamentum est Christus, lapis angularis connectens in se duos parietes, Judæos et gentiles. Hujus civitatis artifex et conditor est Deus, et ipsa fundata super duo Testamenta. Hujus *fundamenta* sunt *in montibus sanctis*, id est, in prophetis et apostolis, super quorum doctrinam fundatur Ecclesia, ut scribitur : « Super fundamentum apostolorum et prophetarum (*Ephes.* II, 20). » Ideo dixit : *sanctis*, quia sunt *et montes* maris naufragosi, in quos sæpe impegerunt nautæ incauti, quod sunt hæretici et philosophi, hujus civitatis adversarii. Quod sit nomen hujus civitatis, dicit :

VERS. 2. *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob*. *Sion* vocatur hæc civitas in præsenti vita, quod dicitur *specula* vitæ; in futuro vocabitur *Jerusalem*, id est, *visio pacis* vel *Dominus ibidem*. *Portæ* hujus civitatis sunt apostoli vel doctores, per quos intramus ad regnum Dei. Janua ejus est Christus, per quam ad vitam intrabimus. *Tabernacula Jacob* sunt sancti prioris populi sub figuris hujus civitatis militantes. *Diligit* ergo *Dominus portas Sion*, id est apostolos, *portas* civitatis speculantis futura *super tabernacula Jacob*, id est, plus quam omnes sanctos prioris populi sive prophetas sive quoscunque militantes sub umbra.

Aliter : *Portæ Sion* sunt fides, spes, charitas et aliæ virtutes, quæ sunt in illa civitate, quæ sunt portæ cœlestes supernæ *Sion*, faciem Dei speculantes. Has *diligit* Dominus *super tabernacula Jacob*, id est super omnes observantias prioris populi, quibus intimabatur illa civitas semper manens, et semper cœlestis in pace.

Aliter : *Sion* est sanctorum coadunatio in cœlesti gloria. *Tabernacula Jacob* præsens justorum militia, quia hic luctando militant super vitia. Super istam illa spiritalis diligi dicitur, quia nihil in ea confusionis, nihil perturbationis esse declaratur. Similitudo est ab illa civitate, quæ est in monte constituta, et munita loco et opere.

VERS. 3. *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei*, per Spiritum sanctum. Et quæ sunt illa? Hæc videlicet, quod in ea erunt principes, idiotæ, rusticani, pauperes piscatores, et quod in ea erunt cives Babylonii, Philisthæi, Tyrii et Æthiopes. De his subditur :

Diapsalma. VERS. 4. *Memor ero Rahab et Babylonis scientium me*. Per *Rahab* meretrices, per Babylonem publicani intelliguntur, quia in hac civitate cives effecti præcedunt Judæos in regnum Dei. *Rahab* erat meretrix, quæ exploratores Jesu Nave excepit, quæ sola cum suis salvata est, quando Jericho corruit. *Rahab* dicitur *latitudo* vel *superbia*, et est gentilitas, quæ [per] latam et speciosam viam vitiorum ad interitum ibat, et in philosophia vel regni monarchia superbiebat, quæ apostolos Jesu excepit, et e mundo corruente per tubas angelorum cum suis, id est Christianis salvabitur, sicut Jericho per tubas sacerdotum corruente *Rahab* salvata legitur. Latam enim viam deseruit, et iter angustum ducens in hanc civitatem arripuit, et tumorem superbiæ deposuit, ac humilis facta in hac civitate civis esse meruit, sicut illa populo Dei associari, et in genealogia Christi scribi meruit. *Babylon* erat caput Assyriorum. Hæc a Semiramide regina, uxore Nini regis, de crudis lateribus et bitumine est structa, a Cyro et Dario est destructa, ambitu sexaginta stadiorum, de qua dicitur, quod mirabile fuerit, quia posset ab homine construi, sed mirabilius, quod posset destrui. *Babylon* dicitur *confusio*, quia ibi olim confusæ sunt linguæ hominum, et significat hunc mundum, in quo amatores ejus variis modis confunduntur. Qui de peccatis erubescentes cum *Rahab* in hac civitate habitare cœperunt, et regem hujus civitatis nosse, et ei servire meruerunt (*Jos.* II et VI). Est ergo sensus : Gentium cum idolis suis meretricantium, et de peccatis suis confusarum in hac civitate per fidem jam habitantium, et *me* per sacramenta *scientium ero memor* dando eis virtutes et gloriam.

Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, hi fuerunt illic. *Alienigenæ* sunt Philisthæi, qui dicuntur *cadentes potione*, quod sunt ebriosi et luxuriosi a regno Dei alieni. *Tyrus* dicitur *angustia*, et sunt persecutores Ecclesiam angustiantes. *Æthiopes* dicuntur *nigri*, et sunt peccatores nigri in peccatis. Hi omnes fuerunt hostes hujus civitatis, sed a Rege Christo subjecti facti sunt in ea devoti cives. Hæc omnia facta sunt gloriosa per Regem in ea natum, Deum et hominem. Hoc est, quod sequitur :

VERS. 5. *Nunquid Sion dicet : Homo et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus?* Hoc est, *homo* nascetur in ea civitate, et ipse idem *fundavit* eamdem civitatem prima creatione, quia idem, qui est *homo*, est et Deus *altissimus*, id est potentissimus. In hoc *fundavit eam*, quod illos fecit materialiter, de quibus construeretur hæc civitas spiritualiter. Sic autem hic versus construitur : *O Sion, nunquid* aliquis *homo dicet* istud? Civitas constructa est, *et homo natus est in ea, et ipse*, qui *natus est*, *fundavit eam*, et cum sit *homo*, est *altissimus?* Vix audebit hoc aliquis *homo* prædicare : incredibile enim et impossibile videbitur.

Alia translatio habet : *Mater Sion dicet : homo;* et est sensus : Synagoga, quæ est *mater Sion*, id est Ecclesiæ, *dicet* de Christo : Hic tantum est *homo*, *Sion* autem *dicit :* Ipse est *Altissimus*. Unde sciuntur ista?

VERS. 6. *Dominus narravit* (43) ea *in scripturis populorum*, id est in lege et prophetis, *scripturis* ad

(43) Vulg. *narrabit*.

utilitatem *populorum, et* in scripturis *principum*, id est apostolorum *horum, qui fuerunt in ea* principes, quandiu vixerunt, et talia docuerunt, et scripta reliquerunt. Sacra Scriptura est omnium *populorum*, quia omnes pene intelligunt eam, sæcularis autem scriptura paucorum est, quia pauci intelligunt. Quod enim Plato scripsit, vix tres intelligunt. Philosophi viam veritatis hominibus obcluserunt, dum sententias suas obscuris verbis involverunt, quam apostoli planis dictis mundo aperuerunt. Magna res facta est in civitate hac, magnum gaudium, magna lætitia! Ideo collocatis omnibus gaudiis clausit.

Diapsalma. VERS. 7. *Sicut lætantium omnium habitatio in te. Habitatio omnium in te*, o civitas Dei, non erit tristantium, sed *sicut lætantium* in hac vita, in futura autem vere *lætantium*. In tabernaculis hic conterimur; in civitate illa cœlesti habitatio nostra sola erit lætitia. Non erit ibi gemitus desiderantium, sed lætitia perfruentium. Aderit enim, cui suspiramus; « similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III, 2). » Non erit ibi aliquod negotium nostrum, nisi laudare Deum, et frui Deo. Habitabimur et habitabimus. Subjicientur illi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. Quid ergo erit? Quomodo, potuit lingua humana dixit: *Sicut lætantium omnium habitatio in te.* Quare *sicut lætantium?* Quia non invenit aliam similitudinem, nisi qualem hic homo novit.

Hic psalmus etiam ad animam pertinet. *Civitas Dei* est anima fidelis, cujus *fundamenta*, id est bonæ conversationis initia sunt *in sanctis montibus*, id est sanctorum vita et dogmatibus. Hæc civitas vocatur *Sion*, id est *specula vitæ*. Hujus *portas diligit Dominus. Portæ* hujus Sion, per quas anima ingreditur, est fides et baptismus. *Portæ*, per quas egreditur, est operatio et dilectio. *Tabernacula Jacob* est carnalis intellectus et traditiones Judæorum. De hac civitate *gloriosa dicta sunt*, quia de virtutibus, sicut de lapidibus est constructa; et quia Christo imperatori ut sponsa est conjuncta. Hujus *memor* est Dominus, quia de *Rahab* et *Babylon* conversa est ad eum, hoc est, de latitudine vitiorum et superbia mundanæ gloriæ et confusione peccatorum. In hac civitate habitant *alienigenæ* et *Tyrii* et *Æthiopes*, quia in cogitatione ejus manent pristinæ turpitudines, quæ eam a Deo alienabant: inde habet angustiam et timoris horrorem. Post hæc *nascitur* Christus *in ea*, id est virtus vel bonum opus ad imitationem Christi, et ipse *Altissimus fundavit* eam in virtutibus. Et *narrabit* ei voluntatem suam in *scripturis populorum*, id est in passionibus martyrum et vita sanctorum, et in *scripturis principum*, id est apostolorum et prophetarum. Et hoc *narrabit* ei, quod *habitatio* erit in ea *sicut lætantium omnium*, quia Christus rex virtutum in hac civitate regnabit in æternum, qui est plenum gaudium.

Hunc psalmum festum sanctæ Mariæ canit, quia ipsa Christum Deum et hominem genuit.

PSALMUS LXXXVII.

Domine Deus salutis meæ, etc. Præsens psalmus est de passione Christi, et de ejus morte et sepultura et ad inferos descensione. Milites laborantes in tabernaculis audita gloria, quæ est in civitate imperatoris, flagrabant nimio desiderio relictis castris hanc urbem ingredi et immensa lætitia perfrui. Quibus certamen indicitur, et quia per multas tribulationes oporteat introire in regnum Dei, eis prædicitur ut noverint introitum hujus civitatis esse tribulationem, sicut et Christum regem eorum prius oportuit pati, et ita intrare in illam gloriam, cui, sicut compatiuntur, et conregnabunt. Ne autem in certamine defficiant, certamen Christi regis ipsorum eis in hoc psalmo proponitur, et post pugnam victoribus corona promittitur, quia « nemo coronabitur, nisi qui legitime certaverit (*II Tim.* II, 5). » Legitimum certamen tale erat: Duo nudi oleo uncti simul luctabantur: si alter vero succubuit, non statim victus fuit; sed si sæpius elisus ex toto a lucta defecit, hic victus fuit, et hic servitio victoris addicebatur, victor vero laurea coronabatur. Sic certamen est inter Christianos et dæmones. Dæmones sunt nudi; Christiani oleo uncti. Si quis instinctu diaboli in aliquo peccato lapsus fuerit, non continuo servus ejus erit, si per pœnitentiam vires reparans fortis in adversarium insurrexerit. Sed si ex toto ab intentione resistendi peccato deficit, hic dominium se vincentis subibit, et hic corona carebit. Qui autem usque in finem in certamine perseveraverit, hic coronam vitæ reportabit.

Hic psalmus est octogesimus septimus, quod sunt novies novem, insuper sex. Per novenarium gaudium angelorum, per senarium labor hic certantium exprimitur. Designat hic numerus, quod hi, qui contra vitia pro Christo pugnant, angelorum gaudia in civitate gloriosa percipiant. Titulus psalmi est:

(VERS. 1.) CANTICUM PSALMI, FILIIS CORE, IN FINEM PRO MELECH (44) AD RESPONDENDUM, INTELLECTUS EMAN ISRAELITÆ.

Canticum est jucunditas contemplationis. *Psalmus* studium bonæ actionis. *Filii Core* martyres imitatores Christi in Calvaria crucifixi. *Finis* perse-

(44) Vulg. *Maheleth* et *Ezrahitæ*.

verantia. *Melech* [*Maheleth*] dicitur *chorus*, subauditur martyrum. *Ad respondendum*, subauditur : organis vel alii præcinenti, quia, cum præcentor præcinit, succentor chorus ei respondet. Ubi *intellectus* ponitur, et significat spiritaliter debere intelligi. *Eman* erat unus de peritis cantoribus, cui hic *psalmus* a David ad canendum est datus, et dicitur *frater ejus*. Significans Christum, qui factus est frater illius chori faciens martyres Dei filios. Quod addidit *Israelitæ*, significat quod ipsi erunt *videntes Deum*. Alia translatio habet : *Eman Ezrahitæ*. *Eman* sonat *accipiens*. *Ezrahita*, *indigena* vel *orientalis*, et significat martyres Christi in castris certantes, qui acceperunt a Domino quod pro eo possint pati, qui non sunt hospites et advenæ, sed sunt civitatis Dei indigenæ, scilicet cives et domestici Dei, et ab eo qui dicitur *oriens*, orientales dicti, sicut a Christo Christiani. Sic ergo titulus exponitur : Hoc *canticum psalmi*, id est hilaritas bonæ operationis proponitur *filiis Core*, id est imitatoribus passionis Christi, ut certent *in finem* pro corona justitiæ. Quod *canticum* est *pro Melech* [*Maheleth*], id est pro concordia *ad respondendum*, subaudis : Christo, hoc est, quemadmodum Christus sua passione præcinuit, ita chorus martyrum patiendo respondeat, si cum eo in civitate gloriosa regnare cupiat. Quodque *canticum* est *intellectus Eman Israelitæ*, hoc est, dirigens in intelligentiam ad Christum, fratrem Deum videntium. Vel *intellectus* hujus cantici adscribitur *Eman Ezrahitæ*, id est populo, qui accepit a Domino, ut sit indigena civitatis Dei.

Materia psalmi est Christi humiliatio in passione, vel in morte, vel in descensione. Intentio est nos hortari Christi exemplo per angustam viam ambulare, si velimus civitatem Dei intrare. Verba sumpta videntur de Joseph, quem fratres sui in lacum in solitudine posuerunt, cujus noti longe facti abominationem eum sibi fecerunt, a quibus Ismaelitis traditur : non est ab eis egressus. Significat autem Christum, quem fratres sui, scilicet discipuli in sepulcrum posuerunt, dum eum noti sui, videlicet Judæi, abominationem sibi in cruce posuerunt, qui a Juda traditus Pharisæis non est egressus ab eis.

Tres partes habet. Prima pars est : *Domine, Deus salutis*, in qua calamitates passionis Christi scribuntur ; secunda : *Nunquid mortuis facies mirabilia*, in qua sex interrogationes negative proponuntur ; tertia : *Et ego ad te, Domine, clamavi*, in qua Ecclesiæ, quæ est corpus Christi, miseriæ subjunguntur. Vox Christi in forma servi :

VERS. 2. *Domine, Deus salutis meæ*. O Verbum Fili Dei, qui es *Dominus* omnium, qui in me homine formam servi sumpsisti, tu *Deus*, qui me creasti, *Deus*, dico, *salutis meæ*, id est dans salutem homini per me, *in die clamavi*, id est in claritate, quam tecum habeo, populis prædicavi, *et nocte* hoc est, in tenebris Judæorum, et hoc *coram te*, id est, in beneplacito tuo. Vel *in die et nocte coram* Deo *clamavit*, quia in prosperis et adversis in conspectu Dei oravit.

Aliter : *In die clamavit*, quando psalmum *Deus, Deus meus, respice in me* in cruce cantavit, sicut scriptum est : *Eloi, Eloi, quod est : Deus meus, Deus meus*, etc. (*Marc.* XV, 34.) *In nocte clamavit*, quando in monte Oliveti dixit : *Pater, si vis, transfer calicem hunc a me* (*Luc.* XXII, 42). Et hoc *coram* Deo fuit, quia ipse solus novit, qua intentione hoc fecit. Ego *clamavi* :

VERS. 3. *Intret in conspectu tuo oratio mea : inclina aurem tuam ad precem meam*. Ingressus orationis in conspectu Dei est acceptio carnis ejus, in qua pro humana salute oravit. *Inclinatio auris* Dei est misericors exauditio, qua hominem lapsum de luto ad cœlestia levavit. Exaudi me :

VERS. 4. *Quia repleta est malis anima mea :* in peccatis pereuntis populi, vel anxietatibus per cruciatus carnis. *Et vita mea inferno appropinquavit*, quia per cruciatus morior, et sic ad infernum ibo. Vere moriar, quia ecce jam

VERS. 5, 6. *Æstimatus sum cum descendentibus in lacum*, id est damnatus sum cum latronibus, qui pro meritis suis ad infernum descendunt. *Factus sum sicut homo sine adjutorio*, hoc est, ita me reputant sicut hominem, qui nec amicum vel proximum habet, qui occisum vindicet. Vel ita me cruciant, quia ut peccatorem, a te derelictum, et post mortem cum aliis peccatoribus ad infernum descensurum æstimant, qui sum *inter mortuos liber* a peccato. Aliis mors est pœna peccati, mihi est voluntaria et causa salutis humanæ. Et quia liber sum a peccato inter mortuos in peccatis, non tenebor a morte in pœnis. Factus sum etiam *sicut vulnerati dormientes in sepulcris*. Ita per vulnera interfectus sum ab eis, *sicut* latrones pro sceleribus suis *vulnerati*, interfecti, projecti sunt in monumentis. Vel ita *æstimatus sum* ab eis, *sicut* illi, qui in anima sunt flagitiis *vulnerati dormientes in sepulcris*, id est quiescentes, in consuetudine peccatorum sepulti, vel qui in criminibus moriuntur, et ut dives in inferno sepeliuntur. *Quorum non es memor amplius* ad redimendum eos per me ; *et ipsi de manu mea repulsi sunt*, hoc est de salute, quam per me, manum tuam, operaris. Vulneratum et occisum

VERS. 7. *Posuerunt me in lacum*, id est in sepulcrum : et etiam *in lacu inferiori*, id est, animam in infernum : *In tenebrosis et in umbra mortis*, hoc est, « in terram tenebrosam, et opertam mortis caligine, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat (*Job* X, 21, 22). » Vel æstimatione sua *posuerunt me in lacu inferiori*, id est in profundissimam calamitatem, reputantes me omnibus hominibus miserabiliorem, qui morte turpissima, scilicet crucis supplicio damnatus essem. Et ideo *posuerunt me in tenebrosis*, id est inter latrones peccatis tenebrosos, *et in umbra mortis*, id est inter imitatores diaboli. *Mors* est diabolus. *Umbra mortis* iniqui

imitantes diabolum ut umbra corpus. Ideo talem æstimationem de me habuerunt, quia

VERS. 8. *Super me confirmatus est furor tuus. Furor* Dei erat vindicta sæviens multis pœnis in genus humanum. Hic *furor* super Christum est *confirmatus*, dum eum pro peccatis omnium horribili neci tradidit. *Et omnes fluctus tuos induxisti super me*, id est omnes passiones, quas in prophetis prædixisti. Vel Judæi me ita reputant, quasi pro facinoribus meis omnia genera pœnarum super me induxeris.

VERS. 9. *Longe fecisti notos meos a me*, id est, apostolos et cognatos ejus, qui eum a Galilæa secuti sunt, qui relicto eo omnes fugerunt. *Posuerunt me abominationem sibi*, quia, cum viderent me taliter tractari, ut pessimum me abominabantur in tantum, quod quidam juramento me nosse abnegarent. Vel Judæi *posuerunt me abominationem sibi*, dum abominando crucis supplicio me damnaverunt. *Traditus sum* a Judæis gentilibus, et *non egrediebar* de custodia Pilati ut reus reclusus, vel *traditus* morti *non egrediebar* hominem ostendendo me Deum. Et ideo

VERS. 10. *Oculi mei languerunt præ inopia*. Corpus Christi est Ecclesia. In hoc corpore *oculi* sunt apostoli ducentes eam de tenebris ad lumen vitæ. Horum oculorum lumen erat Sol justitiæ. Quando hic sub nube carnis latuit, et se Deum in passione non ostendit, *oculi* subtracto lumine *languerunt præ inopia*, quia de ejus potentia dubitaverunt. Quidam etiam eum Deum negaverunt, et quidam dixerunt: « Nos sperabamus quod ipse redempturus esset Israel (*Luc.* XXIV, 21), » sed in hoc subauditur, decepti sumus, quia ut alius homo est mortuus, ab omnibus desertus. *Clamavi ad te, Domine*, dicens: *Eloi, Eloi*: vel *clamavi* pro illis: « Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII, 34). » *Tota die expandi ad te manus meas*, hoc est, tota vita mea opera mea ad te direxi.

VERS. 11. *Nunquid mortuis facies mirabilia?* Ideo oravi, ut in peccatis non morerentur, quia qui in peccatis mortui sunt, cum illis non facis *mirabilia*, ut de pœnis inferni liberes eos, aut eos nunc cum justis resuscites.

Aliter: Me in cruce pendente sol obscuratus est, tenebræ factæ sunt per universam terram, petræ scissæ sunt, velum templi divisum est, terra tremuit, mortuos evomuit. Hæc *mirabilia* fecisti vivis, scilicet sentientibus, qui per hæc visa conversi ad fidem dixerunt: « Vere Dei Filius erat iste (*Marc.* XV, 39). » Sed *nunquid mortuis* in peccatis, scilicet non sentientibus *facies* hæc *mirabilia*, qui indurato corde, ut Caiphas et Pharisæi hæc vident, et non credunt, imo custodes ad sepulcrum ponunt? Non *facies*. *Aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi? Medici* animarum fuerunt apostoli a cœlesti medico edocti, qui unguentis Spiritus sancti curabant animabus vulnera inflicta. *Nunquid* hi *medici suscitabunt* Scribas et Pharisæos mortuos in peccatis, quos summus medicus non suscitavit a morte animæ, et *suscitati confitebuntur*, id est laudabunt Dominum? Nequaquam. « Non » enim taliter « mortui laudabunt te, Domine (*Psal.* CXIII, 17). »

VERS. 12. *Nunquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam, et veritatem tuam in perditione?* Christus est Dei *misericordia*, quia per ipsum miseria hominum aufertur: ipse quoque Dei *veritas*, quia per ipsum cœlestia instaurantur. Hanc *misericordiam* et hanc *veritatem* nullus *in sepulcro* alii *narrabit*, nec aliquis *in perditione*, id est, in inferno positus memor erit, cui dolor immensi cruciatus cogitatum de Deo adimit.

Aliter: Anima peccans est mortua, cujus sepulcrum est corpus vel mala consuetudo, in qua fœtet sepulta; perditio vero est desperatio. Qui ergo in consuetudine peccatorum vel desperatione positi sunt, *misericordiam* et *veritatem* Dei non requirunt; mundum in *misericordia* salvatum, judicium in *veritate* futurum non credunt.

VERS. 13. *Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, et justitia tua in terra oblivionis? Tenebras* vocat infernalia claustra. *Terra oblivionis* est infernus, quia ibi positi sunt, qui obliti sunt Dei, et Deus oblitus est eorum ad miserendum. In his locis *mirabilia* et *justitia* Dei *non cognoscentur*, quia a nullo ibi narrantur. Tenebræ quoque sunt infideles, in quibus *mirabilia* Dei *non cognoscentur*, quia indurati ad pœnitentiam non convertentur. *Terra oblivionis* sunt Judæi, qui propter terrena obliti sunt Dei. In his *justitia* Dei Christus non cognoscitur, quia non inquiritur. Hæc omnia ideo dicta sunt, ne anima ejus in inferno relinquatur, sed citius resuscitetur, quatenus laus Dei per beneficia ejus posset agnosci. Tu, Pater, non facies mortuis mirabilia nisi per me, nec medici suscitabunt nisi per me.

VERS. 14. *Et ego ad te, Domine, clamavi*, ut me resuscitares, ut per me mortuis facias mirabilia, quosdam de inferno excipiens, quosdam in corpore resuscitans, quosdam in anima justificans. « Multa » enim « corpora sanctorum surrexerunt, et multis apparuerunt (*Matth.* XXVII, 52); et per me medici apostoli mortuos suscitent quosdam corporaliter, multos spiritualiter, ut confiteantur tibi. Ego oravi, *et mane oratio mea præveniet te*, id est matutina me resurrectione clarificabis. Quomodo oraverit, subjungit:

VERS. 15. *Ut quid, Domine, repellis orationem meam*, qua oravi: « Transeat a me calix iste? » (*Luc.* XXII, 42). Utquid *avertis faciem tuam a me*, sicut ab Adam, et non respicis ad liberandum me? Hoc etiam in persona Ecclesiæ, quæ est corpus Christi, dicitur. Infideles mirabilia tua non cognoscent, Judæi obliviscuntur tui, *et ego*, scilicet populus tibi fidelis, *ad te* solum obtinendum *clamavi* devotione, ore et opere. *Et mane oratio mea præveniet te*: in luce virtutum prævenit oratio mea judicium tuum. Et cum bonum oraverim, *utquid, Domine, repellis orationem meam, avertis faciem tuam*

a me? Cum sancti petunt, quod eis non expedit, ut Paulus, Deus orationem eorum repellit, quia eos ad hoc, quod eis non est utile, non exaudit. Quasi faciem avertit, dum eos de tribulatione ut Laurentium non eripit, quia æterna eis gaudia dare disposuit. Sequitur vox Christi: Quia faciem tuam, Pater, a me avertis, ideo

VERS. 16. *Pauper sum ego*, non habens solatium vel auxilium. *Et in laboribus a juventute mea*, a tempore assumptæ carnis vel a tricesimo anno meæ ætatis, cum prædicare incœpi: *exaltatus autem* in cruce, *humiliatus sum in sepulcro, et conturbatus* in morte.

VERS. 17. *In me transierunt iræ tuæ*, id est vindictæ pœnæ peccati, dum me flagellis quasi reum ceciderunt: *et terrores tui conturbaverunt me*, hoc est, terribiles cruciatus, quos prædicavi te illatu-
A rum iniquis, effusi sunt super me in cruce.

VERS. 18. *Circumdederunt me* Judæi *sicut aqua*, id est sicut fluctus persecutionum, *tota die* Parasceve, a mane usque ad vesperam pro ejus interitu laborabant. *Circumdederunt me simul* Pharisæi cum sacerdotibus, Pilatus cum principibus et populis.

VERS. 19. *Elongasti a me amicum et proximum*, id est apostolos et cognatos, *et* alios *notos meos* elongasti *a* mea *miseria*. Et quia videbant me omni auxilio destitutum, ideo occiderunt me ut miserrimum. Hinc ad inferos descendens fortem alligavit, spolia ejus cum triumpho reportavit, mane resurrexit, et sic gloriam suam Rex æternæ gloriæ intravit. Hoc totum ad formam sanctis scribitur, quia, si Rex gloriæ civitatem non nisi per introitum tri-
B bulationis intravit, nec ipsi nisi per tribulationem intrare poterunt.

PSALMUS LXXXVIII.

Misericordias Domini in æternum cantabo, in generationem, etc. Quia Christum oportebat pati, præcedens psalmus præcinit ejus dejectionem; quia vero oportebat eum a mortuis resurgere, et ita intrare in gloriam suam, hic in octogesimo octavo loco calculatur, qui numerus per undenarium et octonarium multiplicatur. Nam undecies octoni hujus numeri summam conficiunt. Sicut per denarium lex, ita per undenarium transgressio legis exprimitur. Per octonarium resurrectio innuitur. Designat hic ergo numerus, quod genus humanum propter transgressionem legis Dei mortuum, resurgit in anima per Christum, et in ultima resurrectione percipit gaudium octo beatitudinum. Titulus ejus est:

(VERS. 1.) INTELLECTUS ETHAN ISRAELITÆ.

Ethan erat peritus musicus, et ideo hic psalmus ad recitandum est ei a David creditus. *Ethan* dicitur *robustus*, et est martyrum populus in persecutionibus robustus, qui est *Israelita*, id est Deum visurus. Alia translatio habet: *Ethan Ezrahitæ*, quod dicitur *robustus indigena*. Hic ergo psalmus, id est hæc laus Dei est *intellectus Ethan Israelitæ*, vel *Ezrahitæ*, hoc est, robusti populi martyrum Deum visuri, qui erat indigena civitatis Dei.

Materia psalmi est Christi exaltatio. Intentio est nobis æternæ vitæ gloriam commemorare, hortans nos per laudes Christi ad illam festinare. Verba sumpta sunt de historia, ubi Deus David secundum cor suum invenit, quem oleo sancto unxit, regem populo constituit, Salomoni regnum promisit. Significat autem Christum, quem Pater secundum cor suum invenit, in quo sibi bene complacuit, quem oleo lætitiæ in Spiritu sancto unxit, Regem Ecclesiæ constituit, futurum ei regnum vero pacifico dabit, quando in cœlesti gloria in Ecclesia regnabit in æternum.

Per quinque diapsalmata distinguitur in sex mem-
C bra. Per quinarium Judaicus populus sub Pentateucho constituitur, per senarium fidelis populus sub sex operibus Evangelii serviens exprimitur, qui domini Christi subjicitur. In prima parte misericordia et veritas Dei commendatur; in secunda singularis Christi magnificentia et sanctorum in nomine ejus prædicatur gloria; in tertia beneficia Dei Dominico homini collata narrantur; in quarta eversio regni inimicorum Christi ad laudem ejus memoratur; in quinta reconciliatio Judæorum cum Christo notatur; in sexta malorum retributio declaratur. Vox fidelis populi:

VERS. 2. *Misericordias Domini in æternum cantabo*. Misericordiæ Domini multæ sunt, illuminatio, remissio, justitia, promotio, perseverantia, tandem
D remuneratio. Has omnes *in æternum cantabo*, id est hic et in futuro te Deum pro his laudabo. *In generatione et generatione annuntiabo veritatem tuam in ore meo*, hoc est, in Judaico et gentium populo, vel quandiu succedet generatio generationi, *annuntiabo* Christo *veritatem* Dei *in ore meo*, quo confessio fit ad salutem, quem credo corde ad justitiam.

VERS. 3. *Quoniam dixisti* per prophetas, *in æternum misericordia ædificabitur in cœlis*. Cœli sunt apostoli in cœlis regnaturi. In his per Spiritum sanctum ædificata est Dei *misericordia in æternum* mansura. *Præparabitur veritas tua in eis*, hoc est, Christus *veritas* Dei prædicabitur per eos aliis. Et hoc dixisti:

VERS. 4. *Disposui testamentum electis meis*, hoc

est, præcepta Novi Testamenti dedi apostolis, quos elegi. Et hoc dixisti : *Juravi David servo meo*, id est firmiter promisi Christo de David genito mihi per omnia obedienti.

VERS. 5. *Usque in æternum præparabo semen tuum*, id est Christianos, tuos sequaces faciam *in æternum* durare. *Et ædificabo in generatione et generationem sedem tuam*, hoc est, Ecclesiam ex vivis lapidibus ædificabo, in qua tunc Rex sedebis in æternum.

Diapsalma. Regalis potentia Christi sequitur, quæ multis laudibus attollitur. Præcedentia ad Patrem, sequentia referuntur ad Filium.

VERS. 6. *Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine. Cœli*, id est apostoli, in quibus misericordia per Evangelium Christi est ædificata, et in quibus per Spiritum sanctum est præparata, ipsi *confitebuntur mirabilia tua, Domine*, id est laudabunt signa, quæ facturus es, Christe. *Etenim veritatem tuam in Ecclesia sanctorum*, id est promissiones tuas veras et signa prædicabunt in congregatione sanctorum, et hoc annuntiabunt quod nullus tibi similis sit.

VERS. 7. *Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino?* Hic Trinitas inducitur, ut tota ista laus de Trinitate intelligatur. *Nubes* sunt prophetæ, de quibus fluxerat pluvia vitæ. Quis in his æqualis fuit *Domino Patri?* Nullus. Aut quis *similis erit Domino* Filio *in filiis Dei*, id est in apostolis, qui sunt adoptivi filii Dei, cohæredes regni ejus? Nullus.

VERS. 8. *Deus, qui glorificatur in concilio sanctorum*, scilicet Spiritus sanctus Paracletus, qui in congregatione apostolica adorandus, Patri ac Filio æqualis esse prædicatur. Nam et Dominus Jesus Christus cum Patre et Spiritu sancto una subsistit omnipotentia, *magnus et terribilis* vel *metuendus*, ut alia translatio habet, *super omnes qui in circuitu ejus sunt*. In Judæa est Christus conversatus, *in circuitu ejus* fuerunt omnes gentes. Ergo *super omnes* gentes est ipse potens et metuendus. Vel *potens* est in signis, *terribilis* in judiciis *super* apostolos et *omnes* sanctos *qui in circuitu ejus sunt*, id est qui in propinquo ejus per innocentiam existunt.

In Hebræo habetur : *Deus inclytus in arcano sanctorum, nimio et terribilis cunctis, qui in circuitu ejus sunt*. Sanctis tantum nota est Christi potentia, qui noverunt judicia ejus terribilia, cui clamant dicentes :

VERS. 9. *Domine Deus virtutum, quis similis tibi?* Qui es *Dominus* omnium et *Deus* angelorum, *quis* in angelis vel hominibus est *similis tibi* potentia et virtute? *Potens es, Domine*, in signis et prodigiis, *et veritas tua in circuitu tuo*, id est Ecclesia, in cujus medio existis, cui omnia vera per cœlos, apostolos exhibuisti, quæ per nubes, prophetas promisisti. Et quæ signa potenter faciat, dicit :

VERS. 10. *Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas*. Hoc tractum est de historia, ubi mare Rubrum ad transitum populi sui tranquillavit. *Mare* significat sæculum multis erroribus turbidum, cujus potestatibus Christus *dominatur*. *Motus fluctuum* sunt tentationes persecutionum, quos Christus *mitigat*, ne sæviens procella servos suos obruat, non ex toto aufert, ne martyribus coronam adimat.

VERS. 11. *Tu humiliasti sicut vulneratum superbum, in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos*. Hoc tractum est de Pharaone, quem superbum muscis, ranis et aliis vermibus vulneravit, humiliavit; inimicos suos Ægyptios dispersit, dum fluctibus maris immersit. Superbus est diabolus, qui clavis crucis Christi sauciatus in spoliis est humiliatus. Ideo dixit : *Sicut vulneratum*, quia percussus est dolore in mente, non carne, quam non habet. Qui ergo superbus ab omnibus populis ut Deus coli voluit, per Christum humiliatus est, quando eos, qui regnum ejus erant, amisit. *In brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos*, id est Judæos per totum orbem in potenti virtute tua.

VERS. 12, 13, 14. *Tui sunt cœli, et tua est terra, orbem terræ et plenitudinem ejus tu fundasti, aquilonem et mare tu creasti*. Hæc verba tracta sunt de creatione mundi, quia in Christo sunt omnia condita, quæ in cœlis vel in terra sunt, visibilia et invisibilia. *Cœli* sunt apostoli, qui sunt Christi, ab eo in virtutibus splendidi facti. *Terra* est Ecclesia de Judæis conversa, aratro Evangelii exculta. Quæ nunc est Christi, quia eum colit, et legalia in sacrificium mutavit. *Orbis terrarum* est circuitus Ecclesiarum de omnibus gentibus conversarum, cujus *plenitudo* sunt omnes electi in Ecclesiam gentium collecti. Hanc ipse in fide et baptismo *fundavit*, quam dilectione et operatione se ipsam turrim ad cœlum ædificari docuit. *Aquilo* est durus ventus, et intelligitur Antichristus, *mare* vero turbulenta ejus persecutio. Hæc *tu creasti*, id est electis tuis ad coronam præparasti. Vel : *Aquilonem et mare tu creasti*, id est diabolum et ejus membra tu disposuisti, quia opera eorum sanctis tuis fructuosa fecisti. Quidquid enim diabolus per se et per suos operatur, totum fit ad utilitatem sanctorum, unde et ipse et mali necessarii comprobantur.

Et quia omnia fecisti, *Thabor et Hermon in nomine tuo exsultabunt*. *Thabor* est mons in Galilæa juxta Nazareth, in quo Christus octo beatitudines docuit. *Hermon* est monticulus in Judæa juxta Jordanem, in quem Dominus de baptismo ascendit, cum Spiritus sanctus in specie columbæ super eum descendit. *Thabor* dicitur *veniens lumen; Hermon, anathema ejus*. Per *Thabor* intelligitur Ecclesia de Judæis, in quam venit vera lux de cœlis, per quam illuminata est ipsa *veniens lumen* populo gentium, qui sedebat in tenebris infidelitatis et umbra mortis. De primitiva quippe Ecclesia venit lumen veritatis gentibus. Per *Hermon* designatur Ecclesia de gentibus, quæ est anathematizans aquilonem, id est diabolum et opera ejus. *Thabor* ergo *et Hermon*, id est fideles de Judæis et gentibus, *in nomine* Christiano *exsultabunt*, eo quod aquilonem et mare, id est diabolum et Antichristum et persecutionem malorum evase-

VERS. 6, 7. *Nunquid in æternum irasceris nobis?* A Hoc est: si hic nos ut filios paterno affectu castigas, num *in æternum*, ut servos rebelles iratus Dominus damnas et hæreditate privas? Non facies. *Aut extendes iram tuam a generatione in generationem*, ut nos punias pro peccatis parentum nostrorum, aut filios nostros pro nostris commissis? Non facies. « Filius non portabit iniquitatem patris, nec pater portabit iniquitatem filii, sed quisque onus suum portabit (*Ezech.* XVIII, 20). » Ira Dei est vindicta ejus. De illa ira mortales sumus, tormentum dolorum et vinculum mortis, et laqueos tentationum in hac carne portamus. Hæc ira extensa est *a generatione* Adæ usque *in generationem* Christi, in quo omnes vivificabuntur, sicut in Adam omnes moriuntur. Num *extendes* hanc *iram* ab hac *generatione*, quæ B in hoc mundo est, in illam *generationem*, quæ post resurrectionem futura est, ut ibi talia patiamur, qualia hic patimur? Non sic erit. Quia *tu*, *Deus*, a nobis propter peccata aversus, propter Christum ad nos *conversus* in anima *vivificabis nos* per baptismum vel pœnitentiam: *et plebs tua lætabitur in te*, quæ malo suo lætabatur in se. De se voluit habere gaudium, et invenit in se planctum. Nunc, quia Deus est totum suum gaudium, lætatur in eo solo.

Aliter: *Deus tu conversus* ab ira ad misericordiam *vivificabis*, id est resuscitabis *nos* in resurrectione; *et plebs tua*, quæ hic fuit, *lætabitur* in eis quæ *in te* sunt, immortalitate et impassibilitate. C Ideo

VERS. 8. *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam*, id est in hac vita *ostende* te esse misericordem dimittendo nobis peccata; et in futuro *ostende* quam misericorditer nos salvaveris; *et ibi salutare tuum*, id est Christum Filium tuum *da nobis* amplectendum et possidendum, et munere æternæ gloriæ perfruendum. Da, ut noverimus, et videamus Christum tuum, non quomodo illum Judæi viderunt et crucifixerunt, sed quomodo angeli vident et gaudent.

Diapsalma. Post hanc orationem Propheta cohibens se a strepitu mundi, et avertens se ad se, et a se ad illum, cujus vocem audiebat interius quasi tumultuantem contra vitæ hujus inquietudinem, et D contra animam corpore quod corrumpitur aggravatam, et sensum terrena inhabitatione deprimentem, multa cogitantem, ait:

VERS. 9. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*, id est Spiritus sanctus. Per hoc datur auctoritas, quod Deus hunc librum per hominem locutus sit, qui non auribus exterioribus loquitur, sed interiori homini inspirando loquitur. *Audiam* ut servus, quid præcipiat *Dominus*, et intelligam ut filius, quid loquitur cordi meo *Deus*. Et quia de terrenis ad cœlestia raptus fuit, quid ei Rex locutus sit, dixit: *Quoniam loquetur pacem in plebem suam*, hoc est, promittit suis æternam *pacem* et quietem, ut ultra non turbentur aliquo metu. Vox Dei *pax est*: ad *pacem* vocat Deus in torcularibus oppressos. In filiis Dei, filiis *Core*, imitatoribus Christi, erit pura *pax* omnibus se amantibus, omnibus se videntibus, plenis Deo, cum erit Deus omnia in omnibus, ipsa plena et perfecta *pax*. Hanc *in plebem* suam *loquitur*, *et super sanctos suos*, id est super sancte viventes in illa plebe, *et in eos qui convertuntur ad cor*, id est in pœnitentes, qui de mortiferis ad salutaria cogitanda convertuntur, sicut prodigus filius de porcis in se reversus de patre cogitavit. Dominus *pacem in plebem suam* locutus est, quando Christus *pax* vere natus est. Unde mox angeli *pacem* hominibus bonæ voluntatis nuntiaverunt. *Super sanctos suos pacem* locutus est, quando a mortuis resurgens apostolis dixit: « Pax vobis (*Luc.* XXIV, 36). » *Pacem in eos, qui convertuntur ad cor*, locutus est, quando gentibus a diabolo conversis ad Creatorem remissionem peccatorum et gratiam suam dedit. Quanquam omnes salvet, non tamen ad omnes corporaliter veniet.

VERS. 10. *Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius*. Apud Judæos conversabitur, in gentibus prædicabitur. Christus erit salvatio omnibus Deum timentibus. Non longe est a Deo quisque regionibus sed affectibus. Qui amat Deum prope est, qui odit eum longe est. Omnibus se communem præbebit. *Ut inhabitet gloria in terra nostra*, id est in Ecclesia. *Gloria* jam per Christum *in terra nostra* habitat, quia Romanum imperium sub Christiana religione imperat. *Gloria in terra nostra* habitat, quia in futuro Rex gloriæ in Ecclesia, *terra* viventium, sine fine regnabit. *Gloria* quoque *in terra nostra* habitabit, quando immortalitas et impassibilitas in carne nostra perpetuo habitabit. Per quid veniet illa pax et illa gloria? Per hoc quod

VERS. 11. *Misericordia et veritas obviaverunt sibi*, id est, quod Deus ita misertus est hominibus, sicut promisit per prophetas. Concorditer occurrunt in homines et *misericordia* redemptionis, et *veritas* promissionis.

Aliter: *misericordia* in gentibus, *veritas* in Judæis *obviaverunt sibi* per mediatorem Dominum Jesum Christum, qui fecit utraque unum. Vel obviabunt in futuro, id est, concordabunt sibi in Deo *misericordia* et *veritas*.

Justitia et pax osculatæ sunt, id est, qui *fecerit* justitiam inveniet *pacem*. Vel *justitia* est remissio peccatorum, *pax* vero dilectio Dei et proximi, quæ per Christum inventæ sunt hominibus.

Aliter. Gloria terræ nostræ dabitur, quia *misericordia* et *veritas* sibi in judicio obviabunt, id est, concordabunt: *misericordia*, quæ dextros in gaudium Domini sui intromittet; *veritas*, quæ sinistros in ignem projiciet. Tunc *justitia* et *pax* se osculabuntur, quia justi in pacem et gratiam Dei Patris per Filium recipientur. Hoc totum inde fiet, quia

VERS. 12. *Veritas de terra orta est*, hoc est, Christus, per quem omnia Patris promissa complentur, de Mariæ virgine natus est. *Et justitia de cœlo pro-*

spexit, id est, Verbum Dei, per quod peccatores justificantur, et omnia juste disponuntur, de Patre, qui est cœlum cœlorum, processit.

Aliter. *Veritas de terra* oritur, cum confessio peccatorum de terrenis offertur, *justitia de cœlo* prospicit, cum fit remissio peccatorum per cœlum cœlorum. Quod autem *veritas*, id est, confessio oritur ex nobis, fit per gratiam. Unde subditur :

VERS. 13. *Etenim Dominus dabit benignitatem*, id est, per gratiam suam inspirabit nobis confiteri peccata nostra. *Et terra nostra dabit fructum suum*, id est, virgo Maria pariet Deum et hominem.

VERS. 14. *Justitia ante eum ambulabit*, id est, justi promovebuntur in fructu bono ad beneplaci- A tum ejus. *Et Dominus ponet in via gressus suos*, id est, vestigia sua *ponet* in his qui sunt aliis via operando et docendo. *Ambulabit* cum eis, hoc est, adjuvabit eos ad bene operandum. Vel justi *ponent* opera sua *in via*, id est, in conformitate Christi, qui est via ducens ad se vitam et veritatem.

Iste psalmus in hoc continuatur priori, quod ibi cantatur : *Misericordiam et veritatem diligit Deus;* hic autem : *Misericordia et veritas obviaverunt sibi*. Ibi : *Gratiam et gloriam dabit Dominus*, hoc est, *ut inhabitet gloria in terra nostra*. Hic psalmus ideo in Nativitate Domini psallitur, quia ibi *veritas* Christi *de terra* virgine oritur.

PSALMUS LXXXV.

Inclina, Domine, aurem tuam. Titulus hujus psalmi est :

ORATIO IPSI DAVID.

Hoc est, *oratio* designata his vocibus attribuitur vero David, Domino Jesu Christo. Duo tantum psalmi sunt, quibus *oratio ipsi David* inscribitur, scilicet decimus sextus et iste, quia duæ sunt Ecclesiæ, una de Judæis, altera de gentibus, quæ corpus Christi nominantur, et quarum caput ipse describitur, et aliquando ipse in membris suis orat, aliquando membra per caput orant. Orat pro nobis ut sacerdos noster, orat in nobis ut caput nostrum, oratur a nobis ut Deus noster. Ipse namque est Deus de Deo, et homo cum hominibus, cum Deo exaudiens, cum hominibus orans. Et quia in præcedenti psalmo facta est mentio pacis, quæ est regnum cœlorum, hic psalmus jure sequitur, in quo oratur, ut de inferno inferiori eruatur. Hic psalmus est octogesimus quintus. Et Moyses octoginta erat annorum, quando descendit in Ægyptum, ut educeret populum, cui dedit legem quinque librorum, significans Christum qui in hoc octogesimo quinto psalmo scribitur descendisse ad inferna, ut educeret populum quinque sæculorum.

Materia psalmi est *oratio* Christi pro Ecclesia, vel Ecclesiæ in capite suo Christo. Intentio est nos informare ad orationem, per quam perveniendum est ad æternam hæreditatem. Verba sumpta sunt de ipso David, super quem iniqui insurrexerunt, et synagoga potentium, scilicet Saul, Absalon et alii animam ejus quæsierunt, quem Dominus adjuvit, et imperium dedit. Significat autem Christum, super quem iniqui Judæi insurrexerunt, et synagoga principum sacerdotum animam ejus perdere quæsierunt, quem Dominus adjuvit in passione, et dedit ei imperium in resurrectione.

In tres partes secatur, quia corpus Christi in tres B ordines, in doctores, continentes, conjugatos, partitur. Prima pars est : *Inclina, Domine*, in qua propria oratio capitis scribitur. Secunda est : *Deduc me, Domine*, in qua capitis oratio exprimitur. Tertia est : *Deus, iniqui*, in qua Christi passio et resurrectio tangitur. In hoc psalmo nunc caput, nunc corpus loquitur. Vox Ecclesiæ :

VERS. 1. *Inclina, Domine, aurem tuam, et exaudi me*. Ad infirmum *auris* inclinatur, ut vox ejus audiatur. Humanum genus infirmum jacuit in lacu miseriæ et in valle lacrymarum, ad quod bonus medicus Deus *aurem* misericordiæ inclinavit, et vocem clamantis exaudivit ita dicentis : *Quoniam inops et pauper sum ego. Inops*, quia opes paradisi perdidi; C *pauper*, quia egestate et infirmitate extabui. Hanc vocem pius medicus exaudivit, dum Filium suum ad subveniendum misit (ut præcedens psalmus retulit), quia jacentem de cœno levavit, propriis humeris saucium portavit, balneo baptismatis lavit, stola prima, quam amisit in paradiso, induit, nomen suum ei imposuit, regni hæredem ascripsit. Vox Christi :

VERS. 2. *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum*. O Pater! Ex tuo præcepto in lacum miseriæ descendi, hominem lapsum de luto fæcis extuli, sine sordibus peccatorum ipse mansi, in hac sanctitate animam meam custodivi. Aliquando in psalmis loquitur infirmum membrum, ut ibi : « Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum (*Psal.* D VI, 3). » Aliquando sanum per Christum caput sanctificatum, ut hic : *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum*, scilicet per baptisma et corpus tuum. Vox membri :

Salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te. Qui me redemisti, te recognosco Dominum, me profiteor *servum tuum* Qui me creasti, te confiteor *Deum meum*, in te spero solum. *Salvum fac*

tibi obedientem, et *in te sperantem*. Vox membri in A tristitia positi :

Vers. 3, 4. *Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die*, id est, assidue vel omni tempore. Qui assidue Deum orat, hunc Deus clamantem a tribulatione miserando liberat. *Lætifica animam servi tui* per veniam in amaritudine pœnitentiæ positam : *Quoniam ad te, Domine, animam meam levabo* [Vulg. *levavi*] bona intentione, quæ jacuit in carnali delectatione. In te nunc delector,

Vers. 5. *Quoniam tu, Domine, suavis et mitis, et multæ misericordiæ, et copiosus in misericordia*, vel, ut alia translatio habet : *Omnibus invocantibus te. Suavis es*, quia es ipsa dulcedo, tristitiam tollens, lætificans animas, dans virtutes. *Mitis* es, quia pa- B tienter sustines peccantes, et non statim punis. *Copiosus* es *in misericordia* condonando peccata per pœnitentiam. *Multæ misericordiæ omnibus invocantibus te*, non aliud. Qui Deum invocat pro pecunia, pro dignitate, pro inimicorum vindicta, non Deum invocat, sed illud quod assequi desiderat. Porro omnibus qui te orant, ut non punias eos propter peccata sua, sed patienter feras, ut condones eis, ut postea des eis bene operari, es *mitis, suavis et misericors*. Vox membri in tribulatione positi :

Vers. 6, 7. *Auribus percipe, Domine, orationem meam*, id est, clementer audi quæ oro : *et intende voci orationis meæ*, hoc est, intellige quid orem. *Oratio* est pro præsentibus, deprecatio pro futuris. Pro utrisque exaudi me orantem. Nam *in die tribu-* C *lationis meæ clamavi ad te, quia exaudisti me*, hoc est, in tempore afflictionis *exaudivisti me*, quia *clamavi ad te* cupiens exire de tribulatione, et ad te, qui es æterna requies, pervenire. Totum tempus hujus vitæ est *dies tribulationis*. Nullus est dies, quo non tribuletur justus, quia « quandiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino (*II Cor.* 5, 6). » Si dulcis est patria, amara peregrinatio; si amara peregrinatio, tota die tribulatio : unde tota die est clamandum ut liberemur. Vox membri liberati, et de liberatione jubilantis :

Vers. 8. *Non est similis tui in diis, Domine*. In diis gentium vel in diis a te factis nullus est tibi *similis. Et non est secundum opera tua*. Nullus potest D talia facere, qualia tu facis, qui justificas impios, et liberas oppressos. Vox sacerdotum Ecclesiæ :

Vers. 9. *Omnes gentes, quascunque fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine*. Adam et Evam fontem omnium gentium fecit Dominus, de quo fonte *omnes gentes* fluxerunt. Ergo *omnes gentes* fecit. Ideo omnes venient ad Creatorem suum, non pedibus sed fide et religione et relictis idolis *adorabunt coram te, Domine*, in interiori suo, et in beneplacito tuo, *et glorificabunt nomen tuum*, hoc est, laudabunt te bonis operibus. Et merito :

Vers. 10. *Quoniam magnus*, id est potens *es tu, et faciens mirabilia* qualibet, alii non :

Quia tu es Deus solus naturaliter, alii gentium electione vel tua constitutione. Vox totius corporis :

Vers. 11. *Deduc me, Domine, in via tua*. De omnibus gentibus ad te curro, *deduc me in via tua*, Christe, hoc est, in fide et cognitione Filii tui, qui nobis est via ad te vitam, *et ingrediar in veritate tua*, id est, in præceptis Christi, qui est veritas, in institutis. *Lætetur cor meum* in via ambulando, *ut timeat nomen tuum*, quod est, Domine, præcepta tua servando.

In Hebræo habetur : *Unicum fac cor meum, ut timeat nomen tuum*, hoc est, multiplex erat in desideriis mundi; *fac unicum* in tuo amore, et dilectione. Vox populi de inferno liberati :

Vers. 12. *Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo*, hoc est, laudabo te in tota anima mea, qui es *Dominus et Deus meus, et glorificabo nomen tuum in æternum*, id est, gloriam nominis tui et hic et in futuro cantabo. Et merito :

Vers. 13. *Quia misericordia tua magna est super me*, qui me in refrigerium duxisti; *et eripuisti animam meam ex inferno inferiori*.

Quæritur quid sit *infernus inferior*. Superior infernus est mortalitas, quæ est in corpore : *Infernus inferior* est mors animæ, quæ est mors interior, et ideo vocatur *infernus inferior*.

Aliter : Est habitatio quædam cœlestis angelorum, ubi vita ineffabilium gaudiorum, ubi immortalitas et incorruptibilitas, ubi omnia secundum donum Dei et gratiam permanentia : illa pars rerum superna est. Sic ergo illa superna est, hæc terrena, ubi caro et sanguis, ubi corruptibilitas, ubi nativitas et mortalitas, ubi successio atque decessio, ubi mutabilitas et inconstantia, ubi timores, cupiditates, lætitia incerta, spes fragilis, caduca substantia, et hæc pars rerum infernus est. Sed rursus ab hoc inferno, id est ab hac parte inferni, est aliud inferius, quo eunt mortui, unde voluit Deus eruere animas nostras etiam mittendo illuc Filium suum. Etenim propter ista duo inferna missus est Filius Dei undique liberans. Ad hoc infernum missus est nascendo; ad illud moriendo.

Est et alia opinio. Fortassis apud inferos est aliqua pars inferior, quo traduntur impii, qui plurimum peccaverunt, ubi dives cum torqueretur, levavit oculos suos ut Abraham videret. Non autem posset levatis oculis videre, nisi ille esset superius, ille inferius. Ergo inter ista forsitan duo inferna, quorum in uno quieverunt animæ justorum, in altero torquebantur animæ impiorum, lætatur iste animam suam eripuisse Deum de *inferno inferiori*, id est, de talibus peccatis, per quæ posset duci ad tormenta *inferni inferioris*. Per quid animam ejus de *inferno eruerit*, dicit, scilicet per mortem Christi. Hoc est quod sequitur. Vox Christi :

Vers. 14, 15. *Deus, iniqui*, id est Judæi, *insurrexerunt super me*, et comprehenderunt me, *et synagoga potentium*, id est, congregatio principum, sacerdotum, *quæsierunt* perdere *animam meam : et*

non proposuerunt te in conspectu suo; sed occiderunt me Filium tuum. *Et tu, Domine Deus*, Pater *miserator et misericors, patiens, et multæ misericordiæ, et verax, respice in me* hominem a te assumptum, et per me libera hominem perditum. *Et miserere mei* dando homini immortalitatem per me qui subivi pro eo mortem. *Da imperium tuum puero tuo*, id est, *da* potestatem dilecto tuo, ut *imperium* diaboli destruam, animas inde eruam. *Et salvum fac* de morte me *filium ancillæ tuæ* Mariæ. Hoc homo ad verbum dicit.

VERS. 16. *Fac mecum signum in bono*, ut resurgam, non in malo, ut de cruce descendam. In isto quippe est humani generis reparatio, in illo vana acclamatio. Tale signum fac, *ut* inimici mei Judæi *videant, qui me oderunt, et confundantur*, id est, erubescant; *quoniam tu, Domine, adjuvisti me* resuscitando a morte, quem putaverunt te dereliquisse, *et consolatus es me* in tristitia, quia animas per me eduxisti de inferno ad gaudia.

Notandum quod Patrem septem nominibus appellat, et per singula verba paterna majestas diffinitur. Est quippe *Dominus* omnium, *Deus* creator universorum, *miserator*, quia singulis rebus misericordiam facit; *misericors*, quia semper pia est natura Deitatis; *patiens*, quia peccatores sustinet; *multæ misericordiæ*, quia ad conversionem invitat; *verax*, quia omnia promissa sua implebit. Hæc licet de Patre dicantur, tamen et Filio et Spiritui sancto similiter inesse non dubitantur. Pater signum Jonæ cum Filio fecit, quia sicut piscis illum tertia die evomuit, ita hunc post triduum infernus reddidit. Imperium ei dedit, quia omne judicium ei commisit, et super omnia eum exaltavit. Unde ipse dicit: « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII, 18. » Qui oderunt eum, confusi sunt, quia Judæi a Romanis occisi sunt. Potest et hoc de Ecclesia intelligi. Vox martyrum :

Deus, iniqui insurrexerunt super me, id est, persecutores afflixerunt me, *et synagoga* Judæorum *quæsierunt animam meam*, id est, vitam meam ad perdendum eam. *Et non proposuerunt te in conspectu suo*, id est, non crediderunt te Deum, sed potius me populum tuum in te credentem exquisitis pœnis occiderunt. Et tu, Domine, *respice in me*, qualiter crucior pro te; *et miserere* mei liberando me de æterno cruciatu, et *imperium*, quod nunc habent impii, qui nos discruciant, *da puero tuo*, id est, populo Christiano. *Et salvum fac* hic et in futuro *filium ancillæ tuæ*, id est populum Ecclesiæ tuæ. Cujus Ecclesiæ vox sequitur : *Fac mecum signum in bono. Signum* Deus cum Ecclesia fecit, quia Romanum imperium, quod eam persequebatur, pedibus ejus subegit. Hoc *signum in bono* fuit, quia Christo summo imperatori credidit. Hoc viderunt Judæi, qui eam oderunt, et confusi sunt, quia ab urbibus expulsi sunt; quoniam Dominus adjuvit Ecclesiam in persecutionibus, et consolatus est eam dando pacem, in futuro promittendo gloriam. Hic psalmus ideo in Epiphania Domini cantatur, quia ibi Christus a gentibus adoratur ut Deus.

PSALMUS LXXXVI.

Fundamenta ejus in montibus sanctis, etc. Superiori psalmo facta est mentio tabernaculi et domus Dei : in hoc autem psalmo describitur civitas Dei, in quam introducuntur electi. Hic psalmus est octogesimus sextus, quod sunt duodecies septem, insuper tria. Duodenarius designat apostolos hujus civitatis principes; septenarius sapientes septiformi Spiritu plenos, hujus civitatis doctores; ternarius omnes fideles hujus civitatis cives Trinitatem colentes : titulus psalmi est :

(VERS 1.) FILIIS CORE, PSALMUS CANTICI.

Hoc est : Iste hymnus compositus est de magna jucunditate, propositus omnibus fidelibus. *Psalmus* ex psalterio dicitur; *canticum* vero ex ore profertur. *Psalmus* refertur ad manus, id est, ad actionem; *canticum* ad contemplationem. *Filii Core* sunt filii resurrectionis.

Materia psalmi est civitas Dei. Psalmus etiam *magnus Dominus* de civitate Dei describitur; sed ille de civitate magna Jerusalem, iste quasi de turri Sion in urbe posita editur. Intentio ejus est nos hortari per fidem et operationem hujus civitatis cives fieri.

Per duo *diapsalmata* in tria membra distinguitur, quia habitatores hujus urbis in tres ordines, in doctores, continentes, conjugatos dividuntur, qui lege geminæ dilectionis reguntur. In prima parte ipsa civitas laudatur; in secunda habitatores ejus beatificantur; in tertia lætitia civium ejus memoratur. Verba accepta sunt de situ Jerusalem in monte positæ, in quam Babylonii, Tyrii et Æthiopes et alii populi confluxerunt, et lætitiam in ea habuerunt, et significat Ecclesiam in monte Christo locatam, in quam populi omnium gentium convenerunt, in qua æternam lætitiam habebunt. Vox Spiritus sancti :

Fundamenta ejus in montibus sanctis. Istud *ejus* non conjungitur his quæ in libro sunt, sed his quæ scriptor libri interius in spiritu vidit. Raptus enim extra se conspexit in spiritu civitatem Dei, et hoc etiam aliis narrare volens ex magna lætitia prorupit dicens : *Fundamenta ejus in montibus sanctis*, hoc

est, gloriosa est illa civitas, quam ego intus vidi, *fundamenta ejus sunt in montibus sanctis.* Ecclesia per simile dicitur civitas, quia sicut in civitate congregantur cives, sic in unam fidem coadunantur Ecclesiæ fideles. Hujus civitatis fundamentum est Christus, lapis angularis connectens in se duos parietes, Judæos et gentiles. Hujus civitatis artifex et conditor est Deus, et ipsa fundata super duo Testamenta. Hujus *fundamenta* sunt *in montibus sanctis*, id est, in prophetis et apostolis, super quorum doctrinam fundatur Ecclesia, ut scribitur : « Super fundamentum apostolorum et prophetarum (*Ephes.* II, 20). » Ideo dixit : *sanctis*, quia sunt *et montes* maris naufragosi, in quos sæpe impegerunt nautæ incauti, quod sunt hæretici et philosophi, hujus civitatis adversarii. Quod sit nomen hujus civitatis, dicit :

VERS. 2. *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob. Sion* vocatur hæc civitas in præsenti vita, quod dicitur *specula* vitæ; in futuro vocabitur *Jerusalem*, id est, *visio pacis* vel *Dominus ibidem. Portæ* hujus civitatis sunt apostoli vel doctores, per quos intramus ad regnum Dei. Janua ejus est Christus, per quam ad vitam intrabimus. *Tabernacula Jacob* sunt sancti prioris populi sub figuris hujus civitatis militantes. *Diligit* ergo *Dominus portas Sion*, id est apostolos, *portas* civitatis speculantis futura *super tabernacula Jacob*, id est, plus quam omnes sanctos prioris populi sive prophetas sive quoscunque militantes sub umbra.

Aliter : *Portæ Sion* sunt fides, spes, charitas et aliæ virtutes, quæ sunt in illa civitate, quæ sunt portæ cœlestes supernæ *Sion*, faciem Dei speculantes. Has *diligit* Dominus *super tabernacula Jacob*, id est super omnes observantias prioris populi, quibus intimabatur illa civitas semper manens, et semper cœlestis in pace.

Aliter : *Sion* est sanctorum coadunatio in cœlesti gloria. *Tabernacula Jacob* præsens justorum militia, quia hic luctando militant super vitia. Super istam illa spiritalis diligi dicitur, quia nihil in ea confusionis, nihil perturbationis esse declaratur. Similitudo est ab illa civitate, quæ est in monte constituta, et munita loco et opere.

VERS. 3. *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei*, per Spiritum sanctum. Et quæ sunt illa ? Hæc videlicet, quod in ea erunt principes, idiotæ, rusticani, pauperes piscatores, et quod in ea erunt cives Babylonii, Philisthæi, Tyrii et Æthiopes. De his subditur :

Diapsalma. VERS. 4. *Memor ero Rahab et Babylonis scientium me.* Per *Rahab* meretrices, per Babylonem publicani intelliguntur, quia in hac civitate cives effecti præcedunt Judæos in regnum Dei. *Rahab* erat meretrix, quæ exploratores Jesu Nave excepit, quæ sola cum suis salvata est, quando Jericho corruit. *Rahab* dicitur *latitudo* vel *superbia*, et

A est gentilitas, quæ [per] latam et speciosam viam vitiorum ad interitum ibat, et in philosophia vel regni monarchia superbiebat, quæ apostolos Jesu excepit, et e mundo corruente per tubas angelorum cum suis, id est Christianis salvabitur, sicut Jericho per tubas sacerdotum corruente *Rahab* salvata legitur. Latam enim viam deseruit, et iter angustum ducens in hanc civitatem arripuit, et tumorem superbiæ deposuit, ac humilis facta in hac civitate civis esse meruit, sicut illa populo Dei associari, et in genealogia Christi scribi meruit. *Babylon* erat caput Assyriorum. Hæc a Semiramide regina, uxore Nini regis, de crudis lateribus et bitumine est structa, a Cyro et Dario est destructa, ambitu sexaginta stadiorum, de qua dicitur, quod mirabile fuerit, quia
B posset ab homine construi, sed mirabilius, quod posset destrui. *Babylon* dicitur *confusio*, quia ibi olim confusæ sunt linguæ hominum, et significat hunc mundum, in quo amatores ejus variis modis confunduntur. Qui de peccatis erubescentes cum *Rahab* in hac civitate habitare cœperunt, et regem hujus civitatis nosse, et ei servire meruerunt (*Jos.* II et VI). Est ergo sensus : Gentium cum idolis suis meretricantium, et de peccatis suis confusarum in hac civitate per fidem jam habitantium, et *me* per sacramenta *scientium ero memor* dando eis virtutes et gloriam.

Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, hi fuerunt illic. Alienigenæ sunt Philisthæi, qui di-
C cuntur *cadentes potione*, quod sunt ebriosi et luxuriosi a regno Dei alieni. *Tyrus* dicitur *angustia*, et sunt persecutores Ecclesiam angustiantes. *Æthiopes* dicuntur *nigri*, et sunt peccatores nigri in peccatis. Hi omnes fuerunt hostes hujus civitatis, sed a Rege Christo subjecti facti sunt in ea devoti cives. Hæc omnia facta sunt gloriosa per Regem in ea natum, Deum et hominem. Hoc est, quod sequitur :

VERS. 5. *Nunquid Sion dicet : Homo et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus?* Hoc est, *homo* nascetur in ea civitate, et ipse idem *fundavit* eamdem civitatem prima creatione, quia idem, qui est *homo*, est et Deus *altissimus*, id est potentissimus. In hoc *fundavit eam*, quod illos fecit materialiter, de quibus construeretur hæc civitas
D spiritualiter. Sic autem hic versus construitur : *O Sion, nunquid* aliquis *homo dicet* istud? Civitas constructa est, *et homo natus est in ea, et ipse*, qui *natus est, fundavit eam*, et cum sit *homo*, est *altissimus?* Vix audebit hoc aliquis *homo* prædicare : incredibile enim et impossibile videbitur.

Alia translatio habet : *Mater Sion dicet : homo;* et est sensus : Synagoga, quæ est *mater Sion*, id est Ecclesiæ, *dicet* de Christo : Hic tantum est *homo*, *Sion* autem *dicit* : Ipse est *Altissimus*. Unde sciuntur ista?

VERS. 6. *Dominus narravit* (43) ea *in scripturis populorum*, id est in lege et prophetis, *scripturis* ad

(43) Vulg. *narrabit*.

utilitatem *populorum*, *et* in scripturis *principum*, id est apostolorum *horum*, *qui fuerunt in ea* principes, quandiu vixerunt, et talia docuerunt, et scripta reliquerunt. Sacra Scriptura est omnium *populorum*, quia omnes pene intelligunt eam, sæcularis autem scriptura paucorum est, quia pauci intelligunt. Quod enim Plato scripsit, vix tres intelligunt. Philosophi viam veritatis hominibus obcluserunt, dum sententias suas obscuris verbis involverunt, quam apostoli planis dictis mundo aperuerunt. Magna res facta est in civitate hac, magnum gaudium, magna lætitia ! Ideo collocatis omnibus gaudiis clausit.

Diapsalma. VERS. 7. *Sicut lætantium omnium habitatio in te. Habitatio omnium in te*, o civitas Dei, non erit tristantium, sed *sicut lætantium* in hac vita, in futura autem vere *lætantium*. In tabernaculis hic conterimur ; in civitate illa cœlesti habitatio nostra sola erit lætitia. Non erit ibi gemitus desiderantium, sed lætitia perfruentium. Aderit enim, cui suspiramus ; « similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III, 2). » Non erit ibi aliquod negotium nostrum, nisi laudare Deum, et frui Deo. Habitabimur et habitabimus. Subjicientur illi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. Quid ergo erit ? Quomodo, potuit lingua humana dixit : *Sicut lætantium omnium habitatio in te.* Quare *sicut lætantium ?* Quia non invenit aliam similitudinem, nisi qualem hic homo novit.

Hic psalmus etiam ad animam pertinet. *Civitas* A *Dei* est anima fidelis, cujus *fundamenta*, id est bonæ conversationis initia sunt *in sanctis montibus*, id est sanctorum vita et dogmatibus. Hæc civitas vocatur *Sion*, id est *specula vitæ*. Hujus *portas diligit Dominus*. *Portæ* hujus Sion, per quas anima ingreditur, est fides et baptismus. *Portæ*, per quas egreditur, est operatio et dilectio. *Tabernacula Jacob* est carnalis intellectus et traditiones Judæorum. De hac civitate *gloriosa dicta sunt*, quia de virtutibus, sicut de lapidibus est constructa ; et quia Christo imperatori ut sponsa est conjuncta. Hujus *memor* est Dominus, quia de *Rahab* et *Babylon* conversa est ad eum, hoc est, de latitudine vitiorum et superbia mundanæ gloriæ et confusione peccatorum. In hac civitate habitant *alienigenæ* et *Tyrii* et B *Æthiopes*, quia in cogitatione ejus manent pristinæ turpitudines, quæ eam a Deo alienabant : inde habet angustiam et timoris horrorem. Post hæc *nascitur* Christus *in ea*, id est virtus vel bonum opus ad imitationem Christi, et ipse *Altissimus fundavit* eam in virtutibus. Et *narrabit* ei voluntatem suam in *scripturis populorum*, id est in passionibus martyrum et vita sanctorum, et in *scripturis principum*, id est apostolorum et prophetarum. Et hoc *narrabit* ei, quod *habitatio* erit in ea *sicut lætantium omnium*, quia Christus rex virtutum in hac civitate regnabit in æternum, qui est plenum gaudium.

Hunc psalmum festum sanctæ Mariæ canit, quia ipsa Christum Deum et hominem genuit.

PSALMUS LXXXVII.

Domine Deus salutis meæ, etc. Præsens psalmus C est de passione Christi, et de ejus morte et sepultura et ad inferos descensione. Milites laborantes in tabernaculis audita gloria, quæ est in civitate imperatoris, flagrabant nimio desiderio relictis castris hanc urbem ingredi et immensa lætitia perfrui. Quibus certamen indicitur, et quia per multas tribulationes oporteat introire in regnum Dei, eis prædicitur ut noverint introitum hujus civitatis esse tribulationem, sicut et Christum regem eorum prius oportuit pati, et ita intrare in illam gloriam, cui, sicut compatiuntur, et conregnabunt. Ne autem in certamine deficiant, certamen Christi regis ipsorum eis in hoc psalmo proponitur, et post pugnam victoribus corona promittitur, quia « nemo coronabitur, nisi qui legitime certaverit (*II Tim.* II, 5). » Legitimum certamen tale erat : Duo nudi oleo uncti simul luctabantur : si alter vero succubuit, non statim victus fuit ; sed si sæpius elisus ex toto a lucta defecit, hic victus fuit, et hic servitio victoris addicebatur, victor vero laurea coronabatur. Sic certamen est inter Christianos et dæmones. Dæmones sunt nudi ; Christiani oleo uncti. Si quis instinctu diaboli in aliquo peccato lapsus fuerit, non continuo servus ejus erit, si per pœnitentiam vires reparans fortis in adversarium insurrexerit. Sed si ex toto ab intentione resistendi peccato deficit, hic dominium se vincentis subibit, et hic corona carebit. Qui autem usque in finem in certamine perseveraverit, hic coronam vitæ reportabit.

Hic psalmus est octogesimus septimus, quod sunt novies novem, insuper sex. Per novenarium gaudium angelorum, per senarium labor hic certantium exprimitur. Designat hic numerus, quod hi, qui contra vitia pro Christo pugnant, angelorum gaudia in civitate gloriosa percipiant. Titulus psalmi D est :

(VERS. 1.) CANTICUM PSALMI, FILIIS CORE, IN FINEM PRO MELECH (44) AD RESPONDENDUM, INTELLECTUS EMAN ISRAELITÆ.

Canticum est jucunditas contemplationis. *Psalmus* studium bonæ actionis. *Filii Core* martyres imitatores Christi in Calvaria crucifixi. *Finis* perse-

(44) Vulg. *Maheleth* et *Ezrahitæ*.

verantia. *Melech* [*Maheleth*] dicitur *chorus*, subauditur martyrum. *Ad respondendum*, subauditur : organis vel alii præcinenti, quia, cum præcentor præcinit, succentor chorus ei respondet. Ubi *intellectus* ponitur, et significat spiritaliter debere intelligi. *Eman* erat unus de peritis cantoribus, cui hic *psalmus* a David ad canendum est datus, et dicitur *frater ejus*. Significans Christum, qui factus est frater illius chori faciens martyres Dei filios. Quod addidit *Israelitæ*, significat quod ipsi erunt *videntes Deum*. Alia translatio habet : *Eman Ezrahitæ*. *Eman* sonat *accipiens*. *Ezrahita*, *indigena* vel *orientalis*, et significat martyres Christi in castris certantes, qui acceperunt a Domino quod pro eo possint pati, qui non sunt hospites et advenæ, sed sunt civitatis Dei indigenæ, scilicet cives et domestici Dei, et ab eo qui dicitur *oriens*, orientales dicti, sicut a Christo Christiani. Sic ergo titulus exponitur : Hoc *canticum psalmi*, id est hilaritas bonæ operationis proponitur *filiis Core*, id est imitatoribus passionis Christi, ut certent *in finem* pro corona justitiæ. Quod *canticum* est *pro Melech* [*Maheleth*], id est pro concordia *ad respondendum*, subaudis : Christo, hoc est, quemadmodum Christus sua passione præcinuit, ita chorus martyrum patiendo respondeat, si cum eo in civitate gloriosa regnare cupiat. Quodque *canticum* est *intellectus Eman Israelitæ*, hoc est, dirigens in intelligentiam ad Christum, fratrem Deum videntium. Vel *intellectus* hujus cantici adscribitur *Eman Ezrahitæ*, id est populo, qui accepit a Domino, ut sit indigena civitatis Dei.

Materia psalmi est Christi humiliatio in passione, vel in morte, vel in descensione. Intentio est nos hortari Christi exemplo per angustam viam ambulare, si velimus civitatem Dei intrare. Verba sumpta videntur de Joseph, quem fratres sui in lacum in solitudine posuerunt, cujus noti longe facti abominationem eum sibi fecerunt, a quibus Ismaelitis traditur : non est ab eis egressus. Significat autem Christum, quem fratres sui, scilicet discipuli in sepulcrum posuerunt, dum eum noti sui, videlicet Judæi, abominationem sibi in cruce posuerunt, qui a Juda traditus Pharisæis non est egressus ab eis.

Tres partes habet. Prima pars est : *Domine, Deus salutis*, in qua calamitates passionis Christi scribuntur ; secunda : *Nunquid mortuis facies mirabilia*, in qua sex interrogationes negative proponuntur ; tertia : *Et ego ad te, Domine, clamavi*, in qua Ecclesiæ, quæ est corpus Christi, miseriæ subjunguntur. Vox Christi in forma servi :

VERS. 2. *Domine, Deus salutis meæ*. O Verbum Fili Dei, qui es *Dominus* omnium, qui in me homine formam servi sumpsisti, tu *Deus*, qui me creasti, *Deus*, dico, *salutis meæ*, id est dans salutem homini per me, *in die clamavi*, id est in claritate, quam tecum habeo, populis prædicavi, *et nocte* hoc est, in tenebris Judæorum, et hoc *coram te*, id est, in beneplacito tuo. Vel *in die et nocte coram* Deo *cla-*

A *mavit*, quia in prosperis et adversis in conspectu Dei oravit.

Aliter : *In die clamavit*, quando psalmum *Deus, Deus meus, respice in me* in cruce cantavit, sicut scriptum est : *Eloi, Eloi, quod est : Deus meus, Deus meus*, etc. (*Marc.* XV, 34.) *In nocte clamavit*, quando in monte Oliveti dixit : *Pater, si vis, transfer calicem hunc a me* (*Luc.* XXII, 42). Et hoc *coram* Deo fuit, quia ipse solus novit, qua intentione hoc fecit. Ego *clamavi* :

VERS. 3. *Intret in conspectu tuo oratio mea : inclina aurem tuam ad precem meam*. Ingressus orationis in conspectu Dei est acceptio carnis ejus, in qua pro humana salute oravit. *Inclinatio auris* Dei est misericors exauditio, qua hominem lapsum de

B luto ad cœlestia levavit. Exaudi me :

VERS. 4. *Quia repleta est malis anima mea* : in peccatis pereuntis populi, vel anxietatibus per cruciatus carnis. *Et vita mea inferno appropinquavit*, quia per cruciatus morior, et sic ad infernum ibo. Vere moriar, quia ecce jam

VERS. 5, 6. *Æstimatus sum cum descendentibus in lacum*, id est damnatus sum cum latronibus, qui pro meritis suis ad infernum descendunt. *Factus sum sicut homo sine adjutorio*, hoc est, ita me reputant sicut hominem, qui nec amicum vel proximum habet, qui occisum vindicet. Vel ita me cruciant, quia ut peccatorem, a te derelictum, et post mortem cum aliis peccatoribus ad infernum

C descensurum æstimant, qui sum *inter mortuos liber* a peccato. Aliis mors est pœna peccati, mihi est voluntaria et causa salutis humanæ. Et quia liber sum a peccato inter mortuos in peccatis, non tenebor a morte in pœnis. Factus sum etiam *sicut vulnerati dormientes in sepulcris*. Ita per vulnera interfectus sum ab eis, *sicut* latrones pro sceleribus suis *vulnerati*, interfecti, projecti sunt in monumentis. Vel ita *æstimatus sum* ab eis, *sicut* illi, qui in anima sunt flagitiis *vulnerati dormientes in sepulcris*, id est quiescentes, in consuetudine peccatorum sepulti, vel qui in criminibus moriuntur, et ut dives in inferno sepeliuntur. *Quorum non es memor amplius* ad redimendum eos per me; *et ipsi de manu mea repulsi sunt*, hoc est de salute, quam

D per me, manum tuam, operaris. Vulneratum et occisum

VERS. 7. *Posuerunt me in lacum*, id est in sepulcrum : et etiam *in lacu inferiori*, id est, animam in infernum : *In tenebrosis et in umbra mortis*, hoc est, « in terram tenebrosam, et opertam mortis caligine, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat (*Job* X, 21, 22). » Vel æstimatione sua *posuerunt me in lacu inferiori*, id est in profundissimam calamitatem, reputantes me omnibus hominibus miserabiliorem, qui morte turpissima, scilicet crucis supplicio damnatus essem. Et ideo *posuerunt me in tenebrosis*, id est inter latrones peccatis tenebrosos, *et in umbra mortis*, id est inter imitatores diaboli. *Mors* est diabolus. *Umbra mortis* iniqui

imitantes diabolum ut umbra corpus. Ideo talem æstimationem de me habuerunt, quia

VERS. 8. *Super me confirmatus est furor tuus. Furor* Dei erat vindicta sæviens multis pœnis in genus humanum. Hic *furor* super Christum est *confirmatus*, dum eum pro peccatis omnium horribili neci tradidit. *Et omnes fluctus tuos induxisti super me*, id est omnes passiones, quas in prophetis prædixisti. Vel Judæi me ita reputant, quasi pro facinoribus meis omnia genera pœnarum super me induxeris.

VERS. 9. *Longe fecisti notos meos a me*, id est, apostolos et cognatos ejus, qui eum a Galilæa secuti sunt, qui relicto eo omnes fugerunt. *Posuerunt me abominationem sibi*, quia, cum viderent me taliter tractari, ut pessimum me abominabantur in tantum, quod quidam juramento me nosse abnegarent. Vel Judæi *posuerunt me abominationem sibi*, dum abominando crucis supplicio me damnaverunt. *Traditus sum* a Judæis gentilibus, et *non egrediebar* de custodia Pilati ut reus reclusus, vel *traditus* morti *non egrediebar* hominem ostendendo me Deum. Et ideo

VERS. 10. *Oculi mei languerunt præ inopia*. Corpus Christi est Ecclesia. In hoc corpore *oculi* sunt apostoli ducentes eam de tenebris ad lumen vitæ. Horum oculorum lumen erat Sol justitiæ. Quando hic sub nube carnis latuit, et se Deum in passione non ostendit, *oculi* subtracto lumine *languerunt præ inopia*, quia de ejus potentia dubitaverunt. Quidam etiam eum Deum negaverunt, et quidam dixerunt: « Nos sperabamus quod ipse redempturus esset Israel (*Luc.* XXIV, 21), » sed in hoc subauditur, decepti sumus, quia ut alius homo est mortuus, ab omnibus desertus. *Clamavi ad te, Domine*, dicens: *Eloi, Eloi:* vel *clamavi* pro illis: « Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII, 34). » *Tota die expandi ad te manus meas*, hoc est, tota vita mea opera mea ad te direxi.

VERS. 11. *Nunquid mortuis facies mirabilia?* Ideo oravi, ut in peccatis non morerentur, quia qui in peccatis mortui sunt, cum illis non facis *mirabilia*, ut de pœnis inferni liberes eos, aut eos nunc cum justis resuscites.

Aliter: Me in cruce pendente sol obscuratus est, tenebræ factæ sunt per universam terram, petræ scissæ sunt, velum templi divisum est, terra tremuit, mortuos evomuit. Hæc *mirabilia* fecisti vivis, scilicet sentientibus, qui per hæc visa conversi ad fidem dixerunt: « Vere Dei Filius erat iste (*Marc.* XV, 39): » Sed *nunquid mortuis* in peccatis, scilicet non sentientibus *facies* hæc *mirabilia*, qui indurato corde, ut Caiphas et Pharisæi hæc vident, et non credunt, imo custodes ad sepulcrum ponunt? Non *facies. Aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi? Medici* animarum fuerunt apostoli a cœlesti medico edocti, qui unguentis Spiritus sancti curabant animabus vulnera inflicta. *Nunquid hi medici suscitabunt* Scribas et Pharisæos mortuos in peccatis,

A quos summus medicus non suscitavit a morte animæ, et *suscitati confitebuntur*, id est laudabunt Dominum? Nequaquam. « Non » enim taliter « mortui laudabunt te, Domine (*Psal.* CXIII, 17). »

VERS. 12. *Nunquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam, et veritatem tuam in perditione?* Christus est Dei *misericordia*, quia per ipsum miseria hominum aufertur: ipse quoque Dei *veritas*, quia per ipsum cœlestia instaurantur. Hanc *misericordiam* et hanc *veritatem* nullus *in sepulcro* alii *narrabit*, nec aliquis *in perditione*, id est, in inferno positus memor erit, cui dolor immensi cruciatus cogitatum de Deo adimit.

Aliter: Anima peccans est mortua, cujus sepulcrum est corpus vel mala consuetudo, in qua fœ-
B tet sepulta; perditio vero est desperatio. Qui ergo in consuetudine peccatorum vel desperatione positi sunt, *misericordiam* et *veritatem* Dei non requirunt; mundum in *misericordia* salvatum, judicium in *veritate* futurum non credunt.

VERS. 13. *Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, et justitia tua in terra oblivionis? Tenebras* vocat infernalia claustra. *Terra oblivionis* est infernus, quia ibi positi sunt, qui obliti sunt Dei, et Deus oblitus est eorum ad miserendum. In his locis *mirabilia* et *justitia* Dei *non cognoscentur*, quia a nullo ibi narrantur. Tenebræ quoque sunt infideles, in quibus *mirabilia* Dei *non cognoscentur*, quia indurati ad pœnitentiam non convertentur. *Terra*
C *oblivionis* sunt Judæi, qui propter terrena obliti sunt Dei. In his *justitia* Dei Christus non cognoscitur, quia non inquiritur. Hæc omnia ideo dicta sunt, ne anima ejus in inferno relinquatur, sed citius resuscitetur, quatenus laus Dei per beneficia ejus posset agnosci. Tu, Pater, non facies mortuis mirabilia nisi per me, nec medici suscitabunt nisi per me.

VERS. 14. *Et ego ad te, Domine, clamavi*, ut me resuscitares, ut per me mortuis facias mirabilia, quosdam de inferno excipiens, quosdam in corpore resuscitans, quosdam in anima justificans. « Multa » enim « corpora sanctorum surrexerunt, et multis apparuerunt (*Matth.* XXVII, 52); et per me medici apostoli mortuos suscitent quosdam corporaliter, multos spiritualiter, ut confiteantur tibi. Ego oravi,
D *et mane oratio mea præveniet te*, id est matutina me resurrectione clarificabis. Quomodo oraverit, subjungit:

VERS. 15. *Ut quid, Domine, repellis orationem meam*, qua oravi: « Transeat a me calix iste? » (*Luc.* XXII, 42). Utquid *avertis faciem tuam a me*, sicut ab Adam, et non respicis ad liberandum me? Hoc etiam in persona Ecclesiæ, quæ est corpus Christi, dicitur. Infideles mirabilia tua non cognoscent, Judæi obliviscuntur tui, *et ego*, scilicet populus tibi fidelis, *ad te* solum obtinendum *clamavi* devotione, ore et opere. *Et mane oratio mea præveniet te:* in luce virtutum prævenit oratio mea judicium tuum. Et cum bonum oraverim, *utquid, Domine, repellis orationem meam, avertis faciem tuam*

a me? Cum sancti petunt, quod eis non expedit, ut Paulus, Deus orationem eorum repellit, quia eos ad hoc, quod eis non est utile, non exaudit. Quasi faciem avertit, dum eos de tribulatione ut Laurentium non eripit, quia æterna eis gaudia dare disposuit. Sequitur vox Christi: Quia faciem tuam, Pater, a me avertis, ideo

VERS. 16. *Pauper sum ego*, non habens solatium vel auxilium. *Et in laboribus a juventute mea*, a tempore assumptæ carnis vel a tricesimo anno meæ ætatis, cum prædicare incœpi : *exaltatus autem* in cruce, *humiliatus sum in sepulcro, et conturbatus* in morte.

VERS. 17. *In me transierunt iræ tuæ*, id est vindictæ pœnæ peccati, dum me flagellis quasi reum ceciderunt : *et terrores tui conturbaverunt me*, hoc est, terribiles cruciatus, quos prædicavi te illaturum iniquis, effusi sunt super me in cruce.

VERS. 18. *Circumdederunt me* Judæi *sicut aqua*, id est sicut fluctus persecutionum, *tota die* Parasceve, a mane usque ad vesperam pro ejus interitu laborabant. *Circumdederunt me simul* Pharisæi cum sacerdotibus, Pilatus cum principibus et populis.

VERS. 19. *Elongasti a me amicum et proximum*, id est apostolos et cognatos, *et* alios *notos meos* elongasti *a* mea *miseria*. Et quia videbant me omni auxilio destitutum, ideo occiderunt me ut miserrimum. Hinc ad inferos descendens fortem alligavit, spolia ejus cum triumpho reportavit, mane resurrexit, et sic gloriam suam Rex æternæ gloriæ intravit. Hoc totum ad formam sanctis scribitur, quia, si Rex gloriæ civitatem non nisi per introitum tribulationis intravit, nec ipsi nisi per tribulationem intrare poterunt.

PSALMUS LXXXVIII.

Misericordias Domini in æternum cantabo, in generationem, etc. Quia Christum oportebat pati, præcedens psalmus præcinit ejus dejectionem; quia vero oportebat eum a mortuis resurgere, et ita intrare in gloriam suam, hic in octogesimo octavo loco calculatur, qui numerus per undenarium et octonarium multiplicatur. Nam undecies octoni hujus numeri summam conficiunt. Sicut per denarium lex, ita per undenarium transgressio legis exprimitur. Per octonarium resurrectio innuitur. Designat hic ergo numerus, quod genus humanum propter transgressionem legis Dei mortuum, resurgit in anima per Christum, et in ultima resurrectione percipit gaudium octo beatitudinum. Titulus ejus est:

(VERS. 1.) INTELLECTUS ETHAN ISRAELITÆ.

Ethan erat peritus musicus, et ideo hic psalmus ad recitandum est ei a David creditus. *Ethan* dicitur *robustus*, et est martyrum populus in persecutionibus robustus, qui est *Israelita*, id est Deum visurus. Alia translatio habet : *Ethan Ezrahitæ*, quod dicitur *robustus indigena*. Hic ergo psalmus, id est hæc laus Dei est *intellectus Ethan Israelitæ*, vel *Ezrahitæ*, hoc est, robusti populi martyrum Deum visuri, qui erat indigena civitatis Dei.

Materia psalmi est Christi exaltatio. Intentio est nobis æternæ vitæ gloriam commemorare, hortans nos per laudes Christi ad illam festinare. Verba sumpta sunt de historia, ubi Deus David secundum cor suum invenit, quem oleo sancto unxit, regem populo constituit, Salomoni regnum promisit. Significat autem Christum, quem Pater secundum cor suum invenit, in quo sibi bene complacuit, quem oleo lætitiæ in Spiritu sancto unxit, Regem Ecclesiæ constituit, futurum ei regnum vero pacifico dabit, quando in cœlesti gloria in Ecclesia regnabit in æternum.

Per quinque diapsalmata distinguitur in sex membra. Per quinarium Judaicus populus sub Pentateucho constituitur, per senarium fidelis populus sub sex operibus Evangelii serviens exprimitur, qui domini Christi subjicitur. In prima parte misericordia et veritas Dei commendatur; in secunda singularis Christi magnificentia et sanctorum in nomine ejus prædicatur gloria; in tertia beneficia Dei Dominico homini collata narrantur; in quarta eversio regni inimicorum Christi ad laudem ejus memoratur; in quinta reconciliatio Judæorum cum Christo notatur; in sexta malorum retributio declaratur. Vox fidelis populi :

VERS. 2. *Misericordias Domini in æternum cantabo*. Misericordiæ Domini multæ sunt, illuminatio, remissio, justitia, promotio, perseverantia, tandem remuneratio. Has omnes *in æternum cantabo*, id est hic et in futuro te Deum pro his laudabo. *In generatione et generatione annuntiabo veritatem tuam in ore meo*, hoc est, in Judaico et gentium populo, vel quandiu succedet generatio generationi, *annuntiabo* Christo *veritatem* Dei *in ore meo*, quo confessio fit ad salutem, quem credo corde ad justitiam.

VERS. 3. *Quoniam dixisti* per prophetas, *in æternum misericordia ædificabitur in cœlis*. Cœli sunt apostoli in cœlis regnaturi. In his per Spiritum sanctum ædificata est Dei *misericordia in æternum* mansura. *Præparabitur veritas tua in eis*, hoc est, Christus *veritas* Dei prædicabitur per eos aliis. Et hoc dixisti :

VERS. 4. *Disposui testamentum electis meis*, hoc

est, præcepta Novi Testamenti dedi apostolis, quos elegi. Et hoc dixisti : *Juravi David servo meo*, id est firmiter promisi Christo de David genito mihi per omnia obedienti.

Vers. 5. *Usque in æternum præparabo semen tuum*, id est Christianos, tuos sequaces faciam *in æternum* durare. *Et ædificabo in generatione et generationem sedem tuam*, hoc est, Ecclesiam ex vivis lapidibus ædificabo, in qua tunc Rex sedebis in æternum.

Diapsalma. Regalis potentia Christi sequitur, quæ multis laudibus attollitur. Præcedentia ad Patrem, sequentia referuntur ad Filium.

Vers. 6. *Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine. Cœli*, id est apostoli, in quibus misericordia per Evangelium Christi est ædificata, et in quibus per Spiritum sanctum est præparata, ipsi *confitebuntur mirabilia tua, Domine*, id est laudabunt signa, quæ facturus es, Christe. *Etenim veritatem tuam in Ecclesia sanctorum*, id est promissiones tuas veras et signa prædicabunt in congregatione sanctorum, et hoc annuntiabunt quod nullus tibi similis sit.

Vers. 7. *Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino?* Hic Trinitas inducitur, ut tota ista laus de Trinitate intelligatur. *Nubes* sunt prophetæ, de quibus fluxerat pluvia vitæ. Quis in his æqualis fuit *Domino Patri?* Nullus. Aut quis *similis erit Domino* Filio *in filiis Dei*, id est in apostolis, qui sunt adoptivi filii Dei, cohæredes regni ejus? Nullus.

Vers. 8. *Deus, qui glorificatur in concilio sanctorum*, scilicet Spiritus sanctus Paracletus, qui in congregatione apostolica adorandus, Patri ac Filio æqualis esse prædicatur. Nam et Dominus Jesus Christus cum Patre et Spiritu sancto una subsistit omnipotentia, *magnus et terribilis* vel *metuendus*, ut alia translatio habet, *super omnes qui in circuitu ejus sunt*. In Judæa est Christus conversatus, *in circuitu ejus* fuerunt omnes gentes. Ergo *super omnes* gentes est ipse potens et metuendus. Vel *potens* est in signis, *terribilis* in judiciis *super* apostolos et *omnes* sanctos *qui in circuitu ejus sunt*, id est qui in propinquo ejus per innocentiam existunt.

In Hebræo habetur : *Deus inclytus in arcano sanctorum, nimio et terribilis cunctis, qui in circuitu ejus sunt*. Sanctis tantum nota est Christi potentia, qui noverunt judicia ejus terribilia, cui clamant dicentes :

Vers. 9. *Domine Deus virtutum, quis similis tibi?* Qui es *Dominus* omnium et *Deus* angelorum, *quis* in angelis vel hominibus est *similis tibi* potentia et virtute? *Potens es, Domine*, in signis et prodigiis, *et veritas tua in circuitu tuo*, id est Ecclesia, in cujus medio existis, cui omnia vera per cœlos, apostolos exhibuisti, quæ per nubes, prophetas promisisti. Et quæ signa potenter faciat, dicit :

Vers. 10. *Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas*. Hoc tractum est de historia, ubi mare Rubrum ad transitum populi sui tranquillavit. *Mare* significat sæculum multis erroribus turbidum, cujus potestatibus Christus *dominatur. Motus fluctuum* sunt tentationes persecutionum, quos Christus *mitigat*, ne sæviens procella servos suos obruat, non ex toto aufert, ne martyribus coronam adimat.

Vers. 11. *Tu humiliasti sicut vulneratum superbum, in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos*. Hoc tractum est de Pharaone, quem superbum muscis, ranis et aliis vermibus vulneravit, humiliavit; inimicos suos Ægyptios dispersit, dum fluctibus maris immersit. Superbus est diabolus, qui clavis crucis Christi sauciatus in spoliis est humiliatus. Ideo dixit : *Sicut vulneratum*, quia percussus est dolore in mente, non carne, quam non habet. Qui ergo superbus ab omnibus populis ut Deus coli voluit, per Christum humiliatus est, quando eos, qui regnum ejus erant, amisit. *In brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos*, id est Judæos per totum orbem in potenti virtute tua.

Vers. 12, 13, 14. *Tui sunt cœli, et tua est terra, orbem terræ et plenitudinem ejus tu fundasti, aquilonem et mare tu creasti*. Hæc verba tracta sunt de creatione mundi, quia in Christo sunt omnia condita, quæ in cœlis vel in terra sunt, visibilia et invisibilia. *Cœli* sunt apostoli, qui sunt Christi, ab eo in virtutibus splendidi facti. *Terra* est Ecclesia de Judæis conversa, aratro Evangelii exculta. Quæ nunc est Christi, quia eum colit, et legalia in sacrificium mutavit. *Orbis terrarum* est circuitus Ecclesiarum de omnibus gentibus conversarum, cujus *plenitudo* sunt omnes electi in Ecclesiam gentium collecti. Hanc ipse in fide et baptismo *fundavit*, quam dilectione et operatione se ipsam turrim ad cœlum ædificari docuit. *Aquilo* est durus ventus, et intelligitur Antichristus, *mare* vero turbulenta ejus persecutio. Hæc *tu creasti*, id est electis tuis ad coronam præparasti. Vel : *Aquilonem et mare tu creasti*, id est diabolum et ejus membra tu disposuisti, quia opera eorum sanctis tuis fructuosa fecisti. Quidquid enim diabolus per se et per suos operatur, totum fit ad utilitatem sanctorum, unde et ipse et mali necessarii comprobantur.

Et quia omnia fecisti, *Thabor et Hermon in nomine tuo exsultabunt. Thabor* est mons in Galilæa juxta Nazareth, in quo Christus octo beatitudines docuit. *Hermon* est monticulus in Judæa juxta Jordanem, in quem Dominus de baptismo ascendit, cum Spiritus sanctus in specie columbæ super eum descendit. *Thabor* dicitur *veniens lumen; Hermon, anathema ejus*. Per *Thabor* intelligitur Ecclesia de Judæis, in quam venit vera lux de cœlis, per quam illuminata est ipsa *veniens lumen* populo gentium, qui sedebat in tenebris infidelitatis et umbra mortis. De primitiva quippe Ecclesia venit lumen veritatis gentibus. Per *Hermon* designatur Ecclesia de gentibus, quæ est anathematizans aquilonem, id est diabolum et opera ejus. *Thabor ergo et Hermon*, id est fideles de Judæis et gentibus, *in nomine* Christiano *exsultabunt*, eo quod aquilonem et mare, id est diabolum et Antichristum et persecutionem malorum evase-

runt. *Tuum brachium cum potentia*, hoc est facile sævitiam impiorum comprimis, quia quæcunque vis, potenter operaris. Sequitur oratio eorum:

Firmetur manus, hoc est in judicio operatio tua super adversarios *firmetur*, ut eos in ima comprimas, quos nunc tuos calcare toleras. *Et exaltetur dextera tua*, id est clarificetur numerus prædestinatorum, qui est ad dexteram collocandus, quia

Vers. 15. *Justitia et judicium præparatio sedis tuæ. Sedes* Christi est Ecclesia, in qua requiescet, per quam mundum judicabit, et in qua Rex in æternum regnabit. Hujus *sedis* est *præparatio justitia et iudicium*, quia per justitiam, quam hic fecit, ad regnum judicabitur, et injustus populus ab ea ut paleæ a granis in judicio separabuntur. Unde *præparatio sedis* est *justitia et judicium*, quia æquitas sancta in judicio patescet, verus Judex ostendetur, angelorum ministeria cernentur, per quos mali a bonis dividuntur. Interim *misericordia et veritas præcedent faciem tuam. Misericordia*, qua parcis conversis; veritas, qua promissa restituis.

Vers. 16. *Beatus populus, qui scit jubilationem.* Non dixit: Qui canit; sed: *Qui scit jubilationem.* Jubilatio est enim copiosa mentis exsultatio, quæ verbis non potest explicari. Beati ergo erunt, qui Deo pro beneficiis suis hic jubilant, quia in æternum gaudebunt. De quorum gaudio sequitur: *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt*, hoc est, hic in illuminatione Spiritus sancti erunt, et in claritate cogitationis tuæ perseverabunt, et post hoc te facie ad faciem videbunt.

Vers. 17. *Et in nomine tuo exsultabunt tota die*, hoc est toto tempore hujus vitæ de nomine Christiano exsultabunt, et in futuro *tota* illa *die*, quæ non habet vesperum, de hoc gaudebunt, quod nomen tuum per justitiam secuti sunt. *Et* tunc *in justitia tua exaltabuntur* in cœlesti gloria, quia hic humiliati sunt in pœnitentia. Tua quippe justitia est, ut humiles exaltes, superbos dejicias. Vere exaltabuntur:

Vers. 18. *Quia gloria virtutis eorum tu es.* Pro virtutibus, quas hic eis dedisti, eris tu ipse gaudium et gloria et beatitudo eorum. Non de alia re, quam de te gloriam habebunt, in cujus visione omnes sancti gaudebunt. *Et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum. Cornu* est sanctorum fortitudo, qua vitia et peccata superant. *Cornu* etiam significat regnum justorum, qui in cœlestibus regnant. Hoc *cornu in beneplacito* Dei *exaltabitur*, quia virtus sanctorum in voluntate Dei facta in superno regno sublimabitur. Hoc ideo:

Vers. 19. *Quia Domini est assumptio nostra, et sancti Israel regis nostri*, id est creator noster et gubernator noster sanctificans nos, et faciens nos *Israel*, id est *videntes Deum*, carnem nostram assumpsit, quam transtulit super angelos in cœlestem gloriam. Vel assumpsit nos de mortalitate, de ignorantia in lucem, de hoc mundo in æternum gaudium. Sequitur assumpti hominis multimoda gratia a Divinitate collata.

A *Diapsalma.* Vers. 20. *Tunc locutus es in visione sanctis tuis*, id est in revelatione prophetis. Tres visiones sunt: corporalis, qua corporalia videmus; spiritualis, qua imagines corporalium in spiritu concipimus; intellectualis, qua rerum existentias, prout sunt, intelligimus. *In* spirituali *visione locutus* est Dominus prophetis, cum eis in assumpta forma apparuit, vel figurales formas ut Ezechieli, Danieli, Joanni in Apocalypsi ostendit. Et quia hæc soli prophetæ viderunt, ideo *videntes* dicti sunt. *In* intellectuali *visione locutus* est eis, cum mentem eorum interna inspiratione replens futura eis, ut David, ostendit. Postquam hæc omnia, quæ dixisti mihi de Christo, revelasti, tunc etiam *locutus* [*es*] aliis *sanctis tuis*, scilicet Samueli,

B et Nathan, et Gad *in visione*, vel in somniis, vel interna inspiratione, *et dixisti: Posui adjutorium in potente*, id est adjutorium, quod volo facere humano generi, imponam potenti, id est per potentem adjuvabo.

Alia translatio habet: *Super potentem*, id est Christum, qui erit *adjutorium* oppressis, ponam *super potentem* diabolum, ut opprimat eum. De futuro quasi de jam præterito loquitur propter certitudinem immutabilem, quia futurum potest immutari, ut non fiat; præteritum non potest immutari, quin sit factum. *Et exaltavit electum de plebe mea*, id est electum de plebe Israelitica, signis et virtutibus sublimabo, et in dextera mea super omne nomen exalta-

C bo. Quem *electum?* David, id est Christum super dæmones fortem, angelis desiderabilem. Hunc *electum* in patriarchis et prophetis quæsivi. Et

Vers. 21. *Inveni David servum meum*, videlicet Christum mihi obedientem, de *David* stirpe natum, qui in Divinitate est *David* desiderabilis, in humanitate *servus* voluntati meæ serviens. Hunc secundum cor meum inventum *oleo sancto meo unxi eum* in regem et sacerdotem spirituali gratia, ut immolet hostiam pro illis, et regat in virtutibus. De omni humano genere eligam eum, id est assumam eum ad hoc officium, quia ille solus placebit mihi, cui hoc officium injungam, per quem juvabo genus humanum surgere de sua miseria, hunc exaltabo in regem et sacerdotem, et seponam in eo adjutorium humani generis.

D Verba hæc sumpta sunt de Samuele, quando David unxit in regem. Ipse electus populum oppressum liberabit et adjuvabit.

Vers. 22. *Manus enim mea auxiliabitur ei*, id est Filius meus, per quem omnia feci, sibi personaliter unitus adjuvabit eum reparare genus humanum. *Et brachium meum confortabit eum*, id est verbum counitum firmum faciet eum, ne cedat. Ideo

Vers. 23. *Nihil proficiet inimicus in eo*, id est, diabolus tentans eum non prævalebit, nec ab obedientia eum avocabit. *Et filius iniquitatis non apponet nocere ei*, id est Judas traditor, filius diaboli, ultra non nocebit ei. Prius quasi ei nocuit, dum eum ad passiones et mortem tradidit. Postquam vero dextera Dei eum exaltavit, *non apponet nocere ei*, quia « ultra

non moritur, mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* VI, 9). »

VERS. 24. *Et concidam a facie ipsius inimicos ejus*, id est Judæos a præsentia ejus, gladio verbi ipsius confundam. Sæpe enim ab eo victi discedebant confusi. *Et odientes eum*, videlicet dæmones *in fugam convertam*. Sæpius etenim coram eo fugiebant dicentes : « Quid venisti ante tempus torquere nos? » (*Matth.* VIII, 29.) Hæc verba trahuntur de historia. ubi inimici David Saul et Absalon occisi sunt, alii in fugam conversi. Sic Judæi, Christi inimici, a Romanis occisi sunt, dæmones a gentibus fugati sunt.

VERS. 25. *Et veritas mea et misericordia mea cum ipso. Veritas* in prædicatione, quia quæ a me audivit, loquetur. *Misericordia* in sanatione, quia infirmos tam mente quam corpore sanabit. Vel *veritas mea cum ipso est*, quia omnia per eum complebo, quæ per prophetas prædixi. *Misericordia* mea cum ipso est, quia homines de miseria liberabo. *Et in nomine meo exaltabitur cornu ejus*, hoc est fortitudo sanctitatis ejus, vel Ecclesiæ sanguine suo redemptæ promovebitur in laude mea, hoc est mihi attribuet, non sibi.

VERS. 26. *Et ponam in mari manum ejus*, id est in mundo opera ejus. *Et in fluminibus dexteram ejus*, id est potentiam ejus ponam in sæculi principibus. Sicut enim flumina currunt in mare, sic cupidi homines in amaritudinem hujus sæculi prolabuntur. Omnia tamen ista genera Christo subdita erunt, quia

VERS. 27. *Ipse invocabit me : Pater meus es tu, Deus meus, et susceptor salutis meæ. Pater meus*, quia me genuisti æqualem tibi; *Deus meus*, quia me creasti tibi minorem; *susceptor salutis meæ*, quia me hominem in te suscepisti ad humani generis salutem. Ipse hæc dicet mihi.

VERS. 28. *Et ego*, Pater, *primogenitum ponam illum.* Ostendam mundo eum esse meum *primogenitum* mihi coæqualem, et faciam illum primogenitum mortuorum resuscitans eum a morte, et faciam illum *excelsum præ regibus terræ*, exaltans eum super cœlestia, et subjiciens ei cuncta mundi regna.

VERS. 29. *In æternum servabo illi misericordiam meam*, scilicet hanc, ut sit excelsus præ regibus terræ : *et testamentum meum fidele ipsi*, id est pactum meum, quod pepigi patribus, erit *ipsi fidele*, quia ipse in æternum dominabitur omnibus gentibus.

VERS. 30. *Et ponam in sæculum sæculi semen ejus*, id est Christianos ab ejus nomine exortos faciam durare in æternum. *Et thronum ejus sicut dies cœli*, id est Ecclesiam ponam æqualem angelis in cœlo, qui sunt æterna claritate lucidi, Sole justitiæ illustrati.

Aliter : Sicut quidam ordo cœlestis vocatur *thronus* propter excellentiam, ita casti vocantur *thronus* Dei, in quibus familiarius sedet propter cordis munditiam. Illos faciam sicut dies angelorum, id est eamdem cognitionem, quæ est in angelis, ponam in illis.

Aliter : *Thronus* est regia sedes, et intelligitur potestas futuri judicii, quæ tanta veritate peragenda est, ut sanctis omnibus cœlesti præfulgeat claritate.

VERS. 31. *Si autem dereliquerint filii ejus legem meam*, etc. Christus est sponsus. Ecclesia sponsa. Horum *filii* sunt omnes Christiani ex aqua et Spiritu sancto regenerati. *Si* hi *legem meam dereliquerint*, id est solemnitates et jejunia, per me vel per meos instituta abjecerint, *et in judiciis meis non ambulaverint*, id est si non juste judicaverint.

VERS. 32. *Si justitias meas profanaverint*, id est canonicas censuras per meos peccantibus constitutas exsecrati fuerint, *mandata mea* in decalogo legis scripta *non custodierint*, non abjiciam, neque in perditione dimittam eos; sed

VERS. 33. *Visitabo in virga*, id est clementi correptione *iniquitates eorum, et in verberibus*, id est in duris flagellis *peccata eorum.* Nota : subjecti legem Dei dereliquerunt, prælati judicia justa contemnunt, sacerdotes justitias profanandas ducunt, principes mandata non custodiunt. Quorum *iniquitates* Dominus in virga visitat, dum eis exteriora bona aut per fures, aut per hostes, aut per ignem, aut per pestilentiam aufert, quæ Deo spreto amaverunt. *In verberibus peccata eorum* visitat, dum eos corporali molestia castigat, aut hostibus ad varios cruciatus, aut ad necem tradit, sicut sæpe in persecutione Christianis fecit.

Nota etiam quod prævaricatores calcant quatuor principales virtutes. Legis namque derelictores prudentiam, judiciorum oblitores fortitudinem, justificationum profanatores justitiam, mandatorum transgressores spernunt temperantiam. Hos tales filios ejus flagellis corripiam :

VERS. 34. *Misericordiam autem meam non dispergam ab eo*, id est si pœnituerint, misericorditer remittam eis, et regnum per Christum promissum non auferam ab eis. Hoc quidam de Salomone referunt, *dicentes* quod Dominus eum hic flagellaverit, dum regnum filio ejus abstulit; misericordiam ab eo non disperserit, quia eum cum aliis justis ab inferno eripuit.

Quæritur ergo de Salomone, utrum salvatus sit qui idola adoravit? sed sciendum est quod tribus idoneis testibus Hieronymo, Ambrosio, Augustino, salvatus probatur. Dicit ergo Hieronymus : *Quamvis Salomon peccasset, tamen egit pœnitentiam scribens Proverbia, ubi dicit : Novissime egi pœnitentiam et respexi, ut eligerem disciplinam. Aiunt Hebræi hunc librum esse Salomonis pœnitentiam agentis.* Ambrosius in apologia David : *Quid de David dicam? Et quid de sancto Salomone? qui, quomodo vulgus Judaicus æstimabat eum venisse pro Christo, ne videretur esse supra homines, nutu divino corruit.* Et David non dicitur sanctus, quia sanctus ab omnibus scitur. Salomonem sanctum nominat, ut nobis de pœnitentia sua dubietatem tollat. Nunquid credendum est quod Salomon sapientissimus aliquid utilitatis in idolis putaverit? Sed propter delicias, quibus

deperibat, ne imminuerentur dolore mulierum, idola coluit. Item Hieronymus : *Aiunt Hebræi Salomonem quinquies tractum fuisse per plateas Jerusalem causa pœnitentiæ. Qui veniens in templum, quod ipse ædificaverat, cum virgis dans legis peritis, ut verberaretur ab eis. Qui communi consilio dixerunt, quod in unctum Domini manum non mitterent. Unde dimissus ab illis a se ipso depositus est a regno.*

His breviter dictis ad propositum revertamur. *Misericordiam non auferam* hic a David, id est a Christo vel membris ejus, *neque nocebo in veritate mea*, id est in futuro judicio, ubi veritas complebitur, non inferam pœnas.

VERS. 35. *Neque profanabo testamentum meum*, hoc est, non faciam exsecrabilem promissionem meam. *Et quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita*, hoc est, quæ loquor per prophetas meos, non faciam vacua. Veniam promisi peccatoribus, hanc implebo conversis, aversos corrigo adversis, quia

VERS. 36, 37. *Semel juravi in sancto meo*, hoc est, non solum promisi, sed etiam *juravi in sancto meo*, scilicet in Dominico homine, vel per sanctitatem meam : et hoc *semel*, id est inviolabiliter. Hoc scilicet *juravi*, quod *semen ejus in æternum manebit*, id est populus acquisitus. Novit enim Dominus, qui sunt ejus. Et *si* hoc *David*, id est Christo, *mentiar*, subaudi, non ero Deus. Ista enim sunt contraria, mendacium et Deus, qui est veritas. Et sicut Deus est immutabilis, ita juramentum ejus erit immutabile. Dei autem juramentum erat firmum decretum, quod per Christum repararet genus humanum.

VERS. 38. *Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo*. Hoc ad superius continuatur, ubi dicitur : *Et ponam in sæculum sæculi semen ejus, et thronus ejus sicut dies cœli*. Thronus Dei est Ecclesia. Hæc in resurrectione ut *sol* fulgebit. Hoc etiam *juravi*, quod omnes, qui sunt sedes ejus, in futuro erunt in præsentia videntes me facie ad faciem existentes sicut sol clari et ferventes, perfecte cognoscentes, et perfecte diligentes, et hoc secundum animam. Et erunt in corpore *sicut luna*, quando est *perfecta*, et sic *in æternum* manebunt, non iterum ut luna corruptione deficient. Justi namque fulgebunt sicut sol in regno Patris spiritualiter, non corporaliter, sicut iste lucet de cœlo super bonos et malos. Denique *sicut sol*, inquit, non in conspectu hominum, non in conspectu carnis, non in conspectu mortalium, sed *in conspectu meo*. Sed et thronus ejus perficietur *sicut luna in æternum perfecta*, hoc est, Ecclesia erit perfecta in anima et corpore. Secundum animam dictum est : *Sicut sol in conspectu meo*, quia animum non videt, nisi Deus; secundum corpus *sicut luna perfecta in æternum*, quia caro incorruptibilis erit in resurrectione mortuorum. *Et* hujus rei *testis* erit David, id est Christus in cœlo corporaliter constitutus, *fidelis*, id est verax et faciens fidem. Hæc omnia locutus es sanctis tuis de David. Ne autem intelligeretur carnaliter de David rege, et non potius de Christo, subsequitur destructio regni David, quia regnum Christi in æternum erit.

Diapsalma. Vox ipsius David. Per prophetas mihi prospera promisisti, per sanctum tuum mihi bona jurasti :

VERS. 39. *Tu vero repulisti et despexisti, distulisti Christum tuum*. Sicut per Jacob populus Judaicus, ita per David regnum Israeliticum accipitur. Regnum itaque David Deus repulit, dum illud filio Salomonis abstulit; illud despexit, dum servo Salomonis tradidit. Et quia promissiones suas nec in David nec in Salomone complevit, distulit Christum suum, in quo omnia compleret. Regnum quoque David repulit, dum regnum Israel ab hostibus destrui permisit. Regnum David despexit, dum regnum Juda a Babyloniis subverti non prohibuit. David enim super Judam et super omnem Israel regnavit. *Christum suum* tunc mittere in adjutorium eis distulit, donec plenitudo temporis veniret. Quo veniente

VERS. 40. *Evertisti testamentum servi tui*, hoc est, pactum, quod David et Salomoni promisisti, totum in Christum evertisti, et in eo cuncta complesti. *Profanasti in terra sanctuarium ejus*, hoc est, sanctum templum in Jerusalem a gentibus pollui, vel ex toto subrui permisisti. Judæorum sacramenta per totam terram sunt profanata. Regnum, altare, sacrificium, sacerdotium eversa sunt, Judæis ablata in Christianum populum sunt translata.

VERS. 41. *Destruxisti omnes sepes ejus* vel *macerias*, ut alia translatio habet. Omnes enim muri a Romanis destructi sunt. Sed et *sepes ejus* sacræ Scripturæ erant, quæ eum ut maceriæ vineam cingebant. Quæ destructæ sunt in carnali intellectu et versæ in spiritualem intellectum. *Posuisti firmamentum ejus formidinem*, scilicet Jerusalem metropolim, vel alias civitates vel munitiones, in quibus magis formidabant, dum obsidione hostium corruebant. Nota per figuram omoteleuton conversas dictiones similibus litteris terminari : *repulisti, despexisti, distulisti, evertisti, profanasti, destruxisti, posuisti*, in quibus diversæ calamitates uni populo illatæ notantur.

VERS. 42. *Diripuerunt eum omnes transeuntes viam. Omnes* scilicet gentes per vitam istam transeuntes *diripuerunt* regnum David, id est Israel, cujus frusta sunt in omnibus gentibus. De ipsis enim dicitur : « Partes vulpium erunt (*Psal.* LXII, 11). » *Factus est opprobrium vicinis suis*, id est omnibus in circuitu nationibus Judaici populi.

VERS. 43. *Exaltasti dexteram deprimentium eum*. Potentia Romanorum exaltata est, qui Judæos oppresserunt. *Lætificasti omnes inimicos ejus*. Tunc lætificati sunt, quando de eis victores triumphaverunt.

VERS. 44. *Avertisti adjutorium gladii ejus*. Solebant pauci dimicare et multos prosternere ut Machabæi; sed postea multi a paucis prostrati sunt, ideo, quia *non es ei auxiliatus in bello*. Nam merito

suo populus ille victus, captus et a regno suo alienatus atque dispersus est, et eam terram perdidit, pro qua Dominum occidit.

Vers. 45. *Destruxisti eum ab emundatione*, id est a sacerdotio, per quod solebant legalibus sacrificiis a peccatis emundari. Vel *ab emundatione*, id est a fide, quæ mundat corda, *destruxisti eum. Et sedem ejus in terra collisisti*, id est sedem regni annihilasti. Quia enim regem Christum habere noluerunt, et Cæsarem, imo Barabbam elegerunt, ideo diabolo eis dominante nullum ulterius principem de sua gente habere meruerunt.

Vers. 46. *Minorasti dies temporis ejus*. Putabat se in æternum regnaturum, si occideret Christum. Sed in brevi tempore amisit et locum et gentem. *Perfudisti eum confusione*, quia in servitutem redactus æterna confusione opertus est.

In Hebræo legitur: *Operuisti eum ignominia sempiterna*. Hoc modo destructum est temporale regnum David. Sequitur reparatio ejus spiritualis. *Diapsalma*. Iterum vox David:

Vers. 47. *Usquequo exardescet sicut ignis ira tua?* Si cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, semper irasceris populo tuo, et sicut ignis ligna, sic consumes eum in vindicta? cur non saltem reliquiæ salvæ fiunt?

Vers. 48. *Memorare quæ mea substantia*, id est memento Christi de substantia mea geniti. Si Judæi defecerunt, substantia mea non defecit. Maria virgo de populo illo nata est, de virgine caro Christi, et illa caro non peccatrix, sed mundatrix peccatorum. Si ergo merito oblivisceris Judæorum propter perfidiam, *memorare* illius, quem in Spiritu prævideo gestare meæ carnis substantiam, et miserere illorum salvans eos per gratiam. *Nunquid enim vane constituisti omnes filios hominum?* Hoc est, num tot homines inaniter fecisti? Aut potes contemnere illos, qui fecisti eos?

Vers. 49. *Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem?* nullus. Nam et Elias et Henoch, qui nunc vivunt, adhuc morientur. *Aut* quis *eruet animam suam de manu inferi?* nullus. Quod est dicere: In vanum vident uti constitui omnes filii hominum, quia omnes moriuntur ob unius hominis reatum, et omnes descendunt ad infernum ob parentum meritum, nisi solus Christus de mea substantia natus, qui vivit, et non morietur in æternum, qui solus animam suam de manu inferi eruit, qui nunquam peccavit. In hoc autem constat quod non sunt vane omnes constituti, quia hic potens est viventes salvare, suos inde liberare. Judæis igitur extremo tempore Christo reconciliatis, et per Eliam et Henoch fidei nostræ associatis, Antichristi persecutio incandescet, qui eos ultra modum affliget. Unde afflicti ad Dominum clamabunt:

Diapsalma. Vers. 50. *Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine, sicut jurasti David in veritate tua?* Tu *jurasti David*, de fructu ventris ejus nasci Christum, qui misericorditer salvaret populum; et hoc

A veraciter implesti. Promisisti etiam per ipsum nobis dari pacem, quietem, terram lacte et melle manantem. *Ubi sunt* istæ promissiones? Ecce apprehenderunt nos universa mala.

Vers. 51. *Memor esto, Domine, opprobrii servorum tuorum, quod continui in sinu meo, multarum gentium*. Ordo verborum talis est: *Memor esto opprobrii servorum tuorum multarum gentium, quod continui in sinu meo*. Multæ gentes improperabant servis Dei, quod mortuum adorarent. Hoc opprobrium Christianus populus in sinu suo continuit, quia in secreto mentis affectu doluit, qui respondere idololatris ausus non fuit. Quod fuit illud opprobrium?

Vers. 52. *Quod exprobraverunt inimici tui, Domine, quod exprobraverunt commutationem Christi tui*. Commutatio Christi erat, quod mortalis factus est immortalis, quod passibilis impassibilis, quod ab hominibus reprobatus super angelos est exaltatus. Sed quia hoc per mortem contigit, hinc Judæi et pagani *inimici* Dei *exprobraverunt* Christicolis dicentes: Vos mortuum adoratis, et crucifixum colitis. Et quia ipsi de infidelitate ad fidem converti noluerunt, displicuit eis commutatio Christi, et eorum qui conversi sunt. Cujus opprobrii Dominus memor erit, quia omnes persecutores et omnes inimicos Ecclesiæ in æternum damnabit, et fideles in perenni gloria exaltabit. Unde justi conclamant:

C Vers. 53. *Benedictus Dominus in æternum*, qui erexit tabernaculum David, quod ceciderat. *Fiat, fiat*. In Hebræo habetur: *Amen, amen*.

Hoc etiam ad personam Christi refertur. Vox apostolorum: Multa, Deus, sublimia Christo promisisti. *Tu vero repulisti eum* ab hac promissione *et despexisti* eum in passione, *distulisti* credi *Christum tuum*: ideo exspectant Antichristum. Cum enim viderent eum tam infirma pati, non crediderunt Christum esse, quem sperabant immortalem fore. *Evertisti testamentum servi tui*. Omnem promissionem, quam fecisti de se et de suis, videris evertisse et violasse, qui promisisti nos secum regnare. *Profanasti in terra sanctuarium ejus*, permittis tractari more profanorum, quandiu erat in terra. *Destruxisti omnes sepes ejus*, scilicet verba legis et prophetarum, in quibus retinebatur. Vel magistros sanctuarii permittis occidi, qui muniebant alios ab hæreticis, et ab omni adversitate per doctrinam et consolationem suam. *Posuisti firmamentum ejus formidinem*, nos qui eum ambiebamus, cum doceret turbas. Vel prælatos qui sunt *firmamentum* fidei et sanctitatis, facis eis causam formidinis, qui cum viderint eos taliter tractari, timent se Christianos fateri. *Diripuerunt eum omnes transeuntes viam*. Qui clavis vel mucrone corpus ejus, qui est via vitæ, confoderunt, vestimenta ejus rapuerunt. Vel omnes infideles, qui viam Christum transeunt, et in eum non credunt, membra ejus diripiunt, dum Ecclesiam diversis pœnis afficiunt. *Factus est opprobrium vi-*

cinis suis Judæis et principibus sacerdotum, qui dicebant : « Vah qui destruit templum Dei, descendat nunc de cruce (*Matth.* XXVII, 40). » Vel Ecclesia facta est opprobrium jamjam volentibus converti. *Exaltasti dexteram deprimentium eum*, cum humiliabas eum in mortem, vel sublimasti potentiam persequentium Ecclesiam dando eis potestatem tribulandi eam. *Lætificasti omnes inimicos ejus*, Pilatum cum gentibus et Judæis, vel paganos, Judæos et hæreticos lætificasti in occisione Christianorum. *Avertisti adjutorium gladii ejus*, cum non profecit in Judæis sermo prædicationis illius, vel *avertisti* ab Ecclesia auxilium verbi, ut non vincat alios sicut fecerat. *Et non es auxiliatus ei in bello*, in conflictu utique passionis ; vel Ecclesiæ *non es auxiliatus* in tribulatione, ut non pateretur. *Destruxisti eum ab emundatione*, quia inquinata sunt vestimenta ejus sanguine propter peccata sua, quando cum iniquis reputatus est; vel Ecclesiam destruis *ab emundatione*, dum pro sola sanctitate permittis eum occidi ; vel ideo, ut in sanguine effuso a peccatis emundentur. *Et sedem ejus in terram collisisti*, sanctorum animas, super quas quiescebat, quæ conturbatæ sunt de obitu ejus ; vel collidis Ecclesiam sedem Christi, sed in ea parte, qua *terra* est, id est corpus ejus, non animam. *Minorasti dies temporis ejus*, ut velocius remearet ad Patrem ; vel dies Ecclesiæ abbreviabis, ut cito de malis mundi ad gaudia transeat. *Perfudisti eum confusione*, cum facta subsannatio et irrisio omnibus populis in persecutione. Hic expresse exsecutus est passionem Christi, et Ecclesiæ corporis ejus.

Apostolis succedens Ecclesia dicit : *Usquequo, Domine, avertis in finem? exardescet sicut ignis ira tua?* Hoc est, quandiu irasceris, ut eum a morte non revoces?

Aliter : Usque ad quam mensuram fiet aversio tua ab Ecclesia? Erit consummata? Non. Vel vindicta tua *exardescet* ad modum *ignis*, qui purgat aurum, et consumit ligna.

Memorare, quæ sit mea substantia. Nulla est mihi vitæ *substantia* nisi in eo quem præstolor reverti de Tartaro.

Aliter : Memor esto quam digna sit illa *substantia*, quæ de me est exitura, et meritis illius, tandem miserere servis tuis, quibus merita sua non sufficiunt ad salutem.

Nunquid enim vane constituisti omnes filios hominum? Sed illos non vane, sed veraciter in spe resurrectionis constituisti, quanto magis Filium tuum debes resuscitare?

Aliter : *Nunquid vane constituisti omnes homines?* Non. Si bonis non miseretur Deus, revera sine causa essent facti omnes homines, quia ad nullam utilitatem, quod esset inconveniens. Sed quia non vane, sed ad gloriam tuam eos fecisti, et digna est mea *substantia*, miserere et salva. *Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem? Eruet animam suam de manu inferi?* Scio quia nullus homo carneus evadit mortem, neque animam suam salvabit ab inferis; sed novi quia Deus sub velamento carnis latebat absconditus, quem mors et infernus non debebant retinere. *Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine, sicut jurasti David in veritate tua*, si hic non resuscitaretur? Aliter. Hic homo, qui ita vivet, ut non moriatur, prius eruet animam suam de potestate inferi, et postea vivet immortaliter, *ubi sunt misericordiæ tuæ* ex antiquo dispositæ, et ita sunt in eo, *sicut jurasti David in veritate tua*, sicut firmiter promisisti David temporali regi per te, qui verus es. *Memor esto, Domine, opprobrii servorum tuorum*, qui eum exspectant, *quod continui in sinu meo multarum gentium*, quas congregavi tanquam in sinu in una domo credulitatis. *Quod exprobraverunt inimici tui, Domine*, Judæi, Pharisæi, Sadducæi, *quod exprobraverunt commutationem Christi tui*, cum se ab his commutans ad gentes diceret : *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta* (*Matth.* XXIII, 38). Aliter : Remunera tuos propter *opprobrium*, quod patienter sustinent, illatum non a paucis, sed a multis gentibus, qui occultant in interiori suo; *opprobrium* dico, *quod* eis *exprobrant inimici tui, Domine*, Judæi et pagani, scilicet mortem Filii tui. Nos autem Christiani propter commutationem mortis ejus factam dicimus : *Benedictus Dominus in æternum*, hoc est, Christus Dominus sit exaltatus super omnia in perpetuum : *Fiat, fiat.*

Cum honore Trinitatis terminatur tertius liber. Hic psalmus ideo in Nativitate Domini canitur, quia in eo dicitur quod Christus primogenitus a Patre nascitur.

PSALMUS LXXXIX.

De hominis conditione.

Deus, refugium factus es nobis, etc. Quartum librum Spiritus sanctus inchoat ab oratione, qui numerus convenit Ecclesiæ de quatuor plagis mundi sub quatuor Evangelia collectæ. Congruit quoque homini, qui constat ex quatuor elementis, de cujus hic agitur conditione qui salvatur oratione. Milites audientes quod Rex nonnisi per angustam portam in gloriam suam intraverit, et quod iter arctum illuc eis arripiendum sit, Dominum refugium suum invocant, ut eis saltem per laborem et dolorem introitus supernæ civitatis pateat. Hic psalmus in octogesimo nono loco ponitur, quia in resurre-

ctione, quod octonarius designat, homo novem ordinibus angelorum conjungitur. In priori psalmo dicitur : *Quis est homo, qui vivet, et non videbit mortem?* In hoc autem scribitur quod homo, ut herba transeat, et brevi tempore vivat. Hujus titulus est :

(VERS. 1.) ORATIO MOYSI HOMINIS DEI.

Quæritur cur iste psalmus Moysi adscriptus sit, cum eum non composuerit? Sed sciendum est quod Hebræa nomina aliquando in psalmis propter solam interpretationem ponantur, ut Jacob, Israel, aliquando propter alicujus rei similitudinem, ut hic Moysi. Moyses scripsit de principio humani generis, et quomodo cœlum et terra facta sint, et de conditione hominis, quomodo homo factus sit. Et iste psalmus de conditione hominis loquitur, quid sit homo, et quare natus sit. Qui ergo scripsit in Genesi de hominum conditione, ipse etiam nunc inducitur a Spiritu sancto disputare quid sit homo. Sic solebant antiqui majorum personas inducere, quos fecerunt in libris suis loqui propter auctoritatem, sicut Plato Socratem, Cicero facit disputare Catonem et Scipionem. Moyses quoque fuit minister Veteris Testamenti, propheta Novi. *Moyses* interpretatur *de aqua assumptus*, et significat Hebraicum populum de mari Rubro assumptum secundum hoc quod minister fuit veteris legis. Significat nihilominus Christianum populum de aqua baptismatis sumptum secundum hoc quod propheta fuit novæ legis. In utriusque persona hic ponitur. Iste ergo est psalmus de oratione *Moysi hominis Dei*, id est Christiani populi, qui in aqua baptismatis exuto veteri homine, factus est novus homo Dei non coacte, sed voluntarie serviens Deo.

Materia psalmi est conditio generis humani. Intentio est ostendere salvationem humani generis fieri per Christum, quod per Adam perierat, et hortari nos per orationem ad Christum converti, si velimus ad amissam gloriam reverti. Verba accepta intelliguntur de oratione Moysi, quam in monte habuit, dum Josue cum Amalec pugnavit, quibus Dominus factus est refugium, per quem reportaverunt victoriæ triumphum. Significat autem quod fidelis populus debet armis orationis contra diabolum dimicare, ad Dominum confugere, per ipsum ad palmam pertingere.

Psalmus in tres sectiones partitur, quia tempus justorum tria interstitia sortitur, dum patriarchæ ante legem, prophetæ sub lege, apostoli et eorum sequaces sub gratia Domino placuisse legantur. Prima sectio est : *Domine refugium*, in qua æternitas ostenditur Dei. Secunda : *Ne avertas hominem in humilitate*, in qua humanæ vitæ brevitas innuitur. Tertia : *Dexteram tuam siste, notam fac*, in qua Christi incarnatio et hominis salvatio exprimitur. Vox est fidelis populi ad Christum :

Domine, refugium tu factus es nobis Christianis, quem Judæi noluerunt reputare Dominum suum. Qui semper in Deitate fuit, *factus est refugium* hominum, ex quo esse cœpit : sicut nummus semper est nummus, sed fit pretium dum aliquid eo emitur. Vel *refugium est factus*, dum homo est factus. « Verbum » enim « caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I, 14). » Qui refugium quærit, aut æstum, aut bestiam, aut hostem fugit. Æstu vitiorum urimur, bestia, diabolus, persequitur, hostibus perversis et malignis hominibus premimur. Quæramus Dominum refugium, ubi inveniemus animabus refrigerium, et tutum contra cuncta adversa asylum. *A generatione et generatione*, vel *progenie*, ut alia habet translatio, id est, *a generatione* veteri, *et generatione* nova. Vel *a generatione*, ex quo cœpit generari genus hominum, *et progenie* usque in finem sæculi. Vel *factus es refugium a generatione et generatione* a tempore Abrahæ, quo promissus es, et a tempore, quo in carne missus es, *et generatione*, quo mundum judicaturus es. Tu factus es refugium, et tamen semper fuisti Deus. Nam

VERS. 2. *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis, a sæculo et usque in sæculum tu es, Deus.* Cum Deus sit non solum ante terram, sed ante cœlum et ante omnem corporalem spiritualemque creaturam, quid magnum prædicatur ante *montes* esse ? sed universa rationalis creatura hac differentia distinguitur, et per *montes* angelorum celsitudo, per *terram* humilitas hominum exprimitur.

Nota quod dixit *montes fieri*, terram vero *formari*, quia angeli ex nihilo sunt facti; terra ex informi materia formata, et homines de terra formati. Tu quidem *factus es* nobis [refugium], sed a sæculo et in sæculum, id est ab æterno in æternum tu es, Deus, ante omnia sine initio, et permanes sine fine. Nota quod non dixit : *A sæculo fuisti, et in sæculum eris :* sed : *Tu es*, quod proprium est Verbi Dei, quod non habet præteritum neque futurum, sed semper præsens est. Unde dicitur Moysi : « Ego sum, qui sum. » Et iterum : « Qui est, misit me (*Exod.* III, 14). » O Domine, qui ante omnia es, et tamen *factus es nobis refugium*, oro

VERS. 3. *Ne avertas hominem* a te ulterius, neque hic neque in futuro, præcipitatum *in humilitatem*, id est, in dejectionem primi parentis culpa, hoc est, quod in Dominica oratione oratur : « Ne nos inducas in tentationem ; sed libera nos a malo (*Matth.* VI, 13). » *Et dixisti : Convertimini, filii hominum. Et* pro *quia* ponitur. A tempore Abel tu semper dixisti : O vos, *filii hominum*, qui estis aversi a me propter peccata vestra, *convertimini* ad me fide et pœnitentia. Hoc ideo dixisti :

VERS. 4. *Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, quæ præteriit.* Refugium in te, qui semper idem ipse es, quærimus, quia heu de æternis annis ad hos prætereuntes venimus, in quibus, si quis *mille* annos vixerit, ita est sicut *dies hesterna quæ* jam *præteriit. Et* sicut *custodia in nocte*, quod est quarta pars noctis. Quatuor enim sunt

noctis vigiliæ singulis tribus horis distinctæ. Unde dicitur in Evangelio : « Si in secunda vigilia, vel in tertia venerit (*Luc.* XII, 38). » Et iterum : « Quarta vigilia noctis venit ad eos (*Matth.* XIV, 25). » Has enim solebant hi observare, qui morabantur in castris. Ergo si homo mille annos vixerit, his transactis est *sicut* una *custodia*, id est, una vigilia noctis. Ideo posuit *custodiam* noctis, quia homo hic vivit in sollicitudine laboris, sicut vigiles in castris. Et cum *mille anni* hujus vitæ sint ut dies præterita vel una noctis vigilia, ergo quia pro nihilo habentur eorum anni esse,

VERS. 5. *Pro nihilo habentur anni* mortalium, quia antequam veniant, adhuc non sunt ; cum venerint, jam non erunt. Non enim ut adsint veniunt, sed ut non sint. Nam ubi est omne tempus, quod viximus ? Ubi est quod adhuc vivere debemus ? Igitur *mille anni* vel omne tempus sæculi est quasi punctum temporis, quod *pro nihilo* computatur ad comparationem illius ævi, quod est ante oculos Domini, id est, in præsenti visione Dei. Et cum in hac misera vita tam brevi tempore vivatur, dixisti : Convertimini, filii hominum, de temporalitate ad æternitatem, de mutabili vita ad me immutabilem. Sequitur mutabilitas hominis. Oravi, *ne avertas hominem in humilitatem*, id est in mundi concupiscentiam, quæ ita brevis est, sed

VERS. 6. *Mane sicut herba transeat, mane floreat et transeat, vespere decidat, induret et arescat*, subaudi *homo*. *Mane* est pueritia, quæ *sicut herba* est fragilis et tenera. Iterum *mane* est juventus, quæ floret in studiis, *sicut herba* floret ante fructus. *Vespere* est senectus, quia lucis occasu homo in mortem decidit, deinde in cadaver indurescit, et in pulverem arescit. Hoc est ergo, quod dicit : Cum tam brevis sit hic vita hominis, pueritia ejus quasi *mane* diei consurgat, et *sicut herba* cito *pertranseat*, juventus ejus ut meridies ferveat, et sicut flos pertranseat, senectus ut *vespere* in occasum vergat, et sic in mortem *decidat*, in cadaver indurescat, in pulverem *arescat*, ut iterum in resurrectione refloreat, quatenus in æternitate vivere queat. Per has similitudines, scilicet per *mane* et *vespere* notatur mutabilitas ; per *herbam* et flores humanæ vitæ brevitas. Quæ ideo nobis evenerunt :

VERS. 7. *Quia fecimus in ira tua*, id est, in vindicta tua, qua prævaricationem parentis nostri vindicas in nobis fame, siti, senectute et morte. *Et in furore tuo turbati sumus*, id est, terrore futuri judicii pro quotidianis peccatis. Vel *defecimus* in infirmitate, *turbati sumus* morte. Et merito turbamur. Nam tu

VERS. 8. *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo*, id est, eas conspexisti, diligenter omnes notasti, non dissimulasti. Posuisti etiam *sæculum nostrum*, id est, vitam nostram *in illuminatione vultus tui*. Vel sicut in Hebræo habetur : *Negligentias nostras in luce vultus tui*. Hoc est, animadvertisti omnia quæ fecimus. Nam omnia occulta nostra patent oculis tuis. *Iniquitas* est actio peccati : *negligentia* inobedientia mandati. Utrumque animadvertit Deus et punit. Ideo *turbati sumus*. Et ideo etiam,

VERS. 9. *Quoniam omnes dies nostri defecerunt, et in ira tua defecimus*. Inprimis *dies* hominis in paradiso fuerunt æterni, deinde fuerunt quorumdam *dies* in hoc mundo pene mille anni, ut Mathusalem ; quorumdam nongenti, ut Adam ; quorumdam octingenti vel septingenti. Hi *omnes dies defecerunt*, quia inprimis æternis diebus amissis postea mille annis sublevatis, deinde nongentis, vel sexcentis, vel trecentis, vel etiam centum subtractis vix ad octoginta vel septuaginta annos ætas hominis contracta est. *Et* sic *in ira tua defecimus* a priori statu : insuper in hoc parvissimo tempore multis miseriis replemur, multis ærumnis et tribulationibus atterimur. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur*, hoc est, in tota vita nostra meditamur facere opera araneæ, scilicet inutilia et ad nihilum valentia, sicut divitias congregare, magnas domos ædificare, qui levi eventu amittuntur, et si non prius, in morte deserentur ; sicut aranea semper discurrit, fragilem telam contexit, et facile opus suum amittit, quod tanto studio peregit vel impulsu venti vel lapillo vel aliqua levi causa. Iste defectus est in anima.

VERS. 10. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni*, hoc est, *dies* vitæ nostræ sunt *septuaginta anni*. *Si autem in potentatibus*, id est, cum sospitate virium ulterius vixerimus, erunt anni nostri *octoginta, et amplius eorum labor et dolor*, hoc est, quidquid ultra hos vixerimus, erit *labor et dolor*. Licet enim omni tempore vivat homo in labore et dolore, tamen in senectute cum magno labore facit quidquid operatur, et est semper in dolore tussis vel febrium vel alicujus infirmitatis. Isti defectus sunt in corpore.

Porro cum aliquis septuaginta annorum sit viribus invalidus, aliquis vero octoginta annorum adhuc prævalidus ; melius spiritaliter intelligitur iste numerus. Hic namque per septenarium et octonarium ac denarium multiplicatur, et stupendis mysteriis gravidatur. Septies enim decem sunt septuaginta, et octies decem octoginta. Septem veterem legem propter observantiam Sabbati præferunt, in qua decem præcepta geminam dilectionem ternario et septenario ostendunt. Octo Evangelium propter octavam Dominicæ incarnationis attollunt, cujus observatores denarium vitæ percipiunt. In his igitur annis vivimus, si Deum per utramque legem refugium nostrum quærimus. Per septuaginta quoque activa vita ; per octoginta designatur contemplativa. In ipsis septuaginta annis sumus, dum proximis in activa vita servimus. *In potentatibus* octoginta versamur, dum in contemplativa vita per spiritalia sociamur. Quisquis hæc transgreditur et amplius aliquid quærit, laborem et dolorem invenit, laborem

inpræsentiarum, et dolorem in futuro. Septem et octo faciunt quindecim, septuaginta et octoginta quindecim decades, quod sunt centum et quinquaginta, quot psalmi in hoc libro continentur: qui numerus designat quod per septem petitiones Dominicæ orationis, septem donis Spiritus sancti adeptis, ad octo beatitudines oportet nos de valle lacrymarum ascendere in scala charitatis in corde disposita quindecim gradibus, ubi centesima ovis in quinquagesimo æterni jubilæi recipiet gaudium et lætitiam vel gloriam æternæ hæreditatis. Qui ultra hunc numerum tendunt, laborem et dolorem inveniunt.

In ira tua defecimus, ideo in labore et dolore sumus, *quoniam supervenit mansuetudo, et corripiemur*. In lege erat asperitas, quam justitia proposuit peccantibus; in Evangelio *mansuetudo*, quam gratia tribuit pœnitentibus. Quoniam ergo legis asperitati *supervenit mansuetudo* Evangelii, *corripiemur* adversitatibus, laboribus, doloribus a pio patre quasi filii. « *Quem* » enim « diligit, Dominus corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit (*Hebr.* XII, 6), » et sic a ventura ira eripit, de qua subditur:

VERS. 11, 12. *Quis novit potestatem iræ tuæ*, id est vindictæ, quam exerces in judicio in eos qui hic disciplinam recipere noluerunt, et in malitia incorrigibiles permanserunt? Aut quis potest tunc *præ timore tuo iram tuam dinumerare*, cum cœli magno impetu transibunt, et elementa ignis calore solventur, cum ignea tempestas erit, currus tuus, qui in circuitu inflammabit inimicos tuos, cum cœlum ut liber plicabitur, et ut tabernaculum involvetur, puteus abyssi patebit, diabolus tortor cum omnibus tormentis aderit? Ut nos de hac ira eruas, *dexteram tuam sic notam fac*, hoc est Filium tuum per fidem et dilectionem sic nobis notifica, ut possimus nosse potentiam ejus, et timere futurum judicium ejus. *Et sic* fac nos *eruditos corde in sapientia*, ut habeamus timorem et dilectionem, ut mala nostra timeamus, te propter te ipsum, qui es summum bonum, diligamus.

Aliter. Hoc tractum est de dextera Moysi, quam leprosam de sinu protulit (*Exod.* IV, 6), significans, quod Christus de sinu Patris egressus in mundo quasi leprosus apparuit. *Dexteram tuam notam fac*, id est Filium in sinu tuo absconditum mitte, et sic illum nobis notum fac in carne. *Et compeditos corde in sapientia.* Sic enim habet alia translatio. Prophetæ erant, *compediti corde in sapientia*, quia scripta eorum sunt quædam sensus obligamenta. Illos notos fac nobis, ut manifeste intelligamus quæ sub umbra de Filio tuo prædixerunt.

Aliter: *Dexteram tuam*, id est Christum brachium tuum, sic notum fac, ut ejus passiones imitantes cœlestia speremus. *Et eruditos corde in sapientia*, id est doctos intellectu a Spiritu sancto no-

A tos fac, ut temporalia contemnant, cœlestia etiam per mundi adversa appetant. Per hoc revera mundo Christus innotuit, qui hanc virtutem suis cultoribus per Spiritum sanctum contulit, ut relinquerent terrena, per passiones appeterent æterna, quod apostoli et martyres fecerunt, et adhuc monachi et multi fideles faciunt, quod pro aliis orant dicentes:

VERS. 13. *Convertere, Domine, usquequo? et deprecabilis esto super servos tuos.* Juste nobis irasceris, labore et dolore nos affligis, dexteram tuam non innotescis, sed *convertere, Domine*, ab ira tua, *usquequo* tibi placet, id est super quos velis, et esto exorabilis respiciens *super servos tuos*. Alia translatio habet: *Aliquantulum*, id est dolorem aliquantulum
B averte, ne deficiamus in labore. De spe vero futurorum bonorum læti conclamant in labore positi:

VERS. 14, 15. *Repleti sumus mane misericordia tua. Mane* est principium æternitatis clarescens post judicium. In hoc replebimur *misericordia tua*, scilicet immortalitate, impassibilitate et omni beatitudine. *Et ideo exsultavimus, et delectati sumus in omnibus diebus nostris.* Nunc in custodia noctis annos in labore et dolore ducimus, et prophetia accensa est nobis sicut lucerna in obscuro loco, donec dies æternitatis illucescat, et lucifer in cordibus nostris, imo sol justitiæ Christus oriatur; tunc illo mane justi eo bono replebuntur, quod nunc esuriunt et
C sitiunt; et quorum dies nunc deficiunt, tunc dies bonos videbunt, quos dies æterni exsultatione et omnium bonorum delectatione reficiunt. In his diebus sine interpolatione noctis exsultabimus in corpore, quod ut sol fulgebit, et delectabimur in anima quæ angelis æqualis erit. *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti*, hoc est semper lætabimur cum angelis pro humiliatione, quam hic dedisti nobis. Et lætabimur pro *annis, quibus vidimus mala*, hoc est tribulationes, quas ad horam dedisti nobis, erunt causa perpetuæ lætitiæ. In diebus adhuc malis positi dicamus:

VERS. 16. *Respice in servos tuos, et in opera tua*, id est, clemens aspice obedientes jussis tuis, qui per gratiam sunt *opera tua*. « Ipsius enim figmentum
D sumus, » non solum in Adam, sed etiam « creati in Christo Jesu in operibus bonis (*Ephes.* II, 10). » *Et dirige filios eorum*, id est sequaces eorum, ut sint recti corde.

VERS. 17. *Et sit splendor Domini Dei nostri super nos*, id est signum crucis Christi Dei nostri sit super nos, muniens nos a periculis animæ et corporis. Vel claritas Deitatis Christi sit in mente nostra. Vel sanctitas vitæ ejus sit in memoria nostra. *Et opera manuum nostrarum dirige super nos*, ut per ea non terrena, sed superna appetamus. *Et opus manuum nostrarum dirige*, id est quidquid operamur, in finem dilectionis dirige, ut mereamur in fine vitæ in illis æternis bonis omnibus diebus gaudere.

PSALMUS XC.

De tentationibus diaboli.

Qui habitat in adjutorio Altissimi, etc. Hic psalmus est de tentatione fidelium in hac peregrinatione gementium, et non hic manentium, sed futuram civitatem inquirentium. Hic priori in hoc conjungitur, quod ille ad patriam suspirantibus dicit Dominum refugium factum; iste autem in tentatione gementibus dicit: *Altissimum posuisti refugium tuum*. Ille disputat de brevitate hic militantium, iste tractat de æternitate cum Domino regnantium.

Hic psalmus est nonagesimus, quod est denarius novies multiplicatus. Novenarius congruit novem angelorum ordinibus; denarius electis hominibus hic in vinea Christi pro denario vitæ laborantibus. Designat autem hic numerus quod fideles, qui hic tentationem sufferunt, beati erunt, quia coronam vitæ percipient, cum æquales angelis erunt. Titulus est:

LAUS CANTICI DAVID.

Hoc est: Iste hymnus est jucunda *laus* populi fidelis contra tentationes *manufortis*. Materia est quadriformis tentatio fidelium. Intentio est nos instruere tentationibus resistere. Verba accepta putantur de allocutione Moysi ad populum, ubi dicit, quod « unus persequeretur mille, et duo fugarent decem millia (*Deut.* XXXII 30), » quem angeli in omnibus viis custodierunt, qui eum in columna nubis et ignis præcesserunt, qui Deum invocavit, et ipse de tribulatione eum eripuit, in terra repromissionis glorificavit. Significat autem Christum, a cujus latere mille et decem millia a dextris ejus cadent, cui angeli ministraverunt, quem Pater invocantem pro hominibus exaudivit, et in dextera sua glorificavit. Designat etiam fidelem populum, qui in tribulatione ad Dominum clamat, et ipse eum exaudit, de malis eripit, bonis etiam replebit. Postquam populus Dei per Moysen extensis manibus in monte orantem, et per Jesum Nave pugnantem Amalec devicit, multas tentationes sustinuit, de quibus eum Dominus eripuit, et terræ repromissionis introduxit. Sic populus Christianus, postquam per Christum in alto crucis expansis manibus orantem, et per verum Jesum pugnantem diabolum devicit, multas tentationes in mundo a persecutoribus et hæreticis pertulit, de quibus eum Dominus eripuit, et in cœlestibus glorificavit. Unde in priori psalmo est intentio orationis, in isto fit mentio tentationis. Et Christus caput fidelium postquam jejunavit, tentamenta a capite iniquorum diabolo in deserto toleravit, quæ per Scripturam patienter superavit, et nos ea simili modo superare docuit.

A Nam cum aliquis fidelis proponit aliquid boni facere, mox diabolus tentat eum avertere, quem per Dominum debet vincere.

Hic psalmus in quatuor partes secatur, quia quatuor tentationes in eo notantur. Prima pars est: *Qui habitat in adjutorio*, in qua fidelium habitatio in Deo, et a dæmonibus et malis hominibus liberatio exprimitur. Secunda est: *Scapulis suis*, in qua trina Dei defensio et quadriformis tentatio scribitur. Tertia est: *Cadent a latere tuo*, in qua fictorum apostasia, Christi gloria, angelorum custodia, dæmonum conculcatio demonstrantur. *Quarta est: Quoniam in me speravit*, in qua fidelium ereptio, et æterna glorificatio declaratur. Vox est Spiritus sancti sub persona doctorum populum ut Moyses
B alloquentium.

VERS. 1. *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur*. Deus meus Pater altissimus vocatur; quia in tribus personis primus nominatur non dignitate, sed ordine, et quia ab eo est Filius generatione, processione Spiritus sanctus. Filius autem dicitur *adjutorium*, quia per eum Pater adjuvit genus humanum, ut superius est dictum: *Posui adjutorium in potente. Deus cœli* dicitur omnipotens ad distinctionem deorum gentilium, quorum quidam dii terræ, quidam dii maris vel ignis dicebantur. Sed et angeli dicti sunt *cœli* per simile; quia sicut cœli a terra exaltantur, sic ipsi super omnia corporalia sublimantur non loco,
C sed dignitate; illocales enim sunt. Sic et justi vocantur *cœli* per simile, quia in spiritualibus super carnalia, ut cœlum a terra, exaltantur, quorum anima est cœlum, corpus illorum terra. Sacra Scriptura est cœlum, in qua alta allegoria est cœlum, historia vero terra. Hujus *cœli Deus* est Spiritus sanctus, qui sacram Scripturam condidit, de quo cœlo tonat prædicatione, pluit doctrina, coruscat miraculis, fulgurat signis. Populus igitur fidelis, *qui habitat* fide in Christo, ab altissimo Patre in adjutorium hominibus misso, et qui *commoratur in protectione Dei cœli*, id est in illuminatione Spiritus sancti, auctoris sacræ Scripturæ, se protegentis a tentatione. Hic

VERS. 2. *Dicet Domino* voce et corde: *Susceptor*
D *meus es tu*, qui me prodigum filium de porcis revertentem suscepisti, balneo baptismatis abluisti, convivio corporis tui refecisti. *Et refugium meum* es tu, quia de idololatria ad te confugi, quia *Deus meus* es tu, qui me per naturam creasti, et per gratiam recreasti. Hic Trinitas bis exprimitur. In *adjutorio* Filius, in *Altissimi* Pater, in *Dei cœli* Spiritus san-

A ctus notatur, in *Domino* unitas monstratur. Iterum in *susceptor* Filius, qui hominem in se suscepit; in *refugium* Spiritus sanctus, ad quem animæ a peccatis confugiunt; in *Deus meus* Pater, qui omnia creavit, innuitur. Sed te transpositus ordo personarum non perturbet, quia omnes æquales sunt.

Aliter: *Qui habitat* hic in fide operans bona adjutus a Deo, hic in futuro *commorabitur in protectione Dei cœli*, id est in munitione civitatis cœlestis, et *dicet Domino* in gaudio: *Susceptor meus es*, qui me de mundo in cœlum suscepisti; tu *refugium meum* de malis mundi, dulce refrigerium, *Deus meus*. Sequitur vox doctorum de liberatione venantium et asperitate hominum. Quia Deus est refugium, ego *sperabo in eum*, non in me, neque in filiis hominum. De me exibo transiens in eum spe,

B VERS. 3. *Quoniam ipse*, non alius, *liberabit me de laqueo venantium, et a verbo aspero. Laquei venantium* sunt insidiæ dæmonum, qui sunt venatores animarum. Laquei sunt cupiditas, avaritia, carnalis concupiscentia et his similia, quæ animas implicant, de quibus Dominus suos liberat. *Verbum asperum* est improperium adversariorum, convicium inimicorum, maledictum proximorum, de quo in se sperantem Dominus liberat, et cuncta aspera ei æterna dulcedine mitigat. Sequitur vox prophetarum ad populum credentium, commemorans trina Dei munimina et quatuor tentationum genera. Munimina sunt scapulæ Dei et pennæ et scutum: tentamina vero nocturnus timor, sagitta in die volans, negotium tenebras perambulans et dæmonium meridianum.

C VERS. 4. *Scapulis suis obumbrabit tibi*, hoc est, o popule fidelis, tibi portato *scapulis suis* de valle ad montem, de Babylone ad Ecclesiam dando fidem *obumbrabit* ab incendio vitiorum. Scapulæ Christi sunt ejus passiones, in quibus quasi quibusdam humeris languores et infirmitates nostras portavit, quando ovem perditam magno labore quæsitam, tandem inter lupos inventam, bonus pastor in humeris, quod est in *scapulis*, ad gregem angelorum reportavit. Cui obumbravit, dum humanum genus de incendio inferni erutum opaco paradisi refrigeravit. Sequitur:

D *Et sub pennis ejus sperabis*, id est sub protectione ejus obumbratus *sperabis* ab eo dari bona futura. Pennas posuit pro alis. Alæ Christi sunt brachia crucis. Quas alas expandit, et populos assumpsit, atque in humeris, id est in scapulis passionis portavit. Et quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas a rapacitate milvorum, sic ipse greges congregavit sub alas crucis a rapacitate dæmonum. Alæ quippe sunt duo Testamenta, vel duo charitatis præcepta, quæ sublevant animas ad cœlestia. Vel pennæ Dei sunt prophetarum monita, quæ fideles ducunt ad cœli culmina.

VERS. 5. *Scuto circumdabit te veritas ejus*, hoc est, *veritas ejus*, quæ in te est, scilicet fides, cognitio, dilectio circumvallabit te undique quasi *scuto*. *Scutum* est Christi humanitas, *veritas* ejus Deitas. *Veritas scuto* fideles *circumdabit*, dum divinitas humanitate eos a tentationibus diaboli quasi a jaculis hostium munit. Hoc terno munimine protectus *non timebis* a quatuor tentationibus. Prima est occulta impugnatio dæmonum; secunda manifesta perturbatio proximorum; tertia subdola persuasio hæreticorum; quarta tribulatio persecutorum. De quibus subditur: Non timebis *a timore nocturno*.

VERS. 6. *A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et dæmonio meridiano. Nocturnus timor* est occulta suggestio dæmonum ducens ad noctem inferorum, et ad timorem tormentorum. *Sagitta volans in die* est molestia a proximis illata, quæ ut sagitta cor sauciat, sed cito prætervolat. *Negotium perambulans in tenebris* est consilium machinans malum in occultis. Per hoc perplexum dogma hæreticorum notatur, quod per tenebrosa corda ad decipiendum vagatur. *Incursus* est hostilis impetus, *dæmonium meridianum* fervens persecutio a dæmone incitata. Per *meridiem* quippe fervida sævitia impiorum, per *dæmonium* malitiosa invidia exprimitur eorum.

Alia translatio habet: *A ruina*. Ruina dicitur quasi repetens ima. Ruina est, ubi populus simul corruit, aut in corpore aut in anima. In corpore, ut in bello; in anima, ut in theatro. In bello, ubi non pro justitia, sed pro humana gloria pugnatur, et populus pariter corruit, ut Apollonio cum Machabæis, et Catilinæ cum Romanis contigit. In theatro vero ad crudele spectaculum populus confluit, sicut in nece Domini fecit, vel ubi ad scenicos ludos convenit.

Aliter: Duæ sunt tentationes leves, et duæ graves. Una levis in occulto, ut jocandi suggestio, quod est *nocturnus timor;* altera levis in manifesto, ut frequens confabulatio, quod est *sagitta volans in die*. Item una gravis in occulto, ut fornicandi cogitatio, quod est *negotium perambulans in tenebris;* altera gravis in manifesto, ut inter malos conversatio, quod est *dæmonium meridianum*. Quidam simplices putant esse dæmones nocturnos, quosdam diurnos, quosdam meridianos. Nocturnos, qui amplius in nocte quam in die; diurnos, qui amplius in die quam in nocte; meridianos, qui amplius in meridie quam aliis horis nocere possunt. Sed hi penitus falluntur. Nullo modo enim dæmones plus in nocte quam in die, aut plus in meridie quam alio tempore nocere possunt; sed solo illo tempore nocere poterunt, cum homines tentationibus eorum cedunt. Ad malum solummodo possunt homines instigare, nullum possunt absque propria voluntate ad peccandum impellere. Sed, ut sæpe dictum est, hic liber spiritalis est, et spiritalibus spiritaliter per similitudines, quas Spiritus concipit, loquitur, quia non exteriori, sed interiori homini loquitur. Sequitur vox doctorum ad Christum de his, qui tenta-

tionibus cedunt, et male operando ab eo recedunt.

VERS. 7. *Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis. Latus* est dictum, quod sub brachio lateat. Latus principum dicuntur familiarius eis adhærentes in consiliis. Unde hodieque quando judices petimus ab imperatore, vel rege, sic dicimus : Mittite a latere vestro, id est unum ex familiaribus fidis amicis. Latus Christi est frequentia justorum cum eo judicantium. *Ab* hoc *latere mille cadunt*, scilicet hæreticorum primarii, vel mali in Ecclesia prælati, qui se judices cum Christo sessuros promittunt. Judas quasi lateri Christi adhærebat, dum familiaris ejus et judex orbis futurus inter apostolos latebat. Qui *a latere* ejus cecidit, dum a familiaribus Christi apostolis recessit. A latere ejus ceciderunt, qui dicentes : « Durus est hic sermo (*Joan.* VI, 61), » ab eo recesserunt. Prælati ergo, qui tentationibus victi a familiaritate Christi cadent, in judicio judices non erunt ; sed *a latere* ejus, id est a choro judicum judicati pœnas incident.

Et decem millia a dextris tuis. Multi sunt, qui se reputant justos, et in judicio *a dextris* Christi constituendos, sicut hæretici et falsi Christiani. et maxime illi, qui dicuntur barbati, qui de prolixa barba et laxa veste superbiunt, et quosque sæculares, plerosque se meliores despiciunt. Hi *a dextris* ejus *cadent*, cum eis in judicio dicet : « Discedite a me, operarii iniquitatis, nunquam novi vos (*Luc.* XIII, 27). » Unde sequitur : *Tibi autem non appropinquabunt*, quoniam dum spem in meritis suis ponunt, ad satisfactionis remedia non recurrunt, et ideo longe a Domino erunt. *Mille* autem *et decem millia* finitum pro infinito numero ponit, quia et de prælatis et de subjectis innumerabiles erunt.

Alia translatio habet : *Ad te autem non appropinquabit*, scilicet quilibet eorum, qui sibi regnum Dei fallaciter pollicentur. Vel *ad te non appropinquabit* tentatio. Christus enim quamvis per omnia tentatus sit pro similitudine nostra absque peccato ; tamen omnis tentatio ejus fuit exterius, et non interius, quia nunquam in animo motus est ad iram ut nos, nec in carne ullam sensit titillationem. Hypocritæ præmia justorum sibi vendicant.

VERS. 8. *Verumtamen oculis tuis considerabis*, id est tu discernes quos juste a dextris vel a sinistris constituas. Oculi Dei sunt discretio et justitia, qua fictos a veris Christianis discernit, et utrisque justa præmia rependit. Unde subditur : *Et retributionem peccatorum videbis*. Ipsi male viventes futura bona sibi promittunt ; sed vides tu, quæ supplicia factis eorum retribuentur.

Hæc etiam possunt intelligi de populo, qui a timore nocturno et aliis, quæ sequuntur, non timebit. *Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis.* Per latus sinistra accipitur ; per sinistram vero adversitas ; per dexteram intelligitur prosperitas. *A latere tuo mille cadunt*, dum multi adversitatibus te impugnantes victi recedunt. *Decem millia a dextris* A *tuis cadunt*, qui prosperitatibus te impugnantes a te victi erunt. Quod majorem numerum a dextris posuit, notat majores tentationes in prosperis esse quam in adversis. *Tibi autem non appropinquabit* secundum consensum ad actum. *Verumtamen oculis tuis considerabis*, id est ratione intelliges inhonestum esse in tentationibus vinci, et turpe esse peccare. *Et retributionem peccatorum videbis*, id est futura supplicia peccantibus mente prævidebis. Sequitur vox populi fidelis, spem suam et gloriam Christi commendantis.

VERS. 9. *Quoniam tu es, Domine, spes mea : Altissimum posuisti refugium tuum.* Populus peccans non appropinquabit tibi ; ego autem, qui tentationibus non cedo, moribus et vita tibi appropinquo, *quoniam tu es, Domine, spes mea ;* illorum spes terrena. B
Quoniam tu Domine, *Altissimum posuisti refugium tuum*, id est assumptum hominem transtulisti in dexteram Patris. *Tu es spes mea*, ut et ego corpus tuum ad te caput perveniam. Et quia resides in alto,

VERS. 10. *Non accedet ad te malum*, videlicet nullus malus vel adversitas perveniet ad te. *Et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*, id est nullum incommodum nocebit corpori tuo. Sequitur angelica custodia. Nullum te tanget malum :

VERS. 11, 12. *Quoniam angelis suis mandavit de te*, scilicet ille Altissimus, *ut custodiant te in omnibus viis tuis*, id est ut ministrent tibi in omnibus. *In manibus portabunt te*, id est in operibus tuis aderunt tibi, *ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*, C id est ne pecces in legem. Pes animi est affectio. Lex autem scripta erat in tabulis lapideis. Pedem ad lapidem offendit, qui legem in lapide scriptam præterit. Non est dubitandum quin angeli Dominicum hominem de omnibus viis suis custodierint, et in operatione sua jugiter ei favent, cui ut Domino suo, sicut scriptum est, ministraverunt (*Matth.* IV, 11). Unde et diabolus, quando eum tentavit, hunc locum in testimonium protulit. De cujus conculcatione subditur :

VERS. 13. *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem. Aspis* est diabolus, dum occulte percutit ; *basiliscus*, dum palam D venena disseminat ; *leo*, dum persequitur innocentes ; *draco*, dum deglutit negligentes. Qui Dominum ut *draco* tentavit, ut *leo* in passione invasit ; sed ab eo conculcatus aufugit. Per quatuor genera bestiarum designantur quatuor distinctiones dæmonum : videlicet principes et potestates, rectores tenebrarum, spiritalia nequitiæ vitiorum. Sic omnes a Christo conculcati sunt, sub cujus pedibus clamaverunt : « Quid nobis et tibi, Fili Dei ? Venisti ante tempus torquere nos (*Matth.* VIII, 29). » Hos etiam discipulis suis concessit conculcare dicens : « Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem inimici (*Luc.* X, 19). » Unde iterum scribitur : « Deus conteret Satanam sub pedibus vestris (*Rom.* XVI, 20). »

Aliter: *Aspis* est genus serpentis, quæ non patitur incantatorem, sed obturat aures cum cauda, ne audiat incantatorem, cujus veneni tanta vis est, ut priusquam sentiatur, occidat. *Basiliscus* est, qui Latine dicitur *regulus*, qui flatu suo, cuncta animantia interimit, sed ipsum mustela perimit. *Leo* est fortissimus bestiarum, *draco* maximus serpentium, inimicus elephantis casti animalis, cujus inimicitiæ causa hæc est: venenum draconis maximo calore fervet, sanguis autem elephantis quam maxime friget. Vult ergo draco suum calorem temperare cum elephantis frigido sanguine. *Aspis* veneno necans est mors omnia trucidans. *Basiliscus* flatu suo cuncta perimens est peccatum animas interimens. *Leo* omnes bestias perterrens est Antichristus omnibus gentibus terrorem incutiens. *Draco* inimicus casti animalis est diabolus inimicus Filii virginis. Christus itaque *super aspidem et basiliscum* ambulavit, dum peccatum et mortem superavit: *leonem et draconem* conculcabit, dum Antichristum et diabolum in judicio in stagnum ignis præcipitabit.

Potest et hoc totum referri ad populum victorem vitiorum, qui dicit Deo: Terrena respuo, a te cœlestia spero: *Quoniam tu es spes mea, Domine.* Cui respondet vox divina: *Altissimum posuisti refugium tuum.* Ideo *non accedet ad te malum*, quod malis est præparatum. *Et flagellum*, id est vindicta, *non appropinquabit tibi*, ubi eris in Domini tui gaudio. *Quoniam angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Non est dubitandum quemquam justum tam in prosperis quam in adversis ab angelis Dei custodiri, sicut scriptum est: « angeli eorum semper vident faciem Patris mei (*Matth.* XVIII, 10). » Et alibi: « Omnes sunt administratorii Spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis (*Hebr.* I, 14). » *In manibus portabunt te*, id est in bonis operibus adjuvabunt te, *ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*, id est ne pecces in legem Christi. Christus est enim « lapis offensionis et petra scandali (*Rom.* IX, 33), » in quem Judæi offenderunt, dum peccatis ædificantes eum reprobaverunt. Ad hunc lapidem pedem offendit, qui dilectionem Dei et proximi contemnit. Qui super hunc lapidem ceciderit confringetur, quia qui in Christum non credit, ab Ecclesia scindetur. Super quem vero ceciderit, conteret eum, id est quem in peccatis invenerit, in judicio condemnabit. Angeli dicuntur nuntii, et intelliguntur doctores Ecclesiæ, qui cœlestia nuntiant populo Dei. His mandavit Deus ut fideles in omnibus viis mores prædicando custodiant, et in manibus portent, dum exemplum bonæ operationis eis præbeant, ne in legem Domini in lapide scriptam offendant. Tu ergo, popule ab angelis custodite, *super aspidem et basiliscum ambulabis*, id est peccata et vitia mortem operantia superabis; *et conculcabis leonem et draconem*, id est diabolum manifeste in membris suis sævientem, vel occulte mala suggerentem.

Sequitur promissio Dei. Superius dictum est: *Sperabo in eum*, ideo nunc dicit:

VERS. 14. *Quoniam in me sperabit* [Vulg. *Speravit*], *liberabo eum* a malis, *protegam eum* in bonis, *quoniam cognovit nomen meum*, quod est Dominus. Servum meum fecit se bene operando, in his bonis protegam eum præmia conservando.

VERS. 15. *Clamabit ad me*, sive ut alia translatio habet: *Invocabit me*, subaudi, in tentatione, *et ego exaudiam eum*, protegendo a subversione. *Cum ipso sum in tribulatione*, sicut cum Joseph, ne deficiat: et tandem *eripiam eum* ab omni perturbatione, *et glorificabo eum*, immortalitate et impassibilitate.

VERS. 16. *Longitudine dierum replebo eum*, id est longa et indeficiente vita, *et ostendam illi salutare meum*, id est monstrabo illi Filium meum, sicuti est, mihi coæqualem, ut semper videat eum facie ad faciem. Similiter ipse Filius promisit suis dilectoribus: « Qui diligit me, diligam eum, et manifestabo ei me ipsum (*Joan.* XIV, 21). »

Hunc psalmum ideo ad completorium Ecclesia canit, ut eam angeli a timore nocturno custodiant.

Nota ordinem nonæ decadis ad novem ordines angelorum pertinentis. Primus psalmus est de filiis Dei diis factis, et hæredibus regni Dei institutis; secundus de invasoribus Dei hæreditatis, de hæreditate abdicatis; tertius de domo Dei et ejus habitatoribus in æternum Deum laudantibus; quartus de gratiarum actione et lætitia eorum, qui pace et gloria perfrui meruerunt; quintus de oratione eorum, qui hic in exsilio remanserunt; sextus de gloriosa civitate Dei et de ejus civibus in ea lætantibus; septimus de angusta porta hujus civitatis, per quam ipse Rex gloriæ gloriam suam intravit, et suis militibus per hanc ingredi monstravit; octavus de immensa regis gloria et suorum militum lætitia; nonus de brevitate hic militantium; decimus de æternitate illic regnantium.

PSALMUS XCI.

De laude operum Dei

Bonum est confiteri Domino, etc. Decimæ decadis a laude et requie sumit exordium Spiritus sanctus, quia in requie æternæ laudis dabitur sanctis vitæ denarius. Præcedens denarius terminatur in

promissione æternitatis, iste inchoatur in confessione divinæ laudis. Titulus ejus est :

(VERS. 1.) PSALMUS CANTICI IN DIE SABBATI.

Hoc est ; in isto hymno continetur operatio et remuneratio, quæ est futura requies et Dei cognitio. *Sabbatum* dicitur *requies*, quia ea die requievit Deus ab omnibus operibus, quæ creavit sex diebus. Hac etiam die requievit Christus in sepulcro ab omnibus operibus quæ fecit in mundo, qui requiem dabit animabus nostris in cœlesti regno, quando corpora nostra requieverint in sepulcro. Per *psalmum* operatio activæ vitæ, per *canticum* accipitur jubilatio contemplativæ; per *diem* vero æternæ vitæ claritas, per *Sabbatum* perpetua requies innuitur. Et est sensus : hic psalmus canit, quod justis dabitur sempiterna requies in æterna claritate pro laude Dei et operatione hujus vitæ.

Hic ponitur in ordine nonagesimus primus. In nonagenario ter trinitas invenitur, in monade unitas ostenditur. Designat autem hic numerus, quod præmium sanctorum erit ipse Deus, qui trinus et unus colitur.

Materia psalmi est laus operum Dei. Et nota quod in titulo requies, in textu psalmi opus Dei scribitur, quia pro opere requies dabitur. Intentio est nos hortari ad bonum operandum, ut possimus habere requiem ab operibus nostris post illud sæculum. Verba videntur sumpta de Moyse, ubi Deus ei in monte magnifica opera sua ostendit, qui et ea scripsit. Significat autem Ecclesiam, cui Deus mira opera sua innotuit, et ei sensum, ut intelligeret Scripturas, aperuit.

In tres partes dividitur, quia Ecclesia in tres ordines, scilicet in virgines, conjugatos, viduas partitur. Prima pars est : *Bonum est confiteri*, in qua opus Dei commendatur ; secunda : *Cum exorti fuerint peccatores*, in qua iniquorum perditio; tertia : *Justus ut palma florebit*, in qua justorum claritudo memoratur. Vox Ecclesiæ laudantis Deum pro mira operatione.

VERS. 2. *Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo, Altissime.* In prima fronte hujus laudis Trinitas proponitur : in *Domino* Spiritus sanctus ; in *nomine tuo* Filius; in *Altissime* Pater exprimitur. Sed ideo ordo in personis sæpe mutatur, ut æqualitas intelligatur. Confessio pertinet ad contemplationem, psalmus ad actionem. *Bonum est*, id est valde utile est in contemplativa vita *Domino confiteri*, id est, Deum laudare; et in activa vita *nomini Altissimi psallere*, id est ad honorem nominis Dei bonum opus facere, et hoc ea intentione facere :

VERS. 3. *Ad annuntiandum mane misericordiam tuam per noctem.* Nota quod pene ubique in hoc libro misericordia et veritas junguntur, quia per *misericordiam* Dei mundus salvatur ; per *veritatem* judicabitur. Per *mane* prosperitas, per *noctem* intelligitur adversitas. Bonum est itaque in prosperi-

A tate aliis *misericordiam* Dei annuntiare quomodo mundum salvavit, qualiter perditum hominem reparavit, quam misericorditer errores nostros tolerat, quam benigne conversis peccata relaxat; et in adversitate proximis annuntiare *veritatem* Dei, qua mundum judicabit adhuc, justis premia, injustis supplicia irrogabit, et quod pie hic suos adversis castigat, ut ibi eos quasi filios ad hæreditatem recipiat. Bonum est hæc psallere

VERS. 4. *In decachordo, psalterio, cum cantico in cithara*, hoc est, in operatione legis, quæ consat in decem præceptis quasi extensa decem chordis; et hoc non cum tristitia, sed cum humilitate et hilaritate et mortificatione carnis. *Psalterium* quippe, quod de superioribus sonat est cœlestis

B doctrina, quæ nobis bona opera mandat. Quod psalterium est *decachordum* propter legis decalogum. Nota quod hæc est decima decas, quæ quasi decima chorda dulciter resonat. *Cithara*, quæ ab inferioribus sonum reddit, est carnis castigatio, quæ laudem Christo concinit. Igitur per *psalterium* notatur divinum opus in contemplativa vita conversantium; per *citharam* distinctio in activa vita servientium. Hoc *canticum* est cantandum, quia

VERS. 5. *Delectasti me, Domine, in factura tua, et in operibus manuum tuarum exsultabo.* Per *facturam* intelligitur omnis invisibilis creatura, ut angeli et virtutes; per *opera* omnis visibilis creatura, ut cœlum et terra et homines. Vel per *fa-*

C *cturam* Dei Christi incarnatio; per *opera manuum* ejus accipitur hominis per magnalia Christi reparatio.

Aliter : *Factura* Dei est, quod homo ab injustitia justificatur, quod Christum Deum et hominem credit, cœlestia sperat et diligit : *opera manuum* ejus, quod per hæc bona instanter operatur. Sive *factura* est Ecclesia nova Dei creatura, *opera manuum* Christi mirabilia. In his omnibus consideranti est magna delectatio, et fideli animæ ingens exsultatio. Ideo in admiratione jubilans clamat :

VERS. 6. *Quam magnificata sunt opera tua, Domine !* Vere valde magnifice prædicanda sunt *opera* Dei, non solum ea, quod cœlestes ordines angelorum et lumina ac gemmas cœlorum, et mare, ter-

D ras, homines, bestias, volucres, pisces condidit; sed etiam quod quædam minicula [*f.* minuscula] ut apes et formicas, muscas et culices, creavit, et quotidie mira et stupenda facit, qui de parvis seminibus tot segetes vel ingentes arbores producit. Unde sequitur : *Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.* Revera nimis profundæ, qui ex nihilo omnia produxit, et ea in tot rerum genera, et genera in tot species disposuit. Sed et illa opera Dei mira sunt, quod mali hic florent, justi oppressi sunt; bonorum filii sæpe non regenerati moriuntur, infidelium filii frequenter renati ad gaudia ducuntur. Vere *profundæ cogitationes tuæ*, et judicia tua abyssus multa.

VERS. 7. *Vir insipiens non cognoscet, et stultus*

non intelliget hæc. Insipiens est qui sapientia vacuus versutia est plenus. *Stultus* vero est, qui nec divina, nec humana intelligit. Insipientia ad clericos, stultitia pertinet ad laicos. Hæc judicia *insipiens non cognoscet, et stultus non intelliget.*

Vers. 8. *Cum exorti fuerint peccatores sicut fœnum*, id est cum floruerint in prosperitatibus ut flos feni, qui cito decidet, et cum omnes, qui *operantur iniquitatem, apparuerint* gloriosi et famosi in terra, *ut intereant in sæculum sæculi*, id est pereant in æternum. Mali hic florent sicut fenum, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur.

Vers. 9, 10. *Tu autem Altissimus in æternum, Domine*, subaudi, permanebis. *Quoniam ecce inimici tui, Domine*, Judæi, *quoniam ecce inimici tui* pagani *peribunt, et dispergentur omnes* hæretici et mali catholici, *qui operantur iniquitatem*, ut paleæ a granis ventilabro [*cod.* ventilantibus] justi examinis.

Vers. 11. *Et* cum illi traditi fuerint igni inexstinguibili, tunc *exaltabitur sicut unicornis cornu meum*, id est fortitudo, quam contra vitia habui, [et] in regno Christi coronabor. Per cornu quippe fortitudo vel regnum accipitur. *Unicornis* est bestia indomabilis unum cornu habens, ad quam capiendam virgo ponitur, in cujus gremio se reclinans capitur. Christus fuit quasi *unicornis* dæmonibus insuperabilis, cujus unum *cornu* est regnum æternum, quod unum est appendendum. Hic se reclinavit in gremio matris virginis, et captus est et occisus a Judæis. Sicut ergo illius regnum est exaltatum, sic sublimabitur gloria regnum meum. *Et senectus mea in misericordia uberi*, id est novissima mea post mortem erunt in abundanti misericordia. Ecclesia habet suas ætates. Infantia ejus fuit tempus ante diluvium, in quo Abel et alii justi vernabant; pueritia ejus tempus Abrahæ, quo patriarchæ florebant; adolescentia ejus tempus Moysi, quo patres legi juncti sunt; juventus tempus David, quo prophetæ scripta protulerunt; maturitas ejus tempus Christi, quo apostoli et martyres plurimum fructum attulerunt; senectus tempus Antichristi, quo Judaica plebs multitudini fidelium conjuncta uberem fructum proferet, pro quo mox centuplum recipiet.

Vers. 12. *Et* tunc *despexit*, et respexit *oculus meus inimicos meos*, hoc est, ego tunc Ecclesia a dextris tuis constituta videbo a sinistris tuis in pœnis omnes adversarios meos et persecutores, nunc *in me insurgentes*, et hæreticos vel Judæos in me *malignantes*, id est maligna facientes *audivit auris mea* gementes et dicentes : « Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei (*Sap.* v, 3, 4), » id est inter angelos! Mali ut fenum arescent.

Vers. 13. *Justus* autem *ut palma florebit, ut cedrus Libani multiplicabitur. Palma* est inferius arbor spinosa, superius valde pulchra et semper florida. Sic est justorum multitudo hic in terris tribulationibus hirsuta, in supernis multo decore pulchra et sempiterna gloria florida. *Palma* dicitur quasi *pacis alma*, quia insigne est pacis et victoriæ. Hæc olim dabatur victoribus, ut semper florerent honoribus. Unde Joannes vidit Christi milites hostium victores, et palmas in manibus eorum. *Cedrus* est arbor in monte Libano altissima, imputribilis, multiplex in ramis. Ita Ecclesia, quæ nunc est *candida* in fide, quod *Libanus* sonat, alta in contemplatione, imputribilis in operibus, multiplex in virtutibus, in futuro erit decora in gloria, multiplex in donis corporis et animæ, in corpore immortalitas et impassibilitas, agilitas et facilitas : in anima sapientia, dilectio. Ecclesia arbori comparatur, quia primitiva Ecclesia quasi radix, Ecclesia de gentibus quasi stirps surrexit, quæ fructum justitiæ suo tempore protulit, cujus rami sunt omnes electi, qui

Vers. 14. *Plantati in domo Domini*, id est radicati in Ecclesia Dei fide et operatione tandem *in atriis Dei nostri florebunt*, id est, in similitudine angelorum cœlesti gloria coruscabunt. Vel *domus Domini* est cœlestis Jerusalem, id est societas omnium electorum in visione Dei. *Atria* Dei sunt diversæ mansiones, id est pro meritis diversæ retributiones.

Vers. 15, 16. *Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi* isti rami, id est sancti innumerabiles erunt in fine sæculi. *Et bene patientes erunt*, cum persecutionem Antichristi sustinebunt, *ut* istud *annuntient* aliis. *Quoniam rectus Dominus Deus noster*, qui tribuit persecutionem propter justitiam patientibus æterna gaudia : *et non est iniquitas in eo*, qui dabit persecutoribus et omnibus impiis æterna supplicia.

PSALMUS XCII.

De fundatione Ecclesiæ.

Dominus regnavit, decorem induit, etc. Superior psalmus cecinit opera Dei generaliter; hic psallit terram specialiter. Ille figuravit ea opera, quæ Christus gessit ante passionem; iste ea, quæ fecit post resurrectionem. Hic calculum in quadragesimo loco ponit, et magnum nobis mysterium ex-

punit. Sunt enim nonaginta duo septies duodecim insuper novem. Septenarius æternam requiem, duodenarius apostolicam doctrinam, novenarius angelorum consortium innuit. Designat hic igitur numerus, quod electi per doctrinam apostolorum ad æternam requiem et angelorum æqualitatem perducuntur. Titulus psalmi est :

LAUS CANTICI (45) DAVID IN DIE ANTE SABBATUM, QUANDO FUNDATA EST TERRA.

Tertia feria legitur terra facta. *Dies* vero *ante Sabbatum* est feria sexta. Unde constat istum titulum non de terra, sed de Ecclesia accipi. Feria sexta factus est homo, et sexta ætate redemptus ; in qua ætate *fundata est* Ecclesia *terra* viventium. Hæc ætas est quasi dies ante Sabbatum, id est ante requiem futuram post istud sæculum. Ab Adam usque ad Christum erat quasi nox, quia regnavit ignorantia et mors. Sexta ætas est quasi dies, in qua lux vera apparuit, quæ Sabbatum, id est æternam requiem præcessit. In qua die terram, id est Ecclesiam Spiritu sancto firmavit, quam ad perennem requiem præparavit. Vel *dies ante Sabbatum* erat Parasceve, quando fundata *est terra*, scilicet Ecclesia a Christi latere fabricata. *Laus* ergo *cantici* hujus canitur *David*, id est Christo angelis desiderabili pro opere quod fecit *ante Sabbatum*, id est in tempore, quod est ante futuræ requiei gaudium, *quando fundata est terra* ab eo, scilicet Ecclesia.

Materia est instructio domus Dei, quod est Ecclesia. Intentio est nos virtute decorari, si requiem domus Domini introire velimus. Verba translata sunt de ædificatione templi vel tabernaculi, et significat ædificationem Ecclesiæ domus Dei. Septem locis argumentorum demonstrativi generis variatur. Primus locus est a pulchritudine ; secundus, a fortitudine ; tertius, ab operibus ; quartus, a potestate ; quintus, a laudibus universitatis ; sextus, a veritate ; dictorum ; septimus, a laude domus ipsius, quæ domus septem columnis sustentatur, septem candelabris illuminatur, quem Judæi repulerunt dicentes : « Nolumus hunc regnare super nos (*Luc.* XIX, 14). » Vox Ecclesiæ Deum laudantis pro sua fundatione.

VERS. 1. *Dominus* ipse *regnavit* a ligno, quia superavit diabolum per crucem. Devicta ergo morte, regnat per omnia. Et non desunt insignia ; nam *Decore indutus est*, id est apostolos pro diademate et purpura induit, *Indutus est fortitudine*, quando martyrum exercitu se circumdedit, *et præcinxit se* quasi armis confessorum prædicatione.

Alia translatio habet : *Præcinxit se virtute*, quia angelica multitudine circumdatus remeavit ad Patrem ; sed prius Ecclesiam instituit. *Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur*. Per *terram* Ecclesia primitus fundata in Judæa ; per *orbem* Ecclesia gentium per totum orbem mundi posita intelligitur, quam Christus Spiritu sancto fundavit, et *firmavit*, quam ante passionem prædicatione ut terram fundavit. Et hoc est, quod in titulo scribitur: *Quando terra fundata est*. Christus est sapiens architectus, qui est Deus et homo. Qui secundum hoc, quod Deus est, condidit Patri in cœlis civitatem non manufactam, æternam, et secundum hoc quod homo est, ædificavit ei domum in terris ex vivis lapidibus. Quam domum fundavit, dum apostolos elegit, baptisma instituit, Evangelium regni docuit. Sed in passione opificis conquassata sunt fundamenta magna tempestate Judaicæ persecutionis. Interim navicula crucis ipse obdormivit, qui de morte evigilans fluctus perturbationis sedavit, concussam domum solidavit, cœlum conscendens Spiritum sanctum misit, fundatam terram et orbem tam firmiter *firmavit* ; quod amplius *non commovebitur*, donec domus in civitatem transferatur. Nunc vertit verba ad ipsum Christum.

VERS. 2. *Parata sedes tua ex tunc*. *Sedes* Christi in domo fundata fide, firmata dilectione est perfectorum puritas, in quibus rex et judex residet, et domum gubernat, hostes inde arcet. Illa *sedes ex tunc est parata*, id est virtutibus ornata, ex quo Spiritu sancto domus vel terra est fundata. Sed quia quidam putaverunt quod Christus a virgine cœpit, et prius non fuerit, subjungitur : *A sæculo tu es*, In Hebræo habetur : *Firmum solium tuum ex tunc ab æterno tu es*. Non dixit : tu fuisti, quia æternitas non habet *fuit* vel *erit*, sed æternum *est*. Post paratam sedem.

VERS. 3. *Elevaverunt flumina, Domine, elevaverunt flumina vocem suam*. Hoc tractum est de fluminibus paradisi. In paradiso est fons, de quo quatuor flumina manant, quæ totum paradisum irrigant. Paradisus est Ecclesia, fons Christus, *flumina* evangelistæ vel apostoli. Fons vitæ, caput fluminum vocem suam levavit, cum dixit : « Si quis sitit, veniat ad me, et bibat (*Joan.* VII, 37) : » *flumina* de eo currentia *elevaverunt vocem suam*, quando Petrus stans cum undecim elevavit vocem suam : « Pœnitemini, et convertimini, et baptizemini, ut deleantur vestra peccata (*Act.* III, 19). » Bis dixit *flumina* propter evangelistas et apostolos, vel propter doctores de utroque populo assumptos. Flumen de illo fonte cum magno impetu venit, et illa flumina implevit, quando Spiritus, ut torrens, apostolos replevit. Ex quo torrente illa flumina inundaverunt, et totum mundum elevata voce irrigaverunt. Sed contra illa divina flumina alia *flumina* diabolica *elevaverunt fluctus*, vel *gurgites effundebant*, ut alia habet translatio, scilicet philosophi et hæretici hæreses suas vel principes persecutiones suas, ut credentes raperent, vel contradicentes obruerent. Et hoc

VERS. 4. *A vocibus aquarum multarum*, id est propter voces multarum prædicationum. Hoc tractum est de diluvio, ubi flumina aquarum multarum inundaverunt, et omnia submerserunt. Hic hæ-

(45) Vulgata addit : *Ipsi*.

reses et persecutiones nimis sævierunt, et omnia perturbaverunt. Et tunc factæ sunt *mirabiles elationes maris*, id est minæ et terrores gentilitatis contra doctrinam apostolorum se ut procellæ elevantes, et miris cruciatibus contradicentes. Similitudo est a mari, quod ventis commotum procellas elevat. Sic principes gentium persuasionibus dæmonum commoti persecutionem in prædicatores concitaverunt. Sed nil profuerunt, quia *mirabilis in altis Dominus* compescuit fluctus sævitia spumantes, subjugavit fidei reges et potestates. Et sic

VERS. 5. *Testimonia* tua, scilicet prædicationes apostolorum te Deum testantes, *credibilia facta sunt nimis* per signa et miracula sequentia. Ideo *domum tuam decet sanctitudo, Domine*, domum tuam a te fundatam, ab apostolis sancta instructione decoratam; *in longitudinem dierum*, id est in æternum. Hanc domum omnes justi sanctificant, qui se sanctis moribus et actibus Deo templum dedicant. Hæc sanctitudo manebit *in longitudinem dierum*, quia facit eos regnare in domo Dei, id est in cœlesti Jerusalem in æternum. Ideo Ecclesia canit hunc psalmum in Dominica vel festis diebus ad Laudes, quia Christus mane surrexit, et per orbem regnans Ecclesiam sedem vel domum suam firmavit; et sancti in ultimo mane resurgunt, et cum eo in æternum regnabunt.

Potest et hic psalmus ad incarnationem Christi referri. *Dominus*, qui in Hebræis *regnavit*, *decorem induit*, id est humana carne ab omni sorde munda, ut lorica se vestivit. Dominus *induit fortitudinem*, ut alliget fortem. *Et præcinxit se virtute* quasi armis, ut pugnet cum adversariis. *Etenim firmavit orbem terræ*. *Terra* est virgo Maria, *orbis* est corpus Dominicum de virgine sumptum, virtutibus perfectum. Hunc *orbem* Deus *firmavit*, dum Deitatem carni univit, ut esset in una persona Deus et homo. *Qui non commovebitur* de bono ad malum. *Parata sedes tua, Deus, ex tunc*. Sedes Dei erat humanitas, in qua sedit, dum mundum sibi reconciliavit. Hæc sedes *ex tunc* erat *parata*, ex quo per Spiritum sanctum in utero est concepta. Sed tu, o Christe, tunc non cœpisti, quia a *sæculo tu es* Deus. *Elevaverunt flumina, Domine, elevaverunt flumina vocem suam*, hoc est, postquam tu fons vitæ de flumine Jordane ascendisti, apostoli a te repleti per totam Judæam prædicaverunt quod tu sis Deus de virgine natus. *Elevaverunt flumina fluctus suos a vocibus aquarum multarum*. Hoc est, Scribæ et Pharisæi ex fonte legis repleti eis contradixerunt, et te Deum negaverunt. *Mirabiles elationes maris*, id est persecutiones populi gentilis, scilicet Pilati et ejus militum, qui occiderunt innocentem Christum. *Mirabilis in altis*, id est in cruce *Dominus*, qui pro crucifixoribus oravit, quos uno verbo in abyssum mergere potuit. *Testimonia tua* ex lege et prophetis prolata *credibilia facta sunt nimis*, dum tu in carne inter homines apparuisti, et mortem pro hominibus subiisti, sicut per illos prædixisti. *Domum tuam*, scilicet corpus, in quo apud nos habitasti, *decet sanctitudo, Domine*, *in longitudine dierum*, quia illud sanctum levasti in cœlum, ubi regnabit in æternum.

PSALMUS XCIII.

De vexatoribus Ecclesiæ.

Deus ultionum Dominus, etc. Hic psalmus est contra eos qui domum Dei ab ipso fundatam impugnant, et hæreditatem ejus pravis moribus vexant. Titulus est :

LAUS CANTICI (46) DAVID QUARTA SABBATI.

Quarta Sabbati est quarta feria qua creata sunt luminaria cœli. Cœlum est Ecclesia, cujus sunt luminaria doctores, in medio nationis pravæ et perversæ lucentes. Quarta ætate mundi quasi *quarta Sabbati* prophetæ ut stellæ in nocte ignorantiæ luxerunt, sed tenebras non effugaverunt. Deinde apostoli ut sol et luna fulserunt, qui tenebras longe pepulerunt. Post hos alii doctores, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus et alii quam plures magno fulgore domum Dei illuminaverunt. *Laus* ergo hujus *cantici* canitur *David*, Christo, *Manu forti et desiderabili* pro significatione illius rei, quæ facta est *quarta Sabbati*, scilicet pro luminaribus cœli, id est pro doctoribus Ecclesiæ.

Nota quod præcedens psalmus erat de terra fundata et de fluminibus, quibus est irrigata ; hic autem de luminaribus, quibus est illuminata. Ille de domus Dei ædificatoribus; iste de ejus defensoribus. Ille de persecutoribus ; iste de Ecclesiæ blasphematoribus. Ille de Regis regno ; iste de ejus judicio.

Aliter : Ista *laus cantici* est *David*, id est fidelis populi, qui existit in *quarta Sabbati*, id est in observatione utriusque Testamenti. *Quarta Sabbati* est in medio septimanæ tribus diebus præcedentibus et tribus sequentibus. Per tres præcedentes intelligitur Vetus Testamentum, in quo fuerunt qui fidem Trinitatis habuerunt. Per tres sequentes intelligitur Novum Testamentum, in quo sunt qui

(46) Vulgata : *Psalmus ipsi David, etc.*

similiter Trinitatem credunt. In *quarta* ergo *Sabbati*, id est in medio duorum Testamentorum Christiani sunt, quia utrumque observant, Vetus secundum significationem, Novum secundum veritatem. Hoc etiam ipse numerus indicat. Unum enim, duo, tres, quatuor faciunt decem, quia quatuor Evangelia in decalogo legis continentur, et decem præcepta in quatuor Evangeliis complentur. Quatuor quoque, si angulatim ponuntur, formam crucis; similiter X littera, quæ in numeris decem significat, formam crucis exhibet, quia et vetus et nova lex per crucifixum completur. Ideo et numeri et litteræ et forma mundi eum prædicant, et omnia adorant.

Hic psalmus est nonagesimus tertius, quod sunt decies novem et tria. Denarius vitæ præmium, novenarius consortium angelorum, ternarius Trinitatis visionem exprimit. Designat ergo hic numerus, quod illuminatores ac defensores domus Dei præmium, æqualitatem angelorum, in visione Trinitatis habebunt, quando docti ut splendor firmamenti fulgebunt, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Unde et hi tres psalmi per Sabbatum intitulantur, quia electi in Patre et Filio et Spiritu sancto æternam requiem habituri prædicantur.

Materia psalmi est vexatio Ecclesiæ ab importunis. Sunt multi qui Deum peccata hominum nescire putant, cum ea mox non puniat, et partem Christianorum damnatam quam impune tribulant. Est ergo hujus psalmi intentio ostendere, et Deum occulta scire, et peccatores adhuc non punire, et oppressis velociter subvenire. Verba sumpta sunt partim de cantico Moysi, ubi dicit: « Mea est ultio, et ego retribuam (*Deut.* XXXII, 35). » Et alibi: « Gens absque consilio, et sine prudentia (*ibid.*, 28). » Partim de historia ubi gentiles populum Domini humiliaverunt, et hæreditatem ejus vexaverunt. Significat autem quod Christi est ultio de stultis et insipientibus, et quia persecutores populum Christianum humiliaverunt, et hæretici hæreditatem Dei vexaverunt; et quia Dominus vindictam retribuet in hostes Ecclesiæ in judicio, et propitius erit populo suo.

In tres partes secatur, quia domus Dei fide, spe, charitate roboratur. Prima pars est: *Deus ultionum*, in qua scribitur, quomodo adversarii domum Dei impugnent. Secunda est: *Intelligite insipientes*, in qua dicitur, quomodo Spiritus sanctus duris increpationibus eis repugnet; habitatores vero blandis consolationibus confortet. Tertia est: *Quis consurget mihi*, in qua fit mentio pugnæ populi Dei contra operantes iniquitatem, qui tandem de victoria gloriatur dicens: *Factus est mihi Dominus in refugium, et Deus meus in adjutorium, et reddet inimicis meis iniquitatem ipsorum, et in malitia eorum disperdet eos.* Vox est doctorum populum fidelem contra blasphemos armantium.

VERS. 1. *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum libere egit.* In primis Trinitas exprimitur, cum ultio Ecclesiæ ascribitur. In *Deus* Pater, in *Dominus* Filius, in *Deus* Spiritus sanctus accipitur. Hic Deus ulciscetur Ecclesiam ab adversariis suis. Nam ipse est *Deus ultionum*, qui est creator universorum, qui dixit: « Mea est ultio, et ego retribuam eis. » Et quia est *Dominus* omnium, puniet reatum servorum in futuro adversariorum. Et quia mali justos nimium tribulant, ad invicem clamant:

VERS. 2. *Exaltare*, id est in majestate tua appare, *qui judicas terram*, hoc est qui judicabis omnes habitantes in terra. *Redde retributionem superbis*, id est de malis suis superbientibus, et sume ultionem de his qui te crucifixerunt, et nos quotidie cruciant. Et quia impune peccantes Deum blasphemant, quasi facta hominum nesciat, cum ea statim non puniat, tribulati ab eis exclamant:

VERS. 3. *Usquequo peccatores, Domine, usquequo peccatores gloriabuntur?* Hoc est quandiu differs judicium? Quandiu pateris impios gloriari de malefactis suis, et injuriam tuam, et nostram ulcisceris? Ecce vides quod non solum de malitia gloriantur, sed etiam

VERS. 4. *Effabuntur*, id est annuntiant aliis, *et loquuntur iniquitatem. Loquentur omnes, qui operantur injustitiam*, ut eos imitentur, hoc est non solum faciunt malum, sed et alios pertrahunt ad consensum mali nunc consiliando, nunc insultando; et inde volunt laudari, inde magni videri. Quam iniquitatem loquuntur? Quod

VERS. 5. *Populum tuum, Domine, humiliaverunt.* Quam vero loquuntur injustitiam? Quod *hæreditatem tuam vexaverunt.* Sæpe pagani suis sociis gloriantes narraverunt quomodo populum Christianum variis cruciatibus in contemptum deduxerunt, et quomodo Ecclesiam *hæreditatem* Dei proscribendo, deperdendo, captivando, insultando, blasphemando *vexaverunt*. Et hoc non sufficit, insuper

VERS. 6. *Viduam et advenam interfecerunt, et pupillos occiderunt*, quorum tu advocatus es. Hoc ita ad litteram in utroque populo contigit, quos occiderunt, ut bona eorum haberent, quia auxilium non habuerunt.

VERS. 7. *Et dixerunt: Non videbit Dominus* quæ facimus, *nec intelliget Deus Jacob* quæ cogitamus. *Deus Jacob* dicitur Deus Christiani populi, qui ita est Judæis prælatus, sicut Jacob Esau præpositus. Multi etiam in Ecclesia sunt, qui putant quod Deus ignoret talia, cum ea non puniat quos Spiritus sanctus corripit dicens:

VERS. 8. *Intelligite insipientes in populo*, id est clerici indocti in populo Dei sentite hæc ex providentia Dei evenire, et non casu, ut dicitis, *et stulti aliquando sapite*, id est, et vos laici bruti, scitote, omnia ex judicio Dei procedere, non casualiter fieri, ut putatis. *Intelligite* et sapite quæ dico:

VERS. 9, 10. *Qui plantavit aurem non audiet?* Putandum est hoc quod ille, qui dedit aliis auditum, non audiat? *aut qui finxit oculum non considerat?*

Putandum est hoc quod ille, qui dedit visum, non videat? *aut qui corripit gentes* per Scripturas suas, et castigat in hac vita injungendo pœnitentiam, *non arguet* ipse in futuro, id est peccatores non puniet? aut *qui docet hominem scientiam*, intellectum boni et mali dando, non scit ipse hominum facta? Imo audit, et videt, et tandem arguet, et sciens est. Nisi enim hoc esset, nunquam posset dare quod non haberet. Alios corripit dando ad legendum, scilicet ipsam Scripturam, litteratos; alios, id est laicos corripit per peritos Scripturarum.

VERS. 11. *Dominus scit* non solum facta, sed etiam *cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt*, id est non solum bonas, sed et vanas scit. Blasphemis, stultis, insipientibus confutatis, consolatur intelligentes et sapientes.

VERS. 12. *Beatus homo, quem tu erudieris, Domine*, flagellando hic tribulationibus, *et de lege tua docueris eum* hoc intelligere, quod beati erunt in futuro, qui hic flagella tolerant; miseri, quos nulla adversa castigant. *Beatus homo* quem hic, Domine, flagellas.

VERS. 13. *Ut mitiges eum a diebus malis*, hoc est mite ei refrigerium in futuro tribuas in bonis diebus, qui hic dura perpessus est in *diebus malis*. Dies malos vocat, eo quod mala in eis fiunt, quæ non erunt, donec in futuro castigatum mitigabis. *Donec fodiatur peccatori fovea*, id est in præcipitium mortis ducatur, et in Christi *fovea* sepulcri *fodiatur*, anima in inferno sicut divitis illius sepeliatur. Hoc ergo non stulti, sed lege docti Dei intelligunt, quod eruditi flagellis requiem animabus suis invenient; peccatores autem de peccatis gloriantes profundam foveam barathri incident.

VERS. 14, 15. *Quia non repellet Dominus* in judicio *plebem suam* a regno, quam hic ut pius Pater flagellis erudivit ad hæreditatem, *et* hanc *hæreditatem*, scilicet plebem *suam* factam *non derelinquet* in tribulatione, *quoadusque justitia convertatur in judicium*, id est donec justus judex Christus a patientia *convertatur in judicium*, ut reddat unicuique secundum opera sua. Vel donec eruditorum *justitia convertatur in judicium*, ut ibi judices sint, qui hic oppressi fuerunt. *Et qui juxta illam?* id est qui regnabunt cum illa justitia? *Omnes recti corde*, hoc est omnes qui hoc volunt, quod Deus vult. Non sunt *recti corde*, qui vel de flagellis murmurant, vel Deum de judiciis suis blasphemant, quasi injustus sit, qui justos hic flagellis erudit, injustos non punit. Hi cum justitia non regnabunt; sed in foveam abyssi cadent. Qui autem de flagellis Dei gaudent, et quibus judicia Dei placent, hi *recti corde*, id est justi sunt, et ideo *juxta justitiam* Christiani semper erunt.

Sequitur vox populi domum Dei inhabitantis, et ad certamen contra adversarios properantis :

VERS. 16. *Quis consurget mihi adversus malignantes?* Ego surgo de ignavia pugnare adversus malignos dæmones, ut tandem sim cum illa justitia. A *Quis consurget mecum*, ut pugnet in acie? Quod est dicere : Milites Christi, surgite, pro æterna gloria pugnate, quia « non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates (*Ephes.* VI, 12), » id est adversus dæmones. Ideo scutum fidei et galeam salutis et loricam justitiæ et gladium verbi Dei arripiamus, et fortiter pro corona resistamus. Ego his armis instructus insurgam in eos. *Quis* vestrum *consurget mecum? aut quis stabit mecum* in acie *adversus operantes iniquitatem?* Hæc vox doctorum est ad fideles. Qui propter timorem vel favorem non contradicunt male agentibus, quasi jacentes sunt : qui propter nullam rem dimittunt contradicere, hi insurgentes sunt; sed in acie stant, si in zelo Dei in finem B perseverant. Sed quia hæc pugna non humanis viribus, sed auxilio Dei geritur, ideo subjungitur :

VERS. 17. *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea*, hoc est dæmonibus callide persuadentibus, hæreticis irridentibus, paganis et Judæis insultantibus fictis Christianis detrahentibus pene consensi, et per hoc *pene habitavit anima mea in inferno* vitiorum, sicut et illorum postea itura in infernum suppliciorum; *nisi quod Dominus me juvit* eis resistere, et in bono proposito persistere. Vel perveniens in infernum vitiorum *pene* ibi *anima mea habitasset, nisi quod Dominus me adjuvit*, ne ibi remaneret. Propter quid adjuvit te Dominus? Propter confessionem. Nam

C VERS. 18. *Si dicebam, motus est pes meus*, id est, si confitebar Domino, quod sæpe feci dicens ; Domine, affectus meus motus est de bono ad consensum mali, *misericordia tua, Domine, adjuvabat me*, ne a bono deficerem. Et non solum confessus sum, sed etiam dolui me peccasse; ideo

VERS. 19. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam*, hoc est secundum hoc quod multipliciter dolui in corde meo de motione pedis mei, ad eum modum misericordiæ tuæ *lætificaverunt animam meam*. Ad quem enim modum homo de peccatis dolet, ad hunc ei Deus peccata dimittet, et hæc remissio est doloris consolatio. Hæc quoque magna consolatio est, quod pœnitens in inferno non D habitabit, sed cum justitia Christo regnabit : impœnitens autem tecum, o Christe, non erit

VERS. 20. *Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis?* Sicut anima justi sedes est sapientiæ, sic anima iniqui sedes est diaboli. Illa tibi non adhæret, quia in ea non sedes, sed in me, qui sedes tua factus sum per justitiam. In quibus regnat iniquitas, *nunquid adhærent tibi* hic secundum voluntatem bonam, vel in futuro secundum gloriam? Non quia das præceptum, et in eo pati dolorem, quod non faceres, si sedes iniquitatis tibi adhæreret. Hoc est, quod dicit : *Qui fingis laborem in præcepto*, id est qui secundum modum virium cujusque temperas dolorem in observatione præcepti tui.

Aliter : *Qui fingis laborem in præcepto*, id est qui

facis laborem in præcepto, quia cum studio laboris vis observari præceptum tuum, quod non faceres, si sedes iniquitatis tibi adhæreret. Et qui sunt sedes iniquitatis? Qui

VERS. 21. *Captabunt in animam justi*, id est frequenter desiderant animam, hoc est vitam justi capere, ut eum ad consensum mali pertrahant, aut bonis suis proscribant, aut vitam auferant. Christus captivavit animas sanctorum, sed non in animas. *In animam* est contra animæ salutem. *Et* cum non poterunt eam captivare, *sanguinem innocentem condemnabunt*, id est innocens corpus occident, condemnando innoxium sanguinem effundent. Milites Christi, qui adversus malignos in pugnam consurrexerunt, et adversus iniquos in acie stabant, quorum animas impii, sedes iniquitatis captabant, et sanguinem condemnabant, cum victoria ad regem reversi conclamant:

VERS. 22. *Factus est Dominus mihi in refugium*, hoc est cum ignea tela nequissimi paterer, et de meis viribus diffiderem, confugi ad Christum, qui est Dominus omnium et Deus fidelium. Hic *Deus meus* factus est *in adjutorium spei meæ*, id est juvit me adipisci pugnando, quod speravi amando. Et mihi victori reddet coronam justitiæ; inimicos autem meos induet confusione.

VERS. 23. *Et reddet illis iniquitatem ipsorum*, quia mittet eos in locum tormentorum, *et in malitia disperdet eos*, hoc est in anima et corpore propter malitiam perdet eos. *Disperdet illos* Christus ultor, justus judex, qui est *Dominus Deus noster* Christianorum, Deus ultionum. Vos stulti et insipientes putatis, quod Deus mala hominum nesciat, cum non statim peccantes damnat: in judicio malos puniet, cum in malitia omnes inventos disperdet, dicens: « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV, 41), » quod Deus avertat a nobis.

PSALMUS XCIV.

De invitatione populorum.

Venite, exsultemus Domino, etc. Hic psalmus est de vocatione gentium et Judæorum ad fidei gratiam, vel fidelium lapsorum ad pœnitentiam. Dicitur vocatis ad nuptias ut de lacu miseriæ ad gaudia cœli, de labore vineæ in requiem Domini conveniant, in qua convivium Dei cum angelis ineant, ne in itinere remaneant propter negligentiam, sicut Judæi in eremo, qui non introierunt terram repromissionis propter diffidentiam. Tribus præcedentibus psalmis *Sabbatum* attitulatur, quod *requies* dicitur, in quibus scribitur, quod justi fide Trinitatis ut palma florentes in requiem Domini intrare debeant; in hoc autem Deus jurat quod captantes in animam justi, et sanguinem innocentem condemnantes requiem suam non introeant.

Hic psalmus in ordine nonagesimus quartus ponitur, qui numerus in quadraginta et quinquaginta et quatuor partitur. Quadraginta pœnitentiam, quinquaginta lætitiam, quatuor Ecclesiam de quatuor mundi climatibus congregatam innuit. Designat hic numerus, quod populi de quatuor plagis orbis ad fidem collecti per pœnitentiam ad perenne gaudium perveniunt. Titulus psalmi est:

LAUS CANTICI (47) DAVID.

Hoc est: Ista *laus* fidelis populi canitur cum jucunditate Christo nobili et visu delectabili. Materia est vocatio populi ad requiem Domini. Intentio est lapsos ad pœnitentiam admonere, ut possint requiem Domini introire. Verba sumpta sunt de historia, ubi Hebræi de Ægypto ad terram fluentem lac et mel vocati sunt, qui tamen pene omnes in eremo offenso Deo prostrati sunt. Significat autem quod multi sint ad regnum Dei vocati, pauci vero propter mala opera electi.

In duas partes dividitur, quia bina vocatio hic describitur: Una pars est: *Venite, exsultemus Domino*, in qua utraque vocatio continetur; altera: *Hodie si vocem ejus*, in qua Dei admonitio introducitur. Vox apostolorum ad populum gentium.

VERS. 1. *Venite, exsultemus Domino.* O vos, gentes, qui longe estis a Jerusalem civitate, in Babylone, civitate diaboli, *venite* de infidelitate ad fidem, de diabolo persuasore ad Christum salvatorem. *Exsultemus Domino*, id est exsultanter operemur bonum ad honorem Dei Patris, qui est *Dominus* omnium. *Jubilemus Deo salutari nostro*, id est pura mente laudemus Christum verum Deum salvatorem nostrum. Exsultatio ad actionem, jubilatio pertinet ad contemplationem. In Hebræo habetur: *Jubilemus petræ Jesu nostro*. Petra est Christus verus Jesus, cui jubilamus.

VERS. 2. *Præoccupemus faciem ejus in confessione*, id est præveniamus adventum præsentiæ ejus in laude. Vel præveniamus judicium ejus in peccatorum confessione. In Hebræo habetur: *Præveniamus vultum ejus in gratiarum actione*. Prior adventus Domini quasi dorsum fuit, cum occultus in forma servili apparuit. Secundus quasi *facies* erit, cum Deus manifestus omnibus apparebit. Hanc præveniamus laude et pœnitentia. *Et in psalmis jubilemus ei*, id est cum bonis operibus jubilum faciamus illi. Psalmus ad activæ vitæ operationem, jubilum pertinet

(47) Vulgata: *Ipsi David*.

ad contemplativæ laudationem, hoc est, operatione et contemplatione laudemus eum. *Jubilemus ei* adjungendum est tribus versibus sequentibus. *Jubilemus ei :*

VERS. 3. *Quoniam Deus magnus Dominus, et Rex magnus super omnes deos*, id est iste *Deus magnus*, hoc est, potens Deus *super omnes deos*, id est super Moysen et super omnes sanctos; et *magnus Dominus* super omnes dominos; *et Rex magnus super omnes* reges ab hominibus *deos* electos. Ob hoc etiam jubilemus ei :

VERS. 4. *Quia in manu ejus fines terræ*, id est in potestate ejus sunt omnes termini terræ, de quibus unum regnum sacerdotale fecit Ecclesiæ, *et altitudines montium ipsius sunt*, id est potestates principum suæ ditioni subjugavit. Alia translatio plus habet : *Quoniam non repellet Dominus plebem suam.* Et hoc ad priorem psalmum continuatur, ubi idem scribitur : *Jubilate Deo, et eritis plebs ejus.* Et hanc plebem a regno non repellit, quia eam sanguine suo redemit. Ob hoc quoque *jubilemus ei :*

VERS. 5. *Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud.* In Genesi legitur, quod Deus cœlum et terram fecerit, de mari vero tacuit. Unde quidam hæretici dixerunt aquas non esse creatas, sed Deo coæternas. Idcirco ille Spiritus, qui per Moysen dixit : « In principio creavit Deus cœlum, et terram (*Gen.* I, 1), » idem per David subjunxit : *Ipsius est mare, et ipse fecit illud.* Et qui ibi dixit : « Congregentur aquæ in unum et appareat arida (*ibid.*, 9), » ipse hic dixit : *Et aridam fundaverunt manus ejus. Mare* est gentilitas. Hæc est Domini per potestatem, et *ipse fecit* eam per primam creationem. Et de mari *siccam manus ejus formaverunt*, id est Ecclesiam operationes ejus de informi formosam formaverunt. Hæc per simile *sicca* dicitur, quia sicut terra imbrem sitit, sic Ecclesia justitiam vel doctrinæ pluviam sitit, ut fructum cœlesti horreo condendum proferat. Hoc totum tractum est de creatione mundi, et significat creationem Ecclesiæ de materia informi. Sequitur vox Eliæ et Henoch, vel aliorum prædicatorum ad populum Judæorum : O vos, Judæi, qui longe estis a regno Dei per totum orbem dispersi.

VERS. 6. *Venite* de perfidia ad fidem, de Antichristo ad Christum. Et quia verus Deus est, *adoremus eum, et procidamus* corpore *ante eum*, postulantes veniam, quod tandiu eum despeximus. Et *ploremus* peccata nostra *ante Deum, qui fecit nos* in mundi creatione, et refecit nos in sua passione :

VERS. 7. *Quia ipse est Dominus Deus noster, et nos sumus populus pascuæ ejus*, quia ipse pavit nos in deserto : et sumus *oves manus ejus*, id est operationis, quia ut pastor providet nobis necessaria. Non dixit : *Oves pascuæ, et populus manus ejus*, quod magis videtur congruere; sed *populus pascuæ, et oves manus ejus*, quia de illis ovibus dicitur, quibus ipse pastor loquitur : « Oves meæ vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et vitam æternam do eis (*Joan.* X, 27, 28). » Et alibi : « Per me si quis introierit, salvabitur, et pascua inveniet (*ibid.*, 9). » Ipse pastor est janua vitæ. Per hanc hæ oves ingredientur, et pascua æternæ satietatis invenient. Sequitur vox Spiritus sancti ad synagogam Judæorum :

VERS. 8. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Hodie dicitur quatuor modis, de æternitate, de temporalitate, de hominis ætate, de instanti die. De æternitate, ut ibi : « Hodie genui te (*Psal.* II, 7), » id est in æternitate æqualem te genui mihi. De temporalitate, ut hic : *Hodie si vocem ejus audieritis*, id est quandiu mundus iste durabit. De hominis ætate, ut Moyses : « Contestor vobis hodie (*Deut.* XXXII, 46), » hoc est, quandiu vivitis, annuntio vobis quod male agentes peribitis. De instanti die, ut cum dicimus : « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. » Sex ætates mundi sunt quasi sex dies sæculi. *Hodie*, id est in hac sexta die, *si vocem* Christi nostri pastoris ex proprio ore *audieritis*, quam præteritis diebus per Moysen et prophetas audistis, *nolite obdurare corda vestra.* Solent etiam duo dies in Scriptura poni : dies mortis ab Adam usque ad Christum; dies vitæ a tempore Christi usque in finem mundi. Alter etiam dies iræ, alter dies gratiæ. Ego vos oves, quæ præterito die vocem pastoris per legem audistis, et corda vestra obdurastis, *hodie*, id est hoc tempore gratiæ, *si vocem ejus in* Evangelio *audieritis*, *nolite obdurare corda vestra*, id est nolite esse infideles :

VERS. 9. *Sicut in irritatione secundum diem tentationis in deserto*, hoc est, sicut infideles fuerunt patres vestri in præterita die in deserto, *ubi tentaverunt me patres vestri* in carnibus et aqua de petra producta : *probaverunt* me esse potentem, *et viderunt opera mea*, cum eis manna et carnes plui, et aquam de petra effudi. Filii malorum vocantur, qui malos imitantur, sicut Judæis dicitur : « Vos ex patre diabolo estis (*Joan.* VIII, 44). » Et quia me tentaverunt, et non crediderunt.

VERS. 10. *Quadraginta annis offensus fui generationi illi*, id est quandiu in deserto fuerunt, iratus fui illis, *et dixi* Moysi : *Semper errant corde.* Corpore aliquando errabant, quia per desertum quadraginta annis circuibant, quod quadraginta diebus ire debuerunt : *corde semper* errabant, quia Deo non credebant.

Alia translatio habet : *Quadraginta annis proximus fui generationi huic.* Duæ sunt generationes, una bonorum, altera malorum. Bonorum cœpit ab Abel, malorum a Cain, et utraque durat usque in finem sæculi. Quater decem sunt quadraginta. Per quatuor signantur quatuor partes mundi; denarius vero perfectionem insinuat. Quadraginta ergo anni designant omne tempus sæculi, in quo generatio malorum *semper errat corde*, cui Deus offensus est. Vel *proximus* ori eorum, longe cordi ipsorum, qui eum semper malis moribus suis exacerbant, sicut illi in deserto murmurationibus tentaverunt. Ilis semper

per Scripturam dicit : Hi *errant corde*, id est serio vel scienter vel studio.

VERS. 11. *Et isti non cognoverunt vias meas*, hoc est, isti tales, quibus feci opera mea quadraginta annis, *et dixi : Semper errant corde*, non intellexerunt *vias meas*, scilicet fidem et operationem. Ideo facio eis, ut *juravi in ira mea, si intrabunt in requiem meam*, ego exibo. Patribus vestris incredulis ego juravi, id est firmiter minatus sum propter infidelitatem illorum iratus : *si intrabunt* in terram repromissionis, tunc non sum Deus. Quam terram ideo vocat *suam requiem* Deus, quia populus per eum in illam introductus requievit in pace, qui prius laboravit in itinere. Nota est historia : Cum populi terræ repromissionis appropinquarent, exploratores præmiserunt, qui reversi populum contra Dominum murmurare fecerunt dicentes, terram quidem bonam, sed firmis urbibus, robustis et proceris hominibus munitam, qui eos et filios eorum ut panem devorarent, si fines illorum intrarent (*Num.* XIII). Unde populus perterritus cœpit lugens clamare : Utinam percutiat hic nos Dominus, utinam non introducat nos in illam terram. Quibus iratus Dominus juravit quod ita eis faceret, sicut dixerat, et nunquam terram promissam intrarent. Qui omnes in deserto prostrati sunt, et duo tantum cum multitudine filiorum Israel intraverunt. Sicut Dominus Abrahæ juravit placatus, quod semini ejus, id est fidelibus, terram fluentem lac et mel daret : ita juravit iratus incredulis quod nunquam *requiem suam*, id est æternam vitam intrarent. Qui in deserto prostrati sunt, sunt multi vocati, qui venire noluerunt : duo, qui intraverunt, sunt activi et contemplativi, qui gemina dilectione animati requiem Domini intrabunt. Unde totus iste psalmus potest etiam vox esse doctorum lapsos hortantium, ut de errore ad veritatem veniant, Deum verum adorent, non ventrem Deum colant, ante Deum procidant, pœnitentiam de erratis agant, peccata coram Domino plorent, ad vocem ejus corda non obdurent, ne sicut Judæi requiem ejus non intrent.

Ideo hic psalmus in nocturnis horis cantatur, quia per eum justi ad laudandum Deum vocantur, lapsi vero ad pœnitentiam et satisfactionem invitantur.

PSALMUS XCV.

(VERS. 1.) *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino*, etc. In hoc psalmo hortantur ad laudem Dei, qui in præcedenti invitati sunt in requiem Domini. Titulus ejus est :

QUANDO DOMUS ÆDIFICABATUR POST CAPTIVITATEM, CANTICUM DAVID.

VERS. 1. Christus summus opifex construxit civitatem in cœlis de perspicuis lapidibus, id est de angelis, de qua pars cecidit in apostatis. Deinde domum ædificavit in paradiso de vivis lapidibus, id est de hominibus. Hanc domum inimicus destruxit, dum humanum genus de paradiso seduxit. Opifex vero opus suum non deserens in mundum venit, dijectos lapides in unum comportavit, dum filios Dei dispersos in unam fidem congregavit. Domum iterum ædificavit, dum post captivitatem diaboli Ecclesiam instituit. Hoc ergo *canticum est David*, id est Christi visu desiderabilis, scilicet de eo factum canticum vivis lapidibus, id est electis hominibus, ab artificibus, id est a prædicatoribus, *quando domus* Dei Ecclesia *ædificabatur* illorum prædicatione post captivitatem diaboli.

Verba tituli sumpta sunt de reædificatione, quæ facta est post captivitatem sub Zorobabel principe, et Jesu magno sacerdote. Porro tempore David non erat adhuc templum inceptum, sed mortuo David a Salomone est constructum, post quadringentos vero annos a rege Babylonis destructum, deinde post septuaginta annos a Jesu sacerdote et aliis reædificatum. Unde constat quod de illo templo hic nihil dicatur, sed de illo, quod a diabolo destructum per Jesum Christum reædificatur de vivis lapidibus.

Hic psalmus nonagesimus quintus locum dedicat. Nonagenarius, in quo ternarius ter repetitur, populum de gentibus ad fidem Trinitatis conversum exprimit : quinarius autem populum de Pentateucho legis conversum innuit. Designat autem hic numerus quod de his duobus parietibus domus Dei ædificatur. Materia psalmi sunt gentes de vicis et plateis ad requiem Domini vocatæ. Intentio ejus est nos ad laudandum Deum hortari, ut mereamur in domo ejus electis coædificari. Verba sumpta sunt de sacerdotibus Deo in templo canentibus, et de populis ibi sacrificantibus, et designant Ecclesiæ sacerdotes se ipsos hostiam vivam Deo offerentes.

In duas partes secatur, quia Ecclesia in litteratos et laicos partitur, sive quia domus Dei de duobus populis construitur. Una pars est : *Cantate Domino*, in qua laus sacerdotum; altera : *Afferte Domino*, in qua sacrificium populorum continetur. Vox Spiritus sancti in requiem Domini vocantis :

Cantate Domino canticum novum. Ter *cantate* dicitur, et ter *Domino* ponitur, quia tres ordines Ecclesiæ doctores, continentes, conjugati de Asia, Africa, Europa vocati ad laudem Trinitatis exhor-

cantur. *Cantate Domino* Patri, *cantate Domino* Filio, *cantate Domino* Spiritui sancto *canticum novum*, id est ad honorem Dei hilariter implete novum dilectionis præceptum. Vetus canticum fuit observatio Veteris Testamenti; *novum canticum* impletio Evangelii. Qui veterem hominem cum actibus suis exuit, et novum secundum veritatem et justitiam induit. *Novum canticum* cantat, id est non solum amicos in Deo, sed etiam inimicos propter Deum diligat, omnia quæ possidet relinquat, et solum Deum quærat. *Cantate Domino, omnis terra*, hoc est, laudate Dominum, omnes qui habitatis in terra.

VERS. 2. *Cantate Domino* bona vita, *et benedicite nomini ejus*, id est bonum non vobis, sed illi attribuite. Hoc omnibus dicitur generaliter. Nunc specialiter doctores alloquitur :

VERS. 3. *Annuntiate de die in diem salutare ejus*, hoc est, sine intermissione prædicate Christum salvatorem, *de die in diem*, id est de Veteri Testamento in Novum. Prophetæ, Veteris Testamenti scriptores, dies fuerunt, qui æternum solem justitiæ oriturum prædixerunt. Apostoli, Novi Testamenti scriptores dies fuerunt, qui æternum solem fulsisse, et pro nostra salute occubuisse prædicaverunt. Hoc cantico dilectionis et benedictione laudis et annuntiatione prædicationis construitur et crescit ædificium domus Dei.

Alia translatio habet : *Bene nuntiate de die in diem salutare ejus*, hoc est, catholice prædicate Filium de Patre. Et quasi diceretur ab operariis : ubi jubes ædificari, ubi vis crescere domum tuam? ostendit locum in gentibus : *Annuntiate inter gentes gloriam ejus*, id est in medio gentium prædicate Deitatem ejus. Per *salutare* Christi humanitas, per *gloriam* intelligitur ejus Divinitas. O vos, domus structores, docete *inter gentes* Christum Deum et hominem, et *in omnibus populis mirabilia ejus*, quod de virgine est natus, quod a diabolo tentatus, quod cæcis visum, claudis gressum, surdis auditum, mutis loquelam, mortuis vitam reddidit ; quod morte sua hominem redemit, quod a mortuis resurrexit, quod cum carne nostra cœlos ascendit, Spiritum sanctum in scientia omnium linguarum dedit. Et hoc *annuntiate :*

VERS. 4. *Quoniam magnus Dominus*, hoc est super omnes dominos potens, *et laudabilis nimis*, ultra quam valeat homo laudare aut intelligere. *Terribilis super omnes deos*, id est super omnes angelos a gentibus *deos* habitos; vel super omnes sanctos ab ipso *deos* factos, ut Moysen, peccatoribus terribiles. Hoc ad superiorem psalmum continuatur, ubi scribitur : *Quoniam Deus magnus Dominus*, etc. Vel timendus est *super omnes* ab hominibus *deos* electos.

VERS. 5. *Quoniam omnes dii gentium*] *dæmonia*, hoc est non sunt dii, sed dæmonia. Cum enim simulacra darent responsa, ipse dæmon loquebatur in eis. Hic sentes superstitionis eradicantur, sordes egeruntur, domus ædificatur, moles in ipsa domo eriguntur, crescunt lapides qui ad ædificium ducuntur. Dæmonia ejecta sunt, quæ hujus domus ædificationem impediverunt : *Dominus autem cœlos fecit*, scilicet angelos et apostolos et alios sanctos, qui hanc domum ut columnæ portent. Et qui erunt in hac domo? Confitentes, id est Deum laudantes, virtutibus pulchri, vita sancti, operibus magnifici. Hoc est, quod sequitur :

VERS. 6. *Confessio et pulchritudo in conspectu ejus; sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus. Confessio* sunt, qui Deum ore confitentur. *Pulchritudo* sunt, qui eum corde credunt. Hi *in conspectu ejus* erunt, quia eum mente conspiciunt. *Sanctimonia* sunt, qui caste vivunt. *Magnificentia* sunt, qui bona opera peragunt. Hi *in sanctificatione ejus* erunt, id est cum his quos sanctificavit, regnabunt. Ergo *confessio et pulchritudo* ad contemplativam vitam; *sanctimonia et magnificentia* pertinent ad activam. De talibus lapidibus domus Dei construitur. Ædificata jam domo admonentur, ut offerant hostias in ea Domino.

VERS. 7, 8. *Afferte Domino, patriæ gentium, afferte Domino gloriam et honorem. Afferte Domino gloriam nomini ejus*. Superior actus expressit clerum Deum in Ecclesia laudantem, hic sequens innuit populum in Ecclesia munera offerentem. Unde sicut prius posuit ter *canite*, ita nunc ter repetit *afferte*, ut trinus ordo Ecclesiæ se ipsum offerat Deo anima et corpore. Postquam humanum genus divisum est in septuaginta duas linguas, divisæ sunt gentes in centum *patrias*. In Hebræo legitur : *Familiæ populorum*. O vos, *patriæ gentium*, id est omnes populi nationum, *afferte Domino* Patri *gloriam*, ut credatis eum omnium creatorem. *Afferte Domino* Filio *honorem*, ut credatis eum Patri æqualem, hominum redemptorem. *Afferte Domino* Spiritui sancto *gloriam*, ut credatis eum sanctificatorem vestrum. Et hoc *afferte nomini ejus*, id est bene operamini ad honorem nominis Dei, quod est *Dominus*. Vel Trinitatem corde et ore glorificate, et opere honorificate.

Tollite hostias, non hircos aut vitulos, sed vos ipsam vivam hostiam ad martyrium præparate : vel spiritum contribulatum et cor contritum immolate, *et* sic *introite in atria ejus*, id est in conformitate apostolorum et prophetarum. Domus est Ecclesia; *atria* ejus prophetæ et apostoli. Per hæc *atria* est ingressus ad domum Dei. Hæc *atria* introeunt, qui horum exemplo vivunt. Oblatis hostiis

VERS. 9. *Adorate Dominum in atrio sancto ejus*, id est, colite eum in unione catholicæ Ecclesiæ. Propter multos prædicatores dixit : *Atria*, propter unam fidem *atrium*; hostias oblaturi, et Dominum adoraturi hanc domum intrabunt; terrenis autem adhærentes amori recedunt. Unde sequitur : *Commoveatur a facie ejus universa terra*, hoc est, omnes terrena amantes a conspectu ejus submoventur. *Vel*

omnis terra commoveatur ab infidelitate ad fidem, A a pravis operibus ad bona opera, a silentio ad confessionem, a persecutione ad martyrium. Et vos conversi

VERS. 10. *Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit a ligno*, id est docete in medio gentium, quod Dominus Jesus per fidem obtinuit regnum, subdidit sibi mundum.

Alia translatio habet : *Dicite in nationibus, quia Dominus regnavit a ligno*, subaudi, crucis. Post crucem quippe regnavit per orbem. In ligno paradisi mors pependit; in ligno crucis vita suspensa fuit, quæ peccato mortuos ligno vitæ et regno Patris restituit. Per crucem intelligitur passio Christi. Cum crucem adoramus, passionem Christi, imo crucifixum pro nobis adoramus. Vere regnat : B *Etenim correxit orbem, qui non commovebitur*. Hoc ad illum locum continuatur, ubi scribitur : *Etenim firmavit orbem terræ*, quia in illo titulo terra fundatur, in isto domus ædificatur, in textu utriusque psalmi regnum opificis prædicatur. Orbem, qui erat infidelitate distortus, et male circulatus, *correxit*, id est rectum fecit, et unitate fidei et dilectionis in circulum æternæ coronæ flexit. *Qui* amplius *non commovebitur* de fide ad idololatriam, de rectitudine ad distorsionem injustitiæ.

Nota quod primitus domus ædificatur, deinde hostiis dedicatur, in crucis ligno sanctificatur, deinde orbis muris atrii circumdatur, ad extremum populus fidelis ab infideli de ea separatur. Unde C subditur : *Judicabit populos in æquitate*, id est bonos et malos *in justitia*. Alia translatio habet : *Et gentes in ira sua*, hoc est, *populos* fidelium *judicabit in æquitate* ad æternam vitam, *et gentes* infideles *in ira sua* ad æternam pœnam. Domus ædificata habet laudatores de cœlo, de terra, de mari, dos ejus sunt campi et ligna. Hoc est quod sequitur :

VERS. 11. *Lætentur cœli*, id est angeli per homines restaurati, *et exsultet terra*, id est Ecclesia de terris ad superna levanda.

Aliter : *Lætentur cœli*, id est apostoli, *et exsultet terra*, id est Judæa ab eis compluta.

Commoveatur mare, id est gentilitas de amaritudine infidelitatis ad dulcedinem veritatis : *Et plenitudo ejus*, id est omnes habitantes in ea.

Aliter : *Lætentur cœli*, id est justi de æquitate, qua ad vitam judicabuntur. *Et exsultet terra*, id est peccatores de pœnitentia, qua salvabuntur. *Commoveatur mare*, id est in vitiis amari doleant, et omnes impii, qui eum eis habitant, quia in ira Dei ad supplicium damnabuntur.

VERS. 12. *Gaudebunt campi*, id est in Dei virtutibus floridi, *et omnia quæ in eis sunt*, id est omnes virtutes et bonæ actiones, per quæ æterna præmia in futuro recepturi sunt, *Tunc*, quando Judæi gaudebunt, *exsultabunt omnia ligna silvarum*, id est omnes gentes quæ semper incultæ fuerunt. *Ligna silvarum* sunt, quæ non ædificio, sed igni sunt apta. *Silva* erat gentilitas; *ligna* gentiles; oliva Judæa; rami Judæi. Fracti sunt rami, inserti sunt silvestres oleastri, qui creverunt in ingentes arbores cedrinas et in cypressinas ad ædificationem domus Dei aptas. Ideo exsultant

VERS. 13. *Ante faciem* [Vulg. *A facie*] *Domini, quia venit, quoniam venit judicare terram*, id est omnes habitatores in terra. Bis dixit : *venit*, quia prius *venit* judicari, postea *venit* judicare. Vel *venit* remunerare, *venit* impios damnare. Tunc justi in ædificio domus positi exsultabunt de manifestatione visionis Dei et de judicio, quod tunc faciet. Nam *judicabit orbem terræ in æquitate*, id est fideles in virtutibus circulatos secundum opera sua in justitia remunerabit : *et populos in veritate sua* judicabit, id est peccatores secundum merita sua damnabit. Et tunc *lætentur cœli, et exsultet terra*, quia invitabuntur in gloriam filiorum Dei.

Hunc psalmum festa Dominica sibi vendicant, quia lapides vivi, in eo mirabilia Domini, lapidis angularis, cantant

PSALMUS XCVI.

De laudatione gentium.

Dominus regnavit, exsultet terra, etc. Hic psalmus D sumit materiam de fine præcedentis. In illo namque judicium tangitur, in isto qualiter fiat, describitur. In illo est sancti Spiritus exhortatio, in isto gentium ad domum Dei venientium laudatio. Et quia per primum Christi adventum gentes in domum Dei ædificatæ sunt, et per secundum ejus adventum requiem Domini intrabunt, in hoc psalmo uterque Christi adventus exprimitur. Primus, in quo idololatria destruitur ; secundus, in quo Ecclesia remunerabitur. Hic psalmus in ordine nonagesimus sextus ponitur, qui numerus in duodecies octo dividitur, quia Ecclesia per judicium duodecim apostolorum in domum Domini ad octo beatitudines introducitur. Titulus est :

(VERS. 1.) PSALMUS DAVID, QUANDO TERRA EI RESTITUTA EST (48),

David vir bellicosus gentes in circuitu pugnans

(48) Vulgata : *Huic David, quando terra ejus restituta est.*

subegit, et in suam potestatem redegit; et terram A ab eis possessam injuste, recepit. David, quod dicitur *manufortis*, est Christus, qui fortiter fortem diabolum, et mundum cruce vicit, et *terram*, id est carnem suam in resurrectione recepit, et omnes gentes in circuitu per apostolos expugnavit, et omnem terram suæ ditioni subjugavit. Hic ergo psalmus canitur David, id est Christo in pugna forti, *quando terra* ejus, id est caro ejus in resurrectione *ei restituta est*. Vel Judæa, quæ in passione ejus perierat, post ascensionem ejus *ei restituta est*, quando Spiritu sancto misso apostolis prædicantibus una die tria millia (*Act.* II, 41), altera quinque millia conversi sunt ad Dominum (*Id.* IV, 4). Vel *terra est ei restituta*, quando gentilitas pro Judæa est ei restituta. B

Materia psalmi est laus gentium de utroque Christi adventu. Intentio est demonstrare Christi in incarnatione adventum, idololatriam destructam, Ecclesiam in domum Dei constructam, et nos hortari malum odio habere, Christum diligere, ut possimus cum eo regnare. Verba sumpta sunt de historia, ubi nubes et caligo in monte Sina apparebat, quando totus mons ut ignis ardens fumigabat, fulgura luxerunt, tonitrua crepuerunt, adorantes vitulum confusi sunt, et filiæ Judæ exsultaverunt. Significat autem quod in Ecclesia nubes Christi humanitatis, et caligo Deitatis apparuit; ignis Spiritus sancti effulsit, fulgura signorum luxerunt, tonitrua prædicationum sonuerunt, idololatræ confusi sunt, C animæ Deum confitentium exsultaverunt, quia Christus, lux vera, ortus est justis et rectis corde æterna lætitia. Designat etiam diem judicii, quando caligo et ignis faciem Christi præcedent, et inimicos ejus consument, et lux æterna orietur justis, et perennis lætitia rectis corde.

Psalmus in duas partes dividitur, quia duo Christi adventus, seu duo populi judicandi in eo describuntur. Una pars est: *Dominus regnavit*, in qua uterque Christi adventus exprimitur; altera est: *Audivit, et lætata est Sion*, in qua Ecclesiæ gloria depromitur. Vox est gentium Deum laudantium:

Dominus regnavit, qui in forma servi ante Pilatum stetit, in cruce damnatus cum latronibus pependit, in sepulcro mortuus jacuit, ipse resurrexit, D et Dominus omnium regnavit, idola destruxit, mundum sibi subdidit. Ideo *exsultet terra*, quæ a dominio diaboli est erepta, et vero Domino est restituta. *Lætentur insulæ multæ*, quæ meruerunt Christum regem habere. Per *terram* primitiva Ecclesia de Judæa intelligitur, quæ de regno Christi exsultavit. Per *insulas multas* Ecclesiæ gentium in mare persecutionum positæ accipiuntur, quæ de regno æterni Regis lætatæ sunt. Per quos obtinuit regnum, et expugnavit terram et insulas? Per nubes, id est per apostolos.

VERS. 2. *Nubes et caligo in circuitu ejus. Nubes* sunt prophetæ, *caligo* obscuritas legis. Hæc sunt *in circuitu ejus*, id est Ecclesia, quæ est quasi *in ejus circuitu*, in cujus medio ipse consistit. Hæ *nubes et caligo* Ecclesiam obumbraverunt, dum lex et prophetiæ Christum ei innotuerunt. *Nubes* etiam Apostoli fuerunt, qui terram restitutam doctrina compleverunt. *Caligo* sapientes fuerunt, qui alta intelligentes ea Ecclesiæ aperuerunt. *Nubes* quoque est corpus Dominicum, in quo Sol justitiæ latuit; *caligo* occulta Deitas, quæ oculis carnis non apparuit. *Justitiæ et judicium correctio sedis ejus. Sedes* Christi est Ecclesia, in qua ut rex sedet et regnat. Hujus correctores sunt justi judices. Et postquam hæc sedes per rectores sapientes, justos judices correcta fuerit, Christus rex in ea sedebit. Sed

VERS. 3. *Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus.* Hoc contigit, quando Spiritus sanctus apparuit et omnes gentes in circuitu ei inimicantes in dilectione ejus accendit. Præcessit ignis Spiritus sancti fide et remissione peccatorum; sed Dominus in eis (49) operationem virtutum, et tunc inflammavit *inimicos suos* amore, et illuminavit eos scientia. Et tunc

VERS. 4, 5. *Illuxerunt fulgura orbi terræ*, id est claruerunt miracula universitati terræ. *Fulgura* et tonitrua dicuntur fieri ex collisione nubium, sicut de lapide attrito ignis excutitur. Domino regnante, nubes et caligo surrexerunt, de quibus *fulgura* et tonitrua prodierunt. Nubes prophetæ et apostoli colliduntur, dum per doctores conferuntur. De his tonitrua concrepant, prædicationes scilicet, quæ corda terrificant. De his *fulgura* coruscant, sententiæ scilicet, quæ mentes illuminant. Notandum quod sæpe in psalmis terra *orbis* vocatur, quia forma ejus a geometris rotunda scribitur, et significat, quod Ecclesia, Dei terra, in circulum æternæ coronæ colligitur. *Vidit, et commota est*, scilicet gentes æternæ fidei succubuerunt, et igne, qui faciem ejus præcessit, calefacti in aliam formam, ut cera mutati sunt. *A facie Domini omnis terra*, subaudi, fluxit ut cera, igne sancti Spiritus liquefacta, et in aliam religionem mutata.

In Hebræo habetur: *A facie Domini omnis terræ*, Christus Dominus Jesus est Dominus universæ *terræ*, qui primum omnes fecit, deinde omnes refecit. Per visa *fulgura* mota est terra, quia

VERS. 6. *Annuntiaverunt cœli justitiam ejus*, id est apostoli prædicaverunt Evangelium, et mundum justificari per eum; *et sic viderunt omnes populi gloriam ejus*, id est omnes gentes cognoverunt Deum pro hominibus incarnatum, et humanam naturam per ipsum exaltatam.

VERS. 7. *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, et qui gloriantur in simulacris suis. Sculptilia* sunt, quæ de lapide vel ligno sculpuntur. *Simulacra* vero, quæ de ære vel quolibet metallo funduntur. Qui

(49) Deest aliquid.

hæc pro Deo adorant, *confunduntur, et qui* in his quasi beneficium sibi conferre valentibus *gloriantur*, et Christum verum Deum adorare recusant, quem angeli adorant, ad quos se convertunt. et præ nimia lætitia cantant:

VERS. 8. *Adorate eum omnes angeli ejus. Angeli* Satanæ ab hominibus ut dii adorari voluerunt. Angeli autem Dei homines se volentes adorare, scilicet Josue et Joannem non permiserunt, sed Deum creatorem adorare docuerunt. Hos debent imitari, qui angelis cupiunt coæquari. Hanc fidem gentium *audivit Sion*, id est Ecclesia de Jerusalem, *et lætata est*. « Cum » enim « audissent apostoli, et Ecclesia, quæ erat Jerosolymis, quia Samaria, id est gentilitas, recepisset Verbum Dei, gavisi sunt (*Act.* VIII, 14). » *Et exsultaverunt filiæ Judæ*, id est fideles animæ de Judæis, *propter judicia tua, Domine*, quod non es personarum acceptor, sed judicasti idololatras recipi in regnum tuum. Et propter hoc exsultant quod gentes istud credunt,

VERS. 9. *Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram*, id est, quod tu es potentissimus super omnes gentes. Et quia hoc credunt, quod tu *nimis exaltatus es* in dextera Dei *super omnes*, quos falso venerabantur *deos*, apostoli et fideles alloquuntur gentes :

VERS. 10, 11. *Qui diligitis Dominum, odite malum*. Quidam Judæi facti Christiani voluerunt, ut gentes conversæ legem Moysi et circumcisionem observarent, quibus apostoli dixerunt ne eis grave jugum imponerent, quod nec ipsi, nec patres eorum ferre possent. Et scripserunt gentibus ut a fornicatione et ab idolothyto, et sanguine suffocato abstinerent, et salvarentur (*Act.* XV). Quod æquipollenter hic dicunt. Vos, qui ex gentibus credidistis, et Dominum Jesum amatis, ne diligatis malum. Et si adversa in corpore patimini pro Christo, non curetis, quia *custodit Dominus animas sanctorum suorum*, ne in tribulatione deficiant. *De manu peccatorum*, id est, de manu persecutorum *liberabit eos*, et ad gaudia deducet eos. Vel *de manu peccatoris*, id est, de potestate diaboli *liberabit eos*. Ideo gaudete, quia

VERS. 12. *Lux orta est justo, et rectis corde lætitia*. Christus est *lux* vera animarum et *lætitia* angelorum. Hæc lux justo apparuit, dum Christus, per fidem populo a peccatis justificato innotuit, et recte viventibus æternam lætitiam promisit. Propterea

VERS. 13. *Lætamini, justi, in Domino*, in quo est summa lætitia, et *confitemini memoriæ sanctificationis ejus*, hoc est, laudate eum, quia memor fuit vos sanctificare ab idolis, et sanctis associare in cœlis. Hoc de primo adventu, nunc etiam dicendum de secundo adventu.

(50) VERS. 1. *Dominus* Jesus *regnabit* in Patris gloria, et ipse Rex sedebit judex in judicio : ideo *exsultet terra*, id est Ecclesia de terris vocata ad cœlestia.

A Inde etiam *lætentur insulæ multæ*, id est, omnes Ecclesiæ de mari sæculi ereptæ.

VERS. 2. *Nubes et caligo in circuitu ejus*, id est, valida tempestas : *justitia et judicium correctio sedis ejus*. Non corrigitur, nisi quod prius pravum videbatur. Pravum visum est, quod mali hic florent, boni oppressi sunt. Hoc in judicio per justitiam corrigetur, quia boni ad gaudia, mali ad supplicia judicabuntur.

VERS. 3. *Ignis ante ipsum præcedet*, sicut scriptum est : *Fluvius igneus egrediebatur ante faciem ejus*, qui mundum succendet, et omnium montium altitudinem quindecim cubitis altius transcendet. De quo scribitur : « Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima (*Deut.* XXXII,
B 22). Et *inflammabit in circuitu ejus inimicos ejus*, quia exuret adversarios ejus.

VERS. 4. *Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ*, id est, tunc horribilia tonitrua orbem concutient, et terrifica fulgura terram fiudent. Præteritum autem pro futuro tempore propter certitudinem posuit, quia futurum mutari potest, præteritum nullo modo. *Vidit, et commota est terra*, hoc est, cum terra talia videbit, pertimescet, et contremiscet, et mox convertetur in picem, et sulphur ardens, et perdet impios ex se. Tunc

VERS. 5. *Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini, a facie Domini omnis terra*, quando cœli magno impetu transibunt, et elementa ignis calore solventur. Ideo bis dixit : *A facie Domini*, quia in humanitate apparebit injustis; in Divinitate justis.
C Erit tunc terribilis exspectatio et æmulatio ignis, quæ consumptura est adversarios veritatis.

VERS. 6. *Annuntiaverunt cœli justitiam ejus*, id est, ipsi cœli ab igne dissoluti ostendent justum judicium Dei : *et videbunt omnes populi gloriam ejus*, id est, judicis potentiam. « Videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt (*Apoc.* I, 7). » Tunc

VERS. 7. *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia*, id est, qui coluerunt idola, et qui nunc *gloriantur in simulacris suis*. Et non solum pagani, qui idololatræ fuerunt, sed etiam Judæi et hæretici, qui imaginarium deum colunt, dum incomprehensibilem Deum in imaginem hominis vel alicujus
D rei in corde suo vertunt. Sed et ficti Christiani, qui Deum ventrem colunt, tunc in confusionem ibunt.

VERS. 8. *Adorate eum omnes angeli ejus*, hoc est, in illo judicio adorabunt eum, utpote verum Deum, *omnes angeli ejus*. Hoc *audivit Sion*, scilicet Ecclesia tunc speculans vitam, *et lætata est. Et exsultaverunt filiæ Judæ*, id est, animæ Deum confitentium et laudantium : *propter judicia tua, Domine*, quod oppressos ad gloriam, et oppressores judicasti ad pœnam. Tunc cognoscent,

VERS. 9. *Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram*, id est, quod tu es summus Dominus

(50) Ejusdem psalmi expositio altera.

omnium : *nimis exaltatus super omnes deos*, id est, sublimatus singulari potentia ultra omnes potestates angelorum et sanctorum. Ideo nunc

VERS. 10, 11. *Qui diligitis Dominum*, id est, qui colitis eum, *odite malum*, quia non sufficit malum non facere, nisi etiam odisse. Et sic eritis sancti, et tunc vitam sperate, quia *Custodit Dominus animas sanctorum suorum* a malo; *de manu peccatorum*, id est, dæmonum, *liberabit* eas in judicio. Tunc orietur *lux justo* : alia lux longe melior ac major hac luce, *et rectis corde* æterna *lætitia*, et impii mittentur in tenebras exteriores. Ideo

VERS. 12. *Lætamini, justi*, quod estis *in Domino*, in quo perfruimini summo gaudio, *et confitemini memoriæ sanctificationis ejus*, id est, semper laudate eum, quod memor fuit vos sanctificare.

Ideo festa Dominica hunc psalmum concelebrant, quia ipse magnalia Christi prædicat.

PSALMUS XCVII.

Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit, etc. In alio psalmo *Cantate* hortatus est Spiritus sanctus gentes ad laudem Dei in requiem ejus vocatas, in hoc psalmo *Cantate* admonet Judæos ad laudandum Deum in requiem ejus similiter invitatos. Titulus psalmi est :

(VERS. 1.) PSALMUS IPSI DAVID.

Hoc est : Ista laus canitur populo de Judæis fideli, in persecutione Antichristi *manu forti*. Hic psalmus est nonagesimus septimus. Nonaginta sunt novies decem. In novenario societas angelorum; in denario Vetus Testamentum propter decalogum legis; in septenario exprimitur Novum Testamentum propter septiformem Spiritum. Designat ergo hic numerus, quod populus de lege ad Evangelium conversus denarium vitæ in consortio angelorum per Spiritum sanctum erit habiturus.

Materia psalmi est populus de lege ad Evangelii gratiam conversus. Intentio est conversos de errore admonere, laudibus veritatis insistere, quam noverunt cuique secundum justitiam operum suorum reddere. Verba sumpta sunt de sacerdotibus et levitis, qui Deum laudabant, in tabernaculis, vel in templo musicis instrumentis, et significant eos, qui Deum laudant in Ecclesia voce et bona operatione.

In duo dividitur, quia de Dei laude et hominum scribitur. Una pars est : *Cantate Domino*, quæ Christi magnalia canit, altera : *Jubilate Domino*, quæ populi præconia concinit. Vox est Spiritus sancti vel Eliæ et Henoch hortantium Judæos, ad laudem Dei ad requiem ejus invitatos,

Cantate Domino canticum novum. Hic psalmus illi de gentibus scripto continuatur, quia Synagoga in fine mundi Ecclesiæ de gentibus associatur. Ideo similiter inchoat, quia duos parietes e diverso venientes in uno lapide angulari Christo Jesu conjungendos esse insinuat. O vos, Judæi, qui hactenus in vetustate perdurastis, et tandem aliquando novitatem in Christo induistis, qui nunc novum nomen habetis christianæ religionis, *cantate Domino canticum novum* evangelicæ observationis. Judæi *canticum novum* cantant, dum nova Evangelii præcepta observant. Et jure debetis cantare, *quia mirabilia fecit*. Quæ? *Salvavit* [Vulg. *salvabit*] *sibi dextera ejus, et brachium sanctum ejus*. Christus est Dei *dextera*, quia per ipsum omnia fecit : *brachium ejus* est, quia per ipsum omnia continet. Per *dexteram* quippe opus, per *brachium* accipitur fortitudo. Hæc *dextera sibi salvavit*, dum opus suum, quod perierat, reparavit, quod ad imaginem suam creavit. In hoc *brachium sanctum* et forte et sanguine tactum *sibi salvavit*, dum fortem armatum *sibi* alligavit, et ablata spolia distribuit. Hæc sunt *mirabilia*, quæ *fecit*, quód non solum cæcos illuminavit, leprosos mundavit, mortuos suscitavit, sed etiam morte sua humanum genus a morte suscitavit.

VERS. 2. *Notum fecit Dominus salutare suum*, hoc est, Pater manifestavit Judæis Filium suum, per quem salvat omnes *in conspectu gentium revelavit justitiam suam*, id est, in cognitione gentium notum fecit Filium suum, per quem justificat mundum. Christus vocatur *salutare Dei*, quia per eum mundus salvatur. Ideo *justitia*, quia mundus per ipsum judicatur. In Hebræo scribitur : *In hominem suum*. Non dixit : *ostendit*, sed : *notum fecit*. Novit eum Adam, qui de eo prædixit : « Relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una (*Matth.* XIX, 5). » Novit etiam Abel, qui agnum obtulit; novit Seth, qui eum invocavit; novit Noe, qui omne genus in arca salvavit; novit Abraham, qui filium obtulit. Sed quia postea mundus oblitus eum fuit, dum idola coluit, Dominus Jesum suum *notum fecit*, dum Verbum in carne Judæis misit, et gentibus *justitiam revelavit*, dum eos per fidem ejus justificavit. Quare gentibus revelavit? Propter misericordiam. Quare Judæis notum fecit? Propter veritatem, id est, promissionem suam.

VERS. 3. *Recordatus est* enim *misericordiæ suæ*, hoc est, tandem memor fuit misereri gentibus, quarum tandiu quasi oblitus fuit. *Et recordatus est veritatis suæ*, id est, promissionis factæ *domui Israel*, scilicet quod promisit Abrahæ, quod in semine ejus benedicerentur omnes gentes.

Alia translatio habet : *Memor fuit misericordiæ*

suæ Jacob, et veritatis suæ domui Israel. Quasi Judæorum Dominus oblitus fuit, dum eos in perfidia excæcari permisit. Sed postquam plenitudo gentium intraverit, tunc recordatus misericordiæ suæ miserebitur Dominus Jacob, et Israel salvabitur. *Jacob* dicit propter vulgus; *Israel* propter legis doctores. Postquam omnis Israel salvus fuerit, tunc *viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri,* hoc est, omnes qui inhabitant fines terræ. Ideo

VERS. 4. *Jubilate Domino, omnis terra,* id est, omnes inhabitantes terram gaudio mentis : *Cantate* ei hilaritate vocis, *et exsultate* animo, *et psallite* opere. Hæc figura dicitur omoteleuton, ubi diversa verba in similes sonos exeunt, ut jubilate, cantate, exsultate, psallite.

VERS. 5 et 6. *Psallite Domino in cithara, in cithara et voce psalmi, in tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ.* In quatuor musicis instrumentis jubentur Deum laudare, scilicet *cithara, psalterio, tuba, et cornu,* quia quatuor virtutibus perficitur vita justorum, prudentia, fortitudine, justitia et temperantia. *Cithara,* quæ de inferioribus sonat, est activa vita, quæ proximis in corporalibus ministrat, et hæc ad justitiam spectat. Propterea bis *cithara* dixit, quia est justitia, quæ hominibus sua reddit, et est justitia, quæ Deo sua tribuit. *Psalterium,* quod de superioribus resonat, est contemplativa vita, quæ Deum in spiritalibus laudat; et hæc prudentiæ militat. *Tuba ductilis,* quæ malleis ex argento tunditur, est doctorum vita, quæ tunsione tribulationis apta efficitur sonoritati prædicationis; et hæc temperantiæ congruit. *Cornu* ponitur pro regno vel pro fortitudine. *Tuba cornea* est principum vita, quæ potentia super alios erigitur, sicut cornu supercrescens carnem attollitur; et hæc fortitudinem respicit. Ergo *in cithara* psallunt Domino, qui in activa vita pro Domino proximis serviunt. Iterum *in cithara* laudes resonant, qui carnem pro Domino castigant. *In voce psalmi,* id est, in psalterio jubilant, qui in contemplativa vita Deum laudant, et aliis

A bona prædicant. *In tubis ductilibus* laudes personant, qui Deum in tribulationibus prædicant. In *voce tubæ corneæ* Deo cantant, qui contra vitia dimicantes voce et opere proximos a malis defendunt. His instrumentis, o Judæi, Deum laudate, si vultis cum illo regnare. *Jubilate in conspectu regis Domini,* hoc est, laudate Deum, eo quod fide conspicitis eum, qui est Rex et Dominus omnium. Ideo

VERS. 7. *Moveatur mare et plenitudo ejus,* id est, lex et legales observantiæ de carnali intellectu in spiritalem. Moveatur etiam *orbis terrarum, et qui habitant in eo,* de malis operibus ad pœnitentiam, ut possint Christo advenienti occurrere obviam. Vel *orbis terrarum moveatur,* id est, in meliorem statum mutetur, et homines, *qui habitant in eo,* mutentur

B in æqualitatem angelorum Dei. Hic locus illi continuatur, ubi scribitur : « Lætentur cœli, et exsultet terra, commoveatur mare, et plenitudo ejus : gaudebunt campi, et omnia, quæ in eis sunt (*Psal.* xcv, 11, 12), » quia Judæi gentibus in fide Christi conjuncti erunt. *Mare moveatur,* id est peccatores vitiis amari, a facie Domini;

VERS. 8, 9. *Flumina* autem simul *plaudent manu. Flumina* sunt sapientes de fonte vitæ repleti, in alios doctrina fluentes. Hi *manu* simul *plaudent,* dum prædicantes simul bonum peragunt opus. Manibus enim plaudere est bonum opus hilariter agere. *Montes exsultaverunt* [Vulg. *exsultabunt*] *a conspectu Domini,* id est, prælati in Judæis gaudebunt a co-

C gnitione Dei, et de hoc, *quoniam venit judicare terram,* id est, bonos et malos pro terrenis factis. Post Antichristi quippe persecutionem et Judæorum conversionem veniet Dominus ad judicium, et *judicabit orbem terrarum in justitia,* hoc est, eos, qui ex terra facti sunt orbis, id est, perfecti, in circuitu æternæ coronæ correcti, juste remunerabit; *et populos in æquitate,* scilicet falsos christianos et hæreticos et infideles secundum æquitatem damnabit.

Hic psalmus ideo in festis Dominicis cantatur, quia virtus Domini in eo multiplex prædicatur.

PSALMUS XCVIII.

Dominus regnavit, irascantur populi, etc. Præcedens psalmus continet Spiritus sancti exhortationem, iste vero Judæorum laudationem. In alio psalmo : *Dominus regnavit,* gentes vocatæ Deum laudant, in hoc psalmo Judæi invitati ad fidem Christo jubilant. Titulus psalmi est :

VERS. 1. PSALMUS (51) DAVID.

Hoc est : Ista laus canitur Christo *desiderabili* a populo fideli et *forti.* Hic psalmus est nonagesimus octavus, quod sunt septies quatuordecim. Per septe-

D narium plenitudo temporis, per denarium decalogus legis, per quaternarium quatuor Evangeliorum observantia exprimitur. Designat autem, quod, postquam plenitudo gentium intraverit Israeliticus populus de lege ad Evangelium transibit, et sic salvus erit.

Aliter : Per septem requies, per quatuordecim generatio Christi innuitur, quia genealogia ejus per ter quatuordecim generationes contexitur, et Deus septima die requievisse legitur. Designat hic nume-

(51) Vulg. addit : *Ipsi.*

rus, quod Judæi per fidem Christi de se generati æternam requiem intrabunt.

Materia psalmi est laus Judæorum ad fidem conversorum. Intentio est demonstrare Christum Deum et Dominum esse omnium, et hunc laude dignissimum. Verba videntur sumpta de laude Levitarum Deo in templo canentium, et significat Judæorum laudem Deo in Ecclesia jubilantium.

In duas partes secatur, quia in eo humanitas Christi et Divinitas prædicatur. Una pars est : *Dominus regnavit*, in qua Christi regalis honor exprimitur; altera : *Exaltate*, in qua humanitas ejus adoranda depromitur. Vox Judæorum Deum pro beneficiis ejus laudantium :

Dominus regnavit. Tres psalmi habent idem principium. *Dominus regnavit, decorem indutus est. Dominus regnavit, exsultet terra. Dominus regnavit, irascantur populi*, et videntur retrogradi. Debuit enim in primis posuisse : *Dominus regnavit, irascantur populi*; demum : *Dominus regnavit, exsultet terra*, ad ultimum : *Dominus regnavit, decorem indutus est*. Sed, ut sæpe dictum est, iste liber spiritalis est, et proprium ordinem sequitur, et semper a potiori inchoat, et in inferiori verba consummat. A regno sumit exordium, quod in rebus est potissimum : a regibus decor et fortitudo induitur, unde fit et ipsis et amicis exsultatio, et sequitur invidorum ira. Dominus populum Hebræorum de mundo elegit, in quo regnavit; decorem induit, quia patriarchis et prophetis quasi pretiosa veste se circumdedit; fortitudinem induit, quia judicibus et regibus quasi præclaris armis se præcinxit. Deinde gentes elegit, et in his regnavit, unde terra exsultat, et omnes insulæ maris lætantur. Omnis terra quasi insula, quæ oceano est, undeqnaque circumdata. Porro Ecclesiæ ideo insulæ dicuntur, quia inter amaros positæ hinc inde fluctibus tribulationum tunduntur. Adhuc Judaicam gentem convertet, et in hac regnum constituet; et tunc *irascentur* populi Antichristo subjecti. Ideo hic psalmus sicut alter inchoat, quia Judæos in laude Christi gentibus associandos denuntiat, *Dominus*, qui mortem devicit, mundum redemit, *gentes* subegit, Judæos inimicos suos fidei subjecit, ipse in omnibus *regnavit. Irascantur populi*, hoc irrisorie dicitur. De regno Christi *irascantur populi* nil nocituri, quia, velint nolint, ubique regnat, cui olim dixerunt perfidi : « Nolumus hunc regnare super nos (*Luc.* XIX, 14), » quem nunc adorant subditi. Ille Dominus regnat, *qui sedet super Cherubim*, id est, super omnem altitudinem angelorum. In hoc Christus notatur, qui cœlos ascendens super omnes ordines angelorum in dextera Dei Patris exaltatur. *Cherubim* namque est de summis ordinibus angelorum, et interpretatur *plenitudo scientiæ*, et significat plenos dilectione, quos sibi specialiter quasi sedem supposuit, in quibus requiescit. Vel tu, Domine, qui sedes super Cherubim, id est, in justis regnas *moveatur terra*, id est, quantumcunque velint, indignentur terrena appetentes ut Julianus et alii tales. De regno æterni Christi, quo in Judæis et gentibus fidelibus regnabit, infideles populi sub Antichristo irascuntur, et omnis terra in persecutione commovetur. Sed fideles de Judæis dicunt : Quæ cura deest?

VERS. 2. *Dominus* Jesus, qui fuit *in Sion*, id est, in Jerusalem, ipse est *magnus*, hoc est, valde potens, *et excelsus super omnes populos* iratos et commotos, potens est illos reprimere, nos erigere; illos humiliare, nos exaltare. Nunc convertunt se ad ipsum dicentes : Hi populi contra te irati, ac subjugati.

VERS. 3 et 4. *Confiteantur nomini tuo magno*, id est, laudent nomen tuum, quod est Dominus, sicut et nos dicentes, quod sit magnum super omne nomen, et sit potens facere omne, quod vult : *Quoniam terribile est* peccatoribus in judicio; *et sanctum*, id est, suave est justis. *Et honor regis judicium diligit*, id est, ille Rex, qui ubique regnat, inde honoratur, quod malos damnat, justos remunerat. Vel confessio Regis Christi exigit hoc *judicium*, ut quisque se accuset de peccatis, et ea pœnitendo damnet; deinde nomen ejus honoret bene operando. *Tu parasti directiones*, hoc est, tu, Domine, præparasti illis correctionem, emendationem. *Judicium et justitiam in Jacob tu fecisti*, quia illum populum juste exeæcasti, et nunc per gratiam illuminasti. Similiter induratos per justitiam, si conversi fuerint, recipies per gratiam. Ideo

VERS. 5. *Exaltate Dominum Deum nostrum*, hoc est, o populi, nolite irasci, sed suscipite regnum Dei, et credite eum super omnia exaltatum verum Deum et Dominum nostrum. *Et adorate scabellum pedum ejus*, id est corpus Dominicum, quoniam *sanctum est*, id est innocens et repletum abundantia omnium virtutum. Per *pedes* intelligitur Divinitatis stabilitas, per *scabellum* humanitas, super quam Deus sedit, et inter homines ambulavit. Nota quod jubenturDeum exaltare, scabellum adorare, quia, qui humanitatem Christi adoravit, hunc Divinitas exaltabit. Vox est Judæorum credentium ad incredulos : Adorate Christum Divinitatis scabellum : quoniam

VERS. 6. *Moyses* legislator, inter Deum et homines mediator, deus Pharaonis et dux populi eum adoravit, et ipsi sacrificavit. *Samuel* etiam maximus prophetarum et unctor regum eum adoravit, et eum invocavit. Adorate et invocate eum, quia *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus* invocabant eum, non alium, *et Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus*, invocavit eum. Hi patres propter majorem auctoritatem ponuntur : et quia hi soli pro inimicis orasse leguntur, ut horum exemplo Deum pro inimicis invocent, et se exaudiendos sciant. Moyses dicitur *assumptio*; Aaron *mons fortitudinis*; Samuel *nomen ejus Deus*, et intelligitur Christus de Verbo Dei assumptus, qui est Ecclesiæ *mons fortitudinis*, cujus *nomen est Deus*, et hic est adorandus. Patres nostri

invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos, fecit quodcunque eum rogabant, et

Vers. 7, 8. *In columna nubis loquebatur ad eos. Columna nubis* præcessit Hebræos. In hac Deus populo apparuit, et de hac facienda imperavit. Columna pro fortitudine et decore in domo ponitur et ædificium per eam fulcitur. Humanitas Christi est *columna nubis*, qua machina Ecclesiæ sustentatur, et domus Dei egregie decoratur. *In* hac *columna* Deus fidelium populo *loquebatur*, quia « Deus erat in Christo reconcilians mundum sibi (*II Cor.* v, 19). » Deus *loquebatur* olim per columnam nubis patribus, sive per Christum fidelibus, et ipsi *custodiebant testimonia ejus*, id est, credebant promissiones ejus, *et præceptum, quod dedit illis*, observabant, scilicet mandatum dilectionis, de quo dixit : « Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos (*Joan.* xv, 12). » Hoc præceptum ipsi custodierunt, dum etiam pro inimicis ut Moyses et Samuel oraverunt, et *tu, Domine Deus noster*, non alius, *exaudiebas eos* orantes pro inimicis. *Deus, tu propitius fuisti eis* remittens peccata, et parcens reis propter eorum preces, *et ulciscens in omnes adin-*A *ventiones eorum*, hoc est, puniens peccata eorum. Adinventio est insoliti facti præsumptio. Deus gentes pro peccatis non punivit, quia eas gehennæ ignibus reliquit; Hebræorum autem præsumptiones semper vindicavit, quia eos ad vitam purgavit; flagellat enim Deus omnem filium, quem recipit; quos autem non curat castigare, negligit. Ideo

Vers. 9. *Exaltate Dominum Deum nostrum*, id est adorate super omnia exaltatum Deum patrum nostrorum; *et adorate in monte sancto ejus*, id est in corpore ejus sanguine tacto, a patribus adorato; *quoniam sanctus* est ille mons, sanctificans omnes in se credentes, et ipse est *Dominus Deus noster*, Deus est homo, et ideo ab omnibus invocandus et adorandus, qui se invocantes salvat, et se non adoB rantes damnat.

Notandum quod sæpe in psalmis aliqui versus similes in verbis, sed dissimiles intellectu scribuntur, sicut in regio ornatu ejusdem coloris, sed diversi generis gemmæ ponuntur. Hunc quoque psalmum festa Dominica frequentant, quia ipse facta Christi prædicat.

PSALMUS XCIX.

Jubilate Deo, omnis terra, etc. Hic psalmus est de laudatione totius Ecclesiæ. Titulus est :

(Vers. 1.) Psalmus in confessione.

Id est in laude. In Hebræo legitur : *Canticum in gratiarum actione*. Ecclesia namque in hoc psalmo Deum laudat, et gratias agit, quod ei Synagoga in fide conjuncta, Christo concinit. Hic psalmus est nonagesimus nonus, qui numerus innuit, quod hi, qui laudant Deum in fide Trinitatis, conjunguntur angelis in cœlis.

Materia ejus est laus Ecclesiæ. Intentio est fideles ad laudem Christi hortari, si cupiant angelis coæquari. In duas partes dividitur, quia Ecclesia in duos populos partitur. Una pars est : *Jubilate Domino*, in qua laus Ecclesiæ gentium canitur, altera est : *populus ejus*, in qua laus Ecclesiæ de Judæis depromitur. Verba sumpta sunt de cantoribus templi, qui designant in Ecclesia laudatores Christi, et in futuro laudabunt in sæculum sæculi. Vox doctorum ad Ecclesiam de gentibus :

Vers. 2. *Jubilate Domino* [Vulg. *Deo*] *omnis terra*. O fideles, qui de *omni terra* ad fidem Christi, convenistis, *Domino* vero *jubilate*, id est cum mentis jucunditate in omnibus gratias agite. Et a dominio diaboli erepti huic *Domino servite in lætitia*, id est bene operamini cum hilaritate. Jubilatio ad contemplationem; servitus pertinet ad actionem. *Introite in conspectu ejus in exsultatione*, id est non C de exterioribus, sed intro interius cubiculum ite, et *in conspectu* Dei de spiritalibus exsultate.

Vers. 3. *Scitote quoniam Dominus* Jesus *ipse est Deus*, non alius; *ipse fecit nos* primo corporaliter, secundo in nova creatura spiritaliter, *et non ipsi nos fecimus*. Pater ut agricola seminavit, mater ut terra semen recepit, Deus incrementum dedit. Et cum ipse sit creator, jure a creatura laudatur. Sequitur admonitio doctorum ad Ecclesiam de Judæis. Non solum de gentibus, sed etiam de Judæis fideles, qui facti estis per fidem *populus ejus*, et ipse Rex noster, *et oves pascuæ ejus*, scilicet sacræ Scripturæ, vel paradisi, et ipse pastor noster,

Vers. 4, 5. *Introite portas ejus*, scilicet fidem, baptismum *in confessione* peccatorum vel laudis, *et* D *introite in atria ejus*, scilicet prophetas et apostolos, imitantes eos in ampla dilectione; *in hymnis confitemini illi*, hoc est, gratias de omnibus illi agite, et omnia ei ascribite. *Laudate nomen ejus, quoniam suavis est Dominus*, et non servili timore hoc abhorrete, sed casto timore esurite. *Quoniam suavis est Dominus*, non asper nec amarus, sed esurientibus. *In æternum misericordia ejus*. Conversis et se laudantibus non deficiet, sed semper integra manet. *Et usque in generationem, et generationem veritas ejus*, id est veritas promissionum ejus completur *in generatione* fide renascentium, et complebitur *in generatione* resurgentium. *In* ista *generatione*

dabitur remissio peccatorum; *in illa generatione* dabitur incorruptio corporum et æqualitas angelorum.

Ideo hic psalmus post : *Dominus regnavit*, cantatur ad Laudes, quia, postquam Christus regnavit a ligno crucis, omnis terra ei jubilavit.

PSALMUS C.

De Judicio.

Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine, etc. Quinquagesimus psalmus canit pœnitentiam, hic vero centesimus misericordiam, quia præmium vitæ in judicio reportabunt, qui fructum centesimum pœnitentiæ attulerunt. Et apte hic psalmus post præcedentem ponitur, in quo gratiarum actio Ecclesiæ pro conversione Judæorum scribitur, quia mox post fidem Judæorum judicium ultimum sequetur. Ideo in centesimo loco computatur, quia ovis centesima in judicio per misericordiam pii pastoris superno gregi consociatur. Titulus psalmi est :

(VERS. 1, 2.) PSALMUS IPSI DAVID.

Hoc est : Ita laus bonæ operationis attribuitur ipsi Christo victori, judici, aspectu delectabili. Materia sunt Ecclesiæ merita in judicio remuneranda. Intentio est, nos hortari a malo declinare et bonum facere, ut possimus misericordiam in judicio invenire. Verba sunt sumpta de regimine David, qui regnum Israel bene rexit, malos odio habuit, bonos dilexit : et significat regimen Christi, qui Ecclesiam bene regit, malos odit, bonos diligit.

Duas habet sectiones, quia actio Ecclesiæ habet divisiones, scilicet mala devitare, bona agere. Una pars est : *Misericordiam et judicium*, in qua septem notantur declinanda, altera : *Oculi mei*, in qua sex memorantur facienda. Vox est Ecclesiæ :

Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine. Misericordiam de præsenti, *judicium* de futuro canitur. O Domine, Trinitas cum jucunditate annuntiabo aliis *misericordiam* tibi adscribendam, quam exhibes hic pœnitentibus, *et judicium*, quod ostendis in duritia cordis permanentibus. Nam istis gaudia, illis dabis supplicia. *Psallam, et intelligam in via immaculata*, hoc est, quia judex es justus, operabor bonum abstinens a malo. *Cantabo* pertinet ad contemplationem, psallere ad actionem. *Via immaculata* est innocentia. Innocentia vera est, quæ nec sibi, nec alteri nocet, quoniam *qui diligit iniquitatem, odit animam suam* (*Psal.* x, 6). Et nemo non prius in se, quam in altero peccat. In hac *psallam* bene operando, et *intelligam, quando venies ad me*, id est quando remunerabis me.

Aliter : *Psallam*, et innocens ero, *et intelligam* te præmia pro hoc redditurum. O sponse, *quando venies ad me*, ut me sponsam tuam de Babylone educas, et in Jerusalem civitatem introducas? Nunc viam immaculatam exponit.

Perambulabam in innocentia cordis mei, hoc est, non solum abstinui a prava actione, sed etiam a mala cordis cogitatione. Et hoc *in medio domus meæ*, id est in communi omnium habitantium, *in domo* Ecclesiæ. Hinc merita sua enumerat, pro quibus cœlestia sperat. Et primitus septem ponit cunctis devitanda; deinde sex omnibus agenda. Declinanda sunt hæc : Injustæ rei imitatio, legis prævaricatio, murmuratio, malignitas, detractio, superbia, cupiditas. Hoc est, quod dicit :

VERS. 3, 4. *Non proponebam ante oculos meos rem injustam*, id est non proposui ante oculos cordis mei malum facere, nec facientes imitari, vel facientibus consentire. *Facientes prævaricationes odivi*. Et parentes et cognatos et amicos legem tuam prævaricantes odio habui, non tamen homines, sed eorum errores. *Non adhæsit mihi cor pravum*, id est mala voluntas murmurantis, vel pravum consilium alicujus non invenit in me sibi consentaneum. Murmuratores et prava consilia machinantes non fuerunt mei consortes. *Declinantem a me malignum non cognoscebam*, hoc est dissentientem maligne a proposito meo ita devitabam, quasi non agnoscerem. Vel hæreticum pravo dogmate a me declinantem, et maligne agentem ita abhorrebam, ut ignotum.

VERS. 5. *Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar*, id est qui in occulto fratri derogavit, et discordiam seminavit, hunc ut hostem impugnabam. Pejus peccat detrahens, quam fornicans, hic enim se solum occidit; ille autem se et proximum. Mali non solum devitandi sunt, ut confundantur; sed etiam persequendi, ut corrigantur.

In Hebræo habetur : *Hunc interficiebam*, quia detractores gladio linguæ propriæ occiduntur.

Superbo oculo et insatiabili corde, cum hoc non edebam, hoc est, cum superbis et cupidis non comedi. Omnis superbus vel cupidus est invidus, quia, dum solus potens vel dives vult videri, alienis bonis cruciatur, et alienis malis pascitur. Cum talibus convivium invidiæ non inii; imo tales in tantum exsecrabar, quod eos in prandio meo non patiebar. Unde præcepit Scriptura, nec cum hujusmodi cibum sumere (*I Cor.* v, 11). In oculis maxime superbia notatur, quia superbi, qui se aliis digniores arbitrantur, alios vel aspicere designantur. Cupiditas autem cordi ascribitur, quia cor Deo vacuum caducis rebus non satiatur. Hæc duo vitia præ aliis sunt notabilia, quia omnibus sunt pejora. « Initium enim

omnis peccati superbia (*Eccli.* x, 15), » et « Radix A omnium malorum cupiditas (*I Tim.* vi, 20). » Per illam angelus de cœlo cecidit; per istam homo de paradiso corruit. Ex his duobus quasi ex fontibus diaboli omnia mala procedunt, et miseros ad tormenta pertrahunt. Hæc omnia, quæ dicta sunt, non solum sunt devitanda, sed etiam odio habenda et persequenda. Sequuntur sex facienda, scilicet fidelitas, castitas, humilitas, prædicatio, sancta conversatio, in malos impugnatio. De his subditur :

Vers. 6. *Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum,* hoc est, intentio mea non erat ad nobiles et divites sæculi, ut eos populo tuo præponerem; sed *ad fideles* Ecclesiæ, ut eos prælatos et rectores constituerem, qui mecum in judicio sederent, et populum tuum juste judicarent. *Ambulans in via imma-* B *culata, hic mihi ministrabat,* id est non impudicos, sed castos et innocentes ministros altaris ordinatam.

Vers. 7. *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam,* hoc est publice peccantes, et hoc superbe defendentes non commanebant publice mecum in communione, quia excludebam eos a sacramentis, et a domo Ecclesiæ; humiles autem et obedientes erant mei concives. *Qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum,* id est adulator, iniquis verbis placere cupiens, *non direxit* se in beneplacito meo. Vel vaniloqui non placuerunt oculis meis, ut essent nuntii mei, scilicet prædicatores et bona persuadentes.

Vers. 8. *In matutino interficiebam omnes pecca-* C *tores terræ,* id est in bona operatione, quæ est quoddam mane æterni diei, omnia peccata terrenitatis meæ occidi, et meo exemplo omnes peccantes, et terrena tantum appetentes annihilavi. *Ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem,* hoc est verbis et factis iniquos impugnavi, ut eos de iniquitate ad æquitatem converterem, aut de Ecclesia penitus segregarem.

Hæc etiam judici Christo congruunt : *Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum,* hoc est apostolos et alios fideles de terra elegi, ut sedeant mecum judices in judicio : *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat,* id est immaculati ministri mei erunt illic, ubi ego ero. Qui immunditia se maculant, Christo non ministrant : qui ea, quæ sua sunt, quærunt, Christo non serviunt, et ideo cum Christo non erunt. *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam.* Nullus, qui facit mala opera, quæ de superbia descendunt, habitabit in domo mea cœlesti Jerusalem. *Qui loquitur iniquitatem, non direxit in conspectu oculorum meorum,* hoc est non solum male operantes, sed etiam inique loquentes in conspectu meo non erunt, id est faciem meam non videbunt. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.* Præsens vita est quasi nox, æterna vita quasi dies, cujus mane est dies judicii. In hoc *matutino* interficiet Dominus gladio oris sui omnes peccatores terræ, scilicet terrena appetentes, dicens : « Discedite a me, omnes operarii iniquitatis (*Luc.* xiii, 27). » *Ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Tunc hœdos ab agnis, zizania a tritico, paleas a granis separabit, et de civitate cœlestis Jerusalem, et de societate sanctorum cum diabolo et angelis ejus in æternum ignem præcipitabit.

Nota ordinem decimæ decadis ad denarium vitæ pertinentis. Primus psalmus canit opera Christi, quæ ante passionem in carne positus gessit, quando palmas et cedros ad domum ædificandam plantavit. Cujus titulus *Sabbati* meminit, quo ab operibus requievit. Secundus psalmus ea facta Christi refert, quæ post resurrectionem fecit, quando terram ad ædificium domus fundavit, et flumina ad irrigandum eam fons vitæ emersit. In tertio luminaria ejus formantur, et habitatores ordinantur. In quarto gentes et Judæi ad requiem Christi in domum ejus vocantur. In quinto gentes vocatæ ad laudem opificis Christi hortantur, et de his quasi vivis lapidibus domus ædificatur. In sexto gentes jam ædificatæ in domum Domini laudes resonant, quo se terram in paradiso amissam Christo restituunt. In septimo Judæi invitati ad laudem Christi admonentur, et gentibus in domo Dei coædificantur. In octavo Judæi laudes Christo personant. In nono tota Ecclesia ei gratiarum actionem jubilat. In decimo Christus de domo sua malos separat, et bonos pro meritis remunerat.

PSALMUS CI.

Domine, exaudi orationem meam, etc. Hic est D psalmus unus de septem pœnitentialibus, in quibus notatur remissio septiformis Spiritus. Ideo quintus ponitur, quia Christi passio in eo describitur, per cujus quinque vulnera homo a peccatis remittitur. Primus psalmus pœnitentialium Spiritui timoris, secundus Spiritui pietatis, tertius Spiritui scientiæ, et quartus Spiritui fortitudinis, hic quintus Spiritui consilii ascribitur, quia per angelum magni consilii Christum humanum genus a morte liberatur, quod in hoc psalmo narratur. Hic apte post illum primum ponitur, in quo judicium describitur, quia per pœnitentiam homo judicii sententiam evadet. Hic pœnitentibus bene congruit, quia cinerem tanquam panem edendum, et potum cum fletu miscendum edicit. Hic psalmus est centesimus primus, quod sunt decies decem et unum, et significat quod decem præcepta legis implentibus repromittitur

vitæ denarius, quod est unus Deus. Titulus psalmi est : VERS. 1. ORATIO PAUPERIS, CUM ANXIATUS FUERIT, ET CORAM DOMINO PRECEM SUAM EFFUDERIT (52).

Hoc est . Ita *oratio* est Domini Jesu qui, cum esset dives in gloria Patris, pauper factus est pro nobis, id est mortalis, id est passibilis ; oratio, dico, habita, *quando anxiatus fuit*, id est quando de perditione humani generis doluit, *et effudit precem suam coram Domino*, Patre suo, in monte Oliveti, quando tristatus usque ad mortem factus in agonia prolixius oravit, et sudor ejus sicut sanguis in terram cucurrit.

Materia est humani generis miseria et Christi pro eo oratio vel passio. Intentio est ostendere hominem per solam gratiam Christi salvari, et nos ad orationem et pœnitentiam hortari. Verba sumpta sunt de Adam, cujus os carni adhæsit, cum costam B ejus Deus in feminam ædificavit, et carnem pro ea replevit. Et significat quod virtus Dei, scilicet verbum caro factum carni adhæsit, Ecclesiam de corpore suo ædificavit.

Hic psalmus in tria dividitur, quia in eo tria genera hominum sub genere trium avium notantur. Prima pars est : *Domine, exaudi*, in qua oratio pœnitentis ponitur. Secunda : *Percussus sum sicut fenum*, in qua miseria humani generis defletur. Tertia : *Tu autem, Domine*, in qua hominis reparatio per Christum exponitur. Vox est humani generis in Christo. Miseria totius humani generis hic deploratur, ut judex ad misericordiam flectatur, et ædificatio cœlestis Sion de vivis lapidibus decantatur. Christus C cum sit unus ex hominibus, loquitur pro omnibus hominibus. Ipse judex, ipse advocatus, ipse mediator, ipse mundi reconciliator :

VERS. 2. *Domine, exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat.* Humanum genus per Christum in monte anxium oravit, per ipsum in cruce clamavit : O *Domine* Pater, *exaudi orationem* meam, quam pro humano genere ego homo fundo, quod in miseria anxiatur ; *et clamor meus ad te veniat*, ut de miseria eripiatur. Oratio est petitio etiam cum parva intentione. Unde Moysi dicitur : « Quid clamas ad me (*Exod.* XIV, 15) ? » cum nihil dixisse legatur. Christus in monte Oliveti pro hominibus oravit, in cruce pro eis clamavit.

VERS. 3. *Non avertas faciem tuam a me*, filio tuo, D orante, sicut avertisti ab Adam peccante. Facies Dei cognitio ejus. Homo in paradiso quodammodo faciem Dei vidit, quia plurimum ejus notitiæ habuit. Quo peccante Deus *faciem* suam ab eis avertit, quia ei cognitionem sui subtraxit. Unde nunc orat ut hanc in se credentibus reddat. *In quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.* Hoc humanum genus in Christo orat. Ex quo homo a paradiso cecidit, omnibus diebus in tribulatione fuit. Unde oportet, ut omnibus diebus Deum pro tribulatione invocet, ut aurem misericordiæ ad eum inclinet. Similitudo est a medico ad infirmum se inclinante, qui non valet vocem exaltare. Deus homini aurem inclinavit, dum Christus in cruce in mortem se humiliavit. *In quacunque die invocavero te, velociter exaudi me.* Christus in die passionis Patrem pro salute hominum invocavit, qui *velociter* eum exaudivit, dum homines per eum reparavit. *Exaudi me :*

VERS. 4. *Quia defecerunt sicut fumus dies mei.* Hæc est vox humani generis in Christo. Dies hominis in paradiso æterni fuerunt, in hoc mundo instabiles ut fumus facti sunt. Quia sicut fumus in altum surgens evanescit, sic tempus vitæ hominis de pueritia in juventutem, inde in senectutem excrescens, inde in mortem vergens deficit. *Et ossa mea sicut cremium aruerunt. Ossa* animæ sunt rationalitas et liberum arbitrium, quæ post peccatum ita in homine debilitata sunt, *sicut cremium* amittit vires extracto succo in frixorio. Unde alia translatio habet : *Sicut in frixorio confrixa sunt.* Rationalitas *aruit*, quia perspicacitatem, quam prius habuit, amisit ; liberum arbitrium *aruit*, quia eam facilitatem non habet, quam prius habuit. Ad litteram etiam ossa exsiccata medulla arent in sepulcro, sicut cremium extrusa pinguedine aret in frixorio. Hoc ideo, quia

VERS. 5. *Percussus sum ut fenum, et aruit cor meum.* Omnis caro fenum, unde Christus sumpsit corpus humanum. Et ideo *ut fenum* est *percussus*, id est ut alius homo, doloribus. Sicut fenum ad tempus viret, et falce sectum mox aret, sic homo modico tempore floret, percussus infirmitate languet, sectus morte cor arescet, quia sensum et intelligentiam amittet. Cur ergo hoc contigit ? *Quia oblitus sum comedere panem meum. Panis* animæ est mandatum vitæ. *Panem* Deus dedit homini ad manducandum, dum ei præceptum vitæ posuit ad observandum. Dum enim dixit, hoc observate, ne moriamini, erat æquipollens, quasi diceret : Hunc panem comedite, ut vivatis. Hunc suum *panem oblitus* est homo comedere, dum non fuit sollicitus præceptum Domini observare : oblitus præceptum tetigit vetitum, oblitus manducare panem bibit venenum, unde percussum est cor ejus, et aruit sicut fenum. Hoc fenum Christus induit, in panem convertit, hominem percussum a serpente, et arefactum morte refecit. Sequitur :

VERS. 6. *A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ.* Vox gemitus hominis erat vox diaboli, quæ dixit : Comedite, et eritis sicut Dii. Et quia hanc vocem audivit, gemitum doloris et mortis incidit. *Os* dicitur fortitudo virilis, *caro* infirmitas muliebris. *A voce gemitus os carni adhæsit*, dum persuasu diaboli vir mulieri consensit. De osse quippe Adæ facta est Eva, et caro reposita est pro eo. Hoc *os carni adhæsit*, dum de paradiso ejectus feminæ se per concupiscentiam commiscuit. Si enim in paradiso permansissent, sine concupiscentia et sine dolore et sorde filios procrearent. Sed quia vocem

(52) Vulgata : *In conspectu Domini effuderit precem suam.*

diaboli audierunt, per concupiscentiam bestiali more coeunt, in dolore et gemitu pariunt, natos ut bestiæ catulos nutriunt, dolore et gemitu in terram moriendo redeunt. Hæc etiam vox Christi est : *A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ.* Os Christi fuit Deitas, quæ carni adhæsit, cum verbum carnem induit propter vocem gemitus humani generis in miseria ad Deum clamantis. *Os* etiam *carni adhæsit*, dum Christus fortis Ecclesiæ se conjunxit.

VERS. 7, 8. *Similis factus sum pelicano solitudinis. Pelicanus* est avis Ægyptia grandis ut ciconia, naturali macie semper confecta, cujus sunt duo genera, unum semper in stagnis moratur, et piscibus vescitur, quod Latine onocrotalus dicitur. Alterum semper est in solitudine, et esca ejus sunt venenata animalia id est serpentes, crocodili et lacertæ. Hæc avis fertur natos suos occidere, eosque per triduum lugere, tertia die se ipsam vulnerat, et aspersione sui sanguinis pullos vivificat. Dicitur autem *pelicanus solitudinis* ad differentiam illius, quæ moratur in stagnis. Huic avi Christus similis factus est, quia solus de virgine natus, qui quasi venenata comedit, dum peccatores in corpus suum trajecit. Quasi natos occisos aspersione sanguinis resuscitavit, dum homines in peccatis mortuos effusione proprii cruoris vivificavit.

Factus sum sicut nycticorax in domicilio. Nycte dicitur nox, *corax* corvus, *nycticorax* dicitur noctis corvus, quam quidam bubonem, quidam noctuam vocant, quæ tantum tenebras amat. Huic avi Christus similis factus est, scilicet passionibus ut peccator denigratus, tenebras (amans), id est peccatores, non ut tenebræ remaneant, sed ut lux, id est justi fiant. *Domicilium* est, ubi destructa domo tantum parietes remanserunt. Unde in Hebræo habetur : *In parietinis*, in quibus habitat nocticorvus. Domicilium erat populus Judæorum destructus interius a turba dæmonum. In hoc domicilio Christus sicut *nycticorax* est factus, quia in cordibus Judæorum ut peccator est reputatus. *Nycticorax* per noctem tantum volitat, et Christus per mortem tantum peccatores liberat. Vel *factus sicut nycticorax in domicilio*, quando dormivi conturbatus in sepulcro.

Inde *vigilavi*, quia a morte surrexi, *et factus sum sicut passer solitarius in tecto. Passer*, se ab aliis avibus separat, et in tecto domus vel altis et firmis locis habitat. Domus est mundus, *tectum* est cœlum. Christus factus est *sicut passer solitarius in tecto*, quia solus Deus Homo habitat in cœlo. In Hebræo est : *Sicut avis solitaria.* Christus fuit *pelicanus solitudinis*, solus natus de virgine, solus vivens sine crimine; *nycticorax in domicilio* mortuus in sepulcro; *passer solitarius in tecto*, solus homo in cœlo.

Per tria genera avium designatur etiam tria genera hominum. *Pelicanus solitudinis* est populus credens de gentilibus. Gentilitas erat quasi solitudo, quia a nullo sancto inhabitata. *Nycticorax* est populus conversus de Judæis, qui erant domicilium dæmonum. *Passer* est populus, qui de chri-

A stianis ad contemplativam vitam conversus ad tectum cœli convolat mente, in quo a mundi actibus separatus, *solitarius* habitat. Priusquam sanguinem ut pelicanus pro filiis effunderem,

VERS. 9. *Tota die exprobrabant mihi inimici mei*, id est toto tempore vitæ meæ improperabant mihi Judæi dicentes me fabri filium, dæmoniosum, amicum publicanorum. Vel *tota die* passionis mihi inimici *exprobrabant*, dum colaphis et sputis tota die illudebant, et in cruce insultabant. *Et qui* prius *laudabant me* dicentes : « Scimus quia verax es, adversum me jurabant (*Matth.* XXII, 16), » quando collecto concilio ad mortem me damnabant. Hoc ideo,

VERS. 10. *Quia cinerem tanquam panem manducabam*, hoc est, peccatores sicut justos mihi incor-

B porabam. *Et poculum* [vulg. *potum*] *meum cum fletu miscebam*, id est bonos cum his, pro quibus flendum erat, miscebam, et peccatores sicut justos bibebam. Ideo exprobrantes dixerunt : « Hic peccatores recipit, et manducat cum illis (*Luc.* XV, 2). » Similitudo trahitur ab his locis, ubi forte vinum cum aqua temperatur. Per cinerem accipiuntur peccatores, in cinere et cilicio pœnitentes. Peccanti quippe homini dictum est : « Cinis es, et in pulverem ibis (*Gen.* III, 19). » *Panis* sunt justitiam esurientes; *poculum* vitam sitientes; *fletus* commissa deflentes. *Cinerem* Christus *tanquam panem manducavit*, dum pœnitentes esurientibus justitiam associavit; *potum cum fletu* temperavit, quando peccata deflentes sitientibus vitam commiscuit.

C Aliter : Potus intus trahitur; fletus foris egeritur. Poculum suum Christus in passione sua cum fletu miscebat, dum gentes quasi dulcem potum in se traxit, et Judæos quasi fletum foris egessit. Ad litteram etiam potum cum fletu temperavit, quando impii acetum felle mistum ei sitienti offerebant. Hoc evenit

VERS. 11. *A facie iræ et indignationis tuæ*, id est a præsentia vindictæ tuæ et gravis pœnæ, quam passus sum causa Adæ; passibilitas enim et mortalitas, quæ sunt pœnæ peccati, vocantur *ira et indignatio* Dei. Hæc ira Dei manet super illum, qui non credit in Christum, per quem aufertur ira Dei, et immortalitas dabitur regni. De ira tua multas pœ-

D nas in lacu miseriæ passus sum : *Quia elevans allisisti me*, id est per liberum arbitrium elevasti, per justitiæ judicium *allisisti*. Hoc iterum vox est humani generis in Christo. Deus quippe hominem ratione et intellectu humani generis in Christo. Deus quippe hominem ratione et intellectu super omnia animantia elevavit. Sed quia in honore positus non intellexit, in miseria eum allisit. Sicut enim nullum horum hunc habet honorem, sic nullum habet hanc miseriam. Solus namque homo post multas hujus vitæ miserias truditur post mortem in ultrices flammas. Ideo superiora etiam pœnitenti congruunt, cum ossa sicut cremium aruerunt, qui propter reatum oblitus est comedere panem suum, et a voce gemitus os carni suæ adhæsit, scilicet, ut propter

jejunia et fletum pro carne ossa videantur, et ideo præ nimia macie similis factus est pelicano, et propter nigras et sordidas vestes nigredinem peccatorum significantes, similis nocticorvo; propter solitariam vagationem similis passeri. Cui tota die inimici, id est impœnitentes vel dæmones exprobrant, quia cinerem tanquam panem manducat, et poculum cum fletu miscet, quia iram et indignationem suam creavit, sed propter culpam allisit, dum eum omnibus pœnis submersit. Sequitur vox Christi. Propter hunc Pater, elevasti me in cruce et allisisti me in morte.

Vers. 12. *Dies mei sicut umbra declinaverunt*, id est facti sunt transitorii et instabiles ut *umbra*. Hæc vox propria Christi est de se, et suis sequacibus. Superius fuit vox Adam de se, et suis posteris : *Dies mei sicut fumus defecerunt, et percussus sum sicut fenum, et aruit cor meum.* Dies mei similes sunt umbræ, vel fumo, quia vixi brevi tempore. *Et ego*, quem tu, Deus, in te assumpsisti, *sicut fenum arui*, quia passionibus consumptus in morte emarcui propter hominem, quem ut *fenum* morte arescere dolui.

Vers. 13. *Tu autem, Domine, in æternum permanes*, id est dies tui semper permanentes, ad quos potens es nos deducere. *Et* sic erit *memoriale tuum in generatione et generationem*, hoc est, misericordia tua, qua memores sunt tui, vel qua memor es illorum, erit in hac vita et in alia, scilicet Sion et gentibus. Vel *memoriale tuum* erit *in generatione* Judæorum, *et generatione* gentium.

Vers. 14. *Tu exsurgens misereberis Sion.* Quasi Deus jacuit, cum populus *Sion* idola coluit. Tunc quasi surrexit, cum eis Filium suum verum Deum misit. Tunc misertus est *Sion*, quando primitus Ecclesiam de Judaico populo elegit, fidem et virtutes ei tribuit. In me exsurges, et *misereberis Sion, quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus* gratiæ, in quo ejus miserearis. De hoc tempore scriptum est : « Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum (*Gal.* IV, 4). » Ad quid? *Ut* Sion, id est *eos, qui sub lege erant, redimeret.* Sion ædificabitur habitabilis civitas :

Vers. 15. *Quoniam complacuerunt servis tuis lapides ejus*, id est apostolis, *servis tuis*, ædificatoribus Sion, placuerunt prophetæ, *lapides* vivi in ea constructi, quos intellexerunt hanc ædificationem prædixisse. Per hos *lapides* promissa est prædicatio, de hac processit Evangelii instructio, per hujus præconium agnitus est Christus lapis angularis. *Et* ideo *terræ ejus miserebuntur*, scilicet ædificatores, quia de terra fecerunt cœlum. De ipsa terra venit unus paries tot millia credentium, et pretia rerum suarum ad pedes apostolorum ponentium. Sequitur alius paries veniens de gentibus.

Vers. 16. *Et timebunt gentes nomen tuum, Domine*, qui es lapis angularis, in te duos parietes e diverso venientes conjungens. *Gentes timebunt*, id est venerabuntur *nomen tuum*, quod est Dominus.

A Vel venerabuntur me Filium tuum, qui sum *nomen tuum. Et omnes reges terræ gloriam tuam*, id est omnes principes venerabuntur te gloriosum. Et sic parietes in lapidem angularem convenient :

Vers. 17. *Quia ædificavit Dominus Sion* in virtutibus, eia vivi lapides, currite in structuram, non in ruinam; ædificabitur *Sion;* ædificatur arca, cavete diluvium. Ædificata autem *Sion videbitur in gloria sua*, qui primo visus est in infirmitate sua. Alia translatio habet : *In majestate sua*, id est in Divinitatis potentia. Et qua causa hanc domum ædificavit? Quia

Vers. 18. *Respexit in orationem humilium.* Patriarchæ et prophetæ, et alii antiqui patres humiles Deum rogaverunt, ut domum in paradiso ædifica-
B tam, sed per diabolum destructam in mundo ædificaret, et collapsam civitatem in cœlo per ipsam repararet : *respexit* ergo Deus *orationem humilium*, dum in mundum misit Filium suum, qui in unam Ecclesiam compegit populum fidelium. *Et non sprevit precem eorum*, quia implevit desiderium ipsorum promittens hominibus æqualitatem angelorum.

Vers. 19. *Scribantur hæc in generatione altera*, scilicet hæc beneficia, oratio, passio, fides, remissio, ædificatio, exauditio habeantur in memoria *in altera generatione*, quæ perdita facta est altera. Hæc generatio in domum Dei ædificata semper præ oculis habeat ista. *Et populus, qui creabitur, laudabit*
C *Dominum*, hoc est, *populus* Christianus, in peccatis mortuus, in virtutibus novus, creatus de idololatria, in alium ritum alteratus, de supra dictis beneficiis *laudabit Dominum.*

Vers. 20. *Quia prospexit de excelso sancto suo*, id est per me sanctum corpore, excelsum Deitate *prospexit* miseriam hominum. *Dominus de cœlo in terram aspexit*, id est per me cœlum in terrenos miserando aspexit.

Vers. 21. *Ut audiret gemitus compeditorum*, id est ut gementes solveret a vinculis peccatorum, *et solveret* a peccatis *filios interemptorum*, id est gentes imitatores occisorum Adæ et Evæ, qui fuerunt interemptores totius humani generis. *Compediti* gementes erant Judæi; *filii interemptorum* pagani. In
D Hebræo scribitur : *Filios mortis*, id est ut solveret filios diaboli a peccatis.

Vers. 22, 23. *Ut annuntient in Sion nomen Domini*, id est in Ecclesia, *et laudem ejus*, tandem *in* cœlesti *Jerusalem. In conveniendo populos in unum et reges*, id est ad hoc nomen Domini in Sion annuntiant, ut populi et reges in unum fidei conveniant, *ut Domino serviant.*

Vers. 24. *Respondit ei in via virtutis suæ*, hoc est, populorum et regum conventus in Sion *respondit* Domino Patri *in via virtutis suæ*, scilicet in imitatione Filii sui, qui est *via virtutis suæ*, quia Verbum virtus Dei per Jesum Christum intravit ad homines, et per hanc viam reduxit devios ad vitam.

Aliter : Jerusalem, vel laus ejus, scilicet Ecclesia

de toto orbe terrarum vocata *respondit* Christo *in via virtutis suæ*, quia sicut Christus, ita ipsa ambulavit in virtutibus. Hujus vox hic sequitur :

Paucitatem dierum meorum nuntia mihi, hoc est, Ecclesia *in via virtutis* posita *respondit* dicens : Insinua mihi, quando finiantur pauci dies isti, et consummatio sæculi, et veniant anni æterni. Et dicitur ei : « Prædicabitur Evangelium in omnibus gentibus, et tunc veniet finis (*Matth.* XXIV, 14). » Ad litteram etiam *respondit* Dominus Jerusalem *in via virtutis*, cum ad passionem accederet, et populus eum cum palmis susciperet : cum cantum populi in ea audiret, respondit, et *paucitatem dierum* suorum annuntiavit ei, dicens : « Venient dies, cum inimici circumdabunt te, et ad terram prosternent te, et filios tuos, qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem (*Luc.* XIX, 43 et 44). »

Hæc quæ sequuntur usque in finem psalmi, sunt verba generationis alterius, et populi novi creati, a compedibus soluti, qui in Sion convenit, et laudem de æternitate canit.

VERS. 25. *Ne revoces me in dimidio dierum meorum*, id est ne subtrahas me ab annis tuis, qui sum positus *in dimidio dierum meorum*. Duæ partes simul collatæ utraque est unum dimidium, licet una major, altera sit minor sicuti si unus dies conferretur centum annis. Æterni anni sunt unum dimidium, dies hujus vitæ alterum dimidium. *In* uno *dimidio*, id est in temporali est homo, in altera, id est in æterno, est Deus. Ideo sequitur : *In generationem et generationem anni tui*, hoc est, de præsenti usque in futura.

Aliter : De meo *dimidio* temporali, id est de paucitate dierum meorum tendentem in tuum dimidium æternum *ne revoces* deserendo relabentem in errorem, sed trahas juvando tendentem in æternitatem. Aliter : Peracta dimidia vita mea *ne revoces me* de mundo inemendatum et imperfectum, sed permitte me totum tempus vivere, quod constituisti, sicut Ezechiam fecisti, ut de præterito emendatus, et in bonis actibus perfectus occurram in virum perfectum, in annos tuos, qui sunt æterni.

VERS. 26. *Initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli*. Hoc tractum est de nova creatura mundi, ubi scriptum est : « In principio creavit Deus cœlum et terram (*Gen.* I, 1). » Principium est Christus, in quo cœlum, et terram, et omnia fecit Deus, ut scribitur : « Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*Joan.* I, 3). » Et sicut ibi fuit principium mundi, ita hic initium novæ creaturæ, id est Ecclesiæ. In hoc *initio tu, Domine* Deus Pater, *terram fundasti*, quando Ecclesiam in Christo collocasti. *Et opera manuum tuarum sunt cœli*, id est apostoli per operationem Sancti Spiritus formati.

VERS. 27. *Ipsi peribunt*, quia secundum corpus morientur. Visibiles etiam cœli peribunt, quia « cœlum et terra transibunt (*Matth.* XXIV 35): » *Tu autem permanes* semper in uno statu.

Cum hic dicatur : *cœli peribunt*, quæritur, quomodo alia Scriptura dicat : « Terra in æternum stat (*Eccle.* I, 4). » Et iterum : « Omnis creatura Dei manet in æternum. » Sciendum est quod forma rerum peribit : ipsa substantia in æternum manet.

Et omnes sicut vestimentum veterascent. Cœli sunt quasi *vestimentum* mundi, qui senectute et vetustate deficiunt in hac forma, in qua nunc sunt. *Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur*. Cœlum est *opertorium* terræ, quod revolvetur ut tabernaculum. Peracto autem judicio cœli in aliam formam *mutabuntur* quia Dominus tunc novum cœlum et novam terram faciet; et luna gloriam solis, et sol lumen septem dierum habebit. Sanctorum corpora sunt animæ vestimenta. Omnes ergo sancti *sicut vestimentum veterascent*, id est corpora omnium deficient prius senectute, tandem resolutione : comparatione similes vestimento, quod eo usque atteritur, donec ad nihilum redigatur. Corpora quoque sunt animæ opertorium, in quibus opertæ non videntur. Postea *mutabis eos* ab ista solutione *sicut opertorium*, utpote (quod) prius animæ fuerunt, in æqualitatem angelorum. Cœli, id est sancti sic mutabuntur :

VERS. 28. *Tu autem idem ipse es*, qui fuisti, quando mundum ex nihilo fecisti, et non senuisti, et es primus ante omnia, novissimus post omnia, quia semper novus. *Et anni tui non deficient*, id est æternitas tua semper permanet. Immutabilis es et invariabilis quia æternus, et quos de terra fecisti cœlos, hos facies æternos.

VERS. 29. *Filii servorum tuorum habitabunt*, id est, Christiani, apostolorum filii, quos per Evangelium genuerunt, habebunt illos tuos annos indeficientes, habitantes in regno perpetuo, ubi gaudium est sempiternum, et nunquam finienda securitas. *Et semen eorum in sæcula dirigetur*, id est alii Christiani ex eis geniti in æternitatem dirigentur.

Aliter : *Anni tui* æterni sunt, et in illis annis *filii servorum tuorum habitabunt*, id est servi tui per filios, id est per bona opera illos annos habebunt, *et semen eorum in sæculum dirigetur*, id est fructus quos præmittent, eosdem in gaudio metent. En quid Filius Dei orando profecit : humanum genus ad æternitatem perduxit.

PSALMUS CII.

De benedictione primitivæ Ecclesiæ.

Benedic, anima mea, Domino, et omnia, quæ intra me, etc. In superiori psalmo canitur lapsi hominis reparatio : in hoc vero psallitur reparati laudatio. Materia hujus psalmi est primitivæ Ecclesiæ bene-

dictio. Intentio est hortari ad benedicendum Deum pro collatis beneficiis in superiori. Titulus est :

(VERS. 1.) PSALMUS IPSI DAVID (53).

Hoc est : Ita laus canitur Christo, id est nobili, visu desiderabili a populo fideli, contra vitia manu forti. Verba psalmi sumpta sunt ab ipso David, qui Dominum pro collatis sibi beneficiis benedixit, significans populum fidelem, qui Dominum jugiter pro suis beneficiis benedicit.

Hic psalmus centesimum secundum locum possidet. Centenarius perfectionem, binarius exprimit geminam dilectionem, quia nimirum hi vere Deum benedicunt, qui dilectione pleni sunt, et hi perfectum gaudium habebunt. In tres partes secatur, quia angelica, humana et insensibilis creatura ad laudem Dei invitatur. Prima pars est : *Benedic, anima mea,* in qua sex beneficia memorantur, videlicet, iniquitatis propitiatio, infirmitatis sanatio, de interitu redemptio, misericordiæ coronatio, boni desiderii impletio, ut aquilæ renovatio. Secunda pars est : *Faciens misericordias Dominus,* in qua pœnarum peccati ablutio, et Redemptoris exprimitur glorificatio. Tertia pars est : *Benedicite Domino,* in qua et cœlestis et terrestris creatura ad benedicendum Deum admonetur. Vox est primitivæ Ecclesiæ se hortantis ad laudem Dei.

Benedic, anima mea, Domino, hoc est, *o anima mea,* lauda Dominum interiori laude. *Et omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus* benedicant. Nomen Patris est Filius, ut ipse dicit : « Pater, manifestavi nomen tuum hominibus (*Joan.* VI, 6). » In homine sunt pulmo, stomachus, intestina. Hæc ad benedicendum non admonentur, quia non exterior sed interior homo hic loquitur. *Omnia quæ intra me sunt,* id est omnes vires animæ meæ, ratio, sensualitas, sensibilitas, vegetabilitas benedicant *nomini ejus sancto,* venerabili, adorabili. Ac si dicat : O anima, a Domino de interitu redempta, per omnes vires tuas lauda Dominum. Propter nimiam lætitiam repetit

VERS. 2. *Benedic, anima mea Domino.* Spiritus loquitur animæ. Duæ namque (sunt) principales vires animæ : una, qua spiritualia intelligit, quæ spiritus nominatur; altera, qua corpus vivificat, quæ anima appellatur. Prior versus pertinet ad spiritum, cujus interiora sunt virtutes : hic vero ad animam, quæ sensus corporis regit, et sæpe in contrarios usus vertit. Ac si dicat rationalitas sensualitati : O *anima,* id est sensualitas quæ modo es *mea,* id est mei juris facta, quæ prius erat sub jugo diaboli, sub mole peccati, *Benedic Domino,* id est exalta, lauda et benedic Domino intentione, corde, opere. *Et noli oblivisci omnes retributiones ejus,* quia tibi bona pro malis retribuit. Non tradas oblivioni, quod pro te pauper factus est, ut te ditaret; liber ligatus, ut te a vinculis solveret; innocens flagellatus, ut te a pœnis eriperet; Dominus gloriæ cum latronibus damnatus, ut te a cruciatu damnatam liberaret. Sequuntur sex beneficia, et singulis *Benedic* est adjungendum. *Benedic Domino,*

VERS. 3. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis,* hoc est, propitius est omnibus peccatis tuis, originalibus et actualibus, venialibus et criminalibus. Benedic ei, *qui sanat omnes infirmitates tuas,* id est omnes languores et dolores sanat. Similitudo est ab ægroto, cujus depulsa infirmitate adhuc languor et dolor apparet, donec omnino convalescat. Ita post condonata peccata remanet adhuc fomes peccati, et recordatio, et impotentia ex prava consuetudine præterita. Hæc omnia *sanat* consuefaciendo in bonis operibus. *Benedic Domino,*

VERS. 4. *Qui redimit de interitu vitam tuam,* hoc est, qui, dato pretio, *redimit animam tuam* in vitam corporis, de inferno, *ubi* semper est interitus, ita ut non in pœnis, sed in requie vivas. *Redimit* dicit per præsens, cum semel facta sit redemptio, quia quotidie per sacrificium corporis sui animas de interitu mortis redimit. *Benedic Domino, qui coronat te in misericordia,* id est qui te victorem vitiorum coronabit gloria, quæ victoria non fuit ex te, sed ex *misericordia,* id est ex conceptione misericordiæ, *et miserationibus,* id est in exhibitione misericordiæ. Cum coronaberis, et hoc est gratia : gratia pro gratia. Misericordia est quod Christus ad exsulem venit : miseratio, quod servum redemit; misericordia, quod pugnantem contra vitia vincere juvat : miseratio, quod victorem remunerat. *Benedic Domino.*

VERS. 5. *Qui replet in bonis desiderium tuum,* hoc est, *desiderium tuum,* existens *in bonis* ita replebit omnibus bonis, ut dicas : satis est, ulterius non quæro. Tale est illud bonum, quod non veniet in fastidium, semper desideratur, et desiderium semper impletur. In hoc bono *renovabitur ut aquilæ juventus tua,* id est vetustate ablata eris nova, corruptione remota eris incorruptibilis.

Tradunt physiologi, quod aquilæ semper crescat rostrum in senectute, ita ut escam non possit sumere; et cum jam est debilitata multa macie, accedit ad petram, et allidendo frangit illud, et postea sine impedimento sumens cibum recipit tantum vigorem, quantum prius habuerat. Per hoc homo aquilæ assimilatur, qui mole peccatorum aggravatus cœlestem panem comedere non petit, donec convertit se ad petram, id est Christum et destruitur corpus peccati, et deposito vetere homine renovatur Spiritu mentis, et comedit panem cœli. Aliud fertur de aquila. Cum senescit, contra solem in altum volat, et combustis alis in fontem cadit, inde exiens juvenescit. Sic homo in peccatis natus, si in solem justitiæ Christum cadit, et in fontem baptismatis mersus fuerit, novus exibit, ut in paradiso fuit. In resurrectione quoque deposita vetustate corruptionis, novus homo erit, cum ut sol fulgebit et angelis æqualis erit. Abhinc incipit probare,

(53) Vulgata tantum : *Ipsi David.*

quod pœnæ peccati, quæ nunc regnant, scilicet fames, sitis, labor, dolor, passibilitas, mortalitas auferentur, et immortalitas et impassibilitas dabuntur. Vere ad Christum conversi innovabuntur, quia

VERS. 6. *Faciens misericordias Dominus*, hic remittens peccata, in futuro auferens pœnas peccati, et faciens *judicium omnibus injuriam patientibus*, quia inferentes injuriam hic, justo judicio in futuro damnabit : *patientes injuriam* remunerabit. Justi injuriam patiuntur, quoniam pœnis peccati hic cum injustis affliciuntur. His est Dominus faciens misericordias, cum misericordes misericordiam consequentur. Et faciet eis *judicium*, cum ipsos ad gaudium, impios judicabit ad supplicium. Sed dicit aliquis : Multi injuste peribunt, qui bona facere nesciunt. Contra hoc dicitur : Inexcusabiles sunt, qui scire possunt, sed vias Domini scire nolunt. Jam Dominus

VERS. 7. *Notas fecit vias suas Moysi*, id est Moysen præcepta sua scribere jussit, quæ cunctis innotescere voluit. *Et* notas fecit *filiis Israel voluntates suas* per legem et prophetas, per quos omnes homines possent discere, quid esset devitandum, et quid faciendum. Et quare contemnentes non mox punivit? Quia

VERS. 8. *Miserator et misericors* est *Dominus*, id est *Dominus*, faciens miserationes exhibendo, *misericors* in natura, *longanimis* exspectans cum patientia peccantes, et non punit, *et multum misericors*, ultra quam homo cogitare possit : ideo non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.

VERS. 9. *Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur*. Hic malis nostris irascitur : ideo pœnis peccati, id est fame, siti et aliis afficimur, et peccantibus hic supplicium gehennæ comminatur. *In perpetuum* autem *non irascetur*, quia pœna peccati, quæ ejus ira dicitur, in futuro auferetur, et cum tunc nemo peccet, nulli comminabitur. Pro talibus benedicendus est Dominus.

VERS. 10. *Non secundum peccata nostra* originalia vel venialia *fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras* actuales vel criminales *retribuit nobis*. Omne peccatum inhonorat Deum. Et ideo omne peccatum spectat ad supplicium. Non secundum peccata tribuit nobis debita supplicia; sed secundum misericordiam indebitam dedit gloriam.

VERS. 11. *Quoniam secundum altitudinem cœli a terra corroboravit misericordiam suam super timentes se*, id est sicut cœlum undique terram protegit, et in se claudit, et in nulla parte a protectione relinquit, ita misericordia protegit timentes se. *Super timentes se*, non super alios fecit robustam misericordiam suam ad modum altitudinis cœli a terra, hoc est, quantum est dignius cœlum quam terra, tantum digniores nos fecit ab hoc, quod eramus, per misericordiam suam. Lutosi enim eramus, et fœdi, ipse nos nitidos fecit.

VERS. 12. *Quantum distat ortus ab occidente*, tantum fecit nos distare ab hoc, quod eramus. Et tam

A *longe fecit a nobis iniquitates nostras, quantum distat ortus ab occidente*, id est quantum distat solis lux ab occidente, id est a tenebris. Nam qui modo erant tenebræ in peccatis, et errabant in ignorantiæ tenebris, facti sunt lux in Domino, et lux Christus orta est in eis. Non enim potest longius esse aliqua res, quam illa quæ non est. Vel tantum *longe fecit a nobis iniquitates nostras, quantum ortus*, id est cœlum, ubi semper oritur lætitia, *ab occidente*, id est ab inferno, ubi semper est occasus et interitus.

VERS. 13. *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se*, id est sicut pater corripit filium, ne propter aliqua superflua amittat hæreditatem, ita Dominus timentes se corripit multis modis, ne perdant hæreditatem. Nota tres similitudines :
B altitudinem cœli, ortum solis, affectum patris, quia constituit nos in cœlis æquales angelis, fulgentes ut claritas solis, hæredes Dei Patris. Ideo ut pater nos hic flagellat, et non deserit.

VERS. 14. *Quoniam ipse cognovit figmentum nostrum*, id est creationem nostram de quam fragili materia creati sumus. Hic quidam dicunt, quod ideo diabolus irrecuperabiliter ceciderit, quia materiam carnis ad peccandum sicut homo non habuit. Quod figmentum? Hoc : *Recordatus est, quoniam pulvis sumus*, id est quia de pulvere facti sumus. Vel agitabiles vento suggestionis, et potestatibus aeris non valentes resistere, comparabiles sumus feno in brevitate. Nam

VERS. 15. *Homo* est *sicut fenum*. In qua re? In
C diebus. *Dies* enim *ejus, tanquam flos agri, sic efflorebunt*. Breves sunt dies hominis, et cito deficiunt sicut fenum falce abscissum cito deficit : et sicut flos citius cæteris rebus marcescit, et deficit; ita homo cito in defectu cadit. Vel *homo* secundum carnem est *sicut fenum; dies ejus*, id est puritas animi *tanquam flos agri sic efflorebit*, id est ad modum floris est mutabilis. Ideo florem *agri* posuit, non campi, quia ager est terra arabilis, et fructifera, in qua herbæ succisæ citius arescunt quam prati, vel sylvæ, quæ non succisæ diutius durant. Vere *homo* est *sicut fenum*.

VERS. 16. *Quoniam spiritus*, qui *in illo* est, *pertransibit*, id est morietur, *et non subsistet* ea forma,
D qua prius, sed ut flos arescet. Et quia quidam dicunt quod post centum annos anima ad corpus redeat, dicit : *Et non cognoscet amplius locum suum*, id est corpus, in quo fuit, *non cognoscet amplius*, ut debeat redire. Vere pulvis sumus, quia *spiritus*, qui *in illo* est, *pertransibit* leviter de mandato Domini ad peccatum, *et non subsistet* in uno peccato, sed cadet de vitio in vitium, *et non cognoscet amplius locum suum*, id est priorem statum, dignitatem pristinam, ubi prius erat, non recipiet amplius per se, nisi per gratiam. Spiritus est enim vadens, et non rediens. Homo non subsistet;

VERS. 17. *Misericordia autem Domini ab æterno*, id est ante sæcula manet, et manebit *usque in æternum super timentes se* ad protegendum eos, vel re-

cuperandum lapsos. Istud super protectivum a primo justo usque ad ultimum justum misericordia Dei se amantes protegit. Hic erit *misericordia*, et in futuro remuneratio. Nam *Justitia illius in filios filiorum*, id est æquitas Domini erit in retributionem operum justorum. Opera enim nostra filii nostri sunt. Homines justi sunt filii Dei, illorum filii bona opera, pro quibus recipient præmia. Sed non omnibus erit illa retributio; sed

VERS. 18. *His qui servant testamentum ejus*, id est mandatum ejus, vel *his*, qui custodiunt præcepta ejus, erit ista retributio mansura in filios filiorum, id est in omnes generationes. *Et* qui *memores sunt mandatorum ipsius* non ad vanitatem, non ad humanum favorem, sed *ad faciendum ea*. Nihil enim prodest scire psalterium, et psalmos B cantare, nisi subsequantur bona opera. Servatores mandatorum levabit in cœlum. Nam

VERS. 19. *Dominus in cœlo paravit sedem suam*. Hoc tribus modis *paravit sedem suam* virtutibus in sanctis, ut per eos judicet mandata non servantes. Vel *Dominus sedem suam in cœlo paravit*, quia Ecclesiam sedem suam in cœlo cum angelis ordinabit. *Et* tunc *regnum illius omnibus* bonis et malis *dominabitur*. Vel Ecclesia *regnum ejus omnibus*, quæ sunt Christi, *dominabitur*, cum super omnia bona Domini constituetur. Sequitur laus angelorum de consortio justorum

VERS. 20. *Benedicite Domino, omnes angeli ejus*, id est o cœlestes creaturæ facite, quod facitis, voluntates Dei, mandata observantes. *Potentes virtute*, subaudis, Domini, non malitia, sicut diabolus, *facientes verbum illius*, id est adimplentes mandatum ejus, *ad audiendam vocem sermonum ejus*, id est ut faciatis audiri *vocem sermonum ejus* ab omnibus.

Aliter: Angeli dicuntur nuntii, et intelliguntur apostoli *potentes virtute* Christi in miraculis, *facientes verbum illius*, id est complentes præcepta ejus, A ut auditam faciant aliis prædicationem *sermonum ejus*, id est præceptorum ejus. Ideo dicit prædicatores angelos, quia nunquam aliquis salvabitur, nisi fuerit similis aliquibus ordinibus angelorum.

VERS. 21. *Benedicite Domino, omnes virtutes ejus*, id est omnes angeli, per quos virtutes operatur. In Hebræo habetur: *Omnis exercitus ejus*, et intelliguntur omnes ordines angelorum. Qui ideo *virtutes* dicuntur, quia fortiter in statu suo perseverant, et non cedunt, sicut diabolus fecit. Benedicite Domino, *ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus*. Non est opus verbum loqui, quia melius voluntatem Dei vident, quam aliquis faciem alterius. Per *angelos* accipiuntur principales ordines; *per virtutes* summi ordines; per *ministros* angeli ad homines missi, vel illorum custodes innuuntur. Omnes boni angeli sunt Dei ministri, quidam ita, ut ad homines mittantur; quidam quod aliis præcipiunt et docent quid faciant: omnes tamen in republica æterni Imperatoris vel per se, vel per alios ministrant. Et non solum angeli; sed etiam

VERS. 22. *Benedicite Domino, omnia opera ejus* cœlestia et terrestria, qui vos ex nihilo creavit, tam miro modo vel genere et specie discrevit. Adhuc omnia in gloriam filiorum Dei commutabit. Horum exemplo *in omni loco dominationis ejus benedic, anima mea*. In omni creatura est dominatio Dei. Igitur Domini creatura lauda Creatorem, sive *in omni loco* terræ, vel cœli *benedic, anima mea*, do- C minationi ejus, id est potestati ejus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis ejus. A benedictione fecit principium, in benedictione facit terminum, quia omnis laus in fine canitur:

Sciendum quod hymnus trium puerorum, scilicet *Benedicite* de hoc psalmo sumpsit materiam. Hunc quoque psalmum vindicat sibi angelorum festum, quia ipse invitat chorus eorum ad laudandum Deum.

PSALMUS CIII.

Benedic, anima mea, Domino, Domine Deus, magnificatus, etc. Sicut superior psalmus primitivæ Ecclesiæ, ita iste ascribitur Ecclesiæ de gentibus. Hic in centesimo tertio loco calculum ponit. In centenario bis jubilæus invenitur. In ternario autem fides Trinitatis exprimitur. Qui numerus designat quod Ecclesia pro fide Trinitatis in corpore et anima perennem lætitiam recipiat. Titulus est:

PSALMUS (54) IPSI DAVID.

Hunc et superior habuit, quia utraque Ecclesia in una fide Christo cecinit. Hic hymnus canitur ipsi Christo desiderabili a populo, contra vitia forti.

D Materia psalmi est benedictio Ecclesiæ de gentibus. Intentio est hortari fideles ad benedicendum Deum pro beneficiis in psalmo *Domine, exaudi*, descriptis. Verba sumpta sunt de Genesi, ubi nova mundi creatura scribitur, et significat Ecclesiam, quæ nova creatura dicitur, cujus creatio hic physicæ per laudem totius creaturæ exprimitur.

Hic psalmus in tres partes secatur, quia in hoc psalmo trifaria laus cantatur. Prima pars est: *Benedic, anima mea*, in qua Deus de cœlo et terra et omnibus quæ in eis sunt, laudatur. Secunda est: *Hoc mare*, in qua laus de mari, et omnibus quæ in

(54) Vulgata omittit: *Psalmus*.

eo sunt, cantatur. Tertia est : *Cantabo Domino*, in A qua Deus a microcosmo, id est a minore mundo, scilicet ab homine laudatur. Prius litteram inspiciamus, deinde allegoriam discutiamus. Vox est Ecclesiæ de gentibus ad laudem Dei hortantis.

Benedic, anima mea, Domino pro tantis beneficiis, pro tam multis et magnis muneribus gratiarum ejus.

Nunc vertit verba ad Deum largitorem bonorum, *Domine Deus meus*, cui ut *Domino* servio, quem ut *Deum* colo, *magnificatus es vehementer*, et in angelis, et in hominibus, et in omni creatura, qui ante omnem creaturam magnus es in majestatis tuæ essentia. *Confessionem et decorem induisti.* Primitus vult eum laudare de cœlesti creatura. Deus quasi nudus fuit, dum ante omnia visibilia et invisibilia B solus in æternitate mansit, qui decoram vestem induit, dum multitudinem angelorum sapientia plenam, decore perfectam ex occulto thesauro suo produxit, qui mox pro creatione sui in confessionem laudis proruperunt, quando, ut scriptum est, « astra matutina eum laudaverunt, et omnes filii Dei magna voce jubilaverunt (*Job* XXXVIII, 7), » qui propter incessabilem laudem *confessio*, propter incomparabilem pulchritudinem *decor* nominantur.

Nota quod viginti duo versus usque ad divisionem psalmi per figuram parabolæ pulcherrimis allusionibus explicantur, quæ fit, quando res sibi genere dissimiles comparantur.

C VERS. 2. *Amictus lumine sicut vestimento.* Quasi *lumine* se Deus vestivit, dum lumen de tenebris splendescere dixit. *Dixit* enim : « Fiat lux, et facta est (*Gen.* I, 3, 4). » Ad singulos versus repetendum est : *Magnificatus es vehementer Extendens cœlum sicut pellem*, quando dixit : « Fiat firmamentum, » quod « vocavit cœlum. » Hoc in modum *pellis* est super terram extentum, quia sicut pellis omnia membra tegit, ita creaturas cœli ambitus circumamictus includit, unde etiam dicitur terræ opertorium. Dicunt quidam quod cœlum sit in modum sphæræ rotundum, ut alibi scribitur : curvavit cœlum ut cameram.

VERS. 3. *Qui tegis aquis superiora ejus*, id est cœli : superius est enim aquis coopertum. Nam D Deus posuit illud in medio aquarum, ut dividat aquas ab aquis. Unde dicitur : « Aquæ, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini (*Psal.* CXLVIII, 4). » Sunt autem nebulæ super firmamentum suspensæ, ut igneum elementum inferius temperet. *Qui ponis nubem ascensum tuum. Nubes* sunt aquæ in aere suspensæ spiramine aeris de mari et fluminibus attractæ. Hic incarnatum Dominum alloquitur, qui *nubem ascensum suum posuit*, quando cœlos ascendit. Elevatis enim manibus ferebatur in cœlum, et nubes suscepit eum ab oculis eorum. *Qui ambulas super pennas ventorum.* Ventus est aer commotus et agitatus, scilicet aeris fluctus. Pennæ venti fuerunt velocitas ejus super velocitatem ventorum, (qua) transcendit agilitatem angelorum.

VERS. 4. *Qui facis angelos tuos spiritus.* Angeli sunt cœlestes spiritus, quos suos facit nuntios, dum eos mittit ad homines. Angeli nomen est officii, non naturæ. Naturæ nomen est spiritus, officii angelus ; sicut naturæ est homo, officii miles : nomen naturæ vir, officii præco. Per horum officium universa in mundo disponuntur. *Et ministros tuos ignem urentem.* Sæpe angeli visi sunt, sicut illi, qui Eliam rapuerunt, vel in circuitu Elisei apparuerunt. Unde et angelus Moysi in flamma rubi, vel in monte Sina in igne ardente apparuit. Hos *ministros* suos facit, dum per eos alios exurit. Vel de malis angelis, qui sunt ignis urens, facit sibi ministros, dum eos jubet punire reprobos. Hic incipit eum de terrestri creatura laudare :

VERS. 5. *Qui fundasti terram super stabilitatem suam.* Quidam putant terram aliquo fundamento fulciri. Philosophi autem dicunt eam quatuor ventis sustentari. Contra quos Scriptura dicit : « Suspendit terram in nihilo (*Job* LXII, 7). » In medio namque mundo æqualiter ut centrum in circulo libratur, et *super* solam *stabilitatem suam* fundatur. *Non inclinabitur in sæculum sæculi*, ut deorsum corruat, quia in immobili firmitate locata in æternum stat.

VERS. 6. *Abyssus sicut vestimentum amictus ejus.* Omnis aquarum copia circumquaque diffusa per maria et flumina et antra occulta simul uno nomine *abyssus* vocatur ; quæ *quasi vestimentum* terræ est in circuitu, circumdans eam oceano quasi veste [*Cod.* verbo], sicut corpus nostrum exterius cooperitur pallio. *Super montes stabunt aquæ.* Hoc de diluvio dicitur, quando aquæ altissimos montes transcenderunt, quos quindecim cubitis altius operuerunt.

VERS. 7. *Ab increpatione tua fugient.* Jussu Dei aquæ euntes et redeuntes super faciem terræ deferbuerunt, et in proprium alveum recesserunt. *A voce tonitrui tui formidabunt.* Tonitru est fragor nubium. Venti namque nubibus inclusi erumpere nitentes magno murmure concrepant, sicut vesica complosa sonat. Qui nubibus collisis ignem excutiunt, quem fulgur esse dicunt, sicut lapides simul triti ignem emittunt. A voce tonitrui, aquæ formidant, quia post tonitrua de nubibus emanant, ut scribitur : « fulgura in pluviam fecit (*Psal.* CXXXIV, 7). »

VERS. 8. *Ascendunt montes, et descendunt campi in locum, quem fundasti eis.* Recedentibus aquis in diluvio montes alti, et humiles campi apparuerunt, ut ab initio fundati sunt, qui prius aquis operti fuerunt. Terra quoque abysso quasi vestimento amicta erat, dum noviter creata tota sub aquis latebat, et tenebræ super faciem abyssi erant. *Super montes aquæ* steterunt, quia usque ad firmamentum pervenerunt, quod inter medias aquas positum legitur. Quæ *ab increpatione* Dei fugerunt, quando in unum locum congregatæ sunt. Et quando apparuit arida, tunc montes ascenderunt, et campi de-

scenderunt in locum quem eis Deus fundavit, sive A in altum, sive in profundum. Hoc magis videtur dictum de montibus maris, quando fluctus instar montium intumescunt, et iterum in planities campi decrescunt. Et hoc in loco sibi fundato faciunt, quem nunquam procellis turgentibus excedunt.

Vers. 9. *Terminum posuisti, quem non transgredientur*, scilicet littora nunquam prætereunt maria · *nec convertentur operire terram* aquæ, ut olim fecerunt vel in mundi initio, vel in diluvio. Et quare? quia a voce tonitrui ejus formidant, hoc est imperio ejus obtemperant.

Vers. 10. *Qui emittis fontem in convallibus.* Convalles sunt loca inter montes posita. In his fontes de terra erumpunt, de quibus flumina effluunt, et ita *inter medium montium aquæ pertransibunt* ad B mare, redeunt unde venerunt, et iterum ad priorem locum revertentur, ut iterum fluant. De his aquis

Vers. 11. *Potabunt omnes bestiæ agri*, quia de mari bibere non possunt. *Bestiæ agri* dicuntur omnia agrestia, quæ non carnibus, sed terræ fructibus, ut cervi vescuntur. *Exspectabunt onagri in siti sua.* Onager est asinus silvestris miræ magnitudinis, stultus, valde indomitus. Hunc Africa gignit. Hic quia alias feras formidat, diu sitim tolerat. Hic in æquinoctio duodecim vicibus, in nocte, et toties in die rudit, ut ejus voce etiam æquinoctium agnosci possit. Singuli gregibus feminarum præsunt, æmuli libidinis sunt, pullis fetis mordicus virilia abscindunt, unde matres eos custodiunt. C

Vers. 12. *Super ea volucres cœli habitabunt. Volucres cœli* dicuntur, quæ incertis sedibus vagantur. Hæ super montes et fontes habitant, ut vel pastum vel potum inde habeant. *De medio petrarum dabunt vocem*, quia de rupibus cantant, et Creatori jubilant.

Vers. 13. *Rigans montes de superioribus suis.* Superiora montium sunt nubes, de quibus rigantur montes. Super quosdam etiam montes sunt lacus profundi piscibus pleni. *De fructu operum tuorum satiabitur terra*, id est terra diversis fructibus repletur, cum aquis satiabitur.

Vers. 14, 15. *Producens fenum jumentis, et herbam servituti hominum. Fenum* proprie est quod in D prato crescit, unde jumenta vescuntur; *herba* est quæ in segetes crescit, unde homines pascuntur. *Ut educas panem de terra, et vinum lætificet cor hominis, ut exhilaret faciem in oleo; et panis cor hominis confirmet*, hoc est, montes aquis rigas, ut bestiis pastum ferant; terram aquis satias, ut fenum jumentis, herbam segetum hominibus proferant. *Panem de terra educis*, quo hominem, tuum speciale pecus pascis. *Vinum* inde educis, quod lætificat cor hominis. Oleum inde educis, quo facies peruncta fit hilaris. Herba panem profert, qui cor hominis confirmet, quod labore torpet. Hos omnes fructus terra protulit, cum Deus dixit: « Producat terra herbam virentem, etc. (*Gen.* I, 11). »

Vers. 16. *Saturabuntur ligna campi, et cedri Libani, quas plantavit. Ligna campi* vocantur ulmi et salices et platani vel aliæ arbores infructuosæ. *Cedri* sunt arbores proceræ in monte Libano, odoriferæ, imputribiles, quas fugiunt serpentes. Propter dignitatem apposuit: *Quas plantavit*, sicut de paradiso scribitur: « Plantavit Dominus Deus paradisum voluptatis (*Gen.* II, 8). » Ligna ergo campi, id est omnia infructuosa saturantur aquis, ut frondes aptas cibo animalibus proferant, fructuosa poma hominibus producant, cedri in ædificia proficiant.

Vers. 17. *Illic passeres nidificabunt. Passeres* dicuntur omnes parvæ aves. Hæ in ramis vel in cavis arboribus nidificant, ut inde victum habeant, vel laqueos aucupum vel insidias rapacium volucrum effugiant. *Herodii domus dux eorum. Herodius* est major omnium volatilium, qui aquilam vincit et comedit. Hæc et fulica dicitur, quæ semper in stagnis moratur. Hæc avis est immensæ magnitudinis, anati similis non comparatione corporis, sed morum. Hæc propter magnitudinem *dux* passerum dicitur. Vel potius *domus Herodii* est *dux eorum. Dux Herodii* est mare, unde aves sunt productæ

Vers. 18. *Montes excelsi cervis, petra refugium herinaciis.* Cervus serpentes occidit et comedit, cornua ac pilos deponit et juvenescit. Herinacius est animal non majus ericio habens similitudinem muris et ursi, cujus in Palæstina copia est, semper in cavernis petrarum et terræ foveis habitans. Has duas bestias præ omnibus posuit. Veloces bestiæ fugiunt venatores in montes, ut cervi timidi; fugiunt in cavernas herinacii. De animantibus et victu eorum laudavit Deum. De temporibus vult laudare eum.

Vers. 19. *Fecit lunam in tempora* Paschæ et Pentecostes, et aliarum quarumdam festivitatum, sicut scriptum est: « Fecit Deus duo luminaria, et posuit in ea signa, et tempora, ut dividant noctem, et diem (*Gen.* I, 14 et seq.). » Tempora magis per lunam notantur, quia vicinior terræ est. Hanc oceanus per omnia imitatur. Ea crescente crescit, decrescente decrescit, quamvis luna in corpore suo non crescat, nec minuatur, sed in lumine, quia proprium lumen non habet, sed a sole accipit. Sol inde dictus est, quod solus lucet in die. *Sol cognovit occasum suum*, quia ab ortu semper tendit ad occasum, inde sub terra redit ad ortum per tenebras cursum dirigens, ut quidam dicunt: vel eodem modo noctu sub terris, quo interdiu super terras lucet, ut aliis placet. Hic quam magnus sit, liquet, qui totum orbem calore et fulgore replet.

Vers. 20. *Posuisti tenebras, et facta est nox.* Tenebræ dicuntur eo quod umbram teneant. Tenebræ non sunt substantia, sed lucis absentia, ut puta, cum sol est sub terra, ingruunt tenebræ ex terræ umbra. Has Deus posuit, non creavit, quando inter lucem et tenebras divisit, et facta est nox, cum Deus lucem vocavit diem, et tenebras noctem. Hæc vicissitudo temporis ideo facta est, ut homo, qui tota

die laborat, in nocte requiescat; vel bestiæ, quæ in lustris morantur tota die, in nocte requiescant liberæ, ad pastum libere egrediantur. *In ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ. Bestiæ silvæ* dicuntur, quæ carnibus ut leones vescuntur, quæ *feræ* a feritate dicuntur. Hæ in nocte magis pro victu vagantur, quia in die a venatorum et canum insidiis in silvarum abditis celantur. *In nocte* etiam *pertransibunt.*

VERS. 21. *Catuli leonum rugientes ut rapiant* aliquam bestiam ad escam, *quærant a Deo escam sibi*, quia nullam possunt rapere, nisi quam ille permittit. Quasdam enim bestias ad hoc creavit, ut aliarum cibus sint. Catuli dicti sunt, eo quod calleant sensu narium. Catulos leonum propter principatum posuit, et quia hæ bestiæ magis sæviunt. Cum rugiunt, omnes bestiæ pavescunt. Ipsi vero leones cantum gallorum et strepitum rotarum timent.

VERS. 22, 23. *Ortus est sol, et congregati sunt, et in cubilibus suis collocabuntur.* Transacta nocte, et orto sole catuli leonum, et aliæ feræ congregantur, et in antris, et in spelæis reconduntur Et tunc *homo* absque bestiarum formidine *exibit ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperam*, et tunc ibit cubitum, bestiæ autem exibunt ad pastum. *Opus* dicitur, quod cito perficitur, ut aliquod ædificium; *operatio* quotidiana actio ut agricultura. His omnibus consideratis exclamat Ecclesia :

VERS. 24. *Quam magnificata sunt opera tua, Domine!* Qui enim mente universum mundum circumspicit, terram, mare, cœlum, et videns omnia pulchre disposita, ordinata, cuncta digeri generibus, fulciri seminibus, mutari successibus, currere temporibus, mirabundus exclamat : *Quam magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti*, qui nihil superfluum fecisti, sed omnia in numero et mensura, et pondere disposuisti. Revera omnia opera Domini plena sunt sapientia. Videmus formicam scire quando hiems venit, et escam sibi reponit. Videmus culicem vel pulicem tam minutos habere oculos, ventrem, nares, pedes et universa membra sicut nos habemus, sicut elephantem magnam bestiam habere videmus. Similiter apem, quomodo ceram faciat, videmus, et hæc omnia admiratione digna et sapientia plena censentur. *Impleta est terra possessione tua*, hoc est tota terra possessa est ab his omnibus tua dispositione. Postquam Deum de cœlesti et terrestri creatura laudavit, de mari quoque eum laudare incipit.

VERS. 25. *Hoc mare magnum, et spatiosum manibus. Mare* dictum est a meando, eo quod semper eat et redeat. Quod *spatiosum manibus* dicitur, eo quod quasi expansas manus habeat, et in se cuncta recipiat. *Spatiosum manibus* dicitur amplus exercendi locus. Similitudo ab ampla patria, in qua sine impedimento possit operari. *Mare magnum* vel oceanus vel aliud, quod terram in tres partes dividit, quod ideo dicitur *magnum et spatiosum*, eo quod tota terra comparatione illius sit quasi parva insula. *Illic reptilia, quorum non est numerus*, pisces tam majores quam minores innumerabiles, qui in profundum se mergunt, inde vitam resumunt, unde si ceciderit homo, moritur, et ipsi, si venerint in terram, moriuntur. Ibi etiam *animalia pusilla cum magnis*, id est parvi pisciculi, et cete grandia quæ habent corpora montibus æqualia.

VERS. 26. *Illic naves pertransibunt.* Hoc valde est mirabile, quod navis multis molibus onusta super tumentes fluctus currit, et homines super visibilem mortem vehit, et per tot pericula bestiarum et procellarum ad patriam ducit. Illic quoque est *draco iste, quem formasti ad illudendum ei.* Dicunt Judæi, quia Deus magnum draconem fecit, qui Leviathan dicitur, et est in mari, et quando, ut aiunt, recedit oceanus, draco vertitur. Hic factus est *ad illudendum ei*, qui dum multitudinem piscium devorat, per apertam ejus maxillam exeunt, et sic devoratori illudunt. De hoc scribitur : « Draco magne, qui habitas in aquis multis (*Ezech.* XXIX, 3). » Dicunt quidam quod sit primus piscis a Deo creatus, et adhuc vivat. Qui nunc draco, nunc Leviathan, nunc cetus in Scriptura pro significatione ponitur.

VERS. 27, 28. *Omnia a te exspectant, ut des illis escam in tempore*, et reptilia scilicet, et animalia pusilla, et magna, et ipse draco, et possessio. Quidam pisces de aliis piscibus vivunt, quidam, ut fertur de rore cœli victum sumunt. Ideo dixit : *In tempore*, quia certo tempore ille ros descendit, sicut certo tempore terra fructum producit. *Dante te illis* animalibus escam, vel piscibus illum rorem, ea *colligent. Aperiente te manum tuam* ad dandum, *omnia implebuntur bonitate*, id est refectione.

VERS. 29. *Avertente autem te faciem turbabuntur*, hoc est, te non dante cibum fame tabescent. *Auferes spiritum eorum, et deficient*, id est morientur, *et in pulverem suum revertentur*, id est in terram solventur.

VERS. 30, 31. *Emittes Spiritum tuum, et creabuntur*, id est iterum creabuntur, quæ per spiritum vivificabuntur; *et renovabis faciem terræ* hominibus, animantibus, fetibus, fructibus. De his omnibus *sit gloria Domini in sæculum; lætabitur Dominus in operibus suis*, id est omnia opera Domini lætantur de gloria Domini.

VERS. 32. *Qui respicit terram, et facit eam tremere.* Sæpe pro signo factus est terræmotus; sicut quando Dominus obiit, vel quando resurrexit, utroque tempore tremuit. *Qui tangit montes, et fumigant.* Hoc dicitur de monte Sina, qui totus fumigavit, cum Dominus in eum descendit. Multi etiam montes flammam et fumum, ut Ætna efflant, ut homines perterriti a malis resipiscant. Montes quoque fumigant, dum humorem evaporant, qui spiramine aeris attractus in nubibus conglobatur, et de his iterum montes, et plana terræ irrigantur. Pro his omnibus ego Ecclesia ab eo electa.

VERS. 33. *Cantabo Domino in vita mea, psallam*

Deo meo, quandiu sum in hac vita. *Cantabo* in contemplativa vita, *psallam* bene operando in activa.

VERS. 34. *Jucundum sit ei eloquium meum*, id est, acceptabilis sit ei laus mea pro suis beneficiis. *Ego vero* non in creaturis, sed *delectabor in Domino*, in quo est vera delectatio, quia delectatio creaturæ transit; illa permanet.

VERS. 35. *Deficiant peccatores a terra, et iniqui, ita ut non sint* iniqui, sed justi.

Quamvis in omnibus creaturis magna sit laus Creatoris, tamen cuncta in hoc psalmo jam dicta, gratia similitudinis tantum sunt adducta. Hic enim liber spiritalis est, et spiritalibus spiritaliter per similitudinem loquitur : nec narrat præterita, sed prædicit futura ; de præteritis tantum sumit verba, quæ fuerunt futurorum umbra. Hic psalmus dicit quod Deus dignus sit laudari, quod fecit cœlum et terram, mare, et omnem ornatum eorum ; et his allusionibus et similitudinibus innuit, quod si laudandus et benedicendus est propter primam creationem, tunc maxime propter secundam, scilicet propter recreationem et salvationem humani generis, et propter magnificentiam, quia si magnifice egit in creatione, multo magis in recreatione, sicut dicitur : *Deus, qui mirabiliter hominem creasti, et mirabilius reformasti.* Postea dicit per quos, scilicet per apostolos, illam recreationem fecerit ; contra quos insurrexerunt aquæ volentes eos deprimere quousque Dominus eos increpuit, et sic eos compescuit. Vox Ecclesiæ :

VERS. 1. *Benedic, anima mea, Domino.* Anima, quæ modo es mei juris, benedic Domino redempta ab eo. Quidquid cogitas, quidquid dicis, quidquid operaris, pertineat ad ejus laudem. Anima a spiritu exhortata nimio desiderio convertit se ad Deum, dicens : *Domine Deus meus magnificatus es vehementer !* Tota Ecclesia est in Christo. Unde homo hic loquitur : O Christe, qui es dominator, et Deus meus magnus haberis apud Judæos et gentes. Et merito, quia *confessionem et decorem induisti*, quia de idololatris te confitentes, de fœdis in peccatis decoros in virtutibus fecisti, et eos quasi pretiosam vestem induisti.

VERS. 2. *Amictus lumine sicut vestimento* habitans lucem inaccessibilem in paternæ gloriæ ornamento, et qui erant tenebræ, facti sunt lux in te, quibus circumdatus es quasi veste. Justi ideo dicuntur lux, quia aliis præbent lumen sapientiæ verbo et opere, ut scribitur : « Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem in cœlis (*Matth.* v, 16). » Ideo dicuntur Dei vestimenta, quia Ecclesiæ, quæ est corpus Christi, sunt ornamentum. Hos fecisti lumen per cœlum, id est aperiendo eis Scripturam, *extendens cœlum sicut pellem.* Cœlum a celando dicitur, quia superna in eo a nobis celantur. In hoc libro cœlum aliquando Deus Pater accipitur, ut ibi : « Cœlum cœli (*Psal.* CXIII, 16) ; » aliquando Christus, ut ibi : « Deus de cœlo prospexit (*Psal.* XIII,

A 1); » aliquando Ecclesia, ut ibi : « Dominus in cœlo paravit sedem suam (*Psal.* CII, 19); » aliquando sacra Scriptura, ut hic : *Extendens cœlum sicut pellem*, quæ ideo cœlum vocatur, quia multa arcana in ea celantur. Hoc *cœlum* prius involutum *sicut pellem* extendit, dum sacram Scripturam multis mysteriis involutam Ecclesiæ aperuit. Sicut enim in pelle extensa non sunt rugæ, nec aliquid ibi latet, sed omnia patent, ita scripta prophetarum per Spiritum sanctum exposita fidelibus patent. Vel sicut pellis extenditur, ut inde fiat tentorium ad protegendum, ita sacram Scripturam eis aperuit, ut protegeret eos contra impugnationem hæreticorum, et contra vitia. Pellis etiam, quæ non est nisi de mortuis animalibus, significat mortalitatem.
B primis parentibus post peccatum factæ sunt tunicæ pelliceæ designantes eos in mortalitatem incidisse. *Cœlum* ergo *sicut pellem* Deus extendit, dum in tantum Scripturam Ecclesiæ intonuit, quantum scriptores ejus mundo notificavit. Prophetæ namque et apostoli scriptores Scripturæ mortales fuerunt ; sed post mortem tensi plus intonuerunt. Non tantum noti erant, cum viverent, quantum postea miraculis et scriptis noti facti sunt. Judæa sola habuit prophetas vivos, omnes gentes mortuos. Post mortem tensi sunt, quia ab apostolis expositi sunt.

VERS. 3. *Qui tegis aquis superiora ejus*, id est superficiem Scripturæ, quod est, litteram *tegis aquis*, id est profunda et obscura allegoria. Vel cœli *superiora* sunt mandata Scripturæ excellentiora. Hæc
C tegit supereminenti charitate, quæ est in aquis, id est in donis spiritalibus. De cujus fluore scribitur : « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (*Rom.* v, 5). » Ideo dixit : *Aquis*, quia duo sunt præcepta charitatis. Quæ ideo aqua dicitur, quia sordes abluit, dum multitudinem peccatorum operit, et sitim justitiæ fluentis Scripturæ restinguit. Ad excellentiam Scripturæ fit quidam ascensus credentibus, de quo subditur : *Qui ponis nubem ascensum tuum*, id est apostolicos prædicatores, imbrem doctrinæ compluentes, in populo ponis per quos ascensus ad te fiat, dum per illorum doctrinam Scriptura intellecta ad intelligendum ascendant.

D Hic incipit magnificentiam ejus dicere usque in finem psalmi. *Magnificatus es vehementer* singulis versibus est jungendum. *Qui ambulas super pennas ventorum*, hoc est, velocius currit verbum tuum ad corda, quam ventus volet. Dominus quoque per nubes in cœlum ascendit, dum Ecclesia, corpus ejus, per doctores ad intellectum Scripturæ ascendit. Vel sicut prius in seipso per nubem ascendit, ita adhuc in membris suis per nubes cœlum conscendet, ut scribitur : « Rapiemur in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus (*I Thess.* IV, 16). » Per ventos intelliguntur angelici spiritus, per pennas agilitas illorum intellectus. *Super pennas ventorum Dominus ambulat*, qui omnem intellectum cœlestium spirituum su-

perat, quia non tantum de Deo intelligere poterunt, quin adhuc superexcedat agilitatem intellectus illorum. Per *ventos* quoque animæ accipiuntur, per *pennas* virtutes, quibus ad superna attolluntur, quæ omnes in duabus alis, Dei videlicet et proximi dilectione consistunt. » In his » enim « duobus præceptis universa lex pendet, et prophetæ (*Matth.* XXII, 40). » *Super pennas* ergo *ventorum* ambulat, quia agilitatem dilectionis spiritualium virorum exsuperat, dum plus ipse eos, quam ipsi diligant.

VERS. 4. *Qui facis angelos tuos spiritus*, id est spiritales viros facis nuntios verbi tui, *et ministros tuos ignem urentem*, id est ardentes flamma charitatis, et in aliis sordes peccatorum exurentes, alios amore accendentes.

VERS. 5. *Qui fundasti terram super stabilitatem suam*, id est Ecclesiam super fidem Christi, quæ ei est firma petra, stabilitas sua. De hoc fundamento *non inclinabitur in sæculum sæculi*, id est non cadet in æternum. Hæc domus tempestatibus persecutionum impellitur; sed firmo fundamento stabilita non subruitur.

VERS. 6. *Abyssus sicut vestimentum amictus ejus.* Abyssus est multitudo malorum, quæ est profunda in consiliis vitiorum. Quæ ita sanctis est impedimentum, sicut operantibus *vestimentum*. *Super montes stabunt aquæ*, quia tribulationes et pœnæ malorum habebunt potestatem super corpus prædicatorum. Diluvium namque persecutionum terram, id est Ecclesiam sicut abyssus operuit, ita ut nec ipsi magni montes, id est ipsi sublimes prædicatores apparerent. Dum enim interficiebantur martyres, fugiebant ubique Christiani, occultabant etiam se apostoli. Sed quandiu stabunt aquæ? Parumper. Nam

VERS. 7. *Ab increpatione tua fugient.* Increpatio Christi per prædicatores erat hæc: « Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum (*Matth.* III, 2). » *Ab* hac *increpatione* aquæ *fugierunt*, dum persecutiones a pressura Ecclesiæ recesserunt. *A voce tonitrui tui formidabunt.* Vox tonitrui Christi erat: Nisi pœnitentiam egeritis, in ignem gehennæ ibitis. Ab hoc voce sævientes fluctus timuerunt, dum Constantinus, et alii tyranni a persecutione ad Christum conversi sunt. Et illi fluctus

VERS. 8. *Ascendunt in montes, et descendunt campi*, quia persecutores se sæpius minis et terroribus in superbiam extulerunt, humiles in ritum Christianum descenderunt, et Ecclesiam, quam prius impugnabant, defendere cœperunt. Et quousque ascendunt? *In locum, quem fundasti eis*, id est usque ad terminum, quo permittes eos sævire. Nam

VERS. 9. *Terminum posuisti, quem non transgredientur*, id est non plus poterunt nocere, nisi quantum tu judicas Ecclesiæ, et scis necessarium esse. Conversi autem ad te *non convertentur operire terram*, id est persequi et destruere Ecclesiam. Recedente diluvio montes apparuerunt, quia, cessante

A persecutione, apostoli montes Ecclesiæ eminuerunt, qui prius quasi depressi latuerunt. Cœperunt enim ab imperatoribus venerari, et visa est eminentia montium, per quos salus venit humano generi.

Aliter: Pace Ecclesiæ reddita, facta sunt concilia, et constitutum est, qualiter prælati, et qualiter se haberent subditi, qui prius erant indifferenter permisti. Et tunc *ascendunt montes*, id est prælati in locum prælationis, *et descendunt campi*, id est subditi in locum subjectionis, *in locum quem fundasti eis*, id est sicut disposuisti per tuos in conciliis. *Terminum posuisti, quem non transgredientur*, ut laicus sibi non usurpet officium clerici, nec clericus sibi vindicet officium presbyteri, nec presbyter episcopi, nec episcopus apostolici: et ideo *non convertentur*
B *operire terram*, id est perturbare Ecclesiam. Ergo hoc modo Ecclesiæ statu composito *magnificatus es vehementer*.

VERS. 10. *Qui emittis fontes in convallibus*, id est doctrinam apostolorum ut fontem reficientem et refrigerantem per doctores emittis humilibus. Vel convalles humiles doctores fuerunt, ut Hieronymus, Augustinus et Gregorius, in quibus Deus *fontes* emisit, quibus terram suam satiavit, dum per eos sacram Scripturam nobis exposuit. Et tunc *inter medium montium pertransibunt aquæ*, id est doctrinæ, in communi concordia apostolorum et prophetarum per eos ibunt ad alios. Ut illi, ita et isti docebant, non ut hæretici, qui statum Ecclesiæ prius commovebant. De illis fontibus et aquis

C VERS. 11. *Potabunt omnes bestiæ agri.* Ager est terra arabilis, et designatur gentilitas, quæ aratro Evangelii, et bobus prædicatoribus est arata, et semine verbi seminata. Hujus *bestiæ* gentiles bestialiter viventes erant, qui omnes vivam aquam de fontibus Salvatoris bibebant, dum sanam doctrinam de catholicis prædicatoribus hauriebant. *Exspectabunt onagri in siti sua.* Onager est animal magnum et indomitum, et significat principes sæculi, qui de illis fontibus potabunt, et adhuc cum magno desiderio potare *exspectabunt* permanentes *in siti sua*, id est semper sitientes audire verbum doctrinæ, ut Carolus et alii.

Aliter: Per bestias conjugati, per onagros sitim
D tolerantes intelliguntur continentes. Bestiæ bibent de illis aquis, cum conjugatis dicitur: « Viri diligite uxores vestras (*Ephes.* V, 25), » et iterum: « Unusquisque uxorem suam habeat, et unaquæque virum. Vir uxori debitum reddat: similiter et mulier viro (*I Cor.* VII, 2 et 3) » Onagri inde bibunt, cum continentibus dicitur: « Non omnes capiunt hoc verbum, qui potest capere, capiat (*Matth.* XIX, 11 et 12), » id est continentes permaneant. *In siti sua* exspectant, dum membra sua a libidine refrenant, desideria carnis mortificant. *Onagri* etiam designant sapientes sæculi, qui *in siti sua* exspectabant, id est aviditate vitæ ardebant, quia quanto prius sapientiores in sæculo, tanto conversi ferventiores erant in Dei servitio, ut Ambrosius, Augustinus.

VERS. 12. *Super ea volucres cœli habitabunt.* Volucres sunt spiritales viri ad alta animo volantes, libero aere perfruentes, serenitate cœli gaudentes super montes et convalles, super fontes et aquas habitantes. In montibus per contemplationem; in convallibus per humilitatem conversantur, fontibus Scripturæ, et fluentis doctrinæ satiantur. Vel *volucres cœli* sunt virgines mente in cœlis conversantes, qui *super ea*, id est super bestias et onagros habitabunt, quia merita conjugatorum et viduarum transcendunt, ut scriptum est: « Dabo eis locum nominatum » præ aliis sanctis « in regno Patris. »

De medio petrarum dabunt vocem. Petra erat Christus, petræ apostoli. Volucres in petris morantur, quia spiritales in doctrina apostolorum conversantur. *De medio petrarum vocem dabunt*, dum de apostolis scriptis prædicabunt. Hæ volucres in montibus, id est in apostolis et prophetis requiescunt, dulcem vocem edunt. Illæ sonant; petræ resonant. Spiritales disputant; Scripturæ respondentes concordant. Sicut de Christo Christiani, ita de petra petræ dicuntur sancti, quia adhærent petræ Christo. *De medio petrarum* est de communi concordia sanctorum. Qui emittis fontes in convallibus,

VERS. 13. *Rigans montes de superioribus suis*, id est apostolos docens de prophetis, qui fuerunt superiores apostolis non vita, sed tempore. Quidam codices habent: *De superioribus tuis*, id est rigans montes apostolos de melioribus tuis sancti Spiritus donis. In Hebræo habetur: *De cœnaculis Dei*, id est de secretis cœli per Spiritum sanctum irrigati sunt apostoli, sicut Petrus, qui vas de cœlo vidit descendere, et sicut Paulus, qui ad tertium cœlum raptus arcana Dei in paradiso audivit. *De superioribus* fluet aqua in montes, de montibus in convalles, et sic *de fructu operum tuorum satiabitur terra*, id est Ecclesia bonis operibus replebitur, quæ erunt fructus illorum montium et fontium; et illorum prædicatio et doctrina sunt tua opera. Terra autem satiata est,

VERS. 14. *Producens fenum jumentis*, id est victum temporalem dans suis prælatis, qui sunt jumenta Dei, qui sub jugo Domini portant eum ad alios prædicando. Et est producens *herbam servituti hominum*, id est cibum corporalem ministrans prædicatoribus, qui serviunt prædicando hominibus. Quod fit, cum laici dant episcopis et presbyteris decimas, ut inde sustentari possint vacare orationi et Ecclesiæ dispositioni.

Nota quod spirituales dicuntur sæcularium jumenta, quia portant eos verbo et exemplo ad cœlestia. Illorum etiam servi sunt, quia eis in spiritualibus serviunt. Debent igitur sæculares spiritualibus subditi prælatis necessaria providere, ut possint sine sollicitudine Dei servitium providere; quæ temporalia *fenum* et *herba* dicuntur ad comparationem spiritualium, (quæ) eis impenduntur. Prælati autem debent se servos fidelibus exhibere, non dominos, sicut scribitur: « Qui major est vestrum,
A erit minister vester, et qui inter vos primus est, sit omnium servus (*Matth.* xx, 26 et 27); » non sicut fatui prælati, qui familiam Ecclesiæ reputant servos suos. Ad quid producit terra fenum jumentis? *Ut educas panem de terra*, id est doctrinam animam reficientem proferas ei de jumentis, id est de prælatis, qui sunt terra Scripturis culta. Ideo dat subdita terra corporalem sustentationem, ut a prælata terra, id est a Dei jumentis suscipiat panem vitæ, scilicet prædicationem.

VERS. 15. *Et* ut extrahat inde *vinum*, quod *lætificet cor hominis*. Nam cætera animalia sunt ad terram prona et ventri obedientia. *Ut exhilaret faciem in oleo*, id est per impositionem manus suscipiant dona Spiritus sancti, quod fit in confirmatione. Hoc
B oleum exhilarat faciem, quia Spiritus sanctus suis donis et charismatibus lætificat mentem. Similitudo est ab his, qui uncti oleo nitidi et pulchri apparent exterius. Ita Spiritu sancto uncti nitent interius. Et ut suscipiat a prælatis panem altaris, id est corpus Christi, qui *panis* non stomachum; sed *cor hominis confirmet*, id est animam ratione utentis in donis Spiritus sancti corroboret. Hic panis per sacerdotes conficitur. Cujus cor autem non est mundatum per Spiritum sanctum, potius damnat et debilitat, quam reficit. Digne autem sumentes sanctificat in anima virtutes dando, sanctificat in corpore bonis operibus conservando, et tandem ipsum corpus in immortalitatem restituendo. Nota Ecclesiæ sacramenta
C in pane, vino et oleo designata, quia panis in igne coquitur, vinum et oleum in torculari premitur: et Ecclesia igne tribulationis, et pressura persecutionis affligitur. Inprimis panis educitur de terra, dum a prælatis Ecclesiæ catechumenis vel indoctis doctrina litteræ profertur. Deinde vinum educitur, dum baptizatis vel doctis doctrina allegoriæ exhibetur. Deinde oleum educitur, dum donis spiritualibus credens exhilaratur. Demum corpore Christi in donis collatis confirmatur. Terra inferior producit fenum jumentis; terra superior educit panem, vinum, oleum populis, et ex his charismatibus

VERS. 16. *Saturabuntur ligna campi*, id est Judæi, Gentiles et mali christiani prius infructuosi, modo *campi*, id est humiliati. *Et cedri* his saturabuntur,
D id est principes alti, sublimes nobilitate, divitiis, et excelsi in peccatis, modo *Libani*, id est dealbati et decori virtutibus, *quas* cedros Dominus *plantavit* in Ecclesia fide, spe, charitate. Pervenit vinum, et oleum Christi ad senatores, ad nobiles, ad reges. At ad quid cedros plantavit? Ut passeres sub eis nidificent. Unde subditur:

VERS. 17. *Illic passeres nidificabunt.* Cedros Dominus plantavit, et sub eis passeres nidificant, dum monachi, vel clerici, vel quique religiosi sub potestate principum cellulas construunt, et sub eorum protectione habitant. Tales sustentantur a divitibus, sicut nidus sustentatur a ramis. *Herodii domus dux est eorum*, id est divites præbent pauperibus exemplum. Herodius est avis rapax, et significat sæculi

potentes rebus temporalibus inhiantes. Qui cum supernæ patriæ amore opes suas pauperibus erogant, nudam crucem nudi sequuntur, cœlestis sibi conversationis domum piis operibus construunt; profecto in spiritalis vitæ studio passerum ductores fiunt. *Herodii* itaque *domus dux est eorum*, quia illustris conversi divitis virtus, mundi contemptus et amoris Dei præbet incitamentum pauperibus. Nam dum mediocres vident potentes conversos, citius et audacius convertuntur. Herodius superat aquilam rapinis inhiantem: et ipsi superabunt diabolum animabus insidiantem.

Alia translatio habet : *Fulicæ domus dux eorum est*. Fulica est magna avis, quæ semper moratur in aquis, et significat sapientes qui semper versantur in Scripturæ fluentis, qui sunt domus Dei, et dux eorum est Christus. Passeres sub cedris nidificant, ducatu Herodii vivunt. Et quid cervi?

VERS. 18. *Montes excelsi cervis* est refugium. *Montes excelsi* sunt sublimia præcepta, et altæ virtutes. Hæ *cervis*, id est spiritualibus, dumeta sæculi transeuntibus, fiunt refugium, dum declinant vitiorum æstum. Hi cervi serpentes devorant, dum peccata aliorum orando vel consiliando strangulant. Quæ spes erit herinaciis? *Petra refugium herinaciis*. Petra est Christus; herinacius autem animal est simile ericio, hispidum, spinosum, undique spinis et aculeis coopertum, et multum timidum habitans in petrosis locis; et significat peccatores onerosos, moles spinarum timentes pœnas gehennæ ignis, quibus est misericordia Christi refugium, ut æternum evadant incendium. De his lignis, cedris, cervis, herinaciis

VERS. 19. *Fecit lunam in tempora*, id est Ecclesiam permansuram in æternum. Licet enim multi sæviant contra illam, tamen per omnia tempora manebit. Vel *fecit* eam *in tempora*, id est ad modum temporum, quia quandiu erit Ecclesia, tandiu erunt tempora comparabilia lunæ, modo in quibusdam deficiens, modo in quibusdam resurgens. *Tempora* ejus sunt pax et persecutio. Tempore pacis videtur crescere, tempore persecutionis decrescere. Hæc illuminatur a sole id est a Christo. Qui *sol cognovit occasum ejus*, quia sol justitiæ Christus cognovit horam mortis suæ dicens: « Filius hominis tradetur gentibus, et occident eum (*Matth.* XVII, 21 et 22). » Lunam fecit, ut soli appropinquet, et lumen ab eo accipiat. Sed non illuminatur ab eo, nisi occasum solis, id est mortem Christi imitata fuerit. Luna Ecclesia patitur defectum subtracta luce solis, id est gratia Christi. Sed *sol cognovit occasum suum*, id est bene scit, cur subtrahat ad tempus gratiam suam, ne de virtutibus superbiant, et fragilitatem suam cognoscant. Sole justitiæ occidente, factæ sunt in apostolis quædam tenebræ, deficiente eorum spe, quibus primo magnus et Redemptor omnium videbatur. Unde subditur:

VERS. 20. *Posuisti tenebras, et facta est nox*, hoc est, cæcitatem fecisti in Israel, et sic facta est tua

A mors. Vel tuo occasu, o Sol justitiæ, ortæ, sunt in horis diei, id est, in apostolis perturbationis tenebræ, *et facta est nox*, id est, magna desperatio. Nam Petrus negavit, Thomas dubitavit, alii dixerunt : « Nos sperabamus quod ipse redempturus esset Israel (*Luc.* XXIV, 21) ; » sed in hoc decepti sumus. Et *in ipsa* nocte *pertransibunt omnes bestiæ silvæ*, id est, omnes dæmones, qui dicuntur bestiales propter feritatem : et *silvæ*, quia habitant in occultis, *pertransibunt* illam Ecclesiam tentationibus et suggestionibus. Sicut quædam animalia sunt, quæ nocte exeunt et escas sibi quærunt, sed veniente luce fugiunt, et latent in speluncis : ita in morte Domini, in tenebris illis exierunt dæmones, et quæsierunt sibi escam; sed veniente
B sole, id est Christo resurgente fugerunt, et ubi prius habitaverant, latuerunt. Quæ sunt illæ bestiæ?

VERS. 21. *Catuli leonum*, id est minores dæmones cum majoribus, *rugientes*, id est sævientes, *ut rapiant* sibi escam. « Leo » enim « rugiens circuit quærens, quem devoret (*I Petr.* v, 8), » ut scriptum est : « Esca ejus electa (*Habac.* I, 16). » Non tamen audet aliquem rapere, nisi Dominus permiserit. Nam Dominus scit quos et quando debeat ei permittere. Et aliqui rapiuntur ad probationem, sicut Petrus et Job : aliqui ad consummationem, sicut Judas. Petrus erat in faucibus diaboli, et ereptus est; Judas vero incorporatus est. Christus sol oc-
C cidit in morte, et facta est nox, et in ipsa nocte dæmones exierunt, et escas sibi acquisierunt, sed, sole veniente, fugerunt. Jam

VERS. 22. *Ortus est sol*, id est, resurrexit, *et congregati sunt* dæmones in unum, *et in cubilibus suis collocabuntur*, id est in Judæis et gentibus, ubi prius cubuerunt. At illis fugatis

VERS. 23. *Exibit homo ad opus suum*. Ille *homo*, cujus caput est in cœlo, id est Ecclesia ad bona studia, et *operationem suam*, id est ad virtutum exercitia *usque ad vesperam*, id est usque ad finem vitæ, vel usque ad adventum Antichristi, quia tunc erit Ecclesia in vespera et in occasu. Nam non tantum tunc prævalet, ut nunc. Post resurrectionem Domini apostoli vineæ Domini operarii *ad*
D *opus suum*, id est ad prædicationem exierunt, et bestias de vinea, id est dæmones de Ecclesia gentium fugaverunt, et virtutibus coluerunt. Post eos alii doctores *ad operationem suam*, id est ad Ecclesiæ ædificationem exibant, et alii post eos *usque ad vesperam*, id est usque in finem mundi.

Aliter : Cum sol occidit, luna deficit, quia, cum Christus gratiam suam subtrahit, Ecclesia in virtutibus deficit. Et tunc fient tenebræ, id est errores et hæreses, *et facta est nox*, id est infidelitas. *In ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ*, id est omnes diaboli, qui sunt in infidelibus, ut silva in occultis, percurrunt omnes tentationes, ut decipiant. Et non solum majores, sed etiam *catuli leonum* minores *rugientes*, feroces ut leo *pertransibunt*, *ut rapiant*

fideles, *et quærant a Deo escam sibi*, qui nullum poterunt decipere, nisi permittantur, sicut Job. Sicut inter angelos sunt quidam excellentiores, ut archangeli, quidam inferioris gradus, ut angeli : ita sunt inter dæmones quidam majoris malitiæ, quidam minoris. Unde scribitur : « Est nobis colluctatio adversus principes, et potestates, rectores tenebrarum (*Ephes.* VI, 12). » Post noctem tentationis *ortus est sol*, quia iterum veniet lux gratiæ, qui cecidit, aget pœnitentiam, et fugient omnes bestiæ et peccata, et efficitur talis, qualis ante fuit. *Et congregati sunt*, id est ab eo cessabunt, *et in cubilibus suis collocabuntur*, id est quiescent persequi eum. Et tunc per ortum solis justitiæ *exibit homo* jam rationalis de cogitatione ad bonum opus, quod erit *suum*, id est competens : *et ad operationem suam* assiduam exibit *usque ad vesperam*, scilicet usque ad finem suum, vel usque ad finem mundi, quando erit talis persecutio, quod nullus exibit, id est nemo audebit palam bene operari. Hoc differt inter *opus* et *operationem*, quod *opus* ad horam ; *operatio* assiduum opus. *Magnificatus es vehementer*, qui hoc et hæc fecisti, qui lunam deficientem tuo ortu illuminasti, et omnes bestias silvæ fugasti. Ideo merito exclamo :

VERS. 24. *Quam magnificata sunt opera tua, Domine !* id est valde magnifica et gloriosa sunt. Nec mirum. *Nam omnia in sapientia*, id est in Filio *fecisti*. Sapienter, rationabiliter, cum magno consilio cuncta operatus es, quæ dixi de tuo occasu, de Ecclesiæ defectu, de prædicationibus, et reliquis supra expositis. *Impleta est terra possessione tua*, id est omnis terra repleta est Ecclesia, quæ est tua *possessio*. Vel *terra repleta est* fide, charitate, et aliis virtutibus, quæ sunt tua possessio, et contigit per tuum ortum. Vel *terra*, id est *Judæa repleta est possessione tua*, id est fidelibus, et maxime in fine mundi fide, et bonis operibus, per quæ tu possideris. Et non solum terra, sed etiam

VERS. 25. *Hoc mare*, id est gentilitas in moribus amara, replebitur possessione tua. Quod est *magnum*, quia in vitiis profundum, *spatiosum*, id est latum et aptum manibus exercendis, sicut dicitur domus spatiosa, vel patria spatiosa. Dicimus gentilem populum *spatiosum* ab oriente ad occidentem, ubi non deficiet opus operantibus. Judæa non fuit spatiosa, ideo operariis est deserta. Antequam in mari fiat tua possessio, sunt *illic reptilia, quorum non est numerus*, id est innumerabiles dæmones, qui repunt in corda hominum per occultas tentationes. *Animalia pusilla cum magnis*, id est parva, magna dæmonia sunt ibi ad commovendas tempestates in mari. Et tamen

VERS. 26. *Illic naves pertransibunt*, id est prædicatores vehentes Christum prædicatione ad corda hominum : vel Ecclesiæ tempestates et procellas tentationum pertranseunt, quarum gubernator Christus est in ligno crucis suæ.

Nota : Mare est sæculum, procellæ tentationes, venti dæmones, tempestates sunt persecutiones, navis Ecclesia, arbor crux, velum fides, antennæ opera, nautæ apostoli et doctores, gubernator Christus, prosper ventus Spiritus sanctus, portus finis mundi, patria æterna vita. Non solum sunt in illo mari animalia pusilla, sed etiam *draco maximus* et princeps dæmonum, de quo satis auditum est, ubi habitat. *Quem formasti ad illudendum ei*, id est quem talem disposuisti, ut ei a fidelibus illudatur. Cum aliquos per mala opera devorat sicut David, Petrum, Mariam, per maxillam ejus armilla misericordiæ Christi perforatam exeunt, dum ad pœnitentiam confugiunt, et sic ei illudunt. Vel *draconem formasti ad illudendum ei*, id est Ecclesiæ navi mare transeunti. Et decipitur, quia ab angelis, vel a sanctis illuditur. Deus angelum bonum creavit, sed ipse diabolus superbia factus et malitia, se deformavit, quem Conditor iterum bene formavit, dum eum ad utilitatem Ecclesiæ disposuit. Et enim utilis sanctis, quos probat tentationibus ut Job, vel quos purgat adversitatibus ut David.

VERS. 27. *Omnia a te exspectant, ut des illis escam in tempore*, et reptilia, et animalia, et ipse draco. Non enim possunt nocere, nisi tu permittas, Ideo dicit : *In tempore*, quia neminem possunt tentare, nisi a Deo permissi, sicut legitur de Job ; nec aliquis hominum potest bonum operari, nisi inspiratus a Deo.

VERS. 28. *Dante te illis colligent*, id est, permittente te, et dante illis potestatem *colligent* prædam, et consument obstinatos. *Aperiente te manum tuam*, id est revelante te Filium et potentiam tuam, *omnia*, quæ prius erant diversa, *implebuntur bonitate*, id est virtutibus. *Omnia*, id est omnes fideles salvandi. Draconis et reptilium cibus est terra, id est peccatores : possessionis, id est Ecclesiæ cibus est bonitas, id est Christus.

VERS. 29. *Avertente autem te faciem*, id est præsentiam gratiæ, tunc *turbabuntur* suggestionibus, tentationibus. *Auferes spiritum eorum*, scilicet spiritum superbiæ, *et deficient* a malitia sua, *et in pulverem suum revertentur*, id est cognoscentes se esse pulverem ad pœnitentiam convertentur. Et tunc

VERS. 30. *Emittes spiritum, et creabuntur in bono* ; *et* sic *renovabis faciem terræ*, id est mentem terrenorum, ut intendat cœlestia, quæ prius intendebat terrena.

Aliter : In illo magno mari erunt *reptilia, quorum non est numerus*, id est in hoc mundo tentationes innumerabiles. *Animalia pusilla cum magnis*, id est milites cum principibus erunt persecutores. *Illic naves pertransibunt*, id est tamen Ecclesiæ transibunt ad littus, id est ad Christum. Ibi erit *draco iste*, Antichristus malitia et dolo plenus, *quem formasti ad illudendum ei*, quia, cum putat se per sæcula ut Deum regnaturum, primo amittet Judæos ad fidem Christi conversos, deinde per se peribit, et oppressi ab eo

illudent ei. *Omnia a te exspectant, ut des illis escam in tempore*, id est omnes exspectant tempus, quando tu permittes eos in sanctos sævire, quos ut escam possint devorare. *Dante te illis* potestatem, *colligent* eos ad occisionem et cruciatum. *Aperiente te manum tuam*, id est revelante te quibusdam sicut Judæis Filium tuum *omnia implebuntur bonitate*, id est illi omnes replebuntur bonis operibus et virtutibus. *Avertente autem te faciem*, id est subtrahente te gratiam et adjutorium *turbabuntur* a persecutione Antichristi. *Auferes spiritum eorum, et deficient*, id est morientur, *et in pulverem suum revertentur*, id est putrescent. Non prius poterunt mori quam Deus eos permiserit occidi. Sed non nocebit eis mors, quia tu *emittes Spiritum tuum* tibi consubstantialem, *et* per illum *creabuntur*, id est resurgent. *Et renovabis faciem terræ*, id est novam terram facies, et homines immortales ut sol fulgentes. Ideo

Vers. 31. *Sit gloria Domini in sæculum*, quia ipsi tunc gloriosi erunt in Domino in æternum, et et gloria Domini erit semper in eis. *Lætabitur Dominus in operibus suis*. Justi sunt opera Domini. Hi tunc in Domino lætabuntur, et Dominus in eis.

Vers. 32. *Qui respicit terram, et facit eam tremere*, id est qui nunc Ecclesiam per misericordiam *respicit*, et eam timere pœnas de peccatis suis facit, sicut Petrum respexit, quando amare flevit. *Qui tangit montes, et fumigant*, id est qui nunc prælatos aliquo crimine lapsos adversitatibus *tangit, et fumigant* per lacrymosam pœnitentiam ut David. Per *terram* subditi, per *montes* intelliguntur prælati. Vel in die judicii *respicit terram*, id est terrenos, cum dicit : « Esurivi, et non dedistis mihi manducare, » et cætera, quæ sequuntur. *Et facit eam tremere*, cum dicit : « Ite in ignem æternum. » Tunc quoque *tangit montes, et fumigant*, id est reges et principes superbos pœnali sententia tanget dicens : « Discedite a me cum diabolo, et angelis ejus (*Matth*. xxv,

A 41). » Et tunc fumigabunt, quia in æterno igne ardebunt. Ad litteram etiam terra in judicio incipit tremere, quando sentit mortuos de se resurgere. Tunc montes fumigabunt, quia flamma quindecim cubitis eos transcendet. Vel montes tacti fumigabunt, qui per ignem salvi erunt. Multi enim electi illa die timebunt, et timore purgabuntur. Pro his omnibus beneficiis

Vers. 33. *Cantabo Domino in vita mea. Psallam Deo meo, quandiu sum*, id est in bonis operibus *cantabo Domino* usque in finem mundi, vitæ meæ. Et hoc oro, ut

Vers. 34. *Jucundum sit ei eloquium meum*, hoc est, ut quod proferam ore sit ei acceptabile. Peccatores et iniqui delectantur in terrenis ; *ego vero* B *delectabor in Domino*, id est jucundabor in his quæ sunt in Domino. Et oro Domine, ut

Vers. 35. *Deficiant peccatores a terra*, id est a terrenis, in quibus delectantur : *Et iniqui* deficiant ab iniquitate, *ita ut non sint* iniqui. *Peccatores* sunt, qui in se peccant, *iniqui*, qui in proximos. Pro his omnibus *benedic, anima mea, Domino.*

Uterque psalmus simili modo inchoavit, simili modo terminavit, quia utraque Ecclesia a benedictione Christi est inchoata, et in benedictione Christi etiam consummanda. Prima benedictione vocando dixit : « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos (*Matth*. xi, 28). » Secunda benedictione vocando dicet : « Venite benedicti Patris mei, etc. (*Matth*. xxv, 34). » C

Hic psalmus ideo in festo Spiritus sancti canitur, quia Ecclesia per eum in virtutibus renovatur, et in resurrectione per eum vivificatur. Nota quod frequenter in psalmis alio, et alio modo status Ecclesiæ describitur, quia sæpius mos Ecclesiæ mutatus legitur, nunc persecutione urgente, nunc hæretica pravitate cogente, nunc schismaticorum factione compellente, nunc tranquilla pace arridente. Et secundum quodque tempus variavit stylum suum Spiritus sanctus, cui omnia futura sunt præsentia.

PSALMUS CIV.

De beneficiis populo Dei exhibitis.

Confitemini Domino, et invocate nomen ejus, etc. D

Primus psalmus hujus decadis canit Christi beneficia humano generi exhibita; secundus, et tertius utriusque Ecclesiæ specialem laudem pro acceptis beneficiis, pro qua laude merces æterna vita in hoc psalmo repromittitur. Hic ergo psalmus contexitur de utroque populo, Hebraico scilicet, et Christiano. Veterem sonat littera; novum populum demonstrat intelligentia. Uterque enim populus quasi geminus paries in lapide angulari Christo Jesu connectitur, et uterque per fidem Christi in domum cœlestem construitur. Quod enim iste credit factum, hoc ille credidit futurum. Intendit autem psalmus hic veteri exemplo probare; quia sicut patribus promissam terram dedit, ita fidelibus promissam vitam donabit.

Materia psalmi est semen Abraham, et filii Jacob, id est fideles in utroque populo imitatores fidei Abrahæ, de quibus, et ad quos loquitur Spiritus sanctus exhortans eos ad laudandum Deum, et dicit causam, quare sit laudandus, quia fecit mirabilia, scilicet terram Chanaan promisit eis, et dedit,

Ita promisit nobis æternam hæreditatem, et dabit, si imitatores fuerimus Abrahæ. Et jam dedit per Filium, et per fidem, scilicet per arrham. Vera fides est arrha illius terræ, et postea realiter dabit. Deinde per multa dinumerat, qualiter in eis promissionem compleverit, ideo ut certiores de illa hæreditate æterna simus. Nam si eis dedit illam terram, tunc dabit nobis illam, quæ significabantur per illam. Intentio est imitari nos per exhortationem hujus laudis ad assequendam et inquirendam terram viventium.

Hic psalmus est centesimus quartus, quod sunt tredecies octo. Ternarius fidem Trinitatis, denarius observationem decalogi legis, octonarius præmium futuræ beatitudinis innuit. Designat ergo hic numerus, quod pro fide Trinitatis, per operationem legis observata, octupla beatitudo recompensetur. Titulus :

ALLELUIA.

Id est laudate Deum. *Allelu* enim dicitur *laudate*, *ia* dicitur *Deus*, quod est unum de decem nominibus Hebraicis : et vox est exhortatoria ; sicut cum dicimus de laude Dei. In viginti psalmis intitulatur *Alleluia*, et est primus iste ; quia decalogus et spiritaliter et actualiter observatus perducit ad perennem lætitiam. In decalogo scribitur : « Non occides (*Exod.* xx, 13). » Hoc spiritaliter observamus, si proximum non odimus, quia « qui odit fratrem, homicida est (*Joan.* III, 15). » Actualiter hoc implemus, si nec manu, nec consilio aliquem occidimus. Item scribitur : « Non mœchaberis (*Exod.* xx, 13). » Hoc spiritualiter implemus, si uxorem alterius non concupiscimus, quia « qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo (*Matth.* v, 28). » Actualiter hoc observamus, si conjugem proximi non violamus. Sic de cæteris præceptis sentiendum. Ubicunque invenitur talis titulus, ostendit jucundam laudem, et exsultatoriam lætitiam sequi in psalmo. Si enim in titulo laus continetur, tunc maxime in psalmo, qui totus constat ex laude.

Verba psalmi sumpta sunt de historia, ubi Deus antiquo populo terram repromissionis repromisit, et posteris suis hoc complevit. Et significat quod terram viventium, quam Deus Christiano populo repromisit, filiis suis, id est bonis operibus complevit.

In septem partes dividitur, quia per septem dona Spiritus sancti promissa hæreditas percipitur. Prima pars est : *Confitemini Domino*, in qua fideles ad laudem Dei exhortantur. Secunda : *Mementote*, in qua tres summi patriarchæ sub figura fidei Trinitatis proferuntur, et merces fidei æterna vita repromittitur. Tertia : *Et vocavit famem*, in qua Joseph in Ægyptum venditus, et populus per eum salvatus sub significatione Christi, venditi Salvatoris populi narratur. Quarta est : *Et intravit Israel*, in qua Jacob in Ægyptum descensio, et populi Dei oppressio recitatur, et populi antiqui ad inferos descensio,

A et Christiani populi ab adversariis Ecclesiæ afflictio figuratur. Quinta est : *Misit Moysen*, in qua Moyses in Ægyptum missus, et populus Ægypti decem plagis percussus memoratur, et Christi in mundum missio, et spiritalis percussio designatur. Sexta est : *Et eduxit eos cum argento*, in qua populi de Ægypto egressio, et in itinere beneficiorum magnitudo refertur, et populi Christiani de idololatria egressio, et in Christiana religione beneficiorum Dei multitudo profertur. Septima : *Et eduxit populum suum*, in qua promissæ terræ possessio scribitur, et æternæ promissæ terræ hæreditatis perceptio exprimitur. Vox est Spiritus sancti fideles ad laudem Dei adhortantis :

VERS. 1. *Confitemini Domino, et invocate nomen*
B *ejus.* O Semen Abrahæ, id est imitatores fidei Abrahæ, et o filii Jacob, id est filii luctatoris Christi per imitationem, *confitemini Domino*, id est laudate Dominum. Et postea *invocate nomen ejus*, id est vocate in vos nomen suum subjiciendo vos ei tanquam servos et creaturas, ut sitis veri Christiani de nomine Christi. *Confitemini*, quia confitentem exaudiet invocantem. Et non solum in vobis laudate, sed etiam *annuntiate inter gentes opera ejus*, hoc est inter omnes generaliter viventes, et inter Judæos, et *inter gentes* prædicate, quod vos fecit confitentes. Vel *confitemini Domino* peccata vestra, et post confessionem *invocate nomen ejus*. Rectus enim ordo est, ut prius peccata confiteamur, deinde invocemus Dominum. Ita confitemini, scilicet

C VERS. 2. *Cantate ei*, id est laudate eum ore et corde, *et psallite ei*, id est bene operamini. Cantus ad contemplationem ; psalmus vero pertinet ad actionem. *Narrate omnia mirabilia ejus*, vel gubernationem mundi, vel conversionem populi. Ita laudate, ut vos laudabiles sitis, id est laudem inde habeatis, et illam laudem in vobis ei attribuatis. Psalmus :

VERS. 3. *Laudamini in nomine sancto* ei attribuendo, vel in Christiano nomine sancte vivendo. Et hoc facite cum lætitia. Jam *lætetur cor quærentium Dominum*, non aurum. Igitur quia lætabitur *cor quærentium Dominum*,

VERS. 4. *Quærite Dominum* bonis operibus, et sa-
D cram Scripturam legendo, *et confirmamini* per cognitionem Scripturarum ; *quærite faciem ejus semper*, id est notitiam, et præsentiam ejus. Si *semper* quæritur, quando habetur? *Semper*, dico, quandiu vixeritis, vel *semper*, hic et in futuro. Sed quomodo in futuro quæretur, cum videbitur? Habebitur, et quæretur amandus *semper*, quia nunquam erit in fastidium, sed quæretur *semper* amandus, et magis desiderandus : sicut aliquis rem amandam haberet, quam semper amore quæreret optans, ne amitteret. Vel *quærite Dominum*, id est gratiam Domini, scilicet remissionem peccatorum fide ; *et confirmamini* in spe : *quærite faciem ejus semper*, id est præsentiam ejus dilectione per Scripturam. Facies Dei pro præsentia, vel notitia ponitur, ut facies venti

vel ignis Per quid quæremus? Per mirabilia ejus.

VERS. 5. *Mementote mirabilium ejus, quæ fecit.* Hucusque Spiritus sanctus fideles in laudationem altæ Divinitatis accendit: jam deinceps temperans se infirmis animis per capacia verba condescendit. Quia naturam Deitatis quærere non sufficitis, facite saltem quod potestis, *mementote mirabilium ejus, quæ fecit* in se, quod natus est de virgine, quod mortuus resurrexit; et attendite *prodigia* quæ fecit in aliis, quod filios Israel eduxit per mare Rubrum, et talia, *et* attendite *judicia oris ejus*, id est præcepta quæ non impleta damnant, et judicant omnes, quæ locutus est ore suo. Vel *judicia*, id est præcepta, quæ judicat fieri. Mementote, inquam, vos, qui estis

VERS. 6. *Semen Abraham servi ejus*, id est imitatores fidei Abrahæ in operibus servi Domini, qui creditis factum, quod ille credidit venturum; qui creditis salvari per Christum, id est per imitationem Christi, quod ipse credidit; qui creditis vobis dari æternam hæreditatem, sicut ille credidit, et qui estis *filii Jacob*, id est filii luctatoris per imitationem, qui primogenita emit edulio lentis. Ita et vos emite cœlestia pro terrenis, et sic eritis *electi ejus*. Per Abraham fides, per Jacob operatio intelligitur; per fidem erunt servi Domini, per operationem electi ejus: fideles solummodo in semine Abrahæ reputantur, qui per Christum semen Abrahæ benedicuntur. Vel ista dicuntur ad filios Abraham secundum carnem, qui sunt facti servi Dei. Et quia sunt ex Abraham nati, præter filios Abrahæ [*Cod.* filios Jacob] addidit *filii Jacob*, ne putaretur de aliis dicere. Vere laudandus est a vobis. Nam

VERS. 7. *Ipse Dominus, qui* dominatur omnibus, et *Deus* creator omnium, et recreator etiam noster non recens, cujus *judicia* sunt *in universa terra*, quia solus habet ubique imperium; ipse, inquam,

VERS. 8. *Memor fuit testamenti sui*, id est novæ promissionis per Vetus Testamentum designatæ, scilicet novæ vitæ, per quam promittitur æterna hæreditas. *Testamenti*, dico, duraturi in sæculum, id est in æternum. Et memor fuit *verbi*, id est fidei, per quam datur nobis illa cœlestis hæreditas. *Quod* verbum *mandavit*, cum dixit: Si istud feceritis, vitam æternam habebitis. Et quo mandavit? *In mille generationes*, id est in perfectos. Perfectis enim dabitur illa hæreditas, quos significat millenarius. Vel *in mille generationes*, id est in omnes mundi generationes. Post diluvium enim divisus est mundus in centum patrias, et *in mille generationes*, id est in omnes generationum successiones. Mandatum enim vivendi ex fide observant promissionis filii nascendo viventes, et moriendo abeuntes, donec omnis generatio finiatur.

VERS. 9. *Quod*, subaudi, testamentum *disposuit* se illi, et aliis daturum loquens *ad Abraham*, et memor fuit *juramenti sui*, id est terræ promissionis

A cum juramento promissæ pertinentis *ad Isaac*, id est ad legitimos, non ad filios concubinæ.

VERS. 10. *Et statuit illud testamentum.* Cui? Jacob, mittens *in præceptum*, id est sub conditione dedit testamentum: si præcepta mea servaveris, illam hæreditatem tibi dabo. *Et statuit illud testamentum.* Cui? *Israel*, ducens, *in testamentum æternum*, id est, in cœlestem hæreditatem. *Testamentum ad Abraham* erat: « Semini tuo dabo terram hanc (*Gen.* XII, 7). » *Juramentum ad Isaac* erat, quando eum pater obtulit: « Per memetipsum juravi, dicit Dominus: quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo, benedicam tibi, et in semine tuo benedicentur omnes gentes (*Gen.* XXII, 16, 17, et 18). » Similiter Isaac dixit post mortem Abrahæ: terram

B hanc, quam promisi Abraham patri tuo, dabo tibi, et in semine tuo benedicentur omnes gentes. Eodem modo dixit Jacob: Hanc, quam pollicitus sum avo tuo Abraham, dabo tibi, et in semine tuo benedicentur omnes gentes. Hoc *testamentum in præceptum posuit*, dum illi populo legem dedit, quam si servarent, promissam patribus terram eis daret; si non servarent, nil eis daret. Et statuit illud *Israel in testamentum æternum*, quia voluit, ut spiritales intelligerent, quod illa promissio æternam vitam significaret, quæ illis solummodo dabitur, qui præcepta Dei servaverint. *Jacob* est nomen nativitatis, *Israel* benedictionis. Per *Jacob* antiquus populus; per *Israel* Christianus populus intelligitur. Ideo hoc

C promisit Abraham, Isaac, et Jacob, ut per illud cognitionem haberetis vitæ æternæ, et præcepta ejus servaretis, id est bene viveretis, ut ad æternam vitam per illud testamentum intellectum venire possetis. Quod disposuit ad Abraham

VERS. 11. *Dicens: Tibi dabo terram Chanaan.* Hæc sunt verba promittentis Dei. Sequitur Spiritus sanctus: *Funiculum hæreditatis vestræ*, id est terram Chanaan sibi promisit, quam vobis Jesus Nave in hæreditatem cum funiculo distribuit significantem futuram hæreditatem, quam verus Jesus cuique secundum merita distribuet. Abraham erat in terra Chaldæorum, et præcepit Dominus inde eum exire, et venire in terram Chanaan, et hanc promisit daturum semini ejus. Porro in eadem terra Chanaan

D erat tunc Abraham, cum ei Deus eam promisit, et vestigium pedis ei non dedit. Ideo intellexit Abraham per hanc terram sibi promitti vitam æternam. Legitur, quod post diluvium Sem primitus hanc terram inhabitaverit. Postea filii Chanaan expulsis posteris Sem habitaverint pro eis, ex quibus dicta est terra Chanaan. Hanc terram Chanaan postmodum Deus filiis Israel de progenie Sem natis reddidit, non dedit, utpote propriam hæreditatem olim vi ablatam. Quod significat quia Deus hæreditatem paradisi, terram viventium, humano generi non dabit, sed reddet olim habitam, et male amissam. Quod etiam vult intelligi nomen *Chanaan*, quod sonat *humilitas*, quia illa terra est humilium. Per Chanaan, quem Noe servitio addixit, servilis timor

accipitur, quem charitas perfecta foras mittit, quia « servus non manet in domo in æternum; filius autem » amans « manet in æternum (*Joan.* VIII, 35). »

Tradunt historiæ quod Abraham a Chaldæis in ignem conjectus sit, eo quod ignem adorare noluerit; sed Dominus eum inde eripuit. Aran vero frater ejus pater Lot in igne mortuus est, unde dixit Dominus ad eum: « Ego sum Deus, qui eduxi te de Ur Chaldæorum (*Gen.* XV, 7). » *Ur* enim dicitur *ignis*. Inde duxit eum in terram Chanaan, quia fideliter eum coluit. Et ut illam terram daret sibi, non reliquit hominem nocere eis.

VERS. 12. *Cum essent numero brevi*. Possent esse mille, et tamen *brevi numero*. Ideo addidit: et cum essent *paucissimi*. Insuper cum essent *incolæ ejus* terræ, id est hospites, non indigenæ, et quivis posset læsionem eis inferre. Incola dicitur, qui colit alienam terram, indigena vero inde genitus.

VERS. 13. *Et*, cum essent advenæ, *pertransierunt de gente in gentem*, de loco ad locum, de Chaldæa ad Mesopotamiam, inde ad terram Chanaan, inde in Ægyptum. Et *de regno ad populum alterum*, id est de regno ad regnum, quod fuit magnum periculum. In illa terra erant septem gentes, illas advenæ et hospites pertransibant, et

VERS. 14. *Non reliquit hominem nocere eis*. Et fame urgente descenderunt de illo regno in Ægyptum populum alterum: alia vice in Gerara, et *corripuit pro eis reges*. Pharao rex Ægypti abstulit Saram Abrahæ propter pulchritudinem (*Gen.* XX, et XXVI), alia vice abstulit eam Abimelech rex Geraræ. Utrumque *corripuit* Dominus, donec eam viro suo reddidit. *Corripuit* alium regem pro Rebecca et Isaac; corripuit Laban pro Jacob. Aliquos flagellavit et *corripuit* in somnis dicens:

VERS. 15. *Nolite tangere christos meos*, id est, unctos meos patriarchas. *Et in prophetis meis nolite malignari*, id est maligne agere, vel maligni esse.

Quæritur, quomodo christi uncti dicantur, cum unctio sacerdotalis ab Aaron, regalis a Samuel cœperit? Christi dicuntur, quia in Christum credebant de eis nasciturum, qui erant uncti oleo invisibili. Traditur quoque quod primogeniti a patribus solliciti essent benedici et ungi, sicut Jacob ab Isaac, et hi majoris potestatis præ cæteris et hæredes esse debebant, et hæc dignitas primogenita dicebatur. Ideo dixit Jacob ad Esau: « Vende mihi primogenita tua (*Gen.* XXV, 31). »

Quæritur etiam, quomodo patriarchæ dicti sint prophetæ. Dixit enim Dominus de Abraham: « Propheta meus est, et orabit pro te? (*Gen.* XX, 7.) » Illorum facta erant futurorum prophetia. Quod Abraham filium obtulit, prophetia Christi fuit, quem Pater pro nobis obtulit. Quod Isaac Rebeccam de Mesopotamia accepit, prophetia Christi fuit, qui Ecclesiam de gentibus accepit. Quod Jacob Liam et Rachel accepit, prophetia Christi fuit, qui activam et contemplativam vitam amavit. Hæc ad litteram sunt dicta: pauca de allegoria sunt dicenda.

Inprimis notandum quod justi quatuor nominibus appellantur, scilicet: *Semen Abrahæ, servi Dei, filii Jacob, electi Dei*, quia de quatuor partibus mundi in testamentum æternum quatuor Evangeliorum vocantur. *Semen Abrahæ* per fidem, *servi Dei* per operationem, *filii Jacob* per laboris tolerantiam, *electi Dei* per perseverantiam. Sunt ergo *semen Abrahæ* fideles; *servi Dei* bonum operantes; *filii Jacob* contra vitia luctantes; *electi* in virtutibus regni hæredes. Qui igitur estis semen Abrahæ, et qui estis servi Dei, laudate Dominum fide et operatione. Et qui estis filii Jacob, et qui estis electi Dei, quærite faciem ejus semper spe et dilectione. Mementote factorum et præceptorum ejus, ut facta prædicetis, et ut præcepta faciatis. Quoniam ipse Dominus Deus memor fuit vestri, et quod Abraham et patriarchis promisit, vobis implevit, cum Verbum suum in carne misit, humanum genus per eum redemit, Evangelium, *æternum testamentum*, scilicet æternam vitam spondens *statuit*, insuper Spiritum sanctum adjuvantem dedit, servatoribus testamenti æternam hæreditatem promisit. Hæc hæreditas est tribus patriarchis repromissa, per quos Trinitas est expressa. Per Abraham Pater, per Isaac Filius, per Jacob Spiritus sanctus accipitur. Hoc etiam ipsa nomina innuunt. Abraham namque *Pater excelsus*, vel *Pater multarum gentium*; Isaac *gaudium*; Jacob vel Israel *princeps cum Deo* dicitur. Ideo in Veteri Testamento hos tres specialiter nominavit dicens: « Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob (*Exod.* III, 15). Similiter Filius eosdem tres in Novo Testamento specialiter nominavit dicens: *Multi venient ab oriente et occidente*, id est, de toto mundo, « et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum (*Matth.* VIII, 11), » hoc est, in æterna vita, promissa hæreditate. Quæ hæreditas per tres virtutes acquiritur, quæ per hos tres patriarchas figurantur. Per Abraham fides, qui credidit Deo, et reputatum est illi ad justitiam; per Isaac spes, de quo pater contra spem in spem credidit; per Jacob dilectio, qui pro amore uxorum servivit, accipitur. Per hos etiam tres ordines Ecclesiæ designantur. Per Abraham doctores, per Isaac continentes, per Jacob conjugati intelliguntur, qui in una Ecclesia catholica distinguuntur, cui Ecclesiæ repromittitur: *Tibi dabo terram Chanaan*, id est terram humilitatis: *Chanaan* enim interpretatur *humilitas*, id est cœlestem hæreditatem, quæ per humilitatem acquiritur. *Funiculum hæreditatis vestræ*, id est hæreditatem, quæ per funiculum, id est per mensuram dabitur, ut scribitur: « In domo Patris mei mansiones multæ sunt (*Joan.* XIV, 2), » et ibi dabitur unicuique quod meruit. Hanc hæreditatem Dominus promisit. Et quomodo dabitur? Per multas tribulationes et labores multiplicando Ecclesiam. Nam *cum essent* fideles *numero brevi* et *paucissimi*, et *incolæ ejus* Ecclesiæ, quia « non habe-

mus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus (*Hebr.* XIII, 14), » *et pertransierunt de* una *gente ad* aliam *gentem* prædicando, *et de regno* diaboli ad aliud, regnum Dei, et *alterum populum*, qui prius fuit diaboli, factus populus Dei. *Non reliquit hominem nocere eis.* Etsi verberibus affligebant eos, tamen non multum nocebant, quia et in multis arefacta est manus. *Et corripuit pro eis reges*, dicens : *Nolite tangere christos meos*, id est Christianos oleo et chrismate unctos ; *et in prophetis meis*, id est in prædicatoribus *nolite maligne agere.* Ad historiam regrediamur. Qualiter Dominus patriarchas de illa terra eduxerit, et iterum posteros eorum in eam reduxerit, dicit :

VERS. 16. *Et vocavit famem super terram*, id est propter peccata populi jussit regnare famem in mundo septem annis. *Et omne firmamentum panis contrivit*, id est omne genus annonæ contrivit, quod est *firmamentum* et robur homini, sicut legitur, quod filii Israel descenderunt in Ægyptum, ut emerent annonam (*Gen.* XLII, 3). Nihil aliud est fames, quam ex inedia contracta pernicies. Et sicut morbus plerumque per medicamentum, sic et illa sanatur quodammodo per alimentum. Hac fame patres compulsi descenderunt de terra Chanaan in Ægyptum. Sed Dominus

VERS. 17. *Misit ante eos virum*, id est viriliter agentem. Quem virum? *Joseph.* Quomodo misit? *In servum venundatus est* ex libero. Nempe quando hoc factum est, peccatum erat fratrum, et tamen misit Deus Joseph in Ægyptum. Intuenda res magna et pernecessaria, quomodo Deus bene utatur malis operibus hominum, sicut illi contra male utuntur bonis operibus Dei. Joseph a fratribus venditum emerunt Ægypti, et

VERS. 18. *Humiliaverunt in compedibus ejus*, id est afflixerunt eum stringentes pedes ejus compedibus. *Ferrum pertransiit animam ejus*, hoc est, ferrea catena ligatus est. Vel *animam ejus pertransiit ferrum*, id est vehementem tentationem mulieris, vel duram tribulationem carceris, et hoc tandiu,

VERS. 19. *Donec veniret verbum ejus*, id est donec eveniret interpretatio somnii de regis pincerna et pistore. Nota est historia : Jacob dilexit Joseph præ cæteris filiis; unde odio fratrum est venditus in Ægyptum. Quem quidam princeps emit, et fidelem sentiens rebus suis præfecit. Et cum esset pulcher, domina illius amplexum ejus desideravit, quod nefas ipse recusavit. Ideo ab ea accusatus carceri includitur, compede et catena constringitur. In carcere vero duobus principibus regis somnium illorum exposuit, quod ita evenit (*Gen.* XLI). Hoc autem ex se ipso non fecit, sed *eloquium Domini inflammavit eum*, id est Spiritus sanctus ostendit ei, qui postea in igneis linguis apparuit. Et cum hoc comperisset,

VERS. 20. *Misit rex, et solvit eum* a compedibus. Quis rex? *Princeps populorum*, qui hoc potuit facere, *et dimisit eum* de carcere et liberum. Et majus etiam fecit.

VERS. 21. *Constituit eum Dominum domus suæ*, scilicet aulæ vel familiæ, *et principem omnis possessionis suæ*, id est totius regni Ægypti. Ad quid?

VERS. 22. *Ut erudiret principes ejus* de statu regni, *semetipsum* regem faceret, *et senes ejus*, id est sacerdotes *prudentiam* interprotandi *doceret.* Legitur quod Abraham peritus astrologus fuerit, et astronomiam in Chaldæa docuerit. Qui famis tempore in Ægyptum veniens eamdem artem Ægyptios docuit. Postea Joseph hac arte plenius imbutus sacerdotes Ægypti instruxit. Hoc notatur, ubi de Joseph sic legitur : « Nescitis quod non sit mihi similis in arte augurandi? (*Gen.* XLIV, 15.) » Unde hæ duæ, scilicet Chaldæa et Ægyptus præ aliis gentibus in astronomia callebant. Ad allegoriam revertamur :

Et vocavit famem super terram, hoc est, Dominus permisit venire vacuitatem mentis, et excæcationem in cordibus terrenorum : *Et omne firmamentum panis contrivit*, id est omnem doctrinam philosophorum, quæ firma, annihilavit. Postea prædicatores misit, et per hos pabula verbi Dei per populos sparsit. Sed *misit ante eos virum*, id est ante apostolos Christum viriliter agentem. Et sicut Joseph consilio Judæ, qui erat unus ex duodecim patriarchis est venditus pro triginta argenteis : ita Christus consilio Judæ, qui erat ex duodecim apostolis, est traditus pro triginta argenteis. Et sicut Joseph descendit in Ægyptum, et suis paravit ibi locum : ita Christus ascendit in cœlum, ut pararet suis locum. Joseph in carcere paravit fratribus patriam; Christus in cruce paravit fidelibus vitam æternam. Et prius *humiliaverunt in compedibus pedes ejus*, id est humanitatem Christi affixerunt Judæi, dum fuit ligatus : *ferrum pertransiit animam ejus*, id est clavi et lancea vitam ejus. Vel *ferrum*, id est vehementem tribulationem *pertransiit anima ejus*, quando « tristis est anima mea usque ad mortem (*Matth.* XXVI, 38). » *Donec veniret verbum ejus*, id est Patris, et faceret eum resurgere. Et tunc *eloquium Domini*, id est Verbi divinitas sibi unita *inflammavit eum*, Dominicum hominem resurgere faciendo. *Misit Rex* Pater et Deus angelum suum, qui revolvit lapidem, *et solvit* sudarium Christi, et Pater *solvit eum* a morte. Quis rex? *Princeps populorum*, id est Dominus angelorum, *et dimisit eum* de inferno immortalem, impassibilem. *Constituit eum Dominum domus suæ*, id est Ecclesiæ, quæ est domus Dei vivi, *et principem omnis possessionis suæ*, id est omnium illorum, quos a diaboli abstraxit potestate, qui facti sunt possessio Dei. *Ut erudiret principes ejus* apostolos, *sicut per semetipsum* per imitationem, ut pro modo suo eum imitarentur, *et senes ejus*, scilicet sacerdotes moribus senes *prudentiam doceret*, quomodo alios corrigerent et admonerent. Christus erudivit principes domus Dei, videlicet apostolos sicut semetipsum dicens : « Om-

nia quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis (*Joan.* xv, 15). Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos (*ibid.*, 9); » sic et vos invicem diligite. Senes ejus, scilicet principes sacerdotum et legis doctores et Scribas docuit prudentiam dicens : « Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum (*Joan.* vi, 44). Ego et Pater unum sumus (*Joan.* x, 30). » Litteram repetamus. Jacob audiens, quod Joseph viveret, et quod ipse in Ægypto regnaret,

VERS. 23. *Et intravit Israel in Ægyptum, et Jacob accola fuit in terra Cham. Jacob* dictus est a parentibus, quod dicitur *supplantator*, eo quod nascens plantam pedis Esau manu tenuerit. *Israel* dictus est a luctante angelo, quod dicitur *videns Deum*, eo quod Dominum in angelo vidit. Cui Dominus postea apparuit, et eum *Israel* nominavit, ideo nimirum, quod olim Dominum scalæ innixum vidit, quando angelos ascendentes et descendentes conspexit. *Ægyptus* dicitur a quodam rege ejusdem nominis. Hæc etiam dicitur *terra Cham* a filio Noe, qui eam primitus incoluit. *Accola* dicitur, qui aliunde veniens alienam terram colit. Israel cum omni parentela et supellectili sua Ægyptum intravit, et rex Ægyptius terram Gessen pascuis uberrimam causa Joseph ei dedit, et sic *Jacob accola fuit in terra Cham*, id est in Ægypto. Mortuus est autem Jacob, et Joseph, et omnes fratres ejus.

VERS. 24. *Et auxit* Deus *populum suum vehementer*, id est filios patriarcharum multiplicans nimis. *Et firmavit eum super inimicos ejus* viribus et divitiis. Sed postea magis, quando in manu potenti per signa et portenta Dei facti sunt metuendi et honorandi.

VERS. 25. *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus*. Nunquid peccatorum Deus amator est? Nunquid convertit cor hominum ad facienda mala? Absit! Sed ipsa est illa mirabilis Dei bonitas, qua bene utitur etiam et malis vel angelis vel hominibus. Cum enim ipsi vitio suo mali sint, ille de malo eorum bene facit. Invidia est odium felicitatis alienæ. Cum Ægyptii Hebræis inviderent, quod divitiis et gloria florerent, Deus quasi *cor*, Ægyptiorum ad odium *convertit*, dum Hebræorum gloriam et divitias auxit. *Et dolum facerent in servos ejus*, id est faciebant eos operari sub dolo. Nam dicebant lateres esse necessarios ad instructionem regni, et *dolus* erat, quia hoc ideo faciebant, ut eos affligerent. Infantes masculos in flumine necabant, et feminas reservabant. Allegoriam respiciamus.

Christus senes prudentiam docuit, *et intravit Israel in Ægyptum*, id est mente videns Deum in tribulationem descendit, vel in tenebras hujus vitæ mente intravit, et consideravit nihil esse, et ideo *Jacob*, id est luctans *accola fuit in terra Cham*, id est in terra furentis. Nam *Cham* interpretatur *furens*. *Et auxit populum suum vehementer* in numero, *et firmavit eum* constantia, fortitudine, scientia *super inimicos ejus*. Licet Nero Petrum, Decius occidisset Laurentium, tamen uterque firmior fuit occisore.

A *Convertit cor eorum*, id est converti permisit cor tyrannorum, *ut odirent populum ejus* Christianum, et affligerent, *et dolum facerent* hæretici et philosophi *in servos ejus*. Multos enim dolos et deceptiones fecerunt hæretici in sanctis.

Ad litteram recurramus. Hic legatio Moysi et decem plagæ referuntur, quæ etiam in psalmo septuagesimo octavo [septimo], id est : *Attendite*, ponuntur. Sed ibi sub alia significatione, hic sub alia describitur. In quibus non servatur ordo prout gesta sunt, quia hic liber non sequitur ordinem gestorum, sed mysteriorum. Ideo quasdam superius mutavit, quasdam hic ponit, quas ibi non dixit, scilicet tenebras et sciniphes. Ulcera nec hic, nec ibi posuit, quia similitudines tantum intendit. Ægyptii afflixe-B runt Hebræos, et Deus liberavit eos.

VERS. 26. *Misit Moysen servum suum*, sibi utilem, ad Pharaonem, et ipsum *Aaron, quem elegit*, id est magnæ sanctitatis virum, quem maxime dilexit, cum eo misit. In Hebraico et in Græco legitur : *Quem sibi elegit*, non *ipsum*. Sicut prius Joseph misit, ut prævideret eis locum, ita nunc Moysen et Aaron misit, qui inde educeret eos.

VERS. 27. *Posuit in eis verba signorum suorum*, id est nuntia efficacia per signa. *Prodigiorum suorum in terra Cham*, id est in Ægypto. Sicut verba, quæ loquimur, sunt signa rerum, de quibus loquimur, ita *signa illa* erant verba futurarum rerum. *Signa* erant, quod virgam in draconem, aquam C convertit in sanguinem; *prodigia* vero, quod terra subito ranas edidit, vel horribile chaos terram operuit.

VERS. 28. *Misit tenebras* in Ægyptum, *et obscuravit* populos. Hæc nona plaga fuit, quæ hic prima ponitur. Sed iste non sequitur ordinem rerum corporalium, sed spiritalium. De spiritalibus enim scribitur, et verba tantum de corporalibus similitudinibus sumit. Factæ sunt quippe in Ægypto per tres dies tenebræ tam densæ, ut palpari possent. Ubi autem filii Israel erant, lux erat, et hoc magnum prodigium fuit. *Et non exacerbavit sermones suos* illis duobus Moysi et Aaron : nam ita evenit, ut prædixit. Vel *non exacerbavit* Hebræis *sermones suos*, id est non aspere locutus est eis, quamvis ipsi D incredulitate sua exacerbarent eum. Nam in Ægypto positi increduli fuerunt et verbis et signis ejus.

VERS. 29. *Convertit aquas eorum*, Ægyptiorum *in sanguinem*, quia ipsi occiderunt infantes Hebræorum in aqua. *Et occidit pisces eorum* in flumine. Hæc plaga fuit prima.

VERS. 30. Et *terra eorum*, quæ prius edebat frumentum, *edidit* modo *ranas* non solum in tuguriis pauperum, sed etiam *in penetralibus*, id est in cubiculis *regum ipsorum*, id est principum. Quidam codices habent : *Edidit terra eorum ranas*. In Hebræo habetur : *Ebullivit terra eorum ranas*.

VERS. 31. *Dixit*, id est voluit, *et venit cinomia*, id est canina musca, cinos enim dicitur canis, vel cœnomyia, id est omnimoda musca. *Et venit scini-*

phes, id est culex ignito aculeo, *in omnibus finibus eorum*, id est in tota terra.

Vers. 32. *Posuit pluvias eorum grandinem*. Cum enim non soleat pluere in Ægypto, modo dedit eis grandinem pro pluvia, et *ignem comburentem in terra ipsorum*, id est fulgura.

Vers. 33. *Et* per grandinem et per fulgura *percussit vineas eorum et ficulneas eorum*, id est fructiferas arbores. *Et contrivit lignum finium eorum*, id est infructuosas arbores contrivit in finibus eorum.

Vers. 34, 35. *Dixit*, id est voluit, *et venit locusta et bruchus, cujus non erat numerus. Et* locusta *comedit omne fenum in terra eorum*, id est omnia sata, et bruchus comedit *omnem fructum terræ eorum*, id est omnes arbores. Vel locusta depasta est pabulum jumentorum, et bruchus hominum.

Vers. 36. *Et* tandem *percussit omne primogenitum in terra eorum*, id est omnia primogenita hominum percussit a primogenito, qui erat in domo Pharaonis, usque ad filium ancillæ, *et percussit primitias omnis laboris eorum*, hoc est primogenita animalium, quæ labore nutriuntur.

Allegoriam quæramus. Missus est Moyses in Ægyptum, qui afflictos a Pharaone liberavit: missus est Christus in mundum, qui oppressos a diabolo eripuit, vel de inferno captivos eduxit. Qui Moysen et Aaron, id est legem et sacerdotium, id est legislatores et prædicatores, quos de aliis ut Paulum elegit (misit). *Et posuit in eis verba signorum suorum*, id est verba, quæ sequerentur, signa minora, ut cæcorum illuminatio, *et prodigiorum suorum*, id est majorum, ut mortuorum resuscitatio, ostendendorum *in terra Cham*, id est in terra *furentis*. *Et misit tenebras*, id est cæcitatem in Judæos et in hæreticos, *et oscuravit* eos in sæculari philosophia. Cum inciperent prædicatores exponere arcana Scripturæ mysteria, tunc divina Scriptura est aperta, et sæcularis clausa. *Et non exacerbavit sermones suos*, id est non sunt confusi sermones duri et acerbi, quod dixit: Relinquite mundum, quia reliquerunt. Mox exortæ sunt hæreses. *Et convertit Deus aquas eorum in sanguinem*, id est doctrinas hæreticorum in effusionem sanguinis animæ suæ et aliorum, id est in destructionem fidei, quæ est sanguis animæ. Hoc ad probationem fidelium fecit. *Et occidit*, id est occidi permisit *pisces eorum*, hoc est vagos discipulos volantes de una sententia ad aliam. *Et terra eorum edidit ranas*, id est ipsi terreni ediderunt philosophicam loquacitatem, non solum in minoribus, sed et *in penetralibus regum ipsorum*, id est philosophicæ loquacitates placuerunt ipsis regibus ut Juliano. *Dixit*, et permisit, [*et venit cynomyia*, id est canini mores, scilicet luxuria et impudicitia: *sciniphes*, id est doctrina dialectica, quæ multos pungit et excæcat *in omnibus finibus eorum. Et posuit pluvias*, id est doctrinam, *eorum* hæreticorum, *grandinem*, id

A est concutientem et contundentem se ipsos. *Et posuit ignem comburentem*, id est incentivum carnis *in terra*, id est in cordibus *ipsorum*. Dicitur enim quod hæretici magis luxuriosi sint cæteris. *Et percussit vineas eorum*, id est majores virtutes, *et ficulneas eorum*, id est minores, *et contrivit lignum finium eorum*, id est omne opus bonum, quod in eis fuit, permisit destrui. *Dixit*, hoc est permisit, *et venit locusta*, id est corrosores aperti, *et bruchus*, id est detractores occulti, *cujus non est numerus;* innumerabiles enim sunt hæreses. *Et comedit omne fenum in terra eorum, et comedit omnem fructum terræ eorum*, hoc est principes et detractores fidelibus auferebant, si qua bona temporalia habebant, et sic præcepta peccata minuta ab eis tollebant, quæ fe-

B num et stipula significat. *Et percussit omne primogenitum in terra eorum*, id est fidem, quæ est principalis in homine, percussit in illis hæreticis: *et percussit primitias omnis laboris eorum*, id est omnes residuas virtutes et doctrinam, in quibus confidebant, percussit. Ad litteram regrediamur.

Hic sequuntur septem beneficia antiquo populo divinitus collata, scilicet pecuniæ copia, hominum valetudo, nubis protectio, de avibus refectio, cœlestis panis saturatio, aquæ de petra productio, terræ gentium datio. Persecutores Hebræorum Dominus tot plagis, ut dictum est, afflixit.

Vers. 37. *Et eduxit eos*, Hebræos, de Ægypto *cum argento et auro*, quæ eis Ægyptii quasi redituris commodaverant. Et cum tanta prosperitate

C eduxit eos, quod *non erat in tribus eorum infirmus*. Hoc magnum beneficium, quod in illa necessitate migrandi nullus erat ægrotus. Ideo jussit Dominus Hebræos spoliare Ægyptios, quia avari erant, et laborantes Hebræos non remunerabant. Accepta ergo mercede pro labore suo abibant, sicut laborantes in vinea post præcepta præmia domum redeunt.

Vers. 38. *Lætata est Ægyptus in profectione eorum* de mari Rubro, postquam Pharao cum omni exercitu submersus est; *Quia incubuit timor eorum super eos*, timentes residui Ægyptii, ne Hebræi in terram redirent, et reliquias eorum magna facilitate contererent. Tunc contigit quod superius dixit: *Firmavit eum super inimicos ejus*. Porro Ægyptii sa-

D tis contristati sunt, quod vasa aurea et argentea, et vestes pretiosas Hebræis præstitas non receperunt. Deinde

Vers. 39. *Expandit nubem*, id est expansam misit nubem *in protectionem eorum*, ut protegeret in die a pluvia et ab æstu; *et ignem, ut luceret eis per noctem*, ne tenebras solitudinis exhorrerent. Et in deserto murmuraverunt contra Dominum dicendo: Redibimus ad ollas carnium, et suaviores

Vers. 40. *Petierunt* carnes, *et venit coturnix*. Ideo dedit eis aves, id est quasquilas (55), non quadrupedes, qui sunt salubres, et magis sapidæ; *et pane cœli*, quod est manna, saturavit eos. Postea

(55) Cod. Gemnicensis: *quaquilas*

VERS. 41. *Dirupit petram* cum virga, non ferro, *et fluxerunt aquæ*, quas ipsi, et jumenta biberunt. *Abierunt in sicco flumina*, id est per totam eremum usque ad terram repromissionis secum ibant, ut scribitur : « Bibebant de spiritali consequente (*I Cor.* x, 4), » id est comitante *petra*, hoc est aqua de petra educta. Ideo ista beneficia eis contulit,

VERS. 42. *Quoniam memor fuit verbi Sancti sui*, id est certæ et firmæ promissionis, *quod habuit ad Abraham* loquens, *puerum suum*, id est sibi obedientem, dum dixit : « Semini tuo dabo terram hanc (*Gen.* XII, 7). » Hinc patet quod filii Israel non pro suis meritis, sed pro complenda promissione Dei terram illam possederunt, quin potius omnes pene pro meritis suis in deserto prostrati sunt. Ad allegoriam revertamur.

Præscriptas tribulationes immisit Deus persecutoribus fidelium, *et eduxit* suos de eis *cum argento*, id est cum nitore eloquii, et *auro* id est cum scientia. Vel percusso mundo multis modis educuntur animæ justorum *in argento* confessionis lucidæ, *et auro* puritatis splendidæ sublata omni infirmitate peccati. Unde subditur : *Et non erat in tribubus eorum infirmus.* Cum enim migrant sancti ab hac vita, omnem dolorem et languorem Dominus aufert ab eis, et cum lætitia magna discedunt. *Et in profectione*, id est in transmigratione eorum ab hac vita, *lætata est Ægyptus*, id est tenebræ, scilicet tenebrosi lætati sunt de abscessu lucis ideo, quia non est lux, quæ increpet tenebras. « Omnis enim, qui male agit, odit lucem (*Joan.* III, 20). » *Expandit nubem*, id est sanctum corpus Dominicum, refrigerantem *in protectione eorum, et ignem*, videlicet Spiritum sanctum illuminantem eos, *ut luceret eis per noctem*, hoc est illuminaret eos per totam hanc vitam, quæ nocti comparatur. *Petierunt, et venit coturnix*, hoc est petierunt virtutes, quæ sicut pennæ elevant ad cœlestia, et mentem satiant, et venerunt eis, *et pane cœli*, id est corpore suo vel doctrina cœlesti saturavit eos. *Dirupit petram*, hoc est fecit eos intelligere esse ruptam petram, scilicet Christum in passione per lanceam, et ab illa ruptione *fluxerunt aquæ*, id est multiplex gratia, baptismus, redemptio, sacra Scriptura. Aperto quippe Christi latere exivit sanguis et aqua. Et tunc *abierunt in sicco flumina*, id est prædicatores in gentibus, quæ erant siccæ ab omni rore miseri-

A cordiæ. Et ideo ista omnia suis contulit. *Quoniam memor fuit verbi sancti sui*, id est firmæ promissionis, *quod habuit ad Abraham puerum suum*, scilicet quod promisit imitatoribus Abrahæ æternam hæreditatem se daturum.

Littera est iterum repetenda. Hic dicit quomodo semen Abrahæ in promissam terram introduxit. Hebræos pavit Dominus in deserto cœlesti alimonia.

VERS. 43. *Et* de illo deserto *eduxit populum suum* sibi obedientem *in exsultatione* exteriori, ut Josue et Caleb, *et electos suos*, scilicet digniores *in lætitia* interiori, et introduxit eos in terram, quam olim patriarchis promisit.

VERS. 44. *Et dedit illis regiones gentium*, et non vacuas, sed *labores populorum possederunt*, quia sic-
B ut prius Ægyptios despoliaverunt, ita istis gentibus aurum et argentum et vestes abstulerunt. Pro dura namque servitute dedit eis aurum et argentum Ægyptiorum, pro diutina peregrinatione regiones gentium, pro longo itinere labores populorum. Ad quid dedit eis ista terrena bona?

VERS. 45. *Ut custodiant justificationes ejus*, id est mandata, quæ justificant; *et legem ejus requirant*, ut spiritaliter intelligant. Ideo dat Dominus sanctis ista bona, ut non impediti in his necessariis acquirendis vacent orationi et lectioni : vel ut *custodiant justificationes ejus, et legem ejus requirant*, Deum non esse colendum pro terrenis, sed pro ipso. Pro terrenis istis a Deo datis gratias agere debemus, et eum pro se ipso habendo adorare. Allegoria est con-
C sulenda.

Dominus promisit fidelibus vitam æternam, *et eduxit* de mundo *populum suum*, id est sibi obedientem, ut exsultet de bono opere, *et electos*, id est perfectiores ut Martinum et Benedictum, *in lætitia* magna de bona conscientia. Exsultatio ad corpus; lætitia pertinet ad animam. Sed prius *dedit illi regiones gentium*, ut eas acquirerent suis prædicationibus, *et labores populorum possederunt*, id est discipulos philosophorum in suam sectam attraxerunt. Ad quid? *Ut custodiant justificationes ejus*, id est mandata quæ justificant, *et legem ejus requirant* spiritaliter. In fine hujus psalmi *Alleluia* ponitur, per quod laus lætitiæ exprimitur, quia qui mandata Domini faciunt, promissam Domini hæreditatem intrabunt, ubi gaudium et lætitiam possidebunt.

PSALMUS CV.

De laude Ecclesiæ de gentibus.

Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus, etc. Hic psalmus centesimum quintum locum dedicat; qui numerus a monade surgens, et per decadem accrescens ad quatuordecim pervenit, et summam hujus numeri con-
D stituit, verbi gratia, cum nominas unum, da unum; cum nominas duo, da duo, et erunt tria; cum nominas tria, da tria, et erunt sex; cum nominas quatuor, da quatuor, et erunt decem, et sic facies usque ad quatuordecim, et erunt centum quinque. Quater-

narius Novum Testamentum, denarius Vetus Testamentum exprimit. Designat quoque hic numerus, quod observatores utriusque Testamenti centuplum præmium recipiunt.

Materia in hoc psalmo sunt conversi de Judæis imperfectiores, de quibus loquitur Spiritus sanctus commonens eos ad confitenda peccata, ad laudandum Deum, ad agendam pœnitentiam, et memoranda mirabilia et beneficia quædam, quæ patribus eorum contulit, et tamen irritaverunt eum, et ideo puniti sunt. In qua pœna non defuit misericordia Domini pro parte salvandorum. Et sicut illis non defuit misericordia, ita in omnibus confitentibus peccata, et laudantibus Deum, et pœnitentiam agentibus non deerit misericordia. Superior psalmus locutus est de imitatoribus Abrahæ; hic loquitur de populis exacerbantibus Deum. Ille retulit quæ beneficia Dominus illi populo impendit, hic refert, quæ mala ingratus populus etiam pro bonis impendit. Intentio est nos hortari ad amorem Dei, qui potens est punire, et potens misereri. Titulus est :

ALLELUIA.

Quod est, *Laudate Deum*. Dicit Hieronymus quod ubicunque duo ponuntur *Alleluia*, unum pertinet ad superiorem psalmum, aliud ad sequentem. Augustinus vero dicit ambo pertinere ad sequentem propter utriusque populi laudem. Sed magis sequendus est Hieronymus propter Hebraicæ linguæ notitiam.

Verba psalmi accepta sunt de historia, ubi filii Israel post multa Dei beneficia multis modis Deum offenderunt, et ob hoc quidam puniti sunt, quidam ad pœnitentiam conversi salvati sunt. Et significat quod multi Christiani post multa gratiarum dona Deum multis modis offendunt, de quibus induratos damnat, pœnitentes salvat.

Hic psalmus in sex partes dividitur, quia laus Dei in senario, ut mundus in sex diebus perficitur. Prima pars est : *Confitemini Domino*, in qua confessio laudis, et oratio continetur. Secunda : *Peccavimus*, in qua peccatorum confessio, et patrum offensio scribitur, quos de Ægypto liberavit, et in mari Rubro salvavit. Tertia pars est : *Cito fecerunt*, in qua tres offensiones, et totidem animadversiones Judæorum proferuntur, scilicet, quod concupiscentes carnes, saturatos ira Dei consumpsit, et quod rebelles Moysi quidam a terra deglutiti, quidam ab igne consumpti sunt, et quod vitulum adorantes occisi sunt. Quarta pars est : *Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem*, in qua item tres irritationes, et totidem vindictæ sequuntur. Quod promissis Dei non crediderunt, et ideo terram repromissionis non intraverunt, et quod propter verba exploratorum murmuraverunt, et ideo occisi et captivi interierunt, et quod Beelphegor immolaverunt, et ideo occisi sunt Quinta pars est : *Et irritaverunt ad aquam contradictionis*, in qua quatuor crimina Judæorum narrantur : scilicet quod propter aquæ penuriam Domino et Moysi contradixerunt, et quod

A terram ingressi gentes secundum jussum Domini non disperdiderunt, et quod sculptilibus eorum servierunt, et quod filios et filias suas dæmoniis sacrificaverunt, pro quibus gentibus traditi memorantur. Sexta pars est : *Salvos fac nos, Domine*, in qua conversorum deprecatio, et Dei laudatio continetur.

Magnalia hujus psalmi totius humanæ redemptionis sacramenta testantur. Ab Ægyptiis enim eripimur, quando ab operibus diabolicis divino munere liberamur. Mare Rubrum transimus, quando baptismatis sacramenta percipimus. In deserto pascimur, dum in solitudine mundi bonarum rerum largitate satiamur. Ad terram promissam perducemur, quando in illam felicem patriam munere supernæ B pietatis intrabimus. Vox est Spiritus sancti de Judæis conversos, sed lapsos, ad pœnitentiam adhortantis :

VERS. 1. *Confitemini Domino*. Vos, qui de Judæis credidistis, et lapsi estis, in peccatis nolite desperare, nolite deficere, nolite parentes vestros Deum exacerbantes imitari, sed pœnitentes imitamini et *confitemini Domino* originalia et actualia peccata ; accusate vos, et pœnitentiam agite, ne ipse puniat vos : qui potens est punire. *Confitemini ei*, et non confundet vos, qui *bonus* est non statim puniens, sed exspectans, et pluit super justos et injustos. Ipse bonitas est essentialiter, ideo ipse omnibus bene cupit. Post confessionem misericordiam im-C plorate, *quoniam in sæculum misericordia ejus*. Quædam occulta vis est in eo, qua peccata dimittit omnibus misericordiam suam ostendentibus. Et illa misericordia permanet *in sæculum*, id est quandiu cursus istius vitæ erit. Nam postea non erit necessaria, ubi non erit fructuosa pœnitentia. Nam « in inferno quis confitebitur tibi ? (*Psal*. VI, 6.) » Vel misericordia ejus permanet *in sæculum*, id est in æternum, quia sancti etiam post hanc vitam immortales, impassibiles facti non poterunt subsistere, nisi *misericordia* Domini. Post remissa peccata loquimini potentias Domini, id est prædicate omnibus, quod potens est dimittere, et auditas facere aliis omnes laudes ejus, id est præcepta ejus. De quibus laudetur, et beati eritis.

D VERS. 2. *Quis* enim *loquetur potentias Domini*, quas ostendit pœnitentibus justificando impios? Aut quis *auditas faciet omnes laudes ejus*, id est præcepta ad laudem ipsius ? Præcepta dicuntur *laudes*, quia his expletis laudatur homo. Peracta pœnitentia in justitia permanete, quia

VERS. 3. *Beati, qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore*. Judicium custodit, qui rectum judicat. Justitiam vero facit, qui recte agit. Judicium ad fidem, justitia pertinet ad opus. *Beati* ergo erunt, *qui* fidem in judicio *custodiunt et justitiam* in opere *faciunt*, et hoc *omni tempore*, id est ex quo incipiunt, quousque vivitur. « Qui » enim « perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth*. X, 22). »

Nota : quinque proponit ad consequendam beatitudinem, scilicet peccata confiteri, potentias Domini loqui, laudes ejus annuntiare, judicium custodire, justitiam facere.

Aliter : *Beati qui custodiunt judicium*, id est qui futurum judicium intelligunt, quid mali, quidve boni ibi habituri sint, et illud per confessionem et pœnitentiam præoccupant, ne Dominus eos puniat. Vel qui custodiunt discretionem, quid sit agendum, quidve omittendum, et peccata dijudicant, et accusant hic, et puniunt in se, ne in futuro puniantur, et omni hora bene operantur. Post Spiritus sancti admonitionem sequitur pœnitentium oratio :

VERS. 4. *Memento nostri, Domine*, etc. Absentis vel exsulis meminimus, præsentem vel infirmum visitamus, absentes a visione Dei et a consortio angelorum in exsilio hujus mundi fuimus, et Dominus memor fuit nostri, Filium suum ad nos misit, qui infirmos a latronibus semivivos relictos sua præsentia visitavit. Sicut tunc, ita nunc *Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui*, id est in Filio tuo, qui fuit tibi beneplacitus ex omni populo tuo. Vel *memento nostri, Domine*, ut simus in populo, qui bene placuit tibi. Quasi immemor videtur Deus, cum de vitio in vitium hominem cadere permittit. Tunc memor fit, cum a peccato revocat, ad pœnitentiam provocat. *Memento nostri*, qui longe a te peccando recessimus, *et visita nos* interna aspiratione *in salutari tuo*, id est in Filio tuo, qui est Salvator omnium. Vel *in salutari tuo*, id est in illa salvatione, qua alios visitas in Spiritu sancto. Quoties homo memor peccatorum dolet, et gemit, et compungitur in lacrymis, toties visitat eum Dominus. *Visita nos* infirmos. Ad quid ?

VERS. 5. *Ad videndum in bonitate electorum tuorum*. Ad hoc visita, promove nos : *ad videndum in bonitate electorum tuorum*, id est ad intelligendum bona, quæ confers electis tuis. Vel *ad videndum in bonitate electorum tuorum*, id est ad intelligendum virtutes, et bona opera, quæ hic habent electi. Et ad hoc etiam visita : *ad lætandum in lætitia gentis tuæ*, id est promove nos, ut lætemur tali lætitia, quali gens tua lætatur, quæ de servata innocentia exsultat, *ut lauderis* etiam a nobis *cum hæreditate tua*, id est cum justis, qui sunt hæreditas tua. Vel *ut lauderis cum hæreditate tua*, id est apud hæreditatem tuam, quod nos simus, sanctus, sanctus, sanctus dicendo. Vel *ut lauderis cum hæreditate tua*, id est ut et tu lauderis hic, et homo laudetur.

Nota quod pœnitentes quatuor orant : ut Deus eorum memor sit a peccatis revocando ; deinde visitet ad pœnitentiam inspirando ; ut bona videant electorum ; et lætentur in lætitia justorum. Gentis Dei lætitia est summum, verum, incommutabile et beatificum bonum, quod ipse Deus est, quem videre est laudare ; lætari laudare est. Post orationem sequitur illorum confessio :

VERS. 6, 7. *Peccavimus cum patribus nostris*, id est sicut patres nostri tot et tantis modis *injuste egimus* in Deum, *iniquitatem fecimus* in proximum. Mirabilia tua non intelleximus, et misericordiæ opera in memoria non habuimus sicut *patres nostri*, qui *in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua* spiritaliter, quæ viderunt fieri corporaliter, et *non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ*, id est multiplicis misericordiæ tuæ, qua eos exsules visitasti, inimicos eorum flagellasti, ipsos de angustia liberasti. Duo sunt quæ beneficia donata commendant : intellectus, memoria quod utrumque per fidem defuit. *Et irritaverunt ascendentes in mare Rubrum*. Hoc est de Ægypto ascendentes per manum Domini liberati mox Deum ad iram provocaverunt, cum ad mare Rubrum pervenerunt. Nam videntes exercitum Ægyptiorum insequi, de Dei adjutorio diffidebant, et murmurabant dicentes : « Nunquid sepulcra non fuerunt in Ægypto, ut faceremus hic in solitudine ? » (*Exod.* XIV, 11.) *Ascendentes* ideo dixit, quia ex quacunque parte exeatur de Ægypto, est ascensus, et illa regio, in qua est mare Rubrum, altior est Ægypto. Mare Rubrum dicit ad distinctionem illius quod non est rubrum ; vel eo quod in illo mari ab hostibus liberati sunt. Illud mare Rubrum non est naturaliter rubrum, sed de rubra terra induit hunc colorem. Terra enim illius regionis rubra est. Potuisset Dominus alias eduxisse eos ; sed voluit eos educere per *mare Rubrum*, ut intelligerent fideles, quandoque per baptismum ad promissam hæreditatem perducendos sanguine rubricatum. Nota quod sub peccatis patrum sua peccata confitentur, quia sicut illi corporaliter, ita isti peccaverunt spiritualiter. Et licet illi provocaverint Deum ad iram murmurando, tamen

VERS. 8. *Salvavit eos* non propter illos, sed *propter nomen suum* glorificandum. Ad quid ? *Ut notam faceret potentiam suam*. Ideo, ut manifestaret, quam potens est. Et quomodo salvavit ?

VERS. 9. *Increpuit mare Rubrum*. Tanquam aliquis potens increparet servum suum, ne alicui obstaret, ita *increpuit mare*, ne illis fugientibus obstaret, *et exsiccatum est; et deduxit eos in abyssis sicut in deserto*, id est tam sicco pede transierunt, ac si essent ibi, ubi nunquam fuit. Vel ita perduxit eos per mare, sicut postea per desertum.

VERS. 10. *Et* sic *salvavit eos de manu odientium*, id est de potestate Ægyptiorum, qui eos oderant propter spoliationem, *et redemit eos de manu inimicorum*, id est de potestate Pharaonis, et omnium prælatorum, qui eis præfuerunt in operibus. Ideo dixit : *Redemit*, quia jam præfigurabat redemptionem humani generis sanguine Christi. Quomodo salvaverit, subjungit :

VERS. 11. *Et operuit aqua tribulantes eos* in tantum, quod nec *unus ex eis remansit*, qui renuntiaret. Et hoc significavit, quod in baptismate omnia remittuntur peccata.

VERS. 12. *Et* tunc *crediderunt verbis ejus*, hoc est, tunc primum crediderunt verum esse, quod eis promisit, quia liberaret. *Et laudaverunt laudem ejus*,

quia victores erant, id est in laudabili facto laudaverunt eum. Vel ut alia translatio habet : *Et cantaverunt laudem ejus* dicentes : « Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est (*Exod.* xv, 1), » etc: Et hanc laudem

VERS. 13. *Cito fecerunt*, id est brevi tempore laudaverunt eum, *et* postea *obliti sunt operum ejus*, id est oblivioni tradiderunt beneficia ejus. *Non sustinuerunt consilium ejus*, hoc est, non patienter exspectaverunt consilium ejus. Consilium Dei erat, ut hoc et hoc modo intrarent terram promissionis; sed ipsi impatientes sine omni labore et dilatione ibi esse voluerunt, ut vulgo dicitur : *Catus vult pisces manducare; sed non vult pro illis laborare*. Operum Dei, quæ fecit in Ægypto, et in mari Rubro obliti sunt,

VERS. 14. *Et concupierunt concupiscentiam in deserto*, id est rem concupiscibilem concupierunt, scilicet pisces Ægypti et ollas carnium. Talis locutio est, sicut dicimus : Hanc servitutem servivit, talem vitam duxit. *Et tentaverunt Deum in inaquoso*, id est ex diffidentia rogaverunt aquas in deserto. Ingressi quippe de mari Rubro venerunt in desertum. Ibi defecerunt eis victualia, quæ secum de Ægypto tulerant, et omnis multitudo pro cibo et potu murmurabat, et Moyses et alii meliores a Deo hæc sibi dari petebant.

VERS. 15. *Et dedit eis petitionem ipsorum*, scilicet aquam de petra, *et misit saturitatem in animas eorum*, videlicet manna et carnes volatilium tribuit eis usque ad sufficientiam. *Animas* dicit voluntates, hoc est, quantum volebant. Hic contra Deum murmuraverunt, et patienter sustinuit; postea vero contra prælatos suos Moysen et Aaron murmuraverunt, et non sustinuit.

VERS. 16. *Et* post hæc *irritaverunt Moysen in castris, Aaron sanctum Domini*, id est electum Domini, vel sacerdotem Domini. Uncti enim oleo dicebantur *sancti*.

Quæritur cur Moysen non dixerit *sanctum*, et Aaron dixerit *sanctum?* De Moysi sanctitate nullus dubitavit; de Aaron vero dubitatio fuit, quia idolum populo fecit. Ut ergo hanc dubietatem nobis tollat, eum *sanctum* vocat, sicut superius dixit : *Misit Moysen, et Aaron, quem elegit ipsum*, vel sibi. Sed quia sæpe filii Israel Moysen et Aaron irritaverunt, de qua irritatione dicat, determinat : *In castris* scilicet, quod ita contigit. Post acceptam legem, et post factum tabernaculum et arcam, et post institutum a Deo sacerdotium, cum in eremum devenissent, Core unus de principibus sacerdotum Dathan et Abiron de principibus populorum insurrexerunt contra Moysen et Aaron cum quinquaginta viris, dicentes quia Dominus Aaron summum sacerdotem non elegisset, sed Moyses ideo eum constituisset, ut sic genus suum sublimaret. Cumque Moyses pro eis ad castra misisset, venire noluerunt dicentes : « Non sufficit tibi, quod nos decepisti educens de terra optima, et inducens in hæc loca pessima, quin et domineris nostri : num et oculos nostros vis

A eruere? » (*Num.* xvi, 13, 14.) Ideo irato Domino devoravit eos terra ita vivos cum domibus et tabernaculis, et omni substantia eorum : hoc est, quod dicit :

VERS. 17, 18. *Aperta est terra, et deglutivit Dathan* et Abiron, *et operuit* veniens *super congregationem*, id est familiam *Abiron*. *Et exarsit ignis in synagoga eorum*. Egressus est enim ignis a Domino, scilicet a columna ignis, et combussit illos quinquaginta viros illis consentaneos. Unde subditur : *Flamma combussit peccatores*. Flamma dicitur a flagello scintillarum. De quorum interitu populus murmuravit, quos iterum incendium consumpsit; sed Aaron orante, et pro eis incensum offerente ignis cessavit. Ut lectori fastidium tollamus, alle-
B goriam subjungamus.

Ægyptus, quod dicitur *tenebræ* vel *tribulatio*, est hic mundus tenebris vitiorum et tribulatione malorum obtectus. *Pharao*, quod dicitur *dissipator*, rex Ægyptiorum est diabolus, virtutes et bona opera dissipans, rex in peccatis tenebrosorum. Populus dura servitute oppressus est populus fidelium jugo diaboli constrictus. *Moyses*, qui populum per signa de potestate Pharaonis liberavit, est Christus, qui populum fidelium de dominio diaboli per miracula eripuit. *Mare Rubrum*, per quod populus educitur, est baptisma Christi sanguine perfusum, per quod populus salvatur. Hostes, qui fugientes Hebræos insequuntur, sunt dæmones, qui fugientes sæculum
C persequuntur. Desertum, per quod liberati iter cum labore ad patriam habent, est Christiana religio a dæmonibus et infidelibus deserta, per quam redempti multo labore ad patriam paradisi tendunt. In deserto pane cœli, et aqua de petra illi pascuntur; in via Dei corpore Christi, pane vivo, et sanguine ejus isti vescuntur. Terra repromissionis, quæ illi populo a Jesu Nave dividitur, est terra viventium, quæ fidelibus a Jesu Christo secundum merita cujusque distribuitur.

Fideles itaque a jugo Pharaonis diaboli, et ab Ægypto infidelitatis per ipsum erepti, sed denuo hostibus, scilicet vitiis, et peccatis subditi cum pœnitentia recurrant ad laborem suum, dicentes : *Peccavimus cum patribus nostris*. Mali sunt patres ma-
D lorum, quos per malum exemplum genuerunt. Unde dicitur : « Vos ex patre diabolo, » id est ex Cain, « estis (*Joan.* viii, 44), » qui propter invidiam dictus est diabolus, et homicida erat ab initio. Peccatores sunt filii peccatorum, quos imitantur. *Cum* talibus *patribus peccavimus*, quia ad exemplum illorum male viximus. *Injuste egimus*, quia legem tuam abjecimus. *Iniquitatem fecimus*, quia proximis nocuimus. *Patres nostri*, de quibus per imitationem mali geniti sumus existentes in Ægypto infidelitatis, *non intellexerunt opera* tua, quod angelos ad æternam gloriam creasti, et eis a gloria lapsis casum illorum per homines reparare disposuisti; hominis vero lapsum per Filium tuum recuperasti. *Non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ*, quod

Filio tuo unigenito non pepercisti, sed pro hominum salute ad mortem tradidisti, et eos de morte eripuisti. *Et irritaverunt Deum ascendentes* per superbiam *in mare*, hoc est, in sævitiam, *in mare Rubrum*, id est in persecutionem rubricatam sanguine sanctorum. Mare hic pro tempestate persecutionis ponitur. Et tamen hos conversos ad fidem *salvavit propter nomen suum*, id est propter Filium, qui est nomen Patris. *Vel propter nomen* Christianum, *ut notam faceret potentiam suam*, quod ipse solus potens est justificare impium.

Et increpuit mare Rubrum, hoc est, jussit cessare persecutionem. *Et exsiccatum est*, quia sæva procella sæculi veniente fonte vitæ exaruit. *Et deduxit eos in abyssis sicut in deserto*, hoc est, fideles positos in profundis consiliis paganorum et hæreticorum ita secure deduxit in via Christianæ religionis, quasi essent in deserto, id est in nullo periculo. *Et salvavit eos de manu odientium;* in corpore de potestate persecutorum et hæreticorum ; in anima de potestate dæmonum et peccatorum. *Et redemit eos sanguine* Christi *de manu inimici*, id est de potestate diaboli. *Et operuit aqua tribulantes eos*, id est aqua baptismatis abluit infideles prius tribulantes fideles : *unus ex eis non remansit* infidelis. Quod tunc contigit, postquam Constantinus credidit. Vel *aqua* baptismatis vel lacrymarum *operuit* omnes iniquitates, animas tribulantes, et unum peccatum *non remansit* ex his indeletum. *Et crediderunt in verbis ejus*, scilicet evangelicis promissionibus, *et laudaverunt laudem ejus*, hoc est, per laudabilia facta ejus laudaverunt eum. Et quidam *cito fecerunt* hanc laudem, et a laude cessaverunt. *Et* mox obliti *sunt operum ejus*, quod pro eis alapas, sputa, flagella, mortem crucis sustinuit, quod eos de manibus inimicorum eripuit : *Non sustinuerunt consilium ejus*, id est non exspectaverunt patienter illud Dei consilium, ut per multas tribulationes intrarent in regnum Dei, sicut Christus præcessit. Vel per mala opera gratiam baptismi perdiderunt : *Et concupierunt concupiscentiam in deserto.* Mali sunt desertum, quia qui mandata Dei deserunt, a gratia fiunt deserti. In hoc deserto *concupierunt concupiscentiam*, id est mundi gloriam. *Et tentaverunt Deum in inaquoso*, id est ipsi inaquosi, quia sicci de irrigatione Spiritus sancti, *tentaverunt Deum* petentes divitias et sæculi honores, quæ tamen eum dare dubitant. *Et dedit eis petitionem ipsorum*, scilicet sæculi divitias et dignitates : *et misit saturitatem in animas eorum*, hoc est, dedit eis abundantiam omnium rerum, quas desiderant. *Et irritaverunt Moysen et Aaron in castris*, id est legem et sacerdotium in Ecclesiis. Legem Dei prævaricando irritant, quos sacerdotes exasperant; a castris separant, dum eos ab Ecclesiis excommunicant. Ejectis vero illis ab Ecclesia *aperta est terra*, quia tunc omnibus patebit, qualiter terrenis despecto Deo inhiant. Quæ terra *deglutivit Dathan et Abiron*, id est hæreticos et schismaticos terrena desideria absorbent · deinde A *viventes*, id est scientes ad inferna descendunt, qui ab Ecclesia Christi divisi congregationem sibi erroneam faciunt. *Et exarsit ignis in synagoga eorum*, hoc est, ardor libidinis in congregatione eorum, et mortuos in peccatis *combussit* æterna *flamma peccatores*. Vel eis consentientes erunt in æterno igne ardentes. Rursum ad litteram inspiciamus.

Vers. 19. *Et fecerunt vitulum in Horeb.* Ordo ex toto præposterus est. Nam sæpe ante ponit, quod post contigit; et sæpe post ponit, quod prius contigit, et hoc causa certi mysterii facit. Non enim præterita narrat ; sed futura prænuntiat. *Verba* de præteritis sumit, et futura contexit. Non ergo historiæ, sed ordinem prophetiæ diligentissime servat. B Prius *fecerunt vitulum in Horeb*, quam terra absorbuisset Core cum suis, quod sic contigit. Moyse enim cum Domino per dies quadraginta in monte stante, et Aaron cum multitudine commorante, in valle populus arbitratus Moysen ab igne consumptum, petivit ab Aaron sibi fieri deum, qui eos præcederet in Ægyptum. Aaron vero timore percussus jussit omnes sibi afferre aurum, de quo fecit conflari vitulum. Quem filii Israel adorantes, et ei hostiam immolantes dixerunt : « Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt ex Ægypto (*Exod.* XXXII, 4). » Quod Moyses, Domino indicante, cognoscens de monte festinus descendit, tabulas a Deo scriptas præ ira confregit, vitulum in frusta conscidit, igni C combussit, in aquam sparsit, populo in potum dedit. Et ob hoc peccatum occisa sunt de populo viginti tria millia.

Et cum hoc in monte Sina contigerit, quæritur, quomodo hic dicatur quod in monte *Horeb* acciderit? Antiquitus dictus est ille mons Horeb. Sed postquam Moyses ibi rubum ardentem vidit, vel legem ibi accepit, *Sina* eum nominavit, quod dicitur *rubus*, vel *mandatum*.

Item quæritur cur filii Israel magis formam bovis, quam hominis pro Deo fecerunt? In hoc morem Ægyptiorum imitati sunt, qui bovem Apin colunt. Apis erat rex Ægypti, quo mortuo dictus Serapis est, et prædo habitus, qui bovem habuit unius quidem coloris, sed in latere maculam instar lunæ ha- D bens. Post longum tempus apparuit in Ægypto huic simillimus. Unde visum est Apin deum suum in bove apparuisse, et hac de causa cœperunt eum colere.

Vers. 20. *Et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli*, ut dictum est; vituli, dico, *comedentis fenum.* Hoc ad exprobrationem illorum dicitur, qui non vivum bovem, sed nec mortuum, imo stolidam figuram adorabant. Per hoc ostenditur diabolus, qui illos a cultura Dei comedebat, et incorporabat.

Vers. 21, 22. *Obliti sunt Deum, qui salvavit eos* de omnibus periculis, illum Deum, *qui fecit magnalia in Ægypto*, dum Ægyptios per signa humiliavit, Hebræos exaltavit, et qui fecit *mirabilia in terra*

Cham, id est Ægypto, a Cham filio Noe ita dicta, dum hostes populi sui et plagis verberavit, et suos illæsos servavit. Et qui fecit *terribilia in mari Rubro*, dum Pharaonem cum omni populo suo submersit, et suos de periculo eduxit.

VERS. 23. *Et tunc dixit* Dominus, id est disposuit, *ut disperderet eos*, dicens ad Moysen: « Cerno quod populus iste duræ cervicis sit; dimitte me ut perdam eos, et deleam de terra (*Exod.* XXXII, 9 et 10). » Et hoc fecisset, *si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus*, dicens: « Dimitte populo hanc noxam, aut dele me de libro quem scripsisti (*Exod.* XXXII, 31 et 32). » Confractio pertinet ad vasa fictilia. Ipsi erant vasa iræ apta in interitu, et furor Domini voluit aliqua plaga corpora eorum frangere ut ollas, et ignibus tradere animas. Sed Moyses stetit coram eo orans *in confractione*, id est in illo periculo se iræ Dei objiciens.

In Hebræo scribitur: *Si non Moyses electus ejus stetisset melius coram eo*. Per hoc ostenditur quod per preces justorum plaga a peccatoribus suspenditur. Ad quid stetit Moyses? *Ut averteret iram ejus, ne disperderet eos*, id est ut removeret vindictam Dei ab eis, ne occideret. Ad allegoriam recurramus.

Oreb vel *Horeb* dicitur *calvaria*. Qui in *Horeb*, Deum obliti *vitulum* adoraverunt, significat eos qui, in Calvaria Christum negantes Barabbam, id est diabolum elegerunt. Mons Sina altus est fundamentum civitatis Dei Christus. Ignis, qui in monte ardebat, est Spiritus sanctus, qui Christum implebat, et civitatem Dei, scilicet Ecclesiam illuminat. Tubarum clangor est prædicatorum clamor. Lampades ardentes sunt sancti exemplo lucentes. Moyses cum Domino in monte ardente est lex in alto intellectu, Spiritu fervente. Lex in duabus tabulis digito Dei scribitur, quia omne mandatum Dei in duobus præceptis charitatis per Spiritum sanctum distribuitur. Aaron continet multitudinem, et sacerdotium regit plebem. Aureus vitulus corpus diaboli, quia sicut bos in terra laborat, sic membra diaboli terrenis jugiter insudant. Qui ex auro conflatur, quia ex mundana sapientia multitudo malorum in avaritia confirmatur, quæ idolorum servitus prædicatur. *Vitulum in Horeb faciunt*, quia in loco Dei idolum constituunt, dum pro Deo aurum colunt. Moyses de monte ad turbas descendit, quia lex de alto intellectu se inclinans litteram occidentem in carnales extendit. Tabulas fregit, et vitulum in frusta conscidit, quia lege per expositores fracta spiritualis sensus exsilit, qui corpus diaboli per prædicatores comminuit. Vitulus igni comburitur, in aquam spargitur, populo in potu tribuitur, quia ignis Spiritus sancti illorum peccata consumpsit, quos in amore suo accendit, quos sacerdotalis ordo in aquam baptismatis mersit, ac populis fidelium quasi potum eos sibi incorporant. Qui occisi corruerunt, sunt illi qui in idololatria perierunt. Qui vero *sculptile adoraverunt*, sunt hæretici, qui Deum

A in corde suo ut imaginem hominis fingunt, et hanc decepti pro Deo colunt. De quibus recte subditur: *Et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fenum*. Gloria animarum est Deus: hæretici ergo mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis, sicut patres eorum, scilicet erronei *mutaverunt* non *gloriam* Dei, sed *suam in similitudinem vituli*, id est diaboli, qui *fenum* ut bos comedit, dum malos ut ignis ligna consumit.

Obliti sunt Deum Christum, *qui salvavit eos* de morte, *qui fecit magnalia in Ægypto*, id est multa signa in Judæa, tenebris perfidiæ obtecta: *et qui fecit mirabilia in terra Cham*, id est in gentilitate, terra furenti. *Cham* quippe *furens* dicitur, et gentilitas erat in idololatria furens, in qua fecit Christus
B multa *mirabilia* per prædicatores suos. Vel *Cham* est infernus, terra furentis diaboli, in qua *mirabilia* fecit, dum diabolum alligavit, spolia ejus eripuit. Et qui fecit *terribilia in mari Rubro*, id est in persecutione, dum persecutores prostravit, martyres coronavit. Vel in baptismate peccata submersit, de vasis iræ vasa misericordiæ fecit. *Et dixit, ut disperderet eos*, id est voluit perdere tales, et fecisset, *si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus*, id est si populus legem observans precibus se periculo non objecisset. *Ut averteret iram ejus, ne disperderet eos*. Propter ejus preces pepercit. Electi enim avertunt iram Dei a populo
C peccante, et dexteram judicis suspendunt precibus a plaga imminente, et sæpius convertunt orando, quos convertere non possunt prædicando.

Littera est iterum consulenda. Patres nostri Deum irritaverunt, dum vitulum adoraverunt: insuper irritaverunt eum, dum

VERS. 24. *Terram desiderabilem pro nihilo habuerunt*. Historia hic tangitur. Cum terræ promissionis appropinquassent, præmiserunt exploratores, qui reversi populum perterruerunt dicentes quia gigantes terram illam inhabitarent, quam si ingrederentur cum filiis et uxoribus, eos devorarent. Quo audito, omnes perturbati fleverunt, *et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem*. Hæc est terra, quam diu videre et intrare desideraverunt; nunc
D hanc abhorrere et aufugere cœperunt dicentes: Constituamus nobis ducem, et revertamur in Ægyptum. Cumque Josue et Caleb consolantes promitterent eis victoriam a Domino,

VERS. 25. *Non crediderunt verbo ejus*, id est promissioni Dei, *et murmuraverunt in tabernaculis suis*, dicentes: Utinam mortui essemus in Ægypto, et non in hac solitudine. Quam ob rem iratus Dominus juravit quod nullus eorum terram illam intraret præter illos duos, qui eum secuti sunt. Ideo pœnitentia ducti dixerunt, quod contra inimicos ascendere parati essent. Quibus præcepit Dominus, ne ascenderent, ne ante hostes victi caderent, *et non exaudierunt vocem Domini*: sed contenebrati montem ascenderunt armati, et occurrentes Chananæi

omnes occiderunt. Reliqui, qui remanserant, cum Moyse et cum Arca in solitudinem regressi sunt. Hic breviter quatuor crimina expressa sunt: quod egregiam terram patribus repromissam, eis ultro oblatam respuerunt; quod verbo Dei non crediderunt; quod contra Deum murmuraverunt; quod demum voci ejus non obedierunt, et ideo perierunt. Igitur increduli eremum cum Moyse ingressi multis modis Deum exacerbaverunt.

Vers. 26. *Et elevavit manum*, id est potentiam *suam super eos, ut prosterneret eos in deserto*. Corpora namque omnium in deserto prostrata sunt, quidam ab igne consumpti sunt, quidam a serpentibus perierunt.

Vers. 27. *Et* adhuc manum elevavit, *ut dejiceret semen eorum in nationibus*, id est filios eorum per nationes gentium occideret, *et dispergeret eos* captivos *in* multis *regionibus*.

Allegoria est intuenda. Qui de Ecclesia in paganismum, et in hæresim prolapsi sunt, *pro nihilo habuerunt terram desiderabilem*, id est paradisum, terram viventium, quæ multum est sanctis desiderabilis, quia terrena potius amaverunt. *Non crediderunt verbo ejus*, id est Filio Dei, qui gloriam pollicitus est justis, pœnam comminatus injustis. *Et murmuraverunt in tabernaculis suis*, id est in corporibus suis, quæ sunt tabernacula animæ; vel pro siccitate, vel pro pluvia, vel pro aliqua plaga judicio Dei hominibus illata, quod est grave peccatum. Nam murmuratores a dæmonum morsibus peribunt, sicut illi a venenosis serpentibus interierunt. Et cum sacra Scriptura, vel doctores ad pœnitentiam eos revocarent, *non exaudierunt vocem Dei*, sed in obstinacia perstiterunt. *Et elevavit manum suam super eos*, id est incumbentem super eos vindictam distulit, ut postea gravius puniret per excommunicationem. Vel *elevavit manum*, id est, potentiam suam *super eos*. Ad quid? *Ut prosterneret eos in deserto*, hoc est, cumque ipsi essent desertum, eo quod veritatem deseruissent, decrevit eos in hoc errore damnare. *Et ut dejiceret semen eorum in nationibus*, id est opera et doctrinam, vel imitatores eorum traderet dæmonibus, *ut disperderet eos in regionibus*, id est dispersos in vitiis perderet in inferni carceribus. Littera est repetenda.

Vers. 28. *Et initiati sunt Beelphegor*. Historia talis est: Cum Seon et Og reges vicissent, et terræ Madian appropinquarent, rex Balach de adventu illorum perterritus pro Balaam sacerdote misit, cui, si populum a regno suo maledicendo averteret, plurima dona promisit. Ipse vero Spiritu divino repletus populos Israel benedixit, et multa de Christo et Ecclesia prophetando prædixit, et inter cætera hæc protulit: « Orietur stella ex Jacob, et consurget homo de Israel (*Num.* XXIV, 17), » qui omnia regna sibi subjugabit, qui postmodum avaritia devictus dedit consilium, ut puellæ Madianitarum, auro et gemmis ornatæ obviam populo cum simulacro Priapi irent, et eos ad scortum et ad idololatriam incitarent, sciens quod his eos Dominus occideret. Filii igitur Israel libidine victi cum puellis coierunt, *et initiati Beelphegor*, id est consecrati *sunt*, id est dedicaverunt se, ut servirent idolo Beel, ut colebatur in monte *Phegor*. Beel, et Baal, et Baalim, et Belial idem est. Et hoc idem est nomen sumptum a Belo patre Nini, qui condidit civitatem Ninive, cui filius post mortem fecit statuam et simulacrum, et jussit adorare populum sibi subjectum. Priapus erat quidam homo, qui expulsus a Lampsaco civitate propter virilis membri magnitudinem. Qui post mortem factus est deus hortorum. Huic inprimis nubentes soliti erant sacrificare. Hic colebatur in monte Phegor, quod dicitur *ignominia*. Huic idolo filii Israel præ amore puellarum sacrificaverunt, *et comederunt sacrificia mortuorum*. Homines enim Belus, et Priapus, et Jupiter et alii pro diis habiti erant, qui mortui in anima et corpore fuerant, quibus oblata sacrificia ipsi cum quadam veneratione comedebant.

Vers. 29. *Et irritaverunt eum in adinventionibus suis*, hoc est, in illis ritibus, quos gentiles sibi adinvenerunt, non Dominus dedit. Hoc modo factis suis provocaverunt Deum. Et ideo *multiplicata est in eis ruina*, quia plus quam viginti millia occisa sunt.

Vers. 30. *Et*, cum tanta esset ruina, *stetit Phinees* sacerdos in conspectu Domini, *et placavit* eum ab hac plaga. Qui Phinees fuit Eleazari filii Aaron, qui *stetit*, quia se cum Madianitis non commiscuit. Hic videns Judæum ad Madianitidem pro scorto intrantem, doluit, et post eum ingressus tentorium ambos pugione perforavit, *et cessavit quassatio*, id est ruina, vel Dei commotio.

Vers. 31. *Et reputatum est ei ad justitiam*, id est in justificationem, quia fecit hoc ex zelo Dei, non ex odio: *in generatione* illa præsenti, quia datum est illi sacerdotium: *et generatione* futura, quia posteris ejus constituta est sacerdotii dignitas. Et hoc *usque in sempiternum*, quia merces ei reposita est in æternum. Per hoc notatur quod judices non delinquunt, si malos puniunt, imo præmium justitiæ recipiunt, si hoc zelo Dei faciunt.

Allegoria est inquirenda. Apostatantes ab Ecclesia *initiati sunt Beelphegor*, id est idolo ignominiæ, idolo libidini dedicato se consecrarunt, dum dæmoni immunditiæ se totos subditos subdiderunt contumelia afficientes corpora sua in semetipsis, masculi in masculos turpitudinem operantes. *Et comederunt sacrificia mortuorum*, id est ab hæreticis et excommunicatis, in anima mortuis, sacrificia oblata sumpserunt. *Et irritaverunt Deum in adinventionibus suis*, id est in variis erroribus a se inventis, imo a diabolo inspiratis. Et ideo *multiplicata est in eis ruina*, id est multiplex facta est eorum damnatio. *Et stetit Phinees*, id est sacerdotalis ordo Ecclesiæ, *stetit* in bonis operibus, et *placavit* Deum salutari hostia pro peccatoribus, *et cessavit quassatio*, hoc est a perdendis Dei vindicatio. *Et reputa-*

tum est ei ad justitiam, quia ad præmium justitiæ Deus electis reputat, quod pro errantibus orant, quatenus a laqueis diaboli resipiscant : *a generatione* hujus vitæ, *et generatione* futura in resurrectione, et *usque in sempiternum*, id est cum angelis in ævum. *Phinees* sonat : *ori parcens*, quia sacerdotalis ordo Christum, qui est os Dei, peccatoribus parcere facit. Littera denuo ad medium deducatur.

VERS. 32. *Et irritaverunt eum ad aquam contradictionis.* Hoc prius contigit, quam Beelphegor sacrificarent, cum penuriam aquarum sustinerent, Domino et Moysi contradixerunt se amplius nolle obedire, nisi eis aquam daret. Et dedit eis Dominus aquam de petra. Quæ ideo vocata est *aqua contradictionis*, quia Domino, et Moysi publice contradixerunt. *Et vexatus est Moyses* non propter se, sed *propter eos*,

VERS. 33. *Quia exacerbaverunt spiritum ejus*, hoc est, Moyses perturbatus est propter Judæos, quia malis verbis exasperaverunt eum. Et quia tristis fuit, ideo *distinxit in labiis suis*, id est distinctam habuit locutionem in hoc miraculo a cæteris prius factis miraculis. Prius cum fiducia dixit : Quidquid volueritis, dabit vobis Deus. Nunc autem turbatus ab eis cum diffidentia dixit : « Num poterimus vobis aquas de hac petra educere ? » (*Num.* XX, 10.) Et cum prius aquam de petra produxerit, nunc dubitando petram bis virga percussit, et egressa aqua toto itinere cum illis fluxit. Propter hanc culpam nec ipse, nec Aaron terram repromissionis intravit. Deum quippe blasphemavit, dum de ejus potestate dubitavit. Allegoria perquiratur.

Moyses in hoc loco figuram Judaici populi gessit, qui petram ipsum Deum esse non credidit; et ideo duobus lignis crucis affixit. De cujus latere fluxerunt aquæ, per quas gentes sunt salvatæ. Sed quia Judaicus populus incredulus permansit, idcirco hæreditatem Domini intrare non meruit.

Aliter : *Aqua contradictionis* est baptismus, ubi contradicitur diabolo et operibus ejus. *Ad* hanc *aquam* a fide apostatantes *Deum irritaverunt*, dum ad opera diaboli ut canis ad vomitum reversi sunt, quibus jam renuntiaverant. *Et vexatus est Moyses propter eos*, id est fidelis populus de aqua baptismatis assumptus contristatus est propter eos. *Moyses* enim dicitur, *de aqua assumptus*. Propter hæreticos, vel malos christianos conturbatus est electus Dei populus, quia pravo opere, et perverso dogmate exacerbaverunt spiritum, id est contristaverunt animam ejus. *Et distinxit in labiis suis*, id est distincte oravit pro malis catholicis; distincte pro hæreticis; distincte pro bonis.

Littera revocetur. Non tantum supradictis modis patres nostri irritaverunt Deum in deserto; sed etiam postquam intraverunt terram repromissionis.

VERS. 34. *Non disperdiderunt gentes, quas dixit Dominus illis*, ut illas omnino delerent; sed pepercerunt illis, a quibus perpetuam persecutionem ulterius passi sunt.

VERS. 35, 36. *Et commisti sunt inter gentes* per connubia, *et didicerunt opera eorum*, id est ritus eorum, *et servierunt sculptilibus eorum*, hoc est idola adoraverunt, *et factum est illis in scandalum*, id est in offensam et damnum, quia ideo permisit eos Dominus multa pati mala. Male fecerunt idola adorando; sed pejus etiam fecerunt, quia

VERS. 37, 38. *Immolaverunt filios suos, et filias suas dæmoniis*, ut effusione sanguinis eorum deos placarent. Pagani, et maxime magi solebant parvulos infantes diis suis sacrificare, et illorum sanguine responsa accipere. Anima enim occisi, imo immundus spiritus in forma ejus ibi apparuit, et sciscitanti ad interrogata respondit, sicut de Simone et Juliano Apostata legitur. Hunc morem Judæi in propriis filiis imitati sunt. Licet hoc vetus historia non referat, tamen Spiritu sancto in psalmis loquenti credendum est. Dæmonia adoraverunt *et effuderunt sanguinem innocentem.* Cujus ? *Sanguinem filiorum suorum, et filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan.* Isti genti pepercerunt, et imitatores ejus facti sunt. Tria immania scelera in una re commisisse demonstrat : homicidium scilicet, quia sanguinem innocentem effuderunt; parricidium, quia filios et filias suas jugulaverunt; sacrilegium, quia eos idolis sacrificaverunt. Et semper continuandum est ad illorum locum : *et irritaverunt.* Nota enim, in toto hoc psalmo, quod Deum irritantes terram repromissionis non introierunt. Sed quidam crudeli morte prostrati sunt, ut murmurantes, qui a serpentibus perierunt, quidam communi morte defuncti sunt, ut Aaron et Moyses, qui propter incredulitatem intrare non potuerunt; intrantes autem, et Deum per idololatriam provocantes hostibus traditi sunt. Proprios filios occiderunt, *et interfecta est* [Vulg., *et infecta est*] *terra in sanguinibus eorum*, subaudis, effusis vel effundendis. *Interfecta est terra*, id est ipsimet sunt interfecti. Nam dum illorum sanguinem effuderunt, seipsos in anima occiderunt; et posuit continens pro eo, quod continetur, et est figura metonymia. Male dicunt, qui dicunt : *Infecta est a terra.* Nam in Hebræo habetur : *Interfecta est terra.* Vel *interfecta est terra*, id est corpora eorum; *in sanguinibus*, hoc est, in pollutione luxuriæ.

VERS. 39. *Et contaminata est in operibus eorum*, id est terra repromissionis sordidata est per opera eorum. *Et fornicati sunt in adinventionibus suis*, recedentes a vero marito Deo fornicati sunt cum diis alienis immolantes idolis. *In adinventionibus suis*, id est in institutis suis contra Dei constituta facientes. Alia translatio habet : *In studiis suis.* Alia : *In voluptatibus.*

Allegoria recitatur. Illi qui ad aquam contradicunt, id est ad baptismum diabolo contradixerunt, et postmodum servitio ipsius se subdiderunt, *non disperdiderunt gentes, quas dixit Dominus illis*, id est

non deseruerunt vitia et peccata, quæ Dominus præcepit deserere. *Et commisti sunt* consensu et voluntate *inter gentes*, id est inter gentilitates vivendo. *Et didicerunt opera eorum*, id est Israel ritus, et studia malorum. *Et servierunt sculptilibus eorum*, quia secuti sunt magos, ariolos, aruspices, mathematicos, pythones observantes auguria et somnia. *Et* hoc *factum est illis in scandalum*, id est in offensionem, quia multi eorum pravo exemplo depravati sunt, et ipsi a Deo reprobati. Scandalum dicitur sinistri. *Et immolaverunt filios suos et filias suas dæmoniis.* Per *filios* spiritualia studia, per *filias* sæcularia studia accipimus, hoc est, omnia studia, quæ vel in divinis, vel in sæcularibus libris habuerunt, in servitium dæmonum per vitia verterunt : « Omnis enim qui facit peccatum, servus est peccati (*I Joan.* III, 4). » *Et effuderunt sanguinem innocentem*, id est animas simplicium pravo exemplo perdiderunt. Quem sanguinem ? *Filiorum suorum et filiarum suarum*, id est subditorum suorum, vel eorum, qui per malam imitationem illorum soboles effecti sunt. Quomodo hos perdiderunt? *Sacrificaverunt eos sculptilibus Chanaan.* Per Chanaan, qui per Noe servituti et maledictioni addicitur, populus servitio peccatorum deditus, in judicio a sinistris a judice maledictus intelligitur. Cujus *sculptilia* sunt mortui in corpore et anima, quorum sequuntur exempla, ut Hectoris, Achillis, Catilinæ, Jugurthæ, Alexandri vel Simonis Magi. Talium filios ergo et filias *sculptilibus Chanaan* sacrificant, qui gesta horum in exemplum populo narrant, vel ad informandum alios de talibus cantant. Idolis enim serviunt, qui hoc modo tales colunt. *Et interfecta est terra in sanguinibus*, id est incorporea eorum templa Spiritus sancti corrupta pollutionibus. *Et contaminata est in operibus eorum* immundis, *et fornicati sunt in adinventionibus suis*, id est in Sodomiticis sceleribus. Animæ vir est Deus, qui hunc deserunt, et dæmonibus se miscent per prava desideria, fornicarii et adulteri sunt, et cum eis unum erunt; sicut qui Domino adhæret, unus spiritus cum illo est. Ad litteram est regrediendum.

VERS. 40. *Et iratus est furore Dominus in populo suo*, id est vehementi ira commotus est propter talia in illo populo, qui debuit esse suus in observatione legis et cultura unius Dei. *Et abominatus est hæreditatem suam*, hoc est, exhæreditavit eos a promissa patribus hæreditate, quos ita excoluit, ut aliquis hæreditatem suam. Vel visus est abominari hæreditatem suam per tribulationes et afflictiones, quæ erant in eis, et tamen reservabat quosdam, ut essent sua hæreditas.

VERS. 41. *Et tradidit eos in manus gentium*, scilicet Philisthinorum, Madianitarum et aliarum : *et dominati sunt eorum, qui oderunt eos*, quorum idolis servierunt. Multum grave est homini, dum traditur in potestatem inimici.

VERS. 42. *Et* cum his traditi essent, *tribulaverunt eos inimici eorum*, qui eos servitio, ut olim Ægyptii,

A oppresserunt, vel tributum ab eis exegerunt. *Et humiliati sunt sub manibus eorum*, id est afflicti sunt sub potestate eorum. Humiliatio enim est afflictio. Afflixerunt namque eos carceribus, vinculis, verberibus et aliis multis modis. Et Dominus

VERS. 43. *Sæpe liberavit eos*, nunc per Jephte, nunc per Gedeon, nunc per Deboram, nunc per Samson, vel per alios judices, demum per reges. E contra *ipsi exacerbaverunt eum in consilio suo*, subaudi : terreno, non sibi utili. Illorum consilium erat suas voluntates, non Domini præcepta implere. *Et humiliati* ideo, id est afflicti *sunt iniquitatibus suis.*

VERS. 44, 45. *Et vidit, cum tribularentur*, hoc est, Dominus misertus est, quia tribulabantur, *et audivit*
B *orationem eorum. Et memor fuit testamenti sui.* Propter hæc tria iterum liberavit eos, quia vidit tribulationem, audivit orationem, memor fuit testamenti sui. Promisit enim Abrahæ quod semini ejus daret illam terram. Et quia hujus *testamenti memor fuit*, ideo implevit, sicut promisit. Hic versus continuatur ad eum locum, ubi in priori psalmo scribitur : *Quoniam memor fuit verbi sancti sui, quod habuit ad Abraham puerum suum. Et pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ*, hoc est, mutavit secundum visum hominum tribulationem, quam eis illaturus erat, secundum quod multiplex erat misericordia ejus. *Pœnitentia* dicitur *a pœna* et *teneo.* Qui enim pœnitet, aliquid se fecisse dolet, et
C sic eum pœna tenet.

Et cum Deus sit immutabilis, et nulla pœna, nullo dolore afficiatur, quomodo pœnituisse prædicatur, ut ibi : « Pœnitet me fecisse hominem (*Gen.* VI, 6). » Et ibi : « Pœnitet me unxisse Saul in regem ? » (*I Reg.* XV, 11.) Sed sciendum est quod Scriptura nostro more loquitur. Sicut enim dicitur irasci, cum peccata hominum severe vindicat, sic dicitur pœnitere, cum adversa peccantibus illata prosperis permutat. Unde enim pœnitentiam agimus, hoc mutare volumus. Deum hominem fecisse, quasi pœnituit, cum sicut per diluvium, ita per baptismum humanum genus immutare disposuit. Saul in regem unxisse quasi pœnituit, dum sicut per David, ita per Christum regnum mutare voluit. Ita nunc pœ-
D nituit, dum afflictionem populi mutavit. Pœnitentia itaque ad nos refertur, non ad Deum, qui non immutatur. Nam omne, quod futurum erat, ab æterno fieri disposuit; sed ut illud sequeretur, per tribulationes exorari voluit.

VERS. 46. *Et dedit eos in misericordias*, id est multiplici misericordia circumdedit eos, et *in conspectu omnium, qui ceperant eos*, id est in manifesto omnium, qui prius dominati fuerant eis.

Ad allegoriam est revertendum. Propter fornicationes et immunditias *iratus est furore Dominus in populo suo* castigans eum fame, pestilentia, gladio. *Et abominatus est hæreditatem suam*, hoc est, propter multa flagitia exhæreditavit eos ab hæreditate fidelibus repromissa. *Populum suum* vocat propter

baptismum; *hæreditatem* propter Christianitatis cultum. *Et tradidit eos in manus gentium*, id est permisit eos in potestatem dæmonum. Tunc quippe est Deus iratus, cum permiserit hominem facere, quod vult, quia statim diabolus subjugat eum sibi. Unde sequitur : *Et dominati sunt eorum, qui oderunt eos*, hoc est, dæmones et vitia, quæ oderunt animas eorum, mox dominantur eorum. *Et tribulaverunt eos inimici eorum*, visibiles exterius, invisibiles interius: *et humiliati sunt sub manibus eorum*, id est valde afflicti sub potestatibus eorum. Et tunc *sæpe liberavit eos; ipsi autem exacerbaverunt eum in consilio suo*, quod habuerunt, ut desideria sua implerent : *et humiliati sunt in iniquitatibus suis*, id est afflicti sunt in concupiscentiis suis. *Et videt, cum tribularentur*, id est clementer respexit tribulationem eorum. *Et audivit orationem eorum*, quia invocantibus statim dixit : Adsum ecce. *Et memor fuit testamenti sui*, quo pœnitentibus promisit veniam dicens : « Nolo mortem peccatoris; sed ut convertatur et vivat (*Ezech.* XXXIII, 11). » Et iterum : « Quacunque hora conversus ingemueris, salvus eris (*ibid.*, 12). »

Et pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ, hoc est, misertus eorum dedit eis pœnitentiam, et tristitiam eorum mutavit in lætitiam. *Et dedit eos in misericordias*, qui prius erant involuti miseriæ; nunc involvit misericordiæ, illi dans castitatem, illi humilitatem, alteri charitatem, alii gratiam, *in conspectu omnium*, id est in evidentia dæmonum, *qui* prius *ceperant eos* laqueis vitiorum. Nota quod in priori *psalmo* viginti continentur Dei beneficia patribus impensa : in isto totidem crimina a perfidis impensa. Sequitur oratio conversorum : sicut quondam patres de inimicis salvasti ; ita

VERS. 47. *Salvos fac nos, Domine* Jesu Christe, qui es *Deus noster : et congrega nos* in unam fidem *de nationibus*, in quibus dispersi sumus. Per omnes nationes dispersi sunt Judæi.

Aliter : *Salvos fac nos, Domine Deus noster*, a peccatis et hostibus, *et nos* per vitia *dispersos congrega de nationibus*, id est separa a dæmonibus, et de omnibus male viventibus, *ut confiteamur nomini sancto tuo*, id est ut laudemus te secundum nomen sanctum tuum. *Et* sic in futuro *gloriemur in laude tua*, hoc est, pro laude tibi hic exhibita a nobis. Per hoc enim, quod hic Deum laudamus, in æterna gloria exsultabimus. Sequitur laus eorum :

VERS. 48. *Benedictus Dominus Deus Israel*, congrega nos in dilectione, ut confiteamur sic dicentes. *Dominus*, qui est redemptor, *et Deus Israel*, qui facit videntes Deum, sit *benedictus*, id est sublimatus, gloriosus in eo ipso, quod facit nos Israel, *a sæculo* præsenti incipiens, et *usque in* futurum *sæculum* tendens semper gloriosus. *Et dicet omnis populus* de circumcisione et de præputio : *Fiat, fiat*, id est *benedictus* sit *Dominus Deus Israel*.

In Hebræo scribitur : *Amen, amen, Alleluia*, id est laudate omnes Dominum. A laude incœpit, in laude finivit. Quia pœnitentia confitentium laus est Dei ; et indulgentia Dei lætitia est hominum. Hic finit liber quartus, quatuor Evangeliis vel quatuor virtutibus consecratus.

PSALMUS CVI.

De laude Ecclesiæ de gentibus.

VERS. 1. *Confitemini Domino, quoniam bonus : quoniam in sæculum misericordia ejus. Dicant, qui redempti sunt*, etc. Quintum librum Spriritus sanctus a laude inchoat, quem etiam in laude consummat, quia in sæculum sæculi cum angelis Deum laudabunt, qui Pentateuchum legis spiritualiter observant. Hi tres psalmi eodem modo incipiunt, quia tres partes mundi, vel tres ordines Ecclesiæ pari modo Trinitatem concinunt. Primus sub persona utriusque populi canit Christi adventum, et post fidelium beneficia canit, quæ Deus antiquo populo corporaliter, et novo spiritualiter exhibuit. Secundus sub persona Ecclesiæ de Judæis confitendo mala psallit, quæ perfidus populus ante Christi adventum, et post male credulus Domino retribuit. Tertius sub persona Ecclesiæ de gentibus jubilando concinit, quomodo clemens captivos servos de manu inimici redemit, et bonus pastor oves dispersas de multis regionibus in unum ovile congregavit.

Hic psalmus centesimus sextus. Per centenarium perfectio, per senarium innuitur operatio. Designat ergo hic numerus quod hi qui sex opera Evangelii devote perficiunt, centuplum præmium in futuro percipiunt. Titulus psalmi est :

ALLELUIA, ALLELUIA (56).

Dicit Hieronymus, ubicunque ponitur bis Alleluia, quod unum sit finis psalmi præcedentis, alterum titulus sequentis. Augustinus autem dicit utrumque pertinere ad sequentem propter duos populos, et unum pertinere ad Judæos, alterum ad gentes.

Materia psalmi sunt quatuor tentationes et qua-

(56) Vulgata omittit alterum *Alleluia*.

tuor Domini misericordiæ. Prima tentatio est generalis infidelitas; secunda strictior prava consuetudo; tertia magis acedia; quarta tantum in prælatis, quæ fit duobus modis; vel cum indisciplinate se habet plebs subdita; vel cum etiam ipsum prælatum persequitur. Propter hæc quatuor pericula ponitur quater ille versus: *Et clamaverunt ad Deum.* Et quia toties misericordia Dei eis subvenit, quater ponitur versus; *Confiteantur Domino*; qui versus *intercalares* dicuntur, eo quod sicut bis sextus Kalendarum interponitur: sic versus sæpius repetitus psalmis interponitur. Vel *intercalares* dicuntur quasi in medio calle positi, id est in itinere carminis constituti.

Intentio est nos hortari ad gratiarum actiones pro his collatis beneficiis. Verba sumpta sunt a populo liberato de Ægypto, sed sub judicibus multa mala a gentibus passo: et significat populum Christianum per Christum redemptum, sed multa et varia mala a persecutoribus et hæreticis passum. Sub judicibus enim quidam t more hostium erraverunt in solitudine esurientes et sitientes; alii captivi sederunt in tenebris, vincti in carcere catenis, longo languore infirmati sunt, et portis mortis appropinquaverunt; alii in mari et fluctibus graviter periclitati sunt. Eadem et Christiani sub persecutoribus perpessi sunt, et de his omnibus liberavit eos Dominus.

Psalmus in quinque partes secatur, quia laus Deo quinque sensibus nostris solvitur, et unaquæque pars per verbum *Confiteantur* distinguitur. In prima redempti a Domino ad laudandum Deum adhortantur. In secunda gentiles gratias agunt, quia sunt gratia satiati, et vinculis peccatorum laxati. In tertia gentes referunt, quia portæ æreæ, et vectes ferrei confracti sunt, et ipsi de via iniquitatis erepti. In quarta sacerdotes pro beneficiis Domino immolant sacrificium, et mirabilia Dei prædicant. In quinta Ecclesia Deo gratias agit, quod tot beneficia humano generi indulsit. Vox est Spiritus sancti hortantis fideles de gentibus ad laudem Dei: O vos omnes redempti a Domino, et de regionibus congregati,

Confitemini Domino, id est laudem confessionis dicite *Domino* Filio, *quoniam bonus*, hoc est, jucundus, suavis, dulcis est: sicut delectabilis cibus est esurientibus; sic Dominus suavis est eum sapientibus. Et ideo *confitemini quoniam in sæculum misericordia ejus*, hoc est, misericordia ejus vobis impensa durabit *in sæculum*. Bonitatem et misericordiam Dei proposuit. Sed quia difficile est de naturali bonitate Dei tractare, hanc intermittit, et de misericordia per partes tractare incipit. Ipse abundanti gaudio ad tertiam personam se convertit, dicens:

VERS. 2. *Dicant, qui redempti sunt a Domino*, scilicet servi captivi *redempti a* pio *Domino* dicant, *quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus*: *quos redemit* pretioso sanguine suo *de manu inimici*, id est de potestate diaboli. Sunt quædam animalia, ut conchæ marinæ, quæ intra se clausa fortiter stringunt, nec dimittunt, nisi frangatur testa, et violenter inde dividantur. Si autem oleum missum fuerit, statim dissolvitur, et quod strictum fuerat, dissipatur, et in partes dividitur. Sic durissimam manum diaboli humanum genus intra se claudentem et constringentem sanguis Christi solvit, quem quasi oleum misericordiæ fudit, et nos inde liberavit. *Et de regionibus congregavit eos.* Hoc continuatur ad eum locum, ubi scribitur: « Ut dejiceret semen eorum in nationibus, et dispergeret eos in regionibus (*Psal.* CV, 27). » Et ad illum: « Salvos fac nos (*ibid.*, 47). » Et : *Congrega nos de nationibus:* Ut oves namque per nationes dispersos *congregavit eos* per apostolos de regionibus in unitate fidei sumptos a quatuor plagis mundi, scilicet

VERS. 3. *A solis ortu*, id est ab oriente *et occasu*, id est *ab occidente, ab aquilone*, id est a septentrione, *et mari*, id est ab austro. Philosophi dividunt orbem in quinque zonas, quarum media est torrida, duæ hinc et hinc temperatæ, duæ extremæ frigidæ. In torrida zona maximum Oceanum constituunt, quem totum mundum dividere dicunt. Hoc mare hic pro australi plaga ponitur, quæ et meridies appellatur.

Aliter: Quando *mare* absolute ponitur, magnum mare, quod est inter Europam et Africam, intelligitur. Hoc mare est versus occidentem, quantum ad situm terræ Judaici populi, et non signabit in hoc loco australem partem, sed vitia. Et si ponuntur tantum tres partes mundi, oriens, occidens et septentrio, a quibus partibus congregavit eos? Dicit *a mari*, id est ab eo, quod erant amaricantes Deum infidelitate et pravis operibus, ad fidem et ad bona opera, ille, qui venit de austro, ut scribitur: « Deus ab austro veniet (*Habac.* III, 3). » Christus natus est in Austro, quia Bethlehem ad situm Jerusalem posita est in austro. Et ipse *congregavit* ab oriente et occidente, qui recumbent cum Abraham, Isaac et Jacob in regno cœlorum. Nunc ergo Dominum redempti servi laudate, oves de regionibus congregatæ, bonum pastorem glorificate. Vel per *austrum* Judæa intelligitur; per reliquas tres partes gentilitas accipitur. Et quia in hoc psalmo de repulsa Judæorum, congregatione gentium agitur, ideo tribus climatibus nominatis de quarta tacetur.

Hic incipit dicere de prima tentatione et misericordia, quod Deus liberat ab infidelitate et errore, et ducit in viam rectam. Verus pastor congregavit oves, quæ

VERS. 4. *Erraverunt in solitudine*, id est in perfidia et errore. Sicut solitarius est locus, ubi nullus venit, ita in perfidia erant gentiles soli sine misericordia Dei. Et *in inaquoso*, id est sine imbre doctrinæ, vel sine rore gratiæ sicci existentes. Vere *erraverunt*, quia *viam civitatis*, scilicet Christum, qui ducit ad civitatem supernam, vel qui est *via civitatis*, id est Ecclesiæ, vel præcepta, quæ ducunt ad

civitatem cœlestem Jerusalem, quæ est *habitaculum* nostrum, *non invenerunt*. Socrates et Plato multas vias invenerunt; sed quia per se et suis viribus invenire volebant, *viam civitatis* Ecclesiæ æterni *habitaculi non invenerunt:* tamen

VERS. 5. *Esurientes et sitientes* eam erant. Sicut enim esuriens et sitiens amat cibum et potum, desiderat refici; ita quidam philosophi desiderabant, et laborabant invenire viam, quæ ducit ad patriam; sed non invenerunt, quia non misericordia Domini, sed suis viribus invenire studebant, et sic *anima eorum in ipsis defecit*. In ipsis erroribus a via veritatis ratio eorum defecit, ut cæci errabant, viam non inveniebant, et tamen se invenisse, ut Plato, putabant. Vel *anima eorum in ipsis defecit*, hoc est, in ipsis culpa fuit, non in Deo, quod veram viam non invenerunt, quia, si a Deo petiissent, ipse eis ostendisset: sed quia de propriis viribus præsumpserunt, a veritate defecerunt.

VERS. 6. *Et*, cum essent positi in his tribulationibus, in perfidia et errore, *clamaverunt ad Dominum*, non ipsi, sed successores, sicut Cornelius, et eunuchus Candacis reginæ eleemosynis, orationibus, *cum tribularentur* magnitudine miseriæ suæ, *et de necessitatibus eorum eripuit eos*. De anxietate, de errore solitudinis eripuit eos ostendendo viam salutis. Vel ipse error erat eorum clamor; sicut phreneticus non clamat voce, nec intentione, sed in ipsa evidentia: et solvit eos de paupertate, id est de impotentia. In Hebræo habetur: *De afflictione*, vel *angustia eorum eripuit eos*.

VERS. 7. *Et deduxit eos* de errore *in viam rectam*, hoc est, in fidem Jesu Christi, et in bonam operationem, quia fides sine operibus via mortua est, scilicet non recta. Ad quid deduxit eos? *Ut irent in civitatem habitationis*, id est ut per hanc viam, scilicet per se *irent in* cœlestem *civitatem*, ubi est vera mansio.

Ab illo loco: *Erraverunt in solitudine*, tractum est de illis, qui quadraginta annis in deserto erraverunt, et postea ad habitaculi locum pervenerunt. Et significat gentiles, qui in idololatria erraverunt, et postea ad civitatem Dei, Ecclesiam pervenerunt. Quandoquidem ipse eripuit eos ab hac infidelitate, igitur

VERS. 8. *Confiteantur Domino misericordiæ ejus*, hoc est, hæ misericordiæ sint eis materia laudandi Dominum: in consideratione harum misericordiarum laudent Dominum devotione et bona vita: *et mirabilia ejus* exhibita *filiis hominum*, non promerentibus filiis Adam et Evæ, quod est dicere: Mirabiles misericordiæ ejus sint eis materia et exemplum, ut *confiteantur Domino*,

VERS. 9. *Quia unimam* prius *inanem satiavit* virtutibus. *Et animam esurientem* bona *satiavit bonis*, id est sacris doctrinis. Modo ponit secundam tentationem, et misericordiam, quæ liberat a consuetudine peccandi, et difficultate bene operandi, quia sunt quidam, postquam liberati sunt ab infideli- A tate, ex consuetudine peccandi non possunt bene operari, quia in eis remanet fomes peccati, et titillatio carnis, et ab his liberat eos Dominus. Eripuit eos a perfidia et consuetudine peccandi, et difficultate bene operandi, quia erant

VERS. 10. *Sedentes in tenebris*, id est moram facientes in peccatis: *Et in umbra mortis*, hoc est, in gravioribus peccatis. Quæ ideo dicuntur *umbra mortis*, quia sicut animæ, quæ sunt in inferno, mortuæ sunt, non per existentiam, sed quia remotæ sunt a Deo: ita qui sunt in criminalibus, mortui sunt, quia sunt remoti a Deo per illa. Et illos dico *vinctos in mendicitate et ferro*, id est in ferrea et insolubili anxietate, de qua non possent absolvi, B nisi valida manu Domini. Prava consuetudo est quasi ferreum vinculum, quæ bonam voluntatem debilitat, et facit imbecillum, ut non possit resistere peccatis, etiam cum multum velit. Et hoc est *mendicitas*, quia deest ei virtus resistendi. Et quare erant vincti?

VERS. 11. *Quia exacerbaverunt eloquia Dei*, id est præcepta Domini jucunda et dulcia fecerunt sibi amara et acerba dicendo: Quis posset omnia implere? *Et consilium Altissimi*, quod per Spiritum consilii dedit dicens: « Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia, quæ habes, et da pauperibus (*Matth.* XIX, 21), » *irritaverunt*, id est irritum et vanum fecerunt per hoc, quod non impleverunt. Vel *consilium Altissimi* de reparatione generis hu- C mani irritum facere voluerunt, qui se male operando saluti subtraxerunt.

In Hebræo scribitur: *Consilium Altisssimi blasphemaverunt*, quia præcepta Domini injusta reputaverunt, et visa sunt eis acerba, quia ea non amaverunt, et ideo detinebantur prava consuetudine in peccatis. Si quis enim diligit castitatem, facile vitat luxuriam. Sic de cæteris.

VERS. 12. *Et* cum per se laborassent evadere, *humiliatum est*, id est afflictum est in laboribus *cor eorum*, quia ad effectum perducere non poterant: sed *in laboribus* victa est anima eorum. Et cum per se vellent liberari, *infirmati sunt* corruentes de vitio in vitium. *Nec fuit qui adjuvaret*.

Quia enim de suis viribus præsumebant, non D divina ope, ideo defuit eis Dei auxilium, qui eos adjuvaret. Multi cum peccant, statim dolent, confitentur, pœnitentiam agunt, promittunt, et laborant ulterius non cadere, sed quia in se confidunt, et hoc de se præsumunt, iterum post mensem aut post duos cadunt; quia *infirmati sunt*, et non solum reiterant illud, quod confidebant se ulterius non facere, sed etiam magis et magis committunt, quia victa est anima eorum a concupiscentia, et alius non potuit eos adjuvare, nec ipsi per se stare. Et tandem cognoscentes miserias suas, et ab his non posse liberari, nisi divino auxilio, ut ab his liberarentur.

VERS. 13, 14. *Clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur*, intentione, oratione, operatione, *et*

de necessitatibus eorum liberavit eos, id est de paupertate, quia impotentes erant surgere, extraxit eos. *Et eduxit eos de tenebris*, id est de peccatis, *et umbra mortis*, id est talibus, quæ ducunt ad mortem, *et vincula eorum disrupit*, id est pravam consuetudinem, quia insolubiliter vincti erant in peccatis, solvit, et fecit eos amare sua præcepta, et dedit eis virtutes. Hoc modo eduxit eos, et sic solvit vincula eorum. Ideo

VERS. 15, 16. *Confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum*, ut dictum est. Ideo confiteantur Domino : *Quia contrivit portas æreas*, id est suggestiones et peccata, quæ sunt portæ inferni, *et vectes ferreos confregit*, id est duram consuetudinem peccandi, quæ est obstaculum ad vitam. Similitudo est ab illo, qui inclusus esset in carcere, ubi essent æreæ portæ et ferrei vectes, unde nullo modo posset exire, quia non posset eas frangere. Et non solum contrivit æreas portas et vectes ferreos, educens eos, sed etiam

VERS. 17. *Suscipit eos* ad patrocinandum et defendendum, remotos *de via iniquitatis eorum*. Et hoc ideo fecit, quia *humiliati sunt propter injustitias suas*, id est pœnitendo afflicti sunt, quia prius contra Dominum fecerunt.

Ab eo loco *sedentes in tenebris*, tractum est inde : Filii Israel in Ægypto quidam in carceribus, quidam in vinculis, quidam in alia afflictione morti simili positi erant, unde eduxit eos Dominus. Et significat eos qui in inferno incarcerati vinculati erant, de quibus eduxit eos Dominus, cum portas æreas et vectes ferreos inferni confregit. Significat etiam eos qui in carcere malæ consuetudinis et in vinculis peccatorum detenti erant, quos inde eduxit Dominus ad virtutes. Modo ponit tertiam tentationem et misericordiam, pro qua re jure debeant Deum laudare, quia sunt plerique qui, postquam liberati sunt a peccatis, tædio et torpore orationis et sacræ lectionis afficiuntur, et volunt discurrere, rumores et fabulas audire, et descendunt usque ad portas mortis, et ab his misericordia Dei liberantur. In tantum afficiuntur tædio, et delectantur in fabulis et rumoribus, quod

VERS. 18. *Omnem escam abominata est anima eorum*, id est lectionem, orationem fastidivit ratio eorum, quæ sunt cibus et refectio animæ. Similitudo est a languentibus, quibus omnis cibus in fastidio est. Hoc vitium solet maxime in monachis et eremitis (reperiri), qui diuturno labore affecti tædium incurrunt legendi vel orandi, et per hoc sæpe incauti incidunt vitia, et labuntur ad crimina. Ideo subditur : *Et appropinquaverunt usque ad portas mortis*, id est accesserunt voluntate ad gravia peccata, quæ sunt portæ mortis æternæ. His per voluntatem appropinquaverunt, sed per actionem non introierunt, quia :

VERS. 19. *Clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur*, intentione et prece : ipse *de necessitatibus eorum liberavit eos*, id est de angustiis, de tæ-

A dio escæ, et de portis mortis. Et quomodo liberavit?

VERS. 20. *Misit verbum suum*, id est visitationem, internam aspirationem, *et sanavit eos* de abominatione escæ, et de portis mortis, *et eripuit eos de interitionibus eorum*, id est de periculo mortis. Igitur, quia eripuit eos,

VERS. 21. *Confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum*, hoc est, pro misericordiis factis filiis hominum, id est peccatoribus liberati laudent Dominum devotione et opere.

VERS. 22. *Et sacrificent sacrificium laudis*, id est agant sibi gratiarum actiones, adscribatur Deo, quod tales facti sunt, non sibi, quod erit *sacrificium*
B *laudis*, quia hoc erit sacrificium (quod) laudat Deus ; *et* non solum in se, sed etiam aliis *annuntient opera ejus*, quæ illis operatus est Deus : et hoc *in exsultatione*, id est in hilaritate, non in hypocrisi. Vel præcepta ejus nuntient aliis cum lætitia.

Ab illo loco : *Omnem escam*, tractum de illis, quibus omnis esca facta est abominabilis propter afflictionem duræ servitutis. Qui portis mortis appropinquaverunt, quia quidam necati, quidam flagellati sunt. Qui cum in hac tribulatione ad Dominum clamarent, de angustiis liberavit eos hoc modo : *Misit verbum*, id est nuntium *suum* per Moysen ad Pharaonem, *et sanavit eos* de tristitia et afflictione, *et eripuit eos de interitionibus* eorum, id
C est de periculis Ægypti et maris Rubri. Pro hac re confessi sunt misericordias et mirabilia Domini, et sacrificarunt sacrificium laudis dicentes : *Cantemus Domino*, etc. Significat autem eos, qui in vicino Salvatoris adventu eloquia prophetarum, quæ sunt escæ animarum, abominati sunt, dum longo tempore divino auxilio destituti comminationes in se expleri, promissiones differri viderunt. Qui portis mortis appropinquaverint, quia infidelitatis morte pene absorpti sunt gentibus Deum ignorantibus similes fieri, et ad ritum eorum transire voluerunt. Et in hac tribulatione *clamaverunt ad Dominum* sicut Simeon et Zacharias, et de angustiis liberavit eos hoc modo. Misit incarnatum Verbum suum, quod in principio erat apud Deum, quod
D factum caro habitavit in nobis, et illuminavit tenebras errorum, et confregit catenas legis et peccatorum. Domum diaboli, id est idololatriam irrupit, valvas æreas vitiorum contrivit, vectes ferreos consuetudinum confregit, ut genus humanum exire possit. Suscepit eos de via iniquitatis, et deduxit in viam veritatis, et sanavit eos in virtutibus, qui infirmati erant in peccatis, et eripuit eos de interitu eorum, cui se merserant, quando languores nostros ipse tulit, et dolores nostros portavit. Ideo *confiteantur Domino misericordiæ ejus*, quod Deus homo factus est, quod immortalis pro mortalium vita subditur morti. *Et mirabilia ejus filiis hominum*, quia inferni æreas portas et vectes ferreos confregit, quia rediit victor ad supe-

ros, quia remeavit ad cœlos. *Et sacrificent sacrificium laudis*, id est cessante veteri sacrificio immolent veram hostiam laudis pro salvatione sua Deum laudantes, et opera ejus, quibus hominem reparavit, *cum lætitia* annuntiantes.

Modo quartam tentationem ponit et misericordiam, quia, postquam fuerint liberati ab infidelitate, a consuetudine prava, a tædio lectionis et operis, veniunt ad prælationem, et ibi multas tribulationes sustinent de negligentia subditorum, vel de persecutione ipsorum, et tamen liberati deducuntur in portum voluntatis eorum.

Vers. 23. *Qui descendunt mare in navibus*. In Hebræo habetur : *In mare*, hoc est, illi *qui descendunt* de contemplativa vita *in mare*, id est in amaram plebem, per vitia fluctuantem positi in navibus, id est in regimine et admonitione subditorum, *facientes operationem in aquis multis*, id est assiduum opus in multis populis.

Vers. 24. *Ipsi viderunt*, id est intellexerunt *opera Domini, et mirabilia ejus in profundo*, id est in populo profundæ iniquitatis, subaudis, viderunt. Cum dicat : *Qui descendunt* de contemplativa vita *in mare*, ostendit nullum debere eligi in prælationem, nisi fuerit in contemplativa vita. Prius quam dicat illa *opera*, præmittit periculum, in quo fiunt opera, de quo liberat eos Dei potentia.

Vers. 25. *Dixit*, id est Deus permisit, *et stetit spiritus procellæ*, id est prævaluit diabolus, duravit *spiritus* malignus auctor procellæ, id est commotionis quæ percellit mentes, et commovet persecutiones et tentationes. *Et exaltati sunt fluctus ejus*, id est fluctuationes et perturbationes magis et magis elevatæ sunt. Ideo permittit Dominus fieri has tribulationes, ut cognoscant se non posse subsistere sua virtute. Et in illis procellis et fluctuationibus subditorum prælati.

Vers. 26. *Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos*, hoc est, præ nimia tristitia ita se habent, ut illi qui, deprehensi periculo maris, modo videntur elevari usque ad cœlos, modo descendere usque ad abyssos, fluctibus naves elevantibus vel deponentibus. Prælati, sicut sunt episcopi, dicuntur naves, quæ de mundo vehunt ad cœlestia plebes. *Anima eorum*, scilicet prælatorum, *in malis tabescebat*, id est in consideratione malorum a subditis commissorum perturbata deficiebat. Cum procellæ et fluctus exaltantur, prælati mente *ascendunt usque ad cœlos*, id est ad sublimatos virtutibus; *et descendunt usque ad abyssos*, hoc est, ex altera parte respiciunt ad sorditatem et profunditatem vitiorum, et ex collatione abyssorum ad cœlos *anima eorum tabescebat in malis*, id est in conspectu malorum. Et ita tabescentes

Vers. 27. *Turbati sunt* tristitia subditorum, *et moti sunt* a ratione, *sicut ebrius* a ratione dimovetur. *Sicut ebrius* non habet rectum statum corporis et mentis, ita dolore subditorum non tenent priorem statum orandi et legendi, *et omnis sapientia eorum*, quam in gubernandis subditis habuerunt, *devoratur* et annihilatur. Ac si dicant : Multum monuimus, et correximus eos, et tamen nolunt acquiescere; agant quod volunt, quo fluctus impellunt, ducantur. Similitudo est a nautis, qui artem quoque navigandi omnino amittunt in magno periculo. Turbati sunt prælati, et moti, sed non diu, quia

Vers. 28. *Clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur*, id est rogaverunt Deum pro tribulatione sua, dolentes de perditione plebis suæ, *et de necessitatibus eorum eduxit eos*, hoc est, de anxietatibus, unde impotentes erant per se exire. Periculum prælatorum dixit *opera Domini*. Subjungit, hoc modo eduxit eos :

Vers. 29. *Statuit procellam ejus*, id est maris, quia inundationes persecutionum et tentationum perturbationes cessare fecit. Et hoc *in auram*, id est lenem et serenum flatum. Sancti Spiritus aura est lenis ventus et serenus. Ita dicitur aura Spiritus sanctus, qui serenat corda a vitiis, et lenit virtutibus. *Et* post flatum Spiritus sancti *siluerunt fluctus ejus*, id est quieverunt fluctuationes et turbationes ejusdem maris. Post correctionem subditorum.

Vers. 30. *Lætati sunt* prælati, *quia siluerunt* a contradictione subditi. *Et deduxit eos*, subditos, *in portum voluptatis eorum*, id est in quietem et securitatem, qualem volebant, et desiderabant prælati. Igitur ex consideratione hujus beneficii

Vers. 31. *Confiteantur Domino misericordiæ ejus*, id est pro tantis misericordiis laudent Dominum devotione et opere prælati, *et mirabilia ejus* facta *filiis hominum*, scilicet sibi, qui sunt apostolorum (filii), quia imitatores eorum, quibus misertus est, cum plebem suam duxit ad portum.

Vers. 32. *Ex exaltent eum in Ecclesia plebis*, hoc est, prælati laudent Deum in congregatione subditæ plebis bene dispositæ. Populi autem *in cathedra seniorum*, id est in magisterio prælatorum bene disposito *laudent eum* referentes utrique gratias Deo.

Ab illo loco : *Qui descendunt in mare in navibus*, tractum est de illis, qui negotiandi gratia in magna tempestate in mari navigant, et postea mirabilia Dei in profundo visa narrant, sicut contigit, quando apostoli in navi cum Domino in mare descenderunt, quia opera Domini et mirabilia ejus in profundo viderunt. Nam *dixit, et stetit spiritus procellæ*, id est imperavit ventis, et cessavit, et mare tranquillavit. Et quid in mari fuit? Domino dormiente ecce motus magnus factus est in mari, *et exaltati sunt fluctus ejus*. Et *ascendunt* populi apostoli cum fluctibus *usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos*, id est in ima : *anima eorum in malis tabescebat*, hoc est, in periculo timore deficiebat. Tunc *turbati sunt, et moti sunt sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est*, id est omne consilium fugit ab eis. *Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur* dicentes : « Domine, salva nos, perimus (*Matth.* VIII, 25). » Et surgens imperavit mari, *et de angustiis*

eduxit eos. *Et statuit procellam ejus* maris *in auram*, id est in serenitatem, *et siluerunt fluctus ejus*, maris, quia facta est, tranquillitas magna. *Et lætati sunt*, qui erant in navi, *quia siluerunt* fluctus maris dicentes : « Qualis est hic, quia mare, et venti obediunt ei ? » (*Matth.* VIII, 27.) *Et deduxit eos* incolumes *in portum voluptatis eorum*, id est quo volebant. Hoc significat quod apostoli descenderunt in mare sæculi in navibus, id est in Ecclesiis, quæ Christum portant, et a fluctibus mundi tunduntur apostoli, dico *facientes operationem in aquis multis*, id est multa signa in populis. *Ipsi viderunt opera Domini* in gentibus, *et mirabilia ejus in profundo* infidelitatis, quando per prædicationem eorum lumen veritatis in profunda caligine illuxit, et in densissimis tenebris lumen veræ Trinitatis clare viderunt. *Dixit, et stetit spiritus procellæ*, id est jussit, et cessavit mundana tentatio, *et exaltati sunt fluctus ejus*, id est suspensi sunt, ne nocerent diabolicæ tentationis motus, quos iniqui commovent super justos. *Ascendunt usque ad cœlos* illi fluctus, hoc est, elevantur in superbiis ad sanctorum injuriam, *et descendunt usque ad abyssos*, quia humiliantur in confessione. *Anima eorum in malis tabescebat* verberata a plagis cœlestibus. *Turbati sunt* de peccatis, *et moti sunt* ab infidelitate ad fidem *sicut ebrius* potu Spiritu sancti. *Et omnis sapientia eorum* sæcularis *devorata est* a sapientia Dei, ut dracones Ægyptiorum a virga Moysi. *Et clamaverunt ad Dominum* corde et ore, fide et opere, *cum tribularentur* a vitiis : *et de necessitatibus eorum eduxit eos*, ut relicta luxuria et ebrietate sequerentur sapientiam Dei. *Et statuit procellam ejus in auram*, id est persecutionem in pacem, et *siluerunt fluctus ejus*, id est consilia cessaverunt, quæ persecutiones commoverunt. *Et lætati sunt* conversi, *quia siluerunt* fluctus maris, id est persecutiones quieverunt : *et deduxit eos in portum voluptatis eorum*, hoc est, in pacem : deinde in æternam requiem. *Confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.* Confessi sunt omnibus misericordias et mirabilia Domini sibi facta. *Exaltent eum in Ecclesia plebis, et in cathedra seniorum laudent eum*, hoc est in clero, et in populo et in prælatis, et in subditis gratias ei egerunt.

Hucusque dixit tentationes pro quibus remotis laudandus est Deus. Nunc hortatur nos ad laudem ejus propter repulsionem Judæorum et vocationem gentium, scilicet, quod rami olivæ fracti sunt, et oleaster insertus est olivæ. Per omnibus supradictis laudandus est Deus, et pro hoc etiam, quia

VERS. 33, 34. *Posuit flumina in desertum, et exitus aquarum in sitim : terram fructiferam in salsuginem a malitia habitantium in ea.* Hoc tractum est de Pentapoli, ubi Sodoma, et Gomorrha, et aliæ civitates in solitudinem, et in mare Mortuum versæ sunt propter peccata inhabitantium. Flumina fuerunt Scribæ, et Pharisæi, et alii doctores Judæo-

A rum, de quibus fluebant doctrinæ aliis. Hæc *flumina* Dominus *in desertum posuit*, quia eos desertos a gratia, et siccos fecit ab omni doctrina. *Exitus aquarum* fuerunt prophetæ, de quibus exierunt multæ doctrinæ, et multa scripta. Hos posuit *in sitim*, id est in siccitatem, quod aridi et sicci facti sunt. Nam ubi nunc propheta ? Ubi legislator ? Nusquam.

Aliter : *Posuit flumina in desertum*, id est prædicatores in gentilitatem quondam a gratia desertam. *Et exitus aquarum in sitim*, id est fontes aquarum in sitibundam terram posuit. Apostoli sunt fontes, discipuli eorum flumina, ut Titus, Timotheus, Dionysius, et alii. *Terram* autem *fructiferam in salsuginem* posuit, id est terram Judæorum, quæ prius erat
B fructifera, in sterilitatem, et hoc non injuste, sed *a malitia habitantium in ea*, hoc est propter iniquitatem prælatorum in ea dominantium, sicut pontifices et Pharisæi. *Salsugo* est aqua, quæ retinetur in lacunis, de qua sal conficitur, et per exsiccationem solis et ignis indurescit in salem et illa terra dicitur esse sterilis. Terram ergo Judæam prius *fructiferam* posuit *in salsuginem*, id est in condimentum et correctionem nostræ fatuitatis. Uxor Lot mutata in lapidem salis est nobis condimentum et correctio, ut sapiamus, quia si propriis ramis non pepercit, multo minus insitis superbientibus : et hoc *a malitia hibitantium in ea*, id est propter superbiam Judæorum. Merito est exaltan-
C dus, qui in deserto posuit fontes, id est in Ecclesia apostolos, in animas sitientium verbum dedit *exitus* prædicationum, et terram corporis, quæ prius spinas amaritudinis protulerat, fructibus replevit æternis; et

VERS. 35, 36. *Posuit desertum in stagna aquarum*, id est præbuit in Ecclesia baptismum. Gentilitas dicitur *desertum*, quia olim erat a prophetis et prædicatoribus deserta. *Stagnum* dicitur profunda et magna aqua, et intelligitur sacra Scriptura. *Desertum in stagna aquarum* Deus *posuit*, dum gentiles scientia Scripturarum replevit, et doctores aliorum, ut Hilarium, Ambrosium, et alios eis similes constituit. *Et terram* prius existentem, *sine aqua*, id est
D sine doctrina posuit *in exitus aquarum*, hoc est in expositores Scripturarum, ut Augustinum et Gregorium, de quibus fluxerunt multæ scientiæ. *Posuit* dicitur quasi stabilivit, quia ubicunque aliquis prædicavit, ibi stabilivit, usque ad mortem perseveravit. *Et illic*, in illis stagnis et exitibus *collocavit esurientes* panem vitæ et intellectus, id est in doctrina eorum firmiter stabilivit. *Et* sic *constituerunt civitatem habitationis*, id est hic incœperunt constituere Jerusalem cœlestem, quæ est habitatio nostra. Vel *constituerunt civitatem habitationis*, id est Ecclesiam talem, in qua Deus dignaretur habitare. *Posuit desertum in stagna aquarum*, tractum est de aqua, quæ in deserto fluxit de petra. *Et collocavit illic esurientes*, et quæ sequuntur, tracta sunt de terra promis-

sionis, quæ omnia de Ecclesia intelliguntur. Doctores civitatem constituerunt,

VERS. 37. *Et seminaverunt agros*, hoc est verbum Dei sparserunt per populos, *Et plantaverunt vineas*, id est instituerunt Ecclesias, alios doctrina et exemplo inebriantes. *Et* ipsi agri et vineæ *fecerunt fructum nativitatis*, id est fructum naturalem, quod sunt bona opera, ad quæ facienda nati sunt. Vel fructum talem protulerunt, qualem doctores eorum, de quibus per Evangelium nati sunt :

VERS. 38. *Et benedixit eis* Deus per incrementa virtutum. Apostoli quidem Ecclesias plantaverunt, doctores autem irrigaverunt, sed Deus dedit incrementum in augmento virtutum. *Et multiplicati sunt nimis* in numero. *Nimis* dixit propter illos, qui recessuri erant ab Ecclesia, de quibus scribitur : « Multiplicati sunt super numerum (*Psal.* XXXIX, 6), » subaudis : electorum. Agris et vineis benedixit, *et jumenta eorum non minoravit*, id est simplices et idiotas, tamen rectam fidem tenentes, qui multi facti sunt. Vel *multiplicati sunt nimis*, quia multi superflue facti sunt Christiani, id est stolidos et seductibiles *non minoravit*, sed conversi sunt in sectam hæreticorum. Plures enim erant hæretici, quam catholici. Nam postquam exierunt a nobis, qui non erant ex nobis,

VERS. 39, 40. *Pauci facti sunt* catholici, *et* ipsi pauci *vexati*, id est oppressi sunt *a tribulatione malorum*, hoc est ab afflictione, quam ipsi mali inferebant, et hæresi et persecutione, quia apud principes eos accusabant, et sua eis auferebant : *Et dolore*, id est compassione vexati sunt, quia dolebant de perditione proximorum. Unde venit illa paucitas? Ex contentione, quæ venit ex vindicta Dei. Quia *contentio*, quod ipsi hæretici cœperunt contendere inter se de suis sententiis, *effusa est*, id est ample et abundanter venit *super principes* hæreticorum. Quæ *contentio* processit ex ira Dei in illis, qui principes hæreticorum exstiterunt. *Et* sic *errare fecit eos in invio*, id est permisit eos in errore hæresis, *et non* esse *in via* fidei. Vel *effusa est contemptio super principes*, quia Deus contempsit eos, *super principes* hæreticorum sicut super Arium, cujus viscera effusa sunt. Et ideo *errare fecit eos in invio*, ut crederent Deum habere membra ut hominem, vel Filium minorem quam Patrem, *et non* deduxit eos *in viam* veritatis, qua intelligerent Deum esse incorporeum et Trinitatis æqualitatem.

VERS. 41. *Et adjuvit pauperem de inopia*. Paucitas illa profuit fidelibus, quia Dominus *adjuvit* illum, qui se cognovit, et fecit *pauperem*, et humilem de *inopia*, hoc est per inopiam, scilicet per abstinentiam hæreticorum, quia fideles pauperes suos propter suam paucitatem fecit diligentiores ad inquirendam sacram Scripturam, et acutiores ad resistendum multitudini hæreticorum, quia sancti videntes eorum miseriam magis cauti efficiebantur et perspicaciores. *Inopia* ergo habet hic duplicem sensum : vel quia catholici fuerunt inopes, cum pauci facti sunt : vel quia hæretici fuerunt inopes fidei et rationis. *Et posuit sicut oves familias*, hoc est illos, qui erant in suo famulatu, *posuit sicut oves*, quia docuit eos sequi suum pastorem, non alienum; vel ea affectione et ea custodia se habuit erga suas oves, qua bonus pastor erga gregem suum. Hæretici in invio errant; recti autem in via ambulant. Unde sequitur :

VERS. 42. *Videbunt recti*, id est qui rectam fidem habuerunt, videbunt, subaudi : veritatem, quia multa intelligent de fide et Scripturis. Si enim Augustinus tot quæstiones cum hæreticis non habuisset, ad tantam subtilitatem non devenisset Scripturæ. *Et lætabuntur* de statu suo, *et omnis iniquitas* hæreticorum convicta *oppilabit*, id est claudet *os suum*, et obstructum erit os loquentium iniqua. Sicut pila est clausa : ita os eorum erit clausum.

Aliter : Dominus *adjuvit pauperem de inopia*, *et* hæretici *videbunt*, id est attendent, et *lætabuntur* sperantes liberari, si necesse fuerit. *Omnis* autem *iniquitas oppilabit os*, quia non habet quod valeat loqui.

Possunt autem hæc etiam de expulsione Judæorum dici.

Pauci facti sunt, eo quod non fuerunt in eis multiplicata opera Domini, et *vexati sunt a tribulatione malorum*, hoc est de obsidione Romanorum, *et dolore* captivitatis. *Effusa est contemptio super principes*, quia contempti sunt a victoribus, qui Dominum contempserunt, et ut vilia mancipia eos vendiderunt. *Et errare fecit eos in invio*, id est in idololatria, *et non* esse *in via* Dei. In Hebræo habetur : *Effundet despectionem super principes, et errare eos fecit in solitudine de via*. Principes namque Judæorum despecti sunt a paganis, qui etiam in solitudine gentilitatis per idola erraverunt. *Et adjuvit pauperem de inopia* : quia Christianum populum dapibus satiavit æternis, *et posuit sicut oves familias*, ut audientes vocem veri pastoris fide sequantur. *Videbunt recti*, hoc est prædicatores videbunt conversionem gentium, *et lætabuntur* de religione earum, *et omnis iniquitas oppilabit os suum*, id est diabolus et Judæi et hæretici, qui contra fidem Christi loqui præsumpserunt, obmutescent. Hæc omnia beneficia hominibus collata non intelligent, nisi sapientes. Et

VERS. 43. *Quis sapiens*, qui intelliget hæc? Sapiens *custodiet hæc* beneficia, *et intelliget* hæc omnia esse *misericordias Domini*, qui errantem in viam deduxit, et egentem pavit, qui pugnantem adversus difficultatem peccatorum, et colligatum in vinculis consuetudinis solvit et liberavit, qui fastidientem verbum Dei, et tædio quodam pene morientem missa medicina verbi sui recreavit, qui periclitantem inter naufragia et procellosa discrimina placato mari ad portum quietis perduxit, in populo humili constituit, ut ovem ad pascua paradisi duceret. Hoc vident recti et jucundantur; et qui est *sapiens*, *custodiet hæc* intelligens misericordias Domini.

PSALMUS CVII

—

De obedientia Christi.

Paratum cor meum, Deus, etc. Præcedens psalmus cecinit misericordiam Domini, quæ fideles de toto orbe, ut oves in unum congregavit, et de variis tentationibus liberavit, Judæos et hæreticos ut hædos, imo ut lupos ab eis separavit. Hic autem canit boni pastoris spontaneam mortem, qua oves morte redemit, et gloriosam resurrectionem, qua vitam suis reddidit; et victoriosam ascensionem, qua humanam naturam in se ipso super cœlestia extulit; et ovem perditam, sed jam inventam, et propriis humeris revectam angelico gregi conjunxit. Et quia arietes misit, per quos oves de utroque populo in unum ovile contraxit, quasi de duobus stabulis, activæ et contemplativæ vitæ divisit, quasque adhuc in civitatem munitam deducet, et in loco pascuæ paradisi constituet. Hoc ipse numerus indicat. Hic quippe psalmus est centesimus septimus, quod sunt undecies novem, et insuper octo. Undenarius transgressionem; novenarius angelicam societatem; octonarius æternam beatitudinem innuit. Designat hic numerus quod humanum genus propter transgressionem hujus vitæ exsilium subiit, per Christi mortem ad consortium angelorum rediit, ubi æternam beatitudinem habebit. Titulus est : *Canticum psalmi*, vel :

(VERS. 1.) CANTICUM PSALMI IPSI DAVID.

Canticum ad theoriam vel ad contemplationem, *psalmus* pertinet ad practicen, id est ad actionem. Canticum ergo est exsultatio; psalmus operatio, quoniam per operationem pervenitur ad exsultationem. Quod principalius est, præposuit, sicut ubique facit. Iste itaque psalmus, qui agit de operatione et remuneratione, attribuitur ipsi vero David Christo.

Materia psalmi est obedientia Christi, et ejusdem obedientiæ remuneratio. Intentio est nos hortari Christi exemplo ad studium bonæ operationis, quatenus pertingamus ad lætitiam remunerationis. Iste psalmus sumptus est de duabus extremitatibus duorum psalmorum quinquagesimi sexti et quinquagesimi noni, scilicet : *Miserere mei, Deus, miserere mei*, in cujus titulo scribitur David fugisse in speluncam a facie Saul. Et : *Deus, repulisti*, in cujus titulo scribitur David succendisse Mesopotamiam Syriæ. Hoc ideo factum est ut ostendat psalmos non historice, sed allegorice intelligendos, cum secundum litteram utrumque simul in uno homine non potuerit fieri et fuga et victoria : secundum prophetiam utrumque simul factum sit in Christo, qui et in speluncam sepulcri a facie Saul, id est mortis fugit, et diabolum vicit. Ideo hic alium titulum, A scilicet *Canticum psalmi* posuit, ut diversa in littera demonstret ad unum sensum tendere allegoriæ, quia per Christi mortis victoriam pervenitur ad æternam lætitiam. Et hic est pulcherrimus modus, cum aliquis psalmus, vel aliquis versus bis ponitur sub diversa significatione, qui sunt verbis similes, sensu dissimiles, sicut in regio ornatu ponuntur gemmæ ejusdem nominis, diversi coloris. Verba hujus psalmi, ut dictum est, sumpta sunt de duobus psalmis, quia domus Ecclesiæ fabricata est de duobus parietibus, et unum ovile collectum est de duobus gregibus, et una respublica est de duobis vicis.

Psalmus hic in duo partitur, quia in Christo gemina natura prædicatur. Una pars est : *Paratum cor meum*, in qua passio, resurrectio, ascensio notatur; B altera : *Deus locutus est*, in qua ordines Ecclesiæ per Christum enumerantur. Hic psalmus de duobus unus efficitur, quia de duobus populis una Ecclesia, corpus Christi colligitur. Christus hic loquitur enarrans fidelibus suæ passionis obedientiam, et quam pro hac assecutus est gloriam, admonens eos suo exemplo ad operationem, spondens æternæ vitæ remunerationem.

VERS. 2. *Paratum cor meum, Deus*. O Deus Pater, *paratum* est *cor meum*, id est, affectio mea ad obedientiam. *Paratum* est *cor meum*, id est, voluntas mea ad subeundam pro humani generis salvatione passionem, hoc est, non coactus, non invitus, sed sponte et voluntarie pro ovibus meis pastor moriar. C Et faciam hoc non cum tristitia, sed cum hilaritate. *Cantabo, et psallam in gloria mea*. Cantus hilaritatem, psalmus innuit operationem; ac si dicat : Opus obedientiæ meæ perficiam cum lætitia. Et hoc *in gloria mea*, hoc est, inde habebo gloriam. Quam gloriam? Resurrectionem. Unde subditur vox Patris :

VERS. 3. *Exsurge* [Vulg. *: exsurge gloria mea, exsurge psalterium*, etc.] *psalterium et cithara. Psalterium* sonat de superioribus; *cithara* de inferioribus. Per *psalterium* Christi anima, quæ venit de supernis; per *citharam* intelligitur caro ejus passa in terris; quasi dicat : O anima Christi, quæ est Filii mei *psalterium*, revertere de inferno ad corpus, tuam *citharam*, et *exsurge* de sepulcro, et lauda Dominum, D qui pro completa obedientia dat tibi immortalitatem et impassibilitatem. Vox Christi respondens Patri : *Exsurgam diluculo*, id est, valde mane. Et postquam resurrexero,

VERS. 4. *Confitebor tibi in populis*, id est, in Judæis, Domine Pater, *et psallam tibi in nationibus*

id est, in gentibus. Judæi dicuntur *populi* propter duo regna, regnum Juda et regnum Israel : gentes autem dicuntur *nationes*, quia ita remanserunt, ut natæ sunt, non circumciduntur, nec baptizantur. In Judæis et in gentibus faciam te laudari, quos per meos sanguine meo acquisitos faciam te corde et ore confiteri, et ad laudem tuam bene operari. Et istud cantabunt :

VERS. 5. *Quia magna est super cœlos misericordia tua, et usque ad nubes veritas tua*, hoc est, Christus, per quem magnam misericordiam exhibuisti hominibus, *est super cœlos*, id est, super angelos, qui minoratus fuit ab angelis factus mortalis et passibilis. Et Christus *tua veritas*, per quem omnia dicta prophetarum vera complesti, est potens *usque ad nubes*, quia data est ei omnis potestas in cœlo et in terra. Vel quia *veritas tua*, id est divinitas Verbi pervenit *usque ad nubes*, id est, usque ad homines, scilicet apostolos et alios justos. Ideo misericordia tua, id est, humanitas elevabitur super cœlos. Vel *misericordia tua magna est super cœlos*, qua regis angelos ne cadant et damnum lapsus eorum reparas per homines per misericordiam salvatos, *et veritas tua usque ad nubes* constituenda, id est prædicatores veritatem tuam proferentes. Et ut hoc fiat,

VERS. 6, 7. *Exaltare super cœlos, Deus*, hoc est o Deus Verbum, qui te usque ad terram pro levandis lapsis inclinasti, *exaltare* ascendens super cœlos cum assumpta carne et redempto homine ad consessum Patris, *et* sic apparebit *super omnem terram gloria tua* exaltata, id est super omne genus hominum gloriosus apparebis. *Exaltare* ad hoc *ut liberentur electi tui*, id est ad vitam præordinati, de potestate diaboli. Christus namque in cruce exaltatus dilectos suos liberavit, quando omnia ad se traxit. In cœlis exaltatus gloria ejus super omnem terram claruit, quando Spiritum sanctum de cœlis misit, per quem scientiam omnium linguarum tribuit, et electos suos per totum mundum dispersos de jugo diaboli eripuit. Vel vox est Dominici hominis; tu Verbum mihi unitum, *exaltare super cœlos*, ut appareas Deus, et tunc erit *gloria tua super omnem terram, et ut liberentur electi tui.*

Salvum fac me hominem *dextera tua*, id est potentia tua levans me in dexteram Patris, *et exaudi me* interpellantem pro eis, ut in judicio electi constituantur in dextera, non in sinistra, et tunc *liberentur* ab æterna damnatione. Vere hoc facies, quia

VERS. 8. *Deus locutus est in sancto suo*, id est Dei Verbum locutum est per me hominem sanctum, dicens : « Ubi sum ego, illic et minister meus erit (*Joan.* XII, 26). » Et quia ille sic promisit, qui verax est, et mentiri non potest : *exsultabo*, hoc est perpetuam lætitiam habebo de me, et de meis, qui secundum carnem in morte contristabar : *et dividam Sichimam*, id est obedientes a massa perdendorum, *et convallem tabernaculorum dimetiar*, id est humiles Ecclesiarum a superbis separabo. *Sichima*, quod interpretatur *humilis*, sunt obedientes, qui ferunt onus Domini. Per inobedientiam de paradiso lapsi sunt; per obedientiam redire poterunt. *Convallis* sunt humiles, *tabernacula* sunt Ecclesiæ in supernam civitatem tollendæ. Per superbiam corruerunt, per humilitatem redibunt. Hoc modo *dividam, et dimetiar* quosdam faciendo martyres, quosdam confessores, quia

VERS. 9. *Meus est Galaad, et meus est Manasses*. *Galaad* dicitur *acervus testimonii*, et significat martyres, Christi testes : martyr enim dicitur testis; quasi diceret : Martyres assumam in hæreditatem meam, qui magnum cumulum coacervaverunt, dum se ipsos in testimonium meum obtulerunt. Vel *Galaad* dicitur *transmigratio*; et illos assumam qui de vitiis ad virtutes, de terrenis ad cœlestia transmigrant. *Manasses* interpretatur *oblivio*, et significat confessores terrena obliviscentes, et æterna appetentes, et hoc assumam mihi. Vel qui oblitus patris devoravit substantiam suam cum meretricibus, et postea ad patrem est reversus, hunc etiam assumam. *Et Ephraim susceptio capitis mei. Ephraim* interpretatur *fructificans*, et significat fideles in bonis fructificantes. Hi erunt *susceptio*, id est reclinatorium meum, qui sum caput eorum, hoc est in illis requiescam. Vel erunt corona *capitis mei*, qui in gloria circumvallabunt me. Nota gradus. Primum debent transmigrare de terrenitate, postea oblivisci omnium terrenorum, deinde in virtutibus esse fructiferi, et tunc erunt corona Domini, id est circumvallabunt eum. *Juda rex meus*, hoc est peccata confitentes, et mores suos regentes erunt mei. *Juda* enim dicitur *confitens*. Hucusque de Judæis; nunc dicitur de gentibus, ut determinet, quod prius dixit : *Confitebor tibi in populis et gentibus*. Non solum assumam de circumcisis in hæreditatem meam, sed etiam de nationibus, quia

VERS. 10. *Moab lebes spei meæ. Lebes* est olla ærea, et significatur tribulatio. *Moab* dicitur *lex*, et significat gentes, quæ sunt sine lege incultæ, idololatræ, contra legem viventes, sicut *Moab* contra legem natus est de filiabus Lot; tamen existentes *lebes*, id est, excoquentes vitia in se, sicut coquuntur carnes in lebete. Illæ sunt *spei meæ;* hoc est de illis refici spero, et illi sunt mei, qui in tribulatione, ut in olla fuerint excocti. *Moab* etiam dicitur : *ex patre*, quia ex patre natus, et intelligitur diabolus, qui a patre recessit, et nunquam ad eum rediit. Hic est *lebes* Dei, in quo excoquit carnes, id est carnalia opera suorum, ut de eis faciat dulcia fercula in convivio angelorum. Utitur eo Dominus tanquam quæstionario, ut electos tentationibus probet, adversitatibus purget, passionibus regi reconciliet. Hac olla excocti erunt *spei meæ*, id est erunt in illa requie, quam sperant mei. Quomodo hoc erit? Hoc modo : *In Idumæam extendam calceamentum meum*, hoc est in gentilitatem terrenis inhiantem per apostolos de Judæa extendam humanitatem meam.

Humanitas erat *calceamentum* Divinitatis, quia erat A mortalis. *Idumæa* autem interpretatur *terrena*. Vel apostoli fuerunt Christi *calceamentum*, quia munierunt ecclesias, pedes Christi, scriptis et dictis et factis. Hoc *calceamentum in Idumæam extendit*, dum apostolos ad terrenos misit, per quos incarnationem suam gentibus innotuit. Hoc modo *mihi alienigenæ amici facti sunt*, hoc est idololatræ gentes, mei inimici, a regno Dei alienati, per fidem et operationem *facti sunt mihi amici*. Ideo dico eis : « Jam non dicam vos servos » peccati ; « sed amicos meos » et cohæredes regni (*Joan.* xv, 15). Ut hos omnes a malis dividam,

VERS. 11. *Quis deducet me in civitatem munitam*, id est in infernum, ut electos a pœnis eruam? Tu solus Deus. Infernus est *civitas munita* ad egrediendum; B aperta ad introeundum. Nullus enim exire poterit, postquam intraverit; sed intrare facile poterit. Econtra supercœlestis civitas est munita, ut nullus intrare possit, nisi a Deo adjutus; sed nullatenus labi potest, postquam intraverit. *In civitatem munitam* inferni solus Deus Christum deduxit, ideo solus inde victor exiit, destructa civitate spolia ejus divisit. Ante ejus quippe adventum omnes ad infernum descenderunt, et ibi usque dum latro paradisum aperuit, manserunt. Ut ergo Abraham et alios inde eruam, *quis deducet me usque in Idumæam*, ubi est locus pœnarum et sanguinis? Tu Deus. *Idumæa* enim interpretatur *sanguinea*, et est locus occisionis, scilicet infernus, ubi multæ animæ occiduntur. Nemo descendit victor in infernum, nisi tu, C Deus, qui dixisti vinctis : exite, et his, qui in tenebris erant, revelamini, quos eduxisti de domo carceris sedentes in tenebris et umbra mortis.

Aliter : Ego *extendam calceamentum meum*. Sed *quis deducet me* prædicatione *in civitatem*, id est in gentilitatem *munitam* edictis imperatorum, scriptis philosophorum? Vel *quis deducet me usque in Idumæam*, id est terrenos et sanguineos, terrenorum cupidos et sanguinis justorum avidos?

VERS. 12. *Nonne tu Deus?* hoc est nemo hoc facere audebit, nisi per te, Deus, *qui repulisti nos* homines de paradiso in hoc exsilium, et nunc de miseriis liberasti per Filium. Caput pro membris loquitur. Per tribulationes nobis immissas nos repulisti, et quia *non exibis in virtutibus nostris*, hoc est non appares nobis per miracula, sicut faciebas cum patribus, quos de Ægypto signis et prodigiis per mare eduxisti, gentes expulisti, terram eorum patribus dedisti : econtra nobis nostra aufers, et gentibus tribuis, insuper et nos ipsos in potestatem adversariorum ad varios cruciatus tradis, ergo

VERS. 13. *Da nobis auxilium de tribulatione*, da, ut ipsa tribulatio sit nobis *auxilium* veniendi ad æternam requiem. Vel *da nobis de tribulatione* per te exire, et ad æternam salutem pervenire. Et quare non petis auxilium a principibus? Ideo, *quia vana salus hominis*, et maledictus, qui confidit in homine. Cito enim moritur, et peribit spes ejus.

VERS. 14. *In Deo faciemus virtutem*, hoc est, quidquid boni fecerimus, non auxilio hominum, sed Dei auxilio faciemus et totum ei attribuemus : *et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos*, id est omnes tribulantes nos destruet, et perpetuam salutem nobis conferet. Quod est dicere : Per prædicatores Spiritu sancto confortatos in gentilitatem deducar, et expulsos de paradiso reducam, qui hic tribulationem ab impiis sustinebunt, sed post tribulationem æternam salutem habebunt. Ad extremum inimici eorum in supplicio annihilantur ; ipsi pro virtutibus in gaudio coronantur.

PSALMUS CVIII.

—

De humilitate Christi

Deus, laudem meam ne tacueris, etc. Finis superioris psalmi meminit tribulationis justorum ; hic autem passionem Christi eis ad formam proponit, ne deficiant. Materia psalmi hujus est Judas, et Judæi persecutores Christi. Sicut enim Petrus in Evangelio gessit figuram Ecclesiæ, ita Judas in hoc psalmo gerit typum Judæorum Christi persecutorum, et corporis ejus Ecclesiæ. Duo autem apostoli sunt Judas dicti ; Judas Jacobi scilicet et Judas Iscariotes proditor. A Juda sancto dicti sunt fideles Judæi Christum confitentes ; a Juda proditore dicti sunt perfidi Judæi Christum persequentes. Sciendum quoque, quod in hoc psalmo continetur maledictio Spiritus sancti et Ecclesiæ super corpus diaboli, et judicialis sententia Judam feriens, et ad D totum corpus malorum pertinens. Non est autem votum maledicentis, sed prophetia prædicentis, quia non optat, ut eveniat ; sed quod futurum est, prænuntiat.

Intentio est retrahere persecutores a persecutione justorum, quia nisi cessaverint, eadem pœna involvet eos, qua Judam et Judæos involvit. Qui sicut primo passus est in propria persona, sic quotidie patitur in membris suis ; sicut Saulo dicitur : « Saule, Saule, quid me persequeris? (*Act.* ix, 4.) » Et eadem pœna restat omnibus persecutoribus suis.

Verba psalmi sumpta videntur de historia, ubi Achitophel consilium super David dedit, quando Absalon, et populi contra eum conjuraverant, cui

David maledixit, et laqueo se suspendit. Et significat quod Judas Dominum prodidit, quando diabolus et Judæi contra eum conspiraverant, cui Christus maledixit, dicens : « Væ homini illi, per quem tradior ego (*Marc.* XIV, 21) : » et laqueo se suspendit, et medius crepuit.

Hic psalmus in ordine centesimus octavus computatur, in quo numero quindecies septem considerantur. Quinarius humanum genus quinque sensibus dotatum; denarius veterem legem propter decalogum; septenarius novam legem propter septiformem Spiritum innuit. Sed et denarius vitæ præmium; septenarius futuram requiem exprimit. Designat ergo hic numerus quod omnes, qui ante Christi adventum quinque sensibus Deum impugnaverunt legem spernendo, vel qui eum incarnatum postea usque in finem mundi persequuntur quinque sensibus, Evangelium contemnendo cum quinque prudentibus virginibus præmium in futura requie non habebunt, sed cum quinque fatuis virginibus maledicti discedent. Titulus ejus est :

(VERS. 1.) IN FINEM PSALMUS DAVID.

Hoc est, iste hymnus attribuitur Christo vero David dirigenti nos *in finem*, id est in cessationem persecutionis. Vel *in finem*, id est in consummationem retributionis, quæ in fine dabitur unicuique secundum opera sua.

Hic psalmus habet tres partes. Prima divisio : *Deus, laudem meam*, in qua Judæi persecutores Christi culpantur. Secunda : *Constitue super eum*, in qua Judas traditor Christi, et ipsi Judæi damnantur. Tertia est : *Tu, Domine*, in qua Christi secundum assumptam hominis formam tribulatio, et pro corpore suo oratio continetur. Vox Christi pro se, et pro membris suis Patrem orantis, et Judam, ac totum corpus diaboli abdicantis :

VERS. 2. *Deus, laudem meam ne tacueris.* Judas me tradidit, Judæi persecuti sunt, et crucifixerunt putantes omnino me perdere, et nomen meum de terra delere. Tu autem, *Deus* Pater, *laudem meam*, id est laudabilem famam et gloriam *ne tacueris*, id est ne permittas taceri non resuscitando, et Judæos puniendo, qui *laudem meam* tacent, et dignum contumelia reputant. Sicut enim resurrectio, ita et damnatio eorum laus est Christi. Nam per resurrectionem justi lætificantur, per damnationem illorum liberantur. Ideo non taceas : *quia os peccatoris et dolosi* Judæ *super me apertum est*, dicens : « Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? (*Matth.* XXVI, 15.) » Os peccator super me aperuit, quando dixit : « Ave Rabbi (*ibid.*, 49, 50). » Dolose aperuit, quando dixit, « et osculatus est eum, » sicque dolo tradidit eum : « Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum (*ibid.*, 48). » In osculo notatur pax et amicitia. Et ideo dicitur *dolosus*, quia per simulatam pacem et amicitiam implevit homicidium. Vel *dolosus* fuit, quando fraudem, quam in corde gerebat, Judæis detexit. *Peccator* autem propter excellentiam dicitur : quia, cum esset apostolus, et doctrinæ et mysteriis Christi interesset, et non solum signa ejus videret, sed etiam ipse faceret, tot beneficia dignitatum contempsit, et Dominum ac magistrum suum pro vili pretio vendidit. Per hoc notatur quod magis damnandi sunt, qui Scripturas intelligunt, quam illi, qui non intelligunt. Et non solum Judas, sed etiam Judæi.

VERS. 3. *Locuti sunt adversum me lingua dolosa*, dicentes : « Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces. Licet censum dare Cæsari, an non? » (*Matth.* XXII, 16.) Et tamen volebant me reprehendere : et cætera similia quibus me capere volebant. *Et sermonibus odii circumdederunt me*, id est talibus sermonibus circumvallabant me, qui aperte odium significant dicentes : « Tu cum sis homo, facis te ipsum Deum (*Joan.* X, 33). » — « Samaritanus es tu, et dæmonium habes (*Joan.* VIII, 48). » Odioso sermone circumdederunt me, quando clamaverunt : « Si hic non esset malefactor, non tibi tradidissemus eum. Crucifige, crucifige eum (*Joan.* XVIII, 30). » In cruce quoque circumdederunt me dicentes : « Si Filius Dei es, descende de cruce (*Matth.* XXVII, 40). » *Et expugnaverunt me gratis*, id est flagellaverunt me sine mea culpa, quia bonum, non malum promerui, qui ægrotos eorum sanavi, mortuos eorum suscitavi. Vel *gratis*, id est sine effectu, quia voluerunt expugnare, et delere nomen meum, et non potuerunt.

VERS. 4. *Pro eo, ut me diligerent, detrahebant mihi.* Non dixit : interficiebant; sed *detrahebant*, quia enim detraxerunt, ideo interfecerunt. *Detrahebant* autem dicentes : Maleficus est, « in Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia (*Luc.* XI, 15). » — « Vorax est, et potator vini, et amicus Publicanorum (*Matth.* XI, 19). » — « Dæmonium habet et insanit. Quid auditis eum? (*Joan.* X, 20.) » Qua detractione eos ab illo avertebant, quorum conversionem ille quærebat. Ideo posuit detractionem, quia magis nocent, qui Christo detrahunt et per hoc animas interficiunt, quam qui ejus mortalem carnem, præsertim mox resuscitatam, sæviendo peremerunt. *Pro* vice dilectionis quam eis exhibebam, vel pro beneficio quod exigebam, *ut me diligerent*, *detrahebant* et crucifigebant. *Ego autem orabam* pro ipsis, dicens : « Pater, ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII, 34). » Hæc sunt arma Domini, hæc sunt et arma nostra contra inimicos, scilicet oratio. Et non solum gratis me impugnaverunt, sed etiam

VERS. 5. *Posuerunt adversum me mala*, id est flagella et mortem *pro bonis*, quæ eis multis modis, prædicando, infirmos sanando, mortuos suscitando impenderam. Pro eis in cruce orabam : ipsi econtra dixerunt : « Vah qui destruis templum Dei, salva temetipsum (*Matth.* XXVII, 40). » Ego pro eis moriebar, ipsi econtra dixerunt me seductorem, et cu-

stodes ad sepulcrum meum posuerunt. Ego pro eis surrexi, et ipsi dixerunt : « Discipuli ejus noctu furati sunt eum (*Matth.* xxviii, 13). » *Et odium pro dilectione mea* mihi reddiderunt. Ego usque ad mortem dilexi eos ; ipsi usque ad mortem me odio habuerunt. Hæc dicta sunt de Judæis generaliter ; sequuntur quædam de Juda specialiter, quia qui Dominum pro triginta argenteis vendidit, triginta maledictionibus hic prolatis succubuit. Pro quolibet denario maledictione percutitur, quia super eum peccator constituitur, diabolus a dextris ejus statuitur, judicatus condemnatur, oratio ejus in peccatum reputatur, dies ejus breviabuntur, episcopatus ejus alteri datur, filii ejus pupilli, uxor ejus vidua, filii transmigrant de patria, fiunt mendici, de propria habitatione expulsi, fenerator substantiam ejus scrutatur, alieni labores ejus diripiunt, non est adjutor ei ad tuendum, nec miserator pupillis ad defendendum, nati ejus intereunt, nomen ejus cito deletur, pro iniquitate patrum punitur, pro peccato matris mulctatur, parentes ejus contra Dominum in damnationem sistuuntur, memoria eorum de terra deletur, maledictione circumdatur, benedictio ab eo elongatur, fit ei maledictio in corpore ut vestimentum, et in anima sicut aqua, et in animæ viribus ut oleum in ossibus, fit ei maledictio in actibus ut operitorium, ut zonæ cinctio fit ei in studio, ipse et omnes sui coram hominibus confunduntur, interius coram Deo pudore induuntur, duplici confusione hic et in futuro, in corpore et in anima operiuntur.

Nunc profert sententiam ut justus judex in Judam, et in corpus diaboli, non ut accusator se vindicans malis adversarii. Accusator enim cupit exsaturare inimicitias pœna inimicorum, judex vult causa justitiæ punire peccata reorum. Punit namque Christus non delectatione alienæ miseriæ, sed dilectione justitiæ. O Pater, quia Judas noluit me habere super se magistrum, cujus doctrinam audiret,

VERS. 6. *Constitue super eum peccatorem*, id est diabolum peccati inventorem, ut ejus persuasioni obediant, et ei subditus serviat. *Et diabolus stet a dextris ejus*, id est bona opera ejus, si quæ sunt, invertat. A sinistris semper stat, quia mala jugiter inspirat. *A dextris stet*, non ut promoveat, sed bona destruat. Opera diaboli sint ei dextra, mala reputet bona. Et

VERS. 7. *Cum* ita *judicatur*, *exeat* ab hac vita *condemnatus*, scilicet incorrectus, et non emendatus per satisfactionem ante finem vitæ. Vel *cum judicatur* in judicio futuro, *exeat* de judicio *condemnatus*. *Et* interim *oratio ejus fiat in peccatum*, quia non fit per Christum, quem noluit sequi, sed persequi. Oratio enim, quæ per ipsum non fit, non solum non potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit in peccatum. Omne enim quod extra fidem Christi fit, peccatum est. Oratio Judæ erat ejus pœnitentia,
A qua dixit : « Peccavi tradens sanguinem justum (*Matth.* xxvii, 4). » Sed hæc *oratio* facta est *in peccatum*, dum laqueo se suspendit, homicidio auxit homicidium. Magis quippe in hoc Dominum offendit, quod se suspendit, quam quod Dominum prodidit. Oratio quoque eorum vertitur in peccatum, qui rogant vindictam inimicorum, vel impletionem carnalium voluptatum.

VERS. 8. *Fiant dies ejus pauci*, id est post traditionem meam cito moriatur, quod ita contigit. Nam ante Christi passionem proprio scelere consumptus traditur. *Et episcopatum ejus accipiat alter*, id est honorem apostolatus possideat alius, quod Mathias fecit, qui ei in apostolatu successit. Sed dicet ali-
B quis : Num debuit bonus in locum mali succedere? Apostolatus non ideo malus fuit, quia Judas malus exstitit. Bonus ergo in bonum locum ire debuit.

VERS. 9. *Fiant filii ejus orphani*. Orphanus est, cujus pater est mortuus. *Et uxor ejus vidua*. *Vidua* est, cujus maritus est defunctus. Vidua dicitur quasi a viro viduata, id est separata vel valde separata. Viduare enim dicitur dividere.

VERS. 10. *Nutantes transferantur filii ejus*, hoc est de loco suo ad alium transmutentur, ubi sint *nutantes*, id est incerti et instabiles, *et mendicent* ab aliis unde vivant, omni præsidio destituti. *Ejiciantur de habitationibus suis*, id est expellantur de
C possessionibus et habitaculis suis.

VERS. 11. *Scrutetur fenerator omnem substantiam ejus*. Quæritur quomodo Judas *substantiam* habuerit, quam fenerator scrutari possit, cum omnia relinquens Dominum cum apostolis secutus sit. Creditur, quod omnia, quæ habebat, uxori et filiis ita dimiserit, ut usum inde interdum habuerit, et Dominum non sincere secutus sit, sed ut aliquid cum eo lucrari posset. Ut enim de eo scribitur : « Fur erat, et loculos, » id est marsupia, « habebat (*Joan.* xii, 6), » contra præceptum Domini dicentis : « Nolite portare sacculum, neque peram, neque pecuniam in zonis habeatis (*Luc.* x, 4), » et quæ a religiosis Domino, et apostolis ad necessaria mitte-
D bantur, furtim auferebat, et ea ad usuram dabat. Quædam vero a fenore ab aliis accepit, quæ uxori et filiis dedit, quæ post mortem ejus fenerator rehabere voluit. Ideo *substantiam ejus* scrutatus est, si sibi solvere cum usura posset. Quamvis hoc evangelista non scripserit, tamen Prophetæ credendum est, qui hoc non tacuit. *Et diripiant alieni labores ejus*. Quæ cum labore acquisivit, neque uxor, neque filii ejus possideant, sed extranei rapiant, quod ita contigit. Nam de traditione Domini acquisitos *argenteos* Pharisæi diripuerunt, et agrum non filiis Judæ, sed peregrinis in sepulturam coemerunt. Vel *omnem substantiam ejus*, rationem et liberum arbitrium, possibilitatem bene faciendi Deus investiget, quantum sibi dedit, ut fructificaret inde, et ut nihil

inveniat, *diripiant* in hac vita *alieni*, id est dæmones *labores ejus*.

Vers. 12. *Non sit illi adjutor* ad tuendum, vel orando de pœnis liberandum; *nec sit qui misereatur pupillis ejus* ad eruendum.

Vers. 13. *Fiant nati ejus in interitum*. Quod de illo generatum est, jam non generet. *In generatione una deleatur*, id est cito deficiat *nomen ejus*, ut nec inter homines nominetur.

In Hebræo habetur : *Fiant novissima ejus interitus, in generatione altera deleatur nomen ejus*, hoc est in Christiana generatione. Quædam generatio est carnalis, altera spiritualis, de qua scribitur : « Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri; sed ex Deo nati sunt (*Joan.* I, 13). »

Vers. 14. *In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini* ad puniendum, quam quasi oblitus fuerat, dum non punivit. Si Judas in apostolatu sicut Petrus permansisset, nec sua præterita, nec patrum iniquitas ad eum pertineret. Sed quia adoptionem in familiam Dei non attendit, sed iniquitatem vetusti generis elegit, *iniquitas patrum ejus in conspectu Dei* renovata *rediit*. Et sciendum quod Judas non pro peccato patrum, sed proprio damnatus est. Filius non portabit iniquitatem patris, nec pater iniquitatem filii portabit. Nec obsunt mali parentes bonis filiis, sicut Josue non nocuit malum patrem habuisse, nec boni parentes proderunt malis filiis, sicut Manassæ non profuit ab Ezechia ortum fuisse. *Et peccatum matris non deleatur*, quæ eum in peccatis, id est in concupiscentia concepit, sed puniatur.

Vers. 15. *Fiant* parentes ejus *contra Dominum semper*, hoc est in conspectu Domini sistantur non in bonum, sed in damnationem et hoc semper, id est peccatum eorum sit irremissibile, et in hoc sæculo et in futuro, *et dispereat de terra* viventium *memoria eorum*. Et totum quare?

Vers. 16. *Pro eo quod non est recordatus facere misericordiam*. Quæritur, quid hoc Judæ post mortem nocuerit, quod uxor et filii ejus ad mendicitatem pervenerint, vel hæc infortunia hic scripta inciderint? Solent multi defunctis amicis prodesse vel orationibus vel eleemosynis. Sed in hoc aucta est pœna Judæ, quod isti egestate et miseria depressi mortui non poterunt recordari. Vel mortui habent curam de amicis viventibus, sicut dives ille curam, de quinque fratribus habuit, ne et ipsi ad tormenta venirent. Et in hoc Judæ pœna est ampliata, quod familia ejus rebus necessariis est destituta.

Hæ maledictiones, sicut super Judam, ita super Judæos quoque complentur. Qui quia noluerunt habere super se regem Christum, constituet super eos Dominus *peccatorem* Antichristum, qui antonomastice *peccator* dicitur, quia extollitur super omne, quod Deus colitur. Hoc est expressum, quando Christum abnuerunt, et Barabbam sibi dimitti petierunt.

A Barabbas erat latro, et dicitur *filius patris*, id est diaboli, cujus filius est Antichristus, qui erit latro, quia sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem Christianum populum. Barabbas ante Christi passionem erat in carcere reclusus et ligatus, postea a Judæis dimissus, quia diabolus antiquo populo, scilicet patriarchis et prophetis ligatus, ad persequendos Judæos est solutus. Unde subditur : *Et diabolus stet a dextris ejus*. In Græcia est fluvius, qui dicitur diabolus, quod sonat *deorsum fluens*. Ideo apostata angelus dictus est diabolus, quia deorsum fluxit, dum de cœlesti gratia in abyssum corruit. Per dexteram bona opera, per sinistram mala accipiuntur. Dicitur quod unicuique homini angelus a Deo sit constitutus, qui eum ad
B bonum incitet; et econtra dæmon a diabolo directus qui eum ad malum instiget. A dextris stare dicitur, qui ad bonum persuadet, et adjuvat; a sinistris, qui malum suggerit et bonum impedit. Diabolus a dextris Judaico populo stetit, dum eum ad necem Christi instigavit. Quasi enim dextra fuit, dum se bonum opus in morte Christi fecisse putavit : arbitrati sunt enim se obsequium Deo præstitisse, dum Christum quasi legis destructorem occiderunt. Unde dicitur : « Non enim sciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII, 34). » — « Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*I Cor.* II, 8). » Qui populus, *cum judicatur, exiet* de judicio ad supplicium *condemnatus*, quia in perfidia persistens
C thesaurizat sibi iram in die iræ. Et *oratio ejus fit in peccatum*, quia non fit per Christum. Omne enim, quod extra fidem Christi fit, peccatum est. *Dies ejus pauci* facti sunt, quia post passionem Christi cito exterminatus est. *Et episcopatum ejus accipiat alter*, id est honorem sacerdotii populus gentium. *Filii ejus* facti sunt *orphani* amisso regno, et Deo Patre perdito. « Qui » enim « Filium non habet, nec Patrem habet (*I Joan.* II, 23). » *Et uxor ejus*, scilicet plebs, cui reges dominabantur, facta est *vidua* amisso regno. *Nutantes*, id est incerti translati sunt *filii ejus*, quia captivi ducti sunt in omnes gentes. Ibi mendicant aliena misericordia viventes sub regibus gentium, quia ejecti sunt de habitationibus suis. Jam enim amiserunt et
D locum et gentem. *Fenerator* Titus *omnem substantiam ejus* scrutatus est, et *alieni*, scilicet Romani, rapuerunt *labores ejus*. Nec est illi *adjutor*, cui Christus non est; *nec qui misereatur pupillis ejus*, ut eos a rapientibus eruat. Facti sunt *nati ejus in interitum*, id est in occisionem; in futuro vero in æternam perditionem. *In generatione una deleatur nomen ejus*. Una generatio per centum annos extenditur. Populus autem Judaicus post passionem Christi transactis quadraginta duobus annis deletus est a Romanis, cum adhuc una generatio non esset dimidiata, quia « viri sanguinum, et dolosi non dimidiabunt dies suos (*Psal.* LIV, 24), » sed in dimidio dierum suorum rapti sunt.

Aliter : Duæ sunt generationes, carnalis et spiri-

tualis. In una, id est in spirituali deletum est nomen ejus, quia non est regeneratus ex aqua et Spiritu sancto. Vel in futuro est una generatio cum Christo regnantium : in illa delebitur nomen ejus, quia electis non admittetur. *Iniquitas patrum ejus*, qui in deserto idolum adoraverunt, et Deum multis modis exacerbaverunt, redit *in memoriam Domini* quasi oblivioni tradita, ut veniat super generationem hanc pessimam omnis sanguis justus, qui effusus est super terram. *Et peccatum matris ejus*, scilicet Jerusalem, quæ servit cum filiis suis, non est deletum, quod occidit prophetas, et lapidavit ad se missos; insuper ipsum Dominum occidit. Facti sunt Judæi *contra Dominum semper*, quia jugiter ante faciem ejus quasi judicis rei consistunt ad puniendum. Et disperiit *de terra*, scilicet de Judæa, vel de Ecclesia *memoria eorum*, quia, cum essent rami naturales, fracti sunt, et oleastri olivæ inserti. Et cur hoc? *Pro eo quod non est recordatus* populus ille *facere misericordiam*, quia post occisionem Christi noluit agere pœnitentiam, ut eleemosynis, quæ sunt opera misericordiæ, peccata redimeret. Et quid fecit?

VERS. 17. *Persecutus est hominem inopem et mendicum*, scilicet Judas prodendo, vel Judaicus populus comprehendendo persecutus est Christum hominem, causa nostri factum inopem de divite, pro nobis factum et mendicum, ubi caput reclinaret, non habentem, sed necessaria ab aliis accipientem, *et compunctum corde*, videlicet de perditione ejus dolentem, talem persecutus est : *mortificare*, usque ad mortem. Vel Christum in membris suis Judæi persecuti sunt, quando apostolos de finibus suis ejecerunt. Judas persecutus est Dominum.

VERS. 18. *Et dilexit maledictionem* operando iniquitatem. *Et veniet ei* in die judicii, quando sinistris dicetur : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV, 41). » *Et noluit benedictionem* declinando justitiam, *et elongabitur ab eo*, cum dextris dicetur : « Venite, benedicti Patris mei (*ibid.*, 34). » Vel Judaicus populus *dilexit maledictionem*, quando dixit : « Sanguis ejus super nos, et super filios nostros (*Matth.* XXVII, 25) : » et venit ei, quia sanguis Christi, et omnium justorum ab illa generatione requiretur. *Et noluit benedictionem* dicens : *Tu discipulus illius sis*, subaudi : nos esse nolumus. *Et elongabitur ab eo*. Longe facta est ab eo benedictio, quia transitum fecit ad gentes. *Et induit maledictionem sicut vestimentum* vel Judas vel Judaicus populus. *Et* illa maledictio *intravit sicut aqua in interiora ejus*, id est in animam ejus. *Et* intravit *sicut oleum in ossibus ejus*, id est in vires animæ. Nota quod vestimentum exterius corpus circumdat; aqua ad interiora ventris intrat, oleum ossa penetrat; quia in corpore et in anima et in omnibus virtutibus suis maledicti sunt. Tanquam *oleum in ossibus ejus maledictio* (fit), cum homines male facta delectant, et se inde fortes putant quod impune peccant; sed revera est maledictio, quia talibus Deus prædixit tormenta. Econtrario est benedictio vita æterna.

VERS. 19. *Fiat ei sicut vestimentum, quo operitur*, hoc est maledictio eum ut cappa undique circumdet, ut coopertorium operiat, et gloriam Dei non videat. *Et* fiat ei illa maledictio *sicut zona, qua semper præcingitur*, ut ligatus in tenebras exteriores mittatur. Hoc modo maledictione utuntur, sicut aliquis tunica induitur, pallio operitur, dum de mala actione ad conspectum hominum gloriantur. *Ut zona* maledictione præcingitur, dum non repentinum malum, sed dispositum aggreditur. Ad hoc enim se quisque præcingit, ut ad operandum expeditior sit : ita iste malefacere discit, ut semper paratus sit.

VERS. 20. *Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum*, id est hæc merces erit a Domino his, *qui detrahunt mihi. Opus* pro mercede posuit, quia merces pro opere ponitur, causa pro effectu. Per indumentum quippe, et opertorium, et aquam, et oleum, et zonam ipsa opera notantur, pro quibus maledictio et æterna supplicia in mercede recompensantur. Vel ei existenti *apud Dominum*, id est consubstantiali Deo *detrahunt*, qui eum Patri æqualem non credunt. Non est ergo unus Judas, sed multi. Tot namque sunt, quot ei detrahunt, et populum a fide avertunt.

Hucusque fuit sententia judicis in corpus diaboli. Sequitur oratio interpellantis pro membris suis. Sic impios, ut dixi, judicabo ; justos autem salvabo.

VERS. 21. *Et* tu, *Domine* Pater, et tu, *Domine* Spiritus sancte, *fac mecum* salvationem hanc *propter nomen tuum*, non propter merita hominum. Vel *fac mecum*, id est adjuva me hominem a te assumptum, *propter nomen tuum*, id est propter gratiam. Nullis enim operum meritis præcedentibus in tantam celsitudinem subvecta est humana natura, ut totum simul Verbum caro, hoc est Deus et homo, unigenitus Dei Filius diceretur. Hoc ideo factum est ut ab illo, qui creaverat, id quod perierat, quæreretur. Unde et sequitur : *Quia suavis est misericordia tua*, id est jucunda est misericordia, quam per me vis facere hominibus, *libera me*, a morte resuscitans me.

VERS. 22. *Quia egenus et pauper ego sum*, id est mortalis et passibilis sum ego, qui non peccavi. *Et cor meum conturbatum est*, quia moriar : et hoc *intra me*, id est in voluntate mea est. Et quomodo fiet hoc?

VERS. 23. *Sicut umbra declinat* descendens de montibus, ita *ablatus sum* discipulis, captus a Judæis. Sicut umbra declinante fit nox, sic ex mortali corpore fit mors. *Et excussus sum sicut locusta. Sicut locusta excussa* saltat de loco ad locum, ita Christus persecutione Herodis excussus de Judæa saltavit in Ægyptum, de Ægypto in Galilæam : inde in Judæam, de Judæa in desertum, inde veniens in Jerusalem, de qua in campum excu-

titur, et crucifigitur, de cruce excussus saltavit A in sepulcrum, inde in cœlum. Vel in membris suis *sicut locusta* est *excussus*, dum sancti persecutionem ab impiis passi de civitate in civitatem fugerunt.

VERS. 24. *Genua mea infirmata sunt a jejunio*, quando quadraginta diebus et quadraginta noctibus jejunavi, *et caro mea propter oleum immutata est.* Similitudo est ab illo, qui tantum jejunat, quod, genibus nutantibus ad orationem stare non valet, et sagimen non comedens caro pro esu olei pallet. *Genua* Christi fuerunt apostoli sustentantes Ecclesiam, Christi corpus. Panis autem vitæ erat Christus. Hæc ergo *genua sunt infirmata a jejunio*, dum apostoli in passione, ablato Christo, suo cibo in fide infirmati sunt, quando, eo relicto, omnes B fugerunt, et quidam eum negaverunt. Oleum imago claritatis est, oleum quasi esca luminis est. Judæis dedi oleum misericordiæ, gratiam vitæ, lumen scientiæ. *Propter* hoc *oleum caro mea immutata est*, non in gaudium, sed in tristitiam, quia morte affecta est exinanita. Vel per oleum designatur Deitas. *Propter* hoc ergo *oleum*, quod est imago paternæ claritatis, vel propter Spiritum sanctum in me manentem, qui est oleum spiritalis unctionis, *immutata est caro mea* in resurrectione in immortalitatem et in impassibilitatem. Vel *caro mea*, scilicet Ecclesia *immutata est* de idololatria propter oleum chrismatis, vel propter Spiritum sanctum, oleum exsultationis. C

VERS. 25. *Et ego*, qui deberem illis esse honori, *factus sum opprobrium illis* per mortem crucis. Verecundiam de me habuerunt, quod talis de genere illorum esset natus. Ideo spectaculum de me facientes *viderunt me* delectabiliter pendere in cruce, *et moverunt capita sua* ad derisionem mei, quia *viderunt me* pependisse, non viderunt resurrexisse. *Viderunt*, quando *genua sunt infirmata*, non viderunt, quando *caro est immutata*. Dicta causa repetit orationem.

VERS. 26. *Adjuva me*, *Domine Deus meus*. Qui es *Dominus* rerum, et *Deus* creator omnium, *adjuva me* operantem salutem humani generis. *Salvum me fac propter misericordiam* per me hominibus exhibitam. Salvifica me dando resurrectionem, immor- D talitatem, dexteræ tuæ confessionem.

VERS. 27. *Et sciant quia manus tua hæc*, id est ita manifeste fac meam resurrectionem, ut *sciant* ipsi, quod *hæc* operatio meæ mortis *tua* est, *et* ita tua, quod *tu*, *Domine* Pater, *fecisti eam*, non ipsi, ut putant. Nihil enim ipsi facere potuerunt, nisi ea quæ *manus tua* decrevit facere. Vel ita manifeste fac per miracula, ut *sciant*, *quia manus tua hæc*, id est cognoscant, quia ego, per quem operaris, sum *tua manus*, scilicet tuus Filius secundum Deitatem, et sciant quia tu, Domine, creasti eam manum secundum humanitatem. Quod est dicere: Sciant me Deum et hominem esse, hominem in passione, Deum in resurrectione.

VERS. 28. *Maledicent illi* Judæi in synagogis me et mea opera negantes; *et tu*, Pater, *benedices* in Ecclesiis, quæ sunt me laudantes. Nota quod dicit: *Et tu*, quasi dicat: Ego benedico, *et tu* mecum benedices dando eis Spiritum sanctum. *Qui insurgunt in me*, *confundantur*, qui nunc me verbis persequuntur et factis, erubescant, cum non poterunt negare resurrectionem meam. *Servus autem tuus lætabitur*, id est ego qui in mundo servivi, et tibi usque ad mortem obedivi, lætabor in Ecclesia vel in gloria tua.

VERS. 29. *Induantur, qui detrahunt mihi*, *pudore*, qui dicunt detrahendo: Discipuli ejus nocte furati sunt eum. Circumdentur pudore sicut tunica induti, *et operiantur sicut* aliquis operitur *diploide*, *confusione sua*. Diplois est duplex pallium, unde in Hebræo habetur: *Operiantur sicut pallio duplici confusione sua*, hoc est, confundantur in corpore et in anima. In anima, cum non poterunt negare meam resurrectionem; in corpore, cum de loco ad locum transferentur. Illorum confusio erit duplex: Ego autem

VERS. 30. *Confitebor Domino nimis in ore meo*, id est vehementer laudabo Dominum in Ecclesia, quæ est os meum: *et in medio multorum*, id est in cordibus fidelium *laudabo eum*. Cor enim in medio est hominis: et Christus per fidem habitat in cordibus nostris, et *in ore* corporis sui, Ecclesiæ, laudat Deum. « Corde enim creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem (*Rom.* x, 10). » Vel faciam confitentes amore et corde, ut *in medio multorum*, id est in communi fidelium laudent eum, quia multi laudabunt eum per me. Ille in medio esse dicitur, cui præcipuus honor debetur. Merito est Deus laudandus:

VERS. 31. *Quia astitit a dextris* Judæ, ut bona ejus opera inverteret et infirmaret. Ita Deus *stetit a dextris* Christi pro nobis *pauperis* facti, ut opera ejus confirmaret, *ut salvam faceret a persequentibus animam meam*, vel a Judæis persequentibus vitam meam, vel a dæmonibus tenere cupientibus animam meam. *Animam* Christi Pater salvavit, dum eum a morte resuscitavit, et in dextera sua exaltavit. In judicio quoque a dextris Christi stabit, et animas electorum a persequentibus dæmonibus salvabit, cum eis æterna gaudia dabit.

Fuerunt quidam hæretici, vel adhuc hodie sunt, qui negant Christum humanam animam habuisse, et putant Deitatem, quæ fons est vitæ, carnem vice animæ vivificasse. Contra quos quamvis Evangelium aperte clamet: « Potestatem habeo ponendi animam meam (*Joan.* x, 18), » et hic liber: « Non derelinques animam meam in inferno (*Act.* II, 27), » et in hoc loco: « Salvam facies animam meam: » tamen, ratione duce, videndum utrum animam habuerit. Christus venit totum hominem redimere, qui totus periit. Totus autem homo constat ex anima et corpore. Corpus enim ex limo Deus formavit, animam ei insufflavit. Anima autem dignior est

quam corpus. Si Christus animam non habuit, tunc solam carnem, scilicet indigniorem partem hominis redemit, digniorem vero ejus partem, videlicet animam in damnatione reliquit. Sed constat eum non solum corpora, sed et animas redemisse. Igitur Christus totum hominem in anima et corpore redemit.

Quinque psalmi sunt, qui latius de passione Christi tractant, scilicet : *Deus, Deus meus, respice in me. Judica, Domine, nocentes me. Exaudi, Deus, orationem meam. Salvum me fac, Deus. Deus, laudem meam.* Qui omnes primo ex persona Christi A inchoant ; secundo ab oratione verba formant ; tertio Dominicæ passionis gesta commemorant ; quarto verba Evangelii consonant ; quinto narrationem cum exsultatione terminant. Quæ passio quoque per quinque vulnera facta est ; per quinque libros præscripta ; a quinque virginibus Ecclesiæ suscepta. Omnia congruunt, omnia sibi lucida parilitate respondent. Virgo peperit, Messias jam venit, Agnus immaculatus occisus est, Redemptor resurrexit a mortuis, orbis audita credidit, Judæus adhuc se nescire dissimulat, quod totus mundus agnovit.

PSALMUS CIX

De sublimitate Christi.

Dixit Dominus Domino meo, etc. Superior psalmus est de Christi humilitate, hic de ejus sublimitate. Titulus ejus est :

(VERS. 1.) PSALMUS DAVID.

Hoc est : Ista laus ascribitur Christo desiderabili, quia in priori psalmo ostensa est ejus humilitas, ne quis forte diffideret se posse salvari per eum, qui ita humilem et abjectum se ostendit, subjungitur in hoc psalmo ejus sublimitas. Et propter majorem auctoritatem introducitur Pater loqui ad Filium de sublimitate, quam habiturus est. Hujus psalmi dignitas in Evangelio etiam refulget, ubi dicitur, « quod David Christum in Spiritu Dominum vocaverit (*Matth.* XXII, 43). »

Hic psalmus in centesimo nono loco ponitur designans, quod per Christum perfectis perfectum gaudium in consortio novem ordinum angelorum dabitur. Materia psalmi est sublimitas Christi. Intentio est ostendere ejus sublimitatem, et invitare nos ad ejus venerationem. Verba sumpta dicuntur de historia, ubi procurator Abrahæ pro Rebecca missus retulit, quia Deus Dominum suum gloria et divitiis sublimaverit, filium ei hæredem donaverit, et quod reges confregerit, quos bello vicit, quando Lot et spolia eripuit, et quod victori Melchisedech rex et sacerdos cum sacrificio occurrerit. Significat autem Christum pro Ecclesia missum, qui diabolum vicit, spolia ejus distribuit, se ipsum pro nobis in sacrificium Patri obtulit, quem Pater in dextera sua sublimavit, inimicos pedibus ejus subdidit.

Psalmus hic habet tres divisiones. Prima est : *Dixit Dominus*, in qua Christi divinitas et humanitas demonstratur. Secunda : *Tecum principium*, in qua divina generatio, et Patris æqualitas declaratur. Tertia : *Juravit Dominus*, in qua Christi sacerdotium, et regale judicium decantatur. Hic psalmus B est, ut quidam sol fidei nostræ, speculum cœlestis arcani, armarium Scripturarum sacrarum, ubi totum summatim dicitur, quod utriusque Testamenti prædicatione narratur. Vox est prophetæ ipsius David post laborem passionis victa morte triumphantis.

Dixit Dominus Domino meo, hoc est, *Dominus* Pater dixit *Domino meo* Filio, id est Christo. Quid ? *Sede a dextris meis*, id est requiesce in potioribus meis. Vel *sede*, id est regna in æqualitate mei. Hoc *dixit*, id est alios intelligere fecit. Similitudo est a regibus, qui digniores, vel majori potestate fultos a dextris suis ponere solent. Per quod designatur justos regnare cum Domino. Et bene hic psalmus, in quo regnum Christi describitur, post C illum psalmum ponitur, in quo mors ejus scribitur, quia per crucis portam intravit regni aulam. Tandiu mecum regna, *donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, hoc est donec subdam tibi omnes *inimicos tuos ;* sicut scabellum pedibus subditur, ex quibus quidam erunt amici, quidam non ; tamen victi, et quidem omnes, mali et boni ei in futuro subdentur ; alii sponte, alii inviti. *Donec ponam* manifeste *scabellum pedum tuorum*, et inimicos tuos subjiciam æternæ tuæ dominationi. Non ideo dicit : *Donec*, quasi illis subjectis ulterius non sedeat, cum scriptum sit : « Regni ejus non erit finis (*Luc.* I, 33). » Sed quia tunc manifestum erit eum regnare. Nunc enim apud quosdam dubitatio est, an regnet, an non, sicut Judæi et gentiles non credunt D eum regnare, quia non sunt adhuc subjecti pedibus ejus : quod postea videbunt, cum omnia ei subjecta erunt. Hæc fuit vox Patris de sublimitate Christi, quam habet in cœlo. Sequitur vox Prophetæ de sublimitate ejus in terra.

VERS. 2. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion.* Quod est dicere : O Domine Fili, Dominus Pater dixit : *Sede*, id est regna super omnes, et

sceptrum regni tui a Judæa incipiet, et in omnes gentes perveniet. *Virga* est sceptrum, insigne potestatis. *Virgam virtutis*, id est potestatem fortitudinis tuæ *emittet Dominus ex Sion*, id est incipiet a Jerusalem. Inde incipient inimici poni sub pedibus tuis, unde incipiet dominatio regni tui, non illius regni, quo apud Patrem semper regnat Dominus rerum et rex sæculorum, quæ creavit Filius, quo vocavit nos in æternitatem (hoc enim regnum incipit a Christianis), sed regni cujus non erit finis. Hoc incepit *ex Sion*, hoc est a Jerusalem, et pervenit in omnes gentes. Et quia rex eris super Judæos et gentes, fac quod decet regem.

Dominare in medio inimicorum tuorum, id est regna in communi hic paganorum, Judæorum, hæreticorum, fratrum falsorum ; in futuro autem dominaberis in æternum, regnantibus justis, æternis pœnis ardentibus impiis. Et

Vers. 3. *Tecum* dominabitur *principium*, id est Pater, a quo tu es principium, et in quo principio tu eras Verbum. Hoc patebit *in die virtutis tuæ*, id est in die resurrectionis, qua virtutem tuam ostendes, dum victor a morte resurges. Et hoc *in splendoribus sanctorum*, quos de tenebris inferni ereptos splendescere facies in lumine angelorum. Splendor sanctorum est Spiritus sanctus, lux angelorum. Ideo autem *splendoribus* dicitur, quia septem dona Spiritus sancti scribuntur, quæ fidelibus post triumphum Christi in splendore ignis mittuntur, per quæ mundo ut lucernæ resplenduerunt, et post in gloria ut sol fulgebunt. Vel hæc verba sunt Patris : Super omnia *dominare*, et ego *principium* existo *tecum* in ea natura, qua dies es, id est Deus, et qua es splendificans sanctos in hac vita virtutibus. Vel *sede a dextris meis*, et *dominare* inimicis tuis, donec omnibus tibi subjectis, omnibus pateat, quod ego *principium* sum una essentia *tecum*. Et hoc *in die virtutis tuæ*, id est in die judicii, quæ non est dies infirmitatis, sed *virtutis tuæ*, quando virtutem tuam ostendes inimicos tuos damnando, et amicos tuos glorificando : *in splendoribus sanctorum*, quando justi fulgebunt sicut sol. Tunc cognoscetur, quomodo *tecum* sit *principium*, quia videberis cum Patre in Patre, ut scribitur : « In illa die cognoscetis vos, quia ego in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis (*Joan.* xiv, 20). »

Et unde Filio tanta unitas, et tanta Patris æqualitas? Hoc inde, quia *ex utero ante luciferum genui te*, id est ex secreta essentia mea ante primum archangelum genui te. Nam ante cœlum et terram, ut quidam doctores dicunt, creatus est diabolus, qui dicitur *Lucifer*, ideo, quia dignior fuit inter cæteras creaturas, dum bonus fuit. Ante illum qui fuit prior creatura, *genui te*. Idem valet, si diceretur : Ante omnem creaturam genui te. Nam si ante primam, tunc constat quod ante subsequentem. Vel stellam Luciferum dicit, quæ est prævia lucis, per quam tempus intelligitur. Quasi diceret : Ante tempora æternitatis genui te ex me luce æternam

A lucem. Non enim in tempore natus est, per quem tempora facta sunt. Vel simpliciter *ante Luciferum* Christus natus est, quia ante exortum lucis mater eum genuit, in cujus obsequio mox stella, et angelicus chorus cum immenso lumine apparuit. Postquam designavit ejus regnum, vult etiam notare ejus sacerdotium. Non solum rex eris, sed etiam sacerdos, quia

Vers. 4. *Juravit Dominus*, id est inconcussa veritate firmavit : *et non pœnitebit eum* jurasse, quia quod pollicitus est, nunquam omnino mutabit. Pœnitentia enim Dei est rerum mutatio. Non pœnitere, est inviolabiliter promittere. Quid juravit? Hoc scilicet, quia *tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, id est secundum

B sublimitatem sacerdotii regis Melchisedech. Tradunt Judæi quod Sem filius Noe fuerit Melchisedech rex Salem, quæ postea dicta est Jerusalem, et usque ad tempora Jacob vixerit. Hic occurrit Abrahæ, ut fertur, in monte Thabor cum pane et vino, quando victor rediit, cæsis regibus et excussa præda, et Abrahæ benedixit, cui ille decimas, ut sacerdoti dedit. *Melech* dicitur rex, *Sedech* justitia. Inde componitur *Melchisedech*, quod sonat *rex justitiæ ; vel rex Salem*, id est *pacis*. Christus fuit sacerdos non secundum ordinem Aaron, qui vitulos et hircos sacrificavit ; sed *secundum ordinem Melchisedech*, qui panem et vinum obtulit, dum se ipsum Patri in cibum et potum fidelibus immolavit, qui sine patre in

C terris, sine matre fuit in cœlis, qui non habet initium dierum, nec finem, qui est rex justitiæ et pacis, quia pro justitia dabit regnum, quod est pax et gaudium. Ideo dicitur Christi sacerdotium permanere *in æternum*, quia Judæi putant, legis sacerdotium adhuc restituendum. Christus, qui se in templo Ecclesiæ sacrificium obtulit, nunc in templo cœli pro nobis interpellat ut *sacerdos :* adhuc mundum judicabit ut rex, quando ministri ejus angeli colligent de regno ejus omnia scandala. Unde sequitur :

Vers. 5. *Dominus a dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges.* Vox prophetica ad Patrem convertitur, quia Spiritus sanctus est Patris, et Filii, qui hic loquitur : O Domine Pater, *Dominus* Filius se-

D dens *a dextris tuis confregit* etiam *reges*, id est principes in die judicii, quando exercebit iram suam. Præteritum *confregit* pro futuro *confringet* propter certitudinem posuit. Tunc *reges confringet*, cum

Vers. 6. *Judicabit in nationibus*, id est judicabit ut rex omnes nationes, et faciet judicium de bonis et malis, et *implebit ruinas* angelorum de hominibus, et *conquassabit*, id est conteret superbias malorum divitum, qui fuerunt *capita in terra*, et qui superbierunt in terrenis. Alia translatio habet : *Conquassabit capita multa in terra copiosa*, hoc est illos, qui sunt *capita* in terra populi, qui superbiunt de terrena copia, damnabit.

Aliter : In die passionis, quæ erat dies iræ Judæorum, confregit Dominus patientia reges, scili-

cet Herodem, Pilatum et principes sacerdotum, quando astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus. Tunc judicavit in nationibus, quia judicium fecit de dæmonibus, implevit ruinas Judæorum, qui positus fuit in ruinam, capita multorum in terra conquassavit, quia de superbis in hac vita humiles fecit. Hæc omnia ideo evenerunt, quia

VERS. 7. *De torrente in via bibit* [Vulg. *bibet*], id est in via positus mortem gustavit. *Torrens* iste profluxio mortalitatis humanæ. Sicut enim torrens pluvialibus aquis colligitur, redundat, perstrepit, currit, currendo decurrit, id est cursum finit: sic omnis iste cursus mortalitatis decurrit, dum generatio præterit, et generatio advenit. Nascuntur homines, vivunt, moriuntur, aliis morientibus, alii nascuntur, donec totus torrens defluat, et omne humanum genus de hoc sæculo transeat. *De hoc torrente* Christus *in via bibit*, quia in hoc sæculo velut in transitu mortem gustavit. Non in domo sua, sed *in via* amarum poculum mortis bibit sitiens salutem hominum, ad alia ire festinans, scili-

A cet ad resurrectionem. Similitudo est ab iter agente, qui in via turbidam aquam bibit. Ita Christus iter ad nos agens mortem ad tempus bibit. *Propterea*, id est propter hunc potum *exaltavit* [Vulg. *exaltabit*] *caput*, scilicet se ipsum caput Ecclesiæ in dextera Patris. Et Pater super omnia « illum exaltavit, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, » quod est Deus, « ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum (*Philipp.* II, 10). » Et quia jam caput est exaltatum, corpus etiam per hunc potum exaltabitur, ubi Christus est in gloria Patris, qui est super omnia benedictus Deus in sæcula.

Ideo Vesperæ ab hoc psalmo inchoantur, in quo B regnum et sacerdotium Christi cantantur, quia Ecclesia regnum ejus in vespere mundi cœpit, quia se ipse Sacerdos sacrificium in fine sæculi obtulit. Ideo autem hic psalmus, et sequentes quatuor ad Vesperam Dominici diei psalluntur, qui resurrectioni ascribitur, quia post resurrectionem cœpit in se ipsa Ecclesia regnare, quæ ei hostiam laudis cum sacrificio corporis ejus quotidie solet immolare

---

PSALMUS CX.

—

De laudatione justorum.

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo in consilio justorum, etc. Præcedens psalmus cecinit Christi regnum et sacerdotium; hic canit ejus laudem, qua nos informat ad laudandum Deum. Hujus titulus est:

ALLELUIA.

Id est *Laudate Deum*, et significat laudem futuræ lætitiæ, ubi Dominus à fidelibus sine intermissione conspicitur, et sine fine laudatur. Materia ejus est laus Dei: intentio admonere omnes fideles et de Judæis, et de gentibus laudare Deum, qui eis jam dedit in re, quod antiquo populo repromisit in significatione. Verba accepta videntur inde, quod Deus populum suum de Ægypto liberavit, quem in deserto manna pavit, terram repromissam patribus dedit; et significat, quod per Filium suum Deus humanum genus de inferno redemit, quod in deserto mundi pane cœli pascit, terram viventium sanctis repromissam dabit.

Hic psalmus est centesimus decimus, quod sunt undecies decem. Undenarius transgressionem denarius innuit legis impletionem. Designat autem quod antiquus populus propter legis transgressionem non est consecutus promissam hæreditatem; Christianus autem populus consecutus est promissionem propter legis Dei observationem. Hic psalmus secundum ordinem Hebraici alphabeti distinguitur, et perfectio intelligitur. Sunt et alii psalmi hoc modo

C scripti. Sed in illis vel aliquæ litteræ desunt, vel aliquæ supersunt, aliqui versus breviores, aliqui longiores, quod magis factum est studio legentium, quam scriptorum: ideo Septuaginta Interpretes has litteras ponere noluerunt.

Iste vero omnes litteras continet, et perfectos in virtutibus insinuat. Hic psalmus est triformis. Prima pars est: *Confitebor tibi, Domine*, in qua confessio laudis in congregatione justorum, ubi est æterna laus et sine fine præconium, sex litteris contexitur. Secunda: *Memoriam fecit*, in qua esca cœlestis et hæreditas paradisi populo fidelium data decem litteris describitur. Tertia est: *Redemptionem*, in qua Christus ad redemptionem fidelibus missus, et Novum Testamentum datum sex litteris ejusdem alpha- D beti profertur. Vox est Christi informantis nos ad laudem Dei.

VERS. 1. *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo*, id est laudabo Dominum in perfecta affectione. *In toto corde*, id est in perfecta charitate, quod intelligitur devotio, et bona operatio, in quibus consistit dilectio. « Qui enim diligit, legem implevit (*Rom.* XIII, 8). » Quod non dicit: *Confiteor*, sed *Confitebor*, ostendit perseverandum esse in confessione. Confitebor tibi in perfectione, et hoc *in consilio justorum*, id est in doctrina prophetarum et apostolorum, qui consiliantur Dei laudationem per bonam vitæ perfectionem. *Et* laudabo te *in congregatione*

justorum, id est in Ecclesia catholicorum, non in A concilio hæreticorum, quia

VERS. 2. *Magna opera Domini*, qui cœlum et terram, et omnia in eis, ex nihilo fecit, hominem perditum refecit, diversa genera piscium, avium, bestiarum, vel aliarum rerum diversis speciebus distinxit, quæ omnia, prout vult, regit. Hæc opera sunt *exquisita*, id est diligenter facta, *in omnes voluntates ejus*, quasi diceret : Omnia, prout voluit, fecit, et omnia, quæ ipse vult, faciunt. Licet enim angeli, vel homines per liberum arbitrium contra Dei voluntatem quædam facere videantur, tamen omnium facta ejus voluntate disponuntur. *Vel opera Domini* sunt *magna* illi, a quo sunt intellecta et *exquisita* ad hoc ut eat *in omnes voluntates ejus*, id est ut omnia præcepta ejus faciat. Si enim non occidit, B mœchatur autem, omnium est reus, quia per mœchiam occidit etiam alterius animam. Quæ sint opera Dei, per partes ostendit.

VERS. 3. *Confessio*, qua peccatorem se homo confitetur, *et magnificentia*, id est puritas conscientiæ qua abstinet a malis, et exsecutio bonæ operationis est *opus ejus*, *et justitia* ejus, id est remuneratio, per hoc *manet in sæculum sæculi*, id est in æternum. Vel *confessio* peccatorum, per quam peccatores justificantur, et remissio peccatorum, per quam Deus magnificatus est, *opus* est *ejus* quia ipse operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate; sed et nostrum opus pro liberi arbitrii cooperatione. *Et hæc justitia ejus manet in sæculum sæculi*, hoc est per fidem justificatis pro justitia bonæ operationis C mercedem dabit, quæ in æternum manebit.

Alia translatio habet, *Gloria et decor opus ejus*, qui gloriosa et decora facit. Meo exemplo confitemini illi confessione et operatione, et ipse remunerabit vos, quia

VERS. 4. *Memoriam fecit mirabilium suorum*, hoc est significatum significantium mirabilium suorum fecit Dominus, qui in se est *misericors*, in nobis *miserator*, scilicet

VERS. 5. *Escam dedit timentibus se*, id est doctrinam dedit apostolis venerantibus se. *Escam* dico significatam per escam datam in deserto. Hoc tractum est de historia, ubi Deus mirabilia fecit, quando populum de Ægypto per signa liberavit, quem in D eremo carne avium et pane angelorum pavit, aqua de petra potavit. In his mirabilibus figura futurorum latuit, quorum Dominus *memoriam fecit*, quia Christiano populo per illa significata contulit, dum sicut illum populum de Ægypto, ita istum redemit de inferno; sicut illum de Pharaone affligente, ita istum liberavit de diabolo opprimente; sicut illum per mare Rubrum, ita istum duxit per baptismum; sicut illum pane cœli, ita istum pascit pane vivo, qui de cœlo descendit; sicut illum aqua de petra producta, ita istum potat sanguine de latere suo fuso; sicut illum in terram patribus promissam, ita istum introducit in terram viventium sanctis repromissam.

Notandum quod *escam* præ cæteris mirabilibus posuit, quæ corpus Christi escam animæ expressit, quia præ omnibus miraculis maximum habetur, quod homo corpore Dei vescitur, per quem esum repromissionem consequitur. *Misericors* dicitur a *misero* et *corde*. Et cum in Deum non cadat miseria, quæritur quomodo *misericors* dicatur. Secundum nos *misericors* dicitur, dum miseriis nostris compatitur, et miseris miseretur, non tamen affectum miseriæ patitur. Per *timentes se*, quibus escam dedit, *memor erit in sæculum testamenti sui* novi Abrahæ promissi, per Vetus Testamentum significati, hoc est, quandiu erit istud sæculum, faciet novam legem prædicari Judæis et gentibus. Testamentum ad Abraham fuit : si populus Israel legem Dei servaret, terram ei repromissam daret. Hoc figuram Novi Testamenti gessit, in quo semini Abrahæ, id est credentibus repromittit, si legem ejus, id est dilectionem observet, terram viventium ei det. Hujus *testamenti in sæculum memor erit*, quia fidelibus legem observantibus semper promissa bona dabit. Et per *timentes se*, id est per apostolos

VERS. 6. *Virtutem operum suorum annuntiabit populo suo*, id est significantiam mirabilium operum, quæ apud Judæos fecit, Christiano populo suo per doctores exponet. Ad hoc annuntiabit,

VERS. 7. *Ut det illis hæreditatem gentium*, id est ut societ illis gentibus, ut sint hæreditas illorum, quas ita diligent sicut aliquis hæreditatem suam. Judaica gens proprie ejus populus dicta est, quæ Deum coluit, ad distinctionem gentium quæ idola coluerunt. Huic populo per Eliam et Henoch *annuntiabit* significationem operum suorum, *ut det illis hæreditatem gentium*, id est Christum, qui est hæreditas earum, per cujus fidem regnum cœlorum cum Abraham, Isaac et Jacob hæreditabunt. Et post acceptam doctrinam erunt in populo ejus et in gentibus *opera manuum ejus*, scilicet *veritas, et judicium. Veritas*, id est exercitium bonorum operum; *judicium*, id est contemptus malorum actuum, vel accusatio, quod se de peccatis accusant; vel discretio boni et mali. Talibus repromissio dabitur, quia

VERS. 8. *Fidelia omnia mandata ejus*, id est præcepta ejus, quæ promiserint, observata fideliter implebunt. *Confirmata in sæculum sæculi*, id est confirmata fuerunt, id est observata usque in finem. Et si *facta* fuerint *in veritate*, id est in fide et *æquitate*, id est pro æternis, non temporalibus, vere sunt *mandata ejus fidelia*, quia jam complevit fidelibus, quod olim promisit patribus. Nam

VERS. 9. *Redemptionem misit populo suo*, id est Christum misit, quem promisit, per quem populum suum de morte redemit, sicut antiquum populum per Moysen de tribulatione eripuit. Et per illum *mandavit* servare *in æternum testamentum suum*, id est Evangelium, pro quo dabit æternum gaudium. Hoc tractum est de historia, ubi Dominus Moysen misit, populum de Ægypto per agni immolationem redemit, cui testamentum legis in monte Sina dedit,

pro cujus observatione hæreditatem promisit. Redempti ergo jure debetis ei confiteri, quia *sanctum* est *nomen ejus*, quod est Dominus, id est amabile, securitatem præbens bonis, et est *terribile* malis, Dominus enim bene servientes remunerat, negligentes damnat. Vel *nomen* Christi *sanctum* in sanctis Christianis, quos sanctificat; *terribile* paganis, Judæis et hæreticis, quos a sanctis in judicio separat. Et per quid acquiritur sanctitas? Per sapientiam. Per quid sapientia? Per timorem.

VERS. 10. *Initium enim sapientiæ timor Domini.* Duo sunt timores; unus servilis, qui a malo declinat, ne condemnetur; alter filialis, qui facit bonum, ne exhæreditetur. Et hoc est *initium sapientiæ*, malum non facere, et bonum facere. Perfecta autem sapientia consistit in charitate, quæ foras mittit timorem, ubi in unitate cognoscet Trinitatem. Ergo sapere et bona æternæ vitæ intelligere. Et hic *intellectus* est *bonus* non omnibus intelligentibus, sed *omnibus facientibus* eum, id est qui hoc faciunt, quod Deo placere intelligant. « Nam scienti bonum, et non facienti, peccatum est illi (*Jac.* IV, 17). « Scientia » enim « inflat, charitas vero ædificat (*I Cor.* VIII, 1). » Qui A hanc habet, laudabilis est, et *laudatio ejus manet in sæculum sæculi*, id est operatio boni intellectus manet in æternum. Hæc laus erit præmium, hæc finis, hæc statio, sedesque perpetua, quia « Beati, qui habitant in domo tua, in sæculum sæculi laudabunt te (*Psal.* LXXXIII, 5). »

Nota ordinem undecimæ decadis ad transgressionem legis Dei pertinentis. In primo scribitur psalmo hominis trangressio, et ejus per Christum reparatio; in secundo Ecclesiæ de Judæis benedictio; in tertio Ecclesiæ de gentibus benedictio pro collato Dei beneficio; in quarto beneficia Dei utrique populo impensa memorantur; in quinto mala hominum pro bonis Deo recompensa narrantur; in sexto tentationes hominum, et misericordiæ Dei ponuntur; B in septimo Christi obedientia ad exemplum fidelibus, et remuneratio pro hac refertur; in octavo Christi a Juda traditio, et Ecclesiæ corporis Christi a corpore diaboli afflictio exprimitur; in nono Christi sublimitas, et per regnum ac sacerdotium ejus Ecclesiæ exaltatio innuitur; in decimo laudatio justorum pro salvatione exprimitur.

PSALMUS CXI.

De generatione rectorum

Beatus vir, qui timet Dominum, etc. In præcedenti decade, quæ est undecima descripta est humani generis transgressio. Unde et de Juda in ea scribitur, qui decalogum legis transgressus undenarium incidit, dum homicidium in se ipso, et in Domino commisit. Qui etiam casu suo duodenarium apostolatus, qui est perfectus, imminuit, sicque discipulorum numerus in undenario, qui est imperfectus, mansit. In hac autem sequenti decade, quæ est duodecima completio utriusque legis notatur, quia in denario vetus lex propter Decalogum, in binario nova lex propter geminam dilectionem exprimitur, quæ in psalmo *Beati immaculati* perfecte describitur. Et ideo a timore incipit, qui ad charitatem perducit.

Hic psalmus est centesimus undecimus, quod sunt duodecies novem, et insuper tria. Duodenarius apostolicam doctrinam; novenarius angelicam societatem; ternarius innuit Trinitatis visionem. Designat ergo hic numerus quia homo perditus de prævaricatione præcepti Dei per apostolorum doctrinam perveniet ad consortium angelorum ad ipsius Trinitatis aspectum. Et hic psalmus secundum ordinem alphabeti scribitur, quia in eo perfectio exprimitur.

Materia psalmi est generatio rectorum. Intentio est nos hortari ad timorem, qui dux est ad dile- C ctionem, quæ ducit ad veram beatitudinem. Verba sumpta sunt de Zorobabel, qui reversus de captivitate potens erat in Judæa, in cujus domo erant divitiæ et gloria. *Zorobabel* dicitur *magister Babylonis*, id est *confusionis*, et significat gentilem populum in idololatria magistrum confusionis, qui reversus de captivitate diaboli *potens* est *in terra*, id est in Ecclesia, in cujus domo sunt divitiæ sapientiæ, et scientiæ, et gloria virtutum. Titulus est :

ALLELUIA, REVERSIO (57) AGGÆI ET ZACHARIÆ.

Hoc est : In hoc psalmo est admonitio laudare Deum de hoc, quod est *reversio* fidelium a civitate Babylonis hujus mundi ad cœlestem Jerusalem, unde captivi et expulsi fuerant, ut eam construant ex se ipsis vivis lapidibus. Hic titulus innuit hunc D librum per Spiritum sanctum proditum, cui omnia futura vel præterita sunt præsentia. Inter tempus enim David et transmigrationem populi Israel in Babyloniam quatuordecim generationes numerantur. Reversi autem templi renovationem secundum Jeremiæ prophetiam post septuaginta annos sperabant. Qui cum sub Dario complerentur, captivitas soluta est. Tunc inde duo prophetæ cum populo reversi sunt de captivitate in Jerusalem, et reædificationi templi interfuerunt. Et significat omnes fideles, qui de captivitate hujus mundi per bona

(57) Vulg. *Reversionis.*

opera revertuntur ad patriam. Ergo quisque fiat lapis vivus ad spiritalem fabricam idoneus, spiritaliter intelligat templi renovationem ex ruina veteri, quæ facta est in Adam, renovationem scilicet novi populi secundum novum hominem atque cœlestem, ut sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis. Quisque se ab hujus mundi labe ruinosa ad opus ædificationis, et ad spem firmæ compaginis tanquam vivus lapis convertat, et intelliget titulum *Alleluia*, et *conversionem Aggæi et Zachariæ*. Aggæus dicitur *festivus*, Zacharias *memoria Domini*. Et sunt illi, qui de captivitate diaboli, quam transgrediendo mandatum Dei inciderant, per timorem ad charitatem, per quam templum Dei ædificatur, revertuntur, cujus ædificii perfectio est ineffabilis pax illa sapientiæ, cujus initium est timor Domini, in qua domo est semper festivitas, et memoria Domini per dulce Alleluia.

Hic psalmus habet tres sectiones. Una est : *Beatus vir*, in qua timentis Deum gloria et divitiæ sex litteris alphabeti describuntur; alia : *Exortum est*, in qua Christus vera lux rectis apparuisse, et justus in memoria æterna quatuordecim litteris ostenditur; tertia est : *Peccator videbit*, in qua malorum perditio tribus litteris contexitur. Hic psalmus est omnibus litteris alphabeti quasi aureis regulis contextus, quia significat perfectos, a peccatis absolutos, ad patriam æternæ lætitiæ reversos. Vox est Spiritus sancti ad timorem Dei exhortantis.

VERS. 1. *Beatus vir, qui timet Dominum*. Totus Christianus populus est unus *vir*, cui est in dilectione cor unum et anima una. Qui reversus a captivitate diaboli *beatus* est, si *timet Dominum* a malo declinando, per quem timorem perveniet ad dilectionem, per quam *in mandatis ejus volet nimis*, id est magnam voluntatem habebit in præceptis ejus perficiendis. Hic versus continuatur ad illum locum : « Initium sapientiæ timor Domini (*Psal.* cx, 10). » Nota, timor facit hominem a malo declinare; dilectio facit eum bonum facere. Hæc est ædificatio templi. Talis est *Beatus vir*, quia

VERS. 2. *Potens in terra erit semen ejus*, id est doctrina et opus ejus faciunt eum potentem in terra viventium, ubi *generatio rectorum*, quod sunt bona opera, *benedicetur*, cum Christus dicet : « Venite, benedicti Patris mei (*Matth.* xxv, 34). » Ibi erit

VERS. 3. *Gloria et divitiæ in domo ejus*, id est in cœlesti habitatione æterna claritas, et omnium bonorum affluentia, ubi super omnia bona Domini constituentur. Unde sequitur : *Et justitia ejus manet in sæculum sæculi*, id est merces ejus justitiæ erit plenum gaudium, quod nemo tollet ab eo, sed manebit in æternum. Hæc est festivitas in domo Domini, quam exprimit nomen Aggæi.

Aliter : *Beatus vir* Deum timens, et mandata ejus cupiens : *potens in terra erit semen ejus*, id est affectio in sensualitate sua erit efficax faciens eam

A fructiferam, et sic exemplo suo *generatio rectorum benedicetur*, id est bonis operibus multiplicabitur. *In domo*, id est in corde ejus erit gloria, scilicet puritas innocentiæ, *et divitiæ*, id est abundantia sapientiæ; *et justitia*, id est bona operatio *manet in sæculum sæculi*. Et quis contulit perdito homini hanc beatitudinem? Christus, quia

VERS. 4. *Exortum est in tenebris lumen rectis* corde. Tenebræ sunt peccata, et ignorantia, quæ humanum genus in captivitatem prævaricationis operuerunt, et quæ ad tenebras exteriores ducunt. Ideo infideles non tenebrosi, sed tenebræ dicuntur : « Fuistis aliquando tenebræ (*Ephes.* v, 8). » His *exortum est lumen*, dum Christus sol justitiæ mundo inclaruit, et mox angelicus chorus cum lumine apB paruit. Vel cum *lumen* veritatis gentibus innotuit. Et quibus exortum est? *Rectis* corde, id est justis : Recti corde sunt, qui nihil volunt, nisi quæ Deus vult, et quibus omnia judicia Dei placent : quibus dicitur : « Nunc autem lux in Domino (*ibid.*). » Et quid fuit illud *lumen? Misericors, et miserator, et justus*, id est qui *misericors* est in se, *miserator* in nobis miseris, et *justus* in justis. Quod est dicere : Captivis in tenebris sedentibus et umbra mortis lux vera apparuit, tenebras infidelitatis et ignorantiæ fugavit, fide et sapientia eos illuminavit. Misericordia apparuit, miseris peccata remisit, misericordes fecit. Justitia apparuit, quæ impios justificavit. Et ideo

C VERS. 5, 6. *Jucundus homo, qui miseretur, et commodat*, hoc est, dilectus est Deo ille *homo*, *qui* ejus exemplo miseris *miseretur* pauperibus necessaria tribuendo, si habuerit substantiam mundi, vel in se peccantibus debita dimittendo, *et* qui *commodat* non habentibus habita, et si aurum et argentum non habet, verba sapientiæ indigenti non denegat. Hic *disponet sermones suos in judicio*, id est præparat se ad rationem reddendam pro his in futuro judicio. Vel *sermones suos* ordinat, ut pro pauperibus loquatur *in judicio*, ab iniquis judicibus oppressis. Vel *disponet sermones suos in judicio*, id est in discretione, ut sciat quid, et quantum, et quo modo principi, quo modo pauperi loquatur. Hic est *jucundus*, *quia in æternum non commovebi*D *tur* a miseratione et commodatione, vel ab æterna remuneratione. « Qui » enim « miseretur pauperi, feneratur Deo (*Prov.* xix, 17). » Judicium autem sine misericordia fiet ei, qui non fecit misericordiam. Justus non commovebitur a beatitudine, quia

VERS. 7. *In æternum in memoria* [Vulg. *In æterna memoria*] *erit justus*; impii autem a memoria delentur. Quis enim habet in memoria Neronem, vel Decium, vel alios tyrannos, qui hic olim divitiis et vitiis affluxerunt? Quis vero non habet *in memoria* Petrum et Paulum, vel alios tales, qui quondam hic justitia et sanctitate floruerunt? Hi et hic et in futuro *in memoria æterna* erunt, qui in gloria sanctorum *in æternum* permanebunt. Et ideo *ab*

auditione mala non timebunt, cum audient: « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV, 41). » Æternitatem hujus memoriæ exprimit nomen Zachariæ. Vel auditio mala est, cum dicitur Christianis a persecutoribus: Sacrificate diis; quod si non feceritis, crudeli morte peribitis. *Ab* hac *auditione* justus *non timebit*, quia *paratum est cor ejus sperare in Domino*, id est parata est voluntas ejus ad omnia tormenta, ut Laurentii, pro spe quam habet in Domino.

VERS. 8. *Confirmatum est cor ejus* fide et dilectione, ideo *non commovebitur* a statu rectitudinis, *donec despiciat inimicos suos*, id est ex toto contemnat potestatem tyrannorum, vel hæreses, vel peccata et vitia. Vel *inimicos despiciet*, quando ipsis deorsum positis timentes et diligentes Deum perceperint « quod oculus non vidit, nec auris audivit (*I Cor.* II). » Ideo erit *in memoria æterna*, quia

VERS. 9. *Dispersit* habita, et *dedit* ea non divitibus, sed *pauperibus* Christi membris. Idcirco *justitia ejus*, id est merces pro hac justitia *manet in sæculum sæculi*, quod est subsecutivum hujus sæculi, et tandem *cornu ejus*, id est regnum pro justitia *exaltabitur in gloria* æterna. Nota quod regnum cœlorum tantum valet quantum quisque habet. Sic potest enim illud emere pauper cum calice aquæ frigidæ, sicut dives cum omnibus divitiis. Cum justus hic a superbis contemptus in gloria exaltabitur, tolletur impius ad supplicium, ne videat gloriam Dei: hanc exaltationem omnis

VERS. 10. *Peccator videbit*, cum videbit Christum, quem transfixit; *et* tunc *irascetur* sibi, quod talia non fecit, præ angustia spiritus dicens: « Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, ecce quomodo computati sunt inter filios Dei. Quid profuit nobis superbia? Aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia ut umbra (*Sap.* V, 3 et seqq.). *Dentibus fremet* in pœnis, quia illic « erit fletus et stridor dentium (*Matth.* VIII, 12.) » Duplex quippe est pœna inferni, scilicet ignis et frigus, ut scribitur: « Transibunt ab aquis nivium ad calorem nimium (*Job* XXIV, 19). » Fletum posuit propter fumum ignis, stridorem dentium propter frigus. Solet Scriptura ea aperte exprimere, in quibus aliqua dubitatio est. Nemo dubitat ignem esse in inferno: ideo hunc non posuit. Sed quia ambiguum erat, utrum frigus ibi esset, propter frigus dixit: *Dentibus suis fremet, et* in his pœnis *tabescet*, id est deficiet. Et tunc *desiderium peccatorum* ex toto *peribit*, *desiderium* divitias habendi, *desiderium* dominandi, *desiderium* tunc gloriam cum sanctis habendi *peribit*. Cum in tenebras exteriores projicientur in supplicium æternum, tunc justi ibunt in vitam æternam.

A Cum omnes tenebræ interius, non exterius sint, quæritur quid sint *tenebræ exteriores*. Sciendum est quod Dominus, qui est Spiritus, interiori homini loquebatur, id est spiritus. Lux corporalis, quæ nobis cum animantibus communis est, est iste sol, vel quælibet lux de luna, vel stellis, vel de igne procedens, tenebræ autem absentia lucis. Sol enim præsens facit diem, absens facit noctem. Spiritalis autem lux est sol justitiæ Deus, qui est dilectio, ut scribitur: « Deus est dilectio (*I Joan.* IV, 8). » Et iterum: « Deus lux est, et in eo non sunt tenebræ ullæ (*I Joan.* I, 5). » Hæc lux est sapientia, quæ est vera lux animarum et angelorum, non bestiarum, cujus visio est intelligentia. Sicut ergo mare, terra, et omnia quæ in eis sunt, videntur gratiora, si fuerint B luce illustrata, sic omnia spiritualia sunt gloriosiora, si fuerint æterna luce illuminata. Sæculares autem tenebræ sunt odium et ignorantia. Qui enim odit fratrem suum, in tenebris esse scribitur. Diabolus in odium nimis progressus est, et totum humanum genus odiendo persequitur, ideo ipse, et dæmones tenebræ dicuntur. Homines itaque invidia pleni imitatores diabolis, luce Spiritus sancti vacui, sunt tenebræ, ut dicitur: « Fuistis tenebræ (*Ephes.* V, 8); » dæmones vero tenebræ exteriores, id est hominibus odio et malitia pejores. Unde dicet Dominus in judicio: « Ite, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, et angelis ejus (*Matth.* XXV, 41), » ac si dicat: Vos imitando diabolum C estis tenebræ; discedite a me luce in illud supplicium quod vobis tenebris exterioribus, id est pejoribus est præparatum. Aliter: Anima peccatrix sunt tenebræ interiores, corpus corruptibile sunt tenebræ exteriores. In tenebras exteriores ergo peccator spiritus mittitur, cum in ignem corporibus præparatum truduntur.

Notandum quod primus psalmus primæ decadis, et primus duodecimæ decadis eodem modo: *Beatus vir*, inchoat, quia uterque beatitudinem prædicat: ille amissam, iste repromissam. Illum unitas consecrat, quia unus Deus in Christo legem dilectionis humanum genus docuit; istum vero duodenarius dedicat, quia apostolicus ordo eamdem legem per mundum docuit, quam in hac decade psalmus: D « Beati immaculati (*Psal.* CXVIII, 1), » plene edisserit. In illo dicitur: « In lege Domini voluntas ejus (*Psal.* I, 2); » in hoc autem: *In mandatis ejus volet nimis*. In illo: « Novit Dominus viam justorum (*ibid.*, 6); » in isto: *Generatio rectorum benedicetur*. In illo: « Iter impiorum peribit (*ibid.*); in isto: *Desiderium peccatorum peribit*, quia qui in lege Domini die ac nocte meditantur, æterna beatitudine remunerantur: impii vero damnantur.

PSALMUS CXII.

De humiliatione sanctorum.

Laudate, pueri, Dominum, etc. Prior psalmus erat de Deum timentibus, et egenis subvenientibus; hic

est de humilibus et mundi contemptoribus. Hic A psalmus centesimum duodecimum locum possidet, quia centuplum accipiet, qui duodecim apostolos imitatus fuerit. Titulus ejus est :

ALLELUIA.

Id est : *Laudate Dominum*. Materia est humilitas justorum. Intentio nos invitare ad humilitatem, ut perveniamus ad exaltationem. Verba sumpta sunt de cantico Annæ, quod cecinit de filio suo Samuele contra æmulam suam, in quo scribitur : « Suscitans de pulvere egenum, et de stercore erigens pauperem, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat (*I Reg.* II, 8) : » quia Dominus Samuel de paupere progenie suscitavit, et judicem populi, ac prophetam cum principibus Saul et David collocavit. Samuel, quod sonat *nomen ejus Deus*, B significat Christum, cujus nomen Deus, quem Pater de terra, id est de sepulcro suscitavit, cum principibus, id est cum angelis, qui principes nominantur, in cœlestibus collocavit, et populum Christianum pauperem spiritu de stercore peccatorum erexit, cum principibus populi, id est cum apostolis constituit. Anna, quod dicitur *gratia*, typum gerit Ecclesiæ, quæ diu sterilis peperit plurimos filios spirituales : æmula ejus synagoga infirmata est a partu, ideo ejecta est, mater vero filiorum spiritualium ad lætitiam electa.

Hic psalmus habet duas partes. Una est : *Laudate, pueri, Dominum*, in qua laus Christi per totum mundum prædicatur; altera : *Quis sicut Dominus*, in C qua divinitas ejus super cœlestia alta glorificatur. Sciendum quod sicut psalmus : *In finem* diversis modis in titulis intelligebatur, ita *Alleluia* pro diversissimis causis in titulis ponitur. Aliquando enim pro hoc Deus laudatur, quod quis periculum maris evadit; aliquando pro hoc, quod insidias inimicorum transit; aliquando pro hoc quod ei pecuniam vel dignitatem aliquam, vel scientiam vel aliud scilicet donum confert. Vox est apostolorum ad fideles de gentibus conversos.

VERS. 1. *Laudate, pueri, Dominum*, qui sub captivitate diaboli in vetere homine consenuerunt vitiis et peccatis, induti novum hominem in baptismo, fide et operatione puerascunt. Puer dicitur a puritate. Hi sunt *pueri*, qui sunt humiles, simplices, sine D malitia, castitate et munditia puri : tales *pueri* possidebunt regnum Dei. O vos tales *pueri*, *laudate Dominum* devotione, ore et opere. *Laudate nomen Domini* obediendo ut servi Domino. *Nomen Domini*, quod est Dominus, laudant, qui ejus potentiam efferunt et ejus præceptis se subdunt.

VERS. 2. *Sit nomen Domini* a vobis *benedictum* fide et affectione, *ex hoc*, quo ejus dominium cognovistis, *et nunc* in præsenti, *et usque in sæculum*, id est usque in finem vitæ, et in futura vita, quia non in Judæa tantum, sed

VERS. 3. *A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini*, ideo ab oriente usque ad occidentem laudate eum. Vel a pueritia usque ad mortem *laudate Dominum*. Et merito debetis eum laudare, quia

VERS. 4. *Excelsus super omnes gentes Dominus*, hoc est, iste Dominus est potens *super omnes gentes*, *et super cœlos gloria ejus*, id est ipse gloriosus est super omnes angelos. Nam

VERS. 5. *Quis sicut Dominus Deus noster?* hoc est, quis similis est illi, qui est *Dominus* omnium, et *Deus* universorum, qui habet sub se omnes gentes et omnes angelos? Nullus. Hic est Dominus, *qui in altis habitat*, id est in contemplativis, et operatur omne bonum in sublimibus tam in angelis quam hominibus.

VERS. 6. *Et humilia respicit*, id est humiles in activa vita eligit. Humilia dico existentia *in cœlo et in terra*, id est conversantes in spiritualibus et corporalibus. Sancti enim interdum in cœlo conversantur per contemplationem, interdum morantur in terra per actionem. Superbos Deus despicit, humiles respicit, quia ipse est

VERS. 7. *Suscitans a terra inopem*, id est gentilem populum, aliena ope egentem, de terrenis actibus liberans, ad spiritualia convertit, *et de stercore* idololatriæ vel vitiorum *erigens* ad cœlestia *pauperem* spiritu, id est humilem Christianum populum. Ad quid?

VERS. 8. *Ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui*, id est cum apostolis in judicio, vel cum angelis in cœlo. Est enim ordo inter angelos, qui principatus dicuntur. Unde de Michaele scribitur : *Princeps militiæ cœlestis*. Vere ibi collocabit se laudantes,

VERS. 9. *Qui habitare facit sterilem in domo*, id est illam animam, quæ prius erat sterilis a bonis operibus, faciet habitare *in domo* cœlesti, sicut Annam in domo viri sui; *matrem filiorum lætantem*, id est fructuosam bonis operibus in æterna lætitia. Qui gentilitatem diu sterilem habitare fecit in domo Ecclesiæ existentem *matrem* multorum spiritualium *filiorum*, scilicet martyrum, confessorum et aliorum fidelium, lætantem de multiplicitate natorum, et dote charismatum, et de futura hæreditate gaudiorum.

PSALMUS CXIII.

De renuntiationibus sæculi.

In exitu Israel de Ægypto, etc. In hac decade contexitur quidam ordo Christianæ religionis. In titulo namque primi psalmi reversio captivorum ad Jerusalem refertur, et conversio fidelium ad fidem

intelligitur, qui, ut catechumeni, in textu psalmi timorem Dei docentur, per quem a malo declinare et bonum facere admonentur. In secundo velut pueri baptizandi exorcizantur, dum in Christo facti pueri ad laudandum Deum hortantur. In tertio baptismus repræsentatur, dum populus per mare Rubrum, vel per Jordanem ductus memoratur. Hic psalmus tractat de his, qui idololatriæ renuntiant, et jam baptizati alios adhuc infideles suo exemplo ad fidem provocant. Tractat quoque de his, qui sæculo renuntiant, et jam conversi alios adhuc sæculares suo exemplo ad conversionem hortantur. Titulus est :

ALLELUIA.

Hoc est : *Laudate Dominum* de hoc quod vos de tenebris vocavit in admirabile lumen suum. Hic psalmus est centesimus tertius decimus, quod sunt undecies decem et tria, et significat quod hi, qui sunt de undenario prævaricationis, redeunt ad denarium legis in fide Trinitatis.

Materia ejus sunt renuntiatores sæculi. Intentio est, ut mundo, vitiis et concupiscentiis renuntiemus, ut cum justis benedici possimus. Verba psalmi sumpta sunt de historia, ubi populus de Ægypto exiens ad terram repromissam ibat, et significat fideles, qui de mundo per conversionem exeunt, et ad patriam paradisi tendunt,

Hic psalmus in quinque membra partitur, sicut homo quinque sensibus distinguitur. Primum membrum est : *In exitu Israel*, in quo Ecclesiæ exitus de mundanis ad spiritalia describitur. Secundum est : *Quid est tibi, mare?* in quo gentiles ad fidem, fideles ad monasticam vitam conversi mystice demonstrantur. Tertium est : *Simulacra gentium*, in quo idola deridentur et cultores eorum damnantur. Quartum est : *Domus Israel*, in quo ordines justorum eliguntur. Quintum : *Dominus memor fuit nostri*, in quo a Domino benedicitur. Hic psalmus est, ut malum granatum quod, detracto corio, suaviter sapit, sic, ablata historia, dulcia sudat mella. Quot versus, tot gratiæ; quot verba, tot sunt in eo poma animæ. Vox est Spiritus sancti.

VERS. 1, 2. *In exitu Israel de Ægypto, domus Jacob de populo barbaro : Facta est Judæa sanctificatio ejus, Israel potestas ejus.* Quod ad litteram hoc modo accipitur : Postquam populus Israel de Ægypto exiit, templum sanctificationis in Judæa, regnum autem in Israel habuit. Judæa dicta est illa terra, quam tribus Juda et tribus Benjamin possedit, in qua Jerusalem et templum fuit; terra autem decem tribuum Israel est vocata. Quod sic præcedenti psalmo continuatur : Vos, *pueri*, de malitia in Christo renati, *laudate Dominum*, cujus *in exitu*, id est in profectione populi *Israel de Ægypto facta est Judæa sanctificatio*, id est sancta cultura in Judæa, et cujus *potestas* facta est populus *Israel in exitu*, id est in profectione *domus Jacob*, hoc est familiæ Jacob *de populo barbaro*. Populus barbarus est alterius linguæ, quod fuit Ægyptius populus Hebræo populo. Et quando fuit hoc? Tunc, cum

VERS. 3. *Mare vidit*, quod Moyses cum populo venit, id est cum voluntatem Creatoris intellexit, *fugit*, quia fluctus in se retraxit, et populo iter per medium sui præbuit. Similiter *Jordanis* vidit populum venientem, et *conversus est retrorsum*, quia superior ejus pars ut murus stetit, et adveniens aqua instar montis in altum crevit; inferior vero pars in mare defluxit, et populus siccis pedibus transiit. Tunc montes et colles exsultaverunt, qui dicuntur exsultasse, quia de præsentia arcæ Domini floruerunt. Quod sic spiritualiter intelligitur:

Ægyptus dicitur *tenebræ* vel *afflictio*, et intelligitur mundus tenebris ignorantiæ et curarum afflictione plenus. Israel dicitur *videns Deum*, et intelligitur spiritualis populus, scilicet contemplativus. Populus barbarus sunt infideles vel vitia. Barbarus dicitur a barba et urbe, eo quod nunquam in urbe, sed semper ut fera in agro habitaverit. Jacob dicitur *supplantator* vel *luctator*, et intelligitur activus populus vitia supplantans, et contra peccata luctans. *Judæa* dicitur *confessio* vel *laudatio*, et intelligitur Ecclesia Deum confitendo laudans. De Ægypto ergo exeunt, et per mare Rubrum ad patriam transeunt, qui de tenebris infidelitatis per baptismum ad Ecclesiam veniunt. De populo barbaro exeunt, qui cultores idolorum deserunt, et sic fiunt Judæa, id est confessio Dei. Et hæc *Judæa facta est Dei sanctificatio*, dum in tali populo sanctificatur, quia a sancte viventibus sanctus creditur. Hic ergo populus Jacob, id est supplantans vitia, et luctans contra peccata fit *Judæa* per confessionem peccatorum, fit *sanctificatio* per remissionem peccatorum; fit etiam *Israel* per intelligentiam fidei videns Deum, in quo erit potestas Dei, quia regnum Christi erit in domo Jacob in æternum, « et regni ejus, » quod est Israel, « non erit finis (*Luc.* I, 33). »

Aliter : De Ægypto exeunt, qui curas mundi deserunt et sæculum relinquunt. De populo barbaro exeunt, qui de blasphemiis gentium separantur, vel vitiis renuntiant. Hi sunt Judæi Deum laudantes, sunt Israelitæ Deum mente contemplantes.

Aliter : *In exitu Israel de Ægypto*, id est in exitu spiritualium de carnalibus, et in exitu *domus Jacob de populo barbaro*, id est in exitu bene operantium de vitiis et peccatis *facta est Judæa*, id est confessio peccatorum : *sanctificatio ejus* Israel, id est spiritualium populi, scilicet per confessionem sanctificati, et *Israel*, id est spiritualis intelligentia facta est *potestas ejus* contra dæmones. Hoc totum *vidit mare, et fugit, Jordanis conversus est retrorsum*. Per mare gentilitas, per Jordanem intelligitur Christianitas, quia in Jordane baptizatus est Dominus. Israelitas itaque exeuntes de Ægypto, hoc est apostolos videntes Deum, exeuntes de tenebrosa gente Judæorum *vidit mare*, id est gentilitas in confessione et sanctitate viventes, signis et prodigiis potentes, *fugit* ab infidelitate ad fidem, *et Jordanis*,

id est populus baptizatus *conversus est retro* post A Christum secutus vestigia ejus, non mundum.

Aliter : *Jordanis*, qui interpretatur *descensio eorum*, significat eos, qui ad baptismum venientes viderunt martyres pati multas persecutiones, revertentes descenderunt in *mare*, id est in gentilitatem et negaverunt Christum. Illud dicitur mare Mortuum, in quo deficit Jordanis, quia in anima moriuntur, qui apostatantes a fide ad perfidiam relabuntur. Postea *Jordanis conversus est retrorsum*, quia multi pœnitentiam agentes ad Christum conversi sunt. Pars Jordanis, quæ superius stetit, et in altum crevit, significat illos, qui post baptisma in fide et operatione persistunt, et in virtutibus ad cœlestia surgunt : illa pars quæ intra mare Mortuum defluxit, sunt illi, qui fidem et opera negantes in mare, id B est in mortem perditionis descendunt.

Aliter : Israelitas, id est spirituales de mundo exeuntes *vidit mare*, id est sæcularis populus in curis sæculi amaricatus, *et fugit sæculum* ad sanctæ conversationis portum. Et Jacob exeuntem *de populo barbaro*, id est activum populum de vitiis recedentem vidit *Jordanis*, seu populus in vitia descendens, *et conversus est retrorsum* ad pœnitentiam. Hoc videntes

Vers. 4. *Montes*, id est apostoli *exsultaverunt*, quia erant *ut arietes*, scilicet duces gregis Dei. *Et* videntes hoc *colles*, id est doctores exsultaverunt, qui erant *sicut agni ovium*, id est generati per Evangelium ab ipsis arietibus. Apostoli enim montes alti C in virtutibus de conversione gentium gavisi sunt. Similiter *colles*, scilicet discipuli apostolorum, ut Dionysius, Timotheus, et tales de conversione peccatorum lætati sunt. Hic introducitur vox infidelium.

Vers. 5. *Quid est tibi, mare, quod fugisti?* quasi dicant : O popule gentilis, quænam causa est, quod sæculum fugis? *Et tu, Jordanis, quare conversus es retrorsum?* Quod est dicere : Et tu popule baptizate, dic, quæ causa sit, quod tot millia de toto orbe quotidie ad meliorem vitam convertuntur?

Vers. 6. *Montes, exsultastis sicut arietes*, hoc est, quæ causa est, quod vos prædicatores tantum gaudetis ut duces gregis? *Et* qua de causa vos, *colles*, C id est doctores, exsultastis *sicut agni ovium*, id est, cur gavisi estis vos esse filios arietum? Respondet mare : Ideo fugi, quia vox tonitrui terruit me dicens : Mundus transibit et concupiscentia ejus, et impii perdentur ex eo et ibunt impii in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam. Respondet Jordanis : Ideo sum conversus, quia terribilis vox insonuit de nubibus : « Pœnitentiam agite, quia securis ad radicem arboris posita est : omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur (*Matth.* III, 2 et 10). » Respondent montes et colles : Ideo exsultavimus, quia gentes convertimus, pro quo labore in fine sæculi dicetur nobis : « Venite, benedicti Patris mei (*Matth.* XXV, 34), » et tunc gaudium Domini intrabimus, et super omnia bona ejus constituemur. Ideo exsultamus, quia

Vers. 7. *A facie Domini mota est terra*, id est gentilitas ab ignorantia, hoc est *a facie*, a præsentia, vel a cognitione Domini *mota est* ab idololatria; *a facie*, id est a notitia Dei, non recentis, sed *Dei Jacob*; hoc est quem coluit Jacob.

Vers. 8. *Qui Deus convertit petram in stagna aquarum, et rupem in fontes aquarum.* Hoc tractum est de historia, ubi aquam produxit de petra. Bis *aquarum* posuit, quia bis aquam de silice eduxit. *Terra* autem *mota est*, quando Dominus de Sina descendit. Christus erat petra (*I Cor.* X, 4), quia quibusdam doctrina sua visa est dura, qui dixerunt : « Durus est hic sermo (*Joan.* VI, 61) : » hæc *petra in stagna est* conversa, dum post binam crucis percussionem resurgens aperuit illis sensum, et exposuit omnes Scripturas prophetarum. *Rupem* convertit *in fontes aquarum*, dum misit Spiritum sanctum, et dedit eis scientiam omnium linguarum. *Stagna aquarum* sunt Scripturæ prophetarum. *Petram in stagna convertit*, dum Christum in prophetis intelligi docuit. *Fontes aquarum* sunt scripta apostolorum. *Rupem in fontes* convertit, dum Christum in doctrina apostolorum cognosci voluit, qui fontes ad Deum dicunt :

Vers. 1. *Non nobis, Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam.* Hoc est : *Non nobis* ascribatur, quod populi de nobis bibunt; sed tibi petræ, de qua fluimus. *Non nobis*, *sed nomini tuo da gloriam*, quia gentes ad fidem convertuntur. Da gloriam nomini tuo

Vers. 2. *Super misericordia tua et veritate tua*, ut omnes gentes cognoscant se per te, Dei *misericordiam*, redemptas, et per te, *veritatem*, prophetias impletas, *nequando dicant gentes : Ubi est deus eorum?* Hoc est, ut *gentes*, quæ modo dicunt : *Ubi est Deus eorum?* aliquando sit, ut non dicant : *Ubi est Deus eorum?* Hoc hodie videmus quod gentes, quanquam non credunt, tamen non audent hoc interrogare, quia gloriosam et amplificatam vident Ecclesiam. Sed olim solebant insultare Christianis dicentes : Ostendite nobis Deum vestrum, sicut nos ostendimus vobis deos nostros. Et digito ostendunt lapidem, vel lignum, vel aliquod metallum, vel solem, vel lunam, aut stellas.

Vers. 3. *Deus autem noster* est *in cœlo*, et non potest ostendi digito.

Quæritur, cum ubique sit Deus, quomodo dicatur esse in cœlo : an ibi per substantiam, ubique autem per potentiam, an aliquando in cœlo, an aliquando in terra? Idem est Dei potentia, quod ejus essentia, nam natura ejus est veritas, quæ ubique tota est. Cœlum dicuntur sancti, in quo cœlo Deus noster est, quia familiarius in sanctis habitat, quamvis Christus Deus noster corporaliter in cœlo materiali esse dicatur.

Dii eorum nihil possunt facere; *Deus autem noster in cœlo omnia, quæcunque voluit, fecit*, id est quidquid sibi placuit, per cœlos suos fecit. Quæ se-

quuntur, ad correctionem gentilium dicuntur, ut eos ab idololatria retrahant.

VERS. 4. *Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum.* Non dixit : Dii gentium, sed *simulacra*, quia sunt inanimata. Et quamvis habeant lapidea, vel ærea, propter excellentiam posuit aurea et argentea, ut si illa pretiosiora non sunt veneranda, multo minus viliora. Et hæc sunt *opera manuum hominum*, id est ab hominibus fabricata. Illa *simulacra*.

VERS. 5, 6, 7. *Os habent, et non loquentur; oculos habent, et non videbunt. Aures habent, et non audient; nares habent, et non odorabunt. Manus habent, et non palpabunt; pedes habent, et non ambulabunt; non clamabunt in gutture suo.*

B Ac si diceret : Bestiæ meliores sunt illis simulacris, quæ vident, audiunt, ambulant, vocem edunt, ut puta illa, quæ vivunt; illa autem videntur quidem membra habere, sed his non utuntur, utpote ea, quæ non vivunt. Nota quod dixit : *In gutture*, quia bestia, qualem vocem habet in gutture, talem habet in ore. Non ita homo est, cujus vox in gutture confusa formatur in ore, et fit littera.

VERS. 8. *Similes illis fiant* in interiori homine, ut nec videant, nec intelligant Deum, *qui faciunt ea* illa intentione, ut adorent ea : *et omnes qui confidunt in eis*, id est omnes qui sperant ab eis auxilium, fiant sicut illa absque sensu. Hoc non dicitur voto maledicentis, sed prædicentis. Igitur cum simulacra sint muta et surda, imo vita carentia, non sunt veneranda. In his non sperandum, sed in Domino, quia

VERS. 9, 10. *Domus Israel speravit in Domino*, non in idolis: ideo *adjutor eorum et protector eorum. Adjutor* eorum fuit, quando eos de Ægypto eripuit: *Protector eorum* fuit, *quando eos in itinere nube protexit, et ab hostibus defendit*; similiter *domus Aaron speravit in Domino*, non in idolis, et ideo *adjutor eorum* fuit ad bona agenda, *et protector eorum* a malis. *Domus Israel* fuit populus duodecim tribuum, *domus Aaron* fuit tribus Levi. Per domum Israel intelliguntur subditi; per domum Aaron, qui fuit pontifex, prælati, qui non in talibus diis, sed in Domino speraverunt et liberati sunt. Vel *domus Israel* sunt omnes fideles ad videndum Deum festinantes; *domus Aaron*, quod dicitur *mons fortitudinis*, sunt sacerdotes contra vitia fortes, qui omnes in Domino sperant, quorum *adjutor et protector est*. Et his et illis,

VERS. 11. *Qui timent Dominum, speraverunt in Domino*, non in simulacris. *Adjutor eorum est* in bonis, *et protector eorum* a malis. Et quando filios Israel liberavit,

VERS. 12. *Dominus memor fuit nostri*, quia illis umbram præbuit, nobis veritatem servavit, quibus Filium suum in carne misit, qui de jugo diaboli liberavit, *et benedixit nobis* omni benedictione spirituali. Vel *memor fuit nostri* dando fidem et remissionem peccatorum, *et benedixit* sublimando in virtutibus. *Benedixit domui Israel*, id est subditos multiplicavit in fide et operatione. *Benedixit domui Aaron*, id est prælatos replevit variis charismatibus.

VERS. 13. *Benedixit omnibus qui timent Dominum, pusillis cum majoribus*, dando fidem et dilectionem. Hæc vox fuit fontium de petra fluentium. Sequitur vox de eis bibentium, in Christum (credentium):

VERS. 14. *Adjiciat Dominus super vos.* Hoc est : O vos, prædicatores, Dominus posuit vos pretiosos lapides in fundamento sui ædificii, et alios doctores posuit super vos : adhuc *adjiciat* ipse alios fideles ponere *super vos.* Vel *Dominus*, qui multipliciter benedixit, *adjiciat* benedictiones *super vos, et super filios vestros*, id est super imitatores vestros.

VERS. 15. *Benedicti vos a Domino*, hoc est, vos positi in benedictione Domini, *qui fecit cœlum et terram*, id est qui vos fecit, *cœlum* in magnis, *terram* in pusillis. Sequitur vox Spiritus sancti.

VERS. 16. *Cœlum cœli Domino. Cœlum cœli* est firmamentum, *cœlum* hujus aerei cœli, quia ab illo illuminantur, terra autem ab aereo cœlo compluitur.

C Cœlum superius est apostolicus ordo, quod Pater dedit Domino Filio ad ornandum, quod ipse ornavit sole sapientiæ, luna eloquentiæ, stellis signorum vel virtutum. Inferius cœlum est ordo doctorum, ut Hilarius, Ambrosius, Augustinus, Gregorius, quod a superiori illuminatur, quia doctores apostolica doctrina illustrantur. *Terram autem dedit* excolendam *filiis hominum.* Quæ terra, id est Ecclesia ab aereo cœlo compluitur, id est a doctoribus irrigatur, qui sunt filii hominum, id est apostolorum rationabiliter viventium. Sequitur vox filiorum hominum terram excolentium.

VERS. 17. *Non mortui* in anima *laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum*, id est in profundum vitiorum. Hoc dicitur de illis qui post

D baptismum in gravibus peccatis morantur. Non illi,

VERS. 18. *Sed nos qui vivimus* in interiori homine, *benedicimus Domino*, id est laudamus Dominum corde, ore, opere, *ex hoc*, quo fidem ejus percepimus, *et nunc* in præsenti, *usque in sæculum*, id est quandiu vixerimus, vel sine fine.

PSALMUS CXIV.

De martyrum tribulatione.

Dilexi, quoniam exaudiet Dominus, etc. Hic psalmus in centesimo quarto decimo loco calculum ponit, et perfectionem utriusque legis innuit. Centenarius enim perfectionem, denarius veterem legem

propter decalogum, quaternarius novam legem propter quatuor Evangelia ostendit. Designat hic numerus quod observatores utriusque legis perfectum præmium recipient. Titulus est :

ALLELUIA.

Hoc est : *Laudate Dominum*. Materia psalmi est gratia Dei. Intentio est invitare nos ad dilectionem et laudem Dei pro hac causa quod invocantes se exaudit, et a tribulatione præsenti et futura morte eripit. Verba sumpta videntur de Ezechia, quem circumdederunt dolores mortis, qui Dominum invocavit, et ei infirmo aurem inclinavit, animam ejus de morte eripuit, quia ei in regione vivorum placuit, et significat perditum hominem quem circumdederunt dolores mortis, qui Dominum propter hos invocavit, et ei infirmanti aurem misericordiæ inclinavit, quia de cœli descendens eum visitavit, animam ejus de morte æterna liberavit. Hic psalmus est ut gallus, qui nos cogit venire ad opera fidelium.

Duas partes habet. Una est : *Dilexi, quoniam*, in qua fidelis gratias agit, quod eum Dominus de periculis mortis liberavit, altera est : *O Domine, libera animam meam*, in qua animam ab æterna morte liberari, et in regione vivorum collocari postulat. Vox est Filii, qui mortuus fuit, et revixit, qui perierat, et inventus est; vel ovis, quæ erraverat, quam bonus pastor invenerat, et sponsam sibi fecerat.

VERS. 1 *Dilexi* : quia Dominus jam omnibus benedixit, pusillis cum majoribus, sicut Abrahæ promisit : In semine tuo, quod est Christus, benedicentur omnes gentes; ergo vos omnes benedicti a Domino et baptizati diligite Dominum meo exemplo, qui *dilexi* eum. Et merito diligendus est, quia ipse prior dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis. Deum diligere est mandata ejus implere. Qui enim diligit, legem implevit. Ego ovis perdita, sed jam sponsa facta *dilexi* sponsum, Dominum corde et opere; *quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ*, id est quidquid eum oro, faciet. Ita et vos eum diligite, et vestram orationem exaudiet. Ideo *dilexi*,

VERS. 2. *Quia inclinavit aurem suam mihi*, id est *aurem*, misericordiam suam mihi infirmo, a latronibus semivivo relicto descendens de cœlo, pellens dolorem, restituens salutem; *et* ideo *in diebus meis invocabo*, subaudis, eum. Hoc est, quandiu vivam, orabo eum, et hoc in diebus, quos feci meos in primo homine peccando, in quibus miseria et angustia afficior. Nam in his diebus

VERS. 3. *Circumdederunt me dolores mortis*, hoc est, circumvallaverunt me mortalitas et passibilitas, quæ faciunt hominem mori : *et pericula inferni invenerunt me*, id est tentationes criminalium peccatorum, quæ me quærebant, *invenerunt me*, quæ ducunt ad infernum. Vel *dolores mortis* malæ cogitationes; *pericula inferni* pravæ actiones. Hæc me quærentes *invenerunt me* sibi consentientem, et eos

A ad infernum trahentes sequentem. Et pro his *tribulationem et dolorem inveni*, id est pœnitentiam me tribulantem mihi quæsivi, et corporalem *dolorem* mihi *inveni*, ut evaderem supplicia inferni. Vel in istis diebus honores et divitias quæsivi, et *tribulationem et dolorem inveni*, quia plenæ sunt curis et timore.

VERS. 4. *Et nomen Domini invocavi*, ut me liberaret. *Nomen Domini* est Dominus. Potentiam Domini invocavi, dicens : *O Domine, libera animam meam*, id est oro, Domine, ut liberes animam meam de tribulatione et dolore. Nota quod dicit : *Libera animam*, et non dicit : Libera corpus, quia hanc tribulationem in interiore homine patitur. O istud non est vocativum, sed optativum. In Hebræo enim

B habetur : *Anna*, quod significat oro, vel opto. Hoc nec Græcus, nec Latinus sermo potuit proprie interpretari. Ego invocavi, et

VERS. 5. *Misericors Dominus, et justus* liberavit me. Sic est constructio; alia enim sunt interposita : Qui est *misericors, inclinavit aurem mihi* infirmo, quod misericordis fuit, quia *Dominus* est, *liberavit me*, quod Dominus facere potuit, quia *justus* est, invocantem se exaudivit, quod facere debuit. *Et Deus noster* est, id est humilium, ideo, talium *miseretur*. Nam *Dominus* est

VERS. 6. *Custodiens parvulos*, id est humiles, qui conversi efficiuntur parvuli sine dolo, sine malitia, de quibus dicitur : « Talium est regnum cœlorum (*Matth.* XIX). » Hoc considerans *humiliatus sum*

C erga eum, vel afflictus sum pro peccatis, *et liberavit me* de tribulatione, id est de peccatis, pro quibus tribulor, ea condonando in re, et de dolore, id est de mortalitate et passibilitate in spe. Ideo, o anima mea, aversa a mundanis

VERS. 7. *Convertere in requiem tuam*, id est in Christum, qui est vera requies tua, qui dixit : « Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris (*Matth.* XI, 29). » Vel de labore hujus exsilii *convertere* per humilitatem *in requiem* paradisi, ubi est requies tua. Non cures amplius de terrenis, quære cœlestia, *quia Dominus benefecit tibi*, qui te de tribulatione peccatorum et de dolore pœnarum liberavit, et amissam

D requiem paradisi reddidit. Et idcirco jure Dominum dilexi :

VERS. 8. *Quia eripuit animam meam de morte, et* eripuit *oculos meos a lacrymis*, id est a pœnis quæ extorquent lacrymas, *et* eripuit *pedes meos a lapsu*, id est affectiones meas a voluntate peccandi, pro quibus irrogantur pœnæ mortis. Vel *eripuit animam meam de morte*, id est de tentatione, quæ est causa mortis, et oculos meos a gemitu per hoc, quod eripiet *pedes*, id est affectus meos a peccatis quæ sunt causa gemitus. In hoc scio quod

VERS. 9. *Placebo Domino in regione vivorum*, id est in æterna gloria, ubi tantum erunt vivi, de qua regione non amplius erunt peregrini. Non dixit : *Placeo*, sed *placebo*, quia nemo perfecte *placet* Deo

in hac mortali carne positus *in regione vivorum*. Sed cum mortale hoc induerit immortalitatem, et amplius non libet peccare, tunc perfecte justi placebunt *in regione vivorum*, quando ut sol fulgebunt, et æquales angelis erunt.

PSALMUS CXV.

De confessione Martyrum.

VERS. 10. *Credidi, propter quod locutus sum*, etc. Iste psalmus in centesimo quinto decimo loco ponitur, designans, quod fidelibus in plenitudine gaudiorum denarius vitæ pro impensis quinque sensuum redditur. Hic psalmus et præcedens in Hebræo pro uno habetur; sed per septuaginta Interpretes in duo dividitur. Titulus est :

ALLELUIA.

Quod est *Laudate Dominum* pro data regione vivorum. Materia est confessio martyrum. Intentio est nos hortari ad passionem pro Christo, ut mors nostra fiat pretiosa. Verba sumpta constant de ipso David, qui vota sua coram omni populo Domino reddidit, dum impensas templi in atriis domus Domini in medio Jerusalem obtulit. Et significat populum martyrum in passione fortem, qui vota sua coram regibus et principibus reddiderunt, dum Dominum coram omni populo confessi sunt, et se vivos lapides ad ædificium domus Domini per cruciatus corporis præparandos obtulerunt.

Duas sectiones habet. Una : *Credidi*, in qua martyres calicem salutaris bibunt; altera : *O Domine*, in qua hostiam laudis sacrificant, et vota sua in Jerusalem reddunt. Hic est *Alleluia* vox fidelium, sermo beatorum, modulatio sancta canentium, auditus delinitio, animæ delectatio. Vox est martyrum.

Credidi Christum Dominum esse de Virgine natum, pro redemptione nostra passum, a morte resurrexisse, in cœlum ascendisse, et venturum esse ad judicium. *Propter quod locutus sum* hæc, hoc est, quia hæc perfecte *credidi*, ideo hæc et aliis prædicavi. « Corde enim creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem (*Rom.* x, 10), » ut scribitur : « Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo (*Matth.* x, 32). » Qui gloriam hominum magis amant quam Dei ; aut timent, aut erubescunt Christum coram hominibus confiteri, et ideo non habent partem in regno Christi et Dei. Ego autem Christum *credidi*, et ore coram hominibus confessus sum, et pro hac fide et confessione placebo Domino in regione vivorum. In hac regione vivorum viventes nimis exaltati sunt, *ego autem* adhuc mortalis *humiliatus sum nimis*, id est valde dejectus sum in caducis, nimis oppressus in malis. Vel quia B publice Christum confessus sum, *humiliatus*, id est tribulatus *sum nimis*, scilicet ultra vires meas. Vel veritas quam confessus sum, non potest humiliari : *ego autem humiliatus sum nimis* in laboribus. Veritas vult publice prædicari, sed

VERS. 11. *Ego dixi in excessu mentis meæ : Omnis homo mendax*, et ideo potest a proposito suo mutari. *Excessus mentis* duobus modis accipitur : cum mens aut pavore alienatur, aut inspiratione alicujus revelationis assumitur. Hic pro pavore ponitur, quem humana infirmitas de comminatione cruciatus vel mortis patitur. Ego quidem proposui Christum publice confiteri; sed in animo considerans homines præ pavore cruciatus facile a proposito revocari, dixi timens : *Omnis homo mendax*, C et ideo, cum sim homo, possum mentiri non implendo quod proposui, ut propter timorem negem, sicut Petrus, veritatem. In Hebreo habetur : *Omnis homo mendacium*, hoc est, in hac vita est omnis homo umbra, et imago, non veritas. *Omnis homo* peccando est *mendax*, dono Dei verax. Cum de propositis tormentis humana fragilitate paverem, beneficia Dei cogitans, dixi :

VERS. 12. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Pro malis meis retribuit multa bona. Quid pro his omnibus vel unum retribuam? Sed quid vel unum retribuam sibi? Non dicit : *Quæ retribuam ?* Et cum nihil apud me invenirem, quod ei pro tot bonis possem retribuere, dixi :

D VERS. 13. *Calicem salutaris accipiam*, id est potum Jesu bibam, hoc est, causa illius moriar. De hoc calice ipse dixit : « Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? » (*Matth.* xx, 22.) De hoc item dicit : « Pater, si non potest transire hic calix, nisi bibam illum, fiat voluntas tua (*ibid.* xxvi, 42). » Hunc calicem implevit, cum de torrente in via bibit. Quod dicit : *Accipiam*, hoc est, non invitus, sed sponte ad martyrium veniam. Aliter enim non prodest pro fide mori, nisi cum voluntate fiat. Vel *calicem salutaris accipiam*, id est passionem subeam, quæ dat mihi animæ salutem. Similitudo est, ab illo qui amaram potionem bibit propter ægritudinem, et per illam consequitur salutem. Sed quia de viribus meis non præsumo, cum omnis homo sit mendax, *nomen Domini invocabo*, ut ipse

me juvet danoo constantiam. Et per ejus adjutorium.

Vers. 14. *Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus.* Hoc est, quod eum publice confiteri proposui, et quod calicem passionis accipere promisi, hæc vota solvam per ipsius auxilium in præsentia omnium fidelium, ut et ipsi meo exemplo similiter faciant. Sed dicet aliquis : Turpe est coram hominibus quemquam more furum, vel latronum mori. Contra hoc subditur :

Vers. 15. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* Quæ cura, quod dicat homo, quid sit (58) putredo? Illa mors est Deo chara, quæ ejus causa pro sanctitate a quoquam fuerit perpessa : « Mors » autem « peccatorum pessima (*Psal.* XXXIII, 22). » Dominus pro servo est passus : ideo jure pro Domino debet pati servus.

Vers. 16. *O Domine,* hoc est, opto, Domine, ut hoc in me fiat. In Hebræo habetur : Oro, Domine, subaudis, ut ita faciam, sicut promisi, *quia ego servus tuus* sum obediens præceptis tuis in confessione : *ego servus tuus* in opere, *et filius ancillæ tuæ,* id est imitator Ecclesiæ catholicæ, quæ nunc est ancilla serviens dominæ suæ, quæ est veritas; postea erit libera, cum eam receperit æterna hæreditas. Multi sunt servi Domini, qui non sunt filii ancillæ, sicut est diabolus et omnes mali homines. Omnes enim serviunt Domino. Quia *dirupisti vincula mea,* id est quia eruisti me a peccatis.

Vers. 17. *Tibi sacrificabo hostiam laudis,* hoc est, meipsum immolabo ad laudem tuam, *et nomen Domini invocabo* in auxilium mihi. Dicitur quod hi tres versus tantam habeant virtutem, scilicet : *Pretiosa,* et *O Domine,* et *dirupisti,* ut si in fine vitæ tertia confessione dicantur, omnia peccata per eos dimittantur. Peccata sunt animæ *vincula.* Sicut A enim ad faciendam catenam circulus circulo innectitur, sic crimen crimini conjungitur, ut fiat vinculum quo peccator ligetur, ut scribitur : « Funibus peccatorum unusquisque constringitur (*Prov.* V, 22). » His vinculis manus, et pedes peccatoribus in fine ligabuntur, cum in tenebras exteriores projicientur. Vel *vincula* mortalitatis et passibilitatis, quibus in carcere corporis ligabar, *dirupisti,* et coronam victoriæ odoriferis floribus paradisi nexuisti. Ideo *sacrificabo* tibi, et ubi? In regione vivorum. Quid? *Hostiam laudis,* animam et corpus in laudem tuam offero. Beati, qui habitant in domo tua, in sæculum sæculi laudabunt te. Ibi

Vers. 18. *Vota mea Domino reddam in conspectu* B *omnis populi ejus.* Hoc est, in die judicii repræsentabo Domino opera, quæ vovi per verba, in præsentia omnium angelorum et hominum : ego, dico, ponendus pretiosus lapis

Vers. 19. *In atriis,* id est in amplitudine cœlestis *domus Dei,* et non extremo loco, sed *in medio tui, o Jerusalem,* civitas Dei, scilicet in digniori loco, quo martyres sunt ponendi. Prior versus *vota mea* pertinet ad solvenda vota in passione; sequens versus *vota mea* pertinet ad repræsentenda Domino soluta mea vota pro remuneratione. Vota fidelium sunt, quod in baptismo diabolo et operibus et pompis ejus renuntiamus, et Deo servire studemus. Et quidam vovent continentiam, quidam abstinen- C tiam, quidam sæculo renuntiant, et monasticam vitam profitentur. Quæ vota oportet nos in hac vita persolvere, si cupimus in Jerusalem hostiam laudis sacrificare. Quæ si non reddiderimus, lapides in ædificatione domus Domini non erimus. Ideo hunc psalmum festa martyrum cantant, quia ipsi calicem passionis biberunt.

(58) Cod. Gemnicensis : *qui est putr.*

PSALMUS CXVI.

—

De laude Dei.

Laudate Dominum, omnes gentes, etc. In hoc psalmo omnes gentes ad laudem Dei invitantur, quia domus Domini in cœlesti Jerusalem de omnibus gentibus construitur. Hujus titulus est :

ALLELUIA.

Id est : *Laudate Dominum* de hoc, quod vivos lapides de omnibus populis elegit; et in ædificium suæ domus posuit. Hic psalmus centesimum sextum decimum locum dedicat, et tres ordines D Ecclesiæ insinuat. Centenarius quippe virgines exprimit, qui centesimum fructum afferunt; denarius viduas in decalogo laborantes; senarius conjugatos in sex operibus Evangelii desudantes ostendit, qui omnes cœleste ædificium perficiunt.

Materia psalmi est laus Dei. Intentio adhortari omnes fideles et de Judæis et de gentibus ad bonam vitam, quæ est laus Dei. Verba sumpta sunt de David, qui Dominum laudavit, quando vota sua

Domino reddidit, cum munera ad faciendam domum Domini in Jerusalem obtulit. Et significat populum fidelium, qui Domino vota in baptismate promissa persolvit.

Nota : In psalmo *Confitebor* admonuit Propheta fideles exemplo sui ; in *Beatus vir*, exemplo aliorum ; in *Laudate, pueri*, fideles de gentibus tantum per secundam personam ; in *Exitu Israel*, infideles per conversionem aliorum, vel illos fideles qui fuerunt tempore pacis ; in *Dilexi* admonet jam in fide provectos ad perfectam dilectionem ; in *Credidi* martyres hortantur alios suo exemplo ad martyrium. In hoc psalmo admonet Propheta omnes et Judæos et gentiles ad laudem Dei, ex quibus ædificatur civitas Regis magni, in qua nihil aliud agitur, nisi conditor a civibus, rex a militibus laudatur. Ideo hic psalmus duobus versibus scribitur, quia illa fabrica duobus parietibus perficitur, duobus testamentis compaginatur, duobus præceptis charitatis colligitur. Psalmus quatuor membris distinguitur, et hoc ædificium quatuor virtutibus, quatuor Evangeliis, quatuor evangelistis depingitur. Vox vota in Jerusalem reddentium :

VERS. 1. *Laudate Dominum, omnes gentes*, scilicet ore, corde et opere, quæ, relictis simulacris, accessistis ad eum per fidem. Hunc locum Matthæus pingit, qui scribit quod tres magi munera Domino obtulerunt, qui omnes gentes sua fide prætulerunt. *Laudate eum, omnes populi* Judæorum conversi ad Regem nostrum in fide et dilectione. Hunc locum Joannes pingit, qui scribit quod titulus esset cruci impositus, in quo erat Hebraice, Græce et Latine scriptum : *Rex Judæorum*. Vos gentes inde laudate :

VERS. 2. *Quoniam confirmata est super nos* credentes *misericordia ejus*, qua nostri misertus nos ab idololatria liberavit; quæ misericordia firma erit, quia quotidie pœnitentibus peccata dimittit : quem locum Lucas pingit, qui scribit quod Christus peccatores et publicanos recepit, vel quod Spiritum sanctum in remissionem peccatorum effuderit. Et vos, Judæi, inde laudate, quoniam *veritas Domini*, id est completio promissionis ejus in nos *manet in æternum*. Vel *veritas* in his, quæ promisit, piis permanet in æternum, cum in cœlesti Jerusalem electi lapides coædificabuntur : vel in his, quæ impiis comminatus est, cum igni inexstinguibili et vermibus immortalibus tradentur, ut Marcus scribit : « Ignis eorum non exstinguetur, et vermes eorum non morientur (*Marc.* IX, 45). » Hic psalmus dicitur *atomus* psalmorum, puncti præferens dignitatem, unde linea oritur, et diversa schematum species doctissima varietate formantur.

Quæritur cur iste psalmus tantum duos versus contineat, cum psalmus : *Beati immaculati* centum septuaginta et sex versus habeat? Hoc ideo est, ut sicut harmonia, id est pulchra musicæ virtutis modulatio ex diversis sonis atque accentibus unam perfectam facit cantilenam : sic psalmi modo breves, modo mediocres, modo longi in unum concentum suavitate dulcissima redigantur. Vel quod plures dispari modo pro rerum qualitate formati sunt, significat futurum regnum, ubi diversa merita sanctorum pro actuum qualitate fulgebunt, cum tamen omnibus una beatitudo et suavitas æterna præstetur.

PSALMUS CXVII.

De jubilatione martyrum.

Confitemini Domino, quoniam bonus, etc. Hic psalmus centesimo septimo decimo loco scribitur, qui numerus in septuaginta et quadraginta et septem partitur. Per septuaginta innuitur omne tempus nostræ peregrinationis in hoc mundo ; quia patres olim fuerunt septuaginta annos captivi in Babylonia. Per quadraginta ostenditur nostra reversio ad patriam, quia patres olim per quadraginta annos reversi sunt de Ægypto ad terram repromissionis. Per septem futura requies intelligitur ; quia Deus requievit septimo die ab operibus mundi. Designat ergo hic numerus, quod per Christi confessionem de peregrinatione revertemur ad paradisi requiem. Titulus est :

ALLELUIA.

Hoc est : *Laudate Dominum* de hoc, quia de exsilio miseriæ reduxit vos in regnum gloriæ. Materia sunt confitentes Deum. Intentio nos admonere ad laudis confessionem, ut perveniamus ad æternam exsultationem. Verba sumpta sunt de ipso David, qui tabernaculum Domino fecit, in quo vota sua Domino reddidit, laudem cantavit, cujus dextera eum exaltavit. Significat autem fidelem populum, qui catholicam Ecclesiam tabernaculum Domino facit, in quo vota sua reddit, laudem Domino cantat, cujus dextera eum in gloria exaltabit.

Hic psalmus in quatuor partes secatur, quia Ecclesia de quatuor partibus mundi ad cœlestia congregatur. Prima est : *Confitemini Domino*, in qua martyres triumphantes Deum laudant. Secunda : *Bonum est confidere in Domino*, in qua suas calamitates et Dei beneficia enumerant. Tertia : *Aperite*

mihi, in qua portas Jerusalem ingrediuntur, lapidi angulari conjunguntur. Quarta est *Benedictus qui venit*, in qua Christus incarnatus adoratur.

Hic psalmus est velut quibusdam fulgureis coloribus contextus, in capite quatuor versus unifines habens quatuor Evangelia præferentes. Et sicut vestis illa pontificis aureis filis et vermiculata pulchritudine contexta fulgebat in fimbriis habens tintinnabula, sic iste psalmus decora varietate dispositus veri pontificis Christi sancta continet præconia et in capite, et in fine, et in diversis locis interpositis consonis versibus, et aureis fimbriis, tintinnabulis resultat quasi cymbalum.

In psalmo : *Credidi*, omnes martyres et apostoli et successores eorum locuti sunt imitantes alios suo exemplo ad martyrium. In psalmo : *Laudate Dominum* ad plausum triumphi martyrum omnes gentes et omnes populi invitantur. In hoc psalmo ipsi martyres triumphantes hymnum Deo jubilant in tabernaculis justorum, positi in regione vivorum, in quo mala, quæ passi sunt, et beneficia Dei commemorant. Vox est martyrum invicem se ad laudem Dei adhortantium.

Vers. 1. *Confitemini Domino*. O vos omnes qui per martyrium introistis in regionem vivorum, *confitemini Domino*, id est laudate Dominum, *quoniam bonus*. Nemo quippe bonus, nisi solus Deus, qui essentialiter est ipsa bonitas; alia omnia hujus boni participatione bona sunt. Confitemini ei, *quoniam in sæculum misericordia ejus*, per quam malos efficit bonos, quos ad regnum prædestinavit æternum.

Vers. 2. *Dicat nunc Israel*, id est omnis populus de duodecim tribubus Israel pro Christo passus, *dicat nunc* in gaudio positus ad suos consortes : *Confitemini Domino : quoniam bonus, quoniam in sæculo misericordia ejus*, cujus bonitate et misericordia mundum vicistis, et gaudium Domini introistis.

Vers. 3. *Dicat nunc domus Aaron*. Hoc est : omnis populus de tribu Levi, de qua erat Aaron sacerdos, pro Christo passus, *dicat nunc* in gaudio constitutus ad suos socios : *Confitemini Domino : quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus*. Vel omnes de clero et de populo, vel de prælatis et de subditis passi laudate Dominum.

Vers. 4. *Dicant nunc qui timent Dominum*, id est non solum de Judæis, sed et omnes de gentibus, *qui timent Dominum*, qui ejus timore passi sunt : *dicant nunc* in gaudio locati ad omnes suos participes : *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus*, cujus bonitate et misericordia mala mundi evasistis, et æternam lætitiam promeruistis. Isti quatuor versus sunt unifines. Nunc memorant beneficia Dei, pro quibus eum laudant. Et hoc notandum per totum hunc librum, quod ubique, quod est principalius, præponitur, et deinde causa subjungitur. Merito laudandus est

A Dominus, qui est bonus, et misericors, et exauditor omnium, quia ego populus martyrum

Vers. 5. *De tribulatione* magna passionum *invocavi Dominum*, orans ut me liberaret de tribulatione et dolore. *Et exaudivit me in latitudine Dominus* educens ab angustiis tribulationum in latitudinem gaudiorum. Vel in tribulatione *me* invocantem *Dominus exaudivit*, dum me in charitate dilatavit, ut cruciatus pro suo amore sustinerem, et tortores meos diligerem. Qui cum mihi dicerent : Sacrifica diis, aut exquisitis pœnis interibis, dixi :

Vers. 6. *Dominus mihi adjutor* est in pœnis, *non timebo quid faciat mihi homo*, qui est putredo; corpori morituro potest nocere, animæ immortali non potest nocere. Et cum mihi dicerent : Si deos non B adoras, judices et eorum milites inimicos habebis; respondi :

Vers. 7. *Dominus mihi adjutor* est contra eos, *et ego despiciam inimicos meos*, sive homines, sive dæmones; quia per Dominum vincam eos non cedendo eis. Et cum me in afflictione positum aliquis carnalis amicus consolaretur, dicens : Confide, quia ille potens homo liberabit te, dixi :

Vers. 8. *Bonum est*, id est melius est *confidere in Domino*, qui liberat a morte æterna, *quam confidere in homine* potente, vel in aliquo sancto, quia « vana est salus hominis (*Psal.* LIX, 13); » et : « Maledictus homo, qui confidit in homine (*Jerem.* XVII, 5). » Et cum diceret : Spera quia ille princeps C eruet te de inimicis, respondi :

Vers. 9. *Bonum est*, id est melius est *sperare in Domino*, qui vitam largitur æternam, *quam sperare in principibus*, quorum potestas cum hoc mundo dilabitur. Duo verba mutata omnino aliam fecere sententiam. Superius dixit *confidere*, hic *sperare*; ibi *in homine*, hic *in principibus*, ut illic de carnalibus, hic de spiritualibus dixisse videatur. Nunc memorant mala, quæ passi sunt a paganis, a Judæis, ab hæreticis, a falsis christianis. O popule martyrum, de qua tribulatione invocasti Dominum? De magna, quia

Vers. 10. *Omnes gentes circuierunt me* persecutionibus, *et in nomine Domini, quia ultus sum in eos*, quia subjugati sunt mihi. Multum quis ulciscitur, D dum inimicus ejus ei subditur. Multum sunt martyres vindicati, dum persecutores fidei sunt subjugati. Vel tunc sunt ulti, quando hostes eorum crudeliter sunt puniti, sicut Nero, vel Decius, vel alii post mortem martyrum horribile fuerunt supplicium. Per hoc quod dicit se omnes gentes circuisse, ostendit Ecclesiam per totum mundum diffusam esse, et undique mala ab adversariis pati. Per hoc quod dicit *me*, ostendit Ecclesiæ unionem, quia, si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra. Et non solum pagani, sed etiam Judæi

Vers. 11. *Circumdantes circumdederunt me*, id est perseveranter circumvallaverunt me persequendo, et prævalere non potuerunt : *et in nomine Do-*

mihi hæc pertuli. Postquam enim flagellati sunt, « ibant a concilio gaudentes, quia digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati (*Act.* v, 41). » Et hoc ideo : *quia ultus sum in eos*, dum multi ex eis fidei subjugati sunt, et Christianis, quos prius persequebantur, subditi fuerunt, vel increduli dispersi, vel occisi sunt. Et non solum Judæi et pagani, sed et hæretici

VERS. 12. *Circumdederunt me* persecutionibus *sicut apes* favum, ut a me auferant dulcedinem, quam Christus per Spiritum sanctum animæ infuderat. *Apes* dicitur eo quod sine pedibus nascatur. Apes postquam iratæ sunt, vehementer persequuntur, et vitam in vulnere ponunt. Sic hæretici acriter Ecclesiam persecuti sunt, et animas suas præ invidia perdiderunt. *Et exarserunt sicut ignis in* B *spinis*, qui spinas consumit, et triticum illæsum relinquit. Sic ipsi invidiosa persecutione in me spinas peccatorum consumpserunt, et animam intactam reliquerunt. Per *apes* etiam intelliguntur fraudulenti deceptores. Apes enim portant in ore mel, in cauda aculeum. Sic fraudulenti portant in ore dulcedinem adulationis, retro vero habent aculeum detractionis, et exardescunt sicut ignis in iracundia furoris. Sic Judæi mel in ore habuerunt, quando ad caput martyrum Christum dixerunt : « Magister, scimus quia verax es (*Matth.* xxii, 16) ; » sed aculeum occultaverunt, quia eum dolo capere cogitaverunt. Aculeum habuerunt, quando dixerunt : « Hic homo vorax est, et potator vini, et dæmonium habet (*Matth.* 11, 19). » Sicut ignis in spinis exarse- C runt, quando ira et furore accensi clamaverunt : « Crucifige, crucifige eum (*Joan.* xix, 6). » Sic hæretici catholicis fecerunt. *Et in nomine Domini* hæc patienter passi sunt, *quia ulti sunt in eos*, dum aut veritate victi consenserunt, aut indurati, ut Arius perierunt. Et non solum ab illis hæc passus sum, sed etiam a fictis Christianis.

VERS. 13. *Impulsus* sum malis consiliis, *ut caderem* a proposito sanctitatis, et sæpe *eversus sum* suggestionibus, quia tormentis victus cogitavi consentire persecutoribus. *Et Dominus suscepit me*, ne caderem, quia sustentavit me in tentatione, ne caderem. Et in malum non cecidi, sed in bono perstiti, quia D

VERS. 14. *Fortitudo mea Dominus*, qui fecit me fortem et constantem contra impulsionem eorum. Ideo ipse est *laus mea*, quia fecit me laudabilem in perseverantia sanctitatis. *Et factus est mihi* via tendens *in salutem*, id est in vitam æternam. Et, quia ipse factus est fortitudo in periculis, et laus de spe salutis, ideo personuit

VERS. 15. *Vox exsultationis et salutis in tabernaculis justorum*. *Vox exsultationis* personuit, dum dicebant in pœnis : Hæc semper desideravi. *Vox salutis* insonuit, cum dicebant : Hæc mihi salutem et refrigerium præstant. Hæc vox insonuit *in tabernaculis justorum*, id est in corporibus martyrum, qui ut strenui milites militabant *in tabernaculis* Ecclesiarum pro laurea cœlestium bonorum. Ideo vox militum Christi plausum in tabernaculis tripudians fecit, quia

VERS. 16. *Dextera Domini fecit virtutem*, id est potentia Patris dedit mihi vires perferendi passiones. *Dextera Domini exaltavit me*, id est potentia Filii ab humilitate diversarum pœnarum sublimavit me dans de subjectione gloriam. *Dextera Domini fecit virtutem*, id est potentia Spiritus sancti dedit mihi de passione victoriam. Per hoc, quod ter : *Dextera Domini* posuit, Trinitatem innotuit. Dicunt aliqui : crudelem mortem vocas victoriam? Ad hoc subinfert :

VERS. 17. *Non moriar*, ut putas, *sed vivam*, cum Domino vita æterna, *et narrabo opera Domini*, id est narrari ab aliis facio. Cum enim fideles festum Stephani vel Laurentii, vel aliorum martyrum celebrant, ipsi martyres per eos opera Domini narrant, dum patientiam suam, et Domini potentiam in scriptis passionis suæ repræsentant. O tortor, tua pœna non est mihi, ut putas, mortificatio, sed paterna castigatio, quia

VERS. 18. *Castigans castigavit me Dominus*, id est corporali castigatione emendavit me a peccatis Pater pius, *et morti æternæ non tradidit me*, quia ut filium erudivit ad hæreditatem : ideo

VERS. 19. *Aperite mihi portas justitiæ*, hoc est, vos, o carnifices ad hoc permissi, in carnem meam acriter insurgite, pœnas multiplices ingerite, per quas ad justitiam veniam, per quam ad vitam æternam introeam. Et quid proderit tibi portas esse apertas, cum mortuus fueris? Nam per mortem *ingressus in eas confitebor Domino*, id est laudabo Dominum.

VERS. 20. *Hæc porta* est *Domini*, quia Dominus Jesus Christus per passionis portam intravit in gloriam suam. *Justi intrabunt in eam*, id est justi per passionem intrabunt ad hæreditatem. « Per multas » enim « tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei (*Act.* xiv, 21). » Porta justitiæ est aditus regni cœlestis, quia per justitiam intratur in regnum cœlorum. Has ingressus *Domino confitebor*, quia perpes laudis confessio est in domo Domini. Porta Domini est Christus, scilicet porta Patris, per quam intratur ad Patrem, ut ipse dicit : « Nemo venit ad Patrem, nisi per me (*Joan.* xiv, 6). » Ipse etiam janua vitæ, per quam intrabunt justi in supernam Jerusalem ; foris autem canes et immundi erunt. Ad hoc volo ego intrare : ideo aperite mihi portas. Ingressus autem illam domum.

VERS. 21. *Confitebor tibi*, id est laudabo te, *quoniam exaudisti me* invocantem te in tribulatione : *et factus est mihi* via ducens *in salutem*, id est in vitam æternam, in qua est perpetua salus et lætitia. Per quid factus es mihi salus? Per lapidem ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum et honorificatum.

VERS. 22. *Lapidem*, dico, *quem reprobaverunt ædificantes* Judæi se templum Domino suam justitiam

statuendo, et justitiam Dei reprobando, litteram A erigentes, spiritualem sensum reprobantes. Judæi murum iniquitatis ab Adam inceptum, transgressionem legis ædificantes, Christum pretiosum *lapidem* invenerunt, quem postquam parvum, id est humilem viderunt, in eum offenderunt, quia eum despexerunt, et ideo a suo ædificio reprobaverunt, dum eum flagellaverunt, et cum latronibus condemnaverunt. *Hic factus est in caput anguli*, id est in caput Ecclesiæ, connectens utrumque parietem, scilicet consocians in unam fidem utrumque populum, et de circumcisione et præputio. Christus fuit in passione lapis offensionis et scandali; in resurrectione *factus est in caput anguli*. Similitudo tracta est ab ædificantibus turrim Babel.

VERS. 23. *A Domino factum est istud*, non a Ju- B dæis, ut per hunc lapidem erigeretur collapsus paries domus Domini in cœlis. Non enim ex Judæis, sed a Deo processit consilium, ut Christus pro reparatione humani generis moreretur. Hoc *est mirabile in oculis nostris*, quod Deus Filium suum unigenitum mori voluit pro impiis. Vel mirandum est in oculis cordis nostri, quod per hominem mortuum vivificatum est genus humanum. Vel horribile est in consideratione nostra, quod impia gens Dominum gloriæ crucifixit, qui hominem de cruciatu mortis redemit, et vitam æternam reddidit.

VERS. 24. *Hæc dies*, qua hoc contigit, est dies, *quam fecit Dominus*, id est quam sanctificavit præ omnibus. Cum omnem diem fecisset Dominus, hanc C diem, scilicet resurrectionis antonomastice dicitur fecisse, qua major gratia facta est, quam in omnibus aliis diebus. *Exsultemus* fide, *et lætemur* dilectione *in ea* die, id est in consideratione gratiæ nobis collatæ in illa die. Vel hic lapis angularis est *hæc dies* salutis, scilicet Christus, *quam fecit Dominus* Pater, dum æternum diem mundo induxit, quando Sol justitiæ post occasum mortis oriens fidelibus illuxit. *Exsultemus et lætemur* omnes illuminati in ejus luce, quia cum illo a morte resurreximus, et in lumine ejus videbimus lumen. *Hæc dies* salutis, id est tempus gratiæ cœpit a die resurrectionis Christi, et perseverat usque in finem mundi. De hac dicitur quotidie: *Hodie si vocem ejus audieritis;* et in hac die quotidie mortui in anima per pœnitentiam D resurgunt, in hac carne morientes quotidie ad cœlestia scandunt. Hæc dies resurrectionis pleniter sanctis illucescet, postquam nox hujus sæculi transierit, et æternus Sol effulserit, et angelica claritas illuxerit, cum ipsi ut sol fulgebunt, et æquales angelis erunt. *Hæc* æterna Deitatis claritas, et angelica societas est illa *dies, quam fecit Dominus;* in illa exsultant corpore, lætantur anima. Populus martyrum adhuc in castris desudans, et ad hanc gloriam venire desiderans clamat:

VERS. 25. *O Domine, salvum me fac*, hoc est, opto, Domine, ut salves me de passionibus: *O Domine, bene prosperare*, id est prosperum fac illud iter, quo ad te per multos labores revertor, te ita confitens (59):

Benedictus qui venit in nomine Domini. Hoc est, quia nunc est dies salutis, *salvum me fac* in hac die, qui venisti gentibus benedicere, sicut promissum est Abrahæ, ad gloriam nominis Dei. Vel ut alia translatio habet: *Benedictus, qui venturus es in nomine Domini*, tu, dico, *bene prosperare*, ut venias, et salvos nos facias. Christus venit in nomine Patris sui, et noluerunt eum recipere; Antichristus venturus est in nomine suo, illum recipient. Subjungitur vox apostolorum. O vos Israel et o domus Aaron, et qui timetis Deum.

VERS. 26. *Benediximus vobis de domo Domini*, id est prædicavimus vobis benedictionem Patris, id est Christum in benedictionem gentium missum de cœlesti Jerusalem.

VERS. 27. *Deus Dominus*, subaudis: benedixit nobis, *et illuxit nobis*, id est manifeste apparuit nobis, postquam resurrexit a mortuis. Ideo nostro exemplo *constituite diem solemnem in condensis usque ad cornu altaris.* Præceptum erat in lege, ut in Pascha vel Pentecoste diem solemnem observarent, a servili opere vacarent, victimas immolarent. Qua solemni die, cum populi convenirent, templum Domini a januis usque ad altare impleverunt. Et hoc est, quod dicit: *In condensis.* Domus Domini est catholica Ecclesia, in qua altare est Christus, cujus altaris cornu est sancta crux. In hac ergo domo, de qua vobis benediximus, *constituite diem solemnem*, id est vacate a malis operibus, quæ faciunt servos peccati; immolate vos hostiam vivam Deo placentem; et hoc *in condensis*, id est in multis virtutibus, *usque ad cornu altaris*, id est usque ad imitationem passionis crucis Christi. Vel tandiu sitis *in condensis*, donec veniatis ad Christum, qui est *cornu altaris*, id est fortitudo mentis vestræ, in qua debetis offerre Deo bona opera. Vel *usque ad cornu altaris*, id est usque ad manifestam visionem Deitatis, quæ est cornu, id est sublimitas humanitatis Christi, quæ humanitatis est nostrum altare, quia in fide ejus opera nostra Deo offerimus. Alia translatio habet: *Constituite diem solemnem in confrequentationibus*, id est in crebris processionibus, quas populi turba condensat, et reddit celebres festiva devotione: *usque ad cornu altaris*, id est usque ad solemnem susceptionem corporis et sanguinis Domini. Super quod altare martyrum chorus sacrificat hostiam laudis, jubilans:

VERS. 28. *Deus meus es tu*, Jesu Christe, quem in passione confessus sum, *et* nunc *confitebor tibi*, id est laudabo te, *Deus meus*, quem in gloria Patris modo video: *et exaltabo te*, hoc est, ab humilitate a te exaltatus glorifico te exaltatum. *Confitebor tibi*, id est, sine fine laudabo te, *quoniam exaudisti me* invocantem te in tribulatione, *et factus es mihi in*

(59) Cod. *confitentem.*

salutem, ut me cum sanctis tuis in cœlesti Jerusalem sociares. Ideo omnes justi.

VERS. 29. *Confitemini Domino*, id est laudate Dominum cum angelis, *quoniam* solus est *bonus*, *quoniam in sæculum misericordia ejus*, de cujus bonitate et misericordia hic semper in gaudio et lætitia erimus.

Hic psalmus a laude incipit, et in laude desinit, quia et hic debet vita nostra Deum laudare, et in futuro perenne alleluia cum sanctis jubilare. Versus *Confitebor tibi* superius positus significat martyrum confessionem in passione; secundo positus significat laudem eorum in remuneratione. *Confite-* A *mini* bis positus designat duplicem gloriam, animæ et corporis.

Notandum quod primitus tres psalmi per alleluia intitulantur, quia tres ordines Ecclesiæ in visione Trinitatis lætantur. Deinde octo simul per alleluia inscribuntur, quia fideles in octo beatitudinibus æterno gaudio fruuntur. Postea duo psalmi in titulis habent Alleluia, quia in perpetuum gaudebunt in anima et corpore. Ad ultimum septem simul Alleluia possident, quia sancti in septiformi Spiritu perennem requiem obtinent, qui omnes simul fiunt viginti quinque. Pene omnes per *Confitemini*, vel primo *Laudate* continuantur, quia omnes ad confessionem æternæ laudis hortantur.

PARS DECIMA.

PSALMUS CXVIII.

Alleluia.

ALEPH.

Beati immaculati in via. Psalmus iste viginti duobus capitulis dispertitus est, per singula capitula versibus octonis supputatis. Singula quoque capitula singula pro titulis habent elementa alphabeti Hebraici. Et quærimus quid hujusmodi titulatio significet. Invenimus autem quod maxime notandum est psalmum hunc totum in superficie splendere cœlestibus margaritis, totum, inquam, contextum esse nominibus Verbi Dei velut fulgentibus gemmis. Quis enim versiculus est in toto tam prolixo tractatu hujus psalmi, in quo non resonet vocabulum aliquod, quod recte prædicetur de Verbo Dei, de sapientia Dei, de Filio Dei? Verbi gratia : *Beati immaculati in via*. Plane via nostra Dei Filius est. Dicit enim : « Ego sum via (*Joan.* XIV, 6). » *Qui ambulant in lege Domini*. Et quid est *lex Domini*, nisi Verbum Domini? *Beati, qui scrutantur testimonia ejus*. Quid aliud testimonia quam verba, et quid multa Dei verba, nisi unum Verbum, una Dei sapientia? Similiter et in cæteris. Neque enim facile quis versiculus invenitur, in quo non aut *veritas*, aut *mandata*, aut *justificationes*, aut *judicia*, aut *sermones*, aut *eloquia Domini* habeas, aut aliquid tale quod æquipollenter valeat. Quid igitur hoc sibi vult quod, cum talis psalmus, singula ejus capitula singulis alphabeti elementis titulantur? Num post tot psalmos voluit nos Prophetæ spiritus Verbi Dei facere abecedarios? Plane hoc utiliter intelligimus, et veraciter confitemur quia quantumcunque sapiamus, quandiu in corpore sumus ad illam Dei sapientiam infantulis abecedariis similes B sumus, et nobiscum bene agitur, si vel prima ejus elementa consequamur. « Videmus » enim « per speculum et in ænigmate (*I Cor.* XIII, 12), » inquit Apostolus. Proinde psalmus hic quartæ periochæ idem nobis principium finisque sit.

Distinguitur autem, ut jam dictum est, viginti duobus capitulis. Hic numerus tribus constat heptadibus uno supercrescente, quo de tertia heptade octoas perficitur, atque per hoc intelligimus quia octava mundi ætate sapientiæ Dei, quæ jam dicti hujus psalmi vocibus significatur, plenitudo nobis perficitur, fietque quod ait Apostolus : « Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est (*I Cor.* XIII, 10). » Octonos igitur singulorum capitulorum versus infantuli fideliter decan-
C temus, donec ad octo Evangelii beatitudines ipso donante perveniamus. Nunc eorumdem elementorum interpretationem atque intelligentiam subscribamus.

ALEPH *doctrina*, BETH *domus*, GUIMEL *plenitudo*, DALETH *tabularum*, HE *ista*, VAU *et* ZAI [*vulgo* ZAIN] *hæc*, HETH *vita*, TETH *bonum*, JOD *principium*, CAPH *manus*, LAMECH [*vulgo* LAMED] *cordis*, MEM *ex ipsis*, NUN *æternum*, SAMECH *adjutorium*, AIN *fons*, FE *oris*, SADE *justitiæ*, COPH *vocatio*, RES *capitis*, SIN *dentium*, TAU *signa*. *Doctrina domus* Dei dicitur, et est *plenitudo tabularum*, id est legis quæ descripta est in *tabulis*. Hæc *plenitudo* legis charitas est. *Ista doctrina* et *hæc*, id est talis *vita* hominum *principium* est
D *manus* et *cordis*, id est *bonæ* intentionis et *bonæ* operationis. *Ex ipsis* enim fit *æternum adjutorium*, quo adjuvantur ad *æternam vitam*. Et hic est *fons oris*

justitiæ, id est *origo doctrinæ*, quam prædicavit A Christus, per quam decet nos implere omnem *justitiam*, scilicet charitas vel *doctrina domus Dei*. « Hoc est maximum et primum mandatum (*Matth.* XXII, 38). » Et hæc *vocatio capitis*, id est Christi, quia in hoc *vocati* sunt omnes, ut hanc *doctrinam* percipiant. In hac *doctrina* apparent etiam *dentium signa*, id est apostolorum et doctorum, qui sunt quidam Ecclesiæ *dentes*, dum obscura et fortia mandata minoribus exponimus. Vel *dentium signa* sunt hæc elementa, quia nonnisi *dentibus* et plectro linguæ formata sonant, ut legi vel audiri possit omnis Scriptura divinitus inspirata de tam paucis elementis tam multipliciter conscripta. Quid pulchrius, quid jucundius hoc abecedario? Ecce hic continetur omnis doctrina spiritualis vitæ! Titulus est : B

ALLELUIA.

Quia in his Deus laudandus agnoscitur, in quibus est vitæ instructio, et peccatorum remissio, quo fideles fiunt *immaculati*, ut sint *beati*. Denique in superiore psalmo passio Domini præmissa est, quæ mundum hunc diluit, ut dignos faceret populos, qui Deum immaculato ore laudarent, suaque laude alios instruerent. Unde in titulo præmisso ALLELUIA sequitur

ALEPH.

Quod interpretatur *doctrina*, ut octo versus ab hac littera in Hebræo incipientes noveris esse doctrinales non solum sensu verborum, sed et serie versuum. Nam cum sit primus versus : *Beati immaculati;* secundus : *Beati qui scrutantur*, quis non C facile animadvertat præcedere oportere vitam immaculatam, qua sequens *doctrina* fiat acceptabilis. Nam cujus vita despicitur, restat ut et prædicatio contemnatur, quia *doctrina* sine vita non est integra, quoniam in malevolam animam non introibit sapientia. Bona tamen vita sine doctrina reputatur pro bono merito, et prodest proximis exemplo. Magis autem proficit, si bonæ actioni bonitatis æternæ cognitio accedit, pro qua cognoscenda scrutanda sunt in Scripturis veritatis divina testimonia primitus moralia, deinde mystica : in illis vita, in istis fides informatur, ut et vita sit immaculata, et fides non ficta. Ficta est fides hæreticorum, quia ipsi sibi hanc finxerunt nolentes diligenter scrutari testimonia Dei D de veritate ac sinceritate fidei. Ideo non verum Christum receperunt, sed alium sibi finxerunt, atque ideo pro vero Christo idolum coluerunt. Quibus ipse dicit : « Scrutamini Scripturas : illæ enim testimonium perhibent de me (*Joan.* v, 39). » Beati ergo qui scrutantur testimonia veritatis contra impios assertores falsitatis, nec aut non recte credant, quod est hæreticorum, aut recte credentes non recte vivant, quod est falsorum Christianorum, qui et in hoc ipso hæretici fiunt, si recte credendo et non recte vivendo se salvari posse credunt. Igitur scrutanda sunt veritatis testimonia, quibus agnoscatur non solum quæ sit fides vera et non ficta, sed etiam quæ sit conversatio fidei rectæ adjungenda.

Pro hujus veritatis indagatione magnorum virorum in hoc psalmo desudaverunt ingenia, videlicet Ambrosii, Hilarii, Augustini et aliorum sacræ Scripturæ tractatorum, non quod habeat in verbis obscuritatem, sed quod in planitie verborum tegat sensuum profunditatem. Est enim, sicut prima littera sonat *Aleph*, id est *doctrina* instruens omnes, qui volunt esse beati, qua via tendant ad id quod desiderant. Unde, sicut ante nos dictum est, psalmus iste institutor fidelium, paradisus est omnium pomorum fideli animæ concupiscibilium, qui quanto in superficie videtur apertior, tanto est profundior, similibus verbis contextus, nulla confusione permistus, sed novitate rerum litteris mutatis explicatus, loquiturque in eo chorus omnium sanctorum a primo justo usque ad ultimum. Cum ergo sit magnæ difficultatis obscure dicta elucidare, atque ad planum sensum deducendo quasi ex tenebrosa aqua in nubibus aeris fulgura et coruscationes demonstrare, multo videtur laboriosius in plane dictis ac lucide scriptis investigare altitudinem sensuum sub planitie litteræ absconditum, sed tamen a diligenter quærentibus inveniendum. Hinc est, quod « regnum cœlorum simile » dicitur « thesauro abscondito in agro (*Matth.* XIII, 44), » non in sylva, in plano videlicet campo, ubi facile a quærentibus inveniri possit, non inter condensa veprium sylvestria, quibus assimilari possunt Aristotelica seu Platonica scripta. Quia ergo in campo isto planissimo, imo in agro jam diligenter exarato magnus thesaurus a magnis fossoribus est inventus, et in lucem prolatus, nostri nunc favente gratia Dei sit studii non tam hic in altum fodere, quam effossa numismata [*Cod.* nomismate] per agrum hunc sparsa colligere. Quasi enim fulgida numismata hic resplendent præclara nomina Christi, sive dum *via* nominatur, in qua *beati ambulant*, sive dum *Verbum* dicitur, cujus memoria Deo Patri suggeritur, ubi canitur : *Memor esto verbi tui servo tuo* seu dum alio quolibet vocabulo suo per nos invocatur nomen ejus, in quo sola datur salus. « Neque enim, » ut ait Petrus apostolus, « aliud nomen sub cœlo datum est hominibus, in quo oporteat salvos fieri (*Act.* IV, 12). » Hujus ergo nominis pretiosas drachmas dudum in agro isto repertas a magnis, ut dictum est, inquisitoribus, ut psallendo veluti cursim in cursibus canonicis festinando colligamus, adjuvare dignetur ipse, cujus pene in singulis versiculis hoc nomen invocamus. Verum, si quem delectat in agro isto non tam currendo nobiscum festinare, quam longe lateque spatiando morari, quemadmodum legitur Isaac egressus in agrum ad meditandum, quando Rebecca venit ad eum (*Gen.* XXIV). Patrum prædictorum copiosis expositionibus impendat studium. Nos autem brevitati, quantum Deus adjuverit, studentes, et præcipue nominis Dei margaritas colligere intendentes non tam exponendo quam canendo psalmi hujus textum percursuri, ne deficiamus in via, ipsum, qui *via* est, exoratum cupimus esse, ut societ nos ambulantibus et curren-

tibus in se. Licet enim sit vere beatissimus ille cursor, qui dicere potest in hoc psalmo : *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatares cor meum*, tamen a cursu isto non est incipiendum, sed quasi pedetentim primo ambulandum. Unde in principio psalmi recte dicitur :

VERS. 3. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Vis esse beatus? esto immaculatus, quia *beati immaculati*, sicut e contra miseri omnes polluti et criminaliter maculati. Scio quia omnes homines naturali appetitu volunt esse *beati*, sed non omnes volunt esse *immaculati*, atque ideo errore devio etiam in sordibus suis explendis constituunt sibi beatitudinem, sicut Epicurus, aut in sapientia mundana ut Stoicus.

Ego autem contra Epicurum dico : *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Et contra stoicum : *Beati, qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum. Beati immaculati*, non qui maculas nunquam habuerunt : « Omnes enim peccaverunt, » et omnes « egent gloria Dei (*Rom.* III, 23) ; » sed qui maculas originales aut etiam actuales deposuerunt. Ubi? *In via*, in illo scilicet qui dicit : *Ego sum via* (*Joan.* XIV, 6), qui quoniam solus est homo conceptus et natus absque omni macula immaculatos facit *in* se *via* non eos qui stant otiosi aut jacent resupini, sed *qui ambulant in lege Domini*, passibus actionum satagentes circa frequens ministerium, quod in lege Domini didicerunt, ubi de diligendo proximo instructi sunt. In cujus dilectione ambulando exercitati amplius fiunt *beati*, si per officium Marthæ ascendere student ad otium Mariæ, cujus pars optima comprobatur per ipsius *testimonia*, qui ministerium bonæ actionis in Martha suscepit, cui tamen quietem sororis prætulit. *Beati* ergo activi, *qui ambulant in lege Domini. Beati* etiam contemplativi, *qui scrutantur testimonia ejus. Beati* utrique ita duntaxat, si *in toto corde exquirunt eum*, non aliud appetentes vel actionis vel contemplationis præmium, nisi ipsum, quo auctore sunt, quod sunt. Infelices hypocritæ, qui facientes bona *scrutantur testimonia* hominum volentes videri ab hominibus. Item infelices male agentes, ac proinde lucem odientes, qui ob hoc *scrutantur testimonia* hominum, ne deprehendantur mala opera ipsorum. Hinc est illud : « Oculus adulteri observat caliginem (*Job* XXIV, 15). » Igitur sive bene agentes sive male, atque in hoc hominum testimonia scrutantes, vel quia cupiunt laudari, vel quia timent argui, omnino infelices et miseri sunt. *Beati* autem, *qui ambulant in lege Domini* recte agendo, sobrie, juste ac pie vivendo, et quæ mala sunt, cavendo, atque in his, quæ agere vel cavent vel student, solius Dei *testimonia scrutantur* cupientes cavere, quod illi displicet, ac facere, quod illi placet. Talis erat ille, qui dixit : « Domine, quid me vis facere? » (*Act.* IX, 6.) Item alius : « Domine, » inquit, « doce me facere voluntatem tuam (*Psal.* CXLII, 9). » Fatuæ virgines in vasis conscientiarum

A non habentes veritatis verum testimonium, foris cupiunt emere falsum de ore hominum, sive adulationis oleum vendentium (*Matth.* XXV). Sunt ergo infelices non habentes testimonium Dei : *Beati* autem, *qui scrutantur testimonia ejus* diligenter perquirendo quid ipsi placeat, quidque illi displiceat, ut alterum approbando, alterum improbando mens eorum semper de divino testimonio pendeat, semperque ipsius judicio se subjiciat sive in actione rationabili ambulando in via recta, sive in contemplatione scrutando ipsius testimonia, sive in utroque alternando studia sua, ne unquam reperiantur vel a bonis otiosi, vel in malis operosi.

VERS. 3. *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt*, longe segregati ab illis *beatis*
B *immaculatis in via, qui ambulant in lege Domini.* Quanto magis ab illis *beatis, qui scrutantur testimonia ejus?* Neutri quippe sunt generis, id est neque activi neque contemplativi, *qui operantur iniquitatem.* Non dico : *Qui operati sunt*, et jam desierunt operari, quod malum est, sed *qui operantur*, habentes videlicet propositum faciendi, quod ipsi non ignorant esse malum. Unde justo judicio Dei alias conceditur, ut, qui in sordibus est, sordescat adhuc, et qui nocet, noceat adhuc (*Apoc.* XXII, 11). Non dicitur, ut qui in sordibus fuit, vel nocuit, sordescat vel noceat adhuc; sed, *qui in sordibus est*, et *nocet* præsentialiter et obstinate amando *iniquitatem suam*, ac proinde odiens animam suam, *sordescat* et *noceat*
C *adhuc*, suo videlicet relictus arbitrio depravato et in malitia obstinato.

Aliter : *Beati, qui ambulant in via*, non quia nunc ambulant, sed quia perventuri sunt, quo *ambulant.* Item *beati, qui scrutantur testimonia Dei*, et *in toto corde exquirunt eum*, non quia scrutantur vel exquirunt, sed quia quod quærunt, inventuri sunt. Cui simile est quod dicitur : « Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam et qui esuriunt justitiam, » non quia hoc, sed propter hoc quod sequitur, « quoniam ipsorum est regnum cœlorum, et saturabuntur (*Matth.* V, 10). » Beatitudo ergo non in persecutione, sed in persecutionis remuneratione; neque in fame, sed in secutura saturitate constituitur. Similiter « beati, qui lugent, » non
D quia lugent, sed « quoniam ipsi consolabuntur (*ibid.*, 5). » Ita utique, sicut jam dictum est : *Beati qui ambulant* et ambulando laborant, non quia sic ambulant, sed quia sic ambulando et laborando festinant ingredi in illam requiem, in qua nullum deinceps habebunt laborem. « Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos (*Apoc.* XIV, 13). »

Item : *Qui scrutantur testimonia* Dei, nondum re, sed jam spe *beati sunt*, quia inventuri sunt quod quærunt, si tamen *in toto corde* Deum quærunt, quod non faciunt illi qui ad hoc *scrutantur testimonia ejus*, ut ea vel oppugnent, vel in sola notitia, non in vita teneant, qualium deterrimi fuerunt hæretici perquirentes testimonia veritatis, cum essent

inimici veritatis. His hodieque inveniuntur consi- A miles clerici valenter litterati et instructi in Scripturis veritatis, cum sint hostes ipsius veritatis, quod ex fructibus eorum cognoscitur. *Non enim, qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt*, quem toto corde oderunt. Sane illi non dicuntur operari iniquitatem vel peccatum, qui cum Apostolo dicere possunt : « Jam non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum (*Rom.* VII, 17); » fomes enim peccati, qui est languor naturæ, commovet illicita desideria carnalis concupiscentiæ, quæ lex membrorum dicitur, et in membris, quod suum est, operatur. Sed homo interior, qui legi Dei condelectatur, peccatum non operatur, quia peccato, quod in sua carne sentit, non consentit vel obedit B ad perficiendum quod caro appetit, imo et contra ipsum peccatum pugnat gemitibus inenarrabilibus. Dicens cum Apostolo : « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? » Et addit : Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum (*Rom.* VII, 24). » Ad hunc igitur sic pugnantem non pertinet, quod hic dicitur : *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt*, quia quod peccatum confitetur, et contra hoc orat, ad vias Dei pertinet, in quibus denique si perseveratur, propter ipsas vias peccatum non imputatur, dummodo non sit in spiritu ejus dolus, qui dicit se dolere de peccato, quod operari sentit in carne sua. De hoc dolo cavendo in tricesimo tertio psalmo satis tractatum. C

Aliter : *In domo Domini*, cujus *doctrina* est hic psalmus, duæ sunt scholæ, altera disciplinæ informans ad diligendum Deum et proximum, altera scientiæ informans et erudiens ad cognoscendum Deum et proximum, quem ille nondum cognoverat, qui dicebat : « Et quis est meus proximus? (*Luc.* X, 29.) » qui tandem instructus, quod vulnerati erat proximus, qui fecit misericordiam in illum, post instructionem hujus scientiæ præceptum accepit disciplinæ, dicente ad eum Domino : « Vade, et tu fac similiter (*ibid.*, 37). » Cui ergo dicitur : « Vade, et tu fac similiter, » in viam disciplinæ dirigitur, qua in lege Dei ambulatur. Sed ne quisquam semel ingressus hanc viam deduci possit in devium, scrutanda sunt in schola scientiæ *testimonia* veritatis, quibus quisque instructus novit, qua- D liter Deus et qualiter proximus propter Deum sit amandus. Alioquin facile aberrabit diligens pro Deo, quod Deus non est, diligens vel odiens in proximo, quod diligendum vel odiendum non est. Ideo non solum *beati, qui ambulant in lege Domini* scribuntur in principio hujus psalmi, sed additur : *Beati qui scrutantur testimonia ejus*, ut et in schola disciplinæ proficiamus ad dilectionem Dei et proximi, et in schola scientiæ ac sapientiæ illuminemur ad cognitionem Dei et proximi. Ne autem in utralibet schola subrepat negligentia.

VERS. 4. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis*, qui ea vis *custodiri nimis*, id est *valde*. Quod dicitur *nimis*, bifariam potest intelligi, videlicet, ut dicatur vel *nimis mandasti* vel *nimis custodivi*. Et hoc sciendum, quod *nimis* hoc loco non significat illud malum, quod dicitur in proverbio vulgari : *Omne quod est nimium, vertitur in vitium*, sed *nimis* pro *valde* ponitur, ut illic : « Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum (*Psal.* CXXXVIII, 17). » *Nimis* enim custodienda sunt mandata, in quibus nec iota unum prætereundum est, quia *quæ dicta sunt* antiquis nimis adaucta sunt novis, dicente Domino : « Dictum est antiquis : Non occides; ego autem dico vobis : Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. » Item : « Dictum est antiquis : Non mœchaberis; ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo (*Matth.* V, 21, 27). » Sic et in cæteris mandatis, quibus lex antiqua cohibet ac prohibet malas actiones, lex nova cohibet etiam cogitationes et affectiones, quod est *nimis* mandare, ultra vires scilicet fragilitatis humanæ. Unde virtute humana destitutus ad te, qui omnia potes, confugio, dicens :

VERS. 5. *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas!* Nisi enim gratia donet, quod lex jubet, per legis mandatum reviviscet peccatum, fietque mihi ad mortem, quod erat datum ad vitam. Propterea legis jugo pressus ad gratiam Christi confugio, dicens : *Utinam dirigantur viæ meæ*, scilicet actus vitæ, qui per se tortuosi et minime recti sunt *ad custodiendas justificationes tuas*, eas videlicet præceptiones, quibus recta jubes, et eas prohibitiones, quibus mala prohibes. *Si enim*, quæ prohibes, cavebo, et quæ jubes, fecero,

VERS. 6. *Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis*. Super hunc locum dicit beatus papa Gregorius (60) : *Sciendum est quod quisquis a Dei præceptis discordat in opere, quoties ea audit, corde suo reprehenditur atque confunditur, quia id, quod non fecerit, memoratur. Nam in quo errasse se considerat, ipsa se latenter conscientia accusat. Hinc ergo deprecatur Propheta, dicens :* Tunc non confundar, dum respicio in omnibus mandatis tuis. *Graviter enim unusquisque confunditur, quando mandata Dei vel legendo vel audiendo respicit, quæ vivendo contempsit. Hinc etenim voce Joannis dicitur :* Si cor nostrum non reprehenderit, nos fiduciam habemus ad Deum, et quidquid petierimus ab eo, accipiemus (*I Joan.* III, 21, 22). *Ac si diceret : Si id quod præcipis, facimus, id quod petimus, obtinemus. Valde namque apud Deum utraque hæc sibi necessario congruunt, ut et oratione operatio, et operatione fulciatur oratio. Hinc enim Jeremias ait :* Scrutemur vias nostras et quæramus et revertamur ad Dominum. Levemus corda nostra cum manibus ad Deum in cœlum (*Thren.* III, 40).

(60) *Lib.* XVIII *Moral.*, c. 5.

Vias enim scrutari est cogitationum interna discutere; corda vero cum manibus levat, qui orationem suam operibus roborat. Nam quisquis orat, sed operari dissimulat, cor levat, et manus non levat. Quisquis ergo operatur, et non orat, manus levat, et cor non levat. Juxta ergo Joannis vocem tunc cor fiduciam in oratione accipit, cum sibi pravitas vitæ nulla contradicit.

Aliter : *Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis.* Non ero sicut ille qui auditor, et non factor « comparatur viro considerapti vultum nativitatis suæ in speculo (*Jacob.* I, 23) » statim obliviscens qualis fuerit; sed sicut ille, de quo dicitur : « Qui autem perspexerit in lege perfectæ libertatis, et permanserit non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit (*ibid.*, 25). » Huic viro sapienti assimilatus per directionem viarum mearum ad custodiendas justificationes tuas, *tunc non confundar, cum perspexero* velut in speculo *in omnibus mandatis tuis,* ne peccando contra unum fiam reus omnium. Quod nimirum cavens omnia mandata tua, quæ multa sunt per diversitatem operis, unum vero in radice charitatis, frequenter perspicio legendo, meditando, ut in eis velut in speculo agnoscam si vere directæ sint viæ meæ, scilicet mores et actus ad custodiendas justificationes tuas. Quod cum invenero, non ero ingratus, neque libero meo arbitrio hanc directionem attribuam, sed

VERS. 7. *Confitebor tibi in directione cordis,* quia tibi soli confessio laudis et gratiarum actionis debetur non solum *in directione cordis,* quod prius distortum gratia tua direxisti et rectum fecisti, ut sim rectus corde; sed etiam *in eo quod didici judicia justitiæ tuæ.* Nam et hoc tu fecisti, ut ab illis discerem, quæ per me non poteram intelligere, quæ tamen neque ab homine, neque per hominem *didici* facere, sed a te, qui solus doces hominem scientiam istam, qua sciat non solum intelligere, sed et facere ac servare *judicia justitiæ tuæ.* Unde assidue tibi dico : « Doce me facere voluntatem tuam (*Psal.* CXLII, 9), » quoniam hoc docere homo non potest hominem. Instructus igitur a te per *judicia justitiæ tuæ in directione cordis,* ut sim rectus corde, lætabor in ipsis judiciis cum eis, quibus alias dicitur : « Lætamini in Domino et exsultate justi, et gloriamini omnes recti corde (*Psal.* XXXI, 11). Alioquin si cor distortum a rectitudine judiciorum justificationis tuæ habuero, non lætabor in eis, quoniam accusabor ab eis. Ideo propositum mihi est firmissimum, ut

VERS. 8. *Justificationes tuas custodiam.* Sed quia sine te nihil possum facere, *non me derelinquas usquequaque,* id est valde. Et si dereliquisti, ut sine adjutorio tuo infirmus appaream, *non derelinquas usquequaque,* id est valde, ne peream. Valde quippe vel omnino et *usquequaque* relictus fuisset mundus, nisi Deus in Christo mundum sibi reconcilians attulisset medicinam validam contra ægritudinem va-

quam unus de plebe tua sciens, quia non repellis plebem tuam, tuis eloquiis custodiendis intentam. Ideo quasi thesaurum revera pretiosum *in corde meo abscondi eloquia tua* caute, observans tempus tacendi et tempus loquendi, sciens vitium esse divina mysteria indignis vulgare, quod fieri solet vel adulatione loquentis ut ei placeat, cui secreta vulgat; vel avaritia, ut aliquid lucretur; vel jactantia, ut plura scire videatur; vel turpi oris incontinentia, qua semel emissum volat irrevocabile verbum. Propterea ego nolens margaritas mittere ante porcos vel sanctum dare canibus, *in corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi*, qui dicis: « Nolite sanctum dare canibus (*Matth.* VII, 6). » Cor meum quasi arca; eloquium tuum quasi thesaurus, quem custodivi a latronibus, sciens quod spoliari desiderat, qui thesaurum publice inter latrones portat. Item: Cor meum quasi nidus: eloquia tua quasi ova mihi erant ad hoc suscepta, ut formarentur in volatilia suo tempore volatura. Ideo, ne ante tempus de nido suo exciderent et perirent, *in corde meo* tanquam in nido *custodivi* ea, *ut non peccem tibi* vel ea emittendo ante tempus, vel intus retinendo, cum debent foras volare non pennis corvorum, sed pennis columbarum, quas alibi optavi, dicens: « Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? (*Psal.* LIV, 7). » Et quidem abscondendo *eloquia tua* tacui hominibus aures audiendi non habentibus; in tuis vero auribus non tacui, Deus meus, cui assidue dixi et dico:

VERS. 12. *Benedictus es, Domine, doce me justificationes tuas.* In hoc versiculo brevi sonat simul et gratiarum actio de beneficiis collatis, et postulatio de conferendis. Dixi ergo et dico assidue: *Benedictus es, Domine*, in eo quod, te docente, *didici judicia justitiæ tuæ, quæ abscondi in corde meo, ut non peccem tibi.* Sed ne frustra pecuniam tuam acceperim, si eam semper abscondero, *doce me justificationes tuas*, ut sciam qualiter pecuniam tuam dem ad mensam nummulariis, et tu veniens cum usuris exigas illam, neque me tunc arguas, quasi malum et pigrum servum, qui absconderim in terra talentum creditum (*Matth.* XXV). Sic assidue orans exauditus, et quid, qualiter, quibus, quando loquar eruditus

VERS. 13. *In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui.* Alia de judiciis tuis *in corde meo abscondi*, et alia *in labiis meis pronuntiavi.* Nam *judicia tua* illa inscrutabilia, quæ sunt *abyssus multa*, neque ipsis angelis comprehensibilia, corde credidi esse justissima, quibus nunc et in fine judicatur mundus, et hæc *in corde meo abscondi* credendo, venerando, timendo: sed *judicia oris tui*, quæ manifestiora sunt judiciis cordis tui, sic in labiis meis pronuntiavi, sicut ea pronuntianda cognovi per *os tuum* in Evangelio, et « sicut locutus es per » *os* tuorum « sanctorum, qui a sæculo sunt, prophetarum » tuorum, qui et ipsi sunt *os tuum* (*Luc.* I, 70). Apostoli etiam, quorum unus dicit: « Os nostrum patet ad vos, o Corinthii (*II Cor.* VI, 11), » *os tuum*

A sunt, et *judicia tua* per eos manifestata sunt *judicia oris tui.* Sed ubi idem exclamat, dicens: « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus (*Rom.* XI, 33), » judicia cordis tui veneratus sum, sciens ea, licet occultissima, tamen justissima. *In labiis* vero *meis pronuntiavi omnia judicia oris tui*, prout mihi donatum est a te. *Os apertum et ostium evidens* evidenter patefactum pro meo modo, sicut Apostolus tuus gratulatur sibi *os et ostium apertum* pro suo modo: « Os, » inquit, « nostrum patet ad vos, o Corinthii (*II Cor.* VI, 70). » Item: « Ostium, inquit, mihi magnum apertum est evidens, et adversarii multi (*I Cor.* XVI, 9). » Sicut ergo ille pro sui apostolatus auctoritate magnifice pronuntiavit *judicia oris tui*;

B sic et ego pro meo modulo, in quantum, te donante, valui, *pronuntiavi omnia judicia oris tui*, licet quoque, ut Apostolo, interdum obstitissent adversarii multi, videlicet falsi testes, veritati obloquentes, et me a via veritatis avertere nitentes. Quod proinde non potuerunt, quia ego

VERS. 14. *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis.* Nam sicut aliquis avarus delectatur in acquisitis vel acquirendis terrenis divitiis, ita ut ei videatur leve ac delectabile pro talibus multum laborare: sic ego *delectatus sum in via testimoniorum tuorum:* quæ via Christus est, *in quo sunt omnes thesauri altitudinis divitiarum et sapientiæ et scientiæ Dei:* ac proinde via hæc non conferenda, sed longe in infinitum præferenda est om-

C nibus divitiis fallacibus, quæ spinis verbum suffocantibus comparantur, et ad ultimum deputabuntur igni confovendo, quo talium dilectores ardebunt in inferno, sicut ille dives qui cruciatus in flamma refrigerationem guttæ unius obtinere non potuit (*Luc.* VIII). Est ergo in hoc loco inter dispares divitias impropria comparatio, qua non res parva sustollitur, sed magna humiliatur, qui tropus dicendi apud grammaticos nominatur *tapinosis* magnæ rei. Attamen veras divitias amantibus ita placet *via testimoniorum* Dei, quæ Christus est, ut in ipso reputent se habere omnes divitias cœlestes et terrenas, illas ad fruendum, istas ad utendum « tanquam nihil habentes et omnia possidentes, sicut egentes, multos

D autem locupletantes » (*II Cor.* VI, 10). Ideo in ipso delectantur jure *sicut in omnibus divitiis*, quia in ipso habent omnia, qui habent habentem omnia. Annon habet omnia, qui dicit: « Omnia mihi tradita sunt a Patre meo? » (*Matth.* XI, 27). Item: « Data est, inquit, mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII, 18). » Testimonia hæc ipsius Veritatis de se vera sunt. Et ideo *in via testimoniorum* talium *delectatus sum sicut in omnibus divitiis*, credens, imo sciens viam hanc in qua ambulo, veritatem per quam ambulo, vitam ad quam ambulo, abundare omnibus divitiis. Ideo dico: *In via testimoniorum tuorum delectatus sum sicut in omnibus divitiis:* non quod ego divitias istas inæstimabiles testimoniorum tuorum valeam vel æstimare

animo, vel enarrare ore, sed ut magis ac magis illuminer ad eas agnoscendas.

VERS. 15. *In mandatis tuis exercebor, et considerabo vias tuas.* Recte utique. Nam quia testimonia tua interdum sunt obscura, verbi gratia: « Ego sum qui sum (*Exod.* III, 14). » Vel: « Ego principium (*Apoc.* I, 8). » Vel: « Ego sum via, veritas et vita (*Joan.* XIV, 6); » mandata vero tua manifesta sunt, ut est: « Non occides. Non mœchaberis. Honora patrem tuum, etc. (*Exod.* XX, 12-14), » in hunc modum, mirabilia testimonia tua etiam non intellecta veneror, sciens quia verba vitæ habes etiam cum « sermo » tuus videtur « durus, » ut de carne tua manducanda et sanguine bibendo (*Joan.* VI, LX). Sed *in mandatis tuis* omnino intelligilibibus *exercebor* operando quæ jubes, vitando quæ prohibes. Et talis exercitationis collyrio curata lippitudine mea *considerabo vias tuas*, vel sicut in Hebræo habetur: *Contemplabor sententias tuas.*

Super hunc locum beatus Gregorius dicit (61): *Quid per has vias innuit, nisi quod humanæ conversationis itinera videre contempserat? Dicit ergo: In mandatis tuis exercebor, et considerabo vias tuas. Ac si aperte spondeat, dicens: Quæ mea sunt, jam videre refugio, quia per imitationis tuæ viam pergere conversationis gressibus inardesco. Qui enim præsenti mundo contradicit, amoris exercitatione continua Redemptoris sui vias cordis oculis objicit, ut mens prospera fugiat, ad adversa præparetur, nil, quod demulcet appetat, nil, quod deterrere creditur pertimescat, mœrorem gaudium deputet, præsentis vitæ gaudia damna mœroris penset, abjectionis detrimenta non timeat, sed per hæc manentis gloriæ locum quærat. Has enim vias sequentium monstrabat oculis Veritas, cum dicebat:* Qui mihi ministrat, me sequatur (*Joan.* XII, 26). *Ad has vias tumentia discipulorum corda revocabat, cum locum gloriæ jam quærerent, sed ejusdem iter ignorarent, dicens:* Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? (*Matth.* XX, 22). *Confessionis quippe illius celsitudinem a dextris et sinistris quæsierant, sed quanta adhuc itineris esset angustia non videbant. Unde et eorum mox oculis imitandus calix passionis objicitur, ut videlicet, si ad sublimitatis gaudia tenderent, prius viam humilitatis invenirent.*

gitur *in mandatis tuis exercebor, et considerabo vias tuas.* Et quia ex plaga originalis peccati facile obrepit oblivio, ne semel intellecta perdam,

VERS. 16. *In justificationibus tuis meditabor, ut non obliviscar sermones tuos*, quos expedit non solum per intellectum videri, sed et per memoriam retineri. Maxime autem consideratione ac meditatione indigent illæ *justificationes*, quæ vel in lege vel in Evangelio aliud sonant, et aliud indicant. In lege, « ut non induaris veste contexta ex lana et lino (*Deut.* XXII, 11), » cujus litteræ observatio nulla est justificatio, sed moraliter caveri hanc duplicitatem, in qua simplicitas quasi lana prætenditur, et astutia quasi lini subtilitas absconditur, magna justificatio est: Item in Evangelio, ubi dicitur: « Tu autem, cum jejunas, lava faciem tuam, et unge caput tuum oleo (*Matth.* IV, 77), » litteræ hujus observantia parva vel nulla est justificatio; sed intus lavare faciem cordis aqua compunctionis de peccatis præteritis, et perfundere caput mentis, id est intentionem, quæ est principale interioris hominis, oleo lætitiæ, quo fiat jejunium sive aliud sanctitatis exercitium non ex tristitia vel ex necessitate, sed in lætitia et in hilaritate, magna est justificatio. Ad tales *justificationes* dignoscendas necessaria est prudens meditatio, ne aut non recte intelligantur, aut recte intellectæ oblivioni tradantur. Propterea quasi votum facio, dicens: *In justificationibus tuis meditabor, non obliviscar sermones tuos.*

Jam his octonis versibus exactis eorum duas capitales litteras, videlicet *aleph* et *beth* connectamus, et ex earum interpretatione dicamus quia in istis versibus est magna *doctrina* Ecclesiæ. Interpretatur enim *aleph doctrina, beth domus*, ac proinde intelligitur his comprehendi *doctrina domus*, id est Ecclesiæ.

Incipit alius octonarius, cujus in Hebræo singuli versus incipiunt a littera

GHIMEL.

Quod interpretatur *plenitudo*, vel sicut Ambrosius vult, *retributio*, quia sic per *doctrinam domus* instructus, et in mandatis Dei exercitatus, *plenitudinem retributionis* merito exigit, dicens:

VERS. 17. *Retribue servo tuo.* In quo non debet arrogans videri, sed constans. Innocentis enim et constantis est conscientiæ ab eo, cui servivit, plenitudinem retributionis expetere, atque in hoc nihil hæsitare vel dubitare. Jubemur quippe in Evangelio fidem habere, ac non hæsitare de his quæ hominibus impossibilia, Deo vero possibilia sunt (*Luc.* XI). Cum autem sint quatuor retributiones diversæ, id est bona pro bonis, mala pro malis retribui, quod est justitiæ, ac bona pro malis, quod est gratiæ, itemque mala pro bonis, quod est injustitiæ, hanc ultimam nescit Deus, qui nulli malum pro bono retribuit: reliquas tres observat, prout vult. Nam et bonis meritis, quæ ipse dat, bona quoque præmia retribuit, et malis meritis, quæ a se habet malus homo, mala tormenta rependit, et item sæpe malis meritis bonæ præmia retribuit, cum tamen ipsa mala merita fuerint recognita per pœnitentiam. Sed quis tibi hanc ipsam dat pœnitentiam, nisi *veniæ largitor, et humanæ salutis amator?* Ego igitur, in quantum bona feci, servus tuus, bone Deus, tibi dico: *Retribue servo tuo.* Quia vero semivivus adhuc in parte mortem sentio, qua præpeditus minus tibi servio quam debeo, dico tibi: *Vivifica me* bona tua pro malis meis retribuendo, et tunc vivifi-

(61) Lib. XVII Moral., cap. 9.

catus *custodiam sermones tuos*. Sed quia non possunt custodiri per obedientiam, nisi prius videantur per intelligentiam, tu, qui « lux vera » es « illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I, 9); »

VERS. 18. *Revela oculos meos. Et* tunc ablato velamine ignorantiæ simul et malitiæ, *considerabo mirabilia de lege tua.* Nihil mirabilius in mandatis quam : *Diligite inimicos*, quod idem est ac si dicatur : Date bona pro malis. Item cum dicitur : « Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus (*Luc.* XIV, 33). » Et « Vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo (*Matth.* XIX, 21), » aliaque in hunc modum dictu quidem sunt *mirabilia*, sed tamen actu possibilia sunt credenti. Hoc ita esse *considerabo de lege tua*, in qua *mirabilia* lego. Nam et Moyses inimicos dilexit, pro quibus ne interirent, se deleri de libro vitæ petiit. Sed et Samuel pro inimicis oravit, manente adhuc umbra legis. Clarescente autem veritate, postquam verus agnus Christus pro inimicis est immolatus, absque numero sunt, qui suos inimicos dilexerunt, et diligunt orantes pro persequentibus et calumniantibus : quique renuntiantes omnibus quæ habent et habere possunt in terra, incolæ sunt in terra. Quorum consortio vel per imitationem vel per alienæ perfectionis perfectam dilectionem admissus confidenter dico :

VERS. 19. *Incola ego sum in terra.* Unde alias clamare soleo : *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est* (*Psal.* CXIX, 5). Incolatus quippe idem est, quod peregrinatio, qua « Peregrinus sum ego sicut omnes patres mei (*Psal.* XXXVIII, 13), » quorum patria cœlestis Jerusalem, cujus cives in hujus mundi Babylonia laborant, et omnino deficerent, nisi eos tua mandata quasi cibaria desursum venientia reficerent, quomodo refecti sunt patres nostri peregrinantes in deserto pane angelorum typico, et Novi Testamenti patres vero. Proinde quia et ego *incola sum in terra*, tendens ad patriam cœli, ne deficiam in via, *non abscondas a me mandata tua*, quæ absconduntur his, qui terrena sapiunt, neque incolæ, sed cives Babyloniæ sunt. Unde adversantes *mandatis tuis*, etiam cum ea scire volunt, non ea tamen sapere concupiscunt. Te etenim de die in diem quærunt, et scire vias tuas volunt quasi gens, quæ justitiam fecerit, et quæ judicium Dei sui non dereliquerit; sed anima eorum non concupiscit aut sapere vult justificationes tuas, quia vel cum Judæis justitiam suam statuentes justitiæ tuæ subjici nolunt, vel cum gentibus adversus omnem justitiam sua idola colunt, dum alius fornicando Veneri, alius irascendo Marti, alius alta sapiendo Jovi quasi toties victimas immolat, quoties prædictis aut similibus criminibus animam suam trucidat. Addunt quoque thus in incensum, non suavissimi, sed pessimi odoris, cum de fama pravissima quasi aerem corrumpunt, maxime si ad ea, quæ faciunt,

A etiam alios loquendo inducunt, juxta illud : « Corrumpunt mores bonos confabulationes pessimæ (*I Cor.* XV, 33). » Quia vero inter tales non civis, sed *incola sum*, et peregrinus ; ideo reprobatis justificationibus Pharisaicis Judæorum et totius idololatriæ gentium sordibus,

VERS. 20. *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore.* Video enim ratione, quam sint utiles *justificationes tuæ*, sed languore infirmitatis depressus non eas tantum desidero, quantum eas desiderandas intelligo. Prævolat intellectus, et sequitur tardus vel nullus affectus. Datum est mihi bonum scire, quod nondum delectat agere. Ideo *concupivit anima mea* illius boni affectum, cujus habet intellectum.

B Aliter : Inter omnia mirabilia de lege tua considerata præ omnibus margaritis illic inventis et consideratis unam video pretiosissimam, id est veram dilectionem. Est autem vera dilectio, qua diligenda diliguntur, sicut falsa. qua non diligenda diliguntur. Et falsa utique dilectio diligenda non est, vera vero dilectio plus est diligenda, quam omnia, quæ diliguntur in illa, sub illa. Ipsa namque Deus est juxta illud : « Deus charitas est (*I Joan.* IV, 8). » In qua charitate licet chara debeant esse omnia bona, super omnia tamen, quæ chara sunt, charitas ipsa debet esse chara. Ipsius ergo dilectionis dilectionem, ipsius charitatis charitatem concupiscens habere, dico assidue : *Concupivit anima mea desiderare* C *justificationes tuas.* Nam *justificationes tuas* utcunque *desidero* et *concupisco.* Sed ipsum desiderium, quo *desidero*, et ipsam concupiscentiam, qua *concupisco* sic *desiderare* ac concupiscere affecto, ut nullo deinceps afficiar tædio, quo languescam a tali desiderio quod concupiscit anima mea spiritu prompto, licet caro sit infirma. Cui simile est, quod sponsa dicit : « Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie (*Cant.* I, 6). » Item : « Num quem dilexit anima mea, vidistis ? » (*Cant.* III, 2). Igitur quod dico : *Concupiscit*, vel diligit *anima mea*, confessio et conquestio est infirmitatis, qua languens mortalis caro concupiscit adversus spiritum. Qua tamen languente et contraria saluti concupiscente anima mea tuo spiritu afflata D *concupivit desiderare justificationes tuas in omni tempore* tam adversitatis quam prosperitatis. Quod autem caro infirma est, inde est, quod tu

VERS. 21. *Increpasti superbos* parentes nostros in paradiso, eo quod acquieverunt tentatori superbiam nimiam suggerenti et dicenti : « Eritis sicut dii (*Gen.* III, 5). » Primo *increpasti superbum* diabolum, deinde hominem ipsius superbiæ imitatorem, dicens : *Maledicta terra in opere tuo* (*ibid.*, 17). Mulieri quoque dixisti : « Multiplicabo conceptus tuos et ærumnas tuas (*ibid.*, 16). » Hinc est ipsa mulier terra maledicta spinas et tribulos maledictorum filiorum germinans, quos omnes in ipsa matre sua maledixisti multiplicando conceptus ejus, ut videlicet conciperet non solos filios benedictos, quibus

dicendum est: «Venite, benedicti (*Matth.* xxv, 34),» sed etiam illos maledictos, quibus in fine dicendum est: «Ite, maledicti (*ibid.*, 41).» Ipsis quoque filiis benedictionis adhæret macula hujus maledictionis, quæ non abstergitur nisi per benedictum fructum ventris tui. O mulier benedicta inter mulieres, quæ maledicti serpentis caput contrivisti, quia contra superbiam illius tu, virgo humilis, permansisti et maledictionem primæ mulieris exterminasti. Etenim per benedictum fructum ventris tui benedicentur omnes tribus terræ, sicut promissum est Abrahæ (*Gen.* xvii, xxvi, xxviii). Proinde qui ex omni tribu et lingua benedicuntur in te, o semen Abrahæ, per gratiam tuam secernuntur ab increpatione ac maledictione jam nunc in anima concupiscente justificationes tuas in omni tempore (*Psal.* lxxi): quibus tamen carnis infirmitas adhuc inhæret ex tua increpatione, qua *increpasti superbos* mortalitate ac morte corporum domando et colaphizando illos, ut agnoscerent se terram sive pulverem esse, ac desinerent se in altum extollere. Hac ratione etiam illos colaphizas, quos inter filios benedictos computas, ne quemquam illorum vel magnitudo revelationum vel sufficientia gratiarum valeat extollere, dum virtus mentis in infirmitate carnis perficitur, et quasi de maledictione carnis spinas ac tribulos tentationum germinantis consummatur benedictio mentis legi Dei consentientis, legemque membrorum non diligentis, imo et odientis. Unde unus talium dicit: «Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod odi malum, illud facio. Si autem quod odi malum, illud facio, consentio legi Dei, quia bona est (*Rom.* vii, 16).» Istiusmodi ergo filii benedictionis licet in carne graventur quadam pœna maledictionis, non tamem ipsi maledicti censendi sunt, quia nihil damnationis est his, qui non secundum carnem ambulant, nec sinunt regnare peccatum in suo mortali corpore, quamvis peccato non possint ad plenum carere gravante illos corpore, quod corrumpitur etiam, dum interior homo renovatur.

At illi, qui per superbiam *declinant a mandatis tuis*, non decepti per ignorantiam ut Saulus persecutor, seu victi per fragilitatem ut Petrus adhuc junior, sed abstracti ac illecti cupiditate peccandi ut Judas fur sacrilegus et traditor Salvatoris, manentesque in felle amaritudinis et obligatione iniquitatis ut Simon Magus: isti eorumque similes omnino *maledicti* sunt, quia *mandata tua*, Deus, a quibus *declinant*, usque adeo detestantur, ut ea servantibus et servanda prædicantibus improperia multa faciant eosque contemptibiles judicent. Contra quos ego Ecclesia vel ego ecclesiastica persona oro dicens:

Vers. 22. *Aufer a me opprobrium et contemptum, quia testimonia tua exquisivi. Testis* Latine, apud Græcos dicitur *martyr*, et *testimonia* dicuntur *martyria*. Hæc *testimonia* sive martyria superbis erant *opprobrio* et derisui contemnentibus crucem et totam Christianam humilitatem, per quam solam superbia sanatur. Et quidem propter salutem sancti martyres testimonia sive martyria exquirebant; sed a talium contemptu liberari expetierunt propter salutem persequentium. Et in hoc exauditi sunt, quia jam non est *opprobrium*, sed honor in mundo martyrum passio, quam ex numero persequentium plurimi sunt imitati videntes martyres in hoc mundo honorari, eo quod constat illos in cœlis coronatos attestantibus miraculis innumeris, quibus exemplo Gedeonis triumphavit Christus. Nam sicut illius pugna pervenit ad victoriam confractis lagenis et coruscantibus lampadibus (*Jud.* vii), ita fractis martyrum corporibus ac deinde miraculis ad sepulcra eorum coruscantibus territi sunt hostes Christi, et cœperunt martyres venerari ac imitari, quæ docuerunt, credendo ac confitendo, atque interdum patiendo martyria, qualia prius intulerunt. Et sic ablatum est *opprobrium* et *contemptus* martyrum, *testimonia* sive martyria exquirentium. Deinde surrexerunt hæretici docentes contraria sanæ fidei. Contra quorum errores beati confessores exquisierunt in Scripturis authenticis *testimonia* veritatis. Et ipsi multoties invalescentibus hæreticis *opprobrio* et *contemptui* sunt expositi, sicut ecclesiastica testatur historia. Igitur quisque illorum tunc recte oravit dicens: *Aufer a me opprobrium et contemptum, quia testimonia tua exquisivi*, quibus defenderem sinceritatem fidei, qua sive per martyres sive per confessores ego Ecclesia catholica vix tutata sum per *testimonia* diligenter exquisita. Nec mirum, si contra istos laborans periclitata sum.

Vers. 23. *Etenim sederunt principes, et adversum me loquebantur.* Si plebeius quisquam restitisset mihi, sustinuissem utique defendente me aliquo principe. Sed in hoc aggravatum est mihi certamen, quod *principes*, principales in mundo sedes vel cathedras obtinentes, ex mora et deliberatione *sederunt, et adversum me loquebantur* aperte, quæ in occulto excogitaverunt, verbi gratia, Nero, Decius, Diocletianus et cæteri pagani principes idola defendentes: ac post illos Constantius, Julianus, Valens ac cæteri principes, hæreticorum defensores. Illi quidem *contra me loquebantur* cogitantes me opprimere: *servus autem tuus*, verbi gratia, martyr Laurentius aut confessor Augustinus, aut quilibet eorum similis *exercebatur in tuis justificationibus*, a quibus retrahere laborat inimicus homo et diabolus, sed prævalere non potuerunt, imo auxilium præbebunt mihi exercitationis *in tuis justificationibus*.

Vers. 24. *Nam* illis me infestantibus *et testimonia tua meditatio mea est, et consilium meum justificationes tuæ*, in quibus maximum est inimicos diligere, atque illos per *testimonia* veritatis ab erroribus revocare. Quod sæpe factum est conversis tyrannis et hæreticis ad prædicationem *testimoniorum*, et *justificationum* veritatis, dum et *te-*

stimonia in verbis, et *justificationes* claruerunt in A factis temporibus manifestæ persecutionis. Et quidem fuit amaritudo mea nimis amara tempore paganorum sua idola defendentium; sed amarior temporibus hæreticorum veritatem fidei quadam verisimilitudine impugnantium. Sed nunc ecce in pace amaritudo mea amarissima tempore falsorum fratrum inimicorum domesticorum, voce quidem Deum fatentium, factis autem negantium. Cum enim ex illis multi *principes* in regimen sublevati *sederunt*, sedes videlicet sive cathedras altas obtinendo per ambitionem, et hi tales *adversum me loquebantur* plerumque impugnando fidei sinceritatem, sæpius autem depravando ecclesiastici regiminis puritatem, utpote sua, non Dei lucra cogitantes, homines amantes se ipsos, cupidi, elati, pro- B tervi, sine fœdere, sine misericordia, regulis et præceptis Patrum sanctorum non obedientes, voluptatum amatores magis quam Dei (*II Timoth.* III, 3, 4). Hujusmodi homines in novissimis diebus prænuntiabat Apostolus futuros instantibus temporibus periculosis. Et ecce jam tales non solum sunt multiplicati super numerum bonorum, sed etiam principantur in sedibus Ecclesiæ principalibus opprimendo bonos tali versutia, « ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi (*Matth.* XXIV, 24). » Sed tamen, qui revera est electus, inter tales et sub talibus *exercetur in tuis justificationibus*. Ipsius enim clamor est inter psallendum : *Etenim sederunt principes, et adversum me loquebantur*, C magis approbando mala inolita quam bona insolita. *Servus autem tuus exercebatur* econtra improbando mala inolita, commendando bona insolita, prout veritas monstrat *in tuis justificationibus* testificatis a lege et prophetis, ab Evangelio et apostolis ac Patribus orthodoxis. *Nam et testimonia tua meditatio mea est*, quæ meditata mitigant dolores, ornant mores : *et consilium meum justificationes tuæ*, inter quas eminent fides, spes, charitas, quibus tribus reconciliatur atque justificatur homo Trinitati summæ tribus horum contrariis perfidia, desperatione, odio boni depravatus atque a Deo alienatus. In his versatur *consilium meum* contra consilia gentium, contra cogitationes populorum, contra consilia principum. Scio D quod « Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, et reprobat consilia principum (*Psal.* XXXII, 10). » *Consilium* autem Domini manet in æternum, secundum quod semper dirigere intendo *consilium meum*, ut sit *consilio* divino consonum et a consiliis mundi hujus diversum, cui factus sum in *opprobrium* et *contemptum* propter hoc maxime, *quia testimonia tua Deus exquisivi*, quibus assertiones meas ita munire studui, ut eis in veritate stabilitis non possent contradicere adversarii mei, quibus factus sum in *opprobrium et contemptum*, quia *testimonia* veritatis contemnunt, illi maxime, qui sua quærunt, non quæ Jesu Christi (*Philipp.* II).

Clamo itaque assidue dicens : *Aufer a me opprobrium et contemptum*, sicut abstulisti *opprobrium et contemptum* sanctorum martyrum et confessorum *testimonia tua* exquirentium. Denique jam sunt in gloria et apud homines quoque floret memoria eorum damnatis et confutatis contradictoribus ipsorum, verbi gratia, floret suaviterque redolet nomen Simonis Petri; fumat et fœtet nomen Simonis Magi. Gaudet in cœlo martyr Laurentius laureatus corona immarcescibili; dolet in inferno impius Decius ardens igne inexstinguibili. Exsultat confessor Athanasius assertor catholicus fidei; fœtet nomen Arii perturbatoris ejusdem fidei. Ablatum est igitur *opprobrium* sanctorum martyrum et confessorum *testimonia tua* exquirentium. Sic superato invisibili Golia Philisthæo incircumciso (*I Reg.* XVII), qui exprobraverat agminibus Dei viventis, victo, inquam, baculo pastorali sanctæ crucis per beatos martyres, in funda quoque et lapide per sanctos confessores fundibularios prudentes ablatum est *opprobrium* a vero David, quem prædictus Philisthæus contempsit, eo quod ipse armis tyrannorum fortiter armatus erat. Sed noster pugnator solis pastoralibus instrumentis contra illum præliari paratus incessit, ut auferret *opprobrium et contemptum* de Israel, quod et factum est. Sed quid profecimus? Evasimus ora leonum tyrannica violentia et hæretica fraudulentia sævientium. Verumtamen adhuc sumus « in medio catulorum leonum (*Psal.* LVI, 5). » An non sunt catuli leonum, qui etsi non colant idola, neque pervertant fidem, corrumpunt tamen suis confabulationibus pessimis bonos mores introducendo sectas perditionis, ædificatas non supra petram veritatis, sed super arenam falsitatis et pravæ consuetudinis, quam non divina, sed sua roboraverunt auctoritate, usurpata sibi super Ecclesiam regiminis potestate. *Etenim sederunt*, et sedes altas occupaverunt *principes* talium nominetenus episcopi, abbates, præpositi, archidiaconi, decani, plebani; *et adversum me loquebantur*, quoties eorum pravas consuetudines impugnavi, quibus contra me sedentibus et morose agentibus ego veluti stando laboravi, quia illis facultates ecclesiasticas occupantibus me oppressit egestas, ita ut assidue dicerem : « Ego vero egenus et pauper sum, Deus adjuva me (*Psal.* LXIX, 6). » Præ nimia itaque paupertate imminente, videlicet illa egestate, de qua dicitur in Job : « Faciem ejus, » videlicet Leviathan seu Behemoth, « præcedet egestas (*Job* XLI, 13). » Factus sum in derisum et *opprobrium* atque *contemptum* in conspectu *principum contra me loquentium*, et ad hoc sedentium, id est morose vacantium. Quænam est hæc egestas præcedens faciem Antichristi? Nisi fallor, egestas virtutum et virtuosorum virorum, quibus in Ecclesia rarescentibus, aut præ inopia nimia deficientibus iniquorum prævalet principatus, in quo Antichristus jam mysterium operatur iniquitatis.

Cui ergo assimilabimus *opprobrium* sive *contem-*

ptum, quo Ecclesia vel quælibet ecclesiastica persona in egestate arctata a malis numero personarum et copia rerum abundantibus gravatur, facta in « opprobrium abundantibus, et in despectionem superbis ! » (*Psal.* CXXII, 4.) Nimirum illi *opprobrio*, quod passus est beatus Job in egestate sua sive ab uxore sua, sive ab amicis onerosis consolatoribus illius anteactam vitam deridentibus, neque miseriæ ipsius, prout oportuit, compatientibus (*Job* II et IV): vel certe illi *contemptui*, quem passus est vir sanctus Tobias item derisus ab uxore atque amicis, quasi ob nequitiam cæcitas et paupertas illi evenerit (*Tob.* II). Rex etiam sanctissimus Ezechias tale *opprobrium* passus est misso ad illum Rapsace nuntio regis Assyriorum. « Et nunc, » inquit, « trade te Domino meo, et dabo tibi duo millia equorum, si poteris ex te præbere ascensores eorum (*IV Reg.* XVIII, 23). » Profecto hæc et cætera superbe loquendo improperavit regi tunc angustiato paucitatem virorum, qui possent esse ascensores equorum, cum ille gloriaretur in multitudine virorum et exercituum contra Jerusalem præliantium. Sed tu, Deus Israel, *abstulisti opprobrium et contemptum* beato Job restituendo sanitatem perditamque illi duplicando facultatem (*Job* XLII, 10). » A Tobia etiam sic abstulisti *opprobrium*, ut ei restitueres lumen oculorum, daresque copiam rerum vitæ præsenti necessariarum cum certissima exspectatione ac spe futurorum bonorum (*Tob* XI, 15). Ezechiam quoque regem liberasti ab *opprobrio* et *contemptu* mittendo angelum tuum in ejus auxilium, qui de regis Assyriorum exercitu noctu percussit centum octoginta quinque millia virorum in circuitu Jerusalem, quam tunc obsederat (*IV Reg.* XIX, 35).

Nonne igitur in similibus *opprobriis* et *contemptibus*, quibus nunc Ecclesia gravatur, similia sunt exspectanda et speranda solatia ? Dico ergo : *Aufer a me opprobrium et contemptum* sic agendo mecum, ut videant hi qui oderunt me, et confundantur, quoniam tu, Domine, adjuvisti me plus quam prædictos viros veritatis prænuntios. Nam ecce plus quam Job vel Ezechias vel Tobias est hic, videlicet Christus, cujus licet hoc tempore periculoso magna sit egestas tam in paucitate virorum, qui possunt esse ascensores equorum, id est rectores hominum stultorum, quam in egestate rerum cultui religionis destinatarum; tamen clamor Ecclesiæ dicentis quotidie : *Aufer a me opprobrium et contemptum*, credendus est quandoque sic exaudiendus, ut non vacet gloriari hostibus Ecclesiæ contra illam de numerositate virorum, cum plures nobiscum sint quam cum illis, ut Eliseus puero suo demonstravit, et rex Assyriorum persensit, quando angelo percutiente magnam partem virorum, de quibus gloriatus fuerat, amisit (*IV Reg.* VI), et ipse confusus ab obsidione Jerusalem recessit portans *opprobrium et contemptum* juxta illud Isaiæ vaticinium : « Despexit te et subsannavit te virgo filia Sion ; post te caput mo-

A vit (*Isai.* XXXVII, 22). » Item gloriantibus Ecclesiæ inimicis, quod ejus facultates ipsi possideant in decimis aliisque religiosæ militiæ stipendiis, sancta Ecclesia tanquam Job vel Tobias desolata non desperet consolationem contra hujusmodi abominationem desolationis jam diu stantem in loco sancto juxta prophetiam Danielis (*Dan.* IX, 27). Locus enim sanctus est quælibet Ecclesia in honorem Dei fabricata et oblationibus fidelium, præcipue decimis ditata, in qua, dum de stipendiis Deo sacratis diabolo et Antichristo militatur, magna desolationis abominatio stat in loco sancto. Quam qui viderit, monente Domino, si fuerit in tecto, in alto videlicet religionis proposito, non descendat tollere aliquid de domo (*Matth.* XXIV, 17), spernens scilicet mundi
B hujus lucra, nec pro talibus acquirendis ab alto descendat in ima, ut illi faciunt, qui divitibus adulando humanam captant gratiam, nec peccata eorum, prout oportet, redarguendo imitantur Eliam seu Joannem Baptistam. Non autem excidit verbum Domini promittentis, quod, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis, mittat Eliam prophetam, qui convertat cor patrum ad filios et cor filiorum ad patres eorum (*Malach.* IV). Quod cum factum fuerit, sive in persona sua Elia veniente, ut multi exspectant et celebri sermone vulgatum est, sive in spiritu et virtute Eliæ impetrata pluvia cœlestis gratiæ per legitimum sacrificium, cum prius fuerat non legitimum reprobatum, credimus et speramus
C exauditum iri orationem Ecclesiæ dicentis : *Aufer a me opprobrium et contemptum, quia testimonia tua exquisivi. Etenim sederunt* principes non legitime sacrificantes, *et adversum me loquebantur. Servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis. Nam et testimonia tua meditatio mea est*, quibus invenio neminem posse Deo servire ac mammonæ, atque ideo *consilium meum justificationes tuæ*, quarum summa est, ut, tua gratia juvante, semper studeam tibi soli servire cupiens etiam illos mecum justificari, ac magnificari quibus exprobrantibus et me contemnentibus ludibrium fui, maxime ob id, quod *testimonia tua exquisivi et exercebar in justificationibus tuis*, quod etiam, adhuc favente gratia tua, facere non desino. *Nam et testimonia tua meditatio*
D *mea est, et consilium meum justificationes tuæ.*

DALETH.

VERS. 25. *Adhæsit pavimento anima mea : vivifica me secundum verbum tuum.* Quid est hoc ? Paulo ante dixisti : *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas* tanquam totus deditus cœlestibus desideriis, et nunc dicis : *Adhæsit pavimento anima mea* tanquam in ima depressus, et ab his, quæ sursum sunt, alienus ? Verum est. Et illud dixi condelectatus « legi Dei secundum interiorem hominem : » est istud dico videns « aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ (*Rom.* VII, 22, 23). » Quantolibet enim studio me in spiritalibus exerceam, sentio tamen fragilis et mortalis carnis affectum circa hæc terrena, quæ sunt calcanda ut *pa-*

vimentum, super quod stantes vultum suum debent attollere in cœlum, quod est hujus pavimenti altissimum tectum in amplissima hujus mundi aula, cujus fabricator et Dominus eminet super omnia non locali celsitudine, sed spiritali, ubique præsentissima et tamen secretissima virtute, qua implet omnia non inclusus, circumdat omnia non exclusus, sustentat omnia non substratus, excellit omnia non elatus; cujus latitudo, sublimitas et profundum continet omnia, excedit omnia, regit omnia, sustinet omnia. Cujus latitudo charitas, longitudo æternitas, altitudo vel sublimitas potentia insuperabilis, profundum sapientia inscrutabilis. Huic semper timendo propter insuperabilem potentiam et inæstimabilem sapientiam, semper diligendo propter ipsius charitatem et charitatis æternitatem, qua et prior dilexit et in æternum diligit, nihilque eorum odit, quæ fecit, semper intentus esse proposui conversatione, id est meditatione cœlesti, ut essem unus illorum, quorum vox est : « Nostra autem conversatio in cœlis est (*Philipp.* III, 20). » Sed ex affectu carnis naturaliter mihi insito *adhæsit pavimento anima mea*, ita ut, licet jugiter concupiscat *anima mea* desiderare cœlestia, non possit non concupiscere terrena saltem ad usum licitum sibique concessum, cujus limites frequenter excedens *adhæret pavimento* quasi visco mortalitatis detenta in corpore terreno, propter peccatum jam mortuo, id est indubitanter morituro, cui *adhærens anima mea* et ipsa periclitatur quasi quotidie moritura morte peccati, quo nimis languet in corpore quantumlibet polito et lævigato quasi ad similitudinem pavimenti marmore albo strati. Cui *pavimento* nimis adhærentes *increpasti superbos* dicens tu, Veritas : « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi, qui estis similes sepulcris dealbatis, quæ a foris apparent hominibus alba, intus autem plena sunt ossibus mortuorum (*Matth.* XXIII, 27). »

Ne igitur interiora mea sint ossibus mortuorum similia, *vivifica me secundum verbum tuum*, id est fac ut vivam secundum præceptum tuum. Hoc est enim præceptum tuum, « ut diligamus invicem (*Joan.* XV, 12). » Hæc dilectio vita est animæ, quia « qui non diligit, manet in morte. » Unde Joannes apostolus et evangelista : « Nos, » inquit, « scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte (*I Joan.* III, 14). » Ne igitur et ego manens in corpore mortali maneam in morte, *vivifica me secundum verbum tuum*, sicut dictum est, vel secundum Jesum Christum, qui est *verbum tuum*, ut videlicet vivam in ipso et secundum ipsum factus de filio iræ filius gratiæ in semine Abrahæ promissæ. *Verbum* enim promissionis hoc est : « In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ (*Gen.* XXVI, 4). » Item : « Aspice cœlum, et numera stellas si potes. Sic erit semen tuum (*ibid.*, XV, 5). » Item : « Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli (*ibid.*, XXVI, 4). » Manifeste cognoscitur stellas cœli non adhærere *pa-*

A *vimento* terreno, sed alto firmamento cœli, quasi hujus amplissimæ aulæ cuidam laqueari. Ergo dicens : *Vivifica me secundum verbum tuum*, promissionis tuæ *verbum* de claritate simul et altitudine stellarum cupio et opto impleri de me, ut videlicet sublevatus de *pavimento* fulgeam in alto. Nam quandiu filii promissionis adhærent *pavimento*, rectius assimilantur *pulveri*, sive *arenæ* (*Gen.* XIII, 16; XXII, 17), secundum quod item promissum est Abrahæ multiplicandum semen ejus ut pulverem terræ sive arenam, quæ est in littore maris, quæ pars promissionis pertinet ad filios carnis, qui gloriantur in carne Abrahæ. Sed ego filius fidei potius quam carnis esse desiderans oro *vivificari secundum verbum tuum*, quo promittitur similitudo stellarum.

B Denique post cædem quatuor regum (*Gen.* XIV) et liberationem Lot fratruelis Abrahæ dictum est ei : « Suspice cœlum, et numera stellas si potes. Sic erit semen tuum (*Gen.* XV, 5). » Nulla in hoc *verbo* promissionis mentio fuit *arenæ* vel *pulveris*, ut in aliis promissionibus. Atque ideo *secundum* hoc *verbum tuum*, quo promissa est similitudo stellarum, cupio et oro *vivificari*, ut videlicet, qui me pulverem cognosco adhærentem *pavimento*, similis efficiar stellis adhærentibus firmamento. Abrahæ namque cum dictæ sint multæ promissiones, non tamen in multis seminibus, sed in uno semine ipsius benedicendæ asseruntur omnes tribus terræ (*Gen.* XXVIII, 4), id est aliqui de omnibus tribubus terræ, scilicet C electi ad vitam æternam prædestinati et in resurrectione clarificandi. Etenim « sicut stella differt a stella in claritate, sic erit et resurrectio mortuorum (*I Cor.* XV, 41), » de pulvere quidem communiter suscitandorum, sed non communiter clarificandorum. « Multi enim de his, qui dormiunt in pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam et alii in opprobrium, ut videant semper. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates (*Dan.* XII, 2, 3). » In hoc igitur, quod omnes in pulvere dormierunt, quasi *pavimento adhæserunt*; sed qui ex his docti fuerint et alios ad justitiam erudierint, elevati a *pavimento* fulgebunt D quasi stellæ in firmamento, non ad tempus, ut illæ stellæ, quas trahet in terram cauda draconis (*Apoc.* XII), sed *in perpetuas æternitates* vera luce, quæ Deus est, lucentes, et vera vita, quæ item Deus est, viventes, quorum consortio adjungi postulo dicens : *Vivifica me secundum verbum tuum*, quod locutus es ad Abraham patrem nostrum promittens ei semen unum sic multiplicandum sicut stellas cœli. Dixisti enim : « Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli (*Gen.* XXVI, 4). » Si ergo per stellas cœli volebas angelos lucis intelligi, non absurde hoc verbo promissionis approbatur sensus eorum, qui asserunt, ex hominibus tot salvandos et clarificandos, quot in cœlo remanserunt angeli, cadentibus inde angelis apostaticis. Cui sensui et hoc suffra-

gari dicunt, quod scriptum est: « Constituit termi- A nos populorum juxta numerum filiorum Dei (*Deut.* XXXII, 8), » seu *filiorum Israel*, quoniam et hoc familiare est angelis bonis, ut dicantur *filii Israel*, sicut angelus ad Tobiam loquens *ex filiis Israel* se dicit esse (*Tob.* V). Si ergo, ut dictum est, per stellas cœli bonos angelos volebas intelligi, quibus in semine Abrahæ multiplicando sunt æquandi homines prædestinati ad vitam æternam, bene ac recte orans dico tibi hujus verbi atque promissionis auctori: *Vivifica secundum verbum tuum*, ut « fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra (*Matth.* VI, 10), » sicut in firmamento, sic et in *pavimento*, suscitatis de pulvere tot hominibus in vitam æternam, quot angeli habent vitam æternam, quam desiderans tibi assidue dico: *Vivifica me secundum verbum tuum.* B Vivificationis autem hoc est initium, quod, peccata mea confitendo,

VERS. 26. *Vias meas enuntiavi* per hoc ipsum, quod me *pavimento adhæsisse* confessus et conquestus sum dicens: *Adhæsit pavimento anima mea*, quod idem est, ac si dicerem: peccatrix est *anima mea*. Sic *vias meas enuntiavi* enuntiatione licet brevi, tamen sufficienti coram te judice omnia sciente. *Vias meas*, iniquitates videlicet *meas* mea pravitate commissas *enuntiavi tibi* sincera confessione dolens de præteritis, et libenter volens cavere de futuris. *Et tu exaudisti me* dimittendo et ignoscendo ipsas *vias meas*. Restat ergo ut doceas tuas. Ideo *doce me justificationes tuas*, quas vere novit, qui servat et facit: sicut e contrario de Christo dicitur: « Peccatum non novit (*II Cor.* V, 21), » id est non fecit. Ergo *doce me justificationes tuas*, qui meas pro nihilo habeo, quia sine te nihil possum facere, unde justificer apud te. Atque ut in ipsis justificationibus tuis ordinate incedam, sciens quid prius, quid posterius agendum sit,

VERS. 27. *Viam justificationum tuarum instrue me*, sive, ut in Hebræo legitur: *Viam præceptorum tuorum fac me intelligere*, ne ignarus mysticorum secretorum deducar in devium, sicut hi, qui adhuc putant agnum paschalem secundum legem comedendum, vel sicut quidam putabant ad litteram tenendum, quod in Evangelio præcipimur lumbos præcingere (*Luc.* XII, 35), crucem bajulare (*Matth.* XVI, 24), ac cætera quædam figuraliter dicta æstimabant litteraliter implenda, nescientes quod etiam littera Novi Testamenti aliquoties occidit, si eam spiritus non vivificat. Unde et ego, ne in talibus fallar, *exercebor in mirabilibus tuis.* Sunt enim quædam *justificationes tuæ* ita *mirabiles*, ut merito super his exclamet peritus lector vel auditor: *Mirabilia testimonia tua*, Domine. *In* his *mirabilibus tuis exercebor* diligenti meditationis exercitio perquirens ea quæ latent in figuris, verbi gratia, quis ille sit agnus, qui abstulit peccata mundi (*Joan.* I, 29), et quomodo accinctis renibus et calceatis pedibus debeant manducari carnes ejus, non aqua coctæ, sed igne assæ (*Exod.* XII, 11). Item in Evangelio de lumbis præcingendis et lucernis ardentibus in manu tenendis ac cæteris talibus mystice intelligendis exerceatur perquirens veritatem, quisque sensus in hujusmodi præceptis ædificet charitatem (*Luc.* XII, 35). Quæ cum sit finis *præcepti*, nullum præceptum Domini recte intellectum judicatur, nisi ejus intellectus referatur ad ædificandam eam charitatem, quæ est de corde puro et conscientia bona et fide non ficta. Verum quia sunt aliqua legis tuæ *mirabilia* vel ad intelligendum nimis obscura, vel ad agendum nimis difficilia.

VERS. 28. *Dormitavit anima mea præ tædio. Dormitare* namque est a studio contemplationis vel actionis tepescente charitate languescere per vitium acediæ: *dormire* vero est omnino refrigescente ac deficiente charitate in somnum cadere desidiæ, oblivionis ac socordiæ, qui somnus evenire solet ex præcedenti dormitatione, ita ut qui dormitans parum boni facit, et hoc salutis suæ periculum negligit, penitus obdormiens et alto somno pressus nihil boni faciat. Quod malum, ne mihi accidat, *confirma me in verbis tuis*, his potissimum, quibus mones vigilandum: « Vigilate, » inquiens, « quia nescitis diem, neque horam (*Matth.* XXV, 13). » Vigilat qui recte credit et servat operando quod credit. Vigilat qui ad aspectum veri luminis oculos mentis apertos tenet. Vigilat qui a se torporis et negligentiæ tenebras repellit. *Confirma* me itaque *in verbis tuis*, tu, qui dicis discipulis tuis: « Vigilate et orate, ut non C intretis in tentationem (*Marc.* XIV, 38; *Matth.* XXIV, 42). » Item: « Beatus ille servus, quem cum venerit Dominus, invenerit vigilantem (*Luc.* XII, 37). » Item: « Quod uni dico, omnibus dico: Vigilate (*Marc.* XIII, 37). » Arguis etiam discipulos dormientes, eo quod « oculi eorum gravati erant præ tristitia (*Matth.* XXVI, 43). » Petro quoque specialiter dicis: « Simon, dormis, non potuisti una hora vigilare mecum! » (*Marc.* XIV, 37.)

Si ergo discipuli tui, non semel ad vigilandum commoniti, gravatos habuerunt oculos præ tristitia, nec potuerunt vigilare adhuc tristes, quid mirum, quod *dormitavit anima mea præ tædio* simul et tristitia, eo quod erudita verbis tuis nondum se confirmatam persensit in eisdem verbis tuis? Denique D apostoli tui, licet per os tuum tuis verbis eruditi, non potuerunt vigilare nondum confirmati per Spiritum sanctum, qui eis nondum fuerat datus, quia tu largitor ejusdem Spiritus nondum fueras glorificatus. Ast postquam tu resurrectionis gloria glorificatus insufflando eis tuum Spiritum firmasti eos, amplius autem, postquam et ascensionis gloria glorificatus misso Paracleto confirmasti eos, ex tunc vigilare potuerunt, et vigilare in illis tuis laudibus et obsequiis dulce fuit, non tædiosum, transacta videlicet jam tristitia, quæ oculos eorum gravaverat, cum esset hora et potestas tenebrarum, te Sole justitiæ adhuc sub nube mortalitatis latente; neque radios virtutum tuarum exerente. Sicut ergo illos tunc visa gloria resurrectionis et ascensionis

lætificasti, ac dato Spiritu tuo confirmasti: ita, A quæso, *et me in verbis tuis confirma*, quibus me vigilare doces, quia frustra doces, nisi me in verbis tuis confirmes, ut apostolos tuos confirmasti, quos tua confirmatione vigiles fecisti. Ipsi enim sunt vigiles, qui custodiunt civitatem, quique suscitant alios, ut vigilent, verbi gratia, dicendo: « Sobrii estote, et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens, quem devoret, cui resistite fortes in fide (*I Petr.* v, 8). » Item: « Estote prudentes et vigilate in orationibus (*I Petr.* IV, 7). » Item: « Vigilate, state in fide, viriliter agite et confortamini: omnia vestra in charitate fiant (*I Cor.* XVI, 13). » Hæc et similia sive tua sive tuorum verba, quæ nihilominus et tua sunt, quia tu in eis loqueris, frustra sonant in auribus meis, nisi tu me B confirmes in eis, imo ex notitia verborum tuorum, quæ non servo nec servare possum, tædio afficior præ tristitia gravante oculos meos, maxime imminente hora et potestate tenebrarum in tribulationibus aut malis tentationibus. Ne igitur absorbear tædio et tristitia nimia, et quia dormitavi, penitus obdormiam, quæso, *confirma me in verbis tuis* mala removendo et bona largiendo. Mala removendo

VERS. 29. *Viam iniquitatis amove a me*: bona largiendo *miserere mei*. Dedisti legem Moysi peccata monstrantem, sed minime sanantem; da nunc legem tuam, legem fidei sanantem vulnera per legem factorum demonstrata et exulcerata (*Exod.* XX; *Deut.* XXVIII). Nam concupiscentiam nesciebam esse pec- C catum, nisi lex diceret: « Non concupisces (*Exod.* XX, 17). » Per legem enim cognitio peccati, quæ sine gratia salvante ac juvante *via* est *iniquitatis*, quia per mandatum, licet sanctum et justum, tamen reviviscit peccatum, si non fuerit curatum per gratiam gratis impios justificantem et pios magnificantem. « Quos enim justificavit, illos et magnificavit (*Rom.* VIII, 30). » Justificat autem non per justitiam factorum, sed per justitiam fidei credentis in eum, qui justificat impios, et ex impiis facit pios magis per misericordiam quam per justitiam. Nam in lege factorum graviter puniente mala facta, est utique Dei et recte jubentis et recte punientis justitia; sed in lege fidei, qua creditur in eum, qui justificat im- D pium, Dei subvenientis misericordia superexaltat judicium, cum salvatur per misericordiam, qui damnari debuit per justitiam. *Viam ergo iniquitatis amove a me*, quæ trita est ab his, qui erant sub lege legisque timore, habendo solummodo spiritum servitutis in timore. *Et de lege tua miserere mei*, non iterum dando Spiritum servitutis in timore, sed spiritum adoptionis filiorum in quo clamemus: Abba Pater (*Rom.* VIII, 15). Mortuus quippe sum præ tædio, in quo *dormitavit anima mea*, in hoc similis dormitanti, quod media inter legem Dei legemque membrorum nec plene vigilavit legi Dei obediendo, nec sopore alto pressa est voluntarie serviendo legi membrorum per concupiscentias ejus eundo.

Attamen illa dormitante non dormitat, sed mortetenus ægrotat corpus mortale, quod et mortuum dicit Apostolus propter peccatum, quod ejus membris naturaliter est insitum. Propter quod dicit: « Quia non habitat in me, hoc est in carne mea bonum, sed quod odi malum (*Rom.* VII, 17). » In carne itaque moribunda, in qua mihi malum adjacet, mortuus non valeo suscitari per baculum legis peccatores graviter ferientis in *via iniquitatis*, nec tamen liberantis a via iniquitatis. Ideo gratiam petens et quærens dico: *Viam iniquitatis amove a me, et de lege tua miserere mei*. Fac ut alter Eliseus, imo tu verus Eliseus, quod interpretatur *Dei salus*, remoto legis baculo, qui mortuo superpositus neque mortem aufert neque vitam confert (*IV Reg.* IV). Incumbe tu ipse vivus et vita super me mortuum ponens oculos tuos super oculos meos, et os tuum super os meum, et manus tuas super manus meas, ut tu gratia vivificatus, et quæ vera et agenda sunt, videam, et hæc alios ore gratioso doceam, corde credens ad justitiam et ore confitens ad salutem (*Rom.* X, 9). Neve sit inanis aut fides cordis illuminati, aut oris dilatati et osculo tuo dulcificati confessio, manus tuæ manibus meis junctæ sic per me operentur, et me, cooperante gratia, sic faciant operari, ut pariter et ex illuminata per fidem ratione, et ex gratia in labiis meis diffusa, et ex operum bonorum clara evidentia constet mihi, constet matri Ecclesiæ me filium suum, qui fui mortuus, vivere non per legis baculum, cujus littera occidit, sed per spiritum vivificantem de ore tuo super os meum posito mihi mortuo insufflatum (*II Cor.* III, 6). Qui spiritus, cum per tria prædicta, scilicet oculos clare videntes, os bene confitens, et manus, quæ recta sunt, operantes, testimonium reddet spiritui meo, quod sim filius Dei, videlicet membrum factus unigeniti Filii Dei, gloriabor in illo, et gratias agam dicens:

VERS. 30, 31. *Viam veritatis elegi: judicia tua non sum oblitus. Adhæsi testimoniis tuis, Domine.* Hoc dico et semper dicam in gratiarum actione adjuncta sane hac oratione: *Noli me confundere*, confusione illa, qua confundentur, quibus de donis tuis gloriantibus eo, quod in nomine tuo multas virtutes fecerint, et in nomine tuo prophetaverint, respondebis: « Discedite a me, operarii iniquitatis, non novi vos (*Luc.* XIII, 27). » Item fatuis virginibus oleum in vasis suis non habentibus magna erit confusio segregari a sapientum virginum consortio (*Matth.* XXV, 2). Sed et servo nequam ac pigro grandis erit confusio, cum tolletur ab eo talentum sibi creditum, et ipse mittetur in ignem æternum (*ibid.*, 26). Similiter is, qui ad nuptias ingressus deprehendetur non habere vestem nuptialem graviter confundetur, cum de nuptiali convivio separatus « ligatis manibus et pedibus ejicietur in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium (*Matth.* VIII, 12). » Taliter, o Deus misericordissime, *noli me confundere*. Confundar autem gravissime, si tua gratia me deserente *viam veritatis, quam elegi*, dese-

ruero, et si *judicia tua*, quæ *non sum oblitus*, quandoque oblivioni tradidero, si a testimoniis tuis, quibus adhæsi, avulsus denuo adhæsero pavimento, ut prius, cum lugens cogebar confiteri et conqueri dicens : *Adhæsit pavimento anima mea. Noli*, quæso, *me confundere* in ira tua derelinquendo me; sed in misericordia tua sic adjuva me, ut in *via veritatis*, quam *elegi*, bene currens in anteriora semper extentus, quo tendo, perveniam, cursuque consummato bravium coronæ percipiam. Dulci quidem didici experimento, quod via perfectionis nulli est angusta vel difficilis ad currendum, qui habet cor in charitate dilatatum. Nam et ego multoties

VERS. 32. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Proinde quia cucurrissem per iter angustum, nisi tu dilatasses cor meum; non mihi attribuo, seu viribus meis, quæ nullæ sunt, adscribo, quod *viam veritatis elegi*, quod *judicia tua non sum oblitus*, quod *adhæsi testimoniis tuis*, quod *viam mandatorum tuorum cucurri.* Tuo quippe dono gratuito factum est, ut hæc omnia possem et facerem, *cum dilatasti cor meum* prius angustum, et timore legis peccata punientis angustiatum. Quod revera tunc *dilatasti*, quando misericordibus misericordiam promisisti dicens : « Dimittite et dimittemini, date et dabitur vobis (*Luc.* VI, 37). » Duo hæc audivi opera misericordiæ dimittendi et donandi, atque his ideo veluti pedibus duobus *cucurri viam mandatorum tuorum* cito dimittendo et dando, sicut mandasti, atque sperans mihi quoque dimitti et dari sicut promisisti. Non autem currit in hac via, quem in dimittendo vel dando pigrum facit illa tristitia, quam prohibet Apostolus dicens : « Non ex tristitia, aut ex necessitate (*II Cor.* IX, 7). » Currit autem qui tribuit in simplicitate, qui miseretur in hilaritate, « non ex tristitia aut ex necessitate » timoris, sed ex gaudio charitatis, pro temporalibus æterna sperantis, non tepide, non tarde, sed alacriter et prompte, cum bona et prompta voluntate in ea, quæ nunquam excidet, charitate.

In præmissis bis octonis versibus, quibus duo elementa Hebraica prætitulata sunt DALETH, GIMEL, congrua se offert constructio ipsorum duorum elementorum. Interpretatur namque DALETH *plenitudo*, GIMEL *tabularum*. Quid autem est *plenitudo tabularum*, nisi plenitudo legis, dilectio? Legis videlicet scriptæ primum in tabulis lapideis, deinde in tabulis cordium fidelium cum additamento perfectionis, quæ prædicari non potuit antiquis. Vix enim susceptum est ab antiquis, quod dictum est : « Non occides (*Exod.* XX, 13). » Item : « Diliges amicum tuum, et odio habebis inimicum tuum (*Levit.* XIX, 18). » Novis autem præcipitur, non irasci fratri, et diligere non solum amicos, sed et inimicos (*Matth.* V, 43). Talis dilectio *plenitudo* legis sive *tabularum* legem continentium est. Pro hac lege conservanda oratur in subsequenti octonario, cum dicitur : *Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum.* Littera autem præscribitur, quæ apud Hebræos dicitur

HE.

VERS. 33. *Legem pone mihi, Domine. Legem* non veterem, quæ justo non est posita, sed injustis et non subditis, rogo mihi *poni*, vel imponi, quia scripta in lapidibus gravis est ad portandum. Nam et ipsa memoria tenens mandata ejus inscripta sine juvante gratia quasi lapis premit et opprimit. Non ergo hanc *legem pone mihi* gravantem, non juvantem; sed *legem pone mihi viam justificationum tuarum*, quam et supra dixi *viam mandatorum* tuorum, in qua *cucurri, cum dilatasti cor meum.* Hanc *legem*, hanc *viam* sic *pone mihi* scribendo eam digito tuo in corde meo, ut qui semel in ea cœpi currere, a cursu meo non deficiam, neque aberrem quandoque ab ipsa via tua, sed *exquiram eam semper.* Tu *legem* posuisti fluminibus *viam* suæ recursionis ad fontem suum, ad suæ originis venam, et illa naturali cursu, et motu *exquirunt eam semper.* Similiter *legem* posuisti soli et lunæ cæterisque sideribus viam suæ recursionis in idipsum certa et irrevocabili revolutione, *et exquirunt eam semper.* Amplius autem rationabilibus quatuor fluminibus paradisi, quibus præcepisti totam terram rigare prædicatione sancti Evangelii, tu *legem* posuisti *viam justificationum tuarum*, non justificationum legis antiquæ. Illi quoque videlicet sancti evangelistæ scientes quia per legem non justificatur omnis caro, in qua solummodo fuit cognitio peccati (*Rom.* III, 20), *viam justificationum tuarum semper*, id est omni tempore vitæ suæ diligenter exquirebant. Sic et illa tua luminaria, quibus dixisti : « Vos estis lux mundi (*Matth.* V, 14), » senserunt sibi *legem* positam *viam justificationum tuarum*, te dicente : « Posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat, et quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis (*Joan.* XV, 16). » Talis enim tui gratiosi oris dictio fuit illis novæ legis positio, qua firmati *viam justificationum tuarum semper* exquirerent eundo, et fructum afferendo spiritalem, sicut ista luminaria, quæ in cœlo videmus, fructum afferunt temporalem suo cursu formando bonam temperiem, peragrante sole omnia cœli signa, quibus temperantur tempora vernalia, æstivalia et cætera fructum afferentia, dum semina gremio terræ suscepta suo tempore crescunt, maturescunt beneficio solis terram suo calore confoventis jugiter eundo secundum legem sibi positam. Sic et lumina spiritalia, quorum doctrina fulget Ecclesia ut sol et luna per *legem* sibi a te positam diriguntur *in via justificationum tuarum*, quam *exquirunt semper*, ut fructum afferant et fructus illorum maneat. Hæc ego sciens in aliis completa vel complenda eadem quoque mihi fieri oro dicens : *Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum, et exquiram eam semper* de die in diem, de virtute in virtutem proficiendo semper, id est quandiu vivo in carne : vel *semper*, id est infatigabiliter, ut angeli desiderant

in Christum prospicere *semper*. Qui licet illum sibi *semper* præsentem habeant, tamen *semper* desiderant, quia quem habent, amant et amare *semper* desiderant. Ita et ego a te positus, ut eam et fructum afferam in via justificationum tuarum, quanquam eam præsentem habeam, tamen *semper* exquiram *semper* amando *eam*. Ne autem sine fructu adinventionis fiat labor inquisitionis,

VERS. 34. *Da mihi intellectum et scrutabor legem tuam*. Tu legem posuisti aquis, ne transirent fines suos (*Jerem.* v, 22). Tu legem posuisti luminaribus cœli, ne suos terminos excedant (*Psal.* CIII, 9). Et illa utpote vita et sensu carentia non habent *intellectum*, nec sunt capacia rationis æternæ, qua reguntur. Spiritalia vero et flumina et lumina sui cursus habent *intellectum* in *via justificationum tuarum* sciendo et intelligendo, quo auctore dirigentur sive per columnam ignis in nocte adversitatis (*Exod.* XIII, 21), sive per columnam nubis in die prosperitatis (*Num.* XIV, 19). Intelligunt enim Christum columnam nubis propter assumptam carnem; columnam vero ignis propter Divinitatem, quæ præ oculis jugiter habendo non aberrant a *via justificationum tuarum*, Deus amator justitiæ. Ne igitur ego aberrem a *via justificationum tuarum*, *da* et *mihi intellectum*, quomodo illis dedisti: *et scrutabor legem tuam*, quomodo illi, *et custodiam eam in toto corde meo*, quemadmodum et illi. *Scrutabor legem* tuam, ut ad ejus interiora perveniam, in quibus « tota lex pendet et prophetæ (*Matth.* XXII, 40): » *et custodiam illam in toto corde meo*, id est diligam « Deum ex toto corde meo, et ex tota anima mea, et ex tota fortitudine mea (*Marc.* XII, 33), » et proximum sicut meipsum. Quia vero id per me non possum,

VERS. 35. *Deduc me in semita mandatorum tuorum*, quæ licet sit nolenti et incipienti angusta, te ducente, fit lata mihi volenti, *quia ipsam volui*, et hoc ipsum a te accepi, ut velim, quod prius nolui. Ne autem voluntas mea tepescat,

VERS. 36. *Inclina cor meum in testimonia tua*. Sicut inclinatus vultus melius prospicit pedibus quam supinus, ita melius sibi prospicit *cor* humilitate inclinatum quam vanitate superbum et elatum. Ut ergo bene mihi prospiciam in gressibus morum, *inclina cor meum in testimonia tua*, quæ credibilia facta sunt nimis te ipso, qui mentiri non potes, contestante, qualiter velis tibi serviri non pro mercede, ut serviunt mercenarii, sed gratis, ut patri serviunt filii boni. Propterea quia filius et non mercenarius esse cupio, assidue oro dicens: *Inclina cor meum*, id est velle meum *in testimonia tua*: *et non in avaritiam* sive laudis, aut gratiæ humanæ, aut terreni lucri. Cujus appetitu nequando capiar,

VERS. 37. *Averte oculos meos, ne videant vanitatem*, id est ne ament vel cupiant aliqua transitoria, quæ cito deficiunt et evanescunt. Unde qui pro talibus Deo serviunt, vani fiunt. Ideo ne vanus efficiar, *averte oculos meos, ne videant vanitatem*, sed oppositum vanitatis, veritatem. Hanc videant, hanc

A diligant oculi mei, quæ licet sit invisibilis, tamen valde appetibilis est in verbo veritatis promittente non vana et transitoria ut lex antiqua, sed vera et permansura bona, ut est videre Deum et Filium Dei, quorum alterum promittitur mundis corde, alterum pacificis dicente Veritate: « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* v, 8). » Item: « Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur (*ibid.*, 9). » Ad hujusmodi promissa veritatis perventuri sunt contemptores *vanitatis* per viam veritatis, quæ et *via* et veritas et vita est. *In* hac *via tua*, quæ et vita est, *vivifica me*, quia, cum sit illa *vitis*, et *ego palmes*, non est mihi vita, nisi in illa vite, quæ dicit: « Sine me nihil potestis facere (*Joan.* xv, 5). » Ab hac vita ne deficiam,

B VERS. 38, 39. *Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo*, id est ita fac me servire tibi sicut docet *eloquium tuum*, quod non statuitur, nisi facienti et tibi « servienti in timore et exsultanti cum tremore (*Psal.* II, 11). Timor quippe sanctus permanens in sæculum sæculi (*Psal.* XVIII, 10) » basis est immobilis, in qua verbum tuum statuitur, et ipsum verbum tuum disciplina *timoris* est, ne sit in eo zelus non secundum scientiam, si non regitur verbo, neque in ipsius verbi scientia sit desidia, si desit ei *timor sanctus*, quem qui non habent *eloquium tuum* Deus aut minime aut negligenter suscipiunt, et ab eo tanquam a fabulis facile declinant. Quod ne mihi eveniat, precibus assiduis aures tuas, Deus,

C pulso, dicendo: *Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo*.

Inter omnia vero, quæ timeo sancto *timore tuo*, plus me angit *opprobrium quod suspicatus sum*, quia maximum vitium est illa suspicio, quæ aliter putat, quam sit veritas vel de se vel de alio, ut, verbi gratia, cum homo existimans aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit (*Gal.* VI, 3), veritatisque *opprobrium* per hoc meretur, quo ei suspicio talis exprobretur judicio veritatis, minime talibus jucundo, quia non liberabuntur a verbo aspero, quo dices cuique tali: « Existimasti inique, quod ero tui similis (*Psal.* XLIX, 21) » approbando falsitatem tuæ suspicionis. Non est ita. Imo *arguam te, et statuam contra faciem tuam* in *opprobrium* tuum, ut videas

D hoc semper. Patefacta namque veritate per *judicia tua jucunda* erit *opprobrium* grande putantibus aliter, quam se habuerit veritas. Cujus amatoribus *judicia tua jucunda*, sicut lux ista visibilis jucunda est puris et sanis oculis, quæ aspera et minime suavis est ægris ac lippis. *Amputa*, quæso, istud *opprobrium meum, quod suspicatus sum* docens et faciens me non aliud judicare vel de me vel de qualibet re, quam se habet veritatis judicium, quia *judicia tua jucunda*, utpote amaritudine suspicionis carentia, et a judiciis hominum temerariis multum differentia. Quia enim occulta hominum non videntur, datus est locus temerariæ suspicioni. Ideo cum Dominus discipulis suis præcepisset, ne justitiam suam facerent coram hominibus intuitu mercedis

transitoriæ, quia poterant suspicari alios ita operari, consequenter addidit: « Nolite judicare, et non judicabimini, nolite condemnare, et non condemnabimini (*Luc.* VI, 37). » Quibus dictis, amputatum est a discipulis *opprobrium* temerariæ suspicionis, quod et ego rogo a me *amputari*, dicens assidue: *Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum* contra judicia tua, quia *judicia tua jucunda*; judicia vero suspicionis amara.

Aliter: Ego per *judicia tua jucunda* et vera discutiens me ipsum, etiam cum « nihil mihi conscius sum, » scio quod « in hoc non justificatus sum (*I Cor.* IV, 4). » Unde neque me ipsum judico justum, quia futurum veritatis *opprobrium suspicatus sum*, quod rogo *amputari* et me ita justificari, ut nulla mihi remaneat suspicio de tali *opprobrio*, quale habebunt, qui se suo judicio justos æstimant, cum *tua judicia jucunda* longe aliter se de illis habeant. Ideo vero culpam non solum quam cognosco, sed etiam quam suspicor, in me tibi confiteor judici cordium, cognitori secretorum, *quia judicia tua jucunda* semetipsos judicantibus et accusantibus, quos judicas non esse judicandos vel damnandos, eo quod semetipsos judicant. Illa quoque *judicia tua jucunda* sunt, quibus a te « judicamur et corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur (*I Cor.* XI, 32). » Inde est, quod flagellas omnem filium, quem recipis, et castigas quos amas, ut *judiciis tuis jucundis* et purgatoriis evadant judicium damnationis. Per talia igitur purgatoria et falci acutæ similia judicia, quæso, *amputa opprobrium meum quod suspicatus sum*. Quasi enim falce judicii veri *amputatur opprobrium meum, quod suspicatus sum* de aliis, cum et alii de me suspicantur mala, quæ nesciunt, si tamen apud me est charitas, quæ talium suspicionibus non irritatur, quæque nec sic æmulantes æmulatur (*I Cor.* XIII, 13); sed inter omnia quæ suffert et sustinet, ipsa nunquam excidet. Hanc igitur optans

VERS. 40. *Ecce concupivi mandata tua*, quæ in duobus mandatis charitatis colliguntur, in quibus tota lex pendet et prophetæ. Hæc *mandata tua concupivi*, et ecce in evidenti concupisco desiderans te diligere toto corde, tota anima, tota fortitudine, ac proximum sicut me ipsum. A cujus tamen charitatis vigore, quia per me ipsum deficio et morior, tu *in æquitate tua vivifica me*, *tua* dico, non *mea*, quia nulla mihi ex me justitia vel æquitas, quem gravat et mortificat multa iniquitas. Propterea dico: *In æquitate tua vivifica me*, id est in Christo, qui « factus est nobis sapientia et justitia et sanctificatio et redemptio (*I Cor.* I, 30). » Ipse igitur et *æquitas tua*, quia Deus æqualis est tibi, Deus et Pater juste. Est et æquitas mea mihi data et facta, quia homo æque ut ego, Deus apud te, homo apud me. *In* hac *æquitate tua*, id est in Christo, *vivifica me*, ut vivam vita, quæ est ipse, hoc ipsum exigente *tua æquitate*, quia ipse nihil morti debens mortuus est, ut ego vivam. « Sicut » enim « in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur (*I Cor.* XV, 22). » Hoc dignum et justum est, æquum et salutare, ut sicut per unius inobedientiam mors multorum, sic et per unius obedientiam vita multorum. Rationabilis *æquitas*, ut quomodo mors per unum, sic et vita per unum. *In* hac *æquitate tua vivifica me*.

VAU.

Ab hac littera sexta sequentes octo versus incipiunt apud Hebræos, quibus oratur ut Salvator veniat, qui est misericordia sempiterna. Hic octo versus præcedenti octonaria continuantur hoc modo: *In æquitate tua vivifica me*.

VERS. 41. *Et veniat super me misericordia tua, Domine*, sine qua non possum vivere, quia *mandata tua quæ concupivi*, absque misericordia gratiæ adjuvantis impleri non possunt. Ideo rogo ut *veniat super me misericordia tua, Domine*, sciens, quod « melior est misericordia tua super vitas (*Psal.* LXII, 4). » Non illam nunc peto misericordiam, qua « misereris omnium » tu, « qui nihil odisti eorum, quæ fecisti (*Sap.* XI, 24), » quoniam hæc misericordia nulli creaturæ denegata vel unquam deneganda non est precibus invocanda; sed illam peto *misericordiam*, quæ est *salutare tuum*, ut *veniat super me*, fiatque mihi caput, sicut scriptum est: « Caput viri Christus (*I Cor.* XI, 3); » et quomodo caput regit membra, sic ab illo, et in illo regatur vita mea *secundum eloquium tuum*, id est secundum promissiones tuas gratuitas, quibus gratis promisisti Christum venturum, et in illo benedicendas fore omnes tribus terræ (*Psal.* LXXI, 17). *Veniat*, oro, hæc *misericordia tua*, hoc *salutare tuum super me* protegens misericorditer ac salubriter tanquam gallina pullos suos confovendo;

VERS. 42. *Et respondebo exprobrantibus mihi verbum*, videlicet corde credens ad justitiam et ore confitens ad salutem non solum inter auditores fideles, desiderantes eructari sibi verbum bonum, sed etiam inter malos exprobrantes non reddam conviliis convitium, vel opprobriis opprobrium: quin potius *respondebo verbum* rationabile, licet illis minime acceptabile. Non enim semper tacendum est contra malos, dummodo sint ita capaces, ut possint recipere verbum, quo etsi non convincuntur, ut acquiescant, constringuntur, ut obmutescant, neque sibi superiores videbuntur, cum rationabiliter inducuntur sive ut credant et cedant, sive ut credant, etiamsi non cedant. Nam ubi neutrum horum speratur, frustra *verbum* dicitur. Et ideo coram talibus cavendum est, ne mittantur margaritæ ante porcos vel sanctum detur canibus (*Matth.* VII, 6). Ego autem ideo *exprobrantibus respondebo verbum: quia speravi in sermonibus tuis*, quibus doces veritatem confitendam coram hominibus. Dicis enim: « Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo (*Matth.* X, 32). »

Aliter: *Exprobrantibus mihi* crucis contumeliam

A ego *respondebo verbum* quod « erat in principio apud Deum (*Joan.* I, 2). » *Exprobrantibus*, quod adorem hominem « fabri filium (*Matth.* XIII, 55), » ego *respondebo*, me adorare *Verbum* Dei, Deum creatoris omnipotentis naturalem Filium, unum una cum Patre ac Spiritu sancto solum verum Deum (*Luc.* IV, 8) : *quia speravi in sermonibus tuis*, qui dicis : « Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies (*Deut.* VI, 13). »

VERS. 43. *Et* hoc oro *ne auferas de ore meo verbum veritatis* hujus, ita ut permittas volucribus cœli auferre semen verbi de corde meo (*Luc.* VIII, 5). Quoniam sic auferetur de corde, consequenter etiam auferetur de ore te dicente : « Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum B per os tuum. Tu vero odisti disciplinam, » etc. (*Psal.* XLIX, 16, 17.)

Super hunc locum beatus Gregorius dicit in Job lib. XI [cap. XV] : *Cum sacerdos non agit bona, quæ loquitur, ei etiam sermo subtrahitur, ne loqui audeat, quod non operatur. Unde et dicitur : Peccatori autem dixit Deus :* Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? *Hinc est ergo, quod nunc precatur dicens :* Ne auferas de ore meo verbum veritatis. *Perpendit namque, quod omnipotens Dominus veritatis verbum facientibus tribuit, et non facientibus tollit. Qui ergo de ore suo verbum non auferri petiit, quid aliud, quam gratiam bonæ operationis quæsivit ? ac si aperte diceret : A bono opere me errare non sinas, ne dum amitto* C *ordinem bene vivendi, rectitudinem perdam loquendi. Et plerumque doctor, qui docere ardet, quod negligit agere, cum desierit bona loqui, quæ operari contempsit, docere subjectos prava incipit, quæ agit, ut justo Dei omnipotentis judicio in bono jam nec linguam habeat, qui bonam habere vitam recusat, quatenus cum mens ejus terrenarum rerum amore incenditur, de terrenis rebus semper loquitur. Unde in Evangelio Veritas dicit :* Ex abundantia cordis os loquitur (*Matth.* XII, 34). Bonus bono de thesauro bono profert bona et malus mala (*ibid.*, 35). *Hinc Joannes ait :* Ipsi de mundo sunt, et ideo de mundo loquuntur (*Joan.* XV, 5).

Aliter : *Ne auferas*, id est ne auferri permittas, *de* D *ore meo verbum veritatis*, quod *respondi exprobrantibus mihi*, quodque ut pretiosam margaritam difficili negotiatione acquisivi et venditis omnibus comparavi (*Matth.* XIII, 46). Hoc *ne auferas de ore meo* permittendo me incidere in culpam negationis; aut si permiseris negare, ut Petrum, non permittas *usquequaque*, vel sicut in Hebræo legitur : *Usque nimis*, aut sicut alia translatio habet : *Usque valde. Valde* namque sive *nimis* aufertur *verbum veritatis de ore*, cum simul etiam aufertur de corde, vel cum is, qui ore veritatem negat, factis quoque negando culpam geminat, sive, quod pessimum est, in culpa perseverat. Petrus autem, etsi ore ad horam negavit, quando fuit scilicet hora et potestas tenebrarum, tamen *verbum veritatis* Christum retinuit in corde suo velut alter Chusi amicus David, qui David regem negavit ore, quem tamen amavit corde, licet ejus adversario Absalon facie tenus adhæserit, quod ipsi regi David satis utile fuit, quia per illum bene consiliantem infatuatum est consilium Achitophel revera odientis regem David (*II Reg.* XV, 11). Similiter et per Petrum apostolum sua negatione morti subreptum consilium Judæ infatuatum est, quia *verbum veritatis*, quod Petrus in corde retinuit, velociter quasi de vena præcordialis dilectionis reascendit ad labium fontis, id est ad os Petri cito resipiscentis et amare flentis (*Matth.* XXVI, 75; *Luc.* XXII, 62).

Contingat ergo similiter mihi ut Petro, si quando, quod avertat Deus, negavero, cito resipiscam illius exemplo, neque *verbum veritatis* amittam *usquequaque*, id est *valde*, succurrentibus mihi *tuis judiciis*, quibus castigas et arguis, quos amas, ut Petrum quoque arguebas dicens illi : « Modicæ fidei, quare dubitasti ? » (*Matth.* XIV, 31.) Hoc in tempestate maris periclitanti dixisti ad eum verbis manifestis : at vero in tempestate Judaicæ commotionis realiter hoc idem dixisti, quando respexisti Petrum, tuoque respectu ad amare flendum concitasti, tanquam diceres : Modicæ fidei, quare negasti ? Sic Petrus judicium damnationis evasit, *quia in judiciis tuis supersperavit*. Neque enim desperando veniam pœnituit sicut Judas, qui dixerat : « Peccavi tradens sanguinem justum (*Matth.* II, 7), » et laqueo desperationis cum præambulo suo Achitophele interiit. Petrus autem in judiciis tuis bene speravit confidens non se damnabiliter puniendum vel judicandum, qui te donante judicavit ac punivit semetipsum. Nam si nosmetipsos judicaverimus, ait Apostolus, non utique judicabimur (*I Cor.* XI, 31). Denique illa judicia, quibus nos ipsos judicamus, judicia tua sunt, quoniam a te donata sunt. *In* his *judiciis tuis* ego David vel ego quivis psalmista *supersperavi*, quoniam tuæ increpationes non auferunt spem, sed augent, et ideo *in tuis judiciis*, quibus me vel intus occulte vel foris manifeste corripuisti, *supersperavi* sciens quod supra quam petimus aut intelligimus, potes et soles misereri *tuis judiciis* et correptionibus humiliter subjacenti, et inter hæc amare flenti, atque inposterum cautelam proponenti, quam et ego flagellis et *judiciis tuis* eruditus propono dicens :

VERS. 44. *Et custodiam legem tuam semper in sæculum et in sæculum sæculi*, id est *custodiam* dilectionem, quæ plenitudo legis est, quæ quoniam nunquam excidet, *semper*, *in sæculum sæculi* permanebit in electis tam hominibus quam angelis. Quod dico *semper*, expono et explano per id quod sequitur : *In sæculum* et *in sæculum sæculi*, quia plenitudo legis charitas et in hoc sæculo et in futuro custoditur a sanctis.

VERS. 45. *Et ambulabam in latitudine.* Hactenus verba orantis, nunc narrantis, dum quasi impetratis omnibus confitetur in laude Dei, qualem il-

lum fecit Dominus. Nota inusitatam conjunctionem et quasi inconsequentem. Non ait secundum priora de futuro : *Et custodiam et ambulabo*, vel optative *ambulem;* sed ut intelligatur exauditus, orationem vertit in gratiarum actionem dicens: *Et ambulabam in latitudine*. Quasi dicat: Non sum ingratus gratiæ tuæ, qua donante *ambulabam in latitudine* charitatis dilatatæ usque ad inimicos diligendos, vel usque ad illam amplitudinem, qua « majorem nemo habet, » scilicet, « ut animam suam ponat quis pro amicis suis (*Joan.* xv, 13). » *In* hac *latitudine* quamvis non fuerim perfectus, tamen per quotidianos profectus *ambulabam* cum his, qui posteriora obliviscendo, et in anteriora se extendendo ibunt de virtute in virtutem : Cum his ambulavi. Quod exinde patuit *quia mandata tua exquisivi* cupiens per latitudinem scientiæ in latitudinem charitatis ampliari. Accepta vero mandatorum tuorum, quæ diligenter *exquisivi*, quantulacunque notitia non ligavi hoc talentum in sudario vel terræ suffodi, sed aliis, quod intelligebam, prædicavi.

VERS. 46. *Et loquebar in testimoniis tuis* contestando bonum, quod intellexi bonum, et malum, quod intellexi malum non solum in plebe, sed etiam *in conspectu regum* terribilium, *et non confundebar* pro scandalo crucis. Vel *non confundebar*, ut exprobrantibus crederem. Sic ego, qui prius petebam, ut *responderem exprobrantibus verbum, et ne auferretur verbum veritatis de ore meo*, postea exauditus, et in verbo veritatis confirmatus pro eodem verbo certans *loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar*. Et quia in multiloquio difficile cavetur peccatum, prius quam loquerer, ut recta et recte loquerer,

VERS. 47, 48. *Meditabar in mandatis tuis* virtute inspectiva contemplando ea, *quæ dilexi*, et in virtute activa *levavi manus meas ad mandata tua, quæ* item *dilexi* operando sicut ea *dilexi* contemplando sciens, quoniam « finis præcepti est charitas (*I Tim.* I, 5), » propter quam consequendam præcepti sive mandati exercetur meditatio simul et operatio, quod insinuat hæc ingeminatio, qua bis dico : *Quæ dilexi*, meditans videlicet *in mandatis tuis, quæ dilexi*, et levans *manus meas ad mandata tua quæ dilexi*. Quid est autem *levari manus ad mandata*, nisi pro superno et cœlesti præmio bonis operibus adimpleri *mandata?* Nam quasi *manus* deponit in ima, qui operando bonum quærit exinde præmia terrena sive gratiæ sive laudis humanæ sive etiam quæstus temporalis. At ego sive meditando sive operando et *manus* levando *in mandatis, quæ dilexi*, aspirante gratia tua, in utroque gratis *exercebor*, cogitando videlicet atque operando per dilectionem, qua ea dilexi per Spiritum sanctum qui datus est mihi. *Exercebor* scilicet frequentando meditationem et operationem, ut ex operibus ostendam quæ loquor et meditor *in justificationibus tuis*, id est in sermonibus tuis, quibus et tu justificaris, dum quod promisisti operaris, ut verax inveniaris, et nos justifi-

A cas, dum quod juste præcipis, nos operari concedis. Justificationes quippe tuæ sunt in eo, quod nos facere facis quæ præcipis, tu, qui hoc ipsum promittis, dicens in propheta : « Et faciam ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis (*Ezech.* XXXVI, 27). » Item in Evangelio : « Et quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam (*Joan.* XIV, 13). » *Memor esto* hujus *verbi tui servo, in quo mihi spem dedisti.*

In hoc octonario septimo septima littera prænotatur, quæ apud Hebræos dicitur

ZAIN [*cod.* ZAI].

Et commendantur hic septima littera septem præconia viri in proposito sancti valde laudabilia.
B Primum est, ut sit memor promissionis secundum quam viventi merces debetur; secundum est, ut et in adversis spe se consoletur; tertium, ut si impios videt prosperari, non ideo declinet a lege sed contagia eorum fugiat; quartum est, ut memor sit judiciorum cœlestium, quæ ab Adam in omnibus temporibus consolantur : aliter declinaret a lege. Mali timent judicia humana, nedum divina, sed boni desiderant. Quintum est dolere alienam culpam, non suam contumeliam, imo et pro eis orat; sextum est, quod cantabiles sunt ei justificationes; septimum est, quod non solum die, sed et nocte, id est omni tempore laudibus Dei intendit.

VERS. 49. *Memor esto verbi tui servo tuo, in quo*
C *mihi spem dedisti*. Quod est verbum tuum, *in quo mihi spem dedisti*, nisi verbum promissionis factæ Abrahæ et semini ejus? Nempe dum semini ejus in multitudine stellarum cœlestia promisisti (*Gen.* XII, XIII, XV, XXII), *mihi* servo tuo *spem dedisti*. Et quidem in temetipso tu omnino immutabilis, nihil oblivionis aut pœnitentiæ aut cujuslibet mutabilitatis admittis. Verumtamen locutione morali, qua humanus movetur affectus, diceris pœnitere, quando præter hominum spem res mutas consilio non mutato, ut cum dixisti : « Pœnitet me fecisse hominem super terram (*Gen.* VI, 6). » Diceris etiam oblivisci, quando tardare videris adimplere, quæ promittis : recordari vero, cum facis, quod promisisti. Hinc est illud dictum : « Suscepit Israel pue-
D rum suum recordatus misericordiæ suæ, sicut locutus est ad patres nostros Abraham et semini ejus in sæcula (*Luc.* I, 54, 55). » Igitur *memor esto verbi tui*, quod locutus es Abrahæ servo tuo, *in quo mihi servo tuo spem dedisti*. Servus ille, imo et amicus tuus factus est credendo promissionis tuæ verbo, *in quo* et *mihi* credenti *spem dedisti* benedictionis illius consequendæ, quam ei et semini ejus promisisti dicens : « In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ (*Gen.* XXVIII, 14). » Hujus *verbi tui memor esto*, id est fac cito, quod promisisti, ne videaris oblitus verbi tui, quo cunctas gentes benedicendas promisisti, quando ipsum patrem multarum gentium constituisti. *Verbi* hujus *memor esto mihi servo tuo*, ut veniat super me benedictio, qui

servus tuus sum, videlicet unus illorum, qui dicunt: « Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, et sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri (*Psal.* CXXII, 2). » *Mihi* tali *servo tuo spem dedisti*, quod in semine Abrahæ Christo benedictionis eidem promissæ particeps efficiar:

VERS. 50. *Hæc* beata spes *me consolata est in humilitate mea*, qua me humiliavi ut Abraham confitendo se cinerem ac pulverem (*Gen.* XVIII, 27), sive ut David confitendo se pulicem et canem mortuum (*I Reg.* XXIV, 15), sive ut Maria confitendo se ancillam, cum eligeretur in totius mundi dominam et cœli reginam (*Luc.* I, 38). In hujusmodi spontanea humilitate, quam volens observavi, seu etiam in illa, quam gravatus ab alio patienter sustinui, vel etiam in illa universali humiliatione, qua projectus et in mortis et mortalitatis miseriam lugere cogor originalem culpam: in omni denique hujusmodi humilitate *consolata est me* spes verbi tui, quo humilibus gratiam præstitisti, ut Abrahæ, David, Mariæ, cujus *humilitatem* respexisti, et per Verbum tuum ex illa incarnatum promisisti humilibus gratiam dicente illo: « Beati pauperes spiritu (*Matth.* V, 3). » Item: « Omnis qui se humiliat, exaltabitur (*Luc.* XIV, 11). » Inde mihi consolatio *in humilitate mea, quia eloquium tuum*, quo humiles consolaris, *vivificavit me* lætificando afflictum, confirmando infirmum, curando ægrotum, resuscitando vel tentationibus vel tribulationibus mortificatum tristitia sæculi, quæ mortem operatur, ubi *eloquium tuum* sua vivificatione tristem non consolatur. Sed gratias ago tibi, quia *in* omnimoda *humilitate mea*, ne tristitia mortem operans absorberet me, *tuum eloquium vivificavit me*, quod erat mihi valde necessarium, cum essem in medio superborum, qui

VERS. 51. *Superbi inique agebant usquequaque. Superbi*, quos nec mortalitas ista perdomuit, quæ ad humiliandum genus humanum fuit imposita Deo dicente homini: « Terra es, et in terram ibis (*Gen.* III, 19), » elati contra humiles *inique agebant*, quia eis non satis fuit esse malos, nisi et de bonis malos facere niterentur. De his dictum est: « Deus superbis resistit (*Jacob.* III, IV, 6). » Nam quia superbia primitus a Dei cœpit injuria, tam angelo quam homine contra Deum se nimis extollente, recte illi vitio specialiter Deus resistit, qui *humilibus dat gratiam*, eo quod ipsi una secum detestantur superbiam reproborum tam angelorum quam hominum. Hujusmodi *superbi* contra me seu Ecclesiam seu ecclesiasticam personam *inique agebant* cupientes me sibi conformare in suæ iniquitatis approbatione vel imitatione, ut vel alterutro vel utroque modo alienarer a sanctorum et humilium consortio. In hoc laborabant *usquequaque*, id est valde. *A lege autem tua non declinavi*, conservando scilicet humilitatem inter *superbos*, obedientiam inter inobedientes, mansuetudinem inter immites, licet nimis irridentes me

A ac pertrahere nitentes ad sui conformitatem. Quid econtra ego?

VERS. 52. *Memor fui judiciorum tuorum a sæculo, Domine, et consolatus sum*, vel sicut in Hebræo legitur: *Delectatus sum*, quia perscrutando *judicia* non illa inscrutabilia, quæ ante vel supra sæculum sunt, sed, quæ *a sæculo* sunt, ex quo mundus temporaliter cœpit administrari, hoc inveni, quod judicia tua jucunda ac justa, quibus omnia disponis juste ac pie sustinens vasa iræ, ut ostendas divitias gloriæ in vasa misericordiæ. Superbos toleras, ut per eos humilium patientiam exerceas, quoniam *a sæculo* judicia tua cucurrerunt, ut per malitiam Cain purificaretur et exerceretur pietas Abel. Hæc judicia tua memorando a primo justo usque ad ultimum,
B vidensque a domo tua judicia tua incipi, dum judicantur justi injuste, posthac juste judicaturi, quando « judicabunt nationes et dominabuntur populis, consolatus sum et delectatus sum (*Sap.* III, 8). »

Quidam codices habent: *Exhortatus sum*, id est exhortationem accepi, ut essem devotior et paratior in veneratione *judiciorum tuorum*, quibus nunc tuos humilias, ut eos in futuro exaltes, et e converso inimicos tuos nunc superbire dimittis, quos in futuro humiliare disponis. Quantalibet autem fuerit mea consolatio ex memoria *judiciorum tuorum*, tamen

VERS. 53. *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam*, quia plus gravabat me
C culpa superbientium, et *legem tuam derelinquentium*, quam pœna mihi ab eis illata. Inde mihi *defectio*, inde mihi tædium, inde horror, sicut in Hebræo legitur. Habet enim Hebraica littera: *Horror obtinuit me ab impiis, qui dereliquerunt legem tuam*. Quod est dicere: Insita mihi pietas non potuit non dolere vel horrere impiis *derelinquentibus legem tuam*, fuitque mihi tanta *defectio*, tantum tædium, tantus *horror* pro *peccatoribus derelinquentibus legem tuam*, ut tæderet etiam me vivere. Sed in hoc refocillata est anima mea Deus meus, quod

VERS. 54. *Cantabiles mihi erant justificationes tuæ*. In Hebræo legitur: *Carmina mihi erant præcepta tua*. Unde constat non hoc loco aliud intelligendum
D *justificationes* quam *præcepta*, quæ non tantum legendo et meditando, sed et canendo frequentare debet homo, qui vult justificari: quia « justus ex fide vivit (*Rom.* I, 17; *Gal.* III, 11). Fides autem ex auditu, auditus vero per verbum Christi (*Rom.* X, 17). » *Carmina* ergo *erant præcepta tua* sive *justificationes tuæ mihi* David, qui non sola verborum gravitate, sed et canendi suavitate, intermistis quoque musicis instrumentis, consuetus fui ego pastor pascere oves pascuæ tuæ, Deus, qui tulisti me de domo patris mei, et posuisti me pascere populum tuum. *Mihi* quoque vel Ecclesiæ, vel ecclesiasticæ personæ *cantabiles erant justificationes tuæ* sive *præcepta tua*, sine quorum notitia et custodia non justificatur *homo*, qui « non in solo pane vivit, sed in omni

verbo, quod procedit de ore Dei (*Deut.* VIII, 3; *Matth.* IV, 4). » Hinc illa symphonia et chori canentes in receptione revertentis filii, qui perierat, et inventus est. Hinc illa cantica spiritualia, quibus oblectatur Ecclesia vel quæque fidelis anima, ad quæ nos frequentanda provocat Apostolus dicens: « Implemini Spiritu sancto loquentes vobismetipsis in psalmis et canticis spiritalibus, cantantes in cordibus vestris Domino (*Ephes.* v, 18, 19). » Talibus quippe invocatur ille Paracletus, qui solus unica mihi est consolatio *in loco peregrinationis meæ*, qui ejectus de patria paradisi exsulo *in loco peregrinationis meæ*: totum videlicet mundum reputans pro exsilio, qui non mundana, sed cœlestia solummodo gaudia desidero continuo, in quo me jugiter exerceo. Non enim sufficit mihi ad hoc exercitium tempus diurnum, sive luce solis in potestatem diei creati, sive luce prosperitatis arridentis illustratum, sed insuper

VERS. 55. *Memor fui nocte nominis tui, Domine*, vigilando et custodiendo *vigilias noctis* exemplo pastorum contra lupos et fures vigilantium super gregem suum (*Joan.* x, 12), vel exemplo boni patris familias vigilantis et non sinentis a fure perfodi domum suam (*Luc.* XII, 39); vel exemplo strenui militis excubias in castris observantis; vel exemplo vigilum custodientium civitatem; vel exemplo dilectæ dilectum quærentis per noctem, primo in lectulo, deinde in plateis civitatis (*Cant.* III, 5). Multoties hanc imitando in lectulo ad litteram vigilavi, vel, quod melius erat, in lectulo conscientiæ somnum peccati abdicavi, ac deinde manifestis nocturnalium psalmorum et matutinalium laudum vacavi exercitiis, corpore simul ac mente studens talibus invigilare, *memor* in hoc *nominis tui, Domine*, gloriando videlicet in tuo nomine, verbi gratia, cogitans et dicens assidue *Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto*. In *nocte* quoque adversitatis invalescentibus contra me *peccatoribus derelinquentibus legem tuam*, inter quos *defectio* lucis *tenuit me* circumfusum grandi horrore tenebrarum, sæpe, imo continue *memor fui nominis tui, Domine*, te invocando jugiter corde perfecto, frequenter ore, sicut tu ipse monuisti, dicens: « Invoca me in die tribulationis: eruam te et honorificabis me (*Psal.* XLIX, 15). » Dies tribulationis ipsa est nox adversitatis, dies prompto spiritui, nox infirmæ carni: vel quia hæc nox ut dies illuminatur, ipsa nox tribulationis etiam dies nominari potest, nox in tribulatione patientibus, dies autem spe gaudentibus.

VERS. 56. *Hæc nox facta est mihi, quia justificationes tuas exquisivi*, sive ut in Hebræo legitur: *custodivi*. Neque enim mihi alia fuit causa persecutionis nisi exquisitio et custodia tuæ legis, propter quam quia displicui *peccatoribus derelinquentibus legem tuam*. Nox mihi fuit ipsa commanentia talium, quibus me odientibus mihique detrahentibus et multa gravia inferentibus caput meum plenum rore nocturno et cincinni mei plenis guttis noctium fuerunt, quia opprobria et maledicta odientium gravia

A

menti, quantumlibet patienter omnia sustinenti et sufferenti cogitationes meas quasi cincinnos meos, infrigidaverunt veluti guttis noctium brumalium nimis gelidarum nimisque longarum, in quibus, *quia justificationes tuas exquisivi*, dum *memor fui in* tali *nocte nominis tui; hæc* ipsa nox *facta est mihi* ad hoc utilis, ut orationibus et gratiarum actionibus magis insisterem in hujusmodi nocturnis adversis quam in diurnis prosperis. Nam quia Judas nocte prodidit, Petrus negavit, illo magis tempore instandum est orationibus, quo major est occasio periculorum inter tentationes et tribulationes in nocte, « qua pertransibunt bestiæ silvæ quærentes a Deo escam sibi (*Psal.* CIII, 20), » et in qua Satanas expetivit apostolos, ut cribraret sicut triticum (*Luc.* XXII, 31).

B

Hæc igitur nox *facta est mihi*, subaudi: *utilis*, quia quod *memor fui nocte nominis tui et custodivi legem tuam*, non per me feci, sed factum est mihi a te, *quia justificationes tuas*, non meas *exquisivi* attribuendo non mihi, sed tibi, quæ juste cogitavi, dixi, et feci.

HETH.

Portio mea, Domine. In octava littera, cujus nomen est HETH, quod interpretatur *vita*, quæritur per octo versus hac littera incipientes visio Dei, quem videre ac nosse est vivere, cui dicit fidelis Psalmista:

VERS. 57. *Portio mea, Domine*, vel sicut in Hebræo legitur: *Pars mea, Domine*, subauditur: *tu es*, quia ego tanquam verus levita partem vel portionem terrenæ hæreditatis habere nolo altari serviens et de altari vivens, habendo exinde victum et vestitum, his contentus memor ero tui verbi, qui dicis in lege: « Filiis Levi non dabis hæreditatem (*Num.* XVIII, 20). » « Ego ero hæreditas eorum (*Deut.* XVIII, 2). » Magna hæreditas, magna *portio*, magna *pars* illum contingit, qui se a Patre non dividit, cui tu, Pater, dicis: « Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt! » (*Luc.* XV, 31.) Magna, inquam, *portio* talis filii, si tamen se non dividit a patre abiens in regionem longinquam! Qui enim sic abire cupit, ille Patri dicit: « Da mihi portionem, quæ me contingit (*ibid.*, 12), » suaque portione accepta legem disciplinæ postponit. Ego autem dico: *Portio mea, Domine: dixi custodire legem tuam. Lex tua interdicit levitis hæreditatem terrenam*, quorum *portio* et hæreditas sive *pars* tu ipse dignaris dici et esse providendo eorum victui de primitiis ac decimis tibi oblatis. Quibus bene utentes levitas cum filiis Aaron Ithamar et Eleazaro cœlesti mercede remuneras; abutentes vero cum filiis Heli sacerdotis de Silo condemnas. Legis ergo tuæ in hoc est custodia tenenda, ut cujus tu *portio, pars*, hæreditas esse dignaris, ipse quoque tua sit hæreditas, tua portio, tua pars, mancipando videlicet se totum tuis obsequiis exemplo filiorum Levi, de quibus Deo a Moyse dictum est: « Perfectio tua et doctrina tua viro sancto tuo, quem probasti in tentatione, et

C

D

judicasti ad aquas contradictionis : qui dixit patri suo et matri : Nescio vos, et fratribus suis : Ignoro illos, et nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum et pactum tuum, servaverunt judicia tua, o Jacob, et legem tuam, o Israel (*Deut.* xxxiii, 8, et seqq.). » Audis hanc legis custodiam esse levitis propositam, ut in causa Dei neminem recognoscant, sed extra patrem, extra matrem, imo extra carnem et sanguinem sic fiant, ut ex quo assumpti fuerint in ministerium Dei, ulterius non acquiescant carni et sanguini exemplo filiorum Levi, qui non acquiescentes carni et sanguini ulciscendo peccatum idololatriæ manus suas consecraverunt in sanguine fratrum suorum.

Talis fuit Novi Testamenti levita, qui dixit : « Cum autem placuit ei, qui me segregavit de utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam, continuo non acquievi carni et sanguini (*Gal.* i, 15). » Ipse denique manus suas consecravit in sanguine fratrum suorum, qui gladjum Spiritus, quod est verbum Dei, vibrando « magis ac magis convalescebat, et confundebat Judæos » consanguineos « affirmans quoniam hic est Christus (*Act.* ix, 22), » quem illi negaverunt. Cæteri quoque Novi Testamenti levitæ simili modo legem Dei custodiebant, ut solus Deus esset *portio* eorum, et hæreditas, pro quo reliquerant omnia. Unde est ista vox eorum : « Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te (*Matth.* xix, 27). » Quibus et ipse novæ legis Lator, qui et benedictionem dat non simplam sed decuplam, in hac vita recompensat decimam dicens : « Omnis, qui reliquerit domum vel fratres aut sorores aut filios aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam habebit (*ibid.*, 29). » Sic, sic remunerantur abundantius novæ legis levitæ quam veteris, quia illis in denario, istis in centenario numero appenditur stipendium vitæ præsentis. Et illis post hanc vitam patuit sinus Abrahæ adhuc in inferno detenti; istis autem recte militantibus post obitum patet regnum cœlorum, cujus desiderio flagrabat egregius levita ille, qui dixit : « Cupio dissolvi et esse cum Christo (*Philipp.* i, 23). » Recte utique, quia Christus erat ejus *portio*, pro quo legis lucra deputaverat ut stercora. Multi hunc imitati hujus mundi lucra deputant ut stercora, ut eis vivere sit Christus et mori lucrum. Talium quisque potest confidenter psallere, dicens : *Portio mea, Domine : dixi custodire legem tuam. Portio mea,* quam, spretis omnibus elegi, tu es, *Domine*, cui soli cupio servire. Ideo dixi, hoc est firmiter proposui, *custodire legem tuam*, secundum quod de levitis commemoravimus dictum ; *Hi custodierunt eloquium tuum*, etc. Verum quia hoc fieri non potest, nisi ubi gratia impetrat, quod lex imperat, ideo

VERS. 58. *Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo* dicens : *Miserere mei secundum eloquium tuum.* Sermo hujus orationis mihi est ad *faciem tuam*, scilicet ad Filium tuum, qui *facies tua* est, in quam desiderant angeli prospicere, in quam et

A ego levita desiderans prospicere, cum persentio me præpediri velamento carnis mortalis et fragilis, deprecor et sæpe *deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo*, dicens : *Miserere mei secundum eloquium tuum*, videlicet, « sicut locutus es per os sanctorum, qui a sæculo sunt, prophetarum » tuorum promittendo « salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium, qui oderunt nos, ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, et memorari Testamenti tui sancti : » Secundum « jusjurandum » quod jurasti « ad Abraham patrem nostrum daturum te nobis » plenarie, « ut sine timore de manu inimicorum liberati serviamus tibi in sanctitate, et justitia coram » te « omnibus diebus nostris (*Luc.* i). » Totum hunc sensum complectitur hæc oratiuncula :

B *Miserere mei secundum eloquium tuum.* Non peto misericordiam fieri mihi sine ratione ; sed sicut est in *eloquii tui* dispositione justissima simul et misericordissima, quia tibi non placet vel misericordia sine justitia, vel justitia sine misericordia, cujus « universæ viæ sunt misericordia et veritas (*Psal.* xxiv, 10). » Non autem concedit veritas *eloquii tui* exhiberi misericordiam sive medicinam tuam diligentibus et foventibus miseriam et ægritudinem suam. Ideo

VERS. 59. *Cogitavi vias meas* post confessionem retractando itinera mea prava jam præterita. Vel præcogitavi *vias meas* amodo futuras, caute pensando, quid agendum, quid non. *Et converti pedes*

C *meos* a viis meis pravis *in testimonia tua*, quæ dirigunt gressus morum in via recta. His testimoniis confirmatus ad juste faciendum, et pro justitia patiendum.

VERS. 60. *Paratus sum* ad utraque. Ac proinde *non sum turbatus* occurrentibus mihi adversis propter justitiam, tuis mihi testimoniis certificatam. Poteram vero turbari perversorum contradictionibus, nisi tuis fuissem testimoniis roboratus. Nunc autem, quia *converti pedes meos in testimonia tua* per hæc instructus et *paratus sum*, *ut custodiam mandata tua. Paratus sum*, quia spiritus promptus est, et « condelector legi tuæ » secundum interiorem hominem (*Rom.* vii, 22). Sed tamen, quia video aliam legem in membris meis repugnantem legi

D mentis meæ et captivum me ducentem in lege peccati, compellor exclamare : « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? » (*Ibid.*, 24.) Item

VERS. 61. *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Non unus funis, sed multi *funes peccatorum circumplexi sunt me*, quia mihi sunt impedimenta tum a carnis fragilitate tum a diaboli tentatione seu etiam perversorum societate, quibus omnibus implicatus et *circumplexus* me ipsum non potero expedire, imo non possum non perire, nisi gratia Dei per Jesum Christum liberet me. Quam gratiam per hoc spero, et sperans quæro, quod licet funibus peccatorum fuerim circumplexus, tamen *legem tuam non sum oblitus*, cui mente condelectabar, et in ea. Sive per

eam peccato restiti, ne fieret, vel ab eo resipui, ne maneret. Vultis audire, quomodo restiti vel resipui?

VERS. 62. *Media nocte surgebam, ad confitendum tibi*, Domine, *super judicia justificationis tuæ. Media nocte surgebam*, id est gravissima tribulatione seu tentatione. Dum *nox* in suo cursu iter peragere, non ita succubui, ut medium silentium non rumperem; sed *media nocte surgebam*, et medium silentium rumpendo confitebar tibi, Domine, *super judicia justificationis tuæ*. Non acquievi me omnino dejici medio noctis vehementia tribulationum seu tentationum; sed surrexi *ad* fortius *confitendum super judicia justitiæ tuæ* sciens, quia et hoc ipsum, quod *funes peccatorum* circumplectuntur justum, justo judicio tuo, Deus, fit, quod nunc incipit a domo tua et a sanctuario tuo. Igitur occasione ob- B lata per ipsius noctis medium, quo primogenita Ægypti percussa sunt (*Exod.* XII, 29), quo etiam sponsus venturus est (*Matth.* XXV, 5), *surgebam* vel corporaliter simul et spiritaliter, vel solummodo spiritaliter cœlestia desiderando, et quæ sursum sunt, quærendo. Sic *surgebam ad confitendum nomini tuo*, cui confessio laudis et gratiarum actionis debetur super omnibus, quæ accidunt nobis, te disponente omnia vel gratia vel justitia dictante, aliquoties occulto, nunquam tamen nisi recto judicio, quia tu *justus es, Domine, et rectum judicium tuum*. Et ideo, licet *media nocte* non possimus præ densitate atque horrore tenebrarum videre judiciorum tuorum justitiam, tamen in ea fide, qua credi- C mus, quod non videmus, scilicet semper justum esse tuum judicium, semper tibi est confessio laudis offerenda *super judicia justificationis tuæ*. Nihilominus tibi offerenda est confessio peccatorum, quæ factis et moribus nostris interesse, aut videmus aut timemus. Perfecti vident peccata sua, quorum quisque dicere potest: « Iniquitatem meam ego cognosco (*Psal.* L, 5); » sed imperfecti semper sibi suspecti, etiam cum non vident peccata sua, timent, quorum quisque assidue dicit: *Ab occultis meis munda me*. Ego autem non quasi perfectus omnia peccata vel delicta mea cognosco: « delicta enim quis intelligit? » (*Psal.* XVIII, 13.) Sed quasi parvulus et imperfectus fateor, quia ego

VERS. 63. *Particeps sum omnium timentium te*, D nec tamen otio torpentium sicut servus malus et piger, qui timens austerum dominum, sub terra vel in sudario abscondit talentum (*Matth.* XXV, 26); sed *custodientium mandata tua*. Alia translatio habet: *Participem me fac, Deus, omnium timentium te, et custodientium mandata tua*. Quod idem est, ac si dicatur; magnam quidem sonat perfectionem, quod supra dixi: *Portio mea, Domine*, ac cætera perfecto levitæ adaptata. Sed quia video, quod *funes peccatorum circumplexi sunt me*, et quod adhuc sum in *media nocte* ignorantiæ, nesciens utrum amore an odio dignus sim (*Eccle.* IX, 1), timore perterritus dico: quod *particeps ego sum omnium timentium te*. Vel etiam non audens vel hoc

A profiteri, oro dicens: *Participem me fac, Deus, omnium timentium te, et custodientium mandata tua*. Territus enim a justitia tua confugio ad misericordiam tuam, sciens, quia

VERS. 64. *Misericordia tua, Domine, plena est terra*, qui solem tuum facis oriri super bonos et malos, pluisque super justos et injustos, temporalia simul et spiritalia offerens bona omnibus ea *misericordia*, qua vis omnes homines salvos fieri et neminem perire (*Matth.* V). Hac *misericordia tua, Domine, plena est terra*. Sed quia non omnes eam recipiunt, sed soli, qui tuas justificationes requirunt, *justificationes tuas doce me*, qui solus doces hominem scientiam, sine quo intus docente verbum hominis hominem instruentis frustra sonat B in auribus audientis. Supra cum dicerem, surrexisse me ad confitendum tibi super judicia justificationis tuæ, visus mihi sum judicia justificationis tuæ aliquatenus intellexisse. Verum nunc melius illuminatus video tantam mihi esse ignorantiam, ut adhuc doceri necesse habeam. Ideo dico: *Doce me justificationes tuas*, quæ semper in hac vita quærendæ sunt homini timenti Deum, quia tanti boni satietas non erit nisi in futuro, ubi facie ad faciem tu, Deus, videberis, qui nunc occulte multa operaris, et nonnisi per speculum et in ænigmate videris.

Quatuor jam præmissas litteras copulemus: *he, vau, zain, heth. He ista, vau* et *zain hæc, heth vita* C interpretatur, ut prælibatum est. Et est sensus: *Ista et hæc vita sunt*, ista, inquam, et quæcunque hujusmodi sunt perfecta, meditationi et memoriæ mandata fidelibus ad vitam æternam proficiunt. Unde assidue ruminanda sunt, quæ præmissis quatuor litteris in quatuor octonariis comprehensa sunt.

THETH.

VERS. 65. *Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine, secundum verbum tuum*. Littera nona cujus nomen *Theth* interpretatur *bonum*, recte præmittitur, ubi de *bonitate* agitur. Cum dico ego David psallens et gratias agens: *Bonitatem fecisti cum servo tuo*: *Servus* eram serviens ex timore. Sed tu *bonitatem fecisti* foras misso timore per inspiratam *bonitatem*, D quæ non est aliud, quam « perfecta charitas, quæ foras mittit timorem (*I Joan.* IV, 17). » *Fecisti* ergo tu *bonitatem cum servo tuo* cordi meo inspirando charitatem, quæ de servis facit amicos juxta illud: « Jam non dicam vos servos, sed amicos meos (*Joan.* XV, 15). » Magna charitas, magna *bonitas*, magna dulcedo, magna suavitas, quæ servile opus pridem valde onerosum facit leve, suave, bonum et jucundum! Hanc *bonitatem fecisti* non solum de me vel in me, ut plerumque de malis vel in malis multa bona operaris ipsis etiam nolentibus vel nescientibus, atque ideo hujus *bonitatis* retributione indignis: sed ut sit mihi *servo tuo* firma spes bonæ retributionis, *bonitatem* quam *fecisti* de me vel in me, *fecisti* et mecum suscitans liberum arbitrium

meum ad tuæ *bonitatis* operationem, ut *bonitatem* quam *fecisti* in me, facerem tecum, et quam feci, tu faceres mecum, ut dicere possem cum Apostolo: « Non autem ego, sed gratia Dei mecum (*I Cor.* xv, 10). » Pia, et magna dignatio, quod operis boni, cujus tu solus auctor existis, *mihi servo tuo* dedisti consortium faciendo, ut facerem tecum qualecunque opus bonum *secundum verbum tuum*. Nimirum hoc est, quod in Propheta promittis dicens: *Et faciam, ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis, et operemini*. Ut igitur ego facerem aliquod bonum *secundum verbum tuum*, secundum præceptum tuum, quod est, ut diligamus invicem, sine cujus observantia nulla virtus judicatur bona, etiamsi linguis angelorum quis loquatur, aut per fidem suam transferat montes; ut, inquam, facerem bonum, sive *bonitatem*, tu *fecisti* mecum dans mihi *servo tuo*, ut ego facerem tecum *secundum verbum tuum*. Hoc assidue optavit anima mea dicens: « Fiat mihi secundum verbum tuum (*Luc.* I, 38), » et tu audiens me *bonitatem fecisti cum servo tuo secundum verbum tuum*. Ne autem bene cœpta bonitas tua in me deficiat, sed magis ac magis de bono semper in melius proficiat,

VERS. 66. *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me*. Ordo bonus. Primo a te bono bonitatis fonte peto *bonitatem*, deinde *disciplinam*, postremo *scientiam*, quæ si prætermissa bonitate ac disciplina primo daretur, inflaret potius quam ædificaret. Parentes nostri, cum potuissent in paradiso degustasse in fructibus concessis tuæ suavitatem *bonitatis* custodita obedientiæ *disciplina*, illi plus appetendo lignum scientiæ interdictum quam lignum vitæ, ipso inordinato appetitu scientiæ meruerunt excludi a paradiso voluptatis expertes *bonitatis et disciplinæ* (*Gen.* III, 1 et seqq.). Ut ergo reducat illuc, unde illi ceciderunt, peto *bonitatem*, *disciplinam*, *scientiam*, tria hæc. Major autem his est *bonitas*, quæ non est aliud, quam charitas, quam peto primitus doceri, ut hac percepta leve mihi fiat onus *disciplinæ* sub jugo tuæ obedientiæ, quia disciplinas et flagellas omnem filium, quem recipis (*Hebr.* XII, 6). Qui autem extra *disciplinam* sunt, asserente Apostolo adulterini, ac non legitimi filii sunt. Postremo illam peto *scientiam*, qua sciam, quid desit mihi, quoniam hæc *scientia* non inflat, sed humiliat et majorem gratiam promeretur, qua tu superbis resistis, humilibus autem das gratiam (*Jacob.* IV, 10; *I Petr.* v, 5). Putabant olim philosophi se docere tria hæc in tribus partibus philosophiæ, videlicet *bonitatem* in ethica, *disciplinam* in physica, *scientiam* in logica. Sed evanuerunt in cogitationibus suis putantes homini hominem posse dare *scientiam* quia tu solus es, *qui doces hominem scientiam*. Nisi enim tu aperias intellectum et sensum cordis, frustra laborat lingua hominis hominem docere studentis. Tu ergo qui solus potes, *bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me*. *Doce bonitatem* inspirando charitatem, qua fiat mihi delectabile ac suave onus et jugum tuum. *Doce disciplinam* temperando tribulationem, qua disciplinatus inter flagella tua non murmurem. *Doce me* postremo *scientiam* insinuando cognitionem, qua noverim me, noverim te. Noverim me, ne dicatur mihi: « Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos (*Cant.* I, 7). » Hædos, inquam, ad sinistram, non agnos ad dexteram statuendos. Noverim te, ne forte ignorans te ignorer a te sicut scriptum est: « Qui autem ignorat, ignorabitur (*I Cor.* XIV, 33). » Item virginibus fatuis te nescientibus tu dicis: « Nescio vos (*Matth.* XXV, 12). » *Doce* igitur illam *scientiam* geminam, qua noverim me, noverim te.

Ne autem ignorans me extollar supra me, aut ignorans te ignorer a te, cognitio mei ædificet me ad compassionem et dilectionem proximi: cognitio tui ædificet semperque inflammet me ad amorem tui. Procul sit a me cor durum Pharaonis, qui dixit: « Nescio Dominum, et Israel non dimittam (*Exod.* v, 2). » Procul sit a me illorum cæcitas, « qui quoniam non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit eos Deus in reprobum sensum, ut faciant, quæ non conveniunt (*Rom.* I, 28). » Procul sit a me illorum duritia, qui dixerunt Domino Deo: « Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus (*Job* XXI, 14). » Talium quisque non immerito audit a Deo illud propheticum: « Quoniam tu scientiam repulisti, repellam et ego te, ne sacerdotio fungaris mihi (*Ose.* IV, 6). » Ne itaque repellar a te, *bonitatem et disciplinam, et scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi*. Magnum est hujus fidei meritum, cui recte in præmium donanda est postulata *scientia*. Quid est enim credere mandatis, nisi voluntarie acquiescere ipsis vel mala prohibentibus vel bona jubentibus? Unde etsi nulla his adderetur comminatio terribilium tormentorum vel promissio desiderabilium præmiorum, credendum et ultro acquiescendum esset ipsis *mandatis*, utpote a bono Patre luminum descendentibus, ac proinde nullum malum, sed omne bonum suadentibus. Attamen quoniam ad id credendum tardus est mercenarius, tardior servus, propter servum pigrum stimulandum comminatio terribilis, et propter mercenarium provocandum promissio dulcis adnectitur *mandatis*, ut dum et ille timet sibi, et iste cupit sibi, ambo incipiant *mandatis* obedire. Sed ego tanquam filius et a timore servi et a cupiditate mercenarii liber, ipsis *mandatis* tuis ultro *credidi* et acquievi sciens, quod non solum post illorum obedientiam sequitur retributio debita, sed etiam *in custodiendis illis retributio multa*, cum in ipsorum custodia tibi servire sit regnare illo modo regnandi, quem principes hujus mundi hominibus dominantes et vitiis famulantes consequi non possunt, quandiu *mandatis tuis* noluerunt obedire, quæ faciens homo vivet in eis, maxime si absque intuitu pœnarum vel præmiorum delectatur in illis dicens cum Filio: « Meus

cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei (*Joan.* iv, 32). » Non hoc dicere potest mercenarius aut servus, nisi foras misso timore servi et exclusa cupiditate mercenarii, suscipiatur affectus filialis, quo affectu ego inardescens *mandatis tuis credidi*, non dubitans esse fidelia omnia mandata tua. « Non sic impii, non sic (*Psal.* i, 4) » ipsi parentes nostri, qui mandatum sibi datum in paradiso non crediderunt esse fidele aut fideliter sibi datum; sed susurrante diabolo per serpentem femina seducta est, ita ut putaret a Deo invidente sibi scientiam boni et mali se suumque virum prohibitos a ligno scientiæ (*Gen.* iii, 1). Sic deliquerunt parentes mei, et ego in ipsis deliqui. Deliquit mater mea Eva seducta, deliquit pater meus Adam, licet non seductus tamen seductæ acquiescens, neque illam compescens, prout debuit. In illorum delictis ego David pœnitens conceptus

VERS. 67. *Prius quam humiliarer* pœna mortalitatis, dicente Deo: « Terra es et in terram ibis (*Exod.* iii, 19), » *deliqui* mortem animæ incidens per inobedientiam et transgressionem fidelis mandati, quod si fideliter observassem, non utique mortalitate seu morte corporis humiliatus fuissem. *Propterea eloquium tuum custodivi*, eruditus videlicet atque humiliatus flagellis tuis, ut caveam delinquere, ne rursum humilier per flagella iracundiæ tuæ, quam valde pavescens ad bonitatis tuæ sinum confugio, dicens tibi assiduo clamore cordis et oris:

VERS. 68. *Bonus es tu, et in bonitate tua doce me justificationes tuas. Bonus es tu*, bonitate non accidentali aut mutabili, sed naturali atque immutabili. *Et in* hac *bonitate tua doce me justificationes tuas*, unctione potius quam ultione magistra, suavitate potius evangelica quam severitate legali erudiens me ac faciens *me facere justificationes tuas*, id est opera justitiæ, non pharisaicæ, quæ tibi non placet, sed omnino tuæ ac tibi placitæ, quam etiam doces *in bonitate tua* dicens: « Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum (*Matth.* v, 20). » Item: Cavete « ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis (*Matth.* vi, 1). » *Doce me* itaque *in bonitate tua justificationes tuas*, quas videntes homines *tuas*, id est ex tua gratia esse intelligentes, glorificent non me, sed te, non me tuæ justificationis indignum acceptorem, sed te ipsius benignissimum ac largissimum datorem, ut tibi semper de mea, imo de tua, sed mihi data, justificatione sit gloria; mihi autem permaneat humiliatio et humilitas cooperantibus in hoc ipsum meis et tuis inimicis, contra te ac me superbientibus, ut sæpissime sum expertus, quia

VERS. 69. *Multiplicata est super me iniquitas superborum*, vel aperta vituperia, improperia, convicia multa in faciem meam jactantium, vel supra dorsum meum fabricantium clandestinis detractionibus. *Ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua*, quibus mandas et inimicos propter te, et amicos diligi in te. Unde non reddidi maledicta maledictis, opprobria opprobriis, cupiens non vinci a malo, sed vincere in bono malum. Quo contra

VERS. 70. *Coagulatum est sicut lac cor meum*, atque induratum est, ut non possit molliri beneficiis ultro impensis, cum tamen in ipsa duritia prætendant et ostendant lactis quamdam similitudinem, cujus veritatem non habent sicut illa cui dicitur: « Mel et lac sub lingua tua (*Cant.* iv, 11). » Isti autem non vere lac, sed *sicut lac* apparent, cum durum sit cor eorum, sicut erat cor Pharaonis induratum. *Ego vero legem tuam meditatus sum*, sciens quod « plenitudo legis est dilectio (*Rom.* xiii, 10), » maxime cum diligitur non solum amicus diligens, sed etiam persequens inimicus. Et in his omnibus

VERS. 71. *Bonum mihi, quia humiliasti me*, multiplicata super me iniquitate superborum, de quorum superbia mihi accrevit humilitas te ordinante, qui per ipsos superbos *humiliasti me, ut discam justificationes tuas* exercentibus adversis patientiam meam, qua consummata mitis et humilis efficiar, sicut tu doces, dicens: « Discite a me quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* xi, 29), » quod est esse justum tua justificatione, quæ non est aliunde, nisi a te impios justificante ac mortuos vivificante, non per virgam legis Mosaicæ, sed per legem oris tui, dum verus Eliseus os tuum vivificum superponens ori mortui, vivificas et justificas illum per fidem in te habitam, ex qua justus vivit. Itaque

VERS. 72. *Bonum mihi lex oris tui super millia auri et argenti*, quoniam plus diligit charitas *legem oris tui*, quam cupiditas *millia auri et argenti*, quæ licet in terrenis rebus desiderabilia sint, tamen comparata spiritalibus divitiis, quas insinuat *lex oris tui*, nullius pretii sunt, quia talia bona bonum non faciunt sui possessorem, sicut bona spiritalia bonos faciunt, qui ea possident eisque fruuntur, secundum quod docet *lex oris tui*, quæ ipsis quoque terrenis docens recte uti pretiosior est cunctis opibus, et omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari.

Octo isti versus præmissi apud Hebræos incipiunt a littera *teth*, quod interpretatur *bonum*, quod in aliis quoque linguis, videlicet Græca et Latina, congrue *bonitatem* sive bonum replicant, cum dicitur: *Bonitatem fecisti. Bonus es tu, et in bonitate tua doce me.* Item: *Bonum mihi, quod humiliasti me. Bonum mihi lex oris tui.* Per hæc multa bonitatis et bonorum præconia insinuatur nobis illud summum bonum, quod summo desiderio appetendum est, quodque *super millia auri et argenti concupiscendum est.*

JOD.

In hac decima littera intellectum petit mandatorum, quorum præcipua sunt illa decem præcepta,

digito Dei conscripta, quæ in hoc breviato verbo instaurantur: « Diliges proximum tuum sicut te ipsum (*Matth.* XXII, 37). »

VERS. 73. *Manus tuæ fecerunt me, et plamasverunt me.* Gratias tibi ago Creatori meo, quia cum cætera solo verbo creaveris dicendo: *Fiat* hoc vel hoc, me hominem fecisti opus manuum tuarum, cæteris operibus tuis excellentius; quia licet nobile opus tuum sit angelus, homo tamen quidam supra dignitatem angelicam prædestinatus et exaltatus est in excelsum thronum, ubi eum adorat multitudo angelorum. Hujus hominis ego membrum gratias tibi ago, Domine, quod *mànus tuæ fecerunt me* de nihilo, quantum ad animam sine præjacente materia creatam ad imaginem et similitudinem Dei: *Et plasmaverunt me*, quantum ad corpus de materia terrena formatum et per animam rationalem vivificatum. Et quia rationalis anima mea capax est intelligentiæ, *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua.* Formasti vasculum, quod ne sit vacuum, reple illud *intellectu mandatorum tuorum*, sicut de quibusdam canimus, quia firmavit in illis gratiam Spiritus sancti, et intellectu adimplevit corda eorum. Et quidem fides, quæ est ex auditu, non capitur sine aliquantulo intellectu; sed ipsa fides est meritum ad ampliandum intellectum, quod peto, et opto dicens: *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua.* Discam facere quod didici legere vel intelligere.

VERS. 74. *Qui timent te, videbunt me, et lætabuntur. Peccator videbit, et irascetur*, videbit et invidebit: sed *qui timent te, videbunt me, et lætabuntur.* Licet enim sim gravis ad videndum invidis, ero tamen gratus benignis oculo bono et simplici considerantibus intellectum, gratia tua donante mihi collatum, et ipsa eorum talis tam benigna visio ad te datorem gratiæ gratiarum actio, ad me vero congratulatio est, tibi ad gloriam, illis ad lætitiam, quoniam *videbunt me, et lætabuntur.* Non sic ille, cui dicitur: An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? » (*Matth.* XX, 15.) Vere nequam oculus, quem cruciat, quod Deus est bonus; oculus lippus, quem cruciat lux clara sanis oculis jucunda. *Videbunt* ergo *me* intellectu claro illustratum sani oculi timentium te, *et lætabuntur. Quia in verba tua supersperavi*, sciens quia superabundanter, quam petimus aut intelligimus, potes adimplere desiderium bonum de verbis tuis conceptum. Quando autem protelatur aut penitus negatur id, quod secundum verba tua supersperatur, nolo contra hoc murmurare sciens justo judicio tuo id fieri.

VERS. 75. *Cognovi* enim, *Domine, quia æquitas judicia tua, et in veritate tua humiliasti me*, prospera subtrahendo, adversa inferendo vel inferri sinendo, sive optata negando. In omnibus his « omnia, quæ fecisti nobis, Domine, in vero judicio fecisti, quia peccavimus tibi, et mandatis tuis non obedivimus: Sed da gloriam nomini tuo, et fac nobiscum A secundum multitudinem misericordiæ tuæ (*Dan.* III, 31). »

VERS. 76. *Fiatque misericordia tua, ut consoletur me secundum eloquium tuum:* secundum verbum promissionis factum Abrahæ (*Gen.* XXII) *servo tuo*, cui promisisti semen ejus multiplicandum sicut stellas cœli (*Exod.* XXXIII). Item alteri *servo tuo* Moysi locutus es inter cætera: « Miserebor, cujus misereor, et misericordiam præstabo, cujus miserebor (*Rom.* IX, 15). » Item et mihi *servo tuo* David locutus es bona dicens: « Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum, » etc. (*Psal.* LXXXVIII, 21.) Item alteri *servo tuo* dicis: « Vocabo non plebem meam, et non misericordiam consecutam misericordiam consecutam (*Ose.* II, 1). » Igi- B tur cui vis misereris, et quem vis induras; cui vis, misericordiam, et cui vis, ostendis iram.. Sed ego David, ego exemplo David pœnitens ab ira tua fugio ad te Patrem misericordiarum et Deum totius consolationis assidue dicendo: *Fiat misericordia tua, ut consoletur me secundum eloquium tuum servo tuo.* Item:

VERS. 77. *Veniant mihi miserationes tuæ et vivam*, vivificatus ipsis *miserationibus tuis; vivam* in præsenti sobrie, juste ac pie inter homines conversando, *vivam* quoque in futuro inter angelos bonos bonitati tuæ gratias agendo et misericordias tuas in æternum canendo. *Vivam* nunc secundum legem tuam, *quia lex tua meditatio mea est*, in qua Spiritus vitæ C est, *quia lex spiritalis est*, cui mente consentio, etiam quando in carne mea sentio legem *legi tuæ* contrariam. Per hanc legem *legi tuæ* adversantem in membris meis occasione accepta impugnant me superbi dæmones et homines, contra quos oro dicens:

VERS. 78. *Confundantur superbi, quia injuste iniquitatem fecerunt in me. Confundantur* ad pœnitentiam superbi homines, qui sunt convertibiles; dæmones autem et eorum obstinati complices, quia non sunt convertibiles a malitia sua pertinaci nec est illis commutatio, « confundantur et operiantur sicut diploide confusione sua (*Psal.* CVIII, 29), » ne possint perficere mala quæ contra me cœperunt, *quia injuste iniquitatem fecerunt in me.* Pudeat eos D cœpisse quod perficere non possunt. Cadant in opprobrium sempiternum, quo etsi non corrigantur ipsi, eorum tamen exemplo, visa eorum confusione, cæteri timorem habeant, *quia injuste iniquitatem fecerunt in me, injuste* absque judicio discretionis machinantes mihi mala. *Ego autem exercebar* [Vulg. *exercebor*] *in mandatis tuis* insinuantibus eam charitatem, quæ « patiens est, benigna est (*I Cor.* XIII, 4); » *patiens*; ut ferat mala; *benigna*, ut pro malis rependat bona. Qua charitate satagente

VERS. 79. *Convertantur mihi timentes te, et qui noverunt testimonia tua.* Sunt enim inter inimicos meos aliqui tumidi, aliqui timidi vel potius timorati *timentes te.* Tumidis ergo et in suo tumore induratis ab hac oratione mea seclusis utpote ad mundum

pertinentibus, de quo dicis: « Non pro mundo rogo (*Joan.* XVII, 9). » *Convertantur mihi*, hoc est ad utilitatem meam, *timentes te*, quos ipso timore, quem habent, secernis de mundo, qui in maligno sic positus est, ut in eo voluntarie peccantibus non relinquatur pro peccatis hostia, quia peccant « peccatum ad mortem, pro quo non dico, ut roget quis, » ait Joannes evangelista (*Joan.* V, 16). *Convertantur* ergo *mihi* vero David, mihi Christo ad gloriam meam, ad salutem suam *timentes te, et qui noverunt testimonia tua* per prophetas prædicta. *Noverunt*, dico, etsi nondum per operationem, saltem per bonæ voluntatis devotionem, paratum videlicet cor habentes ad acquiescendum veris veritatis testimoniis. Ut autem ego David, ego pœnitens pro aliis orans exaudiri merear,

VERS. 80. *Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar*, sicut illi, de quibus dixi: *Confundantur superbi*. « Confundantur illi, et non confundar ego: paveant illi, et non paveam ego (*Jerem.* XVII, 18), » eo quod ex *corde immaculato*, et per *justificationes tuas* ab omni macula emundato fiducia magna est coram te judice, qui scrutator es cordis et renum. Nam « si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus in die judicii, » ait Joannes evangelista (*I Joan.* III, 21). Si autem cor nostrum reprehenderit nos, major est Deus corde nostro, et novit omnia, cujus timens judicium dico assidue: *Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar.*

CAPH.

Id est *manus*, vel *incurvatus*. In hac undecima littera peregrinus hujus mundi adventum judicis desiderat quasi lassus, ac *incurvatus* præ nimio labore et regni longa dilatione. Dicit ergo:

VERS. 81. *Defecit in salutare tuum anima mea.* Defectus in malo, profectus in bono solet accipi, nisi hæc acceptio per additamenta varietur, ut in Apostolo de malis dictum est: « Proficiunt in pejus (*II Tim.* III, 13). » Et hic dicitur: *Defecit in salutare tuum anima mea.* Et: *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum.* De hac salubri defectione, qua *in salutare* Dei anima bene psallentis *deficit*, beatus papa Gregorius in Job (62) dicit inter cætera: *Defecit in salutari tuo anima mea. Omnes, qui in hoc mundo fortes sunt robore, quasi fortes sunt, non defessi. Qui vero in auctoris sui robore roborantur, quo magis in concupita Dei fortitudine convalescunt, eo a propria virtute deficiunt, et quo robustius æterna appetunt, eo a temporalibus salubri defectione lassantur. Hinc rursum dicit:* Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini (*Psal.* LXXXIII, 3). *Qui nimirum cum diceret:* concupiscit, *subdidit:* et defecit. *Quia valde minor est Divinitatis concupiscentia, quam non mox etiam proprius sequitur defectus. Qui enim ad apprehendenda æternitatis atria accenditur, dignum profecto est ut a temporalitatis amore lassetur, ut tanto frigescat a studio sæculi, quanto surgit ardentius in amore Dei. Quem scilicet, si perfecte arripit, mundum etiam plene derelinquit, et eo funditus temporalibus moritur, quo ad supernam vitam altius afflatu æternitatis animatur. Annon robore suo fessa se invenerat, quæ dicebat:* Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est? (*Cant.* V, 6.) *Quia nimirum mens, dum occultæ locutionis aspiratione tangitur, ab statu suæ fortitudinis infirmata ipso, quo absorbetur, desiderio liquatur; et inde se apud semetipsam fessam invenit, unde ultra se conspicit fortitudinem, quam conscendit. Hinc propheta, cum visionem Dei conspexisse se diceret, adjungit:* Elangui et ægrotavi per dies plurimos (*Isa.* XXXIII, 24): *quia cum ad virtutem mens adstringitur, a fortitudine propria caro lassatur. Hinc Jacob, qui angelum tenuit, uno mox pede claudicavit, quia qui vero amore sublimia respicit, jam in hunc mundum duplicibus incedere desideriis nescit. Uno enim pede innititur, qui solo Dei amore roboratur, et necesse est ut alius marcescat, quia mentis virtute crescente, oportet procul dubio ut carnis fortitudo torpescat.*

Aliter: *Defecit in salutare tuum anima mea.* Sicut deficit oleum vel cera liquescens in flammam: sic *defecit anima mea in salutare tuum*, tota videlicet conversa in ejus amorem, sicut aurum liquescens vertitur in ignem. *Defecit* ergo *anima mea* conversa tota in spiritum, quoniam « qui adhæret Domino, unus spiritus est (*I Cor.* VI, 17). » Sic *defecit* Jacob in *Israel* (*Gen.* XXXII, 28), Saulus in *Paulum* (*Act.* XIII, 1); sic omnes, qui in Deum proficiunt, a se *deficiunt*. Non est igitur querela, sed gratiarum actio, quod ego David psallens dico tibi Deo, Patri misericordiarum: *Defecit in salutare tuum anima mea*, sive ut in aliis codicibus legitur: *In salutari tuo*. *Defecit* a se, proficiens ultra se. *Defecit anima*, dum corporalis exercitatio, quæ ad modicum utilis est, minoratur, et pietas contemplationis augetur de die in diem, de die Marthæ in diem Mariæ, quæ vacabat soli verbo audiendo. *Et* ego *in verbum tuum supersperavi*, quibus « Martha satagebat circa frequens ministerium (*Luc.* X, 40), » quia sic ministrantibus regnum cœlorum promittitur, quibus et dicetur: « Venite, benedicti Patris mei, » etc. (*Matth.* XXV, 34.) Sed *in verbum tuum supersperavi*, sciens longe superexcellere otium Mariæ verbo vacantis, negotio Marthæ ministrantis. Item inter ministrantes tuis minimis fratribus, in quibus tu pasceris, potaris, vestiris, colligeris, visitaris, et ipsos minimos maxima distantia est, cum tales minimi judices sint futuri, et eorum ministri per ipsos in æterna tabernacula suscipiendi. Gaudeant ergo in spe retributionis operibus misericordiæ intenti, sed *supersperent* et supergaudeant, qui exemplo apostolorum orationi et *ministerio verbi* vacant. Quod considerans ego *in verbum tuum supersperavi*, cui legendo, audiendo, discendo, docen-

(62) Lib. IV *Moral.*, cap. 33.

do, scribendo et inter hæc frequentius orando elegi A vacare postposita, in quantum fieri convenit, corporali exercitatione, quæ ad modicum utilis est. In hoc studio

VERS. 82. *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum* studiose intenti. *Defecerunt* ab aspectu curioso vanitatum sæculi, prout oravi supra dicens : *Averte oculos meos, ne videant vanitatem ;* sed post hunc defectum cum intenderent *in eloquium tuum*, quasi collyrio sæpe lacrymis peruncti etiam corporales *oculi* adhuc per gratiam tuam vigent, atque ita pariter spiritales et corporales *oculi* anhelant in verbum tuum *dicentes : Quando consolaberis me ?* Nonnulli etiam, quibus exterior visus caligans defecit quasi alter Isaac (*Gen.* XXVII), interius clare vident et futura prospiciunt, *dicentes : Quando consolaberis* B *me ?* Hoc etiam ego David, ego pœnitens dicere non desinam, quoadusque videam, quod credo fidei obscuræ succedente clara specie, ita ut non solum in spiritu, sed etiam in carne mea videam Dominum salvatorem meum. Quod quia non erit ante futurum judicium, dicam assidue : *Quando facies de persequentibus me judicium ?* Tunc enim perfecte *consolaberis me*, abstergens omnem lacrymam ab oculis meis. Nunc vero dum propterea mora elongatur, ut res dilata dulcior veniat, ego angustias patior :

VERS. 83. *Quia factus sum sicut uter in pruina. Uter in pruina* pruinæ frigus non sentit, utpote factus de corio a carne sensibili penitus abstracto, et C multis impendiis in utrem formato, dum ei carnis reliquiæ intus abraduntur, dum crines foris extrahuntur, dum subula ipsum corium creberrime transpungitur, ut lino per setam introducendo via paretur. Talis taliter factus *uter in pruina* frigus non sentit, sed tamen ex ipso frigore infrigidatus infusum sibi potum sapidiorem reddit : quia uter calidus, qualem portavit Agar ancilla Saræ oberrans in solitudine regionis calidæ, aquam continens tepidam, quæ hausta vomitum facit, longe dissimilis est *utri* posito *in pruina*, continenti potum frigidum ac proinde sapidum. Nimirum talis *uter* ego *factus sum* te faciente, qui me abstraxisti a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, carnalium quoque desideriorum reliquias mihi abrasisti ferreo scalpello multarum tribulationum, pariter evellens crines cogitationum superfluarum. Deinde subula servilis timoris assidue transfixum seta filialis timoris præcedente consuebas me lino amoris tui. Et nunc subula timoris foras missa filo amoris tui consolidatus, et *pruina* desuper venientis gratiæ tuæ infrigidatus, infusas mihi *tuas justificationes* quasi dulces potiones contineo, aliisque prout possum, eas propinandas offero. Unde veraciter in gratiarum actione psallens dico : *Quia factus sum sicut uter in pruina*, illam tamen non sentiens pruinam, de qua dicitur in Job : « Qui timent pruinam, decidet super eos nix (*Job* VI, 16). » Quod est dicere : Qui timore temporalis pœnæ recedunt a justitia, obruentur pœnis æternis, dicente judice : « Ite, maledicti, in ignem æternum. Ibi erit fletus, et stridor dentium (*Matth.* XXV, 41 ; XXII, 13). « Fletus » in fumo ignis inexstinguibiliter ardentis : « Stridor dentium » in frigore nimio, quoniam sicut scriptum est, « Ab aquis nivium transeunt ad calorem nimium (*Job* XXIV, 19). » Illas aquas nivium propterea incident, quia hic *pruinam* facile calcabilem nimis timuerunt, neque de cubilibus et impudicitiis suis nudis pedibus exire voluerunt, illic trepidantes timore, ubi non erat timor. Sufficiunt autem ad hanc *pruinam* calcandam sandalia, scilicet soleæ de corio factæ, quibus calceati apostoli *pruinam* temporalis afflictionis minime timuerunt, imo nec illam senserunt, utpote *utres* et ipsi *facti* non veteres, sed novi, quibus vinum novum erat infundendum ; ita ut diceretur de illis : « Quia musto pleni sunt isti (*Act.* II, 13). » Talium quisque confidenter dicere potest : *Quando consolaberis me ? Quia factus sum sicut uter in pruina : justificationes tuas non sum oblitus.*

VERS. 84. *Quot sunt dies servi tui ?* Quoniam *dies* mali sunt, magno afflictus tædio assidue clamo : *Quot sunt dies servi tui ?* Et quia *diebus* malis ego Ecclesia affligor usque ad judicium (neque enim defuturi sunt fideles in mundo usque ad judicium) desiderio desiderans *judicium* dico assidue : *Quando facies de persequentibus me judicium ?* Neque vero mirum est quod tædio afficior : quia

VERS. 85. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes ; sed non ut lex tua.* Super hunc locum beatus Gregorius dicit in Job : (63) *Sæpe verba carnalium, dum se importune auribus nostris ingerunt, in corde bellum tentationis gignunt, et quamvis hæc et ratio respuat, et lingua reprehendat, cum labore tamen intus vincitur, quod foris cum auctoritate judicatur. Unde necesse est ut nec ad aures veniat, quod mens a cogitationis aditu vigilans repellit. Sancti igitur viri cum æternitatis desideriis anhelant, in tanta vitæ altitudine se sublevant, ut audire jam quæ mundi sunt, grave sibi ac deprimens pondus credant. Valde namque insolens atque intolerabile æstimant quidquid* D *illud non sonat, quod intus amant.*

Aliter : *Quando facies de persequentibus me judicium ?* Inter quos amplius nocent, qui mala non solum faciunt, sed etiam docent. « Corrumpunt » enim « bonos mores confabulationes pessimæ (*I Cor.* XV, 33), » maxime in tempore isto periculoso, in quo multi « a veritate avertent auditum, ad fabulas autem convertentur (*II Tim.* IV, 4). » Non loquor inexperta, quia multoties *narraverunt mihi iniqui fabulationes :* vel sicut habent quidam codices, *Narraverunt delectationes, sed non ut lex tua.* Illi *narraverunt ;* sed ego non recepi eorum *fabulationes*, quia non erant *ut lex tua.* In Hebræo legi-

(63) Lib. VII *Moral.* cap. 13.

tur : *Foderunt mihi superbi foveas, quæ non erant secundum legem tuam.* In qua lege

Vers. 86. *Omnia mandata tua* sunt *veritas*, cui contraria est falsitas confabulationis eorum. *Iniqui persecuti sunt me : Adjuva me.* Non erant contenti solis fabulationibus me fatigare *iniqui*, sed insuper *persecuti sunt me* vel de loco ad locum, vel de sententia in sententiam transire cogentes non sine periculo salutis tam spiritalis quam corporalis, quoniam cum doctrinis variis et peregrinis fides pulsatur, salus animæ periclitatur. Cum vero de loco ad locum quis fugatur, salus corporis in periculo est. Contra hujusmodi pericula, tu *adjuva me*, potentissime, sapientissime, benignissime; ut non vincar, non fallar, non corrumpar, quod efficere moliuntur pravi, qui etiam

Vers. 87. *Paulo minus consummaverunt me in terra : ego autem non dereliqui mandata tua. Paulo minus*, id est parum defuit, quin perficerent quod moliebantur, scilicet *consummare me in terra*, ut, sicut ipsi, terrena saperem paululumque vel nihil de cœlestibus cogitarem. *Ego autem non dereliqui mandata tua* præcipientia deseri ac sperni terrena et amari cœlestia. Sed ne inter tot pericula deficiam,

Vers. 88. *Secundum misericordiam tuam vivifica me* dando mihi et a malis cautelam, et in bonis cœptis insuperabilem perseverantiam. *Secundum misericordiam tuam* dico, quia de meritorum qualitate diffido; in *tua* vero *misericordia* multum confido. In qua, obsecro, *vivifica me*, atque in vera vita conserva me, ne amando falsam vitam perdam veram : sicut nonnulli tormentorum nimietate superati, amando vitam corporis perdiderunt vitam cordis, quæ Deus est; at ego te vivificante hoc spero et quæro, ut vivam *et custodiam testimonia oris tui*, quæ custodiendo multi fideles facti sunt martyres, quod interpretatur *testes*, quorum *testimonia* seu martyria *custodiam* custoditus per tuam *misericordiam*.

LAMECH.

Nomen litteræ duodecimæ, quod est *lamech* ut vult Hieronymus, interpretatur *cor :* ut vult Ambrosius, interpretatur *serto*. Congrua est utraque interpretatio, quia versus octoni sub hac littera conscripti continent sacramenta cœlestia corde attentissimo conservanda, quorum est præcipuum *latum* illud *mandatum*, quod in ultimo versiculo insinuatur. *In æternum, Domine, permanet verbum tuum in cœlo. In generationem et generationem veritas tuas : fundasti terram, et permanet.* Clamor iste meus est de profundis mundanarum varietatum tendens in cœlum, ubi sine varietate permanet verbum stante illic immutabiliter ordine disposito per immutabile verbum tuum, Domine, cujus in terra verbum contemnitur ab hominibus in varias partes claudicantibus. Horum tædio affectus oculos meos levo in cœlum, ubi verbum tuum permanet, ut ex intuitu cœlestium verbo tuo stabiliter et invariabiliter servientium et obedientium refocilletur spiritus meus terrestrium varia exordinatione fatigatus. Dico ergo :

A Vers. 89, 90. *In æternum, Domine, permanet verbum tuum in cœlo.* Vertitur *cœlum* stabili et inerrabili rotatu, propter quod a Græcis dicitur *aplanes*, id est sine errore. Ipsæ quoque stellæ, quæ dicuntur *planetæ*, id est erraticæ, custodiunt circulos suos per *verbum tuum* semel dispositos. Maximus planetarum sol secundum ordinem sibi dispositum per *verbum* suum nunc in austrum vergens dies abbreviat, nunc ad aquilonem gyrans dies prolongat, et sic *in generationem et generationem*, id est semper, manet *veritas tua*, in qua dixisti : « Ut sint in signa et tempora et dividant diem ac noctem (*Gen.* I, 14). » *Fundasti* quoque *terram* super stabilitatem suam, *et permanet* non per aliquid fulta, nisi per *verbum tuum*, quo in principio eam posuisti, atque
B humidum aeris elementum illi sic circumfudisti, ut non possit cadere in cœlum sibi æqualiter undique circumfusum, in quo volucres cœli, quasi natando volant et sua tempora observant; unde scriptum est : « Milvus in cœlo cognovit tempus suum, turtur et hirundo cognoverunt tempora adventus sui (*Jerem.* VIII, 7). » Sic

Vers. 91. *Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi*, tuis dispositionibus immutabiliter obediendo. Peramplius autem et perfectius in cœlo cœlorum, de quo dicis : « Cœlum mihi sedes est (*Isa.* LXVI, 1) : » quod est rationalis creaturæ pars electa : *In cœlo*, inquam, illo *permanet verbum tuum* in æternum, quia verbo tuo iidem
C « cœli firmati sunt, et spiritu oris tui omnis virtus eorum (*Psal.* XXXII, 6). » Item *in generationem et generationem*, id est in his omnibus, qui non solum secundum carnem sunt generati, sed etiam secundum spiritum denuo generati, manet *veritas tua*. Vel *in generationem et generationem* fidelium veteris ac novi testamenti *permanet verbum tuum*. Vel *in generationem*, qua nunc regenerantur animæ ad fidem quasi modo geniti infantes, *et generationem*, qua in resurrectione regenerabuntur corpora ad incorruptionem in virum perfectum, *veritas tua* manet, quæ in generatione prava et perversa tantummodo secundum carnem generata, non etiam secundum spiritum regenerata locum non habet. Neque enim vel hi omnes, qui sunt baptizati, sunt regenerati
D vel renati dicendi, quia regeneratio est illa innovatio, qua de filiis iræ filii gratiæ fiunt, a qua gratia sunt alieni plures baptizatorum, qui aut ficte accedunt ad hoc sacramentum ut Simon Magus, aut vero corde accedentes abeunt retrorsum, nec redeunt per veram pœnitentiam; ut hi, quos increpat apostolus Petrus assimilando eos canibus ad vomitum redeuntibus (*II Petr.* II, 22), quibus etsi peccata in baptismo remissa fuerunt, attamen sacramentum baptismi non custodientibus facta sunt novissima pejora prioribus, immundo spiritu ad eos redeunte cum aliis septem nequioribus (*Luc.* XI, 26). Generatio hæc perversa est, et infideles filii. Unde in hac generatione *veritas* non manet, quæ *in generatione et generatione*, hoc est in filiis iterato genitis, *permanet*,

consummata videlicet regeneratione animæ primum, deinde carnis. Quamvis enim per baptismum nunc regenerentur animæ fidelium fideliter baptizatorum, tamen quasi adhuc in vulva matris Ecclesiæ crescentes exspectant suæ nativitatis consummationem per illam mortem, qua « beati » sunt « mortui, qui in Domino moriuntur (*Apoc.* XIV, 13). » Tali morte quasi de vulva in lucem veniunt, quæ lux erit eis dies natalis. Quod mater Ecclesia recognoscens in hujusmodi filiorum suorum natalitiis exsultat jam non memor pressuræ, qua illos parturivit in angustia, quos novit jam natos in amplitudine cœli, in quo *verbum tuum permanet*, Domine, in æternum invariabiliter.

Et quia corpora eorum in pace sepulta sunt exspectantia et ipsa regenerari ac immutari ad invariabilem immortalitatem atque impassibilitatem, recte illis congruit quod hic dicitur : *Fundasti terram et permanet*, quoniam ipsa beatorum beata corpora ita erunt spiritalia et lucida, ut sint una cum spiritu suo *dies* una, juxta illud : *Factumque est vespere, et mane dies unus.* Quasi enim vespera est sanctorum in ipsa morte corporum; sed *mane* illis est resurrectio eorumdem corporum Christo commortuorum, consepultorum et conresuscitatorum. Nam et ipse Christus circa vesperam sexta Sabbati obiit in cruce, sepultusque est vespere, surrexit vero a mortuis *mane* prima Sabbati exsurgens diluculo (*Matth.* XXVIII; *Marc.* XVI; *Luc.* XXIV) : *Factumque est* etiam in illo *vespere et mane dies una*, carne simul et anima ejus clarificata in ea claritate quam habuit priusquam mundus fieret, quod ipsum petierat a Patre, dicens : « Clarifica me, Pater, apud temetipsum claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te (*Joan.* XVII, 4). » Corporibus ergo sanctorum configuratis corpori claritatis Christi *ordinatione tua*, Deus Pater, *perseverat dies* una melior in atriis tuis super millia. Sive singulariter dicatur : *Perseverat dies*, ut expositum est, sive pluraliter, ut in quibusdam codicibus legitur, dicatur : *Perseverant dies*, una utrobique lucis perseverantia prædicatur, quia lux perpetua lucebit sanctis in Christo, qui est dies de die, *Deus de Deo, lumen de lumine*, clarificatis. In die illa nihil erit nubilosum vel tempestuosum, *quoniam* illic *omnia serviunt tibi* servitute jucundissima, solemnizantes in laude et gratiarum actione; ubi *perseverat dies, quam fecit Dominus*, in qua gloriabuntur omnia sanctorum agmina canendo jugiter . « Hæc est dies, quam fecit Dominus, exsultemus, et lætemur in ea (*Psal.* CXVII, 24). » Sed nunc in ista mortalitate *dies* mali sunt et tempora periculosa et hostes multi, de quibus jam superius dixi : *Paulo minus consummaverunt me in terra.*

VERS. 92. *Et tunc forte periissem in humilitate mea, nisi quod lex tua meditatio mea est.* Quippe legis tuæ *meditatio* est quædam præparatio armaturæ ad bellum necessariæ, sine qua, si quis bellum ingreditur, facile prosternitur. Ideo alias de viro justo dicitur : « Lex Dei ejus in corde ipsius, et non supplantabuntur gressus ejus (*Psal.* XXXVI, 31). » Ideo non dico : *Quod lex tua meditatio mea fuit* ante bellum, sed est, etiam post bellum, recolente jugiter memoria mea quanta bona mihi *legis tuæ meditatio* contulit. Et ideo

VERS. 93. *In æternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me.* Mortuus quippe fui, et a baculo timoris mihi superposito non erat vox, neque sensus (*IV Reg.* IV). At ubi fides incarnationis ostendit mihi quantum diligeres me, qui ut servum redimeres, Filium tradidisti; continuo quasi vero Eliseo sui corporis attractu me fovente vivere cœpi, utpote liberatus a servitute peccati et mortis, cujus ea lux est, ut anima, quæ peccaverit, ipsa moriatur. In tantum igitur vivo, in quantum peccatis vel careo vel resisto adjuvantibus et vivificantibus me *tuis justificationibus. Tuis*, inquam, non *meis*, quia sicut creare me non potui, cum non essem, sic justificare me non potui, cum peccator essem : sive ut ad litteram præsentem respiciam, *vivificare* me non potui, cum mortuus essem. Ideo *in æternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me.* Itaque

VERS. 94. *Tuus sum ego, salvum me fac, quoniam justificationes tuas exquisivi.* Fuit aliquando *meus*, meas voluntates aut etiam voluptates explendo. Nunc vero *tuus sum ego*, voluntatem meam frangendo, tuam libenter faciendo. Servus eram tot dominorum quot vitiorum; sed nunc *tuus sum ego*, liberatus per te ab his dominis, quibus eram quasi asina communis alligata in bivio, donec tu dixisti discipulis tuis : « Solvite eam, et adducite mihi (*Matth.* XXI, 2). » Eram etiam quasi pullus asinæ (*Marc.* XI, 2), cui nullus hominum sedit eo tempore, quando mihi adolescenti et in regione longinqua peregrinanti nullus hominum potuit magistrare, vel me capistrare seu frenare. Sed nunc tibi adductus, frenoque tui timoris edomitus, insuper etiam vestimentis apostolicis, quibus tu libenter insides, ornatus, et quodammodo sellatus, jam *tuus sum ego, tuus* asinus, *tuum* jumentum, quia « ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum (*Psal.* LXXII, 23). » Sed ne *tuus* esse desinam, *salvum me fac*, id est in salute cœpta me conserva et confirma : *Quoniam justificationes tuas exquisivi : tuas*, non meas; *tuas* quibus *tuus permaneam*, non meas quibus meus fui. *Justificationes tuas exquisivi*, et hoc erat mihi valde necessarium : quia

VERS. 95. *Me exspectaverunt peccatores, ut perderent me. Peccatores* dico dæmones et malignos homines, qui velut quidam latrones insidiando *exspectaverunt me, ut perderent me*, pertrahendo me vel ad malum faciendum, vel malefacientibus consentiendum. Sed ego per hæc evasi manus et insidias eorum, quod *testimonia tua intellexi* credibilia facta nimis per ipsos testes, scilicet martyres, qui suis martyriis, hoc est *testimoniis*, morte sua confirmatis, viam illam præsignaverunt et præmonstraverunt, qua itur a monte Oliveti versus Jerusalem,

Id est a misericordia præveniente in visionem pacis æternæ. Isti sunt enim, qui prosternebant vestimenta sua in via, corpora sua scilicet, quæ vestimenta sunt animarum, tradendo ad supplicia. Alii vero, scilicet sancti confessores et doctores, ramis de Scripturarum oliveto decerptis, et ipsi viam justitiæ suis *testimoniis* cognoscibilem fecerunt. Quorum omnium, sive martyrum sive confessorum, *testimonia*, quæ Græce dicuntur *martyria*, non tam illorum quam tua, Deus, *testimonia* dicenda sunt. Non enim ipsi erant, qui loquebantur, sed Spiritus tuus loquebatur in eis et per eos. Ideo illorum *testimonia* tua esse intellexi, atque ideo in via *testimoniorum* tuorum delectatus, ab ea declinare nolui acquiescendo *peccatoribus exspectantibus* et desiderantibus, *ut perderent* me, spoliando et plagas imponendo; spoliando virtutibus, plagando vitiis; vel spoliando gratiæ dona tollendo, et plagando naturalia, quæ auferri non possunt, sauciando; exempli causa : obedientia donum gratiæ tunc homini tollitur, quando efficitur inobediens. Sic irascendo mansuetudinem, superbiendo ammittimus humilitatem; sic cæteris vitiis irruentibus et contra nos latrocinantibus nudamur virtutibus, quæ humanæ substantiæ sunt accidentales, ac proinde abesse possunt et adesse præter subjecti destructionem. Ratio vero ei tolli non potest, quin sit rationalis, quia ratio sive rationalitas est naturale donum, sicut memoria et liberum arbitrium. Verum hæc naturalia bona multis plagis debilitantur, quando peccatis dominantibus et latrocinantibus vexantur, ita ut nec ratio verum a falso, bonum a malo, utile ab inutili, honestum ab inhonesto plene discernat; nec eadem ipsa, quæ ratio discreverit, vel memoria memoriter teneat, vel arbitrium liberum libere custodiat. Sic totus homo jacet perditus, nisi eum salvet ille pius Samaritanus, qui misericordia motus est, ut hominem nec agnoscentem, nec diligentem se ipse prior agnosceret ac diligeret. In hac dilectione

VERS. 96. *Omnis consummationis vidi finem.* Omnes enim, qui consummati vel consummandi sunt, per hanc dilectionem, qua Deus prior dilexit peccatores nondum se diligentes, consummantur. Per hanc hominum prædestinatorum ad vitam virtus consummatur, per hanc numerus angelorum redintegratur et consummatur. Ideo videns hanc dilectionem *omnis consummationis vidi finem. Finis* enim legis Christus ad justitiam omni credenti (*Rom.* x, 4). *Finis* infinitus, quia ipse Deus immensus est, et Deus charitas est lata nimis in ipso Deo, qui miseretur omnium, et nihil odit eorum quæ fecit, quamvis oderit quæ non fecit, peccata scilicet : lata etiam nimis in ipsis Deo dilectis hominibus, non amicos tantum, sed et inimicos suos diligentibus, quanquam non diligat peccata eorum.

Super hunc locum beatus Gregorius papa di- A cit (64) : *Nil latius quam omnes in sinum amoris recipere, et nullas odit angustias sustinere. Sic quippe lata est charitas, ut in amplitudine dilectionis capere etiam inimicos possit. Unde et præcipitur :* « Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos (*Matth.* v, 44). » *Latum* ergo *mandatum tuum nimis*, quia magna est latitudo charitatis. Plenitudo enim legis est dilectio, in qua universa lex pendet, et prophetæ.

Quatuor jam præmissas litteras copulemus : teth *bonum*, Jod *principium*, Caph *manus*, Lamech *cor* interpretatur, ut prælibatum est in principio psalmi. Et est sensus : In his, quæ sub his quatuor litteris continentur, ad singulas litteras octonis versibus deputatis intelligendum est *principium manus et cor-*
B *dis*, id est operationis et intentionis.

MEM.

Quomodo dilexi legem tuam, Domine. Mem interpretatur *ex ipsis*, ut vult Hieronymus; *viscera* ut vult Ambrosius. Copulemus utramque interpretationem sic, ut dicamus : *Ex ipsis visceribus.* Quod est dicere : Isti octoni versus, qui ab hac littera omnes incipiunt, sunt *ex ipsis visceribus*, quia de charitate agunt medullitus inserta visceribus ejus, qui veraciter dicere potest :

VERS. 97. *Quomodo dilexi legem tuam Domine, tota die meditatio mea est.* Tu *Domine*, cujus *legem dilexi*, testis et conscius mihi es *quomodo* intime *dilexi legem tuam* ex totis visceribus meis. *Legem tuam*, quam continet *latum mandatum tuum*
C *nimis dilexi;* nimis, quod exinde patet quod *tota die meditatio mea est* ipsa *lex tua*, in qua meditabor die ac nocte, quod est *tota die*, quia dies tota et integra tunc recte intelligitur, quando nox cum sua die, vel dies cum sua nocte comprehenditur, secundum quod factum est vespere et mane dies una. Et recte in hoc loco in designatione integri diei cum sua nocte noctis nomine prætermisso sola dies nominatur, quia meditanti semper in lege Domini dies continua lucet illo sole illustrata, qui dicit : « Quandiu sum in mundo, lux sum mundi (*Joan.* IX, 5). » Est autem in mundo usque ad consummationem sæculi, sicut ipse promisit discipulis suis dicens : « Et ecce ego vobis-
D cum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII, 20). » Ex qua veritatis veraci promissione intelligitur usque ad consummationem sæculi non defuturos in mundo fideles, cum quibus maneat ipse Christus lux mundi. Horum quisque potest fideliter psallere dicens : *Quomodo dilexi legem tuam, Domine, tota die meditatio mea est. Tota die*, quia nox mihi non est, cui de luce, imo in luce legis jugiter meditanti continua dies est. Ex hujusmodi meditatione continua fructus hic mihi provenit, quod

VERS. 98. *Super inimicos meos*, Judæos, hæreticos, et omnes veritatis et meos inimicos *pruden-*

(64) Hom. 14, in Ezech.

tem me fecisti mandato tuo nimis lato, ut supra dictum est, et nimis longo, *quia in æternum mihi est*. Quid longius æternitate? Contingat mihi comprehendere cum sanctis omnibus, quæ sit latitudo et longitudo, sublimitas et profundum hujus *mandati*, cujus latitudo insinuatur, cum dicitur : *Latum mandatum tuum nimis;* et longitudo, cum dicitur : *Quia in æternum mihi est;* et sublimitas, cum dicitur : *Super inimicos et super omnes docentes et super senes intellexi*. Quo sensu et Apostolus de charitate locuturus ait : « Adhuc superexcellentem viam vobis demonstro (*I Cor*. XII, 31). » Porro ad profundum ejusdem pertinet *mandati* ultimus istius octonarii versiculus, ubi dicitur : *A mandatis tuis intellexi, propterea odivi omnem viam iniquitatis*. Charitas enim sicut bona desiderans tendit in altum, sic et mala considerans tendit in profundum : illa valde diligendo, ista valde odiendo. Ad hæc intelligenda *super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, quia* ipsum *mandatum tuum in æternum mihi est*, eo quod charitas mea nunquam excidet, sicut illorum, qui ad tempus credunt et in tempore tentationis recedunt. Inter ipsos etiam *inimicos* erant aliqui doctores in cathedra Moysi sedentes, clavemque scientiæ habentes ac proinde magistraliter docentes. At ego

VERS. 99, 100. *Super omnes* tales *docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est*. Et hæc *meditatio* mihi erat quasi unctio docens me de omnibus multo melius et verius quam doctores apud se prudentes; quorum licet aliqui fuerint *senes*, ego tamen *super senes intellexi quia mandata tua quæsivi*.

Aliter : Ego David *super omnes docentes me intellexi*, quia et legis doctores Moysen cæterosque in legis doctrina *me* antecedentes *intellexi*, et insuper divino Spiritu revelante multa *intellexi*, de quibus et psalmos cecini multo clarius loquentes de regno Dei, quam legis littera crasso velamine vultus Moysi obtecta. Item ego Christus verus David *super omnes docentes me intellexi* stans « in synagoga deorum (*Psal*. LXXXI, 1), » dijudicans et malas traditiones improbans, eo quod hujusmodi doctores transgrediebantur mandata Dei propter traditiones suas, ut de lavandis manibus præcipiendo, interiores autem sordes negligendo (*Matth*. XV; *Marc*. VII). *Super* illos *intellexi* docens, quia « non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit de ore, hoc coinquinat hominem (*Matth*. XV, 11). » Etiam adhuc puer duodennis in templo sedens in medio doctorum audiens et interrogans eos, puer, inquam, adolescentulus jam tunc *super senes intellexi* (*Luc*. II, 46), qui etiam stupebant super prudentia et responsis meis.

VERS. 101. *Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut custodiam verba tua*. Quia *super senes intellexi*, quorum traditionibus contemptis *mandata tua quæsivi*, eisdem tuis mandatis instructus *ab omni via mala prohibui pedes meos*, scilicet affectus cogitationum pronos ad excurrendum de via veritatis, quam elegi, studiose cohibui, et freno timoris tui prohibui *ab omni via mala, ut custodiam verba tua*, quæ ab his non possunt custodiri qui ambulant in via mala, quam detestantur et improbant verba tua, quibus imbutus et Spiritu vitæ, qui est in eis, confortatus

VERS. 102. *A judiciis tuis non declinavi*. Qui verba tua vel audire nolentes, vel audita et intellecta negligentes, dicunt bonum malum et malum bonum, dulce amarum et amarum dulce, ponentes lucem tenebras et tenebras lucem, longe declinant a *judiciis tuis, judiciis* æquitatis, *judiciis* veritatis bonum bonum, et malum malum esse indicantibus. At ego *a judiciis tuis non declinavi*, ea solummodo approbans quæ te approbare, simulque improbans quæ te improbare vel credidi vel intellexi, sciens : *quia tu legem posuisti mihi* per temetipsum, longe melius eam digito tuo scribens in corde meo, quam lex antiqua fuerit scripta in tabulis lapideis. Nam per illam scripturam severitas timoris antiquos depressit : per istam scripturam suavitas amoris tui faucibus animarum fidelium dulcescit. Quod ego David vel ego exemplo David psallens et pœnitens expertus dico admirando pariter et gratias agendo :

VERS. 103. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua*, Domine, *super mel ori meo*. Vel sicut in aliis codicibus legitur, *super mel et favum ori meo*. Legis antiquæ austera *eloquia* peccatoribus graves pœnas intentantia nimis erant amara ; sed *eloquia tua* remissionem peccatorum pœnitentibus promittentia *dulcia* sunt et *faucibus* et *ori; faucibus* animæ, dum cogitando intus ruminantur et gluttiuntur; *ori* etiam, dum foris prædicantur ad tui nominis glorificationem et ædificationem fidelium vel confutationem infidelium. Habuit tamen et *lex* Moysi *mellis* dulcedinem qualemcunque, promittendo videlicet terram lacte et melle manantem (*Exod*. III, 13). Sed *super* hujusmodi *mel dulcia mihi* sunt *eloquia tua* delicias cœlestes et invisibiles promittentia, quæ in comparatione deliciæ terrenæ parvi seu potius nullius pretii sunt. Unde non dico : *Sicut mel*, sed *super mel et favum dulcia faucibus meis* et *ori meo eloquia tua*. Istam dulcedinem eloquiorum tuorum cœlestes delicias promittentium

VERS. 104. *A mandatis tuis intellexi*. Aliud est *mandata intelligere*, aliud *a mandatis* intellectis et servatis ad interiorem sapientiæ dulcedinem gustu intelligentiæ pertingere, quod est *a mandatis intelligere*, quia nisi per obedientiam mandatorum non venitur ad sapientiam occultorum. Unde est illud dictum Sapientis : « Concupisti sapientiam? serva mandata, et Dominus dabit illam tibi (*Eccli*. I, 33). » Contemptori vero mandatorum dicitur : « Altiora te ne acquisieris, et fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcepit tibi Dominus, illa cogita semper (*Eccli*. III, 2). » Bene dicit *semper*, ut et ante perceptionem sapien-

tiæ cogites *mandata*, et post, quia sicut mandatorum custodia introducit ad sapiendam sapientiam, sic eorumdem negligentia et oblivio excæcant oculos etiam sapientium. Quod Salomoni accidit, qui mandata Dei negligens atque ad mulieres alienigenas, mandante Domino interdictas, ingrediens, cum sapiens ante fuerit, infatuatus est. Ego vero *a mandatis tuis* observandis, meditandis atque amandis non recedens, *intellexi*, *a mandatis* ipsis intellectu mihi aucto, quod sapori sapientiæ semper comes est individuus amor justitiæ. *Propterea odivi omnem viam iniquitatis*, inflammante me amore justitiæ, qui naturaliter odit suum contrarium, scilicet *omnem viam iniquitatis*. Hoc odio inflammatus jam superius oravi, dicens : *Viam iniquitatis amove a me*, quod idem est ac si dixissem : Fac mihi odiosam non solum *iniquitatem*, sed et omnem occasionem quæ ducit ad iniquitatem. Et hoc orans, Deo gratias, exauditus sum, quia *odivi omnem viam iniquitatis*. Verbi gratia : favor adulantis *via* est ad inanem gloriam : pulchritudo meretricis *via* est ad immunditiam, confabulatio malorum *via* est ad malitiam, concupiscentia rei alienæ *via* est ad fraudem seu rapinam. In hunc modum plures *viæ* sunt ad *iniquitatem*, quas omnes *odivi*, quia justitiam dilexi.

NUN.

Quarta decima littera hæc est apud Hebræos habens diversas interpretationes. Nam secundum Hieronymum *nun* interpretatur *æternum*, secundum Ambrosium vero interpretatur *unicus* vel *pascua*, quæ omnia concurrunt in unum, quia hic agitur de *unico* Filio Dei, qui est *pascua* fidelium in *æternum*, ipse *lumen*, ipse *lucerna*, de quo hic agitur :

VERS. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis. Verbum tuum*, Deus, quod erat in principio, et est *lumen* angelorum, factum est etiam *lux hominum*, *lux in tenebris lucens*, in cujus *lumine* ambulans dico in gratiarum actione : *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis*. Ipsum quippe *Verbum* Sapientia æterna est, quæ testam unitæ carnis flamma suæ divinitatis illuminans, facta est *lucerna pedibus meis*, dirigendo gressus operum meorum lucidissimis exemplis ostensæ in carne suæ conversationis. Et idem ipsum *verbum*, quod est *lucerna* in qualibet rationali creatura per ipsum illuminata et inflammata, *lumen* est in semetipso ad similitudinem solis, *lumen* suum in corpore lunæ velut in speculo repræsentantis, et nocturnas tenebras illustrando, vias latas demonstrantis, angustas vero *semitas* proprii splendoris *lumine* diurno certificantis. Sic, sic *verbum tuum lucerna* est in ore prophetantium, *lumen* vero in ore apostolorum evangelizantium. Unde Petrus apostolus : « Habemus, » inquit, « firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis intendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco (*II Petr.* I, 19). » Apostolis autem dicitur : « Vos estis lux mundi, quorum doctrina fulget Ecclesia, ut sole luna (*Matth.* V, 14). » Luna quippe non habens lucem a semetipsa ex ea parte illuminatur, qua *lumine* solis illustratur. Sic mihi Ecclesiæ vel mihi ecclesiasticæ personæ non est ulla claritas ex me, sed ex *Verbo tuo*, sole justitiæ. Propter quod dico in gratiarum actione : *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis*. Quo videlicet *lumine* delectatus, eoque semper frui cupiens

VERS. 106. *Juravi et statui custodire judicia justitiæ tuæ. Juravi*, hoc est firmissime proposui, *et statui* fixum tenens in corde meo stabiliter *custodire judicia justitiæ tuæ*, juste judicando atque discernendo inter bona diligenda et mala reprobanda, prout *verbum tuum* lucidum ostendit et monet reprobare malum et eligere bonum. Ad hujus rectitudinis propositum, cum essem intentus, obstiterunt mihi adversarii multi, per quos

VERS. 107. *Humiliatus sum usquequaque*, urgentibus me adversitatibus tentationum et tribulationum, ita ut tæderet me etiam vivere, haberemque in me responsum mortis, ne sim fidens in me; sed in te, cui assidue inter ipsa mortis pericula varia clamo, dicens : *Vivifica me secundum verbum tuum*, ut *secundum verbum tuum vivam*, faciens quæ facienda, et cavens quæ cavenda docet *verbum tuum*, quod nosse vivere, cui obedire est regnare; maxime, cum ipsa obedientia non ex timore coactitia, sed ex devotione voluntaria est. Talis obedientiæ voluntaria obsequia ore promisi et promitto. Sed ne mendax inveniar, ipsa

VERS. 108. *Voluntaria oris mei tu fac beneplacita*, gratia tua cooperante, et sermonem promissionis meæ confirmante sequentibus operibus et moribus, voto meo concordantibus. Sic, obsecro, *voluntaria oris mei beneplacita fieri*, ut hæc tria in unum concurrant : voluntas recti cordis, confessio veridici oris, perfectio boni operis ; quorum si vel unum defuerit, *voluntaria oris beneplacita* esse non possunt, quia obsequiorum nostrorum sacrificia non sunt *voluntaria oris*, nisi et corde credatur ad justitiam et ore confessio fiat ad salutem (*Rom.* X, 10). Huic *voluntariæ* cordis credulitati, et veraci confessioni *oris* cum accedit conversatio tibi placens, cui bona cuncta placent et mala displicent, *voluntaria oris beneplacita* fiunt. Sed ne fallente diabolica fraude seu corrumpente humana fragilitate ita decipiar, ut putem vel displicere quod placet, vel placere quod displicet in conspectu tuo, tu ipse intus instrue me, *et judicia tua doce me*, quia « beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de *judiciis* legis tuæ docueris eum (*Psal.* XCIII, 12). »

In Hebræo psalterio sic legitur : *Juravi et perseverabo, ut custodiam judicia justitiæ tuæ. Afflictus sum nimis, Domine, vivifica me juxta verbum tuum. Voluntaria oris mei complaceant tibi, Domine, secundum judicia tua doce me*. Nostri codices habent :

VERS. 109. *Anima mea in manibus meis semper*, quod exponi ita potest : *Anima mea in manibus meis*

semper est ad hoc, ut eam tibi offeram, *semper* a te A vivificandam. Propter quod etiam alias dixi : « Ad te levavi animam meam (*Psal.* XXIV, 7). » Nolo sic habere *in manibus meis animam meam*, ut ille adolescentior filius, qui dixerat patri suo : « Pater, da mihi portionem quæ me contingit (*Luc.* XV, 12). » Sed ad hoc teneo eam *in manibus meis*, ut jugiter eam tibi offeram sacrificandam in sacrificium laudis.

Aliter : *Anima mea in manibus meis*, id est intentio mea in operibus meis est non ad horam, sed *semper*, ut videlicet sempiterna merces illi proveniat. Sed in aliis codicibus melius habetur hoc modo : *Anima mea in manibus tuis semper, et legem tuam non sum oblitus*, quod est dicere : *Anima mea in manibus tuis* ita sit custodita *semper*, sicut alias B dicitur : « Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum malitiæ (*Sap.* III, 1). » Sit igitur, obsecro, *anima mea in manibus tuis*, unde nemo potest rapere, quia « in manu tua omnes fines terræ (*Psal.* XCIV, 4); nec est qui possit resistere manui tuæ (*Dan.* IV, 32). » Et custodiente me *manu tua semper*, ego *custodiam legem tuam semper*. Quod ex ea certitudine promitto, quia *legem tuam non sum oblitus*, quandiu *in manibus tuis* fuit *anima mea*.

Hebraica veritas huic sensui concordat, in qua sic legitur : *Anima mea in manu tua semper, et legis tuæ non sum oblitus*. Ego quidem *non sum oblitus legem tuam* ; sed tamen, ut ejus obliviscerer, prævaricatores legis efficere conati sunt : quia C

VERS. 110. *Posuerunt peccatores laqueum mihi*, ut, quia contra manum tuæ fortitudinis agere viribus non poterant, *laqueo* deceptionis me caperent. Sed ego sciens *laqueos* eorum non fuisse positos aut potuisse poni in via mandatorum tuorum, sed juxta viam, sicut alias dicitur : « Juxta iter scandalum posuerunt mihi (*Psal.* CXXXIX, 6), » a via *mandatorum tuorum* divertere nolui : *Et de mandatis tuis non erravi*, cavens laqueos juxta viam, non in una via positos, contra quos custodia *mandatorum tuorum* sic operatur, sicut nobile antidotum contra venenum. Hoc sciens

VERS. 111. *Hæreditate acquisivi testimonia tua in æternum.* Qui prius fui hæres Adæ prævaricatoris, D prævaricans et ipse mandata justitiæ, nunc per gratiam factus hæres Dei, cohæres autem Christi, *hæreditate acquisivi testimonia tua*, ut sint mihi firma et quasi hæreditaria possessio ipsa *testimonia tua*, usque ad martyrium conservata et conservanda *in æternum*, exemplo beatorum martyrum, qui ob constantiam testificandæ veritatis Græce *martyres*, Latine *testes* dicuntur, et eorum *testimonia* dicuntur *martyria*, quæ *acquisivi hæreditate* pro illa veritate ac fide certando, pro qua certaverunt et ipsi usque ad mortem. Nam et mihi hoc est propositum, ut in illorum certamine perseverem, tua gratia juvante usque ad mortem. Alioquin non essent mihi hæreditaria vel *hæreditate acquisita testimonia tua* et ipsorum. *Tua*, quia Spiritus tuus in eis loquebatur; ipsorum quia sanguine ac morte ipsorum testificatio talis confirmabatur. Quia ergo est propositum mihi, tua favente gratia, potius velle mortem subire quam a *testimoniis* martyrum tuorum deviare fidem negando, pro qua testes ac martyres tui mortui sunt, ipsa eorum *testimonia* seu *martyria hæreditate*, id est firma possessione, *acquisivi*, non ad tempus credendo et in tempore tentationis recedendo, sed *in æternum* fidei sic testificatæ inhærendo, talibusque *testimoniis*, licet caro infirma sit, prompta voluntate cordis acquiescendo, *quia exsultatio cordis mei sunt*, etiam quando gravia sunt. Nam « Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma (*Matth.* XXVI, 41). » Ideo licet carne infirmante ac labores nimios recusante, ego tamen spiritu prompto

VERS. 112. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.* Tibi dixi longe superius : *Inclina cor meum, Deus, in testimonia tua.* Et nunc dico : *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas*, recognoscens ipsam cordis mei humiliationem et inclinationem tuum esse ac meum opus. *Tuum* per gratiam prævenientem, *meum* per libertatem arbitrii gratiæ tuæ operanti consentientem; non quod vel hic ipse consensus mihi sit ex me, sed ex te, quem si mihi arrogarem, non cor inclinatum, sed altum habens, iram potius quam gratiam recipere dignus essem : quia « tu superbis resistis, humilibus autem das gratiam (*Jac.* IV, 6), » et gratiam pro gratia : gratiam temporalem in bonis meritis, gratiam æternam in præmiis æternaliter permansuris et successuris ministerio temporali, quod est officium Marthæ, quandoque auferendum, ut succedat *retributio* quietis Mariæ *in æternum*. Propter quam *retributionem* permansuram *in æternum inclinavi*, et humiliavi *cor meum ad faciendas justificationes tuas*, promptus videlicet non tantum ad sciendum, sed etiam ad faciendum quod ad meam justificationem pertinens præcipis, sciens quia « intellectus bonus omnibus facientibus eum (*Psal.* CX, 10) ; » sicut e contrario « scienti bonum et non facienti, peccatum est illi (*Jac.* IV, 17). »

Hebraica veritas habet sic : *Inclinavi cor meum, ut facerem justitias tuas propter æternam retributionem.* Est quippe gemina *retributio* bene laborantibus destinata, una in via, et alia in patria. In via temporalis, quam qui solam et maxime appetit nec æternam requirit, mercenarius est : in patria æternalis, propter quam solam Deo serviens dicere potest : « Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ (*Psal.* XXVI, 4). » Hanc primo et principaliter quærendam Veritas monet, dicens : « Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus et hæc omnia adjicientur vobis (*Matth.* VI, 33). » Ne autem solliciti simus de viatica *retributione* adjecit : « Et hæc omnia adjicientur vobis (*Luc.* XII, 31). » Item : « Nolite

solliciti esse dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus; scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis (*Matth.* VI, 31). » Itaque de omnibus his, quibus in via indigeo, sicut Apostolus monet, omnem sollicitudinem projiciens in Deum, quoniam ipsi cura est de nobis: *inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas*, Deus meus, *in æternum propter retributionem*. Vel sicut in Hebræo legitur: *Propter æternam retributionem*, certus de tua providentia, quod mihi extendenti me in anteriora, quæ sunt æterna præmia, non defutura erunt necessaria temporalia, prout expedit illis uti ad æterna perquirenda.

SAMECH.

Nomen litteræ quintæ decimæ, quod est *samech*, diversas habet interpretationes. Denique ut vult Ambrosius, interpretatur *audi*, vel *firmamentum*, sed ut vult Hieronymus Hebraicæ veritatis magis peritus, interpretatur *adjutorium*. Quæ omnia conveniunt octonario huic litteræ supposito, quia quisquis obedienter *audit*, firmiterque suæ memoriæ commendabit quæ hic dicuntur, habebit exinde adjutorium in opportunitatibus in tribulatione, qua fatigatur ab iniquis, contra quos psallit dicens:

VERS. 113. *Iniquos odio habui, et legem tuam dilexi. Iniqui* sunt, qui legi tuæ, Deus, adversantur. Hos cum essent homines *iniqui*, non eos in hoc odivi, quod erant homines, quia omnes homines ab omni homine diligendi sunt, in quantum sunt homines: verum in quantum sunt *iniqui*, etiam familiares odiendi sunt odio sancto et rationabili, quo non homines, sed hominum vitia sunt odienda. Tali *odio iniquos* odivi, *odio habens* eorum *iniquitatem*, scilicet sanctæ *legis tuæ* prævaricationem, et hoc ideo, quia *legem tuam dilexi*, quæ in quantum diligitur et placet, in tantum ejus prævaricatio displicet; atque ideo, quia ego *legem tuam dilexi*, prævaricatores ejus *odio habui*, et dum « perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi (*Psal.* CXXXVIII, 22). »

In Hebræo sic legitur: *Tumultuosos odi, et legem tuam dilexi*. Tales igitur *iniquos* intelligi oportet hoc loco, quibus non sufficit sua *iniquitas* ad suimet perditionem, nisi tumultuosa importunitate oppugnent justitiam. Quibus me impugnantibus defecissem, nisi quod tu

VERS. 114. *Adjutor et susceptor meus es: et in verbum tuum supersperavi. Adjutor* mihi es inter *iniquos tumultuosos* laboranti ac certanti pro lege tua, *quam dilexi: et susceptor meus es* post labores ac certamina dans requiescere in te, aliquando per gustum contemplationis, dum partem optimam non auferendam partim hic indulges prægustandam, aliquando vero, imo assidue per spem futurorum bonorum in verbo tuo mihi promissorum. Nam tuis promissionibus credendo *in verbum tuum supersperavi*, sciens quod superabundanter quam peto aut intelligo, potens es perficere omnia quæ promisisti sequentibus te, quibus propter te ac propter Evangelium relinquentibus omnia, promittis centuplam retributionem in hac vita cum persecutionibus, et in sæculo futuro vitam æternam (*Matth.* XIX, 29). Intelligo equidem, prout possum, quid sit reddi centuplum, videlicet vel spiritalia reddendo pro carnalibus, quæ comparatione ac merito sui ita erunt, quasi parvo numero centenarius numerus comparetur: vel certe sic, ut benedicti in omni benedictione spiritali in cœlestibus in Christo nullius egeant, ita ut nihil eis desit in ulla gratia exspectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi, quando sicut egentes multos locupletant, et tanquam nihil habentes omnia possident (*II Cor.* VI, 10). Nonnulli etiam talium dispensatores facti ecclesiasticarum facultatum in ipsis quoque temporalibus centuplo magis accipiunt quam relinquunt, qui etiam dispensatione sibi credita fideliter expleta vitam æternam possidebunt, cum tali cuique dicetur: « Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui (*Matth.* XXV, 21). » Sed nec illi fraudabuntur, imo magis etiam in hac peregrinatione ditabuntur centupla retributione, quibus datur a Deo non *præesse*, sed *subesse* in tali societate, qualis erat illa, de qua scriptum est: « Multitudinis credentium erat cor unum et anima una, nec quisquam egens erat inter illos, cum daretur singulis prout cuique opus erat (*Act.* IV, 32-35); » nec aliquis ultra cupiret, contentus eo quod acceperat. Sive igitur eo modo quo dictum est, sive alio modo centuplum sint in hac vita recepturi, o Christe, discipuli tui, qui centuplum repromittis, ego non dubito promissionem istam quam multis adimpletam, et adhuc aliis adimplendam, quia et quod intelligo, spero et speravi, et quod non intelligo, *supersperavi* totus intentus in *verbum tuum*, quod necessario est implendum, « ut justificeris in sermonibus tuis (*Psal.* L, 6) » omnia faciendo, quæ promittis adimplenda filiis promissionis. In quorum consortio quia esse desidero absque mala inquietudine,

VERS. 115. *Declinate a me, maligni, et scrutabor mandata Dei mei*. Vos, maligni spiritus, primum quasi muscas abigo ab infestatione mentis meæ, mandatis Dei scrutandis intentæ, quibus *in verbo* virtutis Dei, in quod *supersperavi*, præcipio dicens: *Declinate a me*, quem quasi legio *maligna* maligne divexastis. *Declinate*, inquam, et ite in porcos vobis concessos per *Verbum*, in quod *supersperavi*, cujus in virtute vobis dico: *Declinate a me*, neque apponatis ultra nocere mihi, cujus est propositum vacare *verbo*, in quod *supersperavi*, et *scrutari mandata Dei*. Vos quoque *maligni* homines malignorum spirituum socii simul cum ipsis *declinate a me* increpati a *verbo*, in quod *supersperavi*, ne sitis mihi obstaculum volenti diligenter *scrutari mandata Dei*, quia malignitatis vestræ importunitas, etsi ad *mandata Dei* facienda exerceat, tamen ab eisdem scrutandis avocat modo persequendo, modo litigando,

modo rogando, ut tempora, quæ verbo Dei debentur, terrenis negotiis impendantur, et a fortioribus infirmiores defendantur, vel oppressi eripiantur. Tota ista inquietudo vobis imputatur, qui *maligni* estis, ac proinde a Sabbato requietionis exclusi neque vos requiescere aut *mandatis Dei scrutandis* vacare vultis, neque vacare volentibus otium, quantum in vobis est, permittitis, maxime instante hora vestra et potestate tenebrarum, in qua « facta est nox, et pertransibunt omnes bestiæ sylvæ, catuli leonum rugientes, ut rapiant, et quærant a Deo escam sibi (*Psal.* CIII, 21). » Sed nunc orto jam sole, manifestata videlicet contra vos lucidissima veritate, quæ est sol justitiæ, *declinate a me* sancta Ecclesia, vel a me David pœnitente, vel a me quolibet verbi Dei amatore, ac *mandatorum Dei scrutatore. Declinate a me*, ut vobis bestiis in cubilia vestra collocatis exeam ego: exeat quoque omnis homo rationalis et ratione utens, *ad opus suum et ad operationem suam usque ad vesperam:* exeat, inquam, non solummodo ad operandum, sed etiam *ad meditandum* in agro cum patriarcha Isaac, videlicet in agro Scripturarum deambulans et meditans longe segregatus a turbis malignantium, turbare cupientibus hoc otium sanctissimum (*Gen.* XXIV). Vos *maligni, declinate a me.* Sed, o Deus! tu

VERS. 116. *Suscipe me secundum eloquium tuum*, tuas videlicet promissiones adimplendo, qui promittis egredientibus de terra sua et de cognatione sua, quod suscipiendi sint in terra, quam tu monstraveris eis (*Gen.* XII). Quod enim ubi Abrahæ dicis, omnibus filiis Abrahæ dicis. Filiis dico non secundum carnem, sed secundum boni operis imitationem juxta illud: « Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite (*Joan.* VIII, 39). » Filios quoque Israel egredientes ex Ægypto et separatos a populo barbaro, in terra fluente lac et mel *suscipiendos* promisisti (*Exod.* III, 17). Item Zorobabeli egresso de Babylone promittis dicens: « In illo die suscipiam te servum meum, et ponam te sicut signaculum in conspectu meo (*Agg.* II, 24). » Quid vero mihi est aliud *malignorum* consortia declinasse atque ad *scrutanda mandata Dei mei* animum præparasse, quam exiisse cum Abraham de terra mea et de cognatione mea, et cum sancto Moyse legislatore de populo barbaro exiisse, sive etiam cum ipso in montem ascendisse, ut legem Domini merear accipere, fruensque Dei colloquio splendescam in facie sicut ipse, cujus facies resplenduit ex consortio sermonis Dei? Jesus quoque sacerdos magnus cum Zorobabel duce separatus a malignis populi Dei captivatoribus, cum antea fuisset indutus veste sordida, tunc demum *susceptus est* in gloriam, quando a malignorum consortio alienatus in sermone Domini audivit se coronandum coronis aureis, et induendum bonis mutatoriis posita super caput ejus cydari munda. In his omnibus promissorem tenemus, et *eloquium tuum* ad Abraham, Moysen, Jesum et Zorobabel factum quasi pignus habemus, ut si eos imitemur in declinatione malignorum propter sanctæ contemplationis otium, *suscipiamur* a te, et sic fiat sacrificium nostrum, ut a te *suscipiatur*, sicut suscepisti eorum sacrificia; imo quia sacrificium laudis magis honorificat te quam sacrificium pecudis immolati, ego ad hoc separatus a malignis, ut offeram tibi hostiam laudis, hostiam jubilationis, fiducialiter peto *me suscipi secundum eloquium tuum*, dicens tibi assidue: *Suscipe me secundum eloquium tuum, et vivam*, sicut ille filius Abrahæ, qui dixit: « Mihi vivere Christus est (*Phil.* I, 21). » Item: « Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus (*Gal.* II, 20). » Nam et ille quandiu erat in consortio malignantium Judæorum, vivere non potuit. Cum autem placuit ei, qui eum segregavit ex utero matris suæ, synagogæ malignantis, ut cognosceret veritatem, quam prius impugnaverat, ex tunc cœpit vivere vita illa vivificatus, quæ dicit: « Ego sum via, veritas et vita (*Joan.* XIV, 6). »

Et quia ego pusillus David pœnitens exemplo David similem vitam fide ac spe postulans exspecto, tu, Domine, *suscipe me secundum eloquium tuum, et non confundas me ab exspectatione mea. Non confundas* me, sed a malignis discerne me, dando mihi charitatem, qua per Spiritum sanctum diffusa in corde meo, ex perceptione præsentium munerum firma sit exspectatio futurorum per spem, quæ non confundit. *Ab exspectatione sua confunditur*, cui non provenit quod exspectat. Sic fatuæ virgines non habentes oleum in vasis suis, *ab exspectatione* sua confusæ sunt, quando a nuptiali gaudio diu exspectato sunt repulsæ, dicente sponso: « Nescio vos (*Matth.* XXV, 12). » Ne igitur et ego *confundar ab exspectatione mea*, oleum charitatis peto ad præsens mihi dari, quo sufficienter accepto, quia ipsa « charitas omnia sperat (*I Cor.* XIII, 7), » spes non confundit, neque tu inspirator ejusdem spei *confundas me ab exspectatione mea.* Quæ ut magis ac magis certificetur ex testimonio bonæ conscientiæ,

VERS. 117. *Adjuva me, et salvus ero, et meditabor in justificationibus tuis semper.* Licet jam gratias agens dixerim tibi: *Adjutor, et susceptor meus es tu*, tamen adhuc peto suscipi et *adjuvari*, ne donum tuæ susceptionis tui tuique adjutorii quandoque perdam; sed eo mihi perseverante de die in diem proficiendo eo perveniam, ubi *salvus ero, et meditabor in justificationibus tuis semper.* Quod dico *semper*, ad duo præmissa respicit, ut videlicet *salvus* maneam *semper*, et *mediter in justificationibus tuis semper*, fruendo *semper* sempiterna salute, meditansque *semper in tuis justificationibus*, quibus, quos prædestinasti et vocasti, illos etiam justificasti et magnificasti gratias agens semper, et in hac vita spe gaudendo, et in futura sociatus beatorum consortio, quibus *in tuis justificationibus* erit sempiterna meditatio et jugis gratiarum actio. Quod optans dico assidue: *Adjuva me, et salvus ero, et meditabor in justificationibus tuis semper.* Ideo vero

potius *in tuis*, quam in meis *justificationibus* propono mihi esse meditandum, quia qui suam statuentes justitiam justitiæ tuæ subjecti non sunt, a te spernuntur, ut ille Pharisæus, qui de justitia sua glorians publicanum sprevit, quo spreto sprevisti et tu illum spernentem, etsi non justiorem se, attamen longe humiliorem, qui a longe stans nec oculos ad cœlum levare audens percutiebat pectus suum, dicens: « Deus, propitius esto mihi peccatori (*Luc.* XVIII, 13). »—« Væ qui spernis, nonne et ipse sperneris? » ait Spiritus veritatis in Isaia propheta (*Isa.* XXXIII, 17). Justo igitur judicio

VERS. 118. *Sprevisti omnes discendentes a justitiis tuis, quia injusta cogitatio eorum*, dum suæ potius virtuti quam tuæ gratiæ attribuentes justitiam suam, *justitiæ tuæ* subjici nolunt, aliosque potius *in tuis*, quam in suis *justificationibus* confidentes dedignando *spernunt*, legem certe naturalem prævaricando, qua unicuique ratione utenti suggeritur in corde suo : quod tibi non vis, alteri ne feceris. Lex vero ista universalis est. Et quia ubi non est lex, nec prævaricatio; ubi autem prævaricatio legis, ibi legis transgressio, ego

VERS. 119. *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ*, illos qui legem scriptam non acceperunt, quia legem naturalem habent, quam non servando *prævaricatores* fiunt. Parvuli quoque nondum regenerati, quia in Adam peccaverunt, *prævaricatores* judicantur legis in paradiso datæ nec servatæ, quia mandatum sibi positum non servavit Adam. In quo, ut Apostolus ait, « omnes peccaverunt, et egent gloria Dei (*Rom.* III, 23), » gratis per gratiam gratuitam justificantis eos, qui diligunt ipsius gratiæ *testimonia*. *Ideo dilexi testimonia tua* testificantia gratiam gratis justificantem de ove perdita et inventa, sive de drachma item perdita et inventa gratulantem, filioque prodigo ad patrem suum reverso epulas dulces præparantem (*Luc.* XV, 8). Hujuscemodi gratiarum *testimonia dilexi*, per quæ revelatus ab onere legis gravantis potius quam adjuvantis (quia Moysi manus erant graves) jam respiro, et timore servili foras misso timorem castum et filialem requiro assidue dicens :

VERS. 120. *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui*. Timor ille servilis, quo virga, seu baculus legis mortuum premebat, etsi *carnes meas* utcunque ligavit, ut videlicet præ *timore* pœnarum, quas lex minabatur, peccare non auderem : tamen eas non *confixit*, aut ita crucifixit, ut eis mortificatis etiam concessa impunitate non esset voluntas peccandi. Propterea meliorem *timorem* peto, quo *confixis*, crucifixis et mortificatis, *carnibus* et carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam meam, non sit mihi ulla peccandi facultas, etiamsi detur facultas aut impunitas in humanis judiciis, mihi timorato respectu judiciorum tuorum (*I Petr.* II). *A judiciis enim tuis timui*, etiam quando nihil mihi conscius fui, sciens quod non in hoc justificatus essem, etiamsi nullius criminis mihi con-

A scius essem : quia in *tuis judiciis* examinanda sunt non solum opera sed etiam cogitationes. Ideo « neque me ipsum judico; qui autem judicat me, Dominus est, » ait Apostolus (*I Cor.* IV, 3), cujus vestigia sequens non arbitror me apprehendisse. *A judiciis enim tuis timui*, et timeo, nesciens utrum odio an amore dignus inveniar in tuo judicio, quod metuens desidero, desiderans metuo.

Copulemus nunc tres litteras præmissas : *mem*, *nun*, *samech*, quorum nomina Latine interpretata sonant : *Ex ipsis æternum adjutorium*, ut intelligas, ex ipsis, quæ sub his litteris continentur, tribus octonariis *æternum adjutorium* provenire fideliter et sapienter psallentibus. *Fideliter*, quantum ad ea quæ non intelliguntur, et tamen vera creduntur.
B *Sapienter*, quantum ad ea quæ per intellectum seu, quod melius est, per experimentum sapiuntur. Inter quæ sapidissima et illa dilectio, de qua in octonario primo dicitur : *Quomodo dilexi legem tuam, Domine, tota die meditatio mea est*. In secundo : *Legem tuam non sum oblitus*, quod est magnæ dilectionis indicium, quia quod intime diligitur, jugiter in memoria sine oblivione tenetur. In tertio autem octonario cum dicitur : *Iniquos odio habui et legem tuam dilexi*, manifeste charitas illa exprimitur, quæ non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, dum et iniquos odit et legem vera docentem diligit (*I Cor.* XIII, 6).

AIN.

C Littera hæc decima sexta, cujus nomen *ain* interpretatur *fons* vel *oculus*, recte congruit huic octonario, in quo de judicio discretionis agitur, quod est *fons* actionum justarum, quarum intentio bona est *oculus* in salutare Dei directus, juxta quod in tertio hujus octonarii versiculo dicitur : *Oculi mei defecerunt in salutare tuum, et in eloquium justitiæ tuæ*. Continuatur autem ad præmissa hoc modo : *A judiciis tuis timui*, atque ideo tua judicia præoccupando in confessione

VERS. 121. *Feci judicium et justitiam* credens Apostolo tuo dicenti : « Quod si nos ipsos judicaremus, non utique judicaremur (*I Cor.* XI, 31). » Timens ergo incedere judicium damnationis *feci judicium et justitiam*. *Judicium*, judicando et discer-
D nendo inter bonum et malum ; *justitiam*, reprobando malum et eligendo bonum. Fugiens judicium damnationis *feci judicium* discretionis : timens judicium sine misericordia *feci judicium* cum misericordia, illi acquiescens qui dicit : « Miserere animæ tuæ placens Deo (*Eccli.* XXX, 24), » cui revera is placet, qui et per *judicium* justum bona malaque discernit, et per *justitiam* discretam diligit bona ac mala odit, juxta quod alias dicitur : « Odientes malum, adhærentes bono (*Rom.* XII, 9). » Sic *faciens judicium et justitiam* suscitavi mihi multas inimicitias et calumnias ex parte adversantium dæmonum simul et hominum, quos timens oro : *Ne tradas me calumniantibus me*. Calumniatus est diabolus beatum Job dicens : « Nunquid Job fru-

stra timet Deum? » (*Job.* I, 9) petiitque sibi illum tradi, ut tentaret, quatenus victo in tentatione calumnians insultaret. Et ille quidem traditus est tentanti ad tentandum; sed non *calumnianti* ad calumniandum, quia victor in omnibus tentationibus, etsi calumnias falsas pertulerit a diabolo, ab amicis, ab uxore, tamen veras evasit, ac proinde traditus non est *calumniantibus*, in typum videlicet sanctæ Dei Ecclesiæ, quæ dæmonum, paganorum, hæreticorum, domesticorum quoque inimicorum, qualis erat uxor Job, etsi falsas calumnias protulit ad probationem suæ patientiæ, tamen veras non incidit, quia tentatio, seu tribulatio patientiam, patientia probationem, probatio vero spem in illius filiis operata est, quæ spes non ita eos confudit, ut inimicis calumniandi vera occasio vel causa fuerit, B quin potius in eorum caput versa est calumnia fallaciter Ecclesiæ intorta (*Rom.* v, 4, 5.) : verbi gratia, paganis falso *calumniantibus* Ecclesiam, quod coleret mortuum, vere gloriatur Ecclesia se colere Christum Filium Dei vivi, Deum vivum contestantibus hoc ipsum virtutibus et miraculis beatorum martyrum in ejus cultu mortuorum. Similiter calumnia hæreticorum versa est in caput eorum confutata falsitate ipsorum errantium et in errores mittentium, simulque clarificata veritate apostolicæ doctrinæ tam de fidei sinceritate, quam de Christianæ conversationis puritate. Sed quia quandiu veris Christianis intermisti sunt falsi, non desunt hostes vel occulti vel aperti, qui sunt Gog et Magog, semper ad calumniandum parati : Oro vel ego Ecclesia vel ego ecclesiastica persona, ut *non tradas me calumniantibus me*, ita ut vere quandoque mihi valeant insultare et gloriari de sua contra me victoria, quod esset mihi grandis calumnia, maxime si me ita superarent, ut a bono ad malum vel allicerent vel impellerent. Quod ne fiat sive ullo modo fieri valeat.

VERS. 122. *Suscipe servum tuum in bonum*, ita *ut non calumnientur me superbi*, objicere valentes aliquod malum. *Me* dico, *servum tuum* propter humilitatis conscientiam, in qua semper sum paratus, te juvante, tibi servire, tuisque mandatis obedire ac de præteritis peccatis humiliter satisfacere. *Calumniatores* autem dico *superbos*, utpote gloriantes aut D in sua malitia juxta illud : « Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate (*Psal.* LI, 3)? » aut in falsa justitia, ut ille qui dixit : « Gratias tibi ago, Deus, quia non sum sicut cæteri homines, raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic publicanus (*Luc.* XVIII, 11). » Quo contra ille, qui dixit : « Deus propitius esto mihi peccatori (*ibid.*, 13), » percutiens pectus suum, nec audens oculos ad cœlum levare, jam *servus tuus* erat per humilitatis conscientiam veramque pœnitentiam, et ut eumdem *servum tuum* suscepisti *in bonum* liberando illum a calumnia *superbi* Pharisæi suam justitiam statuentis, justitiæ autem tuæ subdi nolentis, imo quod ejus erat, publicano pœnitenti calumniose insul-

A tantis. Quia ergo et ego *me* confiteor *servum tuum* frequenter percutiendo pectus meum, timensque calumniatorem Pharisæum vel potius illum incircumcisum Philisthæum, qui exprobrare solet agminibus Dei viventis, quare parati venerint ad prælium contra se (*I Reg.* VI, 12) : tu qui *superbis* resistis, humilibus autem das gratiam, *suscipe me servum tuum*, parvulum David pœnitentia vera humiliatum. *Suscipe*, quæso, *in bonum*, cui vides insultare malum Philisthæum. *Suscipe me in bonum* dans mihi triumphare contra malum, nunc in funda et lapide per orationes eminus, nunc in gladio bis acuto per sermones cominus feriendo malum, hoc est, malitiam superborum struentium insidias semper et calumnias, te ordinante mihi *in bonum*, sibi vero in malum, quia exemplo superbientis Philistæi suo gladio erunt jugulandi, ne sit illis ulla facultas calumniandi me David, *me* pœnitentem *servum tuum*, quem suscipere digneris *in bonum*, dando mihi cor humile ac mansuetum; non tamen dormitanti per somnum pigritiæ, sed alacriter ac diu vigilanti. Nempe in hac vigilantia

VERS. 123. *Oculi mei defecerunt in salutare tuum, et in eloquium justitiæ tuæ. Defecerunt* a se proficiendo ultra se *in salutare tuum*; scilicet in Filium tuum, Salvatorem meum, qui volens omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, per Evangelium suum edidit *eloquium justitiæ tuæ*, dicens discipulis suis, et per illos aliis : « Nisi C abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum (*Matth.* v, 20). » Hujus *justitiæ* manifestum est *eloquium* per totum quidem textum sancti Evangelii; sed ille sermo in monte habitus, quem locuturus aperuit os suum, qui prius aperuerat ora prophetarum, specialiter dici potest *eloquium justitiæ tuæ*, Deus amator et dator *justitiæ*, quæ docetur illic facienda non coram hominibus exemplo Pharisæorum, sed coram Deo exemplo discipulorum, non ut ipsi glorificentur ab hominibus, sed ut homines videntes opera hujus *justitiæ* glorificent Patrem et auctorem hujus *justitiæ*. Quam justitiam, quia homo non potest facere, tu, qui solus potes,

VERS. 124. *Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et justificationes tuas doce me.* Jam me fecisti *servum tuum*, timorem tuum, timorem judiciorum tuorum inspirando, ut a judiciis tuis timerem; sed ut perfecta charitas foras mittat timorem, *fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam*, non secundum justitiam meam, *et justificationes tuas*, quibus tu justificas impium, qui se ipsum justificare non potest, *me docere* digneris, quia sicut me ipsum, cum non essem, creare non potui, ut essem aliqua creatura : sic me, cum sim peccator in peccatis natus, non possum justificare, ut sim initium aliquod creaturæ tuæ novæ, de qua testatur Apostolus tuus, quod « neque præputium est aliquid, neque circumcisio, sed nova creatura (*Gal.* VI, 15). » Est autem nova creatura, cum vetere homine deposito in-

duitur novus homo, quod fieri non potest, nisi, te docente, *justificationes tuas*. Propterea dico : *Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et justificationes tuas doce me. Tuas* dico, non *meas*. *Tuas*, quibus hominem justificas, non homo se; quibus jam initiatis in me,

VERS. 125. *Servus tuus sum ego*, qui aliquando servus eram peccati. Sed ut de servo efficiar amicus exemplo illorum quibus dicis : « Jam non dicam vos servos, sed amicos meos (*Joan.* XV, 15) ; » *Da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua*, Licet supra dixerim : *Super senes intellexi*, et *super omnes docentes me intellexi :* tamen adhuc peto *intellectum*, quia de fonte inexhausto bibens, doni accepti et incœpti sitio augmentum et consummationem pariterque conservationem : *ut sciam testimonia tua*, quæ sciunt, qui cum Apostolo dicere possunt : « Ipse Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quod sumus filii Dei (*Rom.* VIII, 16). » Item : « Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Christi Jesu (*Philipp.* I, 8). » Hujuscemodi *testimonia tua* valde sunt necessaria contra calumniantes, quibus importune infestantibus necessaria sunt illa *testimonia tua* intrinsecus, quibus homini persuadetur credere quod sit Filius tuus, illi potissimum qui dicit : « Jam non sum dignus vocari filius tuus (*Luc.* XV, 19). » Talis *ego sum*, qui peccavi, Pater, in cœlum, et coram te, nec jam sum dignus vocari filius tuus, neque audeo me reputare filium tuum, nisi tu hujus rei des *intellectum, ut sciam testimonia tua*, id contestantia, quod sim filius tuus, convivio saginati vituli post egestatem nimiam recreatus, et stola prima simulque annulo et calceamentis ornatus, quæ omnia sunt bona et evidentia *testimonia tua*, quod sim receptus in filium ego, qui non sum dignus vocari filius tuus, id ipsum affirmantibus calumniatoribus, qualis erat ille senior filius, qui de fratris receptione indignatus maluit susceptum fratrem calumniari, quam cum illo epulari et gaudere. Contra tales calumniatores tu, Pater misericordiarum, *da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua* intrinseca et extrinseca : intrinseca edulio vituli saginati purificante conscientia ; extrinseca, ornantibus famam stola prima et annulo simulque calceamentis acceptis, quibus pedes pridem lutosi fiant speciosi, ut legitur : « Quam speciosi pedes evangelizantium pacem ! » (*Rom.* X, 15.) Item : « Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis ! » (*Cant.* VII, 1.) Fuit olim tempus per prophetas prædicendi talia : sed nunc

VERS. 126. *Tempus faciendi, Domine*, quia calumniatores *dissipaverunt legem tuam*, statuendo suas traditiones legi tuæ contrarias, quibus non potest resisti verbis quantumlibet exquisitis nisi te, Domine, confirmante et cooperante sermonem sequentibus factis. Ideo nunc *tempus* acceptabile, *tempus* miserendi, *tempus faciendi* opera talia, per quæ reformetur et adimpleatur *lex tua*, Domine, a calumniatoribus *dissipata*. Non enim venisti *legem* solvere, sed adimplere (*Matth.* V, 17). Hoc dixisti *tempore* dicendi. Nam et per te ipsum et per servos tuos, quos misisti vocare invitatos ad nuptias, omnino sufficienter dixisti quæ dicenda erant (*Luc.* XIV, 8). Jam dictis et scriptis invitantium ad cœnam tuam plena sunt armaria, et in omnem terram exivit sonus apostolorum aliorumque nuntiorum tuorum, non solum per dicta, sed etiam per scripta ubique divulgata ; nec est qui se abscondat vel abscondere valeat a fulgore verbi tui multipliciter dicti et scripti, usque adeo ut non sint jam loquelæ, neque sermones in toto mundo, quibus non audiantur voces invitantium ad nuptias evangelicas. At ipsi vocati, aliis negotiis occupati, omnes excusant, eo quod aut sibi villas, aut juga boum coemerunt, aut uxores duxerunt, vel sicut alias legitur : « Abierunt alius in villam suam, alius ad negotiationem suam (*Matth.* XXII, 5), » talique modo pene omnes *dissipaverunt legem tuam*, sequendo legem suam, suis membris insitam, repugnantem legi tuæ, cui nolunt consentire ut ille, qui dixit : « Consentio legi Dei, quoniam bona est : video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati et mortis (*Rom.* VII, 23). » Sic *legi* Dei condelectatus secundum interiorem hominem, reluctansque legi peccati, prout valuit, non *dissipavit legem tuam*, imo confugiens ad gratiam tuam non contra te murmuravit, sed ad te clamavit : « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ? Gratia Dei per Jesum Christum (*Rom.* VII, 24). » Non, inquam, *dissipavit legem tuam* sic orando confugiens ab onere legis gravantis ad sinum gratiæ tuæ adjuvantis. At isti calumniatores, contra quos mihi nunc querela est, usque adeo *dissipaverunt legem tuam*, ut nihil apud eos, vel contra eos valeant scripta vel dicta evangelica, quibus contradicunt adversando et calumniando. Est ergo *tempus faciendi* potius quam dicendi aliquid tale contra istos dissipatores et calumniatores, unde compellantur dicere : « Fugiamus Israelem : Dominus enim pugnat pro eis contra nos (*Exod.* XIV, 25). » Hoc tandem locuti sunt Ægyptii, facto potius quam dicto humiliati, qui quoniam dicta Moysi contempserant, facto mirabili et terribili sic tandem in mari Rubro sunt humiliati, ut dicerent : « Fugiamus Israelem ; Dominus enim pugnat pro eis contra nos. » Et nunc ergo adversus calumniatores et legis tuæ, Deus, contemptores *tempus* est *faciendi* aliquid, unde omne os calumniantium obstruatur, et unde compellantur intrare ad nuptias, qui verbo solo vocati venire nolunt, nisi alicujus facti sentiant stimulum talem, cui recalcitrare durum sit illis, ac proinde saltem compulsi veniant ita numerosi, ut impleatur domus tua. Ego autem stimulo isto, etsi aliquando indiguerim tactus flagellis tuis, modo eum non quæro, imo cum sponsa trahi post te concupisco tractu suavissimo : « quia, » ut tu scis, « amore langueo (*Cant.* II, 5), » amore sive ardore te videndi, et tibi adhærendi non

ad horam, sed in æternum, quo non pervenitur, nisi per viam mandatorum tuorum.

VERS. 127, 128. *Ideo dilexi mandata tua super aurum et topazion :* quia *desiderabilia* mihi sunt « super aurum et lapidem pretiosum, et dulciora super mel et favum (*Psal.* XVIII, 11), » super omne quod habet hic mundus visu pulchrum, ut *aurum* et *topazius*, lapis pretiosus, aut jucundum sive dulce, ut mel et favus. *Propterea ad omnia mandata tua dirigebar*, ut ex rectis rectus fierem. Et e regione *omnem viam iniquam odio habui*, quia sicut via *mandatorum tuorum* recta est, ita via erroris iniqua, distorta, naufragosa et periculosa, imo et perniciosa; atque ideo qui amat viam rectam, quæ justorum est, necessario iniquam odio habet, sicut et ego David pœnitens, ex quo *ad omnia mandata tua* cœpi *dirigi* per gratiam tuam, ex eo non solum vitavi, sed *odio habui omnem viam iniquam*, delectatus ambulare in illa via quæ dicit : « Ego sum via, veritas et vita (*Joan.* XIV, 6). »

FE.

Littera hæc decima septima, cujus nomen *fe* interpretatur *os*, recte ponitur in capitibus horum octo versuum, quorum tertius ita se habet : *Os meum aperui et attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam.* Quo dicto manifestatur summa et principalis intentio sic psallentis esse circa desiderium spiritalium Dei mandatorum spretis carnalibus observantiis, quæ continebantur in lege Moysi, contestante, sed non dante gratiam spiritalem, contestante, inquam, nimis mirabiliter, cum per multa carnalia sacrificia significaretur unum spiritale, quo solo Deus per peccatum primi hominis irritatus erat propitiandus et placandus. Hoc perpendens ego David psallo, dicens :

VERS. 129. *Mirabilia testimonia tua, Domine.* Magnitudo et multitudo creaturarum de nihilo a te factorum perhibent *testimonium* tuæ omnipotentiæ, qua de nihilo facere potuisti tam multa et tam magna, ut inde cogatur admirari humana ratio considerans ea facta de nihilo, de quo nihilo nihil potest facere angelus vel homo. Unde veterum fuit sententia : *De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.* Et quidem ista impossibilitas de nihilo aliquid faciendi, vel aliquid in nihilum redigendi recte hominibus et angelis assignatur; tibi autem, qui omnia sub te ordinata fecisti de nihilo, recte adscribitur omnipotentia, qua sicut omnia fecisti de nihilo, sic potens es consummare vel instaurare omnia pro nihilo, sicut alibi dicis : « Si populus meus audisset me, Israel si in viis meis ambulasset, pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem (*Psal.* LXXX, 14). » Item : Verissime tibi dicitur : « Pro nihilo salvos facies illos, in ira populos confringes (*Psal.* LV, 6). » Magna omnipotentia de nihilo multa et magna creasse, ac pro nihilo salvasse multos, qui sicut nihil erant, antequam tu eos creares, ita nihil boni fecerant aut facere poterant, antequam

A tu eos de malis bonos faceres. In quibus omnibus *mirabilia testimonia* cernuntur potentiæ tuæ.

Item formosa et speciosa dispositio rerum de nihilo creatarum perhibet *mirabile testimonium* sapientiæ tuæ attingenti a fine usque ad finem, a summo archangelo usque ad minimum vermiculum, ab initio temporum usque ad consummationem sæculorum, attingenti, inquam, fortiter et disponenti omnia suaviter, ita ut nihil sit inordinatum in regno tuo, quod est regnum omnium sæculorum, quæ sicut non cœpissent esse nisi te creante, sic jam creata subsistere non possent nisi te gubernante et conservante. Porro ut omnis omnium gubernatio cooperetur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti, et sint eis omnia

B utilia, etiam quæ videntur inutilia, bonitas tua facit, quam nulla malitia vincit, sed ipsa vincit malitiam, bene utens malis quoque ad utilitatem bonorum. In quibus omnibus *mirabilia testimonia tua* clarent bonitatis tuæ immensæ, quemadmodum et potentia simulque sapientia tua immensa est. Sic in creaturarum quantitate, qualitate, utilitate creatricis Trinitatis potentia, sapientia, bonitas testificata est mirabiliter *mirabilibus testimoniis*, quoniam et illa, quæ usu viluerunt, ut est motus astrorum et jugis cursus aquarum, cæteraque in hunc modum simplicibus patentia, scrutantibus eadem subtilius inveniuntur *mirabilia*.

Ideo scrutata est ea anima mea, ut ex visibilibus

C invisibilia, ex mutabilibus immutabilia, scilicet potentiam, sapientiam et bonitatem æternam intelligerem et intellectam diligerem. Amplius autem in Scripturis veritatis inveniuntur *mirabilia testimonia tua*, Domine, ubi narrantur inusitata miracula ultra consuetum naturæ cursum perpetrata vel per angelos vel per homines vel per utrosque simul operantes, ut est virga Moysi commutata in draconem devoransque virgas magorum versas in dracones, mare divisum, petra fundens aquas, aliaque in hunc modum facta magna (*Exod.* IV et VII), sed majorum signa, ita ut illa vocentur umbra corpus veritatis præostendentia, corpus autem sol justitiæ, quo exorto aspiraret dies et inclinarentur umbræ. In omnibus his *mirabilia testimonia tua*, Domine,

D quorum quædam ostendunt potentiam tuam, ut memorata miracula, quædam sapientiam, ut verba tua inter hæc dicta et scripta, sive in talibus per Moysen sive in libris legalibus et propheticis; quædam vero bonitatem, ut sacrificia pro peccatis expiandis ad tempus instituta, quoadusque veniret verum et perfectum sacrificium, quod tolleret peccata non solius Israelitici populi sed totius mundi. Quod quia per sanguinem hircorum aut vitulorum fieri non potuit, restabat in hujusmodi sacrificiis diligenter investigari, qualiter illa *testimonium* perhiberent vero sacrificio, quod oblatum pro totius mundi salute agnus esset pro innocentibus, hircus pro peccatoribus pœnitentibus, columba pro simplicibus, turtur pro castis : et ut breviter dicamus, omnia

omnibus esset, ut omnes lucrifaceret, quando in se uno sacrificio perficerentur omnia sacrificia huic soli *testimonia mirabilia* perhibentia non apud fatuos, qui talia non pensaverunt, sed apud fideles, qui eadem scrutati sunt. *Ideo scrutata est ea anima mea* legendo et lecta meditando, non ad horam, sed die ac nocte. Sic scrutando expertus sum, quod

VERS. 130. *Declaratio sermonum tuorum illuminat* se scrutantes primo ad litteralem sive historicum sensum : deinde *intellectum* interiorem, scilicet mysticum, quem abscondit a sapientibus et prudentibus, *dat parvulis* non alta sapientibus, sed humiliter sentientibus. Ideo dicit ipsa Veritas incarnata : « Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te (*Luc.* x, 21). » Sapientes et prudentes hoc loco intelliguntur superbi, quod ex hoc patet, quia eis opponuntur non fatui, sed *parvuli*, humiles videlicet, de quibus dicitur : « Sinite parvulos venire ad me ; talium est enim regnum cœlorum (*Marc.* x, 14). » Item : « Beati pauperes spiritu (*Matth.* v, 3). » Inter quos et ego pauper spiritu

VERS. 131. *Os meum aperui, et attraxi Spiritum, quia mandata tua desiderabam* scire per intellectum parvulis datum, et facere per effectum nunquam obtinendum, nisi Spiritus adjuvet infirmitatem legalibus mandatis demonstratam, quatenus eam cognoscentes inflati detumescerent, et parvuli effecti caperent intellectum, qui non datur nisi parvulis, hoc est humilibus. Ad hunc ergo spiritum, qui adjuvat infirmitatem, attrahendum *os meum aperui* petendo, quærendo, pulsando, sciens quod si nos, cum simus mali, novimus bona data dare filiis nostris : multo magis Pater noster cœlestis dabit *Spiritum* bonum petentibus se (*Luc.* xi, 13). Per hunc *Spiritum* datum charitas diffunditur in cordibus credentium, suaque credulitate *os* mentis aperientium, quod in non credentibus est clausum. Ego autem, quia credidi, *os meum aperui*, et ipsa fide cor mundante, atque *os* cordis dilatante *attraxi Spiritum*, qui libenter ingreditur *os* cordis patulum illius exemplo, qui dixit : « Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est (*II Cor.* vi, 11). » *Os* quippe angustum habet, qui sibimetipsi tantummodo bona cupit ut mercenarius, aut mala sibi soli timet ut servus malus. Dilatatum vero *os* habet ad Deum Patrem, qui se illi exhibet filium, desiderans impleri voluntatem Patris non in se aut per se tantum, sed in omnibus et per omnes, quia non est voluntas Patris, ut peccatores pereant, sed ut magis convertantur et vivant. Sic *ore* dilatato per fraternæ charitatis mandatum nimis latum, quod servare desideravi, *attraxi Spiritum*, per quem eadem charitas diffusa in corde meo efficeret in me illam perfectionem, quam non potui obtinere per legem, quæ nihil ad perfectum adduxit. Dicens autem :

A *Quia mandata tua desiderabam*, quo verbo præteritum tempus imperfectum notatur, adhuc me significo imperfectum, sicut et illi qui dicebant : « Nos autem sperabamus, quod ipse redempturus esset Israel (*Luc.* xxiv, 21), » imperfectæ spei vix reliquias habuerunt, atque ideo ut perficiar, tu, cujus aspectus clementiam, despectus vero insinuat iram, « ne avertas faciem tuam a me (*Psal.* L, 11), » sed

VERS. 132. *Aspice in me, et miserere mei. Aspice* illis oculis, de quibus dicitur : « Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum (*Psal.* xxxiii, 16), » quod est *aspicere* simul et *misereri*, dum quos aspectus pius justificat, hos exauditio misericors virtutibus ditat. Neque enim sine altero B unum sufficit. Ideo utrumque peto dicens : *Aspice in me, et miserere mei. Aspice* in me, o Sol justitiæ, tuo luminoso aspectu pellens injustitiæ tenebras, *et miserere mei* misero mihi dans virtutum divitias, non utcunque, sed *secundum judicium diligentium nomen tuum*, non sicut Sauli dedisti regnum post ab illo scindendum, sed secundum jusjurandum nunquam dissolvendum, quod jurasti ad Abraham patrem nostrum daturum te *diligentibus nomen tuum*. Loquens enim ad Abraham patrem nostrum dixisti : « Benedicens benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et sicut arenam, quæ est in littore maris (*Gen.* xxii, 17). » *Diligentes* quippe *nomen tuum* recte assimilantur stellis cœli, et sunt C filii Abrahæ, secundum fidem scilicet ipsius fideles et lucidi, filii vero ejusdem secundum carnem vel ex ipso nati, vel per speciem pietatis nomen filiorum ejus adepti, quia virtutem ejus abnegant, quasi arena maris inveniuntur steriles et contemptibiles, ita ut facile dijudicari possint ipsi non diligentes a *diligentibus nomen tuum* per manifestum discretionis judicium, sitque illis utpote omnino terrenis judicium damnationis : *diligentibus* vero *nomen tuum* sit *judicium* discretionis, quod etiam quisque illorum postulat, cum dicit : « Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta (*Psal.* xlii, 1). » Hoc judicio « judicabit Dominus populum suum, et in servis suis miserebitur (*Deut.* xxxii, 36). » Judicabit sane discernendo po- D pulum suum a populo non suo, populo barbaro, et præcedente hoc judicio in servis suis miserebitur, ostendens ipsis in se ipsis misericordias in æternum cantandas utpote in æternum permansuras.

Non talis erat misericordia illis, quibus in Osee cum improperio dicitur : « Misericordia vestra quasi nubes matutina et quasi ros mane pertransiens (*Ose.* vi, 4). » Non talis erat misericordia divitis purpurati et epulantis quotidie splendide (*Luc.* xvi, 19). Data quippe fuit hæc misericordia non *secundum judicium diligentium nomen tuum*, quos, quia prior dilexisti æterna dilectione ante constitutionem mundi, consequens erat ut præventi jam in benedictionibus dulcedinis et dulcissimæ dilectionis tuæ ipsi quoque diligerent *nomen tuum* super se invoca-

tum. Nominaris enim et es Pater luminum et Pater misericordiarum. Tibi ergo Patri luminum dico: *Aspice in me* illuminando me, et tibi Patri misericordiarum dico: *Miserere mei secundum judicium diligentium nomen tuum* paternitatis indicativum, quod qui diligunt, filii, non servi sunt. Unde etiam, « quomodo miserebitur Pater filiorum (*Psal.* CII, 13), » tu *misereberis* talium. Quorum consortio cupiens admitti de profundis tenebris clamo ad te Patrem luminum dicens: *Aspice in me*, et de multis ac profundis miseriis clamo ad te Patrem misericordiarum dicens: *Miserere mei*, non quomodocunque, sed *secundum judicium diligentium nomen tuum*, quibus das temporales misericordias, ut exinde lucrentur æternas, sibi faciendo amicos, ministrando illis temporalia, per quos recipiantur in æterna tabernacula: vel certe subtrahis illis temporales misericordias, quibus nosti eos posse impediri ab æternis, ut expeditius currant ad æternas. Has opto dicens: *Miserere mei secundum judicium diligentium nomen tuum*, quia his *diligentibus nomen tuum* omnia cooperantur in bonum sive per copiam sive per inopiam, sive per gloriam sive per ignobilitatem, sive per famam sive per infamiam cursus eorum disponatur, quo per temporalia sive chara sive molesta, sive blanda sive aspera currunt ad æterna, quæ retro sunt obliviscendo, seque in anteriora extendendo.

Aliter: *Aspice in me* sic nudatum, quomodo nudatus est Adam, in quo, sicut omnes peccavimus, sic omnes in ipso nudati venimus in hunc mundum. Quod etiam justus Job conqueritur dicens: « Nudus egressus sum de utero matris meæ (*Job* I, 21). » Ne autem *nudus revertar illuc* sicut illi, qui ante incarnationis vestem nuptialem, sanguine Dominicæ passionis purpuratam nudi mortui sunt: sic *aspice in me* nudum, ut non irascaris mihi nudo, sicut iratus es Adæ nudo et a facie tua fugitanti (*Gen.* III, 7); sed *miserere mei* vestiendo me non sicut illum primum Adam tunica pellicea vetustati obnoxia, in qua omnis ejus posteritas ut vestimentum veterascet, sed sicut secundum Adam tunica desuper contexta per totum, tunica inconsutili ac proinde inscindibili, ut hac tunica Christi vestitus, imo ipsum Christum indutus inveniar in eorum consortio, quibus dicit Apostolus tuus: « Omnes, qui in Christo baptizati estis, Christum induistis (*Gal.* III, 27). »

Aliter: *Aspice in me* a latronibus primo spoliatum virtutibus, deinde vulneratum vitiis; *et miserere mei* faciens misericordiam in me, curamque habens de me in stabulo universalis Ecclesiæ, ne denuo incidam in latrones, neque lædar a lupis circa hoc stabulum frementibus, at non ingredi audentibus, quia stabulum istud custodit bonus Ostiarius, qui et ipse est « ostium, per quod, si quis introierit, salvabitur et pascua inveniet (*Joan.* X, 9). » Sic ergo misericordiam quæro *secundum judicium diligentium nomen tuum*, ut per ostium ingrediens ad contem-
A plationem, et egrediens ad rationabilem actionem pascua inveniam bono actionis et contemplationis affectu jugiter fruente salubris effectus evidentia tanquam pascuis uberrimis, nunc et in æternum permansuris mihi *nomen tuum diligenti secundum judicium* aliorum *diligentium nomen tuum*.

Aliter: *Aspice in me* jam non dignum vocari filium tuum, utpote graviter in regione longinqua dehonestatum (*Luc.* XV, 13), *et miserere mei* non secundum judicium senioris fratris tibi miserenti et mihi misero indignantis; sed *secundum judicium diligentium* hoc *nomen tuum*, quo sicut *Pater* vocaris, ita paterne misereris in se reversis et ad te conversis. Unde ipsi diligentes hoc *nomen tuum* libenter intersunt convivio et choro epulantium et
B symphonias frequentantium foris tabescente fratre invido, secundum cujus judicium noli me judicare, Pater misericordiarum, sed *secundum judicium diligentium nomen tuum*.

Aliter: *Aspice in me* publicanum stantem a longe in templo tuo (*Luc.* XVIII, 11), quod est Ecclesia, neque audentem levare oculos ad cœlum, cujus non sum dignus videre altitudinem præ multitudine iniquitatis meæ: *et miserere mei*, non secundum judicium Pharisæi de suo merito gloriantis et aspernantis cæteros præ nimia fiducia suæ justitiæ, sed *secundum judicium diligentium nomen tuum*, quo diceris *Deus propitius*, quo etiam nomine sæpius te invoco dicens: « Deus propitius esto mihi peccatori
C (*Luc.* XVIII, 13). »

Item: *Aspice in me*, sicut aspexisti Petrum lacrymantem non solum quia flevit, sed etiam ut fleret (*Matth.* XXVI, 75): *et miserere mei*, sicut misertus es illius non solum dando veniam, sed etiam conservando apostolatus gloriam. *Secundum judicium diligentium nomen tuum* ea dilectione, qua et ipse Petrus illud dilexit, qui negationem trinam trina dilectionis confessione abolevit tertio dicens: « Amo te (*Joan.* XXI, 15). »

Item: *Aspice in me*, sicut aspexisti mulierem peccatricem non solum pœnitentem, sed etiam ut pœniteret ac fleret: *et miserere mei* non secundum judicium Pharisæi de illa murmurantis, aut Judæ indignantis illi, sed *secundum judicium diligentium*
D *nomen tuum* non parva dilectione, qua minus diligit, cui minus dimittitur; sed multa dilectione, qua multum diligit, cui multum dimittitur. *Secundum judicium* sic *diligentium nomen tuum* rogo misericordiam, qua dictum est: « Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. » Item: « Fides tua te salvam fecit, vade in pace (*Luc.* VII, 47-50). » Ne autem post hujusmodi aspectum tuum tanta miseratione in me cumulatum denuo abeam retro,

VERS. 133. *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, et non dominetur mei omnis injustitia.* *Gressus meos* primo interius in his motibus, qui mente fiunt cogitando et appetendo aliqua, sic *dirige*, ut nihil cogitem nisi cogitandum, ne sim unus ex illis, quibus dicitur: « Utquid cogitatis mala in

cordibus vestris (*Matth.* IX, 4) ? » nihil quoque appetam nisi appetendum sive ad usum sive ad fructum. Ad usum, ut temporalia, quibus utendum, non abutendum est ; ad fructum vero ut æterna, quibus fruuntur, qui ea diligunt sive habenda sive habita propter semetipsa. Nam, qui ea non propter se, sed propter aliud diligit, *gressibus* distortis incedit sicut Salomon, qui expetiit ac dilexit sapientiam non propter ipsam, sed ad faciendum judicium, per quod reverendus ac timendus esset inter homines. Quod etiam usque adeo assecutus est, ut ante illum nullus ei similis fuerit, nec post surrecturus sit, quem sic timuerint subjecti populi, sicut illum timuerunt sui, « scientes, » ait Scriptura, « sapientiam Dei esse in eo ad faciendum judicium (*III Reg.* III, 28). » Merito ergo in nocte accepit sapientiam, qui eam nec desideravit nec accepit propter ipsam sibi æternaliter permansuram ; sed propter judicium faciendum, quod erat bonum transitorium. *Gressus* ergo illius erant multum distorti a rectitudine, qua omnes recti corde non amant bona temporalia nisi propter æterna per hæc assequenda : ipsa vero æterna, ut est charitas et sapientia, non amant nisi propter se ipsa, quibus amando inhærens anima nunc habet fructum in sanctificatione, finem vero vitam æternam. Sic nempe ordinata debet esse charitas, qua chara sunt, quæ appetuntur vel habentur, ut spiritalia corporalibus, et temporalibus æterna, terrenis cœlestia tanto sint chariora, quanto summo bono, quod esse debet charissimum, sunt viciniora, ut est creata sapientia increatæ, donata donanti, quam qui acceperit, non debet eam vertere ad sui honorem, sed ad honorem dantis, nec ad hoc intorquere, ut in hac vita deliciis affluat exemplo Salomonis, cui assimilantur omnes, qui evangelizant, ut manducent, quod est incedere *gressibus* non rectis, cum potius deberent manducare, ut evangelizarent, quod esset rectis *gressibus* ad anteriora extendi. *Gressus* ergo mentis, ut dictum est, primum rogo *dirigi*, deinde quoque *gressus* operum, ut non solummodo sim rectus corde, quod ad justitiam sufficit, si tempus aut facultas operandi non sit ; sed etiam rectus conversatione, ut quandiu datum est mihi vivere, vivam recte *secundum eloquium tuum*, quia rectum est verbum tuum.

Et non dominetur mei omnis injustitia. Vellem quidem carere penitus omni peccato sive *injustitia* ; sed, quia non est hoc hujus temporis, in quo, « si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est (*I Joan.* I, 8), » bene agitur nobiscum, si tanta erit justitiæ dilectio, ut, etsi peccatum nobis insit, tamen non obsit ; etsi fatiget, tamen non regnet in mortali nostro corpore, ut eamus post concupiscentias ejus, et exhibeamus membra nostra instrumenta vel arma iniquitatis, instrumenta peccando, arma ipsum peccatum vel excusando vel defendendo. Si hoc erit, exaudita est oratio mea, ut *non dominetur mei omnis injustitia*, et sic erit justa conversatio mea etiam

A inter injustos insidiosos mihi et calumniosos. Quorum calumniis, quia meis viribus resistere non possum, tu, qui omnia potes,

VERS. 134. *Redime me a calumniis hominum, ut custodiam mandata tua. Calumniæ* dicuntur proprie falsæ impositiones, per quas et bona pervertuntur, et mala malitiose aut falso impinguntur. Inter quas bene conversanti gravis tentatio imminet, quam nisi per patientiam vincere non potest. Igitur dando mihi patientiam *redime me a calumniis hominum*, et ego in patientia mea possidens animam meam *custodiam mandata tua* custoditus a te datore hujus patientiæ, qua neque inter *calumnias*, nec propter *calumnias* ab obedientia et observantia *mandatorum tuorum* declinem. In quo proposito lucidou t perseverem, tu

B VERS. 135. *Faciem tuam illumina super servum tuum* purificans cordis mei speculum sic, ut in eo resplendeat lumen vultus tui, et ego sim in illorum consortio, qui tibi gratias agendo cantant : « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine : dedisti lætitiam in corde meo (*Psal.* IV, 7). » Ita, obsecro, *faciem tuam illumina super servum tuum* : quia talis illuminatio facit *servum bonum*, cui repositum est regnum bonum. *Et doce me justificationes tuas. Doce*, quæso, *me* non solum scire, sed et facere *justificationes tuas*, qui docendi modus tibi soli est possibilis, qui *doces hominem scientiam*, et *doces* facere voluntatem tuam. Nam omnis, qui audit et C didicit a te Patre luminum, venit ad Christum, et erunt hi omnes docibiles Dei, quoniam talis doctrina neque ab homine, neque per hominem fit, sed per revelationem sic docentem, ut is, qui docetur, sit doctus. Nempe sic se habet proprietas hujus verbi activi, quod est *docere*, ut ejus passivum, quod est *doceri*, debeat exinde consequi. Sed, ut dictum est, hic modus docendi soli Deo est possibilis, qui solus docendo intrinsecus doctos facit, quod homo, quantolibet studio docendi forinsecus laboret, facere non potest, sicut nec agricola plantans et rigans incrementum dare prævalet. Tu ergo, qui solus potes, *doce me justificationes tuas*, ita ut sim justificatus gratis per gratiam tuam, non habens justitiam meam, in qua possim gloriari ut Pharisæi, qui cæ- D teros aspernantur ; sed justitiam tuam, qua tu justificeris in sermonibus, quibus promittis pœnitentibus remissionem peccatorum, quæ sola est *justificatio* ipsorum pœnitentium, nec ipsam pœnitentiam a se, sed a te habentium. Qua pœnitentia mihi gratis a te donata,

VERS. 136. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Flebam quippe amare cum Petro, flebam cum Maria peccatrice, flebam cum flentibus et semina sua mittentibus, flebam non parce, sed large habenas relaxando lacrymis ultro exeuntibus, ita ut vere dicere possim : *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei*, sive ut in Hebræo legitur : *Rivi aquarum fluebant de oculis meis redarguente illos intus conscientia : quia non*

custodierunt legem tuam ipsi *oculi mei* vago, curioso, malitioso, libidinoso aspectu polluti, vago et curioso exemplo Dinæ videre cupientis mulieres regionis alienæ (*Gen.* xxxiv, 25); malitioso exemplo Saulis, qui non rectis oculis aspexit David, cujus gloriæ invidit (*I Reg.* xviii, 1); libidinoso exemplo ipsius David, qui uxorem alienam vidit in solario se lavantem, et est captus ejus illicito amore (*II Reg.* xi, 2). Unde ipse pœnitens de hac ipsa iniquitate, quasi de morte per fenestras oculorum intromissa recte in hoc psalmo loquitur dicens : *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei; quia non custodierunt legem tuam. Non sic impii, non sic; sed tanquam pulvis* omnino expers aquarum istarum *projicientur a facie terræ.* Quod timens ego, dum lacrymas habere non valeo prout volo, ipsas lacrymas peto cum propheta dicens : « Quis dabit capiti meo aquas, et oculis meis fontem lacrymarum? » (*Jer.* ix, 1.) Credo enim et spero, quod ipsum desiderium lacrymandi pro lacrymis computatur, sicut desiderium peccandi etiam, dum affectato effectu caret, pro peccato imputatur apud te judicem cordium, cujus judicium sive occultum sive manifestum semper est justum. Non autem est justus judex, cujus judicio plus valet voluntas mala in malo ad malum, quam bona in bono ad bonum. *Tu autem justus es, Domine, et rectum judicium tuum*, ac proinde quantum tibi displicet cor durum et elatum, licet effectu carnes appetiti mali operis, tantum tibi placet cor contritum et humiliatum licet carens effectu operis boni, maxime quod in hominis potestate non est, quando vel quantum fiat, sicut est opus lacrymandi, quod nec ipse Petrus apostolus per se optime potuit, antequam respexisset in eum Dominus. Cum ergo dico : *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei*, gratiarum actio est pro gratia lacrymandi mihi aliquando collata pro peccatis abluendis, qua licet intercepta non semper plorem coram hominibus, tamen obedienter audio, dum canitur : « Ploremus coram Domino (*Psal.* xciv, 6), » quia hujusmodi ploratus etiam sine lacrymis fieri potest in occulto per cordis contriti et humiliati affectum soli Deo notum, cum denegatur occulto affectui effectus manifestus.

SADE.

Vers. 137. *Justus es, Domine, et rectum judicium tuum.* Littera hæc decima octava, cujus nomen est *sade*, quod interpretatur *justitia*, recte huic octonario anteponitur, dum et primus versus a justitia inchoatur, cum dicitur : *Justus es, Domine*, ac deinde laudibus justitiæ intextis inter cætera hoc inseritur : *Justitia tua justitia in æternum.* Recte autem post lacrymas et luctum pœnitentiæ sequitur commendatio justitiæ, quia quæ peccantem divina justitia terruit comminando ei pœnas æternas, hunc eumdem pœnitentem et lacrymantem *justus* judex consolatur justitia dictante, ut qui semetipsum judicavit, non judicetur, Apostolo id ipsum conte- A stante ac dicente : « Si nos ipsos judicaremus, non utique judicaremur (*I Cor.* xi, 31). »

Dicat ergo pœnitens post peccatorum confessionem laudis quoque confessionem, laudans judicium et justitiam, quo censentur consolandi, qui lugent, risuri, qui nunc flent, quoniam absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum misericordia superexaltante judicium, dum post luctum temporalem gaudium subsequitur æternum ; sicut e regione post gaudium breve in rebus pessimis exsultantium sequitur luctus nunquam finiendus. In qua retributione *justus es, Domine, et rectum judicium tuum. Justus* videlicet ea justitia, quæ precedit ex gratuita misericordia tua, qua promisisti remissionem peccatorum pœnitentibus, atque ideo, « ut justifice- B ris in sermonibus tuis (*Psal.* l, 6), » et *justus* inveniaris, facis, quod locutus es per os sanctorum prophetarum, verbi gratia dicens : « Nolo mortem peccatoris (*Ezech.* xviii, 32). » Item : « Convertimini ad me, et ego convertar ad vos (*Isa.* xlv, 22). » Item : « Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur (*Isa.* i, 18). » Multa in hunc modum locutus es, et ideo recte in sermonibus tuis justificatus et *justus* prædicaris, cum peccata sua deplorantibus ignoscis, *et rectum* est *judicium tuum*, cum se judicantes peccatores judicas non judicandos, et se coram te accusantes non accusandos. Et quia *justus es*, ideo

Vers. 138. *Mandasti justitiam testimonia tua, et* C *veritatem tuam nimis. Mandasti justitiam et veritatem tuam nimis* per idoneos et multos testes nimis honorificatos, quorum nimis confortatus est principatus, atque ipsa *justitia* et *veritas* per eos testificata sunt firmissima *testimonia tua* contestantia te justum et veracem, qui ab omnibus exigis *justitiam* et *veritatem : justitiam*, ne quis faciat alteri, quod sibi fieri non vult, sed faciat, quod recte sibi fieri vult : *veritatem*, ut in hac ipsa *justitia* servanda nec fallere velit nec falli possit facile, quorum alterum est columbinæ simplicitatis, alterum prudentiæ serpentinæ, quæ *mandasti nimis* custodiri contra nimias infestationes inimicorum *justitiæ ac veritati* adversantium. Quorum præ nimia multitudine atque importunitate

D Vers. 139. *Tabescere me fecit zelus meus*, vel, sicut in Hebræo legitur : *Consumpsit me zelus meus*, comedendo scilicet velut ignis intrinsecus, eo quod vidi multa mala fieri in domo tua ab inimicis meis, imo et tuis : *quia obliti sunt verba tua* ipsi *inimici mei* nolentes reminisci te dixisse : « Domus mea domus orationis est (*Matth.* xxi, 13), » quam fecerunt *speluncam latronum* contra eloquium tuum, quod si possent, omnino perimerent et exstinguerent. Non autem possunt, quia

Vers. 140. *Ignitum eloquium tuum vehementer* suos adversarios uret vel nunc igne pœnitentiæ, quo velut aurum in fornace purgentur, vel in futuro igne pœnali te justo judice dicente : « Ite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* xxv, 41). » Hoc

eloquium tuum perversi oderunt, sed conversi diligunt : *Et servus tuus dilexit illud.* Quis servus tuus? Ego scilicet

VERS. 141. *Adolescentulus et contemptus* David minimus inter fratres meos atque *contemptus* ab illis, atque a Philisthæo gigante pro parvitate staturæ *contemptus*, videlicet in exemplum contemptibilium, quæ Deus elegit, ut confundat fortia, et *adolescentulus* in exemplum junioris populi, quem Deus elegit, quique de regione longinqua reversus fratri seniori humili pœnitentia meruit anteferri. Et quia peccator, qui se accusat, te Deum peccata odientem justificat : ego *justificationes tuas non sum oblitus*, ut illi, qui suam statuendo justitiam justitiæ tuæ subjecti non sunt, cum tamen ipsorum justitia sit *falsa*, in qua gloriantes aspernantur cæteros ; justitia vero tua sit vera, quam laudans cano in præsenti octonario de laudibus justitiæ contexto.

VERS. 142. *Justitia tua justitia in æternum : et lex tua veritas.* Jus hominum civile seu forense potest variari pro tempore. Sed *justitia tua* jus continens naturale, ut videlicet superiora inferioribus subdantur, scilicet caro spiritui rationali, spiritus æternæ *veritati*, æterna est et mutari non potest, quia *lex tua*, qua dictata est hæc *justitia*, ipsa est *veritas* immutabilis. Propter hanc *veritatem* et *justitiam*

VERS. 143. *Tribulatio et angustia invenerunt me* certantem pro illa contra hostes tribulantes et angustiantes. Alias dixi : « Tribulationem et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi (*Psal.* CXIV, 4). » Sed hic dico : *Tribulatio, et angustia invenerunt me, et mandata tua meditatio mea est.* Utrobique apparet quam sit utilis *tribulatio*, qua mens torpida excitatur vel ad invocandum nomen Domini, vel ad meditandum in mandatis Dei. Est autem non nulla differentia inter *tribulationem* quæ diligenter a bonis quæritur et invenitur, et *tribulationem*, quæ invenit hominem quiescere volentem. Prior *tribulatio* est quasi « thesaurus absconditus in agro, quem qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa, quæ habet, et emit agrum illum (*Matth.* XIII, 44). » Ager ille sacra Scriptura est agresti quidem stilo composita, sed thesauro illius scientiæ plena, de qua scriptum est : « Qui apponit scientiam, apponit dolorem (*Eccli.* I, 18). » Hinc est, quod Spiritus scientiæ in tertio gradu beatitudinum facit beatos lugentes, quomodo in primo Spiritus timoris beatos pauperes spiritu, et in secundo Spiritus pietatis mites beatos facit. Scientia igitur, quæ lugentes et dolentes facit, quibus vulnera sua prius tecta manifestat, ipsa est illius *tribulationis* causa efficiens, de qua dixi : *Tribulationem et dolorem inveni*, ac pro ipso dolore sanando nomen Domini invocavi, quod mihi erat longe salubrius quam per ignorantiam vulnera sive ulcera mea latuisse atque duruisse vel putruisse usque ad insensibilitatem doloris. Quem dum scientia inventa mihi excitavit, pariter quoque incitavit ad invocandum nomen Domini. Atque ideo de hoc pretioso thesauro invento glorians in Domino et gratulans dixi : *Tribulationem et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi.* Nunc autem, cum dico : *Tribulatio, et angustia invenerunt me*, aliud genus *tribulationis et angustiæ* mihi imminere conqueror ab his illatum, de quibus jam supra dixi : *Obliti sunt verba tua inimici mei.* A qua tribulatione vellem quiescere, ac pacem cum his etiam, qui oderunt pacem, tenere; sed illis me infestantibus et gratis odientibus *tribulatio et angustia invenerunt me : tribulatio*, quia molesta inferuntur : *angustia*, quia chara et necessaria interdum subtrahuntur. Inter quæ mala tribulationum et angustiarum hinc inde prementium, neque bona operari sinentium, quodque magis doleo, ab otio Mariæ, a somno sponsæ præpedientium, et ab amplexu Rachelis avellentium jam defecissem, si non hoc remedio sublevarer, quod *mandata tua meditatio mea est.* Sive *mandata* pluraliter, sive *mandatum* singulariter dicatur, illud *mandatum* præcipue intelligendum est, de quo superius dictum est : *Latum mandatum tuum nimis.* In cujus duobus ramis, dilectione videlicet Dei et proximi universa lex pendet et prophetæ.

Hujus *mandati* sive horum *mandatorum* latitudo in *tribulatione* dilatavit cor meum, ita ut etiam prementibus *angustiis* late dilatatis brachiis dilectionis ipsos quoque inimicos amplecterer pro ipsis orando, ac pro malis bona retribuendo, pœnitentibus ignoscendo, nondum pœnitentibus miserendo, exemplo Joseph fratrum necdum pœnitentium piissimi castigatoris, et jam pœnitentium sese agnoscentium dulcissimi consolatoris (*Gen.* XLV). Quos autem per me ipsum emendare non potui, pro ipsis, ut medicinalibus castigationibus emendarentur, oravi exemplo Stephani protomartyris assidue dicens : « Domine Jesu Christe, ne statuas illis hoc peccatum (*Act.* VII, 59). » Sic inter *angustias et tribulationes mandata tua meditatio mea est*, confidens mihi etiam dimitti debita mea, sicut et ego dimitto debitoribus meis (*Matth.* VI, 14), quibus nisi ego dimitterem, justa æquitate mihi diceretur : « Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me : nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum ? » (*Matth.* XVIII, 32.) Porro mihi large indulgenti conservis meis eadem procul dubio remetietur mensura, quia ista est æquitas, ut beati misericordes misericordiam consequantur (*Matth.* V, 7). De qua æquitate nunc dico :

VERS. 144. *Æquitas testimonia tua in æternum, et intellectum da mihi et vivam. Æquitas* nempe, qua misericordibus misereris, et ignoscentibus ignoscis, habet *testimonia tua in æternum* permanentia, te ipso dicente in Evangelio tuo : « Dimittite et dimittetur vobis : date, et dabitur vobis (*Luc.* VI, 37-38). » Quod « si vos non dimiseritis, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra (*Matth.* VI, 15). » Hæc *testimonia tua* credibilia facta sunt ni-

mis, quia in æternum stabunt, et facilius est interire vel transire cœlum et terram, quam vel unum iota evacuari de his *testimoniis tuis* non ad tempus datis, ut lex figuralis de ritu cæremoniarum, sed *in æternum* fundatis et æterna veritate firmatis. Hujus veritatis per gratiam tuam Deus jam teneo fidem, per quam ambulamus, et non per speciem. Sed ne deficiam in via, hujus rei, quam indubitanter credo, *intellectum* quæro dicens : *Intellectum da mihi et vivam.* Iste quippe *intellectus* bonus omnibus facientibus eum, si mihi datus atque in me certis experimentis operum comprobatus fuerit, vitam conferet in carne sobriam, justam, piam ac post mortem carnis æternam. Quod nunc opto dicens : *Intellectum da mihi, et vivam.*

In Hebræo legitur : *Justa testimonia tua semper doce me, et vivam.* Quod est dicere : Secundum justa *testimonia* tua doce me *vivere* semper, et *vivam* juxta hanc ipsam doctrinam tuam, qua erunt omnes docibiles Dei, quicunque ad æternam vitam prædestinati sunt.

COPH.

VERS. 145. *Clamavi in toto corde meo.* Littera hæc decima nona *coph* habet variam interpretationem. Nam secundum Ambrosium interpretatur *conclusio*, vel *aspice;* secundum Hieronymum *vocatio*, quæ omnia conducunt sibique conveniunt, quia *conclusus* quisque ab hostibus *aspicit* in circuitu, quanam parte facilius possit evadere : *vocat* etiam in auxilium quos potest. Sic ego David vel ego pœnitens exemplo David ac psallens, cum essem circumseptus angustiis, *clamavi in toto corde meo*, verbi gratia : Trium data est mihi David optio propter peccatum extollentiæ, cum dinumerari fecissem populum, ut vel tribus mensibus fugerem persequentes me inimicos, vel tribus annis fames esset in terra Israel, vel tribus diebus pestilentia grassaretur in populo (*II Reg.* XXIV, 12) : et ego velut *conclusus* dixi : « Coarctor nimis (*I Reg.* XXVIII, 15), » atque omnibus, quæ mihi erant proposita, circumspectis *clamavi in toto corde meo* invocans Dominum. [Cum enim vidissem angelum cædentem populum, clamans *in toto corde meo* dixi : « Ego sum qui peccavi ; ego inique egi, isti qui oves sunt, quid fecerunt? » (*II Reg.* XXIV, 17.) Item proposita mihi parabola de homine divite ovem pauperis rapiente, quem judicavi reum esse mortis, cum hanc oris mei sententiam persensissem contra me ipsum prolatam (*II Reg.* XII), proprio judicio *conclusus clamavi in toto corde meo* dicens : « Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam (*Psal.* L, 1). » Similiter cum in modum coronæ circumdedissent me inimici Dei et mei, milites Saulis, *conclusus* aspexi ad Dominum (*I Reg.* XXIII, 26), et ipsius adjutorium invocans *clamavi in toto corde meo* dicens : « Deus, in nomine tuo salvum me fac (*Psal.* LIII, 3). » In hunc modum vel ego Ecclesia vel ego ecclesiastica persona circumdantibus me hostibus tam visibilibus quam invisibilibus conclusa inter angustias hinc inde prementes *clamavi in toto corde meo*, quia cordis anxiati vehementissimus clamor est ipsum desiderium liberatoris et liberationis, tunc magis exaudibile, quando fervet *in toto corde :* quia cor in precibus divisum non dignatur exaudire unitatis amator Deus. *Clamavi* ergo *in toto corde meo* dicens in præcedenti octonario : *Intellectum da mihi et vivam*, id est, justus ero : nam « justus ex fide vivit (*Rom.* I, 17), » quanto magis ex intellectu? Si enim veritas credita ex fide justificat, multo magis eadem recte intellecta salvificat, si tamen ipse intellectus non est infructuosus : quia, sicut « intellectus bonus omnibus facientibus eum (*Psal.* CX, 10), » sic malus est non facientibus eum. « Servus » enim « sciens voluntatem Domini sui et non faciens plagis vapulabit multis (*Luc.* XII, 48). »

Quod ne mihi accidat, non ero contentus accepisse fidem simulque intellectum testimoniorum tuorum ; sed *justificationes tuas requiram*, ut videlicet secundum quod recte credo recteque intelligo, etiam recte vivam. Nam qui non recte credit, computatur inter zizania ; qui autem recte quidem credit, sed contra fidem suam non recte vivit, palea est. Ille vero, qui et recte credit, et secundum fidem suam recte quoque vivit, spica est plena frumento, justificatus per hoc ipsum, quod fides ejus per dilectionem habet fructum suum nunc in sanctificatione, finem vero vitam æternam. Has *justificationes tuas requiram*, Domine, quas ut obtineam, exaudi me, Domine, *justificationes tuas requiram. Testimonia, mandata : justificationes* intelligo verba tua, imo unicum Verbum tibi coæternum, de quo procedunt multa verba, quæ spiritus et vita sunt, vocanturque *testimonia*, in quantum futura bona promittunt, *mandata*, in quantum recta præcipiunt, *justificationes*, in quantum bonos mores conferunt. Atque ideo, quia promissis credere, mandatis acquiescere ad salutem non sufficit, nisi mores justi et boni proveniant, ut est charitas, humilitas, pietas, patientia, sobrietas ; ne his carens injustus inveniar, *justificationes tuas requiram*, per *testimonia* et *mandata tua* non solummodo instrui, sed etiam justificari desiderans, experimento certo in memetipso experiri cupiens, quod verba tua spiritus et vita sunt, vitamque veram se amantibus inspirant.

Aliter : *Justificationes tuas requiram* non habens meam justitiam, quæ ex lege est, per quam sola est cognitio peccati, non etiam correctio, quia nihil ad perfectum adducit, utpote infirmata per carnem, dum per ejus mandatum reviviscit peccatum, quod sola gratia tua mortificat, quæ mortificatio vitam largitur æternam justificato per fidem, quia *justus ex fide vivit.* Quia vero non sufficit semel accepisse initium *justificationum* talium, ego David semper eas *requiram* clamore multiplicato. Unde non contentus dixisse : *Clamavi in toto corde meo*, iterum dico :

VERS. 146, 147. *Clamavi ad te ; salvum me fac,*

et tertio adjungo : *Præveni in maturitate, et clamavi.* Sic, sic multiplicato clamore invoco Salvatorem ego inter hostes conclusus assidue dicendo : *Salvum me fac et custodiam mandata tua.* Tale est, quod dixi, ac si dicam : Vivifica me et vivam, salvum me fac et salvus ero, justifica me et justus ero, sanctifica me et sanctus ero, te in me ac per me atque mecum operante custodiens mandata tua.

Et quia non sufficit solo clamore pulsare ad januam pietatis, *præveni* hunc ipsum clamorem surgendo *in maturitatem*, sive, ut quidam codices habent, *in maturitate*, sive intempesta nocte. Idem sensus diversis nominibus exprimitur, quibus medium noctis innuitur, de quo et supradictum est : « Media nocte surgebam (*Luc.* II, 5), » quo etiam tempore intempestivo amicus ad amicum vadens petiit ab eo tres panes. Dicitur autem intempesta illa pars noctis, quæ importuna est actionibus, quomodo e contrario tempestivum dicitur opportunum. Quo in tempore, sive illud dicatur *maturitas* propter festinantiam, quia maturari dicimus accelerari, sive immaturitas vel intempesta propter importunitatem, *præveni* ego David pigros operarios, dormitantes laudatores nimium sero clamaturos : « Domine, Domine, aperi nobis, » quibus deintus respondebitur : « nescio vos (*Matth.* XXV, 12). » Nunc autem, etsi amicus amico per noctem pulsanti dicat : « Noli mihi molestus esse (*Luc.* XI, 7), » non tamen aufertur spes impetrandi quod postulatur, si tamen in pulsando et clamando perseveratur. Hoc in tempore gressibus desideriorum *præveni* tardiores me, *et clamavi* cordis et oris clamore psallens mente ac spiritu : *Et in verbum tuum*, sive *in verbo tuo* non tantum speravi, sed etiam *supersperavi* supra, quam intelligi vel dici possit, hoc sciens, quoniam tu potens es omnia facere superabundanter, quam petimus aut intelligimus.

Aliter : In ætate hominis *maturitas* dicitur, quæ post juventutem sequitur; sed ego David *præveni* annos juventutis *in maturitate*, mature videlicet me habens etiam in annis puerilibus præveniendo *in bona maturitate* ipsos quoque fratres meos majores et seniores me, tunc maxime, quando cum Golia fui congressus, et tunc *in verbum tuum supersperavi* sic loquens ad illum : « Tu venis ad me in gladio et hasta et clypeo : ego autem venio in nomine Domini exercituum Dei agminum Israel, quibus exprobrasti hodie, et dabit te in manu mea Dominus, et percutiam te et auferam caput tuum, et dabo cadavera castrorum Philistiim hodie volatilibus cœli, ut sciat omnis terra, quia est Dominus Deus Israel, et noverit universa Ecclesia hæc, quia non in gladio nec in hasta salvat Dominus, ipsius est enim bellum (*I Reg.* XVII, 45-47). » Sic loquens ego tunc puer ætate immaturus et sensu maturus non in mea virtute, sed *in tuo*, Deus, *verbo supersperavi* habendo fiduciam *in verbo tuo* supra fiduciam Saulis et aliorum diffidentium, quod ego parvulus potuissem bellare contra magnum illum Philistæum. Similiter ego Ecclesia vel ecclesiastica persona *in verbum tuum supersperavi*, quotiescunque adversus diabolum vel orando vel disputando vel aliud quid boni agendo præliari attentavi non diffidens de victoria, cum pro tua gloria certaretur dilatanda inter angustias humanas et clarificanda inter varias tentationum seu tribulationum tenebras intempestæ noctis, imminente videlicet grandi aliqua tempestate.

Huic sensui consonat Hebraica veritas, in qua sic legitur : *Surgebam adhuc in tenebris, et clamabam Verbum tuum exspectans :* congruit hoc dicere sanctæ Dei Ecclesiæ, quæ necdum sole justitiæ orto sub legis nocte in prophetis aliisque illius temporis fidelibus per fidem *surgebat exspectans Verbum tuum*, Deus, incarnandum ; sed per apostolos quasi per oculos clarissimos idem Verbum jam cernens incarnatum gaudenter audivit : « Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. Multi enim reges et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt (*Luc.* X, 24). » Tunc ego Ecclesia post nocturnas tenebras fruebar diluculo, quia tunc

VERS. 148. *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.* Sed et ego ecclesiastica persona exemplo eorumdem apostolorum studui, ut prævenirent *oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.* Si festuca iræ vel alterius maculæ turbaverat oculos meos, ut non clare possent intueri lumen veritatis, non exspectatus est increpator exterior, qui diceret : « Ejice trabem de oculo tuo (*Luc.* VI, 42); » sed, antequam festuca in trabem excresceret, et oculus meus omnino per odium justitiæ tenebresceret, *prævenerunt* ipsi *oculi mei ad te diluculo* præoccupando faciem tuam in confessione, atque ita liberatus et tanquam *diluculo* incipientis charitatis illuminatus expeditus fui, *ut meditarer eloquia tua* vacans et videns, « quoniam suavis est Dominus : Beatus vir, qui sperat in eum. (*Psal.* XXXIII, 9). » Attamen etiam istis qualibuscunque meritis præcedentibus plus confido in tua, Deus, misericordia, quam in mea justitia, quæ, si districte remota pietate judicabitur, nulla seu nimis parva erit ad removendam iram et provocandam clementiam. Ideo dico :

VERS. 149. *Vocem meam audi secundum misericordiam tuam, Domine, et secundum judicium tuum vivifica me. Vox mea* est vox peccatoris ad te de longe clamantis et dicentis assidue : « Deus propitius esto mihi peccatori (*Luc.* XVIII, 13). » Hanc *vocem* prius *audi secundum misericordiam tuam* removendo culpas, quibus iram merui et misericordiam demerui, ac postea *secundum judicium tuum* dimissis culpis non timendum, sed cantandum, *vivifica me* inspirando mihi spiritum vitæ, quo carens mortuus sum nimis gravatus in lege peccati et mortis. Attamen, quia non omnino mortuus, sed semivivus relictus sum a latronibus, ex ea parte, qua vivo, adhuc vocem confessionis habeo, quam non haberem, si omnino mortuus essem, quoniam « a mortuo quasi non sit, periit confessio (*Eccli.* XVII, 27). » Hanc

obsecro vocem confessionis *audi secundum misericordiam tuam* infundens oleum quo saner, et postea *secundum judicium tuum vivifica me* infundendo vinum lætificans cor simulque vivificans; nam sicut « tristitia sæculi mortem operatur (*II Cor.* VII, 10), » sic lætitia spiritalis vitam operatur per vinum lætificans cor et confortans ad vivendum *secundum judicium tuum*, quo judicas judicantem se non judicandum dicente Apostolo tuo : « Si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur (*I Cor.* XI, 31). » Sic per misericordiam tuam sanatus, et per *judicium tuum* vivificatus « misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine (*Psal.* C, 1). » *Misericordiam* cantabo : quia ex perceptione præsentis gratiæ firmior mihi est exspectatio futuræ, ac proinde « misericordias tuas, Domine, in æternum cantabo (*Psal.* LXXXVIII, 2), » dum temporalibus donis tuis adjutus æterna fiducialiter exspectabo. *Judicium* quoque cantabo, dum temporaliter judicatus judicium futurum lætus exspecto, utpote hic flagellatus longeque ab illorum consortio segregatus, qui cum hominibus non flagellabuntur, et ideo tenuit eos superbia, nunc in sua prosperitate, posthac dure judicandos pro iniquitate sua, quia et ipsi male vivunt, et bene viventes persequuntur. Inter quos et me pusillum David, me parvulum, me pœnitentem exemplo David persecuti sunt ita, ut justa sit contra illos hæc in a querela in hoc psalmo

VERS. 150. *Appropinquaverunt persequentes me iniquitati, a lege autem tua longe facti sunt.* Non est mihi ad præsens querela contra eos persecutores, qui æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam, qui etiam legis æmulatione moti contra me arbitrantur se obsequium præstare tibi; sed adversus illos clamo, qui me gratis odientes *appropiaverunt iniquitati* homicidalis odii, *a lege autem tua* hoc odium prohibente, ac dilectionem præcipiente *longe facti sunt*. Quorum persecutio, ne mihi noceat, imo ut et illis et mihi ad salutem proficiat.

VERS. 151. *Prope esto, Domine, et omnes viæ tuæ veritas. Prope esto* mihi dando patientiam. *Prope esto* dando illis pœnitentiam, ut et mihi tribulatio patientiam, patientia probationem, probatio spem, quæ non confundat, operetur, et in illis pœnitentia confusionem simul et confessionem, confusio autem et confessio pariat gloriam, et sic tam illis quam mihi *omnes viæ tuæ veritas*, dum et illos in veritate judicas vel non judicandos eo quod semetipsos judicant, vel tanto acrius judicandos, quanto pertinacius contra stimulum calcitrant, et mihi similiter in *veritate* propitiaberis, dum mihi ex corde in veritate relaxanti debita inimicis et tu mihi relaxas mea debita, secundum quod tu, *Veritas*, in veritate promittis, dicens : « Dimittite, et dimittetur vobis (*Luc.* VI, 37). » Item : « Cum stabitis ad orationem, dimittite si quid habetis adversus aliquem, ut et Pater vester cœlestis dimittat vobis peccata vestra (*Marc.* XI, 25). »

VERS. 152. *Initio cognovi de testimoniis tuis : quia*

A *in æternum fundasti ea.* Hæc *testimonia tua* simulque alia testimonia æternam salutem promittentia *in æternum fundasti.* O Deus, Pater æterne, quia in Filio tuo tibi coæterno, qui omnium promissionum tuarum fundamentum est, præter quod aliud poni non potest, ita fundasti et firmasti omnia testimonia tua, ut sit facilius cœlum et terram transire, quam verba tua in Verbo tuo tibi coæterno fundata falsificari. Hoc ita esse *cognovi* ego David *initio*, id est *ab initio* illius declarationis, de qua supra dixi : *Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis.*

Quidam legunt : *Initio* adverbialiter, ac si dicatur : *primo cognovi.* Sed Hebraica veritas non ita se habet, in qua legitur : *A principio cognovi de testi-* B *moniis tuis, quod in æternum fundaveris ea.* Igitur a *principio* sive *initio* nascentis Ecclesiæ, cujus membrum fuit Abel, ego David, retractans *testimonia tua* multifariam multisque modis prolata, *cognovi* de ipsis testimoniis tuis, quod *in æternum fundasti ea* super fundamentum immobile, præter quod nemo potest aliud ponere, quod est Christus Jesus.

RES.

VERS. 153. *Vide humilitatem meam, et eripe me, quia legem tuam non sum oblitus.* Nomen vigesimæ litteræ, quod est *res*, interpretatur *caput* sive *primatus*, quia in octonario isto principaliter agitur de humilitate, quæ *caput* simulque initium est omnium virtutum. Ipsa est enim paupertas Spiritus, quam C timor Domini, qui est initium sapientiæ, operatur ante omnes virtutes. Unde in Evangelio primum dicitur : « Beati pauperes spiritu (*Matth.* V, 3), » ac deinde super hujus paupertatis fundamentum, quod non est aliud, quam humilitas, ordinantur cæteræ virtutes ac beatitudines, quæ si essent absque humilitate, non haberent *caput*, neque illis deberetur *primatus*, qui promittitur solis humilibus dicente Veritate : « Omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur (*Luc.* XI, 11). » Bene dictum est : « Qui se humiliat; » nam sunt, qui ab aliis humiliantur ac despectui habentur, sed ipsi tamen apud semetipsos inflati alta sapiunt et humilibus non consentiunt existimando se aliquid esse, cum nihil sint, ac per hoc seducunt seipsos. Istis de D se alta sapientibus non sapit, quod humiliantur ab aliis vel etiam ab ipso Deo. Mihi autem bonum est et bene sapit, quod humiliasti me, Deus per infestationes malorum contra me superbientium, ac proinde hanc ipsam, quam per istos in me operatus es, *humilitatem vide* aspectu approbationis, *et* hoc humilitatis holocausto mihi placatus *eripe me* de manu eorum, qui humiliaverunt me, quia inter ipsos tribulantes et humiliantes me *legem tuam non sum oblitus.* « Plenitudo enim legis est dilectio (*Rom.* XIII, 10), » qua dilexi et amicos in te, et ipsos inimicos propter te. Hanc *legem tuam non sum oblitus* inter ipsos me tribulantes, et ipsa tribulatione me humiliantes, quos me non diligentes dilexi non reddendo eis maledictum pro maledicto;

sed econtrario benedicendo illis et orando pro ipsis. Quia ergo sic humiliatus *legem tuam non sum oblitus*, tu sacrificio *humilitatis* et holocausto dilectionis propitiatus *eripe me* de inimicis meis *videns* et approbans *humilitatem meam* simul et *tuæ legis* apud me custodiam.

Vers. 154. *Judica judicium meum*, quo inique ab iniquis judicatus ego verus David tradebam judicanti me injuste. Item : ego David Saule impio impie de me judicante sustinui ejus judicium, quo tanquam reus majestatis morti addictus multis fui periculis expositus. Et ego Ecclesia seu ecclesiastica persona per iniquos judices inique judicata, judicia iniqua patienter sustinui, quia te justum judicem juste judicaturum exspectavi. Nunc ergo ne frustretur hæc exspectatio mea, *judica judicium meum, et redime me* ab inique judicantibus. *Redime*, dico, *me* non auro vel argento, sed pretioso sanguine Agni Filii tui, qui et ipse Verbum sive *eloquium tuum* est. *Propter* hoc et secundum hoc *eloquium tuum*, id est Filium tuum *vivifica me*, quia ipse dicit : « Qui credit in me, non morietur in æternum, sed habebit vitam æternam (*Joan.* xi, 26). » Item : « Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet (*Joan.*, vi, 35). » Item : « Ego sum via et veritas et vita (*Joan.*, xiv, 6). » Item : « Ego sum vitis, vos palmites (*Joan.*, xv, 5), » Habet autem palmes vitam non in semetipso, sed in vite. In hac vita vitis *vivifica me*, ut sim palmes nunquam decidendus a vite; sed vivam *secundum eloquium tuum*, Verbum tuum, Filium tuum, qui dicit : « Verba, quæ locutus sum, spiritus et vita sunt (*Joan.* vi, 64). » In hac vita, in hoc spiritu *vivifica me secundum eloquium tuum.*

Aliter : *Judica judicium meum*, quo ego meipsum judicavi credens Apostolo tuo dicenti : « Si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur. Cum judicamur a Domino, corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur (*I Cor.* xi, 32). » Sic ergo *judicari* opto, ut non damner cum hoc mundo, judicatus videlicet a memetipso, qui me peccatorem judico dicens assidue : « Deus, propitius esto mihi peccatori (*Luc*, xviii, 13). » Item : « Tibi soli peccavi, et malum coram te feci (*Psal.* l, 6). » Item : « Peccavi super numerum arenæ maris, et multiplicata sunt peccata mea (*Psal.* xxxix, 6). » In his aliisque similibus dictis me peccatorem et in peccatis venundatum et mortuum judico, propter quod redimi et vivificari opto, dicens : *Redime me propter eloquium tuum, vivifica me*, ut mortuus in me, *vivam* in te *secundum eloquium tuum.*

Aliter : *Judica judicium meum.* Veni tu, juste judex, ad judicandum me; sed, antequam discutias me, prius *redime me* venundatum, et *vivifica* mortuum. *Vivifica*, dico, *propter eloquium tuum*, quo promisisti humilibus et spiritu pauperibus regnum cœlorum. Nisi enim paupertatis et humilitatis hujus mihi ex gratia tua conscius essem, non præmisissem. *Vide humilitatem meam*, sciens quod tu su-

A perbis resistis, humilibus autem dabis gratiam, et salutem. Sed

Vers. 155. *Longe a peccatoribus salus. A peccatoribus* dico, in peccatis suis pertinacibus, quæ pertinacia exinde patet, *quia justificationes tuas non exquisierunt.* Humilibus vero *justificationes tuas* exquirentibus, et de sua injustitia pœnitentibus neque suam justitiam statuentibus

Vers. 156. *Misericordiæ tuæ multæ, Domine*, per quas mitigabitur *judicium* non omnibus hominibus, sed semetipsos judicantibus, et sic *judicium tuum* desiderantibus, quo recte sperant se vivificandos, qui recognoscunt se propter te mortificatos et tribulatos, ut ego David pœnitens, qui nunc dico : *secundum judicium tuum vivifica me* notificatum propter

B te.

Vers. 157. *Multi* enim, *qui persequuntur me et tribulant me*, quod est gravissimum genus persecutionis et tribulationis, quæ fit a multis contra unum, ipsis multis cogentibus et urgentibus unum, ut declinet a testimoniis veritatis. Verumtamen ego David vel ego Ecclesia seu ecclesiastica persona, licet multis urgentibus *a testimoniis tuis non declinavi*, hoc solum, et totum pro meo nosse probans, quod tu probas, et improbans quod tu improbas verissimis *testimoniis*, quibus bonum bonum, et malum malum testaris in Scripturis veritatis. *Ab* his *testimoniis tuis non declinavi;* sed multi ab eis declinaverunt, qui mihi materia doloris fuerunt.

C Nam

Vers. 158. *Vidi* nos *prævaricantes, et tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt.* Ego Ecclesia vel ego ecclesiastica persona *vidi prævaricantes* regulam fidei hæreticos, *et tabescebam.* Quis enim scandalizatur in errore aliquo, et ego non uror ? Quis infirmatur etiam recte credens sed non recte vivens, et ego non infirmor ? Inter hæc, dum non potui vel scandalizatos et scandalizantes ab errore corrigere vel infirmos confortare, urebar in tantum, ut pro scandalizatis nimio dolore *tabescerem*, et pro infirmis atque cum infirmis infirmatus languescerem, *quia eloquia tua non custodierunt*, nec illi corde credendo ad justitiam aut ore confitendo ad salutem, nec isti operando secundum fidem rectam, quam verbis quidem confitentur, factis autem negant.

D Vers. 159. *Vide, quoniam mandata tua dilexi, Domine*, quæ illi prævaricando me contristaverunt, ut tabescerem tristis pene usque ad mortem, sicut ego verus David contra tales agonizans dicebam : « Tristis est anima mea usque ad mortem (*Matth.* xxvi, 38), » et quilibet complantatus similitudini mortis meæ meo exemplo inter tales anxiatus dicere potest : « Tristis est anima mea usque ad mortem. » Quod ego Ecclesia vel ego quævis ecclesiastica persona in me nimis experta ex affectu magni doloris dico : *Vidi prævaricantes et tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt.* Vidi hoc ego humanis oculis tanquam lunari splendore illuminatus per noctem. *Vide* hoc ipsum et tu sol justitiæ tuo aspectu

pellere valens noctem, nunc imminentis tristitiæ, qua tabesco super his, qui prævaricantur mandata tua, et me quoque oderunt, *quoniam mandata tua dilexi*, quod te videre opto dicens : *Vide, quoniam mandata tua dilexi*, ut visu tuo lætificatus respirem a dolore, quo tabesco videns non servantes pactum. Vidi enim, et aspiciebam in visu noctis prævaricantes : vel sicut habent quidam codices *non servantes pactum* sive in lege sive in Evangelio scriptum pro pace servanda inter Deum et homines. Nam dicitur *pactum* quasi pacis actum. Vidi, inquam, dissolvi hoc pactum pro pace actum, et contractum, nec valens obsistere isti malitiæ, non potui non dolere, non potui non tabescere, non potui non tristari; sed tristis erat, et est anima mea usque ad mortem, nimirum similis Israeli, qui lugens filium suum, quem putabat mortuum et a bestia devoratum, consolationem præsentis vitæ recipere noluit, sed cum luctu in infernum, quo illius temporis omnes homines descendebant, ire destinavit. Sed comperto, quod Filius ipsius Joseph, quem dilexit, adhuc viveret, « revixit spiritus ejus (*Gen.* XLV, 27), » qui quasi præmortuus et gravi somno pressus evigilavit et dixit : « Si Joseph filius meus vivit, sufficit mihi, vadam, et videbo eum, antequam moriar (*ibid.*, 28). » Sic et ego, *quoniam mandata tua dilexi, Domine*, cum video illa non servari, et per hujusmodi prævaricationes pactum salutis et pacis dissolvi, gravi tristitiæ somno sentio me urgeri ad mortem, nec volens nec valens recipere consolationem, nisi verum Joseph videam viventem, et in tota terra Ægypti sic dominantem, ut *mandata* ejus, quæ *dilexi* et diligo, nullus audeat prævaricari, aut, si quis prævaricatus fuerit, sic puniatur, ut vindicta delicti sit cæteris interdictio delinquendi. Quo audito reviviscet spiritus meus, quod nunc optans dico : *In misericordia tua vivifica me*. Non in meritis meis, sed *in misericordia tua vivifica me*, ut reviviscat spiritus meus, et quasi de gravi somno evigilans lætificetur de mandatorum tuorum observantia, qui contristatus et tabescens inter prævaricatores eorumdem nimis urgebatur quasi ad mortem, prævaricatoribus ipsis judicantibus me dignum morte pro eo, quod nolui eorum prævaricationibus acquiescere, quas videns tabescebam, quia eis obsistere non valebam. Unde ab illis tanquam si mortuus essem, « æstimatus sum cum descendentibus in lacum, et factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos » pene mortuus, et « sicut vulnerati dormientes » projecti in monumentis, « quorum non es memor amplius, et ipsi de manu tua repulsi sunt. Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis et in umbra mortis (*Psal.* LXXXVII, 5 et seq.). » Unde quasi de profundis clamans dico assidue : *In misericordia tua vivifica me*. Sentiant me adhuc vivere, qui putant velut alterum Joseph quasi a bestia devoratum non vivere, aut velut alterum Jonam in ventre ceti absorptum non posse ad hoc revocari, ut per me arguatur civitas in Ninive, videlicet mundus in maligno positus de peccato et de justitia et de judicio, et provocetur ad pœnitentiam pernecessariam, antequam subvertatur secundum veritatem prophetarum et præordinatam in verbis tuis omnino immutabilibus, quia

A

VERS. 160. *Principium verborum tuorum veritas*, ex quo in principio, id est in Verbo tuo unigenito dixisti : « Fiat lux, et facta est lux (*Gen.* I, 3). » Hoc erat *principium* verborum tuorum, in quo principio creasti cœlum et terram, quæ transibunt. Post quorum transitum *in æternum judicia justitiæ tuæ* permanebunt immutabiliter, quia sententia de bonis et malis data in extremo judicio permanebit irretractabilis.

B

Copulemus nunc in unum duo hæc elementa *coph* et *res*, quod interpretatur *vocatio capitis*, ex quo intelligere conemur in his duobus octonariis per hæc duo elementa signatis, invocari Christum, qui est *caput* et *principium*, de quo in ultimo versu dicitur : *Principium verborum tuorum veritas*, quod *principium* sive *caput*, cum sit *veritas*, ut dictum est, prope est omnibus invocantibus se in *veritate*, sicut in superiori octonario dicitur : *Prope esto, Domine, et omnes viæ tuæ veritas*.

SIN.

VERS. 161. *Principes persecuti sunt me gratis, et a verbis tuis formidavit cor meum*. Littera hæc vigesima prima *sin* varias habet interpretationes. Nam, sicut vult Hieronymus, ipsum nomen *sin* interpretatur *dentes* vel *dentium*. Secundum Ambrosium

C

vero *sin* interpretatur *super vulnus*. Congruit autem huic octonario utraque interpretatio, quoniam his octo versibus agitur de persecutione principum, qui ad instar *dentium* contriverunt sanctos in corpus Christi trajiciendos, et de consolatione divina, qua tribulatos electos lætificant eloquia Dei, de quibus hic dicit justus : *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa*. Hujuscemodi consolatio quasi emplastrum lene *super vulnus* tribulationis coaptatur, quando, sicut ait Apostolus : « Tribulatio patientiam, patientia probationem, probatio spem, quæ non confundit, operatur (*Rom.* V, 3). » Hinc est quod spe gaudentes erunt in tribulatione patientes, utpote salubre spei emplastrum

D

super vulnus tribulationis coaptatum servantes. Quicunque talis est, ad ipsum pertinet in persecutionibus gloriari et dicere : *Principes persecuti sunt me gratis*. Princeps mundi persecutus est me verum David velut alter Saul projectus a Deo ; sed, quia in me non habet quidquam, sine causa et *gratis* me meosque persecutus est. Item *principes* hujus sæculi multi *persecuti sunt me* unam Ecclesiam sine causa, *gratis* me odiendo, cum ego edocta per Christum parata fuissem reddere Cæsari quæ Cæsaris sunt, sicut Deo quæ Dei sunt (*Matth.* XXII, 21). Sic per Apostolum instructa reddidi omnibus debita, « cui tributum, tributum ; cui vectigal, vectigal ; cui honorem, honorem (*Rom.* XIII), » et tamen ipsi *principes*, quos taliter honoravi, *persecuti*

sunt me non ex merito meo, sed *gratis* odio gratuito et ultroneo. Hæretici quoque arrogando sibi principatum, dum propriis adinventionibus gloriati apostolicæ auctoritati et catholicæ veritati nolebant subdi, et ipsi male principantes *persecuti sunt me gratis*, eo quod nolui consentire mendaciis eorum, verbis tuis contraria docentium. Sed tua veritas major mihi fuit auctoritas, et ideo te magis quam illos attendi, *et a verbis tuis formidavit cor meum*, concepto ex verbis tuis timore superante illorum timorem, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. Propter hoc *a verbis tuis formidavit cor meum*, ut timor timorem expelleret, bonus malum, sanctus iniquum. Sanctus, inquam, de quo scriptum est : « Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi (*Psal.* XVIII, 10). » Et quia hic timor est initium sapientiæ, quæ per illum quasi per setam filum introducta eloquiorum tuorum sensum dilucidat,

VERS. 162. *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa.* Est quidem nunc mihi tristitia inter illos quibus dictum est : « Beati, qui nunc fletis ; » attamen, propter illud quod sequitur : « quia ridebitis (*Luc.* VI, 21), » *lætabor* ego tandem *super eloquia tua*, non utcunque, sed sicut *qui invenit spolia multa*, et quomodo in Isaia dicitur : « Sicut exsultant victores capta præda, quando dividunt (*Isai.* IX, 3) spolia. » Nunc enim, dum anceps est pugna et incerta est victoria, non est mihi tempus lætandi pleno gaudio, sed acriter certandi pro lege Dei mei. Consummata vero pugna et adepta victoria per *eloquia* casta eloquiis non castis prævalentia, *lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa*. Per gladium quippe spiritus, quod est verbum tuum, sciens me triumphasse, ac per arma justitiæ tunc agnoscens me munitum transiisse hostium cuneos, *lætabor* ego in æternum *super eloquia tua*, quæ mihi arma talia contulerunt, imo quæ per me infirmum fortia confuderunt, veritate potenter triumphante contra mendacium tyrannorum, hæreticorum et falsorum christianorum inique principantium et me gratis persequentium. Spes hujus futuræ lætitiæ nunc veluti emplastrum super vulnus doloris imminentis habeatur, donec ad plenam lætitiam perveniatur, ubi gaudium meum sit plenum, et gaudium meum nemo tollat a me. Tunc ego pusillus, quem principes persecuti sunt gratis obloquendo *tuis eloquiis*, *lætabor super* ipsa *eloquia tua* victoriosa, tibi et *tuis eloquiis* ascribendo victoriam, et ipsius victoriæ omnem gloriam principibus me persequentibus partim cum Saulo prostratis et salubriter humiliatis, partim cum Saule rege furioso damnatis, qui me parvulum David maxime ob hoc sunt persecuti, quod

VERS. 163. *Iniquitatem odio habui et abominatus sum, legem autem tuam dilexi.* Neque vero mirum tale odium et dilectionem convenisse in uno pectore, quia, sicut se habet rerum natura, ut quis diligens justitiam non possit non odisse *iniquitatem*, A sicut alias dicitur : « Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem (*Psal.* XLIV, 8) ; » sic amor justitiæ probatur et manifestatur ex odio *iniquitatis*, et ideo convincitur parum diligere bonum, qui non detestatur, et abominatur malum. Sed ego ardens tam odio *iniquitatis*, quam dilectione justitiæ ac *legis* justitiam docentis obscure per Moysen, clare per Christum, sic *iniquitatem odio habui*, ut *abominarer* illam primitus alienando ipsam a memetipso, deinde improbando in aliis pro meo posse ac modulo. Et cum sensi me ab iniquis non audiri et contemni, prætermissa vel intermissa prædicatione ad obsecrationes, orationes, gratiarum actiones et postulationes me converti, atque illis instando

VERS. 164. *Septies in die laudem dixi tibi, super* B *judicia justitiæ tuæ. Septies in die*, id est omni tempore septem diebus comprehenso ; vel *septies in die*, id est illuminatus lumine septiformis gratiæ sancti Spiritus ; vel *septies in die*, horis videlicet canonicis, ut mos est religiosis, *laudem dixi tibi*, Domine, *super judicia justitiæ tuæ*, in qua flagellas omnem filium, quem recipis, in qua etiam induras quem vis, et misereris cui vis. Inter hæc *judicia justitiæ tuæ*

VERS. 165. *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum. Pax multa* et nondum plena, ut in futuro, ubi pacis non erit finis. *Pax*, inquam, bona et *multa dibigentibus legem tuam*, cujus multa dilectio *multam pacem* faciens pellit a cordi- C bus, quæ possidet, malas perturbationes, *et non est illis scandalum*. Est quidem nonnulla talibus fatigatio, ita ut eos interdum tædeat etiam vivere, ne sint fidentes in se ; attamen *scandalum* illis non est ; quia non sunt ita pusilli, ut possint scandalizari sicut hi, quibus Christus est « petra scandali (*I Petr.* II, 8). » Sic scandalizati sunt Judæi ex verbis Christi dicentis : « Ego et Pater unum sumus (*Joan.* X, 30). » Sic scandalizati sunt quidam ejus discipuli audientes carnem ipsius manducandam et sanguinem bibendum. Quibus ipse ait : « Hoc vos scandalizat ? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius ? Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam (*Joan.* VI, 61). » Sed, quia *pax multa diligentibus legem* Dei, *et non* D *est illis scandalum*, Petrus dilector *legis* Dei, licet nondum intelligens verba Dei, non tamen ex his patiebatur *scandalum*, sed dixit : « Verba vitæ æternæ habes, et nos a te quo ibimus ? » (*Ibid.*) Ita *diligentibus legem tuam* Deus *non est* ullum *scandalum*, sicut pusillis in fide facile nascitur scandalum, quibus et ipse Christus est interdum lapis offensionis et petra *scandali*, qui licet juxta Danielis visionem creverit in montem magnum, cujus magnitudinis non est finis ; attamen adhuc in eorum falsa æstimatione habetur quasi lapis mensuratæ magnitudinis non perpendentibus ipsis, quod homo, cui non ad mensuram dedit Deus Spiritum, habet quoque magnitudinem sine mensura non molis enormitate, sed virtutis immensitate, utpote cui

data est omnis potestas in cœlo et in terra. Unde licet Patre suo immenso minor sit secundum humanitatem, tamen eidem suæ humanitati obtinuit illam suæ divinitatis claritatem et claritatis immensitatem, quam adhuc parvulus et ab angelis quoque minoratus a Patre suo expetivit dicens : « Clarifica me, Pater, apud temetipsum claritate, quam habui prius quam mundus esset, apud te (*Joan.* XVII, 5). » Hujus claritatis homini datæ prædicatio scandalizat pusillos in fide, quibus ab hoc *scandalo* aliisque scandalis liberandis, quia non sufficiebant aut proficiebant apud eos verba exhortationis dicta vel scripta contra hæc ipsa scandala, ego ab eruditione quiescens

VERS. 166. *Exspectabam salutare tuum, Domine, et mandata tua dilexi. Exspectabam*, dico per verbum præteriti imperfecti temporis, quoniam adhuc non cessat exspectatio mea, qua *exspecto salutare tuum, Domine*, quo apparente in gloria sua et mittente angelos suos colligantur « de regno ejus omnia scandala (*Matth.* XIII, 41), » et salvante ipso salventur membra sua omnia etiam pusilla scandalizata per noctem, dum non vident ipsum solem justitiæ, licet ubique præsentem, attamen quia « posuit tenebras latibulum suum (*Psal.* XVII, 12), » nondum clare apparentem. Cui et in hac ipsa exspectatione, qua ipsum *exspecto*, dico assidue : « Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Benjamin et Manasse (792). » Item : « Domine, Deus virtutum, converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus (*ibid.*, 3). » Item : « Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis (*Psal.* LXXXIV, 8). » Item : O Oriens splendor lucis æternæ, et Sol justitiæ veni, et illumina sedentes in tenebris et in umbra mortis (*Luc.* I, 79). Item : « Osculetur me osculo oris sui (*Cant.* I, 1). » Item : « Veniat dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructus pomorum suorum (*Cant*, V, 1). » Multa in hunc modum cantica spiritalia frequentare soleo, dum *salutare tuum*, Deus, quod in his canticis invocatur, exspectans *exspecto*. Atque ut exspectationis meæ fructus non tardetur per negligentiam mandatorum tuorum, ipsa *mandata tua dilexi*, per quæ non solum intellecta, sed, quod melius est, etiam dilecta et custodita fit salubris ipse Salvatoris adventus primus et secundus, vel etiam quotidianus, quem promisit dicens : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus (*Joan.* XIV, 23). » Hunc Salvatoris adventum sperans et exspectans

VERS. 167. *Anima mea custodivit testimonia tua* sive martyria, non negans inter adversa. Et quia nec martyrium valet ad salutem sine dilectione mandatorum, ideo *dilexit ea vehementer* anima mea prius quam sic diligeret, *vehementer* dilecta, ut et ipsa *vehementer* diligat mandata se diligentis *vehementer*. An non *vehementer* me suam Ecclesiam *dilexit*, qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro me redimenda tradidit illum ? *Vehementer* quoque me *dilexit* ipse Filius Dei, qui se mihi dedit et me mihi reddidit, cum perditus fuissem primo in peccatis originalibus, deinde in actualibus. Justa igitur vicissitudine te *vehementer* me diligentem et ego *vehementer* diligens *mandata tua dilexi* consors in hoc sanctorum confessorum, *mandata tua* diligentium. Et *testimonia tua* item dilexi consors in hoc beatorum martyrum, quia *testis* Latine, dicitur Græce *martyr*, et *testimonia* sunt *martyria*, quæ nisi dilexissem *vehementer*, cum instarent hostes vehementer e contrario, ut negarem, vel saltem quasi mutus non loquerer veritatem, forte vivum deglutissent me, cum irasceretur furor eorum contra me vehementer. Sed, quia « fortis est ut mors dilectio (*Cant.* VIII, 6), » qua *dilexi testimonia tua*, etiam inter ipsius mortis pericula *custodivit anima mea testimonia tua, et dilexit ea vehementer*. Non autem viribus meis attribuo quod

VERS. 168. *Servavi mandata tua, et testimonia tua*, sed gratiæ tuæ, qua me respexisti, *quia omnes viæ meæ in conspectu tuo*. Quod exinde scio, quoniam quandocunque avertisti faciem tuam a me, factus sum conturbatus, neque tunc ambulabam in via, sed errabam in invio, donec iterum dignatus es aspicere atque ad viam reducere. Proinde in gratiarum actione dico : *Servavi mandata tua, et testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.*

Aliter : *Omnes viæ meæ*, id est omnes actiones meæ diriguntur *in conspectu tuo*, quia te illuminante per eas ambulo, id præcipue requirens, ut tu benigne aspicias me oculis misericordiæ nunc ambulantem in via, quatenus gratiam pro gratia consecutus in patria quoque dignus inveniar assistere *conspectui tuo* vulnere meo ad plenum sanato, et principibus me persequentibus ac vulnerantibus ante *conspectum tuum* subsistere non valentibus, imo a facie tua fugientibus, juxta quod alibi optavi dicens : « Exsurgat, Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant, qui oderunt eum, a facie ejus. Justi autem epulentur, et exsultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitia (*Psal.* LXVII, 2, 4). » Ad hoc igitur tendunt *omnes viæ meæ in conspectu tuo*, ut illis associer, qui epulabuntur et exsultabunt *in conspectu tuo*.

TAU.

VERS. 169, 170. *Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo, Domine.* Littera hæc ultima est, cujus nomen tau mittit nos ad consummationem de qua dictum est : *Omnis consummationis vidi finem*. Quod per hoc insinuatur, quia *tau* interpretatur *erravit* vel *consummavit* vel *signa*. Est autem perfectionis magna consummatio in hac vita errorem suum recognoscere ac dicere : Servus inutilis sum, quod debui facere, feci. Hoc dicendum suadet ipse Christus dicens : « Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus (*Luc.* XVII, 10). » Quod si

dicendum est illis, qui omnia faciunt, quæ præcepta sunt, multo magis dicendum est homini pœnitenti et exemplo David recognoscenti errorem, quo deviavit a via rectitudinis peregrinum diabolum vel ad horam suscipiendo in hospitium sui pectoris, vel, quod pejus est, convivium parans illi occisa ove pauperis, imo, ut expressius loquamur, occisa in semetipso anima sua : quia « os, quod mentitur, occidit animam (*Sap.* I, 11). » Et : « Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur (*Ezech.* XVIII, 20), » qua mortua perit ovis centesima, nec redire valet per se, nisi eam reportet bonus pastor confitentem peccata sua et dicentem : « Erravi sicut ovis, quæ perierat : require servum tuum. » Hujuscemodi confessionis et orationis verba interioris pœnitentiæ *signa* sunt sive in profundum inferni sive in excelsum supra, qualia noluit petere superbus rex Achaz, cui dictum est : « Pete tibi signum a Domino Deo tuo sive in profundum inferni, sive in excelsum supra, et ille dixit : non petam (*Isa.* VII, 11). » Ego autem profundum inferni considerans et hoc timens : item excelsum cœlorum suspiciens et hoc amans peto signum in profundum inferni dicens : *Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo, Domine :* itemque peto signum in excelsum supra dicens : *Intret postulatio mea in conspectu tuo.*

Cum enim tam *deprecatio* quam *postulatio* sit oratio, tamen sic alterum ab altero distinguitur, ut *deprecatio* soleat fieri pro malis amovendis, *postulatio* vero pro bonis obtinendis. Quæ autem sunt mala magis fugienda, quam quæ sunt in profundo inferni, sive quæ trahunt in profundum inferni ? Item : Quæ bona magis appetenda sunt quam virtutes et opera, quibus itur in excelsum supra, vel etiam præmia ipsa, in excelso reposita ? Igitur ego David, ego pœnitens et exemplo David psallens ac citharam percutiens in domo Domini chordam timoris tango dicens : *Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo,* ne cadam in profundum inferni : et item tangendo chordam amoris dico : *Intret postulatio mea in conspectu tuo,* ut sis propitius mihi peccatori a malis infernalibus liberando, ut pote qui longe sum a te peccatorum pariete semotus et interclusus ab introitu sanctuarii, sed per amorem justitiæ prope factus, et gemitibus inenarrabilibus ad ostium cœlestis aulæ pulsans dico : *Intret postulatio mea in conspectu tuo,* qua requiro bona cœlestia *in conspectu tuo* reposita et conservata his, qui tibi per timorem appropinquant, et per amorem jam propinqui ad ostium gratiæ tuæ pulsant. Igitur ego a longe clamans dico : *Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo, Domine.*

Quia vero tu, fidelis promissor, mihi pœnitenti et psalmum pœnitentialem canenti promisisti dicens : « Intellectum tibi dabo, et instruam te (*Psal.* XXXI, 8), » *juxta eloquium tuum da mihi intellectum,* ut justificeris in sermonibus tuis et justus ac verax inveniaris. Vel *juxta eloquium tuum da mihi intellectum,* ut ea solummodo sapiam, quæ sapienda insinuat *eloquium tuum,* ne meo sensu evanescam sapiendo aliquid contra *eloquium tuum,* contra verbum tuum, quod est æterna sapientia, in qua solummodo quæ sursum sunt, sapere atque intelligere desiderans dico : *Juxta eloquium tuum da mihi intellectum.* Hoc intellectu accepto quia rationabilis erit *postulatio mea* intellectu rationabili credita, peto, ut *intret ipsa postulatio mea in conspectu tuo.* Alioquin si absque hoc intellectu intrabit *postulatio* mea, dicetur mihi : Nescis quid petas, quemadmodum Jacobo et Joanni dictum est : « Nescitis quid petatis (*Matth.* XX, 22), » eo quod eorum petitio caruit intellectu rationabili, et erant in intellectu alieno ab eloquio Dei. Ego autem dico : *Intret postulatio mea in conspectu tuo,* et adjungo : *Secundum eloquium tuum eripe me,* quia non peto vel eripi a malis vel uti aut frui bonis, nisi prout se habet *eloquium tuum,* quo invitamur primo ad bibendum calicem Dominicæ passionis, ut deinde idonei efficiamur ad bibendum *vinum novum in regno Dei.* Solis quippe illis qui biberunt de genimine vitis in tempore passionis Christi, promissum est, quod bibituri essent vinum novum in regno. Postquam sic intrabit *postulatio mea in conspectu tuo,* ut bibam de vino tuo in regno tuo et calix tuus præclarus me inebriabit (*Matth.* XIV, 25); tunc

VERS. 171. *Eructabunt labia mea hymnum,* quoniam ex abundantia cordis os meum loquetur sapientiam in tuis laudibus et canticis spiritalibus, *cum docueris me justificationes tuas* eo docendi modo, qui tibi soli est possibilis. Quis namque vel ab angelo angelus, vel ab homine homo, vel ab angelo homo vel ab homine angelus ita doceri potest, ut docente angelo vel homine is, qui docetur, fiat justus aut justificatus, nisi tu, qui doces hominem scientiam, doceas et justitiam non solummodo aperiendo intellectum, quo justitia cognoscatur, sed inflammando simul affectum, quo cognita justitia teneatur sive in pace, ut in cœlo, ubi nulla urget infestatio, sive in terra, ubi malitia est hominis pro justitia contra injustitiam dimicantis ac triumphare non valentis, nisi tu sic doceas justitiam, ut docendo conferas et conserves illam : conferas ædificando, conserves custodiendo civitatem *justificationis* inexpugnabilem, quam nisi tu intus ædificaveris, in vanum laborant, qui forinsecus docendo ædificant eam, et nisi tu eam custodieris, frustra vigilant, qui custodiunt eam ? *Cum* ergo tu, qui solus potes efficaciter docere, *docueris me justificationes tuas,* tunc *eructabunt labia mea hymnum* in amore tui laudes jubilando : et in amore proximi

VERS. 172. *Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum,* quatenus et alii doceantur per me talento mihi credito fideliter ad mensam nummulariis dato, quod est argentum igne examinatum, lucida æquitate fulgidum, *quia omnia mandata tua æquitas,* et non est in illis ulla iniquitas aut falsitas, ut in illorum doctrina, quorum argentum versum est in scoriam, et quorum vinum sic mistum est aqua, ut non possit inebriare quemadmodum calix tuus inebrians

præclarus et clarissima veritate purus. Iste nimirum calix eructationes illas excitat, quibus *eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me justificationes tuas.* Istius etiam calicis haustu refocillata *pronuntiabit lingua mea eloquium tuum* non timens obloquium, *quia omnia mandata tua veritas* et æquitas, cui nulla prævalere poterit iniquitas aut falsitas. Attamen licet expugnari non valeat firmitas et æquitas *mandatorum tuorum*, quia tamen plurimi eadem impugnant, et mihi ea pronuntianti adversitates intentant,

VERS. 173. *Fiat manus tua, ut salvet me, quoniam mandata tua elegi.* Facta est super me *manus tua*, Filius tuus, Verbum tuum, ut crearet me de nihilo dans mihi esse, qui non eram. Sed, quia nihil mihi profuit creari, nisi contingat etiam salvari, *fiat manus tua, ut salvet me*, per quam de nihilo creasti me. *Manus* enim *tuæ*, Domine, *fecerunt me, et plasmaverunt me, da mihi intellectum, ut discam mandata tua*, et sic *manus tua*, quæ fecit me, ipsa *fiat ut salvet me*. Ipsa *manus*, quæ est mihi creatrix, fiat et salvatrix. *Fiat* ipsa per incarnationis manifestationem inter omnia, quæ in Divinitate sua fuit ante omnia, *Fiat ut salvet me*, quæ fuit, ut crearet me. *Fiat* salvatrix, quæ fuit creatrix. Dictum sit hoc ex desiderio sanctorum antiquorum incarnationem Filii Dei exspectantium et desiderantium, quorum desiderium exaudivit Dominus, quoniam ad illorum salvationem perficiendam venit Christus.

Ego autem subsequens Ecclesia vel etiam ego ecclesiastica persona exspectando secundum ejusdem Christi adventum dico tibi, omnipotens Pater, in quem credo, licet non videns quem credo quia te « Deum nemo vidit unquam (*I Joan.* IV, 12), » dico tibi : *Fiat manus tua, ut salvet me. Manus tua* Filius tuus, qui utique visibilis factus est, ut redimeret me. Ipse nunc *fiat* per opera sua conspicuus, *ut salvet me*. Scio, quod ascendit in cœlum et sedet ad dexteram tuam, venturus inde judicare vivos et mortuos. Peto ergo, ut antequam in suo judicio discutiat me, misereatur mei ; et antequam mihi fiat examinator, *fiat* mihi salvator. *Fiat* nunc medicus, *ut salvet me* jacentem in ægritudine multa clamantem ad se, qui factus homo visitavit me semivivum necdum clamantem, sed neque scientem, ad quem clamarem. Prius quam *eligerem mandata tua*, fuit super me *manus tua* in multa patientia servans me, ne perirem in tenebris ignorantiæ. Nunc autem, *quoniam mandata tua elegi* amanda mihi præ omnibus, quæ in hoc mundo amari possunt, et ob hoc adversarios multos habeo, *fiat manus tua, ut salvet me* atque defendat contra inimicos volentes opprimere aut perdere me. Et, quia illi oppressores et perditores multi sunt et conspicui ; tu autem posuisti tenebras latibulum tuum, nec potes in manifesto videri,

VERS. 174. *Concupivi salutare tuum, Domine*, A quod scio esse visibile in assumpta humanitate, ut secundum nomen suum, quod est *Emmanuel*, *sit nobiscum Deus*, ostendendo videlicet suæ Divinitatis potentiam nobiscum. Nam, « si » ipse « Deus pro nobis » et nobiscum, « quis contra nos? » (*Rom.* VIII, 31.) Ita igitur *concupivi salutare tuum, Domine*, ut ostendat faciem suam nobis, et salvi erimus, cum ipsum *salutare tuum* videbimus, quod videre salus est. O si mihi contingat illud *salutare* sic videre, ut ex cordis affectu dicere possim : « Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum illis (*Apoc.* XXI, 3). » Item : « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi (*Joan.* I, 29). » Item : « Ecce Deus meus, et honorabo eum, Deus Patris mei, et elegi eum (*Exod.* XV, 2). » Tu, B Pilate, videns et irridens illum dixisti : « Ecce homo, » Item : « Ecce rex vester (*Joan.* XIX, 5) ; » jocus tuus vertatur in serium, ut nos Christiani dicere possimus : « Ecce homo. Ecce rex noster. » Sic nos regere dignetur *homo*, quem tu irrisisti, ut tu tuique similes hominem illum non credentes esse regem regum, regem sæculorum, versa vice irrideamini a nobis in gratiarum actione dicentibus : *Ecce homo*, rex noster Salvator omnium, qui est etiam rex omnium sæculorum, quia data est illi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXI, 18), et sicut præostensum est in visione Danielis, « datum est ei regnum et honor, et omnes populi tribus et linguæ servient ei (*Dan.* VII, 14). »

C In Hebræo legitur : *Sit manus tua auxiliatrix mea, quia præcepta tua elegi*; quod est dicere : *Quia elegi præcepta tua* mihi servanda et aliis prædicanda, ne ab hoc proposito inter adversa deficiam, sed magis ac magis proficiam, *sit manus tua* (de qua nemo potest rapere) *auxiliatrix mea.*

Item legitur in Hebræo : *Desideravi salutare tuum, Domine, et lex tua voluntas mea*, Sive autem dicatur : *Desideravi*, sive *concupivi salutare tuum*, idem est sensus, quia quæcunque desiderantur, concupiscuntur. Sed quod in Hebræo dicitur : *Lex tua voluntas mea*, et in nostro codice : *Lex tua meditatio mea*, non videtur idem esse per omnia, quia multa versamus in *meditatione*, D quæ non habemus in *voluntate*. Sed absit ut mea meditatio esse judicetur, quæ contra et præter voluntatem meam cordi meo suggeritur. Quod enim in talibus meditationibus operor, non intelligo, atque ideo non ego, sed quod habitat in me peccatum, talia operatur, et solummodo *lex tua meditatio*, quia in tali meditatione *voluntas mea est*, ut Hebraica veritas exprimit, in qua legitur : *Lex tua voluntas mea*, pro eo quod nos habemus : *Lex tua meditatio mea est. Mea*, inquam, non tamen a me ipso mihi innata, sed desursum data rorantibus cœlis desuper subtiles meditationes rori consimiles et nubibus pluentibus grossiores, pluvialibus guttis consimiles, quibus rigata *meæ voluntatis* arida terra germinet Salvatorem, quem *desi-*

erravi, quem *concupivi* assidue psallens et dicens : A *Concupivi salutare tuum, Domine, et lex tua meditatio* atque *voluntas mea est*, quæ licet in corpore mortis nunc infirmetur, tamen quandoque vel corpore isto exuta, vel idem corpus configuratum corpori Christi reinducta.

Vers. 175. *Vivet anima mea et laudabit te*, Deus meus, *et judicia tua adjuvabunt me*. Nunc enim toties quasi moritur, quoties diversa meditando a statu in statum variatur, et est ei ipsa mutabilitas magna mortis imago. Sed, cum plene ac perfecte reformabitur ad imaginem et similitudinem tuæ, Deus, immutabilitatis, tunc *vivet anima mea et laudabit te*. Utique *vivet*, nec ultra morietur, quia vita ejus non mutabitur, sed uno eodemque felicissimo statu stabiliter fruetur, et de hac B sua felicitate stabilissime *laudabit te* laude incessabili et invariabili. *Et judicia tua adjuvabunt me*. *Judicia* enim *tua*, quibus discernes impios a piis dicendo illis : Ite, maledicti ; sed istis : Venite, benedicti, *adjuvabunt me* ad perfecte laudandum te super misericordia et veritate tua : Misericordia erga pios, veritate ad impios exhibita in ipsis judiciis tuis, quæ non tantum nunc adjuvant in præsenti, sed etiam *adjuvabunt* in æternum, quia misericordiam et *judicium* in æternum cantabo, neque meis viribus, sed tuis judiciis hoc ipsum assignabo, quod tunc *vivet anima mea*, *et laudabit te*. Nunc autem peregrinanti mihi adhuc in corpore mortali et fragili bonum est confiteri errores præteritos, et orare ac vigilare contra fu- C turos. De præteritis igitur erroribus dolens et pœnitens dico :

Vers. 176. *Erravi sicut ovis, quæ periit*. Contra futuros orans dico tibi, pastor bone : *Quære servum tuum*. *Quære* me, ut quæram te, *quære*, obsecro, donec invenias me, simulque inveniam et ego te. *Quære* me *ovem* lupis expositam, imo et a lupis graviter sauciatam atque ita debilitatam, ut nullatenus possim te quærere, nisi tu prior quæras me. Quis enim prior dilexit te, ut diligeretur a te ? aut quis dedit tibi, ut tu retribueres illi ? Sed, quia tu prior diligis diligentes te, et quæris quærentes te, me *servum tuum*, qui graviter *erravi*, me *ovem* tuam, quæ *perii*, me drachma diu perditam *quære* diligenter, donec ita invenias, ut amicis et vicinis tuis, beatis angelis in unum convocatis dicere possis : Congratulamini mihi, quia inveni *ovem* meam, quæ *perierat*, inveni drachmam, quam perdideram. Quæsivisti me nondum quærentem te ; imo penitus ignorantem te ; sed nunc magis *quæro* me quærentem te ; quod exinde patet : *quia mandata tua non sum oblitus*. Etsi ad tempus *erravi* a mandatorum tuorum custodia, tamen ipsa *mandata tua non sum oblitus* omnino, ut illi, qui sunt in terra oblivionis, quorum non es memor amplius, et ipsi te manu tua repulsi sunt, eo quod ipsi priores repulerunt verbum Dei abjicientes jugum mandatorum tuorum dicendo tibi : « Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus (*Job* xxi, 14). » Ego scientiam viarum tuarum volo et desidero. Cujus rei certum est indicium et signum, quod *mandata tua non sum oblitus*.

Copulemus nunc in unum duo hæc elementa ultima *sin*, *tau*, quod interpretatur *dentium signa* satis congrue, quia non solum isti duo octonarii duobus his elementis comprehensi, sed et omnes Scripturæ divinitus inspiratæ, dum plectro linguæ circa dentes formatis vocibus pronuntiantur, apte sortiuntur hoc nomen, ut dicantur *dentium signa*, et sunt hæc *signa* sive in profundum inferni sive in excelsum supra, quia per ea significatur et obedientium glorificatio et inobedientium damnatio. Quarum duarum rerum jugis consideratio in *signis dentium*, Scripturis videlicet signata, parit in animo considerantis amorem pariter et timorem permanentem in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXIX.

Ad Dominum, cum contribularer, clamavi, etc. Psal- D mo antecedenti via descripta est boni cursoris in stadio vitæ hujus currentis non in incertum, sed ad bravium certissimum cursu directissimo, de quo idem cursor dicit : *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*. Legimus de cursu præcursoris Domini. Legimus etiam de cursu ipsius Domini, qui exsultavit ut gigas ad currendam viam. Legimus etiam de cursoribus in via recta ipsum sequentibus, quorum unus dicit : « Ego igitur sic curro, non quasi in incertum (*I Cor.* ix, 26), » qui ut alios quoque ad currendum provocaret, ait : « Nescitis quod hi, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium ? sic currite, ut comprehendatis (*ibid.*, 24). » Et potest quidem in via immaculata, in via veritatis, in via mandatorum Dei velociter curri ab eo, cujus gressus diriguntur secundum eloquium Domini, et cujus pedibus lucerna est verbum Dei, sicut scriptum est in psalmo præcedenti. Sed, cum perventum est ad illam scalam, in cujus gradibus Jacob vidit angelos ascendentes et descendentes, non tam currendum, quam pedetentim et quasi gradatim est ascendendum (*Gen.* xxviii, 12).

Et, quia de convalle lacrymarum sursum versus gradiendum est, recte hic jam quinta periocha redi-

tur ad gemitum in primo cantico graduum. Qui nimirum gemitus perfectorum est, gemitus utique columbinus, gemitus desiderantis et diligentis animi atque inter suos gemitus assidue dicentis : *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est*, etc. Plane hic gemitus perfecti hominis est ex ipsa confidentia perfectionis cupientis dissolvi et esse cum Christo. Sed revera tali conscientiæ humilitate opus est, præsumptia cavenda est, unde et in Titulo :

CANTICUM GRADUUM.

Positum est. Quo titulo significatur ascensorem cœli debere ascendere humiliter, ne, dum tædio peregrinationis vult volare in cœlum, cadat in infernum. Et quia homo justus et timoratus est, qui sic ascendit, ex ipsa confidentia justitiæ sanus et quasi fortis est ei unus pes, qui est confidentia stans a dextris, ex timore autem quasi pes alter et infirmior est illi humilitas ipsa veiut stans a sinistris, utpote sollicita pro malis, quæ vel acciderunt vel accidere possunt. Ascensiones igitur per *gradus* istos quindecim in templum veri Salomonis ita ordinantur, ut in uno *cantico graduum* pes confidentiæ præponatur, et in altero subsequatur pes humilitatis. Pes confidentiæ fortis ex bona vita, pes humilitatis fortior ex gratia. His duobus pedibus gradiebatur Apostolus dicens : « Plus omnibus laboravi, non autem ego, sed gratia Dei mecum (*I Cor.* xv, 10). » Quibus dictis dum suos labores commemoravit tanquam in pede confidentiæ de meritis bonis consistens alta expetiit sicut etiam alias cum dixisset : « Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi (*II Tim.* IV, 7), » ex confidentia meritorum talium supernam coronam expetiit, dicens : « De cætero reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex (*ibid.*, 8). » Fortius autem pedi humilitatis innitebatur, dum et ipsa merita sua et quidquid erat, gratiæ Dei attribuens dixit : « Gratia autem Dei sum id, quod sum (*I Cor.* xv, 10). » Bene itaque ordinatur *canticum graduum*, dum in uno gradu opus bonum cantatur, in altero ejusdem operis virtus perficitur in vera humilitate, qua superna petens non suæ, sed Dei bonitati fortiter innititur. Dicat ergo in primo gradu :

VERS. 1. *Ad Dominum, cum tribularer, clamavi, et exaudivit me.* Inde mihi confidentia, quod me non deserat pro ipso tribulatum et quasi granum in area trituratum, quod in ipsa tribulatione *clamavi, et exaudivit me.* Quid *clamavi?* Hoc scilicet, quod sequitur :

VERS. 2. *Domine, libera animam meam a labiis iniquis et a lingua dolosa.* Hoc in principio conversionis meæ factum recolo, cum cogitassem profici sci ad alta contemptis infimis ac terrenis. Tunc obviatum est mihi *a labiis iniquis, et a lingua dolosa. Labia iniqua* manifeste suadebant iniquitatem vel apostasiæ vel alterius injustitiæ. *Lingua dolosa* quasi consulendo a gradu primo arduæ vitæ avertere ni-

A tebatur, nunc fragilitatem carnis infirmæ prompto spiritui obtendendo, nunc difficultatem ascensionis ad alta memorando et sæpius illud inculcando, quod melius est non vovere, quam vota non reddere, cum certum sit, multos ab alto cecidisse, qui poterant in plano stetisse. In hunc modum locuta est mihi *lingua dolosa* in primo gradu ipsius deliberationis, qua in corde meo ascensiones disposui. Sed *labia iniqua* manifeste adversabantur suadendo mala et dissuadendo bona. Et ideo, quia hujuscemodi suasionibus acquiescere nolui, tribulationes cordis mei dilatatæ sunt, quibus resistendi quia vires per me habere non potui, *ad Dominum, cum tribularer, clamavi, et exaudivit me* in tantum, ut mihi quasi cæco lumen roganti et magis ac magis inter turbas

B increpantes vociferanti Salvator ipse responderet, dicens : « Quid vis, ut faciam tibi? » (*Marc.* x, 51.)

VERS. 3. *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?* Et ego tanquam dicens : *Domine, ut videam, sagittas potentis acutas cum carbonibus desolatoriis* optabam, eo quod in luce sagittarum istarum et in fulgore carbonum istorum dirigitur via sanctorum. Datæ igitur sunt mihi

VERS. 4. *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis*, vel, sicut alius codex habet, *vastatoriis*. Verba quidem sacræ Scripturæ, quibus non poterant resistere aut contradicere omnes adversarii mei sive iniqui sive dolosi; verba, inquam, illa *sagittæ potentis acutæ* fuerunt, in quarum luce ivi ad anteriora extentus. *Carbones* autem *desolatorii* seu

C *vastatores*, erant exempla sanctorum lucida et præclara, in quibus lucebat veritas et ardebat charitas, quæ de mortuis vivos fecerat, de injustis justos de malis bonos, de fragilibus fortes, de incestuosis castos, de impiis pios, tanquam de nigris carbonibus candentes, qui ob hoc *vastatores* vel *desolatores* dici possunt, quia stramen sibi superjectum vastant, et ipsi ardentes vicinas materias accendunt usque ad eam desolationem, qua post ligna, fenum, stipulam consumpta solum fundamentum remanet, quo vix per ignem salvabitur, qui reperitur in fidei fundamento infra istos quindecim gradus, quos ego mihi scandendos proposui spretis *labiis iniquis* et *lingua dolosa*, nec non et pravis exemplis quasi mor-

D tuis et exstinctis carbonibus in via calcatis.

In Hebræo legitur : *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus juniperorum*, quod proinde placet, quia *carbones juniperorum* diutius ignem servare feruntur quam carbones alterius generis lignorum. Significantur ergo istis *carbonibus juniperorum* exempla talium sanctorum, quorum charitas nunquam excidet vel exstinguetur, quorum fulgoribus infirmorum vita, si quando frigescet, reaccendi potest. Nunc autem quia frigescente charitate atque abundante iniquitate multi sunt carbones exstincti et nigri, pauci vero candentes et lucentes, tædiosa facta est mihi peregrinatio sive incolatus meus. Unde clamare compellor :

VERS. 5, 6, 7. *Heu mihi, quia incolatus meus pro-*

longatus est. In qua prolongatione illam desiderio desideravi breviationem, de qua dicit Veritas : « Nisi breviati fuerint dies illi, non fieret salva omnis caro; sed propter electos breviabuntur (*Matth.* XXIV, 22). » Sicut enim in diebus Eliæ dies peregrinationis ejus breviati sunt per solatium viduæ Sareptanæ persequente illum regina Jezabele, sic et modo synagoga Satanæ persequente aliquem sancto Eliæ consimilem, videlicet ipsius synagogæ vitia increpantem, per hoc dies peregrinationis ejus breviantur, quod in sancta Ecclesia multa inveniuntur latibula, scilicet religiosa cœnobia, in quibus hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur, quia dona gratiarum sive in pane angelorum duobus lignis cocto, quæ vidua Sareptana, sancta videlicet Ecclesia colligit, quando eidem pa- B ni signum crucis Dominicæ imprimit, sive in lecytho sancti olei, scilicet in corde mundo per Spiritum sanctum sanctificato, sic abundant, ut nullatenus deficiant sive imminuantur quoadusque anni siccitatis, quibus Antichristus regnaturus est, omnino transeant, et Jezabele a canibus devorata sit pax in Ecclesia *incolatu* ipsius Ecclesiæ abbreviato, in quo ego, David, ego parvulus ut David peregrinans *habitavi cum habitantibus Cedar*.

Cedar, qui alio nomine dictus est *Ismael*, filius erat ancillæ, persecutor filii liberæ de quo Apostolus ait : « Et quomodo tunc is, qui secundum carnem natus est, persequebatur eum, qui secundum spiritum : ita et nunc. Sed quid dicit Scriptura? C Ejice ancillam et filium ejus (*Gal.* IV, 29, 30). » Cum hujusmodi filiis *Cedar habitavi* in tabernaculis *Cedar*. Quare autem dico in tabernaculis *Cedar* et non *Ismaelis*, cum sit ipse *Cedar* qui dictus est *Ismael*? Propterea nimirum, quia Cedar interpretatur *tenebræ*, Ismael *exauditio Dei*, de quo et Dominus ad Abraham *super Ismael* quoque ait : *Exaudivi te*. Oraverat enim pater Abraham pro illo dicens ad Dominum : « Vivat Ismael coram te (*Gen.* XVII, 20). » Quæ oratio quoniam fuit exaudita, recto per nomen *Ismael*, quod est *exauditio Dei*, persecutores illi significantur, pro quibus exauditur Ecclesia orans pro adversantibus exemplo ipsius veri filii liberæ in cruce orantis pro se crucifigentibus, qui et exauditus est pro sua reverentia. Exauditur etiam adhuc sanguis ejus clamans de terra multo melius quam sanguis Abel, quia ille vindictam, hic postulat indulgentiam peccantibus duntaxat per venialem ignorantiam, secundum quod dixit : « Pater, ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII, 34). » Non est enim nimium onerosum vel tædiosum cum talibus habitare, quos valeas orando ad meliora provocare, ut sint Ismael, quod interpretatur *exauditio Dei*. Sed in tabernaculis *Cedar*, quod interpretatur *tenebræ*, quo nomine significantur omnino inconvertibiles filii tenebrarum, pro quibus orans non exauditur Ecclesia, cum diu habitassem, longo tædio affectus dixi : *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est*.

In Hebræo legitur : *Heu mihi, quia peregrinatio mea prolongata est, habitavi cum tabernaculis Cedar! Multum peregrinata est anima mea cum odientibus pacem. Illi oderunt pacem, sed ego eram pacificus, et loquebar illis pacifice*, cupiens inter Deum et ipsos pacem facere. At illi me *impugnabant*, pugnas ultroneas adversum *me* concitando, *gratis* non habentes causam bellandi, cum essem ego non solum pacatus pacem libenter conservando, sed etiam *pacificus* pro pace aliorum diligenter laborando et orando.

PSALMUS CXX.

VERS. 1. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi*, etc. Primo gradu conscius mihi boni meriti, eo quod *cum his qui oderunt pacem, pacificus* fueram; diligens etiam non diligentes me, innitebar, ut putavi, sano et forti pedi confidentiæ. Sed quia hunc pedem nimis debilem certo experimento probavi, non valens eodem pede hostes conculcare me fortiores et me calcantes.

Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi, non jam pedi confidentiæ, sed pedi gratiæ innitenti in hoc secundo cantico graduum, in quo non in virtute meritorum confido, sed in *montibus, unde veniet auxilium mihi. Montes* isti sunt electi et dilecti Dei, qui alibi dicuntur *montes Bethel* et *montes aromatum. Bethel* interpretatur *domus Dei*, quo nomine sancta Ecclesia intelligitur, cujus fundamenta in sanctis *montibus* illi *monti* al- D tissimo innituntur, qui factus est in verticem *montium* super colles elevatus usque ad summum. Nec mirum. Etenim a summo cœlo egressio ejus, ac proinde usque ad summum decuit elevari eum, qui de lapide parvo crevit in magnum *montem*. Huic *monti montium*, fundamento fundamentorum, sancto sanctorum in altissimis fundato, in excelsum thronum sublimato superincumbunt *montes* cæteri, *montes Bethel*, videlicet sancti apostoli modo mirabili. Nam cum in terrenis ædificiis fundamenta deorsum locata sustentent parietes et columnas, in hoc cœlesti ædificio fundamentum principale altissimum est, et huic inhærent quasi minora fundamenta quasi desursum pendentia, et de cœlo descendentia. Unde ait Joannes : « Vidi civitatem sanctam Jerusalem novam descendentem de cœlo (*Apoc.* XXI, 2). » Vere *descendentem*, quia in ea mon-

tes magni et alti condescendunt minimis in ea lapillis, inter quos et ego me computo, qui positus in gradu ipsum versus penultimo, et adhuc terræ vicino sursum aspicere cupiens *oculos meos levo* et sæpius *levavi in montes, unde veniet auxilium mihi, auxilium* gratuitum nullis condignis meritis conquisitum.

Inter hos *montes auxilium* præstantes post ipsum verticem *montium* præcellit beata semper virgo Maria, cui assidue dico : *Sancta Dei genitrix, sis nobis auxiliatrix.* Item : *Sancta Maria virgo mater pia, tu nos adjuva.* Item : *Sancta Dei genitrix virgo semper Maria, intercede pro nobis ad Dominum Jesum Christum.* Item : *Post partum virgo inviolata permansisti, Dei genitrix, intercede pro nobis.* Dum talia dicerem quasi clamans de profundis ad hunc *montem*, non semel *venit auxilium mihi* a sancta Maria velut a *monte myrrhæ.* Ipsa est enim principaliter ille *mons myrrhæ*, de quo dicit sponsus : « Vadam ad montem myrrhæ (*Cant.* IV, 6). Quod cum de ea dictum sit in Canticis canticorum, libet quoque ejus meminisse hic in canticis graduum in commemoratione *montium unde veniet auxilium mihi.* Denique cum totus martyrum candidatus exercitus *mons myrrhæ* sit propter amaritudinem passionis, qua velut myrrha condita sunt eorum corpora ad incorruptionem præparata : multo magis ipsa beata virgo et mater incorrupta, cujus animam pertransivit gladius Dominicæ passionis et suæ maternæ compassionis, meretur dici *mons myrrhæ*, dum quasi myrrha electa dat suavitatem odoris compatiendo afflictis *oculos suos levantibus* ad ipsam pariterque ad alios *montes, unde veniet auxilium* speratum et consolatio desolatis, quorum unus ego sum. Et ideo ab istis *montibus* quæro et spero *auxilium.* Hoc ipsum tamen

VERS. 2. *Auxilium meum* non a *montibus* est, sed *a Domino, qui fecit cœlum et terram*, qui *fecit* ipsos *montes*, per quos dat *auxilium* sive in donis cœlestibus tanquam factor *cœli*, sive in donis terrestribus tanquam factor *terræ*, quia ipse unus factor omnium *fecit* spiritales creaturas et corporales, de quibus præstat *auxilium* cantantibus istud canticum graduum, quo plus de gratia quam de meritis quæritur et speratur, *auxilium* levatis oculis ab infimis ad alta *in montes, unde veniet auxilium* datum per illos *a Domino, qui fecit cœlum et terram.* Sic mihi cantanti canticum istud graduum et levanti oculos in montes, videlicet sanctos cæteris eminentiores, ut sunt seraphim, cherubim, throni, dominationes, principatus, potestates, virtutes, angeli, archangeli, apostoli, martyres, confessores, virgines, de ipsis montibus vox exsultationis et salutis auditur consolans me ac dicens mihi :

VERS. 3. *Non det in commotionem pedem tuum*, etc. Quasi dicat aliquis *montium* : Tu levas oculos tuos in nos *montes*, et nos oramus pro te ad eum, qui super nos est mons in vertice montium. Quid oramus? Hoc scilicet : *Non det in commotionem pedem*

A *tuum*, hoc est : *Non veniat* tibi « pes superbiæ, et manus peccatoris non moveat » te (*Psal.* XXXV, 12); sed persistas firmus in isto gradu sanctæ humilitatis, qua de gratia plus quam de meritis confidis in Dei misericordia, qui *non det in commotionem pedem tuum, neque dormitet qui custodit te*, hoc est, non sinat te dormitare; sed faciat te ad se jugiter vigilare, sicut alias dicis : « Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo (*Psal.* LXII, 2). » Si enim tu ei dormitabis, et ipse tibi *dormitabit*, quod ne fiat, nos *montes* oramus pro te, ut *non dormitet* tibi, *qui custodit te.* Dormit quippe dormienti servo pigro, et vigilat vigilanti servo bono : et « Beatus ille servus, quem cum venerit Dominus invenerit vigilantem (*Luc.* XII, 37). » Igitur *ne* ipse tibi *dormitet*, faciat semper te
B vigilare in spiritu, etiam dum corpore dormis, ita ut dicere possis : « Ego dormio, et cor meum vigilat (*Cant.* V, 2). » Sic nos *montes* oramus pro te lapillo, pro te silice sive adamante, pro te sive despecto et conculcabili ut silex, sive honorificato et in modum pretiosi lapilli adamantis auro alicujus dignitatis circumdato. Et ecce in mediis precibus exauditi sumus, quia

VERS. 4. *Ecce non dormitabit, neque dormiet qui custodit* te, *Israel*, te similem Jacob, qui et *Israel*, dum non venaris cum Esau foris vagando et fugitiva hujus mundi gaudia sectando, sed habitas in tabernaculo ecclesiasticæ seu monasticæ disciplinæ cum *Rebecca*, quod interpretatur *patientia*, et diligis ma-
C gis Rachelem quam Liam, et luctaris in precibus cum angelo magni consilii, donec benedicat tibi dicens : « Nequaquam ultra vocaberis Jacob, sed Israel erit nomen tuum (*Gen.* XXXII, 28). » Ex tunc certe certus eris, quia *non dormitabit, neque dormiet* tibi, *qui custodit* te nominatum *Israel*, id est virum videntem Deum, eo quod videris facie ad faciem Dominum et salva facta sit anima tua. Non igitur dubites *auxilium* tibi venturum, quia nobis *montibus* pro te orantibus ad Dominum, ipse

VERS. 5. *Dominus custodit te*, et ipse *Dominus protectio tua super manum dexteram tuam*, vel sicut Hebraica veritas habet, *super manum dexteræ tuæ.* Cum in primo gradu certares contra filios *Cedar*, protegebat te interdum sinistra tua scuto patientiæ
D armata inter adversa excipiens tela hostilia. Sed plus multo expeditior fuit *dextera* illa, videlicet benignitas, qua charitas non solum patiens est mala tolerando, sed etiam benigna pro malis bona reddendo, pro calumniantibus orando, et precum telis procul pellendo incursus hostium visibilium et invisibilium. Illo quoque modo protegebat te *dextera tua*, quod illa eleemosynas faciente nesciebat sinistra tua quid faceret *dextera tua*, cum in tali opere sola concupisceres æterna præmia procul pulso appetitu laudis et gratiæ humanæ. Item per hoc *dextera tua* protegebat te, quod *ad dexteram* statuendis ovibus te sociavit sejunctum a sinistris, hædis videlicet petulcis, dum nesciente sinistra ipsa *tua dextera* Christum in suis minimis esurientem pasceret, sitientem

potaret, nudum vestiret, hospitem colligeret, infirmum et in carcere visitaret. Felix itaque *dextera*, quæ protegit ab his jaculis, quibus feriendi sunt hædi ad sinistram statuendi, quibus dicetur : « Ite, maledicti, in ignem æternum : esurivi enim, et non dedistis mihi manducare ; sitivi, et non dedistis mihi bibere, » etc., usque : « quandiu uni de minimis meis non fecistis, mihi non fecistis (*Matth.* xxv, 41 et seq.). » Multum valuit ad protegendum te larga hæc *dextera* sive in corporalibus beneficiis, quibus corpora, sive in spiritualibus, quibus animæ foventur, ne vel illa vel illæ moriantur. Multum, inquam, valuit hæc *dextera manus tua* conquirens tibi merita, quibus obtineantur delectationes *in dextera* Dei repositæ, cujus in sinistra temporalia sunt solatia. Verumtamen *super* hanc *dexteram tuam* primo gradu exercitatam in isto secundo gradu longe amplius valet ad protectionem tui gratia Dei, qui te gratis proteget *super dexteram*, vel *manum dexteræ tuæ*, id est plus quam *manus tua* quantumlibet sanctis meritis exercitata. Nam custodiente in pace ac protegente in bello te ipso Domino,

Vers. 6. *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem*. *Sol* divinitas Christi, *luna* est humanitas ejus vel tota Ecclesia, quæ corpus est ipsius. *Urit* autem *sol* hæreticos in divinitatis fide claudicantes, ut Ariani et Sabelliani. *Urit* etiam *luna* in humanitatis Christi veneratione scandalizatos, ut Photinus et Manichæus, quorum alter hominem de virgine natum spoliat divinitate ; alter etiam vera humanitate, dum et ille asseverat Christum purum hominem non Deum ; ille non hominem verum, sed phantasticum dicens inter cætera sui erroris deliramenta : Si virgo peperit, phantasma fuit. Similiter *luna*, sancta videlicet Ecclesia urit eos, qui sanctitatis ejus fulgorem temperatum non ferentes, ab ea segregant semetipsos, et per schismata et sectas perditionis, ut Luciferiani et Novatiani, qui se Catharos, id est mundos, nuncupabant, intemperata et nimia ac proinde falsa quadam sanctimonia elati fermento Pharisæorum cæteris despicientium. Quocontra Nicolaitæ, altaris ministri concubinarii, cæterique volentes edere ac fornicari, edere videlicet stipendia solis continentibus et pudicis ministris debita, fornicari vero aperta mœchia non habentes nec habere volentes legitima connubia, Sadducæorum fermento corrupti non ferunt in Ecclesia nitorem continentiæ quasi lunarem, utpote a *sole* justitiæ venientem in corpus Ecclesiæ. Quo nitore ipsos urente sectas perditionis fecerunt, alii falso uxorati, alii vere concubinati, alii multarum feminarum scortis impliciti, neque tamen carere volentes officiis et beneficiis ecclesiasticis a sancta Ecclesia sibi interdictis. Herodis etiam fermento nonnulli corrupti candorem patientiæ ac mansuetudinis ecclesiasticæ non ferentes, in Ecclesia contra Ecclesiam tyrannizant stipendia militiæ spiritualis vertentes in instrumenta carnalis militiæ vel potius malitiæ diabolicæ. Tu autem, qui gratiæ Dei fortiter inniteris, neque *solis* fulgore, neque *lunæ* candore te urente scandalizaberis, quia

Vers. 7, 8. *Dominus custodit te ab omni malo*, ne pereas ullo scandalo. Quod ne frustra nos *montes*, in quos levasti oculos, tibi promiserimus, et nos, quod absit, mendaces inveniamur, conversi ad Dominum, *unde veniet* tibi *auxilium* nobis mediantibus, pro te jam stante in secundo gradu, oramus dicendo quod sequitur : *Custodiat animam tuam Dominus. Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum, ex hoc nunc et usque in sæculum*. Etiamsi terra corporis tui tradatur in manus impii, tamen *anima tua* sit semper *custodita* ut anima Job, qui cum traderetur Satanæ fatigandus et tentandus, dictum est a Domino ipsi tentatori : « Verumtamen animam illius serva (*Job* ii, 6). » Similiter, *custodiat animam tuam Dominus*, ut, etsi corpus occidatur, *anima tua* non lædatur, imo vexatione corporis ipsa purificata et tanquam speculum prælucidum lumine *solis* atque *lunæ* resplendeat, lumine *solis per diem* prosperitatis, *lunæ per noctem* adversitatis, vel *solis* in virtute contemplationis, *lunæ* in virtute actionis, ita ut nox sicut dies illuminetur, et Martha nostra Mariæ nostræ soror esse demonstretur, imo Lia nostra in operum fecunditate præferatur infecundæ Racheli, sicut et ipsa præfertur sorori suæ in specie sua et pulchritudine. Sic, sic *neque sol per diem, neque luna per noctem* suo fulgore *te uret*, quando neutra soror habet causam talis æmulationis, qualis erat inter Liam et Rachelem, qualis etiam aliquantulum urebat Martham dicentem : « Domine, non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare ? » (*Luc.* x, 40.) Pene fuerat urente hujusmodi æmulatione Martha perturbata. Sed ejus perturbatio, Domino judicante, sedata est, ita ut et Martha suam bonam partem non intermitteret, et Maria optimam partem, quam elegerat, non amitteret. Sic etiam tua domo recte ordinata et ornata per activas et contemplativas personas in invicem pacatas *neque sol per diem, neque luna per noctem te uret ;* imo utriusque splendor oculos tuos delectabit, sive introeas ad secretum contemplationis internæ, sive ad opus agrorum foras exeas cum illo, qui « exiit seminare semen suum (*Matth.* xiii, 3). » Nos *montes*, in quos tu levasti oculos, ad utraque tibi optamus prosperitatem hanc, ut Dominus, *unde veniet* tibi *auxilium, custodiat introitum tuum et exitum tuum, ex hoc, nunc et usque in sæculum, ex hoc* instanti, quo in gradu secundo stas, *usque in sæculum* futurum transcensis gradibus, quibus te inniti videmus.

Aliter : *Introitus* est initium tentationis, in quam rogamus, ne intremus per illum commoniti, qui dixit discipulis suis in ascensionis conatu fatigatis : « Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem (*Matth.* xxvi, 38). » Hoc et nos *montes* oramus pro his, qui levant oculos suos in nos, ut tu, qui cantas : *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium*

mihi. Verum si contigerit secreta Dei dispensatione, ut non possit averti precibus nostris, quin tu intres in tentationem, hoc omnimodis obtinere curamus, ut *Dominus custodiat introitum tuum* secundum promissum illius, qui dixit : « Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis; sed faciet cum tentatione » etiam « exitum, ut possitis sustinere (*I Cor*. x, 13). » Sed quia hostes maligni tam in *exitu* quam in *introitu* tentationis insidiantur cupientes aut in principio caput, aut in fine calcaneum lædere, *Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum*, ne vel ingruentibus tentationibus vincaris, vel eisdem superatis extollaris. Et hæc Domini custodia super te sit firma *ex hoc nunc*, in quo nunc tempus est acceptabile, *et usque in sæculum* futurum nullo fine terminandum.

Aliter : Si ad aliquod ministerium fueris assumendus in sancta Ecclesia, *Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum*, ut per ostium introeas, et pascua invenias juxta illud : « Per me si quis introierit, salvabitur, et pascua inveniet (*Joan*. x, 3). » Sic ergo et tu pascua invenias intrans et exiens : intrans orando in cubiculo clauso ostio pascua invenias ipsius orationis affectum et effectum, dum Pater tuus, qui te audit in absconso, reddet tibi pro gemitibus inenarrabilibus inenarrabiles consolationes ; exiens autem foras sive ad ministerium in ministrando, sive ut doceas in doctrina, sive ut præsis in sollicitudine, sive ut miserearis in hilaritate, sive ut tribuas in simplicitate, pascua invenias in talibus exitibus ipsos ministerii tui tales effectus, quos videntes homines glorificent Patrem, qui in cœlis est, cujus nominis glorificatio te pascat, non laus propria, non gratia humani favoris, non ambitio quæstus aut honoris, quia quem talia pascunt quasi cibus venenatus interficiunt, nisi antidoto pœnitentiæ accepto vel in ore gustata respuantur, vel in stomachum cordis intromissa revomantur. Alioquin morietur qui talibus pascuis delectatur et pascitur. Ab his igitur pascuis venenosis *Dominus custodiat introitum et exitum tuum ex hoc, nunc et usque in sæculum*. Tu vero ingrediens et egrediens meliora pascua invenias, quibus et tu crescas, et alios enutrias in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi, cujus nomen sit benedictum *ex hoc, nunc et usque in sæculum.*

PSALMUS CXXI.

Vers. 1. *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi*, etc. In hoc tertio gradu iterum vox confidentiæ, quia iste ascensor pedi meritorum innitens gratulatur et dicit :

Lætatus sum in his quæ in proximo gradu *montibus* resonantibus *dicta sunt mihi*, quibus inter cætera hoc insertum est, quod Dominus *non det in commotionem pedem meum, neque dormitet, qui custodit me*. Sub illius igitur custodia ego, et qui me comitantur, *in domum Domini ibimus*, quo etiam custodiente

Vers. 2. *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Jerusalem*. Sicut per *atrium* introitur in domum, sic per fidem introitur ad speciem. Unde quia *pedes*, id est affectus nostri non sunt moti a stabilitate fidei, per fidem ambulando *in domum Domini ibimus*, ubi facie ad faciem videbitur Deus deorum in Sion sive *in Jerusalem*. Quæ

Vers. 3. *Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas*, cujus lapides foris politi et serati disponuntur, permansuri sacris ædificiis, illius civitatis, *cujus participatio ejus in id ipsum. Id ipsum* est ipse Deus, cui alias dicitur : « Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient (*Psal*. ci, 28). » Illud *id ipsum* participabunt omnes illius civitatis cives, quia ibi gaudium singulorum erit omnium et omnium erit singulorum gaudente unoquoque non solum de suo, sed etiam de aliorum bono, quod semper erit *id ipsum*, quia non mutabitur aut variabitur in æternum. Vere *illuc ascendemus*, quia multos præcursores nos præcessisse novimus, quo præcursor præcipuus Christus pro nobis ingressus traxit et trahit ad se omnia sua membra, quæ sunt tribus Domini. Præteritorum exhibitio futurorum certitudo est, ne ullatenus diffidamus eo ascensuros nos filios, quo ascendisse non dubitamus patres nostros, scilicet in *Jerusalem*.

Vers. 4. *Illuc enim ascenderunt tribus*, non quidem omnes, quia non omnium tribuum fides est probata, sed *tribus Domini*, quibus est *testimonium Israel*, sicut illi, cui dictum est : « Ecce vere Israelita, in quo dolus non est (*Joan*. i, 47). » Vere tales *illuc ascenderunt*.

Vers. 5. *Quia illic sederunt*, et sedebunt super *sedes* judicantes duodecim tribus Israel, discernendo credentes tribus a non credentibus, ipsi pariter et judices, et judicis altissimi sedes judicariæ, secundum quod dicitur : *Anima justi sapientiæ sedes*. Ideo vere canitur : *Illic sederunt sedes in judicio* ; nam et ipsi sedebunt, id est requiescent in Deo et Deus sedebit, id est requiescet in eis. *Sedes istæ* judicabunt *super domum David* vere manufortis et desiderabilis, Christi, filii *David*, cujus *domus* tota est Ecclesia bonis et malis permista, sed per illos judices discriminanda, qui falli non poterunt, quia sedente in se Deo nonnisi juste judicabunt, hædis e agnis distribuendo quod utrisque debetur. Et quis terribile tunc erit judicium, vos qui futuri estis ju-

dices, nunc estote intercessores, et antequam distri-cte judicetis,

VERS. 6. *Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem.* Per vos quippe tanquam per idoneos legatos legationem mittimus « rogantes ea quæ pacis sunt (*Luc.* XIV, 32), » quia rex contra nos venturus ad judicium cum viginti millibus veniet rationem positurus non solum de manifestis actis et dictis, sed etiam de occultis cogitationibus, cum nos contra duplum illius exercitum viginti millium forte nec simplum habere possimus decem millium rationem reddendo manifestorum effectuum, nedum internorum affectuum. *Rogate* igitur *quæ ad pacem sunt Jerusalem. Pacem* et indulgentiam peccatorum petite ab ipso rege civitatis *Jerusalem*. Et quia non sufficit *ad* plenam *pacem* peccatorum venia, addatur *abundantia* virtutum. Quibus? *diligentibus te, diligentibus* justitiam, veritatem, sanctitatem, pietatem, charitatem, quod totum tu es. *Diligentibus*, inquam, *te abundantia* erit, quia qui non omnia, quæ præcepisti, potest implere, diligendo implentes implet omnia, te ipsum diligens in omnibus ea dilectione, quæ fortis est ut mors. Occidit enim in nobis, quod fuimus, ut mundo mortui vivamus Deo. Tantis ergo intercessoribus *pacem*, id est peccatorum veniam et *abundantiam* virtutum nobis impetrantibus,

VERS. 7. *Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis. Fiat*, inquam, *pax* non in virtute intercessorum, qui sine te, Deus, nihil possunt, sed *in virtute tua et abundantia* virtutum sit *in turribus tuis*. Quæ sunt autem, o civitas Jerusalem, *turres tuæ*, nisi conventus ecclesiastici et cœnobia religiosa in fundamento, quod est Christus, fundata,

A ut exinde veluti ex *turribus* altis muniantur minora ædificia, verbi gratia, ordines conjugatorum sive sæculariter militantium sive militantibus tributa præstantium? Talium doctores et monitores, viri continentes et religiosi de *turribus* altioris propositi quasi mittentes jacula verborum, ut in luce sagittarum tuarum et in splendore fulgurantis hastæ tuæ ambulent minores, nisi abundent spiritalibus bonis, ita ut abundet justitia eorum plus quam Scribarum et Pharisæorum, neque ipsi intrabunt neque alios introducent in regnum cœlorum. *Fiat* ergo *abundantia* hæc *in turribus tuis*, ut non habeant necesse vel cum fatuis virginibus oleum petere, vel cum hypocritis, quæ sua sunt quærentibus, desiderare aliquid alienum, sed habentes de

B altari, cui serviunt, victum et vestitum, his contenti sint. Non autem propter singulare commodum, sed

VERS. 8. *Propter fratres meos* communi utilitate fovendos *loquebar pacem de te*, o Jerusalem, qua veniam peccatorum, furorem atque iram Dei concitantium, petivi, ut pariete inimicitiarum sublato esset pax inter nos et Deum. Deinde

VERS. 9. *Propter domum Domini Dei nostri quæsivi bona tibi*, o Jerusalem, ut sicut *domus Domini*, quæ fuit in terrena Jerusalem, vasis aureis et argenteis aliisque ornamentis erat abundans in decorem toti civitati; sic sanctæ religionis propositum copiose abundans bonis personis et earum commoditatibus, domui Dei congruis, fulgeat in illo decore

C sanctitatis, de quo dictum est alias : « Domum tuam, Domine, decet sanctitudo in longitudinem dierum (*Psal.* XCII, 5). »

PSALMUS CXXII.

VERS. 1, 2. *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis.* In isto quarto cantico graduum submissa meritorum confidentia is, qui ascendere nititur cum tribubus Domini, ut efficacius ascendat, pedem ponit in altiorem gradum sanctæ humilitatis ita dicens :

Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis. Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, etc. Multum quippe se humiliat, dum non solum servo, sed etiam ancillæ vapulanti se assimilat fixos habenti *oculos* in manibus dominæ suæ, donec parci sibi vel solo nutu jubeat. Notandus est gradus ascendentis de montibus ad Dominum montium, de multitudine ad unum, quasi dicat : Prius *levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Nunc *ad te qui habitas in cœlis*, qui montes alti sunt, et propter cœlestem conversationem *cœli* dicuntur, *levavi oculos meos*, ut aspiciendo me ipsum despi-

D ciam dicens cum beato Job : « Auditu auris audivi te ; nunc autem oculus meus videt te, idcirco ipse me reprehendo (*Job* XLII, 6). » Non levaverat *oculos suos ad te*, sed eos deflexerat ad se Pharao, qui dixit : « Nescio Dominum, et Israel non dimittam (*Exod.* V, 2). » Item Nabuchodonosor : « Quis, inquit, est Deus, qui eripiat vos de manu mea? » (*Dan.* III, 15.) Et ille Pharisæus major sibi se, qui dixit : « Non sum sicut cæteri hominum (*Luc.* XVIII, 12), » in seipsum defixos habuit oculos, non *ad te* habitatorem *cœlorum* sursum levatos. Quocontra publicanus non audens *oculos* corporis ad cœlum levare, *oculos* cordis levaverat *ad te*, dicens : « Deus, propitius esto mihi peccatori (*ibid.*, 13). » Te aspexit, et se despexit. Tu ei placuisti, et ipse sibi displicuit : ideo a se *ad te levavit oculos* suos, *qui habitas in cœlis*. Et ego, quia factus sum mihimetipsi gravis, tædio affectus peregrinationis in hac valle

lacrymarum, de profundis clamavi, et *levavi oculos meos, ad te* sursum, *qui habitas in cœlis*. Quomodo?

Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum : et sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ inter verbera gravissima, donec vel dominus, vel domina jubeat parci servo seu ancillæ vapulanti : *ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum*, qui nobis est *dominus* et *domina*, sicut ipse in evangelica parabola se assimilavit pariter viro et mulieri, dicens : « Quis ex vobis homo, qui habet centum oves? » (*Luc.* xv, 4.) Item : « Aut quæ mulier habens drachmas decem? » (*Ibid.*, 8.) Ad hunc *Dominum* et ad hanc *dominam* sunt *oculi nostri, donec misereatur nostri*, quærendo nos tanquam ovem perditam a lupis laceratam inter spineta vexatam, et tanquam drachmam multo pulvere fœdatam, quia et in carne, quæ tanquam ovis deberet esse munda hostia, et in mente, quæ tanquam drachma deberet esse fulgida in regali moneta similitudinis Dei figurata, perdidimus in Adam quidquid boni habuimus, et duplicis miseriæ flagello cædimur, cum peregrinamur corpore simul et mente a *Domino* Deo sive a *domina* sapientia. Huic ergo *Domino* naturaliter misericordi, cui proprium est misereri assidue inter verbera, quæ nec in prosperitate desunt, clamamus dicentes ore simul et corde :

VERS. 3, 4. *Miserere nostri, Domine, miserere nostri. Miserere* secundum carnem, ut eam in humeris tuis levans exhibeas tibi hostiam vivam, sanctam, tibi placentem. *Miserere* quoque secundum interiorem hominem tergendo illum quasi drachmam pulvere malarum cogitationum et luto pravarum affectionum fœdatam. *Miserere nostri, Domine, miserere nostri*, quia nunc tempus miserendi, eo quod *multum repleti sumus despectione* pro manifestæ paupertatis evidentia, et *quia multum repleta est anima nostra* pro conscientia fœdata interius, eo quod similitudinem Dei perdidimus, et in longinquam regionem dissimilitudinis venimus, ubi porcos diu pascendo, dum eodem cibo, quo et porci pascebantur, nos quoque ventrem nostræ memoriæ implere concupivimus, porcis assimilati sumus. Et ideo nunc revertentes ad te patrem clementissimum sumus *opprobrium et despectio* nos humiliati *superbis* et invidis, nos pauperes *abundantibus*, nos cum Lazaro mendici et ulcerosi divitibus et *abundantibus*, atque quotidie splendide epulantibus neque micas erogantibus ad consolationem nostræ *despectionis*, qua *multum* repleti sumus, *qua multum repleta est anima nostra*. Miseria est, quod despicimur, cumulus miseriæ, quod *multum* despicimur, et aggravatio miseriæ, quod ipsa miseria et *despectione repleti sumus*, profunditas miseriæ, quod non solum caro, sed et *anima nostra multum repleta est* calamitatibus, propter quas *opprobrium* est *abundantibus*, *est despectio superbis*, quanquam non vere sint abundantes, imo miseris cæteris miseriores, qui aspernantur cæteros existimando se aliquid esse, cum nihil sint, et superbiunt sive de corporalibus divitiis, quas habent, sive de spiritalibus, quas habere se putant. Inter tales nobis conversantibus et laborantibus atque multipliciter periclitantibus tu *miserere*, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis.

PSALMUS CXXIII.

VERS. 1. *Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel*, etc. In isto quinto gradu canunt perfecti magnarum virtutum sibi conscii vocibus magnæ gratulationis : *Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel*, etc. Nempe quasi jam triumpho potiti dicunt in gratiarum actione : *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium : laqueus contritus est, et nos liberati sumus*. Quam tamen liberationem, quia suis viribus non attribuunt, caute præmittunt : *Nisi quia Dominus erat in nobis, cum exsurgerent homines in nos, forte vivos deglutissent nos*. Hoc *dicat Israel* populus Dei ab Ægyptia servitute liberatus partim in re, partim in spe. In re, quantum ad illos, qui nunc regnant in cœlo, in spe, quantum ad illos, qui adhuc peregrinantur in terra. *Dicat* ergo totus *Israel* de sua liberatione vel in re vel in spe certificatus, dicat, inquam :

VERS. 2, 3. *Nisi quia Dominus erat in nobis, cum exsurgerent homines*, Pharaonis exactores, *in nos* Israelitas, *forte vivos deglutissent nos*, ut ipsis Ægyptiis incorporati non clamassemus ad Dominum. *Deglutissent*, non utcunque, sed *vivos*, id est scienter peccantes. Qui enim crimina ignoranter committunt, per quæ in corpus diaboli transeunt, mortui absorbentur; qui autem scientes et sentientes malum esse, quod faciunt, impellente diabolo criminaliter peccant, *vivi* absorbentur. Sic nos exsurgentibus in nos hominibus Ægyptiis absorpti fuissemus, *forte nos vivi* eis mortuis incorporati, quia *nos* scienter, illi *forte* ignoranter peccando perissemus, quemadmodum rex eorum Pharao dixit : « Nescio Dominum et Israel non dimittam (*Exod.* v, 2). »

Forte adverbium dubitandi est interpositum, quia res ad utrumque se habuit, quæ potuit fieri et non fieri. Domino tamen dominante in nobis non prævaluit dominium Pharaonis. Et ideo, qui nos blanditiis tenere non potuit, cujusque lingua dolosa in primo gradu sagittis acutis confossa et carbonibus desolatoriis exusta conticuit, post in iram et furo-

rem sine ratione vel rationis verisimilitudine sævientem versus manifesta crudelitate nos persecutus est cum toto exercitu suo dæmonum simul et hominum sibi militantium, seu etiam carnalium desideriorum, quæ militant adversus animam nostram. Et tunc nobis fugientibus per mare Rubrum, scilicet per baptismum sanguine Agni, qui tollit peccata mundi, rubricatum,

Vers. 4. *Forsitan aqua* baptismi *nos absorbuisset*, sicuti eadem Rubri maris aqua Ægyptios absorbuit, quæ Israelitas incolumes transmisit. Denique sicut aqua diluvii, qua item figurabatur baptismus, eos *absorbuit*, quos in arca non reperit : sic baptismi aqua non salvat, neque ultra montes exaltat, nisi eos, qui permanent in unitate universalis Ecclesiæ sub regimine veri Noe vel etiam sub Moyse, imo sub vero legislatore, non litteram occidentem sed benedictionem dante, quia « lex per Moysen data est; gratia autem, et veritas per Jesum Christum facta est (*Joan.* I, 17). » Quia ergo iste verus Noe rector Ecclesiæ, iste legis novæ lator in nobis erat, Christus videlicet per fidem habitans in cordibus nostris, ideo illius auxilio

Vers. 5. *Torrentem* vehementis persecutionis et tentationis *pertransivit anima nostra*, quam qui corpus vexaverunt vel etiam occiderunt, occidere non poterant, quia in solum corpus acceperant potestatem sicut Satan, qui cum expeteret Job tentandum, dictum est ei a Domino : « Verumtamen animam illius serva (*Job* II, 6). » Ipso igitur nos tuente *anima nostra pertransivit torrentem*, scilicet impetum vehementis tentationis vel persecutionis. Et ex eo, quod talem *torrentem pertransivit anima nostra*, conjicimus quod majoris persecutionis vel tentationis procella contra nos intumuisset, quæ humanis viribus esset intolerabilis, *forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem. Forsitan* ponunt Latini pro Græco ἄρα dubitationis verbo quod intelligibilius dicitur : *Putas. pertransisset anima nostra aquam intolerabilem?* Et est sensus : Magnitudo periculi vix credi permittit hoc potuisse fieri, ut intolerabiles incursus hostium visibilium et invisibilium pertransissemus illæsi. Pertransivimus tamen, Domino juvante, qui non permisit nos tentari supra quam ferre potuimus; sed fecit cum tentatione etiam exitum de tentatione ut potuerimus sustinere, dum per suam misericordiam quædam pericula mitigavit, quædam penitus amovit, et quosdam ex hostibus mutavit, ut Saulum, quem fecit Paulum ; quosdam vero prostravit ut Saulem justo judicio cadentem in monte Gelboe pro superbiæ suæ pertinacia. Sic, sic hostibus nostris humiliatis nos evasimus non solum illæsi, sed etiam per eorum vexationes quasi aurum per ignem probati. Unde auctori salutis nostræ gratias agentes, dicimus :

Vers. 6. *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum*, qui tanquam lupi rapaces, aut leones, vel ursi feroces in nos frenduerunt, et cum nos *dentibus* lædere non potuissent more bestiarum, quasi venatores callidissimi laqueos deceptionum tetenderunt nobis juxta illud : « In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi (*Psal.* CXLI, 4). » Sed

Vers. 7. *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium*, quia *laqueus contritus est*. Quomodo enim *passer* lætus avolat *laqueo*, quo tenebatur, dirupto; sic *anima nostra* corpore, quo gravata est, mortificato vel per martyrium vel per exercitia virtutum læta volavit in cœlum sapiendo et quærendo quæ sursum sunt, non quæ super terram. Non dicimus quod *laqueus noster sit ruptus*, quasi esset fragilis et stupeus; sed dicimus et in isto cantico graduum canimus, quod *laqueus est contritus*, eo quod esset ferreus ut catenæ duæ, quibus Petrus fuerat vinctus. Nam et nos vincti fuimus quasi duabus catenis, scilicet et culpis et culparum pœnis. Dum igitur culpæ sunt relaxatæ ac pœnæ culparum vel temperatæ vel penitus amotæ, *laqueus* ferreus *contritus est, et nos liberati sumus*, ita ut cum Petro cantare possimus : « Nunc scio vere, quia misit Dominus angelum suum, et eripuit me de manu » spiritalis « Herodis (*Act.* XII, 11). » Super hac nostra victoria et evasione Domino gratias referentibus dicendum est nobis assidue : *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum*, et adjungimus : *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium : Laqueus contritus est, et nos liberati sumus.* Quod si adhuc in ascendendis gradibus, qui restant, labor est residuus, in Domino confidimus.

Vers. 8. *Adjutorium* quippe *nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram.* Unde potens est nos a *terra* levare in *cœlum* transcensis omnibus quindecim gradibus, in quorum sexto jam pedem sanctæ humilitatis ponimus dicendo :

PSALMUS CXXIV.

Vers. 1. *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion*, etc. Talia enim canendo non nobis, sed Deo ascribimus, quod vicimus et evasimus illius adjutorio, quo adjuvante victoria erit omnibus confidentibus in eo. Nam *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion, non commovebitur*, Christus videlicet, qui de lapide parvo crevit in *montem* magnum, et sic ipsi fundati super ipsum *non commovebuntur*. Non erunt ita mobiles, ut ille, qui peccatorum pacem videns

putabat pene motis pedibus, eo quod illi displice- A rent judicia Dei pacem et divitias dantis peccatoribus et affligentibus justos. Non, inquam, sic movebuntur, *qui confidunt in Domino* credentes omnia judicia *ejus* justa, et rectis corde utilia, quibus omnia cooperantur in bonum sive prospera sive adversa, dum neque prosperis corrumpuntur, neque adversis franguntur, sed stant firmi, *sicut mons Sion non commovebitur in æternum. Qui mons habitat*

Vers. 2. *In Jerusalem*, secundum quod Apostolus ait, « habitare Christum per fidem in cordibus nostris (*Ephes.* III, 17), » qui sumus *Jerusalem* fide uniti cum illa, quæ sursum est *Jerusalem*, quæ est mater nostra. Ecce gradus de *Sion in Jerusalem*, de specula in visionem, de fide ad speciem, quia quod B nunc in *Sion* videmus per speculum et in ænigmate, facie ad faciem videbimus *in* superna *Jerusalem*. Quandiu autem sumus in *Sion* peregrinando et militando in Ecclesia præsenti, tendentes tamen ad supernam *Jerusalem* regnantem in pace, quam videt vidensque possidet, non oportet nos timere incursus hostium, quibus etsi permittitur impugnare, non tamen expugnare poterunt nostram civitatem *Jerusalem* naturali situ munitam, quia *montes in circuitu ejus*, quos transcendere non valent hostes. Præsidia quippe angelorum et hominum sanctorum cum sanctis angelis jam regnantium sunt *montes* coagulati, atque in unum coadunati circumdantes hanc *Sion* sive *Jerusalem*, qui sic muniunt eam, ut C expugnari non possit. Et hoc inde, quia *Dominus in circuitu ejus. Dominus*, qui est mons montium, Sanctus sanctorum sanctos angelos et homines inhabitans, ipse in sanctis agminibus cœlestium exercituum est *in circuitu ejus*, videlicet suæ civitatis, ipse murus et antemurale *in circuitu populi sui ex hoc nunc et usque in sæculum*, scilicet sempiternus adjutor.

Vers. 3. *Quia non relinquet virgam peccatorum super sortem justorum, ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas. Virga peccatorum* potestas est eorum, qua interdum sinit Deus flagellari bonos, ut meliores fiant per patientiam, quam ipsa tribulatio talis operatur. *Sed non relinquet* hanc *virgam peccatorum super sortem justorum*, videlicet super D eos, qui sorte vocantis Dei sunt hæreditas et *sors* ejus. Antiquitus enim *sorte* dividebatur hæreditas, qua etiam terra promissionis per Josue divisa est. Unde metonymice *sors* dicitur ipsa hæreditas per sortem distributa. *Sors* ergo *justorum* justi ipsi sunt, quia sorte prædestinantis, vocantis, justificantis et magnificantis gratiæ in hæreditatem Domini sunt electi. *Super* hanc *sortem non relinquet Dominus virgam peccatorum*, qua, dum sui flagellanturflilioli usque ad lacrymarum vel etiam sanguinis effusionem, ipse in tempore opportuno aufert « virgam, » et « absterget omnem lacrymam ab oculis eorum (*Apoc.* VII, 17), » — « et mors non erit ultra neque luctus neque clamor, » quæ « prima abierunt (*Apoc.* XXI, 4) »

brevia, ut sequantur gaudia æterna, sicut e regione abierunt malorum brevia gaudia, ut sequantur æterna tormenta.

Vers. 4. *Benefac, Domine, bonis et rectis corde*: *bonis* opere, ac *rectis corde*, id est voluntate. « Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde (*Psal.* LXXII, 1), » qui voluntatem suam divinæ voluntati applicantes approbant omnia, quæ Deus ordinat in sua magna republica judiciis aliquando manifestis, aliquando occultis, attamen invariabiliter semper justis! In quibus *recti corde* non murmurant, sed ipsa judicia Dei semper laudant assidue dicentes: « Justus es, Domine, et rectum judicium tuum (*Psal.* CXVIII, 137). » Item: « Justæ et veræ viæ tuæ, Rex sæculorum (*Apoc.* XV, 3). » Item: « Omnia quæ fecisti nobis, Domine, in vero judicio fecisti (*Dan.* III, 31). » Talis judiciorum Dei approbatio liberavit tres pueros de camino ignis, Danielem de lacu leonum, sanctos martyres de camino tormentorum, sanctos confessores de lacu et laqueis hæreticorum leoninis et putidis dentibus contra se frendentium. His consociantur omnes *recti corde*, *recti* recta voluntate, quæ non discordat a divina voluntate. *O Domine, benefac* illis, ut nunquam declinent seu devient a sui cordis rectitudine.

Vers. 5. *Declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem. Declinantes* a via rectitudinis *adducet Dominus in obligationem* tortitudinis, ut obligati et alligati fasciculis ad comburendum cum cæcis ducibus cæci sequaces cadant in foveam sive *obligationem*, de qua se non poterunt expedire.

Aliter: *Declinantes in obligationem*, scilicet in terrenam felicitatem, quæ sui amatores obligat illis peccatoribus, a quibus terrena sperantur, sicut per hominium vel juramentum, vel alium confœderationis modum sese peccatores peccatoribus obligant, ita ut aut metu incommodi aut spe commodi eorum peccatis vel tacendo vel assentando consentiant. Ideo *cum* ipsis *operantibus iniquitatem* participes erunt pœnæ, qui culpæ illorum consentiunt, quia, testante Apostolo, « non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt, digni sunt morte (*Rom.* I, 32). »

Pax autem *super Israel*. Nomine *pacis* omnia bona præmia comprehenduntur. Nomine *Israel* omnes illi significantur, qui pro ipsis præmiis bene serviendo, sicut ille apud Laban fideliter servivit, merentur ipsis præmiis ditari, suntque idonei et fortes ad luctandum cum Domino, quoadusque illi extorqueant benedictionem, qua dicatur cuique illorum: « Nequaquam ultra vocaberis Jacob, sed Israel erit nomen tuum (*Gen.* XXXII, 28). » *Super* hujusmodi *Israel pax*, quod prophetando simul et orando intelligatur dictum: Sicut illud: *Declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem* solummodo prophetando, et quod antecedit: *Benefac, Domine, bonis et rectis corde*, solummodo est orando dictum, quia bonis

congruit bona tam bonis quam malis petere ; mala vero malis interdum prophetare ac dicere. Sic Paulus, jubente Anania principe sacerdotum in conspectu ipsius percussus, non dixit optando vel orando, *percutiat*, sed prophetando : « Percutiet t

A Deus, paries dealbate (*Act.* xxiii, 3). » Sic etiam non hic dicitur : *Declinantes autem in obligationes adducat*, sed *adducet Dominus cum operantibus iniquitatem*, quod est prophetia, non oratio.

PSALMUS CXXV.

VERS. 1. *In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati*, etc. In gradu isto septimo iterum sonat canticum bonæ confidentiæ dicentibus ascensoribus jam de suo profectu lætificatis :

In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati. Ac deinceps : *Magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes.*

In convertendo Dominus captivitatem Sion, id est cum converteret *Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati.* Præcessit quædam figuralis consolatio filiis Israel de captivitate Babylonica solutis, in qua diligenter considerata *facti sumus sicut consolati*, cum sacerdos magnus Jesus, qui illius reversionis minister, legitur a sordidis vestibus exemptus et mutatoriis indutus atque coronis aureis coronatus (*Zach.* iii, 4). Non tamen ad plenum consolati sumus per illam captivitatis conversionem, sed *sicut consolati* similitudine illius consolationis, qua plene consolati sumus, quando Christus ascendens in altum captivam duxit captivitatem.

VERS. 2. *Tunc* verissime *repletum est gaudio os nostrum*, quia *gavisi sunt discipuli*, *viso Domino* Jesu, sacerdote magno, qui tunc vere, non in figura sordidis humanæ mortalitatis vestibus depositis indutus erat mutatoriis et coronatus coronis aureis tot victoriarum, quot animas in inferno captivas inde liberatas in supernam Jerusalem traduxit. *Tunc* in apostolis hæc videntibus *repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exsultatione*, quando in die resurrectionis in *os* mentis eorum sufflavit Christus dicens : « Accipite Spiritum sanctum (*Joan.* xx, 22) ; » et in die Pentecostes idem Spiritus in linguis igneis venit super eos inflammando et illuminando illos, ut qui prius in una lingua timide, postea variis linguis exsultative loquerentur magnalia Dei. *Tunc* dixerunt, et usque in finem sæculi *dicent inter gentes : Magnificavit Dominus facere cum eis*, videlicet cum apostolis : et nos in illis, et per illos diximus et dicimus :

VERS. 3. *Magnificavit Dominus facere nobiscum* cooperando et confirmando sequentibus signis. Verum quia illis licet in cœlestem Jerusalem de Babylonia hujus mundi reversis, dum confusio linguarum facta Babyloniæ per Spiritum sanctum linguas omnes coadunantem, tunc in unamquamlibet personam, nunc in unam unius fidei Ecclesiam Jero-

B solymæ correcta et emendata est, adhuc tamen et usque in finem sæculi non desunt fideles in Babylonia hujus mundi peregrinantes, inter quos laboramus et nos, qui primitias Spiritus habendo cantamus canticum graduum pro nobis, aliisque nostris concivibus oramus dicendo :

VERS. 4, 5. *Converte, Domine, captivitatem nostram sicut torrens in austro*, ut quomodo glacies et nix per aquilonem gelu constricta non fluit, sed flante *austro* liquescit, et repentinis aquis impleti *torrentes* cum magno impetu currunt ; sic flante *austro* vento calido, videlicet Spiritu sancto solvantur peccata nostra, et nos a peccatorum confusione tanquam de Babylonia liberati curramus ad patriam

C cœlestem, nunc *seminando in lacrymis*, quod illic mutamus in gaudio. *Semina* nostra sint opera bona, opera misericordiæ, quibus exercenda est Christiana religio, pro quibus reddendum est gaudium, dicente judice altissimo : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, etc. » (*Matth.* xxv, 34.) Tunc et beati pauperes, in quibus Christus esurivit, sitivit, nudus, hospes, infirmus et in carcere fuit, et illi beati misericordes, qui talibus cibum, potum, vestem, hospitium, visitationis consolationem impendunt, *in gaudio metent*, quod vel illi pauperes patiendo, vel illi beati misericordes faciendo secundum Evangelium *seminaverunt in lacrymis*, dum et illi habendo lacrymas passionis, et isti lacrymas compassionis Deo placuerunt ; maxime in

D lacrymis propter peccata propria seu aliena, fusis exemplo Petri propter suum peccatum flentis amare, et exemplo Pauli eos, qui peccaverant, lugentis atque alios ad luctum provocantis, maxime Corinthios, quibus dicit : « Et vos inflati et non magis luctum habuistis (*I Cor.* v, 2). » Item : « Timeo, inquit, ne cum venero ad vos, lugeam multos ex his, qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam (*II Cor.* xii, 20 et 21). »

Qui taliter *seminant in lacrymis euntes* per istos gradus, in quorum septimo nunc sumus et ad octavum tendimus, dum inter ista cantica graduum lacrymas interdum fundimus, quibus mala nostra et aliorum plangimus, quibus resurrectionis octavam speramus, ipsi, qui sic plorant, *venientes venient cum exsultatione portantes manipulos suos ; manipulos* videlicet præmiorum pro *seminibus* meritorum bonorum. Tunc erimus non *sicut consolati*,

sed vere ac plene consolati, et tunc replebitur *gaudio os nostrum et lingua nostra exsultatione*, quod exspectantes et spe gaudentes habemus quidem in A isto gradu lætitiam. Sed hanc lætitiam, ne nos insolentes faciat, salubriter provecta humilitate depromimus, dum in octavo gradu canimus.

PSALMUS CXXVI.

VERS. 1. *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam*, etc. Habet autem in titulo CANTICUM GRADUUM SALOMONIS. Recte, opportune. In quo enim melius innotescere possit, quod *nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam?* Ille enim Domino B *domum* ædificavit, et tamen ipse stare non potuit, licet inter homines singularis sapientiæ fuerit. Hoc ergo experimento perdocti, quod domum ædificare non possitis sine auxilio Domini, accipite, quod dico : *Vanum est vobis ante lucem surgere;* vanum, inquam, et stultum propositum est, vos ipsos ante diem judicii securos reddere. Sed *surgite, postquam sederitis*, id est tunc primum vos securos esse sciatis, postquam mortalitatis et passibilitatis miseriam deposueritis. Vos igitur, qui ædificationis hujus, qua vel domus vel civitas Dei ædificatur exemplo Salomonis, estis operarii, hoc scitote, hoc memoriæ vestræ commendate, quod

Nisi Dominus ipse per se ipsum intus *ædificaverit* C *domum* scientiæ, quæ inflat, addendo charitatem, quæ *ædificat, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam* loquendo et doctrina sua scientiam, quæ inflat, auditoribus conferendo, qui nisi dicere possint : « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris (*I Cor.* VIII, 1), » *in vanum laboraverunt*, qui scientiam foris loquendo administraverunt, quia sicut littera occidens non prodest, imo nocet sine spiritu vivificante, sic scientia inflans non prodest, imo nocet sine charitate *ædificante*.

Sed forte jam *domus*, quæ minor, vel *civitas*, quæ major est, bene fundata et firmiter ædificata per humanam custodiam stare poterit? Nequaquam : quia *nisi Dominus* ipse per se ipsum *custodierit civitatem*, quantumlibet firmiter ædificatam, *frustra* D *vigilat* angelus vel homo, *qui custodit eam*, quia excedit hoc angelicam sublimitatem, quanto magis humanam fragilitatem, nec pertinet nisi ad Agricolam Trinitatem, ut vel bene plantata et rigata incrementum accipiant, vel firmiter ædificata detrimentum non sentiant. Ideo vobis, qui mala evellendo seu destruendo, et bona plantando seu ædificando laborastis aut laboratis,

VERS. 2. *Vanum est ante lucem surgere.* Est autem lux « vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I, 9). » Hanc lucem sequi, non præcedere debetis, quia ipsa dicit : « Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ (*Joan.* VIII, 12). » Voluit Petrus hanc *lucem* præcedere cingendo se et ambulando, ubi volebat, putans idoneum se ad præcedendum Christum in morte. Sed Christo prius mortuo et a morte suscitato, postquam ab illo audivit : « Sequere me (*Joan.* XXI, 19), » suo casu eruditus didicit non *ante lucem*, sed post *lucem surgere* et ambulare, quæ dixerat ei : *Tu me sequere.* Voluerunt et filii Zebedæi *ante lucem surgere*, prius appetentes regni gloriam, quam degustassent calicem passionis Dominicæ. Sed revocati sunt ad ordinem, ut prius complantati similitudini passionis Christi humiliarentur ac postea exaltarentur. Et vos quos delectat in altum *surgere*, ubi Christus est in dextra Dei sedens, prius discite cum ipso humiliter sedere in sterquilinio exemplo beati Job, quia præsens in carne mortali habitatio licet stultos demulceat, tamen sensatos gravat ita, ac si sedeant in sterquilinio, humiliati videlicet consideratione humanæ fragilitatis, quæ revera sterquilinium est, in quo sedens quisque fidelis testa saniem radit, si fide passionis et resurrectionis Dominicæ, qua molle humanitatis lutum velut igne solidatum est, purgat et detergit sordes de fragili carne venientes. Post hujusmodi sessionem revera surgetur, quia qui se humiliat, exaltabitur, et qui se humiliat *ante lucem*, exaltabitur in luce, qua Deus revelabit abscondita, et manifestabit consilia cordium.

Beatus Gregorius (65) hunc locum perstringens dicit inter cætera : *In quibusdam locis sacri eloquii exquirenda est allegoria, et verba litteræ omni modo postponenda. Quod ut unum de multis dicam, indicat Psalmista, qui ait : « Vanum est vobis ante lucem surgere. » Quod si quis accipere juxta litteram velit, nocturnis Dei laudibus contradicit. Et quomodo idem Propheta dicit : « Media nocte surgebam ad confitendum tibi? » Si enim vanum est ante lucem surgere, cur ad confitendum Domino media nocte surrexit? Sed ille ante lucem surgit, qui ante diem futuri sæculi in hac vita, quæ nocti similis est, extolli appetit* (66). *Ante lucem surgere est prius quam claritas æternæ retributionis appareat, in præsentis vitæ nocte gaudere. Sedendum igitur prius est, ut post recte surgamus, quia quisquis nunc sese sponte non humiliat, nequaquam hunc sequens gloria exaltat.*

Surgite igitur *postquam sederitis*, qui nunc humi-

(65) Apud S. Paterium Exposit Scripturæ ex lib. S. Greg., part. I, lib. XI, cap. 249.

(66) S. Greg. M., lib. VIII Moral., cap. 47.

liter sedendo *manducatis panem doloris*, quibus in convalle plorationis lacrymæ assiduæ panes sunt die ac nocte, dum sapit vobis quod dicitur : « Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (*Matth.* v, 4). » Item : « Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis (*Luc.* vi, 21). » Quando putas erit ista consolatio et iste risus? *Cum dederit dilectis suis somnum :*

Vers. 3. *Ecce hæreditas Domini filii, merces fructus ventris.* Filii hujus sæculi adveniente mortis somno amittunt et ad posteros transmittunt hæreditatem. Sed cum Deus *dederit dilectis suis* obitum, qui erit eis requies et *somnus*, tunc *ecce* in evidenti apparebit *hæreditas Domini* eis collata, quia erunt ipsi « hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi (*Rom.* viii, 17), » et erunt *filii* tam electi, ut sint merces fructus ventris virginei, cujus *ventris fructus* propter nos pauper factus hac *mercede filiorum* ditandus est. Unde Isaias ait : « Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur (*Isa.* liii, 10). » Et ipse granum in terra mortuum talibus *filiis* multiplicandum fuit, qui sint *merces* mortis ejus, qua redempti sunt.

Aliter : O tu sancta Ecclesia, quæ nunc in utero tuo quasi Rebecca portas duos populos, quorum alter alterum superabit, et major minori serviet, *filii* tui boni a generatione mala Esau separati erunt *merces* et *fructus ventris* tui, quia reliqui non computantur in filios aut fructum, sed in spinas et tribulos, quos germinat femineæ carnis terra, propter peccatum originale maledicta, dicente Domino ad Adam : « Maledicta terra in opere tuo. Cum operatus fueris terram, non dabit fructus suos, sed spinas et tribulos germinabit tibi (*Gen.* iv, 12). » Per *spinas et tribulos* mali significantur, qui de terra feminea operante virili concupiscentia multiplicantur super numerum bonorum, qui nascuntur non de jam dicta maledictione, sed de illa benedictione, qua dictum est ipsis primis parentibus : « Crescite et multiplicamini, et replete terram (*Gen.* i, 28). » Tales *filii* de benedictione Dei progeniti recte nominantur *filii* Dei et *fructus ventris* Ecclesiæ gignentis tales, cooperante Spiritu sancto, per lavacrum regenerationis. Tales *filii merces* erunt *fructus* illius, qui de *ventre* virgineo natus eosdem sua morte redemit, qua morte illos in *hæreditatem* sibi acquisivit juxta illud Patris dictum : « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam (*Psal.* ii, 8). » Hi sunt populus acquisitionis, tunc a filiis perditionis manifeste segregandus, *cum dederit* Deus *dilectis suis somnum* requietionis in sinu Abrahæ, semota illa colluctatione, qua nunc in utero Ecclesiæ colliduntur Jacob et Esau, dilecti et non dilecti, secundum quod dixit Dominus : « Jacob dilexi, Esau autem odio habui (*Rom.* ix, 13). » Manente autem pugna ista inter dilectos et non dilectos necessaria sunt arma lucis, maxime sagittæ, de quibus alibi dicitur : « In luce sagittarum tuarum ibunt (*Habac.* iii, 11). » De his etiam nunc dicitur :

A Vers. 4. *Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum.* *Sagitta* de arcu excutitur, et quanto fortior et potentior eam excusserit, tanto celerius et longius vadit et certius ferit. *Sicut* autem *sagittæ in manu potentis* directæ longius mittuntur, sic apostoli missi a Domino, quo nihil est *potentius*, usque ad fines terræ pervenerunt. Similiter et illorum *filii*, viri apostolici, et ipsi per manum Dei omnipotentis emissi et *excussi* eisdem Patribus cooperando pervenerunt singuli ad loca sibi destinata, verbi gratia, Marcus in Alexandriam, Lucas in Bythiniam, Titus in Dalmatiam, et cæteri ad cætera loca sibi destinata. Dicuntur autem apostoli vel *excussi*, ut jam dictum est, vel *excussores* juxta illud : « In quamcunque civitatem intraveritis, et non receperint vos,
B etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium illis (*Matth.* x, 14). » Tali modo pulverem de pedibus excutiendo *excussi* pariter et *excussores* recte censentur, sicut dicitur *excussa* vestis, de qua pulvis excutitur, qui et ipse dicitur *excussus*, ut quomodolibet sentias dictum : *Filii excussorum*, non intelligantur alii *filii excussorum*, nisi apostolorum successores et ipsi pulverem similiter excutientes et a pulvere purgati et *excussi*.

Item quia dicitur *excuti*, quod intus latebat, qualiter de sacco dicitur excuti farina, qua excussione excutitur quoque ipse saccus : in hoc sensu recte dicuntur *excussi* prophetæ, qui velut sacci continebant intus mysteria divina. Sed ubi Dominus aperuit sensum discipulis, ut intelligerent Scripturas,
C hujusmodi sacci omnino sunt *excussi*, et farina, quæ in eis latebat, foris apparuit formata non in panes absconditos, ad quos invitat meretrix apud Salomonem, dicens : « Aquæ furtivæ dulciores, et panis absconditus suavior (*Prov.* ix, 17); » sed in panes propositionis propositos in mensa propositionis, ut exinde alantur primo sacerdotes, deinde rex David, videlicet reges boni, quibus dicitur : « Et nunc reges, intelligite, erudimini, qui judicatis terram (*Psal.* ii, 10). » Sacerdotibus autem et sæcularibus quoque rectoribus ita refectis ac satiatis, etiam turba super fenum discumbens premendo carnales concupiscentias manducabit et satiabitur. Quod vero illi superfuerit, colligetur, et in duodecim co-
D phinos aut septem sportas recondetur, quia fragmenta, quæ turba non capit, reservabuntur in discipulis apostolicæ perfectionis. Quæ cum ita sint,

Vers. 5. *Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis* prædicantibus, et panes, quos acceperunt, erogantibus. Qui autem sæcularibus desideriis, quæ militant adversus animam, sunt repleti, nisi eadem prius excutiant, quo et ipsi *excussores* et *filii excussorum* fiant, non possunt capere cibaria per apostolos aliosque ipsorum similes *excussores* et *excussos* oblata seu distributa. Fundat igitur et excutiat mala, quæ portat, qui capere vult bona, quæ desiderat, et ut de non beato *beatus* fiat. Nam *beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis.* Et vere *beatus*, quia *non confundetur cum loquetur inimicis*

suis in porta, id est in publico, non in angulo; *in* A *porta*, ubi est manifestus introitus et exitus, non in angulo, ubi orat hypocrita. Vel *in porta*, in Christo, qui dicit: « Ego sum ostium (*Joan.* x, 9), » in qua porta « loquitur, qui loquendo non quærit quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi. »

Aliter: Exitus de hoc sæculo in aliud sæculum *porta* est, quam inimici obsident, ut in hora mortis egredienti animæ improperent, si aut mala non excussit per confessiones et pœnitentiæ diligentiam, aut de bonis desiderium suum non implevit suscipiendo in affectum, quod novit per intellectum. Tunc ille *beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis*, quæ apostoli docuerunt et distribuerunt, *non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta*, quia certa invenit apud se responsa, quibus *inimici* B accusantes confundantur, et non ipse. Quod et pergens versus eamdem *portam* orat assidue, dicens: « Confundantur, qui me persequuntur, et non confundar ego (*Jer.* xvii, 18). » Item: « Confundantur superbi, quia injuste iniquitatem fecerunt in me, ego autem exercebor in mandatis tuis (*Psal.* cxviii, 78), » quibus implens et implere desiderans *desiderium* meum spero non confundi, cum loquar *inimicis meis in porta*, sive ante mortem falsiloquis me infestantibus, et de *porta* justitiæ, qua ingredi cupio, me conantibus retrahere, sive in morte dæmonibus me accusantibus et de *porta* paradisi ad portas inferi cupientibus trahere, quæ nimirum portæ non prævalebunt adversus eam fidem, in qua gradiens usque ad istum octavum gradum pedem confidentiæ semper anteposui, et per pedem timoratæ humilitatis consequenter ad altiora nitebar ascendere. Sed nunc versa vice pes timoratæ humilitatis anteponatur, et pes constantiæ seu confidentiæ sequatur. Mutatur quippe modus vel tenor cantionis in istis graduum canticis. Nam hactenus sic bini alternabant psalmi, ut in priori fortitudo sublimiter caneretur, et in sequenti timor in gravibus responderet. Sed hinc e converso in priore duorum timor canit in gravibus, fortitudo respondet in acutis hoc modo:

PSALMUS CXXVII.

Vers. 1. *Beati omnes, qui timent Dominum, qui* C *ambulant in viis ejus*, etc. Et est sensus: *Beati omnes, qui* in hoc ipso, quod *ambulant in viis* Domini, timidi semper sunt et pavidi. Ac deinceps: *Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.* Est vitium timor, et est virtus timor. Nam timor, quo timentur non timenda, vitium est et passio mentis una de quatuor passionibus, quas mundani quoque philosophi reprehendunt et dissuadent. Verbi gratia, cum dicit Philosophia:

Gaudia pelle, pelle timorem,
Spemque fugato, nec dolor adsit.
Turbida mens est, vinctaque frænis,
Hæc ubi regnant.

(Boetius, *Consol. philos.* lib. i, metr. 7.

Timor autem, quo timentur timenda, virtus est, D apud aliquos initialis, apud aliquos finalis et filialis ac permanens in sæculum sæculi. Vitiosus ille timor, de quo diximus, ante ascensum primi gradus quasi foris derelictus est, eo quod cum illo sive in illo nemo potest canere canticum graduum. Initialis vero timor, qui est initium sapientiæ, comes gradientis et canentis est in istis canticis graduum, qui etiam post jam transcensos octo gradus ita perfectus insinuatur, ut ei debeatur perfecta beatitudo, a qua initium sumit istud *canticum graduum*, cum dicitur:

Beati omnes qui timent Dominum, quique ad hujus sancti timoris Domini ostensionem *ambulant in viis ejus. Ambulant* in anteriora semper extendendo se quibusdam passibus et gradibus virtutum juxta illud: « Ibunt de virtute in virtutem (*Psal.* lxxxiii, 8). » Sic *timentes Dominum ambulant in viis ejus* et in mandatis ejus, neque torpent otio, quia eos delectat laborare in hac ambulatione, in qua unum sapiunt et ad unum tendunt bravium, propter quod cum sint multi, unus dicuntur, qui *unus accipit bravium.* Cui uni ego David, ego Psalmista congaudens et applaudens dico:

Vers. 2. *Labores manuum tuarum*, sive ut alii codices habent: *Fructuum tuorum, qui manducabis, beatus es.*

Quem tædet laborare, non manducat labores, nec dicere potest: « Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei (*Joan.* iv, 34). » Sed cui sapit non solum *fructus* aut merces laboris in spe, sed et labor ipse in re, hic *labores manuum* suarum nunc manducat manducaturus posthac æternaliter fructus laboris.

In Hebræo legitur *labores manuum tuarum cum comederis, beatus es, et bene tibi erit.* Quod idem est, ac si dicatur: *Beatus es* in præsenti per jucunditatem operis et laboris, *et bene tibi erit* in futuro per fructum laboris, maxime si labores et ambules *in viis* justitiæ et misericordiæ. Nam tibi laboranti et facienti opera justitiæ,

Vers. 3. *Uxor tua*, videlicet sensualitas, rationi tanquam *uxor* viro subjecta, erit *sicut vitis abundans*, et vinum copiose germinans, quod lætificet cor hominis, *in lateribus domus tuæ*, in his videlicet, qui duobus testamentis vel duobus geminæ charitatis mandatis exercitati, sunt quasi *latera domus tuæ*,

ubi *latus* dextrum est *sancta contemplatio*, sinistrum vero ad præsentis vitæ necessitatem pertinens actio. *In* his duobus *lateribus domus tuæ*, sive cogitationis ac memoriæ, quam inhabitas nusquam foras evagando, sive congregationis, in qua cantas : « Ecce quam bonum et jucundum habitare fratres in unum (*Psal.* CXXXII, 1). » *Uxor tua* sapientia, de qua dicit Salomon : « Ama sapientiam, et amplexabitur te (*Prov.* IV, 6). » Item : « Amavi hanc et exquisivi a juventute mea, et quæsivi sponsam mihi assumere, et amator factus sum illius formæ, » ipsa « uxor tua sicut vitis abundans (*Sap.* VIII, 2) » botros justitiæ copiose afferet.

Pro eo quod hic dicitur : *Vitis abundans in lateribus domus tuæ*, in Hebræo legitur : *In penetrabilibus domus tuæ*, quo dicto significari possunt interiora *domus* minime foris apparentia, ut est hominis mens et conscientia soli sibi ac Deo nota. *In* quibus *penetrabilibus* tunc *uxor* est quasi *vitis* fructifera, quando in ipsa conscientia fervet justitiæ zelus cor inflammans quasi vinum inebrians.

Ne autem sine misericordia sit ipsa justitia crudelis et importabilis, *filii tui sicut novellæ olivarum* germinabunt oleum suavissimum cum vino justitiæ vulneribus infundendum, quatenus per oleum evangelicæ misericordiæ temperetur vini legalis austeritas. Hoc oleum tibi afferent *novellæ olivæ*, quæ uberiores veteribus afferent fructus, in quibus est materia luminis et multimodæ medicinæ, quia per oleum charitatis et misericordiæ vino æmulationis justæ adjunctum sanatur vulneratus a latronibus. *Filios* ipsos *novellis olivis* assimilatos intellige non carnaliter genitos. Alioquin littera hæc occidit, si carnalem sensum gignit nomine *uxoris* et filiorum, quia tali sensu excluduntur ab hac benedictione virgines et continentes, quibus neque filios neque filias contingit habere. Spiritus autem sive spiritualis intellectus ædificat, qui non solis uxoratis aut uxoribus, imo magis virginibus et continentibus vel etiam digne pœnitentibus hos filios assignat, quos vel sensualitas rationi tanquam viro subjecta concipit et generat, vel æterna Dei sapientia spiritui humano tanquam sponsa conjuncta in illo multiplicat secundum illam benedictionem, qua dictum est primis parentibus ante peccatum : « Crescite et multiplicamini (*Gen.* I, 28). » Spiritales ergo *filii* sive in multis personis sive in unius personæ multis charismatum donis timenti Dominum tunc abundant, quando *in circuitu mensæ* omnia loca sic occupant, ut filiis alienis non pateat locus vel accessus ad eam. Quæ autem hæc *mensa*, nisi unde accipitur corpus et sanguis Domini ? cujus *in circuitu* primo debent esse boni, et idonei ministri *novellis olivis* consimiles, videlicet mundi et misericordes, non terrena sed cœlestia lucra desiderantes, et sursum cor habentes, quo modo liquor olivæ cæteris liquoribus admistus exsilit ad superna, ita ut si una gutta olei esset in fundo maris, non quiesceret, quoadusque ad superficiem perveniret. Tales *filios novellis olivis* consimiles decet esse *in circuitu mensæ tuæ*, o vir timens Deum, sive tu intelligaris ipse Christus, quem replevit Spiritus timoris Domini, sive homo Christianus justus et timoratus. In unaquaque persona sedente atque humiliter accedente ad hanc *mensam* promissio hæc *filiorum* adimpletur, dum, accepto cibo Dominico, generantur et multiplicabuntur in cordis ejus thalamo cœlestium desideriorum casti et mundi motus ab imis ad suprema tendentes, et etiam de profundis mundi hujus clamantes atque ad cœlum volantes.

Amplius autem in universali Ecclesia dilatatur iste *circuitus mensæ* Dominicæ ad similitudinem castrorum Domini, quæ ita erant ordinata *in circuitu* sanctuarii, quod continebat intra se arcam, in qua erat manna, ut et ministri levitici ordinis essent prope *in circuitu* excubantes, et duodecim tribus item *in* ampliori *circuitu* metarentur castra per *circuitum* sanctuarii. Sic etiam *in circuitu* sanctuarii, quod nunc continet verum manna, disposita est Ecclesia, ut ministri Domini excubent inter vestibulum et altare sequestrati a sæcularibus, et sæculares ipsi velut *in circuitu* manentes ministrosque altaris pro modulo suo juvando armis et eleemosynis repræsentent Ecclesiam talem, quæ recte dicatur « terribilis, ut castrorum acies ordinata (*Cant.* VI, 3), » sancto Domini timore coadunata, et amplo *circuitu* dilatata in similitudinem castrorum « in exitu Israel de Ægypto, domus Jacob de populo barbaro (*Psal.* CXIII, 1) » venientium, quo modo nunc de populo barbaro exeunt et segregantur, qui panem angelorum manducant in deserto hujus mundi cum timore Domini, quo *beati omnes, qui timent Dominum* timorati *ambulant in viis ejus* quasi duobus pedibus, et a peccatis abstinendo, quod est pes dexter, et de peccatis, quæ acciderint, pœnitendo, quod est pes sinister, non minus quam dexter necessarius timenti Dominum. Tantæ quippe virtutis est iste *timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi*, qui commendatur in isto nono cantico graduum, ut ovem perditam revehat sursum usque ad caulas nonaginta novem ovium, complens in ea et per eam numerum centenarium, quo significatur perfectio.

VERS. 4. *Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.* Ne tu, qui hæc legis et canis, existimes in verbis præmissis temporalia bona bonis et malis communia esse promissa timenti Dominum, dico tibi, quia *ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum*, sicut verba resonant, quæ sequuntur :

VERS. 5. *Benedicat tibi Dominus ex Sion, et videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ. Sion* et *Jerusalem* nomina sunt illius civitatis, quæ sursum est, quæ est mater nostra. Ex illa *Sion* a Domino, *qui habitat in Sion*, veniant tibi, qui ipsum Dominum times, tales benedictiones, quibus associeris eidem *Sion, et videas bona Jerusalem*, quæ sunt ineffabilia, *omnibus diebus vitæ tuæ*, id est æternaliter.

VERS. 6. *Et videas filios filiorum tuorum*, id est

fructus operum tuorum. Vel *filios filiorum tuorum*, id est eos qui ex doctrina tua succedenter generantur in adoptionem *filiorum* Dei et *tuorum :* Dei tanquam Patris altissimi, ex quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur; *tuorum*, tanquam paterna disciplina seu materna lenitate a te nutritorum. Atque ut brevi dictiuncula omnia bona et desiderabilia concludam : *Videas pacem super Israel: videas* Christum, qui est *pax* vera faciens utraque unum, solvens inimicitiam inter Deum et hominem in carne sua. Hunc *videas*, et hoc viso gaudeas, quomodo gavisi sunt discipuli, viso Domino, quomodo gaudent angeli desiderantes in eum prospicere, quomodo gaudet verus *Israel*, vir videns Deum et dicens : « Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea. Et dixi mihi : Nequaquam ultra vocaberis Jacob. sed Israel erit nomen tuum (*Gen.* XXXII, 30). »

PSALMUS CXXVIII.

VERS. 1, 2. *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea*, etc. In isto cantico graduum voces audiuntur non jam timide pugnantis, sed fortiter gratulantis velut jam victoris tanquam pugna peracta. *Sæpe*, inquit, *expugnaverunt me a juventute mea, dicat nunc Israel. Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, etenim non potuerunt mihi.* Nempe victricis conscientiæ est dicere : *Etenim non potuerunt mihi*, subaudis : prævalere. *Israel* ergo ille, cui superiori gradu benedictio thesaurizata est continens in fine *pacem super Israel*, ille, inquam, *Israel memor* præteritorum certaminum *dicat* et sua et totius Ecclesiæ voce gratias agens de victoria : *Sæpe expugnaverunt me Israelem* fratrem Edom sequaces Edom, terreni videlicet ac consanguinei, quos ego *Israel* in utero Ecclesiæ supplantavi, quibus et benedictionem gradu superiori descriptam præripui consilio matris gratiæ. *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea*, ut illis impugnantibus cresceret patientia et tolerantia vel mihi *Israeli* vel mihi toti Ecclesiæ, dum *sæpe expugnaverunt me* incipiendo a sanguine Abel justi, qui est interfectus in campo, usque ad sanguinem Zachariæ, quem occiderunt inter templum et altare, ut veniat super eos omnis sanguis justus sive in manifesto sive in occulto fusus. Quod autem dico ego *Israel*, vel ego Ecclesia : *expugnaverunt*, pro eorum sensu dico, non pro meo, quia licet impugnaret, tamen non expugnabat. *Etenim non potuerunt mihi*, subaudis : prævalere stantes ex adverso. Et ideo insidiantes post tergum,

VERS. 3. *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores*, ipsi detrahendo et calumniando velut in occulto. *Supra dorsum* dico, quia multi ex eis erant me majores et in hoc sæculo superiores, qui exaltati super me *supra dorsum meum fabricaverunt peccatores.* Et hoc faciendo ad instar fabri ferrum breve super incudem prolongantis *prolongaverunt iniquitatem* sibi, non mihi nocituram, suæ nequitiæ, non meæ tolerantiæ imputandam, sed neque ut ipsi æstimant nimis prolongandam. Nam

VERS. 4. *Dominus justus concidet cervices peccatorum.* Non dico *manus*, quibus operantur malum, vel *pedes*, quibus currunt ad malum fabricandum; sed *cervices* duras, quas erigunt in altum contra Dominum superbiendo, has ipse Dominus *concidet* humiliando eos vel ad pœnitentiam medicinalem vel certe ad pœnam infernalem, quorum alterum peto, alterum propheto, dicens :

VERS. 5. *Confundantur et convertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion. Confundantur* salubri confusione, quæ adducit gloriam, dum quis confunditur pœnitendo et pie confitendo peccata sua, de quibus erubescit productis ad lucem juxta illud : « Lazare, veni foras (*Joan.* XI, 43). » *Convertantur* etiam *retrorsum* parati veritatem sequi, cui prius adversabantur. Quod si hæc oratio mea pro illis fusa exaudiri non potest, eo quod illis post acceptam notitiam veritatis voluntarie peccantibus « jam non relinquetur pro peccatis hostia (*Hebr.* X, 26), » sicut Apostolus affirmat, prophetia saltem hæc cito impleatur, qua illis non rogo, sed pronuntio dicens : *Confundantur*, ita ut cadant in opprobrium sempiternum. *Confundantur* illi et non confundar ego, paveant illi et non paveam ego. *Convertantur* etiam *retrorsum* cadendo *retrorsum* exemplo eorum, qui venerant comprehendere Jesum, de quibus legitur, quia cum dixisset Jesus : « Ego sum, abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram (*Joan.* XVIII, 6), » nimirum fulmine verbi diverberante facies eorum abierunt *retrorsum*, et sic abeuntes, neque, ubi pedes ponerent, videntes ceciderunt *retrorsum.* Sic, sic manifestato lumine veritatis abeant, *et convertantur retrorsum*, cadantque in terram tenebrosam et opertam mortis caligine omnes inimici *Sion*, et illi qui manifeste impugnant *Sion*, et illi *qui* cum dicantur amici, occulte *oderunt Sion*, videlicet sanctam Ecclesiam.

Interim vero, dum in carne vivunt, omnino sint invalidi, non robusti ut arbores, sed fragiles ut

VERS. 6. *Fenum; fenum* dico, non qualecunque, sed ut *fenum tectorum, quod, priusquam evellatur, exaruit*, utpote radices non habens in terra defixas, sed stans in culmine absque interno humore. Sic et isti stantes in culmine sæcularis vel etiam spiritalis excellentiæ, priusquam judicio vel mortis vel depo-

sitionis evellantur, appareant aridi, ut sunt, ne illis nimium florentibus denuo moveatur pes infirmorum, ut antehac « pene moti sunt pedes mei, pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi in peccatoribus pacem peccatorum videns, quia non est respectus morti eorum, et firmamentum in plaga eorum. Ideo tenuit eos superbia (*Psal.* LXXII, 2 et seq.) » stantes in alto super tecta, non sicut illi, quibus dictum est: « Quæ audistis in cubiculis, prædicate super tecta (*Matth.* x, 27), » sed *sicut fenum tectorum* perditioni et ariditati proximum,

VERS. 7. *De quo non implebit manum suam, qui metet, et sinum suum, qui manipulos colliget.* Messores quippe angeli collecturi triticum in horrea Domini et alligaturi zizania in fasciculos igni comburendos, non colligent istos *feno tectorum* assimilatos, neque in *manum* neque in *sinum*, quia in eis nullum fructum vel actionis, quæ per *manum*, vel contemplationis, quæ per *sinum* intelligitur, invenient.

VERS. 8. Huc accessit, quod non fecerunt sibi amicos de mammona iniquitatis eos, *qui præteribant* hospites et peregrini, non habentes hic manentem civitatem, sed futuram inquirentes. Illi, dum *præteribant, non dixerunt* eis: *Benedictio Domini super vos;* nec dixerunt: *Benediximus vobis*, quod utique dixerunt bene viventibus addentes: *In nomine Domini.* Non dixerunt: *Benediximus vobis in nomine nostro*, ne daretur illis occasio in homine confidendi: quia « maledictus vir, qui confidit in homine (*Jer.* XVII, 4); » sed dixerunt: « Benediximus vobis in nomine Domini: » quia « benedictus vir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus (*ibid.*, 7). »

PSALMUS CXXIX.

VERS. 1. *De profundis clamavi ad te, Domine, Domine, exaudi vocem meam*, etc. In hoc undecimo gradu ascensor istorum graduum, licet quasi perfectus jam perveniret usque ad decimum gradum, quo significatur legis adimpletio propter decalogum, tamen cernens adhuc multa sibi deesse ad consummationem virtutum, quibus consummatis et quindecim gradibus transcensis introitur in templum, vehementer se in humilitate deprimit dicens:

De profundis clamavi ad te, Domine. Item: *Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit?* Subauditur: *nullus homo* natus de muliere, si remota pietate judicetur. Psalmus iste pœnitentialis est positus in gradu undecimo, quo numero significatur decalogi transgressio, sicut in undecim sagis cilicinis tabernaculi eadem legis transgressio figurata est, quæ per studia pœnitentialia quasi per saga cilicina est operienda. Sumus quippe in *profundis* velut alter Jonas, quandiu detinemur in carne mortali semper nos trahente ad ima et *profunda*, quia « corpus, quod corrumpitur, aggravat animam et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem (*Sap.* IX, 15). » De multis hujusmodi *profundis clamavi ad te, Domine* quasi de ventre ceti, ubi « fluctus tui super me transierunt, et pelagus cooperuit caput meum, et ego dixi: Putas, videbo templum sanctum tuum? » (*Jon.* II, 4, 5, 6.) Putas quindecim gradus omnes transcendam, et veniam usque ad templum sanctum tuum? Sic *de profundis clamavi ad te, Domine;* nec adhuc videor exauditus. Ideo dico:

VERS. 2. *Domine, Domine, exaudi vocem meam. Domine* creator, qui tuæ creaturæ potenter dominaris, quia non potest esse, nisi prout vis: *Domine* redemptor, qui tuis redemptis clementer dominaris, quia nullum eorum, quos fide et opere vel sola fide ut parvulos operari non valentes prænovisti a te redimendos et salvandos, perire sinis dominante in omnibus tua creatrice potentia, et in solis electis redemptrice ac salvatrice clementia, tu, *Domine, exaudi vocem meam* per virtutem potentiæ tuæ ubique regnantis; et *aures* clementiæ tuæ *fiant intendentes in vocem deprecationis meæ*, ut eruar *de profundis*, quæ sunt iniquitates meæ, quarum procellas tumultuosas et spumosas intuendo expavesco et expavescens clamo:

VERS. 3. *Si iniquitates, observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit?* Quis te *sustinebit* peccata sua districte judicantem, quem vix homo sustinet peccata hominum dissimulantem propter pœnitentiam sanctis quoque hominibus necessariam, quæ si fuerit condigna, erit et fructuosa? quod exinde provenit,

VERS. 4, 5. *Quia apud te propitiatio est*, videlicet Christus in cruce immolatus et hoc modo factus *propitiatio* pro peccatis nostris, ipse post mortis humilitatem gloria et honore coronatus est apud te in summa gloria, ubi etiam interpellat pro nobis exaudiendus pro sua reverentia, si tamen sub lege ipsius manemus, de qua loquens Apostolus dicit: « Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi (*Gal.* VI, 2). » Hanc legem lege Moysi meliorem, cum adhuc lege Moysi premerer exspectavi, *et propter* hanc *legem tuam sustinui te, Domine.* Mortuus ego et baculo tuo gravatus te verum Eliseum *sustinui*, donec venires et te vivum, imo vitam mihi mortuo, te magnum mihi parvulo coaptares vitamque donares. Hoc ita futurum prædixerunt prophetæ in verbo Domini, et in hoc verbo Domini ego *sustinui* et exspectavi effectum verbi,

quod non potest falsificari de promissione resurrectionis, cum et ipsum verbum visibiliter in carne apparens de se dixerit: « Ego sum resurrectio et vita, qui credit in me non morietur in æternum (*Joan.* XI, 25). » Item: « Et ego resuscitabo eum in novissimo die (*Joan.* XV, 44). » Hoc verbo audito et credito successit, imo accessit fidei spes certa, qua *speravit anima mea* in ipso verbo Domini, vel etiam in ipso *Domino*, qui et nunc suscitat animas a morte peccati per fidem justificantem, et posthac etiam corpore per inhabitantem Spiritum ejus in nobis, qui membra ejus nominamur et sumus. Spe itaque geminæ resurrectionis ego certificatus quemlibet proximum nomine Israel significatum voco et provoco ad eamdem spem dicens:

VERS. 6. *A custodia*, sive, ut quidam codices habent, *a vigilia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino*, quia qui mane, in *vigilia matutina* surrexit de sepulcro spreta militum *custodia matutina*, ipse quoque finito hujus temporalitatis die imminente quasi nocte, cum sero factum erit, vocabit operarios de sepulcris, et reddet illis mercedem. *A custodia* igitur *matutina usque ad noctem speret Israel in Domino* fiduciam capiens de sua resurrectione per id, quod jam resurrectio carnis humanæ præcessit in capite.

Neve hoc in dubium veniat, quasi non inde certificari valeat homo peccator de sua resurrectione, quod surrexit homo sine peccato natus et mortuus: cogitet qui ejusmodi pulsatur tentationibus de resurrectione Christi præterita, et nostra futura per ipsum:

VERS. 7. *Quia copiosa apud eum redemptio*, qua redemit venundatos sub peccato ipse, qui erat sine peccato.

VERS. 8. *Et ipse* non solum redemit sanguine suo semel in cruce fuso, sed etiam quotidie usque in finem sæculi *redimet* eodem sanguine potatos et saginatos, dum sic ab eis bibitur, ut in utroque poste pariterque in superliminari domus ponatur; quo signo domus *Israel* a domibus Ægyptiorum secernuntur, dum corpore simul et mente morti Christi configurantur, quod est in utroque poste poni sanguinem agni, qui etiam in superliminari domus ponitur, dum frons nostra ejus de sanguinis munitur signaculo, ut non erubescamus credere in mortuum, quem confitemur a morte suscitatum. Sicut igitur quondam redemit *Israel* carnalem de potestate Pharaonis et Ægyptiorum, sic *redimet Israel* spiritalem *ex omnibus iniquitatibus ejus*.

PSALMUS CXXX.

VERS. 1. *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei*. In hoc duodecimo gradu strenuus ascensor et cantor magnæ sibi virtutis magnæque temperantiæ conscius, gratulatur in gratiarum actione dicens:

Domine, non est exaltatum cor meum, etc. Revera perfecti est hominis tale ac tantum habere in corde suo testimonium conservatæ humilitatis, ut dicere possit: *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulavi in magnis*. Sed quid? *Si non humiliter sentiebam*, etc. Vere canticum graduum est humilitate ascendere, sicut lamentabile nimis est per superbiam cadere, quia in humilitate ascensionis altus gradus, in superbia profundus casus est. Hoc perpendens ego David, ego pœnitens et psallens David gratias ago de humilitatis gratia mihi donata per te, Domine Deus meus, qui superbis resistis, humilibus das gratiam. O *Domine*, de tuo dono est, quod *non est exaltatum cor meum* in secreto, *neque elati sunt oculi mei* in manifesto. *Non est exaltatum cor meum*, quod didici docente Deo esse mitis et humilis corde apud me ipsum intrinsecus, *neque elati sunt oculi mei* extrinsecus despiciendo alios, qui videbantur me minores, quibus me prætuli. *Neque ambulavi in magnis* coæquando me illis, cum essem in oculis meis parvulus; *neque in mirabilibus super me ambulavi*, quia miracula non affectavi *super me*, super meas vires, de quibus apud homines cæteros fierem spectabilis et admirabilis ut Simon Magus, qui cum duo vidisset in apostolis, videlicet justitiam et potentiam, spreta justitia quæsivit potentiam: « Date, inquiens, mihi hanc potestatem, ut cui manus imposuero, accipiat Spiritum sanctum (*Act.* VIII, 19). » *Non sic ambulavi* ego *in mirabilibus* extollendo me *super me*, affectando potentiam faciendi mirabilia; sed fui contentus justitia, cujus est individua comes humilitas, quæ non alta sapere, sed humilibus docet consentire. Quod dixi de humilitate mea, usque adeo verum est, ut hujusce humilitatis mihi conscius, quasi maledictio me obstringens confidenter dicam:

VERS. 2. *Si non humiliter sentiebam*, distinguens me a dono quod erat in me, semper memor nihil me habere, quod non acceperim, unde non mihi quasi aliquid boni ex me habenti, sed bonorum omnium gratuito largitori sciebam, et intimo corde sentiebam deberi gloriam de his, quæ accepi; *si*, inquam, *non ita humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam* vel arrogando mihi quod non habui, vel quasi ex me haberem quod habui, vel quasi a Deo quidem acceperim, quod habui, sed hoc mea

virtute promeruerim, vel despiciendo cæteros non habentes quod ego habui, *si* aliquo istorum quatuor modorum, quibus omnis elatio committitur, *exaltavi animam meam* post primum canticum graduum, ubi *sagittis acutis, et carbonibus desolatoriis* ab elationis tumore curatus sum; si, inquam, postea *exaltavi animam meam* per aliquod genus elationis iniquæ *retributio ita* fiat *in animam meam*, sive *in anima mea*, ut deficiat et languescat *anima mea, sicut ablactatus* deficit, qui adhuc est ita tenellus, ut sit *super matrem suam*. Denique talis intans *ablactatus*, cum necdum possit capere cibum solidum, cito languescit ac morti proximus fit sive omnino moritur, nisi ante tempus *ablactatus* revertatur ad materna ubera. Stare hic sensus ad litteram potest.

Attamen longe major est maledictio, qua me obstringo, si hæreticos attendo, qui *ablactati* et nimis cito avulsi ab uberibus maternis defecerunt, neque *super matrem suam* Ecclesiam voluerunt quiescere, cum necesse habuissent nutriri quasi lacte per fidem simplicem, credendo videlicet, quod panis angelorum nobis hominibus factus est homo, et ita quasi pane in lac verso nutriuntur parvuli credendo sacramenta Dominicæ incarnationis, passionis, resurrectionis atque ascensionis in cœlum, unde venturus est judicare vivos et mortuos. Hujus fidei lacte nutriendi sunt parvuli, qui tamen diu lactati, si cum possint, nolunt proficere ad capiendum solidum cibum, præcipue, si ad hoc sunt ordinati, et per longum tempus eruditi, hos arguit apostolus ad Hebræos, dicens: « Etenim cum deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis, ut vos doceamini, quæ sint elementa exordii sermonum Dei, et facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo. Omnis enim, qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ: parvulus enim est (*Hebr.* v, 12-13). » Et recte quidem tales arguuntur, qui cum deberent esse magistri propter tempus diuturnæ doctrinæ quasi adulti, nolunt tamen in his, quæ stulta et infirma Dei sunt, sapientiam et virtutem sapere, sed qui adhuc parvuli et quasi edentuli sunt indigentes nutricari *super matrem suam* sanctam Ecclesiam, dum prosiliunt ad scrutanda inscrutabilia, volentes ratione comprehendere incomprehensibilia, hæretici fiunt, ac proinde opus habent reverti ad materna ubera, ubi quasi modo geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscant nihil se judicantes scire nisi Christum Jesum et hunc crucifixum. Quem etsi confiteamur ex infirmitate nostra crucifixum, nihilominus tamen inter perfectos prædicamus esse Dei virtutem et Dei sapientiam, quod non capiunt ante tempus *ablactati*, quia

A nec fide magni sunt ad credendum, nec sensu magni ad intelligendum. Talibus ego efficiar similis, *si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam* per superbiam, cui Deus resistit.

Aliter: *Humiliter* quidem *sentiebam* non alta sapiendo, sed humilibus consentiendo, et eram parvulus in oculis meis. Verum, ne, dum nimium servaretur humilitas, regendi frangeretur auctoritas, nolui nimis humiliari, *sed exaltavi animam meam* corripiendo inquietos, consolando pusillanimes, malitia quidem parvulus existendo, sed auctoritate perfecti sensus contra eos magnus, quibus debui correptionem vel commonitionem Christo auctore, qui dicit: « Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum, » etc. usque: « sit tibi

B sicut ethnicus et publicanus (*Matth.* xviii, 15). » Sic agendo et *humiliter sentiebam*, quia non sprevi peccantes more Pharisæorum de sua justitia gloriantium cæterosque aspernantium, et tamen *exaltavi animam meam* vitia errantium corripiendo et immundum non tangendo, id est peccatis aliorum non consentiendo vel per iniquum silentium, vel quod pejus est, per assentationis linguam dolosam, cui renuntiatum est in primo cantico graduum. Ibi etiam reprobavi malum silentium inter malos, quia *cum loquebar illis, impugnabant me gratis*. Quod totum, si non est verum, nisi pœnitentia intervenerit, vel interveniat, fiam *sicut ablactatus*, ita infirmus, ut ipsa infirmitate compellente revertar ad ubera materna. Bene dixi, nisi pœnitentia intervenerit,

C quia in omni maledicto quod continet Scriptura, subaudienda est pœnitentia, verbi gratia, « Maledictus vir qui confidit in homine (*Jer.* xvii, 4), » subauditur, nisi pœnitentiam egerit. Item: « Maledicti qui declinant a mandatis tuis (*Psal.* cxviii, 21), » subauditur, nisi pœnitentiam egerint. Forte quis audiens jam prædictæ humilitatis in me David rege perfectionem suæ infirmitatis, conscientia urgente, non confidit se ascensurum ad istum duodecimum gradum, in quo sonat perfectum perfectæ humilitatis canticum. Quo contra ego dico:

Vers. 3. *Speret Israel in Domino ex hoc nunc et usque in sæculum. In Domino*, inquam, non in suis viribus confidat, quisquis ut *Israel* dormiens in Be-

D thel, videlicet quiescens in Ecclesia catholica scalam istam quindecim graduum considerat, quia Dominus est innixus eidem scalæ, in quo sperare debet *Israel* quod conantes ascendere ipse adjuvet sua virtute. *Speret* autem non ad horam, sed *ex hoc nunc et usque in sæculum* futurum, ubi non soes erit sed res.

PSALMUS CXXXI.

Vers. 1-5. *Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus*, etc. In isto cantico praduum tertio decimo demonstratur nobis, quantum, vel cur se humiliaverit ipse David dicendo: *Memento*,

Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus, et cætera usque: *Donec inveniam locum Domino; tabernaculum Deo Jacob*. Videlicet, quia Christum Dominum de semine suo nasciturum esse sciebat, locum quoque nativitatis ejus scire desiderabat. Idcirco mansuetus et humilis sedebat: idcirco vigilans non dabat *somnum oculis suis, et palpebris suis dormitationem*. Idcirco *requiem* non dans *temporibus* suis jugiter orabat, et exaudita est oratio ejus, utpote mansueti, et humilis corde. Ideo quasi attonitus repente exclamat, dicens:

Vers. 6. *Ecce audivimus eam in Ephrata*, videlicet nativitatem Domini, cujus locum quæsivi. *Ephrata* namque hæc est *Bethlehem*. Sed exinde invenitur *in campis silvæ*, id est in latitudine universalis Ecclesiæ de gentibus, relictis angustiis Judææ.

Hebraica veritas habet: *Ecce audivimus eum in Ephrata*; et est sensus: Ego David prænoscens Filium Dei hominem futurum, et de stirpe mea nasciturum, sed adhuc ignorans locum, in quo erat nasciturus, diligenter vigilavi et laboravi attente orando, ut mihi manifestaretur locus nativitatis ejus: et ecce! *audivimus eum* nasciturum in *Ephrata*, scilicet in *Bethlehem*. Solus oravi, sed non solus audivi, quia, me vigilante et orante, non a me solo, sed ab aliis quoque prophetis, imo a cunctis fidelibus aures fidei patulas habentibus auditum est, quod Filius Dei prælegit suæ nativitati *Ephrata*, quæ alio nomine dicitur *Bethlehem*. Ibi *eum*, scilicet Dominum, vel *eam*, scilicet *arcam sanctificationis* ejus primo *audivimus*. Quia « notus in Judæa Deus, et habitatio ejus in Sion (*Psal*. LXXV, 2); » sed postea *invenimus eum* Dominum vel *eam arcam in campis silvæ*, scilicet in latitudine gentium, quæ sunt quasi *campi silvæ*, consimiles videlicet novalibus, quæ *silvis* eradicatis excoluntur, quia fruticibus errorum desectis et exstirpatis jam semen Dei receperunt, exeunte qui seminat semen suum. Quasi enim intus fuit iste seminator, cum intra Judaicas angustias prædicavit in sola Hebraica lingua; sed postea exiit in *campos silvæ* per apostolos suos docendo gentes in omnibus linguis, ita ut non sint « loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum; » nam « in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal*. XVIII, 4). » Quæ verba nos fideles *audivimus in campis sylvæ*, atque ideo tali auditu edocti ad præliandum:

Vers. 7. *Introibimus in tabernaculum ejus* militaturi primo in castris ejus, et postea peracta militia et adepta contra hostes visibiles et invisibiles, optata victoria, non nobis gloriam adscribemus, quasi nostra virtute triumphatum sit; sed ipsi gratias referendo, *adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus*. In primo Adam non *steterunt pedes* Dei, cum deambularet in paradiso, non inveniens locum standi apud illum, qui pede superbiæ ac manu peccatoris in tentatione motus fuerat. Sed in secundo A Adam, qui natus est *in Ephrata, steterunt pedes ejus*, quia nunquam venit illi pes superbiæ; sed neque manus peccatoris in deserto illum tentantis, ac postea per Judæos infestantis potuit movere illum a sua stabilitate. Unde in illo *steterunt* fortiter *pedes* Domini, scilicet Verbum Dei unitum carni, et Spiritus ejus requiescendo super eum. Quia enim Pater non legitur missus, Filius autem et Spiritus sanctus missi leguntur a Patre, qui cum sit a nullo, non potuit mitti ab aliquo, sed ipse misit Verbum suum incarnandum, et postea per ipsum Verbum incarnatum et passum, dedit fidelibus Paracletum, recte duæ Personæ, Verbum scilicet ac Spiritus sanctus, quas Pater emisit, *pedes ejus* intelligi possunt, qui in homine assumpto in Deum nunquam sunt moti, B atque ideo in illo tanquam in loco stabilissimo adorandus est Pater, Verbum et Spiritus, imo etiam ipse homo in Deo sic est adorandus, ut in adoratione ipsa minime secernatur a Deo: quia ipse Deus est, non sicut Dii multi et Domini multi, qui non sunt adorandi, utpote adoptivi dii et domini; sed sicut Deus altissimus, qui cum sit natus *in Ephrata*, ipse tamen fundavit eam Altissimus, ac proinde cum Patre altissimo adorandus adoratione una et individua sicut in Synodo Ephesina sancti Patres diffinierunt dicentes in fine concilii: *Si quis audet dicere, assumptum hominem a Verbo coadorari cum Deo Verbo oportere, et conglorificari, et connuncupari Deum tanquam alterum alteri (adjectio enim unius syllabæ, id est Co, hoc cogit intelligi) et non* C *magis una reverentia veneretur Emmanuel unamque glorificationem dependit secundum quod Verbum factum est caro, anathema sit*. Patet ergo secundum tenorem prædicti concilii non solum in homine assumpto in Deum Deus adorandus; sed et ipse homo tanquam Deus adorandus una et indissimili adoratione, qua præter Christum creatura nulla est adoranda.

Recte igitur *adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus*, quia et ipse *locus* Dei, homo videlicet in Deum assumptus, ita sanctus est, ut jure a sanctis omnibus adoretur, et omni Divinitatis cultu venerabiliter honoretur, utpote Apostolo asserente non inter omnia, sed « super omnia Deus benedictus (*Rom*. D IX, 5), » et nomine, quod est super omne nomen donatus et glorificatus. *Adorabimus* itaque in illo illi per sacramentum baptismi et altaris incorporati, et membra ejus effecti. Nam extra ipsius unitatem non potest adorari ab aliquo extra corpus ejus (quod est Ecclesia) posito in aliquo schismate vel hæresi. Propter quod non alibi, sed *in loco ejus*, id est in corpore ipsius est adorandus, et jugiter orandus pro ipso corpore suo in requiem suam partim jam translato, partim adhuc transferendo. Quæ translatio cœpta, ut omnino perficiatur, nos oramus assidue dicendo:

Vers. 8. *Surge Domine in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ. Arca* Noe diu fluctibus in diluvio agitata cessante tandem diluvio requievit

super montes Armeniæ. Similiter *arca* per Moysen fabricata in tabernaculo mobili diu de loco ad locum translata, vel etiam repulso tabernaculo Silo inter alienigenas legitur circumducta : sed tandem fabricato in Jerusalem templo manufacto, illuc introducta requievit arca ipsa. Hæc omnia in figura contingebant, neque præstabant *requiem* perpetuam, quia tu major Noe, major Moyse, majorque Salomone, Jesu Christe, nondum surrexeras *in requiem tuam*, imo nondum natus eras *in Ephrata*. Propterea ego David magno flagrans desiderio illius *requiei*, cui non erat successura ulla inquietudinis perturbatio, sicut vastata Jerusalem temploque combusto evenit magna perturbatio, et arca Dei per Jeremiam recondita est in locum secretum per septuaginta annos illic occultanda, optavi adventum tuum, quem audieram *in Ephrata* inchoandum, et *in campos sylvæ* dilatandum. Sed quia nihil nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset morte ac resurrectione tua, optavi etiam resurrectionem tuam dicendo assidue : *Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ*. Sancta videlicet Ecclesia in sinu Abrahæ jam partim collecta ex parte requievit; sed non erat plena requies in locis infernalibus extra paradisum primi hominis peccato clausum, sed tua morte ac resurrectione reserandum. Fuit igitur continuus clamor in cordibus antiquorum patrum jugi desiderio vociferantium ac dicentium : *Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ. Surge* a mortuis, et ingredere *in requiem* Dei, tu verus Noe diluvio passionis fatigatus, sed post resurrectionem tuam non ultra fatigandus, quia mors tibi ultra non dominabitur. *Surge* et ingredere *in requiem Dei*, quia te vidit justum coram se ex omnibus gentibus. Dormisti conturbatus, ideo *surge*, non ultra conturbandus. Dormisti, et dormiens in cruce a Filio tuo populo Judæorum quasi ab impio Cham derisus es, tanquam nudus ornamento insitæ tibi Divinitatis caruisses, cum tu licet moriens et mortuus, esse Deus non desiisses, quia ibi « abscondita est fortitudo » tua, non destructa (*Habac.* III, 4). *Surge* itaque, tuamque fortitudinem tuis inimicis et amicis ostende, ut et inimici tui facti velut mortui desinant insultare tibi, et amici gaudeant viso te Domino, viso tuo dominio, quo tu dominaris in medio inimicorum tuorum. *Surge* maledicturus posteritatem filii te Patrem irridentis, et benedicturus filios te honorantes mortisque tuæ memoriam sub pallio venerabilium sacramentorum celebrantes, prout ipse dixisti : « Hoc facite in meam commemorationem (*Luc.* XXII, 19). »

Sic *surge in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ*, ne vel te vel *arcam tuam*, sanctam videlicet Ecclesiam pulset ulterius diluvium procellosum, cujus aquæ intraverunt usque ad animam tuam, et usque ad animas omnium fideliter psallentium et dicentium : « Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque animam meam (*Psal.* LXVIII, 2), » et cætera usque in finem psalmi. Multum quassata est *arca* tua istis aquis tentationum et tribulationum, quæ nunc in omnibus requiem quærit, dicens tibi assidue : *Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ.* Licet enim semel surrexeris, et cum sanctis multis de inferno liberatis *in requiem tuam* introieris, tamen adhuc Ecclesiæ tuæ vel cuique fideli animæ dormis, quando eam nimiis tentationum procellis permittis quassari. Propter hujusmodi procellas mitigandas, o Domine, frequenter surgens, impera ventis et mari, ut fiat tranquillitas magna, in qua requiescas *tu et arca* tua, sancta videlicet Ecclesia seu quæque fidelis anima. Tu quondam excitatus es tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus a vino, et percussisti inimicos tuos in posteriora, quod *arcam sanctificationis tuæ* posuerant in templo Dagon, et non cessasti operari mirabilia tua circa ipsam *arcam* tuam, donec introducta est *in requiem tuam*, collocata videlicet in templo sancto suo, ubi ministrarent sacerdotes legitimi, et sancti a sacerdotibus Dagon longe distincti. Et nunc igitur *surge* tanquam potens, et percute inimicos tuos cultores Dagon sive Mammon, liberando ab eis *arcam sanctificationis*, videlicet corpus tuum, quod indigne tractant, neque cesses contra eos operari mirabilia tua, donec illis opprobrio sempiterno humiliatis ad pœnitentiam sacerdotibus legitimis liberum sit in templis tibi ædificatis et sacratis ministrare, maxime in templis episcopalibus ad hoc fabricatis, ut in eis requiescat *arca sanctificationis tuæ* ministris idoneis abundantibus, quibus committatur Dominici sanguinis consecratio. Pro hujusmodi ministris etiam nunc oramus assidue dicentes :

VERS. 9. *Sacerdotes tui induantur justitiam, et sancti tui exsultent.* Sacerdotes Dagon, qui arcam tuam non bene tractant, sacramentum corporis tui vertendo in quæstum suum, induantur confusione pœnitentiali, quod oramus, vel certe pœnali, quod justitiæ divinæ assentiendo concedimus. *Sacerdotes* autem *tui* tibi ministrantes, tuam, non suam gloriam quærentes, tibi servientes, non mammonæ, *induantur justitiam*, illam videlicet, quæ ex fide est, quæ justificat impium, ut justus ex fide vivat. Et quia fides mortua non vivificat, fides tuorum sacerdotum sic vivat, sic floreat, sic in radice charitatis vigeat, ut nunquam deficiat, quomodo pro Petro est oratum, ut non deficeret fides ejus, qua non deficiente ille permansit in sacerdotio etiam post peccatum negationis trinæ, quod abolevit lacrymis et trina confessione. Unde indutus est *justitia*, et inter sanctos, imo etiam præ sanctis apostolis, qui minime negaverant, *exsultat*. Sic, sic o Domine, qui natus es *in Ephrata. Sacerdotes tui*, maxime in apostolica sede successores Petri apostolorum principis, *induantur justitia et sancti tui* sub talibus rectoribus constituti *exsultent* illa exsultatione, de qua dicitur : « Exsultent justi in conspectu Dei, et delectentur in lætitia (*Psal.* LXVII, 4). » Item : « Ex-

sultate justi in Domino; rectos decet collaudatio (*Psal.* XXXII, 1). › Item : ‹ Filiæ Sion exsultent in Rege suo (*Psal.* CXLIX, 2). › Item : ‹ Exsultationes Dei in gutture sive in faucibus eorum (*ibid.*, 6). › Item : ‹ Lætetur mons Sion, et exsultent filiæ Judæ (*Psal.* XLVII, 12). › Sic *sancti tui exsultent* nunc et in æternum. Quorum ne unquam turbetur, sed in æternum perpetuetur exsultatio,

VERS. 10. *Propter David servum tuum, non avertas faciem Christi tui*, O Deus Pater. *Non avertas faciem Christi tui* a gentibus in te credentibus, quam avertisti a Judæis incredulis. Vel quia claudicat Israel partim credens, partim non credens *faciem Christi tui*, quam avertisti ab incredulo Israel, saltem *non avertas* a reliquis Israel, in quibus computat se ipsum Paulus apostolus, eo quod novissime illi tanquam abortivo *facies Christi tui* visa est. Nam qui mox, ut vocem ejus audierunt, relictis omnibus eum secuti sunt vocantem, verbi gratia, Petrus et Andreas, eorumque similes, rectius primitiæ quam reliquiæ dicuntur. Sunt etiam reliquiæ Israel eorum consimiles, de quibus dictum est Eliæ : ‹ Reliqui mihi septem millia virorum in Israel, qui non curvaverunt genua ante Baal (*Rom.* XI, 4). › Sic et in hoc tempore affirmante Apostolo reliquiæ Israel salvæ fiunt. Nam etsi desint filii carnis, qui non reputantur in semine, quia ‹ non omnes, qui ex Israel, hi Israelitæ sunt (*Rom.* IX, 6), › ut ait Apostolus, tamen verbum promissionis non evacuatur, quia pro filiis carnis filii fidei assumuntur, et rami oleastri olivæ inserentur, ut impleatur verbum promissionis juramento firmatæ, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum promittentem et jurantem, fortissimum solatium habeamus, qui promittenti et juranti credimus, cui absque dubio credere debemus.

VERS. 11. *Juravit* enim *David veritatem, et non frustrabitur eum. Juravit et non pœnitebit eum* (*Psal.* CIX, 4), quia non variabit juramenti sui consilium, etsi variet opus. Juramentum vero ejus erit fixum, quo jurans dixit primo Abrahæ : ‹ Per memetipsum juravi, quia fecisti rem hanc, et non pepercisti unigenito tuo propter me, benedicens benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum, atque in semine tuo benedicentur omnes tribus terræ (*Gen.* XXII, 16). › In hac promissione Abrahæ facta Salvator mundi est promissus verus homo futurus, utpote nasciturus de homine secundum carnem, imo et secundum fidem, qua Deo promittenti credidit contra naturam de sterili et vetula uxore sibi filium nasciturum. Hæc enim fides reputata est illi ad justitiam, qua credidit, quod erat supra vel contra naturam. ‹ Credidit › enim ‹ Deo, et › hoc ‹ reputatum est illi ad justitiam (*Rom.* IV, 3). › Porro verbum promissionis juramento Dei firmatæ auctum est ad David. Qui enim promissus est Abrahæ homo futurus, David regi rex futurus, et in solio regni ei successurus promittitur, cum ei dicitur : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Non dico : *De* A *fructu femoris tui*, sed *de fructu ventris tui*, quia in eo concipiendo vir non operabitur; sed operante me Deo Patre virginalis venter ita fecundabitur, ut quod nascetur ex virgine, vocetur et sit Filius Dei et Filius hominis, Dei Patris et hominis matris, quæ quia de stirpe tua, o David, nascetur, venter ejus, venter tuus reputabitur. Ideo dico ego Deus Pater tibi David, Patri unius ejusdemque Filii, quod *de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Sedem* regalem, ut regnet ipse, non ut tu, cujus regnum terminabitur, sed ut Rex æternus, ‹ cujus regni non erit finis, › quia ‹ regnabit in domo Jacob in æternum (*Luc.* I, 32), › in qua domo tu David regnum retines temporale. Non autem solus ipse regnabit, sed etiam filii tui reliqui per B ipsum unigenitum Saræ matris liberæ, quæ sursum est, regenerati, ac proinde inter filios tuos filios non carnis, sed fidei tuæ computati, sedebunt *super sedem tuam*, regnaturi videlicet in regno æterno per tuum temporale regnum figurato. Sedebunt, inquam, et regnabunt filii tui,

VERS. 12. *Si* tamen *custodierint* ipsi *filii tui testamentum meum*, sanguine unigeniti mei conscriptum, quod ipsi *filii tui* suscipient in baptismo abrenuntiantes diabolo et omnibus operibus ejus. Huic *testamento* accedent alia *testimonia mea*, non quæ fingentur in traditionibus Pharisæorum ; sed *quæ docebo eos* ego ipse dando Spiritum veritatis introducentem ipsos *filios tuos* in omnem veritatem, C quam *si custodierint, sedebunt super sedem tuam* regnaturi, primo illi, quibus dicetur : ‹ Sedebitis super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX, 28), › Item : ‹ Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut sedeatis super mensam meam in regno meo (*Luc.* XXII, 28). › Quibus hoc a rege regum dicitur, hi primi post ipsum regnabunt, *et filii eorum usque in sæculum* sæculi eisdem successuri et custodituri *testamentum meum, et testimonia mea, quæ docebo eos*, pro suo modo vel modulo erunt reges aut reguli sedendo *super sedem tuam*, sicut dictum est. Reges et reguli cum Rege regum regnaturi per hoc distinguuntur, quod in aliquibus est D fides magna, ut in regibus, qui Regem Judæorum quærentes munera mystica obtulerunt, aurum sicut Regi magno, thus sicut vero Deo, myrrham sepulturæ ejus, in qua caro ipsius myrrha et aloe condita non erat visura corruptionem putredinis. Magna hæc fides magnos reges fecit. Sed regulus ille, cui dictum est : ‹ Nisi prodigia et signa videritis, non creditis (*Joan.* IV, 48), › illorum tenuit imaginem, qui propter fidem pusillam sub regibus magnis, quales erant apostoli, erunt regnaturi sicut sub archangelis regnant angeli. Quod non erit ex eorum præcedente merito, sed ex dono gratuito :

VERS. 13, 14. *Quoniam* per solam gratiam *elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi*, sanctam

videlicet Ecclesiam sic dicens et firmissime statuens : *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam*, primo in apostolis, quibus ab ipso filio meo dictum est : « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat (*Joan.* xv, 16) : » postremo in ipso eorum fructu mansuro usque in finem sæculi. Propter quod dictum est : « Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi (*Matth.* xxviii, 20). » Quo dicto significatur usque ad consummationem sæculi tales mansuros in sæculo, in quibus et cum quibus maneat Deus regendo et consolando Ecclesiam suam Filio suo desponsatam, cui adhuc Deus Pater promittit, dicens :

VERS. 15. *Viduam ejus benedicens benedicam.* Ipsa Ecclesia vel quæque fidelis persona et sponsa est per amorem et *vidua* per dolorem. Nam sponso præsente suamque faciem ostendente amat illum et gaudet, nec potest dolere seu lugere, quandiu cum illa sponsus est, manifestis præsentiæ suæ indiciis et beneficiis conspicuus, læva sua illam fulciens et dextera amplectens, dum et corporalibus auxiliis eam sublevat, et spiritalibus donis ornat. At ubi aufertur ab ea sponsus, neque apparet illi consolator aut auxiliator in tribulationibus variisque tentationibus, tunc non ut sponsa gaudet super sponso suo, quem non videt, sed quasi « vidua plorans plorabit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus, quia non est qui consoletur eam (*Thren.* i, 2), » imo non vult consolari, sicut illa Rachel, de qua legitur : « et noluit consolari (*Matth.* ii, 18). » Unde dicit apud se : « Renuit consolari anima mea (*Psal.* lxxvi, 3), » quia nihil eam lætificare potest in hoc mundo absente, imo, cum sit præsens, abscondente faciem suam dilecto suo, quem quia plangit quasi mortuum, recte *vidua* nominatur desolata, videlicet quasi maritali solatio destituta. Sed huic *viduæ* pater sponsi consolationem suam promittit dicens : *Viduam ejus benedicens benedicam* quasi Annam viduam jejuniis et orationibus intentam, quas orationes ego Deus Pater vertam in benedictiones, ostendendo ei Filium meum virgineis ulnis in templo præsentatum, ut ipsa lætetur cum Simeone sene dicente : « Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum (*Luc.* ii, 29, 30). » In ista salutaris mei ostensione *pauperes* ejusdem salutaris mei *saturabo panibus*. Quia enim esuriunt, et sitiunt justitiam, saturabuntur panibus quinque hordeaceis aut septem triticeis in intellectu veteris aut novæ legis convivantes cum *salutari meo*, filio meo. Ut autem panes isti recte distribuantur convivantibus cum ipso filio meo, ego Pater

VERS. 16. *Sacerdotes ejus induam salutari*, ut in ipso Christo baptizati et Christum induti sint honesti et idonei ministri ad distribuendum *panes*, quibus ego *saturabo pauperes*, humiles esurientes, non divites in suo fastu abundantes, qui panes meos fastidiunt, et ideo inanes dimittentur juxta illud : « Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes (*Luc.* i, 53). » *Et sancti* ejusdem filii mei *exsultatione exsultabunt*, id est vehementer *exsultabunt*, sicut alias dicitur : « Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus (*Psal.* cxlix, 5) suis. » Nec mirum, quod *exsultabunt* in Sion, quam elegi mihi habitandam, sicut superius dictum est : *Hic habitabo quoniam elegi eam*. Merito igitur in ea *exsultatione exsultabunt sancti*, quoniam

VERS. 17. *Illuc producam cornu David* manu fortis et desiderabilis Filii mei, cujus *cornu* et fortitudo est ipsa ejus divinitas carnis infirmitate celsior, sicut *cornu* cum sit in carne, celsius est carne. Attamen ipsa ejus caro passionis igne decocta quasi testa induruit, et nihil minus habet fortitudinis quam ipsa virtus divinitatis, quia ipsa divinitas Verbi est fortitudo sibi unitæ carnis. Unde sicut puer *David* unctus de cornu visibili oleo visibili a Deo confortatus est, ut ora leonum frangere atque ursorum brachia dissipare posset : sic filius hominis divinitatis oleo perunctus est confortatus et *cornu* divinæ fortitudinis roboratus. Unde Zacharias : « Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ : et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui (*Luc.* i, 66). » Hanc fortitudinem in infirma carne, ubi abscondita est ipsa fortitudo ejus, non viderunt inimici ejus, ad quos confutandos et confundendos ego Deus Pater *paravi lucernam Christo meo* Spiritu fortitudinis uncto. Nam Joannes Baptista, quem præmisi ante ipsum parare illi viam et plebem perfectam, « lucerna fuit ardens, et lucens (*Joan.* v, 35). » *Ardens* amore tanquam sponsi amicus : *lucens* verbo tanquam sponsi prænuntius contestans ipsum de cœlo venisse ac super omnes esse, neque illi ad mensuram datum Spiritum, cujus in signum vidit super ipsum columbam, qua visa certificatus est de ipso, quod hic est, qui baptizat in Spiritu sancto. Tali ejus testimonio de Christo meo

VERS. 18. *Inimicos ejus induam confusione*, ut de sua falsitate, qua veritati obnituntur, confusi non audeant Christum negare Dei Filium, qui ei de cœlo audiente Joanne locutus est dicens : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui (*Matth.* iii, 17). » Sic induentur *confusione inimici* Christi Filii mei dilecti, in quo mihi complacui, *super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea. Sanctificatio* divinitatis, qua Sanctus est ipse aliosque sanctificat ita perfecte, ut non tantum in radice cordis vigeat, sed etiam in ramis operum floreat, et, quod expressius dictum sit, *effloreat*, id est evidenter floreat *sanctificatio mea* flore sanctitatis immarcescibili, quo non posset in homine, qui Deus non esset, florere, quia « gloria » hominis « tanquam flos feni, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur

(*Isai.* iv, 6). » *Verbum autem Domini* per carnis assumptionem flos campi factum *permanet in æter-* A *num* semper floridum; floresque ipsius fructus parturient permansuros nunc et in æternum.

PSALMUS CXXXII.

Vers. 1, 2. *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum*, etc. In isto quarto decimo gradu bona et jucunda fortitudinis gloriatio est, ita videlicet bona et jucunda *sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron.* Nempe quamvis B omnis mansuetudinis David memores famuli Dei sint, et ipsi mansueti atque humiles in se, tamen semetipsos in Deo cognoscunt *barbam Aaron*, id est fortes et viriles, qui de capite suo Christo acceperunt Spiritus sancti unguentum. Quo peruncti dulce habent frequentare istud Canticum graduum :

Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. Iste versus toto orbe notissimus ut tuba Spiritus sancti diversos congregavit, monasteria peperit, in multis cor unum et animam unam esse fecit, qui degustata hujus unitatis dulcedine dicunt : *Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum. Ecce* vox demonstrantis est, quia plus in evidentia videtur, quam lingua valeat explicare bonum illud, quod gustant C *fratres habitantes in unum. Bonum* est aliquid sed non *jucundum*, ut est martyrium. Item est aliquid *jucundum*, sed non *bonum*, ut inebriari vino, in quo est luxuria; sed non est bonum. *Fratres* vero *habitare in unum* non dico simpliciter est *bonum et jucundum*, sed *quam bonum et quam jucundum*, id est ita *bonum* et *jucundum*, ut explicari non valeat verbis, *quam* sit *bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum* recte ordinatis diversis officiis in diversis personis tanquam in diversis membris unius corporis, ut videlicet sicut in uno corpore omnia membra licet non eumdem actum habeant, in uno tamen corpore in unum collaborant oculus videndo, auris audiendo, lingua loquendo, et cætera membra quæ sibi competunt, exsequendo non sibi singula singulariter, sed toti corpori, ut et oculus videat toti corpori, et auris audiat toti, et similiter cætera membra sint non sibi tantum sed toti corpori utilia. Quod *quam* sit *bonum et quam jucundum*, non valet explicari; sed potest aliquantulum e contrario demonstrari, si attenderimus, quam sit malum et amarum discordare fratres, maxime ubi utraque pars discordantium tendit ad malum, sicut Romulus et Remus fundatores urbis Romæ ambo mali ad malum, dominium scilicet contra invicem extenderunt usque adeo, ut alter alterum occideret, neque secum dominari pateretur. Quid memorem fraternas acies, alternaque regna profanis decertata odiis in populis ignorantibus Deum? Primi duo fratres, ambo Deum scientes, ambo Deo munera offerentes in seipsis experti sunt, et suis posteris ostenderunt, quam sit malum et amarum discordiæ venenum, quia unus odiens alterum propter invidiam occidit eum. Sanguis quoque occisi fratris ad fratrem clamavit ad Deum, non poscens indulgentiam, sed vindictam, quia nondum erat effusum *unguentum in capite*, quo delibuta nunc membra orant pro inimicis convertendis et salvandis exemplo ipsius capitis in cruce orantis pro inimicis : « Pater, » inquit, « dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt (*Luc.* xxiii, 34). » Quo dicto instruimur pro illis inimicis maxime orandum, quos ignorantia uteunque facit excusabiles, dum nesciunt pensare magnitudinem peccati, quod faciunt maxime, qui discordiam seminant inter fratres, quod malum præcipue detestatur anima Dei, dicente Salomone : « Sex sunt quæ odit Deus, et septimum detestatur anima ejus : Oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, testem fallacem, et eum, qui seminat inter fratres discordiam (*Prov.* vi, 16 et seqq.) »

Talis disseminator discordiæ, si fuerit in congregatione fratrum habitantium *in unum*, sic est in ea sicut inquietum jumentum in junctura, quod non trahit currum, sed turbat jumenta trahentia facitque destrui currum, nisi fuerit vel domitum, vel ex toto relictum, secundum quod scriptum est : « unus assumetur, et alter relinquetur (*Matth.* xxiv, 40). » Assumetur scilicet amator et conservator fraternæ concordiæ; relinquetur seminator discordiæ, qui licet corpore *habitare* videatur *in unum*, D tamen corde semper jurgia quærit. Sed hujusmodi malignis ab isto quarto decimo gradu longe semotis nos in eodem positi cantemus : *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum.* Nempe iste gradus, cum sit penultimus, ad hæc penultima tempora Ecclesiæ potest aptari, quibus jam prope creditur esse ultimus ille gradus, in quo per judicium Dei exaltati electi cantabunt : *Ecce nunc benedicite Domino omnes servi Domini.* At nunc in isto penultimo gradu ante judicium cantabile sit nobis istud *canticum graduum* cohabitantibus nobis *in unum.*

Quomodo? *sicut* in principio nascentis Ecclesiæ, quando *unguentum* Spiritus sancti effusum *in capite, descendit* exinde *in barbam* capiti contiguam primo, ac deinde *in oram vestimenti. Oram* dico supremam capiti vicinam, per quam caput intrare solet. Sic

denique a Christo in apostolos *barbæ capitis Aaron* recte assimilatos, utpote viriliter agentes, et ipsius *Aaron* summi sacerdotis, Christi videlicet *capiti*, quod Deus est, inhærentes, « caput enim Christi Deus (*I Cor.* XI, 3), » Paracletus primo *descendit*, ac per ipsos velut *in oram vestimenti descendit* in primitivam Ecclesiam, de qua scriptum est : « Multitudinis credentium erat cor unum et anima una (*Act.* IV, 32). »

Descendit autem idem *unguentum* non sicut pluvia in vellus, aut sicut ros totus collectus in unum de virgine assumptæ carnis vellus reliqua terra manente in siccitate, sicut factum est in signo Gedeonis, imo expresso vellere jam prælo crucis ita descendit

VERS. 3. *Sicut ros in Hermon*, qui est mons pascualis, ut mons *Sion*. *Ros* quippe sancti Spiritus, qui primo descenderat *in montem Sion* sanctificando Ecclesiam de Judæa, quam significat *mons Sion*, collectam, ipse postea factus est *ros Hermon*, qui est extra Judæam, et significat non solum situ loci a Judæis alieni alienigenas gentes, verum etiam nomine, quod est *Hermon* et interpretatur *anathema*, quia gentilitas propter idololatriam cæteraque peccata enormia fuit quasi anathematizata et a Deo separata; sed *rore*, qui prius descenderat *in montem Sion* replendo apostolos, descendente *in Hermon*, id est in plenitudinem gentium, usque *in oram vestimenti*, quod est universalis Ecclesia, sicut peruncta est *ora* ipsius vestimenti suprema et vicina *capiti* ac *barbæ*, Ecclesia videlicet primitiva, sic perungitur ejusdem *vestimenti ora* extrema, ut finis Ecclesiæ assimiletur principio multiplicatis cœnobiis apostolica regula informatis, in quibus erit *bonum jucundum habitare fratres in unum*, sicut erat in principio apostolis eorumque discipulis *jucundum habitare*.

Quod nimirum satis congrue desideratur, quoties in Ecclesia Dei canitur, maxime in fine hujus cantici : *Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto. Sicut erat in principio* videlicet nascentis Ecclesiæ; ita sit *nunc et semper et in sæcula sæculorum*, usque *in oram vestimenti*, qua idem vestimentum sicut est consummandum, sic fuit in principio inchoatum concordante sibi utraque *ora vestimenti* prima et ultima, secundum quod legitur vestimentum pontificis *Aaron* tam in fine quam in principio decenter ornatum (*Exod.* XXVIII). Nam in summo circa *oram* capiti vicinam habebat rationale, simulque humerale aureis catenulis connexa et auro intexta : deorsum vero ad pedes in fine ipsius tunicæ hyacinthinæ aurea tintinnabula et mala punica sive granata idem vestimentum *in ora* infima perornabant, hoc significante Spiritu sancto, quod in ultimis temporibus, quomodo et in primis, Dei Ecclesia non esset caritura ornamentis congruis, qualia intelligi decenter possunt in tintinnabulis aureis et malis punicis, in extrema *vestimenti* pontificalis *ora* positis. Denique in principio nascentis Ecclesiæ apostoli cæterique doctores loquentes magnalia Dei et perseverantes in orationibus ac Dei laudibus erant quasi aurea tintinnabula dulciter sonantia, ipsorum vero auditores et auditrices cum Beata Maria ipsorum verba conservantes quasi grana electa nonne fuerunt quasi mala granata vel punica? Hinc est, quod Ecclesiæ primitivæ dicitur in Canticis canticorum : « Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ absque eo, quod intrinsecus latet (*Cant.* IV, 3). » Putasne idipsum non congruit pudicis et modestis personis in medio doctorum sanctorum, velut in medio tintinnabulorum positis quasi deorsum ad pedes tunicæ nunc in extremis Ecclesiæ temporibus, quæ per communem vitam sic est consummanda, sicut per eamdem inchoata fuit?

Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem et vitam usque in sæculum. Illic, scilicet in communi vita *fratribus cohabitantibus in unum*, *Dominus mandavit benedictionem*, quoniam tales Dominum benedicunt, et eorum benedictio Deo accepta est, qui et ipsos benedicentes benedicunt, atque illis mediantibus in inferioris ordinis multitudinem diffundit suam *benedictionem*, qua benedictis dicat in extremo judicio : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, etc. (*Matth.* XXV, 34). » Ista benedictio *illic* impetratur, ubi minimis fratribus in unum cohabitantibus ab inferioribus, scilicet hujus mundi divitibus devote per sex opera misericordiæ ministratur : *quoniam illic* præcipue *mandavit Dominus benedictionem* quæri et obtineri, dicens : « Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula (*Luc.* XVI, 9). » Recipient quippe suos benefactores in æterna tabernacula, quando propter beneficia collata ipsis dicet ipse Christus : « Esurivi, et dedistis mihi manducare. Sitivi, et dedistis mihi bibere, » etc. usque : « quandiu fecistis uni de his minimis meis, mihi fecistis (*Matth.* XXV, 35). » Isti minimi *fratres* Christi libenter *cohabitant in unum* sive corde simul et corpore, ut illa multitudo, cui sub apostolis et cum apostolis erat « cor unum et anima una, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid esse suum dicebat, sed erant illis omnia communia (*Act.* II, 45), » sive solo corde, ut apostolus Paulus ab eadem segregatus multitudine in Evangelium Dei cum Barnaba spiritu non est ullo modo segregatus ab illa sancta multitudine pauperum Christi, quibus multas eleemosynas collegit, quas et Jerosolymam vel ipse detulit, vel per fideles nuntios, qualium beatus Lucas, præcipuus erat, mittere solitus fuit : hoc docens inter gentes quod « qui » talibus « parce seminat, parce et metet, qui autem seminat in benedictione, de benedictione et metet; quoniam illic mandavit Dominus benedictionem et vitam usque in sæculum (*II Cor.* IX, 6), » dum tales Christi pauperes habitantes corpore et corde, vel solo corde *in unum* jugiter benedicentes et laudantes Dominum suis quoque benefactoribus thesaurizant *benedictiones, et vitam usque in sæculum*,

id est in æternum permansuram post sæculum transitorium *et usque in sæculum* nunquam transiturum.

Ecce per bis septena *cantica graduum* septies hinc, id est a timore, et septies inde, id est a fortitudine victus est hostis, qui per singulos gradus insidiabatur ascendenti. Sed quid tandem sibi volunt istæ alternationes, primo fortitudinis et timoris, deinde timoris et fortitudinis? Nimirum illud, quod non nescire debet homo Dei, quia sicut ait Ecclesiastes: « Omnia tempora tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub cœlo. Tempus flendi et tempus ridendi, tempus plangendi et tempus saltandi, tempus tacendi et tempus loquendi (*Eccle.* III, 1 et seqq.). » Secundum has temporum vicissitudines tempus est viriliter agendi et tempus quiescendi. Denique cum suggerit hostis invisibilis servo Dei nimium habere despectum sui, tunc tempus est fortiter atque constanter agendi et reminiscendi beneficiorum Dei, quæ accepit ab eo, qui non deserit sperantes in se, in cujus recordatione materia magna subest ridendi, saltandi et confidenter loquendi. Cum autem e contrario versipellis ille deceptor extollentiam de virtutibus tanquam emerito militi suggerit, tunc tempus est flendi, plangendi, et tacendi, hoc est, humiliter quiescendi et recogitandi, quod sit pulvis et cinis, qui tanquam parvus catellus de opulenta mensa Domini vix parvas clementiæ micas acceperit, longeque sit inferior dilectis filiis, ad quos tanquam ad altos montes attollens oculos humiliatos dicere potest: *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Sic per bis septena cantica graduum nunc per timoratæ humilitatis virtutem, nunc per justæ confidentiæ ac fortitudinis constantiam devicto adversario sequitur quintum decimum canticum graduum, in quo victor servus Domini adunatus aliis servis Domini sui ita dicit:

PSALMUS CXXXIII.

VERS. 1. *Ecce nunc benedicite Domino, omnes servi Domini*, etc. Ac si dicat: Vos, *qui statis*, qui non jacetis in desidia, sed *statis* in magna constantia devicto adversario, nunc absque dilatione, quam diu dicitur *Nunc benedicite Dominum* ascribendo illi, non vobis, quod tot gradibus ascensis nunc *statis in domo Domini* contemplando interiora ornamenta ipsius domus, quæ est corpus Domini, sive quod ex virgine assumpsit, sive tota Ecclesia carni ejus incorporata. Habet quippe domus ista multa intrinseca ornamenta, quæ delectare possunt avidum spectatorem, videlicet candelabrum septem lucernarum, altare thymiamatis, mensam propositionis, aliaque multa de auro purissimo fabrefacta cum cælaturis variis et sculpturis prominentibus, de quibus omnibus non est modo dicendum per singula, cum sint alias a sanctis Patribus luculento sermone digesta interpretantibus illis, arcam sanctificationis, de qua supra est actum, non aliud esse quam sacramentum Dominicæ incarnationis, propitiatorium vero sacramentum Dominicæ passionis: candelabrum Dominicæ resurrectionis vel ascensionis mysterium lucernas ejus septem septiformis gratiæ Spiritum paracletum, quo illuminatur ipsa domus intrinsecus in splendoribus sanctorum in ipsa domo stantium, quibus nunc dicimus: Vos *qui statis in domo Domini, benedicite Dominum* glorificantes ipsius gratiam, per quam et in qua *statis nunc in domo*, ipsius per contemplationem vacando ejus visioni, secundum quod alias dictum est: « Vacate et videte, quoniam suavis est Dominus (*Psal.* XLV, 11). »

Nunc *in atriis domus* ejusdem foris laborando in sublevandis proximorum necessitatibus vel propulsandis adversitatibus, quæ assimilantur noctibus, ut prosperitas diei. Sed quia ipsæ adversitatum noctes interdum sunt nimis tenebrosæ atque humanis viribus intolerabiles et insuperabiles propter tenebrosos tempestatum turbines, vos, *qui statis in atriis domus Dei nostri* cupientes etiam ad eos, qui foris sunt, charitatem vestram dilatari,

VERS. 2. *Extollite manus vestras in Sancta sanctorum*, quo vos nondum introistis, et in quæ pontificem summum scitis introisse. *In hæc sancta extollite* Moysis exemplo *manus vestras*, ut magis orando quam præliando vincatis nocturnas catervas Amalec, quod interpretatur *lingens populus*, quo nomine significantur illi canes, qui linxerunt sanguinem viri Naboth in agro Jezrahel, quod interpretatur et significat Christum *semen Dei* æternaliter natum et semen Abrahæ temporaliter factum, cujus Judæi linxerunt sanguinem dicendo: « Sanguis ejus super nos et super filios nostros (*Matth.* XXVII, 25). » Associantur vero illis omnes, qui non digne bibendo eumdem sanguinem rei fiunt corporis et sanguinis Domini, quibus *in atriis domus Dei nostri* multiplicatis et impune prævaricantibus fiunt, quasi Christo moriente super universam terram tenebræ ac noctes, in quibus *noctibus vos, qui statis in domo Domini et in atriis domus Dei nostri, extollite manus vestras in sancta* orando, sacrificando et bene operando non pro quæstu alicujus terreni emolumenti, sed pro fructu cœlestis præmii, quod est inter sancta sanctorum, quo introivit præcursor noster Christus, ad quem sunt extollendæ manus nostræ in altum, ne vel orando vel sacrifi-

cando vel operando appetatis aliquid terrenum sicut illi, quibus improperat Scriptura, quod « victimas » declinaverunt « in profundum (*Ose.* v, 2). » Quo contra vos in altum, *in Sancta* sanctorum, quæ sursum sunt, habentes corda, illuc etiam dirigatis et extollatis *manus*, id est opera vestra et sacrificia, et *benedicite Domino* non solum in diebus, quibus vobis arridet prosperitas, sed etiam *in noctibus*, quando a timore nocturno vel a negotio perambulante in tenebris fatigamini sive alios scitis fatigari, quibus debetis compati exemplo ejus, qui dixit : « Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror? » Sic tibi, o Ascensor graduum præostensorum benedicenti Dominum sive Domino, id est ad honorem Domini, reddetur vicarium benedictionis præmium tali conclusione :

VERS. 3. *Benedicat te Dominus ex Sion*, cujus de Sion exivit lex Novi Testamenti, quando factus homo legem implevit, quique antequam homo procederet *ex Sion* Deus manens cum Patre Deo, *fecit cœlum et terram*. Unde non solum in terrestribus valet ejus benedictio, qualem desideravit Esau dicens : « Num unam tantum benedictionem habes, Pater? (*Gen.* XXVII, 38.) » Sed etiam in cœlestibus, quali benedictus est Jacob, cui dictum est a patre suo : « Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, quem benedixit Deus, etc. (*Gen.* XIX, 27). » Talis benedictio complectens cœlestia et terrestria beneficia, cum desideretur a multis, Esau quoque similibus terrena lucra venantibus, tamen provenit solummodo uni, quia multi quidem currunt, sed « unus accipit bravium (*I Cor.* IX, 24). » Unde cum superius dictum sit pluraliter : *Benedicite Dominum*, conclusio finalis habet singularem numerum, cum uni vel potius multorum unitati dicitur : *Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cœlum, et terram.* Duo psalmi sequentes, quibus prætitulatur *Alleluia*, quod interpretatur : *Laudate Dominum;* et est carmen angelicum, dant materiam stantibus in domo Domini laudandi semper ipsum Dominum, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus.

Jam quasi transcensis quindecim gradibus in domo Domini esset jubilandum. Sed quia filii Cedar, cum quibus aliquando corporaliter habitavi, etiam nunc, licet longe positum, graviter infestant, non incongruum puto succincte commemorare, quomodo incolatus meus inter eos prolongatus gemendi mihi causa fuerit, qualiterque nunc licet absentem gravaverint et gravent adhuc.

Eram quippe in juventute mea Ecclesiæ Augustensis dictus canonicus imperatore Henrico V adversus papam Calixtum grandia moliente in ea concertatione, qua imperator idem coarctabatur investituras ecclesiasticarum dignitatum jam dicto papæ resignare. Quod ille diu renuendo ab ipso Calixto, ejusque duobus antecessoribus Paschale ac Gelasio fuerat excommunicatus cum suis fautoribus et in hac re adjutoribus, quorum unus fuerat Augusten-

A sis Ecclesiæ episcopus, cujus, quia tunc sacramentis communicare nolui, cum essem per idem tempus Magister scholarum, nec sine meo adminiculo potuissent ordinari episcopalia officia in Augustensi Ecclesia, tanquam rebellis episcopo compulsus a civitate fugere a facie persequentium me filiorum Cedar diverti ad cœnobium Rettinbogense, ibique aliquandiu latui, donec cessante illa commotione, in qua non erat Dominus, venit sibilus auræ lenis, in qua erat Dominus, faciens utraque unum concordia reparata inter sacerdotium et imperium tribus legatis apostolicæ sedis, Lamberto videlicet Hostiense tunc episcopo, qui postea factus est papa dictus Honorius, et Gregorio diacono cardinali sancti angeli, qui postea factus est papa dictus In-

B nocentius, et Saxone presbytero cardinali; tribus, inquam, illis tunc legatione fungentibus excommunicatio imperatoris et principum simul excommunicatorum de medio sublata est, et simultate inter sacerdotium et regnum utcunque mitigata pax inter Dominum imperatorem Henricum et papam Calixtum firmata est. Sic post tempestatem magnam subsequente magna tranquillitate, revera ventis et mari sævientibus, imperium summi pontificis et imperatoris et obedientibus ei pax facta est. Sic per gratiam Dei adunata Ecclesia, quæ a tempore Gregorii septimi pro contentione investituræ scissa videbatur : ego a jam dicto beatæ memoriæ Herimanno episcopo Augustense Augustam sum revocatus,

C et ab ipso et cum ipso Romam ductus ad concilium præsidente papa Calixto celebratum, in quo etiam de concordia regni et sacerdotii coram legatis imperialibus tractatum est, prout sapientibus illic adunatis visum est.

Ex tunc mihi habitanti in civitate Augusta cum habitantibus Cedar fuit pax aliquantula etiam *cum his qui oderunt pacem*, cum nihil contra se loquenti qualemcunque servabant amicitiam. Sed *cum loquebar illis* de religione clericalis conversationis, *impugnabant me gratis*, non tamen aperta persecutione, sed infestatione clandestina per morum dissimilitudinem gravantes me, volentem pie vivere inter impios, juste inter injustos, religiose inter irreligiosos, quales erant illi tunc mei concanonici

D exceptis paucis, justo Lot consimilibus, non tamen per omnia, quia non cum illo exibant et ascendebant ad montis altiora, sed quasi remanentes in Segor parvula gemuerunt super civitatis magnæ magna ruina in destructione morum potius quam murorum. Nam quantum ad muros, magna erat ecclesia, sed nulla seu parva erat in ea disciplina ecclesiastica. Cohærebat ipsi Ecclesiæ claustrum satis honestum, sed a claustrali religione omnino vacuum, cum neque in dormitorio fratres dormirent, neque in refectorio comederent, exceptis rarissimis festis, maxime, in quibus Herodem repræsentarent Christi persecutorem, parvulorum interfectorem seu ludis aliis aut spectaculis quasi theatralibus exhibendis comportaretur symbolum ad faciendum convivium

in refectorio aliis pene omnibus temporibus vacuo.

Cogor hic reminisci propriæ stultitiæ in amaritudine animæ meæ dolens et pœnitens, quod non semel talibus insaniis non solum interfui; sed etiam præfui utpote Magister scholarum et doctor juvenum, quibus ad istas vanitates non solummodo frenum laxavi, sed etiam stimulum addidi pro affectu stultitiæ, quo tunc infectus eram, et in quo supra multos coætaneos meos profeceram. Cum autem placuit ei, qui me segregavit de utero matris meæ, Augustensis Ecclesiæ, et vocavit me ad altius et arctius propositum communis vitæ, continuo non acquievi carni et sanguini. Nam relictis consanguineis et couterinis fratribus tribus in sæculo, ego assumptis mihi duobus in regulari vita conversabar, ad quam tertius frater a scholis Franciæ reversus me secutus reliquos duos in sæculo reliquit, videlicet Ruodigerum et Fridericum. Quos ambos Augustenses canonici susceperunt in consortium sui, aliquantulum provocati amore mei, sed magis attracti per felicis memoriæ Herimannum tunc Augustensis Ecclesiæ antistitem. Quo defuncto successit eidem Waltherus episcopus, ad regimen Ecclesiæ piger, utpote homo senex et grandævus: attamen in exterioribus augendis valde utilis, non solum dispersa colligendo, sed insuper hæreditaria sua bona, quæ multa erant, conferendo sub firmissima et quasi testamentali conscriptione, ut quicunque successor ipsius eadem vel infeudaret sive alio modo alienaret, sub anathemate maledictus Deo et Ecclesiæ redditurus esset rationem. Accessit ad hujus anathematis confirmationem sedis apostolicæ auctoritas, quia tunc legatus apostolicæ sedis Octavianus, cooperantibus illi tribus episcopis, videlicet Walthero Augustense, Ottone Frisingense, Emehardo ..... episcopo candelis exstinctis excommunicavit successuros episcopos, qui de mensa episcopi alienarent bona per jam dictum Waltherum episcopum Ecclesiæ Augustensi collata vel ab eodem recollecta. Aderant autem et huic sententiæ intererant omnes Augustensis Ecclesiæ prælati, abbates, præpositi, archidiaconi et de aliis episcopatibus multi, quorum unus ego fui.

Sed cum prædicto episcopo Walthero successisset Chuonradus episcopus, ita omnia episcopalia bona dissipavit partim infeudando, partim impignorando, ut sicut hodieque apparet, mensa episcopi antehac opulenta, nunc sit pene penitus destituta reditibus episcopalibus. Hæc desolatio cum litterarum mearum testimonio per Augustenses canonicos, maxime autem per fratrem meum uterinum jam dictum Ruodigerum delata est ad Romanum pontificem Adrianum. Quo judicante ipse frater meus cæterique canonici causam justam prosequentes addicti sunt pœnis et episcopus dilapidator dimissus est cum honore. Qui ad sua reversus ita excanduit in me ac fratres meos uterinos, ut omni bellua ferocior illis existeret, meque in ipsis, prout

A voluit et valuit, molestaret. Sed hæc ejus infestatio mitigata est per domnos cardinales Henricum presbyterum sanctorum Nerei et Achillei, et Jacinctum diaconum cardinalem sanctæ Mariæ in Cosmidin. Qui, mediante simulque cooperante Welfone duce, reconciliaverunt nos in pace, ut ego putaveram, firmissima, sed ut postea persensi, dolosissima. Nam discedentibus domnis cardinalibus, qui unum de fratribus meis illic decanum fecerant, videlicet Ruodigerum, quem etiam domno episcopo arctius commendaverant manu episcopi sibi data velut in arrham gratiæ ac pacis erga illum perpetualiter servandæ, ipse oblitus per manum datæ fidei eumdem crudelius infestavit reperta occasione ex officio decaniæ.

B Instigavit namque ipsum fratrem meum tunc decanum, ut viriliter ageret in resecandis vitiis inolitis et plantandis disciplinis tunc insolitis, quia desueverant in dormitorio dormire, ac plurimi eorum ludicris vanitatibus occupati a choro, a capitulo se absentantes in sæcularibus desideriis evanuerunt. Quos cum restringere studuisset ipse decanus juvante ad tempus episcopo, episcopus ipse, ut vidit fratres adversus decanum graviter exacerbatos, junxit se illis contra decanum compellendo ipsum decanum, ut dimitteret decaniam, nec prætendentibus nec prætendere valentibus fratribus ullam causam, nisi voluntatem suam, quam dixerunt et judicaverunt solam sufficere ad mutationem decaniæ, quam nullus deberet ipsis invitis tenere. Hoc

C judicio gravatus frater meus, cum propter imminens schisma nesciret, quis inter duos papas nominatos esset verus Petri successor, generale appellavit concilium, quod sperabatur cito habendum pro solvenda quæstione ipsius schismatis. Audita igitur hac appellatione gavisi sunt fratres tanquam porrecta sibi occasione contra decanum, per id, quod in appellatione specialiter non nominavit victorem suum, sicut dixerunt, papam, quem et episcopus receperat, et curia papiensis collaudaverat. Conclamabant ergo episcopus et fratres contumeliam factam Cæsari et suo papæ Victori, cum salva utriusque gratia potuerit hæc appellatio recepta fuisse, præsertim parato decano in omni prætorio,

D etiam coram Cæsare, suæ appellationis rationem reddere, quod injuste gravatus juste appellaverit generale concilium, quod exspectabatur futurum, quodque ipse dominus imperator pro suo jure nitebatur et adhuc nititur aggregare, non aliquas ecclesiasticas personas ad judicium suum constringendo, sed eas benigne invitando ad concilium, sive tam grande consilium, quo exterminari possit grande periculum schismatis de dualitate Romani pontificis, quem constat nisi unum esse non posse uno eodemque tempore, ita ut semper uno decedente atque uno succedente unitas perseveret in una universali Ecclesia. Nondum vero plenarie discussa hujus dualitatis quæstione, cum duo Romani pontifices dicuntur esse, non incongrue a gravatis ge-

nerale appellatur concilium, quo talis schismatis malum resecandum est, quod angularibus et particularibus conciliis vix aut nullatenus resecari potest.

Appellatione igitur non indecenter facta tunc ad generale concilium nimis incongrue fratres Augustenses cum suo episcopo fecerunt non tam angulare concilium, quam conciliabulum, in quo et dicebant : Quid faciemus, quia hic decanus noster multa gravamina inducit? Si dimittimus eum sic, omnes opprimemur. Unde nobis expedit ut unus iste foras pellatur, et non omnes opprimamur, aut iram Cæsaris atque Victoris papæ incurramus. Audito hujusmodi consilio, cogitaverunt ut expellerent eum simulato Cæsaris ac Victoris timore, quorum neuter sciebat, quid fieret. Vocatus ergo jam circa vesperam ad illorum capitulum præsente ac præsidente eorum episcopo quasi altero Caipha sic est judicatus, quasi Victoris excommunicatus et Cæsaris proscriptus. Unde rebus omnibus nudatus et spoliatus præter sola instrumenta equitandi occasu jam solis imminente projectus est a civitate. Remanserat autem in ipsa civitate alter frater suus et meus nomine Fridericus tanquam semivivus, et incipiens mori utpote jam diu ægrotans in janua mortis positus. Hunc de domo sua, imo etiam de lecto ægritudinis ejiciendo atque alimenta necessaria illi auferendo residuum spiritus, quo adhuc spirabat, cruciatibus istis ejecerunt. Nam de domo sua pulchra primo ejectus in coquinam, de coquina in textrinum, de textrino in pistrinum projectus (nec) habitaculum neque habens victum, nisi emendicatum, coactus est per decursum fluminis descendere. Nec enim aliquo vehiculorum genere duci potuit, sed navigio usque ad me, deinde usque ad fratrem nostrum uterinum Niuwemburgensem præpositum gratia medendi properavit. Sed homo ægrotus, tot vexationibus et victualium destitutionibus vexatus, nullo medicorum studio reparari valuit, eo quod nimis invaluerat infirmitas per domnum Augustensem suosque fautores exulcerata et aggravata, qui persecutus est hominem inopem et mendicum, et compunctum corde mortificare studens in zelo Herodiano, quo me fratresque meos odivit et quasi alter Decius velut in crate ferrea beustulavit. Carnifices denique urgentes ministrabant carbones subter cratem ferream, dum carnales carnalis episcopi consiliarii consilia pessima ipsius induratæ nequitiæ suggerebant ad me cruciandum in fratribus meis, maxime autem in fratre jam incipiente mori, quem non sinebant in domo sua vel in lectulo suo mori, sed ejecerunt illum spoliatum et nudum.

Fieri autem potest ut ad excusandas excusationes in peccatis dicant, vivere non potuisse ipsum nec in ipsa domo sua propter vehementem ipsius infirmitatem. O si mihi nunc vel in sede apostolica, vel in throno regni Davidici daretur alter David sive prophetans, ut decet papam, sive regnans, ut decet

A imperatorem, non esset mihi dubium, quin gravissime puniret istud homicidium nullatenus per hoc excusabile, quod ille, quem occiderunt, cujus mortem acceleraverunt, vivere non poterat post ægritudinis immanem ruinam Augustensibus cunctis notam, nec domnis cardinalibus, qui in domo ejus manserunt, ignotam. Ille namque Amalecites, qui Saul regem occiderat, per hoc apud regem David excusari non potuit, quod dixit de Saul : « Sciebam enim quod vivere non poterat post ruinam (*II Reg.* I, 10). » Saul quippe graviter vulneratus incumbebat super hastam suam suo proprio gladio graviter sauciatus, et revera vivere non poterat post ruinam. Sed tamen ille Amalecites, qui mortem ejus acceleraverat addendo vulnus vulneribus, judicante David reatui sanguinis addictus est, et propter homicidium perpetratum velut homicida judicatus est.

B Ipse autem frater meus taliter occisus beata morte obiit, quia sentiens imminere sibi exitum vitæ mortalis ad immortalitatis auctorem confugit sæculo renuntians et jugum Domini suscipiens, regularem vitam professus in cœnobio sanctæ Mariæ Niuwemburgensi. Clamor tamen sanguinis et mortis ejus, Deo volente, audietur et hic in Ecclesia peregrinante longo incolatu, de quo in primo cantico graduum supra egimus, et in Ecclesia sursum regnante, *unde veniet auxilium mihi* gradui secundo innitenti, prout subvenire dignabitur ipse, cui dico : *Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum, et terram.*

C Porro spolia prædictis fratribus meis ablata, si Deo placet, cum vel apostolici vel imperialis regiminis Deo aspirante arridebit prosperitas, requirentur favente Dei clementia vel a me vel ab aliquo successore meo in Reicherspergensi cœnobio, in quo, cum adhuc vivat frater superstes, jam dictus decanus, quem solum jam contingunt bona ipsis duobus fratribus ablata et Ecclesiæ Reicherspergensi oblata, ipsa Ecclesia, in qua superstes frater vivit, qui se suaque ipsi Ecclesiæ obtulit, judicium ex poscet vel hic, vel in ultimo examine, quando « stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum (*Sap.* V, 1), » sicut ipsi Augustenses abstu-

D lerunt labores fratrum meorum computatos in beneficiis, in libris, in vestimentis, in ædificiis aliisque bonis mobilibus et immobilibus ultra pretium ducentarum marcarum. Dico autem *labores eorum* non solum sua propria, sed etiam ecclesiastica beneficia, quæ per alios alienata ipsi cum labore magno recollegerunt, et ex parte suis pecuniis redemerunt, quæ nunc ab inimicis eorum possidentur quibus propter mortiferas vexationes Friderico nostro illatas recte ac vere dici potest : « Occidistis, insuper et possedistis (*III Reg.* XX, 19). » Parum quippe aut nihil differunt ab his, qui dixerunt : « Venite, occidamus eum et habebimus hæreditatem ejus (*Matth.* XXI, 38). » Atque utinam pretium sanguinis ejus provenisset in sepulturam peregri-

norum, videlicet in requiem et consolationem religiosorum sursum in cœlis conversantium et hic in terra peregrinantium, esset hoc utique magna consolatio nobis fratribus adhuc superstitibus. Nunc autem sola hospitali domo excepta, quam pauperes habent, pretio sanguinis et mortis ejus ditati sunt, qui eum pariter cum episcopo suo cruciaverunt mortiferis vexationibus, quorum præcipui sunt Sigfridus præpositus, Hermannus plebanus, frater ejus Oudalricus, Tiemo archidiaconus, qui quali fama vel potius infamia sint notabiles, liquido cognoscetur, si talem se ostenderit Romanus pontifex, ut ei confidenter dici possit : « Fili hominis, fode parietem (*Ezech.* VIII, 8). » Nam perfosso pariete illo intus luteo, nec foris dealbato apparebunt majores abominationes, quam nunc sint perpetratæ in duorum fratrum nulla culpa notabilium depulsione. De qua, ut perfecte pœniteant, optamus et oramus.

Et quidem nunc altero fratrum defuncto, et sicut expositum est, occiso, altero vero sub regula beati Augustini apud nos religato, non est, qui repetat vel decaniam vel canonicales præbendas. Attamen, qui eas injuriose abstulerunt, sacrilegium commiserunt judicante papa et martyre Calixto; qui in suis decretis ait : *Decaniæ præbendæ, cæteræque res Ecclesiæ eleemosynæ sunt fidelium, pretia peccatorum, redemptiones animarum, patrimonia pauperum, quæ gratis debent accipi, gratis dari, unde pauperes Christi pasci debent, quas legibus debent obtinere et erogare. Quas qui legibus obedienti abstulerit, sacrilegus et Judæ proditori similis habeatur. Qui vero inobedienti dimiserit, honoris sui reus judicetur.* Ab hac sententia Romani pontificis et egregii martyris Calixti non discordabit, quisquis est vel erit successor ejus legitimus, qualis erat sanctæ memoriæ papa Eugenius mihi, ut notum est,

A clementissimus, quod adhuc patet ex litteris ipsius ad meam parvitatem clementissime directis. Item litteræ aliorum pontificum Romanorum Innocentii, Cœlestini, Lucii ad me directæ satis indicant, quanta dignationis apostolicæ clementia fui habitus illorum tempore, qui me noverunt, quosque ego novi.

Sed Adriano papa, qui me non cognovit, præsidente traditus sum in manus hostium. Nam litteræ nostræ verum testimonium continentes contra domnum Augustensem devenerunt in manus ejusdem Augustensis me meosque fratres odio habentis. Quis traditor fuerit in curia, non est mihi notum, sed hoc scio, quod antehac nunquam mihi sic accidit, cum plurima scripserim pontificibus Romanis B me diligentibus et tuentibus contra meos adversarios, quales multos habui certans pro lege Dei, maxime in temporibus schismatum Burdini, et Petri Leonis, a quorum fautoribus multa contraria sustinui, sed juvante gratia Dei, atque tuente me Apostolicæ Sedis auctoritate cum sancta et in sancta Ecclesia triumphavi, et adhuc de imminente schismate triumphum spero, licet multiplicati sint qui nunc tribulant me dicentes animæ meæ : « Non est salus in Deo ejus (*Psal.* III, 3). » Inter quos illi gravius me turbant, qui hominem assumptum in Deum negant sic exaltatum, ut in republica sui Patris dominetur æque potenter ut ipse Pater ejus, æque omnipotens in utraque natura Divina et hu- C mana, cum sit utriusque naturæ una et indivisa gloria, unumque dominationis nomen Verbo innatum, sed homini datum, quem Deus exaltavit, *et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* De quo nomine ipsius gratia favente, cujus gloriam prædicamus, psalmo sequenti proposuimus agendum, prout ipse per me indignum dignabitur clarificare nomen suum.

PSALMUS CXXXIV.

VERS. 1. *Laudate nomen Domini*, etc. Habet hic psalmus in titulo *Alleluia*, quod interpretatur, *Laudate Dominum*, et significat non qualemcunque laudem, sed illam, quæ non habet finem, qua beati habitantes in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te, primo angeli ab initio creationis suæ illic stabiliti cadente illo, qui in veritate non stetit. Secundo beati homines transcensis quindecim gradibus illic stantes, quos ego David nunc alloquor, dicens :

Laudate nomen Domini, quod est super omne nomen, datum non mihi carnali David, sed Filio meo, cui *dixit Dominus* altissimus : « Sede a dextris meis. » Et : « Dominare in medio inimicorum tuorum (*Psal.* CIX, 1, 2). » Item alibi : « Esto Dominus

D fratrum tuorum (*Gen.* XXVII, 29). » Sic accepto Dominio altissimo, sedensque ad dexteram Patris altissimi verus Joseph nunc dominatur in tota terra Ægypti, dum curvatur illi omne genu, etiam Ægyptiorum, et infernalium ; quanto magis cœlestium angelorum et terrestrium, videlicet hominum tam pravorum quam bonorum. Fuit quidem hic verus Joseph venundatus in servum, imo etiam venundatus ad occidendum pro argenteis triginta, sicut ille figuralis pro viginti argenteis legitur venundatus in servum. Nec mirum, quod majori pretio venundatus est iste quam ille, quia et huic ternarius in triginta, et illi binarius congruit in viginti argenteis, eo quod istius persona consistit in tribus essentiis unitis, videlicet anima rationali et humana carne

atque Divinitate, illi vero in duabus tantum, scilicet anima rationali et carne humana. Itaque plus quam Joseph est hic, et plus iste dominatur in regno Dei Patris quam ille in regno Pharaonis. Namque ad illum dixerat Pharao : « Uno tantum regni solio te præcedam (*Gen.* XLI, 40) : » huic autem *dixit* Pater : « Sede a dextris meis. » Quod idem est, ac si dixisset : Conregna et condominare mihi, quia ergo, ut Apostolus ait : « Jam consedit in dexteram sedis magnitudinis in excelsis (*Hebr.* VIII, 1), » miserendi sunt, qui ejus dominio immenso mensuras ponunt, quasi forma servi quondam valde humiliata, sed nunc nimis exaltata non deposuerit servile jugum, et non acceperit summum dominium nullatenus a dominio patris et Verbi et Spiritus sancti vel in punctulo uno distinguendum post consummatum illud servitium, de quo ipse in cruce cum accepisset acetum, ait : « Consummatum est (*Joan.* XIX, 30). »

Igitur etsi maneat in eo formæ servilis essentia, tamen sic est exaltata, Deificata et glorificata, ut longe sit ab ea servilis obedientia, sub qua mortalis adhuc positus ait : « Sed ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio (*Joan.* XIV, 31). » Completo igitur hoc mandato et in crucis morte consummato, amodo recognoscendus et in gloria Dei Patris unus cum eo Dominus, unus in utraque natura tam exaltata quam exaltante Altissimus, cui et canimus : « Quoniam tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus altissimus, Jesu Christe, cum sancto Spiritu in gloria Dei Patris. » Hac igitur laude « Laudate nomen Domini, quod est super omne nomen, » quia homo, cui hoc nomen donatum est, nunc dominatur et in æternum dominabitur, indiviso dominio cum Patre suo et Spiritu sancto : cum Patre, inquam, suo, qui eum suum recognovit filium dicens ; « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui (*Matth.* XVII, 5) : » quod vero addidit : « Ipsum audite, » pie intelligitur, ac si dixisset omnibus creaturis : Ipsi obedite. Hinc illa obedierunt maris et ventorum et quod majus est, etiam spirituum malignorum, quibus imperavit, et obedivit ei. Sed nunc imperat ventis et mari et obediunt ei ; imperat aquiloni, ut surgat surgensque cedat locum dans austro venienti, qui perflet hortum suum, ut fluant aromata illius; imperat mari, ut quiescat, neque ultra modum quatiat naviculam suam, sanctam videlicet Ecclesiam piscatori Petro commissam ; imperat quasi Dominus, cum servorum fuerit precibus excitatus. Ideo *laudate, servi Dominum*, precibusque assiduis illum, ne dormiat, excitate, vos maxime devoti ac boni servi

VERS. 2. *Qui statis*, et non jacetis, *in domo Domini ; statis*, inquam, *in domo Domini* vacantes intrinsece contemplationi , et *in atriis domus Dei nostri*, similiter *statis* exterius operando quod bonum est ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei, qui et ipsi libenter stant *in domo* vel *in atriis* *domus* una nobiscum. Quibus omnibus dico ego David in Spiritu vocans eum Dominum, quem non ignoro esse Filium meum, dico inquam,

VERS. 3. *Laudate Dominum* , suppono causam laudandi eum, dicens, *quoniam bonus Dominus*. Si omnia, quæ laudantur, in hoc præcipue laudantur, quia bona sunt ; et in hoc præcipue vituperantur mala, quia sunt mala, una dictiuncula laudis causa perfecta explicita est, cum dicitur : *Quoniam bonus*, maxime cum non accidentali dono sed essentiali bono sit *bonus* iste Dominus, cujus nomen, etsi terribile sit malis, tamen *suave* est humilibus, quibus nunc dico : *Psallite nomini ejus, quoniam suave* est gustantibus illius dulcedinem, sicut alias dicitur : « Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus (*Psal.* XXXIII, 9). » Et quia internum saporis illius gustum fortasse non capitis, utpote adhuc parvulis multi inter vos conformati , quibus lacte opus est non solido cibo, audite opera ejus manifesta, quibus excitemini, ad laudandum bonum et occultum factorem bonorum, et manifestorum operum. Sic olim cum dixisset Moysi : « Ego sum qui sum, » sciens hoc nomen ejus esse incapabile , adjecit : « Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob. » Quod nomen propter homines temporales, ne videretur temporale, addidit : « Hoc nomen mihi in æternum (*Exod.* III, 14, 15), » non quia illi æterni, sed quia æternus ipse facit æternos, quibus misericordia sua præparata est ab æterno usque in æternum ;

VERS. 4. *Quoniam* ab æterno *elegit sibi Dominus Jacob*, sicut ipse ait : « Jacob dilexi, Esau autem odio habui (*Malach.* I, 2, 3), » nullo merito præcedente vel exigente. Unde multum laudanda est bonitas Domini, *quoniam Jacob elegit sibi Dominus*, et eumdem *Israel* nominatum post luctam cum angelo habitam *elegit in possessionem sibi*, quam ut agrum coleret, seminaret, possideret, servaret. Hoc non ex incerta opinione prædico ego David

VERS. 5. *Quia ego cognovi, quod magnus est Dominus, et Deus noster præ omnibus diis*. Quod qui non possunt cognoscere, credant mihi cognoscenti, quia ego raptus ad superna et illic instructus *cognovi, quod magnus est Dominus*, ut apparet in operibus ejus magnificis, quia

VERS. 6, 7. *Omnia quæcunque voluit fecit in cœlo, et in terra, et in omnibus abyssis. Educens nubes ab extremo terræ :* sive ad litteram de paludibus excitans nebulam, quam cogit in *nubes;* sive ad sensum mysticum infirma et contemptibilia mundi eligens, ut confundat fortia, dum fortibus relictis ipsa infirma facit quasi *nubes* doctrina pluere, miraculis fulgurare, *fulgura* ipsa *in pluviam* formans, dum terribiles minas in misericordiam flectit, quia ipsi prædicatores *nubes* propter carnem, venti propter spiritum recte nominantur. Et quia *nubes* videntur, venti vero non videntur, licet sentiantur : non incongrue propter humana corpora *nubium* origo narratur esse *ab extremo terræ ;* de ventis autem

dicitur: *Qui producit ventos de thesauris suis*, quia ignota est origo animarum de nihilo creatarum. Diximus jam superius: *Laudate Dominum, quoniam bonus Dominus, psallite nomini ejus, quoniam suave* est; ad hanc suavitatem et bonitatem comprobandam subjunximus benigna opera Domini. Quod autem sequitur:

Vers. 8. *Qui percussit primogenita Ægypti*, etc., usque: *Domine, nomen tuum in æternum*, plane indicat non solum *suave*, sed etiam *terribile nomen Domini*, qui et ad litteram *percussit primogenita Ægypti ab homine usque ad pecus*, et nunc percutit vitia principalia in prudentibus et idiotis, non parcens vel illis ob subtilitatem, vel istis ob simplicitatem.

Vers. 9. *Emisit* [Vulg. *Et misit*] *signa et prodigia in medio tui, Ægypte, in Pharaonem*, scilicet diabolum, *et in omnes servos ejus* malos homines et angelos.

Vers. 10. *Qui percussit gentes multas* mortificando in electis innumeras vitiorum catervas, *et occidit reges fortes*, malignos scilicet spiritus, et immundos dominium sibi usurpantes, videlicet

Vers. 11, 12. *Sehon regem Amorrhæorum, et Og regem Basan, et omnia regna Chanaan. Et dedit terram eorum hæreditatem Israel populo suo. Pharao dissipatio. Sehon tentatio oculorum* vel *germen inutile. Og conclusio* interpretatur, quibus regum nominibus intelligitur princeps mundi hujus, qui *dissipans* quos potest, regnat in Ægypto, id est, in tenebris et tenebrarum filiis, quos facit esse *germen inutile* per *tentationes* maxime *oculorum*, quia et impudicus oculus impudici, et malignus maligni cordis est nuntius: in regno *Amorrhæorum*, id est, *amaricantium*, et in regno terræ *Basan*, quod interpretatur *confusio*, cujus rex dicitur *Og*, id est, *conclusio*, quia quos diabolus per vitia confundit, illis quoque vias vitæ intercludit. Exterminatis autem regibus istis cum sibi consentaneis malis angelis et hominibus terra eorum, de qua et angeli mali projecti et homines mali elongati sunt in Adam, filiis *Israel* cedet in possessionem, sicut scriptum est: *Et dedit terram eorum hæreditatem*; *hæreditatem Israel populo suo*. Hæc tunc historialiter facta non dubites adhuc actitari, quia sequitur:

Vers. 13, 14. *Domine, nomen tuum in æternum, Domine, memoriale tuum in generationem et generationem. Quia judicabit Dominus populum suum, et in servis suis deprecabitur*. Sive ut in Hebræo legitur:

A *Et in servos suos erit placabilis. Judicabit Dominus populum suum* discernendo veros Israelitas ab Ægyptiis et Chananæis atque illis condemnatis *in servis suis deprecabitur, et erit* illis *placabilis*, utpote suis cultoribus et veris adoratoribus in Spiritu et veritate adorantibus Patrem:

Vers. 15, 16, 17. *Simulacra* vero *gentium* spernentibus utpote conflata ex auro et argento materiali, seu etiam ex auro mundanæ sapientiæ, vel argento mundanæ ac fallentis eloquentiæ. Quæ omnia sunt *opera manuum hominum* ad nihil utilia, quia, etsi os *habent*, tamen *non loquentur;* etsi *oculos habent*, tamen *non videbunt;* etsi *aures habent*, tamen *non audient; neque enim est Spiritus in ore ipsorum*, quia et idola manufacta et sophistica figmen-
B ta vacua sunt aspectu veritatis, et plena spiritu falsitatis, ac proinde spernenda, et pro nihilo habenda.

Vers. 18. *Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis*, ut et ipsi comtemnantur ac pro nihilo habeantur in domo Israel ab omnibus ordinibus ecclesiasticis, in quibus domus Aaron intelliguntur præpositi domus Levi, eorum subministri, qui timent Dominum, populares eisdem subjecti in timore Dei, ex quibus omnibus consistit domus Israel, cui dico:

Vers. 19, 20. *Domus Israel, benedicite Domino* benedictione universali, sic scilicet, ut domus *Aaron* in præpositis, et *domus Levi* in ministris, et domus
C omnium timentium Dominum benedicat Dominum, dicens:

Vers. 21. *Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Jerusalem. Benedictus Dominus* ex terrena *Sion* diu speculantibus prophetis exspectatus, et tandem in ea præsentatus corporaliter, qui spiritaliter habitavit et *habitat* semper *in Jerusalem*, ubi eum videbimus in æterna pace non solum in suo corpore clarificato, sed etiam in spiritu, quia Deus idemque homo nobiscum est homo, et cum Patre Spiritus æternus in æternæ pacis visione a mundis corde videndus.

Gloria Patri nomen suum, quo Dominus dicitur, homini assumpto danti. *Gloria Filio* in utraque natura sua divina et humana summe dominanti. *Glo-*
D *ria Spiritui sancto*, qui est Patri et Filio consubstantialis bonitas et suavitas, qua et *bonus Dominus* et suave nomen ejus prædicatur in hoc psalmo, de laudibus Dei et nominis ejus contexto.

PSALMUS CXXXV.

Vers. 1. *Confitemini Domino, quoniam bonus, etc.* Iterum psalmus iste habet in titulo Alleluia, et recte, quia totus dulcisonis laudibus, totus a principio usque ad finem tinnulis currens confessionibus, ad laudandam bonitatem et misericordiam Dei provocat, in quo diversa initia versuum conveniunt in

unum finem de laude misericordiæ, quia quidquid dicitur, ad misericordiam refertur, sine qua non subsistitur, quæ principalis causa est miserationum Dei super omnia opera ejus.

Magna virtus hujus psalmi ostenditur in Paralipomenon, ubi legitur : Quod cum cœpissent Deum laudare et dicere (*II Paral.* v, 13, 14) : *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæcula misericordia ejus, implevit gloria Dei domum Dei.* Per quod ostenditur quod præsto est præsentia Dei, si pure cantetur hic psalmus, in quo commendatur et primordialis, et finalis causa omnium Dei operum. Nam primordialis causa est bonitas Dei, propter quam fecit omnia ; finalis vero *misericordia* ejus in æternum cantanda, his maxime, qui cum perditi fuissent, requisiti sunt et a miseria erepti sola Dei *misericordia* miserante, qui et dicunt circa finem psalmi : *Quia in humilitate nostra memor fuit nostri, et redemit nos ab inimicis nostris.* Quo versiculo monstratur hic psalmus ad Christianos pertinere potius quam ad Judæos, quia illos absque pretio eripuit ex Ægypto, nos autem Christianos redemit sanguine suo pretioso. Vos igitur, qui redempti estis, ne sitis ingrati gratiæ Dei.

Vers. 2, 3. *Confitemini Deo deorum. Confitemini Domino dominorum,* siquidem « sunt dii multi, et domini multi (*I Cor.* viii, 5), » super quos omnes iste præcellit, qui etiam *deos* dijudicat, ad quos factus est sermo Dei, major utique ipsis, quia ipsum Pater sanctificavit et misit in mundum. Notandum sane, quod iste ac præcedens psalmus maxime spectant ad Christum, qui et corporaliter venit ex *Sion*, ut in præcedenti psalmo habetur, et morte sua redemit nos ab inimicis nostris, ut in præsenti subsequetur. Huic vos redempti *confitemini*, quod ipse non solum creatus est secundum carnem, sed etiam Creator est secundum suam Divinitatem, ex cujus omnipotentia

Vers. 4. *Facit mirabilia magna solus.* Cum dicitur *solus*, non excipitur Pater ejus aut Spiritus sanctus, quia hi tres unum sunt, et inseparabiliter operantur. Per singulos versus oportet subintelligi : *Confitemini Domino*, quod in Græco magis apparet. Ac si diceretur : *Confitemini Domino facienti mirabilia, facienti cœlos in intellectu*, etc. Vultis nosse, benevoli auditores ex parte, quæ sint illa mirabilia, quæ fecit aut facit ?

Vers. 5. *Fecit cœlos in intellectu,* sive rationales cœlos *in intellectu* sano enarrantes gloriam Dei, sive corporales cœlos *in intellectu* suo præordinatos.

Vers. 6. *Qui* etiam *firmavit terram super aquas,* ut non habeat aliud sustentamentum nisi *aquas* crassi et humidi hujus aeris, in quo remigio alarum natant volucres. Quæ videlicet aquæ circumfusæ globo terræ ipsum quodammodo sustentant, quod est mirabile in oculis nostris. Magis vero est mirabile, simulque ultra modum venerabile, quod *super aquas* baptismi de latere Christi manantes fundata est Ecclesia, et firmata per has ipsas *aquas*, ne assimiletur pulveri aquis carenti ac proinde arenti nec valenti resistere vento projicienti se a facie terræ.

Vers. 7, 8, 9. *Qui fecit luminaria magna : solem in potestatem diei, lunam et stellas in potestatem noctis*, quod etiam ad litteram intellectum grandem facit admirationem spectantibus hunc *solem* solum per dies lucentem, et splendoris claritate lunam et stellas obscurantem. Item *luna et stellæ lucentes* in noctibus magnum præbent spectantibus miraculum, præcipue computistis earum cursus et recursus, ortus et occasus computantibus.

Magis autem *solem* Christum de *stella* ortum, *lunam* Ecclesiam de ipso illuminatam, *stellas* diversas in ea virtutes vel ordines attendentibus parit confessionis et laudis materiam talis consideratio. Si enim solare corpus attendamus, quid in rebus inanimatis Christi corpori similius ? Nam sicut in illo corpore fons totius ætherei est ignis atque inde spargitur per totum mundum, sic et in Christi corpore « inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter (*Coloss.* ii, 9), » atque inde per divisiva dona desursum a Patre luminum descendentia illuminat totam Ecclesiam. Si enim *sol* iste adhuc sub nube mortalitatis celatus, tamen duodecim apostolos quasi horas duodecim sic illustravit, ut eis vere diceret : « Vos estis lux mundi (*Matth.* v, 14) : » quanto magis nunc remota nube mortalitatis in paternæ claritatis manens gloria illustrat omnia ? Lux quippe *solis* hujus etiam in tenebris lucet, licet eam tenebræ non comprehendant, sicut oculi cæci lumen *solis* non capiunt, licet clarissimum sibique in die præsentissimum. Porro lippis oculis eadem lux facit cruciatum, quæ sanos et claros delectat oculos. Nimirum simile est huic illud, quod clarificatio corporis Christi per Scripturas annuntiata fideles delectat, quando audiunt, quod omnis lingua confitetur, quia Jesus Christus est in gloria Dei Patris ; infideles autem, qui vel nullius vel pusillæ sunt fidei, ac proinde cæci aut lippi, non delectantur in ista claritate solaris corporis Christi, neque hoc sufficit illis ad mensuram perfidiæ suæ addentibus ad ejus cumulum, ut negent corpus Christi adorandum, nosque illud adorantes arguant, quasi creaturæ potius quam Creatori servientes, ac proinde idololatras censendos, quasi nos corpus Domini a Domino separemus, atque illud seorsum adoremus : et ut redeamus ad metaphoram, quasi corpus illud solare suæ Divinitatis claritate spoliemus adorando illud seorsum, quod nefas esset, neque hoc admitteret fides catholica, qua sane creditur, Verbum caro factum suæ carni sic unitum, ut non liceat carnem Verbi a Verbo separare, quia talis caro non prodesset quidquam vel manducantibus vel adorantibus eam.

Corpus igitur Domini tanquam solem justitiæ plenum Divinitatis calore ac splendore veneramur, quod, sicut ait beatus Augustinus, nemo spiritua-

liter manducat, nisi prius adoret non infra Deum, sed in Deo, non ut scabellum, sed, sicut ait Hieronymus, ut thronum, non ut *solem* in occasu non habentem speciem neque decorem, sed ut *solem*, qui « ascendit super occasum (*Psal.* LXVII, 5), » ascendit, inquam, *ad Orientem*, id est, usque ad insitæ sibi Divinitatis celsitudinem. Divinitas quippe ipsius recte dicitur *oriens*, non orta, quia ejus ex Patre generatio non habet finem. Porro de homine in Deum nato et virgine illud sane intelligitur, quod alibi dicitur : « Ortus est sol (*Ps.* CIII, 22). » Et illud : « Lux orta est justis (*Ps.* XCVI, 11), » et quod impii dicent in judicio : « Sol justitiæ non ortus est nobis (*Sap.* v, 6). » Et illud : « Veritas de terra orta est (*Ps.* LXXXIV, 12). » Quæ nimirum veritas de Patre semper oriens et æternaliter nascens in sua ex Patre nativitate non admittit ante vel post, quia manet semper *hodie* juxta illud : « Ego hodie genui te (*Ps.* II, 7), » ac proinde recte non orta ex Patre, sed *oriens* nominatur. At eadem veritas orta de terra, id est, nata ex Virgine, habens in hac nativitate ante ac post, cum aliquando fuisset oritura et nunc sit orta, recte canitur ascendisse in homine assumpto, ac de terra virginea orto usque *ad orientem*, id est, usque ad assumentis Divinitatis celsitudinem et claritatem, ut totus Christus credatur in utraque natura lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum neque in hac luce, in hoc *sole* justitiæ aliquid æstimetur esse obscurum, cum etiam corpus ejus, quamvis de terra ortum sit, in cœlo nunc lucidissimum, neque in sua luce suæ Divinitatis claritate minus clarum. Quod non videntes *Ægyptii*, videlicet homines et angeli tenebrosi, vel *Amorrhæi*, *amaricantes* vel homines regis *Basan*, *confusi* timeant plagas, quæ hic memorantur ad litteram quasi præteritæ, sed in mysterio adhuc sunt exspectandæ simili culpa exigente. Nam

VERS. 10-12. *Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum : qui percussit reges magnos : et occidit reges fortes*, videlicet : *Sehon regem Amorrhæorum : et Og regem Basan*, quorum nomina in superiori psalmo interpretata sunt, ipse quoque nunc et usque in finem sæculi percutit et percutiet similes eorum, quosdam ut pœniteant sicut Saulus, quosdam ut pereant, sicut Judas mercator pessimus.

Item : Sicut tunc *eduxit Israel de medio Ægyptiorum* Pharaone merso in mare, per quod *populum suum* duxit, quem et *traduxit per desertum*, cui etiam *dedit hæreditatem* promissam : sic et nunc educit nec educere cessabit per mare baptismi diabolum suffocantis usque in finem sæculi veros Israelitas, in quibus dolus non est, *de medio* malorum dicens eis : « Exite de medio eorum, et immundum nolite tangere (*II Cor.* VI, 17), » quod est dicere : Nolite immundum tangere consentiendo immunditiæ, ac nequitiæ alienæ per silentium timidum, sed exite arguendo manifesta manifeste, et occulte occulta. Sic exeuntes educit Deus *in manu potenti et brachio excelso*, id est, in Verbo suo in Filio suo, de quo dicitur : « Et brachium Domini cui revelatum est ? » (*Isa.* LIII, 1.) Istis etiam *dividet mare Rubrum in divisiones*, quando malis et amaris populis inter se discordantibus et contra se divisis, ut patuit in hæreticis contraria docentibus, *per medium* eorum transit populus Domini, ut, verbi gratia, cum Arius et Sabellius essent contra se divisi, *per medium* eorum transivit Ecclesia tenens illud evangelicum : « Ego et Pater unum sumus (*Joann.* x, 30), » *unum* contra Arium ; *sumus* contra Sabellium. Item cum Nestorius divisisset Christum in duas personas propter duas ipsius naturas, Eutyches vero propter unitatem personæ astruere conaretur unitatem quoque naturæ, sancta Ecclesia tenuit *medium*, transiens per illos contra se divisos asserendo unitatem personæ consistentis ex duabus et in duabus naturis. Et hoc totum factum est *in manu potenti et brachio excelso*, ut et nos pusilli confidamus nos liberandos per idem *brachium manu potenti* secundum suam misericordiam :

VERS. 23, 24. *Quia in humilitate nostra* qua vel intrinsecus per virtutem mentis fuimus humiles, vel extrinsecus per adversitates humiliati, *memor fuit nostri. Et redemit nos* pretio sanguinis proprii *ab inimicis nostris* propter suam misericordiam, *quoniam in æternum misericordia ejus.*

VERS 25. *Qui dat escam* suæ carnis *omni carni*, id est, omni habenti cor carneum et non lapideum. Solis Judæis dedit manna umbraticum, sed *omni carni*, ut dictum est, manna verum dat, secundum quod ipse dicit : « Panis, quem ego dedero, caro mea est pro mundi vita (*Joann.* VI, 52). » Igitur in toto mundo *dat escam omni carni* semotis duris et lapideis, qui dixerunt : « Durus est hic sermo, quis potest eum audire ? » (*Joan.* VI, 61.) Item : « Quomodo potest hic carnem suam dare nobis ad manducandum ? » (*Joan.* VI, 53.) Litigantibus illis eorumque similibus duris, lapideis et incredulis, vos, qui cor carneum habetis, qui cum Petro verba vitæ æternæ accipitis,

VERS. 26, 27. *Confitemini Deo cœli, quoniam in æternum* miseretur omnium dans *escam omni carni* non solum sacramentaliter et spiritualiter, ut dictum est, sed universaliter quoque pascens *omnem carnem* a maximis animantibus usque ad minima. Unde est illud : « Considerate volatilia cœli, quia non serunt, neque metunt, et Pater vester cœlestis pascit illa (*Matth.* VI, 26). » Quos autem Pater pascit, hos pascit et Filius, quia quæcunque ille facit, hæc et Filius similiter facit. Pascit ergo *omnem carnem*, qui una cum Patre fecit *omnem carnem*. Sed vos, qui cœlestia, quæ sursum sunt, esuritis, *confitemini Deo cœli*, sursum cor habendo et illuc tendendo, ubi panem angelorum sic manducetis, ut eum sancti manducant angeli non in sacramento, aut sub velamento, sed facie ad faciem videndo e gustu ineffabili sapiendo : *quoniam bo-*

suus, *quoniam in æternum misericordia ejus*, quia *est Dominus dominorum*, quia servos bonos in gaudium suum introductos faciet sub se et secum dominari semper in æternum, *quoniam in æternum misericordia ejus*. *Gloria Patri* misericordiarum. *Gloria Filio* impetranti misericordiam æternam. *Gloria Spiritui sancto*, qui est ipsa misericordia æterna, qua liberantur a miseria. Fiat, fiat. Amen, amen.

PSALMUS CXXXVI.

Super flumina Babylonis, etc. Titulus ita se habet :

PSALMUS DAVID PROPTER JEREMIAM.

Ab hoc psalmo sexta jam periocha breviori cursu texitur. Reditur namque ad fletum amantium, ad suspiria desiderantium *propter Jeremiam*, id est juxta Jeremiæ intellectum. Sicut enim *Jeremias* captivitatem filiorum Israel factam a Nabuchodonosor historice scripsit, et aliud tamen ibi designari intellexit : ita isti licet verba historice pronuntient, sub eisdem tamen verbis aliud oportere intelligi designant. *Super flumina Babylonis*, inquiunt, *illic sedimus et flevimus, dum recordaremur Sion.* « Quandiu sumus in corpore, » inquit Apostolus, « peregrinamur a Domino (*II Cor.* v, 6). » Et vere ; nam captivi sumus captivitate peccati, quod fecit Adam. Quotquot sumus filii Sion, captivitatem istam congemimus et flemus sedentes *super flumina* ; super decurrentia vitia præsentis sæculi multos immersos esse videntes, et incidere ipsi atque immergi metuentes. Hæc et cætera psalmi fletus sunt amantium Deum, suspiria sunt desiderantium videre Deum deorum in Sion et dicentium :

VERS. 1. *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus.* Neque stetimus erecti per superbiam, quasi nostra virtute putaremus nos aliquid posse, neque jacuimus per ignaviam quasi diffidentes de Dei auxilio ; sed *sedimus* per humilitatem scientes vanum surgere ante lucem gratiæ prævenientis et humanos conatus excitantis, atque, ne sint inanes, adjuvantis, neve ante finem deficiant in bona perseverantia, conservantis. Istam gratiam non jacendo et dormiendo, sed *sedendo* et *flendo* exspectavimus, eratque nobis civibus Jerusalem captivis in *Babylone* magna causa flendi, quod multos de civibus nostris vidimus immersos in *fluminibus Babylonis*. Et quia lubrica sunt eorumdem *fluminum* littora lutosa, timuimus etiam nobismet, ne laberemur, et eisdem *fluminibus* immergeremur abstracti et illecti concupiscentiis carnis aut oculorum, quæ sunt *flumina* in profundum voluptatis et curiositatis trahentia : sicut e contra flumen superbiæ undis procellosis et spumosis in altum sustollit, quos de sua virtute facit gloriari : verbi gratia, dicendo : « Non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri (*Luc.* xviii, 11). » *Flumina* hæc *Babylonica* timuimus, et ideo *flevimus*, dum *recordaremur Sion*, de qua peregrinati sumus in Adam, in quo omnes peccavimus, in quo etiam de *Sion*, videlicet de paradiso ejecti sub rege *Babylonis* diabolo in isto *Babylonis* lacu cum Daniele anxiamur eo gravius, quod neque attentos, neque benevolos, neque dociles auditores invenimus in medio ejus. Inter eos enim, qui manent in *Babylone*, quidam sunt vicini exitibus ejus deliberantes inde fugere atque in *Sion* reverti ; sed quidam sunt in medio ejus ita defixi, ut sint comparabiles arboribus infructuosis habentibus tamen folia inaniter virentia, ut salices inde virentes, quod irrigantur fluminibus in medio *Babylonis* fluentibus.

VERS. 2, 3. *In hujusmodi salicibus organa nostra suspendimus*, nolentes dare sanctum canibus neque margaritas projicere ante porcos. Ipsi enim, qui sunt *salices*, etiam sunt canes veritati oblatrantes, imo et vulpes dolosæ, *quia illic interrogaverunt nos*, *qui captivos duxerunt nos*, *verba cautionum* cupientes capere nos in sermone. Annon tibi vulpes videntur, qui dixerunt : « Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, licet censum dare Cæsari an non ? » (*Matth.* xxii, 17.) Similiter vulpeculæ sunt capiendæ, utique ne vineas florentes demoliantur irrisores verbi Dei, quia nonnisi ad irridendum nos interrogant *verba cantionum*. *Qui* enim *captivos duxerunt nos* captiosis et dolosis interrogationibus, ideo quæsierunt a nobis *verba cantionum*, ut irriderent atque reprehenderent. *Et qui abduxerunt nos* ab utilibus, quæ loqui proposuimus de moralitate, ipsi dolose nimisque astute quasi altiora volentes audire dixerunt : *Hymnum cantate nobis de canticis Sion*, ac si dicerent : Loquimini de cœlestibus et secretis, quæ aguntur in *Sion* cœlesti, ubi Deus ordinat omnia, quæ præscivit futura. De hac ejus præscientia cæterisque in hunc modum secretis cœlestibus *Hymnum cantate nobis*, quia de hujusmodi *canticis Sion* libenter disputamus. Quibus interdum respondimus :

VERS. 4. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Conventicula hæreticorum et Platonicorum, Aristotelicorum sophistarum secundum elementa mundi philosophantium, et non secundum Jesum Christum sunt habenda pro *terra aliena*, in qua cum interrogatores, reprehensores, adulatores a viro catholico expetunt audire cœlestia, magna est illi anxietas et dubietas, loquatur an sileat,

eum et in silentio et in loquela timeat periculum. In anxietate hujusmodi ego civis Jerusalem nullam habeo consolationem præter tui memoriam, o cœlestis Jerusalem. Denique in amicitia Babyloniorum renuit consolari anima mea, ideoque memor fui Dei regis Jerusalem, et delectatus sum, quia ipse per *Jeremiam* promisit captivitatem solvendam civium *Jerusalem*. Et ideo si non meminero tui, o *Jerusalem*, aut

VERS. 5, 6. *Si oblitus fuero tui* aliquid agens ad placendum solummodo Babylonicis, *oblivioni detur dextera mea*, et *si* loqui voluero aliquid ad placendum civibus Babyloniæ, in quo dicendo *non meminero tui, adhæreat lingua mea faucibus meis*. Malo enim esse nihil agens nihilque loquens, quam talia loqui vel agere, quæ non pertineant ad te, o *Jerusalem*. Atque ideo non optantis voto, sed prophetantis officio dico, ut veniant super me imprecationes istæ: *Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui*, et obliviscatur me dextera mea, ut nihil dicam vel agam potius quam non bene agam vel dicam. Veniant, inquam, imprecationes istæ, si non proposuero *Jerusalem in principio lætitiæ meæ*, ita videlicet ut etsi aliquantula mihi subrepit *lætitia* de prosperitate mundana, tamen *in principio lætitiæ* non sit *Jerusalem*, ut exinde principaliter gaudeam, quod ejus per omnia, quæ dico vel ago, memoriam servo apud me *in principio lætitiæ meæ*, in principali gaudio secundum illud Evangelium: « Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cœlis (*Luc.* x, 20). » Dicta sint hæc de Babylonicis omnino alienis et manifestis hostibus ac destructoribus *Jerusalem*. Sed quia Idumæi secundum carnem consanguinei filiis Israel, qui fuit frater Esau, qui dictus est Edom, fuerunt impedimento reædificantibus Jerusalem, vel in destructione favebant Babylonicis, ac proinde significabant falsos fratres, falso amicos et vere hostes, major est querela mihi David regi civitatis *Jerusalem* vel cuilibet Jerosolymitano civi contra Edom, cujus nequitia invenitur in falsis fratribus, contra quos oro, dicens:

VERS. 7. *Memor esto, Domine, filiorum Edom in die* vel *in diem Jerusalem*, tale quid agendo contra eos, quod sit *in diem*, id est in consolationem *Jerusalem*. Sic in Paralipomenon legitur factum in diebus regis Josaphat, quando congregatis *filiis Edom* de monte Seyr cum cæteris orientalibus ad devastandam *Jerusalem*, cum essent congressuri lucescente die, adhuc nocte imminente ipsi *filii Edom* cum filiis Ammon et Moab dissidentes mutuo se occiderunt, et filiis Israel civibus *Jerusalem* diem lætum præparaverunt (*II Paral.* xx). Nam congregatis jam dictis hostibus adversus Judam, et *Jerusalem* convenit omnis Juda in *Jerusalem* et in templum Domini ad deprecandam faciem ejus. Et stantibus illis coram Domino cum uxoribus et parvulis ac liberis et vociferantibus ad Dominum, Jaziel filius Zachariæ filii Barachiæ levites de me-

A dio multitudinis facto super se Spiritu Domini clamavit dicens: « O Juda et Jerusalem, nolite timere, cras egrediemini, et Dominus erit vobiscum. Constantes estote et videbitis auxilium Dei super vos (*II Paral.* xx, 17). » Quomodo ille prædixit, sic factum est, ut mutuis vulneribus mortui hostes *Jerusalem* diem lætum facerent Josaphat regi cæterisque civibus *Jerusalem*, qui colligentes occisorum spolia ditati sunt valde atque lætificati non solum de occisis hostibus *Jerusalem*, sed etiam de spoliis collectis in valle Josaphat, quod interpretatur vallis *judicii*, et ex tunc dicta est *vallis benedictionis*. Tunc, o Domine dominantium, fuisti *memor filiorum Edom in diem* et consolationem *Jerusalem*. Sic ergo et nunc *memor esto filiorum Edom in diem* et
B consolationem *Jerusalem*, ut inimici domestici discordantes linguas suas commanducent, sicut in Apocalypsi (*Apoc.* xvi, 10, 11) legitur, ac inter se mutuis vulneribus cadant, sanctæque Dei Ecclesiæ pacem relinquant illis omnino humiliatis, *qui* nunc exaltati et elati mutuo se exhortantes *dicunt: Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea*, quod est dicere: Ita destruite civitatem *Jerusalem*, ut sit inanis et vacua civibus et divitiis ejus ablatis, nec lapide super lapidem remanente *usque ad fundamentum in ea* remansurum, quia nemo potest fundamentum aliud *in ea* ponere præter id quod positum est. Ideoque fundamento solo remanente omnia superædificata vos inimici ejus auferte, ut fundamen-
C tum fidei sine operibus mortuæ nihil valeat illis prodesse. Vel certe sic *exinanite usque ad fundamentum*, ut nec ipsum fidei relinquatis fundamentum. Quod nimirum tunc agitur, quando in doctrina fidei multiplicatis quæstionibus ita erratur, ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi, maxime quando *filii Edom*, qui erat frater Jacob, nimis infestant filios Jacob, qui et Israel dictus est, cui etiam dicitur a Domino: *Israel, si me audieris, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum* (*Psal.* LXXX, 9, 10). Cum ergo a *filiis Edom* filiis Israel Deus recens ingeritur importunis et indisciplinatis quæstionibus, caveat Israel recipere Deum recentem, clametque ad Deum antiquum, dicens: Memento, *Domine, filiorum Edom in die Je-*
D *rusalem*.

VERS. 8. *Filia Babylonis misera: Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis*. « Babylon mater fornicationum » dicitur in Apocalypsi (*Apoc.* xvii, 5), quæ intelligitur speciositas concupiscibilis hujus mundi, cum qua fornicantur amatores ejus impudici plus diligentes creaturam quam Creatorem. Hæc est illa mulier intrinsecus fœda, forinsecus autem speciosa, quam qui viderit ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. Habet etiam filiam *Babylon* ista sibi simillimam, videlicet phantasiam de specie ipsius in memoria formatam, dum cujuslibet rei foris concupitæ intus in animo imago resultat, quam qui amplectitur, cogitatus exinde gignit primo parvulos,

deinde majusculos assensu mentis lactatos, quos qui tenet et allidit ad petram, *beatus* est, quia petra est Christus, per cujus invocationem liberantur a matre Babylone, ipsiusque *filia*, qui dilectionem ejus hujus mundi dilectioni anteponunt. Sic tu *filia Babylonis misera* cognosceris, cum filios tuos amiseris, et miseri sunt, qui te diligunt, quique filios de te genitos assensu cordis lactant et nutriunt usque ad perpetrationem pravorum operum, quæ non jam pro *parvulis* habentur *Babyloniis*, maxime accedente in talibus longa et prava consuetudine, quæ vinci non potest absque magna difficultate. Facillime autem teneri, et ad petram possunt allidi adhuc parvuli, quia Christum diligenti animæ cogitatus illiciti advenientes cordi non nocent, quando non placent, quando non recipiuntur, sed quasi muscæ abiguntur per bonas cogitationes, quæ non sunt *filiæ Babylonis*, sed filiæ Sion sive Jerusalem desursum acceptæ, atque in vulva mentis conceptæ, quæ cum in opus perfectum excrescunt, quasi cives Jerusalem cives Babylonios invadunt et vastant *retribuentes* eis justam *retributionem*, vastationem videlicet pro vastatione, allisionem pro allisione, exinanitionem pro exinanitione, captivitatem pro captivitate, suspensionem pro suspensione. Sicut enim illi nos coegerunt non quidem projicere aut confringere organa nostra, sed aliquandiu suspendere, sic et illi apud nos captivati et sub jugum Christi redacti cogentur membra sua quæ fuerunt instrumenta malitiæ, non quidem perdere, sed a malitia suspendere cohibendo ea sub Christiana disciplina.

Verborum psalmi hujus memor sanctus Gregorius papa dicit in expositione Job (67) : In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra. *Quid per sterilitatem salicum nisi vita peccantium designatur? Nam si hoc non esset, nequaquam ex voce prædicantium contra Babyloniam Psalmista dixisset : In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra. Babylonis quippe medio inesse salices describuntur ; quia nimirum infructuosi quique atque ab amore patriæ cœlestis alieni totis visceribus cordis in hac sæculi confusione radicantur. Unde et prædicatores sancti in istis salicibus non exercent organa, sed suspendunt, quia, cum infructuosas ac reprobas mentes aspiciunt, vim prædicationis suæ non exhibent. Sed potius lugentes silent.*

Item idem in eodem (68) : Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea. *Quisquis digna fidei opera servare contemnit, jam etiam fidem perdit, quam tenere videbatur. Super quos bene Propheta sub Jerusalem spem inimicorum destruentium verba memorat, a quibus scilicet dicitur :* Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea. Paulus quippe ait : Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus (*I Cor.* III, 11). *Inimici ergo ejus destruentes usque ad fundamentum Jerusalem exinaniunt, quando perversi spiritus a corde fidelium, destructo prius ædificio boni operis, soliditatem quoque exhauriunt religionis. Sicut enim super fundamentum fabrica, sic super fidem opera construuntur. Usque ad fundamentum ergo exinanisse est everso bene vivendi opere etiam robur fidei dissipasse.*

« *Beatus* igitur, o *filia Babylonis*, concupiscentia videlicet mundana, qui *retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis.*

VERS. 9. *Beatus qui tenebit et allidet parvulos tuos ad petram. Beatus*, inquam, vera beatitudine, *qui tenebit, et allidet parvulos tuos ad petram*, quod nimirum facimus, cum orantes dicimus : Quæsumus, omnipotens Deus, ut nullis nos permittas perturbationibus concuti, quos in apostolicæ confessionis petra solidasti. Quia enim tu, Babylon mater fornicationum, et tu, filia Babylonis, in tuis phantasiis lenocinando studes nobis tollere fundamentum nostrum, quod est petra solida ; nos tibi retribuendo retributionem justam studemus tollere fundamentum tuum, quod est arena. Tu muros Jerusalem vel apertis et altis machinis impugnare, vel occultis consiliorum machinationibus latenter suffodere frustra conaris, et nos cives Jerusalem tibi vicem justæ retributionis rependimus, dum vel prædicationis apertæ scriptis ac dictis contra muros tuos arietamus, positis in gyro arietibus aliisque machinis altis, vel occultis orationum fossoriis fundamenta murorum tuorum sive turrium suffodimus, quæ proinde admittunt suffossionem, quia non aliud sunt quam arena : sed murorum nostrorum seu turrium fundamenta in montibus sanctis posita fulciuntur altissima petra, quam tu suffodere nunquam poteris, et per quam tu destrueris, allisis tuis parvulis, *ad* ipsam *petram*, quia super hanc firmam *petram* firmiter ædificata Ecclesia te cum tuo principe humilians condemnat, et suo principi omnipotenti omnem sibi fidelem precibus commendat, *qui tenebit et allidet parvulos tuos ad petram. Parvulus* est enim seu minimus omnis, qui verbum Dei non audit, vel si audit, non facit aut custodit. « Qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum (*Matth.* v, 19), » et ad hoc est idoneus, ut contra magnos cives tuos dimicet funda et gladio eosque juguletur, sicut ego David feci, quando Philisthæum interfeci, et *parvulos* tuos allidat *ad petram.*

Gloria Patri Domino, cui dicitur : *Memor esto, Domine, filiorum Edom. Gloria Filio* illi *Petræ* ad quam alliduntur parvuli Babylonis. *Gloria Spiritui sancto*, qui est illa beatitudo, qua beatus est, qui tenebit et allidet parvulos suos Babylonios ad Petram.

(67) Lib. XXXIII Moral. cap. 5.

(68) Lib. XXV, cap. 10.

PSALMUS CXXXVII.

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, etc. Post fletum superiori psalmo expressum velut in torculari angustiarum, nunc lacrymis tristitiæ velut vinum lætitiæ conversis confessiones et laudes resonant, cum et ego civis Jerusalem, licet captivus in Babylonia, tamen in principio lætitiæ meæ proponens ipsam Jerusalem, *confitebor tibi, Domine, in corde meo*, et alios ad id ipsum provocans et exhortans dico : *Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terræ* non solum pro beneficiis cuique singulariter impensis, verum etiam pro cunctis humano generi collatis, vel destructa Babylonia conferendis, quæ licet nondum teneamus in re, tamen habentes ea in spe laudes et confessiones juges debemus tibi Christo vero David, secundum quod psalmus iste intitulatur :

VERS. 1. IPSI DAVID.

Igitur tibi *ipsi* vero *David confitebor tibi* regi civitatis Jerusalem, *confitebor* ego qualiscunque civis ejusdem Jerusalem *in toto corde meo*, ut totum cor meum flamma tui amoris ardeat, modica scintilla, qua nunc ardere incipio positus et captivus in Babylone detentus quasi cippo corporis excrescente in ignem copiosum, qui totum cor meum faciat quasi caminum candentem et holocaustum laudis coquentem, quod nunc incipitur, cum nos cives peregrinantes in corpore ad *angelorum* societatem suspiramus, *in* quorum *conspectu psallam tibi, Deus meus*. Sic psallens hic civis Jerusalem primo laudat beneficia sibi specialiter data, dicens : *Quoniam audisti verba oris mei*. Secundo adaugeri petit numerum confitentium, dicens : *Confiteantur tibi omnes reges terræ*. In fine petit ne despiciatur ipsius confessio vel oratio licet peccatoris, ubi dicit : *Opera manuum tuarum ne despicias*. Quia igitur ego civis Jerusalem clamavi ad te, Deus meus, et tu *exaudisti verba oris mei*, quod exinde certum fuit mihi, quia super flumina Babylonis ego sedens fletum, non risum habui; *confitebor tibi* etiam *in toto corde meo*, qui hunc fletum dedisti, per quem et *audisti verba oris mei*. Proinde in gratiarum actione ac jugi confessione tum culpæ meæ, tum laudis tuæ *psallam tibi* aliquoties in conspectu hominum, sed jugiter *in conspectu angelorum*, quibus interiora mea loquuntur, etiam dum labia clauduntur. Etiam sic *in conspectu angelorum psallam tibi* vel manibus operando, et cantando in psalterio decachordo decem præcepta legis gaudenter observando, vel corde aut voce jubilando, ut nihil aliud desiderem, quam id quod desiderant *angeli* sancti, scilicet vultum tuum, « in quem desiderant angeli prospicere semper (*I Petr.* I, 12). » Quem quia nondum video, sicut eum cum *angelis* videre desidero, saltem laudibus illius in psalmis reficior, et in laudando propono mihi *angelos*, quibus consociari sicut nunc laude, sic post exsultatione simul et gloria exspecto. Quorum numerositas constans ex ipsis jam coram Deo et in Deo exsultantibus, adaucta quoque simul et adhuc augenda ex hominibus jam beatis et adhuc beatificandis, ipsa est et templum sanctum in angelis et hominibus jam beatis, a confusione Babylonica penitus alienis et alienatis, et templum adhuc sanctificandum in hominibus hic peregrinantibus et supernam patriam suspirantibus, quorum unus ego sum nondum sanctus. Et ideo ut sanctus fiam,

VERS. 2. *Adoro ad templum sanctum tuum*, jugiter affectans, ut *sanctificetur nomen tuum* super me invocatum, *et confitebor* eidem *nomini tuo super misericordia tua*, qua impios justificas; *et veritate*, qua justificatos remuneras, « ut justificeris in sermonibus tuis (*Psal.* L, 6), » quibus et peccatoribus pœnitentibus veniam, et justificatis gloriam promisisti. Cujus nimirum gloriæ in capite nostro Jesu Christo primitias tu, Pater sancte, ostendisti, *quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum* propter nos in hac Babylonia humiliatum, sed nunc in superna Jerusalem *super omne nomen* glorificatum. Quæ major *misericordia*, quam quod misericorditer se altissimus humiliavit, ut miseros exaltaret? Quæ major aut justior *veritas*, quam ut natura humana, in qua se humiliavit, nunc super omnia regnet? *super* hac *misericordia tua et veritate tua confitebor nomini tuo* corde credens ad justitiam et ore confitens ad salutem, quod Jesus Christus in gloria tua est, o Pater æterne, dato sibi nomine, quod est *super omne nomen*, ut scilicet homo in Deum assumptus, Deus altissimus, immortalis vere nominetur, non inter multos deos adoptivos, ad quos sermo Dei factus, quibus et dicitur : « Ego dixi : dii estis; vos autem sicut homines moriemini (*Psal.* LXXXI, 6, 7); » sed sicut Pater ejus Deus immortalis immortalitate non angelica, sed ultra omnes angelos divina, æterna et summa, ita ut homo in Deum assumptus jam regnet in altissima Trinitatis gloria, utpote ipse unus in Trinitate, secunda persona. Sic homini exaltato recte flectitur omne genu cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua in veritate *confitetur*, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. Inter omnes itaque linguas id confitentes *confitebor et ego nomini tuo super misericordia tua et veritate tua*, in qua *magnificasti super omne nomen sanctum tuum*. Per quem propitiatorem

VERS. 3. *In quacunque die invocavero te, exaudi me*. Peccatum nox, virtus dies est. Ideo non peto

exaudiri in nocte, quæ a nocendo dicta est, quia et oculis nocet : unde si quis ambulaverit nocte, offendet; sed *in die* quæ juvat et delectat oculos, pellitque tenebras noctis. Virtus quippe tenebras vitiorum pellens et illuminans vires animæ rationabilis, videlicet memoriam, intellectum, ingenium atque voluntatem, quæ sicut nubes per se non habentes lumen tenebris nocturnis obscurantur, quando vitiis perturbantur, necessaria est ambulantibus in via, juxta quam laquei multi sunt positi, qui non possunt caveri humanis viribus, nisi eas illustret virtus divina, ut ipsæ naturales vires animæ sint quasi nubes lucidæ lucentes cœlesti virtute. Propter quod dico tibi, Deus meus : *In quacunque die*, id est in quacunque virtute obtinenda *invocavero te, exaudi me*, quia, si exaudies me, scio quod non solum dabis petitam virtutem, sed et *multiplicabis in anima mea* datam *virtutem*, ut sit *anima mea* terra bona, in qua semen datæ virtutis multum fructum afferat sic dilatandum et multiplicandum, ut, fructu eodem considerato, plurimi exemplo meo justificentur, et non mihi, sed tibi auctori virtutum proveniat exinde gloria, ita ut

Vers. 4. *Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terræ; hoc* ipsum, quod *reges terræ* sunt, quod carnem suam bene regunt, quod vitiis non serviunt, sed tibi soli Regi regum, cui servire est regnare. Quod totum cum non sibi, sed tibi attribuent, neque inde suam, sed tuam gloriam quærent, confessio eorum erit acceptabilis in conspectu angelorum. Quibus regibus tuam gloriam quærentibus ego applaudens dico assidue : *Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terræ*. Quare? certe ideo, *quia audierunt omnia verba oris tui* partim per me *David*, partim per alios annuntiata non solum in Judæa, sed in omni gente *omnibus regibus terræ* ambulantibus in viis, quibus in viis justum est, æquum et salutare, ut laudent non se, sed Deum,

Vers. 5. *Et cantent in* ipsis *viis Domini, quoniam magna est gloria Domini*, non regum, nisi forte, in altissimo rege, non in se gloriantium, seseque sub illo humiliantium, quod utique bonum est et utile.

Vers. 6. *Quoniam excelsus Dominus et humilia respicit, et alta a longe cognoscit*. Mirum valde quod Altissimus *humilia* de prope *respicit, et alta a longe cognoscit*, quod exinde fieri constat, quia « humilibus dat gratiam, superbis autem resistit (*Jac.* iv, 6), » quos etsi non amet, non tamen eum latent, cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum; qui et cor humile clementer inspicit, et altum a longe cognoscit, quia « oculi Domini super justos, » humiles, « et aures ejus in preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala (*Psal.* xxxiii, 16, 17), » tunc maxime, cum in sui cordis altitudine humiles tribulant. Inde namque sunt *alta* eorum corda, quia eis tribulare justos est permissum; sed inde justi humiles

A magis ac magis humiliantur, quod a superbis et altis tribulantur. Sed inter hæc ego David pauper et humilis confido, quod non deficiat fides mea, quoniam

Vers. 7. *Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me* tu qui, morti nihil debens, mortuus es pro me, tu qui mortem nostram moriendo destruxisti, et vitam resurgendo reparasti, tu *in medio tribulationis vivificabis me* dando mihi, ut diligam non solum diligentes me, sed etiam odientes orando pro illis in ea dilectione, qua quisque beatus amicos in Deo, inimicos propter Deum diligens vivit, sicut e contrario « qui non diligit, manet in morte (*I Joan.* iii, 14), » quia vera dilectio vita est animæ, sicut anima ipsa vita est corporis. Et ideo sicut

B corpus anima privatum relinquitur mortuum, sic anima dilectione proximi privata relinquitur mortua. Propterea cavens incidere mortem nolo vindicare meipsum juxta illud : « Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ (*Rom.* xii, 19). » Attamen tu, qui dicis : « Mihi vindicta, et ego retribuam (*Deut.* xxxii, 35), » *super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam* plus irascendo inimicis meis quam illi mihi. Nam quia vel Saul rex elatus vel etiam filius meus Absalon pravo consilio Achitophelis infatuatus ac propria superbia elatus, me humilem David persecuti sunt in ira sua, tu *super iram* eorum *extendisti manum tuam* plectendo eos majore pœna quam illi potuissent

C me castigare, quia, cum illi me cogitassent privare gloria regni terreni, tu eos privasti gloria regni cœlestis. Ita et ego Christus verus *David*, cui psalmus iste attitulatur, pro his quidem salvandis oravi, qui me crucifigentes nescierunt quid facerent. Sed super inimicos meos, malos colonos, qui me cognoscentes hæredem, ac Dominum vineæ sibi creditæ projecerunt extra vineam et occiderunt, *manum tuam extendisti*. Pater juste, quem mundus non cognovit, ego autem novi te justum judicem, qui *super iram inimicorum extendisti manum tuam*, dum colonos malos male perdidisti, et vineam tuam locasti aliis agricolis, et *me*, quem illi extra vineam projecerunt et occiderunt, *salvum fecit dextera tua* suscitando me de morte, atque super omnes cœlos

D elevatum collocando me in throno gloriæ ad dexteram tuam judicem vivorum et mortuorum, ut sim Rex regum tibi confidentium et super hoc laudantium, quia obedienter et intelligenter *audierunt omnia verba oris tui*, qui et *cantant in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini*. Regum istorum cuilibet competit, quod sequitur

Vers. 8. *Dominus retribuet pro me*, quod ego non possum retribuere, qui observator sum illius apostolici dicti : « Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim : Mihi vindicta, et ego retribuam, dicit Dominus (*Rom.* xii, 19). » Itaque *Dominus retribuet pro me*, quia ipso judicante vel moriuntur vel convertuntur vel alio modo sic humiliantur hostes mei, hostes Eccle-

siæ, ut non possint me lædere, etsi Domino permittente possint fatigare.

Aliter : *Dominus retribuet pro me*, quia ipse Dominus Christus est ille primus piscis mortis hamo captus, primus resurgens de profundo maris, primogenitus a mortuis, in cujus ore invenimus duas didrachmas, id est quatuor drachmas, quatuor videlicet Evangelia, quibus a vexatione hujus sæculi liberamur, nec jam debitores remanemus. Ibi enim omnia peccata nostra solvuntur per ipsum, qui pro se nil debuit, in quo princeps mundi peccatum non invenit quare occideret.

Est quidem consolatio magna mihi cuilibet pauperi Christi, quod ipse inimicis meis *retribuet pro me*; sed ego in ejus retributione ipsum commoneo A potius de misericordia quam de justitia, dicens illi : *Domine, misericordia tua in sæculum, et opera manuum tuarum ne despicias.* Averte faciem tuam a peccatis meis, quæ sunt opera mea ; sed *opera manuum tuarum*, quæ in me sive in aliis hominibus fecisti nihil odiens eorum, quæ fecisti, *ne despicias*, imo ea respicias in ea *misericordia*, quæ non habet finem, quia *misericordia tua in sæculum* dans hic merita bona, quibus reddas præmia in sæculum sæculi permanentia, quia erunt æterna.

Gloria Patri magnificanti super omne nomen sanctum suum. *Gloria Filio* super omne nomen sanctificato, quem Pater sanctificavit et misit in mundum. *Gloria Spiritui sancto*, qui est misericordia manens in sæculum. Amen, amen.

PSALMUS CXXXVIII.

Domine, probasti me, et cognovisti me, etc. Titulus psalmi hujus :

VERS. 1. IN FINEM, PSALMUS DAVID.

Mittit nos ad Christum vere manufortem, vere desiderabilem, qui in isto psalmo loquitur nunc in persona sui met, nunc in persona Ecclesiæ, quæ corpus ejus est. Confessionum quippe ac laudum præcentor dicens Patri de se : *Domine, probasti me et cognovisti me*, ad hoc tendit referendo perfectam justitiam suam secundum humanitatem et altitudinem suam secundum Divinitatem, ut in fide ac justitia fidei fideles instituat, quatenus ipsum verum Deum et verum hominem credendo ejus exemplo inducti tribulari et conculcari non suffugiant, hoc sperantes quod sicut socii sunt passionum sic erunt et consolationum. Dicit ergo in gratiarum actione :

Domine, probasti me : Domine Pater, quem in habitu servi Dominum recognosco, cui et servio humanas infirmitates ferendo, tu *probasti me* in passione mea. Cum enim scriptum sit : « Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis (*Eccli.* XXVII, 6), » tu *probasti me* per ignem passionis, in quo testa carnis meæ non dissiliendo est fracta, ut in his qui deficiunt inter adversa ipsos confringentia, eo quod sunt vasa fictilia et reproba. Sed ego in igne passionis, quo « aruit tanquam testa virtus mea (*Psal.* XXI, 16), » ita fortis permansi, ut exinde claresceret, quod ipsa testa carnis meæ sit in aurum conversa, de quo et fabricatum est aureum candelabrum septem lucernis perlucidum. Et erat quidem auro isti locus, in quo conflaretur, uterus virginis, qui totus incandescens igne Divinitatis non potuisset ullo modo substitisse, nisi obumbrante ipsam virginem virtute tua, Pater altissime. Sed huic auro taliter conflato parata erat fornax tentationum tentante me diabolo in deserto, B ubi tu, *Domine, probasti me et cognovisti me*, quia, cum tibi fuissem ab æterno probatus et notus, hoc ipsum fecisti angelis et hominibus notum, quod ego essem vas aureum nulla tentatione frangendum. Accessit quoque ad augmentum probationis hujus, ut multis malleis tribulationum tunderetur aurum carnis meæ, quibus fabricaretur in aureum candelabrum toti mundo conspicuum. Et inter has tribulationes item *probasti me, et cognovisti me*, qui notum fecisti angelis et hominibus de me, quod essem fortior illo forti, qui per se ac membra sua me tribulavit, nec superare vel ad hoc urgere me potuit, ut ego verus Job stultum quid loquerer contra te, Pater, qui per illum fabrum pessimum tunsionibus ac pressuris multis *probasti me*. Inter quas pressuras C

VERS. 2. *Tu cognovisti sessionem meam*, qua ego innocens et patiens Job sedens in sterquilinio humiliatus sum pro genere humano jacente in profundo peccatorum et miseriarum sterquilinio. Hanc *sessionem meam tu*, Pater, *cognovisti* et approbasti. *Cognovisti*, quia dilexisti sicut e contrario diceris ignorare quos non diligis. Quia vero me dilexisti cui et dixisti : « Filius meus es tu, ego hodie genui te (*Psal.* II, 7). » Item alias dixisti de me : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui (*Matth.* III, 17) ; » quia, inquam, sic me dilexisti, utique *tu cognovisti* et approbasti *sessionem meam*, qua sedens in sterquilinio testa carnis meæ D igne passionis consolidatæ saniem rasi membrorum meorum, quæ ulceribus peccatorum plena sic erant radenda et purganda, ut mihi sic sedenti et humiliato ipsa primo per humilitatem configurarentur, et deinde resurgenti conformarentur : nam si commorientur, et conresurgent, si complantata fuerint similitudini passionis meæ, simul et resurrectionis erunt. Sedent enim tales, quando sunt in tribula-

tione patientes; surgunt autem spe gaudentes. Sedent miseriam temporalem patienter et humiliter sustinendo; surgunt, quæ sursum sunt, sapiendo et appetendo. Sedent peccata sua confitendo; surgunt justificati gratia. Quibus ita sedentibus et surgentibus, tu, Pater,

VERS. 3. *Intellexisti cogitationes meas* et meorum *de longe*, id est ab æterno : quia tu nec localiter *longe*, nec localiter prope es, qui ubique es, et in quo locus omnis est; sed quia temporalitas et æternitas longe distant inter se non locali distantia, sed considerationis differentia, cum in altero sit finis et principium, in altero neutrum horum ; et alterum currat sui mobilitate, alterum stet sui immobilitate : tu *a longe* diceris *intelligere cogitationes* humanas et mutabiles, quas tu vides in tua immutabili æternitate. Vides quoque *de longe* abeuntes a te in regionem longinquam, ubi pascant porcos. Ibi utique *cogitationes meas*, id est meorum *intellexisti*, quia, dum illic intra se cogitat filius prodigus : « Ibo ad patrem meum (*Luc.* xv, 18), » tu eidem revertenti, cum *adhuc longe* est, occurris, atque osculans illum dabis gratiæ tuæ signum certum, videlicet post oris confessionem, cordis justificationem, quia confitenti non solum relaxas peccata, sed et dabis indumenta gratiarum diversarum, scilicet stolam primam, annulum et calceamenta, per quæ ostenditur quod *semitam meam, et funiculum meum*, seu *directionem meam*, id est meorum *investigasti*. *Semita* pertinet ad tacitas *cogitationes*, *viæ* ad humanos actus, *directio* ad justa judicia, *funiculus* ad limitem vel hæreditatem, quia *funiculo* solebant antiqui limites agrorum et hæreditatum distermiuare. Omnia hæc et mea et meorum tu *investigasti*.

VERS. 4. *Et omnes vias meas* et meorum tu *prævidisti*, simul et hoc intelligens, *quia non est sermo in lingua mea.*

Sermo tunc est *in lingua* tantum, et non in corde vel in re, quando peccati confessio non surgit ex radice cordis pœnitentis et contriti, ut quando Saul de peccato suo a Samuele increpatus dixit : « Peccavi! sed nunc honora me coram senioribus, » etc. (*I Reg.* xv, 30). » Quæ dicendo monstravit se non dolere de peccato admisso, sed de honoris diminutione. Sic et Judas dicens : « Peccavi tradens sanguinem justum (*Matth.* xxvii, 4), » se ostendit non tam dolere de peccato a se commisso, quam de consilio suo infatuato, sicut et suus præambulus Achitophel videns consilium suum infatuatum præ dolore suspendit se ipsum, quem profecto Judas imitando in culpa, et pœna laqueo sibi vitam extorsit, quia *sermo*, quo dixerat : *peccavi!* solummodo *in lingua*, et non in corde fuit.

Sensum hunc probat alia translatio, quæ habet : *Non est dolus in lingua mea.* Talium sic loquentium lingua dolosa non est *lingua mea*, quia ipsi non sunt membra mea ; sed *in lingua mea* seu meorum

A *non est sermo* sine re ; quia, cum quisque illorum dicit : « Peccavi, » ut ego David, quando in Uriam peccasse me dolens ad increpationem prophetæ Nathan dixi : « Peccavi! » (*II Reg.* xii, 13) *non erat sermo in lingua mea* vel *dolus*. Item cum ego Petrus dixi : « Amo te (*Joan.* xxi, 15) » secundo ac tertio, *non* erat *sermo in lingua mea*. Item cum ego prodigus filius dicerem : « Pater, peccavi in cœlum et coram te (*Luc.* xv, 18), » *non* erat *sermo* sine re *in lingua mea*. Hujus rei testis tu ipse es, neque alieno testimonio indiges, quia

VERS. 5. *Ecce, Domine, tu cognovisti omnia novissima et antiqua.*

Novissima mea, quando porcos pavi ; *antiqua*, quando partem substantiæ petii. *Antiqua*, quando
B lapsi sumus; *novissima* quando ad hanc mortalitatem venimus, quæ *novissima* et ultima pœna est redeuntibus ad te Patrem. In quibus novissimus *tu formasti me* ad laborem dicens : « In sudore vultus tui vesceris pane tuo (*Gen.* iii, 19) ; » *et posuisti super me manum tuam* vindicem, quæ gravaret superbum salubriter, ut erigat humilem. Sic ingravata manu tua *ex me*, id est ex peccato meo

VERS. 6. *Mirabilis*, mira et incomprehensibilis *facta est scientia tua*, quia mihi non est facile contemplari te, quem superbiens reliqui fugiens a facie tua, in paradiso erubescens nuditatem meam. Ita *ex me*, videlicet exigente culpa mea, *scientia tua*
C mihi pridem conspicua et amabilis *facta est* abscondita et admirabilis, quoniam abscondisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus. Unde *scientiam* tui apprehendere, vel comprehendere non valeo *ex me*. Hoc enim *ex me* ipso considero, quod non est mirum *scientiam* tui difficilem et *mirabilem factam esse* mihi, quia, cum nec me ipsum scire possim et essentiæ meæ *scientia* supra vires ingenii mei sit *confortata*, multo magis *scientia* tui supra vires intellectus humani *confortata est, et non potero ad eam.*

Aliter. Ego Christus, primus et novissimus, primus per divinitatem, novissimus per humanitatem ; vel primus ante quem nullus, novissimus post quem nullus ; vel primus in resurrectione quia primoge-
D nitus mortuorum, novissimus et despectissimus in passione, quia cum iniquis reputatus et morte turpissima fui condemnatus, confiteor tibi, Pater, et laudo tuam circa me providentiam et curam, quia *tu cognovisti omnia, novissima* mea *et antiqua* : *novissima* in humanitate, *antiqua* in æterna Divinitate. *Tu* etiam *formasti me* hominem, ut essem speciosus præ filiis hominum ego filius hominis matris, idemque Filius Dei Patris, cui recte dicitur : « Specie tua et pulchritudine tua intende prospere, procede et regna (*Psal.* xliv, 5). » Item in Isaia : « Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra ? Iste formosus in stola sua gradiens in multitudine fortitudinis suæ (*Isai.* lxiii, 1). » Tu quidem, Pater mi, Pater æterne, *formasti* hominem

primum de limo terræ, ac postea inspirasti ei « spiraculum vitæ, » quo « factus est in animam viventem (*Gen.* II, 7); » sed me Adam secundum *formasti* de terra benedicta, cui dictum est : « Benedicta tu in mulieribus (*Luc.* I, 28) » non solummodo *in animam viventem*, ut vita viverem mortali, sed etiam in spiritum vivificantem, quo, absorpta morte per mortem meam, ego non solum vita æterna viverem, sed et alios mihi cohærentes vivificarem. Sic *formasti me* in spiritum vivificantem. Sed antequam spiritum hunc darem, vel eodem fideles meos vivificarem (quia hic spiritus non est datus quandiu ego non fui glorificatus, neque de me petra fluxit aqua viva et vivifica, priusquam percussus fui virga crucis, in qua lanceatus emisi aquam egredientem de templo corporis mei a dextro latere); ante, inquam, B dum nondum fui gloria et honore coronatus, *posuisti super me manum tuam*, sub qua me castigante ac flagellante vapulavi solvens, quæ non rapui, ego a peccato immunis castigatus pro aliorum peccatis. Deinde *scientia tua* prius despicabilis (quia *mundus* *non cognovit* peccatis originalibus et actualibus obcæcatus) *mirabilis facta est ex me* dante Spiritum sapientiæ et intellectus, quando idem Spiritus emissus intellectui adimplevit corda eorum, qui eumdem spiritum primo in die resurrectionis, deinde in die Pentecostes acceperunt. Ex tunc *scientia tua confortata est*, quæ quasi prius infirma, post contra mundi hujus sapientiam convaluit et invaluit, quia ex me *confortata est* contra omnes et super omnes C mundi hujus philosophos, tyrannos, magos et ariolos. *Et non potero ad eam.* Dictum est hoc non ex voce capitis omnipotentis, sed ex voce membrorum, quibus dicitur : « Sine me nihil potestis facere (*Joan.* XV, 5). » In his ipse Christus, licet in se omnipotens, adhuc infirmatur, incarceratur, esurit, sitit, nudus est et egenus. Quorum voce dicit : *Mirabilis facta est scientia tua ex me*, quia ex mea, imo ex meorum culpa ita est abscondita, ut eam potius admirari quam scrutari possint : adeo invaluit ut quisque meorum vere dicere possit : *Confortata est, et non potero ad eam* comprehendendam, quia est incomprehensibilis ipsis quoque angelis beatis. Et licet hoc de membris congrue possit dici, tamen ego assumptus homo etiam ex mea persona D dicere possum de sapientia mihi unita, quia *confortata est, et non potero ad eam* tenendam. *Non potero* ex me, sed *potero* ex te, Pater, quia non sum ex me, sed ex te. Unde alias dico : « Non possum ego a me ipso facere quidquam (*Joan.* V, 19). » Attamen quia Dei sapientia incarnata velut angelus ad Jacob missus teneri se permisit, luctans ego David quasi alter Jacob *non potero quidem*, non sum fortis *ad eam* apprehendendam, non sum fortis ex me, sed tamen ex te, Deus, confortatus tenebo te ac dicam tibi : « Non dimittam te, nisi benedixeris mihi (*Gen.* XXXII, 26), » neque fugiam a te, sed ad te, a te irato ad te placatum.

VERS. 7, 8. *Quo enim ibo a spiritu tuo, et quo a* A *facie tua fugiam ?* Neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus fugæ patet locus, neque sursum neque deorsum, quoniam *si ascendero in cœlum, tu illic es.* Si me nimis extulero, invenio te repressorem. Si de justitia falsa elatus fuero *in cœlum, tu illic es* reprobando falsam justitiam per veram, fucatam per sinceram. *Si peccando* et peccata mea condemnando, atque, cum sint magna, parvipendendo *venero in profundum*, et ea nolens confiteri dicam : Quis me videt? *ades*, ut vindices. Invenio tamen, quo fugiam ab ira tua.

VERS. 9. *Si sumpsero pennas meas diluculo*, vel sicut habent alii codices : *In directione, et habitavero in extremis maris. Pennas* geminæ charitatis, quas amisi peccando, si assumpsero pœnitendo, *in diluculo*, in ipso bonæ conversationis initio, vel *in directione*, ut nec erigar præsumptione, nec mergar desperatione, *et habitavero non* in medio *maris*, ubi grande periculum, sed *in extremis maris*, ubi littus æternæ stabilitatis est vicinum, illic a procellis *maris* poterit mihi esse tutum refugium. Illuc non mea virtute, sed tua, Deus meus, remigante manu mihi est possibile venire, atque ibi requiescere.

VERS. 10. *Etenim*, exaudita prece mea, qua dico tibi : trahe me post te, *illuc manus tua deducet me, et*, ne recedam, *tenebit me dextera tua*, quia « delectationes in dextera tua usque in finem (*Psal.* XV, 11). » Quibus delectationibus tenebor in *dextera tua* parvipendens omnia bona, quæ sunt in sinistra tua. « Longitudo » quippe « dierum in dextera tua (*Prov.* III, 16), » quæ longitudo est æternitas infinita in infinitum superexcellens omnia bona temporalia, quæ sunt in sinistra tua.

Aliter : Ego verus *David* Christus, cui attitulatur hic *psalmus*, fatigatus ex itinere, sedi super puteum quasi homo infirmus, imo vere infirmus passibilitate ac mortalitate, premens tamen sub me puteum carnalis concupiscentiæ ac mundanæ sapientiæ, de cujus aqua, si quis biberit, iterum sitiet, quia talis aqua sitim non exstinguit, sed auget. Verum si assumpsero *pennas meas*, *pennas* Divinitatis, proinde *meas*, quia mihi homini divinitus concepto et nato ita sunt affixæ , ut propter eas recte assimiler aquilæ volanti. Si ergo assumpsero *pennas meas, et habitavero in extremis maris*, in littore sempiternæ quietis, et tunc patebit fidelibus, quod *tu cognovisti sessionem meam*, qua ego verus Jonas in profundo maris fui : *et resurrectionem meam*, qua me cetus revomuit in siccum littus. *Etenim illuc manus tua deducet me*, atque ut illic permaneam, *tenebit me dextera tua*, virtus scilicet et sapientia tua mihi homini unita.

VERS. 11, 12. *Et dixi : forsitan tenebræ conculcabunt me.* Hoc dictum est per ironiam ad irrisionem hoc opinantium, quod *tenebræ* conculcarent illum. Serio autem et in veritate subdit dicens : *Et nox illuminatio mea in deliciis meis*, quia sicut

noctu percussa sunt primogenita Ægypti et rex Pharao turbatus ac populus Israel salvatus et liberatus est ; ita erit in *nocte* resurrectionis meæ, quæ *sicut dies illuminabitur* orto jam sole justitiæ, fugatisque tenebris peccatorum per me lucem veram illuminantem omnem hominem venientem in hunc mundum.

Aliter : Ego *David* peccator et pœnitens proposita, mihi via longa usque ad *extremum maris* pertimescens illa pericula *maris* maxime in *tenebris* nocturnis, quando ventus est contrarius, *dixi : Forsitan tenebræ conculcabunt me.* Tot mala sæculi exundant, ut cogar assidue dicere : *Forsitan tenebræ conculcabunt me.* Caro concupiscens adversus spiritum ex lege membrorum resistente legi Dei tantas ingerit *tenebras* menti, quæ legi Dei consentit, ut cogar assidue dicere : *Forsitan tenebræ conculcabunt me.* Item numerositas malorum, qui *tenebræ* sunt, sic intumescit contra me unam et unicam Ecclesiam vel me unam fidelem personam, ut compellar clamare dicens : *Forsitan tenebræ conculcabunt me.* Qui non confitetur peccata sua, tenebrat tenebras ; sed si confitetur, Deus illuminat. Nostræ *noctis*, id est humanæ vitæ miseræ ac tenebrosæ *nox* est sæculi adversitas *dies* ejusdem prosperitas ; sed si Deus habitat in anima promittens aliam lucem et docens non lætari prosperis vel frangi adversis, incipit homo indifferenter his uti ; et sic est ei *nox* hujus sæculi *sicut dies* ejus, et in omni tempore benedicit Deum ut Job. Et si hoc est, *tenebræ non conculcabunt*, quem *lumen* non extollit. *Nox*, quæ erat horror, *illuminata* est deliciæ. Unde hæc indifferentia tibi ? Quia interior possessor non solum cor, id est cogitationes tenet, sed et renes, id est delectationes, ut non delectet lux *noctis*, sed lux sapientiæ suæ. Revolanti ad Deum Deo cor illuminante, renes possidente, quanta est exsultatio et multiplicatio dicentis : *Nox illuminatio in deliciis meis !* Ad has *delicias* invitabat Jacobus apostolus dicens : « Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis, scientes quod tribulatio patientiam operatur, etc. (*Jac.* I, 2, 3). » His *deliciis* tam in *nocte* quam in *die* fruebatur apostolus, qui dixit : « Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei, » quod erat in die deliciari. Et addidit : « Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero spem ; spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis (*Rom.* V, 2 et seqq.). » Ita nimirum *nox illuminata* per lucernam, qua lucente invenitur drachma, in qua refulget imago Dei eo clarius quo amplius tersa et polita fuerit variis tentationibus et tribulationibus. *Nox*, inquam, talis taliter *illuminata* multas habet *delicias*, quia tu, vera sapientia lucens in testa carnis assumptæ, illuminas *tenebras*, dum flagellis nocturnis erudis filios lucis, quibus eruditis *nox ut dies illuminabitur*, quia illis

A te sive flagellantem sive consolantem filiali amore *diligentibus omnia* tam adversa quam prospera « cooperantur in bonum, his » duntaxat, « qui secundum propositum vocati sunt sancti (*Rom.* VIII, 28). » Quorum numero ego David, ego pœnitens confido me sociari,

Vers. 13. *Quia tu possedisti renes meos* dando mihi propositum continentiæ, ita ut, etsi sentiam in renibus concupiscentiam, non tamen ipsa regnet in corpore meo mortali ad explenda illicita desideria in Babylone mihi usitata. In qua natus et diu conversatus non indifferenter habebam lucem et tenebras noctis, utpote sociatus adhuc filiis noctis et tenebrarum, donec tu *suscepisti me de utero matris meæ* vel Synagogæ, ut illum, qui dixit : « Cum
B autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam, continuo non acquievi carni et sanguini (*Gal.* I, 15, 16) : » Vel certe Babyloniæ, in qua natus et nutritus a civitate Jerusalem diu exsulavi. *De utero hujus matris* tu *suscepisti me* a mundana et vana conversatione reducendo in Sion, tu Jesu, magne sacerdos, reædificator civitatis Jerusalem, quæ est mater nostra. In qua

Vers. 14. *Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es*, qui parvulus natus ex matre usque ad consessum Patris altissimi exaltatus et *magnificatus es terribiliter* simul et mirabiliter. *Terribiliter*, quantum ad Judæos, quos cæcatos reliquisti, *mi-*
C *rabiliter*, quantum ad gentes, inter quas *mirabilia opera tua* claruerunt, quibus per apostolos manifestatis crediderunt in te. In qua re *mirabilis scientia tua confortata est, et non potero ad eam* capiendam ; sed exclamo præ admiratione : « O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei, etc. (*Rom.* XI, 33). » *Non*, inquam, *potero ex me*, sed aliquantulum potero ex te. Unde veneror *mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit nimis* nunc ex parte, postea vero sicut et cognita est. Quod nos cives Jerusalem de captivitate liberati exspectantes nondum securi sumus, quoniam eo ipso, quo te miramur, terribilis es, et ideo cum tremore gaudemus, ne superbi perdamus, quod humiles accepimus. Hoc ipsum *cognoscit anima mea nimis*, id est *valde*, quoniam
D antea erat mira *scientia tua ex me, nec poteram ad eam* attingere ; sed modo possum, quia *noctem* illuminas, *renes* possides servi tui, quem *de utero matris extraxisti*, et extractum *suscepisti*. Inde scio quod

Vers. 15. *Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto* in carnis quondam secreto absconditum, ut sustentet infirmitatem carnium. Ideo uni ossium tuorum dixisti : « Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos (*Luc.* XXII, 32). » Quod idem erat ac si dixisses : Tu fortis, ut osseus ab osse dictus, ut Petrus a me petra denominatus, confirma fratres tuos adhuc infirmos fragilitate carnis gravatos, qua et tu ex parte gravaris, qui me ter nega-

his : at postea confortatus tertio confiteberis quod A me ames, unde oves adhuc fragiles et carnis infirmitate gravatas commendo tibi pascendas, et per te Petrum super me petram stabiliendas. Cum hæc diceres, *non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto*, quod etiam præcognitum est, cum diceret primus homo in secundi hominis figura : « Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea (*Gen.* II, 23), » significante Spiritu sancto per hæc verba, quod fortes et infirmi essent in Ecclesia futuri tanquam ossa et carnes, perfecti et imperfecti. De quibus imperfectis ego Christus, ego secundus Adam, ego sponsus Ecclesiæ de me ossa et carnem habentis firma et infirma, perfecta et imperfecta membra in sui corporis unitate continentis ad te, Pater, clamo et dico : B

VERS. 16. *Imperfectum meum viderunt oculi tui*, quando mihi sponso Filio tuo sponsam prædestinasti habentem in se carnem et ossa, perfectos et imperfectos. Tunc *imperfectum meum* pio miserationis intuitu *viderunt oculi tui, et in libro tuo*, qui liber ego sum, *scribentur*, imo jam scripti sunt *omnes*, et nemo in eis peribit, *quia substantia mea in inferioribus terræ*, in infirmis scilicet, salvatur, et nemo in eis peribit, vel nemo in eis erit auctor salutis, ne quis dicat : « Ego sum Pauli, ego Cephæ ; » sed unusquisque dicat : « Ego sum Christi (*I Cor.* I, 12), » quoniam solummodo per me Christum solem justitiæ *dies formabuntur*, qui et apostolos duodecim quasi horas duodecim formavi, *et nemo in eis* vel C *ex eis* periit, nisi filius perditionis, filius noctis, qui et nocte foras exivit relinquens alteri locum, ut episcopatum ejus acciperet alius digne inter ministros lucis et filios diei computandus. Et quidem tales ministri salutis apud semetipsos despecti erunt et sæculo contemptibiles quasi peripsema et purgamenta hujus mundi.

VERS. 17. *Mihi* autem Christo, vel mihi sanum sapienti Christiano et fideli *nimis honorificati sunt amici tui, Deus : nimis confortatus est principatus eorum.*

Super hunc locum dicit beatus papa Gregorius in homilia 28 (69). *Amicus quasi animæ custos dicitur, quia ergo Psalmista prospexit electos Dei a mundi* D *hujus amore separatos custodire in mandatis cœlestibus voluntatem Dei, miratus est amicos Dei, dicens :* Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus. *Et tanquam si ab eo protinus causam honoris tanti nobis insinuari quæreremus, illico adjunxit : Nimis confortatus est principatus eorum. Ecce electi carnem domant, spiritum roborant, dæmonibus imperant, virtutibus coruscant, præsentia despiciunt, æternam patriam cum voce ac moribus prædicant, eam etiam moriendo diligunt, atque ad illam per tormenta pertingunt. Occidi possunt et flecti nequeunt.* Nimis ergo confortatus est principatus eorum? *Sed sic magni forsitan pauci sunt? subjunxit :*

VERS. 18. *Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur* (70). *Totum mundum aspicimus, martyribus plenus est. Jam pene tot, qui videamus, non sumus, quot veritatis testes habemus. Deo ergo numerabiles, nobis super arenam multiplicati sunt, qui, quanti sint, a nobis comprehendi non possunt. Sed quisquis ad hanc pervenerit dignitatem, ut amicus vocetur Dei, sese in se conspiciat, dona autem quæ perceperit super se, nihil suis meritis tribuat, ne ad inimicitias prorumpat.*

Testibus istis et amicis meis testificantibus notum est fidelibus, quod ego Christus *exsurrexi* a mortuis, *et adhuc tecum sum* vivens ea vita, qua tu, Pater, vivis, quod mihi putaverunt hostes ablatum per mortis occubitum et sepulcrum signatum. Sed ego licet fuerim sepultus corpore, animaque mea descenderit ad inferiores partes terræ spoliare infernum, tamen *tecum sum* in excelso throno, in quo etiam sic *tecum sum*, quod sicut tu, Pater, es occultus, ita et ego adhuc sum occultus infidelibus, oculos fidei non habentibus. Attamen futurum est ut omnis caro videat me salutare sedentem in judicio manifesto adhuc abscondito. *Et ideo adhuc tecum sum*, Pater, in occulto, sicut tu es occultus. *Tecum sum* nunc in occulto judicio, quo

VERS. 19, 20. *Si occideris peccatores* tu, Pater, et ego eos occidam separando eos a vivo *corpore meo*, dicens illis : *Viri sanguinum declinate a me, quia dicitis in cogitatione*, quod pejus est quam si *diceretis* ore ; *dicitis*, inquam, de amicis meis vos inimici : *Accipiant in vanitate civitates suas* [Vulg., *tuas*]. Hoc dicitis hostes mei et meorum, quia *civitates* et congregationes ecclesiasticas judicatis vanas, cum vos potius vani sitis, et omnia, quæ agitis, vana sint, maxime in schismate, quo declinatis a *me*. Sed et ego declino a vobis non tam corpore quam animo, quo non vos odi sed iniquitatem vestram. Ex qua conscientia tibi dico, Deus meus :

VERS. 21. *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam.* Aliter : *Si occideris, Deus, peccatores*, dicendo illis : *Viri sanguinum, declinate a me*, ipsi occisi et abscissi *accipient in vanitate civitates suas* faciendo sectas non in veritate nominis Christiani, sed in vanitate Antichristi confœderatas. Quasi vero *illi* abscissi quærant et dicant : Quare nos dicis *viros sanguinum*, qui non occidimus aliquem, cum simus inermes clerici ? Respondet : Ideo recte vocamini *viri sanguinum, quia dicitis in cogitatione*, quod pejus est quam si diceretis ore. Quid *dicitis*? Talia scilicet, per quæ homicidæ judicamini, sicut scriptum est de vobis et vestri similibus. *Ipsi enim homicidæ thesaurizaverunt sibi mala, insipientes et maligni oderunt sapientiam, et rei facti sunt in cogitationibus* suis. Ideo vobis homicidali odio tabescentibus recte dico ego Ecclesia : *Viri sanguinum declinate a me*, quia *dicitis in cogitatione* talia, per quæ probamini *viri sanguinum* et dolosi. Esto igitur ut

(69) In Evangelia.

(70) Idem ibid.

tales homicidæ *accipiant in vanitate civitates suas* A faciendo sectas perditionis vanas et malas, in modum civitatis munitas magistrorum vel etiam sanctorum Patrum sententiis detortis ad suum libitum, ut videantur habere multa propugnacula in suis civitatibus, neque valeant expugnari disputationibus, maxime tuente illos principatu sæculari, ut Arianos tuebantur multi potentes : Esto, inquam, ut sic *accipiant in vanitate civitates suas*, nunquid propterea ego David, ego ecclesiasticus vir desinam tales impugnare, licet non valeam expugnare ? *Nonne* illis odientibus te, Domine, rependendum est odium bonum pro malo, ita ut odio habeantur non homines sed errores eorum? Hoc sciens *oderam* eos *qui oderunt te, Domine*, quos cum non potuissem vel expugnare vel saltem perturbare, zelo domus tuæ B ardebam, et

VERS. 22. *Perfecto odio oderam illos* inimicos tuos usque adeo ut fierent quoque *inimici* mei : quia, dum loquebar illis, impugnabant me gratis, *et inimici facti sunt mihi*.

Super hunc locum dicit beatus papa Gregorius (71) : *Inimicos Dei perfecte odisse, est et quod facti sunt diligere, et quod faciunt, increpare, mores pravorum premere, vitæ prodesse. Pensandum est etenim, quando ab increpatione quiescitur, quanta culpa est, si cum pessimis pax tenetur, si propheta tantus hoc velut in hostiam Deo obtulit, quod contra se pro Domino pravorum inimicitias excitavit.*

C Quia vero inter hujusmodi lites et contentiones quasi mali contra bonos, et boni contra malos exercent, facile subrepunt maculæ sive in verbo sive in cogitatione, tu Deus,

VERS. 23. *Proba me*, cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum, cui dico assidue : *Proba me, Deus*, probabilem fac me, Deus, cui et in principio hujus psalmi dixi : *Domine, probasti me*, atque nunc in fine psalmi dico : *Proba me. Probasti me* in me Christo, in me capite, in quo non invenit princeps mundi hujus quidquam reprobum ; sed quia ministri mei, quantumlibet sint probati, non carent macula, quandiu peregrinantur in corpore (unde ipsi piscatores necesse habent, ut lavent retia in turbido mari pro piscibus capiendis tracta), in fine suæ piscationis dicant omnes, dicant singuli, dicam et ego Psalmista : *Proba me, Deus, et scito cor meum* faciens me scire *cor meum*, quod ego Petrus piscator adhuc nescivi, quando ultra meos condiscipulos præsumpsi, et ex illa præsumptione in culpam decidi negationis trinæ. Sed tu postea interrogasti me dicens mihi tertio : « Amas me ? » atque me respondente : « Amo te, » tu cognovisti *semitas meas*, et illas, in quibus me cingens ambulaveram ubi volebam, et illas, ad quas tu me dirigebas dicens mihi : « Pasce agnos meos (*Joan*. XXI, 15 et seqq.). » Petri ergo exemplo ego David, ego psallens in hoc psalmo dico tibi, Deus meus : *Proba me, Deus, et scito cor meum, interroga me, et cognosce semitas meas* præteritas et futuras, delendo præteritas maculas in semitis contractas, quia, nisi tu laveris mihi pedes, non habebo partem tecum. Porro in futurum ne amodo pedes inquinem, tu deduc me in via æterna, in qua nulla est macula. Sed prius

VERS. 24. *Vide* faciens et meipsum videre, *si via iniquitatis in me est*, ut iniquitate hac abolita inter eos de cætero ambulem, de quibus dicitur : « Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini (*Psal*. CXVIII, 1). » Quia vero ad hoc mihi vires non sufficiunt, o Deus, tu *viam iniquitatis amove a me* (*ibid*., 29), si hanc videris in me, cui dico assidue : *Vide, si via iniquitatis in me est, et deduc me in via æterna*, qua pervenire ad patriam claritatis æternæ valeam te trahente ac deducente, qui es via, et veritas et vita.

Gloria Patri Domino, cui Filius dicit in principio psalmi : *Domine, probasti me et cognovisti me. Gloria* ipsi *Filio* hæc dicenti. *Gloria Spiritui sancto* replenti orbem terrarum, de quo dicitur in hoc psalmo : *Quo ibo a Spiritu tuo.*

(71) Reg. Curæ Past. part. III, c. 32.

PSALMUS CXXXIX.

Eripe me, Domine, ab homine malo, etc. Titulus :

VERS. 1. IN FINEM PSALMUS DAVID.

Patet. Est autem hic *psalmus* initium periochæ ultimæ, in quo pariter orant et confitentur omnes justi atque perfecti una voce tanquam ex uno corpore : *Eripe me, Domine, ab homine malo, a viro iniquo eripe me*. Hæc et cætera dicendo orant Dominum, ut custodiat in eis fidei perfectionem, et D ut eos eripiat a pravitate et perfidia, imo ab incursu malignorum spirituum, qui circa finem vitæ hujus insidiantes linguas suas exacuunt ad accusandum, ad convincendum. Nam quia ultima est hæc perioches [*ita Cod*.], recte hinc ad *finem* nostrum spectamus, quando venit princeps mundi et in singulis nostrum aliquid suum requirit. Dicit ergo quisque sollicitus illius diei, providus illius horæ imminentis . *Custodi me de manu peccatoris*. Ac dein-

ceps: *Domine, Domine, virtus salutis meæ, obumbrasti super caput meum in die belli.* Et continuo: *Ne tradas me, Domine, a desiderio meo peccatori*, etc. Corpus Christi inter malos constitutum nondum habens nisi in spe bonum, ubi erit plena exsultatio, gemens orat in hoc *psalmo*, per quod ad orandum invitat. Et primo proponit qui hostes, quæ mala moverunt. Secundo quod auxilium habeat contra mala, ibi: *Dixi Domino: Deus meus es tu.* Tertio quæ sunt mala inimicorum ibi: *Caput circuitus.* Et in beatitudine *psalmum* concludit ibi: *Et habitabunt recti cum vultu tuo.* Clamat igitur et dicit inter malos: *O Domine, eripe me*, et repetit:

VERS. 2. *Eripe me, Domine, ab homine malo*, vel maligno, quod est ab ipso principe, qui in figura dicitur *homo*. Unde in Evangelio: *Inimicus homo hoc fecit.* Attende quod, cum dixisset: *a maligno*, tanquam exponens hoc supposuit: *ab iniquo*, volens significare quod omnes *iniqui* maligni. Sunt quidem multi *iniqui*, qui non videntur maligni, et tamen sunt sicut illi, qui non sævi, non pressuras hominibus facientes, sunt tamen luxuriosi, voluptatibus dediti, qualiter etsi aliis non videntur nocere, nocent tamen sibi, et inde sunt *iniqui*. Sed in eodem si quis alte consideret, maligni sunt qui nocent exemplo, et faciunt in nobis quod postea vincere laboremus. Procedit enim ex ipsa voluptate pressura. Postquam enim voluptuose quis vivens quæ habebat effudit, rapit. Sic ergo spinæ in radice lenes emittunt de radice, quod pungat. Sed sicut si incendatur radix, non procedit spina, ita si luxus corrigatur, non pascetur rapina. Singulariter dixi: *Eripe me, Domine, ab homine malo a viro iniquo*, a diabolo scilicet, qui *homo* dicitur in figura et *vir*, quia fortis: attamen quia iste *homo*, iste *vir* complures habet socios, a singulari numero transeo ad pluralem, dicens:

VERS. 3. *Qui cogitaverunt iniquitates in corde, tota die constituebant prœlia. Tota die*, nec mora diuturnitatis lassati, *cogitaverunt iniquitates in corde*, labiis interdum bona prætendendo, sed *in corde* mala intendendo. Nam prorepente foras diu occultata nequitia *tota die constituebant prœlia* contra bonos movenda tribus modis, corde, lingua, manu, quia *corde cogitaverunt iniquitatem*, vel sicut habet alia littera: *nequitias*, et ex ipsa *nequitia tota die*, id est jugiter *constituebant prœlia* vel per hæreses impugnando fidei veritatem et sinceritatem, vel per schismata scindendo ecclesiasticæ pacis unitatem. Atque ut hoc efficacius facere possent,

VERS. 4. *Acuerunt linguas suas*, ut haberent verba polita et exercitationis quadam cote limata. Et hoc fecerunt *sicut* serpentes, imo ad similitudinem *serpentis* illius, qui fuit organum diaboli ad decipiendam mulierem primam, sophistice loquendo et aliud promittendo atque aliud intendendo, promittens videlicet bona, ut est scientia boni et mali ad similitudinem Dei; sed intendens mala, quæ de tali præsumptione subsecuta sunt, quorum præcipuum fuit mors animæ, de qua prædixerat Dominus dicens: « Quacunque die comederitis de ligno scientiæ, morte moriemini (*Gen.* II, 17). » *Acuta* fuit lingua *serpentis* hujus, et acuta sunt exemplo illius hæreticorum *linguæ* ad decipiendum seu vulnerandum primo sexum femineum, id est populares et simplices, deinde fortes. Et quidem blande loquuntur, sed *venenum aspidum sub labiis eorum.* In *serpente* est astutia et dolus nocendi. Ideo *serpens* non habet pedes, ne audiatur ejus incessus, lenis quidem, sed non rectus, quia per anfractus incedit. Sic perversi astute serpunt ad nocendum sub leni contactu habentes occultum venenum, quia, licet blande sonent *labia* eorum, tamen *venenum aspidum sub labiis eorum*, quia verbis dulcibus et tinnulis propinant mendacium dicentes bonum malum et malum bonum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras, amarum dulce, et dulce amarum. Contra talium principem diabolum oro, dicens:

VERS. 5. *Custodi me, Domine, de manu peccatoris*, qui validus est, unde « princeps mundi hujus » dicitur (*Joan.* XII, 31; XIV, 30), et contra membra ejus oro, dicens: *Ab hominibus iniquis eripe me, qui cogitaverunt supplantare gressus meos*, dum foveas mendaciorum viæ veritatis vicinas parant, et

VERS. 6. *Absconderunt laqueum mihi*, quia *superbi* stimulo superbiæ agitati nolunt vinci, sed vincere semper licet falsa loquentes, et sub specie veritatis *laqueum* falsitatis abscondentes. Cum dico *superbos*, hoc nomine totum corpus diaboli breviter explico, quod maxime contra Deum erigetur in Antichristo, qui « extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus (*II Thess.* II, 4). » Et quia omnis *superbus* invidus est sicut diabolus, qui invidit homini, quod ipse perditus perdiderat, non sunt contenti sua perditione, sed nituntur me quoque perdere trahendo me in suæ perditionis consortium. Ideo *funes extenderunt in laqueum.* Qui addunt peccata peccatis, ut ego David, qui adulterio addidi homicidium, nectunt et extendunt sibi *funem* quo, ligatis manibus et pedibus, trahuntur, nisi per pœnitentiam rumpant hunc *funem*, sicut ego eum rupi, quando pœnitentiam egi. Sed hostes mei et Dei extendunt *funes* peccata sua nolentes breviare per veram pœnitentiam, quibus funibus in longum nimis, prolongatis et extentis paraverunt *mihi laqueum*, ut videns eorum in peccatis prosperitatem non horrerem, sed imitarer iniquitatem ipsorum. *Juxta iter scandalum posuerunt mihi*, non in via, sed *juxta* viam ponentes offendicula, quia non in veritate, sed in veritatis quadam similitudine conabantur me subvertere. Contra quos orans

VERS. 7. *Dixi Domino, Deus meus es tu, exaudi vocem deprecationis meæ.* Vox proprie animantium est cum sensu animantis prolata per arterias gutturis. Porro collisio lapidum vel tinnitus cymbalorum et alia hujusmodi sonum dant, sed non vocem, quibus assimilantur, qui absque sensu fidei et charitatis orant. Unde Apostolus ait : « Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens (*I Cor.* XIII, 1). » Vox igitur est orantis, in fide ac dilectione preces fundentis. Ideo ego fidei et dilectionis mihi conscius dico : *Exaudi Domine, vocem deprecationis meæ*, qua clamo ad te, dicens :

VERS. 8. *Domine, Domine*, cujus ego sum servus et per conditionem servus naturalis, et per re- B demptionem servus emptitius, *virtus salutis meæ*, quia salus mihi non est nisi ex te dante perseverantiam, sine qua salvus esse non potero. « Qui enim perseveraverit » in bono « usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* X, 22). » Ut autem perseverem ego in bono proposito, a te quæro, qui *obumbrasti super caput meum in die belli.* Interior hostis libido carnalis. Hoste illo me impugnante tu *obumbrasti super caput meum* defendendo interioris hominis *caput*, quod est mens rationalis, ut minime acquiescens æstui et motui carnis libidinoso, condelectaretur legi Dei dicenti : « Non concupisces (*Rom.* VII, 7), » et ita refrigeratus post concupiscentias carnis non ambularem, sed illud con- C silium tenerem, quo dicitur : « Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis (*Galat.* V, 16). » Hostis vero exterior est inimicus homo superseminans zizania, dum intermiscet bonis mala vel per se vel per suos ministros, angelos et homines malos. Hoste illo me impugnante, atque ad hoc irritante, ut vel æstu superbiæ ustus minores despicerem, vel æstu invidiæ tabescens majoribus inviderem, vel æstu iracundiæ inflammatus pro malis mala, pro vituperiis vituperia, pro maledictis maledicta vel manifeste vel occulte redderem, simulque ardens æstu avaritiæ aliena concupiscerem, tu *in die belli* adfuisti mihi obumbrans *caput meum*, id est mentem gratia tua refrigerante ac desideriorum pravorum flammas exstinguente, secundum D quod ego te invocans *in die belli* assidue dixi :

Exstingue flammas litium,
Aufer calorem noxium,
Confer salutem corporum,
Veramque pacem cordium.

Si hymnizanti mihi tu pias aures præbendo adfuisti obumbrans *caput meum in die belli.* Sed quia nec dum finitum est *bellum*, in quo maxime timendus et cavendus est inimicus domesticus, videlicet propriæ voluntatis desiderium inordinatum, quod si diabolus apud me invenerit, eodem quasi gladio occidere me poterit, quæso,

VERS. 9. *Ne tradas desiderium meum peccatori*, ne similis efficiar illis, de quibus dictum est : « Tra- A didit illos Deus in desideria cordis eorum, ut faciant quæ non conveniunt (*Rom.* I, 24). »

Alia translatio sic habet : *Ne tradas me a desiderio meo peccatori*, quod est dicere : Ad hoc valeat mihi deinceps umbraculum tuum, quo me *obumbrasti* frequenter *in die belli*, ut æstum non patiar a me ipso, *a meo desiderio* pravo, quo locus fit diabolo, sine quo nihil nocet quantumcunque sæviat hostis cum toto suo exercitu conglobato ex malignis hominibus et angelis. Contra quos necessarium mihi est auxilium tuum, quoniam *cogitaverunt contra me* astuta et longa deliberatione, qualiter perdant me. Sed tu adjutor in opportunitatibus *ne derelinquas me, ne forte exaltentur*, et de sua virtute contra me, imo et contra te glorientur, quia mea contra eos victoria erit non mea, sed tua gloria, quam digneris in me parvulo *David* magnificare, in me qualicunque, imitatore *David*, ne glorietur incircumcisus Philisthæus, diabolus cum suis commilitonibus, quemadmodum gloriatus est ille Goliath, qui dixit filiis Israel : « Quare venistis parati ad prælium ? » (*I Reg.* XVII, 8.) Hunc videntes filii Israel fugerunt, nec resistere ausi fuerunt. Sed tandem prostratus in funda et lapide atque jugulatus proprio gladio magnam dedit materiam tuis o Deus, in te gloriationis et hostibus confusionis atque humiliationis. Sicut tunc factum est, ita et nunc fiat justitia triumphante contra injustos, *ne forte exaltentur.* Sicut enim uno peccatore pœnitentiam agente gaudent angeli boni, sic homine uno seducto gaudet seductor diabolus et angeli mali simulque homines maligni. Quia ergo tales *cogitaverunt contra me*, tu contra eorum consilium præstans auxilium, *ne derelinquas me, ne forte exaltentur.* Sicut inimicis optans oravi, sic fiet eis, ut non vacet illis gloriari de sua virtute, quia

VERS. 10. *Caput circuitus eorum : labor labiorum ipsorum operiet eos.* « In circuitu impii ambulant (*Psal.* XI, 9), » quia volubilia et temporalia quærunt, in quibus finem desideriorum suorum non inveniunt, quia qui biberit ex aqua temporalis concupiscentiæ, sitiet iterum, sitique sua trahitur in *circuitum*, quo non invenit eundi finem, sicut is, qui æterna quærens, ambulat et currit in directum, tandem finiet cursum ut ille, qui dixit : « Cursum consummavi, fidem servavi, de cætero reposita est mihi corona justitiæ (*II Tim.* IV, 7, 8). » Sic omnes, qui esuriunt et sitiunt justitiam, suæ sitis invenient finem, quoniam ipsi saturabuntur. Non sic impii, non sic saturabuntur, quia in *circuitu* ambulantes non inveniunt finem sui cursus, et quæ hic sitierint, eadem et in inferno sitient ut ille dives, qui guttam aquæ petiit et non accepit. Quid est autem *caput circuitus eorum* nisi diabolica superbia, ex qua initium sumpsit iste *circuitus* illo præambulante, qui dicit : « Circuivi terram et perambulavi eam ? » (*Job* I, 7.) Istud *caput circuitus eorum*, superbia videlicet, est etiam *labor labiorum ipsorum*, quia,

dum quisque superbus erubescit veritate convinci de mendacio suo, laborat econtra mentiendo, quia qui mentitur, laborat.

Super hunc locum dicit beatus papa Gregorius(72): *Nihil est aliud ad defendendum puritate tutius, nil ad dicendum veritate facilius. Nam dum fallaciam suam tueri cogitur, duro cor labore fatigatur. Hinc ergo scriptum est :* Labor labiorum operiet eos. *Qui enim nunc implet, tunc operit, quia cujus nunc animum per blandam inquietudinem exerit, hinc per asperam retributionem premit. Hinc per Jeremiam dicitur :* « Docuerunt linguas suas loqui mendacium; ut inique agerent, laboraverunt (*Jer.* IX, 5). » *Ac si aperte diceretur : Qui amici esse veritatis sine labore poterant, ut peccent, laborant; cumque simpliciter vivere renuunt, laboribus exigunt, ut moriantur.*

Aliter : *Labor labiorum ipsorum operiet eos*, quia laborat, qui fingit, quod dicat, sed veritas facile dicitur. Unde *labor labiorum* dicitur mendacium, quod sui auctorem et fictorem *operiet*, quia unde ad tempus protegitur et defenditur, inde quoque superatur et opprimitur, cum falsitas ejus manifestatur, et falsidicus assertione propria confutatur. Ut autem vehementius opprimantur ipsi mendaces, hæretici maxime et schismatici,

VERS. 11. *Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos, in miseriis non subsistent. Carbones* ignis vel *in igne* ardentes et lucidi sancti sunt, qui cum sint veritatis assertores, in auctoritatem ducti contra mendaces *cadent, super eos* et opprimeut eos, atque urent in igne, quo benevolos auditores illuminant, et malevolos cruciant. Unde et dicunt : « Bonus odor Christi sumus, aliis odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem (*II Cor.* II, 15, 16). » Per istos *carbones dejicies eos*, qui resistunt veritati, et ipsi dejecti erunt impatientes. Unde *non subsistent in miseriis* vitæ præsentis, in quibus boni exercentur et possidebunt animas suas; impii vero deficient et non proficient. Sunt vero inter eos aliqui decepti, aliqui deceptores, aliqui simplices et quasi elingues, de quibus est aliqua spes conversionis.

VERS. 12. *Vir autem linguosus non dirigetur in terra*, cui voluntas et libido est loquendi, nec attendit quid dicat, dummodo prurientes aures demulceat, vel quod suadet, persuadeat, sive verum sive falsum. Contra hoc loquacitatis vitium loquens apostolus Jacobus dicit : « Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum (*Jac.* I, 19). » Perfectius enim esset omnes audire sponsum, ut Joannes ait : « Amicus sponsi stat, et audit, et gaudet propter vocem sponsi (*Joan.* III, 29). » Utinam sic omnes perfecti essent, ut nullo doctore indigerent, sicut in regno cœlorum, ubi omnes erunt docibiles Dei. Sed quia hæc felicitas non est hujus vitæ, propter imperitos loqui aliquando necesse est hac intentione ut fiant periti, et non egeant humana doctrina. Nam qui semper vult docere, semper vult auditores suos imperitos esse, atque hic talis convincitur esse invidus doctor semper cupiens inveniri cæteris doctior. Huic doctori suadendum est ne ipse invidus invidiam suam cæteros doceat. Gaudium ergo sit in audiendo sponsum intrinsecus, etiam dum vox doctrinæ sonat extrinsecus, ut semper audire sponsum sit in voluntate, loqui vero aliis in necessitate. Sic loquens etiamsi multa loquatur, non erit *vir linguosus*, qui nunquam *dirigetur in terra*, id est in præsenti Ecclesia, quia linguam ejus nullus hominum domare poterit.

Sed quia quod impossibile est hominibus, possibile est Deo, quodque impossibile est in terra, possibile est in cœlo, nec tales desperandi sunt, imo ad eos capiendos laxanda sunt retia orationis, quia capi non possunt retibus prædicationis. Inter hæc servus fidelis intret in gaudium Domini sui, ut intus audiat, quod foris dicat, et gaudium nostrum sit intrinsecus, ubi sponsus auditur, quia quem delectat exire foras ac potius audiri, quam audire, tumidus est, et quia foris est, quod amat mittetur in tenebras exteriores. De interioribus ergo sit gaudium, in exterioribus necessitas, non voluntas; alioquin injustus est qui bonum interius negligit, et exterius, quod vanum est, amplecti cupit, cum inter amplexus evanescat. *Virum* hunc iniquum *mala capient in interitu*. Omnes fugiunt mala tam boni quam mali; *sed mala capient* omnes tam bonos quam malos, quia nemo est expers miseriarum hujus sæculi, cum quisque natus ex muliere brevi vivens tempore repletus multis miseriis quasi flos egrediatur, et conteratur, et fugiat velut umbra et nunquam in eodem statu permaneat. Sed in hoc differentia magna est inter justum et *injustum*, quod *virum injustum mala capient in interitu* mittendo eum de præsenti miseria in æternam ad *interitum*; justi autem capti miseria temporali per illam castigati et purgati evadunt *interitum*. Malorum vero et *injustorum*, etsi modo lateat *interitus*, dum quisque illorum exsultat in rebus pessimis, tamen in futuro erit manifestum, quid intersit inter justum et *injustum*. Nam ego

VERS. 13. *Cognovi, quia faciet Dominus judicium inopis* in hoc mundo per impios afflicti causam ejus de gente non sancta discernendo, *et vindictam pauperum* ante januas divitum cum Lazaro jacentium, et omnium, qui egentes, angustiati, afflicti sunt, quibus dignus non est mundus, ut ei præsideant : quia loca dignitatum pessimi et vilissimi mundo petente occupant, qui *pauperes* et inopes de rebus *pauperum* non adjuvant, sed eos affligunt et eos aliquando ad iniquitatem, quam prohibere debent, compellunt.

VERS. 14. *Verumtamen justi*, licet sic angustiati

(72) Curæ Past. part. III, cap. 2.

et in fornacem paupertatis a rege Babylonico, diabolo scilicet vel Antichristo missi non desinent hymnum canere trium puerorum cæteraque laudum cantica, quibus *confitebuntur nomini tuo*, laudantes nomen tuum et justum judicium tuum etiam nunc in angustia sua, et multo amplius atque perfectius, quando ingressi in tabernaculum non manufactum ipsi *recti habitabunt cum vultu tuo*, cum quo, et in quo illis erit bene, quibus male fuit in vultu suo, in cujus sudore vescebantur pane suo. Ex tunc A ipsi boni a malis perfecte liberati et de inimicis vindicati non sibi dabunt gloriam, sed *confitebuntur nomini tuo*, non suæ virtuti, sed tuæ gratiæ adscribendo, quod a malis non sunt capti in interitu, quodque perveniunt ad aspectum *vultus tui*, cum quo et *habitabunt* in æternum.

Gloria Patri Domino eripienti me *ab homine malo*. *Gloria Filio vultui* Altissimi, cum quo *habitabunt recti*. *Gloria Spiritui sancto*, quo accendente *carbones* illi candent, qui super iniquos *cadent*.

PSALMUS CXL.

Domine clamavi ad te, etc. Titulus :

VERS. 1. PSALMUS DAVID.

Patet. Qui bene congruit huic psalmo, in quo loquitur *David*, Christus unus ipse pro omnibus ad se pertinentibus. Loquitur hic etiam *David* pœnitens de judicio Dei sollicitus et anxius, maxime in exitu vitæ præsentis. Quis enim necesse non habeat clamare in illa hora mortis suæ? *Pone*, inquit, *Domine custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis*, quam videlicet custodiam, quod ostium non habet, quisquis justificat se, quisquis confidit se ipsum coram Deo justum apparere. Habebat autem ille, qui dixit : « Si voluerit contendere mecum, non potero ei respondere unum pro mille. » Ac deinceps : « Si justificare me voluero, os meum condemnabit me. » Item : « Etiamsi habuero quippiam justum, non respondebo, sed meum Judicem deprecabor (*Job* IX, 3, 20, 15). » Nam hoc est, quod hic dicitur : *Corripiet me justus in misericordia et increpabit me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*, videlicet, ne in illa necessitate exstincta lampade mea sine oleo frustra vadam ad emendum. Idcirco quandiu vivo, *justus corripiet me;* adulator autem non decipiet me. Unus homo caput et corpus est : proprium capitis est loqui pro membris, ut lingua nostra personam omnium membrorum suscipit, ipsa pro omnibus verbo fungitur. Charitas unum nos facit cum Christo, sive caput loquatur sive membra. Christus loquitur, sed in voce ejus quisque agnoscat suam. Aliquando dicit quod sibi soli competit, non tamen separat se a nostris verbis. Dicat ergo in persona sua Christus :

VERS. 1. *Domine, clamavi ad te* jam diu, ex quo sanguis Abel de terra clamavit, clamor meus in illius et aliorum testium meorum sanguine propter justitiam occisorum non cessavit. Propterea dico ego Christus tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quoniam *clamavi ad te* non solum a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, quem sequaces Cain fratricidæ occiderunt inter templum et altare, sed etiam clamabo usque in finem sæculi per ora B omnium sanctorum sub altare Dei clamantium, et omnium propter justitiam tribulatorum et tribulandorum usque in finem sæculi. Neque enim cessandum est a clamore tribulatione manente usque in finem sæculi. Pro quo clamore meo et meorum velociter, et efficaciter exaudiendo ego Filius dico tibi Pater : *Intende voci meæ, dum clamavero ad te* sanguine meo et meorum clamante ad te de terra jam sancta, videlicet Ecclesia, quæ credendo et venerando sanguinem passionis meæ aperit os suum in confessione peccatorum suorum et laude nominis tui suscepit et suscipit sanguinem meum certe melius clamantem quam sanguis Abel, quia ille clamans obtinuit vindictam peremptoriam contra unum fratricidam; sanguis vero meus in cruce vel in C monte Oliveti, me orante, fusus obtinuit multis inimicis meis veniam sine vindicta gratis oblatam, et multis cum vindicta non peremptoria, se emendatoria, quam qui patienter sustinuit, et se juste pati confessus est ut latro dicens latroni : « Nos quidem digna factis recipimus (*Luc.* XXIII, 41), » per emendationem vindictæ brevissimæ ac levissimæ consecutus est indulgentiam et vitam æternam. Sic etiam adhuc et usque in finem sæculi momentaneum et leve tribulationis peccata sua confitentibus, et meliora de se promittentibus operabitur supra modum æternæ gloriæ pondus me filio interpellante, atque te, Pater *intendenti voci meæ, dum clamavero ad te*, sanguine meo ad te clamante super altare ac sanguine meorum sub D altare. Sanguis quippe meus clamat super altare vel, ante altare aureum, quando in fide pretiosa super aurum celebratur memoria meæ passionis, in qua bibitur sanguis meus clamosus et clamans per ora eumdem sanguinem digne bibentium, dum vel orant quæ oranda sunt, vel prædicant quæ prædicanda sunt. Sic, sic et me sursum interpellante tanquam super altare, meisque tanquam sub altari clamantibus in terra

VERS. 2. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*, ita ut oratio sit tibi *incensum* charitatis igne conflagratum, de quo ascendat fumus aromatum in odorem suavissimum. Quia vero intentio

et vox orantis tunc erit exaudibilis, quando juvatur per manum bonæ operationis: *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum* sit, videlicet sic acceptabile sicut *sacrificium vespertinum* fuit in lege acceptabilius, quia figura fuit illius veri *sacrificii*, quod ego factus obediens in crucis ara obtuli tibi Deo Patri.

Super hunc locum dicit beatus Gregorius (73): *Quia Redemptor noster juxta mundi finem vim persequentium pertulit, semetipsum pro nobis sacrificium vespertinum dedit.*

Aliter: Vespera nostra finis vitæ est, in quo si digne pœnitentiæ *sacrificium* offerimus, purgamur, ut nemo desperet, qui in fine pœnitet.

Aliter: Qui bona operando vel sacrificando terrena quærit, non cœlestia, sicut illi qui non manducant ut evangelizent, sed evangelizant ut manducent, non levant manus suas neque corda inaniter audientes, quod dicitur: *Sursum corda: habemus ad Dominum.* Quibus dicit propheta: « Levemus corda nostra cum manibus in cœlum (*Thren.* III, 41). » Quod cum in omni opere nostro sit necessarium, permaxime congruit ibi fieri, ubi celebratur memoria illius *vespertini sacrificii*, quod nobis obtinuit matutinum lumen in spe resurrectionis Jesu Christi, qui mortem nostram moriendo destruxit et vitam resurgendo reparavit. Quod nos fideles fideliter credendo, et ipsum, qui pro nobis mortuus est et resurrexit, pure diligendo, *sacrificium vespertinum* offerimus, quando illum pro nobis mortuum veneramur. Matutinum vero sacrificium nobis deputatur, quo jam resuscitatus et in cœlum ad dexteram Dei Patris exaltatus a nobis magnificatur, creditur ac prædicatur dignus accipere virtutem, et divinitatem et sapientiam, et honorem, et gloriam, ita ut omnis lingua confiteatur quod Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. Quod nunc sequitur, non capiti, sed membro ejus cuilibet congruit fideliter psallenti ac dicenti:

VERS. 3. *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis*, ita ut neque cogitatio iniqua sapiat in ore cordis, neque per labia stultum quid contra Deum erumpat. *Ostium circumstantiæ* dicitur proprie, quod janitores cauti undique circumstant, ne intret vel exeat, cui non licet, quod congruo tempore aperitur, congruo clauditur. Sic os nostrum aperiatur ad confessionem peccati, claudatur ad excusationem talem, permaxime quæ fieri solet per verba malitiæ, quod summum vitium est in superbis inique se excusantibus, et arguenti veritati acquiescere nolentibus, unde ait Samuel Sauli: « Quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere (*I Reg.* XV, 23). » Contra hoc maxime vitium claudendum est oris ostium, ne aperiatur in verba malitiæ.

Super hunc locum dicit beatus Gregorius (74): *Studiose lingua sub magni moderaminis libratione frenanda est, non insolubiliter obliganda, ne aut laxata in vitio defluat, aut restricta etiam ab utilitate torpescat. Quod bene Psalmista considerans brevi postulatione complexus est dicens:* Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis. *Ostium namque aperitur et clauditur. Qui ergo ori suo nequaquam poni obstaculum, sed ostium petiit, aperte edocuit, quod et disciplinam retinere lingua debeat, et ex necessitate laxari, qualenus os discretum congruo tempore vox aperiat, et rursum congruo taciturnitas claudat. Hinc namque per quemdam sapientem dicitur: Sapiens tacebit usque ad tempus, ut nimirum cum opportunum considerat, postposita censura silentii loquendo, quæ congruunt, in usum se utilitatis impendat. Hinc Salomon ait:* Tempus tacendi, et tempus loquendi. *Discreta quippe vicissitudine pensanda sunt tempora, ne aut cum restringi lingua debet, per verba se inutiliter spargat; aut cum loqui utiliter potest, semetipsam pigre restringat.*

Sane discretio hæc loquendi et tacendi, prout expedit, quia non est in humana potestate, cum nemo hominum possit linguam domare, idcirco peto ego David a te Domine, qui omnia potes, ut *ponas custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis, et*

VERS. 4. *Non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis.* Cum unus ex membris hic orat, ego David, ego Christus hoc oro, qui et in eis esurio et sitio, propter quos minimos meos in judicio dicturus sum: « Esurivi, et dedistis mihi manducare (*Matth.* XXV, 35). » Sic et modo pro eis et in eis oro dicens tibi: Pater, *non declines cor meum*, id est meorum *in verba malitiæ*, ut vel per casum vel necessitatem vel alio modo culpam suam excusent *cum hominibus operantibus iniquitatem*, quorum primi fuerunt Adam et Eva suas culpas nequiter excusantes, et a se in serpentem, imo et in serpentis Creatorem transferre conantes. Quos adhuc sequuntur multi eorum posteris homines videlicet *operantes iniquitatem*, et ea transferentes vel in carnis fragilitatem tanquam in mulierem seductam a serpente diabolo, vel in ipsum diabolum serpentem antiquum. Talibus ego *David* non consentiam, *et non communicabo cum electis eorum. Electos eorum*, non Dei, eos dico, quibus non sufficit se mendaciter excusare, sed et aspernantur cæteros inflati falsa justitia et alieni a vera. His *non communicabo*, vel ut alius codex habet: *Non combinabor. Combinati* dicuntur, quando duo simul ligantur, ut alter alterum impediat ne sit fuga libera. *Non* igitur istis *communicabo* vel *combinabor*, ut, sicut illi, cupiam falsa laude mulceri et haberi tanquam excusatus a peccatis meis. Pro quibus

VERS. 5. *Corripiet me justus* vel Deus, vel quilibet frater bonus, vel certe animus meus me carnem

(73) Lib. XX Moral. cap. 2.

(74) Lib. VII Moral. cap. 17.

quasi vir uxorem. *Corripiet me*, inquam, non in furore vel ira, sed *in misericordia;* primo inter me et ipsum solum, deinde adhibens testes. Quod si eos non audiero, increpabit me aperte peccata mea, dicens Ecclesiæ. Quod ita volo et oro fieri, videlicet *corripi et increpari* a justo justitiæ zelo accenso, non tamen sine *misericordia*, sed *in* ea *misericordia*, quam sibi corripiens juste vellet impendi, si ut ego esset corripiendus. *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Quid per appellationes capitis, nisi ea, quæ principatur corpori, mens vocatur? Impinguat igitur oleum caput peccatoris, cum demulcet mentem favor adulantis*, ait beatus Gregorius (75). Nolo ego *David* istud *oleum*. Sed nec ipsi adulatores *olei* hujus venditores illud volent, si quandoque per justos increpantes resipiscent, quod utique in pluribus adimplebitur, *quoniam adhuc* in futuro multi ex talibus convertentur, *et oratio mea*, qua docui ego *David*, ego Christus non terrena lucra vel humanas laudes peti, sed adventum regni Dei, et peccata dimitti, et in tentationem non induci, et liberari a malo. Hæc, ut dixi, *mea* et meorum *oratio*, vel etiam illa, qua interpello sursum pro meis, erit *in beneplacitis eorum*, ut placeat eis talia petere, qualia docui ego petenda, et qualia oravi in monte Oliveti orans pro eis, non pro mundo, non ut ante tempus suum tollerentur de mundo, sed ut servarentur a malo: et ut dilectio, qua dilexisti me, Pater, in ipsis sit, et ego in ipsis. Quibus autem non placet, ut oratione mea per me ordinata sint oratores, eo quod arbitratu suo et fastu proprio sunt judices potentes, docti, qui de moribus judicant, pro quibus corrigendis non erant prompti ad judicandum, pigri ad orandum, tales judices eorum, tales magistri eorum.

Vers. 6. *Absorpti sunt*, quia vel mare illos cum Pharaonis exercitu absorbuit, vel cum Dathan et Abiron terra deglutivit justo judicio, quia erant *juncti petræ* per verisimilitudinem veritati, quæ est *petra*, vicini; sed non erant super me *petram* fundati neque philosophi neque maligni hæretici verbis exquisitis et politis plurimos evertentes. Ex quibus tamen conversi aliqui *audient verba mea* potius quam verba illorum, *quoniam potuerunt*, et tanquam potentiora verbis eorum prævaluerunt, atque ita *verba mea* verbis eorum comparata et collata eadem absorbuerunt et annihilaverunt sicut virga Moysi virgas magorum absorbuit, quia illa *potuit* contra eas, illæ autem contra eam nihil potuerunt. Sic et *judices eorum*, magistri videlicet mali malorum seorsum loquentes in suis conventiculis aut scholis discolis videbantur esse aliquid et dicere aliquid; sed *juncti petræ absorpti sunt*, quia Christo, qui *Petra* est, collati *absorpti sunt* et annihilati per doctrinam Ecclesiæ supra *petram* fundatæ, quæ aperuit os suum, sicut Joanni revelatum est, et absorbuit flumen putidum, quod misit draco diabolus de ore

A suo (*Apoc.* xii, 16), hæreticis illo inspirante docentibus falsitatem contra veritatem, quæ *petra* solida est, cujus *verba* verbis hæreticorum potentiora *potuerunt* et prævaluerunt per infirma hujus mundi et contemptibilia, quæ tanquam stercus contempsit hic mundus; qui tamen ex eo quod contempsit, accepit pinguedinem, ut inde seges Ecclesiæ feracius pullularet, quia « mors sanctorum pretiosa in conspectu Domini (*Psal.* cxv, 15), » sed contemptibilis in conspectu mundi ad tempus visa est, ita in tumulis clausa clausis eorum corporibus, ut nihil exinde boni proveniret super terram. Sed

Vers. 7. *Sicut crassitudo terræ* super terram *erupta est*, vel erumpens impinguat terram, sic morte sanctorum sancta Ecclesia impinguata et fecundata
B est in segetes multas.

In Hebræo legitur: *Quia et adhuc oratio mea pro malitiis eorum, sublati sunt juxta petram judices eorum, et audient verba mea, quoniam decora. Sicut agricola, cum scindit terram, dissipata sunt ossa nostra in ore inferni.*

Aliter: *Crassa terra*, inculta spinas et tribulos, urticas aliasque inutiles herbas germinat. Sic natura humana in Adam fuit crassa et otiosa, qui positus in paradiso, ut operaretur et custodiret illum, noluit operari, et ex abundantia liberi arbitrii negligens mandatum præsumpsit gustare fructum ligni vetiti; propter quod maledicta terra, ipsa videlicet natura humana ultro germinat vitia et in ra-
C dicibus cogitationum et in fruticibus actionum vitiosarum. Sed sicut agricola proscindit terram ne ultra luxuriet, ita dissipavit *ossa nostra*, scilicet interiora nostra, ubi osseos nos esse decebat, quia infirmos nos et fragiles fecit *secus infernum* projectos, et illi maledictioni addictos, qua dictum est Adæ: « Maledicta terra in opere tuo, » etc., usque « in sudore vultus tui vesceris pane tuo (*Gen.* iii, 17-18). »

Huic sensui concordat illud quod, ut dictum est, in Hebræo legitur: *Sicut agricola cum scindit terram, dissipata sunt ossa nostra in ore inferni*. Sive dicatur *secus infernum*, sicut noster codex habet; sive *in ore inferni*, sicut Hebraica veritas habet; idem sensus est in corde fidelium conquerentium,
D quod *sicut crassitudo terræ*, quando erumpit *super terram*, lues in hominibus late diffunditur: sic superbia malorum tabe suæ malitiæ corpora martyrum sauciat, qui sunt *ossa* et firmamentum fidei. Et hoc facit *secus infernum* sive *in ore inferni. Secus infernum*, non tamen *in inferno; in ore inferni*, non tamen *in ventre inferni*, quia, etsi communi morte moriuntur, per quod *secus infernum* vel *in ore inferni* esse deputabuntur, tamen in vita æterna erunt juxta illud: « Qui credit in me, non morietur in æternum (*Joan.* xi, 26). » *In inferno* sunt, qui manentes in vitiorum profundo suum periculum contemnunt juxta illud Sapientis dictum: « Peccator

(75) Hom. 12, in Evang.

cum venerit in profundum, contemnet (*Prov.* XVIII, 3). » Longe vero ab *inferno* essent, si angelis immortalibus in beatitudine sociati ultra peccare non possent. Nunc autem *secus infernum* vel *in ore inferni* sunt, quia peccandi et non peccandi habent arbitrium, liberum quidem a necessitate vel ad malum cogente vel bonum prohibente, sed non liberum ab infirmitate. Quæ tamen infirmitas carnis prompto ad bonum spiritui non oberit:

VERS. 8. *Quia ad te, Domine, Domine, oculi mei. Ad te*, non ad minas adversariorum sunt *oculi mei*, *oculi* mentis, *oculi* fidei semper, ut alias dixi ego *David:* « Oculi mei semper ad Dominum (*Psal.* XXIV, 15), » et multoties *oculi* quoque corporei levantur in cœlum. Et ut clarius pateat, quod quasi obscure dixi: *Ad te Domine, Domine, oculi mei*, evidentius dico: *In te speravi, non auferas animam meam;* sed conserva eam contra eos qui, etsi corpus occidunt, animam non possunt occidere, per quos rogo: *Non auferas*, id est permittas *auferri animam meam*, etiamsi permittas auferri exteriora bona ut beato Job; sed quemadmodum de illo dixisti Satanæ: « Verumtamen animam illius serva (*Job.* II, 6): » sic *non auferas;* imo sic tuere *animam meam*, tu *Domine*, *Domine*. Quem bis *Dominum* dico, quia causa gemina est, pro qua tibi servitium debeo, quem, cum non essem, de nihilo condidisti, perditumque misericorditer reformasti. Tu ergo, *Domine, Domine*, in quem spero,

VERS. 9. *Custodi me a laqueo* fraudulentæ astutiæ, *quem statuerunt mihi, et a scandalis* violentæ mali- A tiæ non solum cogitantium, sed etiam *operantium iniquitatem*. Quæ *iniquitas*, quandiu fuerit complicata quasi piscantium vel etiam venantium retia otiosa non est nimium periculosa; sed cum extensa fuerit in longum et latum, in latum luxuriæ dilatata, in longum pertinaciæ obstinatæ,

VERS. 10. *Cadent in retiaculo ejus peccatores. Cadent* in tentatione, qui prius quam tentarentur, stabant, ut ipsi mei discipuli, quibus dixi: « Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem (*Matth.* XXVI, 41). » Quibus cadentibus et me relicto fugientibus ego Christus in passione mea *singulariter sum*, *donec transeam* ex hoc mundo ad Patrem. Tunc post liquefactam terram, post infirmitatis humanæ fragilitatem in præcipuis corporis mei membris demonstratam, B ego a morte resuscitatus confirmabo columnas ejus, quia in resurrectionis fide fiducia concipitur, ne mortem corporum timeant, quorum resurrectio ex mea resurrectione sperabitur. Interim *singulariter sum* et quasi solitarius in tecto *sum, donec transeam;* et cum transiero, multiplicabor, quia ego granum frumenti mortificatum passione, qua in terram cadam sepultus in eam, cum resurrexero, multum fructum afferam discipulos meos confortando, et ipsos mittendo in mundum universum ad multum fructum colligendum.

Gloria Patri Domino, ad quem Filius clamat; *Gloria Filio*, qui ad Patrem clamat; *Gloria Spiritui sancto* igni æterno, quo inflammata oratio dirigitur sic- C ut incensum in conspectu Domini.

PSALMUS CXLI.

Voce mea ad Dominum clamavi. Titulus psalmi hujus est:

(VERS. 1.) INTELLECTUS DAVID, CUM ESSET IN SPELUNCA ORATIO (*I Reg.* XXIV).

Qualiter *David* fuerit *in spelunca*, historia docet, a qua tamen removet titulus, qui habet: *Intellectus David* monens ab historia levandum sensum psallentis ad intellectum spiritalem. Igitur *David in spelunca*, Christus in carne vel in sepulcro, vel ipse cum membris in sæculo, ubi salvari a Saule, id est a diabolo principe orat. Unde et psalmus iste quintus intitulatur *oratio*, in cujus prima parte orans totus Christus mala sua summatim commemorat. Secundo finem eorum ibi: *Clamavi*. Igitur intentione docens quid nobis faciendum est, dum manemus in carne, ait *in spelunca:*

VERS. 2. *Clamavi ad Dominum voce mea* interiori, et repetit: *Voce mea*. Sed quia clamant, etiam qui blasphemant, qualiter clamaverit exponit: *Deprecatus sum*. Igitur *voce mea*, *voce* non blasphema, sed *oratoria* et *deprecatoria* sæpe affectus tædio hujus vitæ *clamavi ad Dominum* gemino clamore, oris et cordis, quo clamore *vocis* exterioris et interioris optabam dissolvi et esse cum Christo. Quid enim *clamavi?* Quid *deprecatus sum?* Quam *orationem* effundo in conspectu ejus? *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo*. De custodia, inquam, D de carcere hujus captivitatis, ubi Deum meum videre non possum pro reatu primi parentis, qui expulsus de luce paradisi hic omnes nos quasi in carcere genuit. Ad hoc pertinet iste titulus psalmi: *Intellectus David, cum esset in spelunca*. Principaliter quidem, sicut dictum est, Christum spectat, cum esset adhuc *in spelunca*, scilicet in carne mortali et passibili, Saule. id est morte persequente; secundarie vero quemcunque fidelem cupientem educi de hac misera vita tanquam de custodia. Hoc et metuens cupit, et cupiens metuit. Quod et ego David, ego psallens cum David cupiens metuo, metuens cupio: et ideo cordis metuentis et cupientis æstum ferre non valens inclusum, hominibus quidem absconditum, sed Deo notum,

VERS. 3. *Effundo in conspectu ejus orationem* A *meam*. *Effundo* ut purum fontem de secreto cordis manantem. *Effundo* copiose, quia præ anxietate suspiro, et tanquam inundantes aquæ sic rugitus meus. *Effundo in conspectu ejus*, ubi videt ipse, qui reddet in abscondito juxta illud : « Clauso ostio, ora Patrem tuum, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi (*Matth.* VI, 6). » Hac spe in tribulatione orans ad ipsum clamo *et tribulationem meam ante ipsum pronuntio*, quæ tribulatio est

VERS. 4. *In deficiendo spiritum meum*, id est dum deficit *spiritus meus*, cujus defectus est *ex me*, culpa mea exigente, ut in me deficiat *spiritus meus*, ita ut omnino viribus meis destitutus deficiam, nisi me reficiat spiritus tuus bonus, qui deficiente *spiritu meo* non deficit. *Spiritus* vero *meus* ideo de- B ficit, ne de viribus meis præsumam, et inde magis deficiam, quia « qui se existimat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit (*Gal.* VI, 3). » E converso autem, qui defectu sui spiritus humiliatus nihil boni a se sibi esse intelligit, illum spiritus tuus bonus indeficiens dirigit vel in via mandatorum vel in semitis angustis consiliorum tuorum. De via mandatorum dicitur : « Si vis ad vitam ingredi, serva mandata (*Matth.* XIX, 17), » qualia sunt : Non occides; non mœchaberis; non furtum facies; non concupisces rem proximi tui, et cætera talia omnibus volentibus ad vitam ingredi proposita et imposita. Sed de semitis dicitur : « Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, C et veni, sequere me (*Matth.* XIX, 21). » Item : « De virginibus præceptum Domini non habeo; consilium autem do (*I Cor.* VII, 25), » ait Apostolus hortando ad semitam angustam, sed non præcludens latam viam. Dixit enim : « Virgo si nupserit, non peccavit (*I Cor.* VII, 28), » videlicet ante castitatis votum; nam si nupserit post votum peccabit, quia primam fidem irritam faciens damnationem incidet, quam sine condigna pœnitentia non evadet. Ego autem in tuis consiliis quasi per *semitas* angustas ambulare destinavi. Sed perturbantibus me undique hostibus usque adeo perturbor, ut jam præ nimietate angustiæ defecerit *spiritus meus*, et existimer nec stare nec ambulare in *semitis* aut via justitiæ. Sed *tu* vides, nec *cognovisti semitas meas* D in quibus adhuc, te juvante, sto, quandiu fulcior spiritu tuo, deficiente *spiritu meo*, quia meis viribus evadere non possum laqueos mihi positos. Etenim *in via hac qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi*. Suo arbitratu posuerunt *laqueos in via*; sed revera extra viam positi sunt *laquei* eorum, extra Christum, extra te, qui dicis : « Ego sum via et veritas et vita (*Joan.* XIV, 6). » *Laquei* sunt non solum hæreses ac schismata ab Ecclesia Dei separantes, sed etiam pravæ in Ecclesia consuetudines, quibus magis approbatur malum inolitum quam bonum insolitum. Laqueis istis me angustiantibus, et inimicis tam domesticis quam extraneis undique frementibus,

VERS. 5. *Considerabam ad dexteram et videbam, et non erat qui cognosceret me*. *Considerabam ad dexteram* respiciens ad æterna, et *videbam* quæ mali ad sinistram ponendi non vident; et in æternorum bonorum spe consolarer de imminentis angustiæ tribulatione in his diebus malis, in quibus abundat iniquitas, refrigescit charitas multorum. *Et non erat qui cognosceret me*, quia noti mei recesserunt a me *David* Christiano, dum favent Antichristo. Vel discesserunt a me vero *David* Christo, quando nec apostoli stabant ad dexteram, sed, relicto me, omnes fugerunt mortis formidine illos perterrente. Illi quidem fugerunt, sed ego non fugi, quia *periit fuga a me*. Aliquando fugiens in Ægyptum latui adhuc puer; fugiens quoque aliquando abscondi me ab inimicis me præcipitare vel etiam lapidare volentibus, quia nondum venerat hora mea, nec congrua fuit mihi mors a me non præordinata per manus lapidare seu præcipitare volentium. Sed postquam venit hora mea, et mors crucis mihi fuit intentata, sicut a Patre meo fuit præordinata, fugere nolui, quia tunc *periit fuga a me*, cum non decebat me fugere.

Aliter : *Fuga* duobus modis *perit*, videlicet a concluso, qui fugere non potest obsessus undique, ut Petrus in carcere, custodientibus carcerem quatuor quaternionibus militum. *Perit* quoque a forti *fuga*, qui, cum possit fugere, non vult, cavens imitari mercenarium qui, videns lupum venientem, fugit, vel ignavum militem qui, projectis armis, fugit de prælio, non audens ex adverso resistere hosti. Utroque modo *periit fuga a me* David, *a me* pusillo, quia tanquam fortis animo fugere nolo, et tanquam infirmus carne simulque ab hostibus undique circumclusus fugere non possum. Et cum victoriosa morte cupiam dissolvi et esse cum Christo, *non est qui requirat animam meam* tollere a me, cupientibus inimicis eam castigari potius in carne afflicta tanquam *in spelunca* tenebrosi carceris quam exire de carcere. Vel *non est qui requirat animam meam* ad imitandum vel consolandum. Inter has angustias

VERS. 6. *Clamavi ad te, Domine*. *Clamavi* ego Christus in cruce, dicens : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? » (*Matth.* XXVII, 46.) *Clamavi* ego Petrus in carcere vinctus ab Herode. *Clamavi* ego Ecclesia vel ego ecclesiastica persona in qualibet angustia mea supergrediente vires meas. *Clamavi ad te, Domine*, qui dominaris in cœlo et in terra. Dixi clamans : *Tu es spes mea* in hac terra morientium, in qua *spes*, nondum *res* me consolatur sperantem bona invisibilia quæ non video, sed eris *Portio mea in terra viventium*, in qua fidei *spes* et *spei* succedet res. Hic ergo tu, Pater, *spes mea*, id est meorum *es*, quia illi te non vident, in quem sperant. « Quod enim videt quis, quid sperat? (*Rom.* VIII, 24.) Sed ego in mea persona te semper video, quia ego et tu Pater unum sumus. Attamen *spem meam* te dico, quia membra mea in te sperantia in me transformo, et eorum voce psallens tibi dico :

Tu es spes mea quasi facie tua nondum mihi visa, A cum tu in me semper et ego in te sim. Dico etiam ex voce meorum, quod tu es *portio mea in terra viventium*, cum non *portio* mea, sed universitas mea sit *in terra viventium*, quam distribuo prout volo, sicut uni meorum dixi : « Hodie mecum eris in paradiso (*Luc.* XXIII, 43), » qui est *terra viventium*. *In* qua *terra*, quisquis erit mecum, dabo et manifestabo ei me ipsum, ut ego ipse *portio* sim viventium *in terra viventium*, quæ illis promittitur, de quibus dicitur : « Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram (*Matth.* V, 4). » Item : « Mansueti autem hæreditabunt terram (*Psal.* XXXVI, 11). » De qua *terra* quia longe peregrinans exsulo ego David, ego imitator psallentis et pœnitentis David, qui supra in principio psalmi clamabat *deprecatus sum*, timens B ne deprecatio mea in oblivionem veniat, rursum clamo et dico :

VERS. 7. *Intende ad deprecationem meam* tu, Domine, ad quem clamans *deprecatus sum*. *Intende*, obsecro, mihi David nimis anxiato, *quia humiliatus sum nimis*, dum et ego intus humilio me coram te non audens vel oculos ad cœlum levare, sed percutio pectus meum, dicens : « Propitius esto mihi peccatori (*Luc.* XVIII, 13), qui peccavi super numerum arenæ maris, et multiplicata sunt peccata mea, et non sum dignus videre altitudinem cœli præ multitudine iniquitatis meæ. Dum ergo sic me intus humilio, et foris quoque a persequentibus humilior et premor, necesse mihi est ut tu, qui omnia scis, C et nihil unquam obliviisceris, *intendas*, id est ostendas te ad deprecationem meam *intendere quia humiliatus sum nimis*, ego egenus et pauper inter divites, ego infirmus inter fortes, ego despectus inter famosos persecutores et oppressores. Quod intendens et perpendens, imo cum sis intentus *intendere* te ostendens, *libera me a persequentibus me*, *quia confortati sunt super me*, dum eorum crevit numerus, abundante iniquitate ac refrigescente charitate multorum, nec est qui eorum fortitudini et multitudini valeat resistere, nisi tu fortis et potens in prælio digneris contra eos accingi gladio tuo super femur tuum, potentissime, qui, si vis, potes et corpora et animas liberare, sicut liberasti me David servum tuum de gladio maligno visibilium et invisibi- D lium hostium. Sed quidquid fiat de corpore meo, si vis, crucifigendo ut corpus Petri, si vis, liberando ut corpus Joannis in pace quiescentis, animam meam custodire dignare, pro qua oro dicens :

VERS. 8. *Educ de custodia animam meam*, seu de carcere, ut confiteatur, sive *ad confitendum nomini tuo*, ut vere sciens me ab Herodiana malitia et omni exspectatione malignorum liberatum possim confiteri ac dicere : « Nunc scio vere quia misit Dominus angelum suum, et eripuit me de manu Herodis, et de omni exspectatione (*Act.* XII, 11) » malorum mala de me desiderantium, et fiat de me sola, et tota exspectatio justorum, quia *me exspectant justi*, *donec retribuas mihi*. Et me verum David *in* sepulcri *spelunca* positum *exspectant justi*, videlicet apostoli, donec resuscitatus et de *spelunca* sepulcri evocatus accepta retributione passionis appaream illis, quia gloria resurrectionis erit retributio ignominiosæ passionis. Hoc de me vero David Christo *justi exspectant*, cum in *spelunca* sepulcri teneor signato super me lapide cum custodibus. Hoc etiam de *me justi* apud infernalem carcerem detenti *exspectant*, in quem carcerem descendet anima mea, pro qua oro, dicens : *Educ de custodia animam meam*, quam etiam in manus tuas, Pater, moriens in cruce commendo. Inter hæc omnia, cum *in spelunca* vel sepulcri secundum corpus, vel inferni secundum animam oro : *Me exspectant justi* homines et angeli, *donec retribuas mihi* sic humiliato, dans nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine meo, quod est *Jesus*, omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum ; et omnis lingua confiteatur, quia ego Jesus in gloria paternæ majestatis ero.

Similiter etiam de me qualicunque psalmista exemplo David pœnitente ac sapienter psallente congruit intelligi, quod hic psallo dicens : *Educ de custodia* vel carcere *animam meam*. Quod dicens ego *David* non hic opto mortem communem, qua de carcere carnis educentur animæ malorum et bonorum, sed mortem pretiosam in conspectu Domini, qua et nunc anima mea, licet manens in carne, tamen a carnis vitiis maneat libera semper *ad confitendum nomini tuo* ; et expleta obedientia in carnis carcere manendi, quandiu tu vis, quandiu expedit vel necessarium est mihi vel aliis quoquo modo ad me pertinentibus, tunc etiam per somnum carnis in idipsum dormientis et requiescentis educatur *anima mea de custodia* vel carcere corporis ; quod quandiu corrumpitur, aggravat animam, cum terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantem.

Est quoque alius modus de isto carcere, de ista *spelunca*, de ista *custodia* eductionis, quam desidero, dicens : *Educ de custodia* vel carcere *animam meam*, ut videlicet *anima mea* usque ad horam suæ de hac vita vocationis maneat in corpore, non tanquam in *custodia* carcerali tenebrosa, sed tanquam in tabernaculo militari undique luminoso; ut ille, qui de se, suisque similibus dixit : « In carne manentes non secundum carnem militamus (*II Cor.* X, 3) : nostra autem conversatio in cœlis est : unde etiam exspectamus Dominum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ (*Philipp.* III, 20, 21). » Miles iste castrorum Dei hæc dicit, licet fuerit in corpore, tamen ipsum corpus non fuit ei pro carcere tenebroso, unde non posset levare mentis intuitum usque in cœlum ; sed erat ei pro tabernaculo militari habens undique prospectum, videlicet non solum ad occidentem Dominicæ passionis et mortis in cruce, sed etiam ad orientem Dominicæ resurrectionis. Item cum diceret : « Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes cœlos, ut adim-

pleret omnia (*Ephes.* iv, 10), » de luminoso tabernaculo suo sursum deorsumque prospiciens, cum vidit implentem omnia, in ipso vidit omnia, in quantum erat conveniens homini adhuc militanti, nondum plene regnanti vel sabbatizanti. Sic obsecro, Domine Jesu, ut tu nunc eductus de *spelunca* sepulcri et regnans in palatio cœlesti educas me de carcere carnis ut, exemplo Pauli mea conversatio sit in cœlis, et libera sit anima mea semper *ad confitendum nomini tuo*, qui es in cœlis, ubi *me exspectant justi*, nunc de carcere carnis penitus liberati; *donec retribuas mihi*, quo modo retribuisti et illis pro fide servata pro bono certamine, pro cursu consummato coronam justitiæ, qua illi, qui modo coronati sunt, *exspectant* alios coronandos, prout acceperunt divinum responsum sustinendi B adhuc modicum, donec impleatur numerus fratrum suorum. In Ecclesia quoque adhuc peregrinante *me exspectant justi, donec retribuas mihi* retributionem viaticam, qua decenter adjutus perveniam ad æternam. Fiat mihi secundum quod illi *exspectant* in hoc ipso *justi* et boni, quia bona mihi retribui pro malis desiderant et *exspectant* ea exspectatione, de qua dicitur : « Exspectatio justorum lætitia (*Prov.* A x, 28). » Sic exsultent et lætentur qui volunt justitiam meam, et dicant semper : « Magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi ejus (*Psal.* xxxiv, 27), » pacem videlicet in serviendo tibi Domino, cui servire est regnare.

Aliter ex dictis Augustini exponentis hunc psalmum : *de custodia* educi postulat, qui in carnis corruptione, quæ pœnalis est, ut in carceris *custodia* patitur angustias. *De custodia* quippe in corruptione, quæ est pœna corporis, angustiatur. Post quas angustias in domo Dei tota vita erit confessio, id est, laus Dei. Modo impedit carcer confiteri. Hic carcer vel *spelunca* mundus potest dici, ubi omnia vana, unde rogat educi *anima*, quæ inde multa patitur. Vel carcer dicitur corpus, sed non est magnum exire de corpore, quod et mali habent, et omnis cito vel sero; nec est charitas si justus hoc nimis festinat. Vel potius corpus est carcer, non quod Deus bonum fecit; sed corruptio ejus ex peccato, de qua vult educi, ut fiat incorruptibilis. Merita carcerem faciunt. Unde habitaculum incluso carcer est, custodi domus. Libertas domum facit, servitus carcerem. Ita non caro, quam Deus fecit; sed corruptio ejus et tentatio carcer est.

PSALMUS CXLII.

—

Domine, exaudi, etc. Titulus :

(Vers. 1.) Psalmus David, quando eum persequebatur filius suus.

Historia nota est. Sicut Absalon persecutus est *David* (*II Reg.* xvii), ita Judas Christum, et falsi fratres ejus corpus Ecclesiam; et unumquemque motus carnis illiciti. Contra hanc persecutionem orat hic Christus totus. Est autem psalmus iste pœnitentialium septimus, in quo primo per exordium captat [Deest *aliquid*]. Secundo narrat mala sua, et quid egerit contra, ibi : *Velociter exaudi me, Domine. Defecit spiritus meus.* Quarta est læta conclusio, sicut et in cæteris pœnitentialibus, ne quis desperet de venia, ibi : *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Intentione docens pœnitentem D orare ait : *Domine, exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua* : *exaudi me in tua justitia. Et non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Etenim si de solis meritis agitur, nemo justificabitur: propter quod itidem dicit : *Propter nomen tuum, Domine, vivificabis me*, videlicet, ut totum sit gratiæ. Item : *Auditam fac mihi misericordiam tuam, quia in te speravi*, misericordiam, inquam, superexaltantem judicio, dicendo *mane*, id est, in die judicii : « Venite, benedicti Patris mei (*Matth.* xxv, 34). »

C Proinde bene hunc titulum habet hic psalmus : *Psalmus David, quando eum persequebatur filius suus.* Nam præter Christum unum non fuit aliquis *David*, non fuit, nec est, nec erit aliquis adeo manu fortis, qui non genuerit filium, quem infestum patiatur, qui non contraxerit peccatum quo prematur, si intret in judicium cum homine Deus. Dico igitur ego *David*, ego pœnitens ut *David* : *Domine, exaudi orationem meam. Domine* Pater et dominator vitæ meæ, persequente me *filio* meo, peccato meo, tu me orantem *exaudi*, ut non corruam in conspectu adversariorum meorum, ne gaudeat de me inimicus meus Achitopel, consiliarius malus, homo vel diabolus, qui contra me in meam ruinam concitat *filium* meum, id est, aliquod opus meum in oculis hominum speciosum, quemadmodum Absalon fuit speciosus, ut per illud occidar gladio superbiæ de tali opere nimis extollens me. Quod si fecero, expellar de regno quasi per *filium* proprium speciosum pariter et dolosum nimisque insidiosum. Sic de regno ejectus est rex Nabuchodonosor. Per opus proprium quasi per *filium suum* de regno suo ejectus est, cum de opere suo gloriando superbiret ac diceret : « Nonne hæc est Babylon, quam ego ædificavi in robore fortitudinis meæ? » (*Dan.* iv, 27.) Nam cum adhuc sermo esset in ore regis de opere suo gloriantis, vox ruit de cœlo annuntians eum ex hominibus ejiciendum et cum feris deputandum. Sic

et Saul rex nimis elatus de victoria in Amalec facta, per opus, ut sibi videbatur, pretiosum quasi per *filium* speciosum fuit supplantatus usque adeo, ut prophetam se redarguentem contemneret ejusque pallium scindens scindi a se regnum promereretur. Sic multi per opus gloriosum quasi per *filium* speciosum gladio superbiæ vulnerati aut etiam jugulati sunt. Unde in Job legitur de homine, cujus Deus curam habet: « Increpat quoque per dolorem in lecto, et omnia ossa ejus marcescere faciet, ut liberet hominem de his quæ fecit, ut non transeat in gladium (*Job* XXXIII, 17, 18, 19). » Gladium hunc superbiæ non timens in aliquo opere fœdo, quod recogitatum potius humiliat quam extollat, in opere pretioso et speciosO Absaloni assimilato, cujus et cæsaries pretiosa, et facies erat speciosa, magis timeo istum gladium, contra quem nunc oro, dicens: *Domine*, qui solus es auctor cujusque boni, pretiosi et speciosi operis, de quo etiam tibi gloria debetur, tu, *exaudi orationem meam* dans mihi humilitatem veram, dans charitatem quæ non inflatur, quantalibet virtutum sive operum pulchritudo ex illa nascatur; « non » enim « gaudet super iniquitate (*I Cor.* XIII, 6). » adulantium et falsa laude humanas aures demulcentium, « congaudet autem veritati » de omni opere bono soli Deo gloriam adscribenti. Igitur ego *David* pœnitens in hoc ultimo pœnitentiali psalmo fugiens *filium* speciosum *Absalonem*, videlicet illam quoque meam conversationem timens, quæ videtur honesta, ut illa stultitia, qua filios Israel numerari præcepi, unde iram promerui tantam, ut gladio angelico pestilentia desæviret in populum. Pœnitens, inquam, sum non jam de opere fœdo, quod in alio psalmo pœnitentiali deplangens dixi: « Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam (*Psal.* L, 1): » quia tunc pœnituit me intrasse ad uxorem Uriæ, quod erat opus fœdum longe dissimile *Absaloni*, scilicet operi alicui honesto et specioso me nunc persequenti et suggerenti, ut exinde superbiam, quasi mea virtute aut pietate aliquid boni sit actum in operibus meis, in quibus nihil est meum, nisi peccatum et malum bonis Dei donis intermistum. Propter quod in omnibus operibus meis nullum habet locum jactantia, cum sit in omnibus aliquid egens multa pœnitentia. Sed tamen quando cogor inter detrahentes, et omnia mea pervertentes vel cum sancto Job vel cum Paulo apostolo narrare mea dicta vel facta, quæ videntur honestatis quadam cæsarie formosa, timeo *Absalonis* dolum, ne forte obruat me proprium factum, sicut Samsonem legimus obrutum facto virtuoso, quando columnas duas concussit, quibus cadentibus ruente quoque domo eisdem columnis innixa ipse fuit obrutus (*Judic.* XVI, 30). Sic etiam in libro Machabæorum legitur de illo fortissimo milite Eleazar, qui elephantem interfecit, quod sub elephante ruente ipse obrutus interiit (*I Mach.* VI, 47). Sic multi virtuose agentes ipso virtutis pondere obruti sunt, quando

A exinde non virtutis auctori gloriam quæsierunt; sed sibi.

Tales ab opere proprio quasi a *suo filio* de regno ejecti magna pœnitentia indigent, per quam talis *Absalon* occidatur, quatenus patrem suum non persequatur, sed ipse mortuus Patri suo regni sedem relinquat. Quod sine dubio tunc agitur, quando psalmus iste ultimus pœnitentialium psalmorum ex corde canitur, in quo contra omnem extollentiam vanam charitas quæritur, quæ non inflat. Hæc nimirum charitas est ille spiritus, de quo circa finem psalmi Deo dicitur: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*. Adsit igitur mihi psallenti, psalmumque hunc exponenti Spiritus sanctus, quo ducente me in terram rectam, gladium et dolum *Absa-*
B *lonis*, qui multiformis est, evadam. Nempe sicut *Absalon* patrem suum *David* persecutus est, sic Judas Christum, falsi fratres corpus ejus, vel illiciti motus et prava operatio, maxime illa, quæ specie honestatis aut bonitatis velata est, unde et fallere vel extollere potest ut se ipsum seducat, qui se existimat aliquid esse, cum nihil sit. Est et hoc animadvertendum, quod *Absalon* specie formosus, opere turpissimus erat, et usque adeo fœdissimus, ut a sui patris concubinis non se contineret, quas in conspectu solis, in notitia multitudinis fœdando illos hostes veri David præfiguravit, qui « lætantur, cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis (*Prov.* II, 14). » Contra hunc multiplicem *Absalo-*
C *nem* fugiens a facie ipsius psallo et dico:

Domine, exaudi orationem meam, qua mala mea timens, bona tua peto. Etiam bona opera mea omnia verendo tanquam non sincera, tua vera et sincera bona orans peto et desidero, ipsumque desiderium est oratio, cui accedit *obsecratio*, cum per sacramenta passionis aut resurrectionis aliaque talia pulsans ad januas divinæ clementiæ dico: *Auribus percipe obsecrationem meam. Aures* tuæ sunt clementia et potentia, quas duas *aures* novit, qui dixit: « Domine, si vis, potes me mundare (*Matth.* VIII, 2). » Denique statim expertus et in voluntate tua clementiam, et in opere potentiam, quod quæsivit obtinuit, quia sine dilatione mundatus est, exauditus videlicet per duas *aures* clementiæ et potentiæ.
D *Auribus* istis, quæso, Domine, *percipe obsecrationem meam in veritate tua*, ut tu verax inveniaris, qui pœnitentibus veniam, misericordibus misericordiam promisisti, qui pro persequentibus oranti soles misereri. En ego *David* misereor *Absalonis* me persequentis, pro salute cujus mori vellem, si possem, propter quod dico: « Fili mi Absalon, quis mihi det, ut ego moriar pro te, fili mi Absalon (*II Reg.* XVIII, 13). » En ego verus *David* pro me persequentibus in cruce oro, dicens: « Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII, 34). » En ego Christianus pro me persequentibus oro, eisque veniam opto. Unde justum est mihi quoque veniam dari quam peto, dicens: *Exaudi me in tua justitia*, « ut justificeris in sermonibus tuis

(*Psal.* I, 6), » in quibus justus et verax invenieris, cum facis quod promittis. Tu veniam promittis veniam dantibus, dicens : « Dimittite, et dimittetur vobis, date, et dabitur vobis (*Luc.* VI, 37, 38). » Quod promittis exigo *in tua justitia*, non in mea, ut tu justificeris et verax inveniaris in sermonibus tuis. *Tua* est *justitia*, quæ per fidem est, qua verbis tuis creditur. Unde etiam credenti Abrahæ verbis tuis ipsa fides reputata est ad justitiam; *justitia*, inquam, *tua justitia* fidei ipsa est, in qua peto exaudiri, dicens : *Exaudi me in tua justitia*, quæ non est per legem vulnera demonstrantem, sed per gratiam fidei sanantem. Justitia vero factorum quantumlibet recte peractorum, si districte judicentur et examinentur secundum legem, non levant sed gravant : unde et graves erant manus Moysi legem dantis. Et ideo peto, ut

VERS. 2. *Non intres in judicium cum servo tuo*, nec in his actibus, in quibus tibi servire, aut serviisse videor. Nolo multa fortitudine contendas mecum in judicio districto tanquam cum adversario tuo, quia qui suam justitiam statuit quasi virtute sua aliquid fecerit, vere servus tuus dici non potest, quia superbus hostem suum *Absalon* non fugit, sed nutrit, dum sibi suam justitiam attribuit. Ego autem, qui non sum dignus vocari filius tuus, cupio dici et esse *servus tuus*, qui dico : *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Ideo recte a Sapiente dictum est : « Ne laudes hominem in vita sua (*Eccli.* XI, 2); » tanquam si dicat : Lauda post mortem vel vitam, glorifica post consummatam victoriam. Nam quandiu vivit homo in carne mortali, non desunt pericula, non desunt bella, non solum forinseca sed et intrinseca. « Foris pugnæ, intus timores (*II Cor.* VII, 5), » ait Apostolus, utpote necdum securus de se adhuc vivente. Nam et illum suus *Absalon* persequebatur, quando per magnitudinem revelationum perurgebatur ad extollentiam quæ, nec illi accideret, per angelum Satanæ colaphizatus, et tanquam a suo *Absalone* liberatus, nihil boni suæ virtuti attribuens, totum, quod boni habuit, gratiæ Dei adscripsit, dicens : « Gratia Dei sum id, quod sum (*I Cor.* XV, 10). » Quod ergo de me sentio, id ipsum de omni vivente universaliter enuntio : *quia* videlicet *non justificabitur in conspectu tuo*, Deus, *omnis vivens*, etiamsi sibimetipsis vel cæteris hominibus justus videatur, quia nec astra cœli munda sunt in conspectu tuo tui comparatione, licet quædam ex illis tuæ munditiæ participatione munda vel mundata sint. Proinde non mirum quod ego fragilis *David* pavesco judicium tuum, Deus juste, contra quem si volueris contendere judicialiter, non potero stare contra te, utpote infirmus et multis persecutionibus atque tentationibus fatigatus et debilitatus :

VERS. 3. *Quia persecutus est inimicus*, apertus ut Herodes, vel occultus ut Judas : *animam meam*, de quibus dictum est : « Mortui sunt qui quærebant animam pueri (*Matth.* II, 20). » Talis *inimicus humiliavit in terram vitam meam*, dico ego verus *David*, quia morte turpissima *vitam meam* perimere studuit, et postea *collocavit me in obscuris*, in sepulcro videlicet, non mortuum sæculi, quia mortis in me causam nullam habui, per quam essem dicendus mortuus sæculi; sed tamen *sicut mortuus sæculi* sepulturam sustinui, et antequam in cruce traderem spiritum,

VERS. 4. *Anxiatus est in me spiritus meus*, cum tristis esset anima mea usque ad mortem, qua imminente *in me turbatum est cor meum*, quando cœpi tædere et pavere filio meo, discipulo meo velut altero *Absalone* me patrem verum David persequente, atque me justo pro injustis libenter hæc patiente. Quorum quilibet mihi compatiens et complantatus dicat pro se in veritate recognoscens juste, utpote injustum se sustinere, quod ego justus pro injustis volui sustinere; dicat, inquam, pro se, *quia inimicus* diabolus vel quicunque similis Herodi, hosti aperto, vel Judæ sive *Absaloni*, hosti domestico, vel etiam ipse meus exterior homo, *persecutus est animam meam*, ut ipsi animæ meæ tolleret animam suam, *vitam* suam, quæ Deus est, quæ charitas est, quæ *vita* est animæ meæ, sicut anima ipsa vita est carnis meæ. Quam licet penitus occidere non potuerit exstinguendo in ea charitatem vel inspirando ei odium, quod est mors animæ; tamen *humiliavit in terra vitam meam*, dum vel auferens terrena bona, vel ferens terrena mala, fecit me turbari, et ab illa charitatis arce humiliari et incurvari, qua decreveram semper sursum cor habere in charitate vera et sincera, patiente et benigna : patiente in alienis malis tolerandis; benigna in suis bonis erogandis. Hujus charitatis oculo simplici et sereno ac lucido, qui totum corpus illuminat, volui amicos et inimicos intueri diligens illos in Deo, istos propter Deum. Sed inimicus persequens hoc oculum turbando *collocavit me in obscuris*, non tamen ex toto in tenebris, quia « qui odit fratrem suum, in tenebris est (*I Joan.* II, 11). » Qui autem nec perfecte odit, nec perfecte diligit, *in obscuris* est, nec est omnino *mortuus sæculi* carens penitus vita spiritali, sed est utique *sicut mortuus sæculi*, tanquam in extasi.

Talis ego *David* fui persequente me *Absalone* juncto sibi universo pene Israele. Talis et ego peccator cuivis peccatori et pœnitenti *David* consimilis fui hostibus variis me persequentibus, et ad odium fraternum me pellentibus. Quod nunc recognoscens nimium contristor, et *anxiatus est super me spiritus meus*. Quod dico *super me*, idem est ac si dicam : *de me*, quia totius anxietatis perturbatio *de me* mihi est, vel *super me spiritus meus* extensus in altum, et inde profundas mundi hujus miserias prospiciens *anxiatus est* in me, vel *super me* ipse *spiritus meus*. De tali anxietate provenit mihi aliquis fructus pœnitentiæ, qua *in me turbatum est cor meum. In me*, id est contra me *turbatum est cor meum*, quia mihimetipsi graviter irascendo *turbatum est cor meum*. Quid

est enim homo pœnitens, nisi homo sibimet irascens, juxta quod dicitur : « Irascimini, et nolite peccare (*Psal.* IV, 5). » Hoc est, « irascimini » de præteritis peccatis dolendo, « et nolite peccare » de futuris cavendo. In ira tali *turbatum est cor meum* in mea conscientia, vel *in me*, id est contra me. Sed ne tristitia nimia ipsum *cor meum turbatum* absorberet,

VERS. 5. *Memor fui dierum antiquorum*, recolens quod bene fecisti antiquis, licet peccatoribus, tamen sua peccata non amantibus, imo et accusantibus, atque inter flagella tua dicentibus : « Merito hæc patimur, quia peccavimus (*Gen.* XLII, 21). » Et ego de flagellis tuis gratiam tuam sperans *meditatus sum in omnibus operibus tuis*, omnia opera bona tuæ bonitati attribuens; quia « tu dixisti, et facta sunt (*Psal.* CXLVIII, 5) » omnia in principio sæculi, neque adhuc fiunt aliqua bona nisi te dicente seu volente ut fiant. Interque illa, quæ sunt præcipua dicuntur *facta manuum tuarum*, de quibus decenter canitur : « Laudabilis populus, quem Dominus exercituum benedixit dicens : Opus manuum mearum tu es hæreditas mea, Israel (*Isa.* XIX, 25). » In his *factis manuum tuarum* meditabar cogitans, quomodo salvi facti sunt patres nostri in *mari* Rubro et aliis periculis, expandente Moyse suas manus in oratione, quibus expansis vincebat Israel, quibus remissis vincebat Amalec. Et ego similiter

VERS. 6. *Expandi manus meas ad te*, sive inter sacrificandum, sive inter orandum, sive etiam in operando quod bonum est, nihil quærens in his omnibus, nisi tibi soli placere, qui in altis habitas, quique illud sacrificium vespertinum permaxime acceptas, quod expansis in cruce manibus pro me *David* pœnitente obtulit innocens *David* Christus pro toto mundo immolatus. Et quidem scienti omnia loquor; tamen si dicas mihi : quid vis? quid petis? quare *manus tuas expandis*? Dico tibi : *Anima mea sicut terra sine aqua tibi*. Vel sicut in Hebræo legitur : *Anima mea quasi terra sitiens ad te*. Terra *sine aqua* vel nimium duratur, vel in pulverem comminuta evanescit, quando nulli vento resistit. Sic *anima mea* sine rore ac pluvia desursum veniente omnino sicca et nulli fructui per se apta sitiens ad te, imo sitiens te assidue clamat : « Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum; aperiatur terra, et germinet Salvatorem et justitia oriatur simul (*Isa.* XLV, 8). » Sic ad te clamantem

VERS. 7. *Velociter exaudi me, Domine*, ut compleat, impleat, ac reficiat me Spiritus tuus quia *defecit spiritus meus*, ita ut jam sim pauper spiritu non habens in me spiritum inflantem spiritum meum, spiritum superbiæ atque jactantiæ, qui maxime insidiatur, *Absalone*, id est opere aliquo extra specioso, intus fœdo, persequente. *Hic spiritus meus defecit*. Et ideo, qui avertisti faciem tuam a me in spiritu meo superbiente, ut ostenderes mihi me, quod videlicet nihil boni possim absque te; *non avertas faciem tuam a me* nunc humiliato, quia, si avertis, *ero similis descendentibus in lacum*, videlicet in illud profundum infernale, ubi non attenditur, sed contemnitur peccatum et perit confessio. « In inferno enim quis confitebitur tibi? » (*Psal.* VI, 6.) Imo *peccator, cum venerit in profundum contemnet* (*Prov.* XVIII, 3); » atque impius in tenebris conticescet. Ne itaque in has tenebras descendam,

VERS. 8. *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam*. Finita sæculi hujus nocte in resurrectione universali æternitatis luce manifestata, *in illo mane auditam fac mihi misericordiam tuam* in illos quibus dicitur : « Venite, benedicti Patris mei (*Matth.* XXV, 34). » Vel etiam in illo *mane* quando post noctem peccatorum clarescere incipit lux justitiæ, *auditam fac mihi misericordiam tuam*. Vel *mane*, cum nocte præsentis vitæ jam finita egrediens anima de corpore incipit videre, quæ prius non videbat, sive bona, sive mala, sive utraque pro suæ jam transactæ conversationis qualitate. In illo *mane*, quæso, *auditam fac mihi misericordiam tuam*, ut animam meam blande leniterque suscipias de *mane* ad meridiem perducas, ubi pascis, ubi cubas in meridie, in plena luce pascens illic nonaginta novem oves addita illis ove centesima post perditionem reducta. Talia tam grandia petens non prætendo merita operum, quæ districte judicata, si, quod tua pietas avertere dignetur, intraveris mecum in judicium, nullius momenti sunt ad promerendam futuram gloriam fidelibus promissam. Sed hoc solum prætendo : « Quia in te peccavi, » cui dixi : « Tu es spes mea in terra viventium (*Psal.* CXLI, 6). » Hoc jam in antecedenti psalmo expositum, non est iterum exponendum. Sed quia non satis est ad salutem corde credere, ac sperare bona cœlitus promissa, nisi etiam gressibus operum tendatur ad bravium promissum, quo currere, quodque apprehendere, non valeo per me cum sim ignarus viæ, possimque facile abduci per devia ipsi viæ in tantum vicina, ut, si potest fieri, electi quoque inducantur in errorem, tu *notam fac mihi viam, in qua ambulem*, devitans omnes errores electis tuis cavendos, et mihi, tua gratia custodiente, contemnendos et a me transiliendos : *Quia ad te levavi animam meam. Ad te* sursum cor habens *levavi animam meam*, quæ sursum sunt quærendo, non quæ super terram.

Hucusque tanquam contra unum Judam vel Absalonem loquens, et orans numero singulari dixi : *Quia persecutus est inimicus animam meam, collocavit me in obscuris*. Verum quia multi sunt Judæ similes, quos implet Satanas, in quibus ipse Satanas furens expetit electos ad cribrandum sicut triticum, et multi sunt *Absaloni* et *Achitopheli* consimiles, verum David in suis membris persequentes, in suis minimis cribrantes, et velut in torculari calcantes, a singulari numero transit ad pluralem, dicens :

VERS. 9. *Eripe me de inimicis meis, Domine*; quia non fugio a te, sicut fugit Adam, et abscon-

dit se, sed a te irato fugi *ad te* misericordem per pœnitentiam, septem psalmis pœnitentialibus decantatam, sive ploratam, quorum psalmus iste pœnitentialis ultimus est, in quo peto consummari, et a voluntate propria tanquam a Juda vel *Absalone* persequente sic liberari, ut soli tuæ voluntati voluntarie subditus caveam quod non vis, et faciam quod vis. Hoc autem quia non potest homini homo vel angelus angelo, vel angelus homini dare, *ad te* solum qui omnia potes, *confugi*, tibique orans dico assidue :

VERS. 10, 11. *Doce me facere voluntatem tuam.* Non dico nunc : *Doce me scire voluntatem tuam*, quod et per hominem sive per angelum fieri possibile est humana vel angelica voce; sed dico nunc : *Doce me facere voluntatem tuam*, qui docendi modus angelicam et humanam excedit possibilitatem, solique tibi possibilis est cui dico : *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* De hoc docendi modo dicitur in Evangelio : *Erunt omnes docibiles Dei* (*Joan.* VI, 45). Item : *Omnis qui audit a Patre* et *didicit, venit ad me* (*ibid.*). « Beatus » igitur, « quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum (*Psal.* XCIII, 10), » ut faciat voluntatem *tuam*, non *suam*. Sic erudiri cupiens, dico tibi assidue : *Doce me facere voluntatem tuam : quia Deus meus es tu*, et solus hoc facere potes, qui et multos jam sic docuisti, non per voces auribus instrependo, sed spiritum tuum bonum cordibus eorum inserendo. Sic, rogo, facias et mihi : Da, quæso, mihi *spiritum tuum bonum*, et ille *docebit* me *omnem veritatem*, et quæ ventura sunt, annuntiabit mihi prout se habet evangelica promissio, et *deducet me in terram rectam*, quem seduxerat spiritus proprius malus in terram perversam.

Non hæc peto quasi exigente merito meo, sed *propter nomen tuum, Domine*, ut inde lauderis et nominatus atque inclytus medicus ac Salvator agnoscaris, dum non solum sanabis ægrotum, sed etiam *vivificabis me* mortuum quod super excellit omnes artes medicorum, de quibus alias dicitur : *Aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi* (*Psal.* LXXXVII, 11); subaudis : *minime*, quia tibi soli possibile est post mortem vivificare ; sic scilicet, ut vivificatus ultra non moriatur, sed vivat in *æquitate*, non moriatur per iniquitatem, vivat in æquitate non *sua*, sed *tua*. Hoc ego David, ego Christus in persona mea et meorum prophetans oro, et orans propheto certus fieri quod dico : *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, propter nomen tuum, Domine, vivificabis me in æquitate tua.* Est enim *æquitas tua*, Pater juste, ut quomodo per unum mors, ita *per* unum vita ; et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in me novo Adam omnes mihi adhærentes vivificantur. Et sic laudem felici somno pretiosæ mortis *educes de tribulatione animam meam.* Dicat nunc omnis *David*, omnis pœnitens cum David :

VERS. 12. *Et in misericordia tua*, non in meo merito, *disperdes omnes inimicos meos*, ut non possint lædere animam meam sive in corpore militantem sive de corpore jam peracta militia egredientem. Hic inimicos meos disperdes, id est diversis modis perdes alios prosternendo ut Saulum, quem perdens invenisti Paulum, alios projiciendo ut Judam, pro quo perdito substituisti Mathiam. Sed in futuro judicio uno modo perdes *omnes* qui *tribulant* me, ob id maxime odientes me, *quoniam servus tuus sum*. Dices quippe omnibus : « Ite, maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXV, 41). » Tunc omnes me tribulantes insimul perdentur, quod tu, judex juste, ideo facies : *Quoniam ego servus tuus sum*, unus videlicet ex illis minimis, de quibus dices in die illa : *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*ibid.*, 40).

Gloria Patri Filium suum verum David in hoc psalmo exaudienti. *Gloria Filio* pro suis membris hic oranti. *Gloria Spiritui sancto* bono in terram rectam deducenti omnem David, omnem vere pœnitentem. Amen.

PSALMUS CXLIII.

Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium. Abhinc usque ad finem continuæ benedictiones, confessiones, ferventissimæ laudum cantationes, quas fides suggerit, spes concipit, charitas effundit, incipiente David a benedictione et dicente : *Benedictus Dominus Deus meus* qui docet *manus meas* ad prælium, etc. Ejus namque voces sunt, qui bene sibi conscius est, quia secum et pro se habet pugnantem amicum virum Christum, et dicit in contemplatione illius horæ, qua certamen habiturus est cum illo mundi principe sine dubio venturo contra se : *Qui liberasti David servum tuum, de gladio maligno eripe me.* Et ut possim in illa hora gladium illum evadere, interim inquit : *Erue me de manu filiorum alienorum*, id est hæreticorum vel omnium impiorum, *quorum os locutus est vanitatem*, etc. Unde bene in titulo habet :

(VERS. 1.) PSALMUS DAVID IN GOLIAM.

Qui enim *Goliam*, id est diabolum vivens vicit in membris suis, ipse confidens, quod moriens eruatur de gladio ejus maligno, Dominum Deum in hoc psalmo benedicit. Qui psalmus triumphalis agit primo de victoria, qua David singulariter vicit *Goliam*, spiritualiter ipse cum aliis sanctis diabo-

lum, quæ tota victoria inde esse dicitur, quia Christus de ejus semine venit vincere superbiam mundi; unde adventum ejus precatur *David* Christus caput et corpus arma quibus ornatus erat judaicus populus, circumcisio, sacrificia et alia visibilia sacramenta; sed quia lex non potest vivificare, ut prementia, non adjuvantia in tempore gratiæ Christus caput et corpus deposuit legis sacramenta, et quinque lapides, id est ipsam legem, quinque libros illos tulit de flumine, id est in illo populo lapides vacabant inutiles, sed ut lex esset utilis, David accepit gratiam, sine qua non potest lex impleri, quia plenitudo legis charitas, quæ est ex Spiritu sancto. Hoc est mittere lapides in vase pastorali, quo lac mulgere solebat. Sic armatus procedit adversus superbum: Unum lapidem mittit, quia unitas vincit. Percussit in fronte: ex eo loco occidit ubi Christi signum non habuit. Dejecto gladio caput ejus abstulit, quia, quando magni ejus credunt, unde animas trucidabat, contra eum loquuntur, et sic caput gladio suo inciditur. David Goliam, Christus occidit diabolum, id est humilitas superbiam. Deus enim fit humilis, ut superbi, qui humiles sanctos dedignarentur sequi, hunc saltem velint imitari. Dicat ergo David de sua figurali et mystica victoria totius Christi cujus membra sunt omnes Christiani, dicat, inquam, *Benedictus Dominus Deus meus*. Gloria et honor et benedictio Deo meo, *qui docet manus meas*, opera mea dirigens ad bellum contra spiritalem *Goliam*, diabolum scilicet et satellites ejus principes tenebrarum, rectores mundi hujus in maligno positi, luctantes contra me non solum per spiritalia nequitiæ in cœlestibus, illa vitia suggerendo, quibus corrumpitur spiritus, ut est invidia, superbia et alia in hunc modum, sed etiam per desideria carnalia quibus caro concupiscit adversus spiritum; ut his invicem sibi adversantibus non desit mihi *prælium* de quo nunc dico: *Benedictus Dominus*, cujus ego sum servus; *Deus meus*, cujus ego sum creatura; vel *Deus* omnium generaliter per creationem, sed specialiter *meus* per dilectionem, quia prior dilexit me David puerum, me humilem cæteris fratribus meis minorem, deditque mihi, ut ego ipsum diligerem. Inde Deus omnium, *Deus meus*, quemadmodum dicit: *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob* propter ipsorum specialem fidem in eum. Sic et *Deus meus, Deus David, Deus* cujusque fidelis ut *David* recte dicitur, et a talibus benedicitur, dicente unoquoque illorum: *Benedictus Dominus meus, qui docet manus meas ad prælium* de prope gladio peragendum: *et digitos meos ad bellum*, quo dirigantur lapides funda, sagittæ arcu et balistis in longinquum, ad *Goliam* cum suis membris feriendum. Nam sicut gladio percutimus hostes cominus, et funda sive arcu eminus, ita prædicatione præsentes et oratione tangimus absentes, habita in tali prælio discretione qua discernamus ab hominibus vitia quæ discretio notatur in *digitis ad bellum* doctis, ne aut a vitiis parcatur

A propter homines, aut hominis perditioni addicantur propter vitia, si tamen relinquere volunt ipsa vitia. In hoc prælio *Benedictus Dominus Deus meus est*,

Vers. 2. *Misericordia mea*, ut ad bellum procedam non crudeliter intentione aliquos opprimendi, sed misericorditer intentione oppressos liberandi, sicut liberatus est populus Israel interfecto Golia, qui exprobraverat agminibus Dei viventis. Ille percussus est in fronte uno lapide: sic percutiantur omnes inimici Dei et Ecclesiæ superati una fide, una spe, una charitate, una unius corporis indivisibili unitate, maxime hi qui volunt Ecclesiam succidere sectas perditionis introducendo aut agmina Dei viventis persequendo. Quibus quasi *David* parvulo exprobratur, dum eorum paucitas et paupertas

B a superbis *Goliæ* similibus contemnitur. Sed ego David unus quamvis pusillus ex illis agminibus, una fide velut uno lapide armatus procedo *ad bellum* contra hujusmodi principem superbum, confidens in Domino, qui est *misericordia mea*, in intentione miserendi potius, quam lædendi ante initium belli, et *refugium meum*, si, adversariis infestantibus, continget me fugere de civitate in civitatem, sicut ego figuralis *David* fugiens a facie Saul, fugi ad extraneos, timens Ziphæos et alios contribules meos.

Ego quoque verus *David*, fugiens Herodem in Ægyptum, paratum illic inveni refugium. In apo-

C stolis etiam aliisque membris meis de civitate in civitatem fugatis, tu fuisti mihi *susceptor* et *refugium* præparans illis loca decentia, ut sunt monasteria et cœnobia regularia. Tu *ergo susceptor meus*, ne ab hostibus capiar; *liberator meus*, ne ab eis in servitutem redigar; *protector meus*, ne ab eis feriar; et *in ipso speravi* non solum ut ejus auxilio hostes mei propellantur, sed et domestici mei mihi subdantur. Nam tu, *Deus meus, qui doces manus meas ad prælium* contra hostes, tu idem inter amicos et domesticos atque subditos ordinas mihi pacem, *qui subdis populum meum sub me* interfecto *Golia*, Saule, Achitophele, Absalone omnibusque inimicis meis populum Israel contra me regem, contra me parvulum David, contra me Christum, vel quem-

D libet Christianum turbantibus.

Super hunc locum beatus Gregorius papa dicit in Job: *Sanctis mentibus populi subigantur, cum ab eis districtæ severitatis præsentia cogitationes multæ desiliunt, ut non per abrupto phantasmatum rapiant, sed rationi subditæ a corde humiliter conquiescant.*

Vers 3. *Domine quid est homo quia innotuisti ei, aut filius hominis, quia reputas eum?* Dum beneficia tua, Deus, mihi David, vel cuique homini exhibita commemoro quasi raptus in admirationem dico: *Domine, quid est homo?* Certe nihil boni per se; sed tamen aliquid est, *quia* tu *innotuisti*. Homo vetus Adam, filius hominis est novus Adam. Ille nihil esset cum tota sua posteritate, si non *inno-*

fuisses ei per angelos, per prophetas, per signa et mirabilia tua. Sed filius hominis magnum et dignum quid est; *quia reputas eum* longe dissimilem veteri homini, cujus *filius* est. Nam ille vetus

Vers. 4. *Homo* cum veritati similis creatus esset, peccando *vanitati similis factus est, et dies ejus sicut umbra prætereunt*, qui stabiles essent, si ipse non peccasset. At iste *filius hominis* non tam veritati similis, quam veritas ipsa esse dicendus est, qui de se dicit: « Ego sum via et veritas et vita (*Joan.* xiv, 6). » Ipse quidem *filius hominis* est « veritas de terra orta (*Psal.* lxxxiv, 12), » nulli unquam vanitati subdita vel subdenda, usque adeo super omnes cœlos in divinitate sua æternaliter alta, et in humanitate sua temporaliter exaltata, ut ab humano ingenio comprehendi non valeat, si se ad infima nostra non humiliat. Propter quod exclamans dico:

Vers. 5. *Domine inclina cœlos tuos et descende.* Super hunc locum dicit beatus Gregorius in Job: *Quid cœlorum nomine, nisi prædicatorum ordo signatur? Nisi prædicatores sancti ab illa* immensitate *contemplationis internæ quam capiunt, ad infirmitatem nostram humillima prædicatione, quasi quadam inclinatione descenderent, nunquam utique in fide filios gignerent. Nobis quippe prodesse non possent, si in suæ altitudinis erectione persisterent. Si enim sancti viri ea prædicare vellent, quæ capiunt, cum in superna contemplatione inebriantur, et non magis scientiam suam quodam moderamine ad sobrietatem temperarent, adhuc angusto intelligentiæ sinu illa superni fluenta fontis quis caperet? Unde bene nunc dicitur* : Domine, inclina cœlos tuos et descende. *Cum enim inclinantur cœli, descendit Dominus; quia, dum se in prædicatione sua sancti doctores attrahunt, notitiam Divinitatis nostris cordibus infundunt. Nequaquam quippe ad nos Deus descenderet, si prædicatores ejus in contemplationis rigore inflexibiles permanerent. Inclinantur ergo cœli, ut descendat Dominus; quia nimirum si nostræ infirmitati non condescenderent, nos ad suam celsitudinem nunquam levarent.*

Invalidus igitur ego David, ego qualecunque membrum veri David in meipso auxilium de cœlo postulo, dicens: *Domine inclina cœlos tuos et descende.* Contempera magnos et altos parvulis, ut per magnos inclinatos eleventur sursum parvuli. Qui autem non sunt parvuli per humilitatem, sed alti per fastum, illos *tange manu* compungentis gratiæ tuæ permovendo illos ad pœnitentiam, et *fumigabunt* fumo lacrymas excitante, ut flentes amare pœnas effugiant et gratiam inveniant. Qui autem nimis duri sunt, nec illos in sua duritia relinque securos mala securitate. sed

Vers. 6. *Fulgura coruscationem* terribilibus et claris miraculis terrendo eos, scilicet conspiratione valida in unum conglobatos, tu dissipabis eos ab invicem per tui fulgoris aut fulminis *coruscationem*,

A ut vehementer perterriti fugiant, et se mutuis vulneribus invicem interficiant, sicut occidit in die Madian, quando coruscantibus lampadibus territus Madianitarum exercitus fugit, a facie ducis Israel Gedeonis. Et ecce plusquam Gedeon hic. Nam verus David major Gedeone pugnæ hujus est auctor, qua pugnatur contra *Goliam* sive diabolum, sive Antichristum, sive insignem quemlibet ejus ministrum et exercitum quos tu, Deus meus, qui doces manus meas ad prælium terrebis et dissipabis eos. Quod ne in longum differatur: emitte sagittas tuas, homines videlicet *sagittis* consimiles, ut ille qui dixit: Posuit os meum Dominus quasi gladium acutum, et posuit me quasi sagittam electam, in pharetra sua abscondit me (*Isai.* xlix, 2). Tales, o Deus
B meus, habes in pharetra tua, in occulto videlicet proposito, quos nunc emitte contra hostes tuos Goliæ similes, elatos nimirum, et *conturbabis eos.*

Hebraica veritas habet: *Mica fulmine et dissipabis eos: mitte sagittam tuam et interfice illos.* Bene utique opto illos interfici, qui male vivunt sicut interfectus et mortuus est Saul, et cœpit vivere Paulus.

Aliter: *emitte sagittas tuas*, acutas videlicet, sententias de arcu Sacræ Scripturæ taliter excussas ut impleatur quod alibi dicitur: « Arcum suum tetendit et paravit illum, et in eo paravit vasa mortis; *sagittas suas ardentibus* effecit (*Psal.* vii, 13, 14). »
C Quod si nec sagittis, nec fulminibus aut fulgurationum coruscationibus exhibitis, per homines territi volunt emendari: Tu, Christe fili vivi Patris altissimi.

Vers. 7. *Emitte manum tuam de Alto*, in voce archangeli et in tuba novissima, quia ille archangelus, cujus in voce resurgent mortui, *manus tua* est. Vel etiam angeli messores, qui colligent de regno tuo scandala omnia, sunt *manus tua*, quam rogo, emittas nec intus ultra contineas. *Emitte* illam *manum tuam de alto*, et per hanc *eripe me* David parvulum *de manu filiorum alienorum.*

Aliter: O Pater altissime, tu *emitte manum tuam*
D *de alto*, id est filium tuum de alto solio tuo humiliandum in plenitudine temporis, factum ex muliere, factum sub lege, quod ego figuralis David prophetans oro et orans propheto. Vel *emitte manum tuam de alto*, ipsum videlicet filium tuum, Sapientiam tuam *de sede magnitudinis tuæ, ut me cum sit, et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore.* Vel *de* hac sede *alta emitte manum tuam* in extremo judicio manifestandam, atque per illam eripe me captivum, et *libera me* in servitutem redactum. *Libera*, inquam, *de aquis multis*, quæ sunt aquæ contradictionis. *Aquæ multæ populi multi sunt* contradicentes veritati, de quibus liberari optans dico: *Libera me de aquis multis*, et de manu filiorum alienorum, qua-

libus dicitur : « Vos ex patre diabolo estis (*Joan.* A viii, 44). »

Vers. 8. *Quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis.* Unde non solum ex verbis vanis ipsi vani, sed etiam dextera, id est illa eorum opera, quæ videbantur bona, et in quibus videbantur quæri sola æterna, quæ sunt vera ; et *dextera* bona, *dextera* est *iniquitatis ;* quia non ita operatur ipsa *dextera*, ut, quod faciat nesciat sinistra. Unde recte dicitur . *Dextera eorum, dextera iniquitatis. Os* quidem eorum loquitur *vanitatem*, sed ego e contra loquor veritatem, quæ cum non auditur ab hominibus, qui a *veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur*, plus delectati spiritu aquarum multarum quam doctrina veritatis, ego ab hominibus talibus aversus, et ad B te Deum meum conversus.

Vers. 9. *Canticum novum, cantabo tibi*, laudans et venerans opera et sacramenta Novi Testamenti, atque *in psalterio decachordo psallam tibi* operando servans decem præceptorum decalogum ex Veteri Testamento ad honorem nominis tui.

Vers. 10. *Qui das salutem regibus*, jam fumigantibus montibus, ita ut ipsi montes, ipsi reges adepti salutem cantent *canticum novum*, psallentes in psalterio decachordo per observantiam charitatis. Qua qui caret, potest portare psalterium ; sed non potest psallere vel canere canticum novum. *Qui redemisti David servum* tuum per ineffabile redemptionis pretium, Pater, quo ut servum redimeres, Fi- C lium tradidisti, tu de *gladio magno* eripe me ; *de gladio* dico *maligno*, quia est et benignus gladius de quo dicitur : « Non veni pacem mittere sed gladium (*Matth.* x, 34). » Benignus ergo est iste gladius, quo Deus loquitur veritatem. Sed est malignus *gladius*, quo vani loquuntur vanitatem.

Super hunc locum dicit beatus Gregorius (Lib. xxxiv, Moral. cap. 8) : *Quid hoc loco per malignum gladium, nisi ira vel persuasio maligni hostis exprimitur : Benignus quippe sanctæ prædicationis est gladius, quo percutimur, ut a culpa moriamur. Malignus ergo diabolicæ persuasionis est gladius, cum male quisque percutitur, ut a via rectitudinis exstinguatur. Quod periculum novissimis temporibus maxi-* D *me invalescet. Antiqui namque hostis est gladius ille tunc damnatus homo in usum ministerii ejus assumptus. Ipsum quippe per malitiam fraudis exacuit et infirmorum corda transfigit.*

Hæc dicente sancto Gregorio de ultimo *Golia*, qui Antichristus dicitur, nos imminente jam tempore periculoso habemus necessarium psallere contra *malignum* istum *gladium*, qui nunc adversus veritatem exacuitur, dum falsitas vel hæretica vel schismatica subtili persuasione astruitur, qua ne quis fidelium quasi gladio maligno interficiatur, dicat quisque parvulus cum parvulo *David* magno adjutori Deo nostro : *Qui redemisti David servum tuum, de gladio maligno*

Vers. 11. *Eripe me.* Tu, magne *David*, qui in te ipso Redemptor, et in corpore tuo, quod est Ecclesia, redemptus, me parvulum *David* qualecunque membrum tui corporis, *eripe me de gladio maligno* persuasionis loquentium *vanitatem. Et erue me de manu*, et de potestate *filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis*, ut supra est expositum, et nunc iterato est repetitum, ut ex ipsa repetitione magis detestabiles ostendantur isti *alieni, filii alieni*, de quorum gladio et manu liberari opto ego David parvulus, funda et lapide orationis armatus, et baculo sanctæ crucis munitus. In qua dum quinque vulnera corporis Dominici video, et hæc in theca memoriæ tanquam in pastorali pera porto, non inermis contra *Goliam* incedo, quia de uno lapide ille prosternitur, dum sacramento aquæ et sanguinis de uno vulnere Christi manentis a latere dextro, ille superbus in fronte percutietur, ubi si crucis Dominicæ signum teneret, non percuteretur, sed salvaretur per istud unicum sanguinis Christi sacramentum quasi per limpidissimum lapidem, quo et frons *Goliæ*, qui est caput et rex omnium superborum percutitur, et frons humilium signatur, et hoc sancto signaculo distinguantur ab alienis, *quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis*

Vers. 12. *Quorum filii sicut novellæ plantationes*, quia pravo dogmate generati, non antiquis ritibus Patrum viguerunt; sed novis erroribus pullulantes virescunt quasi *novellæ plantationes in juventute sua*, quam deponere nolunt, quia semper stultizare volunt, alieni ab illa senectute, de qua dicitur : « Senectus venerabilis vita immaculata (*Sap.* iv, 8, 9). » Hoc dictum est de illorum *filiis* tanquam de fortioribus ex illis. De infirmioribus vero illud dico : quod *filiæ eorum* sunt *compositæ, circumornatæ ut similitudo templi. Compositæ*, non natura pulchræ, sed ab hominibus *compositæ*. Hæ sunt pravæ illorum sectæ vanis consuetudinibus *circumornatæ* in circuitu forinsecus, non intrinsecus, ut illa filia, cujus « omnis gloria » est « ab intus, » cum etiam sit foris « circumamicta varietate (*Psal.* xliv, 14, 15), » utpote intus et foris pulchra, et vere templum Dei nominanda. Sed istæ *filiæ*, istæ sectæ *compositæ* forinsecus, et *circumornatæ*, intus fœdæ ac turpes non effugiunt satyricam subsannationem ethnici de talibus dicentis :

Introrsum turpes speciosi pelle decora.

Proinde quantumcunque se forinsecus ornent illæ sectæ perditionis, quæ tanquam *novellæ plantationes* antiquum paternarum traditionum non habent fundamentum, non merentur vocari *templum* ut illi, quibus dicitur : « Vos estis templum Dei vivi (*II Cor.* vi, 16). » Et : « Spiritus sanctus habitat in vobis (*I Cor.* iii, 16). »

Attamen sic *circumornatæ* sunt, ut habeant *similitudinem templi*, cujus non habent veritatem, quia non sunt Ecclesia, quæ est congregatio justorum, sed sunt synagoga Satanæ, quæ est congregatio ini-

quorum. Attamen gloriantur in divitiis terrenis, quia

VERS. 13-15. *Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Oves eorum fetosæ abundantes in egressibus suis. Boves eorum crassi* vel *crassæ. Non est ruina maceriæ, neque transitus neque clamor in plateis eorum.* Sine rerum penuria in pace secura quietam vitam agunt, sicut ipsi putant, beatam. Nam *beatum dixerunt populum, cui hæc sunt.* Sed ego David longe aliter sentiens dico quod illi miseri sunt : et *beatus populus, cujus Dominus Deus ejus,* etiamsi pauper sit populus ille ut Lazarus mendicus. « Beata gens, cujus Dominus Deus ejus, populus quem elegit in hæreditatem sibi (*Psal.* XXXII, 12). » *Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus,* ut *Dominus* omnium sit *Deus ejus,* quomodo dici dignatus est « Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob (*Exod.* III, 6), » qui etsi abundassent ovium gregibus et armentis crassarum sive crassorum boum, potueritque de illis dici : *Boves eorum crassi* vel *crassæ,* tamen Deus dici dignatus est *Deus eorum,* quia non sunt locuti hanc vanitatem, ut dicerent, vel cogitarent *beatum* esse *populum cui hæc sunt; sed beatum dixerunt populum, cujus Dominus Deus ejus,* quomodo fuit eorum *Deus,* prout ipse fatetur, dicens : « Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob. » Non sic impii, non sic, non habent *Dominum Deum,* quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, et quorum Deus mammon est, quia ei serviunt avare lucra sectando terrena, et non Deo lucra sectando spiritalia, ut ille qui dixit : « Mihi vivere Christus est, et mori lucrum (*Philipp.* I, 21), » eo quod nihil concupierit lucrari, nisi Christum, sive vivendo prout Christi membris erat necessarium, sive moriendo, ut esset cum

A Christo, et videret Christum, quem videre summa beatitudo est.

Aliter : *Promptuaria eorum plena* sunt corda diversis rebus farta, unde pessimas eructationes exhalant, quæ fetent *ex hoc in illud,* quia in uno victi fugiunt in aliud instabiles (quia non habent radicem veritatis) oves ad litteram, quia vult eos ostendere caducis rebus hærere. Peculium eorum *fetosum,* cum ipsi steriles vel discipuli eorum alios generant. *In egressibus,* non in ingressibus, quia totum ab eis egreditur cito perituris. *Boves* non labore macri, sed otio pingues, ut hi, qui affluunt divitiis, cum ipsi sint a veritate jejuni. Vel *boves* magistri, qui terrenis affluunt. *Maceria,* quæ de solis saxis in hortis vel vineis ; sed nec ipsa ruit illis, adeo prosperi,
B *nec transitus nec clamor* turbidus interrumpit quietem eorum. Vel *maceria* ars philosophorum, quæ non potest destrui, ut transeant justi, *neque clamor,* qui in angusta est via. Non inde reprehendit, quia his abundant; sed quia pro *dextera* habent, id est pro beatitudine, et *hæc* est *vanitas,* quam locuti sunt. His et Abraham et Jacob abundavit. Felicitas est, sed sinistra, id est temporalis, mortalis, quam contemnere et melioris ac æternæ felicitatis appetitu vincere optima victoria est. De hac victoria quasi terminum omnium mundanarum rerum fecit. Non enim posthac aliquid dicturus est vel de Ecclesiæ persecutoribus vel ærumnis sæculi vel pœnitentia vel anxietate piorum vel Antichristi elatione.
C Sed septem reliqui divinis præconiis pleni sunt in cœlesti lætitia quasi repulsis nubibus peccatorum serenis mentibus ad laudes Dei veniatur, et quasi completis omnibus, quibus humana ignorantia fuerat instituenda, nunc ad sola Dei præconia vacandum est, unde specialiter *laudatio* sequens psalmus intitulatur.

PSALMUS CXLIV.

Exaltabo te, Deus meus rex, et benedicam nomini tuo, etc., etc. Breviter continet hic psalmus, quæ in Scripturis divinis late diffunduntur. Ubi enim non leguntur opera, et potentia et cætera? Ad hujus præconia psalmi sequentes pertinent, qui cum isto septem sunt, ut : « Septies in die laudem dixi tibi, » et septem spiritus ac septem tubæ. In his sufficienter Deus docuit, quomodo velit laudari, ne quis errare possit. Spiritu suo implet Deus sanctos, ut laudent eum ; et ne erremus in laudando, iter laudis in Scriptura constituit. Si homo se laudet, arrogantia est : Si Deus se, misericordia est, quia laudando se amabilem facit, et amando meliores sumus. Ut septem psalmi pœnitentiæ, sic et septem laudis, sic et septem spiritus juxta illud sacramentum, quo præcepit Deus Moysi in tabernaculo « septem lucer-

D nas » ponere perpetuo lumine lucentes (*Exod.* XXV, 37). Titulus vero, qui est :

VERS. 1. *Laudatio ipsi David,* mittit nos ad verum *David,* cui ex ore amantis decantatur ista *laudatio,* quæ a benedictionibus incipit, per benedictiones currit, benedictionibus sempiternis finit, quas qui hic non incipit, in futuro mutus erit. Ego igitur *David,* ego parvulus et minimus ut *David,* ego membrum summi regis veri *David*

Exaltabo te, Deus meus rex, notum faciens aliis, quod tu Christus jam triumphato mortis principe, superbo Golia, quem tu percussisti, morte tua mortificando illum, nunc exaltatus es ac paternæ Divinitatis celsitudinem gloria resurrectionis et honore ascensionis coronatus in regem, cui et dico teipsum invocando in me, *Deus meus rex,* optans ut et re-

gali potentia me regas, ne peccem; et si peccavero, divina clementia peccata mea deleas; in altero *Deus meus*, in altero *rex meus*. *Deus meus* a peccatis liberando, *rex meus*, ne de cætero exitialiter peccem sic me regendo, ut et de præteritis peccatis doleam, et de futuris caveam. Vel *Deus meus* es, quia creasti me : *Rex meus*, quia regis me in te via, veritate ac vita, ne aberrem in devia et mendacia mortifera. Unde in te via et veritate ac vita stabilitus *exaltabo te* prædicans te altissimum Altissimi Filium, *et benedicam nomini tuo*, quo *Deus et rex* nominaris, dato tibi nomine quod est super omne *nomen*. Huic *nomini tuo benedicam* laudans illud *in sæculum* videlicet nunc, *et in sæculum sæculi*, hic et in æternum. Eumdem sensum repetens dico

VERS. 2. *Per singulos dies*, quandiu variantur *dies* lætis ac tristibus eventibus, ego *benedicam tibi* sine intermissione tam in prosperis quam in adversis gratias agens tibi per adversa me castiganti et purganti; per prospera vero consolanti, atque duo hæc circa me alternanti, ne vel adversitas nimia frangat, vel prosperitas nimia extollat. Ideo *per singulos dies*, lætos ac tristes *benedicam tibi*, gratias agendo in omnibus *laudabo nomen tuum in sæculum*, quandiu maneo in hoc sæculo, *et in sæculum sæculi*, cum pervenero in sæculum subsecutivum sæculi hujus, in æternum. Sic laudans assidue dicam :

VERS. 3. *Magnus Dominus et laudabilis nimis*, id est valde. Cum dico *nimis*, hac una dictiuncula significo, quod non potest capi plene quam sit *magnus*, qui est immensus, non distentus mole in longum, latum, sublime ac profundum localiter; sed *magnus* longitudine, quæ est infinita æternitas; latitudine, quæ est immensa charitas; altitudine, quæ est ejus insuperabilis potentia; profundo, quod est inscrutabilis et æterna sapientia. Hujus *magnitudinis ejus non est finis*, quia nec cœpit nec desinit. Unde nec laudationis ejus *erit finis*, quia

VERS. 4. *Generatio et generatio laudabit*. « Generatio prava et exasperans, generatio, quæ non direxit cor suum, generatio perversa (*Psal.* LXXVII, 8), » quæ secundum carnem tantum generata, secundum spiritum non est regenerata, sive sacramentum regenerationis acceperit sive non : tamen quia gentiliter vivens carnalis generationis et veteris hominis imaginem tenet, simplici nomine *generationis* censetur; sed *generatio* innovata et bis genita, semel secundum carnem nascendo, secundo per lavacrum regenerationis Christum induendo, recte dicitur *generatio et generatio*, nomine *generationis* geminato propter duas generationes, alteram in carne, alteram in spiritu : vel unam per lavacrum regenerationis, alteram per innovationem illius immutationis, de qua dicit Apostolus : « Mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur (*I Cor.* XV, 52). » Illa *generatio et generatio laudabit*, cui utique amare laudare est, quia ei non est aliud in sæcula sæculorum laudare, quam semper et indeficienter amare, semperque videre te solem justitiæ, cujus visione facie ad faciem nihil delectabilius, nihil melius est. *Generatio* ergo rectorum *laudabit*. Vere cum te facie ad faciem videbit, faciem tuam laudabit, quia æternaliter amabit : sed nunc interim, dum facies tua illi est abscondita, pro materia laudis habet hæc novem tuæ gratiæ insignia, quæ sunt *opera tua, potentia tua, magnificentia, sanctitas, mirabilia, virtus terribilium, magnitudo, memoria, justitia*.

Ex his quasi locis et maximis propositionibus omnis laus Dei trahitur, quemadmodum in arte argumentandi ex paucis locis trahitur multiplicitas argumentationis. *Generatio* ergo rectorum *laudabit opera tua*, non sicut philosophi, qui *opera tua* laudaverunt, sed te per ea non glorificaverunt aut laudaverunt. Ista vero *generatio* rectorum sic *laudabit opera tua*, ut te opificem in eis laudent, qui *opera tua* velut speculum inspicient, in quo te operatorem laudabilem cognoscent. Non enim opera laudant, nisi ut virtutem annuntient. Sed quidam eloquentes creaturam laudant et amant Creatoris obliti; sancti vero laudatores laudant quidem *opera*, sed magis operatorem, quem in suis operibus amant et amandum prædicant. Si enim quilibet artifex in opere suo artificioso est laudandus magis quam ipsum opus, quod de præjacente materia fecit, qui materiam non fecit : quanto magis illius *potentia* est laudanda, qui de nihilo fecit omnia? Recte igitur *operum* Dei laudatores *potentiam* quoque *pronuntiabunt*, quia quæ tu, Deus meus rex, operaris, propria virtute, nullius opere indigens operaris, habens in temetipso *potentiam*, qua potes omnia quæ vis. Unde qui *opera tua* laudabunt, etiam *potentiam tuam* recte *pronuntiabunt*.

VERS. 5. *Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur*, quia tu magnus de parvis magnos facis, tu gloriosus gloriosos, tu sanctus sanctos facis, de mundi hujus contemptibilibus, quæ sunt, opera tua *mirabilia*. Et hæc *mirabilia tua narrabunt* patres filiis in generationem et generationem per successiones generantium et generatorum seu generandorum.

VERS. 6. *Et virtutem terribilium tuorum dicent*, ut quos blanda exhortatio de suavitate promissionum tuarum non invitat, saltem *virtus terribilium* judiciorum, quæ minaris, terreat. Et ne quis putet effugere se posse tua judicia *terribilia*, *magnitudinem tuam narrabunt* contestando, quia « neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus patet locus fugiendi, quoniam tu, Deus, judex es, » qui ubique præsens es. Ne autem quis per minas *terribilium tuorum* nimis terreatur,

VERS. 7. *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ*, qua intus pleni sunt, *eructabunt*, quia quæ meditando, legendo et orando biberunt, loquendo *eructabunt* contestantes quod, cum iratus fueris, in ira misericordiæ memor eris, non in penuria, sed in *abundantia suavitatis*, qua tu suavis et mitis oblivi-

scentium te non oblivisceris, quibus etiam tui *memoriam* ad hoc sive per beneficia sive per flagella ingeris ne veniant in terram oblivionis, ubi sunt « vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor amplius, » quia « de manu tua repulsi (*Psal.* LXXXVII, 6), » carent misericordia puniente illos justitia tua. Et hac *justitia* tua considerata *exsultabunt*, qui pœnas evadunt, vel *justitia* tua, non sua *exsultabunt*, quia quod justi sunt, non virtuti suæ, misericordiæ suæ ascribunt confitentes, quia

VERS. 8. *Miserator et misericors Dominus, patiens et multum misericors.*

Miserator in effectu manifesto, *misericors* in effectu manifesto, *misericors* in affectu secreto. *Miserator* et *misericors*, quibus jam veniam dedit; *patiens*, quibus nondum dedit, sed exspectat, ut det, in qua exspectatione pius est, et multum *misericors* erga salvandos. Et ne aliquos accipiat de multitudine misericordiarum ejus, pius et

VERS. 9. *Suavis* est *Dominus universis* bonis et malis, « qui solem suum oriri facit super bonos et malos, pluitque super justos et injustos (*Matth.* V, 45), » provocans eos beneficiis ad se, qui fugiunt a se ad ejus adversarium diabolum. Et tamen licet ipsi fugiant, ipse distinguens in eis *opera sua*, quæ ipse fecit, et opera illorum, quæ ipsi faciunt, utrisque congruum reddet stipendium. Nam licet puniat justitia exigente ipsorum opera, tamen *miserationes ejus super omnia opera ejus* sunt, quia nihil odit eorum quæ fecit, sed miseretur omnium, licet puniat mala quæ ipse non fecit. Vel cum sint magni Dei *opera*, in quibus apparet ejus potentia, qua fecit ex nihilo multa et magna, visibilia et invisibilia, superexcellit hæc *omnia opera ejus* illa *miseratio*, qua restauravit perdita. Magnum opus fuit oves centum de nihilo creasse, illasque in altis collocasse. sed longe majus fuit unam ex illis perditam propriis humeris reportasse. Illud fuit opus potentiæ mirabiliter immensæ; istud est opus *miserationis* ineffabiliter immensæ. Quamvis ergo in te, Deus, non sit aliud *potentia* et aliud *misericordia*, tamen dum considerantur utriusque *opera*, superexaltat *misericordia* judicium de se habitum, dum per homines et angelos judicatur majus esse opus *miserationis*, qua perdita sunt restaurata, quam opus *potentiæ*, quo de nihilo sunt creata, cum istud factum sit absque labore, illud cum labore. Ibi unum verbum dictum est, per quod facta sunt omnia : hic multa dicta et facta, per quæ restaurantur perdita , et tam ista quam illa *opera* tua, Deus meus Rex, magna sunt materia te laudandi. Proinde justum est ut nemo se jactet in operibus suis, sed

VERS. 10. *Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua*, rationales mentes per sui considerationem provocando ad confessionem tuæ laudis, maxime in sanctis, et ipsi quoque *sancti tui benedicant tibi.* Quod utique facient. Nam

VERS. 11. *Gloriam regni tui dicent* glorificando et magnificando *regnum tuum*, quo potenter a te con-
A dita potenter gubernas, ita ut nihil inordinatum relinquas in rebus a te creatis attingente sapientia et *potentia tua* fortiter a fine usque ad finem et disponente omnia suaviter a summo usque ad fundum rerum ab archangelo usque ad vermiculum, a summo cœli palatio, usque ad fundum carceris infernalis. Istam *gloriam regni tui dicent sancti, et potentiam tuam loquentur*, qua omnia potes, et nullius ope in regimine tuo indiges, quamvis homines et angelos facias regiminis tui aliquando participes agendo per eos, quæ vis; isti *potentiam tuam loquentur*, non ut ipsi hominibus innotescant, et placeant, sed

VERS. 12. *Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, et gloriam magnificentiæ regni tui*, cui
B regnum terrenum comparatum, quale fuit regnum Babyloniorum sive Romanorum et aliorum, per facies bestiales Danieli ostensorum, nullius est gloriæ : vel si videtur habere *gloriam* aliquam, non habet *magnificentiam gloriæ* quia omnis temporalis gloria quasi flos feni transit. Sed *gloria magnificentiæ regni tui* permanebit, eo quod

VERS. 13. *Regnum tuum regnum* est *omnium sæculorum et dominatio tua in omni generatione et generatione*, sive nunc manente sive posthac successura per infinita sæcula. Omnia hæc de *potentia* tua, *Deus meus Rex*, dicta spectant maxime *ad virtutem terribilium tuorum*, quam laudatores tui *dicent*, qui et *magnitudinem tuam narrabunt*, ut pigros excitent
C per terrorem. Sed ut pios et devotos foveant ad amorem, annectunt in his ea, quæ sequuntur, quæ pertinent *ad abundantiam suavitatis, quam eructabunt.* Quid enim suavius , quid jucundius, quam quod *fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in operibus suis? Fidelis* bona promittendo, *sanctus* eadem promissa persolvendo, ita ut fidelitas *in omnibus verbis suis* promittentibus, et sanctitas *in omnibus operibus suis* promissa exhibentibus agnosci, valeat, si quis *abundantiam suavitatis* in eis considerat. Inter omnia vero ejus opera illa sunt magis dulcia et suavia, quod

VERS. 14. *Allevat* ipse *Dominus omnes qui corruunt*, semetipsos humiliando, quia sicut « omnis qui se exaltat humiliabitur; » sic « omnis qui se
D humiliat, » ab illo « exaltabitur (*Luc.* XIV, 11) » et allevabitur. Est qui corruit per humilitatem voluntariam, et corruens non eliditur et frangitur, sicut legitur corruisse in terram beatus Job, audita morte filiorum suorum, qui tamen corruens non est fractus ad impatientiæ culpam (*Job* I, 18 et seqq.). Est etiam qui, cum sit electus, tamen sinitur corruere per humiliationem propter sanandam vel cavendam extollentiam. Sic Petrus aliquantula præsumptione super condiscipulos elatus ruere permissus est, atque aliquantulum per culpam negationis *elisus* est, non tamen collisus, quia, licet cadens, tamen permansit justus. Et de justo scriptum est, quod « septies in die cadit et resurgit (*Prov.* XXIV, 16). » « Cum ceciderit justus, non collidetur, quia

Dominus supponit manum suam (*Psal.* xxxvi, 24).» A Fuit ergo Petrus in suo casu *elisus* negans non per impietatem, sed per fragilitatem, negans ore quem dilexit corde, quia ejus charitas, qua Christum dilexit, penitus non exciderat, cui Christus nec in odium nec in tædium venerat. Sic et multi fragiles eliduntur ut Petrus, multi quoque impii penitus colliduntur ut Judas. Dominus autem spernit collisos utpote in sua malitia obstinatos, *erigit omnes elisos*, scilicet dando illis pœnitentiam simul et indulgentiam. Quid jucundius hac *suavitatis tuæ abundantia, Deus meus Rex?* Ut autem suavitas ista sale justitiæ sentiatur condita, de qua superius propositum est, *justitia tua exsultabunt*, perpendatur, quod sequitur :

VERS. 15. *Oculi omnium in te sperant, Domine, et* B *tu das escam illorum in tempore opportuno*, et cætera usque in finem psalmi, pertinet quippe ad *justitiam tuam, Deus*, ut sicut non sperantes in te spernis, ita sperantes in te benigne respicias, quod et facis. Nam seclusis de omnium numerositate infidelibus, qui nihil sunt et ad nihilum tendunt, *oculi omnium*, qui sunt, qui te timendo et amando ad verum esse tendunt, *in te sperant, Domine, et tu das escam illorum* corporalem et spiritualem *in tempore opportuno*, prout expedit saluti esurientium, non pro desiderio eorum, quando vel aliud vel aliter desiderant quam debeant. Non enim semper danda est *esca*, sed *tempore opportuno*. Multis enim petentibus salubriter differtur. Petit Apostolus de angelo Satanæ auferendo, non accepit, sed propter perfectionem suam. C Petit diabolus tentandum Job et accepit, sed ad damnationem suam. Ipse Christus mori venerat, et tamen transfigurans in se infirmos ait : « Pater, si fieri potest : transeat a me calix iste, » et licet non acciperet, quod petere videbatur, ait : « Non quod volo, sed quod tu (*Matth.* xxvi, 39), » *in* omni *tempore* Deum Patrem suum benedicens.

Hic notandum, quod quibus *esca* promittitur, esurientes fuisse significantur, de quibus Veritas dicit : « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur (*Matth.* v, 6) : » de quibus et hic dicitur : *Et tu das escam illorum in tempore opportuno. Esca* igitur hic intelligitur *justitia*, quam qui « esuriunt et sitiunt, ipsi saturabuntur ; » D non pro ipsorum festinanti et fortasse inordinato desiderio ; sed *in tempore opportuno*. In quo tempore

VERS. 16. *Aperis* tu, Deus, *manum tuam*, benignitatis tuæ potentiam, *et imples omne animal benedictione. Omne animal dico :* non omnem bestiam, quia bestiæ dicuntur animantia indomita, ut sunt lupi, leones et ursi ; animalia vero dicuntur animalia domita, ut sunt boves et oves et pecora campi. *Animalia* ergo mansueta et domita implentur benedictione, quibus et dicetur : « Venite, benedicti Patris mei (*Matth.* xxv, 34), » et bestiæ implentur maledictione, quibus et dicetur : « Ite, maledicti, in ignem æternum (*ibid.* 41). » Quid ad hæc dicendum laudatoribus operum Dei? Hoc scilicet :

VERS. 17. *Justus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.*» Inter novem præconia superius designata, ultimum fuit *justitia*, quæ hic, aperto nomine significatur et magnificatur, cum dico ego *David : Justus Dominus in omnibus viis suis*, quæ *viæ* sunt dispositiones, judicia, voluntates, quæ a summa *justitia* nunquam dissonant, sive percutiat sive sanet juxta illud : « Ego percutiam, et ego sanabo (*Deut.* xxxii, 39). » *Justus ergo Dominus in omnibus viis suis ;* nec ideo reprehensibilia, quia sunt « incomprehensibilia judicia ejus, et investigabiles viæ ejus (*Rom.* xi, 33), » quia non ideo injusta, quod sunt occulta judicia et consilia ejus, in quibus omnibus est, *justus et sanctus* quoque *in omnibus operibus suis. Viæ* ad dispositionem, *opera* pertinent ad effectum, quæ duo apud nos distinguuntur, sed apud ipsum hoc est velle, quod facere, qui cum vult, *aperit manum suam* dando benedictiones *in tempore opportuno ;* et cum vult, claudit eam, differendo non auferendo benedictiones dandas non pro humano et importuno desiderio, sed *tempore opportuno*. Quod ad decorem *justitiæ* spectat, ut non nisi petens accipiat, quærens inveniat, nec aperiatur nisi pulsanti, atque in petendo, quærendo et pulsando, ipsum Deum in se tanquam in domum decenter ornatam invocanti, non ut illic hospitetur quasi peregrinus, sed ut ipsam domum possideat quasi Dominus. Taliter invocaverunt illum, qui gustata verbi ejus dulcedine dixerunt : « Mane nobiscum, Domine (*Luc.* xxiv, 29), » tanquam dicerent : Nobis in nobis dominare. Quibus eum *Dominum* vocantibus et invocantibus prope fuit ipse, licet oculi eorum tenerentur, ne eum agnoscerent. Sic etiam nunc et usque in finem sæculi, quamvis interdum præsens non videatur, tamen

VERS. 18. *Prope est omnibus invocantibus eum* ipse *Dominus* omnium, qui cum sit ubique per suæ majestatis essentiam, præsentior fit per suam clementiam *omnibus invocantibus eum in veritate. In veritate* dico, quia omnis orans hoc invocat, quod adipisci desiderat. Quod si aliud est quam ipse Deus, ipse *Dominus*, non in veritate *Dominum* invocat, quia non *Dominum* sibi dominari desiderat, qui non ipsum, sed aliud in oratione affectat. Unde contra *justitiam* esset, si aliud petenti se ipsum *Dominus* daret : sicut econtra justum est, quod

VERS. 19. *Voluntatem timentium se faciet et deprecationem eorum exaudiet et salvos faciet eos* quia ipsi *timentes* per timorem Dei proficiunt ad ejus dilectionem. Quos diligentes se custodit Dominus ut pupillam oculi, quia sunt et per humilitatem nigri, et per charitatis oleum lucidi ut pupilla oculi nigra et lucida indigens magna custodia. Tales

VERS. 20. *Dominus custodit, et omnes peccatores disperdet*, id est diversis modis perdet alios ut perdidit Saulum, quem convertens invenit Paulum ;

alios ut perdidit Judam, ut abiret in locum suum. Vel *disperdet omnes peccatores* in peccatis perseverantes. Et hoc totum est opus *justitiæ Dei*. Æquum est enim, et *diligentes custodire*, et *peccatores perdere*. Expositis omnibus jam superius propositis, quorum ultimum fuit *justitia;* nunc circa finem psalmi evidenter commendata sequitur brevis conclusio, quæ complectitur, quod explicari non potest, hoc modo :

VERS. 21. *Laudationem Domini loquetur os meum.* Ac si dicatur : quia omnia, quæ commemorata sunt, scilicet *opera, potentia, magnificentia, sanctitas, mirabilia, virtus, terribilia, magnitudo, memoria, justitia* laudabilem ostendunt eum, a quo sunt et in quo sunt : *Laudationem Domini loquetur os meum*, cui dico : « Domine, labia mea aperies et os meum annuntiabit laudem tuam (*Psal.* L, 17). » *Et benedicat omnis caro nomini sancto ejus. Omnis caro*, id est *omnis homo* habens cor carneum, non lapideum; sensibile, non insensibile. Ipse mirabilibus Dei consideratis *Benedicat nomini sancto ejus in sæculum et in sæculum sæculi*, hoc est *nunc et semper et in sæcula sæculorum.*

Gloria Patri Domino fideli in omnibus verbis suis. *Gloria Filio*, qui est *manus* Patris, quam aperiens *implet omne animal benedictione. Gloria Spiritui sancto*, qui est benedictio procedens a Patre ac Filio, qua impleta sunt animalia, de quibus dictum est : *Repleti sunt omnes Spiritu sancto. Gloria* uni ac trino Deo « voluntatem timentium se facienti, et omnes diligentes se custodienti (*Act.* II, 4). » Amen.

PSALMUS CXLV.

Lauda, anima mea, Dominum. Titulus :

VERS. 1. ALLELUIA.

Innuit, quanto affectu, quanto labore laudem intendit. Alloquitur animam suam et dicit : *Lauda, anima mea, Dominum.* Et illa respondet : *Laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quandiu fuero.* Unde laudabo, unde psallam? De *potentia*, de *misericordia;* de *potentia*, quia *fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt*, de *misericordia*, quia *solvit compeditos, illuminat cæcos*, etc. Quæri potest hoc loco : quis cui consulat, cum dicitur : *Lauda, anima mea, Dominum*, an hoc animæ suæ consulat caro, an ipsa sibi. Et dicitur, quod caro non : a melioribus enim semper petuntur consilia. Sicut autem aurum quamvis non purum, tamen melius est per naturam purissimo plumbo; sic et homo, quamvis pessimus, melior tamen est in suo genere pretiosissimo equo. Ita rationalis anima, etsi peccatrix, per naturam melior est corpore suo. Res enim spiritalis est anima, vicina spiritui summo, quæ corpus movet, regit, sensificat. Igitur caro, etsi domita et pacata, animæ tamen, quæ superior est, consilium dare non potest. Hic animadvertendum quod Apostolus tria in homine commemorat, dicens : « Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester, et anima, et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur (*I Thess.* v, 23). » Inter quæ tria spiritus altior duobus anima videlicet et corpore intelligendus est animæ consilium dare, dicens :

VERS. 2. *Lauda, anima mea, Dominum.* Quare vagaris in exterioribus et infimis rebus? Revoca te ad interiora et superiora sapiendo, quæ sursum sunt, ubi Christus est in dextera Dei sedens. Respondet anima : *Laudabo Dominum in vita mea. Quandiu* sum in corpore corruptibili, quod aggravat me *animam*, quandiu terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantem, perfecte laudare non valeo etsi volo, quia rapitur in diversa mobilis mea cogitatio, et quasi toties moritur, quoties a statu in statum, id est a motu in motum variatur. Et ideo media vita in morte sum, ego *anima* inter spiritum et corpus media vita, adhuc non fruor *mea vita*, quæ non est aliud quam divina essentia, vita scilicet beatorum spirituum, a qua peregrinor ego *anima, quandiu* sum in corpore mortali, sed cum ero in *vita mea* vivificante me mediam vitam summa *vita*, tunc *in vita mea laudabo Dominum* perfecte ac plene. Interim vero prout potero, *psallam* bona operando, *quandiu fuero*, quia usque ad finem vitæ præsentis obediens ero ego anima spiritui obedienti suo superiori : obediens etiam ero et subjecta omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, Quoniam illis ad tale tam justum regimen intentis favebo pro meo modulo. Similiter et multo magis obediens ero pontifici Romano quasi præcellenti sive rectoribus aliis, ab eo, imo a Deo missis, ut ille, de quo dicitur : « Fuit homo missus a Deo (*Joan.* I, 6). » Talibus a Deo missis obediendo et favendo *psallam Deo meo, quandiu fuero.* Vel hic in morte *psallam;* sed *in vita mea* æternaliter mansura *laudabo quandiu fuero : quandiu* illic ero, tandiu *laudabo*, scilicet in æternum. Ad similiter laudandi et psallendi sanctum propositum provocabo et alios, quibus dico :

VERS. 3. *Nolite confidere in principibus.* Vos qui laudare ac psallere Deo vultis, expedite vos primo a sæcularibus curis, quia, nisi declinetis a malo, non poteritis facere bonum, et soli despicientes ac respuentes terrena perducentur ad cœlestia. Est

autem grande nutrimentum sæcularium curarum *confidere* in homine potius quam in Domino. Nam et ille confidit in homine, qui confidit in se ipso, cum et ipse sit homo, atque ideo, qui in semetipso in virtute propria confidens existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. Propterea *nolite confidere* in hominibus, nec in illis, qui principantur cæteris : quanto minus in inferioribus, scilicet *in filiis hominum, in quibus non est salus.*

Aliter : *Nolite confidere in principibus*, in dæmonibus scilicet, qui sunt « principes mundi hujus, rectores tenebrarum, spiritalia nequitiæ in cœlestibus (*Ephes.* VI, 12). » In talibus confidunt qui ab eis responsa vel auxilia petunt, ut pagani, aruspices et magi cæterique confœderati, qui apud Isaiam dicunt : « Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum (*Isai.* XXVIII, 15). » *In* hujusmodi *principibus nolite confidere*, quia fallunt in respondendo, et non sunt fideles in auxiliando. Vel *nolite confidere in principibus*, qualis erat Pharao princeps Ægypti, qui, summo principe irascente, neque sibi neque suo exercitui prodesse potuit. Vel *nolite confidere in principibus* quantumlibet sanctis, quomodo illi confidebant, qui dixerunt : « Ego sum Pauli, ego Cephæ; » sed in uno principe confidite, ut illi qui dixerunt : « Ego autem Christi (*I Cor.* I, 12). » *Nolite confidere in* aliis *principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus.* Non est autem *filius hominum*, sed Filius hominis, in quo *salus est.* Alius quicunque princeps *filius hominum* salvare non potest, neque se neque alios, quia subito, quando non vult,

VERS. 4. *Exibit spiritus ejus, et*, exeunte spiritu, corpus *revertetur in terram suam*, unde cœpit initium. *In illa die* mortis *peribunt omnes cogitationes eorum*, qui distenduntur ad diversos questus et ambitus, in quibus frustrabuntur, quando moriuntur. Dicis itaque mihi, o tu anima mea, vel tu, quicunque audis me dissuadentem, ne confidatur in principibus; in quo ergo sperandum? Respondeo ego Spiritus : In Deo Jacob sperandum est, quia

VERS. 5. *Beatus, cujus Deus Jacob adjutor ejus.* Vere *beatus*, quia de *Jacob* faciet *Israel* dicendo ei luctanti exemplo *Jacob :* « Nequaquam ultra vocaberis Jacob, » id est *luctator;* « sed erit nomen tuum Israel (*Gen.* XXXII, 28), » vir videns Deum, verteturque lucta tua in requiem, quando tristitia, in qua luctaris, quandiu non vides Deum facie ad faciem, convertetur in gaudium, et salva erit anima tua, quam nunc alloqueris, dicens : *Lauda, anima mea, Dominum. Beatus cujus Deus Jacob adjutor ejus; adjutor* quantum ad præsens auxilium; *spes ejus*, quantum ad futurum gaudium sine fine habendum *in Domino Deo ipsius*, qui, etsi modo a luctante in precibus et fletibus non videtur facie ad faciem (quia hæc visio servatur *Israeli*), tamen etiam nunc per totam noctem laboranti et luctanti huic *Jacob* se ostendit angelus magni consilii, quasi per speculum visibilium operum suæ potentiæ suæque clementiæ. Apparet quippe magna potentia ipsius,

VERS. 6. *Qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt. Omnia* dico visibilia et invisibilia. maxima et minima, ut sciamus eum, *qui fecit omnia*, curare de omnibus. Et quia illi cura de omnibus est, eo quod omnium Dominus et Creator est. non dubites tu, anima mea, quin etiam de te sit illi cura, non dubites tu, Jacob, de ipsius omnipotentia, *qui* ex nihilo *fecit* hæc *omnia, cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt.* Quod vero de his omnibus sit illi cura, per hoc patet, quia

VERS. 7. *Custodit veritatem in sæculum* detestans omne mendacium, quoniam et ipse verax est in suis promissis, et veritatem requirit ab homine in bonis promissis. *Veritatem* custodivit Jacob sive Israeli, cui dixit : « Nequaquam ultra vocaberis Jacob, sed Israel erit nomen tuum. » Veritatem quoque ab illo exegit in his, quæ voverat illi, dicens : « Si Dominus Deus meus fuerit mecum in via ista, qua ego ambulo, etc., » usque : « decimas et hostias pacificas offeram tibi (*Gen.* XXVIII, 20 et seqq.). » Hujusmodi *veritatem* in suis et suorum dictis ac promissis Deus Jacob *custodit*, et si quis erga se veracem veraces lædit faciendo eis injuriam, ut fecit Laban avunculus Jacob defraudans illum, ipse *facit judicium injuriam patientibus* et patienter ferentibus ut Jacob, cui Deus in hoc *judicium fecit*, quod in fraude circumvenientium illum adfuit illi, et honestum fecit eum, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit eum. Ipse quoque *dat escam esurientibus* non solum in eo quod dat escam omni carni, sed et in eo quod exaudit omnes in hoc mundo peregrinantes, et cum Jacob rogantes panem ad edendum et vestimentum quo operiantur, contenti videlicet pane quotidiano, qui quotidie in oratione Dominica petitur, et vestimento quo nuditas ab Adam contracta operiatur. Hæc esca, hæc vestis est illa justitia, quam qui esuriunt et sitiunt, beati sunt. quoniam ipsi saturabuntur. Sic manifestatus Deus per opera potentiæ ac justitiæ manifestatur nihilominus per opera evidentis misericordiæ, qua ipse *Dominus solvit compeditos* compede iniquitatis vel mortalitatis, ut nunc sint justi, posthac immortales futuri, quod est unum opus misericordiæ. Sequuntur alia quinque, ut jure a nobis exigat sex opera misericordiæ, qui nobis prærogat sex opera misericordiæ, unum est quod *solvit compeditos*, ut possint ambulare in via. Deinde, ut clare videatur ipsa via, ne aberretur in devium, ipse

VERS. 8. *Dominus illuminat cæcos.* Etsi fuerint elisi ab hoste, idem *Dominus erigit elisos.* Vel si sponte sua humiliati et per humilitatem confracti fuerint et elisi, per ipsum Dominum exaltantur, qui *erigit elisos. Dominus* etiam *diligit justos* jam erectos et rectos post elisionem. Ne autem perdant justitiam sibi collatam per gratuitam gratiam, ipse

VERS. 9. *Dominus custodit advenas* non habentes hic manentem civitatem, sed futuram inquirentes.

Ac proinde quasi *viduæ* ac *pupilli* auxilio indigentes. *Pupilli* sunt omnes in peregrinatione ista, quibus est gemitus de absentia patris qui, cum sit ubique, tamen quasi absens cum dolore quæritur a filiis desolatis, quandiu non vident ipsum facie ad faciem. Similiter *viduæ* sunt omnes fideles animæ Deo desponsatæ, sed per hoc desolatæ, quod nondum intraverunt ad nuptias, et timent januas claudi sibi, quamdiu nesciunt utrum sufficiat illis oleum. *Pupillos et viduas* tales ipse *suscipiet*, easque ad nuptiale convivium introducet. *Et vias peccatorum disperdet. Vias* latas et anfractuosas ipse *disperdet*, quoniam a sex istis operibus misericordiæ Dei alieni erunt, qui sex opera in divino judicio commemoranda facere neglexerunt. Quibus et dicetur : « Ite maledicti in ignem æternum (*Matth.* XXV, 41). » Quo facto, A quid restat nobis exspectandum : Utique regnum pacatissimum, quia tunc destructo regno peccati et mortis.

VERS. 10. *Regnabit Dominus in sæcula.* Quis Dominus? *Deus tuus, o Sion,* quia tu es regnum ejus in quo regnabit, non Babylon quam damnabit. *Regnabit*, inquam, non habiturus regnandi finem; sed *in generationem et generationem*, hoc est, in æternum, sine fine.

Gloria Patri Domino, *qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt ; gloria Filio* Domino, *qui solvit compeditos ; gloria Spiritui sancto, qui illuminat cæcos, erigit elisos, diligit justos ; gloria* uni Trinitati et trinæ Unitati omnia hæc inseparabiliter operanti. Amen.

PSALMUS CXLVI.

Laudate Dominum, quoniam bonus psalmus.

Titulus ALLELUIA (VERS. 1) monet ad laudandum. Priori psalmo propriam commonuit animam, dicens : *Lauda, anima mea, Dominum.* Sed non contentus sua solius laudatione, hoc sequenti psalmo et alios ad laudandum hortatur dicens :

Laudate Dominum, quoniam bonus psalmus. Et vere *bonus psalmus*, vel sicut Hieronymus vult, *quoniam bonum psalmus*, id est *bona res psalmus ;* vere, inquam, *bonum* vel *bonus est psalmus*, utpote in quo hæc tria cooperantur, chordæ, sonus, motus digitorum. Per chordas carnis exsiccationem, per *sonum* virtutes cordium, per *motum digitorum* bonam et bene discretam operationem intelligimus. His adhibitis revera *Deo nostro* est *jucunda decoraque laudatio.* Cur autem laudemus, causas continuo subjungit, dicens :

VERS. 2. *Ædificans Jerusalem Dominus, dispersiones Israelis congregabit.* Hebraica veritas habet : *Laudate Dominum, quoniam bonus est : Canticum Dei nostri quam decorum est, pulchra laudatio.* Quod est dicere : *Laudate Dominum*, primo *quoniam bonus est*, imo ipsa bonitas est. Non enim *bonus* est accidentali dono, ut bonus angelus vel bonus homo, sed essentiali bono, ita ut ei non sit aliud esse, aliud *bonum* esse, sed hoc est ei esse, quod *bonum* esse. Ergo *laudate Dominum, quoniam bonus est*, et ob hoc cum laudare *canticum Dei decorum est et pulchra laudatio.* Si quis vero non potest intueri secretam bonitatis ejus essentiam, contempletur operum ejus evidentiam, ex qua trahat laudandi materiam. Nam vere laudandus est *ædificans Jerusalem Dominus. Jerusalem* civitas est angelicorum civium Deum jugiter contemplantium, cujus et homo civis erat conditus. At ille « descendebat ab B Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones (*Luc.* X, 30), » et sic ex parte imminuta est illa civitas, nec potuit restaurari angelica vel humana virtute, quoadusque venit ille *Samaritanus* qui, cum sit homo, est etiam Dominus omnipotens, qui *ædificans Jerusalem* se ostendit laudabilem simul et amabilem : de potentia, qua *dispersiones Israel congregavit* appropians homini semivivo, de abundantia suavitatis, qua

VERS. 3. *Sanat contritos corde* infundens oleum gratiæ his, quorum « spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum (*Psal.* L, 19). » Hoc oleum vulneribus infusum, ne pereat vel effluat, *alligat contritiones eorum.* Alligamenta sunt temporalia sacramenta, quibus interim consolationem habemus, C quæ tunc detrahentur, quando erit perfecta sanitas. Moralia etiam præcepta sunt alligamenta salubria, quibus alligantur vulnera pœnitentium et de suis vulneribus dolentium, utpote habentium adhuc aliquid vitale, unde valeant sentire tanquam semivivi et non penitus mortui. Nam qui a dolore pœnitentiæ sunt alieni, omnino mortui sunt et sanari non poterunt, neque recipiunt alligamenta, nisi prius fuerint resuscitati ab eo,

VERS. 4. *Qui numerat multitudinem stellarum*, verbi gratia, septem stellas septem ecclesiarum, vidensque aliquam cecidisse a charitate prima, dicat illi : « Pœnitentiam age (*Act.* VIII, 22). » *Numerat* ergo *multitudinem stellarum*, eorum videlicet, qui erudiunt multos ad justitiam, ac proinde D « quasi stellæ fulgebunt in perpetuas æternitates (*Dan.* XII, 3). » Etiam *stellæ* ad litteram sunt ei numerabiles, quod tamen ideo non est mirum, qui omnia scivit antequam fierent, et cujus memoriæ nulla succedit oblivio, ut sit argumenti hujus locus

a memoria, de qua dictum est : « Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt (*Psal.* CXIV, 7). » *Numerat* ergo *stellas, et omnibus eis nomina vocat*, quia in ejus memoria scripta sunt electorum *nomina*. Quid plura? Sicut laudabilis est de ineffabili scientia, sic laudabilis est etiam de ineffabili magnificentia. Nam illi, qui magnificentiam gloriæ sanctitatis ejus loquuntur, dicunt in veritate :

VERS. 5. *Magnus Dominus, et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus non est numerus.* Quamvis enim Deus fecerit omnia in mensura et numero et pondere, tamen ipsam mensuram et numerum et pondus, ubi Deus omnia disposuit, nemo potest metiri vel numerare vel appendere, quia incomprehensibilia sunt hæc. Nemo igitur se ad hoc extendat, ut comprehendat imcomprehensibilia. Possunt hæc ut B hæc per fidem apprehendi, non per intellectum comprehendi. Unde et sponsa dicit : « Dilecte mi, apprehendam te (*Cant.* VIII, 2), » non dicit : comprehendam, quia illi eum apprehendunt, qui ejus participes fiunt in illa civitate, de qua dicitur alias : « Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum (*Psal.* CXXI, 3). » Participes igitur ejus, quod est id ipsum, cives Jerusalem erunt, nec totum capient. Cum autem id ipsum non habeat partes, quis explicet, quomodo sint participes unius plures, quod ita est unum, ut nulla sit in eo diversitas vel partium vel formarum, cum sit ipsum forma simplicissima, de qua sunt omnia composita ipso permanente in simplicitate sua? Non C puto illud posse comprehendi, licet possit apprehendi nunc per fidem, posthac per manifestam visionem, sicut nunc solem visibilem per noctem sub terra esse credimus, in die autem super terram videmus eum, neque tamen splendorem ejus totum capimus, etiam cum ejus participationem vel ipsum solem vel cætera videmus. Restat igitur ut quandiu *sapientiam* Dei, cujus non est *numerus*, videre non possumus, dispositiones ejus non reprehendamus, quasi melius fieri potuerit vel possit, quam ipsa disposuit et disponit, quia, ipsa disponente, sic factum est in creatis, et sic dictum est in Scripturis, ut fieri et dici oportuit. Non corrigat æger medicamenta, quæ medicus temperat, ut et in creaturis adversa castigent, prospera consolentur, et in D Scripturis obscura exerceant, manifesta pascant. Quos exerceant, et quos pascant? Mansuetos, pios, mites, non obloquentes, aut ea, quæ non intelligunt reprehendentes temere, sed in mansuetudine suscipientes insitum verbum, quod potest salvare animas eorum, sive sit obscurum sive manifestum, sive percutiat vitia ipsorum sive commendet virtutes eorum, semper in mansuetudine suscipiendum, quia

VERS. 6. *Suscipiens mansuetos Dominus* tales in mansuetudine suscipit, qui verbum ejus in mansuetudine suscipiunt, et ei in nullo contradicunt. *Hu-* A *milians autem peccatores* et contradictores *usque ad terram* facit, imo permittit eos in verbis cœlestibus, nonnisi terram sapere ut Judæi et Manichæi, qui per verba legis frumentum, vinum, oleum, lac et mel promittentis terrena solummodo sapiunt, et in terrenorum bonorum vocabulis non sentiunt promitti cœlestia et spiritalia. Humiliantur itaque tales *usque ad terram*, dum non sapiunt nisi terrana. Quia ergo magnum est, et solius divini muneris proficere ad intelligendum et sapiendum spiritalia intra sanctuarium Dei abscondita, non irrumpamus ipsum sanctuarium superbis et immansuetis clausum; sed mansueti humiliter pulsantes ad ostium amici faciamus, quod sequitur :

VERS. 7. *Præcinite Domino in confessione. Præcinite*, vel sicut alius codex habet : *Incipite Domino in confessione* primo confitendo peccata, quibus obscuratum est cor vestrum, ne in Scripturis videat lumen verum : deinde quoque *confessione* laudis glorificate justitiam cuncta recte ordinantis. Taliter enim pervenitur ad intelligentiam cœlestium purgato cordis oculo ad videndum Deum, sicut scriptum est : « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* V, 8). » Ne autem *confessio* vestra sit inanis, et non sit jucunda decoraque laudatio deprompta ore solo : *psallite Deo nostro in cithara*, ut post confessionem sequantur opera bona tam in spiritali exercitio, ut est laborare in verbo Dei discendo, docendo, scribendo, legendo et quomodocunque seminando atque a volucribus et aliis cladibus custodiendo quod est psalterium jucundum, quam in corporali exercitio, quale intelligitur in opere manuum vel in ministerio Marthæ aut certe in carnis per abstinentiam castigatione, quod est *cithara*, de qua dicitur « psalterium jucundum cum cithara (*Psal.* LXXX, 3). » *Psallite* itaque *Deo nostro in cithara*, cui dico :

VERS. 8. *Qui operit cœlum nubibus, et parat terræ pluviam.* Qui contegit sensum cœlestem in Scripturis per sacramenta et figuras, ut incitet ad petendum, quærendum, pulsandum ad ostium amici; fidelibus autem fideliter petentibus et dicentibus : « Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum (*Isa.* XLV, 8), » *qui cœlum nubibus* vel ad litteram vel mystice operuit, qui figuris et sacramentis contegit Scripturam, ipse de ipsis *nubibus parat pluviam* per doctorum et expositorum industriam, quibus dilucidantibus obscura Scripturarum complentur corda hominum, ut faciant fructum centesimum, sexagesimum, tricesimum. Nec mirum, si per hanc *pluviam* facit fructificare campos et valles, mansuetos et humiles, *qui* etiam *producit in montibus fenum et herbam servituti hominum*, dum sublimes in sæculo facit fructuosos in eleemosynis erga spiritales Deo servientes.

Super hunc locum dicit beatus Gregorius in Job (76) : *Quid hoc loco per herbam, nisi sustenta-*

(76) Lib. XXIX Moral. cap. 26.

tio prædicantium demonstratur, cum dicitur : Qui producit in montibus fenum, et herbam servituti hominum? *In montibus quippe fenum, et fenum servituti hominum herba producitur, cum sublimes hujus sæculi ad communionem fidei vocati sanctis prædicatoribus in hujus vitæ itinere spiritualiter servientibus transitoria alimenta largiuntur.*

VERS. 9. *Qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum* (77). *Jumenta escam accipiunt, cum sacræ Scripturæ pabulo mentes dudum brutæ satiantur. Pullis corvorum, filiis scilicet gentium esca datur, cum eorum desiderium nostra conversatione reficitur. Iste corvus esca fuit, dum ipsum Ecclesia quæreret. Sed nunc ipse escam accipit, quia ipse ad conversionem alios exquirit : cujus videlicet pulli, id est prædicatores ex eo editi non in se præsumunt, sed in viribus Redemptoris sui. Unde bene dicitur :* Et pullis corvorum invocantibus eum. *Nihil enim sua virtute posse se sciunt, et quamvis animarum lucra piis votis esuriant, ab illo tamen, qui cuncta operatur, hæc fieri exoptant. Vera enim fide comprehendunt, quia « neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus* (*I Cor.* III, 7). »

Dicunt physici *pullos corvorum* non pasci a corvis antequam nigrescant, sed rore cœli desuper veniente feruntur pasci, et beneficio ætatis ignorant paternas escas, id est fœtores cadaverum : sic filii paganorum innocentes. Et vere patres nostri fuerunt *corvi* sive in paganismo carnalibus desideriis fœtidis, sive in judaismo carnalibus observantiis item fœtidis et in comparatione spiritalium sacrificiorum stercori assimilatis insidentes atque inde pastum quærentes. At nos ipsorum filii tanquam *pulli corvorum* talia spernimus, et gratia sancti Spiritus tanquam rore cœli cupientes pasci eumdem Spiritum jugiter invocamus, cui et sedem paramus in nobis per humilitatem et mansuetudinem scientes, ut supradictum est, quod *suspiciens mansuetos Dominus* detestatur superbos et immansuetos, quia

VERS. 10. *Non in fortitudine equi voluntatem habebit, neque in tibiis viri beneplacitum erit ei.* Per equum, cujus cervix alta indicat superbiam, notantur protervi et elati, qui Deo sunt odibiles. Per *ti-*A *bias viri* notatur lubricus incessus hominis protervi, qui notatur nomine *viri*, quia cum *vir* dicatur a virtute, qui se viros et fortes æstimant, in semetipsis confidentes Deum non invocant, sicut nos *pulli corvorum* fragiles et timorati Deum invocamus, scientes, quod beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eis, qui sperant super misericordia ejus.

Pro eo quod nos habemus : *In tibiis viri*, alia translatio habet : *In tabernaculis viri*, quæ multum differunt ab illo tabernaculo, de quo dicitur : « Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis (*Apoc.* XXI, 3). » Sunt enim *tabernacula viri* Antichristi conventicula, qui cum sit vir iniquus et linguosus, non dirigetur in terra. De cu-
B jus tabernaculis ego David, ego pœnitens ut David, ego parvulus ut David cupiens elongari « elegi abjectus esse in domo Dei mei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum (*Psal.* LXXXIII, 11). » A talibus ego despectus et abjectus desidero permanere in tabernaculis justorum Deum timentium et in Deo sperantium, quia

VERS. 11. *Beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus.* Bene jungitur spes timori tanquam superior mola inferiori, quia neutrum prodest absque altero. Unde in his, qui *timent* et *sperant, beneplacitum est Domino.* Judas pœnitens *timuit, sed non speravit* in *misericordiam*, unde abiens laqueo se suspendit. Ergo qui timet Deum justum ultorem, spe misericordiæ Dei
C confortatus fugiat ad ipsum pium indultorem. Ab ipso ad ipsum confugiat, ab ipso irato ad ipsum placatum. Qui licet sit iratus propter peccatum, tamen se *timentibus* et in se *sperantibus* est placatus per sacrificium sibi oblatum in cruce Domini nostri Jesu Christi, cui honor, virtus, victoria in omnia et per omnia sæcula sæculorum.

Gloria Patri, qui est *magnus Dominus. Gloria Filio*, qui est *magna virtus ejus et sapientia, cujus non est numerus. Gloria Spiritui sancto*, qui est *misericordia ejus*, qua concluditur hic psalmus, cum dicitur : *Beneplacitum est Domino super timentes eum et in eis qui sperant super misericordia ejus.*

PSALMUS CXLVII.

Lauda, Jerusalem, Dominum : lauda Deum tuum, Sion. Ex illa Israelis congregatione, ex illorum contritorum salvatione, ex illarum stellarum vocatione vel numeratione, de qua præcedenti psalmo est actum, una civitas fit Jerusalem cœlestis, quam et
D consequenter psalmo isto ad laudandum invitat David dicens : *Lauda Jerusalem.* Titulus est :

ALLELUIA, vel PSALMUS AGGÆI ET ZACHARIÆ.

Isti duo prophetæ licet in captivitate et peregrinatione anxiati, spe tamen gaudentes et in tribula-

(77) S. Greg. Mag. lib. XXX Moral. cap. 9.

tione patientes reparationem Jerusalem prophetaverunt, quæ, sicut Jeremias prædixerat, post septuaginta annos facta est, in figura cœlestis Jerusalem, quæ post volubilitatem temporis hujus, quod septem diebus agitur, est perficienda. Quod sanctus David prævidens, quamvis adhuc in captivitate peregrinus inter cives Babyloniæ detentus, cor sursum levans applaudit illi civitati, quæ sursum est Jerusalem libera, quæ est mater nostra, cui et nos applaudamus dicendo assidue :

VERS. 12. *Lauda Jerusalem Dominum. O Jerusalem* jam videns pacem, *o Sion*, quæ jam, quod speraveras, contemplaris. *Lauda Dominum*, qui te potenter ædificavit. *Lauda Deum tuum*, qui te ad visionem suæ divinæ claritatis perduxit. *Lauda* secura transactis laboribus et angustiis, universis hostibus tuis omnibus exclusis, qui ulterius non poterunt irrumpere vel irrepere in te ;

VERS. 13. *Quoniam seras portarum tuarum*, quas ante sæcula præordinavit, jam *confortavit*. Fatuis virginibus exclusis clausa est janua, et « ab oculis eorum, » qui sunt intus « abstersit Deus omnem lacrymam, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, quoniam priora transierunt (*Apoc.* XXI, 4). » Non exit amicus, non intrat alienus. Ideo secure *lauda*, o superna civitas ex vivis lapidibus constructa, nemo te ulterius turbabit, non exit domesticus, non intrat hostis. Nemo exit, unde doleas ; nemo intrat, quem timeas, ut nullo scandalo perturbentur deliciæ benedictionum, quibus conditor tuus *benedixit filiis suis in te* quiescentibus, nec forinseca mala sentientibus, ut nos adhuc sentimus, quia manentes in corpore peregrinamur a te, licet corda sursum levantes mente ac spiritu conversemur in te, ut ille civis tuus, qui dixit : « Nostra autem conversatio in cœlis est (*Philipp.* III, 20). » Qui hoc vere ac sincere dicunt, jam spe salvi facti sunt, nondum re, qua fruuntur *filii tui*, qui sunt *in te*, quia quidquid est interius, visione pacis fruitur : extra est gehenna, extra est Babylonia civibus tuis inimica. De cujus infestatione te securam fecit.

VERS. 14. *Qui posuit fines tuos pacem*. Et ne pace, quam habes a malis, ulla sit egestas aut defectio in bonis : *Adipe frumenti satiat te* ipse, qui factus est granum frumenti propter te, ne in laboribus deficeres, refocillandam et in pace satiandam, non quomodocunque, sed *adipe frumenti*, ut qui nunc aluntur in peregrinatione quasi cortice panis vivi, sacramentis visibilibus obtecti, ad visionem pacis introducti ejusdem panis *adipe ac pinguedine* satientur. Quam satietatem concupiscens dico ego David : « Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea (*Psal.* LXII, 6). » Beati ergo qui nunc esuriunt et sitiunt panem vivum, qui de cœlo descendit, quoniam ipsi saturabuntur, quando hujus panis *adipe* replebuntur. Ista satietas erit in patria sabbatizantibus. Hic vero peregrinantibus quis erit consolator et pastor, ne deficiant in via? Si enim di-

A mittentur jejuni sine viatica refectione, deficient in via. Quidam enim ex eis de longe venerunt, usque adeo de longe, ut quidam ex eis nivi nimium frigidæ comparentur, maxime illis diebus, in quibus abundante iniquitate refrigescet charitas multorum; quidam vero nebulæ pro caligine peccati oculos mentis præpediente assimilantur. Et quidam nimis indurati ad malum suæ mentis propositum, licet clari per ingenium naturali subtilitate lucidum, comparantur crystallo. Ad hujusmodi peccatores frigidos, nebulosos, duros, in civitatem Jerusalem colligendos, et a sua malitia convertendos quis artifex, quis operarius erit idoneus? Ille certe,

VERS. 15. *Qui emittit eloquium suum terræ*, de quo alias dicitur : « Misit verbum suum, et sanavit
B eos (*Psal.* CVI, 20). » Hoc *eloquium*, hoc verbum caro factum *terræ*, id est Ecclesiæ missum quasi manna, imo revera manna, panis angelorum, in hujus peregrinationis deserto reficit peregrinantes ad illam repromissionis *terram* festinantes, in qua satientur *adipe frumenti*, non ulterius egentes exteriori crusta visibilium sacramentorum panis vivi, de quo et nunc reficiuntur et in futuro satiabuntur, completis omnibus mirabilibus operibus, propter quæ consummanda missum est in *terram* hoc *eloquium*, hoc Verbum incarnatum, hic sermo egressus de ore paterno, ita ut a summo cœlo esset egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus. Ad occursum istum cito consummandum, ita ut et nos occurramus in virum perfectum in mensu-
C ram ætatis plenitudinis Christi, *velociter currit sermo* iste, cujus in odore nobis quoque currendum est non tam gressibus pedum, quam processibus virtutum in anteriora tendentium, oblitis, quæ retro sunt. Currit ille tanquam gigas, cujus cursui nihil obsistere potest. Currat etiam post illum sponsa, quæ si se nivali frigore vel nebulosa caligine præpediri sentit, præcurrenti *velociter* sponso dicat assidue in orationibus et gemitibus inenarrabilibus : « Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum (*Cant.* I, 3). » Sic orantes, ne fuga nostra fiat in hieme vel in nebula, ille nos exaudiat.

VERS. 16. *Qui dat nivem sicut lanam, nebulam sic-*
D *ut cinerem spargit*, ad litteram faciendo, ut nix molliter et quasi carptim in modum *lanæ* cadat, et *nebula* quasi *cinis* in latum *sparsus* impleat campos, valles et operiat montes, quæ sunt magna Dei opera nulli præter ipsum possibilia. Sed alia per hæc significantur longe his majora et mirabiliora. *Dat* quippe *nivem sicut lanam*, cum de frigidis ac pessimis hominibus facit sibi materiam ad vestem illam texendam, quæ significata est, ubi Christo in monte transfigurato « vestimenta ejus candida » erant « sicut nix (*Matth.* XVII, 2). » In illis quippe vestimentis Ecclesia figurata est, quæ, cum Christus apparuerit in gloria sua, tunc et ipsa pariter apparebit cum ipso in gloria. Ille itaque *dat nivem sicut lanam*, qui de impiis pios faciens adauget san-

ctam Ecclesiam, tunicam suam inconsutilem, desuper contextam per totum fide per dilectionem operante, quæ nimirum fides est illa mulier fortis, cujus in hoc apparet industria, « quod quæsivit lanam et linum et operata est consilio manuum suarum (*Prov.* xxxi, 13), » viro suo Deo totius operis consilium et auxilium dante, qui et *nebulam sicut cinerem spargit*, dum per caliginem peccati obscuratos facit vere humiles et pœnitentes, quales per *cinerem* significantur dicente sancto Job : « Ago pœnitentiam in favilla et cinere (*Job* xlii, 6). » Abraham quoque loquens cum Deo magnæ sibi humilitatis conscius dixit : « Loquar cum Domino meo, cum sim cinis et pulvis (*Gen.* xviii, 27). » Tales de *nebula* Deus facit, cum de superbis humiles facit, quia superbia oculos mentis excæcat, quos humilitatis et pœnitentiæ collyrium illuminat. Unde in Apocalypsi (cap. iii, 18) cuidam per superbiam cæcato consulitur, ut inungat oculos suos collyrio pœnitentiæ, quæ, ut dictum est, notatur in *cinere*. Hunc *cinerem* Deus non solum facit ut sit, sed etiam *spargit*, ut aliis prosit, cum vere humiles ac pœnitentes in exemplum proponit multis tali exemplo convertendis. Sic latro pœnitens, Petrus lacrymans, Maria plorans, aliique humiliter pœnitentes late *sparsi* ad multorum notitiam provocant multos ad pœnitentiam in *cinere*, hoc est, in humilitate agendam. Unde cum pœnitentia universalis et quadragesimalis imponitur, ad impositionem *cineris* dicitur : Memento homo, « quia pulvis es, et in pulverem reverteris (*Gen.* iii, 19). » Nomine pulveris aut *cineris* exprimente humilem pœnitentiam, qua nondum consummata pendent vela in Ecclesia prospectus oculorum præpedientia, donec acta pœnitentia per Christi passionem, velo templi scisso deponantur etiam vela nostra etiam in Ecclesia manufacta, significante aliam Ecclesiam non manufactam, de vivis lapidibus constructam, cujus altare ac sacerdos Christus est,

Cujus faber auctor lucis,
Cujus porta signum crucis
Cujus muri lapis vivus,
Cujus custos Rex festivus.

Vers. 17. Qui *mittit crystallum suam sicut buccellas*, vel sicut habent quidam codices : *Mittit crystallum suam sicut frusta panis. Buccellas* autem *aut frusta panis* de *crystallo* fieri ad litteram quis asserat, cum hoc rerum natura prohibeat? Non ergo hic stare potest litteralis intellectus ut in prioribus miraculis usitatis et quasi naturalibus, cum et nix desursum cadens quasi lana spargatur, et nebula item spargatur ad litteram grandi opificis miraculo, et hoc idem longe magnificentius fiat sensu mystico, ut ex parte ostensum est. Porro ut de *crystallo* panis fiat, omnino est insolitum ad litteram. Sed mystice id fieri constat per illum, qui *crystallum suum*, vel sicut grammatici volunt, *suam*, facit mollescere, dum corda indurata per malitiæ frigus calore sui amoris facit mollia et sapida ut frusta panis. Omnes enim fideles unum corpus, unus panis sunt, singuli autem sunt frusta seu *buccellæ panis*. Est autem *crystallum* quædam species lapidis in modum candidi et perspicui vitri, et dicitur nix glacie durata per multos annos diuturno frigore, ut resolvi non possit quandiu aqua nivalis in glaciem versa duritiam lapidis induit, ut sit *crystallum* sive *crystallus* (utrumque enim dicitur) nullo humano ingenio effici potest, ut in aquam, de qua esse habet, resolvatur. Sed posse hoc facere Deum nullatenus dubitandum est. Similiter quidam naturaliter molles, per malitiam sic indurantur, ut fiant obstinati et ita pertinaces in malo, ut nulla humana industria valeant a malo ad bonum converti. Sed quod impossibile est apud homines, possibile est apud Deum, qui *mittit crystallum suam sicut buccellas* aut *frusta panis* temperando frigus hiemale, quod nisi ipse temperet, *ante faciem frigoris ejus quis sustinebit? Frigoris ejus* dico, non quod facit, sed quod sinit fieri peccatis hominum exigentibus, ut flante aquilone indurescant *aquæ multæ*, quæ *sunt populi multi*, per malitiam congelati, nec tamen desperandi (*Apoc.* xvii, 15), quia, cum Dominus voluerit,

Vers. 18. *Emittet verbum suum et liquefaciet ea*, quæ per aquilonem sunt congelata sive in nivem facile solubilem, sive in glaciem difficile solubilem, sive in crystallum nulli humano ingenio solubilem, sed soli Deo, qui *emittit eloquium suum* præcipiens aquiloni, ut surgat et abscedat, atque austro, ut veniat. Quo flante *liquefaciet ea*, scilicet glaciem, nivem, nebulam, crystallum; quia *flavit spiritus ejus*, auster videlicet ventus calidus e regione solis veniens, quem mittet Pater in nomine Filii solis æterni, *et fluent aquæ*, ut inde bibant alii, unde prius nemo potuit refici.

Super hunc locum dicit beatus Gregorius in Job (78) : *Per aquas fluentes populum ad se currentem Dominus signat. Aquæ namque de gelu currunt, quia plerique ex duris persecutoribus magni prædicatores fiunt. Gelu in aquam liquitur, cum torpor interni frigoris ad irrigationem vertitur prædicationis. An Paulus gelu non erat, qui acceptis epistolis Damascum pergens in corde fidelium quasi in terra Dei jacta verbi semina, ne ad perfectionem operum surgerent, restringere quærebat? Sed gelu hoc in aquam rediit, quia quos persequendo prius premere studuit, hos postmodum fluentis sanctæ exhortationis infudit, ut tanto uberior electorum messis exsurgeret, quanto hunc imber Dei etiam ab ore persequentis irrigaret.*

Hæc dicente sancto Gregorio, nos illa consona sentiendo dicimus, quod Paulus *crystallus* fuit, durus et nitidus, in lege peritus; hoc autem Deus solvit. Sed nisi solvat, *ante faciem frigoris ejus quis sustinebit*, vel quis subsistet? Frigus est ejus, quod deserit, non vocat, non illustrat. Et quis solvet? Nul-

(78) Lib. xxvii Moral. cap. 29.

lus. « Quis me liberabit de corpore mortis hujus? » (*Rom.* VII, 24). » Frigesco, nullus solvit, nisi *gratia Dei*, qui *emittit verbum suum :* Veniente verbo nec frigus nivale nec obscuritas nebulæ, nec duritia crystalli desperet. Salubriter liquefiunt, et fluenta beneficii spiritalis profundunt aliis, non sua virtute, sed illius munere.

VERS. 19. *Qui annuntiat* etiam per tales ministros *verbum suum Jacob*, quique per semetipsum in carne apparens *annuntiavit verbum suum*, de quo ipse dixit : « Et sermonem quem audistis, non est meus, sed ejus, qui misit me, Patris (*Joan.* XIV, 24). » *Annuntiat* ergo *verbum suum Jacob*, juniori populo, Esau fratre seniore foris occupato, Judaico videlicet populo et quolibet carnali, venationibus rerum temporalium dedito. Huic *Jacob* simplici cum Rebecca, id est cum patientia in tabernaculis quiescenti *annuntiat justitias et judicia sua*, videlicet quod justo judicio Esau, id est quisque carnalis temporalium venator, sive Judæus sive gentilis reprobatur, et *Jacob* simplex benedicitur.

VERS. 20. *Non fecit taliter omni nationi*, qualiter fecit Israeli undecunque carnaliter genito, sed æternaliter dilecto, sicut ex persona ipsius Dei dictum est : « Jacob dilexi, Esau autem odio habui (*Malach.* I, 2, 3). » Nomine *Jacob*, qui et Israel, significantur omnes electi et Deo, antequam nascerentur, dilecti, quibus antequam essent, et antequam quidquam boni vel mali facerent, bene fecit Deus eos ad salutem prædestinando. *Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis*, videlicet, quare hunc elegerit potius quam hunc, cum neque ille neque iste gratiam prævenientem promeruerit vel demeruerit, sicut in duobus geminis Esau et Jacob ostendit populus, qui et admirans hæc judicia sibi annuntiata, licet non plene manifestata, exclamat : « O Altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! » (*Rom.* XI, 33.)

Gloria Patri emittenti Verbum suum. *Gloria Filio* ipsi Verbo. *Gloria Spiritui sancto*, quo flante fluent aquæ. Amen.

Ut jam superius designavimus, novissimi septem psalmi texuntur in laude Dei, quorum jam quatuor præmisimus, quibus adhuc tres adnectendi sunt, qui sub una *gloria* solent pronuntiari ad ostendendam gloriam summæ Trinitatis. In quatuor autem præcedentibus decentissimus ordo elucet. In primo de præceptis divini præconii, in secundo de perversitate mundi fugienda, in tertio de congregatione Ecclesiæ. In quarto collectæ in unam civitatem laudes imperat Spiritus loquens in his psalmis. Illius civitatis choro, de mundi partibus aggregato, trina exsultatione subnectit gaudendum esse, ut in hoc opere gratia Trinitatis eluceat, quam trium psalmorum subsequentium continua jubilatio insinuat. Post omnes enim psalmos de diversis materiis præmissos tandem quasi choris ad laudandum constitutis intonante multitudine incipitur laus universalis cum jubilantibus voce sua creaturis universis, continuusque concentus absque intermissione, sine interstitio, clamorem extendit tribus, qui supersunt psalmis.

Primo Spiritus sanctus, qui est charitas, dicit in titulo *Alleluia*. Mox quasi titulum exponendo dicit : *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis.* Laudat cœlestium chorus, laudant omnes angeli, laudant omnes virtutes, laudant omnia cœlestia visibilia seu invisibilia. Quare? « Quia ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt (*Psal.* CXLVIII, 5). » Deinde laudat terra et omnia terrestria, quia visitavit, quam creaverat, terram et fecit ut esset confessio ejus non solum super cœlum, sed et super terram. Ergo materia laudum hujus psalmi est, quod cuncta creavit, et genus humanum redemit. Sequenti psalmo itidem Spiritus sanctus dicit *Alleluia. Cantate Domino canticum novum, laus ejus in Ecclesia sanctorum.* Quare? *Quia beneplacitum est*, inquit, *Domino in populo suo*, quia *exsultabunt sancti in gloria*, quia *exsultationes Dei in gutture eorum*, quia *gladii ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus, ut faciant in eis judicium conscriptum*. Ergo materia cantici vel laudis in hoc psalmo inde est, quod sæculum judicabit, et sanctos suos in judicio glorificabit. Psalmo ultimo itidem dicit Spiritus charitatis *Alleluia, Laudate Dominum in sanctis ejus, laudate eum in firmamento virtutis ejus.* Laudate, dicit, et nullam causam, cur laudent, subjungit aut interponit, sicque concludit ad ultimum : *Omnis spiritus laudet Dominum.* Ergo materia laudum in hoc psalmo illa est futuri sæculi beatitudo ineffabilis vel qualis non potest dici, non potest æstimari, quam oculus non vidit, quam auris non audivit, quæ in cor hominis non ascendit.

PSALMUS CXLVIII.

Laudate Dominum de cœlis.

Quidam codices habent in titulo : PSALMUS AGGÆI ET ZACHARIÆ. ALLELUIA. (VERS. 1) Qui titulus in præcedenti psalmo expositus non indiget iterata expositione. Adjicienda tamen est admonitio, ut memores inter cives Babylonis civium supernorum, Deum jugiter laudantium, contempta Babylone sursum corda levemus, et angelis Deum laudantibus

consociemur voto eorum laudibus congratulando et consentiendo. Sic enim fiet, ut eorum laudes nobis reputentur in tale meritum, cui debeatur æternum præmium : sicut e contrario, qui diabolo et angelis ejus aliisque male facientibus consentiunt, ipsi consentientes una cum facientibus peribunt, nisi pœnitentiam egerint. Scimus autem, quia vos angeli cœlestes etiam nemine admonente jugiter laudatis Dominum; sed ut nos infirmi terrena inhabitatione gravati, atque in Babylone captivati efficiamur consortes vestræ jubilationis, qua gloria canitur in excelsis Deo, vobis laudantibus applaudentes dicimus: *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis.*

VERS. 2. *Laudate eum, omnes angeli ejus*, qui ejus consilia vel judicia intus audita foras nuntiatis. *Laudate eum, omnes virtutes ejus*, per quas miracula solent fieri, vel quia *virtutes* generaliter possunt nominari omnes illi spiritus cœlestes, ex quibus millia millium ministrant Deo, foras missi ac proinde *angeli*, hoc est, nuntii sunt nominati, et decies millies centena millia, qui assistunt ei summa requie cum ipso fruentes, vos *omnes virtutes* cœlestes, qualitercunque distinctæ in ordinibus et ministeriis vestris, *Laudate Dominum*, ad cujus laudem non solum cœlestia, sed etiam terrestria, non solum sensibilia, sed etiam insensibilia sunt invitanda, quæ licet per se non habeant vocem laudis, tamen considerata pariunt laudem in cordibus ea considerantium, et hominum. Atque ideo pro suo modo Creatorem suum laudant, quem laudabilem suæ ordinationis pulchritudine ostendunt, per quod se intuentes ad laudem sui Creatoris et ordinatoris accendunt. Et sic omnia creata cooperantur in laudem sui Creatoris, quanquam sola rationalis creatura sensum et affectum laudandi habere valeat. Sicut enim in illo musico instrumento, quod psalterium dicitur, solæ chordæ sonant, sed lignea materia, cui chordæ sunt innexæ, ad idem cooperatur : sic in tota universitate rerum solummodo boni homines et *angeli* ex affectu laudant Creatorem, cæteris creaturis in idipsum cooperantibus, et sui consideratione Creatorem demonstrantibus laudabilem, primo ex potentia, qua de nihilo cuncta creavit, deinde a sapientia, qua disponens omnia et attingens a fine usque ad finem, ab archangelo usque ad vermiculum, et a primordiali causa usque ad finalem nihil relinquit in regno suo inordinatum sive bonum sive malum. Postremo laudabilis ostenditur ex illa bonitate, qua facit omnia cooperari in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt sancti.

Hæc potentia, sapientia, bonitas æterna Trinitas est in unitate et unitas in Trinitate, in semetipsa invisibilis et abscondita, sed in creaturis potenter, sapienter et utiliter ordinatis conspicua quasi per speculum et in ænigmate. Verbi gratia : In sole isto visibili essentialiter, non accidentaliter splendido et calido agnoscitur Deus Pater æternus, cui est Filius consubstantialis tanquam splendor, imo vere splendor coæternus, et de utroque procedens amborum Spiritus calor æternus. In cujus Trinitatis laude hymnizat Ecclesia tanquam luna soli supposita, et singuli fideles tanquam stellæ in hunc modum :

Splendor paternæ gloriæ,
De luce lucem proferens,
Lux lucis et fons luminis,
Dies dierum illuminans,
Verusque sol illabere
Micans nitore perpeti,
Jubarque sancti Spiritus
Infunde nostris sensibus.

Ad hujusmodi laudes nos ad laudandum pigros intuitu vestræ plenitudinis excitando *laudate Dominum* cuncta cœlestia corpora.

VERS. 3. *Laudate eum, sol et luna, laudate eum, omnes stellæ et lumen* firmamenti sive nubium in die candentium, sive omnium undecunque et qualitercunque lucentium.

VERS. 4. *Laudent eum, cœli cœlorum*, quia plures *cœli* sunt, cum et aer iste vicinus terræ vocetur *cœlum*, in quo natant et volant volucres *cœli*, et alii superiores *cœli* circuli planetarum distincti, quorum supremi recte dicuntur *cœli cœlorum. Et aquæ, quæ super cœlos sunt,*

VERS. 5. *Laudent nomen Domini*, per cujus dominium agitur, ut aquæ superiores ab inferioribus distinguantur mediante firmamento, sicut dictum et scriptum est : « Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividant aquas ab aquis (*Gen.* I, 6). » Omnia ista *laudent* Dominum laudabilem ostendendo Dominum ipsum, *quia ipse dixit, et facta sunt*, ipso dicente per verbum ejus omnia formata sunt in suis naturalibus formis. *Ipse mandavit, et creata sunt* in suis materiis non Deo coæternis, ut quidam philosophorum putabant, sed ex nihilo, et omnino ex non esse accipientibus esse materiale substans formis naturalibus et accidentalibus, quibus formis alternantibus, licet varientur ipsa creata, tamen

VERS. 6. *Statuit ea*, quia licet cœlum et terra transeant, ut fiat cœlum novum et nova terra; tamen permanet eorum natura, etiam prætereunte figura, quia qui ea de nihilo creavit, ipse quoque, ne redigantur in nihilum, *statuit ea in sæculum et in sæculum sæculi*, ne unquam penitus pereant, sed permaneant, quædam meliorata et innovata in novo cœlo et in nova terra tanquam in regali aula, quædam de aula Dei segregata et in carcerem detrusa taliterque illic ordinata, ut etiam ex tali ordinatione debeantur laudes Creatori et ordinatori, qui creaturæ a se conditæ *præceptum posuit, et non præteribit*, quod in revolutione firmamenti et solis ac lunæ aliorumque siderum permaxime apparet, quibus *præceptum posuit*, ut sint in signa et menses et tempora et annos, et nihil horum præteribit sibi statutum cursum. Nam etsi sol stetit, jubente Josue (cap. X, 13), qui et reversus est Isaia (cap. XXXVIII, 8) orante

per decem lineas, hoc ipsum fuit constitutum, ut esset in signum rerum futurarum, videlicet majoris Jesu præceptoris, cui non tantum sol, sed et omnia creata obeditura essent, et majoris Isaiæ, qui potens esset non solummodo mortalem vitam prolongare, sed et vitam æternam donare, de quo sicut dicitur : « Ecce plus quam Salomon vel Jonas hic (*Matth.* XII, 41, 42) ; » ita possumus dicere in veritate : Plus quam Josue, vel Isaias hic. Enumeratis cœlestibus, quibus est motus ordinatissimus, nunc terrestria commemorantur, ut sunt

VERS. 7, 8. *Dracones et abyssi*, etc. Sunt autem *abyssi* profunditates aquarum, præcipue maria omnia quæ, licet littoribus cincta sint, videntur tamen pluribus in locis fundo carere, quod notatur nomine *abyssi*. Aer quoque nubilosus ad *abyssum* pertinet, ubi nubes, venti, tempestates, pluviæ, coruscationes, tonitrua, *grando*, *nix*, et quidquid de humido et caliginoso aere vult Deus fieri super terras, totum *terræ* nomine appellavit, quia nimis mutabile est. Hæc autem omnia, etsi mutabilia et turbata, habent tamen locum et ordinem suum, et pro modo suo implent decorem universitatis, et sic laudant Deum. Ipsam ergo, id est nos eorum consideratione hortatur laudare. *Quæ faciunt verbum ejus*, quia visum fuit quibusdam, quod Deus superiora regeret, sed hæc inferiora despiceret et casibus regerentur. Sed et hoc agit Deus, et in his minimis laudatur, et *Alleluia* cantatur. In eo quod *ignis* jungitur *grandini*, constat illum *ignem* hic intelligi, qui excutitur de nubibus grandinantibus et fulgurantibus. Similiter cum *glacies* jungitur *spiritui procellarum*, qui *Spiritus* intelligitur ventus movens *procellas*, recte *glacies* intelliguntur lapides grandinis, qui non aliud sunt, quam nix vel aquæ in aere congelatæ per gelidum spiritum vel ventum *procellarum*. *Quæ* omnia *faciunt verbum ejus*, ita ut nihil per ea fiat motu fortuito, sed omnia faciant ex nutu verbi Dei cœlitus ordinato. Descriptis ex parte, quæ in aere versantur, ut *dracones*, qui versantur in aquis, et prodeuntes de speluncis feruntur in aera, quibus non sunt majora corpora super terram volantia, unde et ab eis cœpta est laudatio *de terra;* veniamus ad montes et colles, aliaque omnino terrestria, et dicamus cum Psalmista :

VERS. 9. *Montes, et omnes colles, ligna fructifera*, sicut malus, pirus, ficus ; et non fructifera, sicut abies, cypressus, *et omnes cedri* quæ, licet fructum non afferant, attamen tigna cedrina, cypressina et

A abiegna sunt in ædificiis utilia, et laudem Dei excitantia, verbi gratia, cum dixit Sponsa Sponso suo immortali : « Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina (*Cant.* I, 16), » *laudent nomen Domini.*

VERS. 10. *Bestiæ* indomitæ, ut sunt ursi, lupi, leones, tigrides, *et universa pecora*, ut sunt boves, oves, aliaque animalia domita : *serpentes*, per terram sine pedibus repentes, et omnia reptilia non pedibus ambulantia, sed costis aut squammis in anteriora nitentia, *et volucres pennatæ laudent nomen Domini.* Post corpora cœlestia luminarium solis, lunæ, stellarum et corpora omnino terrestria, ut sunt *bestiæ*, *pecora* et *serpentia* veniamus ad homines omnibus his præcellentes, quia non homo propter hæc, sed hæc omnia propter hominem creata sunt. Et ideo in his, et præ his omnibus homines debent laudare nomen Domini. Ad quod ego David invito eos, dicens :

B

VERS. 11, 12. *Reges terræ et omnes populi, principes et omnes judices terræ, juvenes et virgines* de omni sexu et ætate, *senes cum junioribus laudent nomen Domini*, qui dignus est laude, habente materiam a sua magnificentia et potentia.

VERS. 13. *Quia exaltatum est nomen ejus solius.* Angelus apostaticus voluit in cœlo similis esse Altissimo, qui peccati hominem, filium perditionis ingressus extollendo se supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, voluit haberi altior Altissimo. C Sed angelo in cœlis, et Antichristo in terris confutato *exaltatum est nomen ejus solius*, qui solus sanctus, solus est Dominus, solus Altissimus, Jesus Christus cum sancto Spiritu in gloria Dei Patris, cui quia omne genu flectitur cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confitetur, vere dicitur :

VERS. 14. *Confessio ejus super cœlum et terram*, dum « pleni sunt cœli et terra gloria ejus (*Isa.* VI, 3). » *Et exaltabit cornu populi sui*, quia omnia « cornua peccatorum » confringentur, « et exaltabuntur cornua justi (*Psal.* LXXIV, 11). » *Hymnus*, id est laus Dei cum cantico erit in perpetuum *omnibus sanctis ejus, filiis Israel.* Atque ut evidentius intelligatur, quos dicam *sanctos* et *filios Israel*, dico D manifeste *populo appropinquanti sibi*, quomodo ei appropinquavit Jacob, qui et *Israel*, cum eo luctans precibus et fletibus, donec surgente aurora obtinuit benedictionem (*Gen.* XXXII, 26 et seqq.).

PSALMUS CXLIX.

Cantate Domino, etc.

Titulus *Alleluia* (VERS. 1) patet. Sicut prior psalmus bipartitus in priori parte cœlestia invitavit ad laudem Dei, in secunda vero terrestria item commonuit laudare Deum : sic et iste sequens bipartitus est. Materia vero ejus est laus Dei exaltantis populum suum.

In prima parte agit de benignitate, quam confert

suis Deus, faciens, ut Israel. In secunda de gaudio A et potestate ipsorum quam super impios exercebunt ad faciendam vindictam super illorum nequitiam. Et notandum quod, cum in præcedenti psalmo fuerit magna materia laudis potentia creantis omnia cœlestia et terrestria, major laudis materia in isto psalmo est clementia exaltantis, mansuetos in salutem, et eosdem confirmantis ad faciendam vindictam in nationibus, juxta quod scriptum est: « Judicabunt nationes, et dominabuntur populis (*Sap.* III, 8). » Istam potentiam et istam clementiam considerantes, o vos omnes fideles,

Cantate Domino canticum novum de Novo Testamento informati, ut in novitate vitæ ambuletis, et de mysterio redemptionis Redemptorem vestrum laudetis *novo cantico*, novo conversandi modo, veteri fermento expurgato, veteris hominis imagine deposita, et novis hominis conformitate inducta. Sic lauda te Deum non ubicunque, non in schismate, vel hæresi manifesta, non in conventiculis perversorum dogmatum vel perniciosarum consuetudinum, sed *in Ecclesia sanctorum*, quia *laus in Ecclesia sanctorum* solummodo est acceptabilis, non in synagoga Satanæ, non in congregatione Chore, Dathan et Abiron, qui eriguntur contra verum Aaron, contra verum et sanctum sacerdotium, quod est solummodo *in Ecclesia sanctorum*, sive nunc peregrinantium, sive in cœlo regnantium utrobique hostiam *laudis*, hostiam jubilationis immolantium. Talium sanctorum cœtui aggregatus

VERS. 2. *Lætetur Israel*, in quo dolus non est, lætetur, inquam, non in se, sed *in eo, qui fecit eum* esse *Israel*, cum prius fuisset *Jacob*. *Lætetur* non in sua virtute, sed in illius bonitate, qui ei contra vitia luctanti largitus est victoriam, dicens ei: Nequaquam ultra vocaberis Jacob, sed Israel nomen tuum, quoniam si contra Deum fortis fuisti, » cui benedictionem precibus et fletibus extorsisti, « quanto magis contra homines prævalebis (*Gen.* XXXII, 28) » ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis? *Lætetur Israel*, vir videns Deum facie ad faciem, qua visione salva facta est anima ejus. *Lætetur in eo, qui* talem *fecit eum*, ut in superna Jerusalem videat Deum, de præsenti et peregrinante illuc *Sion* translatus vel spe vel etiam re, ut illi, qui dicere possunt: « Nostra autem conversatio in cœlis est (*Philipp.* III, 20). » Et *filiæ Sion*, infirmiores scilicet personæ vix per speculum et in ænigmate contemplantes regem suum carnis trabea indutum et diademate, quo coronavit eum mater sua ornatum, *exsultent in* ipso *rege suo* assidue illi canentes: « Dominus regnavit decorem indutus est (*Psal.* XCII, 1). » Item: « Dominus regnavit, exsultet terra (*Psal.* XCVI, 1). » Item: « Exaltabo te, Deus meus Rex (*Psal.* CXLIV, 1). » Item: « Tu rex gloriæ Christe, tu Patris sempiternus es Filius » et cætera cantica *Regem* istum glorificantia. Et quia in scissura mentium discordantium laus Dei non bene sonat, quam discordiæ raucitas perturbat, et quia non in contentione et æmulatione Deus pacis quiescit,

VERS. 3. *Laudent nomen ejus in choro* consonantium et cohabitantium in unum, dicentium et sapientium id ipsum in ea charitate, quæ « patiens est, benigna est, non inflatur, non æmulatur, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati (*I Cor.* XIII, 4-6). » Item quia non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis Deo serviri potest, *laudent* eum filiæ Sion *in tympano* carnem suam desiccando et mortificando atque crucifigendo: quia *tympanum* est corium dessiccatum ligno superextensum. In tali *tympano* rex noster tympanizavit, quando expansus in ligno crucis pro suis crucifixoribus oravit. B Sic sancti martyres tympanizaverunt, qui agonizantes in tribulatione pro adversantibus et calumniantibus oraverunt. Sic omnes illi tympanizant, qui a vitiis et carnis deliciis abstinentes, dum se castigant foris, oleo lætitiæ intus perfusi exsultant, neque faciem suam sicut hypocritæ, tristes, exterminant, sed suo tympano jungunt *psalterium* jucundum, quod quia de superiori sonat, gaudium supernum significat. Erit autem in futuro magna exsultatio de *tympano et psalterio* non ipsa tympanizandi vel psallendi actio, sed de præteritis actibus gratiarum actio. Igitur *in tympano et psalterio psallant ei*, quo volunt sapienter *psallere* Regi illi, qui amat carnis munditiam, et mentis castam lætitiam quasi *tympanum* cum *psalterio*, quasi lampadem foris ardentem C cum oleo in vase conscientiæ abscondito. Lætetur Israel, exsultent filiæ Sion, cantent canticum novum. Quare? Quam ob causam?

VERS. 4. *Quia beneplacitum est Domino in populo suo*. In conditione rerum vidit Deus cuncta, quæ fecerat, et erant valde bona, nihilque illi displicuit in his, quæ ipse bonus bona fecerat omnia. Sed postea peccatis emergentibus pœnituit Deum fecisse hominem, quia non fuit ei *beneplacitum* in homine peccante, ac Dei opus in se deformante. Postquam vero de virgine genitus est homo sine peccato, in eo sic *beneplacitum* est Deo Patri, ut et illi diceret: « Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui (*Matth.* III, 17), » et omnium illi per fidem et D dilectionem adhærentium benigne memor esset in *beneplacito populi sui*. Hoc est ipsi orant, dicentes: « Memento nostri, Domine in beneplacito populi tui, visita nos in salutari tuo (*Psal.* CV, 4). » Laudetur itaque Deus *in tympano et psalterio, quia ei beneplacitum est in populo suo, et exaltabit mansuetos in salutem*. Mundus in maligno positus *mansuetos* despicit, nec illos libenter exaltat in aliqua dignitate spiritali vel sæculari timens ab eis ad bonum constringi, malos vero exaltat in perditionem sui et aliorum. Sed Dominus dominator in rebus ipse, prout vult, *exaltabit mansuetos in salutem* sui et aliorum. Fiet hoc universaliter in die judicii, quando, arguente Domino, in æquitate pro « mansuetis terræ, stabunt justi in magna constantia adver-

sus eos, qui se angustiaverunt (*Sap.* v, 1). » Sed et nunc particulariter, arguente Domino, pro « mansuetis terræ » ipsi « mansueti exaltabuntur (*Isai.* xi, 4), » cum vel collata sibi dignitate aliqua vel ex bonitate in se conspicua sic malis præferuntur, ut impleatur eis illa benedictio, qua Deus benedicens filiis Noe dixit: « Crescite et multiplicamini, et replete terram, sitque terror vester, atque tremor super bestias terræ (*Gen.* ix, 1, 2). » Quando ergo *mansuetis in salutem* populi exaltatis bestiæ indomitæ ac feroces contremiscent, etiam in hac peregrinatione prægustatur gloria, de qua nunc dicitur:

Vers. 5. *Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* Nam et nunc Ecclesia Dei per mansuetos rectores pacem habentes *sancti exsultant in gloria*, dum quemlibet illorum similem facit *in gloria sanctorum*, et in verbis ejus monstra placabit, quibus placatis *lætabuntur in cubilibus* conscientiarum et religiosorum tabernaculorum, dicentes: « Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! » (*Psal.* lxxxiii, 2.) Sed multo magis in futuro cunctis mansuetis in regnum Dei exaltatis, et cunctis immansuetis humiliatis atque incarceratis, *exsultabunt sancti in gloria* æterna, qua illis nunquam deficiente *lætabuntur in cubilibus suis*, scilicet in æternis tabernaculis. Gloria est bonorum actuum frequens laudatio, de qua justi lætantur *in cubilibus* conscientiarum, Deo bonorum et laudabilium operum auctori assignantes totam gloriam, qui dat peccatoribus pœnitentiam, pœnitentibus innocentiam, innocentibus *gloriam*. Fatuæ virgines in fabulis hominum lætantur; prudentes vero ad illum referunt gaudium suum, qui dedit, unde sit gaudendum vel gloriandum.

Unde cum exsultant in laudibus operum bonorum, non est forinseca illorum exsultatio, sed

Vers. 6. *Exaltationes Dei*, non humanæ, sed divinæ sunt *in gutture eorum*, ubi Deus videt, non homo: *Et gladii ancipites in manibus eorum*, id est in potestate ipsorum erit judicium secundum Scripturas Veteris et Novi Testamenti,

Vers. 7. *Ad faciendam vindictam in nationibus; vindictam* diu desideratam a sanguine Abel justi clamante ac postulante usque ad sanguinem justi ultimi a successoribus Cain occidendi vel actu vel affectu maligno, quo qui odit fratrem suum, homicida est. Habebunt igitur sancti *gladios ancipites* ad

A mittendum corpora et animas in gehennam, hominibus et angelis malis condemnandis paratos, utriusque Testamenti quasi cote gemino limatos, *ad faciendam vindictam in nationibus*, et *increpationes in populis* ex parte nunc, et universaliter, quando sedebunt super sedes judiciarias in extremo examine. Tunc vere fiet *vindicta et increpatio in populis*.

Vers. 8. *Ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis.* Quia tunc *reges* terræ, qui modo liberi sunt ad faciendum quod volunt, ligabuntur *in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis*, juxta illud: « Ligatis manibus et pedibus, mittite illum in caminum ignis (*Matth.* xxii, 13). » In *manicis ferreis* notatur duritia et insolubilitas atque grave pondus vinculorum, quibus impii
B ligati trahentur in carcerem, in tenebras exteriores. Armabuntur itaque sancti gladiis ancipitibus, *compedibus et manicis ferreis* contra impios.

Vers. 9. *Ut faciant in eis judicium conscriptum*, de quo Apostolus: « Nescitis, » ait, « quoniam angelos judicabimus? » (*I Cor.* vi, 3.) Ne autem quis putet solos apostolos cum Domino judicaturos, attendat quod sequitur, *gloria hæc omnibus sanctis ejus*. Quod est dicere: Non solummodo Christus et duodecim apostoli ejus erunt in gloria potestatis judiciariæ; sed *gloria hæc est omnibus sanctis ejus*: apostolicæ conversationis imitatoribus, non in miraculis, quæ paucis conceduntur, sed in sanctis moribus, qui omnibus proponuntur, dicente Apostolo:
C « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi (*I Cor.* iv, 16). » Quo dicto non provocamur ad facienda miracula exemplo Christi et apostolorum, sed ad imitandum bonos mores apostolorum quoniam gloria miraculorum data est paucis, ut videlicet mortuos suscitent, cæcos illuminent, leprosos mundent in nomine Christi, cujus in nomine mali etiam quidam faciunt virtutes multas, quibus tamen in judicio dicetur: « Non novi vos (*Matth.* 7, 23). » *Gloria* vero *hæc est omnibus sanctis ejus* perfectæ sanctitatis amatoribus et sectatoribus, ut pro suæ sanctitatis proposito sedeant in judicio *ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis*, ut *faciant in eis judicium conscriptum*, quia scriptum est: « Fulgebunt justi, et tanquam scintillæ in arundi-
D neto discurrent, judicabunt nationes, et dominabuntur populis, et regnabit Dominus illorum in perpetuum (*Sapient.* iii 7, 8). »

PSALMUS CL.

Laudate Dominum in sanctis ejus, etc.

Vers. 1. Alleluia. Titulus patet, qui recte congruit huic psalmo ultimo, qui totus in Dei laude versatur, qua psalmodia omnis consummabitur, cum fiet, quod in fine dicitur: *Omnis spiritus laudet Dominum.* Consummato itaque judicio, de quo actum est in antecedenti psalmo, in quo judicio « videbit omnis caro salutare Dei (*Luc.* iii, 6), » soli electi sic immuta-

buntur, ut rectius dicatur spiritus quam caro, quando corpus, « quod seminatur animale, surget spirituale (*I Cor.* xv, 44), quod seminatum est in infirmitate, surget in virtute (*ibid.*, 43), » licet in eis permaneat essentia carnis, quantumlibet fiat spiritalis ipsa caro, tunc uniformis effecta spiritui, suo summo Spiritui tunc inhærenti. Carne igitur ac sanguine, quæ regnum Dei non possident, exclusa et in infernum detrusa, quando « impii in tenebris conticescent (*I Reg.* II, 9), » soli spiritales ad nuptias recepti laudabunt Dominum, de quibus in fine psalmi, et in fine totius Psalterii dicitur : *Omnis spiritus laudet Dominum.* Et quia laus illa erit labore finito et denario accepto, pro quo laboratum est in vinea, denaria etiam exhortatione sancti ad laudem incitantur, cum decies dicitur : *Laudate,* ac tandem laus omnis concluditur, cum dicitur : *Omnis spiritus laudet Dominum.*

Præcedentes psalmi multiformiter distinguuntur vel per *diapsalma*, vel per alias causas a Patribus exquisitas ; iste autem psalmus ultimus atomus est, id est insecabilis, quia non distinguitur in laudes et causas laudum, ut sex præcedentes, in quibus distincte continentur laudationes et laudationum causæ, quæ in primo evidenter expressæ, atque in quatuor sequentibus diligenter exquisitæ sunt, cum in eis inducitur generatio et generatio laudans opera Dei, potentiam, magnificentiam, virtutem terribilium, cæteraque Dei mirabilia, quæ sunt laudationum variæ causæ. At in hoc psalmo, cum decies *laudate* replicetur, laudationis causa tacetur, quia est ineffabilis, quam, ut superius perstrinximus, nec auris audivit, nec oculus vidit, nec in cor hominis ascendit. Ineffabilia quippe sunt, quæ Deus præparavit diligentibus se. Continuatur autem psalmus iste ad finem præcedentis hoc modo : *Gloria hæc est omnibus sanctis ejus, ut faciant judicium conscriptum.* Proinde vos, qui desideratis associari sanctis,

Laudate Dominum in sanctis ejus. Laudate illum, qui sanctificavit eos mundando a peccatis et desideriis terrenis. *Laudate eum in firmamento virtutis ejus*, quia quos a malo sanctificando mundavit, hos in bono confirmavit.

VERS. 2. *Laudate eum in virtutibus,* vel sicut alia translatio habet, *in potentatibus ejus. Potentatus* est Dei in sanctis, quod regnant in æternum. *Laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus*, quæ quia non habet finem, laus etiam vestra non habet finem.

Super hunc locum dicit beatus Gregorius in Job (79) : *Divinæ fortitudinis facta tunc verius explemus, cum hæc nos non explere cognoscimus. Tunc facundius loquimur, cum ab his obstupescendo reticemus. Ad narrandum Dei opera habet defectus noster, quam sufficienter exerat linguam suam, ut quæ comprehendere idonee non valet, hæc idonee mutus laudet. Unde bene per Psalmistam nunc dicitur :* Laudate eum in potentatibus ejus : Laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus. *Ille quippe Deum secundum multitudinem magnitudinis ejus laudat, qui se succumbere in ejus laudis completione considerat.*

VERS. 3. *Laudate eum in sono tubæ.* Cum legantur septem tubæ, quibus angeli septem cecinerunt in Apocalypsi (cap VIII, 6 et seqq.), recte hic intelligitur *novissima tuba*, qua, ut Apostolus affirmat, canente, « mortui resurgent incorrupti, » id est integri, « et nos, » ait, « immutabimur (*I Cor.* xv, 52). » Igitur vos immutati ad *sonum tubæ* hujus *laudate Dominum in sono tubæ.* Nam de cæteris, qui non immutabuntur, scriptum est, quod « plangent se omnes tribus terræ. » *Laudate eum in psalterio* desuper sonante, *et* in *cithara* de infra sonante, de cœlestibus et terrestribus utpote illum, qui fecit cœlum et terram.

VERS. 4, 5. *Laudate eum in tympano et choro.* Super hunc locum dicit beatus Gregorius in Ezechielem (80): *Quanta sit concordiæ virtus, ostenditur, cum sine illa virtutes reliquæ virtutes non esse monstrantur. Magna enim virtus est abstinentiæ : sed si quis ita ab alimentis abstineat, ut cæteros in cibo dijudicet, et alimenta eadem, quæ Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione, in fidelibus etiam damnet, quid huic abstinentiæ virtus facta est, nisi laqueus culpæ ? Hinc Psalmista nullam esse abstinentiam sine concordia designans ait :* Laudate eum in tympano et choro. *In tympano ergo corium siccum resonat, in choro autem voces concorditer cantant. Quid ergo per tympanum, nisi abstinentia, et quid per chorum, nisi charitatis concordia designatur ? Qui ergo sic abstinentiam tenet, ut concordiam deserat, laudat quidem in tympano, sed non laudat in choro* (81). *Sæpe nonnulli, qui quædam dona specialiter percipiunt, superbiendo donum concordiæ, quod majus est, amittunt, ut si fortasse carnem præ cæteris gulæ refrenatione quis edomat, concordare eis, quos superat abstinendo, contemnat. Sed qui abstinentiam a concordia separat, quid admoneat Psalmista, perpendat. Ait enim :* Laudate eum in tympano et choro. *In tympano namque sicca et percussa pellis resonat, in choro autem voces concordant. Quisquis itaque corpus affligit, sed concordiam deserit, Deum quidem laudat in tympano, sed non laudat in choro.* — *Laudate eum in chordis et organo. Laudate eum in cymbalis bene sonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis.* Hæc omnia humanis actibus comparata figuraliter ibi dicuntur laudes Dei personare, quibus monetur civitas Dei, unitas omnium sanctorum, ore et animo cantare. In hoc omnis psalmodia perducitur, quæ nuptiali dulcedine consummatur. Nam licet sonus tubæ novissimæ in judicio terribiliter intonet, attamen post judicium dulcis harmonia et symphonia resonabit *in tympano et choro, in psalterio et cithara, in chordis et organo, in cymbalis bene sonantibus* vel sicut habent alii codices : *Bene tin-*

(79) Lib. IX Moral. c. 12.
(80) Homil. 8.
(81) Idem Curæ Past. part. III, cap. 22.

nientibus. Quæ omnia musica instrumenta nuptiali festo congruentia ut spiritaliter, non carnaliter intelligantur, apto fine tota hæc symphonia concluditur, cum dicitur :

VERS. 6. *Omnis spiritus laudet Dominum*. Cessante quippe post judicium tympano, per quod castigatio carnis significatur, quæ non erit necessaria, cum caro sanctorum tota erit spiritalis juxta illud Apostoli : « Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale (*I Cor*. xv, 44), » cessantibus quoque ibi *cymbalis bene sonantibus*, aut *bene tinnientibus*, cum nullus illic indiget fraternæ consolationis vel ædificationis mutuis admonitionibus : laudabitur tamen Dominus *in cymbalis jubilationis*, cum sublatis laboribus operationum in hac vita necessariarum permanebit fructus et meritum earum, quo fructu lætificante civitatem Dei *omnis spiritus laudet Dominum*.

Gloria Patri, qui *dixit et facta sunt*, *mandavit et creata sunt* omnia. *Gloria Filio*, qui ad hoc humiliatus est, ut exaltet mansuetos in salutem. *Gloria Spiritui sancto*, cujus virtute omnis spiritus laudabit Dominum. *Gloria* summæ Trinitati et individuæ unitati, in cujus laude contexti sunt in unum psalterium ter quinquaginta psalmi. Quorum in primo quinquagenario fidem, in secundo spem, in tertio charitatem sanctus David commendavit, cum primum quinquagenarium psalmo pœnitentiali, secundum psalmo judiciali, tertium psalmo jubilationis in cymbalis jubilationis conclusit.

Non autem vacat, quod primus quinquagesimus de pœnitentia est, secundus de misericordia et judicio, tertius de laude Dei in sanctis ejus. Sic enim ad æternam vitam tendimus. Prius peccata damnamus, vocante Deo ad pœnitentiam, quos apud se in occulto prædestinavit. Inde per misericordiam bene vivimus, ne judicium timeamus, Deo vocatos justificante per misericordiam et timorem judicii, ubi de civitate Domini disperguntur, qui operantur iniquitatem. Ad hoc pertinet, quod Dominus ait : « Ecce ejicio dæmonia, et sanitates perficio hodie et cras, et tertia die consummor (*Luc*. xiii, 38), » quod etiam in sua passione et dormitione et vigilatione ostendit. In cruce de diabolo triumphavit, in sepulcro quievit, in resurrectione exsultavit. Pœnitentia cruciat, justitia tranquillat, vita æterna glorificat.

Quod autem omnes psalmi centum quinquaginta sunt, magnum insinuat sacramentum quod patebit, si quis rationem quindenarii considerabit. Quod enim valent quindecim in ordine singulorum, hoc centum quinquaginta in ordine denariorum, mille quingenti in ordine centenariorum, et quindecim millia in ordine millenariorum. Quindecim significat concordiam duorum Testamentorum. In Veteri observabatur Sabbatum, quod est dies septimus; in novo Dominicus, qui est octavus idem et primus. Sed secundum hoc mysterium numerus est Psalmorum Quinquaginta constat de septimana septimanarum addito uno tanquam ipso octavo ad terminandum quinquagenarium. Tot diebus completis post resurrectionem venit Spiritus sanctus super congregatos in Christo, qui Spiritus septenario numero commendatur. Quinquaginta in quadraginta et decem dividitur. Unde quadragesima die post resurrectionem ascendit, inde post decem Spiritum misit. Per quadraginta temporalis habitatio hujus mundi ostenditur. Quaternarius in quadraginta prævalet. Quatuor partes habet et mundus et annus addito denario velut mercede pro impleta lege reddita, quo ipsa æternitas figuratur : quinquaginta autem cum Trinitas multiplicat, facit centum quinquaginta.

Hieronymus quinque libros dicit. Dicitur etiam : « In libro Psalmorum (*Luc*. xx, 42). » Et bene multi unus liber dicuntur, ut multæ Ecclesiæ una, multi cœli unum cœlum, unde aquæ super firmamentum, id est cœlum et aquæ, quæ super cœlos sunt. Potest etiam dici « in libro Psalmorum, » id est in aliquo libro illorum quinque. Duodecim etiam prophetarum unus liber dicitur ; omnes etiam comicæ scripturæ liber unus dicuntur, eo quod mirabili unitate concordent. Hic est « liber bellorum Domini (*Num*. xxi, 14), » cujus meminit Moyses, non quod ante ipsum fuerit scriptus liber aliquis de bellis Domini, cum sit ipse scriptor primus ; sed quod omnis Scriptura divinitus inspirata, sive per ipsum, sive per alios administrata liber sit bellorum Domini, sive liber justorum. Præcipue autem librum Psalmorum dici convenit librum bellorum Domini, quia in eo per ora sapienter psallentium verus David, vere manu fortis præliatur, et perficit bella mirabilia contra invisibilem Goliam diabolum et visibilem Antichristum, contra quem psallens dicit : « Benedictus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum (*Psal*. cxliii, 1). » Quo bello interfectione Antichristi consummato, sicut scriptum est in libro bellorum Domini, victori Christo erit æterna laudatio in ore psallentium et dicentium : « Exaltabo te, Deus meus Rex, » etc., usque : « omnis spiritus laudet Dominum (*Psal*. cxliv, 1). » In libro Numeri legitur : « Arnon terminus Moab dividens Moabitas et Amorrhæos. Unde dicitur in libro bellorum Domini. Sicut fecit in mari Rubro, sic faciet in torrentibus Arnon (*Num*. xxi, 13, 14). » In libro quoque Regum legitur : « Planxit David planctum hujuscemodi super Saul et Jonathan, et præcepit ut docerent filios Juda arcum, sicut scriptum est in libro justorum (*II Reg*. i, 17, 18). » Liber justorum, quamvis quidam liber possit intelligi, qui hodie nusquam inveniri possit, constantius liber idem hic intelligitur, de quo scriptum est in Numeris : « Unde dicitur in libro bellorum Domini : sicut fecit in mari Rubro, sic faciet in torrentibus Arnon, » etc. Liber autem bellorum Domini quis est, nisi omnis Scriptura sacra divinitus inspirata, ex qua sine dubio docemur bellare bella Domini ? Nec enim ante

Moysen, qui illud dixit, scriptum fuerat quippiam ejusmodi. Igitur quod præcepit David, ut docerent filios Juda arcum, *sicut scriptum est in libro justorum*, sic intelligendum est ut, quia male pugnaverant filii Israel ob culpam suam per sagittarios interempto Saul fugati et prostrati, saltem filii Juda contribules sui discerent contra sagittarios malos arcu et sagittis pugnare, sicut omnes justi fecerunt, quorum omnes victoriæ mirabiliter peractæ sunt, cooperante Deo, in gladio et arcu suo, quo « arcus fortium superatus est, et infirmi accincti sunt robore (*I Reg.* II, 4), » sicut testantur Scripturæ sacræ, quæ etsi pluribus libris distinctæ, uno tamen Spiritu conscriptæ sunt, et idcirco in unum recte reputantur librum juxta illud : « Et vidi in dextera sedenti in throno librum scriptum intus, et foris signatum sigillis (*Apoc.* V, 1). »

Cum ergo sacra Scriptura tota sit liber bellorum Domini et liber justorum, quo docemur præliari adversus carnem et sanguinem, etiam adversus principes mundi, rectores tenebrarum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus, recte liber Psalmorum quodammodo insignitus inter cætera scripta *liber bellorum Domini*, *et liber justorum* dici potest, quo verus David præliabatur in propria persona, dicens : « Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? » (*Matth.* XXVII, 46.) Item : « In manus tuas commendo spiritum meum (*Luc.* XXIII, 46). » Et nunc psallit in nationibus juxta illud : « Confitebor

A tibi in populis, Domine, et psallam tibi in nationibus (*Psal.* LVI, 10). » Unde saluberrime assumpta est illa consuetudo in Ecclesia, ut in conventibus ecclesiasticis recitentur quotidie Psalmi, cum cætera scripta, ut Genesis, aliaque talia semel in anno soleant recitari. « Psallam spiritu, psallam et mente (*I Cor.* XIV, 15), » ait Apostolus, atque ut alios ad ipsum provocaret, « nolite, inquit, inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini Spiritu sancto loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis, spiritalibus psallentes in cordibus vestris Domino (*Ephes.* V, 18, 19), » quod est præliari gladio fulgido et arcu fortissimo. Nam, verbi gratia, cum dicimus Deo : « Effunde frameam tuam, et conclude adversus eos, qui persequuntur me (*Psal.*
B XXXIV, 3), » quasi gladio pugnamus. Item cum dicimus : « Emitte sagittas tuas, et conturbabis eos (*Psal.* CXLIII, 6), » arcu pugnamus. Quem arcum Sauli similes non habentes, etiamsi leonibus fortiores et aquilis velociores æstimentur, cum spicula spiculis non reddunt, cum se ferientes dæmones tentatores non referiunt vel gladio vel arcu, sicut docentur in libro justorum et in libro bellorum Domini, facile ruent in monte Gelboe, in sua superbia, vulnerati a sagittariis dæmonibus, a malignis tentationibus eorum, quibus tunc maxime resistitur, cum spiritu et mente psallitur, ita ut psalmus in ore assidue, in corde jugiter Deo nostro sit jucunda decoraque laudatio. Fiat, fiat. Amen, amen.

EXPOSITIO IN CANTICUM ISAIÆ.

(*Isai.* XII.)

Confitebor tibi, *Domine*, *quoniam iratus es mihi*, etc.
C Canticum hoc Isaiæ præcedit hæc prophetia : « Et desolabit Dominus linguam maris Ægypti, et levabit manum suam super flumen in fortitudine Spiritus sui, et percutiet eum in septem rivis, ita ut transeant per eum calceati, et erit via residuo populo meo, qui relinquetur ab Assyriis, sicut fuit Israel in die, qua ascendit de terra Ægypti (*Isai.* XI, 15, 16). » « Et dices in illa die : Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi (*Isa.* XII, 1). »

Igitur prophetia præcedens istud canticum diligenter inspecta, et non solum historialiter, sed etiam spiritaliter intellecta pandit materiam et sensum totius cantici hujus. Quid est enim *lingua maris Ægypti* nisi eloquentia hujus mundi per Ægyptum et ejus mare metaphorice significati? Hanc *linguam Dominus percussit*, quando stultam fecit hujus mundi sapientiam. Unde Apostolus : « Ubi sapiens, ubi conquisitor hujus sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? » (*I Cor.* I, 20.) Stultum quippe fuit relicto Creatore creaturam colere, quod hujus mundi sapientes docuerunt, qui, ut Apostolus ait, *evanuerunt in cogitationibus suis*, quorum sapientia et eloquentia sic est percussa, ut agnoscatur esse magna stultitia non solum in his, qui pro Deo vero colunt idola, sed etiam in his, qui in Dei veri servitio quærunt non ipsum Deum, sed ab ipso creata.

Quid est autem *flumen Ægypti* nisi regnum hujus mundi, quod in fortitudine spiritus sui sua manu percussit Deus, et *in septem* quasi *rivos* divisit, primo historialiter, deinde mystice. Nam ad litteram potentissimum quondam regnum Ægypti per fortitudinem Romanorum post mortem Cleopatræ, Deo disponente, divisum est in septem principes. Unum enim regem habebat Libya, alium Pentapo-
D lis, alium Thebaidis, alium Alexandria, alium Ægyptus, aliæque illius regni civitates, videlicet Heliopolis et Taphnis habebant suos principes. In eadem suæ manus fortitudine regnum quoque Judaicum quod, Herode funesto velut altero Pharaone tyrannizante per masculorum neces, cruentatum fuit,

omnino Ægyptiacum factum, jam regno Davidico et sceptro ejus ablato in tetrarchias divisit. Sic mundi hujus regno quasi flumine magno dispertito in rivos multos, præparata est via ingressuris Ægyptum, sicut in exitu Israel ex Ægypto mare in divisiones divisum præbuit viam exeuntibus filiis Israel. Unde sicut Moyses in gratiarum actione dixit: « Cantemus Domino: gloriose enim honorificatus est, equum et ascensorem dejecit in mare (*Exod* xv, 1), » ita nunc Isaias in gratiarum actione prædictat canticum circa mundi finem canendum. Quia sicut Nilus fluvius Ægypti antequam ab Alexandro divideretur, immeabilis erat, cujus etiam rivos cum Romani amplificassent, pene ita desiccatus est per imas valles arenarum serpendo, ut siccis pedibus transiretur: sic hujus mundi regnum, quandiu floruit in suæ integritatis monarchia, ita ut unus esset imperator totius mundi, qualis fuit Augustus, cujus tempore natus est Christus, non erat via sicca vel exeuntibus de Ægypto per hujus mundi abrenuntiationem, vel ingredientibus Ægyptum ad hujus mundi expugnationem. Probat hoc multa unda sanguinis martyrum, per quam navigaverunt navigio crucis, qui vel ex Ægypto fugerunt, vel Ægyptum expugnaverunt, cum persecutionibus universalibus resistere, vel ab eis declinare non valentes morte sua triumphaverunt. Nunc autem per gratiam Dei monarchia hujus mundi omnino destructa inclinata sunt regna in se, atque contra se ita dispertita, ut sit via sicca et satis ambulabilis omnibus calceatis in præparatione Evangelii pacis. Nam si persecutionem patientur in uno regno, fugient in aliud; si in una civitate, fugient in aliam.

Huc accedit ad desiccandam sive deplanandam viam, quod reges et principes hujus mundi modo non quærunt sanguinem sanctorum, sed bona ipsorum, dum Christianus compellitur ad malum silendo vel etiam loquendo consentire vel bona temporalia relinquere. Tempora hæc periculosa nunc imminent, cum sanctæ Dei Ecclesiæ prælati compelluntur aut susceptas dignitates amittere, aut pro eis obtinendis consentire schismaticis ab Ecclesia Dei præcisis. In talis angustia coactionis, qui bene calceati sunt, facile transibunt bona temporalia parvipendendo et æterna quærendo, quibus quæsitis adjicientur omnia viæ ac vitæ necessaria. Nam quos persequitur Jezabelis nequitia, hos recipit ac pascit vidua Sareptena. Talibus quoque in solitudinem fugatis ministrant corvi, ne fame tabescant, dum qui esuriunt et sitiunt justitiam, apud humiles, æstimatione sua nigros peccatores, attamen fideles inveniunt eam. Hæc est dies, quam facit Dominus non permittens Eliæ vel etiam Isaiæ consimiles tentari supra id quod possunt, sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possint sustinere, atque post fugam resumpto Spiritu fortitudinis fortiter agere. Et dices in illa die tu Ecclesia vel tu ecclesiastica persona:

Vers. 1. *Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi, conversus est furor tuus, et consolatus es me. Confitebor tibi* super justitia, qua *iratus es mihi;* et super misericordia, qua *conversus est furor tuus, et consolatus es me. Confitebor* confessione laudis, quoniam qui iram merui ex furore tuo, nunc misericordiam consecutus sum. Et hæc est consolatio mea, quod Salvator meus, qui faciem suam absconditt, quique in navi, qua vehor, obdormierat, nunc discipulorum precibus excitatus ecce in evidenti apparet, manifeste ostendens, quod ipse Deus salvator meus est, qui, quem creavit potentia divina ex nihilo, salvat etiam pro nihilo juxta illud in psalmo: « Pro nihilo salvos facies illos (*Psal.* LV, 8), » id est pro nullo suæ virtutis merito salvabis, quos tuos prænoscis.

Vers. 2. *Ecce Deus salvator meus* est, qui, cum sit pro nobis, quis contra nos? Cum ipse justificat, quis est, qui condemnet? Igitur *fiducialiter agam* in eo; in eo, inquam, non in me habens fiduciam, tenebo constantiam, *et non timebo* quid faciat mihi homo, *quia fortitudo mea et laus mea Dominus. Fortitudo* in bello, et *laus* in triumpho, quo confortante me pugnavi et pugnabo, in cujus etiam fide triumphavi et triumphabo. Nam « hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra (*I Joan.* v, 4), » qua indubitanter credo, quod ipse factor factus est. Nam ipse Filius Dei, qui Deus erat ante sæcula, ipse *factus est* in sæculo natus ex virgine matre mihi *in salutem*. « Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum (*Matth.* I, 21). » Unde vos apostoli cæterique fideles, contemptis fluminibus Ægypti, quæ turbida sunt,

Vers. 3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*, quia, spreta mundana sapientia et concupiscentia, eo quod qui tales aquas biberit, sitiet iterum, *haurietis* meliores *aquas* in vinum conversas *de fontibus Salvatoris*, quem ego Isaias nomino *Salvatorem*, ut non dubitetur is esse, quem et Gabriel nominat *Jesum*, id est Salvatorem, pro eo quod salvum faciet populum suum a peccatis eorum.

Vers. 4. *Et dicetis in illa die*, in illa veritatis manifestatione: *Confitemini Domino* primo peccata vestra, ut sit purgata domus vestra, *et* sic ad eam inhabitandam *invocate nomen ejus*, hoc ipsum nomen, quod est Dominus, ut ipse dominetur in vobis, imo etiam in tota terra Ægypti velut alter Joseph, et frumenta populis distribuendo, et fratres suos reliquias Israel ad se trahendo atque his qui eum vendiderunt, ignoscendo.

Ne autem ex ignorantia quis pereat non recognoscendo hunc verum Joseph dominantem in tota terra Ægypti, imo in cœlo et in terra, data sibi omni potestate, vos apostoli, cæterique a Deo divinitus instructi, *notas facite in populis adinventiones ejus*, scilicet bona opera quibus invenitur, vel incarnationem qua invenit ovem et drachmam perditam, propter hominum salutem parvulus factus et cum iniquis reputatus, atque multis contumeliis af-

fectus. Inter omnia hæc licet semetipsum exinaniendo parvulus apparuerit, vos tamen fideles *mementote, quoniam excelsum est nomen ejus*, quod ei, datum super omne nomen excellit, cum ipse in Deum assumptus homo non inter omnia, sed super omnia sit Deus benedictus in sæcula, Rex regum et Dominus dominantium. Quod credentes

A VERS. 5. *Cantate* ipsi Domino voluntarie illi serviendo et gratias agendo; *quoniam magnifice fecit* morte sua mortem vincendo et destruendo, ac resurrectione sua vitam suis reparando. *Annuntiate hoc*, non in Judæa tantum, sed *in universa terra*, ita ut in omnem terram exeat sonus vester, et in fines orbis terræ verba vestra. Tali annuntiatione dilatata

VERS. 6. *Exsulta et lauda. habitatio Sion. Exsulta* in corde, *lauda* ore, tu *habitatio* Dei, o *Sion*, scilicet Ecclesia sancta; *quia magnus in medio tui sanctus Israel. Magnus* utique, non molis distensione, sed sapientia, sed fortitudine, sed bonitate a fine usque ad finem pertingente fortiter et disponente omnia suaviter. Unde non in angulo sectæ alicujus coarctatus est, sed *in medio tui*, habitatio Sion, prout ipse promisit, dicens: « Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum (*Matth.* XVIII, 20). » Item: « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII, 2). »

EXPOSITIO IN CANTICUM EZECHIÆ,

ISAIÆ XXXVIII.

Ego dixi in dimidio dierum. In Isaia sic præmittitur: *Scriptura Ezechiæ regis Judæ, cum ægrotasset et convaluisset de infirmitate sua.* Brevi hoc procemio insinuatur materia cantici hujus. Cum enim Deus Ezechiæ sine labore victoriam dedisset, nec ille ei condignas gratias reddidisset, infirmitate coactus laudes persolvit, quas in prosperitate neglexit: postquam convaluit, quæ in angustia cogitaverat, edicit: *Ego dixi*, etc. Ambulavit autem Ezechias coram Domino in veritate et in corde perfecto, et fecit rectum juxta omnia quæ fecit David pater ejus; sed ne elevaretur cor ejus post incredibiles triumphos, in castris Assyriorum cæsis ab angelo centum octoginta quinque millibus, et ipso Sennacherib in Niniven reverso et interfecto, visitatur infirmitate, et audit se moriturum, ut conversus ad Dominum flectat ejus sententiam, Deo non mutante propositum, sed provocante humanum genus ad sui notitiam. Vel ideo infirmatus est, ut tradunt Hebræi, quia post victoriam non cecinit laudes Domino. Oravit autem non multos annos, sed in Dei judicio dimittit, quid dare velit, et flevit propter promissionem Domini ad David, quia videbat in sua morte perituram. Nondum enim habebat filios, et ita desperabat Christum de suo semine nasciturum, cui promissa salus firmatur signo, quia umbra decem lineis in horologio retro rediit sole reverso per gradus, per quos descenderat. Postquam autem convaluit ita scripsit: *Ego dixi.* Non est oratio. cum sit de præterito, sed gratiarum actio, in qua datur forma et exemplum cunctis de aliqua infirmitate liberatis, ut et ipsi gratias agant liberatori suo Deo, maxime si de aliquo mortali peccato liberati ab ejus pœna sanati fuerint, ut ipse rex Ezechias. Grandis enim culpa est ingratitudo, qualis fuit in Ezechia. Tradunt enim Hebræi, ut dictum est, ideo ægrotasse ipsum regem Ezechiam, quia

B post inauditam victoriam Domino laudes non cecinit sicut Moyses merso Pharaone, et Debora interfecto Sisara, et Anna nato Samuele; unde fragilitatis suæ commonitus est.

Rursumque post corporis sanationem et signi, quod in solis retrogradatione fuit, magnitudinem, offertur alia occasio superbiæ, quam ut prudens Dei cultor debuit vitare, nec divitias, quas Deo tribuente possidebat, alienigenis demonstrare. Pro qua culpa cum ei prædiceretur pœna post dies suos futura in suos posteros, debuit peccatum suum cum David confiteri, et iram Dei amovere a posteris, exemplo Moysi, qui populo sibi commisso compatiens Deo dixit: « Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem scripsisti

C (*Exod.* XXXII, 31); » quod quia non fecit, sed dixit: « Fiat tantum pax in diebus meis (*Isa.* XXXIX, 8), » Propheta sic loquenti non respondit, sed ab illo aversus ad populum conversus dixit in verbo Domini: « Consolamini, consolamini, popule meus, dicit Dominus Deus vester (*Isa.* XL, 1). » Quasi dicat: Rex vester non compatitur vobis, « consolamini » in Christo, quia deficiente humano auxilio revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro salutare Dei. Scripta sunt hæc ad correctionem nostram, ne thesauros domus Dei alienigenis exponamus, ne margaritas ante porcos mittamus, ne sanctum canibus demus, et per hoc iram Dei contra nos provocemus, quæ si fuerit contra nos excitata,

D non dicamus: « Fiat tantum pax in diebus nostris, » sed tam posteris nostris quam nobis gratiam precantes Deo dicamus cum Psalmista: « Fiat pax, » id est remissio peccatorum « in virtute tua et abundantia » virtutis omniumque bonorum « in turribus tuis (*Psal.* CXXI, 7). » Quod dico, non propter me tantummodo in diebus meis liberandum, sed « propter fratres meos et proximos meos (*ibid.*, 8) » in

æternum salvandos. Mala igitur caventes de bonis A Ezechiæ capiamus exemplum, laudes Dei in prosperitate intermissas, per adversitates commoniti resumendo. Ipse enim laudes et gratiarum actiones in prosperitate neglectas in infirmitate admonente ac sanitate subsequente resumit, dicens :

VERS. 10. *Ego dixi : in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.* Merito gratias agam sanatus a tanta infirmitate, in qua præ nimia desperatione vitæ ac salutis dixi : O me miserum, o me infelicem, qui non complevi dies meos, ut Abraham, qui mortuus est plenus dierum in senectute bona jam nato sibi filio, in quo erat benedictionis promissio! Ego autem, cum sim de stirpe David, cujus de semine speratur Messias nasciturus, et super solium regni ejus sessurus, nondum genui filium B post me regnaturum, de quo sperari possit Christus nasciturus; et ecce morior *in dimidio dierum meorum*, sicut illi de quibus dicitur : « Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos (*Psal.* LIV, 24), » quia non implent opera virtutum, nec delicta emendant, sed *in medio* cursu errorum ducuntur ad tartara. Sic et ego *in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi*, ubi constituta est domus omni viventi, quoadusque veniat, qui suos electos inde liberet. Qui quoniam de stirpe mea sperabatur nasciturus, *quæsivi residuum annorum meorum*, qui mihi defuerunt, quos timens denegari mihi quasi desperans

VERS. 11. *Dixi : Non videbo Dominum Deum in* C *terra viventium : non videbo* Christum *Dominum Deum*, cujus diem vidit Abraham et gavisus est, quia de filio suo Isaac, cujus nomen interpretatur *gaudium*, fidelissime credebat nasciturum Christum. Sed ego Ezechias absque filio moriens *vadam ad portas inferi*. Idcirco *non aspiciam hominem ultra et habitatorem quietis*. Quidam codices habent : *quievit generatio mea*, quod et Hieronymus aliquando transtulit deceptus ambiguitate verbi, et postea correxit. Unde dicit : « Hoc olim sequenti versiculo junximus propter ambiguitatem verbi. » *Quievit generatio*, id est occidit. Prius dixi ego Ezechias : *Non videbo Dominum Deum*, et nunc dico : *Non aspiciam hominem*, quia idem Christus Deus et homo est. Hunc Deum hominem factum prophetæ D multi ac reges cupiunt videre; sed ego Ezechias peccatis meis exigentibus *non aspiciam hominem ultra*, *hominem* dico datorem *et habitatorem quietis*, quia cum ecce moriar sine filio, de libro generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham

VERS. 12. *Generatio mea ablata est, et convoluta quasi tabernaculum pastorum* complicantium tabernaculum suum, ne sit extensum. Sic ne ultra extendatur, convoluta et *præcisa est velut a texente vita mea*, longe antequam perficeretur tela ipsius vitæ meæ, quia *dum adhuc ordirer, succidit me.* Dixi ergo : *De mane usque ad vesperam finies me.* Sic et Job inter angustias nimias in die exspectabat noctem, et in nocte præstolabatur lucem, putans mutatione temporum mutari posse afflictionem, quod adhuc faciunt anxii.

VERS. 13. *Quasi leo sic contrivit omnia ossa mea*, quia per nimiam violentiam ægritudinis contrita est omnis fortitudo mea.

Aliter : *Mane* fuit prima ætas mundi, *vespera* vero adventus Redemptoris mundi. Timebat ergo finiri sic decisus, ut non pertineret ad generationem Salvatoris in vespera mundi hujus venturi. Quo timore perculsus ego Ezechias dixi tibi, Deus meus : *De mane usque ad vesperam finies me.*

VERS. 14. Unde *sicut pullus hirundinis* ad matrem clamat, ut escam percipiat : *sic clamabo*, et inclamando lassatus *meditabor ut columba* gemituosa. Dumque inter fletus et gemitus in altum levatis oculis præstolabar auxilium de cœlis, *attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum.* Propter quod dixi : *Domine, vim patior;* supra vires meas est quod patior, vel etiam supra meritum meum, cujus mihi conscius orans et flens dixi : « Obsecro, Domine, memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto, et quod bonum est in oculis tuis fecerim (*IV Reg.* XX, 3). » Cum ergo bona fecerim et mala sustineam, « Domine, vim patior » *responde pro me.* Sic me orantem exaudisti, atque pro me respondisti. Factum est enim verbum tuum ad Isaiam dicens : « Vade, et dic Ezechiæ : Hæc dicit Dominus Deus David patris tui : Audivi orationem tuam et vidi lacrymas tuas. Ecce ego adjiciam super dies tuos annos quindecim, et de manu regis Assyriorum eruam te et civitatem istam, et protegam eam (*Isa.* XXXVIII, 5). » Sic tu, Deus, pro me respondisti, et sicut locutus es fecisti, adjiciendo super dies meos quindecim annos. Et nunc ecce sanatus

VERS. 15. *Quid dicam?* « Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? » (*Psal.* CXV, 12.) *Quid dicam*, ego lutum, figulo? *Aut quid respondebit* ipse figulus *mihi* luto? *Quid respondebit mihi, cum ipse fecerit* me? Certe nihil restat, nisi patienter sustinere, ipsumque factorem exorare, ut servet quod fecit, qui fecit quod voluit.

Aliter : *Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerim* talia opera, quibus jure debetur afflictio quam patior, non relaxanda, nisi amaram pœnitentiam? Unde *recogitabo tibi*, Deus meus, *omnes annos meos in amaritudine animæ meæ* amare flendo, etiam pro dilectis juventutis meæ, multo magis autem pro annis totius ætatis meæ, quibus nisi adjecti fuissent quindecim anni ex gratia tua, Deus, in vanum essent transacti omnes anni mei. Propter hoc *recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*, recognoscens hoc meruisse me in annis transactis, ut amaritudo mihi superveniret secuturæ infirmitatis. Attamen « quia virtus in infirmitate perficitur (*II Cor.* XII, 9), » et sic melius vivitur, dum vita mortalium castigatur, ne prosperitate nimia insolescat, non solum de præterita castigatione gratias ago tibi, Domine

Deus, qui corripuisti me, sed etiam annuo et assentio tibi adhuc me flagellanti, qui flagellas omnem filium, quem recipis. Quoniam

VERS. 16. *Si sic vivitur*, si sic vita hominis mortalis a morte per flagella paterna liberatur, *et in talibus* flagellis *vita spiritus mei* firmatur, *corripies me* percutiendo, *et vivificabis me* sanando, tu qui dicis, « ego percutiam, et ego sanabo (*Deut.* XXXII, 39). » Hæc rogans : tuasque percussiones et sanationes desiderans gaudeo me in mediis precibus exauditum; nam ad percussiones tuas pertinet, quod

VERS. 17. *Ecce in pace amaritudo mea amarissima* est, cum adhuc pœnitentialis dolor cruciet me de præteritis, et timor de futuris : ad sanationes vero tuas et consolationes pertinet, quod sequitur :

Tu autem eruisti animam meam, ut non periret, neque in dimidio dierum meorum ad portas inferi descenderet, sed quindecim adhuc annis vivendo, quindecim gradibus in templum ascendendo (septem et octo, qui sunt quindecim), videlicet Sabbatum legalis requietionis et octavam Dominicæ resurrectionis observando, salvaretur. Quod ne peccata præterita impedirent, *projecisti post tergum tuum omnia peccata mea*, oblivioni tradens ea juxta illud : « Delicta juventutis meæ et ignorantias meas ne memineris (*Psal.* XXIV, 7). » Item : « Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ (*Psal.* LXXVIII, 8). »

Non enim pro peccatis meis in infernum descendam, neque in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi, cum sim confessor veritatis tam in peccatis meis accusandis, quam in tuis miserationibus, quibus ea deles, laudandis, quod utique non fieret, si vita mea in infernum tenderet ac descenderet ;

VERS. 18. *Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te*, quoniam perpetuæ damnationi addicti, qui sunt infernus, quem diabolus inhabitat, neque dignam pœnitentiam agunt, neque Deo laudes referunt. Ipse quoque diabolus, qui est mors pessima vitæ, quæ Christus est, opposita non te laudabit, quia refuga lucis in suis tenebris te lucem veram blasphemabit. *Non exspectabunt*, *qui* omnino damnati *descendunt in lacum*, *veritatem tuam*, id est liberatorem illum, qui est æterna Veritas, qui etiam dicit : « Ego sum via et veritas et vita (*Joan.* XIV, 6). » Qua vita

VERS. 19. *Vivens, vivens*, id est perfecte ac bene vivens, *ipse confitebitur tibi; sicut et ego hodie* ab Assyriis liberatus, et ab infirmitate sanatus confitebor tibi laudans misericordiam et veritatem tuam, quia in tua misericordia liberasti, quem in tuæ veritatis justitia flagellasti. Ideo ut per omnes generationum successiones laus tua, Deus, prolongetur, et a patribus in filios continuetur, *Pater filiis notam faciet veritatem tuam*. Bonus pater ut David, vel bonus prælatus ut Petrus, *filiis* et subditis *notam faciet veritatem tuam*, id est Christum quem et Petrus Filium Dei confessus, filios et subditos ad eamdem confessionem instruxit, ut David sapienter psallendo suis posteris notificavit, quorum unus ego Ezechias existens tanquam boni Patris imitator notam facio veritatem tuam præsenti cantico, cujus in fine dico :

VERS. 20. *Domine, salvum me fac*. Tu me salvasti ab Assyriis et infirmitate corporis. Quod quia non sufficit ad beatitudinem salutis æternæ, *salvum me fac* etiam ab invisibilibus Assyriis, dæmonibus scilicet, atque ab omni mentis et corporis infirmitate. Salva etiam omnes, meo exemplo, in te credentes, et sic liberati et sanati tuo auxilio semper te laudabimus in exemplo tuo, quia *psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini*. Aliud est *psallere*, aliud *psalmos canere*; psallit qui, quod bonum est operatur; psalmos canit qui devote atque hilariter hoc facit, non ex tristitia aut ex necessitate. Hoc faciemus *cunctis diebus vitæ nostræ*, scientes quod, « qui perseveraverit » in bono « usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* XXIV, 13), » liberatorem suum laudando in domo Domini, quæ est Ecclesia catholica, extra quam nulla laus, nullum Deo sacrificium placet. Unde alias dicitur : « Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te (*Psal.* LXXXIII, 5). » Item : « Laus ejus in Ecclesia sanctorum (*Psal.* CXLIX, 1). »

Superius ex persona justi flagellati, qualis fuit rex Ezechias, et ante illum sanctus Job, dictum est inter cætera : *Domine, vim patior, responde pro me*, quasi dicat justus : Cum bonum fecerim et mala sustineam, *Domine, vim patior*. Sed non solum justis, verum etiam peccatoribus ac peccatricibus familiare atque assiduum debet esse, ut quando vim patiuntur ab aliquo violento, clament ad Dominum, dicente unoquoque : *Domine, vim patior, responde pro me*, Potuit hoc dicere primus Abel vim passus a fratre, quod etsi ore non dixit, sanguis ejus clamavit, et Dominus pro eo respondit fratricidam coarguens et condemnans prout dignum erat. Sic sanctus Job vim passus primo a Satana, qui eum petiit, ut tentaret, calumnians illum coram Deo sine causa. Sed et ipse Deus permittens illum tentatori vexandum, fecit illi vim, cum in conspectu ejus fuisset simplex et rectus ac timens Deum. Porro ab amicis suis, onerosis consolatoribus, vim passus est, qui suis disputationibus eum urgebant ad diffidentiam. Permaxime autem ab uxore suadente illi blasphemiam in Deum, passus est vim. Sed et ille arrogans Eliu involvendo sententias contra illum, sic eum coarctavit, ut necesse habuerit dicere ore vel corde : *Domine, vim patior, responde pro me*. Nam et Dominus clamore ipsius audito respondit pro eo illum arrogantem condemnans, et amicos ejus ad pœnitentiam invitans, atque ipsum Job consolans. Hæc autem omnia in figura contingebant illi.

Magnificentius vero impleta sunt in Christo, qui vim passus clamavit in cruce : « Deus, Deus meus,

respice in me, » etc. (*Psal.* XXIV, 16.) Unde clamore A sanguinis ejus exaudito, Deus pro illo respondit verbis et rebus evidens faciendo, quod vim passus est injuste ipse, judicaturus juste. Paracletus enim loquens per apostolos illum clarificavit, quem Satan in Pilato et cœtu Pharisaico damnaverat. Sic omnis justus injuste vim patiens ipsius patientiæ voce clamat : *Domine, vim patior, responde pro me.* Tali clamore Dominus exercitatus, tanquam potens crapulatus a vino, percussit inimicos suos vim facientes, et liberavit amicos vim patienter patientes, tanquam respondendo pro illis juxta promissum suum quo ait : « Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis (*Matth.* X, 20). »

Hoc de justis dictum. Sed nunc de peccatoribus B videamus, qualiter conveniat illis dicere : *Domine, vim patior, responde pro me.* Nonne ille adolescentior filius per pœnitentiam receptus a patre, cum ejus peccata recitaret, senior filius in conspectu patris et totius familiæ suæ necesse habuit dicere patri suo : *Domine, vim patior, responde pro me?* Quem clamorem cordis pater ejus persentiens respondit pro eo dicens : « Oportet te, fili, gaudere, quia frater tuus mortuus fuerat et revixit, perierat et inventus est. » Sic Judaico populo invidenti populo gentili de longinqua regione reverso responsum est a Deo Patre, qui illud recepit, et in ejus receptione symphoniam grandem et choros celebres instituit, quibus in convivio vituli saginati solemni- C zat familia tota, universalis scilicet Ecclesia, seniorem fratrem, videlicet populum Judaicum, torquente sua invidia.

Similiter dum quælibet persona infirma Mariæ peccatrici sed jam pœnitenti assimilata, pedes et caput Christi perungit venerando scriptis ac dictis humanitatem et divinitatem Christi, plerumque illi detrahitur et murmuratur contra illam vel a Pharisæorum vel a Judæ similibus, quia sit peccatrix, et quia sit perditio unguenti, quod in pauperes erogari posset. Inter talia vim patitur hæc infirma persona et necesse habet dicere : *Domine. vim patior, responde pro me.* Sic etiam, dum verbo Dei vacans anima dulce habet sedere ad pedes Domini cum Maria peccatrice, a suis peccatis purificata, et verbo D Dei saginari cupiente, contingit aliquando ut aliquis activus cum Martha satagens circa frequens ministerium, cum turbatur erga plurima, prorumpat in querelas adversus talem taliter otiantem. Cui audienti has querelas congruit vel corde vel ore dicere : *Domine, vim patior, responde pro me.* Sic orantem exaudit Dominus, et si non verbis, certe rebus evidentibus pro eo respondet dicens : *Optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Fiat mihi, Domine, jam cum Maria pœnitenti et vacanti verbo tuo ad pedes tuos, scilicet vestigia pedum tuorum, quibus velociter curris, investiganti, ut hæc pars optima non auferatur a me, quam volentibus auferre a me, tu responde pro me, sive illi sint Pharisæi murmurantes, sive discipuli conquerentes de perditione unguenti, sive activi cupientes me secum suis occupationibus implicari. Inter quos omnes, dum vim patior, tu *responde pro me.*

Permaxime autem, cum accusat ille frater senior, diabolus scilicet, qui propterea dicitur *frater*, quia creatus est a Deo Patre, a quo et ego rationalis homo sum creatus : ideo vero *senior*, quia cum homo sit creatus in sexta die, ille creatus est in prima, dicente Deo : *Fiat lux, et erat lux*, et Lucifer ante suum casum, quo quasi fulgur de cœlo cecidit, et factus est princeps tenebrarum. Hic senior frater accusator fratrum, et maxime illius adolescentioris, qui populo Judaico reprobato ex populo gentili reversus est ad patrem, sine dubio me peccatorem, licet prima stola indutum, licet annulo fidei ornatum per semetipsum, et per suos accusat, meaque peccata licet jam dimissa improperat vim faciendo mihi sicut scriptum est : *Vim faciebant, qui quærebant animam meam.* Dum ergo vel nunc vel in hora mortis talem *vim patior*, tu Domine Pater misericordiarum, sic digneris respondere pro me, ut dicas : Filius meus mortuus fuerat et revixit, perierat et inventus est. Et quia ille senior non est dignus in semetipso interesse choro et symphoniæ gratulantis familiæ tuæ de fratris adolescentioris reversione, aliquos homines præ invidia senescentes, illi antiquo seniori adhærentes, maxime in reliquiis filiorum Israel, tu converte invitans eos a cibo hædi, quem desiderant ad cibum vituli saginati respondendo illi populo pro me gentili ad te reverso per pœnitentiam : « Oportet te, fili, gaudere, quia frater tuus mortuus fuerat et revixit, perierat et inventus est (*Luc.* XV, 32). » Sic ego vim patiens opto pro me responderi.

Nam ego reus quid dicam non habeo, cum nihil boni fecerim ex meis viribus, et multa mala fecerim, quæ aut ille senior aut Pharisæus improperat. *Quid* ergo *dicam* peccata mea mihi improperantibus, *cum ipse fecerim* quæ improperant? Sic enim codices quidam habent, *cum ipse fecerim.* Sed quia veraciores codices habent : *cum ipse fecerit*, sic legendum est, ut hæc littera stet, sicut supra est expositum. Nam *quid dicam* ego figmentum figulo meo, cum ipse fecerit me? Quidquid sum, quidquid boni possum, ipse fecit, a quo ego defeci, quando in regionem longinquam abii : ut reverterer, ipse fecit. Et *cum ipse fecerit* meipsum, et omnia merita mea, si quæ bona sunt, ipse fecerit : *Quid dicam* illi, non habeo meipsum defendendo contra improperatores mihi vim facientes, vel ejus permissu in persecutione mihi vim facientes. Unde ad ipsum conversus dico illi assidue : *Domine, vim patior, responde pro me* talia, quibus non possint resistere omnes adversarii mei sive dæmones accusantes me, sive homines infestantes me, ut ab illis defensus cum sancto Ezechia psalmos cunctis diebus vitæ meæ canam, canantque illi mecum, qui mihi vim

patienti compatiuntur, ut in omnibus nobis adimpleatur quod dicitur: *Vivens, vivens ipse confitebitur tibi, sicut et ego hodie.* Atque ut ex hoc nunc, et usque in sæculum perpetuetur ista peccatorum et laudum confessio per successiones omnium temporum: *Pater, filiis notam faciat* et *faciet veritatem tuam*, ut filius quilibet a patre suo eruditus, exemplo patris, dicat: *Domine, salvum me fac, et psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.* Ad hujusmodi psalmodiam territus fugiat exercitus Assyriorum, id est malignorum angelorum et hominum adaucta omnibus nobis et nostris diuturnitate illa bene vivendi, quæ significata est in quindecim annis Ezechiæ adauctis, ut quindecim gradibus transcensis psalmos nostros cantemus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini. Fiat, fiat.

EXPOSITIO IN CANTICUM ANNÆ,

LIB. I REG. CAP. II.

Exsultavit cor meum in Domino et exaltatum est cornu meum in Deo meo, etc. Quæ canit hæc prophetissa est, et eadem quæ fecunda facta gratia, quam et proprio nomine significat: Anna quippe interpretatur *gratia.* Eadem quippe intus edocta gratia, non tam sua præsentia propria, quam totius sanctæ Ecclesiæ bona futura communia prophetat, aut prædicat. Quapropter idem in Anna quod in Sara, idem in Phenenna quod in Agar, licet hæc ancilla, illa fuerit libera; idem in Elcana sentiamus quod in Abraham. Namque et res gesta ex parte similis, et vocabula sensu cognata sunt. Siquidem et Abraham, id est *pater multarum gentium*, prius Abram dictus est, quod interpretatur *pater excelsus*; et hic Elcana, quod interpretatur *Dei possessio*, de Ramathaim, id est *de excelsis* fuisse scribitur. Agar, *conversa;* Phenenna *conversio* interpretatur. Sara vero, *princeps;* Anna, *gratia;* et in utraque gratiæ principatus intelligendus est, quia videlicet non ut Agar et Phenenna secundum carnem sive carnis suæ qualitatem, sed secundum gratiam pepererunt, cum prius fuissent steriles.

Igitur Phenenna et Anna duo sunt testamenta, alterum carnis in servitutem generans, alterum fidei quod in libertatem generat. Elcana namque, id est *Dei possessio*, ipse est populus Dei, cui dictum est: « Qui possedit et fecit et creavit te (*Deut.* XXXII, 6). » Qui in Abraham quidem, in semine Abrahæ, qui est Christus, testamentum fidei accepit testamentum libertatis, in monte autem Sina post quadringentos annos et triginta testamentum carnis, testamentum servitutis. Sed testamentum carnis quasi Phenenna vel quasi Agar prius peperit plurimos, testamento fidei quasi Anna vel quasi Sara longam plorante sterilitatem, quia videlicet filii carnis in illo populo prius multiplicati sunt, qui in carne Abrahæ gloriarentur, fide ejus vix aliquam in paucissimis educente progeniem. Denique illi, qui de Ægypto exierunt, omnes a viginti annis et supra præter Josue et Caleb filium Jephone de sola carne, non etiam de fide Abrahæ sese ortos esse prodiderunt. Tandem aliquando fides vel gratia, quæ sterilis fuerat, per Evangelium peperit plurimos, et gloriatio carnis quæ multos habebat filios, infirmata, imo exclusa est. Hoc isto prophetico spiritu in semetipsa præfiguratum esse sciens, exsultat et laudat in persona Ecclesiæ, dicens:

VERS. 1. *Exsultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo.* Ubi sola fecunda est caro, non est unde exsultet cor; neque enim exsultatio cordis ulla est, nisi *in Domino* Proinde cum dicit: *Exsultavit cor meum in Domino*, illam se universalis Ecclesiæ exsultationem decantare indicat, quam propheta alius prænuntians: « A timore, inquit, tuo, Domine, concepimus, et peperimus Spiritum, salutes non fecimus [*Cod.* salutis tuæ fecimus, etc.] super terram (*Isa.* XXVI, 18). » Ibi namque exsultat non caro sed *cor*, quamvis cor prius exsultans carnem quoque sublevet in exsultationis suæ consortium, juxta illud Davidicum: « Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum (*Psal.* LXXXIII, 3). » Illa exsultatio fortis et gaudium non vanum, sed fortissimum est. Addidit ergo: *Et exaltatum est cornu meum in Deo meo.* Singulariter et Propheta: « Exaltabitur, inquit, sicut unicornis cornu meum (*Psal.* XCI, 11), » idemque pluraliter: « Et exaltabuntur, ait, cornua justi (*Psal.* LXXIV, 11), » et res non diversa est. Nam unum Ecclesiæ *cornu* unus est Christus, et plura ejusdem *cornua* plura sunt dona sancti Spiritus; unde verus ille agnus sicut oculos septem, sic et « cornua septem » habere scribitur (*Apoc.* V, 6). Ejusmodi *cornu meum in Deo meo*, inquit, *exaltatum est; in Deo meo*, inquam, et non in me, quæ vana fiducia et fallax esset fortitudo.

Inde et intus cordis exsultatio, et foris confidentia super inimicos meos. Nam hoc est quod sequitur: *Dilatatum est os meum super inimicos meos, quia lætata sum in salutari tuo.* Humilientur et de terra loquantur quondam loquaces inimici mei, filii carnis, et non fidei. Mihi namque versa vice lo-

quendi auctoritas data est, ut non jam in angulis mussitem, aut ore dimidiato loquar, sed *ore dilatato* sic eloquar *super inimicos meos*, qui mihi sterilitatem exprobrabant, ut audiar in toto mundo. *Quia lætata sum in salutari tuo. Salutare Dei* Christus est. Nunquid ergo in solo Samuele una mulier exsultat, et non potius in una matre sancta universali Ecclesia veram in Christo exsultationem suam decantat? Et in istis duabus cantilenæ versiculis primis sensus quidem non dispar, sed verba diversa, et præposterata sunt. Nam *exsultavit cor meum in Domino*, idem quod : *lætata sum in salutari tuo;* et : *exaltatum est cornu meum in Deo meo*, idem est quod : *dilatatum est os meum super inimicos meos.* Jam quid dignum dilatatione oris sui proferat, audiamus.

VERS. 2. *Non est sanctus, ut est Dominus : neque enim est alius extra te, et non est fortis sicut Deus noster.* Recte os suum dilatat, qui non se ipsum, sed Dominum prædicat : bene cornu suum exaltat, qui non suam, sed Dei justitiam commendat. *Non est autem sanctus, ut est Dominus.* Parum dixerat. Supplevit ergo dicendo : *Neque enim est alius extra te*, parque et idem effecit ac si dixisset : Præter illum nemo mundus a sorde. *Et non est*, ait, *fortis sicut Deus noster.* Nempe alii falso sunt fortes, de quibus in psalmo Propheta : « Et irruerunt, inquit, in me fortes (*Psal.* LVIII, 4). » Hic vere *fortis* et vera humilium fortitudo est. *Non est*, inquit, *sanctus, ut est Dominus, non est fortis sicut Deus noster :* ac si dicant filii Annæ filiis Phenennæ, filii gratiæ filiis synagogæ, filii promissionis filiis carnis : Quid vos jactatis dicendo : nos natura Abrahamitæ, nos natura Israelitæ, et non ex gentibus peccatores? « Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum; non est, usque ad unum (*Psal.* XIII, 2, 3). » Hæc dicit lex. Et utique quæcunque lex loquitur : « Scimus, inquit Apostolus, quia his qui in lege sunt loquitur (*Rom.* III, 19). » *Non* ergo *est sanctus* quisquam, *non est alius extra te*, non, inquam, est alius, qui possit sanctificare præter te, Sancte sanctorum Christe, quod et sancti illi, antequam tu venires, ore proprio fatentes : « sicut pannus menstruatæ, inquit, omnes justitiæ nostræ (*Isa.* LXIV, 10). » Et quid vos in fortibus Moyse et Aaron gloriamini, in fortitudine legis et sacerdotii vestri? *Non est fortis sicut Deus noster*, sicut Christus noster. Non Moyses et Aaron, non lex vestra et sacerdotium vestrum spiritalem vicerunt Pharaonem, neque destruxerunt eum, qui habebat mortis imperium, id est diabolum; sed hic illum vicit, hic infernum confregit; hic, devicta morte, resurrexit. Ergo *non est fortis sicut hic Deus noster*, sicut hic Salvator noster. Igitur

VERS. 3. *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes.* Multum gloriamini, multum erigimini, multa sublimia per inanem gloriam loquimini; verbi

A gratia, dicendo : Pater noster Abraham est, nostrum est testamentum, nostra legislatio, nostrum est obsequium, nostra sunt promissa, nostra est gloria, nostra est adoptio filiorum. Abraham, Isaac et Jacob patres nostri sunt. Nolite sic loqui, *nolite sic multiplicare* sublimem loquelam oris magnifici, nolite sic gloriari.

Recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum Dominus est, et ipsi præparantur cogitationes. Hæc sublimia, quæ vos hactenus multiplicastis loqui, veterata sunt, jam inveteraverunt, et novis supervenientibus projicienda sunt. Hæc enim dicit in Jeremia *Deus scientiarum Dominus*, qui et vobis olim dedit scientiam litteræ, et nobis nunc dat scientiam Spiritus prout vult. « Ecce dies venient,
B et feriam domui Juda fœdus novum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus vestris in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti, pactum quod irritum fecerunt, et ego dominatus sum eorum, dicit Dominus, sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel. Post dies illos dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, etc. » (*Jer.* XXXI, 31, 33)

Et ipsi præparantur cogitationes, subauditur : sensatæ. Nam econtra a cogitationibus quæ sunt sine intellectu, ille auferet se. Ipsi Deo scientiarum *Domino cogitationes præparantur* pro munere. Si vis promereri vel impetrare scientiæ donum, non multæ oblationes arietum et taurorum, sed sanctæ cogi-
C tationes ejus rei præparatoriæ sunt. Unde et Psalmista : « Præparationes, inquit, cordis eorum audivit auris tua (*Psal.* X, 17). » Item : « Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi (*Psal.* LXXV, 11). » *Reliquiæ*, inquit, *cogitationis.* Si primitiæ cogitationis infestæ fuerunt, saltem *reliquiæ* ejus per pœnitentiam vel confessionem diem festum agent tibi. Propterea et dixi : *Recedant vetera de ore vestro*, recedant sublimia, cesset gloriatio vestra. Quid enim?

VERS. 4. *Arcus fortium superatus est, et infirmi accincti sunt robore.* Hoc non semel est. Quando fortitudo vel potentia Ægyptiorum superata, et Israelitæ confortati sunt, utique tunc *arcus fortium superatus*
D *est, et infirmi accincti sunt robore.* Ita et nunc. *Arcus* enim, id est superbia et fortitudo Phenennæ, qua in filiis gloriabatur, superata est, et ego quæ ob sterilitatem infirmata eram, accincta sum robore filiorum. Hoc est enim quod sequitur : *Donec sterilis peperit plurimos, et quæ multos habebat filios, infirmata est.* Nam quod interponitur : *Repleti prius pro panibus se locaverunt, et famelici saturati sunt*, non secundum præsentem historiam canitur; sed tamen hoc, et cætera talia facta sunt et fiunt, ut quoties superbit impius, cantare tibi liceat illud regale proverbium : *ne glorietur accinctus æque, ut discinctus.*

In Hebræo, et in translatione Septuaginta non *plurimi*, sed *septem* leguntur. Judæi hunc locum ita intelligunt, quod nato Samuele mortuus sit filius

primogenitus Phenennæ, et deinceps singulis nascentibus filiis Annæ singuli secundum ordinem nativitatis Phenennæ mortui sunt filii. Sed quærendum est quomodo hoc stare possit, cum Phenenna septem, Anna autem non plus quam quinque filios habuerit. Quam quæstionem Hebræi solventes duos Samuelis cum filiis Annæ annumerant.

Juxta anagogen *arcus fortium*, id est confidentia Judæorum, qui se Judæos esse dicunt et non sunt, sed mentiuntur. Judæorum, inquam, de sua virtute præsumentium, et suam justitiam statuere volentium, atque ita justitiæ Dei subjici recusantium, *arcus fortium* superatus est. « Extenderunt, inquit Propheta, linguam quasi arcum mendacii, et non veritatis (*Psal.* x, 3). » Talis *arcus fortium superatus est*, nihil enim sagittando contra veritatem profecerunt, quemadmodum alibi scriptum est : « Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum (*Psal.* LXIII, 8). » *Infirmi* autem, scilicet hi qui nihil suis viribus attribuunt, qui non in suis operibus, sed in fide Jesu Christi glorientur, *accincti sunt robore*. *Robore*, inquam, quo et regno cœlorum vim facere et violenter illud possunt diripere.

VERS. 5. *Repleti*, inquit, *prius pro panibus se locaverunt, et famelici saturati sunt. Famelici* prius eramus nos gentes, *repleti* autem, id est *saturati*, erant Judæi. Et constans est, quia nunc gentiles verbo Dei per Evangelium Filii ejus Jesu Christi *saturati sunt*, Judæi autem *famelici* sunt, solam litteram sectantes paleam et vivificantem non habentes spiritum. Sed nunquid isti *pro panibus se locaverunt?* Nunquid non esurire malunt, quam nobiscum manducare panem vivum? Sic enim habet parabola patris evangelici : quia cum recepisset filium suum famelicum, qui abierat in regionem longinquam, et ibi dissipaverat omnem substantiam suam vivendo luxuriose, cum, inquam, revertentem recepisset eum, et magnum celebraret convivium, indignatus frater ejus senior « nolebat introire (*Luc.* xv, 28). » Ergo nunc interim esuriunt qui prius fuerant repleti, saturatis famelicis juxta propheticam comminationem dicentis : « Ecce servi mei comedent, et vos esurietis (*Isa.* LXV, 13). » Futurum autem est ut se pro panibus locare non dedignentur. Cur enim plenitudo famelicarum gentium subintroierit, reliquiæ ex illis ad esum vitæ convertentur.

Non modice *arcus fortium superatus est, et infirmi accincti sunt robore*, nec parum famelicis saturatis nunc esuriunt, qui prius repleti fuere. Sed quid? *Donec sterilis peperit plurimos, et quæ multos habebat filios, infirmata est.* In tantum dexteræ Excelsi mutatio facta est in confractione fortium et accinctione infirmorum, ut pepererit plurimos illa quæ sterilis erat, vicissim illa infirmata, quæ multos habens filios superbiebat, completa prophetia, quæ per alium sic decantat : « Lauda sterilis, quæ non paris, decanta laudem et hinni, quæ non pariebas, dicit Dominus : quoniam multi filii desertæ magis quam ejus, quæ habebat virum, dicit Dominus. Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas. Longos fac funiculos tuos, et clavos tuos consolida. Ad dexteram enim et ad lævam penetrabis, et semen tuum gentes hæreditabit, et civitates desertas inhabitabit (*Isa.* LIV, 1 et seqq.). » Et reliqua. Quæ hactenus cantata sunt, universas Domini vias respiciunt, scilicet misericordiam et judicium. Igitur in laudem earumdem magnitudinum, videlicet misericordiæ et judicii, sonorius et peramplius exsultanti corde et dilatato ore prosequitur et dicit :

VERS. 6, 7. *Dominus mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit. Dominus pauperem facit et ditat, humiliat et sublevat.* Nam quod *mortificat Dominus*, judicii est ; quod *vivificat*, misericordiæ est. Item quod *deducit ad inferos*, judicii est ; quod *reducit*, misericordiæ. Nihilominus quod *pauperem facit*, judicii ; quod *ditat*, misericordiæ est. Itidem quod *humiliat*, judicii; quod *sublevat*, misericordiæ est. Itaque per hæc antitheta, id est opposita, universæ viæ Domini spectabiles propositæ sunt requirentibus testamentum ejus et testimonia ejus. Sed erga quales judicium, aut veritas, et qualibus reposita est misericordia? Quales nisi superbos *mortificat et ad inferos deducit, humiliat, et pauperes facit?* Quales econtra nisi humiles *vivificat* et *reducit ab inferis, sublevat, et divites facit?* Sequitur ergo :

VERS. 8. *Suscitans de pulvere egenum, et de stercore erigens pauperem, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat.* Quid est enim, *egenum pauperem*, nisi qualem beatificat in Evangelio suo Dominus, *pauperem spiritu*, id est humilem? Illum enim *de pulvere suscitat, et de stercore erigit*, quem sapienter cognoscentem, quid sit pulvis et cinis, peccatorum suorum stercus erubescentem, justificat et exornat gratiæ suæ donis, *ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat*, cum his videlicet, quos ante sæcula præscivit et prædestinavit, vocavit, justificavit et magnificavit. Hoc non raro, nec in paucis factum est. Amplius autem, et principaliter in illo factum hoc esse gratulamur et jugiter decantamus, quem veraciter constat dixisse : « Discite a me quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* XI, 29). » De quo et illud est : « Et persecutus est hominem inopem et mendicum, et compunctum corde mortificare (*Psal.* CVIII, 17). » Illum enim revera Dominus Pater præcepto charitatis suæ mortificavit et ad inferos deduxit, pauperem fecit et humiliavit, eumdemque virtute et omnipotentia Divinitatis rursus vivificavit, reduxit ab inferis, ditavit et sublimavit. Suscitavit eum de pulvere nostræ mortalitatis, erexit eum de stercore, ut non videret caro ejus stercus corruptionis; et ecce cum principibus, imo super omnes principes ad dexteram Patris sedet, *et solium gloriæ* tenet! Quod ita intelligendum sit, conclusio probat cantici. Concluditur enim sic : *Et dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi sui.*

Domini enim sunt cardines terræ, et posuit super

eos orbem. In Hebræo enim ita habetur : *Domini* A *enim sunt afflicti terræ.* Per afflictos terræ Hebræi pauperes spiritu et humiles corde intelligunt, super quos Dominum orbem posuisse dicunt, quia meritis eorum terram stare autumant. Ergo propositio quidem splendida est, qua dixerat : *Suscitans de pulvere egenum*, etc. Sed ratio splendidior id ipsum confirmat, qua dicit nunc : *Domini enim sunt cardines*, id est afflicti terræ, et *posuit super eos orbem.* Cui consonans evangelica veritas pauperes spiritu in fundamento beatitudinis collocat, dum octo beatitudines enumeraturus sic incipit : « Beati pauperes spiritu (*Matth.* v, 3). »

VERS. 9. *Pedes sanctorum suorum servabit.* Qui egeni et pauperes ; qui, inquam, cardines vel afflicti terræ, ipsi *sancti* Domini sunt, quorum ipse *pe-* B *des*, inquit, *servabit ;* subauditur : qui pedes superborum non servabit. Quorum lapsum ruinamque irrecuperabilem expavescens Propheta dicit : « Non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatoris non moveat me (*Psal.* xxxv, 12). » Et continuo subjungit : « Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem ; expulsi sunt, nec potuerunt stare (*ibid.*, 13). » Ergo *pedes sanctorum suorum*, inquit. *Pedes*, inquam, *sanctorum*, id est humilium, *servabit*, videlicet ut ad solium gloriæ pervenire, imo et impositum super se orbem stabilibus possint portare meritis. Huc usque expressit quales Dominus vivificet et reducat ab inferis, ditetque atque sublimet : nunc edicit quales mortificet et deducat ad inferos, pauperes faciat atque humiliet. Sequitur C enim :

Et impii in tenebris conticescent, quia non in fortitudine sua roborabitur vir. Impii, inquit, id est superbi, qui nunc in hac die sua extollunt in altum cornu suum, et loquuntur adversus Deum iniquitatem, *ipsi in tenebris conticescent*, ipsi, humilibus solium gloriæ continentibus suumque possessorem Dominum Deum laudantibus, in *tenebris* inferni conquiescent, imo et ululantes dentibus stridebunt et flebunt : nam « ibi erit fletus et stridor dentium (*Matth.* VIII, 12). » *Quia non in fortitudine sua roborabitur vir.* Quanta enim ibi erit fortitudo viri ? Cum fuerint paulo post in lutum redactæ cervices ejus, tunc fatebitur impius quia nec in equo, nec D in tibiis suis quisquam roborabitur, quemadmodum et alius Propheta dicit : « Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei (*Psal.* CXLVI, 19). » Item « fallax equus ad salutem, in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur (*Psal.* XXXII, 17). » Amplius autem, ut magis spiritali sensu loquamur, *non in fortitudine sua roborabitur vir*, id est ex operibus legis, in quibus Pheneunæ filii, scilicet Judæi, gloriantur, nemo coram Deo justificabitur : nec omnino quisquam, sive Judæus sive Græcus, in judicio salvabitur sive justificabitur, si absque misericordia vel tantum secundum sua merita judicetur.

VERS. 10. *Dominum formidabunt adversarii ejus, et super ipsos in cœlis tonabit.* Hoc et visibiliter aliquando factum est, ut super adversarios suos Dominus in cœlis tonaret, sicut illud est in libro Josue : « Cumque fugerent a facie Israel, et essent in descensu Bethoron, Dominus misit super eos lapides magnos de cœlo usque ad Zecha, et mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filii Israel (*Jos.* x, 11). » Verum ex tunc magnificentius hoc fit, ut videlicet Dominus *super adversarios suos tonet in cœlis*, ex quo is ipse, qui ut egenus et pauper mortificatus et ad inferos deductus, rursum vivificatus et ab inferis reductus sublimatus est, ut sederet cum principe Patre et solium gloriæ teneret. Ex tunc enim intonuit super adversarios suos magno et terribili tonitru Evangelii, et usque in finem sæculi tonare non desinit, quemadmodum Apostolus dicit : « Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent (*Rom.* I, 18). » Et reliqua. Hinc et illud est quod et Propheta præcinuit : « Et intonuit de cœlo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam, grando, et carbones ignis, et misit sagittas suas, et dissipavit eos : fulgura multiplicavit, et conturbavit eos, » etc. (*Psal.* XVII, 14, 15.) Novissimus tonantis motus magno et irrevocabili fulmine formidantes adversarios feriet. Dicet enim eis qui a sinistris erunt : « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XXIV, 41). »

Dominus judicabit fines terræ, et dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi sui. Tanquam diceret : Ista, quam prædixi, superborum et humilium discretio nondum apparet. Nondum enim omnis egenus et pauper solium gloriæ tenet, nec in tenebris conticuit omnis impius, nec in præsenti vita Dominum formidant omnes adversarii ejus, imo e contrario tanta securitate nunc impii vivunt et super humiles extolluntur, ut pene moveatur humilis adhuc infirmus. Nam ipse est, qui vel cujus ex persona Propheta in psalmo loquitur : « Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos pacem peccatorum videns (*Psal.* LXXII 2), » et reliqua. Ergo distinctio nondum apparet ; sed non sit tibi curæ. Nam *Dominus judicabit fines terræ.* Nunc interim initia dissimulat, quia videlicet non statim superbiam *terræ*, ubi incipit, judicat aut punit ; sed certe *fines* ejus *judicabit.* Nam pius conditor mala hominum et per suam patientiam tolerat, et per aliquorum quandoque conversionem relaxat, ut vel sero redeant, et hoc ipsum saltem, quod diu exspectati sunt, erubescant. Superbientem terram, quæ divitias bonitatis ejus contemnit, et ignorans exspectantem se patientiam Dei, thesaurizat sibi iram secundum duritiam suam et cor impœnitens, tandem in fine judicabit in die iræ et revelationis justi judicii sui, in quo reddet unicuique secundum opera sua.

Et dabit, inquit, *imperium regi suo*. Regi, inquam, A suo, scilicet Christo; sequitur enim: *Et sublimabit cornu Christi sui*. Et consonat principio finis cantici. Nam in principio: *Et exaltatum* est, inquit, *cornu meum in Deo meo*, hic autem in fine: *Et sublimabit*, ait, *cornu Christi sui*. Huic *Regi imperium dabit*, *et cornu* ejus *sublimabit*, in eo videlicet, ut omnia sub pedibus ejus subjecta sint. « Futurum, inquit Apostolus, de quo loquimur. Nam necdum videmus, ait, omnia subjecta esse ei (*I Cor*. xv, 27). » *Dabit* autem secundum humanitatem habenti omnia secundum divinitatem. *Dabit*, inquam, per passionem obedienter promerenti, quemadmodum devicta morte jam emeritus dicit: « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth*. xxviii, 18). » Sublime cornu ejus Apostolus insigniter eloquens dicit: « Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris (*Philipp*. ii, 9-11). »

EXPOSITIO IN CANTICUM MOYSIS I,

EXODI CAP. XV.

Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est B etc. « Cum extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi et urente, et vertit in siccum, divisaque est aqua, et ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris, » etc. (*Exod*. xiv, 21 et seqq.) Clara est gloriosæ magnificentiæ Domini res gesta, quia divisa est aqua, et ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris: et quia interfecit Dominus exercitum Pharaonis, et subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum, et ita sciverunt Ægyptii quia Dominus ipse est Deus, ut dicerent: « Fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos (*ibid*., 25). » Sed fugientes involvit eos Dominus in mediis fluctibus respiciens super castra eorum matutina, id est quarta vigilia. Quatuor enim computa- C bantur vigiliæ noctis, ternis horis per singulas vigilias deputatis.

Porro sensu mystico vigilia matutina ipsa est resurrectio Dominica. Matutino namque sedit angelus ad sepulcrum Domini, et post profundam tristitiæ noctem magni gaudii diem mulieribus et per illas lugentibus apostolis evangelizavit. Hinc est illud in psalmo: « A custodia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino (*Psal*. cxxix, 6). » Custodiam matutinam dixit custodiam militum mane exterritam in exemplum omnium impiorum. Nam mulieres lætificatæ sunt in exemplum omnium piorum. Quid speret Israel in Domino ab illa custodia matutina? Videlicet, quia in se fiet quod in illo D factum esse ex tunc innotuit, quia resurrexit a mortuis, « quia apud Dominum misericordia est, et copiosa apud eum redemptio, et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus (*ibid*., 7). » Subauditur: quemadmodum redemit illos filios Israel ex omnibus Ægyptiis hominibus. Itaque vigilia matutina, qua pertransierunt filii Israel, Ægyptiis remanentibus, mystice gaudium nobis est Dominicæ resurrectionis, in qua deponentes veterem hominem renati sumus diabolo remanente, cui renuntiavimus et omnibus pompis ejus. Dicit enim Apostolus: « Quia baptizati in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti cum illo per baptismum in mortem; ut quomodo Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus (*Rom*. vi, 3-5). »

De hujus igitur gloriosi facti mysterio celeberrimo jam silescere non debemus habentes canticum Moysi, quod sequitur, quia hic est sapientia, quæ aperuit os muti, et linguas infantium fecit disertas, ut victricem manum tuam laudemus pariter, Domine Deus noster. Nam ab ore nostro quicunque gratiam hanc sumus consecuti, canticum hoc non debere deficere innuit illud de Apocalypsi: « Et vidi tanquam mare vitreum mistum igne, et eos qui vicerunt bestiam et imaginem illius, et numerum nominis ejus stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei, et cantantes canticum Moysi servi Dei, et canticum agni dicentes: Magna et mirabilia opera tua, Domine Deus omnipotens, » etc. (*Apoc*. xv, 2, 3.) Ecce stamus super mare vitreum, videlicet laborantes servare innocentiam, quam accepimus per baptismum; mare, inquam, vitreum, videlicet propter puram, quam ibi fecimus, relinquendorum confessionem peccatorum. Sed et igne mistum, id est Spiritu sancto vivificatum, quo peccata ipsa consumpta sunt, qui et hoc loco mystice designatur per ventum urentem, quia dicitur: « Cum extendisset Moyses manum supra mare, abstulit illud Dominus, flante vento vehementi et urente tota nocte. » Habentes ergo citharas Dei, id est mortificationem carnis, quam Deus præcepit, cantemus hoc canticum Moysi servi Dei et agni, videlicet utrobique exsultantes, et pro re gesta, quæ facta est per manum Moysi, et pro mysterio Agni immaculati et incontaminati Christi, quod ille in eadem re prophetice intellexit.

eos orbem. In Hebræo enim ita habetur: *Domini enim sunt afflicti terræ*. Per afflictos terræ Hebræi pauperes spiritu et humiles corde intelligunt, super quos Dominum orbem posuisse dicunt, quia meritis eorum terram stare autumant. Ergo propositio quidem splendida est, qua dixerat: *Suscitans de pulvere egenum*, etc. Sed ratio splendidior id ipsum confirmat, qua dicit nunc: *Domini enim sunt cardines*, id est afflicti terræ, et *posuit super eos orbem*. Cui consonans evangelica veritas pauperes spiritu in fundamento beatitudinis collocat, dum octo beatitudines enumeraturus sic incipit: « Beati pauperes spiritu (*Matth.* v, 3). »

VERS. 9. *Pedes sanctorum suorum servabit*. Qui egeni et pauperes; qui, inquam, cardines vel afflicti terræ, ipsi *sancti* Domini sunt, quorum ipse *pedes*, inquit, *servabit*; subauditur: qui pedes superborum non servabit. Quorum lapsum ruinamque irrecuperabilem expavescens Propheta dicit: « Non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatoris non moveat me (*Psal.* xxxv, 12). » Et continuo subjungit: « Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem; expulsi sunt, nec potuerunt stare (*ibid.*, 13). » Ergo *pedes sanctorum suorum*, inquit. *Pedes*, inquam, *sanctorum*, id est humilium, *servabit*, videlicet ut ad solium gloriæ pervenire, imo et impositum super se orbem stabilibus possint portare meritis. Huc usque expressit quales Dominus vivificet et reducat ab inferis, ditetque atque sublimet: nunc edicit quales mortificet et deducat ad inferos, pauperes faciat atque humiliet. Sequitur C enim:

Et impii in tenebris conticescent, quia non in fortitudine sua roborabitur vir. *Impii*, inquit, id est superbi, qui nunc in hac die sua extollunt in altum cornu suum, et loquuntur adversus Deum iniquitatem, *ipsi in tenebris conticescent*, ipsi, humilibus solium gloriæ continentibus suumque possessorem Dominum Deum laudantibus, in *tenebris* inferni conquiescent, imo et ululantes dentibus stridebunt et flebunt: nam « ibi erit fletus et stridor dentium (*Matth.* viii, 12). » *Quia non in fortitudine sua roborabitur vir*. Quanta enim ibi erit fortitudo viri? Cum fuerint paulo post in lutum redactæ cervices ejus, tunc fatebitur impius quia nec in equo, nec in tibiis suis quisquam roborabitur, quemadmodum et alius Propheta dicit: « Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei (*Psal.* cxlvi, 10). » Item « fallax equus ad salutem, in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur (*Psal.* xxxii, 17). » Amplius autem, ut magis spiritali sensu loquamur, *non in fortitudine sua roborabitur vir*, id est ex operibus legis, in quibus Phenennæ filii, scilicet Judæi, gloriantur, nemo coram Deo justificabitur: nec omnino quisquam, sive Judæus sive Græcus, in judicio salvabitur sive justificabitur, si absque misericordia vel tantum secundum sua merita judicetur.

VERS. 10. *Dominum formidabunt adversarii ejus*, A *et super ipsos in cœlis tonabit*. Hoc et visibiliter aliquando factum est, ut super adversarios suos Dominus in cœlis tonaret, sicut illud est in libro Josue: « Cumque fugerent a facie Israel, et essent in descensu Bethoron, Dominus misit super eos lapides magnos de cœlo usque ad Zecha, et mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filii Israel (*Jos.* x, 11). » Verum ex tunc magnificentius hoc fit, ut videlicet Dominus *super adversarios suos tonet in cœlis*, ex quo is ipse, qui ut egenus et pauper mortificatus et ad inferos deductus, rursum vivificatus et ab inferis reductus sublimatus est, ut sederet cum principe Patre et solium gloriæ teneret. Ex tunc enim intonuit super adversarios suos magno et terribili tonitru Evan- B gelii, et usque in finem sæculi tonare non desinit, quemadmodum Apostolus dicit: « Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent (*Rom.* i, 18). » Et reliqua. Hinc et illud est quod et Propheta præcinuit: « Et intonuit de cœlo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam, grando, et carbones ignis, et misit sagittas suas, et dissipavit eos: fulgura multiplicavit, et conturbavit eos, » etc. (*Psal.* xvii, 14, 15.) Novissimus tonantis motus magno et irrevocabili fulmine formidantes adversarios feriet. Dicet enim eis qui a sinistris erunt: « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* xxiv, 41). »

Dominus judicabit fines terræ, et dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi sui. Tanquam diceret: Ista, quam prædixi, superborum et humilium discretio nondum apparet. Nondum enim omnis egenus et pauper solium gloriæ tenet, nec in tenebris conticuit omnis impius, nec in præsenti vita Dominum formidant omnes adversarii ejus, imo e contrario tanta securitate nunc impii vivunt et super humiles extolluntur, ut pene moveatur humilis adhuc infirmus. Nam ipse est, qui vel cujus ex persona Propheta in psalmo loquitur: « Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos pacem peccatorum videns (*Psal.* lxxii 2), » et reliqua. Ergo distinctio D nondum apparet; sed non sit tibi curæ. Nam *Dominus judicabit fines terræ*. Nunc interim initia dissimulat, quia videlicet non statim superbiam *terræ*, ubi incipit, judicat aut punit; sed certe *fines* ejus *judicabit*. Nam pius conditor mala hominum et per suam patientiam tolerat, et per aliquorum quandoque conversionem relaxat, ut vel sero redeant, et hoc ipsum saltem, quod diu exspectati sunt, erubescant. Superbientem terram, quæ divitias bonitatis ejus contemnit, et ignorans exspectantem se patientiam Dei, thesaurizat sibi iram secundum duritiam suam et cor impœnitens, tandem in fine judicabit in die iræ et revelationis justi judicii sui, in quo reddet unicuique secundum opera sua.

Et dabit, inquit, *imperium regi suo*. Regi, inquam, suo, scilicet Christo; sequitur enim: *Et sublimabit cornu Christi sui*. Et consonat principio finis cantici. Nam in principio: *Et exaltatum* est, inquit, *cornu meum in Deo meo*, hic autem in fine: *Et sublimabit*, ait, *cornu Christi sui*. Huic *Regi imperium dabit, et cornu* ejus *sublimabit*, in eo videlicet, ut omnia sub pedibus ejus subjecta sint. « Futurum, inquit Apostolus, de quo loquimur. Nam necdum videmus, ait, omnia subjecta esse ei (*I Cor.* xv, 27). » *Dabit* autem secundum humanitatem habenti A omnia secundum divinitatem. *Dabit*, inquam, per passionem obedienter promerenti, quemadmodum devicta morte jam emeritus dicit: « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* xxviii, 18). » Sublime cornu ejus Apostolus insigniter eloquens dicit: « Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris (*Philipp.* ii, 9-11). »

EXPOSITIO IN CANTICUM MOYSIS I,

EXODI CAP. XV.

Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est etc. « Cum extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi et urente, et vertit in siccum, divisaque est aqua, et ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris, » etc. (*Exod.* xiv, 21 et seqq.) Clara est gloriosæ magnificentiæ Domini res gesta, quia divisa est aqua, et ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris: et quia interfecit Dominus exercitum Pharaonis, et subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum, et ita sciverunt Ægyptii quia Dominus ipse est Deus, ut dicerent: « Fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos (*ibid.*, 25). » Sed fugientes involvit eos Dominus in mediis fluctibus respiciens super castra eorum matutina, id est quarta vigilia. Quatuor enim computabantur vigiliæ noctis, ternis horis per singulas vigilias deputatis.

Porro sensu mystico vigilia matutina ipsa est resurrectio Dominica. Matutino namque sedit angelus ad sepulcrum Domini, et post profundam tristitiæ noctem magni gaudii diem mulieribus et per illas lugentibus apostolis evangelizavit. Hinc est illud in psalmo: « A custodia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino (*Psal.* cxxix, 6). » Custodiam matutinam dixit custodiam militum mane exterritam in exemplum omnium impiorum. Nam mulieres lætificatæ sunt in exemplum omnium piorum. Quid speret Israel in Domino ab illa custodia matutina? Videlicet, quia in se fiet quod in illo factum esse ex tunc innotuit, quia resurrexit a mortuis, « quia apud Dominum misericordia est, et copiosa apud eum redemptio, et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus (*ibid.*, 7). » Subauditur: quemadmodum redemit illos filios Israel ex omnibus Ægyptiis hominibus. Itaque vigilia matutina, qua pertransierunt filii Israel, Ægyptiis remanentibus, mystice gaudium nobis est Dominicæ resurrectionis, in qua deponentes veterem hominem renati sumus diabolo remanente, cui renuntiavimus B et omnibus pompis ejus. Dicit enim Apostolus: « Quia baptizati in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti cum illo per baptismum in mortem; ut quomodo Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus (*Rom.* vi, 3-5). »

De hujus igitur gloriosi facti mysterio celeberrimo jam silescere non debemus habentes canticum Moysi, quod sequitur, quia hic est sapientia, quæ aperuit os muti, et linguas infantium fecit disertas, ut victricem manum tuam laudemus pariter, Domine Deus noster. Nam ab ore nostro quicunque gratiam hanc sumus consecuti, canticum hoc non C debere deficere innuit illud de Apocalypsi: « Et vidi tanquam mare vitreum mistum igne, et eos qui vicerunt bestiam et imaginem illius, et numerum nominis ejus stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei, et cantantes canticum Moysi servi Dei, et canticum agni dicentes: Magna et mirabilia opera tua, Domine Deus omnipotens, » etc. (*Apoc.* xv, 2, 3.) Ecce stamus super mare vitreum, videlicet laborantes servare innocentiam, quam accepimus per baptismum; mare, inquam, vitreum, videlicet propter puram, quam ibi fecimus, relinquendorum confessionem peccatorum. Sed et igne mistum, id est Spiritu sancto vivificatum, quo peccata ipsa consumpta sunt, qui et hoc loco my- D stice designatur per ventum urentem, quia dicitur: « Cum extendisset Moyses manum supra mare, abstulit illud Dominus, flante vento vehementi et urente tota nocte. » Habentes ergo citharas Dei, id est mortificationem carnis, quam Deus præcepit, cantemus hoc canticum Moysi servi Dei et agni, videlicet utrobique exsultantes, et pro re gesta, quæ facta est per manum Moysi, et pro mysterio Agni immaculati et incontaminati Christi, quod ille in eadem re prophetice intellexit.

VERS. 1. *Cantemus Domino : gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem dejecit in mare.* Prima vox præcentoris admonitio est adhortans omnes, qui in Sunamite sunt, choros castrorum, ut sublevent concentum secundum magnitudinem festivitatis, secundum quantitatem vel qualitatem divinorum operum. *Cantemus*, inquit, *Domino.* Cantemus spiritu, cantemus et mente. Nam et Apostolus dicit : « Psallam spiritu, psallam et mente (*I Cor.* XIV, 15). » Denique spiritu cantare vel psallere, id est rem gestam memoriter tenere, et eam solam pro materia cantationis habere ; cantare autem mente, id est in exteriore facto mysterium interius persentire. *Cantemus* igitur *Domino.* Quare ? *Gloriose enim magnificatus est.* In quo ? *Equum et ascensorem dejecit in mare.* Vere gloriosa magnificentia, etiamsi solum factum exterius attendas. Si autem et interius mysterium perspicias, ibi gloriosior magnificentiæ abundantia est. Nam equus hic mundus, ascensor est diabolus. Quando illum ascensorem et talem ejus equum projecit ? tunc videlicet quando dixit : « Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras (*Joan.* XII, 31). » Et subsequente protinus exponens actu, quid dixerit audiamus : Accepit cornua crucis in manibus, et ibi abscondita est fortitudo ejus, ut obrepere ausa mors deinceps victa iret ante faciem ejus, et egrederetur diabolus ante pedes ejus. Tunc projecit, et ex tunc projicere non desinit illum in mare, nobis quidem vitreum et Spiritus sancti igne mistum, illi autem piceum igneumque ac sulphureum. Nam illud quidem mare, quo transierunt filii Israel, unum idemque istos emisit, et illos absorbuit ; verum nostrum mare, quo baptizamur in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, equum et ascensorem ejus nequaquam admittit ; sed dum nos per istud mare vitreum transimus, ille in profundum inferni projicitur. Hoc valde gloriosum est, quod sic fecit Dominus. Olim ascensorem istum dicentem : « In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum (*Isa.* XIV, 13), » detraxit et projecit in istum aerem caliginosum. Nunc autem sedentem super equum, id est super infrenatam stultitiam superbientium et a se deceptorum hominum, dejicit in profundum laci, in barathrum ardentis inferni. « Verumtamen, inquit propheta, ad infernum detraheris, in profundum laci : qui te viderunt, ad te inclinabuntur, teque prospicient, » etc. (*Ibid.*, 15.) Ecce videmus, et adhuc in die judicii visuri sumus ; tunc enim cunctis videntibus præcipitabitur. *Cantemus* igitur *Domino*, ait hic doctus et bene vocalis præcentor.

VERS. 2. *Fortitudo mea, laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem.* Accepta commonitione chorus universus, unum ex multis membris corpus, tali initio carmen ingreditur : *Fortitudo mea, et laus mea Dominus.* Quid deinde ? *Et factus est mihi in salutem.* Ergo fortitudo tua facta est tibi in salutem ? Plane *fortitudo mea.* Nam fortitudo capitis A mei, *fortitudo mea* est : imo caput meum, si forte est, fortitudo mea est. Quis autem nesciat quia Dominus ipse magnificus caput meum est, ex quo Verbum caro factum est, et ego una Ecclesia, quæ ad carmen hoc vocata sum, unum corpus ejus sum? Licet igitur universo simul corpori, licet singillatim quibusque membris gloriari salva gratia capitis, et dicere : *quia fortitudo mea facta est mihi in salutem*, et hæc *laus mea* est. Etenim laus capitis totum corpus non dedecet. Alias autem nisi caput fortissimum haberem, sicut hactenus, ex quo bibi de manu Domini calicem iræ ejus, et potavi usque ad fæces propter Adæ prævaricationem, sicut hactenus, inquam, non fuit, qui suscitaret me ex omnibus filiis meis, quos genui : ita et usque in sempiternum B dormirem sicut bestia illaqueata plena indignatione Domini.

Iste Deus meus, et glorificabo eum, Deus Patris mei, et exaltabo eum. Iste, inquam, quondam despectus est novissimus virorum, vir dolorum et sciens infirmitatem, qui moriendo talem equum et talem ascensorem sic projecit, *Deus meus est.* Et homo est et *Deus meus est. Glorificabo eum*, non erubescam eum. Sed dicunt mihi adversarii populi, qui ascenderunt et irati sunt, quos dolores obtinuerunt, scilicet Synagogæ Judæorum, conciliabula hæreticorum : Si *Deus tuus iste* est, ergo Deus recens, Deus alienus est in te, et facis contra Scripturam dicentem : « Israel, si me audieris, non C erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum (*Psal.* LXXX, 10). » Dicam ad hæc, et cantabo confidenter : *Iste Deus meus, et glorificabo eum, Deus Patris mei* Abraham, *et exaltabo eum.* « Abraham, inquit, Pater vester exsultavit, ut videret diem meum, et vidit, et gavisus est (*Joan.* VIII, 56). » Item : « Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum (*ibid.*, 58). » Igitur Deus recens non est in me, neque adoro Deum alienum ; sed Deum Patris mei, Deum antiquum. Nam etsi filius, etsi genitus vel natus est, nec uno tamen puncto sive atomo junior est Patre suo antiquo dierum. Istum glorificabo, istum exaltabo, dicamque :

VERS. 3, 4, 5. *Dominus quasi vir pugnator, omnipotens* D *nomen ejus. Currus Pharaonis et exercitum ejus projecit in mare. Electi principes ejus submersi sunt in mari Rubro. Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis.* Per parenthesin lege : *Omnipotens nomen ejus*, videlicet, ut in medio orationis ejus suggilletur adversarius, cui nimium videbatur, ut diceretur *Dominus. Quasi vir pugnator*, inquit, id est ad modum viri pugnatoris hæc fecit. Sicut enim vir pugnator pro modo vel qualitate hostis sui semetipsum aptat et armis induit ; sic iste secundum naturam hostis sui novis et mirabilibus modis bellum ordinare debuit. Erat autem hostis ejus non caro et sanguis, sed principatus quidam et potestas aerea, rector mundi hujus, tenebrarum harum, spiritalis nequitia in cœ-

lestibus. Non ergo materiali gladio super femur A suum semetipsum potentissimus accinxit, non loricam aut galeam visibilem ferro textam induit; sed contra ejusmodi principatum et potestatem superbiæ, humilitatis et obedientiæ decorem induit, contra spiritalia nequitiæ fortitudinem charitatis induit et præcinxit se. Ita *quasi vir pugnator currus Pharaonis* aerei, quibus super altitudinem nubium equitare se credidit, ut esset Altissimo similis, *et exercitum ejus* tam vitiorum quam dæmonum, quos præposuerat in templis vel delubris gentium, *projecit in mare.* Moriendo quippe accepit potestatem in cœlo et in terra, et omnia traxit ad se. Ex tunc *electi principes ejus submersi sunt in mari Rubro.* Undosa namque tribulatio ejus, de qua dicit in Psalmo: « Salvum me fac, Deus, quoniam intra- B verunt aquæ usque ad animam meam (*Psal.* LXVIII, 2), » inundavit super capita eorum, ex hora qua in latere percussus lancea fudit sanguinem et aquam, et ita *abyssi operuerunt eos*, et periit memoria eorum. et *descenderunt in profundum quasi lapis* propria iniquitate depressi. Nihil enim juris habent in omnibus, quorum hic Deus est, et qui glorificant eum', qui hunc patris sui profitentur Deum. Inde laudes, inde gratiarum actiones.

VERS. 6, 7. *Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine, dextera tua, Domine, percussit inimicum. Et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios meos.* Sit vox ista maxime martyrum no- C strorum. Per illos enim *dextera Domini*, quæ cœlum extendit terramque fundavit, glorificata est miraculis, templa dæmonum evertit, idola disperdidit. Ita *percussit inimicum*, non ferro sed sanguine martyrum, *et in multitudine gloriæ* suæ. in laudem et honorem gloriosæ gratiæ suæ, o sancta Ecclesia, deposuit *adversarios* tuos. Dicant ergo victores isti, præliatores fidei, propugnatores veritatis: *Misisti iram tuam, quæ devoravit eos sicut stipulam.*

VERS. 8. *Et in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ. Stetit unda fluens, congregatæ sunt abyssi in medio mari.*

Iram tuam, id est zelum tuum, *misisti*, Domine Deus. Zelatus enim es pro gentibus te ignorantibus, D quæ in errorem abductæ ad simulacra muta ibant, prout ducebantur, et *devoravit* ira tua sive zelus tuus deos fanaticos, sicut devorat ignis *stipulam.* Ubi nunc adulter Jupiter? Ubi Venus meretrix? ubi cæterorum portenta deorum? ubi sunt equi eorum qui sub illis contra martyres tuos hinnierunt, id est reges et præsides truculenti, qui pro illis martyrum sanguinem fuderunt? *Devoravit eos ira tua sicut stipulam, et in spiritu furoris tui*, id est in comminatione futuri judicii, *congregatæ sunt aquæ.* Juxta litteram *in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ* illud est, quia abstulit illas Dominus flante vento vehementi et urente tota nocte, erantque quasi murus ad dexteram et ad læ am, quæ res utique fugientibus opem, persequentibus portabat furorem. Cæterum juxta cœptum mysterium aquæ populi sunt. Unde est: « Beati, qui seminatis super omnes aquas (*Isa.* XXXII, 20). » Item: « Intonuit Dominus super aquas multas (*Psal.* XXVIII, 3). » Istæ aquæ spiritum furoris Domini, id est comminationem futuræ examinationis, sentire vel audire potuerunt, quia rationales sunt, et a timore ejus congregatæ sunt. Ubinam congregatæ sunt? *In medio mari.* Sic enim ternaria repetitione usus per tropum, qui periphrasis, id est circumlocutio, dicitur, et ornandæ rei causa fieri solet, tandem determinavit. *Congregatæ sunt aquæ, stetit unda fluens, congregatæ sunt abyssi in medio mari.* Aquarum enim nomine populus, ut jam dictum est, undæ fluentis vel abyssorum vocabulo fluidam et profundam populorum signat miseriam, juxta quod alibi de isto persecutore dicitur: « Absorbebit fluvium, et non mirabitur (*Job* XL, 18). » Sed *stetit* hic fluvius vel hæc *unda fluens.* Tunc stetit, quando congregatæ sunt aquæ, id est populi multi, ut stanti et æterno Deo per fidem unirentur. Et alio loco Scriptura dicit: « Pravum est cor hominis et inscrutabile, quis cognoscet illud? » (*Jer.* XVII, 9.) Ergo et *abyssi congregatæ sunt in medio mari*, quando pravi homines de occultis tenebrarum, de profundis vitiorum confluxerunt ad unicum et universale baptisma Christi. Medium enim recte dicitur id quod commune vel publicum aut universale est, quod nos dicimus catholicum. Ex hoc expedit congregationi aquarum, ut congregentur ad medium. Nam quod in parte est, non est authenticum. Illud hæreticorum est, qui angulos quærunt, quibus aquæ furtivæ dulciores sunt.

VERS. 9. *Dixit inimicus: Persequar et comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea.* Hoc *dixit inimicus*, id est diabolus, qui antonomastice, id est quasi proprio nomine dicitur *inimicus.* Quid mirum, si hoc dixit habens fiduciam, quod influat Jordanis in os ejus, et falsus est, qui dixit: « In cœlum conscendam (*Isai.* XIV, 13), » affectans similis esse Altissimo, et spes cum frustrata est? Quid, inquam, mirum, si de cordibus renascentium in Christo jam exclusus dicit sic et sic loquitur, qui de cœlo projectus cum angelis suis adhuc adversatur et extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. *Persequar*, inquit, *et comprehendam.* Persequatur quantum licet. Nam de his qui mare ingressi sunt neminem comprehendet, nisi fictum aliquem sive hypocritam, in quo habet fiduciam, ut dicat: *Dividam spolia, et implebitur anima mea.*

Ait: *Evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.* Gladium evaginare, id est apertam persecutionem excitare, sicut econtra arcum intendere, id est occulte velle decipere. Utrumque Psalmista exprimens persecutionis modum, *gladium*, inquit, *evaginaverunt peccatores, intenderunt arcum suum.*

Ergo *evaginabo*, inquit, *gladium meum*, id est a cordibus exclusus manifesta utar tyrannide regum, imperatorum et paganorum crudelium : et quia non pertingo ad animam, corporaliter *interficiet eos manus mea*, potestas mea permissione divina. Sed « qui fecit eum, » ait ad beatum Job Dominus, « applicabit gladium ejus (*Job* XL, 14), id est non quantum volet, sed quantum utile est sævire aut interficere permittetur. Non ergo timeat victoriosus Dei populus festinans ad hæreditatem, quam promisit Deus. Etenim inimicus iste, dum persequitur, dum occidit, proposito illorum magis proficit, ut citius ad patriam perveniant peregrini. Inde fatuus esse convincitur, quia, dum pro se contra Deum vel contra Dei populum agere nititur, contra se potius agit et Dei propositum adjuvat ut perficiatur, diciturque de illo ad beatum Job : « Nunquid pones circulum in naribus ejus ? » (*Ibid.*, 21.) Hoc enim dicto fatuitas ejus maxima denotatur. Et subinde : « Nunquid feriet tecum pactum, et accipies eum servum sempiternum ? » (*ibid.*, 23) subauditur, ut ego, cui voluntate adversando sic ille cooperatur, tanquam juraverit obsequium seque servum studeat exhibere fidelissimum. Sequitur :

VERS. 10. *Flavit spiritus tuus, et operuit eos mare, submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.*

Certum hoc tenet catholica fides, quia mare Christi nobis ingressis aspirat Spiritus Domini, Spiritus gratiæ et remissionis, deponens juxta Prophetam omnes iniquitates nostras, et projiciens in profundo maris omnia peccata nostra. Hic ruina diaboli est. Quod enim primum in semetipso caput nostrum fecit in præsentia suæ mortis, « delens, » ut Apostolus ait, « quod adversus nos erat, chirographum decreti, quod contrarium nobis et ipsum, inquit, tulit de medio affigens illud cruci, et exspolians principatus, et potestates traduxit confidenter palam triumphans illos (*Coloss.* II, 14, 15) : » quod, inquam, tunc in semetipso caput fecit, hic, id est in baptismo facit in membris suis, ubi est similitudo mortis ejusdem, cui complantamur, ut idem Apostolus ait. Recte igitur dicas, et veraciter cantes, quicunque de hoc mari ascendisti in Christo renatus, quia *operuit eos mare, submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus*, impleta veritate prophetiæ dicentis : « Ecce ego ad te, Pharao rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, et dicis : Meus est fluvius, et ego feci memetipsum : et ponam frenum in maxillis tuis, et agglutinabo pisces fluminum tuorum squamis tuis, et extraham te de medio fluminum tuorum, et universi pisces tui squamis tuis adhærebunt, et projiciam te in desertum, et omnes pisces fluminis tui (*Ezech.* XXIX, 3-5). » Et nota quod superius lapidi, videlicet propter gravedinem peccati, hic autem eos plumbo comparavit, scilicet propter pœnam vel retributionem peccati secundum Zachariam prophetam, apud quem *talentum plumbi* in os mittitur impietatis. Iterum laudes, iterum gratiarum actiones.

VERS. 11. *Quis similis tui in fortibus, Domine ? Quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis, atque laudabilis et faciens mirabilia.?* Hoc contra illud, quia dixit iste Pharao : « Ero similis Altissimo (*Isai.* XIV, 14). » Parum erat prædicasse in illo fortitudinem dicendo : *quis similis tui in fortibus, Domine*, nisi et sanctitatem prædicaret addendo : *quis simili tui magnificus in sanctitate?* Hoc enim a se differunt hoc loco fortitudo et sanctitas, quod alibi judicium et misericordia. Fortitudo judicii contra superbos persequentes; sanctitas misericordiæ super pios fugientes; secundum hæc duo subjungit nomina laudis : *Terribilis atque laudabilis. Terribilis* videlicet pro judicii fortitudine, *laudabilis* pro misericordiæ sanctitate. Secundum utraque ista, *et faciens*, inquit, *mirabilia*. Quæ mirabilia ?

VERS. 12. *Extendisti manum tuam, et devoravit eos terra.* Hoc est *mirabile fortitudinis*, unde es tu, Domine, *terribilis*. *Devoravit eos*, inquit, *terra : Terra*, inquam, *tenebrosa* juxta beatum Job, « et operta mortis caligine, terra miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitans (*Job* X, 21). »

VERS. 13. *Dux fuisti in misericordia tua populo tuo, quem redemisti : et portasti eum in fortitudine tua ad habitaculum sanctum tuum.* Hoc mirabile sanctitatis tuæ vel misericordiæ est. Inde es tu, Domine, *laudabilis*, *terribilis atque laudabilis* tam diversa mirabilia fecisti. *Et portasti eum*, inquit, *in fortitudine tua*, etc. Tempore præterito pro præsenti usus est, *portasti* inquiens, pro eo ut diceret : *portabis*, certissime sciens quia quod cœpit, perficeret, vel quia propositum ejus infirmare nemo posset. Quid autem est *habitaculum* Dei *sanctum?* Nunquid terra peccatorum, terra Chananæorum ? Fuerit quidem illic *habitaculum sanctum*, id est civitas sancta Jerusalem vel templum et sancta sanctorum. Verum non propter se illa sancta fuere, sed propterea, quia cœlestium erant exemplaria sanctorum. Ergo non tam locum illum terrenum, quam terram viventium, cujus illa fuit umbra, dixit *habitaculum* Dei *sanctum*, quo per gloriosam ductoris Dei magnificentiam portandum prævidebat esse universum sanctorum populum *in fortitudine* Dei, quæ non est alia quam Filius Dei.

VERS. 14, 15. *Ascenderunt populi, et irati sunt*, etc. Unde scire poterat ut diceret quasi præteritum quod futurum erat : *Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan ?* Nam de eo, quod ait : *Dolores obtinuerunt habitatores Philisthiim*, illud forte responderi possit, quia vicina erat terra Philisthiim, et antequam mare ingrederentur, cavendum illis erat ne per eos transire conarentur, sicut superius jam dictum est, eo quod eorum dolor, id est invidia, jam exeuntibus de Ægypto innotuisset. Verum Edom dicentibus : « Obsecramus ut nobis liceat

transire per terram tuam, › necdum responderat : ‹ non transibitis per me, alioquin armatus occurram tibi : › neque dixerat rex Moab : ‹ ita delebit hic populus omnes qui in nostris finibus commorantur, quomodo bos solet herbas usque ad radices carpere (*Exod.* xx, 17-22). › Unde ergo nisi ex prophetico spiritu ista cantare noverat? Porro spiritaliter Edom, id est *terrenus* vel *sanguinolentus*, et *Moab*, quod interpretatur *ex patre*, subauditur : diabolo, Chanaan quoque, quod interpretatur *commotio*, Philisthiim quoque, id est *potione cadentes*, omnes illos et nominibus significaverunt et factis suis præfiguraverunt, qui Christo victore coronato, gloriam ejus cœlis enarrantibus, atque in omnem terram exeunte sono apostolorum ejus, victi diaboli causam quasi tuendam susceperunt, et in spiritu ejus inflammati contra omnes in Christo credentes *ascenderunt et irati sunt.*

Vers. 16. *Irruat*, inquit, *super eos formido et pavor in magnitudine brachii tui.* Formido de futuris, pavor de præsentibus. Hoc juste illis imprecatur, qui gloria Dei cruciantur, cunctis videlicet hostibus fidei vel nominis Domini tam visibilibus, quam invisibilibus. *Fiant immobiles*, ait, *quasi lapis*, videlicet ut mobilibus et bene ad Deum currentibus nocere non possint, *donec pertranseat populus tuus, Domine*, subauditur : qui manentem hic non habet civitatem, sed futuram inquirit : *donec pertranseat populus tuus iste, quem possedisti.* Repetitio pertranseuntis populi est quidem in littera quoque ornatus sermonis vel cantici, sed in mysterio placet magis si post priorem Hebræorum, sequentem quoque gentium populum intelligere velis, quem suo sanguine emptum ductor Christus possedit, Patre dicente : ‹ Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ (*Psal.* II, 8). ›

Vers. 17. *Introduces eos, et plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es, Domine.* Hoc secundum similitudinem vineæ dictum Psalmista quoque amplectens Domino canit : ‹ Vineam de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes, et plantasti eam, › etc. (*Psal.* LXXIX, 9.) *In monte*, inquit, *hæreditatis tuæ.* Terra quidem illa montuosa est, quam dedit Deus populo illi, sed incomparabiliter ea celsior est terra, quam recte dicas *montem hæreditatis* Domini, præsertim cum protinus subjunxerit : *Firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es, Domine, sanctuarium tuum, Domine, quod firmaverunt manus tuæ.* Ergo mons, in quo plantari magnum sit populo Dei, quod recte vocetur *firmissimum habitaculum Domini*, quod operatus ipse sit, quod *sanctuarium* sit Domini, quod manibus suis ipse confirmaverit, ille est Libanus, de quo propheta plantationem apostaticam ejectam esse dicit his verbis : ‹ Ecce Assur, quasi cedrus in Libano, pulcher ramis, et frondibus nemorosus, excelsusque altitudine, et inter condensas frondes elevatum est cacumen ejus. › Et post pauca : ‹ Omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi, et pulchritudini ejus, quoniam speciosum feci eum, › etc. ‹ Cui assimilatus es, o inclyte atque sublimis inter ligna voluptatis? Ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram ultimam, in medio incircumcisorum dormies, cum his qui interfecti sunt gladio. Ipse est Pharao, et omnis multitudo ejus, dicit Dominus (*Ezech.* XXXI, 3 et seqq.). › In hoc monte primum quod mirabile est, latronem plantavit dicendo : ‹ Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso (*Luc.* XXIII, 43). ›

Vers. 18. *Dominus regnabit in æternum et ultra.* Pulcherrimi cantici clarissimus et valde sonorus finis hic est : nam quod sequitur :

Vers. 19. *Ingressus est enim Pharao* et cætera subjungendo, ad caput redit, et universa quasi brevi epilogo concludit. *Dominus regnabit in æternum.* Certum hoc habet omnis qui novit Dominum, quia *Dominus regnabit in æternum.* Sed quis hoc ipsum capiat, quod dicitur : *in æternum?* significatum hujus vocis nimis spatiosum est. Longitudinem et latitudinem sive altitudinem ejus noster intuitus permetiri non potest. Hac voce audita, forte levamus capita nostra; sed non tota videmus æternitatis spatia. Addidit ergo : *et ultra*, velut si dicat : Quantum videre potes, in longinquum regnabit Dominus, *et ultra* quam videre potes : ultra id quod ipsa vox, qua dicitur *in æternum*, animo vel intellectui tuo infert. Quasi quæreres, unde scis quia Dominus regnabit? rationem reddit hujuscemodi. *Ingressus est enim Pharao*, etc. Ergo nisi ille in mare ingressus fuisset, et nisi Dominus aquas super eum reduxisset, Dominus non regnaret? Plane regnaret ubique potestate, sed non regnaret illa hominum possessione; quam Propheta suspirans : *Et possederunt nos domini*, inquit, *absque te;* nisi, inquam, fuisset oppressus ille Pharao spiritualis, Dominus non regnaret nobis, id est non fuisset ejectus foras princeps mundi, non possideret nos Christus Filius Dei, non regnaret in nobis Salvator mundi.

Vers. 20. *Sumpsit ergo Maria prophetissa, soror Aaron, tympanum in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis et choris, quibus præcinebat dicens : Cantemus Domino*, etc. Pulcher narrationis ordo : prius Moyses cum viris, dein Maria cum mulieribus unum idemque canticum canit. Nos hunc ordinem spiritaliter intelligentes saltem ut mulieres cum mulieribus, quoniam infirmæ animæ sumus, eadem fide cantemus : nam apostolos et apostolicos homines, quicunque armati de Ægypto ascenderunt, et ad præliandum fortes sunt, viros esse fatemur, et eorum comparatione cum quasi mulieres simus, nequaquam eodem choro consistere, vel eodem tono personare valemus. Notandum quia Mariam hic prophetissam Scriptura nuncupavit, quia videlicet sicut prædictum partimque expositum est, futurorum prophetiam verba continent hujus cantici, cum sonare videantur tantum de præ-

sentibus aut præteritis. Et pulchre sumpsisse dicitur *tympanum*, quod modulationis instrumentum corium est in ligno extensum, significatque carnis mortificationem, sine qua nulla potest anima probam se exhibere cantatricem. *Et egressæ sunt*, inquit, *omnes mulieres post eam*. Mulier a mollitie dicta est. Sed oportet ab ipsa mollitie sua fidelem

A animam parumper egredi, quatenus viros imitari et digne Deo canere possit. Egredi enim oportet ex Ægypto, transire mare, ut cantes primum canticum tu, qui fugis Pharaonem invisibilem. Sed tamen adhuc longe es a Cantico canticorum, sicut qui intrat in sancta, multis opus habet, ut intret in sancta sanctorum.

EXPOSITIO IN CANTICUM HABACUC.

CAP. III.

VERS. 1, 2. *Domine, audivi auditionem tuam, et timui. Domine, opus tuum in medio annorum: vivifica illud. In medio annorum notum facies, cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Quam vel qualem Domini auditionem iste audivit, et timuit? Illam nimirum quam ipse postmodum edicit: *Deus*, inquiens, *ab austro veniet, et sanctus de monte Pharan; cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus*, etc. Veraciter hujusmodi auditionem audiendo timere sive expavescere fidelis et sapientis animi est. Quantum enim hoc est, quod veniens in hunc mundum Deus et Dominus omnium, majestas altissima cunctis virtutibus cœlorum timenda et adoranda, carne assumpta, manibus confixis ad crucis cornua pependerit; et ut hoc pateretur, ut tam male tractaretur tantus Dominus, contumacium culpa servorum causa exstitit? Quisquis eorumdem servorum hanc auditionem audit, id est sentit vel intelligit, (hoc enim est auditionem audire, quod audivit auris corporis, etiam aure cordis percipere); quisquis, inquam, eorumdem servorum istud audivit et consideravit, quomodo non timuit, quomodo non expavit? Puta quod attonitus dixerit: Heu! quid erit de nobis servis malis, quorum propter scelus talem tantumque Dominum tam male tractari oportuit?

Novi quemdam, Deo teste, qui per visum elevatis sursum oculis aspicere se putavit altitudinem summæ et incircumscriptæ magnitudinis, et miro atque ineffabili modo vim sentire illius divinæ virtutis, et quasi in medio ejusdem altitudinis, magnitudinis, immensitatis videre stantem nimis excelsum et ineffabiliter altissimum illum Filium hominis, qui crucifixus est pro nobis. Cumque visus ejusdem magno quidem, sed suavi, ultra quam dici potest, pondere premeretur, hæc, quam dixi, cogitatio illi in mentem venit: Heu! quid erit de nobis servis malis, quorum propter scelus talem tantumque Dominum tam male tractari oportuit? statimque cogitationi huic alia cogitatio quasi desuper ab ipso Filio hominis emissa suavissime respondit: nec ego nunc tantus Dominus existerem, nisi propter servorum causam tam male tractatus fuissem:

B et quæ mihi fuit causa passionis, eadem est gloriæ et honoris.

Qualiacunque sint hæc, illud recte dixerim, quia opus hoc magnum tamque incomprehensibile est, ut quisquis dignus fuit audire auditionem ejus, recte timeat et oret pro ignorationibus. Nam ignorantiam quidem hujus rei nullus habere debet, sed ignorationem, inconsiderationem ejus, qui non habeat, nullus est, quia nullus ad plenum considerare vel æstimare potest. Non tamen timor hujusmodi timor est servilis aut pœnalis, sed est timor sanctus permanens in sæculum sæculi, quem charitas non foras mittit, sed intus adducit, in quo majestatem æterni Dei laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates. Hoc ex ipsa re satis manifestum

C est. Nam ubi dixit: *Audivi auditionem tuam, et timui*, non libet subaudiri, ne fieret, quod futurum esse audivi, cum dicat protinus: *Domine, opus tuum in medio annorum, vivifica illud*. Hoc ipsum citius fieri optavit et oravit, quod futurum esse audiens timuit. Ergo bonus timor, sanctus timor, de quo alibi Psalmista: « Adorabo, inquit, ad templum sanctum tuum in timore tuo (*Psal.* CXXXVII, 2). » *Domine*, inquit, *opus tuum in medio annorum vivifica illud*. Miro modo iste non timidus, sed timoratus et orat et prophetat. Quid est enim *in medio annorum?* Qui sunt anni, quorum *in medio* fieri orat quod audiens futurum esse timetur? Annos istos libenter intelligimus annos vitæ hominis, quos

D Psalmista computatos habens: « Dies, inquit, annorum nostrorum in ipsis septuaginta annis (*Psal.* LXXXIX, 10). » Et quidem numerum hunc excesserunt potentiores magisque durabiles aliqui: sed si « in potentatibus octoginta anni, et amplius eorum labor et dolor (*ibid.*). » Ergo anni vitæ hominis septuaginta sunt. Futurum autem erat ut *in medio* hujus numeri annorum vivificaret Dominus opus suum, opus mortificatum, opus suum, quod est genus humanum. Et quidem et cœli et terra et mare et omnia quæ in eis sunt, opera sunt Domini. Sed homo quoddam opus speciale est Domini, opus manuum Domini. Nam de cæteris « Dixit Deus, et facta sunt (*Psal.* XXXII, 9). » Ut autem hominem faceret, as-

sumpsit lutum et plasmavit et fecit opus manuum. A Hinc Isaias : « Et nunc, inquit, Domine, Pater noster es tu, nos vero lutum ; et fictor, et opera manuum tuarum omnes nos (*Isai.* LXIV, 8). » Et sanctus Job : « Manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me totum in circuitu (*Job* x, 18). » Ergo etsi cætera Dominus operatus est, homo tamen proprium quoddam opus manuum Domini est, quod diabolus per serpentem mortificavit morte animæ, subsequente ex justa Dei sententia corporis morte. Hoc opus ita mortificatum vivificaturus erat *in medio annorum* vitæ hominis annorum septuaginta. Et ita factum est. Cum enim esset ipse Dominus homo factus, paulo minus quam *in medio* septuaginta *annorum*, scilicet ætatem habens annorum triginta trium, ipse moriendo atque resurgendo vivificavit opus suum, B genus humanum, moriendo mortem destruxit animarum nostrarum : resurgendo vitam reparavit corporum nostrorum. Igitur miro modo iste timuit, qui in isto timore hoc ipsum, quod timebat, prophetando oravit, ut citius fieret, orando prophetavit, quod citius faciendum esset.

Iterum ait : *In medio annorum notum facies.* Quid notum facies *in* altero *medio annorum ?* Diximus enim, quia *in medio annorum* vitæ hominis, opus tuum vivificasti, id est templum tuum, templum non manufactum corporis tui Judaica impietate solutum suscitasti, et cum ipso generis humani vitam reparasti. Quid facies notum in altero dimidio annorum, nisi hoc ipsum, quod revera vivificaveris jam dictum opus tuum. Cum enim completi C fuerint septuaginta anni, ex quo illud opus tuum, illud templum tuum ædificasti de corpore virginis matris, jam tunc notum factum erit, quid operatus sis venientibus Romanis et veritatem tuam implentibus in destructione templi manufacti, super quæ calumniam sustinuisti a dicentibus : « Hic dixit : Possum destruere templum Dei, et post triduum reædificare illud (*Matth.* XXVI, 61). » Item : « Vah, qui destruis templum Dei, et in triduo illud reædificas ! » (*Matth.* XXVII, 40.) Non enim remanebit lapis super lapidem, qui non destruatur. Mira et pavenda celeritas operis tui, Domine, quia *in medio annorum* nostrorum, annorum septuaginta, qui vitæ nostræ anni sunt, vivificabis illud, sicut jam dictum D est, et in altero eorumdem annorum medio prædicantibus apostolis sic *notum facies* quid egeris, ut ejusdem operis tui gloriam æmulatio templi Judaici, templi manufacti, occultare sive obscurare non possit, quia destructum erit. Magna ira, magna tunc pressura erit populo huic. Sed quid?

Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Non erimus sicut Sodoma, non efficiemur quasi Gomorrha, sed reliquiæ salvæ fient ex nobis. Hinc et Isaias dicit : « Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes essemus (*Isai.* I, 9). » Et est sensus : Nisi Dominus præordinasset, ut reliquiæ salvæ fiant ex nobis, et omnis Israel salvus sit, cum plenitudo gentium subintraverit, ita gens nostra tota consumpta fuisset absque reliquiis, sicut Sodomitæ omnes igne et sulphure sunt consumpti, excepto Lot, qui non erat ex illis. Quod apud septuaginta Interpretes ita legitur : *In medio duorum animalium cognosceris*, non præterire libet, maxime quia in cœtu, sive in conventu Ecclesiæ usitatum est. Simplex quidem interpretatio et opinatio vulgi, ait beatus Hieronymus, de Salvatore intelligitur, quod inter duos latrones crucifixus agnitus sit. Qui autem melius, hoc dicunt, quod in prima Ecclesia, quæ de circumcisione fuit, et de præputio congregata duobus populis se hinc inde cingentibus intellectus sit Salvator et creditus. Sunt qui per duo animalia duo intelligant Testamenta, Novum et Vetus, quæ vere animantia sint atque vitalia, quæ spirent, et in quorum medio Dominus cognoscatur. Sequitur :

VERS. 3. *Deus ab austro veniet, et Sanctus de monte Pharan.* Semper hactenus admirando exclamaverat. Nunc rem ipsam latius eloqui incipit, super cujus magnitudine attonitus exclamationem præmiserat : *Deus*, inquit, *veniet, et Sanctus veniet.* Unde veniet ? *Ab austro et de monte Pharan.* Quod de Christo Dei Filio scimus vel credimus, propter quod et loquimur, libenter in istis prophetæ verbis intelligimus, qua a Deo exivit, et in hunc mundum venit homo factus secundum operationem Spiritus sancti. Spiritus enim sanctus sicut in multis Scripturarum locis, ita et hic recte per austrum intelligitur, qui ventus est calidus, et e regione frigido aquiloni oppositus, quo significari solet spiritus malignus Spiritui sancto contrarius. Ipsa autem Dei Patris persona per montem *Pharan*, sive secundum septuaginta Interpretes, per *montem umbrosum et condensum* significatur, quia videlicet *incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus, et immensa est altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ ejus :* quod innuit, ut supra diximus, titulus ipse : *Oratio Habacuc prophetæ pro ignorationibus.*

Porro *Deus* et *Sanctus* ipse est Christus Filius Dei, utique *Deus* verus, homo *Sanctus*, nequaquam in iniquitatibus conceptus, et qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Iste igitur, inquit, *veniet ab austro*, id est ut veniat iste, Spiritus sanctus efficiet. Nam propter charitatem suam magnam mittet eum Deus Pater, charitas autem Patris mittentis et Filii, qui missus est, quid est aliud, nisi Spiritus sanctus ? Ergo a Spiritu sancto veniet, id est ut veniat, sicut jam diximus, Spiritus sanctus efficiet, et Spiritus sancti erit operatio, quod eum virgo incorrupta concipiet, et verum Deum verumque hominem pariet. Secundum tres istas unius veræ et summæ Deitatis personas tribus distinctionibus canticum propheticum subdistinguitur. Distinctionum earumdem signum est semper, quod Hebraice *sela* et a Græcis translatoribus interpretatum est *diapsalma*, de quo sciendum est, quod nisi in psalterio et in præsenti loco

sit positum. Et puto, ait beatus Hieronymus, musici cujusdam soni esse signaculum, aut certe perpetuitatem eorum quæ prædicta sunt indicari. Et ubicunque *sela*, hoc est, *diapsalma* sive *semper* apponitur, ibi sciamus non tantum ad præsens tempus, verum ad æternum vel quæ præcesserint, pertinere.

Prima distinctio ab hoc versu incipit : *Operuit cœlos gloria ejus;* secunda : *Fluvios scindes terræ;* tertia : *Maledixisti sceptris ejus.* Et prima quidem distinctio spectat ad Deum Dei Filium, de quo dixerat Deus : *Ab austro veniet;* nam *cornua*, inquit, *in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus*, etc.

Secunda distinctione manifestum est quod alii personæ loquatur. *Nam egressus es*, inquit, *in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.* Et illa persona recte intelligitur Spiritus sanctus, quem per austrum significari accipimus, qui visibilia præsentiæ suæ signa præbuit egrediens cum Christo suo in salutem populi sui, quod suo loco planius dicendum erit.

Tertia distinctione alia persona est, cui loquitur : *Maledixisti sceptris ejus*, postmodum dicens : *Ego autem in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo*, et illam personam, cui loquens hoc de Domino Jesu suo confitetur, Patrem gratanter accipimus. Nunc jam ipsam seriem prosequamur.

Operuit cœlos gloria ejus, et laudis ejus plena est terra. Sic loquitur hæc et cætera quæ sequuntur, tanquam timore plenus, et illo auditu in interiore homine attonitus, quem præmisit : *Domine*, inquiens, *audivi auditionem tuam, et timui.* Dixerat : *Deus ab austro veniet, et Sanctus de monte Pharan*, sive *de monte umbroso et condenso.* Jam quasi quæreres qualis vel quantus Deus, et quantæ sanctitatis Sanctus? *Operuit*, ait, *cœlos gloria ejus, et laudis ejus plena est terra.* Cum dicit : *Operuit cœlos gloria ejus*, quid nisi hoc intimare vult, quod æque umbrosus et condensus sit ut ipse mons, id est ipse Pater, de quo venit idem Deus? Denique valde umbrosum et condensum, valde incomprehensibilem illum testatur esse, dum dicit : *Operuit cœlos gloria ejus*, quod idem est ac si dicat : Incomprehensibilis est Divinitas ejus etiam *cœlis*, id est cunctis spiritibus angelicis. Tantus, tam gloriosus est iste Deus. Quam sanctus sit, si quæras : *Et laudis ejus*, ait, *plena est terra.* Pulchre distingue gloriam Dei, laudem Dei. Nam inde gloriosus, quia Deus : inde laudabilis, quia sanctus. Et sicut *gloria* Divinitatis *ejus cœlos*, ut jam dictum est, *operuit :* ita *laude* sanctitatis, laude sanctæ humanitatis ejus *terra plena est.* Nec cœli, id est angeli, gloriam divinæ claritatis ejus ad finem perspicere possunt, nec homines in terra sanctitatem et humilitatem humanitatis ejus, quantum est dignum, laudare sufficiunt. Non habet finem Deus magnus et excelsus, non habet æstimationem Deus homo factus, sanctus et bonus. Quid

A ergo, si *gloria ejus cœlos operuit?* Unde cognoscetur, si est umbrosus atque condensus? Ait :

Vers. 4. *Splendor ejus ut lux erit.* Ac si dicat : Non ita est umbrosus et condensus, ut non possit videri, non ita est incomprehensibilis, ut non possit agnosci. Splendebit enim, et *splendor ejus ut lux erit*, id est creaturam satis illuminabit. Habitat quidem lucem inaccessibilem, sed tolerabilem novit emittere splendorem. In ipsum lucis profundum accedere vel penetrare creatura non potest, sed ad creaturam lux ipsa tentativo splendore procedere potest. Splenduit gloria ejus ipsis cœlis, quos operuit, et terræ splenduit, ubi homo factus homines latuit. Splendor ejus mirabilium est operum effectus. In cœlo et in terra mirabilia fe-
B cit, et quot mirabilia fecit, toties splendorem emisit. Et hujusmodi *splendor ejus ut lux* est, et *ut lux erit*, quia creaturam suam angelicam sive humanam ad cognoscendum se ipsum sufficienter illuminat et illuminabit.

Quid tandem umbrosius, quid condensius eo quod sequitur : *Cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus? Cornua* namque vexilla dicit et trophæa crucis, cujus brachiis confixæ fuerant manus ejus. « Cum » enim « in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philipp.* II, 7). » In cruce ergo paulisper *abscondita*
C *est fortitudo ejus*, quando dicebat ad Patrem : « Tristis est anima mea usque ad mortem ; » et : « Pater, si possibile est, transeat a me calix iste (*Matth.* XXVI, 38, 39); » et in ipsa cruce : « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum (*Luc.* XXIII, 46). » Quid tam umbrosum, tam condensum? Nam « nos, » ait Apostolus, « prædicamus Jesum Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam (*I Cor.* I, 23). » Quomodo autem vel ad quid ibi abscondita est fortitudo ejus? Nimirum sicut in carne absconditur hamus, ad hoc ut piscis capiatur : ita quasi ferreus Divinitatis aculeus ad hoc latuit humanitate absconditus, ut diabolus caperetur. Nam hoc est quod de Behemoth sive Leviathan ad beatum Job Dominus loquitur : « An
D extrahere poteris Leviathan hamo? » (*Job* XL, 20.) Subauditur enim, ut ego. Proinde cum dicit : *Cornua in manibus ejus*, id solum nos attendere vult, quod cornibus sive brachiis patibuli fixæ fuerint manus ejus. Alioquin magis proprie dixisset : Manus ejus in cornibus, sicut non sic dicere solemus : crux in Christo, sed : Christus in cruce fixus. Hoc magis perpendere nos vult, quod propter confixionem, qua cruci confixus vel in cruce exaltatus est, omnis potestas sive omne regnum, quod per cornu figurari solet, datum est in manibus sive in manu ejus, sicut ipse prædixerat : « Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum (*Joan.* XII, 32); » et sicut ait postea : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII, 18). » Ipse pro-

pheta protinus enuntiat quid eventurum esset inde, quod ibi abscondita est fortitudo ejus. Ait enim :

Vers. 5. *Ante faciem ejus ibit mors, et egredietur diabolus ante pedes ejus.* Quid enim est hoc, nisi ac si diceret : Illo quasi hamo Leviathan capietur? Sicut enim piscis hamo captus ante pedes capientis hamumque trahentis de flumine sive de mari egreditur, ita *diabolus egredietur*, inquit, *ante pedes ejus*, hoc est, veniet in potestatem ejus, et foras idem princeps mundi ejicietur. Duo dixit : *Ante faciem ejus ibit mors : et egredietur diabolus ante pedes ejus.* Et hæc sunt quæ nos credimus et loquimur, et credentes speramus, quia ante conspectum ejus mors fugit : resurrexit enim, et nobis resurrectionis gloriam donavit, diabolumque auctorem peccati et mortis ad prædicationem Evangelii sui fecit foras egredi, et ante pedes, id est ante prædicatores suos conculcari. Sequitur :

Vers. 7. *Stetit, et mensus est terram. Aspexit, et dissolvit gentes, et contriti sunt montes sæculi. Incurvati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis ejus.* Ipse, qui in cruce mortuus fuit, ubi abscondita erat fortitudo ejus, resurgens a mortuis, nimirum non jam abscondita, vel abscondenda, sed deinceps manifesta fortitudine *stetit*, subauditur : a dextris virtutis Dei ad expugnandas reliquias peccati, ad debellandos hostes Evangelii sui. Nam « ecce video cœlos apertos, » ait Stephanus protomartyr, « et Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei (*Act.* vii, 55). » Et Isaias jamdudum fuerat prælocutus : « Stat ad judicandum Dominus, et stat ad judicandos populos (*Isai.* iii, 13). » *Stetit* ergo Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio diabolum victum habens ante pedes suos. *Et mensus est terram.* Quomodo mensus est, nisi tanquam judex vivorum et mortuorum? Nempe quod de David præscriptum fuerat, quia « percussit Philisthiim, et percussit Moab, et mensus est funiculo coæquans terræ. Mensus est autem duos funiculos, unum ad occidendum, et unum ad vivificandum (*II Reg.* viii, 2), » hoc de isto manuforti venerabiliter est sentiendum, quia *mensus est terram*, et mensus est duos funiculos, unum funiculum misericordiæ, et unum funiculum judicii : funiculum misericordiæ ad vivificandum, funiculum judicii ad occidendum. Ita metiendo terram *aspexit gentes*, miseratus est super gentes, funiculum misericordiæ ad vivificandum mensus est super gentes. Porro funiculum judicii ad occidendum mensus est super Judæos, ut excæcati caderent in ore gladii, et captivi ducerentur in omnes gentes. Id ipsum, quod dicimus de aspectu misericordiæ, quo *aspexit gentes*, pulchre innuit hoc dictum : *Et dissolvit gentes*, et quod subjungitur : *Et contriti sunt montes sæculi, et incurvati sunt colles mundi.* Quid enim est : *dissolvit*, nisi ad pœnitentiam emolliuntur? Econtra de impio dicitur, quia cor ejus induravit. Et quid est : *Contriti sunt montes sæculi, et incurvati sunt colles mundi*, nisi ad pœnitentiam contristati sunt prin-

A cipes sæculi majores, qui intelliguntur per *montes*, et minores, qui significantur per *colles*? « Commota est et contremuit terra, » ait Psalmista, « et fundamenta montium conturbata sunt, et commota sunt, quoniam iratus est eis (*Psal.* lxxvi, 19). » Bona contritio, quæ fit *ab itineribus æternitatis ejus*. Nam hoc est contritum cor et humiliatum, quod non despicit Deus. Hoc totum fuit, vel est metiri funiculum unum, funiculum misericordiæ ad vivificandum. Porro quod continuo sequitur :

Vers. 7. *Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian*, mensio est funiculi alterius, funiculi judicii ad occidendum. Nam de illo Æthiope hic sermo est, qui non mutabit pellem suam, et de illo Madian, qui semper et pertinaciter
B declinat judicium secundum hoc ipsum nomen, quod est Madian. Madian quippe interpretatur *declinans judicium*, et significat eos, qui non credunt futurum judicium. Igitur ipse, qui aspexit et dissolvit gentes aspectu misericordiæ, ipse *pro iniquitate vidit*, id est sicut iniquitatem judicavit omnem incredulum, omnem animam hominis increduli et malum operantis, Judæi primum et Græci. Siquidem tabernaculum Æthiopiæ est omnis anima Judæi malum operantis potius quam tabernaculum Libani, id est templum ipsum, de cujus candore sive religione solebat gloriari et dicere : « Templum Domini, templum Domini est. » Verum dicere licet, quia ex quo Salvatore crucifixo tenebræ circa
C meridiem factæ sunt, et secundum illud præsagium contigit in Israel, et obscurati sunt oculi eorum, et ipsi templum, et omnia sacra Judæorum tabernacula Æthiopiæ facta sunt. Sicut enim Æthiopes ex vicino splendidi solis calore denigrati sunt, ita Judæi miro modo de præsentia Salvatoris per invidiam suam facti sunt, et per odium lucis obscurati sunt oculi eorum. Igitur *pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ*, id est sicut veram et consummatam iniquitatem judicavit atque damnavit cuncta quæ prius sibimet habitabilia fuerant festa, vel cæremonias religionis Judaicæ.

Deinde *turbabuntur*, ait, *pelles terræ Madian.* Et iste et alius propheta, videlicet Isaias, qui cum dixisset : « Jugum enim oneris ejus, et virgam humeri
D ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti, » statim addidit : « sicut in die Madian (*Isai.* ix, 4); » ad illum nos mittunt historiæ locum, ubi Gedeon dux Israel miro modo turbavit castra Madian. Omnis Madian, et Amalec, et orientis populi congregati fuerant simul; et Gedeon quæsierat signum in vellere scire volens, si salvum faceret Dominus populum suum per manus ejus, sicut locutus est. Divisitque trecentos viros, quos de omni Israel secum retinuerat in tres partes, et dedit tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas ac lampades in medio lagenarum. Cumque omnes secundum ducis edictum atque exemplum per gyrum castrorum in tribus personarent locis, et hydrias confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades et dextris so-

nantes tubas, clamaverunt: *Gladius Domini et Gedeonis*. Omnia itaque castra turbata sunt et fugientes mutua cæde se truncabant. Secundum rei illius gestæ similitudinem *turbabuntur*, ait, *pelles terræ Madian*, id est omnia sacra vel secreta gentilium declinantium judicium, non credentium futurum esse judicium. Quod Gedeon Christi prætulerit typum secundum sui nominis interpretationem: Gedeon namque interpretatur *circuiens uterum*; et quod viri ejus trecenti martyres Christi significave int certantes atque morientes pro fide sanctæ Trinitatis; et confractio hydriarum mortes fragilium corporum, fulgur autem lampadarum gratiam significaverit miraculorum, quæ post martyrum cædes splenduerunt, unde superata atque confusa sunt cuncta fanatica gentilium, sancti Patres latius tractaverunt, quæ quoniam suis in locis inveniuntur, hic non perscribimus vitantes legentis fastidium. Igitur *turbabuntur*, ait, *pelles terræ Madian*, id est vanitates et insaniæ falsæ eorum, qui non credent secundum prædicationem Evangelii futurum esse judicium, superabuntur atque destituentur per mira et inaudita prælia martyrum, sua corpora ad supplicia tradentium et moriendo vincentium. Sequitur:

VERS. 8. *Nunquid in fluminibus iratus es, Domine, aut in fluminibus furor tuus, vel in mari indignatio tua?* Hujusmodi interrogationes interdum facere potuerunt et cæteri prophetæ et fecerunt, excepto quod iste cum majore interrogat admiratione. Exempli gratia: Ubi Daniel vidit in visione quod quatuor venti cœli pugnabant in mari magno, et quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diversæ inter se, et deinde throni positi sunt, et Antiquus dierum sedit et interfecta est judicio ejus bestia illa magna, aliarum quoque bestiarum potestas ablata, admirari poterat ipse Daniel, et eodem modo interrogare: Nunquid in leonibus iratus es, Domine, aut pardis et ursis furor tuus, et in ventis atque in mari indignatio tua? Nunquid de talibus est tibi cura, ut propter hæc in judicio sedeas? Et ratione ipsa respondente, non, consequebatur ut per illas imagines significarentur quædam alia majora, quæ scire volens ille: « Accessi, » inquit, « ad unum de assistentibus, et veritatem quærebam ab eo de omnibus his (*Dan.* VII, 16). Simili modo et Zacharias de multis quærit, et dicit: « Quid sunt hæc, Domine mi? » Iste autem magis attonitus, et majori admiratione citatus (videbat enim et audiebat aure vel oculo prophetali, unde timeret, sicut præmisit: *Domine, audivi auditionem tuam et timui*) interrogat et dicit: *Nunquid in fluminibus iratus es, Domine, aut in fluminibus furor tuus, vel in mari indignatio tua?* Et sine dubio responsum est: Non. Nullam quippe iram elementa inanimata meruerunt, et sicut Danieli, sicut Zachariæ interrogantibus, ita et huic dictum est, quid essent vel significarent ea quæ videbantur. Nulli tamen ita expositum est aliquod ejusmodi mysterium, ut con-

A cederetur ei scribere manifeste ad intelligendum; imo sic præcipiebatur: « Tu autem claude sermones, et signa librum usque ad tempus statutum (*Dan.* XII, 4). » Quid iste viderit, ut diceret? *Nunquid in fluminibus iratus es, Domine;* et cætera sequentia, paulo manifestius sonant, cum dicit: *Viderunt te aquæ, et doluerunt montes, gurges aquarum transiit, dedit abyssus vocem suam*, etc.

Itaque sicut in legalibus dictis: « Non alligabis os bovi trituranti, » cum audimus Apostolum dicentem: « Nunquid de bobus cura est Deo? (*I Cor.* IX, 9) » scimus respondere: Non; sed de prædicatoribus hoc dicit lex spiritualis: ita in his visionibus propheticis, dum dicit: *Nunquid in fluminibus iratus es, Domine?* et ipse videns sive propheta, et
B nos videntis sensum habere cupientes, respondere sciamus: Non, et sub nominibus montium atque collium, equorum, atque quadrigarum, fluminum sive aquarum, sagittarum lucentium et fulgurantis hastæ cæterarumque rerum, de quibus æque, ut de bobus Deo cura non est, res illas intelligamus, de quibus Deo sine dubio cura est. Flumina illa nobis in intellectu sint, quorum voces auditæ sunt, vel audiri potuerunt: aquæ illæ et mare illud et flumina, de quibus in psalmo scriptum est: « Elevaverunt flumina, Domine, elevaverunt flumina vocem suam. Elevaverunt flumina fluctus suos a vocibus aquarum multarum. Mirabiles elationes maris: mirabilis in altis Dominus (*Psal.* XCII, 3, 4). » Flumina enim, quæ elevaverunt vocem suam, sacra catho-
C licæ fidei dogmata sunt, Domino dicente: « Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ (*Joan.* VII, 38). » Porro alia flumina contraria, quæ elevaverunt fluctus suos a vocibus aquarum multarum, illa sunt de quibus gloriatur draco magnus, ut apud Ezechielem Dominus loquitur: « Ecce ego ad te, Pharao rex Ægypti draco magnus, qui cubas in medio fluminum tuorum, et dicis: Meus est fluvius (*Ezech.* XXIX, 3). » Populi enim sunt inquieti et impetuosi, qui elevaverunt fluctus suos, fluctus persecutionum atque seditionum, a vocibus aquarum multarum, id est propter voces Christi discipulorum habentium abundantiam cœlestium gratiarum. Illud mare totus
D mundus est, mundus impiorum et incredulorum, cujus tanquam maris elationes mirabiles fuerunt. Mirabilis autem Dominus in altis, Dominus qui elevationes illas compescuit. Qualiscunque vocabula sint tam in his quam in cæteris, quæ sequuntur, illas debemus intelligere res, quibus Deum summe sapientem et summe juste irasci vel indignari a ratione non discordet. Sequitur: *Qui ascendes super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio.*

VERS. 9. *Suscitans suscitabis arcum tuum, juramenta tribubus, quæ locutus es.* Quia semel interrogavit: *Nunquid in fluminibus iratus es, Domine?* et interrogando interrogationis atque responsionis viam nobis aperuit, interrogemus etiam de his: Nunquid *super equos* quadrupedes, Domine, ascendisti aut

ascendes, et *quadrigis* vectaberis, ut reges et consules? Nunquid *arcum* intendes et sagittarius fies, et scapulas hominum transfiges et percuties inter pulmonem et stomachum aut egredietur sagitta per carneum cor eorum? Et respondebis : Non. Nam *ascendes* quidem *equos tuos* : sed *equi tui* homines sunt sponte subeuntes obedientiæ tuæ frenum. *Ascendes* quidem *quadrigas tuas*; sed *quadrigæ tuæ* quatuor Evangelia sive Evangelii tui quatuor sunt sacramenta per totum mundum currentia. Scilicet *incarnatio* tua, *passio* tua, *resurrectio* tua, *ascensio* tua, quæ sine dubio sunt *salvatio* nostra, quarum sine fide nulla est *salvatio* nostra. Cum istis *equis* et *quadrigis tuis suscitans suscitabis arcum tuum*, id est prædicans prædicabis futurum judicium tuum, te ad judicandos vivos et mortuos venturum, quemadmodum illi testes *resurrectionis et ascensionis* tuæ te viderunt euntem in cœlum. Illud namque prædicare judicium quodammodo tale est, ut si quis intendat *arcum* suum; quia sicut *arcus* de longe ferit, ita de longinquo venit dies judicii, ita ut, antequam feriat, prævideri non possit.

Suscitabis et juramenta tribubus, quæ locutus es. Quæ sunt illa *juramenta*? Duobus quidem hominibus *juramenta locutus es*, scilicet Abrahæ et David, dicens Abrahæ : « Per memetipsum juravi, quia fecisti hanc rem (*Gen.* XXII, 16). » Et jurans David, sicut Scriptura dicit : « Juravit Dominus David veritatem (*Psal.* CXXXI, 11). » Verumtamen et omnia dicta tua propter firmam et insolubilem veritatem dici possunt *juramenta*. Tu es enim ille angelus, de quo in Apocalypsi scriptum est : « Et Angelus, quem vidi stantem super mare, levavit manum suam in cœlo, et juravit per viventem in sæcula sæculorum, qui creavit cœlum et terram et ea, quæ in eis sunt, quia tempus amplius non erit, etc. (*Apoc.* X, 5). » Quæcunque *locutus es*, tam vera tamque firma sunt, ac si juraveris per temetipsum sive per beatam Trinitatem viventem in sæcula. Cœlum enim et terra transibunt, verba autem tua non transibunt. Ascendendo *super equos* et *quadrigas tuas*, et suscitando *arcum tuum* implebis omnia, *quæ* tanquam *juramenta locutus es*, quorum finis erit dare *tribubus* terram veraciter fluentem lac et mel.

Semper. Jam dictum est supra, quod a versiculo illo : *Deus ab austro veniet, et Sanctus de monte Pharan* sive umbroso et condenso, quo sanctam intelligimus Trinitatem, trina distinctione distinctum sit hoc canticum, et singularum distinctionum signum sit *semper*, pro quo in Græco *diapsalma*, in Hebraico *sela* scriptum est, et ubicunque apponitur, ibi vel quæ sequantur vel quæ præcesserint, non tantum ad præsens tempus pertinere sciamus. Ea ergo, quæ jam dicta sunt, manifestum est ad personam pertinere Dei, et Sancti qui ab austro et de monte umbroso et condenso, id est a Spiritu sancto et a Patre Deo venturus erat. Et nunc interposito *semper*, quæ sequuntur, ad personam dicuntur Spiritus sancti, quod maxime ex illo versiculo liquet :

A *Egressus es in salutem populi sui, in salutem cum Christo tuo*, ait itaque : *Fluvios scindes terræ.*

VERS. 10. *Viderunt te aquæ, et doluerunt montes, gurges aquarum transiit.* Ne fluvios et aquas sive aquarum gurgites hic intelligamus vulgariter, vetuit nos interrogatio præmissa dicentis : *Nunquid in fluminibus iratus es, Domine? aut in fluminibus furor tuus? Vel in mari indignatio tua?* Ergo *fluvios terræ*, id est omnes sapientes sive omnes loquacitates philosophiæ mundanæ, tu auster bone, tu Spiritus sapientiæ, *scindes*; tu, qui flumen, id est doctrinam evangelicam absque scissura currere facies sequentibus signis. Ad quid illos *fluvios scindes*? Nimirum ut minus aut nihil valeant per scissuras comminuti atque attenuati, et transeant per eos calceati.
B Nam hoc est quod apud Isaiam taliter dictum est : « Et desolabit Dominus linguam maris Ægypti, et elevabit manum suam super flumen in fortitudine Spiritus sui, et percutiet eum in septem rivis, ita ut transeant per eum calceati (*Isa.* XI, 15). » Lingua namque maris Ægypti loquacitas est sapientium sæculi, quam Spiritus sanctus stultam fecit, quæ dum scissa et contra semetipsam divisa est, facilius transierunt per eam quicunque fuerunt vel sunt calceati pedes in præparatione Evangelii pacis. Hoc facto *viderunt te aquæ, et doluerunt montes*, id est cognoverunt te populi, et doluerunt principes aliqui dolore pœnitentiæ, aliqui dolore invidiæ. Et intumescent quidem populi multi, quomodo interdum aquæ intumescunt, sed tumoris eorum finis
C erit. Hoc est quod nunc ait : *Gurges aquarum transiit.* Sequitur :

VERS. 10, 11. *Dedit abyssus vocem suam, altitudo manus suas levavit. Sol et luna steterunt in habitaculo suo, in luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ.* Ubi *gurges aquarum*, hoc est omnis eorum impetus *pertransiit*, qui necabant populum tuum *abyssus*, id est inferi laudaverunt te. Tunc etiam superi, id est angeli in plausum suis manibus concrepuerunt, et victorem veluti gestu quodam et tripudio elevatarum manuum demonstrarunt. *Sol* tuus et *luna* et omnis splendor, qui prius illuxerat populo tuo, et postea malorum pondere et tenebrarum horrore universa fuerant co-
D operta, receperunt lumen suum et pristinum habuere fulgorem. *Sagittæ tuæ et fulgurans hasta*, id est plagæ tuæ et eruditio tua lumen populo tuo præbuerunt. Denique *in luce sagittarum tuarum et in splendore hastæ tuæ*, quæ eos ad hoc corripuit, ut emendaret, ambulavit populus tuus te timens, te diligens, et magnam tui admirationem habens. Hinc protinus sequitur :

VERS. 12, 13. *In fremitu conculcabis terram, in furore obstupefacies gentes. Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo. Percussisti caput de domo impii, denudasti fundamentum usque ad collum.* Procedere et properare volens animus adhuc ad ante dicta revocatur. Minus enim, quam cupit, ipse sibimet dixisse videtur. Siquidem de

temporibus verborum omnino tacuit, tanquam casu et absque ulla ratione variata sint in his dictis propheticis. Futuro tempore Propheta dixerat : « Fluvios scindes terræ, » et repente verbum jam cœpit agere præteriti temporis : *viderunt te aquæ, et doluerunt montes, gurges aquarum transiit*, et subinde iterum secundum tempus futurum *in luce sagittarum suarum ibunt : in fremitu conculcabis terram, in furore obstupefacies gentes*, statimque rursus tempore præterito. *Egressus*, inquit, *in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo*, etc. Nunquid casu et absque ullius rationis intuitu ita in prophetis suorum tempora verborum variare consuevit Spiritus sanctus? Non utique absque ratione est, quæ etsi nobis omnino non patet, tamen inde persentire aliquid dulce et jucundum est. Attendenti diligenter illud occurrit, quia sermo propheticus ea quæ quodam certo tempore ventura vel facienda essent, magis præteriti temporis verbum edixit ; illa vero, quæ fieri non desinerent omnibus diebus usque ad finem sæculi, verbis futuri temporis enuntiavit. Siquidem ut prædicatores suos in mundo haberet Dominus, et futurum prædicaret judicium usque ad finem sæculi, non erat defuturum, et idcirco verbis futuri temporis edixit : *Ascendes super equos tuos, suscitans suscitabis arcum tuum*. Ut autem in infirmitate passionis lateret virtus Divinitatis ejus, certo et quodam brevi tempore futurum erat : et idcirco præterito tempore dixit : *Ibi abscondita est fortitudo ejus*. Discretio hæc eadem illic evidentius apparet, ubi de passione sua loquens præterito tempore ait : « Foderunt manus meas et pedes meos (*Psal.* XXI, 17), quod semel oportebat fieri. Futuro autem : « Narrabo, inquit, nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te (*ibid.*, 23), quod fit et fiet usque ad consummationem sæculi. Quapropter ab eo, quod ait : *Fluvios scindes terræ*, repetere libet.

Verumtamen prius egressum illum, de quo ait : *Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo* considerare ad rem præsentem nonnihil attinet. *Egressus es*, ait, id est præsentiæ tuæ vel adventus tui ad homines signa visibilia dedisti, Deus invisibilis. Ita *egressus es cum Christo tuo*. Ergo cui hæc dicuntur, alia est persona, quam ipse Christus. Nec vero persona *Patris* hic intelligenda est, quia videlicet personam illam ex nomine nulla Scripturæ auctoritas refert taliter apparuisse hominibus, ut visibilia præsentiæ suæ signa præberet. Filius Dei, Deus invisibilis, homo visibilis factus est, et cum ipso taliter egresso Spiritus sanctus ita *egressus est in salutem populi* sui, ut visibile daret signum adventus sui. Nam et super ipsum Christum suum descendit corporali specie sicut columba, et super discipulos Christi sui apparuit tanquam ignis, et super singulos eorum sedit. Ita *egressus est in salutem populi* sui *cum Christo* suo, id est ut salvaret populum cum Christo salvatore nostro. Primo egressu visus est ad aquas Jordanis, ubi baptizabatur Christus ejus. Pulchre ergo ab aquarum similitudine incipit opus ejusdem Salvatoris in laudem ejus qui *egressus* est *in salutem populi sui*. *Fluvios*, ait, *scindes terræ, viderunt te aquæ*, etc. Verbum *scindes* latius est et plus significat quam si dixisset : emittes sive aperies. Uno namque hoc verbo et malorum desolationem et bonorum significat fluviorum diffusionem. De malis vel contrariis jam supra positum est exemplum : « Et desolabit Dominus linguam maris Ægypti, et elevabit manum suam super flumen in fortitudine Spiritus sui, et percutiet eum in septem rivis, ita ut transeant per eum calceati (*Isa.* XI, 15). De bonis dictum est alibi, « quia scissæ sunt in deserto aquæ, et torrentes in solitudine, et quæ erat arida, in stagnum, et sitiens in fontes aquarum (*Isa.* XXXV, 6). Et mali quidem fluvii sunt fluvii terræ, boni autem fluvii non sunt ejusdem terræ, sed scissi, id est per divisivam gratiam dati sunt terræ. Utrumque cœptum est fieri ab aquis Jordanicis, ab illo egressu quo in specie columbæ Spiritus sanctus ad aquas Jordanis *egressus* est *cum Christo* suo *in salutem populi* sui. Exinde namque cœpit Jesus Christus ejus prædicare publica prædicatione, et in digito Dei dæmonia ejicere.

Taliter egressum, *viderunt te*, inquit, *aquæ et doluerunt montes*, id est cognoverunt te populi et inviderunt principes. Nam turbæ quidem admirabantur, Pharisæi autem dicebant : « In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia (*Matth.* XII, 24). » Viderunt, inquam, *te aquæ, et doluerunt montes*, quia exierunt Christo tuo obviam turbæ cum ramis palmarum pium hosanna conclamantes, et inviderunt principes sacerdotum mortem illi machinantes : « Videtis, quia nihil proficimus; ecce mundus totus post eum abiit (*Joan.* XII, 19). » De talium quolibet in psalmo dictum est : « Concepit dolorem, et peperit iniquitatem (*Job* XV, 35). » Et *aquæ* et *montes* pariter *viderunt te*, quod scilicet tu cum illo Christo tuo esses, et quod ille non in Beelzebub, sed in te multa signa faceret; sed *aquæ viderunt te* et laudaverunt; *montes* autem viderunt et inviderunt.

Deinde *gurges aquarum transiit*. Quid ibi fuit *gurges aquarum* nisi profunda et seditiosa malitia Judæorum? Denique sicut turbas illas, quæ viderunt et laudaverunt, nomine aquarum, et sicut pontifices et Pharisæos nomine montium : ita concilium, quod illi collegerunt, et habitatores Jerusalem recte intelligimus nomine gurgitis aquarum. Nam hinc est quod idem Christus tuus jam dudum per Psalmistam dicebat, orans : « Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam (*Psal.* LXVIII, 2). » Ille *gurges aquarum transiit*, subauditur, super Christum tuum. *Transiit*, inquam, id est venit quidem, sed non diu mansit super eum. Intravit usque ad animam ejus, id est tandiu donec ille moreretur. Sed quid protinus? *Dedit*, inquit, *abyssus vocem suam, altitudo manus suas levavit, sol et luna steterunt in habitaculo suo*.

Post gurgitem aquarum transeuntem statim *dedit abyssus vocem suam*, quia statim ubi dixit : « Consummatum est (*Joan.* XIX, 30), » et emisit spiritum, statim inferna contremuerunt, et qui in illa tali abysso erat sanctorum populus, *dedit vocem suam* lacrymabilem, quam nos per fidem tam bene intelleximus ac si præsentes ibi fuissemus. Illa vox hujusmodi fuit : *Advenisti desiderabilis, quem exspectabamus in tenebris, ut educeres hac nocte vinculatos de claustris.* Post talem abyssi vocem *altitudo quoque manus suas levavit;* resurrexit ille a mortuis. Et hoc videns omnis *altitudo* cœlorum plena felici admiratione plausum fecit, et tripudiando exsultavit. Nec mora, deinde *sol et luna steterunt in habitaculo suo.* Nam tuus, id est Christus ascendit in cœlum, et stetit vel sedit a dextris virtutis Dei, et Ecclesia ejus sublata de inferis ipsa quoque a dextris stetit sicut psalmus prædixit : « Astitit regina a dextris tuis (*Psal.* XLIV, 10). » Exinde cœpit fieri et fit et fiet usque ad consummationem sæculi id quod protinus sequitur temporibus mutatis, id est facto transitu de præterito ad verba temporis futuri.

In luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ. In fremitu conculcabis terram, in furore obstupefacies gentes. Illuminati namque sunt apostoli, et prædicando emittere cœperunt verba veritatis. Illa denique verba sagittæ sunt, tuæ sagittæ lucentes luce sua viam vitæ demonstrantes, et acumine suo corda populorum ad pœnitentiam compungentes. Hinc illud in psalmo : « Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, in corde inimicorum regis (*ibid.*, 6). » Et est sensus : Verba prædicationis tuæ acuta sunt usque ad animam pertingentia et non homines, sed vitia hominum interimentia, quibus confixi populi *in corde inimicorum regis*, id est in corde suo, qui prius inimicabantur regi Deo vel regno Dei, cadent sub te, id est adorabunt te sub tuum imperium redacti. Nec sola erunt prædicationis verba, sed sequentur et signa terribilia. Bene ergo cum dixisset : *In luce sagittarum tuarum*, addidit : *In splendore fulgurantis hastæ tuæ.* Fulgurans hasta faciendorum est signorum potentia. In hujus splendore et in illa sagittarum luce *ibunt*, ait, subauditur : tam prædicatores, quam auditores Evangelii. Et ita factum est et fit et fiet usque in finem sæculi. Et sagittarum lux et splendor hastæ fulgurantis eo usque processit, ut Christiana fides obtineret principatum mundi, et super gentes exerceret in fortitudine zeli boni severitatem magisterii religiosi. Dicit ergo sagittarum ejusmodi, talisque hastæ Domino, Spiritui sancto : *In fremitu conculcabis terram, in furore obstupefacies gentes.* Ubi enim super mores hominum terrena sapientium magisterium exercetur, ibi terra conculcatur *in fremitu* : et ubi gentiliter viventes pro modo peccati puniuntur, verbi gratia, cum traduntur Satanæ in interitum carnis, ibi gentes per justum furorem afficiuntur stupore.

Nunc demum diligentius considerandum est quod dixit hoc modo : *Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.* Nec enim vacare putando est ista repetitio : *In salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.* Denique unus quidem est Spiritus et una est salus populi ejus, sed duo leguntur in Evangelio Christi egressus ejusdem, et geminum est ejusdem salutis opus. Primus egressus in specie columbæ ad aquas Jordanis, secundus egressus in cœnaculo super apostolos in igne et linguis dispertitis. Hoc jam supra dictum est. Porro de gemino salutis opere itidem sciendum est quia primum est opus remissio peccatorum, secundum divisio gratiarum. Remissionem peccatorum opus primum et maxime necessarium a passione Christi sui cœpit operari. Ille enim resurgens a mortuis, et stans in medio discipulorum insufflavit et dixit eis : « Accipite Spiritum sanctum (*Joan.* XX, 22). » Et subaudiendum est : in remissionem peccatorum. Sequitur enim : « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis (*ibid.*, 23). » Divisio gratiarum secundum salutis opus erat quidem in quibusdam ex parte effectum ante Christi passionem, ut haberent aliqui sermonem sapientiæ et sermonem scientiæ, fidem et prophetiam, operationem virtutum, discretionem spirituum. Sed post passionem ejus die Pentecostes abundantius peractum est, datis insuper generibus linguarum, ut exinde salus eadem cunctis gentibus innotesceret. Singillatim cuique credentium hoc opus perficitur, dum primum ex aqua et Spiritu sancto renascitur, et deinde per manus impositionem et chrismatis unctionem confirmatur. Ita *in salutem egressus percussisti*, ait, *caput de domo impii, denudasti fundamentum usque ad collum. Semper.* Impius diabolus est, et domus ejus mundus, sive omne quod in mundo est, scilicet concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitæ. Quid ergo intelligimus *caput* ejusdem domus nisi aut ipsum diabolum principem mundi aut originale peccatum, quod regni vel domus ejus *caput* et principium fuit? Hoc *caput percussisti* percussione lapidis in passione Christi. Et proinde recte dictum est, quia *egressus es in salutem populi tui.* Deinde domus ejusdem *denudasti fundamentum usque ad collum*, id est quidquid errorum, quidquid vitiorum erat in mundo, non dimisisti indiscussum tam illud quod latebat, sicut latet domus *fundamentum*, quam illud quod patebat, sicuti patet corporis *collum.* Illis namque linguis igneis, quas foris ostendisti, intus fervidi et fortes, sapientes facti et eloquentes non cessaverunt, donec propalarent mundi hujus sapientiam, quanta esset stultitia, et quæ dicebantur in templis gentium sacra, quanta essent sacrilegia. Tertium est hoc *semper*, de quo quid sit, jam semel et secundo dictum est. Sequitur :

VERS. 14. *Maledixisti sceptris ejus, capiti bellatorum ejus venientibus ut turbo ad dispergendum me. Exsultatio eorum sicut ejus qui devorat pauperem in abscondito.* Quoniam distinctione trina distinctum est hoc canticum, cujus videlicet distinctionis

signum est *semper* sive *diapsalma*, tertio jam appo- A situm, et in antedictis clare discernuntur duæ personæ, Filii et Spiritus sancti, delectat hanc tertiam partem cantici referre ad propriam personam Patris, ut sit canticum sive laus totius Trinitatis.

Maledixisti, inquit, *sceptris ejus*, etc. Ac si dicat : Non hac vice solum, non hac vice primum percussus est impius, quando passus est Christus; sed jam dudum damnatus fuerat, et triplex est judicium damnationis ejus. Primum est quod *maledixisti sceptris ejus*, secundum quod *maledixisti capiti bellatorum ejus*, tertium quod *maledixisti* cunctis *bellatoribus* ejus *venientibus ut turbo ad dispergendum me*. Tunc *maledixisti sceptris ejus*, quando in cœlo damnasti superbiam ejus volentis tenere sceptra cœli B divinumque imperium et se ipsum facere Altissimum. Dicebat enim in corde suo : « Similis ero Altissimo (*Isai.* XIV, 14). » Illis ejus *sceptris maledixisti*, id est propter illam præsumptionem irrecuperabiliter illum damnasti. Tunc vero maledixisti *capiti bellatorum ejus*, quando dixisti ad serpentem, per quem decepit hominem, quod fuit initium belli ejus contra humanum genus, unde et idem serpens recte dicitur caput bellatorum ejus : « Quia fecisti hoc, maledictus eris inter omnia animantia et bestias terræ, etc. (*Gen.* III, 4). » In serpente ipse maledicebatur, et ex eo vocabulum sumpsit, ut vocetur *serpens antiquus*. Maledicis nunc usque cunctis *bellatoribus ejus venientibus ut turbo ad dispergendum me* et cunctos similes mei timentes te. Illo- C rum primus fuit Pharao rex Ægypti, novissimus erit Antichristus. Ille namque videlicet Pharao, primus post verbum promissionis, velut quidam *turbo* dispergere me voluit, id est auferre mihi effectum juramenti, quod ad Abraham jurasti in repromissione beati seminis, id est Christi, quia ut nullum veniret semen, masculos omnes necari præcepit. Sed quid illi et cæteris provenerit, quis nescit?

VERS. 15. *Viam fecisti in mari equis tuis in luto aquarum multarum*. Cumque ille persequens ausus esset post eos ingredi, submersus est cum exercitu suo in mari, et ibi dejecisti eum, et periit cum curribus et equitibus suis. Illi primi fuerunt omnium persecutione manifesta persequentium nomen tuum : D cæteri omnes sicut similes sunt vel fuerunt, ita similem sibi damnationem acquisierunt et acquirunt. Et juste maledicti sunt *bellatores* ejusmodi, quia in hoc ipso exsultant, quod vacat eis occidere et persequi, quod est assimilari diabolo vel Antichristo. Hoc est quod ait : *Exsultatio eorum sicut ejus qui devorat pauperem in abscondito*. Quis enim est ille, *qui devorat pauperem in abscondito* nisi ille qui dum insidiatur, ut rapiat pauperem, et quantum potest, rapit, dicit in corde suo : *Deus non requiret?* Et quidem illud magnum et gloriosum fuit, quod illum carneum Pharaonem, et currus et exercitum ejus mare operuit; *tuis* autem *equis* sive hominibus *in* eodem *mari viam fecisti*. Sed multo magis multoque gloriosius est, quod eadem *aqua* per Christi sacramentum credentes in eum transmittit ad regnum æternum omnia operiens peccata, quæ spiritalium castra sunt Ægyptiorum, et quod *in mari* hujus sæculi, ubi erat lutum aquarum multarum, id est nimium carnalis et turbida conversatio gentium, *viam fecisti* illis *equis tuis*, de quibus supra dixi : *Qui ascendes supra equos tuos et quadrigæ tuæ salvatio*.

VERS. 16. *Audivi, et conturbatus est venter meus, a voce contremuerunt labia mea*. Versiculus iste idem sonat, eamdemque admirationem renovat, quam in initio præmisit : *Domine*, inquiens, *audivi auditionem tuam, et timui*. Exposuit quid audiens timuisset, et nunc demum quasi per illam bene ordinatæ orationis partem, quam rhetores complexionem vocant, ad primam propositionem rediens, *audivi*, inquit, *et conturbatus est venter meus, a voce contremuerunt labia mea*. Conturbatio hæc sive tremor iste optabilis est, quia utilis est, magnumque divini respectus emolumentum habet. Ait enim : « Ad quem autem respiciat nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos? (*Isai.* LXVI, 2.)

Conturbato ergo ventre, et a voce, quam intus audierat, contremiscentibus labiis, optat eamdem conturbationem et tremorem sibi adaugeri et optando dicit : *Ingrediatur putredo ossibus meis, et subter me scateat, ut requiescam in die tribulationis, et ascendam ad populum accinctum nostrum*. Gratulor, inquit, quod dicere jam potui : *Conturbatus est venter meus*, quod dicere ille non meretur, qui non habet teneritudinem ventris, imo duritiam cordis tanquam duritiam lapidis, cujus cor Deus non emollivit, qualium Pharao rex Ægypti notissimus habetur in sanctis Scripturis. Gratulor, inquam, quod opera tua, Domine, considerans intremui per Spiritum humilitatis : opto autem, ut mihi adaugeas humilitatem cordis, ut loquens ad te Dominum meum magis ac magis agnoscam quia pulvis sim et cinis, moxque futurus putredo et vermis. *Putredo* illa, id est putredinis illius memoria, qua postmodum putrescam, *in ossibus meis et subter me scateat*, id est humiliet totum, quidquid est in me, virtutis aut boni operis, et in radice cordis, in profundo conscientiæ magis ac magis accrescat. Taliter enim fiet, *ut requiescam in die tribulationis*. Quod sciens Christus tuus, ubi dixit : « Discite a me quia mitis sum et humilis corde, » statim hoc addidit : « Et invenietis requiem animabus vestris (*Matth.* XI, 29). » Et quis ille *dies tribulationis?* Non longe quæratur. Nam hoc tempus, in quo sumus, in quo vivimus, *dies tribulationis* est. Sive singulariter diem sive pluraliter dies dixeris, dies tribulationis est, dies mali sunt, quia pleni sunt adversis, pleni sunt peccatis. « Beatus homo, » inquit Psalmista, « quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum, ut mitiges ei a diebus malis (*Psal.* XCIII, 13). » Hanc intendens mitigationem jam dictus Christus tuus loco memorato ita

Incipit : « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos (*Matth.* XI, 28). » Quid enim est aliud : « et ego reficiam vos, » quam et ego vos a diebus malis mitigabo? Et ostendens, in quo : « Tollite, ait, jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde. » Ac demum intulit : « Et invenietis requiem animabus vestris (*ibid.*, 29). » Ergo putredinem in ossibus admittere et subter se scatentem habere, vel propter conscientiam putredinis, quod tu homo mox futurus es, mitem esse et humilem corde, hoc est jam requiescere non solum in futuro, verum etiam in præsenti sæculo.

Quid autem sibi vult, quod, cum dixisset : *Ut requiescam in die tribulationis*, addidit : *Et ascendam ad populum accinctum nostrum?* Quid nisi quod mitem esse et humilem corde, est veraciter *accinctum* esse et *ad populum accinctum* ascendere, populum, a quo regnum cœlorum vim patitur et violenter diripitur? Qua enim alia cinctura nisi humilitatis spiritu Moysen accinctum esse putas, ut fortissimum spirituum Deum universæ carnis teneret dicentem : « Dimitte me (*Gen.* IV, 54), » et ad suam voluntatem inflecteret? Indubitanter sciendum est quia absque hac cinctura nulla usquam justitiæ fortitudo est. Quamvis multorum quispiam sit operum, absque isto justitiæ præsidio nullus est, nec ille populus accinctus populus ejus est, qui accinctis renibus carnes agni comedens per mare ascendit, sicut hic nunc dixerat : *Viam fecisti in mari equis tuis*. Vane Synagoga de operibus confidit, quia impossibile est eos justificari, qui suam volentes statuere justitiam justitiæ Dei non sunt subjecti. Hoc est, quod continuo per metaphoram aptissime dicit :

VERS. 17. *Ficus enim non florebit, et non erit germen in vineis. Mentietur opus olivæ, et arva non afferent cibum. Abscindetur de ovili pecus, et non erit armentum in præsepibus.* Sub isto senario numero universa reprobat opera legis, quæ sex diebus operari concedit. Et idcirco reprobat, quia Judæus operarius legis non intendit, ut celebret Sabbatum

A Domini, non habet fidem et humilitatem, quam commendans : *Invenietis*, ait, *requiem animabus vestris*. *Ficus* et *vinea* nec non et *oliva* præsenti loco Synagoga est, et *arva* non afferentia cibum Judaicæ cæremoniæ sunt. *Pecus* et *armentum* minores et majores Judæi, sive populus et sacerdotes sunt. Eorum omnium fidem et humilitatem Christi non habentium opera cuncta reprobantur dicendo : *Ficus enim non florebit*, etc. Ac si dicat : Idcirco humilitatis gratiam tantopere desidero, quia in operibus legis nullus est fons justitiæ, nullum germen justitiæ, nullum opus justitiæ, nullus omnino vitalis cibus animæ. In quo pecus abscissum est de ovili et armentum a præsepibus fugitur in eo quod Judæus non credit, quod justitiæ Dei non vult subjici
B et non audit vocem Domini sive pastoris boni. Hinc ille dicit : « Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis (*Joan.* X, 26). » Item : « Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis (*Joan.* VIII, 47). »

VERS. 18, 19. *Ego autem in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo. Deus Dominus fortitudo mea.* Quod dicit, hoc est : Idcirco Israel sectando justitiæ legem in legem justitiæ non pervenit, quia non ex fide, sed quasi ex operibus. Ego autem non quasi ex operibus, sed ex fide credam in Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Nam dicendo : *In Domino gaudebo*, confitetur Patrem; dicendo : *Exsultabo in Deo Jesu meo*, confitetur Filium; dicendo : *Deus Dominus fortitudo mea*, confitetur Spiritum sanctum. *Et ponet pedes meos quasi cervorum, et su-*
C *per excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.* Sicut enim *pedes cervorum* agiles sunt ad dumeta transilienda et alta petenda, sic per hanc fidem agilis ero, ut in legem justitiæ perveniam, et in lapidem offensionis non offendam. *Et deducet me* hæc justitia fidei *super excelsa mea*, id est super justitiam operum. *Deducet*, inquam, *me victor* Deus unus, Pater et Filius et Spiritus sanctus, *in psalmis canentem* victoriam cursus mei, non operibus meis, sed gratiæ ejus ascribentem, et per hoc gratias sempiternas agentem.

EXPOSITIO IN CANTICUM MOYSIS II,

DEUTERON. CAP. XXXII.

Audite, cœli, quæ loquar, audiat terra verba oris mei, etc. Metonymice ad cœlos inanimatos terramque inanimatam sermo dirigitur, atque a rebus, quæ nec aures nec sensum habent aliquem, homo rationalis et sapiens attentum flagitare videtur auditum, tanquam si dicat : Quoniam ego mortalis homo sum, novi autem, quod isti homines vel posteri eorum post mortem meam inique acturi et de via, quam præcepi illis, cito declinaturi sunt : vos saltem cœli, qui superstites estis, et tu terra, quæ in æternum stabis, accedite ad audiendum, state ad testificandum, ut, cum inique egerint, et a via Do-

D mini declinaverint, vos juxta maledictiones superius dictas, vos, inquam, cœli sitis desuper ænei, et tu terra, quam calcant, ferrea sis.

Verum juxta sensus interni veritatem illi cœli convocantur ad audiendum, de quibus idem Spiritus in Propheta : « Cœli, inquit, enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum (*Psal.* XVIII, 1), » et illa terra, de qua alibi : « Dominus, inquit, dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum (*Psal.* LXXXIV, 13). » Illi, inquam, cœli et illa terra convocantur huc ad audiendum, de quibus et in alio propheta : « Borate,

inquit; cœli desuper, et nubes pluant justum, et aperiatur terra, et germinet Salvatorem (*Isa.* XLV, 8), » ut videlicet non dubitent cœlos eloquentes, scilicet prophetæ, et universi prædicatores, derelicta gente hac stulta, sine consilio et sine prudentia proficisci, ut in omnem terram exeat sonus eorum et in fines orbis terræ verba eorum, et secundum præsentis cantici testimonium invitare gentes ad laudandum Deum vel Dei populum, ut non dubitet terra quondam deserta et invia, scilicet Ecclesia salutarem suscipere pluviam de summis cœlorum, id est de ore apostolorum eodem auditu fidei, quo suscepit terræ hujus principium, videlicet beata Virgo : et dedit fructum suum pariendo Deum et hominem Christum.

VERS. 1. *Audite* igitur *cœli*, id est apostoli, *audiat terra*, id est de cunctis gentibus colligenda Ecclesia. Quomodo audiatis *cœli*, quomodo ad auditum terræ hujus perveniant *verba oris mei ?*

VERS. 2. *Concrescat in pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super terram et quasi stillæ super gramina.* Quomodo *pluvia* concrescit? Quomodo fluit *ros?* Notum est quia de deorsum tenuem nebulam exhalantibus aquis humor in nubibus densescit, et de nubibus in terram concreta *pluvia* defluit. *Ros* autem sine nubibus nocturno frigore concretus de cœlo in terram matutino sereno cadit. Sic *cœli* isti, qui enarraverunt gloriam Dei, gloriam eamdem partim per studium sacræ lectionis, partim per solam didicerunt revelationem Dei. Quod legendo didicerunt nobisque loquendo refuderunt, quasi de deorsum humorem susceptum et *in pluvia* concretum gratiosæ nubes super herbam reddiderunt. Quod per solam Dei revelationem acceperunt, quasi rorem nocturnum meditando atque contemplando congregaverunt, et prædicando etiam scribendo *super* læta fidei vel spei nostræ *gramina* distillaverunt. Utroque modo perfectum cœlum vel firmatum decet esse firmamentum, id est apostolum vel prædicatorem idoneum, qui non de corde suo vel a semetipso loquatur, sed quod audivit, hoc testetur, quod in Spiritu sancto didicit, hoc annuntiet et loquatur. Igitur in vobis, o cœli, qui auditis, *concrescat in pluvia doctrina mea*, et per vos *fluat ut ros eloquium meum*, id est et ex præsenti legis lectione, et ex Spiritus sancti revelatione vobis omnibus consilium Dei innotescat, atque inde per ora vestra in omnem herbam, in cuncta *gramina* toto mundo virentia *fluat eloquium meum.*

VERS. 3. *Quia nomen Domini*, inquit, *invocabo.* Ergo, o cœli, benevolentiam vestro præstate oratori, aurem benevolam vestro præstate cantori ab ipsa re flagitanti, quia videlicet magna res est *invocare nomen Domini*, vobiscum *invocabo nomen Domini. Domini*, inquam, Dei, cujus vos gloriam enarraturi, cujus opera vos estis annuntiaturi. Idcirco *audite* me, *cœli*, idcirco *audiat terra verba oris mei. Date magnificentiam Deo nostro.*

A VERS. 4. *Dei perfecta sunt opera, et omnes viæ ejus judicia.* Hoc est, quod primum audire volo vos, o *cœli ;* hæc sunt, quæ audire te cupio, *terra, verba oris mei.* Quando mandaverit Dominus Deus noster vobis, o cœli, ne pluatis super hanc vineam imbrem, quam exspectavit, ut faceret uvas, et fecit labruscas, quam exspectavit, ut faceret judicium, et ecce iniquitas, et justitiam et ecce clamor ; quando, inquam, mandaverit vobis, ne pluatis super eam, sed potius super terram desertam et inviam, nolite murmurare, nolite obniti pro zelo gentis carnis vestræ, *date magnificentiam Deo nostro*, sequimini et magnificum existimate quod complacitum est Deo nostro, quia videlicet etsi homines causa vel ratio lateat, *Dei* tamen *perfecta sunt opera ; per-*
B *fecta*, inquam, et irreprehensibilia, *et omnes viæ ejus judicia. Judicia* vera et justa, justificata in semetipsa. Nam *universæ viæ Domini misericordia et veritas.* Misericordia est via hæc, qua ad gentes commigravit; veritas est via hæc, qua ab Israel recessit. Hanc igitur *date magnificentiam Deo nostro*, ut credatis quia *Dei perfecta sunt opera*, ut confiteamini quia hæ vel omnes *viæ ejus* sunt *judicia.* Quid enim ? Nunquid quia pepigit fœdus cum Abraham, nunquid quia dixit : « Et statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno (*Gen.* XVII, 7) : » nunc autem ab isto semine ejus recessit, idcirco non *perfecta opera* ejus, idcirco non judicia
C viæ ejus? Imo *Deus fidelis et absque ulla iniquitate, justus et rectus; fidelis*, inquam, in omnibus verbis suis, *et absque ulla iniquitate* in omnibus judiciis suis, *justus* in omnibus viis suis, *rectus* in omnibus operibus suis. Unde ergo vel ob quam causam pactum suum oblitus est, quod cum Abraham pepigit? Si fidelis, si absque ulla iniquitate, si justus est et rectus, quomodo juramentum neglexit, quod juravit cum patribus? Ecce habes : Ipsi

VERS. 5. *Peccaverunt ei, et non filii ejus in sordibus. Peccaverunt*, id est irritum pactum ipsi fecerunt, subauditur : *inimici*, et jam *non filii ejus ;* irritum, inquam, fecerunt pactum ejus, quemadmodum hoc et ipse præsciens dixit mihi superius : « Ecce tu dormies cum patribus tuis, et populus
D iste consurgens fornicabitur post deos alienos in terra, ad quam ingredietur, ut habitet in ea. Ibi derelinquet me, et irritum faciet fœdus, quod pepigi cum eo (*Deut.* XXXI, 16). » *In sordibus* peccaverunt, *in sordibus* irritum fecerunt pactum, non solum *in sordibus* vituli, quem fecit Aaron, aut Beelphegor, quæ videlicet *sordes* jam dudum admissæ sunt ; sed etiam *in sordibus* Baal et Astaroth cæterorumque dæmoniorum, tandemque in sordibus Barabbæ latronis, quem sibi dimitti petiere, *peccaverunt. Peccaverunt*, inquam. Certum enim est, quia peccabunt. Cum ergo sic peccaverint, jam *non filii ejus in sordibus*, et ob hoc projecerit eos fidelis Deus, dicito, quia nihilominus tamen *Deus fidelis et absque ulla iniquitate, justus et rectus*, quamvis illos projecerit,

cum quibus pactum pepigit in patribus : *peccaverunt* enim ei et irritum fecerunt pactum illud, isti jam *non filii ejus in sordibus*. Proinde, o cœli et terra, quicunque auditis hæc verba oris mei, non ipsum Deum, qui fidelis est et absque ulla iniquitate, sed istos, qui peccaverunt, non filios ejus cunctis loquelis, universis sermonibus vestris, quibus in omnem terram, et in fines orbis terræ audiendi estis, redarguite et dicite : *Generatio prava atque perversa.*

VERS. 6. *Hæccine reddis Domino, popule stulte et insipiens? Generatio*, inquam, *prava*, quod idem est, ac si cum evangelica declamatione dicas : « Generatio mala et adultera (*Matth.* XII, 39). » Idcirco *generatio prava*, quia de bonis quidem parentibus, sed male progenita, quia non de fide, sed sola patrum carne exorta; idcirco, inquam, *prava atque perversa*, quia fidem patrum non imitata, secundum mores patribus longe disparata. *Hæccine reddis Domino? Hæccine*, inquam, id est mala pro bonis, *popule stulte et insipiens*, *reddis Domino? Stultus* enim es, qui malum sciens non cavisti, *insipiens* quicunque ex hoc populo bonum nescis, quod scire potuisti. *Stultus* es, dum legendo prophetas sensum prophetarum contentiose pervertis; *insipiens*, qui nec saltem legisti, qui ut bene ageres, intelligere noluisti. Igitur, *popule stulte et insipiens, hæccine reddis Domino? Nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te?* Quantum est, quod ipse *Pater tuus* est, quemadmodum dixit ad Pharaonem : *Filius primogenitus meus Israel?* Quantum est, quod *possedit te*, *quod fecit* te, quod *creavit te? Possedit* videlicet ut Dominus, *fecit* ut figulus, *creavit* ut Deus. *Fecit*, inquam, unumquemque in sua persona, *creavit* in massa, qui te *possedit* in gratia. Fuerit hoc tibi commune cum cæteris gentibus, quod *fecit*, et quod *creavit* : at singularis beneficii est, quod *possedit*. Quantum ad proprietatem vocum vel distinctionem sensuum, magnæ est potentiæ quod *possedit*, majoris quod *fecit*, maximæ quod *creavit*, atque e converso magnæ fuit gratiæ quod *creavit*, majoris quod *fecit*, maximæ quod *possedit*. *Hæccine* igitur pro tot beneficiis *reddis Domino* Patri tuo, *possessori* tuo, *factori* tuo, *creatori* tuo?

VERS. 7. *Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas.* Videlicet, ut scias, quod is ipse, quem tradidisti, quem negasti ante faciem Pilati, Pater tuus est, qui *possedit*, et *fecit*, et *creavit te*, ut, inquam, illud scias, *memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas.* Nam in *diebus antiquis* omnia per ipsum facta sunt, et per *generationes singulas* mysteria ejus dictis et factis præsignata sunt. Sed forte memoria *dierum antiquorum*, et cogitatio *generationum singularum* necdum tibi satisfaciunt. Quid igitur facis? *Interroga patrem tuum et annuntiabit tibi, majores tuos et dicent tibi. Pater tuus* Deus ipse est, *majores tui* lex et prophetæ sunt. *Interroga* ergo *Patrem tuum* orando, *majores tuos* legendo. *Patrem*, inquam, *tuum* Deum A *interroga* orationibus intentis, utrum consilium hoc vel opus, cujus in omnem terram sonus exivit, ex ipso sit, *et annuntiabit tibi*. Si enim Cornelium gentilem pro hoc ipso orantem et eleemosynas facientem dignanter exaudivit, et mirabiliter quid illum facere oporteret per angelum suum ostendit, quanto magis si tu interrogaveris et ut bene agas intelligere volueris, per aliquam revelationem *annuntiabit tibi*. Igitur, ut prædictum est, Deum *Patrem tuum interroga* orando, *majores tuos* prophetas consule legendo. Ille *annuntiabit*, et isti *dicent tibi*, quia iste, quem tradidisti, quem negasti, quem felle cibasti, et aceto potasti, quem clavis confixisti, cujus latus lancea perforasti, *Pater tuus* est, *qui te*
B *possedit*. Quomodo autem *possedit*, vel quomodo possidere incœpit? plane et hoc ipsum *dicent tibi*.

VERS. 8. *Quando dividebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel.* Notum tibi est quia quando profecti de oriente filii Adam, et invenientes campum in terra Sennaar cœperunt facere turrim, cujus culmen pertingeret ad cœlum, ut celebrarent nomen suum, confudit ibi *Altissimus* linguam eorum, ut non audiret unusquisque vocem proximi sui, atque ita *divisit* eos ex illo loco in universas terras. Tunc utique *divisit Altissimus gentes*, scilicet in linguas dissonas, et *separavit filios Adam*, id est imitatores superbiæ Adam in universas terras. Non perdidit eos, ut ante fecerat, per diluvium, sed
C *constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel*, id est statuit ut duret genus humanum, donec impleatur numerus electorum, qui omnes secundum fidem sunt *filii Israel.*

VERS. 9. *Pars autem Domini populus ejus, Jacob funiculus hæreditatis ejus*, subauditur in illa divisione gentium, in illa separatione filiorum Adam. Facta namque confusione linguarum remansit lingua primitiva in domo et familia Heber, unde per Abraham, qui et ipse ab illo Hebræus dictus est, exivit hic populus Hebræus *pars Domini* solus; hic, inquam, *populus Jacob* solus hæreditatis Domini *funiculus*, in quo solo notus Deus, in quo solo magnum nomen ejus. Unde per Balaam dicitur : « Populus solus habitabit, et inter gentes non reputa-
D bitur (*Num.* XXIII, 9). » *Pars autem Domini*, vel *funiculus hæreditatis ejus*, non quod soli vel omnes ad Dominum pertineant, qui sunt de carne ejus; sed quod soli vel omnes Domini sint, qui sunt de fide ejus. Hoc modo possedit, et sic possidere incœpit.

VERS. 10. *Invenit eum in terra deserta, in loco horroris et vastæ solitudinis. Invenit eum in terra deserta*, id est innotuit ei in deserto annis quadraginta; imo primum innotuit ei *in loco horroris*, id est in horrenda servitute Ægypti percutiendo Ægyptios decem plagis, ac deinde in loco *vastæ solitudinis* manna pluendo et aquam de petra producendo, ut jam dictum est, quadraginta annis. *Circumduxit eum, et docuit et custodivit quasi pupillam*

oculi sui. Circumduxit, inquam, non enim duxit eos per viam terræ Philisthiim, quæ vicina est; sed *circumduxit* eos per viam deserti, quæ est juxta mare Rubrum, et ita circumducendo *custodivit quasi pupillam oculi sui*, videlicet reputans, ne forte pœniteret eum, si vidisset adversum se bella consurgere et reverteretur in Ægyptum. Tenerior quippe erat quam pupilla oculi, ita ut leviter offensus vitiosus animus sæpe in Ægyptum reverti voluerit. *Circumduxit* igitur *et docuit* non solum multis bonorum vel malorum experimentis, verum etiam doctrina conscripta hujus legis.

Vers. 11. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans expandit alas suas, et assumpsit eos, atque portavit in humeris suis.* Sic *circumduxit*, sic *docuit*, sic *custodivit* sicut pullos suos aquila, videlicet secundum naturam erga pullos suos, non absque pietate severa, neque absque severitate pia. Semper enim fertur probare, quos genuit, ne generis sui inter omnes aves quoddam regale fastigium degeneris partus deformitas decoloret. Itaque asseritur quod pullos suos radiis solis objiciat, atque in aeris medio parvulos suos ungue suspendat. At si quis repercusso solis lumine intrepidam oculorum aciem inoffenso intuendi vigore servaverit, is probatur, quod veritatem naturæ sinceri obtutus constantia demonstraverit. Si vero lumina sua perstrictus radiis solis inflexerit, quasi degener et tanto indignus parente rejicitur, nec æstimatur educatione dignus, qui fuit susceptione indignus. Igitur circumducendo et docendo sic tentavit et sic probavit, sicut aquila pullos suos. Nam eos quidem, qui murmuraverunt, qui tentaverunt, qui concupierunt in deserto, prostravit; eos autem, qui crediderunt, qui obaudierunt, quasi super alas gratiæ *assumpsit atque portavit in humeris suis*.

Vers. 12. *Dominus solus dux ejus fuit, et non erat cum eo Deus alienus.*

Increpatio illorum. Quid tibi, inquit, o popule stulte et insipiens, quid tibi cum turba deorum alienorum? Nunquid dii alieni te de Ægypto, domo servitutis eduxerunt, aut educentem te Dominum Deum tuum adjuverunt? Non ita; sed *Dominus solus dux*, inquit, *ejus fuit, et non erat cum eo Deus alienus*, non ille cornutus et aureus vitulus, non Beelphegor spurcissimus, non Baal, non quisquam omnino Deus alienus.

Vers. 13. *Constituit eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum.* Eum, quem invenit in terra deserta, in loco horroris et vastæ solitudinis, *constituit super excelsam terram*, id est montuosam terram, *ut comederet fructus agrorum*, ut inhabitaret civitates, quas non ædificavit, et biberet vinum de vineis, quas non plantavit, ut regiones gentium et labores possideret populorum. Quæ videlicet *terra excelsa*, sicut jam alibi dictum est, non est sicut terra Ægypti, ubi jacto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ; sed montuosa est et campestris de cœlo exspectans pluvias, quam Dominus Deus semper invisit, et oculi ejus in ea sunt a principio anni usque ad finem ejus. *Super excelsam* igitur *terram constituit eum, ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Ut sugeret*, inquam, *mel de petra*, id est, ut dilectioni Creatoris assuefactus tandem dulcedinem cœlestis doctrinæ caperet, *de petra* virga crucis et passionis percussa, scilicet de Christo præsentialiter prædicante ore mellifluo, *oleumque de saxo durissimo*, id est Spiritum sanctum de eodem Christo per virtutem resurrectionis incorruptibiliter solidato.

Vers. 14. *Butyrum de armento et lac de ovibus cum adipe agnorum et arietum filiorum Basan: et hircos cum medulla tritici et sanguinem uvæ biberent meracissimum.* Hæc omnia temporaliter atque realiter iste populus adeptus est, quem invenerat Dominus Deus ejus in terra deserta, in loco horroris et vastæ solitudinis, ut istis corporalibus bonis lactatus et exercitatus spiritale *butyrum* et spiritale *lac* spiritalemque *adipem* suo tempore libenter acciperet de spiritali *armento*, de spiritalibus *ovibus* et agnis, sive *arietibus filiorum Basan*, id est *pinguium*, scilicet de factis imitandis aut dictis exsequendis Patrum vel patriarcharum, de Scripturis prophetarum et apostolorum veraciter pinguium, juxta quod singuli talium verissime dicunt: *Impinguasti in oleo caput meum, et sanguinem uvæ meracissimum* (*Psal.* XXII, 5), id est sanguinem Christi Filii Dei biberet sacrosanctum. Idcirco super illam excelsam [terram] temporaliter constitutus est, et hæc temporalia bona indeptus est, ut ad spiritualium et æternorum bonorum appetitum proficeret. Sed quid?

Vers. 15. *Incrassatus est dilectus, et recalcitravit, incrassatus, impinguatus, dilatatus.* Dilectus, sed diligenti ingratus, dilectus, inquam, sed ipsam dilectionem superbe et ferociter abusus *incrassatus est* cogitatione, *incrassatus* opere, *impinguatus* pertinacia, *dilatatus* arrogantia. Talis *dilectus recalcitravit*, id est largitoris imperia calce abjecit. Verum ista crassitudo tumor et non plenitudo est. Nam qui veram plenitudinem, qui veram scit pinguedinem, quantumvis butyro abundet aut lacte ovium sive adipe agnorum et arietum, donec ipsum apprehendat Deum, dicit: « Ego vero egenus et pauper sum, Deus, adjuva me (*Psal.* LXIX, 6). » At vero cujus Deus venter est, postquam illum impleverit ex his quæ prædicta sunt, *incrassatus, impinguatus ac dilatatus* falsa sibi æstimatione sufficiens videtur, falso sibi nihil deesse arbitratur. Quid enim fecit iste dilectus taliter incrassatus? *Dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo.* Deus, id est factor, idem salutaris sive salvator. Verum aliud est, quod factor, aliud quod salvator. Nam Deus *factor*, quia hominem ipse fecit: Deus *salvator*, quia homo factus homines ipse salvare venit. Sic incrassatus est, ut de neutra gratia curaret. Nam et antequam veniret, *Deum factorem*

suum dereliquit, et postquam venit, *a Deo salutari* **A** *suo recessit*. Quomodo illum dereliquit, quomodo ab illo recessit?

VERS. 16. *Provocaverunt eum in diis alienis, et in abominationibus suis ad iracundiam concitaverunt.* Ad idem procedit, et quod *in diis alienis provocaverunt*, et quod *in abominationibus suis ad iracundiam concitaverunt*: verumtamen diversa sunt, et e diverso veniunt. Nam dii quidem *alieni* sunt, abominationes autem *suæ* sunt, propter quas, ut eas licentiose agerent, deos alienos coluerunt: verbi gratia, vitulus, quem fecerunt, et Beelphegor, quem initiati sunt, dii alieni fuerunt. Quod autem post comessationes et potationes surrexerunt ludere, et quod inter sacrificia cum Madianitis fornicati **B** sunt, suæ abominationes exstiterunt. Igitur et *in diis alienis* mitem *provocaverunt, et in abominationibus suis ad iracundiam concitaverunt.* Item et in eo quod antequam in hunc mundum veniret, toties ad idololatriam defluxerunt, *in diis alienis eum provocaverunt*, et in eo quod præsentem blasphemaverunt, dicentes: « Dæmonium habet, et insanit, et in Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia (*Joan.* x, 20), » profecto *in abominationibus suis ad iracundiam concitaverunt*. Sed in qualibus diis eum provocaverunt?

VERS. 17. *Immolaverunt dæmoniis, et non Deo; diis, quos ignorabant. Novi recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum.* Dii quos coluerunt, non dii, sed potius *dæmonia* sunt dii nuncu- **C** pati dii *novi*, quia ignoraverunt prius eos, dii *recentes*, quia non coluerunt illos patres eorum. Nunc igitur cœli et terra ad caput increpationis redite, et dicite generationi pravæ atque perversæ: *Hæccine reddis Domino, popule stulte et insipiens?*

VERS. 18. *Deum, qui te genuit*, id est qui diu sterilibus parentibus tuis gignendi te facultatem sive effectum tribuit. Nam præter unicum Filium suum, quem ex utero ante luciferum genuit, et quem in hunc mundum misit per uterum virginis, neminem de propria substantia sua Pater ille genuit. Ergo qui te genuit, id est qui Saræ diu sterili tandem conceptum dedit, et Rebeccæ sterili eodem Isaac deprecante dilectum sibi Jacob ut conciperet et pa- **D** reret præstitit, de quibus vel per quos genituræ tuæ rivus emanavit: illum tu *dereliquisti* genitorem ingratitudine detestabili, *et oblitus es Domini creatoris tui*, subauditur, quem prius cognovisti per præsentem doctrinam legis et per eorumdem patrum exempla, qui hæreditariam ejus scientiam thesaurizaverunt tibi. Unde et majus peccatum habes, quam si nunquam ille fuisset cognitus tibi.

VERS. 19. *Vidit Dominus, et ad iracundiam concitatus est, quia provocaverunt eum filii sui et filiæ. Vidit* hoc ille, quem nihil latet, oculis nunquam dormitantibus, quibus omnia videt, *vidit* hoc peccatum tuum stylo ferreo scriptum in ungue adamantino clamante per prophetas suos Spiritu sancto, ut peccatum tuum a facie ejus non deleatur. *Et ad iracundiam concitatus est*, videlicet animi sui motu: Deus enim non movetur, aut perturbatur; sed judicii veritate sic impietatem persequente, ut non jam pius Pater, sed districtus judex sentiatur; et hoc idcirco, *quia provocaverunt eum filii sui et filiæ*, quod utique secundum omnem rationem minus tolerandum est, quam si provocassent eum externi vel externæ. *Provocaverunt* autem videlicet in eo, quod non per ignorantiam vel per infirmam indigentiam, sed scienter peccaverunt, et per industriam, imo et sapientes fuerunt ad concinnandum peccatum, ad conquirendum malum.

VERS. 20. *Et ait: Abscondam faciem meam ab eis, et considerabo novissima eorum. Ait*, id est sententiam fixit, cui dixisse fecisse est ita ut cœlum et terram, quam dictionem ejus transire facilius sit. Non est enim Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur. *Ait* ergo, id est judicium dedit hujusmodi: *abscondam faciem meam ab eis*, id est excæcabo illos, ut viam veritatis invenire non possint. Excæcabo corda illorum, et aures eorum aggravabo, et oculos eorum claudam, ne forte videant oculis et auribus suis audiant, et corde suo intelligant, et convertantur, et sanem eos, dicamque eis: « Audite audientes, et nolite intelligere, et videte visionem, et nolite cognoscere (*Isa.* vi, 9). » Ita absconditus ab eis *considerabo novissima eorum*, id est exspectabo finem et consummationem peccati eorum tacite prospiciendo mirabilem audaciam eorum. *Generatio enim perversa est, et infideles filii.* Damnationis ejus, qua dixi: *Abscondam faciem meam ab eis*, causæ præcedentes sunt, quia *generatio perversa est*, quia *infideles sunt filii*, sancto quoque Spiritu per prophetam contestante, quia sunt *principes Sodomorum*, quia sunt *populus Gomorrhæ*. Alioquin non videretur stare, quod dixit supra: *Deus fidelis et absque ulla iniquitate.* Justum igitur judicium in eo quod dedi illis scutum cordis laborem meum, quod licet tanquam sponsus procedens de thalamo meo in sole posuerim tabernaculum meum, ipsi tamen videre me non possunt, imo et scandalum illis est, cum designatur eis tabernaculum meum carneum, diciturque illis: *Ecce iste Deus noster.* Amplius autem audite cœli justum judicii ordinem, æquam judicantis vicissitudinem.

VERS. 21. *psi me provocaverunt in eo, qui non erat Deus, et irritaverunt in vanitatibus suis: et ego provocabo eos in eo, qui non est populus, et in gente stulta irritabo illos.* Priores ipsi *provocaverunt me* non levi quacunque offensione vel humano excessu, sed *in eo, qui non erat Deus*, id est, sic me habendo tanquam si non essem Deus, *et irritaverunt* me priores ipsi *in vanitatibus* suis, id est vanitates suas, vanos deos suos prætulerunt mihi, tandemque data sibi optione Barabbam mihi præferre non dubitaverunt auctorem seditionis. Reddam itaque illis talionem provocando eos *in eo, qui non est populus*, id est sic eos habendo, ut non sint populus,

ut sint sine rege, sine principe, sine sacerdote, sine Ephod et sine Teraphim, ut omnino non sint populus, sed in populis et gentibus jam nunc dispergantur, et in futuro cum eis, qui non sunt, annullentur, et cum eis, qui in inferno sunt, deputentur, et ita *in gente stulta irritabo illos. Irritabo*, inquam, id est, « ad æmulationem adducam in non gentem, in gentem insipientem, in iram eos mittam (*Rom.* x, 19), » ut videant gentem loco suo regnantem, gentem prius insipientem, sed postea sapientem, quam æmulentur, cujus æmulatione torqueantur.

VERS. 22. *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima.* Provocabo, inquam, illos, et irritabo; provocationis autem et irritationis principium hoc est, quod *ignis succensus est in furore meo*, consummatio, quod *ardebit usque ad inferni novissima. Ignis* enim *succensus est* inpræsentiarum ignis Romanorum, quo civitas sancta facta est deserta Sion, deserta facta est Jerusalem, desolata domus sanctificationis eorum, et gloria eorum facta est in exustionem ignis, et omnia desiderabilia eorum versa sunt in ruinas, et ceciderunt in ore gladii, et captivi ducti sunt in omnes gentes. Ille jam *succensus est ignis* pœna; ignis vindictæ ardebit autem usque ad inferni novissima. Nam de hac vindicta temporali ad æterna proficiscuntur tormenta. Num ergo, inquis, judicat Deus bis in idipsum, aut consurget duplex tribulatio? Non utique, si in vindicta vel tribulatione præsenti reatum agnoscas, finemque ponas peccatis. Cæterum quoniam in ipsa pœna impia perseverat voluntas populi stulti et insipientis, et nunc inducit super eos diem afflictionis, et inposterum ignis, qui succensus est, *usque ad inferni novissima ardebit* : quod et alius propheta imprecatur : et « duplici contritione contere eos, Domine Deus meus (*Jer.* xvii, 18), » alias autem, et una percussio est, quæ hic incœpta illic finitur, ut incorrectis unum flagellum sit, quod temporaliter incipit, sed in æternis suppliciis consummetur, quatenus eis, qui omnino corrigi renuunt, jam percussio præsentium flagellorum sequentium sit initium tormentorum. Igitur nihilo læsa vel in pravum detorta regula prophetica, qua dictum est : *Non consurget duplex tribulatio*, sive juxta Septuaginta : *Non vindicabit Deus bis in idipsum*, et hic a furore meo succensus est ignis et in futuro, quod est : *Usque ad inferni novissima ardebit.*

Devorabitque terram cum germine suo, et montium fundamenta comburet. Non, ut sæpe factum est, solum terræ germen devorabit, ut sit fames in terra propter peccata populi, sed ipsam quoque *terram*, cujus in iracundia loquentes dolos cogitabant, ita ut dicerent : « Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani, et tollent nostrum et locum et gentem (*Jer.* xi, 48) : » *terram*, inquam, ipsam *cum germine suo devorabit*, id est auferet ita, ut terra eorum non sit, et nihilominus ea careant, quam si devorata sit igne hostili. *Et fundamenta montium comburet*, id est superborum fiduciam auferet, videlicet pulchrum templum inclytamque civitatem, cujus suffulti statu firmiter in hæreditario patrum suorum Deo sibi stare videntur, gentesque cæteras quasi valles infimas montes ipsi despiciunt. Templum, inquam, et civitatem in montibus fundatam ignis elementaris comburet. Præterea *terram*, id est carnes eorum; *terram*, inquam, peccatricem, id est populum qui superbit, cum sit terra et cinis, *devorabit ignis cum germine suo*, id est cum libidinibus et malis operibus suis, *et montium fundamenta*, id est ipsas quoque animas, quæ vegetant corpora, comburet ignis, et hic succensus, ut jam dictum est, et in futuro ardens usque ad inferni novissima.

VERS. 23. *Congregabo super eos mala, et sagittas meas complebo in eis.* Et hoc ait Dominus utique ad iracundiam provocatus. Ait, inquam, non solum secreto et intus prophetis audientibus, verum etiam in publico apostolis audientibus, Judæis blasphemantibus, audituris etiam per Evangelium cunctis per orbem gentibus. Cum enim dixisset : « Ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et Scribas, et ex illis occidetis et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris et persequemini de civitate in civitatem, » continuo subjunxit : « Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare... Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem hanc (*Matth.* xxiii, 34 et seqq.). » Hæc dictio ejus apostolis audientibus de malis congregandis, qui jam, audiente Moyse, antequam homo fieret, hæc ait : Igitur *congregabo super eos mala*, id est venire faciam omnem sanguinem justum qui effusus est super terram. Et hoc juste, quia videlicet ipsi me occidendo, sanguinem meum effundendo mensuram patrum suorum implebunt, patrum malorum, patrum impiorum, qui justos occiderunt, qui sanguinem prophetarum fuderunt. *Et sagittas meas complebo in eis*, quia videlicet congregata tot mala paucæ vel pars sagittarum mearum expiare non sufficeret : idcirco *complebo*, id est omnes expendam *sagittas meas in eis*, sagittas maledictionis, scilicet quas paulo ante in pharetra cujusdam conditionis ita recondidi. « Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias et facias omnia mandata ejus, et cæremonias, quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istæ, et apprehendent te. Maledictus es in civitate, maledictus in agro, maledictum horreum tuum, et maledictæ reliquiæ tuæ, maledictus fructus ventris tui, etc. (*Deut.* xxviii, 15-18). » *Explebo*, inquam, id est omnes istas expendam *sagittas meas in eis*, quod alias nunquam feci, licet multoties aliquam sagittarum partem in eos jecerim; exempli gratia : quando Benadab rege Syriæ cum universo exercitu suo obsidente Samariam facta est fames hic magna in Samaria, et tandiu obsessa est, donec venundaretur caput asini octoginta argenteis, et quarta pars capisterii vel

cadi stercoris columbarum quinque argenteis, dixitque mulier altera ad alteram : Da filium tuum, ut comedamus eum hodie, et filium meum comedemus cras. Quando, inquam, hæc acta sunt, tunc *sagittas meas* quidem jeci, sed non totas *complevi*. Nam inter hæc dixit Eliseus : « Audite verbum Domini : Hæc dicit Dominus. In tempore hoc cras modius similæ uno statere erit, et duo modii hordei statere uno in porta Samariæ (*IV Reg.* VII, 1). » Quod et factum est. Verum non ita erit, cum faciem meam abscondero in eis. Sed quid?

VERS. 24, 25. *Consumentur fame, et devorabunt eos aves morsu amarissimo. Dentes bestiarum immittam in eos cum furore trahentium super terram atque serpentium. Foris vastabit eos gladius, et intus pavor juvenem simul ac virginem, lactentem cum homine sene.* Id plane erit sagittas meas compleri in eis. *Consumentur fame*, videlicet in die solemni Paschæ Jerosolymis congregati velut exitiali quadam manu cogente, quos tricies centena millia hominum Josephus dicit fuisse, scilicet justo judicio tempore hoc ultionis electo, ut qui in diebus Paschæ salvatorem suum Dominum Christum cruentis manibus et sacrilegis vocibus violaverant, in ipsis diebus velut in unum carcerem omnis multitudo conclusa feralis pœnæ exitium, quod merebatur, exciperet. Quam diræ famis exitio consumpti sint, qui plenius nosse cupit, quintum prædicti Josephi historiarum librum legat, ex quo omnem eorum luctuosam tragœdiam pernoscet. In quo illud permaxime horrendum fuit, quod quædam mulier Maria nomine Eleazari filia, genere et facultatibus nobilis, præ magnitudine famis quasi in amentiam vel in insaniam versa parvulum, quem sub uberibus habebat, filium jugulat ignique superpositum torret, et medium quidem consumit, medium vero servat obtectum, unde et per prædones confestim irruentes, quos conceptus obustæ carnis nidor invitaverat (scrutabantur enim domos esurientes et fame insanientes); per prædones, inquam, deprehensum hoc malum continuo civitatem universam horrendo nuntio replevit illa proferente quod obtexerat, ac dicente quia partem vobis optimam reservavi. *Igitur consumentur*, inquit, *fame*, subaudis : et non sepelientur; sed *devorabunt eos aves morsu amarissimo*. Sepelire namque cadavera proximorum nec defunctorum multitudo nec virium debilitas permittebat. Primo quidem publico sumptu sepeliri mortuos jusserant fœtoris intolerantia. Ut vero omnem sumptum cœpit vincere multitudo morientium, de muro cadavera præcipitabant tanta multitudine, ut mortuorum cadaveribus valli replerentur, et humani corporis tabo patria terra rigaretur. Igitur *devorabunt eos aves*, scilicet insepultos *morsu amarissimo*, quia videlicet residuis hoc spectantibus amarissima hæc erit amaritudo. Nec solum *aves devorabunt*, sed et *dentes bestiarum immittam in eos trahentium* eos *cum furore super terram* dentesque *serpentium*.

Aliter : *Dentes bestiarum immittam super eos cum furore trahentium super terram atque serpentium. Dentes bestiarum*, id est sævitiam vel arma Romanorum immittam in eos cum furore trahentium super terram, id est absque misericordia residuos in captivitate ducentium in omnem terram : dentesque *serpentium*, id est sævitiam malignorum spirituum per cruciatus et mortes corporum usque ad inferni novissima *trahentium*. Nam per bestias Romanos fortes ac feroces recte intelligi illud pro testimonio vel exemplo est, quod Psalmista cum eamdem calamitatem deplorans dixisset : « Ut quid destruxisti maceriem ejus, et diripiunt eam omnes, qui prætergrediuntur viam, » continuo subjunxit : « Exterminavit eam aper de silva, et singularis ferus depastus est eam (*Psal.* LXXIX, 13, 14), » per aprum et per singularem ferum Titum et Vespasianum Romanos imperatores significans. Igitur *dentes bestiarum super terram trahentium* arma sunt Romanorum occidentium et in captivitatem trahentium. Colligens namque supra dictus historiographus omnem numerum peremptorum vel fame vel ferro undecies centena millia designavit, cæteros vero latrones et sicarios ac prædones post urbis excidium mutuis declarat interiisse vulneribus, electos autem quosque juvenum, quos decor corporis et proceritas commendabat, ad triumphum dicit esse servatos; reliquos autem, qui supra decem et septem annos agebant ætatis, vinctos ad opera Ægypti per metalla destinatos, vel per cæteras provincias esse dispersos, alii quidem, ut ludis gladiatoriis, alii, ut ad bestias traderentur. Si qui vero intra septimum et decimum ætatis reperti sunt annum, per diversas provincias in servitutem distrahi jussi sunt. Quorum numerus usque ad nonaginta millia perductus est. Id plane fuit *trahi super terram dentibus bestiarum*, ac deinde animas duci ad inferos, id fuit trahi *dentibus serpentium*. Unde signanter non dictum est : dentes bestiarum et serpentium cum furore trahentium super terram; sed *serpentium*, subauditur : dentes cum *furore trahentium* in infernum. Malorum omnium summam uno tandem versiculo complexus est : *Foris vastabit eos gladius, et intus pavor : juvenem simul ac virginem, lactentem cum homine sene. Foris* namque *gladius*, id est exterior corporum omnimoda calamitas; *intus pavor*, id est atrox conscientia, quia scientibus illis jam sanguis Christi, sicut sibi imprecati fuerant, super ipsos et super filios ipsorum redundabat.

VERS. 26. *Et dixi : Ubinam sunt? Cessare faciam ex hominibus memoriam eorum.* Hæc et hæc dixit, quæ jam præmissa sunt. *Et* tunc demum *dixi* ego, cui futuræ istæ calamitates, imo et omnia tam præterita quam futura præsentia sunt : *ubinam sunt?* videlicet quia defecerunt peccatores a terra et iniqui, ita ut non sint. Et væ illis, quos nescit Deus *ubinam sint*, cum ipse omnium, qui sunt, qui non mali sunt, locus sit. Unde dicit Job : « Sicut consu-

mitur nubes, et pertransit: sic qui descendit ad inferos, non ascendet, nec revertetur ultra in domum suam, neque cognoscet eum amplius locus ejus (*Job* VII, 9). » *Cessare faciam ex hominibus memoriam eorum*, ac si dicat: Parum est ut non amplius cognoscam eos, ego quondam locus ipsorum, insuper *ex hominibus cessare faciam memoriam eorum*, ut nec apud Deum nec apud homines ulla in bono sit memoria eorum.

VERS. 27. *Sed propter iram inimicorum distuli, ne forte superbirent hostes eorum, et dicerent: Manus nostra excelsa, et non Dominus fecit hæc omnia.* Ita, ut prædictum est, sagittas meas complebo in eis, ut ne una quidem maledictio residua sit. Poteram facere, et ipsi merebantur, ut ita cessaret ex hominibus memoria eorum, quatenus nullæ superessent reliquiæ eorum. Sed forte *superbirent hostes* eorum et dicerent: *Non Dominus fecit hæc omnia*, sed *manus nostra excelsa* fecit hæc omnia. *Distuli* ergo, et non totam funditus delevi memoriam eorum, imo et dixi, « quia si numerus eorum fuerit quasi arenæ maris, reliquiæ salvæ fient (*Rom.* IX, 27). » Hoc pacto fit ut non superbiant hostes eorum, ut non dicant: *Manus nostra excelsa, et non Dominus fecit hæc omnia*, dum reliqui, qui sunt ex eis dispersi per omnes gentes, libros secum bajulant et maledicta legis, quæ legentes hostes eorum et causas maledictionum recensentes sciant et dicant: *quia Dominus fecit hæc omnia.* Amplius autem et in eo residuum illorum proficit, ut quicunque ex hostibus eorum ad fidem patrum illorum conversi fuerint, dum legunt quod, cum plenitudo gentium subintraverit, tunc omnis Israel salvus erit, non superbiant, quod cæcitas in Israel contigit, ipsi autem illuminati sunt, Apostolo quoque superbiam istam reprimente, cum dicit: « Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, et socius radicis et pinguedinis olivæ factus es, noli gloriari adversus ramos. Quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te, etc. (*Rom.* XI, 17-18). » Plane hæc talis repressio superbiæ dignæ Deo curæ est, ut merito præcavens dicat: *Propter iram inimicorum distuli, ne forte superbirent hostes eorum, et dicerent: Manus nostra excelsa, et non Dominus fecit hæc omnia.* Idcirco dicitur in psalmo: « Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidat eos, ne quando obliviscantur populi mei, disperge illos virtute tua (*Psal.* LVIII, 12). » Nunc ergo post dispersionem eamdem erga dispersas populi stulti et insipientis reliquias qualis esse debeat apostolorum et populi sapientis Christiani affectus, sequentibus mox cantici verbis innuitur.

VERS. 28, 29. *Gens absque consilio est et sine prudentia, utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent!* Quid aliud Apostolus optat, cum dicit gemebundus: « Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in spiritu meo, quoniam tristitia mihi est magna et continuus dolor cordi meo, optabam enim

A ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, etc.? » (*Rom.* IX, 2, 3.) Quid, inquam, optat, quid dicit, nisi: *Utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent? Saperent* videlicet, qualia vel quas ob causas ventura illis mala ex lege superius scripta prænuntiata sint, ut *intelligerent* res et malorum præsentium effectus bene respondere dictis præteritis; *providerent*, subauditur: mala inferni, quæ post præsentia consequentur eos, eo quod nec saltem vexatio præsens intellectum dare possit eorum auditui. Hoc optamus, hoc illis cupimus, quicunque recta et humili fide cognoscimus quia naturales isti sunt rami, nos autem naturalis oleaster fuimus, eisque fractis, qui naturaliter stabant, nos contra naturam inserti sumus. Verum donec pleni-
B tudo gentium subintroeat, *gens* ista *sine consilio et sine prudentia est*, id est non sapiet, neque intelliget, neque novissima providebit. Dicimus tamen quamvis verba perdentes, quamvis nullos vel paucissimos ex eis lucrifacientes: *Utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent!*

VERS. 30, 31. *Quomodo persequebatur unus mille, et duo fugarunt decem millia?* Imo ut ipsa maledictionis recolamus verba, quibus hoc prænuntiatum est, quomodo tradebat Dominus gentem hanc corruentem ante hostes suos? Quomodo per unam viam egrediebatur contra eos, et per septem fugiebat? *Nonne ideo, quia Deus suus vendidit eos, et Dominus conclusit illos? Non enim est Deus noster, ut*
C *Deus eorum, et inimici nostri sunt judices.* Quid enim? Nunquid ut ipsi putant, Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob Deus eorum est? Non utique: nam ipsi ex eis vel præcipui sunt, quorum Deus venter est, et gloria in confusione vel pudendis eorum. Quantoscunque deos coluerunt, nimirum propter hunc maximum deorum suorum, id est propter ventrem suum et propter pudenda sua coluerunt, scilicet ut sederent manducare et bibere, et deinde surgerent ludere lusum turpem, lusum ignominiæ. Ergo *Deus suus* venter est, qui multos deos adorandi causa illis est. Et hic *Deus suus vendidit eos*, hic, inquam, *Deus suus* pretio scortationum et libidinum distraxit illos, quia videlicet ipsi, ut illum Deum ventrem suum saturarent, postea, quæ sub
D ventre sunt, libidinibus effluerent, semetipsos tradiderunt, vitam suam perdiderunt, animas suas perdiderunt. Unde et per prophetam manifeste appellantur principes Sodomorum et populus Gomorrhæ. Ita venditos *Dominus conclusit illos, conclusit*, inquam, primum cæcitate ac furore mentis, ut palparent in meridie, sicut palpitare solet cæcus in tenebris, et cum esset vita ipsorum pendens ante oculos eorum, non crederent eidem vitæ suæ. Deinde *conclusit illos* et hostili exercitu, ubi persequebatur unus mille, et duo fugarunt decem millia. Nonne hæc igitur ideo passi sunt, quia tales, ut jam dictum est, *Deus suus vendidit eos, et Dominus* ultor *conclusit illos? Non enim est Deus noster ut Deus eorum*, non, inquam, qualis Deus noster, talis

Deus eorum. Hoc tam libere profitemur, ut non commune totius orbis subterfugiamus auditorium, ut sententiam non vereamur qualiumcunque hominum ratione utentium. *Inimici nostri* quoque *sunt judices*, verbi gratia, Platonici sive Pythagorici vel quicunque philosophi gentiles, cum adhuc *inimici nostri* sint, cum nondum fidem Christi susceperint, ipsi sint *judices*. Ecce hic in conspectu omnium proponatur hinc *Deus noster*, et inde Deus eorum, hinc, inquam, *Deus noster* et crux ejus, inde satellites Dei eorum ventris, eorum Beelphegor, id est Priapus.

Obscenoque ruber porrectus ab inguine palus..

Sint inter hæc *judices inimici nostri*, judicent inimici nostri, quid pulchrius, quid honestius sit, utrum pietatem Christi crucifixi, an tentiginem vel turpitudinem adorare Priapi? Dicite nunc, *judices, inimici* quidem nostri, sed judicandi scientiam habentes, quid pulchrius in æstimatione vestra, crucem adorare, an adulteria? Crucem, inquam, injuste homini justo compactam, an fornicationes et stupra? Quid respondeant, imo quid responderint, quid vindicaverint inimici nostri, jam totus orbis audivit, quia videlicet stupris damnatis pia colla submisere cruci damnatis concupiscentiis ventris et eorum, quæ sub ventre sunt, prædicaverunt gloriam Christi. Verum isti nondum sapiunt, nondum intelligunt. Quare?

VERS. 32, 33. *De vinea Sodomorum vinum eorum, et de suburbanis Gomorrhæ.* Idcirco obscurati sunt oculi eorum, ne videant, idcirco cæcati sunt, ut non sapiant, neque intelligant, neque novissima provideant, quia *de vinea Sodomorum vinum eorum, et de suburbanis Gomorrhæ*, id est quia vivunt Sodomitice. *Uva eorum uva fellis, et botrus amarissimus. Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.* Per *vineam* radices cogitationum nequam, per *uvam* et *botrum* operum nequitia, per *vinum* colloquia mala pravaque blasphemantium intellige doctrinam. Profecto quisquis operibus eorum malignis communicaverit, æterna amaritudine torquebitur. Idcirco dixit: *Uva fellis et botrus amarissimus* est. Et quisquis fabulas vel susurrationes eorum acceperit, sopietur sempiterna mortis ebrietate. Idcirco dixit: *Fel draconum vinum eorum et venenum aspidum insanabile.*

VERS. 34. *Nonne hæc con ita sunt apud me, et signata in thesauris meis?* Videlicet, quia nulla hæc pœnitentia delevit, quia non baptismus Christi, quo solo peccata remittuntur, hæc absorbuit, idcirco *recondita* manent *apud me, et signata sunt in thesauris meis* reddenda in pondere et mensura iræ quam thesaurizaverunt sibi.

VERS. 35. *Mea est ultio, et ego retribuam eis in tempore, ut labatur pes eorum. Mea est*, inquam, *ultio*, meum est judicium, *et ego retribuam eis*, videlicet unicuique secundum opera sua *in tempore*, in die iræ, *ut labatur pes eorum*, ut cadant in opprobrium sempiternum, ut deducantur in puteum interitus, ut usque ad inferni novissima devolvantur.

Dicis: In tempora longa fiet istud. Ego autem dico: *Juxta est dies perditionis, et adesse festinant tempora. Juxta est*, etsi mille anni intersint. Nam « mille anni ante oculos meos tanquam dies hesterna, quæ præteriit (*Psal.* LXXXIX, 4). » Sed esto ut millenaria, imo decies aut centies millenaria speretur ante illum diem fore sæculi prolixitas: nunquid non singulariter unicuique peccatori *juxta est dies perditionis?* Denique *anni nostri*, ut ait Psalmista, *sicut aranea meditabuntur, dies annorum nostrorum*, subauditur: clauduntur, *in ipsis septuaginta annis. Si autem in potentatibus*, si sunt qui in fortitudine et sospitate naturæ diutius vivant, quidam enim fortioris et salubrioris sunt naturæ quam alii; si, inquam, in potentatibus, id est in his, qui salubrioris naturæ sunt, *octoginta* sint *anni, amplius eorum* spatium longius his octoginta annis jam non vita, sed potius *labor et dolor est.* Igitur vel sic *juxta est dies perditionis, et adesse festinant tempora.* Fugaces quippe labuntur anni, diesque die truditur. Hactenus contra gentem sine consilio et sine prudentia pro parte illorum, qui excæcati sunt. Nunc ad eas reliquias sermo dirigitur consolatorius, quæ servandæ sunt.

VERS. 36. *Judicabit Dominus populum suum, et in servis suis miserebitur.* Hæc duo clarissima sedis Domini ministeria sunt, misericordia scilicet et judicium, de quibus tota pendet ratio vel materia laudis divinæ, Psalmista quoque dicente: « Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine (*Psal.* C, 1). » Nihil est enim in verbis et operibus fidelis et justi Domini, quod non aut misericordiæ sit aut judicii aut utriusque concurrentis, ut ait idem, qui supra: « Misericordia et veritas obviaverunt sibi (*Psal.* LXXXIV, 11). » Igitur *judicabit Dominus populum suum.* Subauditur: secundum ea, quæ hactenus dicta sunt, quia vidit eos provocantes et in abominationibus suis ad iracundiam concitantes. Vidit, inquam, et ad iracundiam concitatus est. Porro *in servis suis miserebitur*, id est in reliquiis, quas alio modo se habentes intuebitur.

Videbit, quod infirmata sit manus, et clausi quoque defecerunt, residuique consumpti sunt. Videbit, inquam, *quod manus* illa *infirmata sit*, et infirmitatem suam agnoverit, quæ hactenus sibi videbatur sana et fortis, ita ut præ infirmitatis vi insaniens ut phrenetica medicum verum percuteret, quemadmodum dicit in psalmo: « Et irruerunt in me fortes (*Psal.* LVIII, 4). » Sic enim infirmi et veræ justitiæ virtutem non habentes ex operibus legis gloriabantur, unde apud Deum nullus justificabitur, ut starent adversus Dominum et adversus Christum ejus dicendo: « Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum. (*Psal.* II, 3) » Manum talem fortitudinem ejusmodi *videbit, quod infirmata sit*, quod humiliata sit, quod justificationem suspiciat, quæ est ex fide et non ex operibus legis. Et hoc *videbit*,

quod *clausi quoque, clausi*, inquam, quos, ut supra dictum est, Dominus conclusit, *defecerunt*, id est nulla ulterius in semetipsis fiduciam habebunt, *residuique, residui*, inquam, id est qui ex Israel reliqui sunt, *consumpti sunt*, in eo videlicet, quod nihil se esse cognoscunt, quod ad nihilum se redactos confitentes restauratoris et liberatoris opem poscunt et dicent :

VERS. 37—39. *Ubi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam ? De quorum victimis comedebant adipes, et bibebant vinum libaminum ? Surgant et opitulentur vobis, et in necessitate vos protegant ? Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me.* Adeo infirmati sunt, adeo defecerunt et consumpti sunt, ut dicant, imo jam non ipsi loquantur, quia defecerunt et consumpti sunt, loquatur in eis Dominus, dicat in eis Domini Spiritus : *Ubi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam*, subauditur : qui fortes fuerunt, qui non defecerunt, neque consumpti, id est per pœnitentiam alterati sunt ? *Ubi*, inquam, *sunt dii eorum ?* Subaudis : nusquam sunt, nusquam adsunt, quia videlicet non dii, sed dæmonia sunt. Vos igitur reliquiæ Israel, *videte quod ego sim solus*, ego, inquam, *solus sim*, quemadmodum dixi de medio rubi loquens : *Ego sum qui sum* (*Exod.* III, 14), quod videlicet et dixi tunc, et dico nunc ad distantiam omnium, quæ non vere, aut simpliciter sunt, quia mutabilia sunt, maxime autem ad distinctionem vel divisionem deorum omnium, qui non sunt, etsi dicantur dii, sunt enim, qui dicantur dii multi et domini multi, tamen dii aut domini non sunt. Ego vero immutabiliter sum et vivo : Filius quoque meus immutabiliter est et vivit ; nam etsi mortuus est ex infirmitate carnis, sed vivit ex virtute Dei, id est eo quod virtus Dei sit. Hoc *videte*, et quod *non sit alius Deus præter me*. Nam alia quidem persona Pater, alia persona Filius, sed *non alius Deus* Pater, *alius Deus* Filius est.

Ego occidam, et ego vivere faciam, percutiam, et ego sanabo, et non est qui de manu mea possit eruere. Hoc quoque *videte*, hoc ab effectis præsentibus comprobatum scitote. Nam ego gentilem populum quondam occidi, id est idololatriæ deditum, præter me deos alienos colentem damnavi : et nunc idem ego per Spiritum sanctum vivere feci. Itemque ego populum meum, populum Judaicum provocantem et irritantem me percussi cæcitate, et ecce ego ipse reliquias ex eo sanavi. *Et non est, qui de manu mea possit eruere*, subauditur : eum, qui in manus meas horrendas inciderit per imperium superbiæ ; *non est*, inquam, *qui de manu mea possit eruere*, propheta quoque dicente : « Si fuerint tres viri isti in medio eorum, Noe, Daniel et Job, vivo ego, dicit Dominus ; ipsi in justitia sua animas suas liberabunt, filios autem et filias non liberabit (*Ezech.* XIV, 14, 20). » Quis enim ipsam manum saltem possit attingere ?

VERS. 40. *Levabo ad cœlum manum meam, et dicam : Vivo ego in æternum.* Quis igitur de manu mea possit eruere, de manu altissima tam alte in cœlum sublevata, ut nemo possit attingere ? Manus mea, quæ omnia fecit, quæ cœlum extendit, terramque et maria fundavit, in ipsa infirmitate sua, dum carne induta quasi obligata videtur, tunc quoque percussit superbum, et obstetricante illa eductus est coluber tortuosus : quanto magis postquam illam *levavi* in cœlum et dixi : *Vivo ego in æternum ?* quod exinde apparet, quia et ipsa manus mea, quæ aliquandiu videbatur mortua, vivit in æternum, quemadmodum testatur ille, qui dixit : « Christus resurgens a mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* VI, 9), » quanto magis, inquam, extunc nemo est qui de hac manu mea possit eruere ?

VERS. 41. *Si acuero ut fulgur gladium meum et arripuerit judicium manus mea : reddam ultionem hostibus meis, et his qui oderunt me retribuam.* Quænam est manus mea, quæ judicium arripiat, nisi Filius qui dixit : « Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio ? (*Joan.* V, 22.). » Et quis gladius ejus nisi bonorum malorumque divisio, qui videlicet in dexteram et sinistram divisi insociabiliter separabuntur ? Porro *fulgur* ad breve quidem lucet, sed percutit irreparabiliter. *Si* igitur *acuero ut fulgur gladium meum*, id est si quod (occulte) sine dubio futurum est in brevi quidem, sed palam omnibus in dexteram et sinistram divisiones fecero malorum et bonorum, et ita *judicium arripuerit manus mea*, sicut jam dixi, non erit qui eruat ; sed *reddam ultionem hostibus meis*, scilicet gehennam ignis inexstinguibilis, et ibi vicissitudinem condignam *his qui oderunt me retribuam*

VERS. 42. *Inebriabo sagittas meas sanguine, et gladius meus devorabit carnes.* Sagittæ meæ universæ sunt judicii sententiæ senario illic numero designatæ : « Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare ; sitivi, et non dedistis mihi bibere ; hospes eram, et non collegistis me ; nudus, et non operuistis me ; infirmus, et non visitastis me ; in carcere, et non venistis ad me (*Matth.* XXV, 42, 43). » Hujusmodi *sagittas meas* ego *inebriabo sanguine*, ita ut omnes expendantur cum effectu vindictæ. *Et gladius meus devorabit carnes*, non quod ipsam substantiam carnis exterminet ; sed quod æternaliter puniat carnalium amatores, vitia carnis consectantes, ganeones, helluones, nebulones, tam malignos spiritus quam immundos homines, quorum quia communis est nequitia, pœna quoque par est juxta illud : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (*ibid.*, 41). » Nam hoc est, quod sequitur : *De cruore occisorum, et de captivitate nudati inimicorum capitis.* Inebriabo sagittas meas de sanguine *occisorum*, id est de damnatione impiorum hominum, *et de captivitate capitis inimicorum*, scilicet diaboli, qui caput et princeps est inimicorum ; capitis, inquam, nu-

dati, id est manifestati; cunctis enim manifestabitur, cunctis videntibus præcipitabitur.

VERS. 43. *Laudate, gentes, populum ejus, quia sanguinem servorum suorum ulciscetur. Et vindictam retribuet in hostes eorum, et propitius erit terræ populi sui. Laudate, gentes, populum ejus*, lætamini, gentes, cum plebe ejus, beatum dicite, gentes, populum, cujus Dominus Deus ejus, quia non peribit A patientia populi vel servorum ejus. *Sanguinem* enim *servorum suorum ulciscetur, et vindictam retribuet in hostes eorum* dicendo: « Discedite a me maledicti in ignem æternum, » et propitius erit terræ populi sui, dicendo: « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est a constitutione mundi. » Sic hodie laudamus nos gentes. Hæc enim nostra fides, hæc nostra confessio est.

MONITUM IN EPISTOLAM SEQUENTEM.

Epistola Gerhohi ad Eberhardum ep. Babenberg. *Quomodo secundum S. Hilarium glorificaturus Filium Pater major, glorificatus autem Filius minor non sit: cum in Symbolo Athanasii Filius æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem dicatur*, ejusdem libro De *Gloria et honore Filii hominis* merito præponenda est, utpote quæ huic scribendo, adversariis obmurmurantibus, occasionem præbuit. Ejus apographum beneficio cl. V. R. D. Eugenii. præfecti bibliothecæ Claustroneoburgensis, in qua cujusdam codicis antico asseri coæva fere manu eam inscriptam deteximus, ad nos perlatum est. Cæterum Gerhohus propositam quæstionem num. 1 dissolvit aitque, *beatum Athanasium, qui Filium Patre minorem affirmat, minoritatem illam naturæ humanæ assignare, cum dicat: minor Patre secundum humanitatem; sanctum vero Hilarium, qui minoritatem negat, gloriam hominis in Deum glorificati magnificare, dum dicit: « Glorificatus jam Filius minor non est. » Itaque istos catholicos nullo modo sibi esse contrarios vel contradictorios, sed exigere lectores, et intellectores, inter naturam humanam, conditione parvam, et ipsius gloriam divinam, penitus ineffabilem et immensam discernentes*, etc.; quæ omnia multo diffusius et limatius, pertractat in infra excuso libro *De gloria et honore Filii hominis.*

VEN. GERHOHI

PRÆPOSITI REICHERSPERGENSIS

EPISTOLA AD EBERHARDUM

BABENBERGENSEM EPISCOPUM.

Quomodo secundum S. Hilarium glorificaturus Filium Pater major; glorificatus autem Filius minor non sit; cum in Symbolo Athanasii Filius æqualis Patri secundum divinitatem : minor Patre secundum humanitatem dicatur.

(D. B. PEZIUS, *Thes. Anecdot.* tom. I, parte II, p. 315, ex cod. ms. inclytæ canoniæ Claustro-Neoburgensis ord. Can. Reg. S. Aug. in Austria, studio et benevolentia adm. rev. et cl. D. Eugenii Purcklbauer, ejusdem loci canonici et bibliothecarii.

E. venerabili Babenbergensis Ecclesiæ antistiti, frater G. devotum cum assiduis orationibus obsequium.

I. Stultas et indisciplinatas quæstiones, monente Apostolo, vitandas, libenter caveo; et ideo de rebus involutis cum disputatoribus indisciplinatis, aut stultis invitus confero. Quibus, quia vos longe dissimilem exhibuistis, cum sapienter ac disciplinate mecum loquendo contulistis; libet adhuc vobiscum conferre ore ad os loquendo, vel scribendo super illo nostro, quod vidistis, opusculo, in quo illud vos, ut dicitis, offendit, quod ibidem sanctus Hilarius introducitur, dicens: « glorificaturus *Filium* Pater major est; glorificatus autem Filius minor B non est; » cum in fide Athanasii cantemus de Filio jam glorificato: *æqualis Patri secundum divinitatem: minor Patre secundum humanitatem.* Videtur enim vobis, quod nos astruamus Hilarium Athanasio contrarium, sive contradictorium, quod non est. In contrariis namque sive contradictoriis propositionibus affirmatio et negatio simul non possunt esse veræ, quia in eis idem de eodem affirmatur et negatur. Hic autem non est ita, quia, licet affirmetur et negetur idem, sed non de eodem. Nam beatus Athanasius, qui Filium Patre minorem affirmat, minoritatem illam naturæ humanæ assignat, dicens: *minor Patre secundum humanitatem.* Sanctus vero Hilarius, qui minoritatem negat, gloriam hominis in Deum

glorificati magnificat dicens: *glorificatus jam Filius minor non est.* Itaque isti Patres catholici nullo modo sibi sunt contrarii, vel contradictorii; sed exigunt lectores et intellectores, inter naturam humanam, conditione parvam et ipsius gloriam divinam, penitus ineffabilem et immensam discernentes. Naturam aspexit: « Parvulus natus est nobis. » Parvuli quoque hujus immensam gloriam prædicavit subjungens: « et vocabitur nomen ejus admirabilis, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis. Super solium David, et super regnum ejus sedebit; ut confirmet illud, et usque in sempiternum (*Isa.* IX, 6 et seq.). » Super solium, inquit, David, quia nimirum Christus assimilatur Patri suo David, qui parvus permanens in statura, crevit in regali gloria; parvus quantitate magnus factus est in virtute; ita ut vincere posset Goliam, longe majorem se in corporali statura, sed minorem virtute. Virtus hæc non erat illi ex natura humana, sed ex unctione sancta, quæ naturam provexit, non ut major esset in essentia, quæ, ut sæculares quoque philosophi asserunt in prædicamento substantiæ, non recipit magis, et minus, quod solis congruit formis, quarum denominata recipiunt comparationem; ut albus, albior, albissimus. Non ergo David in regem, seu prophetam unctus, crevit in essentia humana, quæ omnibus hominibus est una et indifferens in natura; quamvis ei accidat multa personarum differentia. Et ne longe petamus exempla: vos, cum nuper sitis unctus in episcopum; crevistis quidem in dignitate et potentia, sed non in essentia. Affirmante autem sancto Basilio, illa unctio, qua uncta est Christi humanitas præ suis participibus, est æterna divinitas. In libro enim De dispensatione Dei, ait inter cætera: *Nos Christum unius compositæ naturæ dogmatizamus, neque ex alteris alterum, sicut ex anima, et corpore homo noster, aut sicut ex quatuor elementis corpus, sed ex alteris eadem esse. Ex deitate enim et humanitate ipse seipsum unxit; ungens quidem ut Deus, unctus autem ut homo. Deum perfectum, et hominem perfectum eumdem esse, et dici ex duabus, et in duabus naturis esse confitemur. Id autem, videlicet, quod est Christi, nomen personæ dicimus, non uno modo dici, sed duarum naturarum esse significativum. Hic ipse est enim hoc et illud; unctio autem humanitatis deitas est.*

II. Hoc dicente sancto Basilio, nos illi consona sentiendo, hominem, divinitate unctum, permanente natura humana in sua essentia, credimus, et confitemur profecisse in virtute non ad mensuram, quia non ad mensuram est unctus. Equidem pater suus David unctus est ad mensuram, ut regnaret parvo tempore in angusto Judææ regno. Unctus etiam fuerat ante ipsum Aaron, ut esset sacerdos magnus in uno tantum populo Hebræorum. Sed iste unctus est in regnum æternum omnium sæculorum, in Regem regum, in regem angelorum et hominum, cujus regnum et imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Ei etiam dicitur: « Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. (*Psal.* CIX, 4). » Non est ergo inconveniens, quod hominem parvulum in sua humanitate Patre minorem, sed in regali ac pontificali potentia et gloria Patri consedentem super solium regni, et super thronum gratiæ cum Athanasio prædicamus minorem Patre secundum humanitatem, et cum Hilario æqualem Patri secundum regalem vel pontificalem dignitatem. Humanitas enim, licet neque de miseria minuatur, neque de beatitudine augeatur in sui essentia vel natura; homo tamen augetur vel minuitur in gloria, secundum quod beata vel misera efficitur quælibet hominum persona. Unde caute sanctus Athanasius, cum diceret de Filio quod sit minor Patre, addidit: *secundum humanitatem*, naturam videlicet significando, non personam nomine humanitatis, quia persona illius novi hominis, etsi naturam in se habeat humanam, Patris, et sua divinitate minorem, dedit tamen eidem gloriæ paternæ coæqualitatem. Dedit, inquam, et accepit: dedit in divinitate, accepit in humanitate. Humanitas quippe in Christo divinitatis gloriam accepit, quam alioquin non habuit, videlicet cum adhuc in massa generis esset indiscreta. Sed postquam discreta est in personam, semper habuit plene sapientiam, omnipotentiam, et omnem virtutem divinam, quia ille homo nunquam fuit homo non Deus, qui divinitus, non humanitus conceptus, et natus est. In ipsa ergo conceptione forma divinitatis informatus, et speciosus forma præ filiis hominum factus, jam in plenitudine gratiæ ac veritatis consummatus est. Et ideo cum jam tunc in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Sed nisi granum illud frumenti cadens in terram mortuum fuisset, ipsum solum maneret in forma Dei; neque alia grana possent ei conformari, aut per ipsum reformari. Ut ergo in pluribus granis multum fructum afferret, semetipsum exinanivit, formam Dei abscondens, et formam servi accipiens, in qua « humiliavit seipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris (*Philipp.* II, 8, 9). » Gloriam ipsam, in conceptione acceptam ante passionis humiliationem habuit, sed sibi soli. Et ideo, ut dictum est, nisi granum frumenti cadens mortuum fuisset, ipsum solum mansisset. Sed propter nos homines, et propter nostram salutem sic oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam, ut nobis præpararet viam: imo ut seipsum nobis exhiberet viam.

III. Unde cum orasset, dicens: « Clarifica me, Pater, apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus fieret (*Joan.* XVII, 1); » cumque vox Patris de cœlo sonuisset; « Clarificavi, et ite-

rum clarificabo: non propter me, » inquit, « vox hæc venit, sed propter vos (*Joan.* XII, 28). » Propter se namque non erat clarificandus gloria resurrectionis, quia nec propter se mortuus, sed propter nos. Quod enim mortuus est, peccato nostro, non suo mortuus est; quod autem vivit, vivit Deo. Vivit, inquam, Deo, quia vivit ut Deus, non sicut primus homo factus in animam viventem, sed in Spiritum vivificantem. Unde non solum divinitas, sed etiam caro ejus vivificatrix est, vivificans eadem potentia, qua vivificat ipsa divinitas. Cum enim sapientia Dei « attingat a fine usque ad finem fortiter, et disponat omnia suaviter (*Sap.* VIII, 1): » quomodo credenda est non attingens fortiter ad conferendam vivendi et vivificandi potentiam suæ propriæ carni? Alioquin caro non prodesset quidquam, nisi spiritus esset, qui vivificaret, qui cum in Christi corpore inferiora membra ita vivificet, ut vivant; si autem vivificare valeat carnem Christi; sic vivificat, ut non solum ipsa vivat, sed æque ut spiritus vivificare valeat. Si enim, ut Ambrosius in Lucam testatur, caro electorum seminata in infirmitate, cum surrexerit in virtute, credenda est cum suo spiritu æqualis potentiæ; quanto magis caro Dei, quæ, licet mortua sit ex nostra infirmitate, vivit in sua virtute, recte ac pie creditur unius indifferentis gloriæ ac potentiæ cum sua divinitate in Christo, quem non in sua persona, ut vos dicitis, Patri subjectum, sed in suis membris, ut Ambrosius asserit, confitemur subjiciendum? Auctoritates autem nostræ assertioni consonas, qui volet, inveniet in subsequenti collectario aggregatas.

IV. Hilarius de sancta Trinitate in libro tertio super illud: *Clarifica me, Pater, apud temetipsum.* « Nunc autem quid est, quod apud Patrem clarificationis exspectat? Nempe hoc, quod habuit apud Patrem, priusquam mundus esset. Habuit plenitudinem divinitatis, atque habet; namque Dei Filius est, et hominis esse cœperat Filius: erat enim Verbum caro factum. Non amiserat, quod erat, sed cœperat esse quod non erat. Non de suo destiterat; sed quod nostrum est, acceperat. Profectum ejus, quam acceperat, claritatis expostulat, unde non destitit. Ergo quia Filius est Verbum, et Verbum caro factum, et Deus Verbum, et hoc in principio apud Deum, et Verbum ante constitutionem mundi, Filius nunc caro factus orabat, ut hoc Patri inciperet esse caro, quod Verbum; ut id quod de tempore erat, gloriam ejus, quæ sine tempore est, claritatis acciperet; ut in Dei virtutem, et spiritus incorruptionem informata carnis corruptio absorberetur. »

V. Idem in nono libro super hoc: *Nunc clarificatus est Filius hominis, et Deus honorificatus est in eo* (*Joan.* XIII, 31). « Si Deus honorificatus est in eo, et Deus honorificabit eum in se, et Deus protinus honorificabit eum. Primam, inquam, dicti Dominici significationem non ambiguam existimo, cum ait; *nunc honorificatus est Filius hominis.* Gloria enim omnis non Verbo acquirebatur, sed carni, id est non naturæ Dei, sed nati hominis dispensationi. Hoc vero, quod sequitur, quid significet, interrogo: *et Deus honorificatus est in eo.* Honorificatum enim in eo Deum audio, et quid istud sit, secundum intelligentiam tuam, hæretice, ignoro. Deus in eo honorificatus est, in Filio utique hominis. Et quæro an Filius hominis idem et Filius Dei, et cum non sit aliud hominis, neque aliud Filius Dei: *Verbum enim caro factum est;* et cum, qui Filius Dei, ipse et hominis sit Filius, requiro, quis in hoc Filio hominis, qui et Filius Dei est, glorificatus sit Deus? et quia in Filio hominis, qui et Filius Dei est, glorificatus est Deus, videamus quid sit, quod tertio subditur: *Si Deus glorificatus est in eo, et Deus glorificavit eum in se.* Quod istud, rogo, sacramenti mysterium est? Deus in Filio hominis glorificato glorificatum Deum glorificat in sese. In Filio hominis gloria Dei est, et gloria Dei gloria Filii hominis. Deus glorificat in sese, homo utique non per se glorificatur. Neque rursum in homine glorificatur Deus, licet gloriam accipiat, non tamen aliud ipse, quam Deus est. At vero cum, glorificato Filio hominis, glorificans Deum, Deus glorificat in sese, invenio naturæ gloriam in gloriam naturæ, gloriam glorificantis assumi. Non enim se Deus glorificat, sed glorificatum in homine Deum, glorificat in sese. Quod autem glorificat in sese, licet non se glorificet, tamen in naturæ suæ gloriam, gloriam glorificati assumit, et cum glorificans Deum, Deusque glorificatus in homine sit, glorificat in sese eum, quem glorificavit Deum in se inesse demonstrat, cum eum glorificat in sese. »

VI. Idem in eodem: « Glorificaturus Filium Pater major est; glorificatus in Patre Filius minor non est. Aut quomodo minor est, qui in gloria Dei Patris est? Aut nunquid Pater major non est? Major utique Pater est, dum Pater est; sed Filius, dum Filius est, minor non est. Nativitas Filii Patrem constituit majorem; minorem vero esse Filium nativitatis natura non patitur. Major Pater est, dum gloriam assumpto homini rogatur, ut reddat; Filius minor non est, dum gloriam resumit apud Patrem. »

VII. Item Leo papa Magnus in sermone de passione Domini: « Ita Deus univit sibi hominem; ut nihil assumenti humanum, nihil assumpto desit divinum. »

VIII. Item Caius papa, et martyr: « Cum unus sit Dominus Jesus Christus, et veræ Deitatis, veræque humanitatis, in ipso prorsus uno una prorsus, eademque persona sit; exaltatione tamen, qua illum ut doctor gentium dicit, exaltavit Deus, et donavit illi nomen, quod super omne nomen excellit, ad eam intelligimus pertinere formam, quæ ditanda erat tanto glorificationis augmento. In forma quippe Dei æqualis erat Filius Patri, et inter genitorem, atque unigenitum nulla erat in essentia discretio, nulla in majestate diversitas. Nec per incarnationis

mysterium aliquid decesserat Verbo, quod ei Patris A munere redderetur. Forma autem servi, per quam impassibilis deitas sacramentum magnæ pietatis implevit, humana humilitas est, quæ in gloriam divinæ potestatis evecta est. »

IX. Item Leo papa in sermone ad populum : « Ad sananda fidelium cordium vulnera clavorum et lanceæ servata erant vestigia; ut non dubia fide, sed constantissima scientia teneretur, eam naturam in Dei Patris consessuram throno, quæ jacuerat in sepulcro. »

X. Idem in sermone de ascensione Domini : « Magna, et ineffabilis erat causa gaudendi, cum in conspectu sanctæ multitudinis super omnium creaturarum cœlestium dignitatem humani generis natura conscenderet, supergressura angelicos ordines, B et archangelorum altitudines elevanda, nec ultra ullis sublimitatibus modum suæ profectionis habitura, in æterni Patris recepta consessu illius gloriæ sociaretur in throno, cujus naturæ copulabatur in Filio. »

XI. Cyrillus episcopus in Ephesino concilio contra Nestorium : « Si quis, » inquit, « non confitetur carnem Christi vivificatricem esse tanquam ipsius Verbi Dei Patris, sed quasi alterius cujuspiam præter ipsum, conjuncti quidem secundum dignitatem, aut tanquam secundum quod solam divinam habitationem habuerit, et non potius, sicut dixi, vivificatricem esse, quia facta est propria Verbi Dei, cui omnia vivificare possibile est, anathema sit. » C

XII. Item idem in eodem : « Si quis audet assumptum hominem cum Verbo coadorari cum Deo Verbo oportere, et conglorificari, et connuncupari Deum, tanquam alterum alteri adjectum (adjectio enim syllabæ unius, id est, co, hoc cogit intelligi) et non magis una reverentia veneretur Emmanuel, unamque glorificationem dependit, secundum quod Verbum factum est caro, anathema sit. »

XIII. Ambrosius in quintô libro De Trinitate ad Gratianum Imp. : « Apostolicum capitulum recenseamus : *Novissime*, inquit, *inimica destruetur mors. Omnia enim subjecit sub pedibus ejus. Cum autem subjecta illi fuerint omnia, tunc et ipse subjectus erit ei, qui sibi subjecit omnia* (*I Cor.* xv, 26). Videmus ergo quia non eum subjectum, sed subjiciendum D esse Scriptura commemorat. Sicut enim si in me concupiscat caro adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, non videor esse subjectus : ita quia omnis Ecclesia unum corpus est Christi, quandiu genus dissentit humanum, Christum dividimus. Nondum ergo subjectus est Christus, cujus non sunt adhuc membra subjecta. Cum autem fuerimus non multa membra, sed unus spiritus, tunc et ipse subjectus erit; ut per ipsius subjectionem sit Deus omnia in omnibus. »

XIV. Item post pauca : « Sicut in illo per carnem illam, quæ est pignus nostræ salutis, nos sedere in cœlestibus Apostolus dixit, utique non sedentes : sic et ille per nostræ assumptionem naturæ dicitur subjectus in nobis. Item scriptum est : *quia cum mortui essemus peccatis, convivificavit nos in Christo, cujus gratia salvi facti estis, et simul suscitavit, simul consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu* (*Ephes.* ii, 5). Agnosco scriptum, sed non ut homines sedere ad dexteram sibi patiatur Deus; sed ut in Christo sedere, quia ipse est omnium fundamentum, et ipse est caput Ecclesiæ, in quo communis secundum carnem natura prærogativam sedis cœlestis emeruit. In Christo enim Deo caro, in carne autem humani natura generis omnium hominum particeps honoratur. Sicut ergo nos in illo sedemus per corporeæ communionem naturæ : ita et ille per susceptionem nostræ carnis maledictum pro nobis factus est; cum maledictum utique in benedictum Dei Filium non cadat. Ita, inquam, et ille per obedientiam omnium erit subjectus in nobis, cum gentilis crediderit, cum Judæus agnoverit, quem crucifixit, cum Manichæus adoraverit, quem in carne venisse non credidit, cum Arianus omnipotentem confessus fuerit, quem negavit, cum postremo in omnibus fuerit sapientia Dei, justitia, pax, charitas, resurrectio. Per sua ergo opera Christus, et genera diversa virtutum erit in nobis Patri subditus; cum vitiis abdicatis, et feriante delicto unus in omnibus Deo cœperit uno sensu populorum omnium spiritus adhærere. Tunc erit Deus omnia et in omnibus. Conclusionem ergo totius absolutionis breviter colligamus. Unitas potestatis opinionem injuriosæ subjectionis excludit. Evacuatio potestatis, et victoria de morte quæsita triumphatoris utique non minuit potestatem. Subjectionem operatur obedientia, obedientiam Christus assumpsit; obedientiam usque ad crucem, crux ad salutem. Ergo ubi opus, ibi et auctor operis. Cum igitur omnia Christo subjecta fuerint per obedientiam Christi; ut in nomine ejus omne genu flectatur (nunc enim quia non omnes credunt, non videntur omnes subjecti), cum omnes ergo crediderint, et Dei fecerint voluntatem, erit omnia, et in omnibus Christus. Cum Christus fuerit omnia, et in omnibus, erit omnia, et in omnibus Deus, quia Pater semper manet in Filio. Hæc est piæ subjectionis interpretatio. »

XV. Item alibi : « quod si quæris, quemadmodum sit subjectus in nobis; ipse ostendit, dicens : *In carcere eram, et venistis ad me; infirmus eram, et venistis ad me? quod enim uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* xxv, 36). In eo infirmus, in quo subjectus. »

MONITUM IN SUBSEQUENS OPUSCULUM.

(D. B. Pezius, *Anecdot.* t. I, præf., p. lxix.)

—

Libellus sequens in codice Petrensi in 4, coævo. hunc titulum retinet : « De gloria et honore Filii hominis. » Inscriptum id est B. Hartmanno episcopo Brixiensi, cui plures lucubrationes Gerhohus censendas commisit. In eo præcipue adversus eos agit qui difficiliora sua in diversis opusculis dicta de adorando in Christo homine ita accipiebant, uti si affirmasset, « humanitatem, qua homo est homo, quæque ipsa non est homo, in Dei gloria summe glorificatam esse, » cum in Gerhohus « de humanitate, quæ est homo, ex anima rationali et humana carne subsistens, » intellexerit. Itaque docet ex diversis Patribus in hoc opere, sane subtili ac docto, si quod aliud scripsit Gerhohus, Christum hominem non solum dulia, *sed etiam* latria *adorandum esse, cum « Christus, qui et divinitate Deus, et humanitate homo est, non possit vere intelligi homo, nisi cum Verbo, quod caro factum est, »* etc. *Capiti* 12 *inserta est epistola Brunonis ep. Argentinensis, qua mirificis laudibus extollit doctrinam Gerhohi, cui diversi in diœcesi Salisburgensi, Pataviensi et Babenbergensi adversarii negotium facessebant, maxime Folmarus ille, cujus errores cap.* 13 *et seqq. confutat.*

EXPOSITIO IN PSALMUM LXIV

SIVE

LIBER DE CORRUPTO ECCLESIÆ STATU.

(Hoc ven. Gerhohi opusculum, antea seorsim editum, Commentario in Psalterium supra edito restituimus.)

VEN. GERHOHI

PRÆPOSITI REICHERSPERGENSIS

OPUSCULUM

DE GLORIA ET HONORE FILII HOMINIS.

(Edidit D. B. Pezius, *Anecdot.* tom. I, col. 163; rursus typis commisit Galland. *Vet. Patr. Biblioth.* t. XIV, col. 595, quem sequimur.)

—

GERHOHI EPISTOLA

AD HARTMANNUM EPISCOPUM BRIXIENSEM

—

Domino Hartmanno venerabilis Ecclesiæ Brixiensis antistiti, frater G. de Richersperge devotas orationes cum fideli obsequio.

Sicut promisi coram præsentia vestra, omnia præcipua scripta mea diligentissime pertractavi. Sed nihil, Deo gratias, inveni in eis quod recte in- A tellectum sit contra fidem. Sane quæ ambigue possent intelligi, ne sui obscuritate vel ambiguitate aliquem turbent, sicut in opusculo subjecto dilucidare studui, ut sobrios lectores non offendant. Si autem lectores ebrii, scholastico potius quam theologico vino ultra modum potati offenduntur in

scriptis meis, ignoscendum est illis, nisi forte ita fuerint obstinati ut acquiescere nolint sanctorum Patrum testimoniis certis et apertis, quibus nostra scripta concordare in opusculo subjecto monstravimus. Quod proinde sermone agresti compegimus, ut simplicibus quoque lectoribus in promptu sit hic invenire thesaurum in agro styli agrestis absconditum, et facile inveniendum non his qui semper errant corde, quibus est oculus nequam, sed humilibus et benevolis lectoribus, quibus est oculus columbinus et simplex, totum corpus lucidum faciens.

Talem oculum sciens vestrum esse post dominum archiepiscopum, cui hoc primitus obtuli utpote ad illius personam dictatum, vobis quoque offero præsens opusculum legendum, vestrisque fidelibus ostendendum, atque mihi per latorem præsentium remittendum. Credo autem vobis non solum esse oculos columbæ deargentatæ, quibus alatus possitis ita volare, ut non teneamini aranearum telis, licet subtiliter contextis, attamen ita fragilibus, ut nonnisi muscas aut culices tenere valeant. Nimirum talia sunt scholasticæ subtilitatis argumenta, quibus homini assumpto in Deum nimis derogatur, dum negatur æque Altissimus ut Deus Pater ejus. Cum Deus assumens et homo assumptus, non duo sint Altissimi sed unus Altissimus, in assumpta natura, æternaliter gloriosus, et in assumpta summa gloria et summa potentia usque ad summum sublimatus.

Hanc fidem vobis, charissime Pater, esse non dubito. Sed ne aliam fidem docentibus moveamini, mitto vobis in opusculo præsenti multas auctoritates consonantes nostræ fidei, quas rogo dignemini attendere, mihique breviter quid vobis videatur significare.

INCIPIT LIBER.

I. Tibi, venerande Pater Eberharde Salisburgensis Ecclesiæ metropolitane, ad memoriam reduco; quod ubi primo in psalmos quædam scribere cœpi, te scriptorum meorum lectorem et correctorem elegi, simulque dominum beatæ memoriæ Frisingensem episcopum Othonem, virum prudentem et valenter litteratum, paratus emendare, si quid in scriptis meis inveniretur, unde jure offenderetur animus vel simpliciter vel insidiose legentium. Et ecce adhuc sum paratus ad id ipsum juxta legis edictum. In qua per Moysen Dominus loquitur. dicens: *Cum obtuleris sacrificium coctum in clibano de simila, panes scilicet absque fermento conspersos oleo, lagana azyma oleo lita: si oblatio tua fuerit de sartagine similæ conspersæ oleo et absque fermento, divides eam minutatim, et fundes supra oleum. Sin autem de craticula sacrificium, æque simila eo conspergetur* (*Levit.* II, 4-7).

II. Ei qui similam verbi Dei coquit in clibano, id est Scripturam sacram tractat in Spiritu sancto, panes faciens absque omnis hæreticæ pravitatis vel vanæ gloriæ fermento, conspersos, ut prædictum est, charitatis oleo; ei, inquam, persecutio semper est. Aut enim ab his, qui intus sunt, falsis fratribus illi derogatur; aut ab illis qui foris sunt, impiis et sine Deo hominibus manifestius impugnatur. Ait ergo: *Si oblatio tua fuerit de sartagine, similæ conspersæ oleo et absque fermento.* Id est si intus habueris pugnas verborum a falsis fratribus pro sacræ studio Scripturæ, quam cum charitatis oleo et absque falsitatis tractaveris fermento, *divides eam minutatim*, id est diligentissime singula dicta discuties, ne forte quidpiam juste reprehendi possit. *Et fundes supra oleum;* similæ oleo jam conspersæ, iterum minutatim divisæ, supra fundens oleum, id est Scripturæ sacræ per charitatem elucidatæ, iterum singillatim retracta [*f.* retractatæ] adversus contradictores non amaritudinis zelo, sed ardentioris, ut eos lucrifacias, superaddes ejusdem charitatis oleum.

III. Sartago vas a strepitu soni est vocatum. Sonat enim et strepit, dum in ea frigitur oleum. Internum ergo significat divinæ æmulationis incendium, id est interius personantem ac perstrepentem falsorum fratrum invidiam. Porro *craticula* apertam illorum, qui foris sunt, signat malitiam; qui sanctos homines veritatis similam Deo sacrificantes corporaliter quoque distentos subjectis incendiis conflagraverunt. Illic quoque *oleum conspergitur*. Corpore namque assato charitas exundat et ebullit ferventius. Ait ergo: *Sin autem de craticula sacrificium, æque simila oleo conspergetur.* Notandum quod si de sartagine est oblatio, minutatim dividi, et sic oleum supra fundi jubetur. Sin autem de craticula, non minutatim dividi, sed tantum oleo conspergi imperatur. Nam contra falsos fratres, qui sub nomine Christiano veritati insidiantur, diligentissima divisione, ac subtili discretionis minutatione opus est. Quippe qui sub iisdem nominibus, quibus pro fide utimur, et ipsi malitiose delitescentes contra fidem nituntur Unde Dominus noster: *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces* (*Matth.* VII, 15). Cæterum contra eos, qui Christi nomen oderunt, non adeo dubia vel subtilis pugna est. Illic enim quasi in plano campo hostem

dignoscere valet simplicitas quoque rusticorum fidelium. Nam, sicut ipse Dominus noster, cum a Judæorum pontificibus, Scribis ac Pharisæis, tanquam in sartagine stridula, seditioso strepitu, quæstiunculis objectis frigeretur; subtili Scripturarum commemoratione causam justitiæ suæ tuebatur. Cum autem coram Pilato staret, nihil cum illo de Scripturis est locutus. Sic electi ejus discipuli, quoties ab eis, qui Scripturarum notitiam profitentur, quæstionibus perversis inquietantur, oportet ut de Scripturis vigilanter respondendo, verba sua quasi minutatim dividant. Quoties autem ab eis tribulantur, qui Scripturas non recipiunt, vel earum non habent auditum, sermonem de hujusmodi non effundant.

IV. Sequitur in eodem sanctæ legis mandato: *Quam offerens Domino, trades manibus sacerdotis; qui fundet super eam oleum, et ponet thus* (*Levit.* II, 1). Oleum charitatem, thus bonæ famæ significat odorem. Hoc ergo sermo divinus præcipit ut sacerdos, qui similam sic minutatim examinatam de manu offerentis accipit, lucidæ charitatis liquamine illam condire, atque apud eos qui foris sunt, bono testimonio commendare satagat. Fecit hoc sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, papa Eugenius: qui acceptam de manu mea similam quam gratanter acceperit, quam lucido charitatis oculo illam aspexerit, cujusque odoris apud illum fuerit: satis indicant ejus litteræ, quæ ita se habent:

V. « EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei dilecto filio G. Reicherspergensi præposito salutem et apostolicam benedictionem.

« Scripta devotionis tuæ benigne recepimus, fervorem tuæ religionis ex eorum inspectione manifeste cognovimus, concaluit cor tuum intra te, et in meditatione tua exardescet ignis; ignitum quoque eloquium tuum vehementer. Super hoc itaque quod contra pessimas novitates; commotiones quoque, quæ contra Ecclesiam Dei oriuntur, te zelo charitatis exardescere cognoverimus, paterno affectu gaudemus, et devotionem tuam in Domino collaudamus. Verum quia bonum est incipere, sed multo melius consummare; dilectionem tuam in Domino commonemus, ut in bono proposito firmiter perseveres. Quia nos personam tuam, tanquam litteratum et religiosum virum paterna charitate diligimus, et in quibus secundum Deum possumus, honorare et manutenere volumus.

« Data Sutrii XVII Kal. Junii. »

VI. Post Eugenium vero non est inventus similis illi in Ecclesia Romana pontifex, qui scriptis meis ita benigne arrideret, qui oleum superfunderet ac thus poneret quia qui ei postea successerunt, non ita me habuerunt notum, ut ille. Attamen scripta mea quasi similam diligentissime tritam papæ Anastasio misi, quibus ille non respondit: qua de causa non judico. Similiter Adriano papæ, cum esset Beneventi agens illic de concordia inter se ac Siculum tyrannum, præsentatus est *libellus ad ipsum dictatus, in quo novitates hujus temporis magna ex parte congessi*, atque ab illo responsum petii: quo vel approbaret vel improbaret, quæ sensi et sentio, paratus illi per omnia consentire, quia nunquam in doctrina fidei a sancta Romana Ecclesia dissentire volo. Cujus pontifices a beatæ memoriæ Calixto papa ad jam dictum papam Eugenium sic me habuerunt notum, et gratia sui gratum et charum, ut eorum charitas esset mihi pro liquamine olei dictis et scripturis meis ordinate superfusi, atque pro thure odorifero gratia eorum redoleret mihi sæpe ad ipsos et sæpius ad dominos cardinales aliqua scribenti. Sicut nuperrime ad dominum Heinricum cardinalem presbyterum sanctorum Nerei et Achillei dictavi ex ejus petitione *opusculum de fide, illud exponens: Mulierem fortem quis inveniet?* (*Prov.* XXXI, 10.)

VII. Romanis autem pontificibus Anastasio et Adriano licet nonnulla scripserim, nullum potui responsum ad quæstiones meas extorquere: puto non ob aliud, nisi quia erant occupati et turbati erga plurima. Nuper autem suscepi scripta papæ Alexandri spondentis, quod velit me habere in gratia sicut antecessores sui; gratias igitur habeo ipsi ad me scribenti, cum ego adhuc nihil scripserim ad eum, præpeditus per chaos magnum, quod est inter nos et ipsum; ita ut his, qui volunt hinc transire ad ipsum, vel ab ipso ad nos, obsistat impedimentum grande illius discordiæ, quæ inter sacerdotium et imperium suscitata est peccatis exigentibus, quia vita rectorum pro meritis disponitur subditorum. Dum itaque in sacrificio nostro sartaginis auditur sonitus et strepitus, neque ad Romanum pontificem liber a nobis accessus patet: quasi loco ipsius, tu, archiepiscope Juvariensis Ecclesiæ, pro illo mihi es electus ex millibus: cujus etiam hortatu hæc scribo; ut simila per me tibi oblata et minutatim examinata, ubi apparebit acceptabilis, tuæ charitatis oleo condiatur, et thure odoriferi testimonii tui contra æmulos defendatur.

CAPUT PRIMUM.

Quomodo id accipiendum in scripturis Gerhohi: « Christus natus est in cœlo sine matre; in terra sine patre. » Proponit novorum Nestorianorum dogma, qui duce magistro Gisilberto, Christum dividunt in duos filios, hominem et Deum, alterum de virgine, alterum de Patre Deo generatum, ac proinde hominem Filium hominis naturalem, a Deo adoptatum in filium aiunt, nec esse in gloria Patris, etc.

I. Sunt autem in scriptis meis duo offendicula, ut dicitur, præcipua videlicet quod « hominem dico esse in gloria Dei patris; quodque ipsum hominem dico esse Patris naturalem et unicum Filium, eo quod conceptionem ejus astruo non sine Deo Patre peractam in Virgine, qui misit misericordiam suam et veritatem suam in utero Virginis. Unde in ea, misericordia et veritas obviaverunt sibi; et veritas de terra orta est, quæ in cœlo æternaliter oriens

ex alto, in ortu illo non habet matrem, sed solum Deum patrem. In ortu vero, quo de terra virgineæ carnis ortus est, nil quidem operatus est pater carnalis; operatus est autem, pater ille spiritalis, qui misit Verbum suum in utero Virginis incarnandum; quo virgo imprægnata, Deum nobis protulit, Filium Dei, eumdemque filium suum naturalem. Quo dicto simplices offendi possunt, lectitantes de Christo; quod sit natus in cœlo sine matre, in terra sine patre : hoc non attendentes quod, licet in cœlesti et æterna generatione omnino caruerit matre, non tamen in terra et de terra ortus caruit penitus omni patre : cui et Joseph vir Mariæ fuit pater adoptivus; et Deus, qui virginem Verbo suo per Spiritum sanctum fecundavit, pater est naturalis. Proinde cum legitur : « In terra sine patre, » subaudiendum est, carnali carnaliter generante, quia sine tali Patre mater Virgo illum concepit, solo Deo in illa operante, ut quod nasceretur ex ea, vocaretur Filius Dei.

II. Attamen ut idem ipse ostenderetur in terra quoque non caruisse omnino patre vel patribus, ex quibus ipse Christus erat secundum carnem, dictus est etiam *filius David filii Abrahæ* (*Matth.* I, 1); neque ipse abnuit se nominari *filium David*, cum diceretur ei : *Miserere mei, fili David* (*Matth.* XV, 22). Item : *Hosanna filio David* (*Matth.* XXI, 9), quia recognovit se filium David, non solum secundum carnem, sed et secundum promissionem. Sicut enim promissus est Abrahæ homo de semine ipsius nasciturus, ita quoque promissus est regi David rex de fructu ventris sui super solium ipsius exaltandus; dicente ad illum Deo : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Psal.* CXXXI, 11). Non est ergo falsa intitulatio libri generationis Jesu Christi filii David, filii Abrahæ; quia duobus illis patribus erat specialiter promissus : et ex eis quoque secundum carnem, simulque secundum promissionem generatus est. Quia enim promittenti Deo crediderunt, ipsa fides reputata est illis ad justitiam, et ex merito ipsius fidei recte dicuntur patres Christi. De cujus genealogia tres reges in Matthæo inveniuntur excisi, qui non habuerunt fidem ipsius venturi; imo et persecuti sunt sanctos prophetas de ipso loquentes. Merito ergo, ut dictum est, excisi sunt, et abscissi quasi rami aridi; ubi dictum est : *Joram genuit Oziam* (*Matth.* I, 8), prætermissis tribus regibus, Ochozia, Joas, Amasia, quibus nihil profuit quod ex eorum carne descendit Christus, quia increduli erant ejus præconibus, quos etiam persecuti sunt. Ac proinde non sunt patres Christi nominandi, sicut Abraham et David, quorum filius est Christus secundum repromissionis fidem.

III. In his ergo prænotatis offendiculis cavendum videtur ne scandalizentur pusilli Christi, qui cum sint pusillæ ac modicæ fidei, facile scandalizari poterunt; dum, quod in fide catholica involutum continetur, aliqua ex parte revelatur ac distinguitur A cogentibus illis tauris, qui lascivire ac insanire sinuntur *in vaccis populorum, ut excludant eos qui probati sunt in argento* (*Psal.* LXVII, 31). Neque enim pavida mortalium corda præsumerent arcana fidei scrutari, nisi cogente permaxima necessitate, pullulantibus hæresibus novis, aut, quod pejus est, repullulantibus antiquis, olim damnatis. Ita in diebus nostris « reviret Nestorius, dividens Christum in duos filios, hominem et Deum; alterum de Virgine, alterum de Patre Deo generatum. Ac proinde hominem Filium hominis naturalem, a Deo adoptatum in Filium, aiunt, hujus temporis Nestoriani, nec esse in gloria Patris; nec habere nomen, quod est super omne nomen. » Quam doctrinam pravam ne ipsi videamur finxisse, atque aliis falso B imposuisse; cum plures audierimus auctoritate magistri Giselberti hoc asserentes, ipsius verba ponamus. Etenim glossando Apostolum, et exponens illud : *Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit ei nomen, quod est super omne nomen*, dicit inter cætera (*Philipp.* II, 9) : « Quibusdam videtur hoc nomen datum homini, quod nulla ratione convenit. Hoc enim donum est Dei esse filium, hoc nomen esse Deum, quod non per solam appellationem, sed per naturam super omne nomen est, quod non post passionem, sed potius a Patre, a quo habet omnia, cum generaretur accipit. Hoc ergo non est homini datum, nisi quis dicat per adoptionem esse datum. Sed adoptivo Deo non flectitur omne C genu, nec est in gloria Dei Patris : nam nato ex Deo hoc competit. Dicit tamen Apostolus, propter hoc dedit illi Deus nomen, quod est super omne nomen. Quod ideo dicit quia natus accepit, ut post crucem manifestaretur : quod a Patre, dum generaretur, accepit. »

CAPUT II.

Id in epistola sua ad Eberhardum ep. Babenbergensem : « Humanitas in Dei gloria summe glorificata est, » non de humanitate, qua homo est homo, quæque ipsa non est homo; sed de humanitate, quæ est homo ex anima rationali, et humana carne subsistens, intelligendum esse docet, existimarique, minus recte dici « hominem in Christo fuisse deificatum. »

1. Hujus doctrinæ fermento, cum sentirem plu- D res infectos, quorum et scripta legi, et dicta frequenter audivi : contra eos in scriptis meis talem pro modulo meo studui erigere turrim, qualis in Canticis canticorum describitur; ubi sponsæ dicitur : *Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum* (*Cant.* VII, 4). Denique sicut naso fetores et odores discernuntur, sic per spiritum discretionis in doctrina fidei a falsis vera distinguuntur. Quod permaxime necessarium est, ubi cives Damasceni contra cives Jerusalem dimicantes, antiquos fidei terminos confundunt atque diminuunt. Qui homini assumpto in Deum, negant esse nomen datum, quod est super omne nomen, detrahuntque illi gloriam, qua coronatus in dextera Dei sedet, coæqualis illi secundum divinitatem, sed minor se-

cundum humanitatem. Quod, quia visus fui negasse in epistola domino Babenbergensi missa, hæc ipsa epistola videtur hic aliquatenus determinanda. In qua cum astruxerim « humanitatem in Dei gloria summe glorificatam, » sobrius lector debet intellexisse non humanitatem, qua homo est homo, quæque ipsa non est homo (ut asserit Boetius in libro De Trinitate) sed humanitatem, quæ homo est ex anima rationali et humana carne subsistens. Nam utroque modo solet accipi nomen « humanitatis. » Quod, ne longe petatur exemplum in ipsa fide Athanasii, potest animadverti. Quippe ubi de Christo loquens dicit, « minor Patre secundum humanitatem, » recte intelligitur humanitas, « qua homo est; » non « quæ homo est. » De qua humanitate in præfata epistola satis est ostensum; quod neque per miseriam decrescit, neque per gloriam crescit. Quia non minus est homo Judas in inferno quam Petrus in cœlo, neque ille in cœlo magis est homo quam Judas in inferno, et homo peccati filius perditionis non magis vel minus est homo quam Filius hominis in cœlo. Ac proinde recte de illo secundum hunc sensum dicitur minor Patre secundum humanitatem : quanquam illa singularis humanitas, qua non solum homo est homo, sed et qua Deus est homo, longe superexcellat omnem dignitatem angelorum et hominum sanctorum, qui puri sunt homines. Quam nimirum, propter suæ dignitatis excellentiam et reverentiam, extra omnium hominum qui puri sunt homines congeriem segregatam, si in omnibus hominibus puram et nudam intendimus humanitatem, procul dubio invenimus eam sic in omnibus hominibus invariabilem, ut quodammodo imitetur æternitatem, ad cujus imaginem facta est; licet alius homo, alio plus miser, et beatus inveniatur, et inter miseros Antichristus miserrimus, atque inter beatos ille habetur beatissimus, de quo legitur : *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum* (*Psal.* I, 1), etc.

II. Revera supra omnes beatos, beatus vir seu homo prædicandus est is, qui neque originali neque actuali macula inquinatus, nobis pontifex factus est impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis factus, non per humanitatis naturam seu per solam gratiam. At non minus est homo is, cui dicitur : *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* (*Psal.* LI, 3.) Sequitur enim : *Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum* (*ibid.*, 9). Et de Christo in Evangelio dictum est : *Ecce homo!* (*Joan.* XIX, 5.) et hoc in psalmo de Antichristo iterum dictum est : *Ecce homo.* Sed iste a Deo projectus ut Saul; ille vero in Deum assumptus est, meliusque unctus quam David; ita ut homo ex anima rationali et humana carne subsistens, assumptus in Deum, et assumptor ejus Deus non sint quidam duo, sed quidam unus : « Unde Athanasius, unus omnino non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. » Recte hic « non humanitas, qua homo

A est, » intelligitur; quia non ita est assumpta in Deum, ut ipsa sit Deus, quanquam sit in homine Deo, sed « quæ homo » est ex anima rationali et humana carne subsistens, qui assumptus est in Deum, ut sit Deus, permanens tamen homo, et in æternum permansurus « æqualis Patri secundum divinitatem, et minor secundum humanitatem; » minor, inquam, non secundum divinitatis omnipotentiam sibi Deo divinitus innatam et sibi homini ex tempore datam, sicut ipse testatur dicens : *Data est mihi omnis potentia in cœlo et in terra* (*Matth.* XXVIII, 18). Non ergo minor, postquam accepit in gratia, quod non habuit in natura. In natura, inquam, necdum assumpta. Nam postquam est assumpta, nunquam caruit omnipotentia, ipsa videlicet natura humana, id est B anima rationalis et caro : quæ in conceptione, ubi formata in personam cœpit habere nomen hominis perfecti, simul etiam nomen Dei perfecti accepit, ut sit « perfectus Deus, perfectus homo. » Qui licet fuerit parvulus natus, et nobis in cunabulis datus, tamen jam dono Patris, non ad mensuram magnificatus, donanti est in omnipotentia coæquatus. Unde Hilarius in lib. De Trinit. ait : « Si ergo donantis auctoritate Pater major est, nunquid per doni confessionem minor Filius est? Major itaque donans est, sed minor jam non est, cui unum esse donatur. Si hoc non donatur Jesu, ut confitendus sit in gloria Dei Patris, minor Patre est. Si autem C in ea gloria donatur ei esse, in qua Pater est : habet et in donantis auctoritate quia major est; et in donati confessione, quia unum sunt. Item : Major Pater est, dum gloriam assumpto homini rogatur ut reddat; Filius minor non est, dum gloriam resumit apud Patrem. Item : Glorificaturus Filium Pater major est; glorificatus in Patre Filius minor non est. »

III. His inspectis, apparet quod *homini data est omnis potentia in cœlo et in terra.* Cujus nimirum potentiæ, imo magis omnipotentiæ, nulla est inæqualitas, cum Deus assumens vel homo assumptus in eum dicitur omnipotens, quia Deus et homo non duo sunt omnipotentes, sed unus omnipotens. Et licet Deus in se hominem exaltaverit, tamen exaltans et exaltatus non duo sunt altissimi sed unus D Altissimus; natura divina humanam deificante, ut Deus et homo, non duo sint dii, sed unus est Deus. In quo Deo et homine, licet natura deificata et divina deificans possit intelligi, tamen homo Deus, qui est persona humana simul et divina « deificatus » dici non debet, ne malus inde generetur intellectus, ex hoc dicto concipiens fuisse Christum hominem priusquam acceperit Deitatem. Propter quem intellectum cavendum prohibet Joannes Damascenus dici « hominem deificatum : » quem tamen confitetur esse Deum. Ne ergo aliquis offendatur in « expositione primi psalmi, » ubi scripsi « de homine deificato; » vel per nomen hominis, naturam, non personam intelligat vel meam correctionem ibidem oppositam diligenter animad-

vertat. Dum enim locutus fuissem de homine deificato, statim apposui, « imo Deo facto et in Deum nato : » quem et asserui « Altissimum, » utpote verum Deum Dei Filium. Facit autem et hoc pro nobis, quod Gregorius Nazianzenus in sua quadam epistola, Ephesino concilio inserta, manifeste affirmat « Deum humanatum, et hominem deificatum. » Quæ nimirum deificatio non est aliud quam hominis ad summa provectio : ut sit Altissimus, quo nomine solus Deus, est nominandus. Ac proinde homo, qui Deus est, nomine sibi dato, quod est super omne nomen, recte dicitur Altissimus.

CAPUT III.

Hominem in Christo « altissimum » recte dici, nec huic doctrinæ Paulum (I Cor. xv, 25, 26) obsistere Hilarii, Ambrosii, synodi Syrmiensis et Hieronymi auctoritate demonstrat.

I. Sed dicit adversarius : Quomodo est *altissimus homo*, qui etiam, cum subjecta ei fuerint omnia, subjectus erit ei, qui sibi subjecit omnia? Hoc enim testatur Apostolus, dicens : *Cum autem subjecta erunt ei omnia, tunc et ipse subjectus erit ei, qui sibi subjecit omnia : ut sit Deus omnia in omnibus* (*I Cor.* xv, 26). Capitulum istud satis copiose pertractatum a sancto Hilario in libro xi, et a sancto Ambrosio in libro *De fide* ad Gratianum imperatorem, et a sancto Hieronymo in epistola, quam scripsit ad Amandum presbyterum, non opus est aliter exponi, quam ab illis est expositum. Legat qui vult, et inveniet illam, de qua nunc agitur, subjectionem gloriosam potius quam contumeliosam, præcipue postquam, sicut ait Leo papa, « infirmitas in virtutem, contumelia transivit in gloriam. » Nam sanctus Hilarius circa finem libri xi. De Trinitate hoc insinuat, quod illa hominis erga Deum subjectio, futura et permansura, non sit aliud, nisi naturæ in naturam concessio; non ut non sit, sed ut melius sit, sicut melius erit corpus humanum spiritui suo in æterna vita subjectum. Talisque subjectio naturæ inferioris in naturæ superioris gloriam provectio est, quando caro ulterius non repugnabit spiritui suo, sed eidem perfecte subjecta fruetur in ipso et cum ipso beatitudine summa.

II. Ne autem quis putet subjectionem voluntariam, qua homo subjicitur Deo glorificatus, in eo deputandam esse ad gloriæ minorationem consideret in synodo apud Sirmium per orthodoxos Patres contra Photinum, Sabellium et Arium celebrata, secundum ipsam quoque divinitatem Unigeniti subjectionem prædicatam : qua Patri Filius legitur : subjectus; neque tamen ex illa subjectione in sua divinitate vel divinitatis gloria minor est intelligendus. Ita enim legitur in synodo illa : « Si quis Dominum et Dominum, Patrem et Filium intelligat, quia Dominum a Domino duos dicat deos, anathema sit. Non enim ita exæquamus vel comparamus Filium Patri; ut subjectum non intelligamus. Neque enim descendit in Sodomam sine Patris voluntate; neque pluit ex se, sed a Domino, auctoritate scilicet Patris; nec sedet a dextera a semetipso, sed audit dicentem Patrem : Sede ad dexteram meam. »

III. Hanc sententiam synodalem beatus Hilarius dilucidans in libro De synodis ita dicit : « Et superiora et consequentia suspicionem, si qua esse in his dictis videbitur, penitus excludunt : ne diversitas dissimilium distantium in Domino et Domino prædicetur, et in eo non comparatur, quia duos deos impium dici sit. Cum enim anathema sit Christum Deum denegans, non potest idcirco profanum videri, duos deos connominari, ne et Christus Deus prædicetur : cum per essentiæ naturalis proprietatem idcirco Deus unus est, quia ex innascibili Deo Patre, qui unus est Deus, unigenitus Filius Dei natus, non aliunde quam ex Deo habeat esse, quod est Deus. Et indifferens ejus, qui genitus est ab eo qui genuit, essentia non potuit esse. Nam indifferentis unum nomen essentiæ est et naturæ. Et vel in eo maxime non comparatur, nec coæquatur Filius Patri, dum subditus per obedientiæ obsequelam est; dum pluit Dominus a Domino dum ad dexteram Dei consedit, cum sibi, ut consideret, dictum sit : Dum mittitur, dum accipit, dum in omnibus voluntati ejus, qui se misit, obsequitur. Sed pietatis subjectio non est essentiæ diminutio, nec religionis officium degenerem facit naturam. Cum per id quod, cum et innascibilis Pater Deus est, et unigenitus Filius Dei Deus sit, et subjectio Filii doceatur, et dignitas, dum ei ipsi illi nonnisi Filius nuncupandus subjicitur. Qui cum Dei Patris sit, tamen sibi ex natura sit, nomen habens non alienum; sed ejus cujus et Filius est; et sit Patri et obsequio subjectus et nomine; ita tamen, ut subjectio nominis, proprietatem naturalis atque indifferentis testetur essentiæ. »

IV. Secundum hæc dicta synodalia, per sanctum Hilarium proposita et exposita, satis claret : quod sicut ipse ait, « pietatis subjectio non est essentiæ diminutio; nec religionis officium degenerem facit naturam. » In quo et subjectio filii docetur et dignitas, dum is, qui Patri subjicitur, filius, non servus, nuncupatur ; et tamen Patri subjectus memoratur, dum pluit, Dominus a Domino, dum mittitur, dum in omnibus voluntati ejus, qui se misit, obsequimur. Neque in his omnibus derogatur ejus dignitati in qua Patri mittenti ipse missus est coæqualis. Cum ergo nec in natura divina subjectionem subsequatur indignitas, ubi divinitas ipsa nec minorata, nec provecta est; quia in seipsa impermutabilis minui vel augeri seu magnificari non potest; eodem modo in natura humana, quæ Deo se per omnia subdendo non ad mensuram clarificata et magnificata est; ita ut contumelia transierit in gloriam, infirmitas in virtutem; subjectio non parit indignitatem aut gloriæ minoritatem. cum, ut jam supra memoravimus, hæc ipsa subjectio secundum Hilarium in undecimo libro hinc disputan-

tem non sit aliud, quam « naturæ inferioris in naturæ superioris gloriam provectio, » in illa persona; quæ una cum Patre ac Spiritu sancto ab angelis et hominibus beatis tota est adoranda indissimili adoratione, ut in sequentibus, Deo donante, monstrabitur. Et hæc quidem nunc dicta sufficiant secundum sensum Hilarii de illa subjectione, quam copiose idem pertractat in undecimo libro.

V. Beatus vero Ambrosius in libro ad Gratianum imperatorem hanc subjectionem Christi membris assignat, ut, cum illa fuerint subjecta, tunc et ipse inveniatur Deo Patri subjectus, eadem veritate, qua nunc esurit, sitit, infirmatur in eisdem suis membris. De quibus dicturus est: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* xxv, 40). Dicit enim inter cætera: « Apostolicum capitulum recenseamus. *Novissime*, inquit, *inimica destruetur mors. Omnia enim subjecit sub pedibus ejus. Cum autem dicat: Omnia subjecta sunt ei, sine dubio præter eum, qui sibi subjecit omnia. Cum autem subjecta illi fuerint omnia, tunc et ipse subjectus erit ei, qui sibi subjecit omnia* (*I Cor.* xv, 27). Videmus igitur, quia nondum subjectum, sed subjiciendum esse Scriptura commemorat. Sicut enim in me si concupiscat caro adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, non videor esse subjectus; ita quia omnis Ecclesia unum corpus est Christi, quandiu genus dissentit humanum, Christum dividimus. Nondum ergo subjectus est Christus, cujus non sunt adhuc membra subjecta. Cum autem fuerimus non multa membra, sed unus spiritus, tunc et ipse subjectus erit: ut per ipsius objectionem sit Deus omnia in omnibus. » Item, post pauca: « Sicut in illo per carnem illam, quæ est pignus nostræ salutis, sedere nos Apostolus in cœlestibus dixit, utique non sedentes; sic et ille per nostræ assumptionem naturæ dicitur subjectus in nobis. » Item: « Scriptum est: *Quia cum mortui essemus peccatis, convivificavit nos in Christo: cujus gratia estis salvi facti; et simul suscitavit, simulque fecit sedere in cœlestibus in Christo Jesu* (*Ephes.* II, 6). Agnosco scriptum, sed non ut homines ad dexteram sedere sibi patiatur Deus, sed ut in Christo sedere; quia ipse est omnium fundamentum et caput Ecclesiæ, in quo communis secundum carnem natura prærogativam sedis cœlestis meruit. In Christo enim Deo caro, in carne autem humani natura generis, omnium hominum particeps honoratur. Sicut ergo nos in illo sedemus per corporeæ communionem naturæ, ita et illi qui per susceptionem nostræ carnis maledictum pro nobis factus est, cum maledictum utique in benedictum Dei Filium non cadat, ita, inquam, et ille per obedientiam omnium erit subjectus in nobis; cum gentilis crediderit, cum Judæus agnoverit quem crucifixit cum Manichæus adoraverit quem in carne venisse non credidit, cum Arianus omnipotentem confessus fuerit quem negavit cum postremo in omnibus fuerit sapientia Dei, justitia, pax, charitas, resurrectio. Per sua ergo
A opera Christus et genera diversa virtutum erit in nobis Patri subditus, cum, vitiis abdicatis et feriante delicto, unus in omnibus Deo cœperit uno sensu populorum omnium spiritus adhærere. Tunc erit Deus omnia et in omnibus. Conclusionem ergo totius absolutionis breviter colligamus. Unitas potestatis opinionem injuriosæ subjectionis excludit. Evacuatio potestatum et victoria de morte quæsita triumphatoris utique non minuit potestatem. Subjectionem operatur obedientia; obedientiam Christus assumpsit; obedientia usque ad crucem, crux ad salutem. Cum igitur omnia Christo subjecta fuerint per obedientiam Christi, ut in nomine ejus omne genu flectatur; tunc erit ipse omnia in omnibus. Nunc enim quia non omnes credunt, non vi-
B dentur omnes esse subjecti. Cum omnes ergo crediderint, et Dei fecerint voluntatem, erit omnia et in omnibus Christus. Cum Christus fuerit omnia et in omnibus, erit omnia et in omnibus Deus quia Pater manet semper in Filio. Hæc est piæ subjectionis interpretatio. » Item: « Quod si quæris, quemadmodum sit subjectus in nobis? ipse ostendit dicens: *In carcere eram, et venistis ad me; infirmus eram, et visitastis me. Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* xxv, 36, 40), in eo infirmus, in quo subjectus, » Hucusque Ambrosius.

VI. Hieronymus vero inter hos duos medius incedit: nam et Hilarium collaudat, et Ambrosii sensum suis verbis iterat, ita scribens ad Amandum pre-
C sbyterum: « Propositio fuit de Apostoli epistola; ubi de resurrectione disputans venit ad eum locum, ubi scriptum est: *Oportet enim eum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus ejus. Omnia enim subjecit sub pedibus ejus. Novissime inimica destruetur mors. Cum autem dixerit, quoniam omnia subjecta sunt ei, haud dubium, quia præter eum, qui subjecit ei omnia* (*I Cor.* xv, 27). Cum vero subjecta ei fuerint omnia, tunc ipse Filius ei subjicitur, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. Et miror te quærere hoc a me voluisse, cum sanctus Hilarius episcopus Pictaviensis undecimum librum contra Arianos hac quæstione et solutione compleverit. Tamen saltem pauca dicamus. Omne in hoc scandalum est, cur Filius
D Patri dicatur subjectus? Quid est turpius vel inferius Patri subjici; quod sæpe pietatis est, et in psalmo scriptum est: *Nonne Deo subjecta erit anima mea?* (*Psal.* LXI, 2) an crucifigi et maledictum crucis afferi? *Maledictus enim omnis qui pendet in ligno* (*Deut.* XXI. 23). Qui ergo maledictus pro nobis factus est ut nos de maledicto liberaret, miraris si pro nobis subjectus sit ut nos Patri faciat subjectos, dicens in Evangelio: *Nemo vadit ad Patrem nisi per me* (*Joan.* XIV, 6); et: *Cum exaltatus fuero omnia traham ad me?* (*Joan.* XII, 32.) Christus in his qui fideles sunt subjectus est Patri, quoniam omnes credentes, imo omnium hominum genus, corporis ipsius membra reputantur. In his autem qui increduli sunt Judæis et ethnicis et hæ-

reticis insubjectus dicitur, quoniam pars membrorum ejus non est subjecta fidei. In fine autem mundi cum omnia membra viderint in subjectis Christum, id est corpus suum, et ipsa subjicientur Christo, id est corpori suo, ut omne Christi corpus subjiciatur Christo et Patri, ut sit Deus omnia in omnibus. Non ait, ut sit Pater omnia in omnibus; sed ut sit Deus omnia in omnibus : quod proprium est nomen Trinitatis, et tam ad Patrem quam et ad Filium et Spiritum sanctum referri potest, ut humanitas subjiciatur divinitati. Humanitatem in hoc loco dicimus, non mansuetudinem et clementiam, quam Græci philanthropiam vocant, sed omne hominum genus. Porro quod ait, *ut sit Deus omnia in omnibus* (*I Cor.* xv, 28), hoc sensu accipiendum est : Dominus itaque salvator noster nunc omnia non est in omnibus, sed pars in singulis : verbi gratia, in Salomone sapientia, in Davide bonitas, in Job patientia, in Daniele cognitio futurorum, in Petro fides, in Phinees et Paulo zelus, in Joanne virginitas, in cæteris cætera. Cum autem omnium rerum finis advenerit; nunc omnia in omnibus erit, ut sanctorum singuli omnes virtutes habeant, et sit Christus totus in omnibus. »

CAPUT IV.

Dictæ doctrinæ non repugnat sanctus Augustinus, nec contumeliæ Christo illatæ. Stabilitur amplius discrimen inter humanitatem, quæ homo est quæque hominis est, et inter humanitatem qua homo est.

I. Videtur autem beatus Augustinus his tribus orthodoxis Patribus oppositus, in primo libro De sancta Trinitate ita dicens : « Contemplabimur Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum, cum mediator Dei et hominum homo Christus Jesus tradiderit regnum Deo et Patri ut jam non interpellet pro nobis mediator et sacerdos noster Filius Dei et hominis. Sed ipse, in quantum sacerdos est, assumpta propter nos forma servi, subjectus sit ei qui illi subjecit omnia, et cui subjecit omnia, ut, in quantum Deus est cum illo nos subjectos habeat, in quantum sacerdos nobiscum illi subjectus. »

II. His Augustini verbis insinuatur nobis ineffabile sacramentum pietatis id credentibus et sperantibus quod hic sacerdos magnus in diebus mortalitatis suæ obtulit in cruce sacrificium propitiationis Patri obediens et subjectus ; ipse in diebus æternitatis offeret holocaustum sempiternæ laudis et gratiarum actionis pro nobis et nobiscum; in hoc ipso nobiscum subjectus Patri, quod nos in ipso et per ipsum mediatorem Deo gratias agemus, ipso præcentore in ista gratiarum actione. Cujus natura humana hoc totum per gratiam accepit, quod ipse in sua divinitate habuit per naturam. Gloriosa igitur erit hæc subjectio, plena mysterio pietatis et gloriæ; qua glorificatus homo est in Deo postquam transivit ad Patrem, gratias illi acturus pro natura humana in se ac membris suis glorificata, et in fine mundi ad plenum glorificanda, quando Deo subjecta erunt omnia ipsius membra. Nam et ante hunc transitum paschalem, cum adhuc esset minoratus ab angelis per passibilitatem et mortalitatem, subjectio illa qua subjectus legitur parentibus mortalibus ipse adhuc mortalis quia magnum fuit sacramentum pietatis, non offuscat ipsius dignitatem, quæ magis clarificata est per hanc ejus inæstimabilem dignationem. Sic, sic in pallore auri, cum divinitatis in eo dignitas et majestatis fulgor disparuit, quasi exinanita ipsius dignitate, tunc dignationis ejus claritas magis apparuit.

III. Quid dicam de illo ejus diademate quo coronavit eum mater sua Synagoga, imponendo ei spineam coronam? Nonne tunc in hoc diademate capitis Aaron semetipsum Deo Patri sacrificantis lapides pretiosi fulgebant, dum perficeretur opus Dei et consummaretur, ita ut ipse pontifex diceret : *Opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam* (*Joan.* xvii, 4), et in cruce ait : *Consummatum est?* (*Joan.* xix, 30.) Opus itaque tunc perfectum et consummatum est, opus pietatis, charitatis, miserationis, et tantæ compassionis ut ille servus Isaiæ pateretur se immolari pro liberando servo impio, et inimico ancillæ filio, quem sibi tali morte ascivit cohæredem. Quis ergo digne pensare valeat quam pretiosi lapides in illo spineo, diademate fulgebant ubi radiabat inæstimabilis charitas, immensa pietas, infinita misericordia, quæ, ab æterno usque in æternum porrecta, quos agnovit in se prædestinatos a Patre suo æterno, ipse per mortem, mortem autem crucis, ad æternam vitam redemit, venundatos gratis, quia fraudati sunt promissis mendacissimi hostis promittentis Dei similitudinem, ut eos pertraheret ad sui conformitatem? Fulgorem procul dubio istorum aliorumque pretiosorum lapidum in diademate capitis Aaron tunc radiantium, solis claritas ferre non potuit, qui obscuratus est ab hora sexta usque in horam nonam. Gaudeat ergo tellus tantis irradiata fulgoribus lapidum pretiosorum. Lætetur et mater Ecclesia delectata in splendoribus sanctorum lapidum, quorum fulgore dæmonum et hominum gloriæ Christi detrahentium lippientes oculi cruciantur, et certe convincuntur eum non diligere, quia si diligerent, gauderent utique, quia tam gloriose coronatus vadens ad Patrem, pro spinea corona coronatus est quasi aurea lamina, Dei nomine insignita, dato sibi nomine, *quod est super omne nomen, ut in nomine ejus omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris* (*Philipp.* ii, 11), vera humanitate verus homo, et vera divinitate verus Deus, æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Secundum humanitatem dico « qua homo est, » non secundum humanitatem « quæ homo est. » Quia licet « humanitas qua homo est » non creverit, quæ utique crementi capax non est, homo tamen qui ea est homo, ita crevit ut in eo completa

sit Danielis visio, qui vidit lapidem de monte sine manibus abscissum crevisse in montem magnum, ita ut impleret universum mundum (*Dan.* II, 35). Sic etiam parvulus David, cum fuisset unctus in regem crevit, non in statura, sed in virtute et fortitudine, ita ut ora leonum frangeret, brachia ursorum dissiparet, metuendum cunctis Philisthæum gladio suo jugularet. Sicut ergo ille auctus est non in natura humanitatis qua homo fuit, quæque homo non fuit; sed in gloria regali, factus tandem rex Judæorum : sic et Christus Filius ejus præ suis consortibus unctus, permanente in eo natura humanitatis veræ, secundum quam prædicatur parvulus, factus est rex magnus, qui contra leones et ursos aliasque bestias infernales, atque contra ipsum diabolum principem dæmoniorum, Philisthæum incircumcisum jam triumpho potitus, rex est Judæorum, id est omnium confitentium quod ipse est in gloria Dei Patris.

IV. Homo, inquam, est in gloria Dei, quia homo ille Deus est, et nunquam fuit homo non Deus, quia ex quo cœpit esse homo perfectus ex anima rationali et humana carne subsistens, erat etiam perfectus Deus in seipso æternaliter existens. Homo subsistens ex multis quæ non sunt homo, Deus vero existens in semetipso ab æterno. « Quoniam, » sicut ait Boetius, « homo non integre ipsum homo est : quod enim est, aliis debet quæ non sunt homo, ut verbi gratia partes ejus aut formæ, de quibus consistit homo, quarum tamen nulla est homo. Deus vero » ait idem auctor, « hoc ipsum Deus est. Nihil enim aliud est nisi quod est, ac per hoc ipsum Deus. » Congruitque illi soli septima regula in Boetio, quæ dicit : « Omne simplex est esse suum, et id quod est unum habet. » Quod vero in octava regula dicitur : « Omni composito aliud est esse, aliud ipsum est » homini coaptari potest, cui aliud est esse quo est, aliud ipse, quia humanitas qua est homo, ipsa non est homo : sicut etiam corporeitas, qua est corpus, ipsa non est corpus, et cætera in hunc modum plura inveniuntur in homine quæ sunt hominis, et ipsa non sunt homo, verbi gratia, memoria, mens, intelligentia, voluntas. Nihil autem invenitur in Deo quod non sit Deus, quia Dei voluntas Deus est, ipsaque ipsius divinitas Deus est. Non autem sic in homine, cujus nec voluntas homo est, nec humanitas homo est, quia talia in homine non sunt homo, sed sunt hominis. Unde Augustinus in libro decimo quinto De Trinitate ait : « Invenimus et in homine trinitatem, id est mentem et notitiam qua se novit, et dilectionem qua se diligit. Sane hæc tria sunt in homine, ut non ipsa sint homo. Homo est enim, sicut veteres diffinierunt, animal rationale, mortale. Illa ergo excellunt in homine, non ipsa sunt homo; et una persona, id est singulus homo habet illa tria in mente. Quod si etiam sic diffiniamus hominem, ut dicamus : Homo est substantia rationalis constans ex corpore et anima, non est dubium hominem habere animam quæ non est corpus, habere corpus

A quod non est anima. Ac per hoc tria illa non homo sunt, sed hominis sunt, vel in homine sunt. » Hæc dicente sancto Augustino, assertio nostra illi consonat, qua distinguimus humanitatem qua homo est, quæque hominis est et ipsa homo non est, ab humanitate quæ homo est, quanquam in sanctorum tractatibus nomen humanitatis inveniatur in utraque significatione positum. Ubi enim prædicatur humanitatis assumptio in Deum, nomine humanitatis homo significatur sic assumptus in Deo, ut sit Deus. Ubi vero prædicatur idem homo æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem, nomine humanitatis natura humana qua homo est homo, quæque hominis est, et ipsa non est homo, sane intel-

B ligitur.

CAPUT V.

Christus qui est divinitate Deus et humanitate homo est, non potest vero intellectu intelligi homo, nisi cum Verbo quod caro factum est.

I. Quam videlicet naturam Photinus putavit in Christo solam, dicens illum esse hominem non Deum. Sed Eutyches putavit consumptam, docens ex duabus, non in duabus naturis consistere Christum. Apollinaris vero eamdem naturam humanam in Christo sic mutilavit, ut ei detraheret animam rationalem, docens pro anima in Christo fuisse ipsam divinitatem. De quo errore confutatus ipsius Christi verbo, dicentis : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38),

C concessit illum habuisse animam quæ corpus vivificaret, sed rationalitate humana careret eo quod illa non indigeret, quia divinitatem pro ratione haberet. Porro Nestorius integram confitens in Christo humanitatem, sic eam divisit a divinitate, ut aliam Dei et aliam faceret hominis personam, Filium Dei prohibens dici filium hominis, non concedens ex homine Deum potuisse generari. Unde Christi matrem vetuit nominari theotocon, id est Dei genitricem.

II. Inter quæ monstra diversarum hæresum sancta catholica Ecclesia tenuit ac tenet medium veritatis iter, non declinans ad dexteram vel ad sinistram, distinguendo in Christo naturam divinitatis a natura

D humanitatis, in eo quod neque divinitas est humanitas, neque humanitas divinitas ; et tamen credendo quod unus idemque Dei et hominis filius vera et integra humanitate homo est, et omni plenitudine divinitatis Deus est, minor quidem Patre secundum humanitatem qua homo est, sed æqualis Patri secundum divinitatem qua Deus est. Et potest quidem utcunque divinitas intelligi sine humanitate, vel sine divinitate humanitas, ut cum de illa dicimus quod caret initio, de ista quod habet initium. Sed ipse Christus, qui et divinitate Deus et humanitate homo est, non potest vero intellectu intelligi homo, nisi cum Verbo quod caro factum est, quia Verbum Deus hujus novi hominis caput : *Caput enim Christi Deus* (*I Cor.* XI, 3), ait Apostolus;

Christus autem nomen est hominis, ut Petrus ait, Spiritu sancto et virtute uncti præ consortibus suis (*Act.* x, 38). Quem qui sine capite suo intelligit, quasi truncum illum fingit fide ficta, neque in illum credit fide non ficta. Sicut enim si quis hominem quemlibet habentem caput intelligeret sine suo capite, vel corporali quod cæteris membris præeminet, vel spirituali quod in anima præcellens mens dicitur, falsum haberet intellectum, seu et fidem fictam, si hoc ut intelligeret, imo se intelligere putaret, verum crederet. Sic etiam qui Christum credens hominem secernit ab eo suum caput quod est Deus, non regitur fide ficta, sed fallitur fide ficta, fingendo sibi pro vero Christo aliud, quod non est Christus. Quia sicut capite suo privatus homo, jam non est homo sed truncus, ita capite suo privatus Christus, jam non est Christus in fide illius qui eum talem credit, qualis ipse non est. Et certe sic intellectus, imo sic fictus Christus homo sine capite suo, revera minor est in gloria quam Pater suus Deus, quia talis Christus non est Deus, atque ideo non est illi gloria Dei, quia Deus illi non est caput. Sed Christo per apostolos nobis annuntiato caput est Deus, ac proinde in gloria divina Patri suo Deo coæquandus est in fide fidelium. Non tamen id negandum, imo confitendum, quod is qui in sua divinitate Patri est æqualis, eodem est minor secundum humanitatem.

III. Hinc est longa illa concertatio inter domum David et domum Saulis, quod domus David, sancta videlicet Ecclesia non vult recipere alium Christum, nisi illum de cornu divinæ fortitudinis unctum. Domus autem Saulis, videlicet generatio prava et perversa quærit alium, qui unctus de lenticula vase fictili, per quod fides ficta figurata est, ille intelligi potest de quo Christus dicit : *Ego veni in nomine Patris mei, et non recepistis me ; alius veniet in nomine suo, et illum accipietis* (*Joan.* v, 43). Verus autem Christus de cornu salutis unctus, ille est de quo canimus : *Et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui* (*Luc.* I, 69).

IV. Nunquid primus ego aut solus hoc sentio, quod caput Christi Deus? Nonne Apostoli sensum quem teneo tenet etiam Augustinus? In libro enim sexto De Trinitate inter cætera sic dicit : « Quod est Pater cum Filio, caput est ei, quod est solus Filius ; cum Filio enim Pater Deus : solus autem Filius Christus est, maxime quia jam Verbum caro factum loquitur. Secundum quam humilitatem ejus etiam major est Pater, sicut dicit : *Quoniam Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28). Ut hoc ipsum Deum esse, quod illi cum Patre commune est, caput sit hominis mediatoris, quod ipse solus. Si enim mentem recte dicimus principale hominis, id est tanquam caput humanæ substantiæ, cum ipso homo cum mente sit homo, cur non multo congruentius multoque magis Verbum cum Patre, quod simul Deus est, caput est Christi, quamvis Christus homo nisi cum Verbo quod caro factum est intelligi non A possit? » Ecce in his dictis Augustini clare discerni potest inter illius humanitatis humilitatem qua Christo major est Pater, quæ nec homo nec Deus est, quia quasi nuda sine divinitatis capite intelligi potest, et illam humilitatem quæ homo est, cui Deus caput est ; atque ideo sine suo capite intelligi non potest vero intellectu, seu credi vera et non ficta fide. Quod autem humanitatis nomine interdum ipsa forma qua homo est, quæque homo non est, intelligi debeat, nemo sobrie philosophantium ignorat qui consideratione mathematica formas rerum considerat, licet inabstractas, tamen abstractim speculandas, ut docet Boetius. Quod vero iterum vocabulo humanitatis anima et caro, quæ duo juncta sunt homo, interdum soleant significari, aperte do- B cet Hieronymus in expositione catholicæ fidei dicens : « Sic confitemur in Christo unam Filii esse personam, ut dicamus duas perfectas et integras esse substantias, id est deitatis et humanitatis, quæ ex anima et corpore continetur. » Ecce aperte hic ostendit humanitatis nomine animam et corpus intelligi : quæ duo Dei Filius assumpsisse insinuatur, ubi hominem, sive humanitatem vel humanam naturam accepisse legitur.

CAPUT VI.

Mallet auctor exemplo sancti Hilarii certum nomen hominis, quam nomen humanitatis ambiguum, positum esse in iis suorum scriptorum locis, in quibus dicit : « Humanitatem in Deum glorificantem. » Cæterum Christum hominem non sola du- C *lia, sed etiam latria adorandum esse ex Patribus astruit.*

I. Hic perstringenda videtur illorum simplicitas, qui de rebus ultra omnem rationem secretis et altis ita ratiocinantur : Anima Christi plene ac perfecte sapiens fuit, nec tamen ipsi sapientiæ quam habuit, coæquata fuit. Quia longe aliud est sapientia sapere, atque aliud, sapientiam esse : quorum alterum, quod minus est, convenit homini assumpto ; alterum, quod majus est, Verbo assumenti hominemque assumptum regenti.

II. Sic loquendo vel de anima Christi, vel de ipso Christo habente sapientiam, non attendunt modum quo habet eam. Non enim ille habet sapientiam sicut Paulus aut alius quilibet sanctus D per sapientiam illuminatus, cui et hæc ipsa sapientia est accidentalis, ac potest ab eo vero intellectu secerni ; sed quomodo quilibet homo habet in corpore suo caput, vel in anima sua mentem, sic assumptus homo in Dei Filium, qui est æterna sapientia, ipsam Dei sapientiam habet in se, non utcunque, sed quasi caput, imo veræ caput subsistentiæ. Quapropter sicut absurdum est hominem dicere minorem suo capite vel sua mente ; sic absurdum est filium hominis dicere minorem suo capite, suo scilicet principali, quod est æterna sapientia.

III. Cum ergo sit magna differentia inter humanitatem qua homo est, et humanitatem quæ homo est, ubicunque dixi aut scripsi humanitatem in

Deum glorificandam, non aliud intellexi nisi hominem ex anima rationali et humana carne subsistentem, Deique Verbum caput habentem. De quo et sponsa dicit : *Caput ejus aurum optimum* (*Cant.* v, 11). Cui quia datum est nomen quod est super omne nomen, recte prædicavi eum Deo Patri coæqualem secundum ejusdem nominis veritatem, secundum sui capitis æternam claritatem, non secundum humanitatem qua homo est, secundum quam semper est et erit minor Patre ac seipso et Spiritu sancto. Itaque ubicunque in scriptis meis invenitur humanitatis nomine significatus homo, quia inde scandalizari possunt parvuli; de quorum scandalo nobis debet esse cura ; seu etiam perversi, æmuli, detractores, invidi; quorum scandala sunt spernenda, quoniam de talibus dixit Christus : *Sinite illos; cæci sunt et duces cæcorum* (*Matth.* xv, 14); nunc mallem certum nomen hominis positum, quam nomen humanitatis ambiguum.

IV. Sic beatus Hilarius in nono libro De sancta Trinitate nobis formam loquendi præostendit, dicens : « Id enim homini acquirebatur ut Deus esset. » Homini, ait, non humanitati. « Homini enim, » ut Augustinus affirmat, « datum est nomen quod est super omne nomen. » Homini, inquit, non humanitati, quia homini datum est ut nominetur et sit Deus altissimus. Quod videlicet nomen de forma servi, quæ est humanitas prædicari non potest : quanquam et hæc ipsa forma interdum significari soleat hominis nomine. Ut cum homo dicitur forma servi, qua major est forma Dei, quæ intelligitur ipsa divinitas, qua formosus et speciosus est homo præ filiis hominum, in qua etiam forma non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo Patri. Unde Hilarius in nono libro dicit : « Sed manere in Dei unitate assumptus nullo modo poterat, nisi per unitatem Dei in unitatem Dei naturalis evaderet, ut per hoc quod in natura erat Deus Verbum, Verbum quoque caro factum rursum in natura Dei inesset; atque ita homo Jesus Christus maneret in gloria Dei Patris, si in gloriam Verbi caro esset unita, rediretque tunc in naturæ paternæ, etiam secundum hominem, unitatem Verbum caro factum, cum gloriam Verbi caro assumpta tenuisset. » Hucusque Hilarius.

V. Notandum quod iste Catholicus doctor ait « secundum hominem, » non ait, « secundum humanitatem, » ubi loquitur de gloria Christo secundum hominem data. Secundum hominem, inquit, non secundum humanitatem, quoniam plura Christus habet secundum hominem, quæ non habet secundum humanitatem, qua ipse homo est. Homo quippe ille Deus est, sed humanitas ejus Deus non est. Homo, qui et humanitate homo et divinitate Deus est, utrumque dicitur proprie, scilicet Deus et homo, ita ut conversim Deus de homine, ac de homine Deus recte prædicetur, dicaturque homo Deus et Deus homo. Sed humanitas qua homo est, neque homo est neque Deus ; neque divinitas est ipsa hu-

A manitas, aut humanitas divinitas. Ubi ergo videro id necessarium, dilucidaturum spondeo me quod ambigue posui, quanquam id sano intellectu ego posuerim, et sano intellectu valeat intelligi, distinctione habita inter humanitatem qua homo est, et eam quæ homo est.

VI. Invenitur quoque humanitas, qua insinuatur clementia divina, ut illic *Apparuit benignitas et humanitas salvatoris nostri Dei* (*Tit.* III, 4). Quod de Patre dictum esse declarant sequentia, cum dicitur: *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum salvatorem nostrum* (*ibid.*, 5). Ista humanitas, quam Græci

B philanthropiam vocant, tribus in Trinitate personis cum sit omnino communis et in omnibus coæqualis, quis eam deneget homini assumpto in Deum, per cujus passionem summæ clementiæ opus consummatum est, quique dicitur et est pastor bonus, non accidentali dono, sed essentiali bono, ut ait beatus Gregorius ? Neque enim clementia seu bonitas illi summo pastori pro suis ovibus occiso est accidentalis, ut aliis pastoribus bonis, quia non ad mensuram data est ei bonitas, qua nemo bonus nisi solus Deus. Est ergo summus Deus homo summe bonus una cum Patre suo et Spiritu sancto. Et utique Deus homo qui omnia scit, potestque omnia quæ vult. Et plane Deus homo, qui est adorandus, non ut quidam vanissimi delirant, adoratione sola quæ

C dulia dicitur, sed ea quæ dicitur latria soli Deo summo exhibenda. Unde in synodo Ephesina cui præsedit magnus Cyrillus Alexandrinus cum ducentis episcopis legitur : « Si quis audet dicere assumptum hominem a Verbo coadorari cum Deo Verbo oportere et conglorificari, et connuncupari Deum, tanquam alterum alteri adjectum ; adjectio enim unius syllabæ, id est *co*, hoc cogit intelligi ; et non magis una reverentia veneretur Emmanuel, unamque glorificationem dependerit, secundum quod Verbum caro factum est, anathema sit. »

VII. Item Augustinus ex sermone Domini dicentis: *Non turbetur cor vestrum* (*Joan.* XIV, 1), ita dicit : « Dicunt hæretici Filium non natura esse Deum,

D sed creatum. Quibus respondendum est quia, si Filius non est Deus natura sed creatura, nec colendus est omnino, nec ut Deus adorandus, dicente Apostolo : *Coluerunt et servierunt creaturæ potius quam Creatori* (*Rom.* I, 25). Sed illi ad hæc replicabunt et dicent : Quid est quod carnem ejus, quam creaturam esse non negas, simul cum divinitate adoras, et ei non minus quam divinitati deservis ? Responde ad hæc : Ego Dominicam carnem, imo perfectam in Christo humanitatem ideo adoro, quia divinitate suscepta et deitati unita est, ut non alium et alium, sed unum eumdemque Deum et hominem Filium Dei esse confitear. » Et post pauca : « Humanitatem non solam vel nudam, sed divinitati unitam, scilicet unum Filium Deum verum et ho-

minem verum si quis adorare contempserit, æternaliter morietur. »

VIII. Item Hieronymus in Jeremiam : « Si, inquit, mors absorpta est in victoria, quare non carnis humilitas quæ propter humanam salutem assumpta est, in divinitatis transierit majestatem; ut fecerit utraque unum, et non adoremus creaturam, sed Creatorem, qui est benedictus in sæcula? » Item Ambrosius in libro primo De Trinitate : « Prohemus, » inquit, « creaturam non esse Dei Filium. Audivimus enim in Evangelio Dominum mandasse discipulis suis : *Prædicate Evangelium universæ creaturæ* (*Marc.* XVI, 15). Qui universam creaturam dicit, nullam excipit. Et ubi sunt, qui creaturam Christum appellant? Nam si creatura esset, sibi mandaret Evangelium prædicari, et subjectus esset vanitati, quia teste Apostolo omnis creatura vanitati subjecta est (*Rom.* VIII, 20). Non igitur Christus creatura est, sed Creator, qui docendæ creaturæ discipulis mandat officium. »

IX. Hæc Ambrosii simulque Hieronymi dicta non debent ad hoc inducta videri, quasi per hæc suadeatur credi quod in Christo est creatum, conceptione vel glorificatione absumptum ut non sit, quia corpus animatum in Christo permanet creatum, sicut Verbum increatum permanet increatum; sed ut id quod est creatum non dubitetur in gloria increati Verbi exaltatum, ac proinde in gloria Creatoris adorandum, neque inter creaturas vanitati subjectas reputandum. Quia, ut ait Apostolus, *etsi cognovimus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus* (*II Cor.* V, 16). Non, inquam, novimus eum nunc inter omnia creata, sed super omnia Deum benedictum in sæcula.

CAPUT VII.

Exemplo trium magorum, auctoritate Leonis et Augustini, hominem in Christo latriæ cultu adorandum esse confirmat.

I. Quid ergo dicemus de his qui Christum adhuc mortalem adoraverunt, quorum præcipui fuerunt illi tres magi qui eum adhuc pannis involutum adoraverunt, et ei munera obtulerunt? Nunquid sic adorantes mortalem facti sunt idololatræ, serviendo creaturæ potius quam Creatori? Posset utcunque hoc putari si Creator non esset factus creatura, et si creatura non esset Creatori unita. Nunc autem quia Deus homine tanquam regali purpura indutus, et quasi podere sacerdotali ornatus apparuit, recte ac legitime illum adoraverunt, et ei aurum thus et myrrham obtulerunt. Aurum sicut regi magno, thus sicut Deo vero, myrrham sepulturæ ejus. Ergo et illam in illo adoraverunt naturam cui sepultura adhibenda erat. Et licet eum viderent in pannis, quibus eum sua mater involverat, ex qua etiam carnis et membrorum corporalium traxerat vestimenta, non tamen his vestimentis tardabatur obtutus adorantium, quo minus agnoscerent in homine Deum, vel potius hominem Deum. Quia odor vestimentorum istorum sicut odor thuris fragrabat in cordibus istorum fide ardentium, qua credebant quod homo in Deum natus, non adoptatus vel renatus ut cæteri sancti, esset verus Deus, non desistens homo esse propter innatam sibi deitatem, nec desistens esse Deus propter susceptam in se humanitatem; ac proinde recte adorandus propter fragrantiam vestimentorum ejus, quibus eum induerat mater ejus. Hanc fragrantiam præsentiens olim patriarcha Isaac naso prophetali, dixit Jacob filio suo Christi typum gerenti : *Esto dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuæ, et adorent te tribus* (*Gen.* XXVII, 29). Quid ergo mirum, quod magi præsentem senserant fragrantiam cultu adorationis venerandam in vero Jacob supplantaturo hujus mundi principem, quam tam longe ante præsentiens patriarcha, monuit adorandam a tribubus, quarum isti magi primitiæ fuerunt, qui hanc fragrantiam de prope senserunt? Puto jam tunc oculis fidei intuebantur in vestimento et in femore ejus scriptum, *Rex regum et Dominus dominantium* (*Apoc.* XIX, 16). Cui tanquam Regi regum obtulerunt aurum, quemque adoraverunt quasi Dominum dominantium, cum viderent eum pannis involutum. Vestimentum quippe ac femur ejus congrue intelligi potest caro illius, qua Verbum tegebatur, quæque ipsius Verbi omnipotentia super omnes reges ornabatur, velut continens in se scriptum, Rex regum et Dominus dominantium. Quod insidianti Herodi fuit absconditum, sed magis adorantibus manifestatum est.

II. Unde sicut ait Leo papa in sermone de Epiphania : « Quod cordibus credunt muneribus protestantur. Thus Deo, myrrham homini, aurum offerunt regi, scientes humanam divinamque naturam in unitate venerandam. Quia quod erat in substantiis proprium, non erat in potestate divisum. » Item, Leo papa in Natali Domini : « Recedant procul et in tenebras suas recidant hæreticarum monstra opinionum, et insanarum sacrilegia falsitatum. Nos exsultans in laudes Dei cœlestium multitudo, et instructi ab angelis docuere pastores, ut, cognitis naturæ utriusque documentis, et Verbum in Christo homine, et Christum hominem adoremus in Verbo. Nam sicut Apostolus ait, *qui adhæret Deo unus spiritus est* (*I Cor.* VI, 17), quanto magis Verbum caro factum unus est Christus, ubi nihil alterius est naturæ, quod non sit utriusque? Quia etsi unum manet ab æternitate, aliud cœpit a tempore; quæ tamen in unitate convenerunt, nec separationem possunt habere nec finem, dum exaltans et exaltatus, glorificans et glorificatus ita sibimet inhærent, ut sive in omnipotentia sive in contumelia, nec divina in Christo careant humanis, nec humana divinis. » O quam recte obtulit et quam recte divisit iste Romanus pontifex, naturas diversas in Christo discernendo, sed unam gloriam naturæ utrique assignando! Non sic impii, non sic; dum sic discerpunt Christum, ut Verbo latriam, duliam vero affirment homini deberi. Et hoc firmare conantur quasi auctoritate Augustini exponentis illud

in psalmo : *Adorate scabellum pedum ejus* (*Psal.* xcviii, 5), credo excerptum prætendendo. Quod sub nomine Augustini Petrus, modernus glossator (82), intexuit suis glossis, ubi assignavit homini duliam, Verbo latriam, cum beatus Augustinus hoc minime senserit. Qui tractans de prædicto scabello adorando, nullam penitus facit mentionem duliæ. Quod prædictus Petrus creditur postea deprehendisse, quia in sententiarum suorum libro tertio, ubi opiniones quorumdam ponit existimantium Deo latriam, et homini duliam exhibendam in Christo, nullam facit mentionem Augustini. Sed in eodem libro, ubi Augustini sententiam commemorat de adorando scabello pedum Domini, penitus nulla est mentio duliæ, sicut isti mendaces asserunt, homini assumpto exhibendæ.

III. Non enim egregius ille doctor sic æstimavit hominem Verbo unitum, quasi extrinsecus adhærens vestimentum. Quod exinde patet, quia in primo libro De sancta Trinitate ait : « Assumptus est homo, in qua forma ipsius Dei Verbi persona præsentaretur, non ut haberet Verbum Dei sicut alii sapientes, sed præ participibus suis. Non utique quod amplius haberet Verbum ut esset quam cæteri excellentiore sapientia, sed quod ipsum Verbum erat. Aliud est enim Verbum in carne, aliud Verbum caro, id est aliud est Verbum in homine, aliud est Verbum homo. Caro enim pro homine posita est in eo quod ait : *Verbum caro factum est* (*Joan.* i, 14). Idem in libro quarto exponens illud : *Emitte, Domine, sapientiam de sede magnitudinis tuæ* (*Sap.* ix, 10). « Aliter, » ait, « mittitur ut sit in homine, aliter missa est ut ipsa sit homo. In animas enim sanctas se transfert, atque amicos Dei et prophetas constituit, sicut etiam implet angelos, et omnia talibus ministris congrua per eos operatur. Cum autem venit plenitudo temporis, missa est non ut impleret angelos, neque ut esset angelus, nisi in quantum consilium Patris annuntiabat, quod et ipsius erat ; nec ut esset cum hominibus aut in hominibus, hoc etiam et antea in Patribus et prophetis ; sed ut ipsum Verbum caro fieret. »

IV. Non sic impius docuit Nestorius, dicens : « Propter indutum, indumentum colo ; propter occultum, adoro visibilem. Non per se Deus est quod plasmatum est in vulva, quod creatum est de Spiritu, quod sepultum est in sepulcro. Sic enim essemus hominis cultores, et mortui cultores manifesti ; sed, quoniam in assumpto Deus ex assumente assumptus habet, ut assumenti copulatus Deus. » Item : « Inconfusam, inquit, naturam custodimus, conjunctionem confitemur in homine Deum, veneramur divinæ conjunctioni, omnipotenti Deo, coadorandum hominem. » Sic ille blasphemus docuit non hominem assumptum per se adorandum, sed Deo assumenti coadorandum. Et ob hanc ejus pestiferam doctrinam in synodo Ephe- A sina recitatam proscriptus et damnatus est, orthodoxis Patribus hoc præcipue cum ejus doctrina detestantibus, quod nimis dividens hominem assumptum ab assumente Deo, negavit ei cultum divinitatis exhibendum tanquam Deo, quia non hominem Deum, sed Dei asseruit vestimentum et templum, solummodo adoptione atque conjunctione sortitum nomen Dei, atque Filium Dei dicens non oportere dici Deum, qui propter nos homines factus est, disputans etiam sicut in gestis concilii legitur, adversus reverendissimos episcopos, præsumpsit dicere : *Ego bimestrem et trimestrem Deum non dico.* Cui doctrinæ pestiferæ penitus est contraria beati Augustini assertio præmissa, dicentis : « Aliud est Verbum in carne, aliud Verbum caro est ; id est
B aliud est Verbum in homine, aliud Verbum homo, » etc., uti supra, usque ad « ut ipsum Verbum caro fieret. » Nonne hic eximius doctor Deum teneris indutum membris ita veneratur, ut vestimenta ejus de matre assumpta in ipsius fide habeant odorem thuris, ac proinde sint veneranda omni cultu divinitatis summæ?

CAPUT VIII.

Adoratio crucis redundat in Christum qui est Filius Dei secundum hominem, non secundum humanitatem, qua homo est; nec Filius Dei adoptivus, sed naturalis. Distinguendum docet inter generationem naturaliter naturalem, et generationem mirabiliter naturalem, qua generatus est Filius homo-Deus.

C I. Hæc fides etiam flagrabat in illa beata femina quæ dixit : *Si tetigero fimbriam vestimenti ejus, salva ero* (*Matth.* ix, 20), et sic factum est : tetigit fimbriam et sanata est, audivitque continuo : *Fides tua te salvam fecit* (*ibid.*, 22). Illa tetigit Jesum quem turba premebat ; illa sensit gratiam salutis a Salvatore in se venisse, atque ille sensit virtutem exisse de se : *Ego*, inquit, *sensi virtutem de me exisse* (*ibid.*). De me, inquit, non de fimbria ; neque dixit fimbriam, sed *me tetigit aliquis* (*ibid.*), ut liquide animadverti possit venerationem suæ carni et his quæ in carne gessit vel passus est, exhibitam redundare in ipsum Deum, de quo exiit et procedit virtus in omnes fideliter illum tangentes, et non cum
D turba illum prementes.

II. Hinc est quod adorantes vestigia pedum ejus ipsum nos credimus adorare. Adoramus et crucem venerantes in ea Crucifixum, quæ, sicut ait beatus Andreas, in corpore Christi dedicata, et ex membris ejus tanquam margaritis ornata recte proponitur in Ecclesia sapientibus et simplicibus adoranda. Neque talis adoratio facit idololatras, quia in ipsum tendit qui pependit in ea, cui non dulia ut cæteris divis, qui multi sunt, sed latria exhibenda est tanquam Deo vero in utraque natura Dei Patris unico, non adoptivo. Unde Augustinus in Enchiridio : « Quid enim natura humana in Christo

(82) Petrus Lombardus.

meruit, ut in unitatem personæ unici Filii Dei singulariter esset assumpta? Quæ bona voluntas, cujus boni propositi studium, quæ bona præcesserunt opera, quibus mereretur iste homo una fieri persona cum Deo? Nunquid antea fuit homo, et hoc ei singulare beneficium præstitum est, ut singulariter promereretur Deum? Nempe ex quo homo esse cœpit, neque aliud cœpit esse quam Dei Filius, et hoc unicus, et propterea Dei Verbum quod ab illo suscepto caro facta est, utique est Deus, ut, quemadmodum est una persona quilibet homo, anima scilicet rationalis et caro, ita sit Christus una persona, Verbum et homo. » Item. « Proinde sicut confitemur, Dominus noster Jesus, qui de Deo Deus, homo autem natus ex Spiritu sancto et virgine Maria, utraque substantia divina scilicet et humana, Filius est unicus Patris Dei omnipotentis, de quo procedit Spiritus sanctus. »

III. Cum ergo, ut ostensum est, Christus in utraque natura sit Patris unicus Filius, obmutescant blasphemi hoc affirmantes, quod Filius hominis non sit Filius Dei secundum hominem ; non dico secundum humanitatem, ne quis putet me affirmare humanitatem divinitati æqualem esse : quod ego minime affirmavi. Sed aliquoties nomine humanitatis de homine Deo agens, ipsum glorificatum in gloria sibi data, Deo coæquatum asserui, ita ut sit in gloria Dei Patris, minor quidem Patre secundum humanitatem, sed æqualis illi secundum innatam sibi divinitatem. Quæ non post conceptum, sed in conceptu ei per Spiritum sanctum provenit, ut sit homo ille Deus immensus, non dico secundum humanitatem qua homo est, quæque homo non est, sed dico secundum hominem cui data est divinitatis gloria, ut intelligas hominem illum esse Dei Patris Filium, quem Pater sanctificavit et misit in mundum.

IV. Si enim Scriptura solvi non potest, in qua vocat deos et filios Excelsi Veritas quæ non mentitur, illos ad quos factum est Verbum Dei, sive sermo Dei, quanto magis recte homo Verbum Dei factus dicitur Deus, et Dei Filius naturalis, cum ipse sit Verbum Dei, non adoptivus, ut illi ad quos factum est Verbum Dei? Quippe illos adoptavit in filios, cum essent prius natura filii iræ, a qua ira liberati sunt, et liberantur non generatione sed regeneratione. Iste vero a Patre sanctificatus in utero matris longe amplius quam Jeremias vel Joannes, quos legimus in uteris matrum sanctificatos, nascendo accepit ut esset Filius Dei, nascendo, inquam, in utero matris, operante Spiritu sancto divino amore. Unde etiam antequam de clauso matris utero tanquam sponsus procederet, angelus dixisse legitur de Josepho : *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam ; quod enim in ea natum est de Spiritu sancto*, etc. (*Matth.* II, 20). Item angelus ad Mariam : *Quod*, inquit, *nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei.* Præmiserat autem causam dicendo : *Spiritus sanctus superveniet in te,*

A *et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc.* I, 35). Itaque ille homo quem sancti Spiritus, id est amoris divini operatione in suæ carnis conceptione sanctificavit Pater, et misit in mundum, absque blasphemia prædicatur Deus, Dei naturalis et proprius Filius, etiam secundum quod homo est, sicut idem prædicatur filius hominis, etiam secundum quod Deus est.

V. Quod quia Nestorius fuit ausus negare, vetans Mariam dici theotocon, id est Dei genitricem, quasi hominem solummodo et non Deum genuerit, jure damnatus et hæreticus judicatus est. Similiter Photinus, quia docuit Christum solummodo esse filium hominis et non Dei, ac proinde non ipsum Deum, sed inter sanctos præcipuum, B in quo quidem habitaret præ cæteris sanctis omnis plenitudo divinitatis, neque tamen ipse Deus esset. Sic enim doctrinam ejus perstringit sanctus Hieronymus in Jeremiam. Damnatus est etiam ipse cum omnibus suis sectatoribus, hominem de Virgine genitum negantibus esse Deum, Dei Filium proprium, non adoptivum. Sed obsistit adversarius aliquis Photinianus hominem Deum sua deitate spolians, nominis filium solummodo affirmans esse hominem, neque dici posse Deum vel Dei Filium, nisi forte, ut aiunt, per adoptionem vel unionem. Quia, ut aiunt, si est homo Dei Filius naturalis in quantum homo est, igitur est homo Deo Patri suo consubstantialis quomodo in naturalibus quilibet Patri suo C consubstantialis est, verbi gratia, Isaac Abrahæ consubstantialis est. Non est autem Christus secundum humanitatem Deo Patri consubstantialis, ergo nec Filius ejus naturalis. Adhuc autem sequitur inconveniens. Etenim, si unus filius tam dispares habet parentes, videlicet Deum Patrem naturalem, et hominem matrem naturalem, similis est mulo diversarum naturarum parentes habenti, et neutri parenti connaturali. Est etiam quasi spurius homo de nobiliori patre quam matre generatus. Quæ inconvenientia per hoc aiunt effugienda, ut Verbum de solo Deo genitum, et hominem de sola Virgine fateamur generatum, sed Verbo sic unitum ut ex adoptione vel unione potius, quam ex generatione habeat nominis illius consortium, quo D Verbum Dei dicitur Dei Filius, quia impossibile, inquiunt, est ut vel spiritus de carne, vel caro de spiritu nascatur. Addunt etiam ex insensibili constat nil sensibile nasci.

VI. De talibus talia dicentibus conatus est mihi probare quidam cæteris importunior, quod si homo Dei Filius esset, cum quod nascitur de spiritu spiritus sit, carnem et ossa non haberet homo natus de Deo qui spiritus est. Qui hæc dicunt et sentiunt, non discernunt inter generationem naturaliter naturalem et generationem mirabiliter naturalem. Nam, verbi gratia, generatio Ismaelis ex Abraham, quia secundum carnem fuit, naturaliter naturalis exstitit, quia ut juvencula de viro, licet sene, concipiat satis admittit natura. Generatio vero Isaac

naturalis quidem fuit, quia ex sanguinibus et ex voluntate carnis et ex voluntate viri conceptus et natus est ipse Isaac, sed hoc ultra naturam, non naturaliter, sed mirabiliter evenit, ut de sene jam frigido sterilis anus cui desierant fieri muliebria conciperet. Unde Apostolus ad Hebræos ait : *Fide et ipsa Sara sterilis virtutem in conceptione seminis accepit, etiam præter tempus ætatis, quoniam fidelem credidit qui promiserat* (*Hebr.* XI, 11). Propter quod et ab uno orti sunt, et hoc emortuo, tanquam sidera cœli in multitudine, et sicut arena quæ est ad oram maris innumerabilis. Item Apostolus alibi : *Scriptum est quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla et unum de libera. Et qui de ancilla, secundum carnem natus est : qui autem de libera, per repromissionem* (*Gal.* IV, 18). Verbum autem repromissionis ad Abraham hoc fuit : *In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ* (*Gen.* XXVIII, 14). Item : *Ecce Sara uxor tua pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Isaac* (*Gen.* XVII, 9). Sic promittenti Deo credidit Abraham, et reputatum est ei ad justitiam. Unde omnes posteri Abrahæ fidei hujus consortes et hæredes, recte dicti sunt filii repromissionis, potius quam filii carnis. *Non enim*, ut idem ait Apostolus, *omnes qui ex Israel, hi sunt Israelitæ; neque quia semen sunt Abrahæ, omnes filii : sed, in Isaac vocabitur tibi semen. Id est : Non qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui filii sunt promissionis æstimantur in semine. Promissionis enim verbum hoc est, secundum hoc tempus veniam, et erit Saræ filius* (*Rom.* IX, 9). *Et quomodo tunc qui secundum carnem natus est persequatur eum qui secundum spiritum, ita et nunc* (*Gal.* IV, 29).

VII. Manifesta in his verbis Apostoli distinctio claret filiorum carnis et filiorum promissionis, qui etiam filii Dei nominantur et sunt, licet nondum appareat quod sunt et quod erunt : quorum caput est Christus homo Deus patribus antiquis promissus et filius datus. Qui et dicunt : *Puer natus est nobis, et filius datus est nobis* (*Isai.* IX, 6). Natus est, inquam, nobis Deus de Deo et homo de homine, Dei Filius idemque filius hominis. In cujus nativitate, licet hoc sit naturale, quod homo de homine ac Deus de Deo est genitus, tamen hoc est ultra naturam per admirabilem et ineffabilem gratiam, quod homo Dei Filius et Deus hominis est filius, quodque femina Dei genitrix, et Deus altissimus in veritate prædicatur genitor hominis, cui et dicit : *Ego hodie genui te* (*Psal.* II, 7) : cui et Petrus dixit : *Tu es Christus Filius Dei vivi* (*Matth.* XVI, 16).

CAPUT IX.

Sicut Deus Dei Filius per æternitatem, sic et Christus per sacramenti unitatem fuit ante matrem suam : ac proinde qua ratione concessit eam Nestorius vocari Christotocon, eadem potuit et debuit concedere illam dici Theotocon.

I. In hoc loco scandalizatus hæresiarcha Nestorius, cum diceretur Dei Filius etiam hominis filius,

A noluit acquiescere Virginem esse Dei genitricem. In cujus erroris affirmationem duo falsa induxit argumenta, sicut in scriptis ejus reperitur : Unum ejus fuit argumentum, quod nemo possit gignere antiquiorem se, Deus autem antiquior est Virgine : unde vetuit eam nominari Theotocon vel Dei genitricem, satis concedens dici eam Christotocon sive Christi genitricem, eo quod Christus ante ipsam non fuerit, sicut ipse putavit, ignorans quod per ineffabile mysterium unitatis Christus Filius Dei ante Mariam fuit. Qui et legitur in deserto a murmurante populo tentatus, dicente Apostolo : *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt* (*I Cor.* X, 9), et a sanguine Abel justi usque ad sanguinem suum in suis membris multa est passus

B antequam natus. Qui etiam, antequam sciret vocare patrem optivum et matrem propriam, sicut Isaias loquitur (*Isa.* VIII, 4), abstulit fortitudinem Damasci et spolia Samariæ, ulciscendo ac defendendo populum, de quo erat nasciturus. Unde recte vocatum est nomen ejus, *Accelera, spolia detrahe, festina prædari* (*ibid.*), quia magna erat festinantia istius pueri sic prælianlis, antequam sciret vocare patrem aut matrem secundum eam naturam, in qua erat puer futurus et habiturus matrem et patrem optivum. Fuit ergo puer iste ante matrem, quæ illum licet se antiquiorem genuit. Quod Nestorius, quia possibile non putavit, ipsam Dei genitricem vetuit nominari.

C II. Contra cujus errorem loquens beatus Hieronymus in sermone de assumptione sanctæ Mariæ, dicit inter cætera : « In æternitate jam se fuisse, qui loquebatur per sacramentum suæ incarnationis insinuat. » Quod apostolus Judas elucidare volens apertius : *Jesus*, inquit, *populum ex Ægypto salvans, secundo eos qui non crediderunt, perdidit* (*Jud.* 5). Et alibi Paulus : *Neque tentemus Christum, sicut quidam tentaverunt*. Non quod jam esset Jesus aut Christus natus ex Maria virgine, sed quia in illo unico Filio Dei jam unitas personæ commendatur, quæ occulta erat in mysterio. Quod et alibi evidenter : *Qui nos elegit*, inquit, *ante mundi constitutionem in ipso* (*Ephes.* 14), quia profecto quidquid Deus fecit ab initio, Christus fecit totum per unita-

D tem sacramenti. Et ideo Jesus jam erat in filio, qui educebat populum, et Christus in eo qui tentabatur, quem semper per sacramenti unitatem in Deo fuisse non dubitatur. Alioquin nisi ita credideris, aut Christus Deus non erit omnino, aut contra prophetam Deus recens esse videbitur.

III. Sed, ne talibus quatiamur calumniis scrutandæ sunt Scripturæ, in quibus unitas in Christo commendatur personæ, quæ non præjudicat tempus ne unus semper dicatur. Hinc quoque beatus Petrus loquens de patribus ait : *Per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi.* Namque illos solus Dominus ducebat, et non erat cum eo Deus alienus. Unde nec nobiscum Deus recens, quia unus idemque est, qui et eorum ductor

fuit, et noster per passionem carnis suæ redemptor. Unus siquidem in carne sua, unus in sacramento atque unus in spiritu, nec admittit omnino ut alius filius hominis, alius Filius Dei intelligatur; qui nec tempore præscribitur, nec passione separatur. Sed totus Deus in Christum, et Christus in Deum transivit, ut quidquid Dei filius est Christus dicatur; et quidquid in carne pertulit Christus, id Deus pertulisse recte dicatur. Alioquin si ad rationem respicias, et ad sensus humanos, nequaquam ita tenus potuerunt inter se convenire Deitas et humana conditio. Convenerunt tamen in Christo, et unus ex ambobus Emmanuel. Unde mihi videtur quod altitudinem tanti mysterii diligere et videre non potuerint qui aut duos filios, certe aut aliud Christum quam Dei Filium existimavere.

IV. Quapropter nec nos hominem seorsum colimus; quod nefas est, nec adoramus; sed in semetipsum qui unus et verus Dei Filius semper erat. Idcirco non alium quam eumdem ipsumque Dei Filium colimus et adoramus, qui nihil in se pro assumpto homine est coactus, nihilque quod Verbum caro factum est imminutus vel mutatus est. Et ideo unus idemque semper cum Deo Patre Filius adoratur, non novus, non recens ex tempore, non alienus a natura vel genere. Quod si tibi novum videtur, quod pro te hominem suscepit, noveris quod hoc semper cum eo, et in ejus consilio fuerit, ut sic fieret. Et nunc quando plenitudo temporis venit, id factum est quod in Christo semper fuit. Patet ex his quæ dicta sunt, quod, sicut Deus Dei Filius per æternitatem, sic et Christus per sacramenti unitatem fuit ante matrem suam; ac proinde qua ratione concessit eam Nestorius vocari Christotocon, eadem potuit concedere illam dici theotocon. Quia vero unum horum concessit, alterum negavit cum in neutro ratio humana illi suffragata sit, quia tam Christus quam Deus ante matrem suam fuit, quæ tam vere Deum quam Christum genuit, quia Deus in Christo, imo et ipse Christus Deus fuit quem Virgo genuit, ac proinde quam vere Christi mater tam vere Dei mater sive genitrix nominatur et est filii sui se antiquioris; quod est mirabile in oculis rationis, et venerabile in oculis fidei.

V. Similiter illa ratio Nestorii qua negavit posse Virginem vere dici genitricem Dei sibi non coessentialis filii, eo quod essentiam divinitatis non habuerit a genitrice, sicut nec essentiam humanitatis habuerit a genitore, cui homo coessentialis non est, sicut nec genitrici Deus coessentialis est, ratione fidei superatur et cassatur; qua et homo Dei et Deus hominis filius creditur corde ad justitiam, et ore prædicatur ad salutem. Qui nimirum Dei filius licet dicatur factus ex semine David secundum carnem, seu factus ex muliere secundum carnem; ut videlicet, sicut exponit Ambrosius, *factura non divinitati, sed carni*, ascribatur, tamen ut ejus nativitas Dei potius quam carnis operationi sciatur attri-

A buenda, non secundum carnem, sed secundum spiritum natus asseritur ab eodem Apostolo, qui eum dicit factum secundum carnem. Nam de Isaac filio sterilis filioque promissionis in typo Christi, quem virgo naturaliter sterilis manente virginitate genuit, loquens, dicit eum natum secundum spiritum, ut Christum quem ille præfiguravit intelligas natum secundum spiritum: Natum, inquam, non factum secundum spiritum. Qui factus est ex semine David secundum carnem, non autem natus ex eodem semine David secundum carnem, sed secundum spiritum, longe mirabilius concipiente per fidem virgine Deo credula Dei Patris Verbum in se humanandum, quam sterilis item per fidem promissionis Dei credula conciperet a sene jam frigido, et, sicut Apo-

B stolus ait, emortuum corpus habente (*Rom.* IV, 19). Quia tamen utrumque factum est per miraculum Dei, et ille typicus et iste verus Isaac natus est non secundum carnem, sed secundum spiritum, ut quam proprie ille Abrahæ, tam proprie iste vocetur Dei Filius. Qui etiam eidem proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, sicut ille Abraham proprio filio suo non pepercit, sed jubente Domino illum disposuit immolare.

VI. Cum ergo filii promissionis sint omnes electi ab Apostolo dicti filii Dei, utpote a Deo Abrahæ promissi, præcipue promissionis filius verus Isaac dicendus est Filius Dei, ipsum naturaliter in divinitate generantis generatione ineffabili ac mirabili,

C et in ejusdem generationis virtute sic formantis hominem in Abrahæ filia præcipua, per Spiritum sanctum purificata et ineffabiliter nobilitata, ut mirabili virginitate naturaliter sterili sine viro solius Dei operatione concipiente, is, qui conceptus est homo, unus cum Dei promittentis Verbo æterno sit filius unicus. Propter quod, cum legitur in tractatibus Patrum, « Christus in cœlo sine matre, in terra sine patre, » intelligendum est, sine patre homine. Quomodo hanc determinationem apponit beatus Augustinus in sermone de nativitate Joannis Baptistæ, dicens: « Ipse Dominus fecit sibi servum in utero sterili de sene patre, et de ancilla matre; et ipse idem Dominus fecit sibi carnem in utero Virginis sine homine patre, qui fecit primum homi-

D nem sine patre et matre. » Cum dicit « sine homine patre, » satis innuit non sine Deo Patre conceptum suæ sponsæ ac suum unigenitum.

CAPUT X.

In expositione sua psalmi XVII, 5, *quæ de thalamo, osculis, et nuptiis sponsi ac sponsæ dixit, sensu spirituali, non carnali accipienda esse monet, nec in expositione versus sexti ejusdem psalmi se aliud voluisse, quam quæ Augustinus et Hilarius de homine in Deum per gratiam assumpto tradidere.*

I. Sed hoc, ut persensi, offendit quosdam carnales, quod in scriptis meis ubi commemoratur iste unigenitus tanquam sponsus de thalamo suo procedens, *tanquam* adverbium dixi potius veritatis quam similitudinis esse significativum, ut illic: *Vidi agnum tanquam occisum*, id est vere occisum

(*Apoc.* v, 6). Item : *Vidimus gloriam ejus gloriam quasi unigeniti a Patre* (*Joan.* I, 9), pro eo ut diceretur, vere unigeniti. Similiter, inquam, cum dicitur, *tanquam sponsus*, intelligendus est vere sponsus : unde qui habet sponsam sponsus est. Qui et habet filios de quibus dicitur : *Nunquid possunt filii sponsi jejunare, quandiu cum illis est sponsus?* (*Matth.* IX, 15.) Habet etiam sponsam, videlicet sanctam Ecclesiam et quamlibet fidelem animam, sicut Pater suus habuit sponsam antiquam Synagogam, et in ea quamlibet fidelem animam seu personam. Fuit autem b ata Virgo Maria illius antiquæ Synagogæ portio electissima, sic a Deo Patre amata ut eam præ omnibus amore suo inflammaret, Verbo quoque suo fecundaret; quod in ea eructatum, et prius mente quam ventre conceptum, de illa processit tanquam sponsus de thalamo suo, amaturus novam Ecclesiam, et in ea quamlibet fidelem personam, tanquam sponsam ornatam viro suo. Inter omnes vero sponsas præ omnibus fuit ac permanet ornata beata Virgo Maria, tanquam consummatio Synagogæ, utpote filia electissima patriarcharum, et post filium suum Ecclesiæ sanctæ nova inchoatio, utpote mater apostolorum, quorum uni dictum est : *Ecce mater tua* (*Joan* XIX, 25).

II. Quod autem uni dictum est, omnibus dici potuit sanctis apostolis novæ Ecclesiæ Patribus. Et, quia pro his, qui credituri erant per verbum eorum, Christus oravit ut omnes unum sint, ad omnes fideles toto corde Christum diligentes pertinet quod dictum est uni Christum diligenti, et inter cæteros magis dilecto. Quo omnes illa beata mater stans juxta crucem parturivit, quando pro his liberandis et salvandis unicum suum pati sciens, gladio compassionis pertranseunte ipsius animam cruciabatur ut pareret. Non vana ergo spe clamamus ad illam, non solum, *Ave, maris stella, Dei mater alma;* sed etiam quod additur : *Monstra te esse matrem;* propter duplicem videlicet maternitatem; unam qua unicum suum peperit sine dolore, alteram qua sibi et eidem unico suo peperit multos filios cum magno dolore ac tristitia sua, ac sui dilecti ejusque discipulorum. De qua tristitia potest congrue intelligi hoc sponsi dictum : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38). Item ad ipsam novellam sponsam, primitivam scilicet apostolici ordinis Ecclesiam, cujus beata Maria erat portio præcipua, idem Sponsus tunc propter defectum vini beatificantis corda, inter cætera dixit : *Mulier cum parit tristitiam habet, quia venit hora ejus*, et cætera usque *tristitia vestra vertetur in gaudium* (*Joan.* XVI, 20). Quod pene idem est ac si dixisset : Aqua vestra convertetur in vinum. Quia jam tunc illa hora imminebat, qua per ejus passionem et resurrectionem natura humana et mortalis et velut aqua corruptibilis, convertenda erat in vinum beatæ immortalitatis, quo gustato gavisi sunt discipuli viso Domino.

III. Inter quos illa mulier quæ una cum illis, dum pareret, amplius contristata vehementius doluerat, quia gladius doloris pertransierat animam ejus non mirum si etiam amplius gaudebat viso Domino filio ac sponso dilectissimo, et jam gaudentibus nuptiarum istarum convivis propter vinum prægustatæ in Christo immortalitatis. Quo etiam vino inebriabuntur quicunque resurgentes immutabuntur in die illa universalium nuptiarum, in qua omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Qui vero immutabuntur, ipsi quoque inebriabuntur de torrente voluptatis, non ut quidam hæretici somniant, carnaliter per mille annos mansuræ, et postea desituræ; sed spiritualis et in æternum permansuræ in illis deliciis, de quibus dicitur in Canticis canticorum : *Quæ est ista quæ ascendit deliciis affluens, et innitens super dilectum suum?* (*Cant.* VIII, 5.) Delicias istas nuptiales jam tum præmeditabatur ipse Christus, cum suæ matri vinum desideranti, dixit : *Nondum venit hora mea* (*Joan.* III, 4). Sed hac hora jam instante, ait : *Mulier, ecce filius tuus* (*Joan.* XIX, 26); ad discipulum autem : *Ecce mater tua* (*ibid.* 25). Hæc mutatio dexteræ Excelsi. Nam traditur hic ipse discipulus fuisse sponsus in illis nuptiis, in quibus, deficiente vino, aqua mutata est in vinum. Quod tunc fuit initium signorum, perfectio vero cum in spiritualibus nuptiis Christo compatientes, ut dilecta mater et dilectus discipulus juxta crucem stantes, eidem conresurgendo lætificabuntur, primo in spe, deinde in re. Et cum de carnali carnalium copula scriptum sit : « Voluptas vana est; » quam licet nuptialia bona excusent ut sit venalis, tamen extra connubium si voluntarie admittitur et studiose appetitur, est criminalis. In illa certe spiritali copula Christi et Ecclesiæ, Verbi et animæ, veræ ac novæ sunt deliciæ, vera et non vana voluptas est, cujus inani umbra seductus arguetur is qui ad spiritales nuptias vocatus dicit : *Uxorem duxi, et ideo non possum venire* (*Luc.* XIV, 20). Tales enim cum audiunt nominari sponsum, thalamum et osculum, nesciunt cogitare nisi tantum carnalia, quippe carnales et ipsi.

IV. Verum, quia mundis omnia munda, spiritales quoque mundi sunt, et amplius mundari cupiunt, in carnalibus nonnisi spiritalia intelligunt, verbi gratia, in sponso Deum rationalis creaturæ amatorem, in sponsa ipsam rationalem creaturam, electam in angelis et hominibus; in amore quo illam sponsam suam Deus amat, Spiritum sanctum; in semine quo eam fecundat, sobrie intelligunt ipsum Dei Verbum, per quod sicut facta sunt omnia quæ facta, sic et fecundantur omnia quæ sunt fecunda. Nam, quia semel locutus Deus, ait : *Germinet terra* (*Gen.* I, 11), ex virtute hujus verbi adhuc germinat terra herbam virentem lignumque pomiferum. Germinat, inquam, aliquando culta, et aliquando (quod mirabilius est) non culta. Hinc est quod illa virginea terra dedit fructum suum, quam vir nullus excoluerat; *quia virum non cognosco* (*Luc.* I, 4), ait ad angelum qui ei nuntiaverat, Verbum in utero

suo incarnandum, ut exinde procederet tanquam sponsus de thalamo suo.

V. De hoc thalamo cum agerem in psalmo XVII, vocabulis quidem utebar carnalibus, nominans thalamum et osculum, et cætera talia nuptiali thalamo convenientia. Sed nihil in eis intellexi aut intelligendum lectori proposui, nisi tantum spiritales delicias, in quibus est non similitudo, sed veritas æternæ voluptatis. De cujus torrente potabuntur veri veritatis amores, Verbum Dei corde credendo concipientes ad justitiam, et ore confitendo ad salutem parientes. Quibus omnibus illa beatissima sponsa præfertur, in qua idem Verbum Dei conceptum et incarnatum est. Nec debet offendere scriptorum meorum lectores quod eam sponsam Dei nominavi, et Verbo Dei fecundatam prædicavi; non in sermone ad populum, qui fortasse non caperet hoc verbum, sed in psalmi expositione spiritalibus competenti, si qui ex illis dignarentur nostra legere.

VI. In eodem psalmo ubi exposui : *A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus*, inter cætera dixi : « Summam siquidem gloriam quam in divinitate semper habuit, suæ quoque humanitati plenissime obtinuit. » Quod dictum ne quem forte offendat, sanctorum Patrum idipsum asserentium dicta legat et intelligat, simulque animadvertat nomine humanitatis hominem significari assumptum, cui datum est nomen quod est super omne nomen, ut vere nominetur quod est, videlicet Deus Filius Dei unicus. Unde Augustinus in libro De prædestinatione sanctorum dicit : « Hic homo, ut a Verbo Patri coæterno in unitatem personæ assumptus Filius Dei unigenitus esset, unde hoc mereretur? Quod bonum præcessit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniretur? Faciente ac suscipiente Deo Verbo ipse homo ex quo esse cœpit. Item idem : Homo quicunque gratia fit Christianus, sicut gratia homo ille ab initio factus est Christus. Item in libro XIII De Trin. Gratia Dei nobis commendatur, quia nec ipse ut in tanta unitate Deo vero conjunctus, una cum illo persona, Filius Dei fieret, ullis est præcedentibus meritis assecutus; sed ex quo homo esse cœpit, ex illo et est Deus. Unde dictum est : *Verbum caro factum est.* »

VII. Item Hilarius in decimo. « Atque hanc quidem et intemporalem et initialem, et omnem humanæ intelligentiæ sensum excedentem unigeniti generationem prædicantes, nati quoque in hominem ex partu Virginis Dei sacramentum docuimus, demonstrantes secundum dispensationem carnis tum, cum se forma Dei evacuans, formam servi accepit, infirmitatem habitus humani Dei non infirmasse naturam, sed salva divinitatis in homine virtute, acquisitam esse Dei ad hominem potestatem. Namque, cum in hominem Deus natus est, non idcirco natus est ne non Deus maneret, sed ut manente Deo homo in Deum natus sit. Nam et Emmanuel nomen est ejus, quod est *nobiscum Deus*, ut non defectio Dei

A ad hominem sit, sed hominis provectus in Deum. Vel cum glorificari se rogat, non utique naturæ Dei, sed assumptioni humilitatis hoc proficit. Nam hanc gloriam postulat, quam ante constitutionem mundi apud Deum habuit. » Item post aliqua : « Evacuans se ex Dei forma, et formam servi accipiens, et Filius Dei etiam Filius hominis nascens, ex suaque virtute non deficiens, Deus Verbum consummavit hominem viventem. Nam quomodo Filius Dei hominis filius erit, natus vel manens in Dei forma formam servi acceperit, si non potente Verbo Deo ex se et carnem intra virginem assumere, et carni animam tribuere, homo Christus Jesus animæ et corporis nostri perfectus est natus, et corpus quidem ita assumpserit, ut id ex Virgine conceptum

B formam esse servi effecerit? Virgo enim nonnisi ex Spiritu sancto genuit quod genuit. Quamvis tantum ad nativitatem carnis ex se daret, quantum ex se feminæ edendorum corporum susceptis originibus impenderent, non tamen Jesus Christus per humanæ conceptionis coaluit naturam, sed omnis causa nascendi invecta per Spiritum, tenuit in hominis nativitate quod matris est, cum tamen haberet in originis nativitate quod Dei est. »

VIII. Augustinus in Enchiridio : « Qui nascuntur ex Spiritu sancto, non aquæ filios eos dixerit quispiam; sed plane dicuntur Filii Dei Patris et matris Ecclesiæ. Sic ergo de Spiritu sancto nactus est Filius Dei Patris non Spiritus sancti : » Et post pauca :

C « Profecto modus iste, quo natus est Christus de Maria sicut filius, et de Spiritu sancto non sicut filius, insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis meritis præcedentibus in ipso exordio naturæ suæ quo esse cœpit, Verbo Dei copularetur in tantam personæ unitatem, ut idem esset Filius Dei qui filius hominis, et filius hominis qui Filius Dei. Et sic in humanæ naturæ susceptione fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, qua nullum posset admittere peccatum. Quæ gratia ideo per Spiritum sanctum est figurata, quia ipse sic proprie est Deus, ut sit etiam Dei donum. Per hoc ergo quod de Spiritu sancto esse nativitatem Christi dicitur, quid aliud quam ipsa gratia demonstratur, qua homo mirabili et ineffabili modo Verbo Dei est adjunctus

D atque concretus, et divina gratia corporaliter repletus? »

IX. Animadverte, prudens lector, quod asserente Augustino, gratia qua homo assumptus est ab initio Christus, illi homini quodammodo sit naturalis. Bene dicit « quodammodo, » id est mirabili modo. Quia non naturaliter, sed mirabiliter factum est ut Virgine concipiente et credente verbum promissionis nasceretur ex ea verus Isaac, non secundum carnem, ut non omnes filii ancillæ, filii Evæ; sed secundum spiritum. Et nos quidem, qui eramus natura filii iræ, per eumdem spiritum sumus renati, ut nominemur et simus filii Dei. Ille autem non renascendo, sed nascendo factus est Filius Dei. Ac proinde ipsa talis filiatio illi homini est naturalis;

ut videlicet sic natus dicatur in veritate Filius Dei, non adoptivus, sicut hi qui, cum prius fuissent filii perditionis, maledictionis, iræ ac gehennæ, postmodum vocantur et justificantur in filios adoptionis; non per naturam generationis, sed per gratiam regenerationis, qua, ut ait Petrus, renati sumus non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi.

CAPUT XI.

Quæ sit similitudo inter gratiam Dei Unicum suum generantis, et filios iræ in adoptionem filiorum suorum regenerantis. Christus est Filius Dei naturalis in utraque natura; in divina quidem naturaliter, in humana vero mirabiliter. Quid sit illud psal. XCVIII, 5 : « *Adorate scabellum pedum ejus.* »

I. Est autem quædam similitudo inter gratiam Dei Unicum suum generantis, et filios iræ in adoptionem filiorum suorum regenerantis. Sicut enim voluntate genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus, ita etiam voluntarie genuit novum hominem qui secundum Deum creatus est, ut sit Filius et Verbum ejus, quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14). Et quomodo in sacramento regenerationis accedit verbum ad elementum et fit sacramentum, ipsum quodammodo visibile verbum, sic in sacramento generationis et conceptionis Jesu Christi filii David, accessit Verbum ad humanæ carnis elementum, et factum est *magnum sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu; apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria* (*I Tim.* III, 16). Vere utique manifestatum est in carne, quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Detrahe ab aqua verbum, et quid est aqua, nisi aqua? Detrahe a carne humana Verbum, et quid est caro, nisi caro? Et certe talis caro non prodest quidquam. Spiritus autem carni unitus est, qui vivificavit, quia Verbum spiritus est, æque ut Pater et Spiritus sanctus. Quod Verbum caro, id est homo factum, prædicatum et creditum, salus est credentium, sperantium, diligentium. Hoc est enim pietatis magnum sacramentum, credere Verbum incarnatum, credere hominem Dei Filium, proinde naturalem, quia nascendo accepit ut sit Filius unicus, quomodo quilibet Christianus accipit renascendo ut sit filius adoptivus.

II. Sicut autem regeneratio non aufert in baptismo renascentibus carnem et ossa, cum etiam in regeneratione corporum ad incorruptionem permanebunt in sanctis resuscitatis caro et ossa in sua natura, licet in alia gloria, ita generatio novi hominis, qui secundum Deum creatus est, non abstulit ei carnem et ossa. Unde ille stultus est argumentator qui putat esse consequens, ut si homo Dei sit Filius naturalis, neque carnem neque ossa habeat. Si enim filius liberæ qui Apostolo affirmante secundum spiritum natus est, non minus habuit carnem et ossa quam filius ancillæ, qui secundum carnem natus est, quomodo filius Virginis revera liberæ matris, qui secundum spiritum natus est, et de Spiritu sancto conceptus est, negandus est habere carnem et ossa? vel quare negandus est Filius Dei naturalis et unicus per talem generationem, cujus auctor est ipse Deus Pater, qui misit Verbum suum in utero Virginis incarnatum, sancto Spiritu operante, qui est amor Dei Patris, ut quod nasceretur ex ea sanctum vocaretur Filius Dei? Si enim per adoptionem esset Dei Filius, non esset unicus, quia tales filii multi sunt. Item, quia per imitationem dicuntur aliquando filii, sicut illic : *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere* (*Joan.* VIII) : si non aliter Filius Dei esset homo de Virgine genitus, non esset unicus, quia tales et taliter filii multi sunt; quorum unus dicit : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (*I Cor.* IV).

III. Cum ergo sit in utraque natura unicus filius ipse Christus, uti supra per auctoritates præmissas ostensum est, restat ut, sicut in utraque natura est unicus, ita in utraque natura sit naturalis Dei Filius; in divina quidem naturaliter, quia naturale est omnibus gignentibus gignere sui generis prolem sibi connaturalem et consubstantialem, sed in humana mirabiliter, quia non in hac Deo Patri consubstantialis, aut connaturalis est. Similiter, cum Deum genuerit, ac proinde meruerit vocari Theotocos, id est Dei genitrix, ipse tamen Deus Virginis filius non est in divinitate matri suæ consubstantialis, quemadmodum nec patri suo in humanitate consubstantialis est, cum sit tamen idem Filius Dei et hominis, utriusque parentis proprius filius, videlicet non per adoptionem, sed per generationem filius naturalis : quod tamen est per miraculum, non per naturam. Neque enim hoc habet natura, ut genitum a gignente discrepet in substantia vel natura. Quod enim de asino et equa nascitur mulus, de leone et parda leopardus, abusio est naturæ, servata tamen hic generis consubstantialitate, non naturæ identitate; si tamen sic placet accipi naturam, sicut eam describit Boetius, docens quod cujusque rei specificata differentia est ejus naturæ, sicut humanitas hominis, leonitas leonis, bovitas bovis est natura. Sed absit his naturalibus exemplis coaptari eam generationem, de qua scriptum est : *Generationem ejus quis enarrabit?* (*Isa.* LIII, 8.) « Quis enim, sicut ait beatus Gregorius, investigare sufficiat, quomodo corporatur Verbum? quomodo summus et vivificator Spiritus intra uterum Virginis animatur? quomodo is qui exsistit, concipitur et nascitur? » Revera insolubilis est ista corrigia calceamentorum ejus, quia mirabilis natura mirifice induta sic assumpsit quod non erat, ut non desineret manere quod erat.

IV. Et quid mirum si natura divina quæ omnino est immutabilis permanet quod erat in Christo? cum etiam natura humana quæ mutabilis est naturaliter, per gratiam nunc facta est immortalis, et immutabilis permaneat in Christo; assumpta quidem in divinitatis gloriam, sed non assumpta per ipsam gloriam, quantum attinet ad sui essentiam, secundum

suo incarnandum, ut exinde procederet tanquam sponsus de thalamo suo.

V. De hoc thalamo cum agerem in psalmo XVII, vocabulis quidem utebar carnalibus, nominans thalamum et osculum, et cætera talia nuptiali thalamo convenientia. Sed nihil in eis intellexi aut intelligendum lectori proposui, nisi tantum spiritales delicias, in quibus est non similitudo, sed veritas æternæ voluptatis. De cujus torrente potabuntur veri veritatis amores, Verbum Dei corde credendo concipientes ad justitiam, et ore confitendo ad salutem parientes. Quibus omnibus illa beatissima sponsa præfertur, in qua idem Verbum Dei conceptum et incarnatum est. Nec debet offendere scriptorum meorum lectores quod eam sponsam Dei nominavi, et Verbo Dei fecundatam prædicavi; non in sermone ad populum, qui fortasse non caperet hoc verbum, sed in psalmi expositione spiritalibus competenti, si qui ex illis dignarentur nostra legere.

VI. In eodem psalmo ubi exposui : *A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus*, inter cætera dixi : « Summam siquidem gloriam quam in divinitate semper habuit, suæ quoque humanitati plenissime obtinuit. » Quod dictum ne quem forte offendat, sanctorum Patrum idipsum asserentium dicta legat et intelligat, simulque animadvertat nomine humanitatis hominem significari assumptum, cui datum est nomen quod est super omne nomen, ut vere nominetur quod est, videlicet Deus Filius Dei unicus. Unde Augustinus in libro De prædestinatione sanctorum dicit : « Hic homo, ut a Verbo Patri coæterno in unitatem personæ assumptus Filius Dei unigenitus esset, unde hoc mereretur ? Quod bonum præcessit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniretur ? Faciente ac suscipiente Deo Verbo ipse homo ex quo esse cœpit. Item idem : Homo quicunque gratia fit Christianus, sicut gratia homo ille ab initio factus est Christus. Item in libro XIII De Trin. Gratia Dei nobis commendatur, quia nec ipse ut in tanta unitate Deo vero conjunctus, una cum illo persona, Filius Dei fieret, ullis est præcedentibus meritis assecutus; sed ex quo homo esse cœpit, ex illo et est Deus. Unde dictum est : *Verbum caro factum est*. »

VII. Item Hilarius in decimo. « Atque hanc quidem et intemporalem et initialem, et omnem humanæ intelligentiæ sensum excedentem unigeniti generationem prædicantes, nati quoque in hominem ex partu Virginis Dei sacramentum docuimus, demonstrantes secundum dispensationem carnis tum, cum se forma Dei evacuans, formam servi accepit, infirmitatem habitus humani Dei non infirmasse naturam, sed salva divinitatis in homine virtute, acquisitam esse Dei ad hominem potestatem. Namque, cum in hominem Deus natus est, non idcirco natus est ne non Deus maneret, sed ut manente Deo homo in Deum natus sit. Nam et Emmanuel nomen est ejus, quod est *nobiscum Deus*, ut non defectio Dei ad hominem sit, sed hominis provectus in Deum. Vel cum glorificari se rogat, non utique naturæ Dei, sed assumptioni humilitatis hoc proficit. Nam hanc gloriam postulat, quam ante constitutionem mundi apud Deum habuit. » Item post aliqua : « Evacuans se ex Dei forma, et formam servi accipiens, et Filius Dei etiam Filius hominis nascens, ex suaque virtute non deficiens, Deus Verbum consummavit hominem viventem. Nam quomodo Filius Dei hominis filius erit, natus vel manens in Dei forma formam servi acceperit, si non potente Verbo Deo ex se et carnem intra virginem assumere, et carni animam tribuere, homo Christus Jesus animæ et corporis nostri perfectus est natus, et corpus quidem ita assumpserit, ut id ex Virgine conceptum formam esse servi effecerit ? Virgo enim nonnisi ex Spiritu sancto genuit quod genuit. Quamvis tantum ad nativitatem carnis ex se daret, quantum ex se feminæ edendorum corporum susceptis originibus impenderent, non tamen Jesus Christus per humanæ conceptionis coaluit naturam, sed omnis causa nascendi invecta per Spiritum, tenuit in hominis nativitate quod matris est, cum tamen haberet in originis nativitate quod Dei est. »

VIII. Augustinus in Enchiridio : « Qui nascuntur ex Spiritu sancto, non aquæ filios eos dixerit quispiam; sed plane dicuntur Filii Dei Patris et matris Ecclesiæ. Sic ergo de Spiritu sancto natus est Filius Dei Patris non Spiritus sancti : » Et post pauca : « Profecto modus iste, quo natus est Christus de Maria sicut filius, et de Spiritu sancto non sicut filius, insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis meritis præcedentibus in ipso exordio naturæ suæ quo esse cœpit, Verbo Dei copularetur in tantam personæ unitatem, ut idem esset Filius Dei qui filius hominis, et filius hominis qui Filius Dei. Et sic in humanæ naturæ susceptione fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, qua nullum posset admittere peccatum. Quæ gratia ideo per Spiritum sanctum est figurata, quia ipse sic proprie est Deus, ut sit etiam Dei donum. Per hoc ergo quod de Spiritu sancto esse nativitatem Christi dicitur, quid aliud quam ipsa gratia demonstratur, qua homo mirabili et ineffabili modo Verbo Dei est adjunctus atque concretus, et divina gratia corporaliter repletus ? »

IX. Animadverte, prudens lector, quod asserente Augustino, gratia qua homo assumptus est ab initio Christus, illi homini quodammodo sit [illegible] Bene dicit « quodammodo, » id est [illegible] Quia non naturaliter, sed mirabiliter [illegible] Virgine concipiente et credente verb[illegible] nis nasceretur ex ea verus Isaac, [illegible] carnem, ut non omnes filii ancillæ, [illegible] secundum spiritum. Et nos quidem [illegible] tura filii iræ, per eumdem spi[illegible] ut nominemur et simus filii Dei [illegible] nascendo, sed nascendo factus [illegible] proinde ipsa talis filiatio illi ho[illegible]

ut videlicet sic natus dicatur in veritate Filius Dei, non adoptivus, sicut hi qui, cum prius fuissent filii perditionis, maledictionis, iræ ac gehennæ, postmodum vocantur et justificantur in filios adoptionis; non per naturam generationis, sed per gratiam regenerationis, qua, ut ait Petrus, renati sumus non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi.

CAPUT XI.

Quæ sit similitudo inter gratiam Dei Unicum suum generantis, et filios iræ in adoptionem filiorum suorum regenerantis. Christus est Filius Dei naturalis in utraque natura; in divina quidem naturaliter, in humana vero mirabiliter. Quid sit illud psal. XCVIII, 5 : « *Adorate scabellum pedum ejus.* »

I. Est autem quædam similitudo inter gratiam Dei Unicum suum generantis, et filios iræ in adoptionem filiorum suorum regenerantis. Sicut enim voluntate genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus, ita etiam voluntarie genuit novum hominem qui secundum Deum creatus est, ut sit Filius et Verbum ejus, quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14). Et quomodo in sacramento regenerationis accedit verbum ad elementum et fit sacramentum, ipsum quodammodo visibile verbum, sic in sacramento generationis et conceptionis Jesu Christi filii David, accessit Verbum ad humanæ carnis elementum, et factum est *magnum sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu; apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria* (*I Tim.* III, 16). Vere utique manifestatum est in carne, quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Detrahe ab aqua verbum, et quid est aqua, nisi aqua? Detrahe a carne humana Verbum, et quid est caro, nisi caro? Et certe talis caro non prodest quidquam. Spiritus autem carni unitus est, qui vivificavit, quia Verbum spiritus est, æque ut Pater et Spiritus sanctus. Quod Verbum caro, id est homo factum, prædicatum et creditum, salus est credentium, sperantium, diligentium. Hoc est enim pietatis magnum sacramentum, credere Verbum incarnatum, credere hominem Dei Filium, proinde naturalem, quia nascendo accepit ut sit Filius unicus, quomodo quilibet Christianus accipit renascendo ut sit filius adoptivus.

II. Sicut autem regeneratio non aufert in baptismo renascentibus carnem et ossa, cum etiam in regeneratione corporum ad incorruptionem permanebunt in sanctis resuscitatis caro et ossa in sua natura, licet in alia gloria, ita generatio novi hominis, qui secundum Deum creatus est, non abstulit ei carnem et ossa. Unde ille stultus est argumentator qui putat esse consequens, ut si homo Dei sit Filius naturalis, neque carnem neque ossa habeat. Si enim filius liberæ qui Apostolo affirmante secundum spiritum natus est, non minus habuit carnem et ossa quam filius ancillæ, qui secundum carnem natus est, quomodo filius Virginis revera liberæ matris, qui secundum spiritum natus [illegible] Spiritu sancto conceptus est, negandus est habere carnem et ossa? vel quare negandus est Filius Dei naturalis et unicus per talem generationem, cujus auctor est ipse Deus Pater, qui misit Verbum suum in utero Virginis incarnatum, sancto Spiritu operante, qui est amor Dei Patris, ut quod nasceretur ex ea sanctum vocaretur Filius Dei? Si enim per adoptionem esset Dei Filius, non esset unicus, quia tales filii multi sunt. Item, quia per imitationem dicuntur aliquando filii, sicut illic : *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere* (*Joan.* VIII) : si non aliter Filius Dei esset homo de Virgine genitus, non esset unicus, quia tales et taliter filii multi sunt; quorum unus dicit : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (*I Cor.* IV).

III. Cum ergo sit in utraque natura unicus filius ipse Christus, uti supra per auctoritates præmissas ostensum est, restat ut, sicut in utraque natura est unicus, ita in utraque natura sit naturalis Dei Filius; in divina quidem naturaliter, quia naturale est omnibus gignentibus gignere sui generis prolem sibi connaturalem et consubstantialem, sed in humana mirabiliter, quia non in hac Deo Patri consubstantialis, aut connaturalis est. Similiter, cum Deum genuerit, ac proinde meruerit vocari Theotocos, id est Dei genitrix, ipse tamen Deus Virginis filius non est in divinitate matri suæ consubstantialis, quemadmodum nec patri suo in humanitate consubstantialis est, cum sit tamen idem Filius Dei et hominis, utriusque parentis proprius filius, videlicet non per adoptionem, sed per generationem filius naturalis : quod tamen est per miraculum, non per naturam. Neque enim hoc habet natura, ut genitum a gignente discrepet in substantia vel natura. Quod enim de asino et equa nascitur mulus, de leone et parda leopardus, abusio est naturæ, servata tamen hic generis consubstantialitate, non naturæ identitate; si tamen sic placet accipi naturam, sicut eam describit Boetius, docens quod cujusque rei specificata differentia est ejus natura, sicut humanitas hominis, leonitas leonis, bovitas bovis est natura. Sed absit his naturalibus exemplis coaptari eam generationem, de qua scriptum est : *Generationem ejus quis enarrabit?* (*Isa.* LIII, 20.) « Quis enim, sicut ait beatus Gregorius, investigare sufficiat, quomodo corporatur Verbum? quomodo summus et vivificator Spiritus intra uterum Virginis animatur? quomodo is qui exsistit, concipitur et nascitur? » Revera insolubilis est ista corrigia calceamentorum ejus, quia mirabilis natura mirifice induta [illegible] sumpsit quod non erat, et non [illegible] quod erat.

IV. Et quid mirum si natura divina quæ [illegible] est immutabilis permanens [illegible] etiam natura humana [illegible] per gratiam [illegible] bilis permanens in Christo [illegible]

quam etiam subjectus est ipse Filius Deo subjicienti sibi omnia, ut sit subjectio secundum naturam in Filio Dei creatam, non secundum gloriam, potentiam, sapientiam, bonitatem eidem collatam, non ad mensuram per ineffabilem et immensurabilem gratiam. Quam non bene mensuravit Photinus, confitendo quidem Christum hominem, sed negans eidem homini omnipotentiam. Unde beatus Ambrosius exponens illud in Luca : *Ecce leprosus veniens adorabat eum dicens : Domine, si vis potes me mundare. Et extendens Jesus manum tetigit eum dicens : Volo : Mundare* (*Luc.* v, 13). Hoc inquam exponens Ambrosius dicit inter cætera : « Imperat propter Arium, tangit propter Manichæum, Volo dicit propter Photinum. » Quia enim Arius imparem Patri asserebat Filium, propter illum confutandum nulla prece ante præmissa imperat dicens : *Mundare.* Quia vero Manichæus corpus Christi asserebat phantasticum, quod nec tangi nec tangere potest, recte propter Manichæum tangit. Sed propter Photinum dicit : *Volo,* ut ostenderet se, licet hominem, tamen suo Patri coomnipotentem, de quo scriptum est : *Omnia quæcunque voluit fecit* (*Psal.* CXIII, 3).

V. Laudanda sane istius leprosi fides, qui procidens adoravit hominem quem non dubitabat esse omnipotentem. *Domine*, inquit, *si vis potes me mundare.* Adorabat non adoratione quæ dulia dicitur, qualis etiam licite angelis ante adventum Christi legitur exhibita. Qua etiam licenter adoravit Nathan propheta regem David, quem tamen peccatorem esse non ignoraverat, imo etiam pro peccato suo graviter increpaverat. Non, inquam, tali adoratione adoravit iste leprosus, quem confessus est omnipotentem, sed illa excellenti adoratione qua solus Creator est adorandus. Et merito, quia homo iste, licet sic creatus, tamen Creatori sic est unitus, ut sic unicus Dei Filius, ac proinde adorandus ut Deus. Unde legitur : *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.*

VI. Beatus Augustinus, ut quidam contendunt, interpretatur, scabellum pedum Domini hominem assumptum ; quod etiam dicit adorandum, quoniam sanctus est ille cujus est scabellum. Sed beatus Hieronymus Hebraicæ veritatis non ignarus, non dicit *quoniam sanctum est*, sed quoniam *factum* est, videlicet scabellum ipsum, quod tamen vetat intelligi de homine assumpto, interpretando scabellum Domini, sive loca ubi steterunt pedes ejus, sive animas beatas in quibus cernuntur vestigia ejus. Hominem vero assumptum docet esse dicendum potius thronum quam scabellum, ita dicens : « Quid est hoc scabellum pedum Jesu, quoniam sanctum est? Legimus in hoc loco : *Cœlum mihi thronus est ; terra autem mihi scabellum pedum meorum :* et nunc dicitur : *Adorate scabellum pedum ejus.* Si terra scabellum pedum Jesu, dicitur autem, adorate scabellum pedum ejus ; ergo terra adoranda est, quomodo legimus in Apostolo quia, excepto creatore, creaturam adorare non debeamus? *Adorare in* Scri-

A pturis duobus modis dicitur : Dicitur enim adoratio quasi in Deum, et dicitur adorare Deum. Proprie adoratio in Deum ponitur. Quando autem in homine dicitur, verbi causa, adoravit Sara Abraham, et adoravit Elias Achab impiissimum regem, non dicitur quod Elias sic adoraverit Achab quasi Deum, sed hæc adoratio quasi salutatio ponitur. Ergo nunc videamus hoc quod dicit : *Et adorate scabellum ejus.* Secundum quem modum dicit, si adoramus scabellum pedum Dei? aut adoramus quasi Deum, aut salutamus quasi hominem. Legimus in Lamentationibus Jeremiæ, legimus et in alio propheta, quomodo, inquit sanctificavit Dominus scabellum pedum suorum, et ibi scabellum pedum ejus Jerosolyma dicitur sive templum. Igitur secundum historiam B legimus et in alio loco. Et adorate scabellum ejus, sed pedes non stant nisi in scabello. Ergo quod dicitur : Et adoretis ubi steterunt pedes ejus, et de scabello dicitur. Ergo secundum litteram possumus dicere, verbi causa, ubi natus est, ubi crucifixus est, ubi resurrexit. Hoc incipientibus loquimur. Cæterum scabellum pedum Jesu, anima credentis est. Felix est ille in cujus pectore pedes quotidie ponuntur Jesu. Utinam et in meo pectore ponantur pedes Jesu ! utinam vestigia ejus semper hæreant in corde meo! utinam et ego dicam cum sponsa : *Tenebo eum, et non dimittam eum !* (*Cant.* III, 4.) Sponsus cito offenditur, semper munditias amat, ubicunque sordes viderit cito recedit. *Et adorate* C *scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.* Non omne scabellum pedum ejus, sed quodcunque sanctum est, quotquot in sanctitate perseverant. Verbi causa, adorate scabellum pedum ejus, Petrum et Paulum et cæteros apostolos adorate, hoc est honorate, quoniam sanctum est. Illos adorate qui in sanctitate perseverant. Cæterum qui scabellum fuerunt, et non sunt sancti, illos ne adoretis ; verbi causa, Judas proditor scabellum ejus fuit, sed quoniam non est sanctus, ne illum adoretis.

VII. « Legi in cujusdam libro, assumptio [*fort.* assumptionem], inquit, humani corporis, hoc est hominem, quem de Maria est dignatus assumere, ipsum, inquit, dico scabellum pedum ejus. Licet quidem assumptus sit homo, et ad comparationem D Dei omnis creatura scabellum pedum ejus est, tamen hoc ipsum scabellum sociatum est Deo, et de essenti suo est : Videte quam rem audeam loqui. Ego ita adoro scabellum quod quondam fuit, sicut nunc thronum. Etsi enim novimus Christum secundum carnem, sed jam non novimus eum secundum carnem. Habuerit forsitan scabellum ante mortem, ante resurrectionem, quando comedebat, quando bibebat, quando nostros patiebatur effectus ; postquam resurrexit, ad cœlos victor ascendit ; ego non intelligo aliud sedentem et aliud scabellum, sed totum in Christo thronus est. Quæ vis et dicis, quare vel quomodo? quomodo sit nescio, et tamen credo quod sit. Miraris si ignorem divinitatis mysteria, cum meipsum nesciam? Interrogas me quomodo et

divinitas et incarnatio unum sit, cum ego nesciam quomodo vivam? Deum intellexisse, credidisse est; Deum nosse, honorare est. Sufficit mihi scire quod scriptum est. Sufficit mihi scire quod credo. Plus autem nec volo nec cupio. Si enim plus scire voluero, et hoc incipio perdere quod credo. Fideles dicimur, non rationales. Denique dicitur a Domino : *Credis quod ego possim hoc facere?* Et dicitur ad mulierem : *Fides tua te salvam fecit*, non ratio, non inquisitio, non quare vel quomodo factum est; sed quia credidit. » Huc usque Hieronymus.

CAPUT XII.

Ejusdem Davidici versus expositio ex Augustino. In adoratione Christi nec homo a Deo, nec Deus ab homine separandus est. Epistola Brunonis ep. Argentinensis, qua Gerhohi opusculum ad Adrianum papam commendat.

I. Augustinus vero super eumdem psalmum dicit : « *Exaltate dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus*, etc. (*Psal.* XCVIII, 5). Quid habemus adorare? Scabellum pedum ejus. Suppedaneum dicitur scabellum : Quod dicunt Græci hypopodion, dixerunt Latini scabellum, et alii dixerunt suppedaneum. Sed videte, fratres, quid nos jubeat adorare. Alio loco Scripturarum dicitur : *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum* (*Act.* VII, 49). Ergo terram nos jubet adorare, quia dicit alio loco, quod sit scabellum Dei? Et quomodo adorabimus terram, cum dicat Scriptura aperte : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Matth.* IV, 10); et hic dicitur, adorate scabellum ejus? Exponens autem mihi quid sit scabellum pedum ejus dicit : Terra autem scabellum pedum meorum. Anceps factus sum : timeo adorare terram, ne damnet me qui fecit cœlum et terram. Rursum timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia dicit psalmus : *Adorate scabellum pedum ejus* (*Psal.* XCVIII, 5). Quæro quid sit scabellum pedum ejus? Et dicit mihi Scriptura : Terra autem scabellum pedum meorum. Fluctuans converto me ad Christum, quia quæro ipsum hic, et invenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, et de carne Mariæ virginis carnem suscepit. Et, quia in carne ipsa ambulavit hic, et ipsam carnem dedit nobis ad manducandum; ad salutem autem nemo illam manducat, nisi prius adoraverit, inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Nunquid autem caro vivificat? Ipse Dominus dicit, cum de ipsa commendatione terræ ejusdem loqueretur : *Spiritus est qui vivificat, caro autem nihil prodest* (*Marc.* VI, 64). »

II. His de scabello quod caro Christi est in veritate adoranda præmissis, etiam de alio scabello quod est hæc terra quam calcamus; idem Augustinus adjungit, quod sequitur : « Ideo, inquit, ad terram quamlibet cum te inclinas atque prosternis, non quasi terram intueris, sed illum sanctum cujus

A pedum scabellum est quod adoras : propter ipsum enim adoras. » In his dictis Augustini patet non proprie intelligendam scabelli adorationem, cum te inclinas atque prosternis in terram quamlibet, verbi gratia, in pavimentum sanctificatæ domus Domini. Quam terram deosculando, non ipsam adoras adoratione qua solus Deus est adorandus : honoras tamen illam propter illum, cujus intelligitur scabellum, præcipue in sanctis locis ubi steterunt corporales pedes ejus, verbi gratia, in monte Oliveti, vel in valle Josaphat, vel in Bethania. Quæ nimirum loca sancta nonnulli corporaliter et multi spiritualiter osculis demulcent : adorando in his non ipsa loca, sed Christum, venerando vestigia pedum ejus. At, ubi non terra quæ sub cœlo est, sed

B supra cœlos in una Trinitatis persona exaltata super omnia creata eminet, cogitatur, absit ut in ejus adoratione vel ipsa distinguatur a sibi unita divinitate, vel divinitas ab ipsa ! Quia hoc neque sensit aut docuit Augustinus : et hoc ipsum sub anathemate interdicit synodus Ephesina.

III. Huc accedit, nostroque sensui satis concordat, quod in præmissis Hieronymi verbis legitur : « Hoc ipsum scabellum sociatum est Deo, et de essenti suo est. » In quibus verbis juxta idioma Græci sermonis, *essens* pro persona Christi ex duabus vel in duabus naturis, divina scilicet et humana, sibi inseparabiliter unitis, existentis posuit. Ex quo patet quod Deus homo, et homo Deus, ex duabus et in

C duabus naturis consistens unus Jesus Christus, tertia in Trinitate persona, sic est adoratione una adorandus, ut supra Ephesina synodus definivit, anathemate condemnans qui hominis adorationem a Dei adoratione distinguunt. Quod procul dubio anathema incidunt qui homini assumpto duliam, sed Deo ad summum latriam dicunt exhibendam. De quo numero est ille blasphemus, qui Augustini verba depravata suis contra nos inseruit scriptis; affirmans quasi ejus auctoritate habendum pro idololatra quisquis a Verbo assumptum adoraret hominem adoratione quæ dicitur latria, quæ et soli Creatori exhibenda est.

IV. Porro nos cum prædicto leproso adoramus Christum non dimidium sed totum : videlicet susci-

D pientem Deum et susceptum hominem; quia, ut ait beatus Augustinus in libro de Trinitate, « Talis fuit illa susceptio quæ hominem faceret Deum et Deum hominem. » Item idem : « Utrumque Deus propter accipientem, utrumque homo propter acceptum. » Recte igitur adoravit hominem Deum tunc unus homo leprosus; recte et nunc ille magnus leprosus, videlicet mundus immundus, a lepra idololatriæ mundandus vel mundatus, adorat hominem omnipotentem, altissimum, Dei omnipotentis, altissimi Filium : in quo Deus exaltans et homo exaltatus, non duo sunt altissimi, sed unus Altissimus, inseparabiliter et indivise adorandus : non homo propter Deum, sed homo in Deo et in homine Deus. Unde Joannes Damascenus : « Unus, ait, Christus

Deus perfectus et homo perfectus, quem adoramus A cum Patre et Spiritu sancto una adoratione, non carnem non adorandam esse dicentes, adoratur enim in una Verbi persona, non creationem colentes; non enim sicut nudam carnem adoramus, sed sicut deitati unitam. »

V. Ambrosius, in libro de Trinitate, ita dicit : « Dicimus ergo factum esse hominem, et ad hominem hoc esse referendum. Denique et alibi habemus : *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem* (*Rom.* I, 3). Secundum carnem utique David factus est ex semine. Nec tamen factum esse semper ad creationem refertur. Scriptum est enim : *Domine, refugium factus es nobis* (*Psal.* LXXXIX, 1).» Et paulo post : « Ergo si factum esse frequenter ad aliquid aliud non ad facturam refertur; unde in- B telligimus hic illud quod de incarnatione Domini scriptum est : *Dominus creavit me principium viarum suarum in opera sua*, illud significare quod ad redimenda opera patris Dominus ex virgine Jesus sit creatus. » Item in eodem : « Paulus, inquit, prohibet me creaturæ servire, et Christo admonet serviendum. Non ergo creatura Christus. *Paulus*, inquit, *servus Domini Jesu Christi* (*Rom.* I, 1). Et bonus servus qui Dominum recognoscit, ipsæ creaturæ servire nos prohibet. Quemadmodum ergo Christo ipse serviret, si Christum creaturam putaret? Vide ergo quomodo Christum factum et creatum secundum aliquid affirmat, quem tamen creaturam esse negat. » Idem quoque in eodem libro, Christum non C adoptivum sed naturalem filium esse testatur, dicens : « Per adoptionem nos filii dicimur, ille per veritatem naturæ. Quomodo ergo ex nihilo qui ex nihilo omnia fecit? Ita oportet secundum testimonia Scripturarum fidei vestigia formare, ut rectæ credulitati sinceræ confessionis puritatem adjungamus, atque in Christo non solum increatam naturam divinam corde credamus et ore confiteamur super cœlos cœlorumque virtutes altissimam; nec jam inter creaturas deputandam; sed super omnes creaturas adorandam eadem adoratione, qua Deus Pater adoratur. » In sancta enim synodo Ephesina sub anathemate interdictum legimus, ne humanitatem Christi Verbo Dei quis dicat coadorandam : quam sancti Patres in eadem synodo prædicant D adorandam simplici adoratione, qua non homo a Verbo distinguatur. Sed ex duabus et in duabus naturis unus Emmanuel super omnia Deus benedictus colatur. Item legitur in libro Diffinitionum ecclesiasticarum, quem quidam Augustino, quidam Isidoro attribuunt, homousion in divinitate Patri Filius, homousion Patri et Filio Spiritus sanctus; homousion Deo et homini unus Filius, manens Deus in homine suo, in gloria Dei Patris desiderabilis videri ab angelis : sicut Pater et Spiritus sanctus adoratur ab angelis et omni creatura, non homo propter Deum, vel Christus cum Deo, sicut Nestorius blasphemat; sed homo in Deo et in homine Deus.

I. De hac adoratione aliisque nunc perstrictis quæstionibus tanta dicta sunt a nobis in opusculo ad papam Adrianum, ut eadem repetere videatur non necessarium, cum possint illic reperta satisfacere lectori benevolo : sicut perlecto eodem opusculo satisfactum est beatæ memoriæ domino Brunoni quondam Argentinensi episcopo, prudenti viro valenter litterato. Qui etiam ad lecta et intellecta scripta nostra benigne respondit per epistolam, cujus hoc est rescriptum.

VII. « Domino G. præposito, viro religioso et erudito B. peccator, edere de manna abscondito. Inter pressuras graves et varios tumultus mundi labentis, et suos dilectores secum volventis, quantum licuit scripta vestra, aspexi; zelum vestrum, studia vestra agonem et eruditionem adverti; et quod regina austri de rege Salomone dixit, de vobis veraciter et fiducialiter pronuntiandum judicavi. Videlicet quod minor est fama quæ de vestris laudibus loquitur, quam thesaurus sapientiæ qui propius accedenti et altius fodienti manifestatur. Joannes Baptista agnum Dei secundum aliquid sciebat et demonstrabat, et secundum aliquid nesciebat quod per columbam descendentem et manentem super eum cogniturus erat. Utique mihi tale aliquid circa vos accidit, quia vos cognoscebam, sed nec talem nec totum. Scriptis igitur vestris quamvis raptim et in superficie gustatis, multo et ardenti desiderio exopto scriptorum vestrorum mihi gratiam, pariter et vestram præsentiam dulcissimam exhiberi : ut quæ clausa sunt, vel quæstionem afferre videntur, mutua collatione et amica collocutione, quasi quibusdam clavibus aperiantur. Incolumitatem vestram, et omnium vobiscum in Christo degentium memorem nostri omnipotens Deus longo tueatur ævo. »

§ VIII. Hanc epistolam propter hoc inserui, ut exinde notum sit in ecclesia Babenbergensi ubi nunc pulsamur quæstionibus, aliquando nos habuisse locum in diversorio ad quiescendum apud fidelissimum tunc dominum et amicum, cujus memoria in benedictione mihi est : ut e regione illius memoria pluribus est in maledictione, qui nuper in eadem ecclesia scripta mendaciis et blasphemiis plena contra nos evomuit. Quæ tamen nobilis illa ecclesia sprevit, sicut etiam Pataviensis episcopus eadem sibi missa contempsit. Similiter cum in ecclesiam Salisburgensem suas misisset blasphemias ad dominum archiepiscopum, ad nihilum deductus est in conspectu illius ille malignus cum suis litteris litura dignis, utpote mendacia contra nos multa continentibus, et etiam pervertentibus regulam fidei, qua docemur hominem Deum adorandum summæ venerationis adoratione, una cum sua et in sua divinitate, qua homo ille non inter omnia, sed super omnia prædicatur ab apostolo Deus benedictus in sæcula.

CAPUT XIII.

Christus in sacramento Eucharistiæ vere coram præsens et adorandus est, eisque anathema dicit auctor qui corpus Domini in duobus simul locis esse

posse negant ; cujusmodi post Berengarium fuit Folmarus, de cujus maledictis graviter quæritur Gerhohus.

I. Ut autem redeamus ad supra memoratum leprosum Christi adoratorem et omnipotentiæ ipsius confessorem, digne hic talis adorator est proponendus in exemplum fidelibus id credentibus, quod sicut tunc adorabatur in corpore suo, sic etiam nunc adoretur præsens in eodem corpore suo, potens mundare adorantem et manducantem se. Credat igitur mundus peccati lepra inquinatus, quod Christus Jesus corporaliter manens in cœlo, nihilominus corporaliter sit in templo suo quod est Ecclesia, quam pascit corpore ac sanguine suo; non solum sacramento tenus, ut voluit quidam Berengarius, et adhuc vult prænotatus blasphemus ejusdem Berengarii pedissequus ; sed in rei veritate, ita ut ipsius Christi verum corpus de virgine sumptum, in altari præsentetur, immoletur, manducetur, ac proinde salubriter adoretur. Quia ut in præmissis Augustini verbis legitur, « nemo ad salutem carnem Christi manducat, nisi prius adoraverit. » Qui vero adorant eam in sacramento altaris, credunt eam illic præsentem, seseque manducantibus vitam dare, juxta illud : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI, 54). Item : *Sicut genuit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me et ipse vivet propter me* (*ibid.*, 58). Non autem Christus manducatur nisi ubi præsens creditur. Præsentatur autem nunc assidue in templo suo quod est ecclesia, ut quondam præsentatus est in templo ; juxta illud : *Et statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, et angelus testamenti quem vos vultis* (*Malac.* III, 1). Accipiunt quoque illum in ulnas suas justi et timorati, stringentes illum ad se brachiis bonæ operationis, dum non in vacuum tantam gratiam, sanctam videlicet Eucharistiam suscipiunt, in qua ipsum fontem gratiæ corporaliter præsentem credunt.

II. Quod quia negavit jam dictus Berengarius, ipse doctrinam suam hanc pestiferam damnare atque abjurare coactus est in concilio publico, imposito sibi silentio. Sed nunc in ejus locum surrexit ille blasphemus, recte nominatus Folmarus, quasi follis amarus, dictis et scriptis affirmando corpus Domini ex quo ascendit nunquam fuisse sub cœlo. Cui cum nos inter cætera objiceremus quod multi sanctorum viderint eum corporaliter postquam ascendit in cœlum, sicut corporaliter visus est Petro, quando ei dixit : *Venio Romam iterum crucifigi* (*Act.* XXVIII, 14) ; dixit hoc totum esse fabulosum, neque canonicis fultum Scripturis : forsitan pro canonicis nesciens habendum Scripturis, quod Lucas refert in Actibus apostolorum, Dominum Jesum Christum post ascensionem suam visum et auditum fuisse a Paulo apostolo. Unde ait ipse : *Nonne Dominum nostrum Jesum Christum*

A *vidi ?* Et Ananias ait ad illum : *Dominus Jesus, qui apparuit tibi in via, misit me ad te, ut videas et implearis Spiritu sancto* (*Act.* IX, 7). Maxima vero nobis assistit auctoritas in fide universalis Ecclesiæ, atque in scriptis orthodoxorum Patrum, Ambrosii, Hilarii, Augustini, Gregorii : quorum dicta inserere, cum sint notissima, non putamus necessarium.

III. Sane hoc solerter est animadvertendum quod, licet status naturæ humanæ a Patribus sanctis multiformiter inveniatur distinctus ; videlicet qualis ante peccatum et post peccatum, et post reparationem intelligitur, ex quibus omnibus distinctis inter se statibus aliquid in se habuit homo assumptus, qui et sine peccato fuit, quod ad creationis B pertinuit statum ; et pœnas peccati habuit in similitudinem peccatoris, nec peccare potuit in similitudinem sanctorum post resurrectionem confirmatorum : attamen ultra omnes istiusmodi status illud habuit, quod suo sanguine peccata in se credentium potuit abolere, quod superexcellit omnem statum totius naturæ humanæ in Adam perditæ. Quia neque sanguis Abel, neque sanguis omnium justorum ante ipsum propter justitiam occisorum potuit auferre peccatum. Item, quod beatus Gregorius carnem triformiter distinguit : videlicet secundum peccatum, ut illic : *Non permanebit spiritus meus in hominibus, quia caro sunt* (*Gen.* VI, 3) ; secundum corruptionem, ut illic : *Caro et sanguis regnum Dei* C *possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit* (*I Cor.* XV, 50) ; secundum naturam, ut illic : *Et videbit omnis caro salutare Dei* (*Luc.* III, 6) : nomine carnis totum significans hominem, laudabile est satis contra eos qui disputabant contra carnis resurrectionem, quorum erat præcipuus Constantinopolitanus archiepiscopus ab ipso beato Gregorio tunc in urbe regia legato confutatus.

IV. Attamen ultra omnes istas distinctiones carnis, est illa caro, quæ peccati et corruptionis, id est putredinis expers, licet naturaliter caro fuerit et sit, supra omnem tamen carnis humanæ habet naturam, ut non solum ipsa æternaliter vivat, sed etiam se participantibus vitam æternam conferat, D vitam habens in se manentem, et de se manentem. Unde id, quod in altari sacrosancta percipit Ecclesia, non corpus hominis, ut Nestorius hæreticus voluit, sed corpus Domini est nominandum. Quod quia negavit jam dictus Nestorius, in synodo Ephesina cum sua doctrina damnatus est, atque ad ejusdem pestiferæ doctrinæ confutationem Patres orthodoxi dixerunt, et scriptum reliquerunt : « Ad benedictiones mysticas accedimus, et sanctificamur participes facti corporis et pretiosi sanguinis Christi, omnium nostrum redemptoris effecti : non ut communem carnem percipientes, quod absit ! nec ut viri sanctificati et Verbo conjuncti secundum dignitatis unitatem, aut sicut divinam possidentis habitationem ; sed vere vivificatricem, et ipsius

Verbi propriam factam. Vita enim naturaliter ut A Deus existens, quia proprie carni unitus est, vivificatricem eam esse professus est. Et ideo quamvis dicat ad nos : *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem* (*Joan.* VI, 54), non tamen eam ut hominis unius ex nobis existimare debemus. Quomodo enim juxta naturam suam vivificatrix esse caro hominis poterit ? sed ut vere propriam ejus factam qui propter nos filius hominis et factus est et vocatus. Item : Si quis negaverit carnem Christi vivificatricem esse tanquam ipsius Verbi Dei, sed quasi alterius cujuspiam præter ipsum, conjuncti quidem secundum dignitatem, aut tam quam secundum quod solam habitationem habuerit ; et non potius, sicut dixit, vivificatricem esse, quia facta est pro- B pria Verbi Dei, cui omnia vivificare possibile est, anathema sit. »

V. Anathema igitur et alieni sint a sancta Ecclesia, qui corpus Domini vivum et vivificum sic putant in uno aliquo loco cœli taliter circumseptum, et quodammodo, quod dictu nefas est, incarceratum, ut non possit uno eodemque momento multis in locis totaliter esse, prout vult et prout exigit salus hominum ; propter quod idem corpus est assumptum in Deum. Deridet horum intelligentiam vel potius fatuitatem beatus Hieronymus ad Vigilantium, imo Dormitantium scribens, et inter cætera dicens : « Lege Evangelium : Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, non Deus est mortuorum, C sed vivorum. Si ergo vivunt honesto justa te carcere claudantur. Ais enim, vel in sinu Abrahæ vel in locum refrigerii, vel subter aram Dei animas occisorum apostolorum, martyrum consedisse, nec posse suis tumulis et ubi voluerint præsentes adesse. Senatoriæ videlicet dignitatis sunt, ut non inter homicidas teterrimo carcere, sed in libera honestaque custodia, in fortunatorum insulis, et in campis Elysiis recludantur. Tu Deo leges ponis, tu et apostolis vincula injicis, ut usque ad diem judicii teneantur in custodia, nec sint cum Domino suo. De quibus scriptum est : *sequuntur Agnum quocunque ierit* (*Apoc.* XIV, 4). Si Agnus ubique, ergo et hi qui eum agnoscunt ubique esse credendi sunt. Et cum diabolus et dæmones, qui toto orbe vagantur, et D celeritate nimia ubique præsentes sint, martyres, post effusionem sanguinis sui ara operientur inclusi, et inde exire non poterunt ? Dicis in libello tuo quod dum vivimus mutuo pro nobis possimus orare ; postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio, præsertim cum martyres adhuc in corpore constituti possint orare pro cæteris, quando de se debent adhuc esse solliciti ; quanto magis post coronas et victorias et triumphos? Unus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat veniam a Deo, et Stephanus imitator Dei sui et primus martyr in Christo peccatoribus veniam deprecatur ; postquam cum Christo esse cœperint minus valebunt ? Paulus apostolus ducentas septuaginta sex sibi dicit in navi animas condonatas ; et postquam resolutus esse cœperit cum Christo, tunc ora clausurus est, et pro his qui in toto orbe ad suum evangelium crediderunt, mutire non poterit, meliorque erit Vigilantius, canis vivens, quam ille Leo mortuus ? Recte hoc de Ecclesiaste opponeres, si Paulum in spiritu mortuum confiterer. »

VI. Hæc Hieronymus ad sui temporis Vigilantium, imo Dormitantium. Nos autem ad hujus temporis Dormitantium Folmarum dedignamur scribere. De ipso tamen favente Domino scribemus, nisi desinat garrire verbis malignis in nos, imo et in Christum quem negat corporaliter esse in sacramento altaris, perimendo quantum in ipso est fidem ac spem totius ecclesiæ credentis quod Christus ascendens in cœlum, suæ promissionis memor, non relinquet nos orphanos, sed venit ad nos iterum, non solum in spiritu, sed etiam in carne sua. Unde Hilarius in octavo libro De Trinitate : « Si vere Verbum caro factum est, et naturam carnis nostræ jam inseparabilem homo natus assumpsit ; et naturam carnis suæ ad æternitatis naturam sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit, et vere nos Verbum carnem cibo Dominico sumimus : quomodo non naturaliter in nobis manere existimandus est? Ita enim omnes unum sumus, quia et in Christo Pater est, et Christus in nobis est. Quisquis ergo naturaliter Patrem negabit in Christo, neget prius vel se Christo vel Christum sibi inesse, quia in Christo Pater, et Christus in nobis : unum in his nos esse faciunt. Si vere igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, et vere homo ille Christus est, nosque vere sub mysterio carnem corporis sumimus, et per hoc unum erimus, quia pater in illo est et ille in nobis : quomodo voluntatis tantum unitas asseretur, cum naturalis per sacramentum proprietas perfectæ sacramentum sit unitatis ? Non est humano aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum, neque per violentam atque imprudentem prædicationem cœlestium dictorum sanitati alienæ atque impiæ intelligentiæ extorquenda perversitas. De naturali enim in nobis Christi veritate quæ dicimus, nisi ab eo didicerimus, stulte atque impie dicemus. Ipse enim ait : *Caro mea vere cibus est, et sanguis meus vere potus est. Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo* (*Joan.* VI, 56). De veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus. Nunc enim et ipsius Domini professione, et fide nostra vere caro est, et vere sanguis est : et hæc accepta atque hausta efficiunt, ut nos in Christo et Christus in nobis sit. Est ergo Christus in nobis per carnem. Quam autem in eo per sacramentum communicatæ carnis et sanguinis simus, testatur dicens : *Vos autem me videbitis ; quia ego vivo, et vos vivetis. Quoniam ego in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis* (*Joan.* XIV, 19). Si voluntatis tantum unitatem intelligi vellet, cur

gradum quemdam atque ordinem consummandæ unitatis exposuit? nisi ut cum ille in Patre per naturam divinitatis esset, nos contra in eo, per corporalem ejus nativitatem, et ille rursum in nobis per sacramentum esse crederetur: ac sic perfecta per mediatorem unitas doceretur, cum nobis in se manentibus ipse maneret in Patre; et in Patre manens, maneret in nobis, et ita ad unitatem proficisceremur, cum quod in eo naturaliter secundum nativitatem inest, nos quoque in eo naturaliter inessemus, ipso in nobis naturaliter permanente. Quam autem in nobis naturalis humanitas sit, ipse ita testatus est: *Qui edit carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo* (*Joan.* VI, 55). Non enim in eo erit quis, nisi in quo ipse fuerit, ejus tantum habens in se assumptam carnem, qui suam sumpserit. »

CAPUT XIV.

Plura de vitiis et hæresi Folmari Christum in missa esse ex Augustini loco male intellecto et corrupto pernegantis.

I. Lætatus sum in his quæ dicta sunt a sancto Hilario contra *follem amarum*, necdum natum, imo necdum projectum ab utero matris Ecclesiæ, vel etiam ab utero congregationis religiosæ, falso habendo nomen canonici regularis; cum contra regulam vivat, quæ ait: « In incessu, in statu, in omnibus motibus vestris nihil fiat quod cujusquam offendat aspectum; sed quod vestram deceat sanctitatem. » Quam vero indecens ejus tonsura sit, nos ipsi vidimus: de conversatione autem ejus vana et vaga, satis ab aliis audivimus. Unde non immerito dicimus eum abalienatum ab utero matris suæ. Nisi enim desinat loqui perversa quæ loquitur, vere est unus illorum de quibus canimus: *Erraverunt ab utero, locuti sunt falsa*, et cætera usque, *supercecidit ignis et non viderunt solem* (*Psal.* LVII, 4). Viderunt autem illi qui dicere potuerunt: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratia et veritate* (*Joan.* I, 14). Vidit Petrus eumdem solem nube adhuc mortalitatis vestitum, cum de hominis Filio interrogatus diceret: *Tu es Christus Filius Dei vivi* (*Matth.* XVI, 16). Et nunc, mortalitatis velamento remoto, radiantem hunc solem justitiæ vespertilio Folmarus videre non valens, audet contendere adversus aquilas claro intuitu fidei aspicientes hunc solem, non solum in cœlo, sed etiam in terra fulgentem, et suæ claritatis fulgorem puris et mundis cordibus, tanquam speculis bene politis imprimentem: ita ut aliquis talium dixisse legatur: *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?* (*II Cor.* XIII, 3.) Nunquid vero in solo Paulo Christus locutus est, aut in illo solo habitavit?

II. Audi Leonem papam in sermone ad populum: « Non est, inquit, dubium, dilectissimi, naturam humanam in tantam connexionem a Dei Filio esse assumptam, ut non solum in illo homine qui est primogenitus totius creaturæ, sed et in omnibus sanctis suis unus idemque sit Christus; et sicut a membris caput, ita a capite membra dividi non possunt. Quamvis enim non istius vitæ sit sed æternæ, ut sit Deus omnia in omnibus: tamen etiam modo templi sui, quod est Ecclesia, indivisus habitator est, secundum quod ipse promisit, dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vitæ usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Quibus Apostolus addit: *Ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare, et per eum reconciliari omnia in ipso* (*Ephes.* III, 19). Item: Amplectentes igitur, dilectissimi, Christianæ spei unicum pignus, non divellamur a compage corporis Christi, *in quo habitat*, sicut ait Apostolus, *omnis plenitudo divinitatis corporaliter, et estis in ipso repleti* (*Col.* II, 9). Nam cum incorporea sit substantia Dei, quomodo corporaliter in Christo habitat, nisi quia caro nostri generis facta est caro Deitatis, ita ut in illo simus Deo repleti? »

III. Fertur autem prædictus Folmarus inniti verbis Augustini scribentis ad Dardanum, quem instruit qualiter debeat cogitare de Christo, secundum veritatem corporis in aliquo loco cœli manente. Sed miror quod idem non attendit illic præmissum, et diligenti assertione monstratum, quod idem Christus est in templo suo quod est Ecclesia, quæ est corpus ejus. Neque enim beatus ille usquam dixit aut scripsit, corpus Domini esse clausum in cœlo cum plurimis in locis asserat illud esse in missa. Unde in sermone de corpore Domini dicit inter cætera: « Recolite nomen, et advertite veritatem. Missa enim dicitur, eo quod cœlestis missus ad consecrandum vivificum corpus adveniat, juxta dictum sacerdotis dicentis: Omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum, et cætera. Idcirco, nisi angelus venerit, missa nequaquam jure vocari potest. Nunquid enim si hoc mysterium hæreticus fuerit ausus usurpare, angelum de cœlis mittit Deus oblationem ejus consecrare? Maxime cum eisdem per prophetam comminatur sic dicens: *Maledicam benedictionibus vestris* (*Malach.* II, 2). Quod si benedictionibus eorum se asserit maledicturum, quid erit de hostia? Ergo dicemus illum posse ab illo benedici, quem scimus a Deo fore maledictum cum sua benedictione? Si enim Deus maledixerit, et Simoniacus benedixerit, quis eorum prævalebit? Nunquid benedictio maledicti ad nihilum poterit redigere verissima verba comminantis Dei? Item Augustinus de Verbis Evangelii: Quando Christus manducatur, vita manducatur. Sed quis audeat manducare Dominum suum? Et tamen invitans nos ad manducandum, ait: *Qui manducat me vivit propter me* (*Matth.* VI, 58). Non occiditur Christus, ut manducetur, sed mortuus vivificat. Quando manducatus reficit, non deficit.

fuit, et noster per passionem carnis suæ redemptor. Unus siquidem in carne sua, unus in sacramento atque unus in spiritu, nec admittit omnino ut alius filius hominis, alius Filius Dei intelligatur; qui nec tempore præscribitur, nec passione separatur. Sed totus Deus in Christum, et Christus in Deum transivit, ut quidquid Dei filius est Christus dicatur; et quidquid in carne pertulit Christus, id Deus pertulisse recte dicatur. Alioquin si ad rationem respicias, et ad sensus humanos, nequaquam ita tenus potuerunt inter se convenire Deitas et humana conditio. Convenerunt tamen in Christo, et unus ex ambobus Emmanuel. Unde mihi videtur quod altitudinem tanti mysterii diligere et videre non potuerint qui aut duos filios, certe aut aliud Christum quam Dei Filium existimavere.

IV. Quapropter nec nos hominem seorsum colimus; quod nefas est, nec adoramus; sed in semetipsum qui unus et verus Dei Filius semper erat. Idcirco non alium quam eumdem ipsumque Dei Filium colimus et adoramus, qui nihil in se pro assumpto homine est coactus, nihilque quod Verbum caro factum est imminutus vel mutatus est. Et ideo unus idemque semper cum Deo Patre Filius adoratur, non novus, non recens ex tempore, non alienus a natura vel genere. Quod si tibi novum videtur, quod pro te hominem suscepit, noveris quod hoc semper cum eo, et in ejus consilio fuerit, ut sic fieret. Et nunc quando plenitudo temporis venit, id factum est quod in Christo semper fuit. Patet ex his quæ dicta sunt, quod, sicut Deus Dei Filius per æternitatem, sic et Christus per sacramenti unitatem fuit ante matrem suam; ac proinde qua ratione concessit eam Nestorius vocari Christotocon, eadem potuit concedere illam dici theotocon. Quia vero unum horum concessit, alterum negavit cum in neutro ratio humana illi suffragata sit, quia tam Christus quam Deus ante matrem suam fuit, quæ tam vere Deum quam Christum genuit, quia Deus in Christo, imo et ipse Christus Deus fuit quem Virgo genuit, ac proinde quam vere Christi mater tam vere Dei mater sive genitrix nominatur et est filii sui se antiquioris; quod est mirabile in oculis rationis, et venerabile in oculis fidei.

V. Similiter illa ratio Nestorii qua negavit posse Virginem vere dici genitricem Dei sibi non coessentialis filii, eo quod essentiam divinitatis non habuerit a genitrice, sicut nec essentiam humanitatis habuerit a genitore, cui homo coessentialis non est, sicut nec genitrici Deus coessentialis est, ratione fidei superatur et cassatur; qua et homo Dei et Deus hominis filius creditur corde ad justitiam, et ore prædicatur ad salutem. Qui nimirum Dei filius licet dicatur factus ex semine David secundum carnem, seu factus ex muliere secundum carnem; ut videlicet, sicut exponit Ambrosius, *factura non divinitati, sed carni*, ascribatur, tamen ut ejus nativitas Dei potius quam carnis operationi sciatur attribuenda, non secundum carnem, sed secundum spiritum natus asseritur ab eodem Apostolo, qui eum dicit factum secundum carnem. Nam de Isaac filio sterilis filioque promissionis in typo Christi, quem virgo naturaliter sterilis manente virginitate genuit, loquens, dicit eum natum secundum spiritum, ut Christum quem ille præfiguravit intelligas natum secundum spiritum: Natum, inquam, non factum secundum spiritum. Qui factus est ex semine David secundum carnem, non autem natus ex eodem semine David secundum carnem, sed secundum spiritum, longe mirabilius concipiente per fidem virgine Deo credula Dei Patris Verbum in se humanandum, quam sterilis item per fidem promissionis Dei credula conciperet a sene jam frigido, et, sicut Apostolus ait, emortuum corpus habente (*Rom.* IV, 19). Quia tamen utrumque factum est per miraculum Dei, et ille typicus et iste verus Isaac natus est non secundum carnem, sed secundum spiritum, ut quam proprie ille Abrahæ, tam proprie iste vocetur Dei Filius. Qui etiam eidem proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, sicut ille Abraham proprio filio suo non pepercit, sed jubente Domino illum disposuit immolare.

VI. Cum ergo filii promissionis sint omnes electi ab Apostolo dicti filii Dei, utpote a Deo Abrahæ promissi, præcipue promissionis filius verus Isaac dicendus est Filius Dei, ipsum naturaliter in divinitate generantis generatione ineffabili ac mirabili, et in ejusdem generationis virtute sic formantis hominem in Abrahæ filia præcipua, per Spiritum sanctum purificata et ineffabiliter nobilitata, ut mirabili virginitate naturaliter sterili sine viro solius Dei operatione concipiente, is, qui conceptus est homo, unus cum Dei promittentis Verbo æterno sit filius unicus. Propter quod, cum legitur in tractatibus Patrum, « Christus in cœlo sine matre, in terra sine patre, » intelligendum est, sine patre homine. Quomodo hanc determinationem apponit beatus Augustinus in sermone de nativitate Joannis Baptistæ, dicens : « Ipse Dominus fecit sibi servum in utero sterili de sene patre, et de ancilla matre; et ipse idem Dominus fecit sibi carnem in utero Virginis sine homine patre, qui fecit primum hominem sine patre et matre. » Cum dicit « sine homine patre, » satis innuit non sine Deo Patre conceptum suæ sponsæ ac suum unigenitum.

CAPUT X.

In expositione sua psalmi XVIII, 5, *quæ de thalamo, osculis, et nuptiis sponsi ac sponsæ dixit, sensu spirituali, non carnali accipienda esse monet, nec in expositione versus sexti ejusdem psalmi se aliud voluisse, quam quæ Augustinus et Hilarius de homine in Deum per gratiam assumpto tradidere.*

I. Sed hoc, ut persensi, offendit quosdam carnales, quod in scriptis meis ubi commemoratur iste unigenitus tanquam sponsus de thalamo suo procedens, *tanquam* adverbium dixi potius veritatis quam similitudinis esse significativum, ut illic : *Vidi agnum tanquam occisum*, id est vere occisum

(*Apoc.* v, 6). Item : *Vidimus gloriam ejus gloriam quasi unigeniti a Patre* (*Joan.* I, 9), pro eo ut diceretur, vere unigeniti. Similiter, inquam, cum dicitur, *tanquam sponsus*, intelligendus est vere sponsus : unde qui habet sponsam sponsus est. Qui et habet filios de quibus dicitur : *Nunquid possunt filii sponsi jejunare, quandiu cum illis est sponsus?* (*Matth.* IX, 15.) Habet etiam sponsam, videlicet sanctam Ecclesiam et quamlibet fidelem animam, sicut Pater suus habuit sponsam antiquam Synagogam, et in ea quamlibet fidelem animam seu personam. Fuit autem beata Virgo Maria illius antiquæ Synagogæ portio electissima, sic a Deo Patre amata ut eam præ omnibus amore suo inflammaret, Verbo quoque suo fecundaret; quod in ea eructatum, et prius mente quam ventre conceptum, de illa processit tanquam sponsus de thalamo suo, amaturus novam Ecclesiam, et in ea quamlibet fidelem personam, tanquam sponsam ornatam viro suo. Inter omnes vero sponsas præ omnibus fuit ac permanet ornata beata Virgo Maria, tanquam consummatio Synagogæ, utpote filia electissima patriarcharum, et post filium suum Ecclesiæ sanctæ nova inchoatio, utpote mater apostolorum, quorum uni dictum est : *Ecce mater tua* (*Joan* XIX, 25).

II. Quod autem uni dictum est, omnibus dici potuit sanctis apostolis novæ Ecclesiæ Patribus. Et, quia pro his, qui credituri erant per verbum eorum, Christus oravit ut omnes unum sint, ad omnes fideles toto corde Christum diligentes pertinet quod dictum est uni Christum diligenti, et inter cæteros magis dilecto. Quo omnes illa beata mater stans juxta crucem parturivit, quando pro his liberandis et salvandis unicum suum pati sciens, gladio compassionis pertranseunte ipsius animam cruciabatur ut pareret. Non vana ergo spe clamamus ad illam, non solum, *Ave, maris stella, Dei mater alma;* sed etiam quod additur : *Monstra te esse matrem;* propter duplicem videlicet maternitatem; unam qua unicum suum peperit sine dolore, alteram qua sibi et eidem unico suo peperit multos filios cum magno dolore ac tristitia sua, ac sui dilecti ejusque discipulorum. De qua tristitia potest congrue intelligi hoc sponsi dictum : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38). Item ad ipsam novellam sponsam, primitivam scilicet apostolici ordinis Ecclesiam, cujus beata Maria erat portio præcipua, idem Sponsus tunc propter defectum vini beatificantis corda, inter cætera dixit : *Mulier cum parit tristitiam habet, quia venit hora ejus,* et cætera usque *tristitia vestra vertetur in gaudium* (*Joan.* XVI, 20). Quod pene idem est ac si dixisset : Aqua vestra convertetur in vinum. Quia jam tunc illa hora imminebat, qua per ejus passionem et resurrectionem natura humana et mortalis et velut aqua corruptibilis, convertenda erat in vinum beatæ immortalitatis, quo gustato gavisi sunt discipuli viso Domino.

III. Inter quos illa mulier quæ una cum illis, dum A pareret, amplius contristata vehementius doluerat, quia gladius doloris pertransierat animam ejus non mirum si etiam amplius gaudebat viso Domino filio ac sponso dilectissimo, et jam gaudentibus nuptiarum istarum convivis propter vinum prægustatæ in Christo immortalitatis. Quo etiam vino inebriabuntur quicunque resurgentes immutabuntur in die illa universalium nuptiarum, in qua omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Qui vero immutabuntur, ipsi quoque inebriabuntur de torrente voluptatis, non ut quidam hæretici somniant, carnaliter per mille annos mansuræ, et postea desituræ; sed spiritualis et in æternum permansuræ in illis deliciis, de quibus dicitur in Canticis canticorum : *Quæ est ista quæ ascendit deliciis affluens, et* B *innitens super dilectum suum?* (*Cant.* VIII, 5.) Delicias istas nuptiales jam tum præmeditabatur ipse Christus, cum suæ matri vinum desideranti, dixit : *Nondum venit hora mea* (*Joan.* III, 4). Sed hac hora jam instante, ait : *Mulier, ecce filius tuus* (*Joan.* XIX, 26); ad discipulum autem : *Ecce mater tua* (*ibid.* 25). Hæc mutatio dexteræ Excelsi. Nam traditur hic ipse discipulus fuisse sponsus in illis nuptiis, in quibus, deficiente vino, aqua mutata est in vinum. Quod tunc fuit initium signorum, perfectio vero cum in spiritualibus nuptiis Christo compatientes, ut dilecta mater et dilectus discipulus juxta crucem stantes, eidem conresurgendo lætificabuntur, primo in spe, deinde in re. Et cum de carnali carnalium C copula scriptum sit : « Voluptas vana est; » quam licet nuptialia bona excusent ut sit venalis, tamen extra connubium si voluntarie admittitur et studiose appetitur, est criminalis. In illa certe spiritali copula Christi et Ecclesiæ, Verbi et animæ, veræ ac novæ sunt deliciæ, vera et non vana voluptas est, cujus inani umbra seductus arguetur is qui ad spiritales nuptias vocatus dicit : *Uxorem duxi, et ideo non possum venire* (*Luc.* XIV, 20). Tales enim cum audiunt nominari sponsum, thalamum et osculum, nesciunt cogitare nisi tantum carnalia, quippe carnales et ipsi.

IV. Verum, quia mundis omnia munda, spiritales quoque mundi sunt, et amplius mundari cupiunt, in carnalibus nonnisi spiritalia intelligunt, verbi gratia, in sponso Deum rationalis creaturæ amatorem, in sponsa ipsam rationalem creaturam, electam in angelis et hominibus; in amore quo illam sponsam suam Deus amat, Spiritum sanctum; in semine quo eam fecundat, sobrie intelligunt ipsum Dei Verbum, per quod sicut facta sunt omnia quæ facta, sic et fecundantur omnia quæ sunt fecunda. Nam, quia semel locutus Deus, ait : *Germinet terra* (*Gen.* I, 11), ex virtute hujus verbi adhuc germinat terra herbam virentem lignumque pomiferum. Germinat, inquam, aliquando culta, et aliquando (quod mirabilius est) non culta. Hinc est quod illa virginea terra dedit fructum suum, quam vir nullus excoluerat; *quia virum non cognosco* (*Luc.* I, 4), ait ad angelum qui ei nuntiaverat, Verbum in utero

fuit, et noster per passionem carnis suæ redemptor. Unus siquidem in carne sua, unus in sacramento atque unus in spiritu, nec admittit omnino ut alius filius hominis, alius Filius Dei intelligatur; qui nec tempore præscribitur, nec passione separatur. Sed totus Deus in Christum, et Christus in Deum transivit, ut quidquid Dei filius est Christus dicatur; et quidquid in carne pertulit Christus, id Deus pertulisse recte dicatur. Alioquin si ad rationem respicias, et ad sensus humanos, nequaquam ita tenus potuerunt inter se convenire Deitas et humana conditio. Convenerunt tamen in Christo, et unus ex ambobus Emmanuel. Unde mihi videtur quod altitudinem tanti mysterii diligere et videre non potuerint qui aut duos filios, certe aut aliud Christum quam Dei Filium existimavere.

IV. Quapropter nec nos hominem seorsum colimus; quod nefas est, nec adoramus; sed in semetipsum qui unus et verus Dei Filius semper erat. Idcirco non alium quam eumdem ipsumque Dei Filium colimus et adoramus, qui nihil in se pro assumpto homine est coactus, nihilque quod Verbum caro factum est imminutus vel mutatus est. Et ideo unus idemque semper cum Deo Patre Filius adoratur, non novus, non recens ex tempore, non alienus a natura vel genere. Quod si tibi novum videtur, quod pro te hominem suscepit, noveris quod hoc semper cum eo, et in ejus consilio fuerit, ut sic fieret. Et nunc quando plenitudo temporis venit, id factum est quod in Christo semper fuit. Patet ex his quæ dicta sunt, quod, sicut Deus Dei Filius per æternitatem, sic et Christus per sacramenti unitatem fuit ante matrem suam; ac proinde qua ratione concessit eam Nestorius vocari Christotocon, eadem potuit concedere illam dici theotocon. Quia vero unum horum concessit, alterum negavit cum in neutro ratio humana illi suffragata sit, quia tam Christus quam Deus ante matrem suam fuit, quæ tam vere Deum quam Christum genuit, quia Deus in Christo, imo et ipse Christus Deus fuit quem Virgo genuit, ac proinde quam vere Christi mater tam vere Dei mater sive genitrix nominatur et est filii sui se antiquioris; quod est mirabile in oculis rationis, et venerabile in oculis fidei.

V. Similiter illa ratio Nestorii qua negavit posse Virginem vere dici genitricem Dei sibi non coessentialis filii, eo quod essentiam divinitatis non habuerit a genitrice, sicut nec essentiam humanitatis habuerit a genitore, cui homo coessentialis non est, sicut nec genitrici Deus coessentialis est, ratione fidei superatur et cassatur; qua et homo Dei et Deus hominis filius creditur corde ad justitiam, et ore prædicatur ad salutem. Qui nimirum Dei filius licet dicatur factus ex semine David secundum carnem, seu factus ex muliere secundum carnem; ut videlicet, sicut exponit Ambrosius, *factura non divinitati, sed carni*, ascribatur, tamen ut ejus nativitas Dei potius quam carnis operationi sciatur attri-

A buenda, non secundum carnem, sed secundum spiritum natus asseritur ab eodem Apostolo, qui eum dicit factum secundum carnem. Nam de Isaac filio sterilis filioque promissionis in typo Christi, quem virgo naturaliter sterilis manente virginitate genuit, loquens, dicit eum natum secundum spiritum, ut Christum quem ille præfiguravit intelligas natum secundum spiritum : Natum, inquam, non factum secundum spiritum. Qui factus est ex semine David secundum carnem, non autem natus ex eodem semine David secundum carnem, sed secundum spiritum, longe mirabilius concipiente per fidem virgine Deo credula Dei Patris Verbum in se humanandum, quam sterilis item per fidem promissionis Dei credula conciperet a sene jam frigido, et, sicut Apo-
B stolus ait, emortuum corpus habente (*Rom.* IV, 19). Quia tamen utrumque factum est per miraculum Dei, et ille typicus et iste verus Isaac natus est non secundum carnem, sed secundum spiritum, ut quam proprie ille Abrahæ, tam proprie iste vocetur Dei Filius. Qui etiam eidem proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, sicut ille Abraham proprio filio suo non pepercit, sed jubente Domino illum disposuit immolare.

VI. Cum ergo filii promissionis sint omnes electi ab Apostolo dicti filii Dei, utpote a Deo Abrahæ promissi, præcipue promissionis filius verus Isaac dicendus est Filius Dei, ipsum naturaliter in divinitate generantis generatione ineffabili ac mirabili,
C et in ejusdem generationis virtute sic formantis hominem in Abrahæ filia præcipua, per Spiritum sanctum purificata et ineffabiliter nobilitata, ut mirabili virginitate naturaliter sterili sine viro solius Dei operatione concipiente, is, qui conceptus est homo, unus cum Dei promittentis Verbo æterno sit filius unicus. Propter quod, cum legitur in tractatibus Patrum, « Christus in cœlo sine matre, in terra sine patre, » intelligendum est, sine patre homine. Quomodo hanc determinationem apponit beatus Augustinus in sermone de nativitate Joannis Baptistæ, dicens : « Ipse Dominus fecit sibi servum in utero sterili de sene patre, et de ancilla matre ; et ipse idem Dominus fecit sibi carnem in utero Virginis sine homine patre, qui fecit primum homi-
D nem sine patre et matre. » Cum dicit « sine homine patre, » satis innuit non sine Deo Patre conceptum suæ sponsæ ac suum unigenitum.

CAPUT X.

In expositione sua psalmi XVII, 5, *quæ de thalamo, osculis, et nuptiis sponsi ac sponsæ dixit, sensu spirituali, non carnali accipienda esse monet, nec in expositione versus sexti ejusdem psalmi se aliud voluisse, quam quæ Augustinus et Hilarius de homine in Deum per gratiam assumpto tradidere.*

I. Sed hoc, ut persensi, offendit quosdam carnales, quod in scriptis meis ubi commemoratur iste unigenitus tanquam sponsus de thalamo suo procedens, *tanquam* adverbium dixi potius veritatis quam similitudinis esse significativum, ut illic : *Vidi agnum tanquam occisum*, id est vere occisum

(*Apoc.* v, 6). Item : *Vidimus gloriam ejus gloriam quasi unigeniti a Patre* (*Joan.* I, 9), pro eo ut diceretur, vere unigeniti. Similiter, inquam, cum dicitur, *tanquam sponsus*, intelligendus est vere sponsus : unde qui habet sponsam sponsus est. Qui et habet filios de quibus dicitur : *Nunquid possunt filii sponsi jejunare, quandiu cum illis est sponsus?* (*Matth.* IX, 15.) Habet etiam sponsam, videlicet sanctam Ecclesiam et quamlibet fidelem animam, sicut Pater suus habuit sponsam antiquam Synagogam, et in ea quamlibet fidelem animam seu personam. Fuit autem beata Virgo Maria illius antiquæ Synagogæ portio electissima, sic a Deo Patre amata ut eam præ omnibus amore suo inflammaret, Verbo quoque suo fecundaret; quod in ea eructatum, et prius mente quam ventre conceptum, de illa processit tanquam sponsus de thalamo suo, amaturus novam Ecclesiam, et in ea quamlibet fidelem personam, tanquam sponsam ornatam viro suo. Inter omnes vero sponsas præ omnibus fuit ac permanet ornata beata Virgo Maria, tanquam consummatio Synagogæ, utpote filia electissima patriarcharum, et post filium suum Ecclesiæ sanctæ nova inchoatio, utpote mater apostolorum, quorum uni dictum est : *Ecce mater tua* (*Joan.* XIX, 25).

II. Quod autem uni dictum est, omnibus dici potuit sanctis apostolis novæ Ecclesiæ Patribus. Et, quia pro his, qui credituri erant per verbum eorum, Christus oravit ut omnes unum sint, ad omnes fideles toto corde Christum diligentes pertinet quod dictum est uni Christum diligenti, et inter cæteros magis dilecto. Quo omnes illa beata mater stans juxta crucem parturivit, quando pro his liberandis et salvandis unicum suum pati sciens, gladio compassionis pertranseunte ipsius animam cruciabatur ut pareret. Non vana ergo spe clamamus ad illam, non solum, *Ave, maris stella, Dei mater alma ;* sed etiam quod additur : *Monstra te esse matrem ;* propter duplicem videlicet maternitatem; unam qua unicum suum peperit sine dolore, alteram qua sibi et eidem unico suo peperit multos filios cum magno dolore ac tristitia sua, ac sui dilecti ejusque discipulorum. De qua tristitia potest congrue intelligi hoc sponsi dictum : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38). Item ad ipsam novellam sponsam, primitivam scilicet apostolici ordinis Ecclesiam, cujus beata Maria erat portio præcipua, idem Sponsus tunc propter defectum vini beatificantis corda, inter cætera dixit : *Mulier cum parit tristitiam habet, quia venit hora ejus*, et cætera usque *tristitia vestra vertetur in gaudium* (*Joan.* XVI, 20). Quod pene idem est ac si dixisset : Aqua vestra convertetur in vinum. Quia jam tunc illa hora imminebat, qua per ejus passionem et resurrectionem natura humana et mortalis et velut aqua corruptibilis, convertenda erat in vinum beatæ immortalitatis, quo gustato gavisi sunt discipuli viso Domino.

III. Inter quos illa mulier quæ una cum illis, dum

A pareret, amplius contristata vehementius doluerat, quia gladius doloris pertransierat animam ejus non mirum si etiam amplius gaudebat viso Domino filio ac sponso dilectissimo, et jam gaudentibus nuptiarum istarum convivis propter vinum prægustatæ in Christo immortalitatis. Quo etiam vino inebriabuntur quicunque resurgentes immutabuntur in die illa universalium nuptiarum, in qua omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Qui vero immutabuntur, ipsi quoque inebriabuntur de torrente voluptatis, non ut quidam hæretici somniant, carnaliter per mille annos mansuræ, et postea desituræ; sed spiritualis et in æternum permansuræ in illis deliciis, de quibus dicitur in Canticis canticorum : *Quæ est ista quæ ascendit deliciis affluens, et*
B *innitens super dilectum suum ?* (*Cant.* VIII, 5.) Delicias istas nuptiales jam tum præmeditabatur ipse Christus, cum suæ matri vinum desideranti, dixit : *Nondum venit hora mea* (*Joan.* II, 4). Sed hac hora jam instante, ait : *Mulier, ecce filius tuus* (*Joan.* XIX, 26); ad discipulum autem : *Ecce mater tua* (*ibid.* 25). Hæc mutatio dexteræ Excelsi. Nam traditur hic ipse discipulus fuisse sponsus in illis nuptiis, in quibus, deficiente vino, aqua mutata est in vinum. Quod tunc fuit initium signorum, perfectio vero cum in spiritualibus nuptiis Christo compatientes, ut dilecta mater et dilectus discipulus juxta crucem stantes, eidem conresurgendo lætificabuntur, primo in spe, deinde in re. Et cum de carnali carnalium
C copula scriptum sit : « Voluptas vana est ; » quam licet nuptialia bona excusent ut sit venalis, tamen extra connubium si voluntarie admittitur et studiose appetitur, est criminalis. In illa certe spiritali copula Christi et Ecclesiæ, Verbi et animæ, veræ ac novæ sunt deliciæ, vera et non vana voluptas est, cujus inani umbra seductus arguetur is qui ad spiritales nuptias vocatus dicit : *Uxorem duxi, et ideo non possum venire* (*Luc.* XIV, 20). Tales enim cum audiunt nominari sponsum, thalamum et osculum, nesciunt cogitare nisi tantum carnalia, quippe carnales et ipsi.

IV. Verum, quia mundis omnia munda, spiritales quoque mundi sunt, et amplius mundari cupiunt, in carnalibus nonnisi spiritalia intelligunt, verbi gratia, in sponso Deum rationalis creaturæ amatorem, in sponsa ipsam rationalem creaturam, electam in angelis et hominibus ; in amore quo illam sponsam suam Deus amat, Spiritum sanctum; in semine quo eam fecundat, sobrie intelligunt ipsum Dei Verbum, per quod sicut facta sunt omnia quæ facta, sic et fecundantur omnia quæ sunt fecunda. Nam, quia semel locutus Deus, ait : *Germinet terra* (*Gen.* I, 11), ex virtute hujus verbi adhuc germinat terra herbam virentem lignumque pomiferum. Germinat, inquam, aliquando culta, et aliquando (quod mirabilius est) non culta. Hinc est quod illa virginea terra dedit fructum suum, quam vir nullus excoluerat; *quia virum non cognosco* (*Luc.* I, 4), ait ad angelum qui ei nuntiaverat, Verbum in utero

suo incarnandum, ut exinde procederet tanquam sponsus de thalamo suo.

V. De hoc thalamo cum agerem in psalmo XVII, vocabulis quidem utebar carnalibus, nominans thalamum et osculum, et cætera talia nuptiali thalamo convenientia. Sed nihil in eis intellexi aut intelligendum lectori proposui, nisi tantum spiritales delicias, in quibus est non similitudo, sed veritas æternæ voluptatis. De cujus torrente potabuntur veri veritatis amores, Verbum Dei corde credendo concipientes ad justitiam, et ore confitendo ad salutem parientes. Quibus omnibus illa beatissima sponsa præfertur, in qua idem Verbum Dei conceptum et incarnatum est. Nec debet offendere scriptorum meorum lectores quod eam sponsam Dei nominavi, et Verbo Dei fecundatam prædicavi; non in sermone ad populum, qui fortasse non caperet hoc verbum, sed in psalmi expositione spiritalibus competenti, si qui ex illis dignarentur nostra legere.

VI. In eodem psalmo ubi exposui : *A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus*, inter cætera dixi : « Summam siquidem gloriam quam in divinitate semper habuit, suæ quoque humanitati plenissime obtinuit. » Quod dictum ne quem forte offendat, sanctorum Patrum idipsum asserentium dicta legat et intelligat, simulque animadvertat nomine humanitatis hominem significari assumptum, cui datum est nomen quod est super omne nomen, ut vere nominetur quod est, videlicet Deus Filius Dei unicus. Unde Augustinus in libro De prædestinatione sanctorum dicit : « Hic homo, ut a Verbo Patri coæterno in unitatem personæ assumptus Filius Dei unigenitus esset, unde hoc mereretur ? Quod bonum præcessit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniretur ? Faciente ac suscipiente Deo Verbo ipse homo ex quo esse cœpit. Item idem : Homo quicunque gratia fit Christianus, sicut gratia homo ille ab initio factus est Christus. Item in libro XIII De Trin. Gratia Dei nobis commendatur, quia nec ipse ut in tanta unitate Deo vero conjunctus, una cum illo persona, Filius Dei fieret, ullis est præcedentibus meritis assecutus; sed ex quo homo esse cœpit, ex illo et est Deus. Unde dictum est : *Verbum caro factum est.* »

VII. Item Hilarius in decimo. « Atque hanc quidem et intemporalem et initialem, et omnem humanæ intelligentiæ sensum excedentem unigeniti generationem prædicantes, nati quoque in hominem ex partu Virginis Dei sacramentum docuimus, demonstrantes secundum dispensationem carnis tum, cum se forma Dei evacuans, formam servi accepit, infirmitatem habitus humani Dei non infirmasse naturam, sed salva divinitatis in homine virtute, acquisitam esse Dei ad hominem potestatem. Namque, cum in hominem Deus natus est, non idcirco natus est ne non Deus maneret, sed ut manente Deo homo in Deum natus sit. Nam et Emmanuel nomen est ...is, quod est *nobiscum Deus*, ut non defectio Dei

A ad hominem sit, sed hominis provectus in Deum. Vel cum glorificari se rogat, non utique naturæ Dei, sed assumptioni humilitatis hoc proficit. Nam hanc gloriam postulat, quam ante constitutionem mundi apud Deum habuit. » Item post aliqua : « Evacuans se ex Dei forma, et formam servi accipiens, et Filius Dei etiam Filius hominis nascens, ex suaque virtute non deficiens, Deus Verbum consummavit hominem viventem. Nam quomodo Filius Dei hominis filius erit, natus vel manens in Dei forma formam servi acceperit, si non potente Verbo Deo ex se et carnem intra virginem assumere, et carni animam tribuere, homo Christus Jesus animæ et corporis nostri perfectus est natus, et corpus quidem ita assumpserit, ut id ex Virgine conceptum

B formam esse servi effecerit ? Virgo enim nonnisi ex Spiritu sancto genuit quod genuit. Quamvis tantum ad nativitatem carnis ex se daret, quantum ex se feminæ edendorum corporum susceptis originibus impenderent, non tamen Jesus Christus per humanæ conceptionis coaluit naturam, sed omnis causa nascendi invecta per Spiritum, tenuit in hominis nativitate quod matris est, cum tamen haberet in originis nativitate quod Dei est. »

VIII. Augustinus in Enchiridio : « Qui nascuntur ex Spiritu sancto, non aquæ filios eos dixerit quispiam; sed plane dicuntur Filii Dei Patris et matris Ecclesiæ. Sic ergo de Spiritu sancto nactus est Filius Dei Patris non Spiritus sancti : » Et post pauca :

C « Profecto modus iste, quo natus est Christus de Maria sicut filius, et de Spiritu sancto non sicut filius, insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis meritis præcedentibus in ipso exordio naturæ suæ quo esse cœpit, Verbo Dei copularetur in tantam personæ unitatem, ut idem esset Filius Dei qui filius hominis, et filius hominis qui Filius Dei. Et sic in humanæ naturæ susceptione fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, qua nullum posset admittere peccatum. Quæ gratia ideo per Spiritum sanctum est figurata, quia ipse sic proprie est Deus, ut sit etiam Dei donum. Per hoc ergo quod de Spiritu sancto esse nativitatem Christi dicitur, quid aliud quam ipsa gratia demonstratur, qua homo mirabili et ineffabili modo Verbo Dei est adjunctus

D atque concretus, et divina gratia corporaliter repletus ? »

IX. Animadverte, prudens lector, quod asserente Augustino, gratia qua homo assumptus est ab initio Christus, illi homini quodammodo sit naturalis. Bene dicit « quodammodo, » id est mirabili modo. Quia non naturaliter, sed mirabiliter factum est ut Virgine concipiente et credente verbum promissionis nasceretur ex ea verus Isaac, non secundum carnem, ut non omnes filii ancillæ, filii Evæ; sed secundum spiritum. Et nos quidem, qui eramus natura filii iræ, per eumdem spiritum sumus renati, ut nominemur et simus filii Dei. Ille autem non renascendo, sed nascendo factus est Filius Dei. Ac proinde ipsa talis filiatio illi homini est naturalis;

ut videlicet sic natus dicatur in veritate Filius Dei, non adoptivus, sicut hi qui, cum prius fuissent filii perditionis, maledictionis, iræ ac gehennæ, postmodum vocantur et justificantur in filios adoptionis; non per naturam generationis, sed per gratiam regenerationis, qua, ut ait Petrus, renati sumus non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi.

CAPUT XI.

Quæ sit similitudo inter gratiam Dei Unicum suum generantis, et filios iræ in adoptionem filiorum suorum regenerantis. Christus est Filius Dei naturalis in utraque natura; in divina quidam naturaliter, in humana vero mirabiliter. Quid sit illud psal. XCVIII, 5 : *« Adorate scabellum pedum ejus. »*

I. Est autem quædam similitudo inter gratiam Dei Unicum suum generantis, et filios iræ in adoptionem filiorum suorum regenerantis. Sicut enim voluntate genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus, ita etiam voluntarie genuit novum hominem qui secundum Deum creatus est, ut sit Filius et Verbum ejus, quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14). Et quomodo in sacramento regenerationis accedit verbum ad elementum et fit sacramentum, ipsum quodammodo visibile verbum, sic in sacramento generationis et conceptionis Jesu Christi filii David, accessit Verbum ad humanæ carnis elementum, et factum est *magnum sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu; apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria* (*I Tim.* III, 16). Vere utique manifestatum est in carne, quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Detrahe ab aqua verbum, et quid est aqua, nisi aqua? Detrahe a carne humana Verbum, et quid est caro, nisi caro? Et certe talis caro non prodest quidquam. Spiritus autem carni unitus est, qui vivificavit, quia Verbum spiritus est, æque ut Pater et Spiritus sanctus. Quod Verbum caro, id est homo factum, prædicatum et creditum, salus est credentium, sperantium, diligentium. Hoc est enim pietatis magnum sacramentum, credere Verbum incarnatum, credere hominem Dei Filium, proinde naturalem, quia nascendo accepit ut sit Filius unicus, quomodo quilibet Christianus accipit renascendo ut sit filius adoptivus.

II. Sicut autem regeneratio non aufert in baptismo renascentibus carnem et ossa, cum etiam in regeneratione corporum ad incorruptionem permanebunt in sanctis resuscitatis caro et ossa in sua natura, licet in alia gloria, ita generatio novi hominis, qui secundum Deum creatus est, non abstulit ei carnem et ossa. Unde ille stultus est argumentator qui putat esse consequens, ut si homo Dei sit Filius naturalis, neque carnem neque ossa habeat. Si enim filius liberæ qui Apostolo affirmante secundum spiritum natus est, non minus habuit carnem et ossa quam filius ancillæ, qui secundum carnem natus est, quomodo filius Virginis revera liberæ matris, qui secundum spiritum natus est, et de Spiritu A sancto conceptus est, negandus est habere carnem et ossa? vel quare negandus est Filius Dei naturalis et unicus per talem generationem, cujus auctor est ipse Deus Pater, qui misit Verbum suum in utero Virginis incarnatum, sancto Spiritu operante, qui est amor Dei Patris, ut quod nasceretur ex ea sanctum vocaretur Filius Dei? Si enim per adoptionem esset Dei Filius, non esset unicus, quia tales filii multi sunt. Item, quia per imitationem dicuntur aliquando filii, sicut illic : *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere* (*Joan.* VIII) : si non aliter Filius Dei esset homo de Virgine genitus, non esset unicus, quia tales et taliter filii multi sunt; quorum unus dicit : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (*I Cor.* IV).

B III. Cum ergo sit in utraque natura unicus filius ipse Christus, uti supra per auctoritates præmissas ostensum est, restat ut, sicut in utraque natura est unicus, ita in utraque natura sit naturalis Dei Filius; in divina quidem naturaliter, quia naturale est omnibus gignentibus gignere sui generis prolem sibi connaturalem et consubstantialem, sed in humana mirabiliter, quia non in hac Deo Patri consubstantialis, aut connaturalis est. Similiter, cum Deum genuerit, ac proinde meruerit vocari Theotocos, id est Dei genitrix, ipse tamen Deus Virginis filius non est in divinitate matri suæ consubstantialis, quemadmodum nec patri suo in humanitate consubstantialis est, cum sit tamen idem Filius Dei C et hominis, utriusque parentis proprius filius, videlicet non per adoptionem, sed per generationem filius naturalis : quod tamen est per miraculum, non per naturam. Neque enim hoc habet natura, ut genitum a gignente discrepet in substantia vel natura. Quod enim de asino et equa nascitur mulus, de leone et parda leopardus, abusio est naturæ, servata tamen hic generis consubstantialitate, non naturæ identitate; si tamen sic placet accipi naturam, sicut eam describit Boetius, docens quod cujusque rei specificata differentia est ejus naturæ, sicut humanitas hominis, leonitas leonis, bovitas bovis est natura. Sed absit his naturalibus exemplis coaptari eam generationem, de qua scriptum est : *Generationem ejus quis enarrabit?* (*Isa.* XIII, 20.) « Quis enim, D sicut ait beatus Gregorius, investigare sufficiat, quomodo corporatur Verbum? quomodo summus et vivificator Spiritus intra uterum Virginis animatur? quomodo is qui exsistit, concipitur et nascitur? » Revera insolubilis est ista corrigia calceamentorum ejus, quia mirabilis natura mirifice induta sic assumpsit quod non erat, ut non desineret manere quod erat.

IV. Et quid mirum si natura divina quæ omnino est immutabilis permanet quod erat in Christo? cum etiam natura humana quæ mutabilis est naturaliter, per gratiam nunc facta est immortalis, et immutabilis permaneat in Christo; assumpta quidem in divinitatis gloriam, sed non assumpta per ipsam gloriam, quantum attinet ad sui essentiam, secundum

quam etiam subjectus est ipse Filius Deo subjicienti sibi omnia, ut sit subjectio secundum naturam in Filio Dei creatam, non secundum gloriam, potentiam, sapientiam, bonitatem eidem collatam, non ad mensuram per ineffabilem et immensurabilem gratiam. Quam non bene mensuravit Photinus, confitendo quidem Christum hominem, sed negans eidem homini omnipotentiam. Unde beatus Ambrosius exponens illud in Luca : *Ecce leprosus veniens adorabat eum dicens : Domine, si vis potes me mundare. Et extendens Jesus manum tetigit eum dicens : Volo : Mundare* (*Luc.* v, 13). Hoc inquam exponens [redacted] dicit inter cætera : « Imperat propter Arium, tangit [redacted] Manichæum, Volo dicit propter Photinum. » Quia enim Arius imparem Patri asserebat Filium, propter illum confutantum nulla prece ante præmissa imperat dicens : *Mundare.* Quia vero Manichæus corpus Christi asserebat phantasticum, quod nec tangi nec tangere potest, recte propter Manichæum tangit. Sed propter Photinum dicit : *Volo,* ut ostenderet se, licet hominem, tamen suo Patri coomnipotentem, de quo scriptum est : *Omnia quæcunque voluit fecit* (*Psal.* CXIII, 3).

V. Laudanda sane istius leprosi fides, qui procidens adoravit hominem quem non dubitabat esse omnipotentem. *Domine*, inquit, *si vis potes me mundare.* Adorabat non adoratione quæ dulia dicitur, qualis etiam licite angelis ante adventum Christi legitur exhibita. Qua etiam licenter adoravit Nathan propheta regem David, quem tamen peccatorem esse non ignoraverat, imo etiam pro peccato suo graviter increpaverat. Non, inquam, tali adoratione adoravit iste leprosus, quem confessus est omnipotentem, sed illa excellenti adoratione qua solus Creator est adorandus. Et merito, quia homo iste, licet sic creatus, tamen Creatori sic est unitus, ut sic unicus Dei Filius, ac proinde adorandus ut Deus. Unde legitur : *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.*

VI. Beatus Augustinus, ut quidam contendunt, interpretatur, scabellum pedum Domini hominem assumptum ; quod etiam dicit adorandum, quoniam sanctus est ille cujus est scabellum. Sed beatus Hieronymus Hebraicæ veritatis non ignarus, non dicit *quoniam sanctum est*, sed quoniam *factum* est, videlicet scabellum ipsum, quod tamen vetat intelligi de homine assumpto, interpretando scabellum Domini, sive loca ubi steterunt pedes ejus, sive animas beatas in quibus cernuntur vestigia ejus. Hominem vero assumptum docet esse dicendum potius thronum quam scabellum, ita dicens : « Quid est hoc scabellum pedum Jesu, quoniam sanctum est ? Legimus in hoc loco : *Cœlum mihi thronus est ; terra autem mihi scabellum pedum meorum :* et nunc dicitur : *Adorate scabellum pedum ejus.* Si terra scabellum pedum Jesu, dicitur autem, adorate scabellum pedum ejus ; ergo terra adoranda est, quomodo legimus in Apostolo quia, excepto creatore, creaturam adorare non debeamus ? *Adorare in* Scri-

A pturis duobus modis dicitur : Dicitur enim adoratio quasi in Deum, et dicitur adorare Deum. Proprie adoratio in Deum ponitur. Quando autem in homine dicitur, verbi causa, adoravit Sara Abraham, et adoravit Elias Achab impiissimum regem, non dicitur quod Elias sic adoraverit Achab quasi Deum, sed hæc adoratio quasi salutatio ponitur. Ergo nunc videamus hoc quod dicit : *Et adorate scabellum ejus.* Secundum quem modum dicit, si adoramus scabellum pedum Dei ? aut adoramus quasi Deum, aut salutamus quasi hominem. Legimus in Lamentationibus Jeremiæ, legimus et in alio propheta, quomodo, inquit sanctificavit Dominus scabellum pedum suorum, et ibi scabellum pedum ejus Jerosolyma dicitur sive templum. Igitur secundum historiam
B legimus et in alio loco. Et adorate scabellum ejus, sed pedes non stant nisi in scabello. Ergo quod dicitur : Et adoretis ubi steterunt pedes ejus, et de scabello dicitur. Ergo secundum litteram possumus dicere, verbi causa, ubi natus est, ubi crucifixus est, ubi resurrexit. Hoc incipientibus loquimur. Cæterum scabellum pedum Jesu, anima credentis est. Felix est ille in cujus pectore pedes quotidie ponuntur Jesu. Utinam et in meo pectore ponantur pedes Jesu ! utinam vestigia ejus semper hæreant in corde meo ! utinam et ego dicam cum sponsa : *Tenebo eum, et non dimittam eum !* (*Cant.* III, 4.) Sponsus cito offenditur, semper munditias amat, ubicunque sordes viderit cito recedit. *Et adorate*
C *scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.* Non omne scabellum pedum ejus, sed quodcunque sanctum est, quotquot in sanctitate perseverant. Verbi causa, adorate scabellum pedum ejus, Petrum et Paulum et cæteros apostolos adorate, hoc est honorate, quoniam sanctum est. Illos adorate qui in sanctitate perseverant. Cæterum qui scabellum fuerunt, et non sunt sancti, illos ne adoretis ; verbi causa, Judas proditor scabellum ejus fuit, sed quoniam non est sanctus, ne illum adoretis.

VII. « Legi in cujusdam libro, assumptio [*fort.* assumptionem], inquit, humani corporis, hoc est hominem, quem de Maria est dignatus assumere, ipsum, inquit, dico scabellum pedum ejus. Licet quidem assumptus sit homo, et ad comparationem
D Dei omnis creatura scabellum pedum ejus est, tamen hoc ipsum scabellum sociatum est Deo, et de essenti suo est : Videte quam rem audeam loqui. Ego ita adoro scabellum quod quondam fuit, sicut nunc thronum. Etsi enim novimus Christum secundum carnem, sed jam non novimus eum secundum carnem. Habuerit forsitan scabellum ante mortem, ante resurrectionem, quando comedebat, quando bibebat, quando nostros patiebatur effectus ; postquam resurrexit, ad cœlos victor ascendit ; ego non intelligo aliud sedentem et aliud scabellum, sed totum in Christo thronus est. Quæ vis et dicis, quare vel quomodo ? quomodo sit nescio, et tamen credo quod sit. Miraris si ignorem divinitatis mysteria, cum meipsum nesciam ? Interrogas me quomodo et

divinitas et incarnatio unum sit, cum ego nesciam quomodo vivam? Deum intellexisse, credidisse est; Deum nosse, honorare est. Sufficit mihi scire quod scriptum est. Sufficit mihi scire quod credo. Plus autem nec volo nec cupio. Si enim plus scire voluero, et hoc incipio perdere quod credo. Fideles dicimur, non rationales. Denique dicitur a Domino : *Credis quod ego possim hoc facere?* Et dicitur ad mulierem : *Fides tua te salvam fecit*, non ratio, non inquisitio, non quare vel quomodo factum est; sed quia credidit. » Huc usque Hieronymus.

CAPUT XII.

Ejusdem Davidici versus expositio ex Augustino. In adoratione Christi nec homo a Deo, nec Deus ab homine separandus est. Epistola Brunonis ep. Argentinensis, qua Gerhohi opusculum ad Adrianum papam commendat.

I. Augustinus vero super eumdem psalmum dicit : « *Exaltate dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus*, etc. (*Psal.* XCVIII, 5). Quid habemus adorare? Scabellum pedum ejus. Suppedaneum dicitur scabellum : Quod dicunt Græci hypopodion, dixerunt Latini scabellum, et alii dixerunt suppedaneum. Sed videte, fratres, quid nos jubeat adorare. Alio loco Scripturarum dicitur : *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum* (*Act.* VII, 49). Ergo terram nos jubet adorare, quia dicit alio loco, quod sit scabellum Dei? Et quomodo adorabimus terram, cum dicat Scriptura aperte : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Matth.* IV, 10); et hic dicitur, adorate scabellum ejus? Exponens autem mihi quid sit scabellum pedum ejus dicit : Terra autem scabellum pedum meorum. Anceps factus sum : timeo adorare terram, ne damnet me qui fecit cœlum et terram. Rursum timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia dicit psalmus : *Adorate scabellum pedum ejus* (*Psal.* XCVIII, 5). Quæro quid sit scabellum pedum ejus? Et dicit mihi Scriptura : Terra autem scabellum pedum meorum. Fluctuans converto me ad Christum, quia quæro ipsum hic, et invenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, et de carne Mariæ virginis carnem suscepit. Et, quia in carne ipsa ambulavit hic, et ipsam carnem dedit nobis ad manducandum; ad salutem autem nemo illam manducat, nisi prius adoraverit, inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Nunquid autem caro vivificat? Ipse Dominus dicit, cum de ipsa commendatione terræ ejusdem loqueretur : *Spiritus est qui vivificat, caro autem nihil prodest* (*Marc.* VI, 64). »

II. His de scabello quod caro Christi est in veritate adoranda præmissis, etiam de alio scabello quod est hæc terra quam calcamus; idem Augustinus adjungit, quod sequitur : « Ideo, inquit, ad terram quamlibet cum te inclinas atque prosternis, non quasi terram intueris, sed illum sanctum cujus

A pedum scabellum est quod adoras : propter ipsum enim adoras. » In his dictis Augustini patet non proprie intelligendam scabelli adorationem, cum te inclinas atque prosternis in terram quamlibet, verbi gratia, in pavimentum sanctificatæ domus Domini. Quam terram deosculando, non ipsam adoras adoratione qua solus Deus est adorandus : honoras tamen illam propter illum, cujus intelligitur scabellum, præcipue in sanctis locis ubi steterunt corporales pedes ejus, verbi gratia, in monte Oliveti, vel in valle Josaphat, vel in Bethania. Quæ nimirum loca sancta nonnulli corporaliter et multi spiritualiter osculis demulcent : adorando in his non ipsa loca, sed Christum venerando vestigia pedum ejus. At, ubi non terra quæ sub cœlo est, sed

B supra cœlos in una Trinitatis persona exaltata super omnia creata eminet, cogitatur, absit ut in ejus adoratione vel ipsa distinguatur a sibi unita divinitate, vel divinitas ab ipsa! Quia hoc neque sensit aut docuit Augustinus : et hoc ipsum sub anathemate interdicit synodus Ephesina.

III. Huc accedit, nostroque sensui satis concordat, quod in præmissis Hieronymi verbis legitur : « Hoc ipsum scabellum sociatum est Deo, et de essenti suo est. » In quibus verbis juxta idioma Græci sermonis, *essens* pro persona Christi ex duabus vel in duabus naturis, divina scilicet et humana, sibi inseparabiliter unitis, existentis posuit. Ex quo patet quod Deus homo, et homo Deus, ex duabus et in

C duabus naturis consistens unus Jesus Christus, tertia in Trinitate persona, sic est adoratione una adorandus, ut supra Ephesina synodus definivit, anathemate condemnans qui hominis adorationem a Dei adoratione distinguunt. Quod procul dubio anathema incidunt qui homini assumpto duliam, sed Deo ad summum latriam dicunt exhibendam. De quo numero est ille blasphemus, qui Augustini verba depravata suis contra nos inseruit scriptis; affirmans quasi ejus auctoritate habendum pro idololatra quisquis a Verbo assumptum adoraret hominem adoratione quæ dicitur latria, quæ et soli Creatori exhibenda est.

IV. Porro nos cum prædicto leproso adoramus Christum non dimidium sed totum : videlicet susci-

D pientem Deum et susceptum hominem; quia, ut ait beatus Augustinus in libro de Trinitate, « Talis fuit illa susceptio quæ hominem faceret Deum et Deum hominem. » Item idem : « Utrumque Deus propter accipientem, utrumque homo propter acceptum. » Recte igitur adoravit hominem Deum tunc unus homo leprosus; recte et nunc ille magnus leprosus, videlicet mundus immundus, a lepra idololatriæ mundandus vel mundatus, adorat hominem omnipotentem, altissimum, Dei omnipotentis, altissimi Filium : in quo Deus exaltans et homo exaltatus, non duo sunt altissimi, sed unus Altissimus, inseparabiliter et indivise adorandus : non homo propter Deum, sed homo in Deo et in homine Deus. Unde Joannes Damascenus : « Unus, ait, Christus

Deus perfectus et homo perfectus, quem adoramus cum Patre et Spiritu sancto una adoratione, non carnem non adorandam esse dicentes, adoratur enim in una Verbi persona, non creationem colentes; non enim sicut nudam carnem adoramus, sed sicut deitati unitam. »

V. Ambrosius, in libro de Trinitate, ita dicit : « Dicimus ergo factum esse hominem, et ad hominem hoc esse referendum. Denique et alibi habemus : *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem* (*Rom.* I, 3). Secundum carnem utique David factus est ex semine. Nec tamen factum esse semper ad creationem refertur. Scriptum est enim : *Domine, refugium factus es nobis* (*Psal.* LXXXIX, 1). » Et paulo post : « Ergo si factum esse frequenter ad aliquid aliud non ad facturam refertur; unde intelligimus hic illud quod de incarnatione Domini scriptum est : *Dominus creavit me principium viarum suarum in opera sua*, illud significare quod ad redimenda opera patris Dominus ex virgine Jesus sit creatus. » Item in eodem : « Paulus, inquit, prohibet me creaturæ servire, et Christo admonet serviendum. Non ergo creatura Christus. *Paulus*, inquit, *servus Domini Jesu Christi* (*Rom.* I, 1). Et bonus servus qui Dominum recognoscit, ipsæ creaturæ servire nos prohibet. Quemadmodum ergo Christo ipse serviret, si Christum creaturam putaret? Vide ergo quomodo Christum factum et creatum secundum aliquid affirmat, quem tamen creaturam esse negat. » Idem quoque in eodem libro, Christum non adoptivum sed naturalem filium esse testatur, dicens : « Per adoptionem nos filii dicimur, ille per veritatem naturæ. Quomodo ergo ex nihilo qui ex nihilo omnia fecit ? Ita oportet secundum testimonia Scripturarum fidei vestigia formare, ut rectæ credulitati sinceræ confessionis puritatem adjungamus, atque in Christo non solum increatam naturam divinam corde credamus et ore confiteamur super cœlos cœlorumque virtutes altissimam; nec jam inter creaturas deputandam; sed super omnes creaturas adorandam eadem adoratione, qua Deus Pater adoratur. » In sancta enim synodo Ephesina sub anathemate interdictum legimus, ne humanitatem Christi Verbo Dei quis dicat coadorandam : quam sancti Patres in eadem synodo prædicant adorandam simplici adoratione, qua non homo a Verbo distinguatur. Sed ex duabus et in duabus naturis unus Emmanuel super omnia Deus benedictus colatur. Item legitur in libro Diffinitionum ecclesiasticarum, quem quidam Augustino, quidam Isidoro attribuunt, homousion in divinitate Patri Filius, homousion Patri et Filio Spiritus sanctus; homousion Deo et homini unus Filius, manens Deus in homine suo, in gloria Dei Patris desiderabilis videri ab angelis : sicut Pater et Spiritus sanctus adoratur ab angelis et omni creatura, non homo propter Deum, vel Christus cum Deo, sicut Nestorius blasphemat; sed homo in Deo et in homine Deus.

I. De hac adoratione aliisque nunc perstrictis quæstionibus tanta dicta sunt a nobis in opusculo ad papam Adrianum, ut eadem repetere videatur non necessarium, cum possint illic reperta satisfacere lectori benevolo : sicut perlecto eodem opusculo satisfactum est beatæ memoriæ domino Brunoni quondam Argentinensi episcopo, prudenti viro valenter litterato. Qui etiam ad lecta et intellecta scripta nostra benigne respondit per epistolam, cujus hoc est rescriptum.

VII. « Domino G. præposito, viro religioso et erudito B. peccator, edere de manna abscondito. Inter pressuras graves et varios tumultus mundi labentis, et suos dilectores secum volventis, quantum licuit scripta vestra, aspexi; zelum vestrum, studia vestra agonem et eruditionem adverti; et quod regina austri de rege Salomone dixit, de vobis veraciter et fiducialiter pronuntiandum judicavi. Videlicet quod minor est fama quæ de vestris laudibus loquitur, quam thesaurus sapientiæ qui propius accedenti et altius fodienti manifestatur. Joannes Baptista agnum Dei secundum aliquid sciebat et demonstrabat, et secundum aliquid nesciebat quod per columbam descendentem et manentem super eum cogniturus erat. Utique mihi tale aliquid circa vos accidit, quia vos cognoscebam, sed nec talem nec totum. Scriptis igitur vestris quamvis raptim et in superficie gustatis, multo et ardenti desiderio exopto scriptorum vestrorum mihi gratiam, pariter et vestram præsentiam dulcissimam exhiberi : ut quæ clausa sunt, vel quæstionem afferre videntur, mutua collatione et amica collocutione, quasi quibusdam clavibus aperiantur. Incolumitatem vestram, et omnium vobiscum in Christo degentium memorem nostri omnipotens Deus longo tueatur ævo. »

§ VIII. Hanc epistolam propter hoc inserui, ut exinde notum sit in ecclesia Babenbergensi ubi nunc pulsamur quæstionibus, aliquando nos habuisse locum in diversorio ad quiescendum apud fidelissimum tunc dominum et amicum, cujus memoria in benedictione mihi est : ut e regione illius memoria pluribus est in maledictione, qui nuper in eadem ecclesia scripta mendaciis et blasphemiis plena contra nos evomuit. Quæ tamen nobilis illa ecclesia sprevit, sicut etiam Pataviensis episcopus eadem sibi missa contempsit. Similiter cum in ecclesiam Salisburgensem suas misisset blasphemias ad dominum archiepiscopum, ad nihilum deductus est in conspectu illius ille malignus cum suis litteris litura dignis, utpote mendacia contra nos multa continentibus, et etiam pervertentibus regulam fidei, qua docemur hominem Deum adorandum summæ venerationis adoratione, una cum sua et in sua divinitate, qua homo ille non inter omnia, sed super omnia prædicatur ab apostolo Deus benedictus in sæcula.

CAPUT XIII.

Christus in sacramento Eucharistiæ vere coram præsens et adorandus est, eisque anathema dicit auctor qui corpus Domini in duobus simul locis esse

vosse negant ; cujusmodi post Berengarium fuit Folmarus, de cujus maledictis graviter quæritur Gerhohus.

I. Ut autem redeamus ad supra memoratum leprosum Christi adoratorem et omnipotentiæ ipsius confessorem, digne hic talis adorator est proponendus in exemplum fidelibus id credentibus, quod sicut tunc adorabatur in corpore suo, sic etiam nunc adoretur præsens in eodem corpore suo, potens mundare adorantem et manducantem se. Credat igitur mundus peccati lepra inquinatus, quod Christus Jesus corporaliter manens in cœlo, nihilominus corporaliter sit in templo suo quod est Ecclesia, quam pascit corpore ac sanguine suo; non solum sacramento tenus, ut voluit quidam Berengarius, et adhuc vult prænotatus blasphemus B ejusdem Berengarii pedissequus ; sed in rei veritate, ita ut ipsius Christi verum corpus de virgine sumptum, in altari præsentetur, immoletur, manducetur, ac proinde salubriter adoretur. Quia ut in præmissis Augustini verbis legitur, « nemo ad salutem carnem Christi manducat, nisi prius adoraverit. » Qui vero adorant eam in sacramento altaris, credunt eam illic præsentem, seseque manducantibus vitam dare, juxta illud : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI, 54). Item : *Sicut genuit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me et ipse vivet propter me* (*ibid.*, 58). Non autem Christus manducatur nisi ubi præsens C creditur. Præsentatur autem nunc assidue in templo suo quod est ecclesia, ut quondam præsentatus est in templo ; juxta illud : *Et statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, et angelus testamenti quem vos vultis* (*Malac.* III, 1). Accipiunt quoque illum in ulnas suas justi et timorati, stringentes illum ad se brachiis bonæ operationis, dum non in vacuum tantam gratiam, sanctam videlicet Eucharistiam suscipiunt, in qua ipsum fontem gratiæ corporaliter præsentem credunt.

II. Quod quia negavit jam dictus Berengarius, ipse doctrinam suam hanc pestiferam damnare atque abjurare coactus est in concilio publico, imposito sibi silentio. Sed nunc in ejus locum surre- D xit ille blasphemus, recte nominatus Folmarus, quasi follis amarus, dictis et scriptis affirmando corpus Domini ex quo ascendit nunquam fuisse sub cœlo. Cui cum nos inter cætera objiceremus quod multi sanctorum viderint eum corporaliter postquam ascendit in cœlum, sicut corporaliter visus est Petro, quando ei dixit : *Venio Romam iterum crucifigi* (*Act.* XXVIII, 14) ; dixit hoc totum esse fabulosum, neque canonicis fultum Scripturis : forsitan pro canonicis nesciens habendum Scripturis, quod Lucas refert in Actibus apostolorum, Dominum Jesum Christum post ascensionem suam visum et auditum fuisse a Paulo apostolo. Unde ait ipse : *Nonne Dominum nostrum Jesum Christum* A *vidi ?* Et Ananias ait ad illum : *Dominus Jesus, qui apparuit tibi in via, misit me ad te, ut videas et implearis Spiritu sancto* (*Act.* IX, 7). Maxima vero nobis assistit auctoritas in fide universalis Ecclesiæ, atque in scriptis orthodoxorum Patrum, Ambrosii, Hilarii, Augustini, Gregorii : quorum dicta inserere, cum sint notissima, non putamus necessarium.

III. Sane hoc solerter est animadvertendum quod, licet status naturæ humanæ a Patribus sanctis multiformiter inveniatur distinctus ; videlicet qualis ante peccatum et post peccatum, et post reparationem intelligitur, ex quibus omni[illegible]ctis inter se statibus aliquid in se habuit homo assumptus, qui et sine peccato fuit, quod ad creationis pertinuit statum ; et pœnas peccati habuit in similitudinem peccatoris, nec peccare potuit in similitudinem sanctorum post resurrectionem confirmatorum : attamen ultra omnes istiusmodi status illud habuit, quod suo sanguine peccata in se credentium potuit abolere, quod superexcellit omnem statum totius naturæ humanæ in Adam perditæ. Quia neque sanguis Abel, neque sanguis omnium justorum ante ipsum propter justitiam occisorum potuit auferre peccatum. Item, quod beatus Gregorius carnem triformiter distinguit : videlicet secundum peccatum, ut illic : *Non permanebit spiritus meus in hominibus, quia caro sunt* (*Gen.* VI, 3) ; secundum corruptionem, ut illic : *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit* (*I Cor.* XV, 50) ; secundum naturam, ut illic : *Et videbit omnis caro salutare Dei* (*Luc.* III, 6) : nomine carnis totum significans hominem, laudabile est satis contra eos qui disputabant contra carnis resurrectionem, quorum erat præcipuus Constantinopolitanus archiepiscopus ab ipso beato Gregorio tunc in urbe regia legato confutatus.

IV. Attamen ultra omnes istas distinctiones carnis, est illa caro, quæ peccati et corruptionis, id est putredinis expers, licet naturaliter caro fuerit et sit, supra omnem tamen carnis humanæ habet naturam, ut non solum ipsa æternaliter vivat, sed etiam se participantibus vitam æternam conferat, vitam habens in se manentem, et de se manentem. Unde id, quod in altari sacrosancta percipit Ecclesia, non corpus hominis, ut Nestorius hæreticus voluit, sed corpus Domini est nominandum. Quod quia negavit jam dictus Nestorius, in synodo Ephesina cum sua doctrina damnatus est, atque ad ejusdem pestiferæ doctrinæ confutationem Patres orthodoxi dixerunt, et scriptum reliquerunt : « Ad benedictiones mysticas accedimus, et sanctificamur participes facti corporis et pretiosi sanguinis Christi, omnium nostrum redemptoris effecti : non ut communem carnem percipientes, quod absit ! nec ut viri sanctificati et Verbo conjuncti secundum dignitatis unitatem, aut sicut divinam possidentis habitationem ; sed vere vivificatricem, et ipsius

Verbi propriam factam. Vita enim naturaliter ut Deus existens, quia proprie carni unitus est, vivificatricem eam esse professus est. Et ideo quamvis dicat ad nos : *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem* (*Joan.* VI, 54), non tamen eam ut hominis unius ex nobis existimare debemus. Quomodo enim juxta naturam suam vivificatrix esse caro hominis poterit? sed ut vere propriam ejus factam qui propter nos filius hominis et factus est et vocatus. Item : Si quis negaverit carnem Christi vivificatricem esse tanquam ipsius Verbi Dei, sed quasi alterius cujuspiam præter ipsum, conjuncti quidem secundum dignitatem, aut tam quam secundum quod solam habitationem habuerit ; et non potius, sicut dixit, vivificatricem esse, quia facta est propria Verbi Dei, cui omnia vivificare possibile est, anathema sit. »

V. Anathema igitur et alieni sint a sancta Ecclesia, qui corpus Domini vivum et vivificum sic putant in uno aliquo loco cœli taliter circumseptum, et quodammodo, quod dictu nefas est, incarceratum, ut non possit uno eodemque momento multis in locis totaliter esse, prout vult et prout exigit salus hominum ; propter quod idem corpus est assumptum in Deum. Deridet horum intelligentiam vel potius fatuitatem beatus Hieronymus ad Vigilantium, imo Dormitantium scribens, et inter cætera dicens : « Lege Evangelium : Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, non Deus est mortuorum, sed vivorum. Si ergo vivunt honesto juxta te carcere claudantur. Ais enim, vel in sinu Abrahæ vel in locum refrigerii, vel subter aram Dei animas occisorum apostolorum, martyrum consedisse, nec posse suis tumulis et ubi voluerint præsentes adesse. Senatoriæ videlicet dignitatis sunt, ut non inter homicidas teterrimo carcere, sed in libera honestaque custodia, in fortunatorum insulis, et in campis Elysiis recludantur. Tu Deo leges ponis, tu et apostolis vincula injicis, ut usque ad diem judicii teneantur in custodia, nec sint cum Domino suo. De quibus scriptum est : *sequuntur Agnum quocunque ierit* (*Apoc.* XIV, 4). Si Agnus ubique, ergo et hi qui eum agnoscunt ubique esse credendi sunt. Et cum diabolus et dæmones, qui toto orbe vagantur, et celeritate nimia ubique præsentes sint, martyres, post effusionem sanguinis sui ara operientur inclusi, et inde exire non poterunt ? Dicis in libello tuo quod dum vivimus mutuo pro nobis possimus orare ; postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio, præsertim cum martyres adhuc in corpore constituti possint orare pro cæteris, quando de se debent adhuc esse solliciti ; quanto magis post coronas et victorias et triumphos? Unus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat veniam a Deo, et Stephanus imitator Dei sui et primus martyr in Christo peccatoribus veniam deprecatur ; postquam cum Christo esse cœperint minus valebunt ? Paulus apostolus ducentas septuaginta sex sibi dicit in navi animas condonatas ; et postquam resolutus esse cœperit cum Christo, tunc ora clausurus est, et pro his qui in toto orbe ad suum evangelium crediderunt, mutire non poterit, meliorque erit Vigilantius, canis vivens, quam ille Leo mortuus ? Recte hoc de Ecclesiaste opponeres, si Paulum in spiritu mortuum confiterer. »

VI. Hæc Hieronymus ad sui temporis Vigilantium, imo Dormitantium. Nos autem ad hujus temporis Dormitantium Folmarum dedignamur scribere. De ipso tamen favente Domino scribemus, nisi desinat garrire verbis malignis in nos, imo et in Christum quem negat corporaliter esse in sacramento altaris, perimendo quantum in ipso est fidem ac spem totius ecclesiæ credentis quod Christus ascendens in cœlum, suæ promissionis memor, non relinquet nos orphanos, sed venit ad nos iterum, non solum in spiritu, sed etiam in carne sua. Unde Hilarius in octavo libro De Trinitate : « Si vere Verbum caro factum est, et naturam carnis nostræ jam inseparabilem homo natus assumpsit ; et naturam carnis suæ ad æternitatis naturam sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit, et vere nos Verbum carnem cibo Dominico sumimus : quomodo non naturaliter in nobis manere existimandus est? Ita enim omnes unum sumus, quia et in Christo Pater est, et Christus in nobis est. Quisquis ergo naturaliter Patrem negabit in Christo, neget prius vel se Christo vel Christum sibi inesse, quia in Christo Pater, et Christus in nobis : unum in his nos esse faciunt. Si vere igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, et vere homo ille Christus est, nosque vere sub mysterio carnem corporis sumimus, et per hoc unum erimus, quia pater in illo est et ille in nobis : quomodo voluntatis tantum unitas asseretur, cum naturalis per sacramentum proprietas perfectæ sacramentum sit unitatis ? Non est humano aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum, neque per violentam atque imprudentem prædicationem cœlestium dictorum sanitati alienæ atque impiæ intelligentiæ extorquenda perversitas. De naturali enim in nobis Christi veritate quæ dicimus, nisi ab eo didicerimus, stulte atque impie dicemus. Ipse enim ait: *Caro mea vere cibus est, et sanguis meus vere potus est. Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo* (*Joan.* VI, 56). De veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus. Nunc enim et ipsius Domini professione, et fide nostra vere caro est, et vere sanguis est : et hæc accepta atque hausta efficiunt, ut nos in Christo et Christus in nobis sit. Est ergo Christus in nobis per carnem. Quam autem in eo per sacramentum communicatæ carnis et sanguinis simus, testatur dicens : *Vos autem me videbitis ; quia ego vivo, et vos vivetis. Quoniam ego in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis* (*Joan.* XIV, 19). Si voluntatis tantum unitatem intelligi vellet, cur

gradum quemdam atque ordinem consummandæ unitatis exposuit? nisi ut cum ille in Patre per naturam divinitatis esset, nos contra in eo, per corporalem ejus nativitatem, et ille rursum in nobis per sacramentum esse crederetur : ac sic perfecta per mediatorem unitas doceretur, cum nobis in se manentibus ipse maneret in Patre ; et in Patre manens, maneret in nobis, et ita ad unitatem proficisceremur, cum quod in eo naturaliter secundum nativitatem inest, nos quoque in eo naturaliter inessemus, ipso in nobis naturaliter permanente. Quam autem in nobis naturalis humanitas sit, ipse ita testatus est : *Qui edit carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo* (*Joan.* VI, 55). Non enim in eo erit quis, nisi in quo ipse fuerit, ejus tantum habens in se assumptam carnem, qui suam sumpserit. »

CAPUT XIV.

Plura de vitiis et hæresi Folmari Christum in missa esse ex Augustini loco male intellecto et corrupto pernegantis.

I. Lætatus sum in his quæ dicta sunt a sancto Hilario contra *follem amarum*, necdum natum, imo necdum projectum ab utero matris Ecclesiæ, vel etiam ab utero congregationis religiosæ, falso habendo nomen canonici regularis ; cum contra regulam vivat, quæ ait : « In incessu, in statu, in omnibus motibus vestris nihil fiat quod cujusquam offendat aspectum ; sed quod vestram deceat sanctitatem. » Quam vero indecens ejus tonsura sit, nos ipsi vidimus : de conversatione autem ejus vana et vaga, satis ab aliis audivimus. Unde non immerito dicimus eum abalienatum ab utero matris suæ. Nisi enim desinat loqui perversa quæ loquitur, vere est unus illorum de quibus canimus : *Erraverunt ab utero, locuti sunt falsa*, et cætera usque, *supercecidit ignis et non viderunt solem* (*Psal.* LVII, 4). Viderunt autem illi qui dicere potuerunt : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratia et veritate* (*Joan.* I, 14). Vidit Petrus eumdem solem nube adhuc mortalitatis vestitum, cum de hominis Filio interrogatus diceret : *Tu es Christus Filius Dei vivi* (*Matth.* XVI, 16). Et nunc, mortalitatis velamento remoto, radiantem hunc solem justitiæ vespertilio Folmarus videre non valens, audet contendere adversus aquilas claro intuitu fidei aspicientes hunc solem, non solum in cœlo, sed etiam in terra fulgentem, et suæ claritatis fulgorem puris et mundis cordibus, tanquam speculis bene politis imprimentem : ita ut aliquis talium dixisse legatur : *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?* (*II Cor.* XIII, 3.) Nunquid vero in solo Paulo Christus locutus est, aut in illo solo habitavit?

II. Audi Leonem papam in sermone ad populum : « Non est, inquit, dubium, dilectissimi, naturam humanam in tantam connexionem a Dei Filio esse assumptam, ut non solum in illo homine qui est primogenitus totius creaturæ, sed et in omnibus

A sanctis suis unus idemque sit Christus ; et sicut a membris caput, ita a capite membra dividi non possunt. Quamvis enim non istius vitæ sit sed æternæ, ut sit Deus omnia in omnibus : tamen etiam modo templi sui, quod est Ecclesia, indivisus habitator est, secundum quod ipse promisit, dicens : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vitæ usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Quibus Apostolus addit : *Ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare, et per eum reconciliari omnia in ipso* (*Ephes.* III, 19). Item : Amplectentes igitur, dilectissimi, Christianæ spei unicum pignus, non divellamur a B compage corporis Christi, *in quo habitat*, sicut ait Apostolus, *omnis plenitudo divinitatis corporaliter, et estis in ipso repleti* (*Col.* II, 9). Nam cum incorporea sit substantia Dei, quomodo corporaliter in Christo habitat, nisi quia caro nostri generis facta est caro Deitatis, ita ut in illo sim[illegible]o repleti? »

III. Fertur autem prædictus Folmarus inniti verbis Augustini scribentis ad Dardanum, quem instruit qualiter debeat cogitare de Christo, secundum veritatem corporis in aliquo loco cœli manente. Sed miror quod idem non attendit illic præmissum, et diligenti assertione monstratum, quod idem Christus est in templo suo quod est Ecclesia, C quæ est corpus ejus. Neque enim beatus ille usquam dixit aut scripsit, corpus Domini esse clausum in cœlo cum plurimis in locis asserat illud esse in missa. Unde in sermone de corpore Domini dicit inter cætera : « Recolite nomen, et advertite veritatem. Missa enim dicitur, eo quod cœlestis missus ad consecrandum vivificum corpus adveniat, juxta dictum sacerdotis dicentis : Omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum, et cætera. Idcirco, nisi angelus venerit, missa nequaquam jure vocari potest. Nunquid enim si hoc mysterium hæreticus fuerit ausus usurpare, angelum de cœlis mittit Deus oblationem ejus consecrare? Maxime cum eisdem per prophetam comminatur sic dicens : D *Maledicam benedictionibus vestris* (*Malach.* II, 2). Quod si benedictionibus eorum se asserit maledicturum, quid erit de hostia? Ergo dicemus illam posse ab illo benedici, quem scimus a Deo fore maledictum cum sua benedictione? Si enim Deus maledixerit, et Simoniacus benedixerit, quis eorum prævalebit? Nunquid benedictio maledicti ad nihilum poterit redigere verissima verba comminantis Dei? Item Augustinus de Verbis Evangelii : Quando Christus manducatur, vita manducatur. Sed quis audeat manducare Dominum suum? Et tamen invitans nos ad manducandum, ait : *Qui manducat me vivit propter me* (*Matth.* VI, 58). Non occiditur Christus, ut manducetur, sed mortuus vivificat. Quando manducatus reficit, non deficit.

Vivit manducatus, surrexit occisus. Nec quando manducamus, partes de illo facimus, et quidem in sacramento sic fit. Item : Norunt fideles quomodo manducent carnem Christi, unusquisque accipit partem suam : unde et ipsa gratia partes vocantur. Per partes manducatur, et manet integer totus. Per partes manducatur in sacramento, et manet integer totus in cœlo, manet integer totus in corde tuo. Ideo ista dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur, et aliud intelligitur. Item de verbis evangelii : Quid est Christum manducare? Non solum hoc in sacramento corpus ejus accipere, multi enim indigne accipiunt; sed in ipso manere, et habere ipsum in se manentem. Spiritualiter enim manducat qui in unitate Christi et Ecclesiæ quam sacramentum significat, manet. Nam qui discordat a Christo, nec carnem Christi manducat nec sanguinem bibit, etsi rei tantæ sacramentum ad judicium quotidie accipiat. »

IV. Ex his colligitur quod in Ecclesia sola corpus Christi præsentatur, ubi a sacerdotibus catholicis missa ritu ecclesiastico (83) celebratur. In quorum consortio non reputantur Simoniaci, et sub excommunicatione interdicti; Nicolaitæ videlicet sacerdotes et reliqui altaris ministri manifeste incestuosi. Dicitur quippe incestus, non solum cum consanguinea, sed etiam cum sacrata persona perpetrata fornicatio. Taliter incestuosorum et Simoniacorum nimia numerositas facit hæc tempora periculosa, in quibus regnat immunditia et Simonia, tanquam Jezabel immunda juxta nomen suum, quod interpretatur *sterquilinium*, seu *fluxus sanguinis?* et filia ejus Athalia tyrannizans in Judæa. Quia, sicut illa præter unum solum parvulum furtim subtractum interfecit omne semen regium, ut regnaret ipsa sola in Judæa, sic et nunc Simonia interimit regimen legitimum, ut sola ipsa regnet in Ecclesia, divina officia Simoniace et ambita et obtenta celebrantibus interdictis et anathematizantibus : quorum sacrificia Deus non respicit, quia de talibus Moyses Deo dixit : *Ne respicias sacrificia eorum* (*Num.* XVI, 15). Sicut ergo illiciti sacrificatores tunc perierunt, sic et modo eorum similes peribunt, nisi pœnitentiam agant. Caveat ergo Folmarus a synodo Ephesina damnatus et anathematizatus, ne missam celebret; in qua velut alter Berengarius cum suæ doctrinæ sectatoribus damnatus, negat esse corpus Domini verum, quod solummodo in cœlo asserit esse, ac non alibi usque ad diem judicii, donec sæculum finiatur.

V. Puto autem quod hic deceptor deceptus sit in verbis Augustini dicentis in Joannem . « Sursum est Dominus, sed tamen etiam hic nobiscum est veritas Dominus. Corpus enim in quo surrexit uno loco esse potest, veritas autem ejus ubique est. » Mendosi codices habent, *uno loco esse oportet*. Per

A quod verbum *oportet*, quasi necessitatem inducunt aliqui, tanquam sic oporteat, id est necessarium sit intelligi, ut corpus Domini sit solummodo in uno aliquo cœli secreto loco, nec possit uno eodemque momento multis in locis totaliter præsentari. Quo contra nos veram liberam [*f.* litteram] tenentes asserimus cum Augustino, quod corpus Christi uno in loco cœli esse potest : veritas tamen ejus, id est divinitas ubique est. Veritas etiam ejus id est verum ejus corpus in omni altari est, ubicunque intra catholicam Ecclesiam celebratur missa. Unde idem Augustinus in libro sententiarum Prosperi : « Hoc est quod dicimus quod modis omnibus approbare contendimus, sacrificium Ecclesiæ duobus confici, duobus constare : visi-

B bili elementorum specie, et invisibili Domini nostri Jesu Christi carne et sanguine : sacramento et re sacramenti, id est corpore Christi. Est igitur sacramentum et res sacramenti, id est corpus Christi. » Item idem in sermone de verbis Evangelicis : « Sicut per spiritum vera caro sine coitu creata est, ita per eumdem ex substantia panis et vini idem corpus Christi et sanguis conficitur. »

VI. His et similibus beati Augustini dictis possunt instrui lectores ejus benevoli et attenti, ne solis verbis ejus ad Dardanum plus justo intentis, æstiment illum negare quod Christus sit corporaliter in Ecclesia, quam pascit corpore ac sanguine suo. Quod corpus, non sicut mendosi codices ha-

C bent, uno in loco esse oportet, quasi alibi esse non possit, sed sicut emendatiores codices apud nos habent, ita uno in loco esse potest, ut tamen, prout salus prædestinatorum exigit, nusquam illis desit. Unde etiam ad quorumdam sanctorum exsequias legitur venisse : nec tamen cœlum deseruisse credendus est, etiam dum corporaliter videretur sub cœlo. Sic beatus Gregorius refert illum venisse ad obitum sanctæ Tharsillæ amitæ suæ. Sed ille Folmarus talia dicit fabulosa, contendens eum sub cœlo nec visum nec videndum ante diem judicii, quando apparebit etiam iis qui eum transfixerunt : interim vero, ut ait, oportet eum esse in loco uno.

VII. Deceptus est per verbum *oportet*, in quo

D nos habemus *potest*. Nam revera sic potest esse in uno loco is qui ascendit ubi erat prius, ut tamen loci unius locali circumscriptione minime sit coarctatus : ita ut non possit corporaliter adesse, vel potius inesse suum corpus manducantibus, prout ipse ait : *Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum in me manet, et ego in eo* (*Joan.* VI, 55). Quisquis autem propter jam dictum verbum *oportet*, necessitatem inducit, quasi necessarium sit loco uno contineri corpus Christi, sive corpus Christum, fragili ramusculo, videlicet verbo a falsatoribus interposito stulte innititur, quia fra-

(83) Hæc, ut alibi monuimus ad hunc auctorem, cum mica salis accipienda. Quod enim de fructu et utilitate proprie dicitur, videtur Gerhohus paulo audacior ad *realitatem* transferre. Sed indulgendum zelo hominis temporibus satis calamitosis viventis.

cto isto ramusculo cadet in barathrum perditionis, innodatus hæresi Berengarii Andegavensis diaconi, quæ damnata et anathematizata est a papa Nicolao cum omnibus ejusdem pravæ doctrinæ sectatoribus, verum Christi corpus negantibus in altari sacerdotum manibus in veritate tractari, frangi, et fidelium dentibus atteri. Sectator vero doctrinæ hujus pestiferæ esse jam dictus Folmarus deprehenditur in dictis et scriptis, quæ contra nos evomuit, vel potius quasi *follis amarus* amaritudine plena efflavit putans fortasse ille miser, quod ei sit liberum quæcunque voluerit contra nos gannire seu garrire; pro eo quod sedes apostolica nunc est perturbata, et quassatur Petri navicula.

CAPUT XV.

Folmarum a corrigendis et censendis suis scriptis arcendum esse, nec se unquam dimoveri passurum a sententia sanctorum Patrum, Christum exaltatum esse usque ad altissimi Dei patris consessum affirmantium.

I. Ignosce lector, acriter loquenti, et quasi multo sale fœtentis erroris putredinem fricanti: neque putes oblitum quod in exordio hujus opusculi promisi, oleo sacrificium scriptorum meorum superfundendum. Cum enim sit oleum vera veritatis charitas, hæc ipsa nunquam caret illa æmulatione de qua dicitur: *Fortis est ut mors dilectio, dura velut infernus æmulatio* (*Cant.* VIII, 6). Hac nimirum dura charitatis æmulatione insectandus est hæreticus, et quasi vulpes demoliens vineam, videlicet Ecclesiam Wirtzelburgensem, in qua latitat nectens truffas in loco qui dicitur Trufenstain, pertrahendus est de fovea sua, Domino volente, ad lucem, cum sancta Romana Ecclesia, ut speramus habebit pacem. Confidimus enim Christum qui nunc dormire videtur, cito surrecturum et imperaturum ventis et navi, ut fiat tranquillitas magna. Tunc si Dominus voluerit, et si vixero, ipso adjuvante, Romano pontifici hoc ipsum libellum vel per me vel per certum nuntium præsentabo. Interim vero semotis æmulis meis hoc diffamantibus, quod ego in conflictu Babenbergensi omnino defecerim, quod falsum esse tu nosti, quod eidem conflictui præsens adfuisti, quique ut offendicula quædam exemplo beati Augustini retractarem, post conflictum illum rogasti, consulendo potius quam præcipiendo, idipsum quoque, consulente domino Babenbergensi aliisque tunc, ut putavi, amicis, verum sicut postea comperi non plane amicantibus, quia per unum illorum libellus ille repudio dignus contra me scriptus, quem ego nunquam vidi aut legi, missus est domino Petro Wiensi ad ampliationem lacerationis famæ meæ quam non debeo negligere, quia ut ait Augustinus, « qui famam suam negligit crudelis est. » Emissor itaque hujus libelli quisquis ille est, non velut judex in scriptis nostris admittendus, sed quasi detractor cavendus est. Hujusmodi ergo æmulis non quidem a lectione, sed a correctione scriptorum meorum sequestratis, contentus ero judicio tuo, venerande pater Heberarde, Juvaviensis ecclesiæ archipræsul, cui si quid rationabiliter displicuerit in hoc ipso tractatu meo, paratus ero, favente gratia Dei, emendare in melius. Quando et in cæteris meis opusculis, quæ tibi displicere cognosco vel cognovero, vel corrigere vel rationabili sensu dilucidare, aut certe omnino auferre non gravabor, salva in omnibus fide mea, qua per doctores orthodoxos didici, Christum exaltatum usque ad altissimi Dei patris consessum, juxta sanctorum Patrum dicta subter annexa.

II. Caius papa et martyr: « Cum unus sit Dominus Jesus Christus, et veræ deitatis veræque humanitatis in ipso uno una prorsus eademque persona sit; nec hujus unitionis soliditas, ulla possit divisione sejungi, exaltationem, qua illum ut doctor gentium dicit exaltavit Deus, donavit illi nomen quod est super omne nomen; ad eam intelligimus pertinere formam, quæ ditanda erat tantæ glorificationis argumento. In forma quippe Dei æqualis erat Patri filius, atque inter genitorem et inter unigenitum nulla erat in essentia discretio, nulla in majestate diversitas: nec per incarnationis mysterium aliquid decesserat Verbo, quod ei patris munere redderetur. Forma autem servi, per quam impassibilis Deitas sacramentum magnæ pietatis implevit, humana humilitas est, quæ in gloriam divinæ pietatis evecta est, in tanta unitate ab ipso conceptu virginis, deitate et humanitate conserta, ut nec sine homine divina, nec sine Deo agerentur humana. Propter quod sicut Dominus majestatis dicitur exaltatus. »

III. Hæc ipsa Caii papæ sententia invenitur in fide Leonis papæ ad sanctum Flavium contra Eutychetem et Nestorium, quam beatus Gregorius papa mirabiliter laudat in epistolis suis, dicens: « Quisquis fidem sancti Leonis papæ auget vel minuit, vel usque ad unum atomum pleniter non amplectitur, non modo episcopus non est dicendus, sed anathemate sempiterno plectendus. » Dicit autem idem Leo in ejusdem suæ fidei expositione: « Nec Verbum in carnem, nec in Verbum caro mutata est; sed utrumque in uno manet, et unus in utroque est: nec diversitate divisus, nec permistione confusus, nec alter ex Patre, alter ex matre: sed idem aliter ex Patre ante omne principium, aliter de matre in fine sæculorum; ut esset mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, in quo inhabitaret plenitudo divinitatis corporaliter. Quia assumpti non assumentis provectio est, quod Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen. Nec interest, ex qua Christus substantia nominetur; cum inseparabiliter manente unitate personæ, idem sit, et totus filius hominis propter carnem, et totus Dei filius propter unam cum Patre deitatem: et nullum est in hac unitate mendacium, dum invicem sunt, et humilitas hominis et altitudo deitatis. Sicut enim Deus non mutatur miseratione, ita homo non consumitur dignitate. Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium est, Verbo

scilicet operante quod Verbi est, et carne exsequente quod carnis est. Quamvis in Domino Jesu Christo Dei et hominis una persona est, aliud tamen est unde in utroque communis est gloria. »

IV. Item idem Leo papa in sermone ad populum dicit: « Deus Dei Filius sempiternus manens in forma servi, incommutabiliter atque intemporaliter habens non aliud esse quam Pater, formam servi sine detrimento suæ majestatis accepit: ut in sua nos proveheret, non in nostra deficeret. Unde utrique naturæ in suis proprietatibus permanenti tanta est unitatis facta communio, ut quidquid ibi Dei est non sit ab homine separatum, et quidquid est hominis non sit a Deitate divisum. » Item idem: « Absint a cordibus nostris, dilectissimi, diabolicarum inspirationum virulenta mendacia! et scientes quod sempiterna Filii Deitas nullo apud Patrem crevit augmento, prudentes advertite, quod cui naturæ in Adam dictum est, *terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19); eidem in Christo dicitur, *Sede a dextris meis* (*Psal.* CIX, 1). Secundum illam naturam qua Christus æqualis est Patri, nunquam inferior fuit Unigenitus sublimitate Generatoris. Nec temporalis est dextera Dei Patris, de qua in Exodo dicitur: *Dextera tua, Domine, glorificata est in virtute.* Et in Isaia; *Domine, quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est?* » Item Leo papa in sermone de passione Domini. « Unigenitus Patris summi tale iniit cum humana humilitate consortium, ut suscepta nostræ carnis animæque substantia, unus atque idem Filius permaneret, nostra augendo non propria. Quia infirmitas erat provehenda, non virtus: ut cum suo Creatori creatura esset unita, nihil assumpto divinum, nihil assumenti deesset humanum. »

V. Idem in sermone de Spiritu sancto: « Dicente beato apostolo Joanne: *nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat clarificatus* (*Joan.* XIII, 31), Domini ascensio dandi Spiritus erat ratio, quem ille necesse est neget datum, qui ad consessum paternæ dexteræ verum in Christo hominem negat esse provectum. Nos autem, dilectissimi, ad beatam æternitatem et animæ et corporis per generationem sancti Spiritus adoptat sacratissimum hujus diei festum. Rationabili obsequio celebremus; confitentes cum beato Paulo apostolo, quod Dominus Jesus ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus, ut Evangelium Dei per omne humanæ vocis eloquium prædicetur, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus est in gloria Dei Patris. » Item: « Ad sananda fidelium cordium vulnera, clavorum et lanceæ servata erant vestigia, ut non dubia fide, sed constantissima scientia teneretur, eam naturam in Dei patris consessuram throno, quæ jacuerat in sepulcro. » Et post pauca: « Tunc, inquit, ad æqualem Patri Filium eruditior fides gressu cœpit mentis accedere, et contrectatione corporeæ in Christo substantiæ, quæ Patre minor est, cœpit non egere, quoniam glorificati corporis manente natura eo fides credentium vocabatur, ubi non carnali manu, sed spiritali intellectu par Genitori Unigenitus tangeretur. » Item: « Magna et ineffabilis erat causa gaudendi, cum in conspectu sanctæ multitudinis super omnium creaturarum cœlestium dignitatem, humani generis natura conscenderet, supergressura angelicos ordines, et ultra archangelorum altitudines elevanda, nec ullis sublimitatibus modum suæ provectionis habitura, nisi æterni Patris recepta consessu, illius gloriæ sociaretur in throno, cujus naturæ copulabatur in Filio. Quia ergo Christi ascensio nostra provectio est, et quo præcessit gloria capitis eo spes vocatur et corporis; dignis, dilectissimi, exsultemus gaudiis, et pia gratiarum actione lætemur. Hodie enim non solum paradisi possessores firmati sumus, sed etiam cœlorum in Christo superna penetravimus, ampliora adepti per ineffabilem Christi gratiam quam per diaboli amiseramus invidiam. Nam quos virulentus inimicus primi habitaculi felicitate dejecit, eos sibi concorporatos Dei Filius ad Patris dexteram collocavit. »

VI. Hilarius in libro nono de Trinitate: « Hæc humanæ beatitudinis fides vera est, Deum et prædicare Verbum et carnem confiteri; neque Deum nescire quod et homo sit, neque carnem ignorare quod Verbum sit. Cum autem contra naturam sensus nostri Deus manens, homo nascitur, jam non est contra naturam spei nostræ, ut natus homo Deus maneat: cum potior natura in inferiorem nata fidem præstet inferiorem in naturam posse nasci potiorem. » Et subinfert: « Confessio itaque hæc erit in gloria Dei Patris: et natum in homine non jam in infirmitate corporis nostri manere, sed in Dei gloria. Et hæc lingua omnis confitebitur, et cum cœlestibus terrestria genu flectent. » Item Augustinus de bono perseverantiæ: « Qui fidelis est in eo veram humanam naturam credit, suscipiente Deo Verbo ita sublimatam, ut qui suscepit et quod suscepit una esset in trinitate persona, assumptione illa ineffabiliter faciente personæ unius in Deo et homine veritatem. » Item in psalmo LXVIII: Defecerunt oculi mei ab sperando in Deum meum. Absit hoc ut de persona capitis accipiamus! Absit ut defecerint oculi ejus ab sperando in Deum ejus, in quo magis Deus erat mundum reconcilians sibi, et quia Verbum caro factum est et habitavit in nobis, ut non solum in illo Deus esset, sed etiam ipse Deus esset! »

CAPUT XVI.

Auctoris de divina filii hominis gloria doctrina tum veterum tum recentiorum doctorum testimoniis roboratur.

I. Ambrosius exponens illud, ubi angelus de nascituro filio virginis ait: *Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur* (*Luc.* I, 32). « Non ideo, inquit, erit magnus quod ante partum virginis magnus non fuerit; sed quia potentiam quam Dei Filius naturaliter habet, homo erat accepturus ex tempore: ut una sit persona Deus et homo. »

una sit persona Deus et homo. » — II. Maximus A episcopus de Natali Domini : « Verbum caro factum est, ut non Deus vacuaretur in hominem, sed ut homo glorificaretur in Deum. » Idem : « Quomodo comprehendere homo valet Deum? factus ingenitum? mortalis æternum? Si investigare niteris qualiter Deus in hominem, vel homo transivit in Deum, investiga prius si potes, quomodo ex nihilo factus est mundus. » Idem : « Decreto quodam incomprehensoque conceptu procedit de mortali femina divina progenies. Nec mirum sane si exstitit divina nativitas, ubi non erat humana conceptio. Igitur Deus qui apud Deum erat, prodivit a Deo, et caro Dei quæ in Deo non erat, processit ex femina. »

III. Augustinus de Symbolo : « Quod sedere Pater dicitur, non flexis poplitibus putandum est, ne in- B cidamus illud sacrilegium, in quo exsecratur apostolus eos, qui commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem corruptibilis hominis. Tale enim simulacrum nefas est Christiano in templo collocare : multo magis est nefarium in corde, ubi verum Dei templum est, si a terrena cupiditate atque errore emundetur. Sedens ergo Deus quod dicitur, non membrorum positionem, sed judiciariam figurat potestatem : qua illa majestas nunquam caret, semper digna dignis tribuendo. Dextera illius est summa beatitudo, ut sinistra, miseria in qua hædi constituuntur. » Idem in libro xx de Civitate Dei, cap. 13 : Quædam vis divina libri nomen accepit. In ea quippe quodammodo legitur quidquid ea faciente recolitur. Sicut ait Apostolus : *Omnes enim stabi-* C *mus ante tribunal Domini, ut referat unusquisque quæ per corpus gessit, sive bonum sive malum* (*Rom.* xiv, 10) : tribunal Domini appellans majestatis ejus excelsitudinem, quæ omnibus ubique in omnibus apparebit. Qua manifestata videbunt impii in quem pupugerunt, et plangent se omnes tribus terræ. »

IV. Ambrosius exponens illud : *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis* (*Psal.* cix, 1). « Consummaturus præcepta Dominus, fidem ac misericordiam testamenti sui fine concludit. Fidem in eo ut Christum Deum et Dominum nostrum, et ad dexteram Dei sedere credamus; non quod corporaliter sedeat qui ubique est. Denique ipse in Patre D quia una substantia Dei, quia una virtus, una majestas. Ipse ergo in Patre, et in ipso Pater, quia Deus in Verbo est et Verbum in Deo est. In Patre ipse sedens ad dexteram Patris, quia Patri consors, nulli secundus. Ipse missus a Patre quia descendit de cœlo Patris impleturus arbitrium. Tolle hinc perfidiæ quæstiones, et plena religio est. Nec præfertur quia ad dexteram sedet, nec injuriam patitur quia mittitur; gradus non quæritur dignitatis, ubi plenitudo est divinitatis. »

V. Beda exponens illud : *Pater quod dedit mihi, majus omnibus est :* dicit in homilia : « Majus autem omnibus quod mediatori Dei et hominum homini Jesu Christo Pater dedit, hoc est ut sit unigenitus ejus Filius, in nullo gignenti vel natura dissimilis, vel virtute inferior, vel tempore posterior. Quam videlicet æqualitatem ipse Dominus in divinitate habuit priusquam mundus esset apud Patrem, ipse in humanitate ex tempore incarnationis accepit. »

VI. Hieronymus ad Paulam et Eustochium in sermone De assumptione sanctæ Mariæ : « Obsecro vos, o filiæ, tantam ac talem gratiam ne in vacuum recipiatis, quæ est in Christo Jesu, in quo Deus et homo sic est unitus in una eademque persona, ut legatur quam sæpe in divinis Scripturis homo Deo coæternus propter unitionem subsistentiæ, ac deinde Deus homini compassus : cum nec ininitiabilis sit homo, nec passibilis Deus. Tamen sic unitus est Deus suo corpori, ut nullam patiatur fieri inter Deum et hominem humana opinione distantiam; ne forte, quod absit! alius Filius Dei et alius filius hominis credatur. Præsertim quia scriptura connectit et concorporat Deum et hominem, ut nec in tempore hominem quis a Deo, nec in passione possit ab homine Deum discernere. »

VII. Augustinus in libro Quæstionum Novi Testamenti : « Christus Dei Filius ex æterno est secundum Spiritum sanctitatis : juxta carnem vero ex semine David natus est Filius Deo, ut in utroque non factus Deo Filius habeatur, sed natus. » Et post aliqua : « Salvator ergo et natus est secundum carnem Filius Dei. Non enim poterat, quod de sancto sanctum natum est, non de Deo nasci. » Idem in epistola ad Romanos ait : « Recte Christus dicitur non prædestinatus secundum id quod est Verbum Dei, Deus apud Deum. Ut quid enim prædestinaretur, cum jam esset sine termino sempiternus? Illud autem quod nondum erat ante tempora, prædestinatum erat ut in tempore fieret. Itaque secundum quod est homo prædestinatus, est non solum ut sine meritis esset caput nostrum, et ut nec origine traheret nec voluntate perpetraret peccatum, et ut ex mortali natura clarificaretur in immortalem, sed etiam ut esset Filius Dei in virtute. Qui ex quo homo esse cœpit, Filius Dei cœpit unicus esse. Quæ tam celsa est et summa provectio, prædestinata humanæ naturæ, ut quo tolleretur altius non haberet. Unde etiam secundum Spiritum sanctificationis dicitur facta. Non enim carnis cupidine, sed solo Dei munere, Dei Filius unigenitus conceptus est et natus. »

VIII. Ambrosius : « Volvi et revolvi Scripturam divinam, et Filium Dei nusquam inveni adoptivum. Sed sicut Christus inquantum Deus est, naturaliter habet ut sit naturalis Filius et sit Deus; ita inquantum homo est, per gratiam habet ut sit idem Filius Dei naturalis. »

IX. Hæc sanctorum testimonia credibilia facta sunt nimis, id contestantia quod domum Dei non manufactam decet sanctitudo in longitudinem dierum. Sed ut firmius credantur, addatur illis testimonium Dei Patris de cœlo clamantis : *Hic est*

Filius meus dilectus in quo mihi complacui (*Matth.* XII, 18). Sanctus Ambrosius hoc testimonium Patris de cœlo Filium commendantis in Luca exponens, et in eodem testimonio Filii appellationem ad totam et ex toto divinam Christi generationem referens, « Quod, inquit, evidentius divinæ generationis indicium, quam quod de generatione Christi dicturus, ipsum Patrem præmisit loquentem : *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui?* Cum dicit *in quo complacui*, non aliena in Filio sed sua laudat. » Item in eodem : « Qui fidei auctor est, ipsum asserere Scriptura quoque debuit divinæ generationis auctorem : unde et Lucas ad Deum putavit originem ejus referendam, quod verus Christi generator Deus sit, vel secundum veram generationem Pater, vel secundum lavacri regenerationem mystici auctor muneris. Et ideo non a primo generationem ejus cœpit describere, sed posteaquam baptismum ejus explicuit, auctorem omnium Deum per baptismum cupiens demonstrare, Christum quoque a Deo ordine manasse successionis asseruit; universa contexens, ut et secundum naturam et secundum gratiam secundum carnem Dei Filium demonstraret. »

X. Hæc dicente sancto Ambrosio, consentiente sibi etiam Patris testimonio, et fidelis evangelistæ bono nuntio, funiculus triplex nectitur quo nostra pars confirmatur, et adversarius ligatur : dum Christus etiam secundum carnem Dei Filius demonstratur, quando carnalis quoque ipsius ac temporalis propagatio usque ad Deum sursum versus continuatur. Speciosus ergo forma præ filiis hominum est iste homo, supergressus naturam omnium hominum, in tantum ut proprie ad ipsius totam personam pertineat illud testimonium Patris de cœlo intonantis : *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui*. Sufficere possent hæc Patrum testimonia de hominis in Deum assumpti gloria immensa, et divina ejus magnificentia super cœlos elevata. Sed quoniam omnis scriba doctus similis est in regno cœlorum patrifamilias qui profert de thesauro suo nova et vetera, veterum testimoniis addamus nova temporibus nostris edita.

XI. Rudpertus Tuitiensis abbas super Joannem exponens testimonium Patris de cœlo clamantis, *Hic est Filius meus dilectus*, etc. « Hoc utique, ait, a principio non dixit, cum universa conderet, cum cœli fabricam extenderet, vel mari terminum poneret, et omnia visibilia sive invisibilia mirabilis artifex componens, suo singula loco vel ordine distingueret. Et quidem placebant illi cuncta bona quæ fecerat, quia erant valde bona ; sed nunquam in omnibus illis seipsum sibi complacuisse insinuat. In hoc autem uno sibi complacet et dicit : *Mihi complacui*, quod longe aliud est quam si dixisset : Tu mihi complacuisti. Attendamus ergo quid in Christo factum sit, et videbimus quod vere pro magnitudine vel qualitate operis recte Pater in illo sibi complacuerit. Videlicet cum Deus omnia fecisset ex nihilo, nihil omnino simile sibi vel æquale fecerat, quanquam ad imaginem et similitudinem sui hominem fecerit. Nec enim fieri poterat ut increato Deo similis vel æqualis formaretur creatura.

XII. « Non ergo benevolentiæ Creatoris sufficiebat, quod ea quæ fecerat erant cuncta valde bona. Quia nihil inter omnia simile sibi vel æquale videbat, sed ut dictum est, tale quid omnino qualis ipse est creari non poterat. Quapropter multitudo creaturæ infirma, utpote de nihilo facta, partim corruerat, neque suis viribus ullo modo restaurari valebat. Suggessit igitur tunc ipsa quæ prius apparuit in specie columbæ, mitis et benevola Patris charitas, quatenus ipsam virtutem, ipsum Verbum per quod omnia fecerat, quoniam nihil sibi æquale condiderat, facturæ suæ uniret, et sic unum quid cui nihil deesset in ordine naturæ produceret : essetque creatura, licet dispar conditione tamen compar Creatori, suimet in Deum assumptione et glorificatione. Quo facto gratulatur omnipotens bonitas, et applaudit sibimet dilectio columbina omnis invidentiæ nescia, quod ope sua compar sibi facta sit humana creatura : dignum laude judicans, quod inopi naturæ ejus de suæ naturæ divitiis adeo subvenerit, ut totum regnum Patris regere, universam omnino cœli ac terræ rempublicam disponere, et in throno ejus dominari æque ut ipse deinceps idonea sit.

XIII. « Hoc opus suum adeo collaudat, et hoc sibi complacere in tantum judicat, ut cuicunque non complacuerit, quicunque cum laude et gratiarum actione non aspexerit; eum velut ingratum et vere superbum et invidum a salute sua, et ab ejusdem Christi Filii sui regno repellat. Cujus utique regni, quia non est finis cum sit immensum, recte quoque ipse rex immensus prædicatur. Sicut ex opposito regulus dicitur cujus regnum coangustatum, etiamsi contingat ipsum gigantea statura extensum. Christus autem, id est homo præ consortibus suis unctus in regem regni omnium sæculorum, licet parvulus in cunis apparuerit, jam in throno majestatis paternæ magnitudine suæ claritatis etiam angelos pascit, et toti curiæ Patris gaudium facit. Ad quod gaudium discipulos suos adhuc mortalis invitabat dicens : *Si diligeretis me, gauderetis utique quia ad Patrem vado, quia Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28). Cum enim ipse in divinitatem nunquam Patre minor exstiterit, luce clarius constat quod hæc dicens Filius Dei, de natura hominis egerit, tanquam diceret : Quandiu mortalis homo sum, Pater major est; at postquam transibo ex hoc mundo ad Patrem, exaltata videlicet humanitate mea usque ad paternæ gloriæ celsitudinem, a qua nunquam discessi per divinitatem, ex tunc videbitis me Dominum et salvatorem vestrum, propter passionem mortis gloria et honore coronatum. Igitur si diligeretis me, gauderetis utique transire me ab exsilio mundi, et æternaliter sessurum ad dexte-

ram Patris intrare in gloriam regni mei. Quia videlicet hactenus ex quo carnem indui major me est; et ego secundum mortalitatem ejusdem carnis, non solum Patre sed etiam immortalibus paulo minor sum angelis. Postquam autem usque ad Patris consessum exaltatus fuero, extunc implebitur quod scriptum est: *Dixit Dominus Domino meo*, etc. (*Psal.* CIX, 1). Item: *Gloria et honore coronasti eum, Domine; et constituisti eum super opera manuum tuarum* (*Psal.* VIII, 6).

XIV. « Quanta Jesum Christum diligentibus causa est gaudendi! Magna plane et ineffabilis. Unde nec illi plane inveniuntur Christum diligere, qui de jam facta hominis usque ad Patrem exaltatione, gaudentibus fidelibus nolunt congaudere: contendentes filium hominis eumdemque Filium Dei adhuc minorem Patre in sua quantumlibet glorificato humanitate. Quam sane minoritatem si referunt ad humanitatis naturalem conditionem, non ad ejusdem supernaturalem exaltationem, recte tolerantur, quoniam in hoc sensu neque nobis neque fidei catholicæ adversantur. Verum si hominis in Deum jam glorificati arbitrantur non eamdem gloriam, omnipotentiam, omnisapientiam, omnivirtutem, omnimajestatem quæ est Patris altissimi, timendum sine dubio est ne a regno ipsius repellantur tanquam detractores invidi, cum illo consortium habituri, qui primus invidit altitudini hujus altissimi, dicens in corde suo: *Ero similis altissimo* (*Isa.* XI, 14). »

XV. Item Bernardus abbas Claravallensis: « *Verbum caro factum est;* et juxta prophetam: *Omnis caro fenum* (*Isa.* XL, 6). At fenum istud minime desiccatum est, nec ex eo occidit flos, quia requievit super eum Spiritus Domini. Propter hoc namque aliquando venit finis universæ carnis, quia Spiritus recesserat vitæ. Denique ait: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est* (*Gen.* VI, 3). Carnis nomine hoc loco vitium designari intelligimus, non naturam. Propter vitium ergo omnis caro fenum, et omnis gloria quasi flos feni. *Exsiccatum est*, inquit, *fenum et cecidit flos* (*Isa.* XL, 7): sed non ille flos qui de virga et radice Jesse descendit, eo quod super eum requievit Spiritus Domini. Nec illud fenum quod Verbum factum est, pro eo quod sequitur in propheta: *Verbum autem Domini manet in æternum* (*I Petr.* I, 25). Si enim fenum Verbum, et Verbum manet in æternum; fenum quoque necesse est maneat in æternum. Alioquin quomodo vitam præbet æternam si ipsum minime maneret in æternum? Ait enim: *Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum* (*Joan.* VI, 52). Et quem panem dicat, aperit cum subjungit: *Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita* (*ibid.*). Quomodo ergo æternaliter non est, quo æternaliter vivitur? Sed recole nunc mecum vocem Filii ad Patrem loquentis in ipso: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem* (*Psal.* XV, 10). Haud dubium quin de corpore dicat, quod in sepulcro exanime jacebat. Hoc enim sanctum et angelus nominat, qui locutus virgini nuntiavit, dicens: *Et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* I, 35). Quo igitur pacto sanctum fenum videre poterat corruptionem, quod de incorrupti uteri perpetuo virore vernantibus pascuis ortum, etiam avidos angelorum in se figere possit obtutus perpetualiter et insatiabiliter oblectando? Perdat sane fenum viriditatem, si Maria virginitatem amiserit. Ergo cibus hominis mutavit se in pabulum pecoris, homine mutato in pecus. Heu tristis et lacrymosa mutatio! ut homo paradisi accola, dominus terræ, cœli civis, domesticus Domini sabaoth, frater beatorum spirituum, cœlestium cohæres virtutum, repentina se conversione invenerit et propter infirmitatem jacentem in stabulo, et propter pecorinam similitudinem indigentem feno, et propter indomitam feritatem alligatum præsepio. Sicut scriptum est: *In chamo et freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te* (*Psal.* XXXI, 9). Agnosce tu, o bos, possessorem tuum; et tu, asine, præsepe domini tui, ut prophetæ Dei fideles inveniantur, qui ista mirabilia sunt prælocuti. Cognosce, pecus, quem non cognovisti homo; adora in stabulo, quem fugiebas in paradiso; honora præsepium, cujus contempsisti imperium; comede fenum quasi panem, qui panem angeli fastidisti. »

CAPUT XVII.

Dum indifferentiam gloriæ, quam in Christo natura humana cum divina indivise habet, docet; ipsas naturas cum Eutychete nequaquam confundit. De quibusdam Nestorianis in synodo Frisacensi.

I. Sufficiant hæc Patrum antiquorum et novorum dicta de indifferentia gloriæ, quam indivise habet in Christo humana natura cum divina. Sed ne prædicando indifferentiam gloriæ, gloriam dantis divinitatis, et accipientis humanitatis, videamur ipsas naturas confundere cum Eutychete; addamus pauca naturam Verbi et carnis distinguentia.

II. Nam, ut ait beatus Ambrosius, etsi credamus a Verbo carnem assumptam, non tamen discernamus naturam Verbi et carnis. Et nobis dicitur: « Si recte offeras, et non recte dividas, peccasti. » Atque ideo licet in Christi persona tantam veneremur hominis cum Deo et Dei cum homine unionem, ut et homo divinorum, et Deus humanorum actuum habuerit communionem; quoniam ut Caii papæ aliorumque sanctorum auctoritas affirmat, nec sine Deo humana nec sine homine gerebantur divina; tamen ipsorum actuum proprietas est ita distinguenda, ut reddamus Deo quæ Dei sunt, et homini quæ hominis sunt, in una eademque persona, operante divina et humana. Hinc est quod licet Dominum gloriæ legamus crucifixum, homini tamen proprie assignamus crucis supplicium, quod non cadit in impassibilem Dominum gloriæ, quem tamen, ut dixi, legimus crucifixum. Et licet homo dicat: *Videbam quasi fulgur Satanam de cœlo cadentem* (*Luc.* 18); Deo tamen proprie assignamus hanc visio

quæ fuit ante hominis creationem Hæc omnia distinguendo convenienter, obviamus errori Eutychetis, unam tantum naturam, unam voluntatem, unam operationem in Christo prædicantis.

III. Sed ecce dum Scylla cavetur Eutychiani erroris, facile incurritur Charybdis monstri biformis Nestorianæ pestis. Nestorius quippe contrarius Eutychetis falsitati, nec tamen consonus catholicæ veritati, dum nimis Christum distinxit, beatam Mariam dici *Theotocon* vetuit; hominemque assumptum, non tanquam Deum adorandum, sed in Deo propter Deum Deo coadorandum, tanquam divinitatis inhabitatione sanctificatum, pestifero errore dogmatizavit. Contra quem collecta synodus Ephesina, hominem Verbo Dei personaliter unitum vere ac proprie docuit esse Deum, atque adoratione omnique cultu divinitatis dignissimum, utpote Deum, non divinitatis inhabitatione sanctificatum, et in divinitate adoptatum, sed, ut dixi, proprie ac vere Dei nomine honorificatum. Unde circa finem concilii ita legitur: « Si quis audet docere, assumptum hominem a Verbo coadorari cum Deo Verbo oportere et conglorificari, et connuncupari Deum, tanquam alterum alteri adjectum; » adjectio enim unius syllabæ, id est *co*, hoc cogit intelligi; « et non magis una reverentia veneretur Emmanuel, unamque glorificationem dependerit, secundum quod Verbum factum est caro, anathema sit. »

IV. Magister Hugo, De sacramentis: « Multa quæruntur de anima Christi. Ex quibus unum est, utrum videlicet æqualem cum divinitate scientiam habuerit? De qua quæstione, in alio opusculo, quod intitulatum est *De anima Christi*, prolixius disputavi. Hic vero hoc commemorare sufficit quod eadem anima, sicut plenam et perfectam Dei sapientiam unitam habuit, ita plene et perfecte ex ipsa, et per ipsam sapientiam sapiens fuit: nec tamen ipsi sapientiæ natura æqualis fuit. Quia longe aliud est sapientia sapere, atque aliud sapientiam esse. Ex quo enim divinitas humanitati conjuncta est, ex ipsa divinitate humanitas accepit per gratiam totum, quod divinitas habuit per naturam: ita ut secundum illam ineffabilem unionem, et Dei esset in humanitate sua totum quod humanitatis erat, et hominis esset in divinitate sua totum quod divinitatis erat. »

V. In his verbis magistri Hugonis caute natura humanitatis et divinitatis invenitur distincta, et utriusque naturæ indistincta sapientia. Dicens enim quia « longe aliud est sapientia sapere, atque aliud sapientiam esse, » competenter ostendit quod anima Christi æternæ sapientiæ non fuit æqualis in natura, cui tamen quam fuerit æqualis in virtute, ab ipsa etiam conceptione Virginis hominem Deum concipientis, idem consequenter demonstrat cum subnectit: « Sic ergo humanitatem Verbi in anima rationali a prima conceptione sua, et ineffabili unione divinitatis plenam et perfectam sapientiam et potentiam, et virtutem et bonitatem accepisse credimus, et ipsam sicut in unione divinitatis inseparabiliter, sic in ipsa quæ ex unione erat plenitudine virtutis incommutabiliter permansisse confitemur. » Neque enim idcirco Deus homo inter homines conversari voluit, ut quasi per intervalla temporum sapientia aut virtute proficiens, meritum sibi separaret, et seipso melior fieret; sed ut ea sapientia et bonitate, quam ipse in divinitate sua plenam et perfectam semper habuit, et in humanitate sua plenam et perfectam semel et simul accepit, dispensatione salutis humanæ secundum ineffabilem ordinationem suam compleret. Quapropter id quod dicit evangelista, quia proficiebat Jesus ætate, sapientia et gratia, non ita accipitur, quasi semetipso melior factus sit; sed quia hominibus quam ipse habebat, sed latebat sapientiam et gratiam, prout ratio temporum postulabat, magis ac magis semper aperuit. Ita apud homines ipse proficiebat, quantum homines in ejus cognitione profecerunt: apud Deum autem profecit in eo quod, dum se sapientia et gratia Dei plenum ostenderet, eos ad laudem Dei Patris, a quo hoc esse testabatur, magis semper ac magis provocavit.

VI. Præmissis Patrum testimoniis, nos eisdem consona sentiendo, Christum non inter creaturas computamus: imo super omnes creaturas Deum benedictum, ac proinde adorandum prædicamus, Deo patri suo in omni potentia coæquatum, et omnibus adoptivis diis et filiis prælatum, ac tanto meliorem effectum, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit.

VII. Quidam prudens apud semetipsum et in oculis suis magnus, in capitulo Frisaci habito protulit maledicta in eos qui a fide sua quam ibidem recitaverat, dissentirent. Alius quoque eidem consona loquens, magis scholastice quam ecclesiastice peroravit. Quibus pro tempore satis responsum est a duobus fratribus nostris, qui illic aderant; partim approbantes et partim improbantes quæ dicebantur ab ipso: nimirum scientes reprobare malum et eligere bonum. Nam quod Jesum Christum professus est ex duabus et in duabus naturis existentem, Deo Patri æqualem secundum divinitatem et minorem Patre secundum humanitatem, potest approbari utpote sane dictum et Catholicæ fidei consonum. Sed quod homini assumpto negat omnipotentiam et cætera divinitatis bona potiora, in quibus Patri suo Deo factus æqualis, jam sedet et quiescit, conregnat in dextera ipsius Dei Patris; omnino consonat Pauli Samosateni et Nestorii, simulque Photini hæresibus in Ephesino concilio damnatis et anathematizatis, cum omnibus ipsius Pauli, Nestorii et Photini sectatoribus. Quos et olim per Jeremiam prophetam fuisse maledictos, ostendit illustris vir Hieronymus exponens illud: *Maledictus vir qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum* (*Isa.* IX, 20). « Si, inquit, maledictus est omnis homo qui confidit in homine, Paulus autem Samosatenus et Photinus, quamvis sanctum et cunctis

excelsum virtutibus prædicent Salvatorem. tamen hominem confitentur : ergo maledicti erunt spem habentes in homine. » Ecce in dictis in Jeremia positis et ab Hieronymo expositis aperte ostenduntur maledicti maledictores nostri, qui nos maledicunt, pro eo quod aliter sentimus quam senserint Paulus et Photinus. Quos etiam sequendo impius Nestorius, et ipse in Ephesino concilio meruit condemnari et anathematizari cum suæ doctrinæ sectatoribus, quales nunc multi prodeunt, quasi vulpeculæ demolientes vineam Domini abaoth.

VIII. A quibus ne forte et nobis impingatur maledictio confidentibus et spem ponentibus in homine hominis filio, ipse Hieronymus nos defendit et hoc annectit : « Quod si nobis oppositum fuerit, quod et nos credamus in eo qui dicit : *Nunc autem quæritis me interficere, hominem qui veritatem locutus sum vobis, quam audivi a Deo : Hoc Abraham non fecit, vos facitis opera patris vestri* (*Joan.* VII, 20). Respondebimus illud apostolicum : *Etsi Christum aliquando juxta carnem cognovimus, sed nunc jam non novimus* (*II Cor.* V, 16). Denique idem Apostolus in principio epistolæ suæ scribit ad Galatas : *Paulus apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis; et qui mecum sunt omnes fratres* (*Gal.* I, 1). Si enim mors absorpta est in victoria, quare non carnis humilitas quæ propter humanam salutem assumpta est, in divinitatis transierit majestatem, ut fecerit utraque unum, et non adoremus creaturam, sed Creatorem qui est benedictus in sæcula ? »

IX. Hæc dicente sancto Hieronymo, satis excusamur nos ab idololatria, qui adoratione soli Deo debita illum hominem adoramus, qui est non inter omnia, sed super omnia Deus benedictus in sæcula, utpote Altissimi Filius ab angelo annuntiatus. Eo quod virtute Altissimi obumbrante virginem, in ejus conceptione non amor viri, sed amor Dei Patris, videlicet Spiritus sanctus fuerit operatus, ut quod nasceretur ex ea Filius Altissimi vocaretur. Filius, inquit, Altissimi, scilicet Patris æterni, qui semel locutus eum semel quidem genuit, sed in una ejus genitura duo hæc audiri fecit : unum, quia potestas Dei est; alterum, quia tibi, Domine, misericordia, ut scias in uno eodemque Dei et hominis Filio indissimiliter venerandam et potentiam qua de nihilo creatus, et misericordiam qua de perdito reparatus per ipsum Dei et hominis Filium, patris et matris unum unigenitum.

X. Neque enim Spiritus sanctus operatus est in utero virginis, ita ut illic ipse fuisset pro semine; ut me sentire quidam falsiloqui susurrant: sed æternæ Dei sapientiæ sibi domum fabricanti ex humana carne, ita virtus et Spiritus ejus cooperabatur, ut ipsa domus per septem columnas altissimas exaltata in sui celsitudine, altissimo Patre non fuerit inferior; quamvis in sui conditione, utpote creatura Creatore minor etiam tunc fuerit et nunc

A sit, neque unquam eidem coæquari possit quantum ad sui conditionem, coæquata tamen per ineffabilem sui provectionem in omnipotentia, in scientia et omni altissimæ divinitatis gloria, ipsam gloriam habens tam plene in humana natura quæ hanc ex tempore accepit, quam et in divina quæ hanc æternaliter habuit. Est quippe in utraque natura unicus Dei Patris Filius, quia non sic operatus est ejus in virgine conceptionem Spiritus sanctus, ut quod nasceretur ex ea illius esset aut Spiritus sancti aut Verbi æterni, sed Filius altissimi Patris, qui Verbum suum eructavit in cor et uterum virginis incarnandum sancti Spiritus operatione. Quæ nimirum operatio etiam ipsius Patris et Verbi erat, quia inseparabiliter operabatur summa Trinitas. Quæcun-

B que enim Pater facit, hæc et Filius similiter facit : item quæcunque Pater aut Filius facit, hæc et amborum Spiritus similiter facit.

XI. Est igitur opus totius Trinitatis, quod homo in virgine conceptus, est Filius Altissimi, Patris unicus, unigenitus et primogenitus : ultra omnes angelos et homines beatos in infinitum superexaltatus, ea natura jam sedente in excelso throno, quæ jacuerat in sepulcro, ut ait Leo magnus. In ea quippe natura in qua Dei Filius factus est, omnibus angelis tanto melior effectus est, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim angelorum a Deo dictum est : Filius meus es tu ? Vel cui hominum dicere congruit Deo : Pater meus es tu ?

C nisi huic soli unigenito, a Deo Patre facto et genito : facto videlicet non in animam viventem sicut Adam, sed in spiritum vivificantem; genito quoque non in filium adoptivum, sed in filium proprium juxta illud : *Proprio Filio suo non pepercit Deus* (*Rom.* VIII, 32). Genito, inquam, et unigenito, cui soli congruit dicere Deo : *Pater meus es tu.* Quod nimirum in textu sancti Evangelii satis claret; quia ubicunque cum possessivo pronomine dicit *pater meus*, æqualem se faciens Deo talia loquitur in quibus Deo Patri non impar invenitur. Verbi gratia : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (*Joan.* V, 17). Item : *Vos estis qui permansistis mecum in tentatione* (*Luc.* XXII, 28). *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum* (*Luc.* XXII, 29).

D XII. Propter dicta hujusmodi, quibus Filium Dei se nominans indicavit se æqualem Patri suo, cum esset similis nobis passibilis; accusatus est a pontificibus et Judæis dicentibus : *Nos legem habemus, et secundum legem nostram debet mori, quia Filium Dei se fecit* (*Joan.* XIX, 7). Item : *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, et quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum* (*Joan.* X, 32). Item evangelista : *Propterea persequebantur eum Judæi, quia non solum solvebat sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Alias autem, ubi se suis membris contemperat, sine possessivo pronomine dicit *pater*, non addens, *meus*. Verbi gratia : *Ut cognoscat mundus quia diligo Patrem; et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic faciam* (*Joan.* X,

18). Item : *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Joan.* x, 18.). Sic absque nomine possessivo patrem nominans, non se Patri coæquavit : sed mandatum Patris observando, tanquam servus in forma servi obtemperans illi, se humiliavit factus obediens usque ad mortem. Bene dico *usque ad mortem.* Nam post mortem Deus illum exaltavit, et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine ejus flectatur omne genu cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. In gloria Dei Deus, In gloria Patris Filius unigenitus, a diis et filiis adoptivis ineffabili glorificatione distinctus.

CAPUT XVIII.

Disputat contra theologos scholasticos, Paulo Samosateno, Nestorio et Photino faventes, et asserentes, homini assumpto nec cultum latriæ, nec dilectionem super omnia ut Deo adhiberi.

I. Frustra igitur hujus temporis Photiniani et Nestoriani homini divinitus concepto, et neque ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo in verum Deum nato suam detrahunt divinitatem : non confitentes hominem Deum, sed habitaculum Dei, in quo sit Verbum Dei, non quod ipse sit Verbum Dei : non attendentes quod aliud est Verbum in carne, et aliud Verbum caro ; aliud Verbum in homine, aliud Verbum homo. Nam Verbum in homine, verbi gratia in Isaia fuit : sed ipse Verbum Dei aut Filius Dei unigenitus non fuit, sicut iste homo : qui nimirum solus inter homines dicere potest omnipotenti Deo ; *Pater meus es tu.* Et, *Ego primogenitum ponam illum præ regibus terræ* (*Psal.* LXXXVIII, 28).

II. Est ergo magna distinctio inter paternitatem illam singularem, quæ soli congruit primogenito et unigenito : et illam communem qua invocamus eum dicendo : *Pater noster qui es in cœlis.* Nam per illam insinuatur gloria Filii unigeniti a Patre, pleni gratia et veritate : per istam commendatur adoptionis gratia, qua de filiis iræ fiunt filii Dei, Qui nimirum licet magni vocandi sunt in regno cœlorum, juxta illud : *Qui autem fecerit et docuerit, magnus vocabitur in regno cœlorum* (*Matth.* v, 19). Nullus tamen eorum æquabitur unigenito, quia illis ad mensuram, sed unigenito non ad mensuram Spiritus datus est. Qui et in Spiritum vivificantem factus, in infinitum superexcellit omnem hominem, qui factus est in animam viventem. Quod enim primus homo legitur factus in animam viventem, sonat inopiam nimiam. Quia videlicet sic factus homo nec per se vivere, nec alicui vitam conferre potuit. Quod autem secundus Adam legitur factus in spiritum vivificantem, sonat immensas divitias, quibus homo in Deum natus, et in Deo ditatus, potuit et potest non solum per se vivere, sed et alios vivificare. Hinc est quod sicut divinitas ejus æterna se participantibus angelis in cœlo vitam confert æternam ; sic etiam caro ejus digne se participantibus in terra vitam confert æternam. In qua post universalem resurrectionem, sicut spiritus humanus conformabitur Spiritui Deo se vivificanti ; sic et corpora sanctorum configurabuntur corpori claritatis Christi, ad similitudinem scilicet non ad æqualitatem. Quis enim in nubibus æquabitur Domino, aut quis similis erit Deo inter filios hominum ? solus ille homo qui non filius hominum, sed Filius hominis vere prædicatur : eo quod cum habeat hominem matrem, non habet hominem patrem. Qui quod Filium Dei se nominat, et gloriatur patrem se habere Deum, sibi hoc privilegium recte vindicat, ut in regno Patris sui æquali potentia cum Patre suo dominetur, habens in vestimento et in femore suo scriptum, *Rex regum et Dominus dominantium* (*I Tim.* vi, 15).

III. Cui assertioni si cui videtur contrarium quod beatus Augustinus in libro De Trinitate affirmat, creaturam Creatori nunquam posse coæquari, licet glorificatam, et ab omni languore sanatam ; perpendat illum illic egisse de creatura in Adam sauciata et per Christum reparata, non de creatura Creatori unita et nunquam sive originali sive actuali peccato sauciata. Quæque, ut jam superius Ambrosii et Hieronymi verbis ostendimus, jam non est creatura dicenda, quoniam super omnes creaturas exaltata, in dextera Dei consedit, Creatoris omnipotentis omnipotentiam consecuta, ac virtute altissimæ divinitatis præcincta, juxta illud : *Dominus regnavit, decorem indutus est; indutus est Dominus fortitudinem, et præcinxit se* (*Psal.* XVII, 1). In qua præcinctione licet creatum permanserit creatum, sicut ait Joannes Damascenus, tamen, ut supra Hieronymi auctoritate ostensum est, carnis humilitas in Dei Filio sic in divinitatis transivit majestatem, ut fecerit utraque unum : et non adoremus creaturam, sed Creatorem, qui est super omnia Deus benedictus.

IV. Contra Photinum et Paulum Samosatenum sic disseruit illustris vir Hieronymus : Qui ambo docebant hominem Christum non adorandum, eo quod illum non credebant esse Deum super omnia benedictum, sed inter omnia sanctis cæteris prælatum, neque tamen Creatoris gloria honorificatum, ac proinde, ut ipsi volebant, minime adorandum ; ne videlicet spem quis ponens in homine, atque adorans creaturam subjaceret maledictioni tanquam idololatra. Sed ipse Deus homo in se hominem credendum esse docet, ubi dicit : *Creditis in Deum, et in me credite* (*Joan.* XIV, 1). Consequens est enim, ait beatus Augustinus, ut si in Deum creditis et in me credere debeatis. Quod non esset consequens, si Christus non esset Deus. Contra quos, ut supra memini, in expositione Jeremiæ disputans jam dictus Hieronymus, dicit inter cætera : « Si maledictus est omnis homo qui confidit in homine ; Paulus autem Samosatenus, » etc., uti habetur supra.

V. Hoc testimonium ejus (sancti Hieronymi) nemo accepit inter scholasticos et scholares, Paulum Samosatenum, Photinum, Nestorium simulque Bonosum hæresiarchas imitantes in doctrina sua; qua istos hæreticos jamdiu sepultos, in diebus nostris resuscitant in suis disputationibus et scriptis asserendo, Christum, secundum quod homo est, non esse adorandum adoratione quæ latria dicitur, quaque solus Creator est adorandus. Concedunt vero illi adorationem quæ Græce dulia dicitur, quæque non solum sanctis hominibus, verum etiam perversis hominibus potest exhiberi. Sicut legimus fratres Joseph adorasse ipsum quem putabant iniquum: et Nathan propheta regem David adoravit, quem non ignoravit peccatorem. Talem adorationem concedunt homini assumpto exhibendam, paulo tamen excellentius quam cæteris hominibus. Item sicut in sententiis magistralibus a Petro Longobardo collectis legitur, non concedunt illum secundum quod est homo diligendum, dilectione qua Deus diligitur juxta maximum et primum mandatum: sed qua diligitur proximus, eo quod sit ipse ille proximus qui fecit misericordiam in illum vulneratum semivivum; per quem significatur genus humanum Christo mediante sanatum. Propter quod singulare ejus beneficium, concedunt eum aliquanto amplius quam cæteros proximos diligendum: sed non tamen ut Deum, quem jubemur ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota fortitudine diligere dilectione præcipua, quam negant homini assumpto exhibendam: favendo in hoc prænominatis hæreticis, hominem assumptum a cultu summæ divinitatis excludentibus. Animam quoque ipsius asserunt accepisse quidem scientiam divinam, sed non divinam omnipotentiam, ne si dicatur omnipotens anima humana vel ipse homo, consequenter et Deus esse intelligatur, quod putant inconveniens, eo quod solus Deus est omnipotens: cujus omnipotentiam negant homini assumpto datam, nisi, ut dicunt, in persona: quasi non homo, sed in homine Verbum sit persona. Cum secundum fidem Catholicam Deus et homo sit una indivisa et individua persona, cum Patre Deus cum matre homo. Multa in hunc modum dicunt, in quibus prænominatis hæreticis consentiunt. Item quod Apostolus dicit, *Habitu inventus ut homo* (*Philip.* II, 7), exsiliter interpretantur: indumento forinseco, assimilando in Dei Filio humanam naturam; non attendentes Deum sic homine vestitum, ut ipse quoque homo legatur Deo seu divinitate vestitus. Nam quæ est illa fortitudo qua homo ille indutus, et virtus qua canitur præcinctus, nisi æterna divinitas qua ornata est in Dei et hominis Filio humanitas?

VI. Quod ne primus aut solus videar sentire, libet commemorare quod sanctus Ambrosius in Lucam dicit: « Quid, inquit, sibi vult, quod Joseph et Nicodemus Christum sepeliunt, unus justus et constans, alter in quo dolus non erat? Justus A autem corpus Christi operit sindone, innocens ungit unguento. Vesti ergo et tu Domini corpus gloria sua, ut ipse sis justus. Etsi mortuum credis, operi tamen divinitatis suæ plenitudine. Unge illud myrrha et aloe, ut bonus odor Christi sis. » Idem in eodem exponens illud: *Mulierem fortem quis inveniet?* « Videamus quid hæc viro suo faciat, quod opus ejus, quod sit obsequium, cur confidit in ea Christus? Bona uxor virum suum vestit. Vestiat Jesum fides nostra corpore suo: vestiat carnem ejus divinitatis suæ gloria, sicut et illa, bina vestimenta fecit viro suo, ut et in præsenti et in futuro sæculo honorificet illum. »

VII. Sed hæc novi disputatores minime attendentes, ita Deum prædicant in hominis habitu inventum, B quasi non sit et homo in habitu Dei nunc in cœlo ad dexteram Dei Patris altissimi sedens inventus, et posthac ab electis in sede majestatis suæ judicans inveniendus. Quando eum viderit omnis oculus et qui eum pupugerunt, in cruce clavis illum vulnerando ac lancea: et nunc in scholis dyscolis indisciplinate quæstionando illum pungere non verentur. Qui etiam tunc tollentur ne videant gloriam ejus electis tunc ostendendam, et illis abscondendam qui nunc eam non amant, et maxime his qui contra eam disputant. Nam et illud, quod hominem assumptum, non generatione aut adoptione, sed unione dicunt Filium Dei vel Deum nominandum, nimis consentit Nestorio. Qui propter conjunctionem C hominis ad Deum, dixit hominem Deo coappellandum et coadorandum. Et bene quidem removent adoptionem ab unigenito. Sed quod eidem negant generationem, cum sit et in divinitate sua unigenitus, et in humanitate primogenitus in multis fratribus; nimium consentit prænominatis hæreticis: qui hominem assumptum prædicaverunt in Dei Filium, non genitum sed adoptatum. Et quidem persæpe a sanctis tractatoribus Scripturarum agitur de unitate personæ illius in Trinitate, quæ Deus est et homo, quibus in duobus nominibus intelliguntur non duo quidam, sed duo quædam. Quæ duo quædam adunata sunt in unum quemdam, qui est Christus geminæ gigas substantiæ, absque geminatione personæ ac sine substantiarum confusione: ita ut in D ipso et personæ unitas et naturarum sit unio veneranda. De hac personali unitate ac naturarum inconfusibili unione, in opusculo ad papam Adrianum, prout Deo donante potuimus, disseruimus, contra jam notatos disputatores, qui se dici volunt magistros et dialecticos, imitando antiquos et jam olim damnatos hæreticos, forma humani habitus deceptos.

VIII. De hoc habitu loquens Augustinus ait: « Nomine habitus satis significavit Apostolus qualiter dixerit, *in similitudinem hominum factus.* Quia non in transfiguratione in hominem, sed habitu factus est, cum indutus est hominem. Quem sibi uniens quodammodo atque conformans, immortalitati æternitatique sociaret. » Idem in quarto libro De Trini-

tate ait : « Si quæritur ipsa incarnatio quomodo facta sit, ipsum Verbum dico carnem factum, vel hominem factum. Non tamen in hoc quod factum est conversum atque mutatum, sed carne ut carnalibus congruenter appareret indutum. » Hic novi scholastici sive scholares eorum discipuli, quasi rapientes verbum de ore Augustini : Ecce, aiunt, quomodo Augustinus dicit hominem Deo indutum! quasi aperte contestans hominem esse Dei vestimentum. Quod et alias dicit purpuram, quasi vestem regiam, non extra personam regis regali honorificentia, sed in persona regis honorandam. Unde ad me quidam amicorum meorum ita scripsit : « Licet humana natura exaltata sit super omnem creaturam in Christo, manet tamen creatura. Quæ sine impietate adoratur in Christo, sicut purpura in rege adoratur, vel ipse purpuratus. Similiter humanitas adoratur, id est ipse humanatus Deus adoratur latria. » Præmiserat autem de natura humana in Christo, quod non adoranda sit latria ut Deus, sed majori specie duliæ. Hæc et similia scholastice potius quam ecclesiastice dicuntur a novis disputatoribus, cultum Divinitatis homini assumpto in Deum denegantibus, nisi quantum attinet ad indumentum ; quod propter indutum, sive in induto non negant adorandum latria : sic tamen ut ipsa latria non indumento, sed induto sit exhibenda. Quia ut aiunt, vestimento Dei, quod est homo, non debetur latria sed dulia.

CAPUT XIX.

Virginis Filius vere Deus est, licet non a se, per se tamen : atque adeo homo non est Deo coadorandus, ut Nestorius voluit, sed omnino una simplici adoratione adorandus.

I. De his loquens Petrus Lombardus in tertio libro Sententiarum suarum dicit : « Quibusdam videtur, non illa adoratione quæ latria est, carnem Christi vel animam esse adorandam ; sed illa quæ est dulia. Cujus duas species vel modos esse dicunt. Est enim cujusdam modi dulia, quæ creaturæ cuilibet exhiberi potest : et est quædam soli humanitati Christi exhibenda, non alii creaturæ. Quia Christi humanitas super omnem creaturam est veneranda et diligenda, non tamen adeo ut cultus Divinitati debitus ei exhibeatur. Qui cultus in dilectione et sacrificii exhibitione, atque reverentia consistit. Qui Latine dicitur *pietas*, Græce autem *theosebia*. »

II. Hæc dicens ille magister Petrus, egregius multarum et diversarum ecclesiasticarum et scholasticarum tam antiquarum, quam et novarum sententiarum collector, non suam hanc sententiam esse indicat, sed aliorum de Nestorii fæce aliquid habentium. Cujus quidem perversa doctrina condemnata est, verumtamen fæx ejus non est exinanita, de qua bibunt peccatores terræ, asserentes terram non adorandam in Filio Dei, nisi tanquam scabellum, putantes in hoc sensu beatum sibi consentire Augustinum. Qui, ut supra meminimus, ubi carnem Christi asseruit adorandam, postea subjecit : « Ideo et ad terram quamlibet cum te inclinas atque prosternis, non quasi terram intueris, sed illum Sanctum cujus pedum scabellum est, quod adoras. Propter ipsum enim adoras. Non hic intelligenda est adoratio, qua solus Deus est adorandus ; cum te inclinans atque prosternens ad quamlibet terram ipsam adoras, id est honoras genua in ea flectendo ipsamque deosculando. Hoc enim totum facis propter ipsum, cujus terra hæc scabellum est. Sed cum terram, id est carnem Christi adoras, ne cogitatione in terra sive in carne remaneas, ait idem Augustinus, et a Spiritu non vivificeris. Spiritus etenim est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam. »

III. Sic distincte agens de scabello Dei adorando, aliter in terra quæ sursum est in cœlo, quæque digne adoratur in Deo cujus est propria caro ; aliter in terra deorsum calcanda non solum a pedibus Dei, qui sunt ad vitam electi, sed etiam ab impiis et pecudibus : nullum datum patrocinium Nestorianis, Christi carnem sive potius Christum carnem sive hominem, quasi non Deum, sed deitatis indumentum seu scabellum, docentibus non adorandum latria soli Deo debita, sed sola dulia, ut præostensum est. Quibus errorem Nestorii vetustum resuscitantibus respondens ejusdem erroris expugnator præcipuus Cyrillus episcopus, qui vice papæ Cœlestini synodo præsidens Ephesinæ contra Nestorium inter cætera hoc inseruit. « Recusamus dicere de Christo : Propter indutum indumentum veneror ; propter invisibilem adoro quod videtur. Pavore plenum ad hoc et illud dicere : Assumptus assumenti coappellatur Deus. Qui enim hæc dicit secat in duo Christum ; et hominem statuit per partem specialiter et Deum similiter. Denegat enim evidenter unitionem, secundum quam non ut alter alteri coadoratur quis, neque quidem coappellatur Deus : sed unus intelligitur Jesus Christus Filius unigenitus, una adoratione adorandus cum sua carne. » Item in eodem concilio legitur cap. 5 : « Si quis audet dicere deiferum hominem Christum, et non magis Deum esse secundum veritatem, sicut Filium unum et natura, secundum quod factum est caro Verbum, et communicavit similiter nobis in sanguine et carne, anathema sit. » Item, cap. 7 : « Si quis ait ut hominem operationem suscepisse ex Deo Verbo Jesum, et unigeniti gloriam appositam esse tanquam alteri præter eum existenti, anathema sit. » Item cap. 8 : « Si quis audet dicere assumptum hominem coadorari oportere Deo Verbo et conglorificari, et coappellari Deum, ut alterum alteri adjectum ; adjectio enim unius syllabæ *co* hoc intelligi cogit ; et non magis una adoratione honorificat Emmanuel, et unam ei glorificationem defert, secundum quod Verbum factum est caro, anathema sit. » Item cap. 9 : « Si quis ait Dominum Jesum Christum glorificatum a Spiritu, quasi aliena virtute quæ per eum est utens, et ab ipso accepisse operari posse contra spi-

ritus immundos, et adimplere in homine deitatis miracula; et non magis proprium ejus esse spiritum dicit, per quem et operatus est deitatis signa, anathema sit. » Item cap. 11 : « Si quis non confitetur carnem Christi vivificatricem (sive ut quidam codices habent) vivificatoriam esse, et propriam ipsius ex Deo Patre, Verbi scilicet velut alterius præter ipsum copulati, anathema sit. »

IV. Nonne si capitula hæc sereno intuitu inspiciantur, magis ostendunt hominem Deo, quam Deum homine vestitum? præcipue ubi vetant hominem dici Deiferum, aut quasi habentem in se Dei habitationem, quod hæretici Photinus, Paulus et Nestorius docebant, qui hominem Deum negabant; sed vestimentum aut habitaculum Dei, aut organum Divinitatis hominem de Virgine genitum prædicabant. Quos nimirum eorumque sequaces Ephesina synodus manifeste coarguit in prædictis capitulis et multis epistolis in ea recitatis et approbatis. De quibus non est modo dicendum per singula, contenti hoc loco maxime illud improbare, quod, ut supra perstrinximus, Nestorius dixit, imo et scriptum reliquit : « Propter indutum indumentum colo; propter occultum adoro visibilem : inseparabilis a visibili Deus; propter hoc indivisi honorem non divido : divido naturas, sed unio adorationem. »

V. Poterant videri utcunque tolerabilia hæc dicta, sed hæreticum ejus intellectum produnt sequentia, cum dicit : « Non per se Deus est quod plasmatum est in vulva : non per se Deus est, quod creatum est de Spiritu : non per se Deus est, quod sepultum est in sepulcro; sic enim essemus hominis cultores, et mortui cultores manifeste : sed quoniam in assumpto Deus, ex assumente assumptus, ut assumenti copulatus coappelletur Deus. » Hæc dicens hominem assumptum secernit ab adoratione, negans per se Deum, quem tamen assumenti asserit coappellandum Deum. Nos autem corde credimus ad justitiam et ore confitemur ad salutem, Virginis filium vere Deum esse, licet *non a se*, tamen *per se*, non a se, quia nec in humanitate nec in divinitate aliquid habet nisi a Patre, a quo ei est non solum Deum Dei Filium, sed et hominis filium esse. Attamen quod a Patre habet, in utraque natura per se habet. Habet ipse homo divinitatem quam accepit : habet idem ipse Deus humanitatem quam suscepit : ita ut et homo vera divinitate Deus, et Deus vera humanitate sit homo; cum tamen nec divinitas sit humanitas, nec humanitas divinitas in una eademque persona, quæ non dimidia, sed tota est adoranda, utpote una in Trinitate persona. In qua non homo Deo est coadorandus, ut voluit Nestorius hæresiarcha, sed omnino una simplici adoratione adorandus; utpote verus et non falsus Deus, unicus naturalis et non adoptivus Dei filius. In quo licet creatum permaneat creatum, secundum quod idem filius inventus est habitu ut homo; tamen increato Verbo sic est unitum, ut neque in adoratione, neque in ulla divini cultus veneratione sit ab illa distinguendum,

A aut minus, quam creator, diligendum, sicut illi somniant qui in Christo minus hominem, quam Deum scriptitant esse diligendum.

VI. In consilio illorum non veniat anima mea, qui vero Joseph ingrati et invidentes gloriæ ipsius in qua est adorandus, denudant eum sua tunica desuper contexta; quæ apte intelligi potest ipsa divinitatis gloria, quam illi Pater suus dedit, qui eum præ omnibus filiis cæteris dilexit. Sed velint nolint illi, ipse vivens vita æterna dominatus in tota terra Ægypti, imo in cœlo et in terra : vestitus nimirum longe melius quam primus homo, qui perdito innocentiæ simulque obedientiæ ornatu, sua nuditate confusus fugit a Deo. At iste formosus forma divinitatis in Deo est ornatus illo vestimento, in quo B habetur scriptum, *Rex regum et Dominus dominantium*. Quod nomen Regis regum, et Domini dominantium, superexcellens omne nomen, dum vestimento ejus quasi aureis, imo divinis litteris inscriptum cernitur ab ipsis dilectoribus, gaudent ipsum vestimentum pro fulgore divinæ inscriptionis ira vestitum, ut hujus nominis, vel hujus tituli inscriptionem sciant non esse corrumpendam, vel a vestimento isto abolendam; quantumlibet (errent) introductores duliæ in ejus adoratione. Cui tamen tandem velint nolint omne genu flectetur, et ipse a fratribus qui eum vendiderunt, adorabitur, digneque adorandus agnoscetur; quando ipse homo videbitur amictus lumine sicut vestimento, juxta illud C Isaiæ : *Et erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum, in die qua alligaverit Dominus vulnus populi sui, et percussuram plagæ ejus sanaverit* (*Isa.* xxx, 26). Quænam est luna quæ tunc lucebit sicut sol absque varietate crementi et decrementi, quibus nunc variatur in isto sæculo, nisi Ecclesia quæ tunc erit similis soli suo, Deo suo? *Scimus*, inquit Joannes, *quia, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (*I Joan.* II, 28). Ipsa autem lux solis quanta erit? sicut lux septem dierum, inquit : quod est dicere : Quantæ claritatis erat Verbum cum sex diebus fierent omnia, et septimo die compleretur opus suum per ipsum; tantæ claritatis in carne sua, scilicet in homine assumpto tunc erit apud Patrem D suum. Hoc enim et ipse orabat dicens : *Et nunc clarifica me, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui, priusquam mundus fieret, apud te*. Quæ verba orantis pro clarificatione suæ carnis exponens Hilarius in libro tertio de Trinitate, ait : « Nunc autem quid quod apud Patrem clarificationis exspectat? Nempe hoc quod habuit apud eum priusquam mundus esset. Habuit plenitudinem divinitatis, atque habet; namque Dei Filius est : sed qui erat Dei Filius, et hominis esse cœperat filius. Erat enim Verbum caro factum : non amiserat quod erat, sed cœperat esse quod non erat. Non de suo destiterat, sed quod nostrum est acceperat. Profectum ei quod accepit ejus claritatis expostulat, unde non destitit. Ergo quia Filius est Verbum, et Verbum caro factum

est, et Deus Verbum, et hoc in principio apud A Deum, et Verbum ante constitutionem mundi Filius, nunc caro factus orabat, ut hoc Patri caro inciperet esse quod Verbum; ut id quod de tempore erat, gloriam ejus quæ sine tempore est claritatis acciperet; ut in Dei virtutem et spiritus incorruptionem transformata carnis corruptio absorberetur. »

VII. Hic notandum quod non carnem; sed carnis corruptionem docet Hilarius absorbendam: quæ etiam in sanctis resurrectione glorificatis absorbebitur, manente tamen carnis natura, in gloria illius resurrectionis, cujus vox est: *Ego sum resurrectio et vita* (*Joan.* XI, 25). Quanto magis ergo in sua propria carne fulgebit resurrectionis claritas, cum sit ipse ipsa resurrectio et vita? In quem qui credit, non morietur in æternum; quia in resurrectione B ac vita manebit, ac resurrectio et vita in eo, juxta illud promissum ejus: *Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo.* « Item: » *Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum* (*Joan.* VI, 55). Quanto ergo expressius, imo impressius, homo in Deum assumptus, manet in Deo et Deus in eo, non quasi alius in alio, quia idem Deus est qui homo, licet non inde Deus, unde homo? Est quippe divinitate Deus, humanitate homo: in quo et naturarum diversarum permanent essentiales differentiæ, cum altera increata sit et altera creata, et earumdem naturarum unitio; ut utraque natura quod suum est operetur cum alterius communione, manente Dei in forma humana, C in qua est primogenitus mortuorum, et homine manente in forma divina, in qua est genitus ante luciferum, primogenitus omnis creaturæ.

CAPUT XX.

In filii hominis conceptione ac generatione, vera fides habet, quod natum est in virgine per conceptionem et ex virgine per generationem, totum esse Filium Altissimi et totum filium virginis: ita ut recte dicatur et Deus filius hominis, et homo Filius Dei.

I. Quia vero nonnulli affirmant, unitione potius quam generatione hominem Dei Filium nominandum; consideremus nunc modos unitionis, quo aliquid alicui unitur, ut evidenter clarescat eos errare, qui unitionem qua Deo est homo unitus, distinguunt ab hominis in Deum generatione, dicendo potius unitione, quam generatione hominem Dei Filium D factum. Quod fortasse recte diceretur, si non ipsa generatio esset naturalis et nativa unitio, qua de diversis essentiis per nativatem unitis consistit unus filius: verbi gratia, qui nascitur ex sanguinibus et ex voluntate carnis et ex voluntate viri, nec totam ex Patre, nec totam ex matre corporis habet essentiam, et a neutro habet spiritum, sed ab illo quem Apostolus nominat Patrem spirituum, dicens: *Patres quidem carnis habebamus et reverebamur eos; non multo magis obtemperabimus Patri spirituum, et vivemus?* (*Hebr.* XII, 9.) Cum ergo diversæ diversorum sanguinum sint essentiæ una cum spiritu rationali unitæ; non tamen est filiatio divina in uno Filio, ut sit ex parte Filius Patris ex parte filius matris homo natus de muliere, sed totus Filius Patris et totus filius matris. Esset totus quoque Filius Patris omnium spirituum rationabilium, si spiritus rationalis de Dei Patris essentia datus, et non de nihilo creatus, esset corpori humano unitus, ut putabant Manichæi ob hoc ipsum damnati et anathematizati, quod animam rationalem docebant esse coessentialem Deo. Nunc autem quia in creatione animæ corpori unitæ, solius Dei absque hominis ministerio cognoscitur operata potentia, recte dicitur ab Apostolo ipse Deus Pater spirituum, non corporum.

II. Porro in illius hominis conceptione ac generatione, cujus constat essentia non solum de humano corpore sumpto ex virgine, ac de anima humana ex nihilo creata, sed etiam de Verbo Dei Deo Patri coessentiali; vera fides habet, quod natum est in virgine per conceptionem, et ex virgine per generationem, totum esse filium Altissimi et totum filium virginis: ita ut recte dicatur et Deus Filius hominis, et homo Filius Dei; cum nativa unitione de satis tribus, Verbo Dei, anima rationali et carne, in unum fermentatis, unus de thalamo suo sponsus processerit geminæ gigas substantiæ. In qua tria sata quæ Deus conjunxit homo non separet, ita ut exemplo Nestorii secet in duos filios unum Dei et hominis filium, nativa, sive, ut Boetius ait, naturali unitione de diversis essentiis, divina scilicet atque humana, unitum. Quod etsi factum sit supra naturam, non est factum contra naturam, quia homini ad imaginem et similitudinem Dei creato est naturale, ut sapientiam Dei per quam et ad quam creatus est, possit capere, sicut bona terra capit semen bonum. Quæ autem fuit unquam terra magis bona, quam virgo Maria? quæ nullo virilis operis aratro exculta ita erat fertilis, ut semen Dei, quod est Verbum Dei, annuntiante angelo, cadens in eam, sic humanæ substantiæ unitum excrevit, ut homo natus in ea Filius Altissimi nominetur et sit, Filius, inquam, non adoptivus, ut Photinus et Bonosus hæreticus docuerunt, sed Filius proprius, unigenitus, unicus Patri et matri suæ. In qua nativa unitione unum factum est electrum, sancti Spiritus igne conflatum de argento humanæ simulque de auro divinæ substantiæ. In quo, fulgore auri ad tempus exinanito, et quasi pallescente in ipso pallore auri per mortem crucis aliasque contumelias, pallescentis consummata est claritas argenti usque adeo, ut impleta sit oratio dicentis: *Pater, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te* (Joan. XVII, 1). Item: *Clarifica me tu, Pater, apud temet ipsum claritate, quam habui priusquam mundus esset, apud te* (*ibid.* V).

III. Neque vero mirum est hujusmodi humanæ substantiæ argentum auro divinitatis unitum, eidem conglorificatum seu conclarificatum. Quoniam cum scriptum sit: *Habet argentum venarum suarum principium, et est auro locus in quo conflatur* (*Job* XXVIII, 1). Istius argenti principium sic fuit æter-

naliter præordinatum, ut in virginalis uteri conflatorio una cum auro divinitatis æterno in unum fabricaretur electrum nativa unitione. Postquam de virgine peractam, nullus potuit aut poterit ipsi Dei et hominis Filio accedere vel assignari habitus, qui seorsum, abstractim, et mathematice intellectus, Filius Dei aut hominis vere nominetur aut sit, licet et in alia et alia effigie, diversos in se habitus exhibuerit ; nunc se hortulanum, nunc peregrinum, seu etiam velut agnum septem cornuum, septem quoque oculorum suis dilectoribus ostendendo, quia tales habitus non effecit nativa unitio, quia accesserunt jam nativo filio.

IV. Quod si placet per aliqua similia demonstrari ; quæ diximus de divinis ac supernaturalibus, patent in humanis atque naturalibus. Esto enim : Sit alicui homini filius unicus, unigenitus, proprius, naturalis. Huic filio de homine genito si aliquid unitur, vel sic unitur ut in ejus vertatur substantiam ; sicut panis qui mutatur et mutat, quia versus in carnem facit de macra pinguem ; vel sicut annulus, qui nec mutatur nec mutat a suo esse filium annulatum, vel sicut sapientia faciens de fatuo filio sapientem, quæ ipsum mutans, non mutatur ; vel sicut vestis quæ filium nudum vestiens, ipsum non mutat, sed ipsa mutatur, quia extra corpus complicata, si corpori coaptatur, secundum illud sic distenditur, ut recte habitus hominis dicatur. Ex quo habitu, verbi gratia purpuratus aut loricatus, aut aliud hujusmodi valeat dici. Sed nunquid vel panis quem filius comedit, vel annulus quem assumpsit, efficitur filius patris qui eumdem filium genuit? minime. Item sapientia quæ filium de fatuo sapientem, vel purpura quæ illum de nudo vestitum exhibuit, numquid de filio filii seu filiæ nomen accepit, seu accipere potuit ? nequaquam. Ipsa tamen purpura inducta membris accepit formam, quam non habebat exuta : cui etiam in regis persona exhibendus est honor, qui eidem exutæ non exhibetur.

Cujus rei similitudinem beatus Augustinus Incarnationis mysterio coaptans in libro De octoginta tribus quæstionibus dicit : « Multis modis habitum dicimus. Vel habitum animi, sicut disciplinæ perceptionem usu firmatam : vel habitum corporis, sicut dicimus alium alio validiorem, vel habitum eorum quæ membris accommodantur extrinsecus, ut cum dicis aliquem vestitum, calceatum, et hujusmodi. In quibus omnibus generibus manifestum est in ea re dici habitum, quæ accidit vel accedit alicui, ita ut eam possit etiam non habere. Hoc autem nomen dictum est ab illo verbo quod est *habere*. Habitus ergo in re dicitur, quæ nobis ut habeatur vel accidit vel accedit. Verumtamen hoc interest quod quædam eorum quæ accidunt vel accedunt ut habitum faciant, non mutantur, sed ipsa mutant, in se integra et inconcussa manentia. Sicut sapientia accedens homini, non ipsa mutatur sed hominem mutat, quem de stulto A sapientem facit. Quædam vero sic accidunt vel accedunt, ut mutent et mutentur ; ut cibus qui, amittens speciem suam, in corpus vertitur, et nos cibo refecti, ab exilitate et languore in robur atque valentiam mutamur. Tertium genus est, cum ea quæ accidunt vel accedunt, non mutant ea quibus accidunt, nec ab ipsa mutantur ; sicut annulus positus in digito : quod genus rarissime invenitur. Quartus genus est cum ea quæ accidunt mutantur, non a sua natura, sed aliam speciem ac formam accipiunt, ut est vestis, quæ dejecta atque deposita, non habet eam formam quam sumit induta : induta, non habet exuta. Quod genus congruit huic comparationi. Dei enim Filius semet ipsum exinanivit, non formam suam mutans, sed formam servi B accipiens : neque conversus aut transmutatus in homine amissa incommutabili stabilitate, sed in similitudinem hominum factus est. Ipse susceptor verum hominem suscipiendo, et habitus inventus est ut homo, non sibi, sed eis quibus in homine apparuit. Quod autem dicit *ut homo*, veritatem exprimit. Nomine ergo habitus satis significavit Apostolus qualiter dixerit : *In similitudinem hominum factus* (*Philipp.* II, 7). Quia non in transfiguratione in homine, sed habitu factus est, cum indutus est hominem, quem sibi uniens quodammodo immortalitati æternitatique sociaret. Non ergo oportet intelligi, mutatum esse Verbum susceptione hominis, sicut nec membra veste induta mutantur, C quamvis illa susceptio ineffabiliter susceptum suscipienti copularet. »

VI. His verbis aperte innuere videtur Augustinus, Deum dici factum hominem secundum habitum. Qui etiam ipsius incarnationis modum volens exprimere, quærentibus in quarto lib. De Trinitate ait : « Si quæritur ipsa incarnatio quomodo facta sit. Ipsum Verbum Dei dico carnem factum, sive hominem factum, non tamen in hoc quod factum est conversum atque mutatum : sed carne, ut carnalibus congruenter appareret, indutum. Ita sane factum ut ibi sit non tantum Verbum Dei et hominis caro, sed et rationalis anima hominis, atque hoc totum et Deus dicatur propter Deum et homo propter hominem. Quod si difficile intelligitur, D mens fide purgetur a peccatis abstinendo et bona operando; difficilia enim sunt hæc. »

VII. Idem in libro De fide ad Petrum : « Dei Filius cum sit Deus æternus et verus, pro nobis factus est homo verus et plenus. In eo verus, quia veram habet ille humanam naturam : in eo vere plenus, quia carnem humanam suscepit et animam rationalem. » Item. « Non aliud fuit illa Dei summi exinanitio, nisi formæ servilis, id est naturæ humanæ susceptio. Utraque igitur est in Christo substantia divina scilicet et humana. » Item in libro contra Maximinum : « Cum esset per se ipsum invisibilis visibilis in homine apparuit, quem de femina suscipere dignatus est. » Item in eodem : « Nos Christum Dominum verum hominem suscepisse

credimus, et in ipso visibiliter invisibilem hominibus apparuisse, et in ipso inter homines conversatum fuisse; in ipso ab hominibus humana pertulisse, in ipso homines docuisse. »

VIII. Hilarius in libro De Trinitate: Quomodo Dei Filius natus ex Maria est, nisi quia Verbum caro factum est? scilicet quod Filius Dei cum in forma Dei esset formam servi accepit. Unum tamen eumdemque, non Dei defectione, sed hominis assumptione profitemur, et in forma Dei per naturam divinam, et in forma servi ex conceptione Spiritus sancti secundum hominis habitum repertum fuisse. Non fuit habitus ille tamen hominis, sed ut hominis: neque caro illa caro peccati, sed in similitudinem carnis peccati. »

IX. His Augustini simulque Hilarii dictis caute pensatis, invenimus Dei Filium inventum in habitu hominis; cum tamen habitus ille, ut Hilarius ait, non fuerit hominis, sed « ut hominis; » docente Apostolo, quod Filius Dei humiliavit seipsum formam servi accipiens, et habitu inventus « ut homo. Id est, habendo in se hominem: inventus est ut homo, quia indutus est hominem, quem sibi uniens quodammodo atque conformans, ut ait Augustinus, immortalitati æternitatique sociaret. Sed nunquid hæc talis unitio, conformatio et associatio contulisset, aut conferre potuisset homini assumpto esse Dei Filium naturalem, proprium et unicum, sine generationis illius consortio de qua dicitur: *Generationem ejus quis enarrabit?* (*Isa.* LIII, 8.) Unum quippe Deus Pater Filium sibi connaturalem et coæternum, tanquam sol splendorem gloriæ suæ, genuit, quia semel locutus, Verbum bonum de corde suo eructavit. Sed in hac una locutione duo hæc audivit Psalmista, quia videlicet potestas Dei est et misericordia. Potestas Dei, in qua idem verbum semel dictum, Filius Dei nominari dignatum est: misericordia, in qua item idem Verbum, filius hominis nominari et esse dignatum est.

X. Conferamus nunc in uno eodemque Dei Filio dignitatem potentiæ ac dignitatem misericordiæ in ea lance veritatis, ut neutrum altero minus vel majus, anterius vel posterius judicemus. Et certe inveniemus verum sensisse beatum Hilarium in nono libro de Trinitate, dicentem: « Ejusdem periculi res est, Christum Jesum vel Spiritum Deum, vel carnem Christi corporis denegare. Mediator ipse in se ad salutem Ecclesiæ constituitur; et, ipso inter Deum et homines mediatoris sacramento utrumque unus existens, dum ipse ex unitis in id ipsum naturis, naturæ utriusque res eadem est, ita tamen ut neutro careret in utroque; ne forte Deus esse nascendo desineret, et homo rursus Deus manendo non esset. Hæc itaque humanæ beatitudinis fides vera est, Deum et hominem prædicare, Verbum et carnem confiteri: neque Deum nescire quod homo sit, neque carnem ignorare quod Verbum sit. Cum autem contra naturam sensus nostri Deus manens, homo nascitur; jam non est contra naturam spei

A nostræ ut natus homo Deus maneat: cum potior natura in inferiorem nata fidem præstet, inferiorem in naturam nasci posse potiorem. »

XI. Idem in decimo: « Accepisse autem formam servi eum qui esset in Dei forma, de contrariis comparatur, ut quanta veritas est manere in Dei forma, tanta veritas sit accepisse formam servi. Ad proprietatem enim naturæ intelligendam, significatione verbi ad id communis impellimur. In forma enim servi est, qui et in forma Dei est. Et cum hoc naturæ, illud dispensationis sit, in ejusdem tamen est veritatis proprietate quod utrumque est, ut tam verus sit in Dei forma, quam verus in servi. Ut vero assumpsisse formam servi non aliud est, quam hominem natum esse; ita in forma Dei
B esse non aliud est, quam Deum esse. Unum tamen eumdemque, non Dei defectione, sed hominis assumptione profitentes, et in forma Dei per naturam divinam, et in forma servi ex conceptione Spiritus sancti secundum habitum hominis repertum fuisse.

CAPUT XXI.

Idem pluribus firmatur, ostenditurque Verbum per unionem cum natura humana nullo modo fuisse in se mutatum, hominemque natum esse in Dei Patris unicum Filium, quod assumptio sola vel habitus illi conferre non poterat.

I. His diligenter pensatis apparet, non tam ex unitione quæ in aliquo habitu consideratur, hominem Filium Dei vel Deum filium hominis nominari,
C quam ex nativitate qua, sicut affirmat Hilarius, « Deus manens, homo nasci dignatus est: et natus homo, Deus manet; ita ut potior natura in inferiorem nata, fidem præstet, inferiorem in naturam nasci potuisse superiorem. Cum assumpsisse formam servi non aliud sit, quam hominem natum esse: atque in forma Dei esse non aliud sit quam Deum esse. » Sicut ergo ex nativitate Deus de Deo genitus, est ejus Filius; ita nihilo minus ex nativitate idem Deus factus est filius hominis, nascendo videlicet ex homine divinitus potius quam humanitus, quia virgo illum non viro, sed Deo per suum Spiritum operante concepit. Unde Augustinus in libro De fide ad Petrum: « Natura æterna atque divina non posset temporaliter concipi et
D nasci ex natura humana, nisi secundum susceptionem veritatis, veram temporaliter conceptionem et nativitatem ineffabilis in se divinitas accepisset. Sic est Deus æternus veraciter secundum tempus et conceptus et natus ex virgine. »

II. Quæ cum ita sint, conceptio et nativitas potius quam habitus contulit homini esse Filium Dei, et Deo esse filium hominis: quanquam in illa nativa unitione qua Deus in hominem, et homo in Deum natus est, multa inveniatur similitudo ad præostensos habitus. Nam in eo quod filius annulatus ferendo annulum non mutatur in illum, nec annulus in ipsum, signari potest assumentis et assumptæ naturæ permanentia, permanente in Christo utraque natura, divina scilicet et humana. Quod etiam

Boetius insinuavit contra Eutycheten scribens introducendo similitudinem coronæ de auro et gemmis compositæ, in qua unitione auri et gemmarum natura permanet : sicut et in annulo gemmato, cum sit naturarum diversarum quædam unitio, nulla invenitur earumdem naturarum vel confusio vel commistio; sed nec talis divisio, ut vel aurum sine gemma vel gemma sine auro dici valeat annulus gemmatus. Ita et innovator naturæ Deus homo factus est, id quod fuit permanendo, et quod non erat assumendo, non commistionem passus neque divisionem. Commistionem seu confusionem docuit Eutyches hæreticus, divisionem vero asseruit Nestorius. Et uterque a sancta Ecclesia repudiatus est per eam fidem qua creditur, Christus ex duabus et in duabus naturis existens, perfectus Deus, perfectus homo; unus omnino non confusione substantiæ sed unitate personæ.

III. Item de habitu interiori sicut est habitus animi sapientiam habentis, ipsa sapientia intellectu percepta et usu firmata, magna invenitur similitudo in homine Deo : cujus intellectus humanus æternæ sapientiæ perceptione informatus et usu firmatus, non sapit in aliquo minus, quam ipsa æterna sapientia, qua est informatus et firmatus. Quia omnis homo sapiens tantum sapit, quantam habet sapientiam; si parvam parum, si multam multum, secundum suæ sapientiæ habitum intrinsecum. Non ipsa tamen sapientia ejus mutatur in illum, sed mutat illum, faciens de stulto sapientem. Sic æterna Dei sapientia homini unita, et in habitum sempiternum illi data, non est in illo mutata, cum sit immutabilis et nullius mutationis capax. Neque enim et ullo modo susceptibilis accidentium, per quæ solummodo fit mutatio rerum subjacentium formis. Imo ipsa est æterna forma carens materia, quæ permanens immutabilis mutat hominem, juxta illud sapientis dictum : *Stabilisque manens das cuncta moveri* (*Sap.* VII, 23). Felicissime autem cœlos illos facit moveri, de quibus dicitur : *Opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes ut vestimentum veterascent, et velut amictum mutabis eos et mutabuntur : tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* (*Psal.* CI, 27). Significantur quippe nomine cœlorum sancti, et homines et angeli qui sunt amictus Dei; quia his tanquam vestimento suo Dei sapientia ornatur. De his etiam constat tunica illa inconsutilis, desuper contexta per totum; sancta videlicet Ecclesia unguento illo perfusa; quod descendit in barbam barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus. Unde etiam si de interiori habitu mentis ad exteriorem considerandum nos vertamus, juxta quem in corpore dicimus alium alio validiorem, vel alium alio melius vestitum, calceatum, armatum; sapientia æterna quæ sibi univit non solum spiritum sed et corpus humanum, longe in infinitum beatius beatis angelis et hominibus, mutavit hominem sibi unitum : ita ut tria sata, Verbum, caro et anima, sint unus panis qui de cœlo descendit, Verbo quod est et quod erat immutabiliter permanente, anima vero et carne humana sic mutata, ut licet permanente illarum essentia et essentiali differentia, qua differt a Creatore creatura, sit tamen eis divina potentia, sapientia, virtus et gloria in una trinitatis persona, quæ Deus et homo, filius Dei et hominis, utrumque habens per nativitatem potius quam per habitum.

IV. Qui enim habendo in se Deum propter habitum hunc dicti sunt dii seu filii Dei; sicut Moyses dictus est Deus Pharaonis, et hi ad quos factus est sermo Dei dicti sunt dii et filii Excelsi : non erant filii Dei sive dii naturaliter, quia non acceperant nascendo ut essent quod dicebantur, sed jam natis et formatis indulta est aliquantula participatio sanctitatis illius, qua Pater illum sanctificavit, et misit in mundum, quem constat esse Sanctum sanctorum. De quo et angelus ad Mariam *quod nascetur*, inquit, *ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* I, 35). Non dixit quod nascetur ex te sanctus vocabitur Filius Dei, ne ad solius Verbi personam putes pertinere quod dicitur Filius Dei : sed quod nascetur, inquit, ex te sanctum; videlicet corpus anima rationali animatum, Verbo Dei unitum, vocabitur Filius Dei, non quasi Deum in se habendo, ut docuit Photinus, et Paulus Samosatenus atque Nestorius hæresiarchæ, sed vere verus Deus, et Dei Filius unicus existendo. Unde Augustinus De bono perseverantiæ ait : « qui fidelis est, in eo veram naturam humanam credit suscipiente Deo Verbo ita sublimatam, ut qui suscepit et quod suscepit, una esset in Trinitate persona, assumptione illa ineffabiliter faciente personæ unius in Deo et homine veritatem. » Idem in Enchiridio : « Christus Jesus Deus de Deo est, homo autem natus de Spiritu sancto ex virgine Maria, utraque substantia, divina scilicet et humana, Filius est unicus Dei patris omnipotentis. » Idem in libro De prædestinatione sanctorum : » Ille homo ut a Verbo Patri coæterno in unitate personæ assumptus Filius Dei unigenitus esset, unde hoc mereretur? quod bonum ejus præcessit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? faciente ac suscipiente Deo Verbo ipse homo ex quo esse cœpit Filius Dei unicus esse cœpit. »

V. Hæc dicendo sanctus Augustinus hominis in Deum Dei Filium signanter exprimit nativitatem, quæ sola hominem assumptum Dei fecit unicum, ut sicut ipse ait, sicut unicus in utraque substantia, divina scilicet et humana. Quod ei non potuisset conferre assumptio sola extrinseco habitui assimilata, non falso intellectu, sed vero, nec tamen divinæ hominis nativitati contrario. Quia sic est homo in Deum assumptus, ut sit etiam in Deum natus : et sic est a Deo creatus, ut sit etiam in Deum natus : ex altero dicens : *Ascendo ad Patrem meum*; ex altero addens : *Et ad Deum meum* (*Joan.* XX, 17).

VI. Pater quippe factus est hominis Deus, illius conceptionem et nativitatem per suum Spiritum supernaturaliter operando : qui etiam Deus ejus fuit, inter cæteras creaturas eum creando. Assumptus est igitur homo creatus a Verbo increato, quasi habitus, in quo est inventus ut homo, qui Deus erat, sed natus est in Dei Patris unicum Filium, quod assumptio sola vel habitus illi conferre non poterat. Nam quos Deus assumpsit, et non genuit, verbi gratia Moysen et Aaron, quos ad hoc assumpsit ut adduceret populum suum de figurali Ægypto ; quod facere non potuissent nisi eos Deus ad hoc ministerium assumpsisset : licet filii Dei nominentur inter eos, ad quos factus est sermo, seu Verbum Dei ; nullus tamen eorum factus est Verbum Dei, nisi tantummodo hic unigenitus virginis, non solummodo assumptus in ministerium, sed etiam natus in filium. Unde non solum tanquam servus ministravit dicens : *Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat* (*Luc.* XXII, 27) ; sed etiam tanquam filius et Dominus imperavit ventis et mari, submerso in sanguine ipsius Pharaone tenebrarum principe. Quod facere non potuisset, nisi omnipotens omnipotentis Patris Filius esset ; qui et in cruce pendens ac moriens, inventus est homo ; et infernum spolians, ac de sepulcro surgens, inventus est ut Deus. Nam et Deus inventus est in forma servi humana patiendo, et homo inventus est in forma Dei divina opera faciendo, quæ nemo alius fecit, quia etiam solo nutu omnia quæcunque voluit fecit. Sicut ex aqua vinum fecit, non saltem dicendo; Fiat ex aqua vinum, quia tacitum sui Domini sensit creatura imperium. Sic etiam tacito nutu ad se traxit mulierem peccatricem. Quia sicut ait beatus Gregorius papa : « Ipse illam intus traxit qui eam foris misericorditer suscepit. » Mulier hæc typum gessit Ecclesiæ de gentibus collectæ, quam et Pater trahit ad Filium, et Filius trahit ad se ipsum simulque ad Patrem per se ipsum, juxta illud : *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Item : *Nemo venit ad Patrem, nisi per me* (*Joan.* VI, 44). Nestorium hæreticum non traxit Pater ad Filium, neque Filius illum traxit ad seipsum : qui hominem assumptum non credidit esse Dei Filium, sed Dei vestimentum. « Propter indutum, » inquit, « indumentum veneror. » Quasi homo in Deum natus, non sit Deus Dei Filius propter seipsum colendus æque ut Pater ejus. At ille hominem separans a Deo Dei Filio, velut indumentum ab induto, non magis credidit hominem assumptum Dei Filium, quam quodlibet indumentum in quolibet filio filius est patris illius. Non ergo Pater illum traxit ad hominem, cujus non credidit esse patrem altissimum, sola indumenti similitudine deceptus : quo et nunc multi sequaces ejus falluntur, dum non pertrahuntur ad hanc fidem, qua creditur homo, non solum sic assumptus ut sit Dei vestimentum ; sed etiam sic natus de virgine ut sit Dei Filius, non propter alium, sed propter seipsum colendus et adorandus, utpote verus Deus Dei Filius.

VII. Unde Patres in Ephesino concilio collecti, prout etiam supra commemoravimus, hoc dixerunt et scriptum reliquerunt : « Recusamus dicere de Christo : Propter indutum indumentum veneror, propter invisibilem adoro quod videtur. » Pavore plenum ad hoc et illud dicere : « Assumptus assumenti coappellatur Deus. » Qui enim hæc dicit, secat in duo Christum, et hominem statuit per partem specialiter, et Deum similiter. Denegat enim evidenter unitionem, secundum quam non ut alter alteri coadoratur quis, neque quidem coappellatur Deus ; sed unus intelligitur Christus una adoratione honorandus cum sua carne. » Item, prout superius perstrinximus, et nunc iterare non piget, in eodem concilio legitur cap. 5 : « Si quis audet dicere Deiferum hominem Christum, et non magis Deum esse secundum veritatem, sicut filium unum et natura, secundum quod Verbum factum est caro, communicavit similiter nobis in sanguine et carne, anathema sit. »

VIII. Istos venerandos Patres traxit Pater ad Filium, quia hominem crediderunt a Deo non solummodo assumptum velut indumentum, sed etiam natum in Deum Dei Filium. Similiter patrem Augustinum traxit Pater ad Filium : qui cum dixisset quod Deus indutus est hominem, addidit : « Quem sibi uniens quodammodo atque conformans, immortalitati æternitatique sociaret. » Idem super sermonem Domini, ubi dicit : *Non conturbetur cor vestrum*, ita dicit : Ego Dominicam carnem, imo perfectam in Christo humanitatem ideo adoro, quia a divinitate suscepta, et deitati unita est : ut non alium et alium, sed unum eumdemque, Deum et hominem, Filium Dei esse confitear. » Et post pauca : « Humanitatem non solam vel nudam, sed divinitati unitam, scilicet unum filium, Deum verum et hominem verum si quis adorare contempserit, æternaliter morietur. »

IX. Attende in his dictis Augustini, quod cum adorari docuisset humanitatem divinitati unitam, ne quis in humanitate divinitati unita intelligeret aliud quam Dei Filium ; consequenter exponens quid ipse intellexerit, addidit : Scilicet unum Filium, Deum verum et hominem verum si quis adorare contempserit, æternaliter morietur. Traxit ergo illum Pater ad Filium, quia hominem credidit, et confessus est esse Dei Filium, licet habitus ejus humanus recte inveniatur assimilatus purpuræ non extra personam regis jacenti, sed in persona regis adorandæ. Qui, cum sit Rex regum, habet etiam in vestimento et in femore suo scriptum, *Rex regum et Dominus dominantium* : ne quis putet cum Nestorio sentiendum quod, ipse homo cum sit Dei vestimentum, non sit etiam Rex regum et Dominus dominantium vere adorandus, non propter Deum quasi alter propter alterum, sed in Deo Dei Verbo, cui sic est

homo unitus, ut sit Deus, Dei Filius proprius et unicus

CAPUT XXII.

In Christi persona homo Deus et Deus homo est: quoniam et Deus homo est humanitate quam suscepit, et homo Deus divinitate quam accepit.

I. Cujus cum de persona quæritur quis ipse sit, recte respondetur, *Deus et homo*. Si autem quæritur an in Christi persona homo Deus et Deus homo sit, recte respondetur utrumque verum esse; quoniam et Deus homo est humanitate quam suscepit, et homo Deus divinitate quam accepit. Item cum dicitur: Homo est Deus; et Deus est homo: si quæritur quid subjiciatur aut quid prædicetur, non incongrue dicitur, persona subjici et natura prædicari. Quoniam et homo qui cum Verbo est una persona in trinitate, habet naturaliter insitam sibi divinitatis naturam nativitatis naturali virtute, per Spiritum sanctum virtute altissimi obumbrante acceptam: et Filius Dei Deus qui cum homine assumpto est una persona, humanitatis naturam nascendo ex homine sic sibi univit nativa unitione, ut recte ipse Filius Dei et filius hominis dicatur. Unde hac persona supposita, rectissime de illa prædicatur utraque sua natura, divina scilicet et humana. Quoniam et Deus de Deo est essentiæ suæ natura, et idem homo est nativitatis ex homine gratia simul et natura: quia hoc habet nascentium natura, ut sint gignentibus connaturalia. Hinc est et homo ex Deo natus, Deo Patri in divinitate connaturalis; et Deus ex homine natus, virgini matri est in humanitate connaturalis. Supposita itaque persona, sive per nomen Dei sive per nomen hominis, recte de illa persona prædicatur utraque natura; ut dicatur et Deus esse Deus et homo, et homo esse homo et Deus; quanquam homo, non inde Deus unde homo; et Deus, non inde homo unde Deus. Quoniam et homo divinitate sua Deus est, humanitate homo: et Deus humanitate sua homo, divinitate sua Deus.

II. Concordant his quæ diximus Patrum dicta, quæ sequuntur. Hilarius libro decimo: « Nati quoque in hominem ex partu Virginis Dei sacramentum docuimus, demonstrantes secundum dispensationem carnis assumptæ, tum cum se ex forma Dei evacuans formam servi accepit, infirmitatem habentis, humani Dei non infirmasse naturam, sed salva divinitatis in homine virtute, acquisitam esse Dei ad hominem potestatem. Namque cum in hominem Deus natus sit, non idcirco natus est ne non Deus maneret, sed ut manente Deo, homo natus in Deum sit. Nam et Emmanuel nomen est ejus quod est, *Nobiscum Deus*: ut non defectio Dei ad hominem sit, sed hominis provectus ad Deum. Vel cum glorificari se rogat, non utique naturæ Dei, sed assumptioni humanitatis hoc proficit. Nam hanc gloriam postulat, quam ante constitutionem mundi apud

A Deum habuit. « Item idem in eodem: » Et arguere nos solent, quod Christum dicamus esse natum non nostri corporis et animæ hominem, cum nos Verbum carnem factum, et se ex forma Dei evacuantem Christum, et formam servi assumentem perfectum secundum habitum conformationis humanæ et similitudinis, natum hominem prædicemus, ut vere Dei Filius hominis filius natus sit: neque non natus ex Deo homo, neque quia natus ex Deo homo, ideo Deus esse deficiens. Sed ut per se sibi assumpsit ex virgine corpus, ita ex se sibi assumpsit quæ utique nunquam ab homine gignentium originibus præbentur. Si enim conceptum carnis nisi ex Deo virgo non habuit, longe magis necesse est, anima corporis nisi ex Deo aliunde non fuerit. Et cum ipse

B ille filius hominis ipse sit qui et Filius Dei, quia totus filius hominis totus Dei Filius sit, quam ridicule præter Dei Filium qui Verbum caro factum est, alium nescio quem, tanquam prophetam Verbo Dei animatum prædicemus, cum Dominus Jesus Christus et hominis filius et Dei Filius sit? »

III. Ex symbolo Ephesini concilii ducentorum episcoporum: « Unum adoramus Filium et Dominum Jesum Christum, neque per partes ponentes et dividentes hominem et Deum, quasi conjunctos ad invicem dignitatis et auctoritatis unitione. Novitas enim vocis hoc est, et aliud nihil. »

IV. Augustinus in lib. Quæst. Novi Testamenti: « Christus Dei Filius ex æterno est, secundum Spiritum vero sanctitatis juxta carnem ex semine David

C natus est filius Deo: ut in utroque non factus Deo filius habeatur, sed natus. « Et post aliqua: « Salvator ergo natus est et secundum carnem Filius Dei. Non enim poterat, quod de sancto sanctum natum est, non de Deo nasci: *Florus ex decadi: Exaltate Dominum Deum nostrum.* Quantum debet exaltari? et *adorate*, inquit, *scabellum pedum ejus.* Scabellum pedum Christi; caro illa sancta non ex voluntate viri, sed Spiritu sancto et virtute Altissimi ex virginali utero suscepta, in qua hic ambulavit, intelligenda est. Ipsa enim nobis manducandam dedit. Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit: Verbum enim caro factum est, et habitavit in nobis. Nec dividendum est ab adora-

D tione quod conjungitur unitate, quia Deus et homo, Verbum et caro unus est Christus. »

V. Ex sermonibus abbatis Clarævallensis in Evangelium, *Missus est angelus Gabriel. Ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* I, 35): « quod est dicere, quoniam non de homine, sed de Spiritu sancto concipies. Concipies autem virtutem Altissimi, hoc est Filium Dei, ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. » Idem: « Non solum qui de sinu Patris in uterum tuum veniens obumbravit tibi, sed etiam quod de sua substantia sociabitur tibi ex hoc vocabitur Filius Dei. Quemadmodum et is qui a Patre est ante sæcula

(84) Lege *quoque amodo*.

genitus, tuus quodammodo (84) reputabitur Filius. Sic autem et quod natum est ex ipso erit tuus; et quod ex te nascetur ejus; ut tamen non sint duo filii sed unus. Et licet aliud quidem ex te, aliud ex illo sit; jam non tamen cujusque suus, sed unus utriusque filius erit. Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Attendite quæso quam reverenter dixerit: *Quod nascetur ex te sanctum.* Ut quid enim tam simpliciter sanctum, et absque additamento? Credo quia non habuit quid proprie digne nominaret illud eximium, illud magnificum, illud reverendum, quod de purissima videlicet virginis carne cum sua anima unico patris erat uniendum. Si diceret, sancta caro, vel sanctus homo, vel sanctus infans; quidquid tale poneret, parum sibi dixisse videretur. Posuit ergo indefinite *sanctum*, quia quidquid illud sit quod Virgo genuit, sanctum procul dubio ac singulariter sanctum fuit, et per Spiritus sanctificationem, et per Verbi assumptionem.»

VI. His dictis Patrum caute pensatis, patet eos intellexisse, vel ultra intellectum credidisse hominem Deum et Filium Dei, Sanctum sanctorum. Quem quia Pater sanctificavit et misit in mundum; non blasphemamus nos, qui eum prædicamus Deum, Dei Filium unicum et naturalem ac proprium: utpote cui nativitas non adoptio contulit esse Deum Dei Filium in utraque natura unicum. Sicut ostensum est jam supra dictis Augustini et aliorum Patrum, una reverentiæ adoratione docentium adorandum hominem qui est Sanctus sanctorum, sive ut expressius dicatur, Sanctum vel Sanctitas omnium sanctorum. Qui sicut Augustinus ait: «Factus est nobis a Deo sapientia, et justitia et sanctificatio et redemptio.» Ad hoc et pertinet illud in lege dictum: *Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur* (*Luc.* XI, 23). Quod sicut affirmat Ambrosius in Lucam, de solo virginis primogenito proprie dictum est: Quia hic solus aperuit vulvam, et vocatur Sanctum sanctorum, cui sanctitas non est accidentalis; et quod de omni primogenito improprie dicitur, quia multi primogeniti non sancti fuisse leguntur. Sed tamen propter unum primogenitum vere ac substantive sanctum, dicebatur in lege: *Omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur:* cum id conveniat solummodo illi primogenito quem de Spiritu sancto concepit Virgo

VII. Sed et illud in epistola Joannis dictum: *Omnis qui natus est ex Deo, non peccat; sed generatio Dei conservat illum* (*I Joan.* V, 18), proprie huic soli homini convenit, qui solus inter homines originali pariter et actuali peccato caruit. Quia cum sit ex Deo natus, generatio Dei conservavit illum sine peccato in omnibus et per omnia purum et sanctum: quod illi contulit generatio, sicut filiis adoptivis regeneratio confert sanctitatis ejus participium per remissionem peccatorum. Quorum tamen nullus quantumcunque sanctificatus, dicitur Sanctus sanctorum, quia nullus eorum sanctus est essentiali sanctitatis bono, quantumlibet sanctificatus accidentali dono, ut Joannes Baptista vel Jeremias. Qui licet legantur in uteris matrum sanctificati, non tamen caruerunt macula originalis peccati ex conceptione contracti. Sed hic solus de Spiritu sancto conceptus, non accidentaliter sed essentialiter dicitur sanctus, aut quod sensum valentius exprimit, *sanctum*, cui hoc est esse, quod sanctum esse. Propterea conceptionem ejus annuntians angelus, non dixit: Qui nascetur ex te sanctus; sed, *Quod nascetur ex te sanctum.* Quasi diceret, quod non accidentaliter sed essentialiter erit sanctum, sufficiens ad sanctificandum cunctos in se credentes.

VIII. Piget respondere strophis illorum, qui cum de Deo prædicantur humana, vel de homine divina, ut evacuent sensum veritatis, inducunt varios tropos et figuras loquendi: verbi gratia, Deus, inquiunt, passus et mortuus est in cruce; non in veritate sed ratione consortii: quasi homo in cruce pendens, non ipse fuerit Deus per se, sed habens Deum in se. Quem nos credimus Deum per se, licet non a se. Atque ideo cum homo ille passus est, ipse Deus passus est: non tamen secundum suam impassibilem divinitatem, sed secundum suam tunc passibilem humanitatem. Item, inquiunt, cum homo dicitur omnipotens, tropus est accidentalitatis, quia prædicamentum non redditur ad causam. Neque enim inde omnipotens unde homo. Sicut etiam in humanis patet, cum dicitur coloratus intelligere. Sic sic alienant hominem a Deo suis tropis falso intellectu.

MONITUM IN OPUSCULUM SUBSEQUENS.

(D. B. Pezius, præf. ad t. I, p. II, *Anecdot.*, p. LXX.)

—

Liber hic, quem sæculi XII ornamento præcipuo, ven. Godefrido abbati Admontensi dicavit Gerhohus, est *Prologus Galeatus* ejusdem in Expositionem Psalmorum, quam vastissimo volumine prelo paravit A. R. P. Felix Wirtenberger, ordinis Serv. B. Mariæ Virg., vir in his studiis versatissimus, et olim, si sacerrimi ordinis moderatores, ut meretur, faverint, incomparabilis futurus. Porro cum is cum Expositione Psalmorum, quam nobis edendam cl. P. Felix cessit, non adeo arcte ac necessario conjunctus esset, nobis primo quoque tempore in lucem efferendus visus est. Quæ autem illæ duæ hæreses sint, contra quas stylum in hoc opusculo acuit Gerhohus, ipse in procemio his verbis docet: *In præsenti opusculo*

sermo mihi est permaxime contra duas hæreses partim antiquas, partim novas. Altera cum Nestorio detrahit homini divinitus concepto, dans illi minorem gloriam Dei Patris gloria, pro eo quod natura ejus humana secundum sui conditionem minor est Patris natura, cui tamen æqualis est in gloria : quia, ut jam omnis lingua confitetur, Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. Porro altera non aufert Christo, sed nimis tribuit Antichristo, dum sacerdotes officio divino seu communione Christiana synodaliter privatos asserit in officiis præsumptis Ecclesia contradicente conficere posse corpus Christi. Hæc ipse Gerhohus, qui priorem hæresim iisdem hic fere argumentis, quibus in præmisso libro gloriam et honorem Filii hominis defendit, jugulare conatus est; alteram vero quam in nullis non scriptis suis exagitat, auctoritate conciliorum, Romanorum pontificum, SS. Patrum, et maxime Hugonis Radingensis, postea Rothomagensis archiepiscopi aggreditur. Posterioris epistolam integram de nullis excommunicatorum et depositorum presbyterorum sacramentis habes cap. 3. *De scriniis Romanæ curiæ* acceptam Gerhohus sibi gratulatur. Sub finem eo evolvitur disputatio Gerhohi, ut dicat *non esse Christi corpus, quod schismaticus et officio sacerdotali privatus conficit, quantum ad essentiam, rem, et efficientiam sacramenti, quod tamen specietenus et sacramentotenus dici potest corpus Christi.* Quod ut penitus percipias, legesis libelli hujus caput ultimum. In quo si quæ durius dicta, nec cum nostrarum scholarum recepto loquendi modo satis cohærentia deprehenderis, id utique nobis crimini, si sapis, nequaquam vertes, ut quibus unice propositum est in lucem edere quæ veteres theologi senserunt, non docere quid nunc sentiendum, aut quomodo illis loquendum fuerit. Cæterum usum coævi codicis, ex quo præsens libellus ab A. R. P. Felice singulari cura exscriptus est, debemus reverendissimo, et nostrum amantissimo domino præposito Reicherspergensi Herculano.

VEN. GERHOHI

PRÆPOSITI REICHERSPERG.

LIBER CONTRA DUAS HÆRESES.

(Eruit ex cod. ms. inclytæ canoniæ Reichersperg. adm. reverendus, et clarissimus Pater Felix Wirtenberger, ord. serv. B. M. V. theologus, et in monasterio Schonpihlensi in Austria prior; edidit D. B. Pezius *Anecdot.* t. I, parte II, p. 281.)

GERHOHI EPISTOLA

AD GODEFRIDUM ABBATEM ADMONTENSEM, QUA HUIC OFFERT LIBRUM SUUM CONTRA DUAS HÆRESES.

G. [GODEFRIDO I] venerabili Admontensis cœnobii abbati fr. G. [GERHOHUS] devotum cum assiduis orationibus obsequium.

Crebro experimento didici a sagitta volante per diem non esse tutum viatorem quantumlibet vacuum, si ambulat inter latrones, nimirum solitos prius viantem sagittare, quam curent sacculos ejus explorare. Est tamen genus latronum non sagitta ferientium, sed gladio priusquam viderint onustum viatorem, quem non læderent, si vacuum viderint. Unde ait ethnicus;

Cantabit vacuus coram latrone viator.

(JUVENAL, sat. x, 22.)

Quia ergo mihi via est non solum inter sicarios, de quibus dicitur : *Lingua eorum gladius acutus* (*Psal.* LVI, 5), verum etiam inter sagittarios malignos; necesse mihi est attendere quid de hujusmodi scriptum est : *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent innocentes rectos corde* (*Psal.* x, 2). Timidi sunt namque hujusmodi latrones lædere parati, etiam rectos corde. Timidæ sunt eorum toxicatæ sagittæ, atque cavendæ omnibus rectis corde, quibus maxime insidiantur, sed frustra, quoniam recti corde, quos inexpugnabili *scuto suo circumdabit veritas, non timebunt a timore nocturno, a sagitta volante per diem, a negotio perambulante in tenebris,*

A *ab incursu, et dæmonio meridiano* (*Psal.* xc, 6). Volens tali scuto circumdari Veritas discipulos suos, ait: *Si manseritis in sermone meo, vere liberi eritis, et veritas liberabit vos* (*Joan.* VIII, 36). Ut ergo tutus, ac liber incedam in expositione Psalmorum, neque timeam mihi a verbo aspero, quoniam usitatum est quibusdam importunis vocare schismaticum, vel hæreticum, quemcunque suo sensui viderint minus consonum. Si quæ forte modernis lectoribus inusitata interponentur antiquorum Patrum orthodoxorum sententiis veris hinc inde cincta, et scuto veritatis circumdata invenientur; sed quia inter hostes versanti non sufficit scutum, nisi caput quoque ipsius galea munitum sit, præsens istud proœmium tuæ paternæ sapientiæ destinatum tractatui meo in partes distincto censui anteponendum, ut hinc muni-
B tum, seu galeatum sit ejus caput, et principium contra sagittarios de longe, atque sicarios de prope ferientes, et lædere paratos *in obscuro* etiam *rectos corde* (*Psal.* x, 3). Tu igitur, quem rectum corde non dubito, quia non ambulas in obscuro, minime habes necessarium præmuniri hoc opusculo nostro; verumtamen propter alios in obscuro ambulantes hoc ipsum tibi destino, ubi placet approbandum, atque ubi rationabiliter displicet emendandum, vel mihi, ut emendetur caute resignandum.

Explicit epistola.

INCIPIT PROŒMIUM.

In præsenti opusculo sermo mihi est permaxime contra duas hæreses partim antiquas, partim novas.

Altera cum Nestorio detrahit homini divinitus concepto, dans illi minorem gloriam Dei Patris gloria, pro eo quod natura ejus humana secundum sui conditionem minor est Patris natura, cui tamen æqualis est in gloria: quia ut jam *omnis lingua confitetur: Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris* (*Philipp.* II, 11). Porro altera non aufert Christo, sed nimis tribuit Antichristo, dum sacerdotes officio divino, seu communione Christiana synodaliter privatos asserit: in officiis præsumptis, Ecclesia contradicente, conficere posse corpus Christi.

CAPUT PRIMUM.

Gloria, virtus, et sapientia Filii hominis non est minor gloria, virtute, et sapientia Dei Patris.

His hæresibus imbuti quidam, cum legerent scripta mea offensi sunt, atque hoc pro lapide offensionis, et petra scandali habuerunt, quoniam introduxi beatum Hilarium in libro nono De Trinitate sic dicentem: « Glorificaturus Filium Pater major est. Glorificatus in Patre Filius minor non est. Major Pater est, dum gloriam assumpto homini rogatur ut reddat. Filius minor non est, dum gloriam resumit apud Patrem. » Sic enim suscepta sunt hæc dicta Hilarii, quasi contraria dictis Athanasii, dicentis de Filio: « Æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem. » Sed ut in epistola Domino Eberhardo Babergensi episcopo clarius ostendimus: Hilarius non est Athanasio contrarius, cum Athanasius Filium Patre minorem prædicet secundum humanitatem. Hilarius vero non de humanitatis in Christo natura, sed de ipsius humanitatis immensa gloria loquens, Filium glorificatum Patre asserit non minorem. Gloriam quippe immensam, quam Christus in divinitate sua semper habuit, idem ipse in sua humanitate nihilominus plene accepit. Contestatur hoc etiam novus doctor magister Hugo, qui ut tu quoque mihi commemorasti, ubi animam Christi asserit non æqualem divinitati secundum naturam, non tamen negat æqualem secundum gloriam. Dicit enim in libro De sacramentis: « Anima Christi sicut plenam, et perfectam Dei sapientiam unitam habuit per naturam, ita plene et perfecte ex ipsa, et per ipsam sapientiam sapiens fuit, nec tamen ipsi sapientiæ natura æqualis fuit, quia longe aliud est sapientia sapere, atque aliud sapientiam esse. Ex quo enim divinitas humanitati conjuncta est, ex ipsa divinitate humanitas accepit per gratiam totum, quod divinitas habuit per naturam, ita ut secundum illam ineffabilem unionem, et Dei esset in humanitate sua totum, quod humanitatis erat per naturam, et hominis esset in divinitate sua totum, quod divinitatis erat. » In his verbis magistri Hugonis caute natura humanitatis, et divinitatis invenitur distincta, et utriusque naturæ indistincta sapientia. Dicens enim: « Quia longe aliud est sapientia sapere, atque aliud sapientiam esse, » competenter ostendit, quod anima Christi æternæ sapientiæ non fuit æqualis in natura, cui tamen quia fuerit æqualis in virtute, ab ipsa etiam conceptione virginis, Hominem-Deum concipientis, idem consequenter demonstrat, cum subnectit: « Sic ergo humanitatem verbi in anima rationali a prima conceptione sua ex ineffabili unione divinitatis plenam, et perfectam sapientiam, et potentiam, et virtutem, et bonitatem accepisse credimus; et ipsam, sicut in unione divinitatis inseparabiliter, sic in ipsa quoque ex unione erat plenitudine virtutis incommutabiliter, permansisse confitemur. Neque enim idcirco Deus-Homo inter homines conversari voluit, ut quasi per intervalla temporum sapientia, aut virtute proficiens meritum sibi speraret, et se ipso melior fieret; sed ut ea sapientia, et bonitate, quam ipse in divinitate sua plenam et perfectam semper habuit: et in humanitate sua plenam, et perfectam semel, et simul accepit, dispensatione salutis humanæ secundum ineffabilem ordinationem suam compleret. Quapropter id, quod dicit evangelista, quod proficiebat Jesus sapientia, ætate, et gratia, non ita accipitur, quasi semetipso melior factus sit; sed, quia hominibus, quam ipse habebat sed latebat, gratiam et sapientiam, prout ratio temporum postulabat, magis semper ac magis aperuit. Ita apud homines ipse proficiebat, quando homines ipsi in ejus cognitionem profecerunt. Apud Deum autem profecit in eo, quod dum se sapientia et gratia Dei plenum ostendisset, eos ad laudem Dei Patris, a quo hoc esse testabatur, magis semper ac magis provocavit. Et quidem hoc testimonium magistri Hugonis de Domino Jesu acceptum teneo; sed sicut ipse Jesus dicit: *Ego habeo testimonium majus Joanne* (*Joan.* V, 36), sic etiam dicere potest: Ego testimonium habeo majus Hugone, prædicante Apostolo, *Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam;* quod longe in infinitum majoris est gloriæ, quam virtute virtuosum, et sapientia sapientem esse. Cum enim sapientia Dei attingat a fine usque ad finem fortiter existens ubique in omnibus universaliter per essentiam, in bonis vero angelis, et hominibus specialiter per gratiæ suæ præsentiam; de nulla tamen creatura sic potest prædicari, ut dicatur sapientia, nisi de Homine-Deo, qui quam vere dicitur Deus, Dei Filius, tam vere dicitur Dei sapientia, et Dei virtus. Igitur quamvis plene, perfecte, atque immutabiliter sapere (quod ipse magister Hugo attribuit Christi animæ) *datum optimum, et donum perfectum* sit *descendens desursum a Patre luminum* (*Jac.* I, 17), cujus etiam doni participes credimus quosdam electorum, tamen amplius me delectat cum Apostolo prædicare Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam, quam sapientia sapientem esse animam, vel hominem, quem sapientia æterna non accidentaliter, ut regem Salomonem, seu alium sanctum sapientem, sed omnino essentialiter, vel substantialiter ita informat, ut ipse inde sit *speciosus forma præ filiis hominis* (*Psal.* XLIV, 3). Cum enim in Christo sit divinitas modis omnibus, quibus inesse potest, nulla creatura hunc inessendi omnem mo-

dum sortitur, sed de plenitudine ejus aliquem suscipit modorum pro mensura distributionis donorum in Christo sine mensura existentium. Inest namque rebus divinitas tribus modis. Nam tota et indivisa inest omni creaturæ per ubique præsentem totam substantiam suam, quæ omnem (juxta illud) replet essentiam, *cœlum, et terram ego impleo* (*Jer.* XXIII, 24) (85). Sed non omni creaturæ constat inesse per gratiam justificantem, et beatificantem, nisi soli rationali, quam solam in electis justificat et salvat. Nulli vero facturæ (Christo excepto) per formam diffinitionis inest. Aliquam enim creaturam diffinituri quid sit, non assignamus, quoniam Deus est; etsi habeat divinitatem in se manentem; sicut de homine interrogati quid sit, non assignamus, quoniam Deus, sed quoniam corpus est; et hoc propter corporeitatem dicimus, quæ est substantialis forma subjecti. Christo autem, vel si dici malumus, illi homini, qui est Christus tota inest divinitas, non per solam substantiæ præsentiam sicut universæ mundi fabricæ, nec per solam inhabitantem gratiam : quo inessendi modo in solis rationem habentibus invenitur creaturis; sed præter hos duos inessendi modos, videlicet per substantiam et gratiam, tertio inest modo, scilicet per formam diffinitionis. Cum enim ipse sit Homo-Deus, forma humanitatis, et forma divinitatis, illi est omnino substantialis. Unde interrogati de Filio Dei, quid sit, respondemus quod Deus est propter formam Dei, et homo propter formam hominis. Item interrogati de ipso eodem Filio virginis quid sit, respondemus quod homo est propter formam hominis, et Deus propter formam Dei. Sicut namque de Patre, vel Spiritu sancto interrogati respondemus, quoniam est Deus : ita de Christo interrogati dicimus, quoniam Deus est, quod in ipso prædictis tribus modis, scilicet per substantiam, per gratiam, per diffinitionis formam plenitudo divinitatis est. Ideo *de ipsius plenitudine*, ut ait Evangelista, *nos omnes accepimus* (86) (*Joan.* I, 16), quibus gratis datus est, ut primis duobus modis insit deitatis participatio, non plenitudo. Unde non plenitudinem, sed *de plenitudine* ejus accepimus. Nemo enim sanctorum sic accipit sapientiam, seu virtutem, ut ipse dicatur sapientia, vel virtus, quomodo ille homo, qui, cum in forma Dei sit, non rapinam arbitratur esse se æqualem Deo in sapientia, et virtute; cum sit ipse ipsa Dei virtus, et Dei sapientia. Est quippe singulariter, et sicut *passer solitarius* (*Psal.* CI, 8) ipse solus ad hoc *electus ex millibus* (*Cant.* V, 10), ut in forma Dei manens arbitretur se æqualem Deo, non per rapinam, ut diabolus in cœlo tumens, vel homo ab illo deceptus, sed per plenitudinem gratiæ et veritatis. In qua plenitudine contemplatus illum sanctus Evangelista, *Vidimus*, inquit, *gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratiæ et veritatis* (*Joan.* I, 14). Plenitudo gratiæ fuit, quod sine

A omni suo merito humanitas in Dei formam gratis assumpta fuit. Plenitudo veritatis, ac justitiæ fuit, quod post meritum obedientiæ non sibi, sed suis necessariæ, in qua formam Dei propter servos exinanivit ad tempus minoratus ab angelis, ipsa ejus natura servilis exaltata est ad confessum paternæ celsitudinis, in qua non est exinanita, ut non sit, sed ita glorificata, ut recte confiteatur omnis lingua, quod Filii Dei etiam humana natura sit in summa Divinitatis gloria, virtute ac potentia vel potius omnipotentia, quia *data est* illi *omnis potestas in cœlo, et in terra* (*Matth.* XXVIII, 18).

CAPUT II.

Idem ex Rutperto Tuitiensi, Leone Magno, et concilio Ephesino pluribus confirmatur.

B Non ergo absurdum judico, cum in scriptis Rutperti abbatis Tuitiensis, de quibus etiam nos inter nos ore ad os contulimus, hunc hominem speciosum præ filiis hominum invenio Deo summo *parificatum* non secundum naturam humanam, quæ absque omni contradictione quantum ad sui conditionem divina minor est, sed secundum virtutem, sapientiam et gloriam naturæ humanæ in illo homine, in ipsa ejus conceptione, nativitate et glorificatione datam, quæ utique non est minor Dei Patris virtute, sapientia et gloria, sed prorsus eadem ipsa non minor in homine Deo, Dei et hominis Filio, quam in Patre Deo, Dei hominis genitore. Unde non degeneratus, sed generatus vel genitus ejus
C dicitur. Genitus et unigenitus in divinitate, primogenitus vero in humanitate, in utraque natura manente omnimoda virtutis coæqualitate sine omni degeneratione. Unde et dicit : *Ego hodie genui te* (*Psal.* II, 7). *Genui*, ait, non solum in divinitate unigenitum, sed etiam in humanitate primogenitum, in utraque natura æque nobilem propter divinam sine tempore perfectam, ac deificam in tempore factam generationem. Nam et Deus Deum genuit æternaliter, et virgo Deum factum hominem concepit non homine, sed Deo Patre illam imprægnante, cujus utique semen, id est Verbum per ipsius amorem, qui est Spiritus sanctus suscepit, quod verbum carnem factum genuit, genitura potius divina quam humana, quoniam a Deo fuerat, non ab homine
D imprægnata propter quod homo ab illa genitus tam proprie Dei, quam hominis dicitur Filius, non per adoptionem, sed per generationem. Unde mihi virtutem generationis minime intelligere videntur, a quibus asseritur, generante Patre ignobilior aut infirmior, in virtute homo, *qui prædestinatus est Filius Dei in virtute* (*Rom.* I, 4), ut ait Apostolus. Nam etsi crucifixus est ex nostra infirmitate, in qua *vere languores nostros portavit* (*Isa.* LIII, 4), tamen homo ille invictæ virtutis est æque ut Pater ejus; æque omnipotens, æque magnus, non secundum humanitatem, sed secundum virtutem, quia non solum, ut Paulus ait, *prædestinatus est Filius*

(85) In Edit. Vulg. sic legitur : *Nunquid non cœlum et terram ego impleo?*

(86) Eid. Vulg. ita habet : *De plenitudine ejus*, etc.

est, et Deus Verbum, et hoc in principio apud A Deum, et Verbum ante constitutionem mundi Filius, nunc caro factus orabat, ut hoc Patri caro inciperet esse quod Verbum; ut id quod de tempore erat, gloriam ejus quæ sine tempore est claritatis acciperet; ut in Dei virtutem et spiritus incorruptionem transformata carnis corruptio absorberetur. »

VII. Hic notandum quod non carnem; sed carnis corruptionem docet Hilarius absorbendam: quæ etiam in sanctis resurrectione glorificatis absorbebitur, manente tamen carnis natura, in gloria illius resurrectionis, cujus vox est: *Ego sum resurrectio et vita* (*Joan.* XI, 25). Quanto magis ergo in sua propria carne fulgebit resurrectionis claritas, cum sit ipse ipsa resurrectio et vita? In quem qui credit, non morietur in æternum; quia in resurrectione B ac vita manebit, ac resurrectio et vita in eo, juxta illud promissum ejus: *Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo.* « Item: » *Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum* (*Joan.* VI, 55). Quanto ergo expressius, imo impressius, homo in Deum assumptus, manet in Deo et Deus in eo, non quasi alius in alio, quia idem Deus est qui homo, licet non inde Deus, unde homo? Est quippe divinitate Deus, humanitate homo: in quo et naturarum diversarum permanent essentiales differentiæ, cum altera increata sit et altera creata, et earumdem naturarum unitio; ut utraque natura quod suum est operetur cum alterius communione, manente Dei in forma humana, C in qua est primogenitus mortuorum, et homine manente in forma divina, in qua est genitus ante luciferum, primogenitus omnis creaturæ.

CAPUT XX.

In filii hominis conceptione ac generatione, vera fides habet, quod natum est in virgine per conceptionem et ex virgine per generationem, totum esse Filium Altissimi et totum filium virginis: ita ut recte dicatur et Deus filius hominis, et homo Filius Dei.

I. Quia vero nonnulli affirmant, unitione potius quam generatione hominem Dei Filium nominandum; consideremus nunc modos unitionis, quo aliquid alicui unitur, ut evidenter clarescat eos errare, qui unitionem qua Deo est homo unitus, distinguunt ab hominis in Deum generatione, dicendo potius unitione, quam generatione hominem Dei Filium D factum. Quod fortasse recte diceretur, si non ipsa generatio esset naturalis et nativa unitio, qua de diversis essentiis per nativatem unitis consistit unus filius: verbi gratia, qui nascitur ex sanguinibus et ex voluntate carnis et ex voluntate viri, nec totam ex Patre, nec totam ex matre corporis habet essentiam, et a neutro habet spiritum, sed ab illo quem Apostolus nominat Patrem spirituum, dicens: *Patres quidem carnis habebamus et reverebamur eos; non multo magis obtemperabimus Patri spirituum, et vivemus?* (*Hebr.* XII, 9.) Cum ergo diversæ diversorum sanguinum sint essentiæ una cum spiritu rationali unitæ; non tamen est filiatio divina in uno Filio, ut sit ex parte Filius Patris ex parte filius matris homo natus de muliere, sed totus Filius Patris et totus filius matris. Esset totus quoque Filius Patris omnium spirituum rationabilium, si spiritus rationalis de Dei Patris essentia datus, et non de nihilo creatus, esset corpori humano unitus, ut putabant Manichæi ob hoc ipsum damnati et anathematizati, quod animam rationalem docebant esse coessentialem Deo. Nunc autem quia in creatione animæ corpori unitæ, solius Dei absque hominis ministerio cognoscitur operata potentia, recte dicitur ab Apostolo ipse Deus Pater spirituum, non corporum.

II. Porro in illius hominis conceptione ac generatione, cujus constat essentia non solum de humano corpore sumpto ex virgine, ac de anima humana ex nihilo creata, sed etiam de Verbo Dei Deo Patri coessentiali; vera fides habet, quod natum est in virgine per conceptionem, et ex virgine per generationem, totum esse filium Altissimi et totum filium virginis: ita ut recte dicatur et Deus Filius hominis, et homo Filius Dei; cum nativa unitione de satis tribus, Verbo Dei, anima rationali et carne, in unum fermentatis, unus de thalamo suo sponsus processerit geminæ gigas substantiæ. In qua tria sata quæ Deus conjunxit homo non separet, ita ut exemplo Nestorii secet in duos filios unum Dei et hominis filium, nativa, sive, ut Boetius ait, naturali unitione de diversis essentiis, divina scilicet atque humana, unitum. Quod etsi factum sit supra naturam, non est factum contra naturam, quia homini ad imaginem et similitudinem Dei creato est naturale, ut sapientiam Dei per quam et ad quam creatus est, possit capere, sicut bona terra capit semen bonum. Quæ autem fuit unquam terra magis bona, quam virgo Maria? quæ nullo virilis operis aratro exculta ita erat fertilis, ut semen Dei, quod est Verbum Dei, annuntiante angelo, cadens in eam, sic humanæ substantiæ unitum excrevit, ut homo natus in ea Filius Altissimi nominetur et sit, Filius, inquam, non adoptivus, ut Photinus et Bonosus hæreticus docuerunt, sed Filius proprius, unigenitus, unicus Patri et matri suæ. In qua nativa unitione unum factum est electrum, sancti Spiritus igne conflatum de argento humanæ simulque de auro divinæ substantiæ. In quo, fulgore auri ad tempus exinanito, et quasi pallescente in ipso pallore auri per mortem crucis aliasque contumelias, pallescentis consummata est claritas argenti usque adeo, ut impleta sit oratio dicentis: *Pater, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te* (Joan. XVII, 1). Item: *Clarifica me tu, Pater, apud temet ipsum claritate, quam habui priusquam mundus esset, apud te* (*ibid.* V).

III. Neque vero mirum est hujusmodi humanæ substantiæ argentum auro divinitatis unitum, eidem conglorificatum seu conclarificatum. Quoniam cum scriptum sit: *Habet argentum venarum suarum principium, et est auro locus in quo conflatur* (*Job* XXVIII, 1). Istius argenti principium sic fuit ætor-

naliter prædordinatum, ut in virginalis uteri conflatorio una cum auro divinitatis æterno in unum fabricaretur electrum nativa unitione. Postquam de virgine peractam, nullus potuit aut poterit ipsi Dei et hominis Filio accedere vel assignari habitus, qui seorsum, abstractim, et mathematice intellectus, Filius Dei aut hominis vere nominetur aut sit, licet et in alia et alia effigie, diversos in se habitus exhibuerit ; nunc se hortulanum, nunc peregrinum, seu etiam velut agnum septem cornuum, septem quoque oculorum suis dilectoribus ostendendo, quia tales habitus non effecit nativa unitio, quia accesserunt jam nativo filio.

IV. Quod si placet per aliqua similia demonstrari ; quæ diximus de divinis ac supernaturalibus, patent in humanis atque naturalibus. Esto enim : Sit alicui homini filius unicus, unigenitus, proprius, naturalis. Huic filio de homine genito si aliquid unitur, vel sic unitur ut in ejus vertatur substantiam ; sicut panis qui mutatur et mutat, quia versus in carnem facit de macra pinguem ; vel sicut annulus, qui nec mutatur nec mutat a suo esse filium annulatum, vel sicut sapientia faciens de fatuo filio sapientem, quæ ipsum mutans, non mutatur ; vel sicut vestis quæ filium nudum vestiens, ipsum non mutat, sed ipsa mutatur, quia extra corpus complicata, si corpori coaptatur, secundum illud sic distenditur, ut recte habitus hominis dicatur. Ex quo habitu, verbi gratia purpuratus aut loricatus, aut aliud hujusmodi valeat dici. Sed nunquid vel panis quem filius comedit, vel annulus quem assumpsit, efficitur filius patris qui eumdem filium genuit? minime. Item sapientia quæ filium de fatuo sapientem, vel purpura quæ illum de nudo vestitum exhibuit, numquid de filio filii seu filiæ nomen accepit, seu accipere potuit ? nequaquam. Ipsa tamen purpura inducta membris accepit formam, quam non habebat exuta : cui etiam in regis persona exhibendus est honor, qui eidem exutæ non exhibetur.

. Cujus rei similitudinem beatus Augustinus Incarnationis mysterio coaptans in libro De octoginta tribus quæstionibus dicit : « Multis modis habitum dicimus. Vel habitum animi, sicut disciplinæ perceptionem usu firmatam : vel habitum corporis, sicut dicimus alium alio validiorem, vel habitum eorum quæ membris accommodantur extrinsecus, ut cum dicis aliquem vestitum, calceatum, et hujusmodi. In quibus omnibus generibus manifestum est in ea re dici habitum, quæ accidit vel accedit alicui, ita ut eam possit etiam non habere. Hoc autem nomen dictum est ab illo verbo quod est *habere*. Habitus ergo in re dicitur, quæ nobis ut habeatur vel accidit vel accedit. Verumtamen hoc interest quod quædam eorum quæ accidunt vel accedunt ut habitum faciant, non mutantur, sed ipsa mutant, in se integra et inconcussa manentia. Sicut sapientia accedens homini, non ipsa mutatur sed hominem mutat, quem de stulto

A sapientem facit. Quædam vero sic accidunt vel accedunt, ut mutent et mutentur ; ut cibus qui, amittens speciem suam, in corpus vertitur, et nos cibo refecti, ab exilitate et languore in robur atque valentiam mutamur. Tertium genus est, cum ea quæ accidunt vel accedunt, non mutant ea quibus accidunt, nec ab ipsa mutantur ; sicut annulus positus in digito : quod genus rarissime invenitur. Quartus genus est cum ea quæ accidunt mutantur, non a sua natura, sed aliam speciem ac formam accipiunt, ut est vestis, quæ dejecta atque deposita, non habet eam formam quam sumit induta : induta, non habet exuta. Quod genus congruit huic comparationi. Dei enim Filius semet ipsum exinanivit, non formam suam mutans, sed formam servi

B accipiens : neque conversus aut transmutatus in homine amissa incommutabili stabilitate, sed in similitudinem hominum factus est. Ipse susceptor verum hominem suscipiendo, et habitus inventus est ut homo, non sibi, sed eis quibus in homine apparuit. Quod autem dicit *ut homo*, veritatem exprimit. Nomine ergo habitus satis significavit Apostolus qualiter dixerit : *In similitudinem hominum factus* (*Philipp.* II, 7). Quia non in transfiguratione in homine, sed habitu factus est, cum indutus est hominem, quem sibi uniens quodammodo immortalitati æternitatique sociaret. Non ergo oportet intelligi, mutatum esse Verbum susceptione hominis, sicut nec membra veste induta mutantur,

C quamvis illa susceptio ineffabiliter susceptum suscipienti copularet. »

VI. His verbis aperte innuere videtur Augustinus, Deum dici factum hominem secundum habitum. Qui etiam ipsius incarnationis modum volens exprimere, quærentibus in quarto lib. De Trinitate ait : « Si quæritur ipsa incarnatio quomodo facta sit. Ipsum Verbum Dei dico carnem factum, sive hominem factum, non tamen in hoc quod factum est conversum atque mutatum : sed carne, ut carnalibus congruenter appareret, indutum. Ita sane factum ut ibi sit non tantum Verbum Dei et hominis caro, sed et rationalis anima hominis, atque hoc totum et Deus dicatur propter Deum et homo propter hominem. Quod si difficile intelligitur,

D mens fide purgetur a peccatis abstinendo et bona operando ; difficilia enim sunt hæc. »

VII. Idem in libro De fide ad Petrum : « Dei Filius cum sit Deus æternus et verus, pro nobis factus est homo verus et plenus. In eo verus, quia veram habet ille humanam naturam : in eo vere plenus, quia carnem humanam suscepit et animam rationalem. » Item. « Non aliud fuit illa Dei summi exinanitio, nisi formæ servilis, id est naturæ humanæ susceptio. Utraque igitur est in Christo substantia divina scilicet et humana. » Item in libro contra Maximinum : « Cum esset per se ipsum invisibilis visibilis in homine apparuit, quem de femina suscipere dignatus est. » Item in eodem : « Nos Christum Dominum verum hominem suscepisse

credimus, et in ipso visibiliter invisibilem hominibus apparuisse, et in ipso inter homines conversatum fuisse; in ipso ab hominibus humana pertulisse, in ipso homines docuisse. »

VIII. Hilarius in libro De Trinitate: Quomodo Dei Filius natus ex Maria est, nisi quia Verbum caro factum est? scilicet quod Filius Dei cum in forma Dei esset formam servi accepit. Unum tamen eumdemque, non Dei defectione, sed hominis assumptione profitemur, et in forma Dei per naturam divinam, et in forma servi ex conceptione Spiritus sancti secundum hominis habitum repertum fuisse. Non fuit habitus ille tamen hominis, sed ut hominis: neque caro illa caro peccati, sed in similitudinem carnis peccati. »

IX. His Augustini simulque Hilarii dictis caute pensatis, invenimus Dei Filium inventum in habitu hominis; cum tamen habitus ille, ut Hilarius ait, non fuerit hominis, sed « ut hominis; » docente Apostolo, quod Filius Dei humiliavit seipsum formam servi accipiens, et habitu inventus « ut homo. Id est, habendo in se hominem: inventus est ut homo, quia indutus est hominem, quem sibi uniens quodammodo atque conformans, ut ait Augustinus, immortalitati æternitatique sociaret. Sed nunquid hæc talis unitio, conformatio et associatio contulisset, aut conferre potuisset homini assumpto esse Dei Filium naturalem, proprium et unicum, sine generationis illius consortio de qua dicitur: *Generationem ejus quis enarrabit?* (*Isa.* LIII, 8.) Unum quippe Deus Pater Filium sibi connaturalem et coæternum, tanquam sol splendorem gloriæ suæ, genuit, quia semel locutus, Verbum bonum de corde suo eructavit. Sed in hac una locutione duo hæc audivit Psalmista, quia videlicet potestas Dei est et misericordia. Potestas Dei, in qua idem verbum semel dictum, Filius Dei nominari dignatum est: misericordia, in qua item idem Verbum, filius hominis nominari et esse dignatum est.

X. Conferamus nunc in uno eodemque Dei Filio dignitatem potentiæ ac dignitatem misericordiæ in ea lance veritatis, ut neutrum altero minus vel majus, anterius vel posterius judicemus. Et certe inveniemus verum sensisse beatum Hilarium in nono libro de Trinitate, dicentem: « Ejusdem periculi res est, Christum Jesum vel Spiritum Deum, vel carnem Christi corporis denegare. Mediator ipse in se ad salutem Ecclesiæ constituitur; et, ipso inter Deum et homines mediatoris sacramento utrumque unus existens, dum ipse ex unitis in id ipsum naturis, naturæ utriusque res eadem est, ita tamen ut neutro careret in utroque; ne forte Deus esse nascendo desineret, et homo rursus Deus manendo non esset. Hæc itaque humanæ beatitudinis fides vera est, Deum et hominem prædicare, Verbum et carnem confiteri: neque Deum nescire quod homo sit, neque carnem ignorare quod Verbum sit. Cum autem contra naturam sensus nostri Deus manens, homo nascitur; jam non est contra naturam spei nostræ ut natus homo Deus maneat: cum potior natura in inferiorem nata fidem præstet, inferiorem in naturam nasci posse potiorem. »

XI. Idem in decimo: « Accepisse autem formam servi eum qui esset in Dei forma, de contrariis comparatur, ut quanta veritas est manere in Dei forma, tanta veritas sit accepisse formam servi. Ad proprietatem enim naturæ intelligendam, significatione verbi ad id communis impellimur. In forma enim servi est, qui et in forma Dei est. Et cum hoc naturæ, illud dispensationis sit, in ejusdem tamen est veritatis proprietate quod utrumque est, ut tam verus sit in Dei forma, quam verus in servi. Ut vero assumpsisse formam servi non aliud est, quam hominem natum esse; ita in forma Dei esse non aliud est, quam Deum esse. Unum tamen eumdemque, non Dei defectione, sed hominis assumptione profitentes, et in forma Dei per naturam divinam, et in forma servi ex conceptione Spiritus sancti secundum habitum hominis repertum fuisse.

CAPUT XXI.

Idem pluribus firmatur, ostenditurque Verbum per unionem cum natura humana nullo modo fuisse in se mutatum, hominemque natum esse in Dei Patris unicum Filium, quod assumptio sola vel habitus illi conferre non poterat.

I. His diligenter pensatis apparet, non tam ex unitione quæ in aliquo habitu consideratur, hominem Filium Dei vel Deum filium hominis nominari, quam ex nativitate qua, sicut affirmat Hilarius, « Deus manens, homo nasci dignatus est: et natus homo, Deus manet; ita ut potior natura in inferiorem nata, fidem præstet, inferiorem in naturam nasci potuisse superiorem. Cum assumpsisse formam servi non aliud sit, quam hominem natum esse: atque in forma Dei esse non aliud sit quam Deum esse. » Sicut ergo ex nativitate Deus de Deo genitus, est ejus Filius; ita nihilo minus ex nativitate idem Deus factus est filius hominis, nascendo videlicet ex homine divinitus potius quam humanitus, quia virgo illum non viro, sed Deo per suum Spiritum operante concepit. Unde Augustinus in libro De fide ad Petrum: « Natura æterna atque divina non posset temporaliter concipi et nasci ex natura humana, nisi secundum susceptionem veritatis, veram temporaliter conceptionem et nativitatem ineffabilis in se divinitas accepisset. Sic est Deus æternus veraciter secundum tempus et conceptus et natus ex virgine. »

II. Quæ cum ita sint, conceptio et nativitas potius quam habitus contulit homini esse Filium Dei, et Deo esse filium hominis: quanquam in illa nativa unitione qua Deus in hominem, et homo in Deum natus est, multa inveniatur similitudo ad præostensos habitus. Nam in eo quod filius annulatus ferendo annulum non mutatur in illum, nec annulus in ipsum, signari potest assumentis et assumptæ naturæ permanentia, permanente in Christo utraque natura, divina scilicet et humana. Quod etiam

Boetius insinuavit contra Eutychetem scribens introducendo similitudinem coronæ de auro et gemmis compositæ, in qua unitione auri et gemmarum natura permanet : sicut et in annulo gemmato, cum sit naturarum diversarum quædam unitio, nulla invenitur earumdem naturarum vel confusio vel commistio ; sed nec talis divisio, ut vel aurum sine gemma vel gemma sine auro dici valeat annulus gemmatus. Ita et innovator naturæ Deus homo factus est, id quod fuit permanendo, et quod non erat assumendo, non commistionem passus neque divisionem. Commistionem seu confusionem docuit Eutyches hæreticus, divisionem vero asseruit Nestorius. Et uterque a sancta Ecclesia repudiatus est per eam fidem qua creditur, Christus ex duabus et in duabus naturis existens, perfectus Deus, perfectus homo; unus omnino non confusione substantiæ sed unitate personæ.

III. Item de habitu interiori sicut est habitus animi sapientiam habentis, ipsa sapientia intellectu percepta et usu firmata, magna invenitur similitudo in homine Deo : cujus intellectus humanus æternæ sapientiæ perceptione informatus et usu firmatus, non sapit in aliquo minus, quam ipsa æterna sapientia, qua est informatus et firmatus. Quia omnis homo sapiens tantum sapit, quantam habet sapientiam ; si parvam parum, si multam multum, secundum suæ sapientiæ habitum intrinsecum. Non ipsa tamen sapientia ejus mutatur in illum, sed mutat illum, faciens de stulto sapientem. Sic æterna Dei sapientia homini unita, et in habitum sempiternum illi data, non est in illo mutata, cum sit immutabilis et nullius mutationis capax. Neque enim et ullo modo susceptibilis accidentium, per quæ solummodo fit mutatio rerum subjacentium formis. Imo ipsa est æterna forma carens materia, quæ permanens immutabilis mutat hominem, juxta illud sapientis dictum : *Stabilisque manens das cuncta moveri* (*Sap.* VII, 23). Felicissime autem cœlos illos facit moveri, de quibus dicitur : *Opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes ut vestimentum veterascent, et velut amictum mutabis eos et mutabuntur : tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* (*Psal.* CI, 27). Significantur quippe nomine cœlorum sancti, et homines et angeli qui sunt amictus Dei ; quia his tanquam vestimento suo Dei sapientia ornatur. De his etiam constat tunica illa inconsutilis, desuper contexta per totum ; sancta videlicet Ecclesia unguento illo perfusa ; quod descendit in barbam barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus. Unde etiam si de interiori habitu mentis ad exteriorem considerandum nos vertamus, juxta quem in corpore dicimus alium alio validiorem, vel alium alio melius vestitum, calceatum, armatum ; sapientia æterna quæ sibi univit non solum spiritum sed et corpus humanum, longe in infinitum beatius beatis angelis et hominibus, mutavit hominem sibi unitum : ita ut tria sata, Verbum, caro et anima, sint unus A panis qui de cœlo descendit, Verbo quod est et quod erat immutabiliter permanente, anima vero et carne humana sic mutata, ut licet permanente illarum essentia et essentiali differentia, qua differt a Creatore creatura, sit tamen eis divina potentia, sapientia, virtus et gloria in una trinitatis persona, quæ Deus et homo, filius Dei et hominis, utrumque habens per nativitatem potius quam per habitum.

IV. Qui enim habendo in se Deum propter habitum hunc dicti sunt dii seu filii Dei ; sicut Moyses dictus est Deus Pharaonis, et hi ad quos factus est sermo Dei dicti sunt dii et filii Excelsi : non erant filii Dei sive dii naturaliter, quia non acceperant nascendo ut essent quod dicebantur, sed jam B natis et formatis indulta est aliquantula participatio sanctitatis illius, qua Pater illum sanctificavit, et misit in mundum, quem constat esse Sanctum sanctorum. De quo et angelus ad Mariam *quod nascetur*, inquit, *ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* I, 35). Non dixit quod nascetur ex te sanctus vocabitur Filius Dei, ne ad solius Verbi personam putes pertinere quod dicitur Filius Dei : sed quod nascetur, inquit, ex te sanctum ; videlicet corpus anima rationali animatum, Verbo Dei unitum, vocabitur Filius Dei, non quasi Deum in se habendo, ut docuit Photinus, et Paulus Samosatenus atque Nestorius hæresiarchæ, sed vere verus Deus, et Dei Filius unicus existendo. Unde Augustinus De bono C perseverantiæ ait : « qui fidelis est, in eo veram naturam humanam credit suscipiente Deo Verbo ita sublimatam, ut qui suscepit et quod suscepit, una esset in Trinitate persona, assumptione illa ineffabiliter faciente personæ unius in Deo et homine veritatem. » Idem in Enchiridio : « Christus Jesus Deus de Deo est, homo autem natus de Spiritu sancto ex virgine Maria, utraque substantia, divina scilicet et humana, Filius est unicus Dei patris omnipotentis. » Idem in libro De prædestinatione sanctorum : » Ille homo ut a Verbo Patri coæterno in unitate personæ assumptus Filius Dei unigenitus esset, unde hoc mereretur ? quod bonum ejus præcessit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret ? faciente ac suscipiente Deo Verbo ipse D homo ex quo esse cœpit Filius Dei unicus esse cœpit. »

V. Hæc dicendo sanctus Augustinus hominis in Deum Dei Filium signanter exprimit nativitatem, quæ sola hominem assumptum Dei fecit unicum, ut sicut ipse ait, sicut unicus in utraque substantia, divina scilicet et humana. Quod ei non potuisset conferre assumptio sola extrinseco habitui assimilata, non falso intellectu, sed vero, nec tamen divinæ hominis nativitati contrario. Quia sic est homo in Deum assumptus, ut sit etiam in Deum natus : et sic est a Deo creatus, ut sit etiam in Deum natus : ex altero dicens : *Ascendo ad Patrem meum ;* ex altero addens : *Et ad Deum meum* (*Joan.* XX, 17).

VI. Pater quippe factus est hominis Deus, illius conceptionem et nativitatem per suum Spiritum supernaturaliter operando: qui etiam Deus ejus fuit, inter cæteras creaturas eum creando. Assumptus est igitur homo creatus a Verbo increato, quasi habitus, in quo est inventus ut homo, qui Deus erat, sed natus est in Dei Patris unicum Filium, quod assumptio sola vel habitus illi conferre non poterat. Nam quos Deus assumpsit, et non genuit, verbi gratia Moysen et Aaron, quos ad hoc assumpsit ut adduceret populum suum de figurali Ægypto; quod facere non potuissent nisi eos Deus ad hoc ministerium assumpsisset: licet filii Dei nominentur inter eos, ad quos factus est sermo, seu Verbum Dei; nullus tamen eorum factus est Verbum Dei, nisi tantummodo hic unigenitus virginis, non solummodo assumptus in ministerium, sed etiam natus in filium. Unde non solum tanquam servus ministravit dicens: *Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat* (*Luc.* XXII, 27); sed etiam tanquam filius et Dominus imperavit ventis et mari, submerso in sanguine ipsius Pharaone tenebrarum principe. Quod facere non potuisset, nisi omnipotens omnipotentis Patris Filius esset; qui et in cruce pendens ac moriens, inventus est homo; et infernum spolians, ac de sepulcro surgens, inventus est ut Deus. Nam et Deus inventus est in forma servi humana patiendo, et homo inventus est in forma Dei divina opera faciendo, quæ nemo alius fecit, quia etiam solo nutu omnia quæcunque voluit fecit. Sicut ex aqua vinum fecit, non saltem dicendo; Fiat ex aqua vinum, quia tacitum sui Domini sensit creatura imperium. Sic etiam tacito nutu ad se traxit mulierem peccatricem. Quia sicut ait beatus Gregorius papa: « Ipse illam intus traxit qui eam foris misericorditer suscepit. » Mulier hæc typum gessit Ecclesiæ de gentibus collectæ, quam et Pater trahit ad Filium, et Filius trahit ad se ipsum simulque ad Patrem per se ipsum, juxta illud: *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Item: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me* (*Joan.* VI, 44). Nestorium hæreticum non traxit Pater ad Filium, neque Filius illum traxit ad seipsum: qui hominem assumptum non credidit esse Dei Filium, sed Dei vestimentum. « Propter indutum, » inquit, « indumentum veneror. » Quasi homo in Deum natus, non sit Deus Dei Filius propter seipsum colendus æque ut Pater ejus. At ille hominem separans a Deo Dei Filio, velut indumentum ab induto, non magis credidit hominem assumptum Dei Filium, quam quodlibet indumentum in quolibet filio filius est patris illius. Non ergo Pater illum traxit ad hominem, cujus non credidit esse patrem altissimum, sola indumenti similitudine deceptus: quo et nunc multi sequaces ejus falluntur, dum non pertrahuntur ad hanc fidem, qua creditur homo, non solum sic assumptus ut sit Dei vestimentum; sed etiam sic natus de virgine ut sit Dei Filius, non propter alium, sed propter seipsum colendus et adorandus, utpote verus Deus Dei Filius.

VII. Unde Patres in Ephesino concilio collecti, prout etiam supra commemoravimus, hoc dixerunt et scriptum reliquerunt: « Recusamus dicere de Christo: Propter indutum indumentum veneror, propter invisibilem adoro quod videtur. » Pavore plenum ad hoc et illud dicere: « Assumptus assumenti coappellatur Deus. » Qui enim hæc dicit, secat in duo Christum, et hominem statuit per partem specialiter, et Deum similiter. Denegat enim evidenter unitionem, secundum quam non ut alter alteri coadoratur quis, neque quidem coappellatur Deus; sed unus intelligitur Christus una adoratione honorandus cum sua carne. » Item, prout superius perstrinximus, et nunc iterare non piget, in eodem concilio legitur cap. 5: « Si quis audet dicere Deiferum hominem Christum, et non magis Deum esse secundum veritatem, sicut filium unum et natura, secundum quod Verbum factum est caro, communicavit similiter nobis in sanguine et carne, anathema sit. »

VIII. Istos venerandos Patres traxit Pater ad Filium, quia hominem crediderunt a Deo non solummodo assumptum velut indumentum, sed etiam natum in Deum Dei Filium. Similiter patrem Augustinum traxit Pater ad Filium: qui cum dixisset quod Deus indutus est hominem, addidit: « Quem sibi uniens quodammodo atque conformans, immortalitati æternitatique sociaret. » Idem super sermonem Domini, ubi dicit: *Non conturbetur cor vestrum*, ita dicit: Ego Dominicam carnem, imo perfectam in Christo humanitatem ideo adoro, quia a divinitate suscepta, et deitati unita est: ut non alium et alium, sed unum eumdemque, Deum et hominem, Filium Dei esse confitear. » Et post pauca: « Humanitatem non solam vel nudam, sed divinitati unitam, scilicet unum filium, Deum verum et hominem verum si quis adorare contempserit, æternaliter morietur. »

IX. Attende in his dictis Augustini, quod cum adorari docuisset humanitatem divinitati unitam, ne quis in humanitate divinitati unita intelligeret aliud quam Dei Filium; consequenter exponens quid ipse intellexerit, addidit: Scilicet unum Filium, Deum verum et hominem verum si quis adorare contempserit, æternaliter morietur. Traxit ergo illum Pater ad Filium, quia hominem credidit, et confessus est esse Dei Filium, licet habitus ejus humanus recte inveniatur assimilatus purpuræ non extra personam regis jacenti, sed in persona regis adorandæ. Qui, cum sit Rex regum, habet etiam in vestimento et in femore suo scriptum, *Rex regum et Dominus dominantium*: ne quis putet cum Nestorio sentiendum quod, ipse homo cum sit Dei vestimentum, non sit etiam Rex regum et Dominus dominantium vere adorandus, non propter Deum quasi alter propter alterum, sed in Deo Dei Verbo, cui sic est

homo unitus, ut sit Deus, Dei Filius proprius et unicus

CAPUT XXII.

In Christi persona homo Deus et Deus homo est: quoniam et Deus homo est humanitate quam suscepit, et homo Deus divinitate quam accepit.

I. Cujus cum de persona quæritur quis ipse sit, recte respondetur, *Deus et homo*. Si autem quæritur an in Christi persona homo Deus et Deus homo sit, recte respondetur utrumque verum esse; quoniam et Deus homo est humanitate quam suscepit, et homo Deus divinitate quam accepit. Item cum dicitur: Homo est Deus; et Deus est homo: si quæritur quid subjiciatur aut quid prædicetur, non incongrue dicitur, persona subjici et natura prædicari. Quoniam et homo qui cum Verbo est una persona in trinitate, habet naturaliter insitam sibi divinitatis naturam nativitatis naturali virtute, per Spiritum sanctum virtute altissimi obumbrante acceptam: et Filius Dei Deus qui cum homine assumpto est una persona, humanitatis naturam nascendo ex homine sic sibi univit nativa unitione, ut recte ipse Filius Dei et filius hominis dicatur. Unde hac persona supposita, rectissime de illa prædicatur utraque sua natura, divina scilicet et humana. Quoniam et Deus de Deo est essentiæ suæ natura, et idem homo est nativitatis ex homine gratia simul et natura: quia hoc habet nascentium natura, ut sint gignentibus connaturalia. Hinc est et homo ex Deo natus, Deo Patri in divinitate connaturalis; et Deus ex homine natus, virgini matri est in humanitate connaturalis. Supposita itaque persona, sive per nomen Dei sive per nomen hominis, recte de illa persona prædicatur utraque natura; ut dicatur et Deus esse Deus et homo, et homo esse homo et Deus; quanquam homo, non inde Deus unde homo; et Deus, non inde homo unde Deus. Quoniam et homo divinitate sua Deus est, humanitate homo: et Deus humanitate sua homo, divinitate sua Deus.

II. Concordant his quæ diximus Patrum dicta, quæ sequuntur. Hilarius libro decimo: « Nati quoque in hominem ex partu Virginis Dei sacramentum docuimus, demonstrantes secundum dispensationem carnis assumptæ, tum cum se ex forma Dei evacuans formam servi accepit, infirmitatem habentis, humani Dei non infirmasse naturam, sed salva divinitatis in homine virtute, acquisitam esse Dei ad hominem potestatem. Namque cum in hominem Deus natus sit, non idcirco natus est ne non Deus maneret, sed ut manente Deo, homo natus in Deum sit. Nam et Emmanuel nomen est ejus quod est, *Nobiscum Deus*: ut non defectio Dei ad hominem sit, sed hominis provectus ad Deum. Vel cum glorificari se rogat, non utique naturæ Dei, sed assumptioni humanitatis hoc proficit. Nam hanc gloriam postulat, quam ante constitutionem mundi apud Deum habuit. « Item idem in eodem: » Et arguere nos solent, quod Christum dicamus esse natum non nostri corporis et animæ hominem, cum nos Verbum carnem factum, et se ex forma Dei evacuantem Christum, et formam servi assumentem perfectum secundum habitum conformationis humanæ et similitudinis, natum hominem prædicemus, ut vere Dei Filius hominis filius natus sit: neque non natus ex Deo homo, neque quia natus ex Deo homo, ideo Deus esse deficiens. Sed ut per se sibi assumpsit ex virgine corpus, ita ex se sibi assumpsit quæ utique nunquam ab homine gignentium originibus præbentur. Si enim conceptum carnis nisi ex Deo virgo non habuit, longe magis necesse est, anima corporis nisi ex Deo aliunde non fuerit. Et cum ipse ille filius hominis ipse sit qui et Filius Dei, quia totus filius hominis totus Dei Filius sit, quam ridicule præter Dei Filium qui Verbum caro factum est, alium nescio quem, tanquam prophetam Verbo Dei animatum prædicemus, cum Dominus Jesus Christus et hominis filius et Dei Filius sit? »

III. Ex symbolo Ephesini concilii ducentorum episcoporum: « Unum adoramus Filium et Dominum Jesum Christum, neque per partes ponentes et dividentes hominem et Deum, quasi conjunctos ad invicem dignitatis et auctoritatis unitione. Novitas enim vocis hoc est, et aliud nihil. »

IV. Augustinus in lib. Quæst. Novi Testamenti: « Christus Dei Filius ex æterno est, secundum Spiritum vero sanctitatis juxta carnem ex semine David natus est filius Deo: ut in utroque non factus Deo filius habeatur, sed natus. « Et post aliqua: « Salvator ergo natus est et secundum carnem Filius Dei. Non enim poterat, quod de sancto sanctum natum est, non de Deo nasci: *Florus ex decadi: Exaltate Dominum Deum nostrum*. Quantum debet exaltari? et *adorate*, inquit, *scabellum pedum ejus*. Scabellum pedum Christi; caro illa sancta non ex voluntate viri, sed Spiritu sancto et virtute Altissimi ex virginali utero suscepta, in qua hic ambulavit, intelligenda est. Ipsa enim nobis manducandam dedit. Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit: Verbum enim caro factum est, et habitavit in nobis. Nec dividendum est ab adoratione quod conjungitur unitate, quia Deus et homo, Verbum et caro unus est Christus. »

V. Ex sermonibus abbatis Clarævallensis in Evangelium, *Missus est angelus Gabriel. Ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* I, 35): « quod est dicere, quoniam non de homine, sed de Spiritu sancto concipies. Concipies autem virtutem Altissimi, hoc est Filium Dei, ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. » Idem: « Non solum qui de sinu Patris in uterum tuum veniens obumbravit tibi, sed etiam quod de sua substantia sociabitur tibi ex hoc vocabitur Filius Dei. Quemadmodum et is qui a Patre est ante sæcula

(84) Lege *quoque amodo*.

genitus, tuus quodammodo (84) reputabitur Filius. A
Sic autem et quod natum est ex ipso erit tuus; et quod ex te nascetur ejus; ut tamen non sint duo filii sed unus. Et licet aliud quidem ex te, aliud ex illo sit; jam non tamen cujusque suus, sed unus utriusque filius erit. Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Attendite quæso quam reverenter dixerit: *Quod nascetur ex te sanctum.* Ut quid enim tam simpliciter sanctum, et absque additamento? Credo quia non habuit quid proprie digne nominaret illud eximium, illud magnificum, illud reverendum, quod de purissima videlicet virginis carne cum sua anima unico patris erat uniendum. Si diceret, sancta caro, vel sanctus homo, vel sanctus infans; quidquid tale poneret, parum sibi dixisse videretur. Posuit ergo indefinite B
sanctum, quia quidquid illud sit quod Virgo genuit, sanctum procul dubio ac singulariter sanctum fuit, et per Spiritus sanctificationem, et per Verbi assumptionem.»

VI. His dictis Patrum caute pensatis, patet eos intellexisse, vel ultra intellectum credidisse hominem Deum et Filium Dei, Sanctum sanctorum. Quem quia Pater sanctificavit et misit in mundum; non blasphemamus nos, qui eum prædicamus Deum, Dei Filium unicum et naturalem ac proprium: utpote cui nativitas non adoptio contulit esse Deum Dei Filium in utraque natura unicum. Sicut ostensum est jam supra dictis Augustini et aliorum Patrum, una reverentiæ adoratione docen- C
tium adorandum hominem qui est Sanctus sanctorum, sive ut expressius dicatur, Sanctum vel Sanctitas omnium sanctorum. Qui sicut Augustinus ait: «Factus est nobis a Deo sapientia, et justitia et sanctificatio et redemptio.» Ad hoc et pertinet illud in lege dictum: *Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur* (*Luc.* XI, 23). Quod sicut affirmat Ambrosius in Lucam, de solo virginis primogenito proprie dictum est: Quia hic solus aperuit vulvam, et vocatur Sanctum sanctorum, cui sanctitas non est accidentalis; et quod de omni primogenito improprie dicitur, quia multi primogeniti non sancti fuisse leguntur. Sed tamen propter unum primogenitum vere ac substantive sanctum, dicebatur in lege: *Omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur:* cum id conveniat solummodo illi primogenito quem de Spiritu sancto concepit Virgo.

VII. Sed et illud in epistola Joannis dictum: *Omnis qui natus est ex Deo, non peccat; sed generatio Dei conservat illum* (*I Joan.* V, 18), proprie huic soli homini convenit, qui solus inter homines originali pariter et actuali peccato caruit. Quia cum sit ex Deo natus, generatio Dei conservavit illum sine peccato in omnibus et per omnia purum et sanctum: quod illi contulit generatio, sicut filiis adoptivis regeneratio confert sanctitatis ejus participium per remissionem peccatorum. Quorum tamen nullus quantumcunque sanctificatus, dicitur Sanctus sanctorum, quia nullus eorum sanctus est essentiali sanctitatis bono, quantumlibet sanctificatus accidentali dono, ut Joannes Baptista vel Jeremias. Qui licet legantur in uteris matrum sanctificati, non tamen caruerunt macula originalis peccati ex conceptione contracti. Sed hic solus de Spiritu sancto conceptus, non accidentaliter sed essentialiter dicitur sanctus, aut quod sensum valentius exprimit, *sanctum*, cui hoc est esse, quod sanctum esse. Propterea conceptionem ejus annuntians angelus, non dixit: Qui nascetur ex te sanctus; sed, *Quod nascetur ex te sanctum.* Quasi diceret, quod non accidentaliter sed essentialiter erit sanctum, sufficiens ad sanctificandum cunctos in se credentes.

VIII. Piget respondere strophis illorum, qui cum de Deo prædicantur humana, vel de homine divina, ut evacuent sensum veritatis, inducunt varios tropos et figuras loquendi: verbi gratia, Deus, inquiunt, passus et mortuus est in cruce; non in veritate sed ratione consortii: quasi homo in cruce pendens, non ipse fuerit Deus per se, sed habens Deum in se. Quem nos credimus Deum per se, licet non a se. Atque ideo cum homo ille passus est, ipse Deus passus est: non tamen secundum suam impassibilem divinitatem, sed secundum suam tunc passibilem humanitatem. Item, inquiunt, cum homo dicitur omnipotens, tropus est accidentalitatis, quia prædicamentum non redditur ad causam. Neque enim inde omnipotens unde homo. Sicut etiam in humanis patet, cum dicitur coloratus intelligere. Sic sic alienant hominem a Deo suis tropis falso intellectu.

MONITUM IN OPUSCULUM SUBSEQUENS.

(D. B. Pezius, præf. ad t. I, p. II, *Anecdot.*, p. LXX.)

—

Liber hic, quem sæculi XII ornamento præcipuo, ven. Godefrido abbati Admontensi dicavit Gerhohus, est *Prologus Galeatus* ejusdem in Expositionem Psalmorum, quam vastissimo volumine prelo paravit A. R. P. Felix Wirtenberger, ordinis Serv. B. Mariæ Virg., vir in his studiis versatissimus, et olim, si sacerrimi ordinis moderatores, ut meretur, faverint, incomparabilis futurus. Porro cum is cum Expositione Psalmorum, quam nobis edendam cl. P. Felix cessit, non adeo arcte ac necessario conjunctus esset, nobis primo quoque tempore in lucem efferendus visus est. Quæ autem illæ duæ hæreses sint, contra quas stylum in hoc opusculo acuit Gerhohus, ipse in proœmio his verbis docet: *In præsenti opusculo*

sermo mihi est permaxime contra duas hæreses partim antiquas, partim novas. Altera cum Nestorio detrahit homini divinitus concepto, dans illi minorem gloriam Dei Patris gloria, pro eo quod natura ejus humana secundum sui conditionem minor est Patris natura, cui tamen æqualis est in gloria : quia, ut jam omnis lingua confitetur, Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. Porro altera non aufert Christo, sed nimis tribuit Antichristo, dum sacerdotes officio divino seu communione Christiana synodaliter privatos asserit in officiis præsumptis Ecclesia contradicente conficere posse corpus Christi. Hæc ipse Gerhohus, qui priorem hæresim iisdem hic fere argumentis, quibus in præmisso libro gloriam et honorem Filii hominis defendit, jugulare conatus est; alteram vero quam in nullis non scriptis suis exagitat, auctoritate conciliorum, Romanorum pontificum, SS. Patrum, et maxime Hugonis Radingensis, postea Rothomagensis archiepiscopi aggreditur. Posterioris epistolam integram de nullis excommunicatorum et depositorum presbyterorum sacramentis habes cap. 3. *De scriniis Romanæ curiæ* acceptam Gerhohus sibi gratulatur. Sub finem eo evolvitur disputatio Gerhohi, ut dicat *non esse Christi corpus, quod schismaticus et officio sacerdotali privatus conficit, quantum ad essentiam, rem, et efficientiam sacramenti, quod tamen specietenus et sacramentotenus dici potest corpus Christi.* Quod ut penitus percipias, legesis libelli hujus caput ultimum. In quo si quæ durius dicta, nec cum nostrarum scholarum recepto loquendi modo satis cohærentia deprehenderis, id utique nobis crimini, si sapis, nequaquam vertes, ut quibus unice propositum est in lucem edere quæ veteres theologi senserunt, non docere quid nunc sentiendum, aut quomodo illis loquendum fuerit. Cæterum usum coævi codicis, ex quo præsens libellus ab A. R. P. Felice singulari cura exscriptus est, debemus reverendissimo, et nostrum amantissimo domino præposito Reicherspengensi Herculano.

VEN. GERHOHI

PRÆPOSITI REICHERSPERG.

LIBER CONTRA DUAS HÆRESES.

(Eruit ex cod. ms. inclytæ canoniæ Reichersperg. adm. reverendus, et clarissimus Pater Felix Wirtenberger, ord. serv. B. M. V. theologus, et in monasterio Schonpihlensi in Austria prior; edidit D. B. Pezius *Anecdot.* t. I, parte II, p. 281.)

—

GERHOHI EPISTOLA

AD GODEFRIDUM ABBATEM ADMONTENSEM, QUA HUIC OFFERT LIBRUM SUUM CONTRA DUAS HÆRESES.

G. [GODEFRIDO I] venerabili Admontensis cœnobii abbati fr. G. [GERHOHUS] devotum cum assiduis orationibus obsequium.

Crebro experimento didici a sagitta volante per diem non esse tutum viatorem quantumlibet vacuum, si ambulat inter latrones, nimirum solitos prius viantem sagittare, quam curent sacculos ejus explorare. Est tamen genus latronum non sagitta ferientium, sed gladio priusquam viderint onustum viatorem, quem non læderent, si vacuum viderint. Unde ait ethnicus;

Cantabit vacuus coram latrone viator.

(JUVENAL, sat. X, 22.)

Quia ergo mihi via est non solum inter sicarios, de quibus dicitur : *Lingua eorum gladius acutus* (*Psal.* LVI, 5), verum etiam inter sagittarios malignos; necesse mihi est attendere quid de hujusmodi scriptum est : *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent innocentes rectos corde* (*Psal.* X, 2). Timidi sunt namque hujusmodi latrones lædere parati, etiam rectos corde. Timidæ sunt eorum toxicatæ sagittæ, atque cavendæ omnibus rectis corde, quibus maxime insidiantur, sed frustra, quoniam recti corde, quos inexpugnabili *scuto suo circumdabit veritas, non timebunt a timore nocturno, a sagitta volante per diem, a negotio perambulante in tenebris,*

A *ab incursu, et dæmonio meridiano* (*Psal.* XC, 6). Volens tali scuto circumdari Veritas discipulos suos, ait : *Si manseritis in sermone meo, vere liberi eritis, et veritas liberabit vos* (*Joan.* VIII, 36). Ut ergo tutus, ac liber incedam in expositione Psalmorum, neque timeam mihi a verbo aspero, quoniam usitatum est quibusdam importunis vocare schismaticum, vel hæreticum, quemcunque suo sensui viderint minus consonum. Si quæ forte modernis lectoribus inusitata interponentur antiquorum Patrum orthodoxorum sententiis veris hinc inde cincta, et scuto veritatis circumdata invenientur; sed quia inter hostes versanti non sufficit scutum, nisi caput quoque ipsius galea munitum sit, præsens istud prooemium tuæ paternæ sapientiæ destinatum tractatui meo in par-

B tes distincto censui anteponendum, ut hinc munitum, seu galeatum sit ejus caput, et principium contra sagittarios de longe, atque sicarios de prope ferientes, et lædere paratos *in obscuro* etiam *rectos corde* (*Psal.* X, 3). Tu igitur, quem rectum corde non dubito, quia non ambulas in obscuro, minime habes necessarium præmuniri hoc opusculo nostro; verumtamen propter alios in obscuro ambulantes hoc ipsum tibi destino, ubi placet approbandum, atque ubi rationabiliter displicet emendandum, vel mihi, ut emendetur caute resignandum.

Explicit epistola.

INCIPIT PROŒMIUM.

In præsenti opusculo sermo mihi est permaxime contra duas hæreses partim antiquas, partim novas.

Altera cum Nestorio detrahit homini divinitus concepto, dans illi minorem gloriam Dei Patris gloria, pro eo quod natura ejus humana secundum sui conditionem minor est Patris natura, cui tamen æqualis est in gloria: quia ut jam *omnis lingua* confitetur: *Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris* (*Philipp.* II, 11). Porro altera non aufert Christo, sed nimis tribuit Antichristo, dum sacerdotes officio divino, seu communione Christiana synodaliter privatos asserit: in officiis præsumptis, Ecclesia contradicente, conficere posse corpus Christi.

CAPUT PRIMUM.

Gloria, virtus, et sapientia Filii hominis non est minor gloria, virtute, et sapientia Dei Patris.

His hæresibus imbuti quidam, cum legerent scripta mea offensi sunt, atque hoc pro lapide offensionis, et petra scandali habuerunt, quoniam introduxi beatum Hilarium in libro nono De Trinitate sic dicentem: « Glorificaturus Filium Pater major est. Glorificatus in Patre Filius minor non est. Major Pater est, dum gloriam assumpto homini rogatur ut reddat. Filius minor non est, dum gloriam resumit apud Patrem. » Sic enim suscepta sunt hæc dicta Hilarii, quasi contraria dictis Athanasii, dicentis de Filio: « Æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem. » Sed ut in epistola Domino Eberhardo Babergensi episcopo clarius ostendimus: Hilarius non est Athanasio contrarius, cum Athanasius Filium Patre minorem prædicet secundum humanitatem. Hilarius vero non de humanitatis in Christo natura, sed de ipsius humanitatis immensa gloria loquens, Filium glorificatum Patre asserit non minorem. Gloriam quippe immensam, quam Christus in divinitate sua semper habuit, idem ipse in sua humanitate nihilominus plene accepit. Côntestatur hoc etiam novus doctor magister Hugo, qui ut tu quoque mihi commemorasti, ubi animam Christi asserit non æqualem divinitati secundum naturam, non tamen negat æqualem secundum gloriam. Dicit enim in libro De sacramentis: « Anima Christi sicut plenam, et perfectam Dei sapientiam unitam habuit per naturam, ita plene et perfecte ex ipsa, et per ipsam sapientiam sapiens fuit, nec tamen ipsi sapientiæ natura æqualis fuit, quia longe aliud est sapientia sapere, atque aliud sapientiam esse. Ex quo enim divinitas humanitati conjuncta est, ex ipsa divinitate humanitas accepit per gratiam totum, quod divinitas habuit per naturam, ita ut secundum illam ineffabilem unionem, et Dei esset in humanitate sua totum, quod humanitatis erat per naturam, et hominis esset in divinitate sua totum, quod divinitatis erat. » In his verbis magistri Hugonis caute natura humanitatis, et divinitatis invenitur distincta, et utriusque naturæ indistincta sapientia. Dicens enim: « Quia longe aliud est sapientia sapere, atque aliud sapientiam esse, » competenter ostendit, quod anima Christi æternæ sapientiæ non fuit æqualis in natura, cui tamen quia fuerit æqualis in virtute, ab

A ipsa etiam conceptione virginis, Hominem-Deum concipientis, idem consequenter demonstrat, cum subnectit: « Sic ergo humanitatem verbi in anima rationali a prima conceptione sua ex ineffabili unione divinitatis plenam, et perfectam sapientiam, et potentiam, et virtutem, et bonitatem accepisse credimus; et ipsam, sicut in unione divinitatis inseparabiliter, sic in ipsa quoque ex unione erat plenitudine virtutis incommutabiliter, permansisse confitemur. Neque enim idcirco Deus-Homo inter homines conversari voluit, ut quasi per intervalla temporum sapientia, aut virtute proficiens meritum sibi speraret, et se ipso melior fieret; sed ut ea sapientia, et bonitate, quam ipse in divinitate sua plenam et perfectam semper habuit: et in humani-

B tate sua plenam, et perfectam semel, et simul accepit, dispensatione salutis humanæ secundum ineffabilem ordinationem suam compleret. Quapropter id, quod dicit evangelista, quod proficiebat Jesus sapientia, ætate, et gratia, non ita accipitur, quasi semetipso melior factus sit; sed, quia hominibus, quam ipse habebat sed latebat, gratiam et sapientiam, prout ratio temporum postulabat, magis semper ac magis aperuit. Ita apud homines ipse proficiebat, quando homines ipsi in ejus cognitionem profecerunt. Apud Deum autem profecit in eo, quod dum se sapientia et gratia Dei plenum ostendisset, eos ad laudem Dei Patris, a quo hoc esse testabatur, magis semper ac magis provocavit. Et quidem

C hoc testimonium magistri Hugonis de Domino Jesu acceptum teneo; sed sicut ipse Jesus dicit: *Ego habeo testimonium majus Joanne* (*Joan.* V, 36), sic etiam dicere potest: Ego testimonium habeo majus Hugone, prædicante Apostolo, *Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam*; quod longe in infinitum majoris est gloriæ, quam virtute virtuosum, et sapientia sapientem esse. Cum enim sapientia Dei attingat a fine usque ad finem fortiter existens ubique in omnibus universaliter per essentiam, in bonis vero angelis, et hominibus specialiter per gratiæ suæ præsentiam; de nulla tamen creatura sic potest prædicari, ut dicatur sapientia, nisi de Homine-Deo, qui quam vere dicitur Deus, Dei Filius, tam vere dicitur Dei sapientia, et Dei virtus. Igitur quamvis

D plene, perfecte, atque immutabiliter sapere (quod ipse magister Hugo attribuit Christi animæ) *datum optimum, et donum perfectum* sit *descendens desursum a Patre luminum* (*Jac.* I, 17), cujus etiam doni participes credimus quosdam electorum, tamen amplius me delectat cum Apostolo prædicare Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam, quam sapientia sapientem esse animam, vel hominem, quem sapientia æterna non accidentaliter, ut regem Salomonem, seu alium sanctum sapientem, sed omnino essentialiter, vel substantialiter ita informat, ut ipse inde sit *speciosus forma præ filiis hominis* (*Psal.* XLIV, 3). Cum enim in Christo sit divinitas modis omnibus, quibus inesse potest, nulla creatura hunc inessendi omnem mo-

dum sortitur, sed de plenitudine ejus aliquem suscipit modorum pro mensura distributionis donorum in Christo sine mensura existentium. Inest namque rebus divinitas tribus modis. Nam tota et indivisa inest omni creaturæ per ubique præsentem totam substantiam suam, quæ omnem (juxta illud) replet essentiam, *cælum, et terram ego impleo* (*Jer.* XXIII, 24) (85). Sed non omni creaturæ constat inesse per gratiam justificantem, et beatificantem, nisi soli rationali, quam solam in electis justificat et salvat. Nulli vero facturæ (Christo excepto) per formam diffinitionis inest. Aliquam enim creaturam diffiniturі quid sit, non assignamus, quoniam Deus est; etsi habeat divinitatem in se manentem; sicut de homine interrogati quid sit, non assignamus, quoniam Deus, sed quoniam corpus est; et hoc propter corporeitatem dicimus, quæ est substantialis forma subjecti. Christo autem, vel si dici malumus, illi homini, qui est Christus tota inest divinitas, non per solam substantiæ præsentiam sicut universæ mundi fabricæ, nec per solam inhabitantem gratiam: quo inessendi modo in solis rationem habentibus invenitur creaturis; sed præter hos duos inessendi modos, videlicet per substantiam et gratiam, tertio inest modo, scilicet per formam diffinitionis. Cum enim ipse sit Homo-Deus, forma humanitatis, et forma divinitatis, illi est omnino substantialis. Unde interrogati de Filio Dei, quid sit, respondemus quod Deus est propter formam Dei, et homo propter formam hominis. Item interrogati de ipso eodem Filio virginis quid sit, respondemus quod homo est propter formam hominis, et Deus propter formam Dei. Sicut namque de Patre, vel Spiritu sancto interrogati respondemus, quoniam est Deus: ita de Christo interrogati dicimus, quoniam Deus est, quod in ipso prædictis tribus modis, scilicet per substantiam, per gratiam, per diffinitionis formam plenitudo divinitatis est. Ideo *de ipsius plenitudine*, ut ait Evangelista, *nos omnes accepimus* (86) (*Joan.* I, 16), quibus gratis datus est, ut primis duobus modis insit deitatis participatio, non plenitudo. Unde non plenitudinem, sed *de plenitudine* ejus accepimus. Nemo enim sanctorum sic accipit sapientiam, seu virtutem, ut ipse dicatur sapientia, vel virtus, quomodo ille homo, qui, cum in forma Dei sit, non rapinam arbitratur esse se æqualem Deo in sapientia, et virtute; cum sit ipse ipsa Dei virtus, et Dei sapientia. Est quippe singulariter, et sicut *passer solitarius* (*Psal.* CI, 8) ipse solus ad hoc *electus ex millibus* (*Cant.* V, 10), ut in forma Dei manens arbitretur se æqualem Deo, non per rapinam, ut diabolus in cœlo tumens, vel homo ab illo deceptus, sed per plenitudinem gratiæ et veritatis. In qua plenitudine contemplatus illum sanctus Evangelista, *Vidimus*, inquit, *gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratiæ et veritatis* (*Joan.* I, 14). Plenitudo gratiæ fuit, quod sine omni suo merito humanitas in Dei formam gratis assumpta fuit. Plenitudo veritatis, ac justitiæ fuit, quod post meritum obedientiæ non sibi, sed suis necessariæ, in qua formam Dei propter servos exinanivit ad tempus minoratus ab angelis, ipsa ejus natura servilis exaltata est ad confessum paternæ celsitudinis, in qua non est exinanita, ut non sit, sed ita glorificata, ut recte confiteatur omnis lingua, quod Filii Dei etiam humana natura sit in summa Divinitatis gloria, virtute ac potentia vel potius omnipotentia, quia *data est* illi *omnis potestas in cœlo, et in terra* (*Matth.* XXVIII, 18).

CAPUT II.

Idem ex Rutperto Tuitiensi, Leone Magno, et concilio Ephesino pluribus confirmatur.

Non ergo absurdum judico, cum in scriptis Rutperti abbatis Tuitiensis, de quibus etiam nos inter nos ore ad os contulimus, hunc hominem speciosum præ filiis hominum invenio Deo summo *parificatum* non secundum naturam humanam, quæ absque omni contradictione quantum ad sui conditionem divina minor est, sed secundum virtutem, sapientiam et gloriam naturæ humanæ in illo homine, in ipsa ejus conceptione, nativitate et glorificatione datam, quæ utique non est minor Dei Patris virtute, sapientia et gloria, sed prorsus eadem ipsa non minor in homine Deo, Dei et hominis Filio, quam in Patre Deo, Dei hominis genitore. Unde non degeneratus, sed generatus vel genitus ejus dicitur. Genitus et unigenitus in divinitate, primogenitus vero in humanitate, in utraque natura manente omnimoda virtutis coæqualitate sine omni degeneratione. Unde et dicit: *Ego hodie genui te* (*Psal.* II, 7). *Genui*, ait, non solum in divinitate unigenitum, sed etiam in humanitate primogenitum, in utraque natura æque nobilem propter divinam sine tempore perfectam, ac deificam in tempore factam generationem. Nam et Deus Deum genuit æternaliter, et virgo Deum factum hominem concepit non homine, sed Deo Patre illam imprægnante, cujus utique semen, id est Verbum per ipsius amorem, qui est Spiritus sanctus suscepit, quod verbum carnem factum genuit, genitura potius divina quam humana, quoniam a Deo fuerat, non ab homine impraegnata propter quod homo ab illa genitus tam proprie Dei, quam hominis dicitur Filius, non per adoptionem, sed per generationem. Unde mihi virtutem generationis minime intelligere videntur, a quibus asseritur, generante Patre ignobilior aut infirmior, in virtute homo, *qui prædestinatus est Filius Dei in virtute* (*Rom.* I, 4), ut ait Apostolus. Nam etsi crucifixus est ex nostra infirmitate, in qua *vere languores nostros portavit* (*Isa.* LIII, 4), tamen homo ille invictæ virtutis est æque ut Pater ejus; æque omnipotens, æque magnus, non secundum humanitatem, sed secundum virtutem, quia non solum, ut Paulus ait, *prædestinatus est Filius*

(85) In Edit. Vulg. sic legitur: *Nunquid non cœlum et terram ego impleo?*

(86) Eid. Vulg. ita habet: *De plenitudine ejus*, etc.

Dei in virtute, sed ut Petrus affirmat : *Unxit eum Deus virtute* (87) (*Act.* x, 38), non ad mensuram sicut ejus patrem David, sed ita plene ut homo unctus non sit minus fortis Deo illum ungente. Denique ut ait sanctus Basilius in libro De dispensatione Dei : « Homo unctus, Deus ungens, unctio vero humanitatis divinitas est. » Si ergo David rex licet natura, vel statura parvulus manendo, crevit tamen in virtute, ac dignitate per Samuelis unctionem ; quid mirum, si *parvulus* ille, qui *natus est nobis, Filius*, qui *datus est nobis* (*Isa.* ix, 6), parvulus manendo secundum naturam humanam divinitate tamen unctus magnitudinem creditur habere divinam? Hinc est quod Goliam superat, et fortem armatum fortior ipse debellat ; quia humanitatis fortitudo, vel magnitudo divinitas est. Unde homo in ipsa conceptione quasi David in domo paterna unctus, etiam cum videbatur homo parvulus per unctionem, quæ Divinitas est, fuit rex magnus, fuit quoque sacerdos magnus, quod tres magi venerabiliter contestati sunt auro regem, thure sacerdotem venerantes, cum adhuc parvulus jaceret in cunis. Et tunc quidem in auro, ut ostenderetur regis potentia, glorificabatur parvuli vagientis magnificentia. Nunc autem nec in auro regem, nec in thure sacerdotem magnum considerant, qui ejus licet in cœlum exaltati magnitudini derogant. Nos autem credimus eum ascendisse in humana natura, ubi erat prius in divina, qui *in principio erat apud Deum* (*Joan.* i, 2). Tunc ipse *Verbum erat apud Deum*, nunc ipse homo est apud Deum. Tunc *Deus erat Verbum*, nunc Deus est homo. Tunc *omnia per ipsum* Verbum *facta sunt*, nunc omnia per ipsum hominem restaurantur. Tunc *sine ipso* Verbo *factum est nihil*, nunc sine ipso sacerdote sanctificatur nihil.

Unde recte non solum parvitati meæ, sed etiam prudentiæ tuæ visum est, illorum doctrinam repudiandam, qui affirmant, abscissos de corpore sacerdotis hujus pseudosacerdotes, aliquid extra ipsum posse sanctificare. In quorum sacrificio refutando (ut nosti) in prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt. Ast cum postea, consulente venerabili viro Bernardo Claravallensi abbate, ad beatæ recordationis papam Innocentium vocatus venissem, et cum eo diu stetissem, fortissime ille mihi astitit, qui fretus testimoniis Patrum antiquorum pariter et modernorum, quos notare longum esset, neque ipsum abbatem, vel alios, qui videbantur columnæ esse, contra me audivit, neque ullatenus acquievit sententiis Francigenarum magistrorum dogmatizantium contraria mihi, et domino Hugoni Radingensi, cujus epistolam nostræ assertioni consonam subterponemus in fronte nostri operis, ut si quis dignatur nostra legere, ante introitum lectionis tam nostra hac epistola tibi, domino et amico meo, quam illius ad amicum suum directa sic præmuniatur, ne offendatur in dictis nostris, quibus magnificat anima mea Dominum meum, cui *dixit Dominus : Sede a dextris meis* (*Psal.* cix, 1). Inde videtur mihi ab alto clamare : *Noli me tangere* (*Joan.* xx, 17) ad omnem pusillam fidem, apud quam nondum ascendit ad Patrem suum, sed adhuc velut clausus in sepulcro quæritur, dum locali circumscriptione coarctatus non putatur posse ubique prout vult suam totalem præsentiam exhibere. Quod si non posset, non eum tota Ecclesia ubique terrarum in sacrificio altaris totum haberet præsentem, cui nimirum se præsentans in indivisibili corpore suo nunquam se absentat a consessu Patris in excelsis ; quia ut Leo Magnus in sermone ad populum affirmat : « Qui sedet ad dexteram Patris, ipse totius habitator est corporis, et ipse deorsum confirmat ad patientiam, qui sursum invitat ad gloriam. » Item post pauca : « Non autem sufficit Dei Filium in sola Patris nosse natura, nisi eum non recedentem a propriis agnoscamus in nostris. Exinanitio enim illa, quam reparationi impendit humanæ, dispensatio fuit miserationis, non privatio potestatis. Nam cum ex æterno consilio Dei non esset aliud nomen sub cœlo datum hominibus in quo oporteret salvos fieri, invisibilis visibilem, intemporalis temporalem, impassibilis passibilem substantiam suam fecit, non ut virtus deficeret in infirmitate, sed ut infirmitas in incorruptibilem posset transire virtutem. Propter quod ipsa festivitas, quæ a nobis Pascha nominatur, apud Hebræos Phase, id est transitus dicitur, attestante Evangelista, ac dicente : *Ante diem festum Paschæ sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem* (*Joan.* xiii, 1). Cujus autem naturæ erat futurus transitus iste, nisi nostræ, cum inseparabiliter et Pater in Filio, et Filius in Patre esset? Sed quia caro et verbum una persona est, non dividitur a suscipiente susceptus, et honor provecti provehentis nominatur augmentum, dicente Apostolo, quod jam commemoravimus : *Propter quod Deus exaltavit illum et dedit ei nomen, quod est super omne nomen* (88) (*Philip.* ii, 9). In quo utique assumpti hominis exaltatio commendatur, ut in cujus passionibus indivisibilis manet Deitas, idem coæternus sit in gloria Deitatis. Ad hanc participationem ineffabilis muneris beatum transitum fidelibus suis ipse præparavit, cum instanti jam proximus passioni, non solum pro apostolis, atque discipulis, sed etiam pro universa Ecclesia supplicaret, et diceret : *Non pro his autem rogo tantum, sed et pro his, qui credituri sunt in me per verbum ipsorum, ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint* (*Joan.* xvii, 20) (89). » Item Leo Magnus in sermone ad populum de adventu Spiritus sancti : « Dicente beato apostolo Joanne : *Nondum*

(87) *Unxit eum Deus Spiritu Sancto et virtute.*

(88) In Vulgata sic legitur : *Propter quod et Deus*, etc., *et donavit illi nomen*, etc.

(89) In Vulgata habetur : *Sed et pro eis*, etc., *per verbum eorum in me*, etc.

enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat clarificatus. Domini ascensio dandi Spiritus erat ratio, quem ille necesse est neget datum, qui ad consessum paternæ dexteræ verum in Christo hominem negat esse provectum. Nos autem dilectissimi ad beatam æternitatem et animæ, et corporis per generationem sancti Spiritus adoptati, sacratissimum diei hujus festum rationabili obsequio celebremus confitentes cum beato Paulo apostolo, quod Dominus Jesus *ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus* (*Ephes.* IV, 8), ut Evangelium Dei per omne humanæ vocis eloquium prædicetur, *et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus est in gloria Dei Patris* (*Philip.* II, 11). » Item in eodem : « Ad sananda fidelium cordium vulnera clavorum, et lanceæ erant servata vestigia, ut non dubia fide, sed constantissima scientia teneretur, eam naturam in Dei Patris consessuram throno, quæ jacuerat in sepulcro. » Et post pauca : « Tunc, inquit, adæqualem Patri Filium eruditior fides gressu mentis cœpit accedere, et contrectatione corporeæ in Christo substantiæ, quæ Patre minor est, cœpit non egere; quoniam glorificati corporis manente natura eo fides credentium vocabatur, ubi non carnali manu, sed spirituali intellectu par genitori unigenitus tangeretur. » Item : « Magna et ineffabilis erat gaudendi causa, cum in conspectu sanctæ multitudinis supra omnium creaturarum cœlestium dignitatem humani generis natura conscenderet supergressura angelicos ordines, et ultra archangelorum altitudines elevanda, nec ullis sublimitatibus modum suæ provectionis habitura, nisi æterni Patris recepta consessu illius gloriæ sociaretur in throno, cujus naturæ copulabatur in Filio. » Ambrosius super Lucam : « *Dixit Dominus Domino meo* (*Psal.* CIX, 1). Consummaturus præcepta Dominus fidem, ac misericordiam Testamenti sui fine concludit : fide in eo, ut Christum, et Dominum Deum nostrum, et ad dexteram Dei sedere credamus, non quod corporaliter sedeat, qui ubique est. Denique ipse in Patre, quia in substantia Dei, quia una virtus, una majestas. Ipse ergo in Patre, et Pater in ipso. In Patre ipse sedens ad dexteram Patris, quia Patri consors, nulli secundus. Ipse missus a Patre, quia descendit de cœlo Patris impleturus arbitrium. Tolle hinc quæstiones perfidiæ, religio est, et plena. Nec præfertur, quia ad dexteram Dei sedet, nec injuriam patitur, quia mittitur. Gradus non quæritur dignitatis, ubi plenitudo est divinitatis. Idem super Lucam : Quid sibi vult quod Joseph et Nicodemus Christum sepeliunt; unus justus, et alter, in quo dolus non erat? Justus autem corpus Christi operit sindone, innocens ungit unguento? Vesti et tu ergo corpus Domini gloria sua, ut ipse sis justus; et si mortuum credis, operi tamen divinitatis suæ plenitudine. Unge illud myrrha et aloe, ut

A bonus odor Christi sis. » Item in eodem exponens illud : « *Mulierem fortem quis inveniet* (*Prov.* XXXI, 10). Videamus, quid hæc viro suo faciat, quod opus ejus, quod sit obsequium, cur confidit in ea Christus? Bona uxor virum suum vestit. Vestiat Jesum fides nostra corpore suo; vestiat carnem ejus divinitatis suæ gloria; sicut et illa bina vestimenta fecit viro suo, ut et in præsenti, et in futuro sæculo honorificet eum. » Item : « *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei Patris* (*Coloss.* III, 1). Et ne oculorum magis quam animorum putaremus officium, addidit : *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram* (*ibid.*, 2). Ergo non super terram, nec in terra, nec secundum carnem te sequi debemus, Christe,
B si volumus invenire. » Item sanctus Augustinus in sermone de symbolo : « Quod sedere Pater dicitur, non flexis poplitibus, putandum est ne incidamus illud sacrilegium, in quo exsecratur Apostolus eos, qui commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis. Tale enim simulacrum Christiano nefas est in templo collocare. Multo magis nefarium est in corde, ubi verum Dei templum est, si a terrena cupiditate atque errore mundetur. Sedens ergo Deus dicitur non membrorum positione, sed judiciariam figurat potestatem, qua illa majestas nunquam caret semper dignis digna tribuendo. Dextera illius est summa beatitudo, ut sinistra miseria, in qua hœdi constituentur. »
C Idem in libro vicesimo De civit. Dei cap. 13 : « Quædam, inquit, vis est intelligenda divina, qua fit ut cuique opera sua, vel bona vel mala, cuncta ad memoriam revocentur, et mentis intuitu celeritate mira cernantur, ut excuset, vel accuset scientia conscientiam : atque ita omnes et singuli judicentur, quæ nimirum vis divina libri nomen accepit; in ea quippe quodammodo legitur, quidquid ea faciente recolitur, sicut ait Apostolus : *Omnes enim stabimus ante tribunal Domini, ut referat unusquisque, quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum* (*II Cor.* V, 10)] (90). Tribunal Domini appellans majestatis ejus excelsitudinem, quæ omnibus ubique in omnibus apparebit, qua manifestata videbunt impii, in quem pupugerunt, et plangent se
D omnes tribus terræ. Multa poterant in hunc modum colligi de altitudine Altissimi in civitate Domini, qui *homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus* (*Psal.* LXXXVI, 5). Hominem igitur altissimum Altissimi Filium in altitudine altissimæ regalis gloriæ, in qua Pater ejus est, glorificamus et adoramus, ita ut et carnem ejus vivificatricem credamus hominum, sicut divinitas ejus vita est angelorum, et quia hominis Dei geminam quidem substantiam, sed unam, et non geminam gloriam prædicamus, et in adoratione hominem a Deo non distinguamus. Sic enim præcipit Ephesina synodus dicens inter cætera : « Si quis non confitetur car-

(90) Vulgata sic legit : *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit*, etc.

nem Christi vivificatricem esse tanquam ipsius Verbi Dei Patris, sed quasi alterius cujuspiam præter ipsum, conjuncti quidem secundum dignitatem, aut tanquam secundum quod solam habitationem habuerit, et non potius, sicut dixi, vivificatricem esse, quia facta est propria Verbi, cui omnia vivificare possibile est, anathema sit. » Item in eadem : « Si quis audet dicere : assumptum hominem a Verbo coadorari cum Deo Verbo oportere, et conglorificari, et connuncupari Deum tanquam alterum alteri adjectum (adjectio enim unius syllabæ, id est *co*, hoc cogit intelligi), et non magis una reverentia veneretur Emmanuel, unamque glorificationem dependerit secundum quod Verbum factum est caro, anathema sit. » Caventes igitur anathema Ephesini concilii concordamus doctrinæ Joannis Damasceni Deum ab homine non separando, ut illi qui homini soli humanitatem, et Deo soli divinitatem assignant, quasi Christus dimidius sit homo, dimidius Deus, cum ipse sit totus homo, et totus Deus. Unde in libro De dispensatione Dei ait ipse Joannes Damascenus : « Confitemur ipsum unum Filium Dei, et post humanitatem unum, et Filium hominis eumdem, unum Christum, unum Dominum, unigenitum Filium et Verbum Dei : ut Domini nostri Jesu Christi duas generationes veneremur, unam quidem ex Patre ante sæcula ultra causam, et rationem, et tempus, et naturam ; et unam autem in ultimis propter nos, et secundum nos, et ultra nos, quam non ex semine, sed ex Spiritu et sanctissima Theotocon ultra legem ; quoniam non solum Deum ipsum prædicamus nudum nostra humanitate, neque hominem dicentes ipsum nudum Deitate ; nec alium, et alium, sed unum et eumdem simul Deumque et hominem ; Deum perfectum, et hominem totum Deum, et totum hominem ; eumdem totum Deum et cum carne ipsius, et totum hominem et cum Deitatis ejus divinitate. Per id quod est dicere : Perfectum et Deum, et perfectum hominem, complementum et non defectum ostendimus naturarum. Per id vero, quod est dicere totum Deum et totum hominem, singularitatem et non divisionem monstramus personæ. » Sapienti hæc testimonia sufficiant, ne scripta vel domini Rutperti, vel nostra minus inde sapiant, quod in eis Filius virginis homo divinitus conceptus prædicatur Altissimus, minor quidem Patre secundum humanitatem, sed non minor secundum sibi datam potestatem : quoniam *data est* illi *omnis potestas in cælo et in terra* (*Matth.* XXVIII, 18). Obmutescant igitur nostri temporis Nestoriani detrahentes hominis magnitudini, de quo scriptum est : *Magnus Dominus, et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus non est numerus* (*Psal.* CXLVI, 5). *Magnitudinis ejus non est finis* (*Psal.* CXLIV, 3). Sic enim vere scriptum est de illo : quod *parvulus natus est nobis* (*Isa.* IX, 6), ita nihilominus vere adjunctum est, quod *vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, princeps pacis* (*ibid.*). Hic erat magnus in di-
A vinitate semper, et *hic erit magnus* (*Luc.* I, 32) ait angelus loquens de ipsius conceptione secundum hominem, non aliam homini assignans magnitudinem, aliam Deo, quoniam homo ille Deus est, et *Filius Altissimi vocabitur* (*ibid.*).

Ad unam hæresim nos respondimus ; ad alteram quia paratis uti delectabile est, respondeat epistola Hugonis, ut nostra, et illius assertio, quasi duo cornua præacuta muniant frontem tractatus nostri contra duas prænotatas hæreses duobus cornibus consimiles, de quibus in Apocalypsi agitur, ubi bestia describitur habens *duo cornua similia agni* (*Apoc.* XIII, 11). Multum quippe gloriatur bestia, quæ intelligitur Antichristus, quod in una hæresi Christo nimis derogatur, dum homo in Deum, Dei Filium
B conceptus, et natus minoris gloriæ potentiæ ac virtutis, quam Pater ejus asseritur. In altera vero ipse Antichristus magnificatur, dum sacerdotibus a Christo præcisis, et ipsi Antichristo incorporatis attribuitur efficacia tanta in sacramentis, quanta sacerdotibus catholicis, quod cum quanta et quam lupina falsitate sub agnina verisimilitudine fiat, epistola subsequens, quam de scriniis Romanæ curiæ accepimus, lectori benevolo patefaciat.

CAPUT III.

Hugonis Radingensis epistola qua ostenditur, sacramenta presbyterorum excommunicatorum et depositorum nulla esse.

Clarissimo suo domino W. abbati Hugo fratrum
C Radingensium servus indignus, sanum sapere et recta docere.

« Illum, quem voluisti, nostrum tibi retinere libellum audivi, tua voluntate, non nostra concessione passim expositum, et ut ipse testaris gratanter acceptum, excepto, quod non bene suscipiunt illud de sacerdote deposito vel excommunicato ibidem ita dictum. Quem itaque Christus per Ecclesiam deponendo, vel excommunicando destituit ab officio, si in sacra altaris ministrare præsumat, qui jam minister non est, nihil facit. Sic enim ea Deus agenda instituit, [ut] unum nisi per ministrum valeant fieri. In hac sententia videtur recte dictum tam nostris, quam quibuscunque hucusque catholicis, quia agens in sacramento altaris, qui minister non
D est, nihil facit. A Patribus traditum legimus, et ratum tenemus, quia Spiritus gratiarum non sequitur personam digni, aut maligni, sed ordinem traditionis, ut, quamvis aliquis boni meriti sit, non tamen consecrare possit, nisi fuerit ordinatus, ut minister exhibeat officium ; Dei vero est tribuere consecrationis seu benedictionis effectum. Quare quia non temere fuerat arguendum, quod ibi, Ecclesia teste, fuerat positum ; hoc potius videbatur a dubitante quærendum utrum quem semel posuit Ecclesia ministrum ad agendum aliquod sacramentum, ipsa possit culpa promerente aliquando deponere, vel excommunicare, ita ut in sacramentis agere nequeat, quod ante potuit. Ad hoc respondendum fuit quia vivus est, et præpotens sermo Domini, qui clavi Ec-

clesiæ quam sanctificavit, ita dixit : *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis* (*Matth.* XVI, 19). Ex hoc apostolica sedes, et ubique terrarum catholici doctores, ut scripta testantur antiquorum, prædicare solent, quod tam sacerdotes quam in clericali ordine ministri quilibet tempore depositionis, vel excommunicationis suæ gratiam semel acceptam quidem retinent, sed officio carent. Addunt etiam quia si in sacramentis, seu in sacramentorum officiis consecrare præsumunt, qui ministri non sunt, nihil utique faciunt. Beatus sane papa Innocentius ex apostolicæ sedis assensu scripsit, quod quidam Nezelon ab hæreticis ordinatus, quia nihil habuit dare ei, nihil potuit, cui manus imposuit. Hic equidem, si a ministris licet indignis, non tamen depositis, vel excommunicatis ordinatus fuisset, et ipse quantumcunque indignus si minister existeret, ex officio ei utique conferret, cui manus rite imponeret. Da ministrum quantumque indignum, da ministrum, fatemur eum habere officium. Aliud est loqui de sacramento, aliud loqui de officio. Officium enim sacerdotale quam multis interdicitur, sed eis sacramentum non aufertur. Inde fit quod, cum Ecclesiæ placet ut aliquando revocet, revocatos absolvit et reconciliat, non quidem reordinat. Aliud est etiam dicere de officiali malo qui non bene ministrat, qui tamen, dum minister est, quantumcunque malus, utique ministrat. Aliud est ipsum ab officio deponere, ne ministerium faciat. An ignoramus quia sacramenta alia sunt necessaria, alia officialia? Baptismus quippe necessarius est omnibus; sacerdotalis vero, seu clericalis quælibet dignitas ad officium traditur aliquibus. Baptizandi opus nulli interdicitur, nec enim ab opere Christiano baptizatus quisquam suspenditur; quin potius, si etiam erraverit, multimodis revocatur. Sacerdotale vero officium, seu clericale plurimis pro culpa, quam sæpe reciditur, et ab eo nonnulli crebrius deponuntur. Illo omnes in Christo vivunt, isto jubente Ecclesiæ aliqui serviunt. Illud Ecclesiæ domum ædificat, istud ædificatam dispensat. Dispensatio ista non a quolibet agitur, sed ab officiali ab Ecclesia posito ministratur. Quod si per Ecclesiam ab officio deponitur, manet ei sacramentum semel impositum : ergo, sicut in nostro legisti opusculo, manet ad judicium, non ad officium sic et Christiano cuilibet excommunicato manet baptismi sacramentum non ad remedium, sed ad judicium ; non ad salutem, sed ad damnationem manet. Ideo dicimus, quia, cum resipiscit per Ecclesiam reconciliatur, non rebaptizatur. Si enim sacramentum peccando amitteret, cum ad Ecclesiam pœnitendo rediret, eum procul dubio rebaptizari oporteret. Sacramenta quippe divina sunt, unde et habenti ea per hominem auferri non possunt. Manent itaque sacramenta, sed, culpa exigente, sacramentorum sæpe tolluntur officia. Sciendum quoque, quia longe est aliud, quod

A christianus per excommunicationem ab Ecclesia deponitur, quam quod minister aliquis ab officio removetur; illud assidue gravat, hoc sæpe alleviat; illud damnat, hoc castigat. Minister si indigne agit, utile est quod deponitur, christiano autem mortiferum est quod ab Ecclesia separatur. Dum enim ab Ecclesia scinditur, infidelis utique, imo infideli deterior judicatur. Dominus quidem dicit : *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* X, 16). Ab Ecclesia ergo dissentire, a Christo est cadere. A Christo autem est cadere, fidem non habere. Sed qui fide caret, nullum bonum opus habet. » Audi Apostolum : « *Omne*, inquit, *quod ex fide non est, peccatum est* (*Rom.* XIV, 23). Christianus igitur, licet habeat sacramentum bapti-
B smi, dum aberrat a fide, nullum bonum facit. Non omnis itaque habens sacramentum, habet et sacramenti officium. Unde miramur quosdam dicere de excommunicato, seu deposito sacerdote quod, quia retinet semel acceptum ordinationis suæ sacramentum, habeat, dum præsumit, in consecrando effectum. Quapropter quicunque accedit, ut alios de sacramentis ministrorum edoceat, in docendo discernens ordinationis sacramentum, et ordinati officium, dicat quod sacramentum semel susceptum in susceptore manet, sed susceptoris officium sæpius Ecclesiæ censura removet. Dicat etiam quod tam vera est potestas, cum ab officio ministrum deponit, quam vera est, cum eum in officio rite disponit.
C Doceatque quod schismaticus sit, qui Ecclesiæ non consentit, de quo auctoritas ita dicit : Quod conficit schismaticus, corpus Christi non est. » Et alibi : « Extra catholicam Ecclesiam non est veri sacrificii locus. Unde et Dominus de agno per Moysen ita præcipit. *In una*, inquit, *domo comedetis eum, nec efferetis de carnibus ejus foras* (*Exod.* XII, 46) (91), *et incircumcisus non comedet ex eo* (92). In unitate ergo, non in schismate sumitur, nec enim extra catholicam, nec ab alienigena obtinetur. Ne ergo credas vaniloquis, ne acquiescas elatis, crede humilibus et subditis, qui matris Ecclesiæ sacramenta venerando suscipiunt, non equidem disputando, sed auctoritatem institutoris humiliter venerando, ex quo mater Ecclesia potenter solvit, et ligat effi-
D caciam in sacramentis, ordinato commendat aliquando, et denegat potestate rata, non verbositate frivola. Noverit autem tua prudentia, quia, si essent efficacia, quæ a schismaticis fiunt, vel depositis consecrationum officia, infinitos haberet hodie præsules unaquæque sedes, et quam multos Roma pontifices, qui confusione horribili, et ligatos ab aliis solverent, et solutos indebite ligarent. Sic, sic si bene perpendis, et rata cassarentur, et irrita præferentur. Sic nulla de gestis ecclesiasticis essent certa, sed quæque frivola, et ut fatear verum, nihil omnino esset Ecclesia. Sed de his hactenus, nos equidem ista sub brevitate tibi rescripsimus, qui

(91) Sic legitur Vulgata : *In una domo comedetur*, etc.

(92) Vulgata ibidem versu 48, sic habet : *Si quis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo.*

facta matris Ecclesiæ non frivola, sed rata tenemus, qui sanctorum auctoritates Patrum, quam nostra sensa sequi maluimus. »

Explicit epistola Hugonis.

Quæ diligenter considerata manifestat, illos prædicare mendacium, qui depositis atque ut catholicis presbyteris attribuunt efficaciam parem in sacramentis, sic et illi mendacium docent pro veritate suscipiendum, qui hominem de Spiritu sancto conceptum negant altissimum. Quisquis ergo doctrinam susceperit horum, vel Antichristum fingens parem Altissimo in sacramentis, vel Christum supponens Altissimo in gloria virtutis non discipulus veritatis, sed socius est alieni erroris, quem et suum facit, si redargutus non resipiscit, atque ideo non eum veritas liberat, sed illaqueat mendacium, quod, beato Augustino asserente, omnium mendaciorum est pessimum. Nam de octo generibus mendaciorum tractans ille beatus hoc mendacium præ omnibus exsecratur, ubi in doctrina fidei error pro veritate obstinate defenditur, quod hæreticorum est proprium, quos eundo in luce sagittarum, paternarum videlicet sententiarum frequenter in opere nostro percutimus, et tenebras eorum discutimus, quia non ad horam in luce illorum, sed in æternum in luce veritatis gaudere optamus, atque ad idem gaudium benevolos auditores, et lectores in psalmorum tractatibus vocare intendimus, ipso adjuvante, in cujus manu sumus, et nos et sermones nostri. Qui enim de mendacio gaudet, ad horam gaudet, quia in mendacio quantumlibet fucata verisimilitudo non diu manet. Veritas autem in æternum permanet, ideoque illam diligentes, ac de illa gaudentes in æternum gaudebunt, et gaudium eorum nemo tollet ab eis. Non solum autem de mendacio dicimus, quia cito transit, sed etiam de omni figura hujus mundi constat, quia cito transit. Ipsa quoque species Dominici corporis, in qua mundo conspicuus fuit, jam transivit, unde *mundus* eum *jam non videt, vos autem videtis me* (*Joan.* XIV, 19), ait ad discipulos suos Veritas, quia hos non delectat, vel pascit species transitura, sed ipsa Veritas in æternum permansura. Cum adhuc in specie transitoria esset apud suos, Veritas ipsa dicebat : *Si diligeretis me, gauderetis quia vado ad Patrem, quia Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28). Sed cum jam speciem transitoriam depo suerat, ac servili forma exinanita jam, ipse Dominus regnavit decore indutus, et fortitudine præcinctus, non ait : *Pater major me est*, sed : *data est*, inquit, *mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* XXVIII, 18). Si ergo diligeremus eum, gauderemus utique de hac veritate nunquam transitura, nunquam penitus mutanda, quia Christus a summo cœlo egressus, et usque ad summum regressus, jam non moritur illi compar in immortalitate, *qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem* (*I Tim.* VI, 16) (93). Sicut enim solus Deus habet immortalitatem, id est immutabilitatem, sic homini assumpto in se dedit immortalitatem, non qualem habent angeli, sed qualem habet ipse Deus, cui vere dicitur : *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* (*Psal.* CI, 28).

CAPUT IV.

Probatur ex sancto Hilario non sub Deo, sed in Deo glorificatum esse hominem, qui sic est glorificatus, ut sit in Deo Deus. Explicatur etiam, qua ratione Filius sit Deo Patri subjectus.

Non ergo sub Deo, sed in Deo glorificatus est homo, qui sic est glorificatus, ut sit in Deo Deus. Unde Hilarius in libro nono De sancta Trinitate exponens, illud in Evangelio : « *Nunc glorificatus est Filius hominis, et Deus glorificatus in eo* (*Joan.* VII, 39). Si Deus glorificatus est in eo, et Deus glorificavit eum in semetipso. Primam, inquam, dicti Dominici significationem non ambiguam existimo cum ait : Nunc honorificatus est Filius hominis. Gloria enim omnis non Verbo acquirebatur, sed carni, tamen non naturæ Dei, sed nati hominis dispensationi. Hoc vero quod sequitur, quid significet interrogo : Et Deus honorificatus est in eo ? Honorificatum in eo Deum audio, et quid istud sit secundum intelligentiam tuam, hæretice, ignoro. Deus in eo honorificatus est in Filio, utique hominis. Et quæro, an Filius hominis idem sit, et Filius Dei ? Et cum non aliud sit hominis, neque aliud Filius Dei : Verbum enim caro factum est (*Joan.* I, 14), et cum qui Filius Dei ipse, et hominis sit Filius, requiro : quis in hoc Filio hominis, qui et Filius Dei est, glorificatus sit Deus, et quia in Filio hominis, qui et Filius Dei est, glorificatus est Deus ? Videamus quid sit, quod tertio subditur : Si Deus glorificatus est in eo, et Deus glorificabit eum in sese. Quid istud rogo sacramenti mysterium est : Deus in Filio hominis glorificatum Deum glorificat in sese. In Filio hominis gloria Dei est, et gloria Dei gloria Filii hominis. Deus glorificat in sese, homo utique non per se glorificatur, neque rursum, qui in homine glorificatur Deus, licet gloriam accipiat, non tamen aliud ipse quam Deus est. At vero glorificato Filio hominis, cum glorificans Deum, Deus glorificat in sese, invenio naturæ gloriam, in gloriam naturæ naturam glorificantis assumi. Non enim se Deus glorificat, sed glorificatur in homine Deum glorificans in sese, licet non se glorificet, tamen in naturæ suæ gloriam, gloriam glorificati assumit. Et cum glorificans Deum Deus, quia glorificatus in homine sit, glorificat in sese eum, quem glorificavit Deum in se inesse demonstrat, cum eum glorificat in sese. » Item in libro tertio. « Nunc autem quid est, quid apud Patrem glorificationis exspectatur ? Nempe hoc, quod habuit apud eum, priusquam mundus esset. Habuit plenitudinem divinitatis, atque habet, namque Dei Filius est. Sed qui erat Dei Filius, et hominis esse [illegible]

(93) In Vulgata legitur : *Inhabitat.*

perat Filius; erat enim Verbum caro factum, non amiserat quod erat, sed cœperat esse quod non erat; non de suo destiterat, sed quod nostrum est acceperat, profectum ei quod acceperat ejus claritatis expostulat. Unde non destitit ut id quod de tempore erat gloriam ejus, quæ sine tempore est claritatis arriperet. » Hæc dicente sancto Hilario, nos illi consona sentiendo affirmamus hominem Deum in Deo, non sub Deo glorificatum, quem Deus glorificavit in semetipso. Primo in conceptione Deum faciendo, ac deinde sibi coæqualem Deum esse virtutibus, patefaciendo, cuncta quoque illi præter se subjiciendo, et eum super omnia constituendo nulli subditum, sed in se altissimo altissimum in dextera sua sibi consessurum, et æternaliter conregnaturum in eadem gloria, virtute ac potentia. Unde quod Apostolus illum dicit : *ei fore subjectum, qui sibi subjecit omnia* (*I Cor.* xv, 27), eo sensu accipimus, quod illud exposuit sanctus Ambrosius, qui in libro quinto De sancta Trinitate ad Gratianum imperatorem dicit inter cætera : « Apostolicum capitulum recenseamus : *Novissime*, inquit, *inimica destruetur mors, omnia enim subjecit sub pedibus ejus* (*ibid.*). Cum autem dicat : omnia subjecta sunt ei, sine dubio præter eum, qui sibi subjecit omnia. Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse subjectus erit ei qui sibi subjecit omnia (*I Cor.* xv, 26, 27) (94). Videamus igitur, quia non Deum subjectum, sed subjiciendum esse Scriptura commemorat. Sicut enim si in me concupiscat caro adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, non videor esse subjectus. Ita quia omnis Ecclesia unum corpus Christi est, quandiu genus humanum dissentit, Christum dividimus. Nondum ergo subjectus est Christus, cujus non sunt adhuc membra subjecta. Cum autem fuerimus non multa membra, sed unus spiritus, tunc et ipse subjectus erit, ut per ipsius subjectionem sit Deus omnia in omnibus. » Item post pauca : « Sicut in illo per carnem illam, quæ est pignus nostræ salutis sedere nos in cœlestibus Apostolus dixit, utique non sedentes. Sic et ille per nostræ assumptionem naturæ dicitur subjectus in nobis. » Item : « Scriptum est quia, *cum mortui essemus peccatis, corvivificavit nos in Christo* (*cujus gratia estis salvi facti*) *et simul suscitavit, simulque fecit sedere in cœlestibus in Christo Jesu*(*Eph.* II, 5) (95). Agnosco scriptum, non ut homines sedere ad dexteram sibi patiatur Deus, sed ut in Christo sedere, quia ipse est omnium fundamentum, et caput Ecclesiæ, in quo communis secundum carnem natura prærogativam sedis cœlestis commeruit. In Christo enim Deo caro, in carne autem humani natura generis omnium hominum particeps honoratur. Sicut ergo nos in illo sedemus per corporeæ communionem naturæ, ita et ille, qui per susceptionem nostræ carnis maledictum pro nobis factus est : cum maledictum utique in benedictum Dei Filium non cadat. Ita, inquam, et ille per obedientiam omnium erit subjectus in nobis. Cum gentilis crediderit, cum Judæus cognoverit quem crucifixit, cum Manichæus adoraverit quem in carne venisse non credidit, cum Arianus omnipotentem confessus fuerit quem negavit; cum postremo in omnibus fuerit sapientia Dei, justitia, pax, charitas, resurrectio. Per sua igitur opera Christus, et genera diversa virtutum erit in nobis Patri subditus, cum vitiis abdicatis et feriante delicto unus in omnibus Deo cœperit uno sensu populorum omnium spiritus adhærere. Tunc erit Deus omnia, et in omnibus. Conclusionem igitur totius absolutionis breviter colligamus. Unitas potestatis opinionem injuriosæ subjectionis excludit. Evacuatio potestatum, et victoria de morte quæsita triumphatoris utique non minuit potestatem. Subjectionem operatur obedientia, obedientiam Christus assumpsit, obedientia usque ad crucem, crux ad salutem : ergo ubi opus, ibi auctor operis. Cum igitur omnia Christo subjecta fuerint per obedientiam Christi, *ut in nomine ejus omne genu flectatur* (*Phil.* II, 10). Nunc enim : quia non omnes credunt, non videntur omnes esse subjecti. Cum omnes ergo crediderint, et Dei fecerint voluntatem, erit *omnia et in omnibus Christus* (*Col.* III, 11). Cum Christus omnia et in omnibus, erit omnia et in omnibus Deus, quia Pater manet semper in Filio. Hæc est piæ subjectionis interpretatio. » Item alibi : « Quod si quæris quemadmodum sit subjectus in nobis, ipse ostendit dicens : *In carcere eram, et venistis ad me* (*Matth*, xxv, 36). *Infirmus eram, et venistis ad me. Quod enim uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*ibid.* 40). In eo infirmus, in quo subjectus. » His quæ dicta sunt ab Hilario et Ambrosio, itemque a Leone Magno caute perspectis, nemo est quem dubitare oporteat, hominem Deum esse altissimum, utpote Altissimi Filium, cujus matri virtus Altissimi obumbravit, quando ipsum hominem concepit, de quo scriptum est : *Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus* (*Psal.* LXXXVI, 5). Hic est in sinu Patris, hic sedet ad dexteram Patris, hic est etiam totius inhabitator sui corporis, et sui templi, quod est Ecclesia, in qua eum turba premit, fides tangit et ungit, nunc super pedes, nunc super caput fundendo unguentum pisticum pretiosum, dum nunc eum in membris, nunc in se ipso veneratur, non dubitans eum sibi præsentem. Sicut enim corpori, quod vivificatur, præsens est vita, quæ illud vivificat, sic ubi fides non est mortua sed viva, præsens est ei Christus vita sua. Unde Apostolus in interiori homine habitare ait Christum per fidem.

CAPUT V.

Quid sit res, quid species, quidque effectus sacra-

(94) In Vulgata legitur : *Novissima autem inimica*, etc , *qui ei subjecit omnia, cum autem*, etc., *qui subjecit sibi omnia.*

(95) Textus Vulgatæ sic se habet: *Et cum essemus mortui peccatis*, etc. (*cujus gratia estis salvati*). *et conresuscitavit, et consedere fecit in cœlestibus*, etc.

menti, et quinam horum aliqua, vel omnia percipiant?

Ubi ergo est fides viva, ibi in salutem communicantium, et ministrantium vivunt sacramenta ecclesiastica per ipsius præsentiam, qui est fidei, et fidelium vita, sicut ipse dicit: *Qui manducat*, inquit, *me, vivit propter me* (*Joan.* IV, 58), sicut *et ego vivo propter Patrem* (*ibid.*) Item: *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso* (*Joan.* V, 26). *Qui manducat me vivit propter me.* Item: *Volo*, inquit, *ut ubi sum ego, ibi sit et minister meus* (*Joan.* XII, 26) (96). Non tamen omnis ministrans erit cum eo, nec omnis manducans eum vivit propter eum. Quocirca intelligendum est eum de illis ministrantibus, et manducantibus egisse in tanta promissione honoris et vitæ, qui ministrant, et manducant non sacramentotenus tantum habendo, et accipiendo speciem pietatis, virtutem ejus abnegant, sed qui rem, seu virtutem, quæ in Spiritu latent gustant juxta illud: *Gustate, et videte quam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII, 9). In tractatibus doctorum, sive antiquorum, sive modernorum de re sacramenti varie agitur. Aliis dicentibus, esse rem sacramenti Dominici corporis et sanguinis veram essentiam; aliis vero salubrem ejus efficientiam, aliis autem Dominicæ passionis imitationem salutis effectivam, quem sensum beatus Augustinus habere videtur, ubi in libro De civitate Dei affirmat, impios sacramentotenus communicantes corpus Domini accipere, sed rem minime. Apostolus quoque ubi dicit: *Hujus rei gratia flecto genua mea, ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ, et virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem, Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum* (*Ephes.* III, 14, 17). Nomine rei significat complantationem similitudinis passionis Christi crucifixi, quia latitudinem, longitudinem, sublimitatem, et profundum crucis hi soli comprehendere possunt, qui, ut ibi dicitur, *in charitate radicati*, et fundati Christo crucifixo complantati sunt, et rem arripiunt, cujus rei gratia genua sua flexit Apostolus. Porro ut nos veraciter agnoscamus, quæ sit res sacramenti, Evangeliorum recenseamus capitulum ab illo depromptum: *Qui pridie, quam pateretur, accepit panem, et benedixit, ac fregit, et dedit discipulis suis dicens: Accipite, et manducate ex hoc omnes; hoc est enim corpus meum, quod pro vobis tradetur in remissionem peccatorum* (97). Quatuor in his verbis inter se distincta notantur: videlicet species, essentia, res, quæ et virtus dici potest, et effectus sacramenti. Species est, quam demonstra- A tivum pronomen corporeis oculis demonstrat, quo speciem panis manifestat, cum dicit: hoc est verum (cum addit) corpus meum. Sui corporis essentiam exprimit pronomen corporis sui, cujus umbra in sacrificiis legalibus antecessit, corporique jam essentialiter præsenti cessit addendo etiam: *Quod pro vobis tradetur*, mortem suam notat, quam constat esse rem, seu virtutem sacramenti, quam multi speciem pietatis habentes abnegant, et cui solus ille communicat, qui carnem suam cum vitiis et concupiscentiis mortificat, complantatus videlicet similitudini mortis ejus, qui dixit: *Pater, non quod ego volo, sed quod tu vis fiat* (*Matth.* XXVI, 39). Qui ergo propter Deum seipsum sibi abnegat, priusquam ad mensam Domini accedat, ipse in ea rem, seu virtu- B tem corporis Christi percipit ad salutem, cujus efficacia notatur, cum dicitur: *in remissionem peccatorum.* Hinc beatus Gregorius in quarto Dialogorum libro: « Tunc, inquit, vera pro nobis hostia Deo erit, cum nosmetipsos hostiam fecerimus. » Est quidem etiam peccatoribus, et indigne sumentibus intra Ecclesiam vera Christi caro, verusque sanguis, sed specie sacramentali, et carnis, quæ non prodest quidquam, vera essentia non re, aut rei efficientia. Porro ad rei potius, quam ad speciei participationem fideles provocat Apostolus, dicens: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat* (*I Cor.* XI, 26). Mortem quippe Domini bene ac vere annuntiat, qui similitudini mortis ejus complantatus C abnegat semetipsum sibi, et portat crucem suam quotidie, ut in ea mortificet membra sua, quæ sunt super terram, carnemque suam crucifigat cum vitiis et concupiscentiis. Hic sine dubio cum re sacramenti effectum quoque accipit, qui a re separari non poterit. Qui enim in hoc sacramento remissionem peccatorum percipit, effectu ejus potietur, dum transit ipse in corpus Christi, et fit membrum corporis Christi, sic accipiens hostiam sanctam, rationabilem, acceptabilem, ut ipse quoque fiat hostia sancta rationabilis, acceptabilis. Res enim sacramenti, quæ potius in virtute, quam in essentia consideratur, quæque per commemorationem Dominicæ passionis notatur, et effectus ejus individualiter se comitantur, D *quia si complantati facti sumus similitudini mortis Christi, simul, et resurrectionis erimus* (*Rom.* VI, 5) (98). Item: *Si commorimur, et convivemus* (*II Tim.* II, 11) (99). *Si compatimur, et conregnabimus.* Nec aliqui partem piscis assi manducantes favo mellis privantur, quia *tristitia* eorum *vertetur in gaudium* (*Joan.* XVI, 20), qui in suæ voluntatis, et carnis mortificatione mortem Domini annuntiant, cum hoc sacramentum celebrant; mortem Domini annuntiant, qui se propter Christum crucifixos moribus et actibus manifestant. Illi nimirum in sacramento altaris quatuor præno-

(96) Legitur in Vulgata: *Et minister meus erit.*
(97) Ex canone Missæ.
(98) Vulgata habet loco Christi *ejus.*
(99) Vulg. autem legit: *Si commortui sumus, et convivemus.* Ibidem 12, legit: *Si sustinebimus*, etc.

tata accipiunt : videlicet speciem, essentiam, rem, seu virtutem et effectum. Sed quicunque, sibimetipsis viventes rem abnegant, effectu, qui est remissio peccatorum pariter carent, etsi speciem solam extra Ecclesiam, velut etiam essentiam Christi corporis accipiant intra Ecclesiam. Nam de specie concedit beatus Augustinus ad Bonifacium scribens, quod hanc hæretici accipiant extra Ecclesiam, cujus rem non habent. « Hæretici, inquit, non quærant Spiritum sanctum, nisi in corpore Christi, cujus foris habent sacramentum, sed rem ipsam non tenent intus, cujus illud est sacramentum. Et ideo sibi judicium manducant et bibunt. » Idem in sermone ad populum : « Videat charitas vestra, quia multi qui non sunt ex nobis, accipiunt nobiscum sacramenta, accipiunt baptisma, accipiunt nobiscum, quod norunt fideles se accipere benedictionem, eucharistiam et quidquid in sacramentis sanctis est. Ipsius altaris communionem accipiunt nobiscum, et non sunt ex nobis. » Item : « Si non vis corrigi, sed amas et amplecteris peccata tua, contrarius es Christo. Intus sis, foris sis, Antichristus es ; intus sis, foris sis, palea es. » Idem in libro tertio contra Donatistas : « Hæretici habent sacramenta, et Scripturas ad speciem, non ad salutem. » Idem in expositione super Epistolam Joannis : « Accipere sacramentum corporis, et sanguinis Domini, et malus potest, habere autem charitatem, et malus esse non potest. » Item alibi : Extra Ecclesiam, inquit, non est veri sacrificii locus ; non quod hæretici careant vero sacramento, quod in specie sola perficitur ; si tamen ritu ecclesiastico ab ordinatis, sive habentibus, sive non habentibus, officium celebratur, sed quod careant vero sacrificio, quod in tribus reliquis est, sumatur, dum corporis Christi pariter, et essentia, et res, et effectus in Ecclesia datur, vel accipitur, non quod semper simul sint hæc tria, quoniam *caro* per essentiam *non prodest quidquam* (*Joan.* VI, 63) communicantibus, vel ministrantibus intra Ecclesiam, nisi ubi Spiritus per rem, et effectum vivificat eum qui digne ministrat, vel communicat. Est enim in altaris hostia, sicut sanctus Augustinus ait, sacramentum, quod digni et indigni accipiunt, quia corpus Christi sacramentotenus pariter comedunt ; est quoque res sacramenti, quam nonnisi digni accipere possunt. Sed non ita hujus doctoris orthodoxi dicta recipimus, ut a nonnullis æstimata sunt. Putaverunt enim illum dixisse quod non sit corpus, vel sanguis Christi, quod indignus quisque percipit, atque secundum tanti doctoris sensum non corpus, aut sanguinem Christi, sed tantum figuram vel signum esse corporis et sanguinis Christi, id quod visibiliter sumimus de mensa Domini. Hoc ille non dixit, imo hoc ille non sensit, neque enim Christo contrarius esse consuevit. Loquitur autem Christus, et per semetipsum dicens : *Hoc est corpus meum* (*Matth.* XXVI, 26). *Hic est sanguis meus* (*ibid.*, 28). Et per Apostolum suum, cujus experimentum habemus, quia in eo loquitur Christus itaque dicens : *Itaque quicunque manducaverit panem, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit* (*I Cor.* XI, 27-29). Non dixit : qui manducat et bibit indigne, panem manducat simplicem, vel communem, et vinum bibit, quale prius erat, nondum celebrata consecratione, sed *reus erit corporis et sanguinis Domini*, sed *judicium*, inquit, *sibi manducat, et bibit non dijudicans corpus Domini*. Quapropter non jam de contentiosa cujusquam dissertatione, sed de apostolica veritate sensum petamus, quo prædictus Doctor sacramentum, remque sacramenti distinxerit. Rem sacramenti Christus mysterium, seu virtutem suæ dixit esse passionis, ut ante jam diximus, qui tenens in manibus hoc visibile sacramentum cum dixisset : *Hoc est corpus meum*, addidit : *quod tradetur* (*Luc.* XXII, 19) (100). Cum dixisset : *Hic est sanguis meus*, addidit : *Qui effundetur* (*Matth.* XXVI, 28). At ille, qui indigne accedit, non communicat Christi passionibus, non contingit ore mentis, quod percipit ore corporis, non ponit agni sanguinem in utroque poste domus suæ, sed in uno tantum, quia ore quidem percipit sacramentum, sed mente rem non accipit. Unde et hoc ipsum est, quod indignus existit. Ergo corpus quidem, et sanguis Christi est hoc visibile sacramentum, quod ore percipit ; neque enim indignitas ejus dignitatem tantæ consecrationis evacuare potuit, sed rem sacramenti non attingit, quia mente et fide per dilectionem operante, atque imitationis pia intentione passionem Christi non respicit. Idcirco nec effectum consequitur ejusdem sacramenti in eo scilicet, ut pro se traditum sit hoc corpus, et fusus iste sanguis, id est *in remissionem* sibi, ut habeat vitam æternam, et resuscitetur *in novissimo die* (*Joan.* VI, 39) *in resurrectionem vitæ* (*Joan.* V, 29), sed consequitur id quod huic effectui contrarium est, ut videlicet sit *reus corporis, et sanguinis Domini*, ut *judicium* sibi manducaverit, et biberit, perinde ut Apostolus ait : *Probet se ipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat* (uti supra) ; quia videlicet tantæ dignitatis sacramentum indignis, et non probatis dandum non est. Multi non se probantes extra Ecclesiam in sacramento visibili speciem corporis Christi acceperunt, qui nec essentiam, neque rem, neque effectum obtinuerunt, et ideo sibi *judicium* manducaverunt, quia per hoc judicari, et damnari meruerunt, quod speciem sacramenti ab essentia, et re diviserunt, unde nec effectum rei habuere potuerunt. Ex his etiam, qui semetipsos non probant, multi hodie intra Ecclesiam speciem, et essentiam, vel a bonis vel a malis ministris accipiunt. Sed quia virtutem ejus abne-

(100) Vulgata legit : *Quod et datur.*

gantes rem accipere abnuunt, dum Christo commori nolunt, effectum, qui est remissio peccatorum non habebunt, si tales permanebunt, sed *judicium* sibi manducant, judicio videlicet, ac damnatione per hoc, et ob hoc digni, quod speciem, et essentiam tanti sacramenti a re simul et effectu separaverunt nefandissimo sacrilegio sacrum de sacro auferentes, et quod Deus conjunxit, dividentes. Nam ipse, ut prætaxatum est, quatuor illa conjunxit, scilicet : speciem, essentiam, rem et effectum sacramenti : speciem in figuræ visibilis demonstratione; essentiam in sui corporis nominatione; rem, seu virtutem in suæ passionis commemoratione, cujus effectum significavit in peccatorum remissione.

CAPUT VI.

Non est Christi corpus, quod schismaticus, et officio sacerdotali privatus conficit, quantum ad essentiam, rem, et efficientiam sacramenti, quod tamen specietenus, et sacramentotenus dici potest corpus Christi.

Sed hæreticus, vel schismaticus, ac presbyter depositus, cum non sit minister Ecclesiæ, dum præsumit ministrare, habens quidem sacramentum, sed non sacramenti officium, speciem corporis Christi habet visibilem, sed essentia, res, et effectus longe est ab illo; quia, ut papa Pelagius dicit : *Non consecrat, sed dissecrat*, et sacrilega divisione speciem a sua essentia et re separat : unde reus efficitur corporis et sanguinis Christi, omnino illis consimilis, qui Christum occidendo vitam a vivificato separaverunt. Quemadmodum namque illis caro Christi mortua non profuit, apud quos, et quorum scelere mortuus in corde terræ fuit : sic istis non prodest species vita carens. Imo valde obest non solum sic ministrantibus, verum etiam illis scienter communicantibus post Ecclesiæ interdictum, quam, qui non audit, erit sicut ethnicus et publicanus. Hinc sanctus Gregorius in registro suo capite ducentesimo quadragesimo partis secundæ, damnatum sacerdotem pristini officii usurpatorem perpetua excommunicatione percutit, ita ut vix ei viaticum in fine vitæ concedat. Hinc sancti Patres, in Antiocheno concilio capite quarto, cuilibet damnato, si aliquid de sacramentorum ministerio attingeret, omnem spem restitutionis vel locum satisfactionis penitus denegaverunt, omnesque ei intra damnationem communicantes sub communicatione damnaverunt. In Ecclesia vero ministrantibus digne, vel indigne his, qui habent officium, ratum est sacramentum, et salubre sacrificium his duntaxat qui rem cum effectu percipiunt, sive manducent corpus Christi secundum essentiam visibiliter communicando, sive abstineant a visibili et sacramentali manducatione, solius rei et effectus contenti participatione, vel communicatione, dummodo visibilem et sacramentalem non contemnant, vel ex neglectu dimittant suo tempore illud attendentes, quod Christus dicit : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis*

A *ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI, 54). Quod tam de visibili, quam de invisibili manducatione dictum intelligitur, ut neutra negligatur. Porro si quis non ordinatus præsumit sacrificare, quia exorbitat a ritu ecclesiastico, neque speciem sacramenti habere dicendus est, ad cujus utique formam pertinet, ut nonnisi consecratus consecret. Unde Augustinus in lib. II contra Donatistas : « Sacramenta, quæ schismatici, vel hæretici non aliter habent, nec aliter agunt, quam vera Ecclesia, cum ad nos veniunt, non emendamus, sed approbamus. » Colligi sane potest ex opposito, non esse approbanda pro sacramentis, quæ contra Ecclesiasticum ritum sive intus sive foris aguntur a non ordinatis personis, quoniam aliter agunt quam B vera Ecclesia, quæ non judicat sacramenta dicenda, nisi quæ ab ordinatis fuerint acta, non aliter quam agit ipsa. His autem, quæ dicta sunt, caute pensatis, et perspectis in promptu est, eas auctoritates determinare, quæ de sacramentis agendo videntur dissonare, dum aliæ tam intra, quam extra Ecclesiam docent indifferentiam sacramentorum, aliæ differentiam. Nam quæ docent indifferentiam, asserendo, quod sacramenta ubicunque sunt, eadem ipsa sunt, respiciunt ad speciem visibilem pari modo intus et extra bonis et malis indifferentem in baptismate, in ordinatione, in missarum celebratione. Quæ autem docent sacramentorum differentiam, respiciunt ad rem, et ejus efficientiam, quæ C foris non obtinetur, quæque intus a malis non habetur, quanquam tamen corporis Christi essentia indifferenter tam apud malos quam apud bonos ministros inveniatur, a quibus, Ecclesia non contradicente, missa celebratur; quam qui carentes officio celebrant, si nunquam ordinati fuerunt, nec speciem sacramenti habere dicendi sunt, quæ ordinatis et officio privatis denegari non potest propter officii sacramentum, quod auferri non potest etiam his quibus aufertur officium. Cum ergo dicit auctoritas : non est Christi corpus, quod schismaticus efficit, subintelligendum est, quantum ad essentiam, rem et efficientiam, quod tamen quoniam specietenus, et sacramentotenus dici potest corpus. *Judicium* sibi manducant, qui tales existendo cele- D brant, vel talibus scienter communicant in officiis interdictis, et ecclesiastico judicio cassatis ac prædamnatis. Ubi vero intus a malis ministris non interdictis missa celebratur, quia species et essentia corporis Christi apud eos est, nihil officit eorum malitia simpliciter communicantibus et rem percipientibus, quibus nunquam salutaris effectus deesse poterit, etiamsi malus minister sit, per quem visibilis sit administratio invisibilis gratiæ, quæ *desursum est descendens a Patre luminum* (*Jac.* I, 17) per mediatorem Dei, et hominum Jesum Christum, cui una cum Patre ac Spiritu sancto sit gloria et honor per omnia sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO IN PSALMUM LXIV

SIVE

LIBER DE CORRUPTO ECCLESIÆ STATU

AD EUGENIUM III PAPAM.

In Baluzii Miscellaneis primitus seorsim editam expositioni amplissimæ super Gerhobi Psalterium, domnum Pezium secuti, restituimus. Vide supra col. 9.

MONITUM IN LIBRUM SEQUENTEM.

(D. B. Pezius, Præf. ad tom. II, *Thes. Anecdot.*, p. XXVI.)

Recipimus in Observationibus præviis ad tomi primi partem alteram, in qua Gerhohi librum *De gloria et honore Filii hominis*, et libellum *De duabus hæresibus*, etc., edidimus, nos etiam plura alia præclara magni hujus viri litteraria monumenta in publicum elaturos. Nunc incipimus datam fidem liberare, prolatis in lucem luculentis ejusdem duobus operibus, quorum prius *De ædificio Dei*, alterum *Epistola seu Dialogus de differentia clerici regularis et sæcularis* inscribitur. In utroque proferendo, cum utrobique quædam acrius vehementiusque reprehendi videremus, quam delicatiores nostrorum temporum aures et oculi perferant. Verum cum honorificentissima Romanorum pontificum et sanctissimorum episcoporum de Gerhohi scriptis judicia, maximam doctrinæ ac sanctitatis opinionem, qua illustris et doctissimis viris charissimus auctor sua ætate floruit, ac denique communem illam eruditissimorum nostri temporis hominum, quam vulgo indeptus est, æstimationem apud animum nostrum exputaremus, sine piaculo et atroci crimine non videbamur nos posse tanti Ecclesiæ luminis scripta supprimere, tineisque ac blattis devoranda relinquere. Porro non eduntur (id enim in Germania scribentes satis inculcare non possumus) vetera hujusmodi monumenta eo animo, ut nostri temporis doctrinam disciplinamve ecclesiasticam infrunitis hominibus deridendam præbeamus, sed ut viris doctis constare possit, quæ antiquorum scriptorum de quibusdam quæstionibus, nulla communi adhuc ac publica auctoritate diremptis ac definitis sententia fuerit, quibus argumentis partes usæ sint, quibus gradibus et passibus res ad certum statum pervenerint, quæ causæ rigorem disciplinæ ecclesiasticæ aut intendendi aut non nihil remittendi exstiterint, etc., quæ omnia quam ad perfectam rerum ecclesiasticarum cognitionem scitu necessaria sint, viri solide docti norunt, quos propterea nec acerbitas orationis, nec vehementiores in Cleri vitia declamationes, nec imbecillitas ratiocinationum (hi enim nævi veterum scriptis subinde adhærescunt) ab antiquorum monumentorum publicatione absterrere possunt. Quantus insurgit in corruptos nobilium mores Chrysostomus? Quid reprehensione dignum in sacerdotibus dissimulat Hieronymus? Et, ut singularem Gerhohi amicum nominemus, quis sancto Bernardo monachorum, imo episcoporum ac pontificum vitia narrat apertius, pungit acrius, castigat severius? Nemo tamen hactenus tantum a recta ratione descivit, ut tantorum Ecclesiæ ornamentorum lucubrationes in vulgus unquam fuisse editas indigne tulerit. Quid igitur causæ sit cur unius Gerhohi opuscula, his humani ingenii nævis respersa, sed cæterum utilissima et elegantissima, æterna nocte damnentur? Quid affert Gerhohus quod apud plures alios veteres doctores, quorum scripta edita prostant, non reperias? Confictis *paparum Decretalibus* rem sæpius agit et conficit? Eadem tela et arma fuerunt infinitorum aliorum scriptorum per septem fere sæcula, nec nostro ævo desunt quos ea fraus et impostura Peccatoris Isidori, Decretales illas epistolas primis Romanis pontificibus supponentis, lateat. *Vitam* clericorum *communem* nimium urget eorumque *proprium* plus æquo insectatur exsecraturque? Idem apud coætaneos Gerhoho auctores alios reperire est. Ita innumeri sanctissimi ea ætate episcopi senserunt, quorum studio *vitæ communis* institutum in majores etiam, ac cathedrales ecclesias introductum fuit. Lautiores ecclesiasticorum præsulum mensas, vestium luxum, militum pompam et consuetudinem acerbe traduxit? Nihil eo frequentius apud alios legas, qui inclinantem ecclesiasticam disciplinam ad apostolicam veterem institutionem exigi et restitui volebant. Denique quibus adeo invisa et acerba sunt Gerhohi scripta, eos obsecramus et obtestamur, ut saltem aliquid dent fervido piissimi viri ingenio, dent immenso divini cultus amplificandi studio, dent sæculi, quo floruit, libertati, etiam a sanctissimis viris usurpatæ, postremo dent Romanorum pontificum de Gerhohi scriptis judicio, a quo nemo privatus recesserit nisi superbus, arrogans, aut malignus. Ne autem Romanæ sedis auctoritatem Gerhohi scriptis falso cuiquam videamur obtendere, juvat hoc loco integram Eugenii IV epistolam inserere, qua Gerhohi *Expositionem in psalmum* LXIV, seu *librum De corrupto Ecclesiæ statu*, Deus bone quam acerbe, quam inflammate, quam aspere conscriptum! collaudavit comprobavitque. Eam passim Gerhohus suis lucubrationibus interserit, utiturque seu scuto quo se suaque scripta ab adversariorum impetu tegit et contuetur, Ea vero epistola hujusmodi est :

Eugenius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio G. Reicherspergensi præposito, salutem et apostolicam benedictionem.

Scripta devotionis tuæ benigne recepimus, et fervorem tuæ religionis ex eorum inspectione manifeste co-

gnovimus, etc. Exstat ad calcem *Expositionis psalmi* LXIV, supra, col. 116. Ea est Eugenii IV epistola quæ sine dubio eruditissimo et modestissimo Stephano Baluzio incitamentum præbuit integrum Gerhohi librum De corrupto Ecclesiæ statu, utut acerbum et vehementem in libro V Miscellaneorum Parisiis anno 1700, 8°, publicandi. Sed his pro Gerhohi lucubrationibus præmissis, quæ non solum non otiose sed etiam necessario dicta, temporum nostrorum gnari probe sciunt, jam ad recensenda Gerhohi monumenta, in hunc tomum illata veniamus. Primum est egregius et amplissimus *liber De ædificio Dei*, in quo eleganter admodum et subtiliter ostendit, quid quemque in Ecclesia statum deceat dedeceatve. Eum *rogatu et jussu Chunonis* episcopi Ratisbonensis scribere agressus est, ut ipse Gerhohus initio prologi testatur. Cumque nonnulla lucubrationi suæ inseruisset, quæ lecta quibusdam hominibus, ad ecclesiasticæ disciplinæ rigorem et regulam parum factis displicerent, coactus est opus ad incudem revocare, omnesque partes gravissimis sanctorum Patrum et conciliorum auctoritatibus ita communire, ut Gerhohus rejici non posset, quin Patres et concilia, omnibus sancta, rejicerentur. Rem ipse Gerhohus exponit in epistola ad quemdam presbyterum, operi præfixa. Hunc cl. et eruditissimus P. Carolus Meichelbeck Benedicto-Burani monasterii archiviarius (ex cujus etiam codice ab annis fere trecentis in membraneis exarato, librum Gerhohi, nostro rogatu, ven. P. Leopoldus Wydemann eruit), non alium esse, quam Arnonem, Gerhohi, fratrem et in præfectura Reicherspergensi successorem existimat; de quo vide Chronicon Reichersperg. ad ann. 1180 et Hundium in Metropoli Salisb., tom. III, pag. 245. Dum ante aliquod annos MSS. codices canoniæ Florianensis in superiore Austria, favente reverendissimo et perillustri D. præposito Francisco Claudio Kroll, præsule humanissimo, lustraremus, incidit in manus nostras codex membraneus in 4°, quadringentorum circiter annorum, quo *Tractatus* quidam *apologeticus* continebatur, auctore *Arnone canonico regulari*, qui Arno forte ab Arnone præposito Reichersperg., Gerhohi fratre, diversus non est. Opusculum id cujusmodi sit, ex initio disces : *Subsequens opusculum, quod* Scutum canonicorum *dicitur, occasione cujusdam contentionis confeci ego Fr. Arno, canonici ordinis exile mancipium, monachis videlicet quibusdam loca nostra occupantibus, et fratres nostros professos, quasi obtentu majoris religionis sibi allicientibus*, etc. Integrum insigne opusculum libenter hic edidissemus, si quod ejus apographum nancisci potuissemus. Sed mortuo reverendissimo Claudio sine fructu fuerunt litteræ quas plus simplici vice eapropter ad laudatam canoniam dedimus. Sed hæc dicta sint obiter et occasione Arnonis, cui Gerhohus librum *De ædificio Dei*, primum videlicet ingenii sui partum, commodasse videtur.

VEN. GERHOHI

PRÆPOSITI REICHERSPERGENSIS

LIBER

DE ÆDIFICIO DEI,

SEU

DE STUDIO ET CURA DISCIPLINÆ ECCLESIASTICÆ.

(E ms. cod. inclyti monasterii benedicto Burani ord. S. Bened. in Bavaria eruit ven. D. P. Leopoldius Wydemann Carthusianus Gemnicensis; edidit R. P. D. Bernardus Pezius, *Thes. Anecdot.* II, II, 224.)

INCIPIT PROLOGUS

AD QUEMDAM PRESBYTERUM. (101)

Insignis patriarcha Isaac in terra incolatus sui quatuor puteos fodisse legitur. Primum, quem appellavit *Calumniam;* secundum, quem appellavit *Inimicitias*, eo quod pastoribus Geraræ pro aqua puteorum istorum rixantibus passus est calumnias et inimicitias. Tertium fodit puteum, cui nomen imposuit *Latitudo*, quia pro eo nulla fuit contentio. Quartum appellavit *Abundantiam*, quia nec per illum passus est rixam. In Christo, charissime, cogis me reminisci calumniarum et inimicitiarum, quas aliquando passus sum, rixantibus contra me pastoribus Geraræ pro eo, quod puteos a Palæstinis terra

(101) Forte *Arnonem*, Gerhohi fratrem et in præpositura Reicherspergensi successorem. Vid. Metrop. Hund., tom. III, p. 245.

obrutos præsumpsi refodere, studens ad aquam vivam pervenire, fastidiensque aquam turbidam, id est conversationem clericorum depravatam, et a puritate apostolicæ venæ de qua clericalis ordo ducit exordium, nimis alteratam.

Cum ergo hanc venam aquarum scribendo quasi fodiendo cœpissem inquirere, rixati sunt contra me pastores Geraræ, amici Palæstinorum, id est *cadentium*, nimium contra meam parvitatem : indignantes, quando fodi puteum primum, id est quando librum istum, quem tu nunc a me requiris, legendum præsentavi domino meo felicis memoriæ Chunoni Ratisbonensis Ecclesiæ angelo, ut, si illi saperet, in ea aquam vivam haberet ipse, aliisque propinaret. Quod et factum lætabunda recordatione commemoro, quia *Ædificium*, quod in hoc libro illi depinxeram, sæpe in sermonibus popularibus ita clare demonstravit populo, ut cogerentur verecundari aliter ædificantes, et lapidem angularem, quem istud ædificium et in fundamento et in summitate habet necessarium, reprobantes. Quanquam ipsis licet reprobantibus hic factus sit in caput anguli, reflorescente per Dei gratiam in multis Ecclesiis conversatione regiminis apostolici, quod innititur auctoritati non alicujus hominis institutoris, sed ipsius Christi, qui in se suisque discipulis exhibuit formam ordinis et propositi clericalis, præfigurati quondam in Aaron et in ejus filiis terrena hæreditate privatis, et in sortem Domini consecratis.

Juxta quam formulam per multas ecclesias reflorescit conversatio clericalis in regularibus collegiis fratrum habitantium in unum, nec dicentium nec habentium aliquid suum. Aliter autem viventes clerici, et adversantes legitimæ Christi ordinationi videntur mihi pastoribus Geraræ assimilandi. Quoniam sicut illi patriarchæ Isaac puteos paternos a Palæstinis obrutos renovanti calumniam intulerunt; sibi propemodum calumnias et inimicitias isti contra me propter consimilem causam suscitaverunt.

Tu ergo si dignaris bibere de puteo, quem illi calumniis et inimicitiis suis mihimetipsi amarum fecerunt; dum de veritate, quæ in ore meo dulcis erat, amaricatus est venter meus : cave tibi ab omnibus amaris et amaricantibus, et, si quid tibi de aqua istius putei sapuerit, propina solis dulcibus et mitibus, qualium unus creditur esse designatus episcopus Frisingensis. Cui hoc diligenter debes in secreto suggerere, ut, si dignatur de puteo nostro bibere, sequatur consilium sapientiæ dicentis : *Noli regibus, o Lamuel, dare vinum, quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas : ne forte bibant et obliviscantur judiciorum, et mutent causam filiorum pauperis* (*Prov.* XXXI, 4, 5). Nonne clerici superbi et sæculares dominantur quasi reges? nonne multis litteris inebriati sæpe obliviscuntur judiciorum, et mutant causam filiorum pauperis, illius scilicet *qui*, *cum dives esset, pro nobis pauper factus est, ut nos illius inopia divites essemus* (*II Cor.* VIII, 9), non propria lucra in ecclesiasticis ministeriis avare sectando. sed quæ sola sursum sunt, aviditate pia desiderando. Dum vero illi in officiis ecclesiasticis inhiant quæstibus terrenis refrigescente cœlestium desideriorum charitate, revera judiciorum obliti, *mutant causam filiorum pauperis :* gratiam Domini, id est eleemosynam transferentes in luxuriam, pauperibus pauperis Christi omnino neglectis.

Quorum in consortium ne sic veniat ille Deo diligendus episcopus, ut fiat quasi pontifex anni illius, in quo crucifixus est Christus : mature ac festine debet a te præveniri ac præmuniri. Quod fortasse convenienter fieri poterit per lectionem istius libelli; quem si tu et ipse cum aliis veritatis amicis habueritis gratum : contempto judicio perfidorum in Domino gratulabor, me feliciter apud pias mentes dilatatum, nomenque hujus putei, favente Dei gratia, mutabo, ut videlicet, qui prius appellabatur *Calumnia* seu *Inimicitiæ*, deinceps vocetur *Latitudo.* Quod nomem fuit putei tertii superius notati, quem fodit patriarcha Isaac, pro quo nulla fuit contentio.

Et ideo a nobis quoque absit omnis contentio, sitque pro his, qui hactenus contra contenderunt, sola nobis ad Deum supplicatio; quatenus ipse tam in ipsis quam in nobis mutet, quod suæ majestati displicet; confirmans quod beneplacitum habet, ut tandem pariter bibamus de puteo quarto, qui dicitur *Abundantia*, tanquam nihil habentes, et omnia possidentes; sicut egentes, multos autem locupletantes; non deficiente divinæ largitatis puteo, qui dici potest abundantia. Quoniam ipsa Dei bonitas ac misericordia electos a se præventos abundantibus auxiliis et gratiarum donis ita comitatur, et subsequitur, ut merito a quolibet electorum in tali abundantia cantetur : *Dominus regit me, et nihil mihi deerit*, usque : *et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ, ut inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum* (*Psal.* XXII, 1, 8, 9).

Puto, quod istud carmen veraciter canentibus pateat latitudinis et abundantiæ desiderabilis puteus, imo fons inexhaustus. Propter quem consequendum diversa jam opuscula scriptitando, quasi fodiendo laboravimus. Quorum opusculorum iste libellus primus fuit jussu et rogatu Deo dilecti Ratisponensis episcopi Chunonis conscriptus; quem illo defuncto apud nos continuimus, et paucis lectionem ejus indulsimus. Verum quia tu, frater in Domino charissime, cujus charitati omnia debeo, quæ adjuvante Deo possum, postulas tibi istum libellum legendum et fortassis transcribendum; atque potest contingere, ut semel emissum volet irrevocabile verbum : Rogo te, ut auctoritates, quas ex latere apposui, tu quoque cures apponere; ut ex his quasi tabulatis vel muris firmis muniatur nostrum ædificium, juxta legis mandatum dicentis in Deuteronomio : *Cum ædificaveris domum novam, facies murum tecti per circuitum, ne effundatur sanguis in domo tua; et sis reus labente aliquo, et in præceps ruente* (*Deut.* XXII, 8); item lex in Exodo dicit : *Si*

quis aperuerit cisternam et foderit, et non operuerit eam; cecideritque bos vel asinus in eam, dominus cisternæ reddet pretium jumentorum. Quod autem mortuum est, ipsius erit (*Exod.* XXI, 33, 34).

Apponite igitur ex latere, vel etiam dictamini nostro inserite sanctorum auctoritates, ut ædificio nostro sint munimentum et cisternæ nostræ sint operimentum, ne per nostri occasionem, aliquo in præceps ruente, nos patiamur detrimentum. Sicut pene antehac nobis accidit, quando exiit sermo inter fratres claustrorum barbatos; quod ab ædificio isto, de quo hic agitur, excluserimus illos, cum videlicet minime attenderent, se in numero pœnitentium comprehensos æque ut monachos; nisi forte vivant ita dissolute, ut non servent leges pœnitentiæ.

Offensi sunt etiam quidam litterati claustrales, tam monachi quam canonici regulares pro eo quod publicatis Patrum scriptis de quadrandis decimis et oblationibus ipse viderentur argui transgressionis, eo quod nec decimæ nec oblationes quartantur in communiter viventium claustris.

Harum et similium anteactarum offensionum non immemores, et de futuris cavere volentes, quædam decerpendo, quædam addendo, dictamen nostrum A castigatius facimus. Auctoritates vero Patrum, quibus nec addi nec decerpi quidquam licuit, partim textui sermonis nostri competenter inseruimus, partim in latere apposuimus. Quibus diligenter inspectis nos immunes fore credimus, et coram Deo excusabiles; etiamsi aliquos de his, quibus ipse Christus est *lapis offensionis et petra scandali* (*I Petr.* II, 8), continget in dictis nostris offendi et scandalizari. Cum enim ipse discipulis suis dicat: *Si sermonem meum servaverint, et vestrum servabunt, si me persecuti sunt, et vos persequentur* (*Joan.* XV, 20); non debemus admirari, si ejus inimicos contingat nobis propter veritatem, quæ in illis odium parit, inimicari; et propterea in dictis veracibus offendi et scandalizari.

B Multas ad hujusmodi hominibus derogationes, maledictiones et vexationes passi sumus. Quibus ut perfecta pœnitentia, et largissima indulgentia tribuatur a Deo, ipsius misericordem omnipotentiam et omnipotentem misericordiam obsecramus per hostiam vere pacificam, quam licet indigni, non solum pro amicis, verum et pro inimicis immolamus, quoties ipsius gratia favente altaris mysterium celebramus.

—

INCIPIT
OPUSCULUM DE ÆDIFICIO DEI
CUJUSDAM IDIOTÆ AC PECCATORIS
AD CHUNONEM RATISPONENSEM EPISCOPUM.

—

PROLOGUS.

Rogatu et jussu tuo, sanctæ Ratisponensis Ecclesiæ, venerande præsul Chuno, fateor me ad hoc animari, ut te cogente, opusque magnum a parvitate mea exposcente, non dubitem conari, quatenus ea, quæ requiris, persolvam. Quamvis apud me nihil tale repositum sciam; unde tibi delicatissimo sanctarum Scripturarum scrutatori valeam satisfacere, aptasque delicias præparare, cum et ego ipse in anima mea famis periculo tabescam; et paululum olei in lecytho conscientiæ, modicumque farinæ in operationis pugillo habens, proximus morti existam; nisi verus Elias veniat, qui de modico meo magna faciens, dum rogat pasci, ipse magis pascat; suæque incarnationis præsentiam nunquam cordi meo subtrahat, donec infamis tempore opportune transacto cœlum aperiatur, et indigentia mea satietate mirifica reficiatur, juxta illud Prophetæ: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua* (*Psal.* XVI, 15). Interim vero si peccato subripiente filius, hoc est, animus meus subitanea morte præventus fuerit, ipsius Eliæ præsentia in receptaculo memoriæ meæ C manens assidue poterit hunc a morte revocare; atque Ecclesiæ matri sic vivum præsentare, ut et ipsa mater super hoc lætetur, et suscitantis verbi veritas in mea vita magnificetur.

Igitur quoniam Elias interpretatur *Deus Dominus*, confido utique quod ex te aperte loquatur mihi Dominus Deus. Nam, postquam me duo crucis ligna colligentem, hoc est in fide passionis Dominicæ spem habentem persensisti, continuo mihi præcepisti, ut tanquam de ipsis duobus lignis ædificium quoddam construerem, imo jam constructum demonstrarem. Cujus, juxta Apostolum, artifex et conditor Deus est; et ideo nullo ventorum impulsu, nullo fluviorum incursu moveri ac labefactari potest.

D Opusculum ergo istud, prout tu ipse decrevisti, *De ædificio Dei* titulum accipiat; tuæque paternitati hunc libellum destinari, tam ex Prologo quam ex titulo, legentibus innotescat. Nomen vero meum penitus ignoretur. Quia si quid boni per me hic prolatum fuerit, *non nobis, non nobis, sed nomini* Domini (*Psal.* CXIII, 9) super hoc laus, gratia et

gratiarum actio debetur. Tibi quoque impulsori et A exercitatori parvitatis meæ gratiam debebit, cuicunque in eo quod, te exhortante, per Dei gratiam dixero, aliquid recte placebit.

CAPUT PRIMUM.

Quis hujus Ædificii auctor et architectus? quæ materies, quæ instrumenta? quid illud, quo ejusdem partes conjungantur ac persient? Impiorum procellis hoc Ædificium non subruitur, evertiturve, sed amplius firmatur, et sublimatur.

In omni ædificio perficiendo tria sunt necessaria: artifex, qui operetur; materia, de qua operetur; instrumenta vel adjumenta, quibus operetur. Igitur si artifex et conditor hujus ædificii, de quo acturi sumus, quæritur, Deus hic esse ab Apostolo asseritur. Materia vero rationalis creaturæ pars electa, de qua Deo ædificante construitur civitas nunquam ruitura. Reproba vero pars rationabilis creaturæ, et omnis irrationalis seu insensibilis creatura, quædam sunt adjumenta, quibus iste artifex utitur. Qui licet ad aliquid faciendum nullius adjutorio indigeat, *omnia* tamen hæc in *sapientia* fecisse a Psalmista prædicatur (*Psal.* CIII, 24). Et ideo, qui in tota istius mundi fabrica etiam extremum vermiculum superfluum esse dicit, sapientiæ fabricatoris contradicit; quæ nihil fecit aut facit superfluum, nihil indecorum, quoniam ex ipsa creatura, quæ nempe per se considerata apud insipientium animos fœda judicatur, tota universitatis structura convenienter ornatur. Sed cæca mens, quæ totum C non considerat, partem frequenter aut fastidit, aut irridet, quoniam quid cui aptetur, non videt. Verbi gratia: Si quis nasum vel oculum, quæ sunt partes humani corporis, absque toto attenderet, parum pulchritudinis in eis perpendere posset. Verumtamen licet hæ partes a toto suo separatæ, oculis vel animis attendentium fœditatem potius quam decorem ingerant; sic tamen in integritate sui totius universitatem exornant, ut et nasus decorem, et oculus cum decore utilitatem præstare non negetur; et non tam ipsa quam reprehensor talium reprehendendus judicetur. Sic ergo, qui aliquid in creaturis velut superfluum reprehendit, se cæcum et reprehensibilem ostendit. Quoniam cæcitate carens, totum videret, nihil in operibus Dei repre- D hendens cum Psalmista diceret: *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis* (*Psal.* CXLIV, 13).

Hæc est illa magna totius mundi fabrica et quædam universalis officina; in qua, Deo mirabiliter operante, quoddam ædificium fabricatur, quo peracto et malleus confringetur, et ipsa fabrica secundum statum, quem nunc habere videtur, omnino destruetur. Civitas autem Dei, quæ est in electa rationabili creatura, neque nunc neque tunc destruetur, sed nunc ædificatur irrevocabili profectu, et tunc stabit sine defectu. Verum quia constat de futura et permansura istius civitatis stabilitate, nos de temporali statu ejus agamus; et in parte sui adhuc imperfecta, qualiter ab exordio mundi ædificetur, Deo monstrante videamus.

Proponamus itaque ante oculos mentis ac fidei nostræ illum potentissimum fabrum, cujus filius Christus esse non dubitatur, qui in Evangelio *filius fabri* (*Matth.* XIII, 55) appellatur. Quem et Patrem fabrum esse non dubitamus; sicut de illo loquens Apostolus etiam domum describit, cujus ipsum fabricatorem asserit: *Amplioris*, inquit, *gloriæ iste præ Moyse dignus habitus est; quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricavit illam? Omnis namque domus fabricatur ab aliquo. Qui autem omnia creavit, Deus est, et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus tanquam famulus, in testimonium eorum, quæ dicenda erant: Christus vero tan-* B *quam filius in domo sua, quæ sumus nos, si fiduciam et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus* (*Hebr.* III, 5-6).

Hæc domus, quam hic Apostolus definivit, tunc cœpit ædificari, quando creavit Deus cœlum et terram; quando creavit angelicam et humanam creaturam; quando jam de primo homine accepit costam, quam ædificavit in mulierem (*Gen.* II, 22). Et vir quidem plasmatus legitur; mulier vero, quoniam Ecclesiam significat, non plasmari, sed ædificari dicitur, ut videlicet, cum eam a Domino ædificatam audias, mulierem cogitans, ædificium intelligas; et hoc quod intelligis, per Dei gratiam esse contendas. Contentione quippe opus est, donec perficiamur; ne malleo tentationis tacti, a fiducia et gloria spei nostræ frangamur. Quam fiduciam nisi usque in finem firmam retineamus, in descriptione domus Dei nos non admittit Apostolus. Qui cum dixisset: *Quæ domus sumus nos*, consequenter adjecit: *Si fiduciam et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus.*

Ab hac fiducia et spe, prima mulier fracta defecit, quando eam malleus tentationis tetigit. Quæ si fidem in Dei prædictis habuisset, nunquam ad hoc seduci potuisset, ut diabolo suggerente inde speraret vitam et Dei similitudinem, unde Deus minatus fuerat mortem. Itaque diabolicis magis quam divinis dictis fidem adhibendo, non putabat Deum fidelem in omnibus verbis suis. Hinc est enim, quod culpam suam in serpentem detorsit; quem a Deo factum et in paradiso positum non ignoravit, quasi lapsus ipsius non absque Creatoris culpa evenerit; qui ipsum serpentem peccati suggestorem in paradiso posuerat, in quo et hominem ponens, mandatum illi non peccandi dederat.

Nos autem psallamus fideliter, et dicamus: *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et Sanctus in omnibus operibus suis* (*Psal.* CXLIV, 13). Quia nihil promittit, in quo sanctorum credulitas fallatur, nihil facit aut fecit, in quo eorum sanctitas impediatur. Quin imo in ipso omnis ædificatio constructa crescit, non decrescit: nec aliqua plantatio eradicari poterit, nisi ea, quam ipse non plantavit.

Quis est autem a Deo, et in Deum plantatus, nisi

qui sic est in charitate radicatus, et fundatus, ut A nullatenus ab hac fide averti possit, quin verba Dei sint fidelissima, id est salubria et vera. Salubria quidem solis credentibus; vera autem tam non credentibus quam credentibus. Nam et primis parentibus, etsi pro sua incredulitate non fuerint salubria, experimento tamen probaverunt, quam fuerint vera quæ Deus prædixit : et quam falsa, quæ promisit diabolus.

Illi promissis falsis credentes, a fide veritatis exciderunt, quia charitatem, quæ nunquam excidet, non tam solide habuerunt, ut in ea omnia crederent, omnia sperarent. Nam, qui omnia tam bona quam mala, quæ Deus prædicit, firmissime credunt, et nullatenus dubitant : hi sunt, qui in tempore tentationis non recedunt, sed in fide perseverant. Sed et, si peccaverint, omnia bona de bono Deo sperantes, non pudenda sua contra illum cum primis parentibus velant : sed suam (culpam) Domino revelant, et sperant in eo; et ipse faciet et educet, quasi lumen, justitiam eorum, et judicium, tanquam meridiem.

Hinc est quod fideli Abrahæ apparuit Dominus in ipso fervore diei, scilicet circa meridiem : infideli autem protoplasto deambulans ad auram post meridiem. Illi stat; isti deambulat Dominus, quia et illi firmissime credens et nullatenus dubitans de verbis ac promissis Domini, accepit charitatem, qua ædificaretur, ne aliquando excideret, sed firmissime staret. Iste appetivit scientiam a diabolo promissam, cujus appetitu non est ædificatus, ut staret, sed inflatus et elatus, ut caderet.

Quid ergo dicemus? nunquid propositum Dei evacuatum est? nunquid costa, quam ædificavit, sic ad nihilum redacta est, ut ædificium de illa inchoatum non poterit perfici? Absit! Non talis est hic fabricator; qui, quod cœpit ædificare, non possit consummare. Adhuc enim ab eo *Jerusalem ædificatur, ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum* (*Psal.* cxxi, 3). Videamus quæ sit hæc participatio, aut quid intelligatur per in idipsum. Si homo in prima tentatione victor exstitisset, neque ipse, aut aliqua proles ipsius perditioni aut morti obnoxia esset; et in toto genere humano nulla esset participatio. Quia benedictio Creatoris dicentis : *Crescite et multiplicamini et replete terram* (*Gen.* ix, 7), sic impleretur, ut nemo præter solos electos nasceretur. De quibus idipsum ædificium, quod Deus proposuit, perficeretur : et sic nulla divisio nullaque partitio fieret; neque, ut modo videmus, alteri hoc, alteri illud, sed cunctis idipsum saperet. *Idipsum* autem Deus est juxta illud : *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* (*Psal.* ci, 28).

Deum itaque, verum rationabilis animæ cibum, si homo perfecte ac perseveranter sapuisset, et venenum serpentinæ suasionis ex toto respuisset : in sola Dei benedictione humanum genus usque ad prædestinatum electorum numerum cresceret et multiplicaretur, et absque sudore vultus sui pane suo supersubstantiali vesceretur. At quoniam diabolo suadente subrepsit peccatum, bono Deo malum hominis et malum hominem bene ordinante, processit tale maledictum, ut mulieri diceretur : *Multiplicabo ærumnas et conceptus tuos, in dolore paries filios* (*Gen.* iii, 16); viro autem : *In sudore vultus* B *tui vesceris pane tuo* (*ibid.*, 19). Ex hac ergo maledictionis justa et irrevocabili sententia multi præter electos nascuntur; qui quoniam *idipsum* sapere nolunt, non solum ab electis, sed inter se quoque et contra se invicem implacabili discordia dividuntur. Electi vero, quoniam licet cum labore ac sudore vultus sui pane charitatis vesci contendunt, idipsum invicem sentientes et in præsenti pacifice vivunt; et cum eis somnus mortis advenerit, in pace *in idipsum* dormient et requiescent (*Psal.* iv, 9).

De solis ergo benedictionis filiis ædificatur civitas in idipsum; de filiis vero maledictionis fit quædam partitio proficiens electis, et adjuvans eos in idipsum. Quoniam, etsi perversitas eorum non acquiescit, ut C ædificentur in veri Salomonis aureum reclinatorium, ipse tamen per miram sapientiam suam de illis facit scabellum pedum suorum (*Psal.* cix, 1); et sic per eos non tam impeditur, quam expeditur cœlestis ædificii structura; per hoc ipsum magis in altum surrectura, quod malorum numerus, velut aquæ diluviales super terram crescunt et multiplicantur. Quibus inundantibus, et spumanti ac procellosa tempestate sævientibus, arca per verum Noe fabricata non submergitur, sed ad cœlum usque sustollitur. Arca enim cœlestis ædificii, quæ in terra fabricatur, nequaquam ad altiora sine aquis diluvii sublimatur. Unde et nos cum viderimus hæc fieri, nequaquam debemus contristari; sed levare capita nostra, quoniam appropinquat redemptio nostra; si D tamen compatimur, ut et conregnemus; si non simus partitio vel divisio adversus alterum, et adversus ipsum sanctæ civitatis ædificium; sed *participatio ejus in idipsum* (102).

Multi sunt enim, qui cum militibus, Dei crucifixoribus vestimenta Dominica partiuntur; et pro-

(102) Leo papa Anastasio Thessalonicensi : « Ad hunc finem, omnem effectum nostrum curamque dirigimus, ut, quod ad unitatem concordiæ et quod ad custodiam pertinet disciplinæ, nulla dissensione violetur, nulla desidia negligatur. » Post pauca : « Hortor et moneo, ut, quæ pie sunt ordinata saluberiterque disposita, nulla concertatione turbentur. *Nemo, quod suum est, quærat, sed quod alterius* (*I Cor.* x, 24); et sicut dicit Apostolus : *Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bono ad ædificationem* (*Rom.* xv, 2). Non enim poterit unitatis nostræ firma esse compago, nisi nos ad inseparabilem soliditatem vinculum charitatis astrinxerit. Quod : *sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent : ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem, alter alterius, membra* (*Rom.* xii, 4); connexio totius corporis unam sanitatem, unam pulchritudinem facit. Et hæc quidem connexio totius corporis unanimitatem requirit, sed præcipue exigit concordiam sacerdotum. »

ptercа ipsi in partes divisi a Christo, pereunt, quia non participatio ejus in idipsum, sed partitio ejus contra ipsum fiunt. Sed unus est, qui non partiendo, sed sortiendo possidebit tunicam inconsutilem, nullius unquam susceptibilem divisionis, totius expertem partitionis : et ideo non est partitio, sed participatio ejus in idipsum. Quoniam qui eam sortiuntur, dicunt et sapiunt in idipsum; nec sunt concisio, sed circumcisio in ipso : in quo non concisos, sed circumcisos nos affirmat Apostolus : « Circumcisione non manu facta in exspoliatione corporis carnis (*Colos.* II, 11). »

Aliud est ergo concidi a Christo, et aliud circumcidi in ipso. Nam, licet tunica Samuelis, hoc est veri sacerdotis Christi, conscindi non valeat, quam inconsutilem ac desuper contextam esse constat, tamen pallium et exteriorem ejus amictum cum Saule rege superbo tenent reges ac scindunt; et ideo ipsi concisio fiunt. Quia Christo, qui in Samuele figuratus est, a talibus discedente regnum quoque ab eis scinditur : et ipsi cum omnibus sibi cohærentibus, atque in malo consentientibus in tumore superbiæ, velut in monte Gelboe conscindentur et occidentur; et sæpe visibiliter tradentur in manus gladii : invisibiliter autem vulpium, hoc est, malignorum spirituum partes erunt (103).

Quæ est enim tunica, qua Dominicum corpus vestitur, nisi virtus Spiritus sancti, qua Ecclesia invisibiliter ornatur? « Vos autem, » ait Dominus, « sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto (*Luc.* XXIV, 49). » Ideo *ex alto*, quia desuper contexta est tunica; nec ita humano artificio consuta, ut a militibus, Christi crucifixoribus possit dividi; aut a regibus, divinarum legum prævaricatoribus et superbi Saulis imitatoribus, teneri ac scindi. Quia virtus charitatis, quæ per Spiritum sanctum in cordibus electorum diffunditur (qua velut nuptiali veste sponsa Christi ornatur), sicut non potest a carnalibus videri, sic non potest ab eis te-
A neri ac scindi. Quia nec ipsi ullo modo scindi aut dividi possent; si hanc oculo cordis viderent, et manu operationis tenerent (104).

CAPUT II.

Facultatibus ecclesiasticis ædificium spirituale, velut arca Domini auro et pellibus ornatur et munitur. Nec illas diripiunt principes sæculares, et improbi clerici sine grandi suo malo.

Quæ sunt autem vestimenta, quæ vel milites inter se dividere, vel Saul conscindere potest, nisi facultates ecclesiasticæ? Decimæ siquidem cæteræque fidelium oblationes, velut quidem amictus exterior, ornant et muniunt Ecclesiam, sicut pelles Salomonis ornabant et muniebant sanctam fœderis arcam. Ecclesia quippe quæ vere arca fœderis, arca san-
B ctificationis dicitur, exteriori facultate, tanquam pellibus et velis quibusdam, sic munitur, ut interius circumtecta ex omni parte, auro spirituali decore fulgeat; quam nec sol decolorare, nec ulla unquam pluvia persecutionis poterit fuscare. Nam sicut per multas persecutionum tempestates quondam populo Dei propter peccatum immissas, nemini regum vel tyrannorum permissum est arcam illam ex omni parte auro circumtectam auro devestire, sic nemini regum vel tyrannorum, nemini militum fas est aut facultas spirituales ecclesiæ thesauros, quibus undique circumtegitur et ornatur, ullo modo contrectare aut dissipare; quamvis tamen, sicut arca illa quondam capta et per terram alienam
C circumducta legitur, sic et ipsa Ecclesia quodammodo circumducatur, et quasi captiva apud Philisthinorum principes teneatur, quando ad hoc angariatur a malis principibus, ut in palatio pro sui militumque suorum arbitrio tractetur de spiritualibus (105).

Quotiescunque autem hoc agitur, quod arca Domini in palatio, tanquam in templo Dagon, collocatur, non in hoc arca læditur, sed eorum tyrannica potestas (quæ, licet contra Deum, et plus quam

(103) Joannes Chrysostomus in sermone de Conversione S. Pauli hæc de Valente Ecclesiarum infestatore dicit : « Regis ipsius avunculus, quia profano attrectatu consecrata Deo vasa temeraverat, vermibus exesus interiit. Præpositus quoque regalis ærarii ob aliam, quam Ecclesiæ intulerat, injuriam medius repente diruptus est. »

(104) Joannes Chrysostomus in sermone de Conversione S. Pauli apostoli mentionem faciens Valentis imperatoris, qui successum victoriæ perdiderat, causam infelicitatis illius his verbis commemorat : « Nunc etiam regionis nostræ fontes, qui prius flumina ipsa cursu inundante vincebant, subito in se resiliendo fugerunt : nunquam hoc ante perpessi, nisi postquam loca illa sacrificii, victimis sunt inquinata. Quid vero jam memorem famem prorsus in orbe terrarum cum impio rege dominatam? Regis interitum in regione Persarum? ante mortem vero mentis errorem perpessum? exercitum in medio Barbarorum relictum, et utique velut quodam reti conclusum? reditum ex illis locis, improvisum atque mirabilem? Quia enim rege impio miserabiliter interempto, alter pius, scilicet Gratianus ei successit in imperio, adversa omnia continuo dissoluta sunt; et exercitus, qui velut in medиis erat retibus involutus, nec ullum aliquando exitum se inventurum esse credebat, Dei jam nutu ab hostibus liberatus omni cum securitate remeavit. Et hæc quidem quem non valeant ad partem pietatis attrahere? »

D (105) Ex concilio Aquileiensi, cap. 3 : « Decimæ, quæ a fideli populo dantur, in Ecclesiis baptismalibus inferantur; et ipsi presbyteri, qui in eas tem plebes ordinati sunt, cum omni sollicitudine curam habeant de Christianitatis causa populo sibi commisso. Et populus suas decimas suis presbyteris offerant; presbyteri dividant in quatuor partes, sicut antiqua sanctorum Patrum regula continetur, unam sibi, unam clericis, unam pauperibus, unam ad institutionem, seu luminaria, vel incensum ecclesiarum. Et hoc statuimus, ut prædicti presbyteri habeant juxta suam ecclesiam aut suam cellulam locum constitutum : ubi quarta, quam pauperibus dari, diximus, inferatur. »

Ex concilio Antiocheno, cap. 24 : « Quæ sunt Ecclesiæ, convenit, ut Ecclesiæ sub omni sollicitudine et conscientia bona et fide, quæ in Deum est, qui cuncta considerat judicatque, serventur. Quæ etiam dissipanda sunt judicio et potestate pontificis

Deus a quibusdam timeatur, rectius tamen idolum Dagon [diceretur]) urgetur ad casum; et palmis abscissis, hoc est, omnis victoriæ successibus divinitus ablatis omnino destruetur. Christi autem et Ecclesiæ potestas semper stabit; arca sanctificationis nunquam (sine) sed cum honore a principibus Philisthinorum restituetur tandem, quoniam regnum Romanorum, in quo nefas hoc maxime patrabatur, nunc a muribus, hoc est vilissimis hominibus infestatur. Nec desinent isti mures regnum, et principes ejus persequi, donec arca ad populum suum cum honore ac muneribus dimittatur, ubi a Salomone rege pacifico templum illi construatur; in quo non regibus, sed solis sacerdotibus potestas ministrandi tribuatur. Sed, si quis regum sacerdotalibus functionibus se præsumpserit ingerere, cum Ozia rege præsumptore lepram portabit in fronte (*II Paral.* xxvi, 19) (106).

Nunc vero, quia nostro tempore videmus mures regnare, non dubitemus et tempus appropinquare, ut arca Dei libera in templo sibi cœlitus fabricato constituatur. Ubi de levitica tantum stirpe sacerdotes et ministros habeat, quibus lex hæreditatem ad hoc in terra denegat, ut Dominus sit (107) pars eorum; cujus participatio non est, nisi in idipsum, quia ipse est vere id ipsum. Quod illi specialiter et

A copiosius participant, qui habitant in id ipsum; qui gustant, quam bonum est et quam jucundum habitare fratres in unum; hoc est, in id ipsum.

Clerici autem proprietarii et acephali, qui habitant, non in unum, sed in diversum, per suas proprietates et hæreditates de tribu levitica se non esse testantur, neque ut vaccæ illæ fecerunt, a quibus arca trahebatur, pergunt in directum (*I Reg.* vi, 12); sed a regulis Patrum exorbitantes, *Omnes declinaverunt; simul inutiles facti sunt : non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum* (*Psal.* xiii, 3). Iste unus Christus est cum suis omnibus habitantibus in unum; per quos construitur arca consummanda per cubitum unum, per quos ædificatur civitas habitantium in unum, cujus partici- B patio ejus in id ipsum. Per quos etiam Bethsamis, hoc est ad domum solis arca directissime trahitur, quoniam ab eis nec ad dexteram nec ad sinistram declinatur.

Itaque regum palatiis, quasi Philisthinorum templis, omnino post tergum relictis catholicus clerus cum arca fœderis ad domum solis pergere festinat, ubi Christum Solem justitiæ prospiciens, divinis potius legibus quam regibus obediat. Ubi sic apostolorum regulæ observentur (108), ut regum leges et pseudoclericorum consuetudines, Christo contrariæ,

cui commissus est populus et animæ, quæ intra Ecclesiam congregantur. »

Ex eodem concilio, cap. 25 : « Episcopus ecclesiasticarum rerum habeat potestatem ad dispensandum erga omnes qui indigent, cum summa reverentia et timore Dei. Participet autem et ipse, quibus indiget, si tamen indiget, tam suis quam fratrum, qui ab eo suscipiuntur, necessariis usibus profuturis; ita ut in nulla qualibet occasione fraudentur juxta sanctum Apostolum sic dicentem : *Habentes victum et tegumentum, his contenti simus.* Quod si contentus istis minime fuerit, convertat autem res Ecclesiæ in suos usus domesticos; et ejus commoda vel agrorum fructus non cum presbyterorum conscientia diaconorumque pertractet; sed horum potestatem domesticis suis aut propinquis aut fratribus committat, ut per hujusmodi personas occulte cæteræ lædantur ecclesiæ : synodo provinciæ pœnas iste persolvat. »

Cum de decimarum quatuor portionibus multa sunt capitula, quæ partim hic in sequentibus invenies, o lector, posita; hoc te volumus diligenter notare, quia nulla congregatio communem vitam servans cogitur per ista capitula decimas vel oblationes quartare. Quoniam ista quartationis lex non ab apostolis instituta, sed post communis vitæ destructionem ac transgressionem propter transgressores clericos et episcopos posita est : et ab ipsis communis vitæ transgressoribus observanda est; donec reparetur vita communis, cui omnis oblatio fidelium reposita est, ordinanda per fideles ministros in manu Mediatoris. Quod ita debere fieri probant scripta beati Gregorii papæ ad Augustinum Anglorum archiepiscopum, quæ in sequentibus invenies.

(106) Hilarius episcopus Ecclesiæ catholicæ, urbis Romæ synodo præsidens dixit : « Nulli fas sit sine status sui periculo vel divinas constitutiones, vel apostolicæ sedis decreta temerare. »

(107) Hieronymus ad Nepotianum : « Quod Aaron et filios ejus, hoc esse episcopum et presbyterum noverimus. *Pascite*, inquit Petrus, *eam, qui in vobis est, gregem Domini, providentes non coacte sed spontanee secundum Deum; neque turpis lucri gratia sed voluntarie : neque ut dominantes in clerum, sed forma facti gregis* (*I Petr.* v, 2). » Item : « Cle- C ricus, qui Christi servit Ecclesiæ, interpretetur primo vocabulum suum, et nominis definitione prælata nitatur esse quod dicitur. Si enim *cleros* Græce, Latine *sors* appellatur; propterea vocantur clerici, quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus ipse sors, id est pars clericorum est. Et quia vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut ipse possideat Dominum, et possideatur a Domino. Quod si quidpiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus. Verbi gratia, si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem habeat, cum istis partibus Dominus pars ejus fieri non dignatur. Si autem ego pars Domini sum, nec accipio partem inter cæteras tribus; sed quasi levita et sacerdos vivo de decimis, habens victum et vestitum, his contentus ero; et nudam crucem nudus sequar. »

(108) Leo Magnus universis episcopis per Siciliam D constitutis : « Hoc vestræ indicimus charitati, ut ab apostolicis institutis nullo ulterius recedatis excessu, quia inultum post hæc esse non poterit, si quisquam apostolicas regulas in aliquo crediderit negligendas. »

Petrus in ordinatione Clementis : « Te quidem oportet irreprehensibiliter vivere, et summo studio niti, ut omnes vitæ occupationes abjicias, ne fidejussor assistas, ne advocatus litium fias, neve in ulla aliqua prorsus inveniaris mundialis negotii occupatione perplexus. Neque judicem aut cognitorem sæcularium negotiorum hodie te ordinare vult Christus, ut melius profligatis præsentibus hominum curis verbo Dei vacare possis, et secundum veritatis regulam secernere bonos a malis. Ista namque opera, quæ minus tibi congruere superius exposuimus, exhibeant sibi invicem dicentes idem laici : et nemo te occupet ab his studiis, per quæ salus omnibus datur. Sicut enim impietatis cri-

A penitus annihilentur. Hæc omnia non somniis aut vanis conjecturis sic perficienda probamus; sed quod inevitabiliter sic fieri oporteat, ex hoc et per hoc scimus, et nullatenus dubitamus, quod, sicut olim sunt figurata et prophetata, sic nostris temporibus hæc videmus inchoata, licet nondum consummata.

Nonne imperator H. tandiu *in posterioribus*, hoc est in bonis temporalibus, est percussus? tandiu a muribus, videlicet parvæ quantitatis et nullius pene dignitatis hominibus, vexatus est, ut cum suis principibus deliberaret, quo modo Ecclesiam, veram sanctificationis arcam, de sua captivitate dimitteret? Et illi quidem dederunt consilium, sed non usquequaque perfectum. Consuluerunt enim, ut *anos aureos* cum arca remitteret, hoc est annulos aureos, quibus episcopos et abbates investire solebat, omnino dimitteret. Sed hoc in consilio non addiderunt, ut omnino de suis finibus, vaccis trahentibus, hæc arca exiret; et solis sacerdotibus ac levitis commissa, animales et carneos mures apud Philisthæos relinqueret; aureos autem secum ipsa retinens sua egressione pacem faceret, dum plaga, quæ regnis ac regibus propter ipsam arcam fuit immissa, mitigaretur, eadem ad suos remissa. Hoc esset perfectum consilium, sine dubio ad plagam discordiæ mitigandam satis idoneum. Sed adhuc arca inter fines ac terminos Philisthinorum tenetur, dum episcopi, abbates, abbatissæ, facta electione, ad palatium ire compelluntur, quatenus a rege, nescio quæ regalia suscipiant; de quibus regi vel hominium vel fidelitatis sacramentum faciant. Adhuc ergo principes consilio salubriori utantur, ut episcopis, abbatibus, abbatissis plenam libertatem dimittant, nec in spiritualibus dignitatibus sanctam Dei Ecclesiam ulterius angariare præsumant.

CAPUT III.

Ab Ædificio Dei arcendi sunt, et puniendi clerici a vita communi et apostolica abhorrentes, nec audiendi ii, qui Ludovici Pii constitutione vroprietatem defendunt.

Quis autem non videat quanta sit differentia inter mures aureos neminem lædentes, et mures carneos omnia, quæ possunt, rodentes? tanta utique et multo major differentia invenitur, si filii lucis et filii hujus sæculi spiritualiter examinentur. Illi aureo sapientiæ decore pretiosi, neminem lædunt; isti per prudentiam carnis, quæ Deo inimica est, semper ad nocendum et rodendum parati sunt. Sed tamen Ecclesiæ, dum nocere videntur, proficiunt. Quia non solam ipsam tyrannorum potestatibus et injustis regum angariis expediunt, sed etiam de suo numero aureos mures, hoc est bonos
B conversos mittunt; qui alicui bono et regulari claustro, velut novo plaustro, impositi cum arca fœderis ad domum veri Solis trahantur.

Trahuntur autem a vaccis, mugitum ex intimo ac materno affectu dantibus nec tamen post tergum respicientibus; quia boni Ecclesiæ rectores ex abundantia cordis verbum Dei prædicant, et ita in directum procedunt, ut quamvis clericos sibi subjectos in domibus propriis reclusos, tanquam vitulos post tergum ligatos doleant; ipsi tamen cum quibus possunt, jugo apostolicæ regulæ submissi, et cœnobialis vitæ observantiis, velut quibusdam loris, ad hoc jugum astricti, nunquam deviant. Quia non ambages pravæ ac novæ consuetudinis,
C sed viam antiquæ auctoritatis et veritatis amant, psallentes cum Propheta: *Viam veritatis elegi* (*Psal.* CXVIII, 30). *Viam*, inquit, *veritatis*, non consuetudinis, quia Christus non ait, ego sum consuetudo; sed *ego*, inquit, *sum veritas* (*Joan.* XIV, 6). Non est autem veritas vel auctoritas, quæ contra Christum et apostolos, clericos proprietarios possit defendere (109): si modo episcopi pravam eorum consuetudinem voluerint impugnare. Habemus et prophetas; habemus Christum et apostolos virosque apo-

men est, neglecto verbo Dei, studii sollicitudines suscipere sæcularis: ita unicuique laicorum peccatum est, nisi invicem sibi etiam in his, quæ ad communis vitæ usum pertinent, operam fideliter dederint; te vero securum facere et in his quibus
D debes, vacantem omnes communiter elaborent. Quod si forte a semetipsis laici non intelligunt, per diaconos edocendi sunt, ut tibi solius Ecclesiæ sollicitudines derelinquant; quoniam ipse, ut dignum est, dispensare sufficias, et verbo veritatis abundantius et studiosius deservire. Si enim mundialibus curis occupatus fueris, et te ipsum decipies, et eos, qui te audiunt. Non enim poteris, quæ ad salutem pertinent, plenius singulis quibusque distinguere; et ex eo fit ut tu, tanquam non docueris, quæ ad salutem pertinent, puniaris: et discipuli per ignorantiam peccent. Idcirco ergo tu quidem ad hoc solum vacato, ut opportune et sine intermissione doceas eos verbum Dei, per quod salutem consequi possunt. Illi vero cum tanta reverentia tua verba recipiant, tanquam qui sciant legatum te et præconem esse veritatis, certi, *Quodcunque ligaveris super terram, esse hoc ligatum et in cœlo; et quodcunque solveris super terram, etiam ibi esse solvendum* (*Matth.* XVI, 19). Quoniam quidem et tu, quæ oportet, ligabis, et quæ expedit, solves.»

(109) «*Dilectissimis fratribus* condiscipulis Hierosolymis cum charissimo fratre Jacobo coepiscopo habitantibus Clemens episcopus. Communis vita, fratres, omnibus est necessaria; et maxime his, qui irreprehensibiliter militare cupiunt, et vitam apostolorum eorumque discipulorum imitari volunt. Communis enim usus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse hominibus debuit: sed per iniquitatem alius hoc suum dicit esse, et alius illud; et sic inter mortales facta divisio est..» Et post pauca: «Istius consuetudinis more retento etiam apostoli eorumque discipuli una nobiscum et vobiscum communem vitam duxerunt. Ananias autem vir austerus, et Saphira uxor ejus a conspectu apostolorum propter peccatum eorum et mendacium eorum, quod fecerunt, mortui delati sunt ambo. Quapropter hæc vobis cavenda mandamus, et doctrinis et exemplis apostolorum obedire præcipimus. Quoniam hi, qui eorum mandata postponunt, non solum rei, sed extorres fiunt. Quæ non solum nobis cavenda, sed omnibus prædicanda sunt.»

stolicos pro nobis contra illos. Si ergo illi sunt pro nobis, quis contra nos?

Deus est, qui habitare facit unius moris in domo. Ludovicus autem rex in quodam suo libello clericos absolvens a domo unius moris, permittit illis domos, proprietates et diversi moris. Per hunc ergo libellum se tentant munire; qui cum dicantur canonici, nolunt tamen proprietatibus carere. Quid ergo dicamus hunc libellum, nisi quoddam vinculum, quo illi clerici velut quidam vituli ligantur in domibus suis, ut non exeant cum arca fœderis? procul sit, procul sit hic libellus a nostro ædificio, quia non concordat illi fundamento, cui lapis angularis superponitur. Qui diversos parietes connectens, utraque facit unum; cui tanquam lapides vivi superædificantur fratres habitantes in unum; super B quod etiam ædificatur civitas, cujus participatio ejus in idipsum. Libellus ergo ille a nobis sub anathemate ponatur; imo jam sub anathemate positus a nostro ædificio removeatur, quoniam in eo contra illum evangelizatur, qui dixit: *Si quis vobis evangelizaverit præter id, quod evangelizavimus vobis, anathema sit* (*Gal.* I, 9). Nam cum nostrum ædificium tendat in id ipsum; ille libellus non cum Christo colligit in id ipsum, sed spargit clericos in diversum. Ideo autem a nobis non tam auctor quam libellus ipse damnatur, quoniam auctor ipsius Ludovicus, præ nimia pietate sua Pius agnominatur: et ideo non diffidimus hunc salvatum, sic tamen, quasi per ignem. Oportuit enim ut propter suum C ædificium pateretur detrimentum, quia non de auro, argento ac lapidibus pretiosis, sed de lignis, feno ac stipula fuit constructum. Si ergo ædificator pro pietate meruit salvari, oportuit hunc per ignem purgari.

Namque ut ex ore suo non pius, sed nequam servus convinceretur, fundatissimas Patrum auctoritates apostolicam et communem vitam clericorum firmissime approbantes, in unum collectas velut fundamentum præmisit. In quo fundamento ædificium præsignatur per omnia rotundum; quod tanquam circulus æqualiter a medio distans, ita reducitur in id ipsum, ut in eo cernatur civitas, cujus participatio ejus in id ipsum. Præmisso autem tali fundamento, quod postea a Ludovico superædificatur, non bene rotundatum circa unitatis indivisibile punctum, sic invenitur angulatum, ut nullo modo unitatis medium respiciatur; sed per domos proprias, quasi per varios angulos, ita divaricatur, ut a fundamento præmisso nullatenus fulciatur.

Ut ergo dejiciatur ædificatio illa prava, non est opus extrinsecas machinas adhibere, sed fundamentum ipsum aliquantulum movere, et cadet sine dubio, quidquid non recte coaptatum est fundamento. Quia si contra illos proprietarios auctoritates, quæ ibidem continentur, ab episcopis moveantur, atque ad illas observandas ipsi clerici pontificali auctoritate constringantur, necesse est illos aut regulam suam regulæ Christi non esse contrariam probare, aut illa deserta, regulam apostolorum suscipere; cui vident omnes orthodoxorum Patrum auctoritates consonare. (110) Quod si noluerint; sed suam sectam defendere præsumpserint, portabunt anathema, quoniam evangelizant apostolis contraria. Sunt ergo excommunicandi; aut si hoc præ multitudine eorum atque inolita malorum consuetudine fieri non potest, ab ecclesiastico ministerio simul ac stipendio removendi, ut eis tanquam vitulis domi reclusis nullum lac præbendalis alimoniæ ab episcopis, quibus jugum Domini super impositum est, præbeatur. Qui, si ad hoc reflectunt, ut vitulis post tergum ligatis lac porrigant, arcam Domini non recte ad domum solis portant. Quoniam a veritate et sanctorum Patrum auctoritate multum exorbitant, si stipendia solis Deo militantibus debita illis conferant; quos constat non Deo militare, Apostolo dicente, quod *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus* (*II Tim.* II, 4).

Huc accedit, quod sanctus martyr et papa Urbanus omnes Ecclesiæ facultates in episcoporum manu esse affirmat, ut unusquisque episcopus communem vitam in clero per matrices ecclesias ex his ordinare, et ordinatam sustentare satagat. Hic etiam dicit anathema Maranatha illi esse, qui hanc institutionem præsumpserit violare. Huic concordant cæteri orthodoxi Patres, clericos proprietarios ab Ecclesiæ stipendio removentes. Quamvis beatus Gregorius Anglorum clericis proprium retinentibus propter novellam tunc illius gentis plantationem ec-

(110) Urbanus papa secundus ad canonicos regulares in quodam suo Decretali scripto dicit inter cætera: « Oportet nos qui, licet indigni, Petri residemus in loco, prava corrigere, recta firmare, et in omni Ecclesia: arbitrium judicis ejus judicium nostrum prodeat, oculi nostri videant æquitatem. Omnipotenti ergo Deo, cujus melior est misericordia super vitas, gratias agimus: quod vos estis, qui sanctorum Patrum vitam probabilem renovatis; et apostolica instituta disciplinæ in primordiis Ecclesiæ sanctæ exorta, sed, crescente Ecclesia jam pene deleta, instinctu sancti Spiritus suscitatis. Duæ enim ab Ecclesiæ sanctæ primordiis vitæ ejus filiis sunt institutæ; una, qua infirmorum debilitas retinetur; altera, qua fortiorum virtus beata perficitur. Una remanens in Segor parvula; altera ad montis altiora conscendens. Una lacrymis et eleemosynis quotidiana peccata redimens; altera quotidiana in- D stantia merita æterna conquirens. Alteram tenentes inferiorem, terrenis bonis utuntur; alteram sequentes superiorem, bonam terram despiciunt ac relinquunt. Hæc autem, quæ a terrenis divertitur, in duas pene unius ejusdemque propositi dividitur portiones, canonicorum scilicet atque monachorum. Harum secunda per divinam misericordiam frequentata satis jam sæculo universo elucet. Prima vero decalescente fervore fidelium jam pene omnino defluxit. Hanc martyr et pontifex Urbanus instituit. Hanc Augustinus suis regulis ordinavit. Hanc Gregorius Augustino Anglorum archiepiscopo instituendam præcepit. Itaque non minoris æstimandum est meriti, hanc vitam Ecclesiæ primitivæ aspirante ac prosequente Domini Spiritu suscitare, quam florentem monachorum religionem ejusdem Spiritus perseverantia custodire. »

clesiastica stipendia dare permiserit, quos tamen ad sacros ordines nec admittendos, nec intra congregationes clericorum communiter viventium pascendos in suo decreto significavit; statuens ut extra congregationes et extra sacros ordines ita pascerentur pro illius temporis necessitate, ut nec episcopo licitum esset seorsum ab his clericis vivere, qui et sacris ordinibus fungebantur, et claustraliter sociati ab episcopo per œconomum pascebantur (111).

Ipse quoque beatus Gregorius, communis vitæ propagator sanctissimus, ita cum clericis suis vixit, ut scriptor vitæ illius apostolicam et primitivam Ecclesiæ vitam testetur ab illo et sub illo fuisse resuscitatam. Ex quo potest colligi, quantum ei communis vitæ cura fuerit : quam et ipse, sicut monachus cum monachis didicerat, sic in pontificem exaltatus ipsam cum clericis non solum servavit; sed etiam in remotis Angliæ partibus observari mandavit, utens legitimo docendi ordine, quia, sicut de Domino scriptum est : *Cœpit facere et docere* (*Act.* I, 1). Frustra enim docuisset, nisi quod docuit, primo ipse fecisset. Sciens itaque ad hujus sanctæ institutionis propagationem plurimum valere, si episcopus primo in suo episcopio regulariter vivat, ac deinde per ecclesias illi subjectas regularem vitam instituat; taliter in suis decretis informavit episcopos, ut non haberent milites ministros ad similitudinem regum, in quorum domibus hi sunt, qui mollibus vestiuntur : sed contenti essent cubiculariis, de solis clericorum vel monachorum religiosis congregationibus electis; cum quibus ita viverent, ut nemini de se murmurandi occasionem præberent.

CAPUT IV.

Quantum sanctus Augustinus vitam clericorum communem et apostolicam promoverit, ac contra vitium proprietatis in iisdem fuerit detestatus.

Beatus quoque Augustinus tanta constantia contra proprietarios clericos utebatur; ut, si quis suorum a communi vita recederet (licet illi propter multos defensores, quos talibus non deesse con-A queritur, clericatum tollere non potuerit), tamen ubi Augustinus fuit episcopus, ibi talis apostata non permittebatur esse clericus. Namque idem sanctus Pater ad hoc se mille conciliis non posse induci significat, ut talibus infra suos terminos clericatum permittat. Quid beatus iste diceret, si nostro tempore viveret; et sola consuetudo vel supra notata Ludovici constitutio illi obtenderetur, ut a Christi lege deflecteretur? nunquid cederet consuetudinibus pravis, qui se testatur contra Christum et apostolos noluisse cedere vel mille conciliis? absit! Neque enim ita super arenam ædificavit, ut ædificio suo ruinam timeret; quamvis tempore suo multos episcopos haberet Africa, quorum vita vitæ ipsius erat contraria. In quibus ut taceam de vita apostolica, vix erat fides B catholica.

Nam ea tempestate regnabat in Africa hæresis Donatistarum; irrepserat quoque Arianæ perfidiæ venenum. Invaluerat etiam tanta multitudo circumcellionum, ut catholicas Ecclesias miris modis vexarent, et Dei ministros truncare vel occidere non formidarent. Sed iste beatus cum tot malis angeretur, et contra omnes has pestes vigilare, ac pene solus pugnare cogeretur; tamen ut Leo confidens, et ad nullius pavens occursum semel cœptum non deseruit cursum, ut in fine cum Apostolo dicere posset : *Cursum consummavi, fidem servavi* (*II Tim.* IV, 7).

In hoc ergo tanto Dei athleta Pontificibus nostri C temporis proponitur forma, ut faciant quomodo ille fecit, quandoquidem simile vel majus malum illis incumbit. Ille sanctæ socialis vitæ regulam in apostolorum Actibus breviter conscriptam sic elucidavit, ut clericos suos nullus in diversum ac transversum seducere posset; quamvis magnus in Africa fuisset numerus fratrum ambulantium inordinate, ac non secundum traditionem, quam acceperant ab apostolis. A quibus omnibus juxta præceptum Apostoli denuntiantis in nomine Domini, ut subtrahamus nos *ab omni fratre ambulante inordinate* (*II Thes.* III, 6), ita se cum suis solebat subtrahere; ut quodammodo cum Moyse diceret : *Si quis est Domini,*

(111) Qualiter episcopus cum suis conversari deberet clericis, Augustino requirenti Gregorius doctor humillimus inter cætera sic describit : « Quia tua fraternitas monasterii regulis erudita, seorsum vivere non debet a clericis suis, in Ecclesia, quæ nuper ad fidem perducta est, hanc debet conversationem instituere, quæ initio nascentis Ecclesiæ fuit, in quibus nullus eorum ex his, quæ possidebant, aliquid suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia. Si qui vero sunt clerici extra sacros ordines constituti, qui continere se non possunt, sortiri uxores debent, et stipendia sua exterius accipere. Quia de eisdem Patribus, quos præfati sumus, novimus scriptum quod dividebatur singulis, prout cuique opus erat : de eorum quoque stipendiis cogitandum ac providendum est. Et sub ecclesiastica regula sunt tenendi, ut bonis moribus vivant, canendis psalmis invigilent, et ab omnibus illicitis cor et linguam et corpus Deo auctore conservent. » Et paucis interpositis : « Communi autem vita viventibus jam de faciendis portionibus, vel exhibenda D hospitalitate, vel adimplenda misericordia, nobis quid erit loquendum, nisi omne, quod superest, in causis piis atque religiosis erogandum, sicut scriptum est : *Verumtamen quod superest vobis, date eleemosynam : et omnia munda erunt vobis?* » (*Luc.* XI, 41.)

Ex Libro Ivonis. « Cum esset antiquis regulis præfinitum ut nullus, qui esset in clero, extranearum consortium haberet mulierum; sed earum tantummodo, quæ omnem suspicionem excluderent, beatus papa Gregorius hunc rigorem ita modificavit clericis Anglorum, ut, si qui essent extra sacros ordines constituti, qui se continere non possent, uxores sortirentur, et stipendia sua foris acciperent. Intelligens leviorem esse casum, si ruentes conjugali vinculo exciperentur; quam si vago concubitu, indeterminatæ libidinis voragine absorberentur. Sed dispensationes salubri deliberatione admissæ, cessante necessitate, debent et ipsæ cessare. »

jungatur mihi (*Exod.* XXXII, 26). Nam sicut Evangelio probante non potest Christi esse discipulus, qui non renuntiat omnibus, sic non potuit Augustini esse clericus, qui noluit renuntiare omnibus (112).

A [a] Quia ergo solos, qui Domini erant, sibi conjunctos habuit, ideo tanquam alter Moyses in tanta contrariorum multitudine sic triumphavit, ut post apostolos hanc obtineat gloriam, velut quamdam

(112) Quod clericorum ordo, levitarum et apostolorum vices teneat, et eorum vitas imitari, propriis quoque facultatibus nec non voluntatibus renuntiare debeat, probat assertio subjuncta, auctoritate sedis apostolicæ per Paschalem papam II confirmata : clericorum ordinem in Ecclesia tribus leviticæ locum tenere, et apostolicæ dignitatis jura servare et officia gerere nemo sane sapiens dubitat. Unde certum est eos levitarum et apostolorum regulas et vitas imitari debere, quorum noscuntur locum tenere, dignitatem habere et officia gerere. Quæ enim lex levitis, et quæ a Domino regula datur apostolis, hæc eadem pariter catholicis clericis usque in finem mundi vices eorum supplentibus indicta nequaquam ambigitur. Equidem quod levitis interdicitur adhuc in umbra gradientibus; quomodo nobis conceditur jam in veritate persistentibus; cum multa legamus illis fuisse concessa, quæ nobis procul dubio sunt prohibita? Aaron itaque et filiis ejus cæterisque levitis a Domino dicitur : *In terra filiorum Israel nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos. Ego enim pars et hæreditas vestra in medio filiorum Israel* (*Num.* XVIII, 20). Et paulo post subsequitur : *Filiis autem Levi dedi omnes decimas Israelis in possessionem pro ministerio, quo serviunt mihi in tabernaculo fœderis* (*ibid.*, 21). Et de eisdem post pauca : *Nihil aliud possidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in usus eorum et necessaria separavi* (*ibid.*, 23). Et hæc quidem in Veteri. In Novo autem Testamento, quid cuique sui discipulatus perfectioni adhærere volenti dixerit, audiamus : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes; et da pauperibus : et veni, sequere me* (*Matth.* XIX, 21). Et alibi : *Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV, 33). Et in alio loco, cum apostolos ad prædicandum mitteret, prohibuit eis, dicens : *Nolite possidere aurum et argentum* (*Matth.* X, 9). Quod se Petrus implesse evidenter ostendit, dicens : *Argentum et aurum non est mihi* (*Act.* III, 6). Hoc etiam cæteros apostolos fecisse testatur idem Petrus, cum pro se et aliis condiscipulis suis interrogat Dominum, dicens : *Domine, ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. Quid ergo erit nobis?* (*Matth.* XIX, 27.) Cui, et in quo omnibus idem facientibus respondens Dominus dixit : *Amen dico vobis, quod vos, qui reliquistis omnia, et secuti estis me, in regeneratione, cum Filius hominis in sede majestatis suæ sederit, et vos sedebitis super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel. Et omnis, qui reliquerit domum, aut patrem, aut matrem, aut fratres, aut sorores, aut animam propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit* (*ibid.* 28).

« Hæc levitis et hæc apostolis mandata sunt; utrisque una regula et eadem lex præcipitur : utrisque possessio tollitur; terrena facultas interdicitur. Qui ergo alii regula et lege ista tenentur, nisi clerici, qui levitarum Domini et discipulorum Christi locum tenent, ministerium implent, vices servant, ordines tenent? Ad hoc etiam mandatum tenendum et perpetuo implendum, ecclesiis suis pretia peccatorum, vota, et oblationes fidelium, primitias ac decimas rerum Deus dari instituit quatenus hi, qui divino cultui mancipati propriis facultatibus exspoliantur, sibi statuta perpetua stipendia haberent; unde vivant, Ecclesiæ serviant, et pauperum necessitatibus subministrent, atque studiosius quæque sui ordinis ministeria impleant, nulliusque rei vel necessitatis occasione ab his unquam se separent, aut sæcularibus negotiis intendant.

« Ex quo patenter ostenditur Christo militantibus clericis fore illicitum, et terrenas facultates tenere, et res Ecclesiæ sumere; in sæculo patrimonium habere, et Ecclesiarum portionem suscipere. Cui sententiæ confirmandæ aptatur illud Apostoli : *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus : ut ei placeat, cui se probavit* (*II Tim.* II, 4). Et illud Salomonis : Væ peccatori ingredienti duabus viis! (*Eccli.* II, 14.) Quapropter qui Christi discipulatum sequi voluerit, sæcularibus negotiis renuntiare debebit : et qui semel sacer effectus de sacro vivere cœpit, jam ad vivendum sacris uti permittitur.

« Sed ne soli hoc super vita et regula catholicorum clericorum sentire videamur, accedant et alii B testes in idem consentientes, viri religiosissimi et omni scientia plenissimi; Hieronymus videlicet Augustinus et Prosper, et quid super hoc dixerint vel intellexerint, audiamus.

« Hieronymus ad Nepotianum De vita et moribus clericorum inter cætera scribens dicit : Clericus, qui Christi servit Ecclesiæ, etc. *Vid. cap.* 2, *lit. f.* Vide. Et post pauca in eadem epistola eidem scribit dicens : Procuratores atque dispensatores domorum alienigenarum atque villarum, quomodo possunt esse clerici, qui proprias jubentur contemnere facultates. Hucusque Hieronymus.

« Augustinus autem in nono decimo cap. libri *De verbis Domini* sic scribit, dicens : *Venerunt et publicani ad Joannem ut baptizarentur ab eo, et dixerunt ei : Magister, quid facimus? At ille dixit eis : Nihil amplius exigatis, quam quod constitutum est vobis* (*Luc.* III, 12), *et post pauca : Interrogaverunt et eum milites, quid faciemus, et nos? Ait illis Joannes : Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis,* C *sed contenti estote stipendiis vestris* (*ibid.*, 14). Hinc jam cognoscere se debet omnis homo, qui militat. Non enim tantum de his militantibus Scriptura loquitur, qui armata militia detinentur, sed quisquis militiæ suæ cingulo utitur, dignitatis suæ miles ascribitur. Atque ideo hæc sententia potest dici, verbi gratia, militibus et protectoribus cæterisque rectoribus, et quicunque stipendia sibi publice data consequitur, si amplius quærit, tanquam calumniator et concussor Joannis sententia condemnatur. Et paulo post addit dicens : Nam et clericus catholicus hac sententia retinetur. Si enim non contentus stipendiis fuerit, quæ de altario, Domino jubente, consequitur, sed exercet mercimonia, intercessiones vendit, viduarum munera libenter amplectitur : hic magis negotiator videtur quam clericus. Quæ ut facta ejus magis loquerentur quam lingua, in domo ipsa episcopi statuit monasterium clericorum; ubi D nemini licebat habere aliquid proprium, sicut ipse testatur dicens : Volui habere in domo ista episcopi monasterium clericorum. Ecce quomodo vivimus; nulli liceat in societate nostra habere aliquid proprium. Sed forte aliqui habent? nulli licet. Si qui habent, faciunt, quod non licet. Hæc Augustinus.

« Sed nunc quid inde beatus Prosper senserit, audiamus : Proinde quem possidendi, inquit, delectat ambitio, Deum, qui creavit omnia, expedita mente possideat : et in eo habebit, quæcunque sancte habere desiderat. Sed quoniam nemo possidet Deum, nisi qui possidetur ab eo; sit ipse primitus Dei possessio, et efficietur Deus possessor et portio. Et paulo post subjungit dicens : Quid ultra quærit, cui omnia suus conditor fit? aut quid ei sufficit, cui ipse non sufficit? et post pauca in eodem capitulo : Quis, inquit, cui Deus designatur possessio, aliquid aliud quærit? aut quis præ amore illius omnia, quæ putantur magna, non contemnit? Ergo qui Deum vult possidere, renuntiet mundo;

triumphalem coronam; quatenus apostolicam vitam in clero sectantes, regulam ipsius specialiter profiteantur. Quo etiam post apostolos duce gloriantur et principe, quoniam regula ipsius utuntur solam regiam viam sic demonstrante, ut quicunque eam tenuerit, ab apostolorum semitis aberrare non possit.

Nam sicut una est fides catholica in Symbolo apostolorum succincte collecta, sic una est regula sanctis Ecclesiæ rectoribus et ministris in Actibus eorumdem apostolorum compendiose proposita. Licet ergo fides apostolica postmodum et in Nicæna synodo, et a sancto Athanasio latius sit exposita; non tamen aliquis, vel *Credo in Deum*, vel *Credo in unum*, vel *quicunque vult*, recitans, fidem alteram atque alteram recitasse dicitur, quia non est, nisi fides una. Sic licet apostolorum communiter vivendi regula a beato Augustino sit latius exposita, tamen non est regula clericorum præter unam, quæ ab ipsis apostolis breviter per animam unam et cor unum est notata, et luculento sermone a beato Augustino cæterisque sanctis Patribus postmodum elucidata. Sicut ergo inter omnes catholicos non est nisi fides una, sic inter Dei ministros non debet esse nisi una regula, regula scilicet apostolica.

Hoc advertens iste sanctus Pater Augustinus, sicut fidem catholicam contra hæreticos multis assertionibus munivit, sic regulam apostolicam contra multitudinem clericorum inordinate ambulantium discretione præcipua elucidavit; quam et suis tradidit, imo ab apostolis traditam confirmavit. Ac hac nulla pravorum multitudine quantumcunque numerosa; nulla perversa (113) consuetudine quantumcunque diu inolita se suosque patiebatur deflecti. Quia sicut unam et apostolicam fidem in populo, sic unam et apostolicam Regulam in clero voluit observari.

CAPUT V.

Quam indignum sit, bona ecclesiastica militibus ab ipsis episcopis concedi, qui vel propterea vilescunt apud laicos, quod ab exemplo sancti Ambrosii tantum discedant, etc.

Ecce vidimus, prudens iste architectus tale fundamentum elegit, talemque structuram illi superposuit; cujus tota participatio esset in id ipsum, quia nec populum in fide, nec clerum in Regula voluit a sanctis apostolis esse diversum. In hoc ergo tutus ædificio, non timuit vel ab hæreticis vel pseudoclericis aliquatenus expugnari. In hac urbe fortitudinis utebatur Christo, non solum pro muro, sed etiam pro antemurali. Quod si nostro tempore aliquis episcoporum relinqueret militum cohortem (qualem solus ex apostolis Judas legitur duxisse; quando, sicut Evangelium narrat, fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum); si, inquam, cohortem relinqueret, et in hac urbe fortitudinis nostræ Sion cum beato Augustino confideret, sicut ille contra hæreticos et clericos proprietarios prævaluit, sic iste contra hæreticos, videlicet Simoniacos, Nicolaitas, nec non clericos proprietarios prævaleret. Quia Deus suam non desereret partem, si episcopus desereret cohortem, quæ ipsum cum gladiis et fustibus ita, quocunque pergit, comitatur; ut potius Judæ cohortem ducenti, quam Petro solam virgam gestanti similis agnoscatur. Deus autem non in episcopo speciem Judæ requirit, sed speciem Jacob, quam dilexit. Species ergo Jacob in episcopo exprimatur; ita ut, quomodo ille fecit, libentius fugiat, et, si necesse fuerit, exsilium patiatur, quam milites armatos de pauperum stipendiis pascat; et ministros, quos Christus in terra habere noluit, ipse habens regnum de hoc mundo asciscat. Si regnum Christi de hoc mundo fuisset, ministri utique sui decertassent, ut non traderetur Judæis. Sed quia regnum suum non erat de hoc mundo, non habuit in hoc mundo milites ministratores; sed passus est eos vestium suarum divisores, et corporis sui crucifixores.

Quos etiam usque hodie patitur, dum facultas ecclesiastica per milites distribuitur; et Ecclesia, quæ corpus illius est, non solum corporali ege-

ut sit illi Deus beata possessio. Nec renuntiat mundo is, quem terrenæ possessionis delectat ambitio. Quandiu sua non relinquit, mundo, cujus bona retinet, servit: et utique non potest mundo servire simul et Deo. Ac si propterea voluit Deus cultores suos omnibus renuntiare, propter quæ diligitur mundus, ut, exclusa cupiditate mundi, divina in eis charitas possit augeri vel perfici. Et ideo decimas atque primitias, frugum primogenita, et sacrificia pro peccatis, vel vota, quæ Deus sibi jussit offerri, sacerdotibus ac ministris distribui debere constituit, ut devotissimo populo necessaria ministrante, ipsi Creatori ac pastori suo liberis mentibus ministrarent. Hucusque Prosper.

« Quod autem, fratres charissimi, propriis etiam voluntatibus renuntiare debeatis, evidenter Dominus in Evangelio ostendit dicens: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et sequatur me. Et qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam*, et qui perdiderit eam hic eam *salvam faciet* (*Math.* XVI, 24). Et in alio loco: *Non veni facere voluntatem meam; sed voluntatem ejus, qui misit me* (*Joan.* VI, 38). Et alibi sacra perdocemur Scriptura: *Fili avertere a voluntatibus tuis* (*Eccli.* XVIII, 30). Nam, sicut alibi dicitur: *Voluptas habet pœnam, et necessitas parit coronam.* Et in alio loco præcipitur: *Post concupiscentias tuas non eas* (*ibid.*). Quas qui sequuntur, quid de eis per Prophetam dicitur, audiant: *Corrupti et abominabiles facti sunt in voluntatibus suis* (*Psal.* XIII, 1). Unde idem Propheta, voce prælatorum suscepta, scribit dicens: *Subjecit populos nobis, et gentes sub pedibus nostris* (*Psal.* XLVI, 4). His ergo exemplis, fratres, commoniti aliis pro Deo subesse non recusemus; sed nostris voluntatibus, Christi voluntatem, alieno sed spirituali ac discreto arbitrio exsequamur. »

(113) Augustinus in libro Confess. cap. 8: « Ex voluntate perversa facta est libido: et dum servitur libidini, facta est consuetudo; et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Notandum est, quod talis necessitas non valet ad excusandum; sed de hac et pro hac cum Psalmista est clamandum: *De necessitatibus meis erue me, Domine* (*Psal.* XXIV, 17). » Gregorius VII, Gwimanno Aversano episcopo: « Si consuetudinem fortasse opponis, advertendum fuerit quod Dominus dicit: *Ego sum veritas* (*Joan.*

state (114) in viduis, pupillis, peregrinis cæterisque pauperibus per hoc affligitur; sed et in perfectorum mentibus zelum Dei habentibus miro cruciatu crucifigitur, non tantum a militibus corporaliter eum denudantibus et clavis tribulationum configentibus; quantum a pontificibus ipsum per facultates Ecclesiæ in manus militum tradentibus (115). Nam milites non haberent potestatem adversus Ecclesiam, nisi eis fuisset datum desuper. Propterea episcopi, qui Ecclesiam et in Ecclesia Christum tradiderunt, majus peccatum habent. Licet enim non parva, sed magna et sacrilegio plena sit militum culpa, major est tamen pontificum nequitia, quia Ecclesiæ lucra sub specie lucrandæ pacis dissipant; quasi cum Pharisæis ipsis, ac pontificibus Judæorum dicant: *Ne forte veniant Romani, et tollant locum nostrum et gentem* (*Joan.* XI, 48).

Certe *illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor* (*Psal.* LII, 6). Timent enim pati malum cum Christo et apostolis; et non timent facere malum cum Pharisæis: cum facere malum semper sit malum; pati vero usque adeo non sit malum, ut unusquisque sanctorum martyrum vel pontificum eligerent mille mala pati, quam unum facere. Sic cum sanctus Ambrosius ab imperatore cogeretur (116), ut illi Ecclesiæ traditionem faceret, elegit sanctus pontifex cum suo ac suorum non parvo discrimine regem potius quam legem offendere, affirmans, nec sibi licere ut, aut res pauperum cuiquam, præterquam pauperibus, daret; nec imperatori, ut eas acciperet. Ergo quia illic trepidavit timore, ubi erat timor (quia Pharisæis Christum quasi pro cavenda Romanorum offensa tradentibus noluit communicare), et quia sic legerat: *Regem honorificate*, ut non frustra præmissum attenderet, *Deum timete* (*I Petr.* II, 17): et Deum sibi propitium servavit, et imperatoris animositatem libera et sacerdotali responsione mitiga-

A vit. Atque ita Deum timendo, ac salvo ipsius timore regem honorificando locum et gentem suam servavit: pro quo contra imperatoris offensam servando, nec minimum aliquid de facultatibus pauperum dispertire voluit. Judæi vero et Christum tradendo amiserunt; et de loco, pro quo ipsum Romanis tradiderant, per ipsos Romanos exterminati sunt.

Sic et modernorum pontificum dignitas et potestas ab his maxime destruitur et conculcatur; quibus ecclesiastica facultas distributa cognoscitur. Qui etiam ab his ipsis, a quibus pro ecclesiastico, ut dicunt, beneficio, sed revera maleficio, aliquantos denarios, triginta illis denariis, pro quibus Christus venditus est (117) per omnia conferendos accipiunt, ita contemnuntur: ut eis vel opprobrio aperto vel
B occulto susurrio dicant: *Quid ad nos? tu videris* (*Matth.* XXVII, 4). Quid ad nos, inquiunt milites, si episcopi Ecclesiam sanguine Christi comparatam nobis pro vili pretio vendunt; et postea ipsum pretium sanguinis projiciunt, dum hoc inutiliter expendunt? atque unitam vel hoc ipsum pretium in sepulturam et requiem peregrinorum expenderetur, et ab aliquo episcoporum vel in extremis suis diceretur: *Peccavi tradens sanguinem justum* (*ibid.*); et tunc etiam indulgentiam obtineret, si non desperans cum Juda, sed sperans cum David propheta se peccasse diceret. Mallem tamen, ut, cum adhuc sanus esset, peccatum suum cum Petro amarissime defleret; et a militibus Christum tradentibus, si vesti-
C tus non posset, saltem cum dilecto Christi discipulo, relicta sindone, aufugeret nudus, quia melius et sine dubio salubrius esset nudum a talibus fugere, quam vestitum et multis divitiis cumulatum cum illis remanere.

Attamen, quoniam Dominus excelsus, terribilis, rex magnus super omnem terram subjecit populos episcopis, et gentes sub pedibus eorum, ipse quoque

XIV, 6). Non ait, ego sum consuetudo, sed veritas. Et certe, ut beati Cypriani utamur sententia, quælibet consuetudo, quantumvis vetusta, quantumvis vulgata veritati omnino est postponenda: et usus qui veritati est contrarius, est abolendus.»

(114) Hieronymus ad Nepotianum: «Gloria episcopi est pauperum opibus providere: ignominia sacerdotis est propriis studere divitiis. Item: turpe est ante fores sacerdotis Christi et crucifixi et pauperis, qui cibo vescebatur alieno, lictores consulum et milites excubare. Quod si obtenderis facere te hoc, ut roges pro miseris atque subjectis, judex sæculi plus deferet clerico continenti, quam diviti; et magis sanctitatem tuam veneratur quam opes. Aut si talis est, qui non audiat clericos, nisi inter phialas: libenter carebo hujus beneficio, et Christum rogabo pro judice, qui magis potest et citius subvenire.»

(115) Hieronymus: «Amico rapere quidpiam furtum est; Ecclesiam fraudare sacrilegium est. Accepisse pauperibus erogandum, et esurientibus plurimis vel cautum esse velle vel timidum, aut, quod apertissimi sceleris est, exinde aliquid subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat.

(116) Ambrosius: «Convenior a comitibus et tribunis, ut per me Basilicæ fieret matura traditio, dicentibus imperatorem jure suo jussisse: ut, quæ in potestate ejus essent, omnia tradi deberent. Respondi, si a me peteret, quod meum est, id est, fundum meum, argentum meum, jus hujusmodi meum me non refragaturum, quanquam omnia, quæ mea sunt, sint pauperum. Verum ea, quæ divina sunt, imperatoriæ potestati non sunt subjecta.» Et paulo post: «Nec mihi fas est tradere, nec tibi, imperator, accipere expedit. Domus privati
D nullo potest jure temerari; domum Dei existimas auferendam.»

(117) Augustinus super Joannem: «Ecce fur est Judas et ne contemnas, fur est sacrilegus, non qualiscunque fur loculorum; sed fur Dominicorum loculorum, sed sacrorum. Si crimina discernuntur in foro qualiscunque furti et peculatus (peculatus est enim furtum de republica) et non sic judicatur furtum rei privatæ, quomodo publicæ: quanto vehementius judicandus est sacrilegus fur? non undecunque tollere hoc est et de Ecclesia tollere. Qui aliquid de Ecclesia furatur, Judæ proditori comparatur.»

Innocentius papa episcopis Apuliæ: «Multa contra canones ecclesiasticos decreta majorum usurpantur: quæ quidem possent facile resecari, si episcopi in his non invenirentur auctores. Qui dum aut amicis aut obsequentibus gratiam præstare nituntur, religionem violant ordinesque corrumpunt.»

in omnibus protector et adjutor eorum est: quatenus principes mundi non audeant eos a se recedentes ultra modum persequi, illius timore perterriti; per quem perterritus est Laban persequens olim Jacob a se fugientem, et omnia sua secum ad terram patrum suorum trahentem. Usque adeo elegit Deus in episcopis hæredi atem suam, speciem Jacob, quam dilexit; ut, si per omnia species Jacob, quam dilexit, in illis exprimatur, nullus eorum certissimo Dei auxilio destituatur. Quod ex illorum probatur exemplis, in quibus hactenus expressa est imago Jacob, strenui scilicet luctatoris, et Israel viri Deum videntis. Longum est hic inserere Martinos, Augustinos, cæterosque sanctos Patres, qui non per ecclesiasticas facultates ditaverunt, sed per fidem vicerunt regna. Qui etiam ora leonum, hoc est, regum potentissimorum, non de stipendiis pauperum impleverunt, sed verbo obturaverunt.

Illud tamen singulorum atque omnium episcoporum et oculis ingerere, et auribus inculcare delectat, quod beatus Ambrosius apud ipsum imperatorem (cui facultates Ecclesiæ omnino interdixit; quem etiam de peccato suo ita libere corripuit, ut Ecclesiæ introitum illi denegaret, donec illum publica pœnitentia reconciliaret); apud ipsum, inquam, cui contra veritatem non pepercit, tanti fuit ponderis et amoris, ut liquido appareat; quoniam illius terror imperatorem pressit, qui in sancto pontifice tuebatur speciem Jacob quam dilexit. Sicut enim Jacob legitur fugiens a Laban, nihil illum super filiabus cæterisque ad se pertinentibus consuluisse: sic iste de curandis animabus, et disponendis Ecclesiæ facultatibus non curabat imperatorem respicere. Usque adeo ut pro homicidiis absque ordine judiciario, jubente ipso Imperatore, factis, publicam illi pœnitentiam imponeret; et si quid de facultatibus Ecclesiæ peteret, incunctanter illi de-
A negaret, asserens omnia, quæ tam ipse quam Ecclesia possidebat (118), pauperum esse: atque ideo nec mihi fas est, inquit, tradere, nec tibi imperator, accipere expedit.

Quis ergo hanc licentiam, quam iste non habuit, modernis episcopis dedit? Qui non solum villas Deo in sacrificium oblatas, sed ipsas quoque decimas divino cultui tam Veteris quam Novi Testamenti auctoritate sanctificatas, sic militibus tradiderunt; quasi fas esse cœpit, quod beatus Ambrosius fas esse negavit? Ille nefas credidit res pauperum non pauperibus erogare: moderni episcopi, non hoc nefarium, sed necessarium putant esse; ut militibus ex lege beneficiaria suam de bonis Ecclesiæ recognoscant justitiam; Christi vero idcirco negi-
B gant justitiam, quod justitia militum nimis est inolita; justitia autem Christi nostro tempore videtur insolita. Sic etenim confusa sunt regalia et ecclesiastica; ut jam videretur episcopus regnum spoliare, si Ecclesiæ facultates militibus vellet denegare.

Hæc est illa confusio, qua impeditur ædificantium manus in sancta Dei Ecclesia; sicut quondam post transmigrationem Babylonis eorum, qui templum reædificabant, studia sunt per hoc retardata: quod, sicut isti ecclesiastica regalibus miscuerunt, sic illi, cum essent Israelitæ, contra divinum interdictum, uxores alienigenas ducendo commisti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum.

C Nonne episcopi commisti sunt sæcularibus principibus, et ita didicerunt opera eorum, ut nonnulli eorum sciant castra expugnare, procinctum contra hostes movere, et cætera, quæ duci magis quam pontifici conveniunt, ordinare (119)?

Quid ergo faciendum est episcopo alicui (120) volenti hoc esse, quod dicitur; nisi ut multitudine ac consuetudine perversorum penitus despecta solum

(118) Ambrosius: « Allegatur imperatori licere omnia, ipsius esse universa? respondeo. Noli gravare te, imperator, ut putes in ea, quæ divina sunt, imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere; sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est enim: *quæ Cæsaris sunt, Cæsari; quæ Dei, Deo* (*Matth.* XXII, 21). Ad imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiæ. Publicarum tibi rerum jus commissum est, non sanctorum. » Idem, cum vasa Ecclesiæ tradere compelleretur, ait: « Si de me aliquid posceretur, aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum, id quod mei juris esset, libenter offerrem; templo Dei nihil posse nec decerpere nec tradere, quia illud custodiendum, non tradendum acceperim. Deinde consulere me etiam imperatoris saluti, quia nec mihi expediret tradere, nec illi accipere. Accipiat enim vocem liberi sacerdotis; si vult sibi esse consultum, recedat a Christi injuria. »

Ambrosius in serm. ad populum: « Meministis quia lectum est hodie, Naboth sanctum virum, possessorem vineæ suæ, interpellatum petitione regia, ut vineam suam daret, eum respondisse: absit, ut ego *patrum meorum tradam hæreditatem!* (*III Reg.* XXI, 3.) Quantum mali, regem contristatum esse, quod sibi esset alienum jus negatione justa negatum; sed muliebri consilio deceptus Naboth vites suas vel proprio cruore defendit. » Et post pauca: « Si ille vineam suam non tradidit, nos tradēmus Christi Ecclesiam? Quid igitur responsum est contumaciter? Dixi enim conventui: absit a me, ut ego tradam Christi hæreditatem! Si ille patrum hæreditatem non tradidit, ego tradam Christi hæreditatem? Sed et hoc addidi: absit, ut tradam hæreditatem patrum, hoc est, hæreditatem Dionysii, qui in exsilio in causa fidei defunctus est; hæreditatem Eustorii confessoris; hæreditatem Moroli atque omnium retro fidelium episcoporum. Respondi ego,
D quod sacerdotis est; quod imperatoris est, faciat imperator. Prius est, ut animam mihi auferat quam fidem. »

(119) Augustinus ad Valerium: « Nihil est in hac vita, et maxime in hoc tempore, difficilius, laboriosius, periculosius episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio; sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster imperator jubet. »

(120) Hieronymus ad Heliodorum: « Non est facile stare loco Pauli, Petri tenere gradum, jam cum Christo regnantium, ne forte veniat angelus, qui scindat velum templi tui, et candelabrum de loco tuo moveat. Ædificaturus turrim, futuri operis sumptus supputa. Infatuatum sal ad nihil prodest, nisi ut projiciatur foras, et a porcis conculcetur (*Matth.* V, 13). Monachus si ceciderit, rogabit pro eo sacerdos; pro sacerdotis lapsu quis rogaturus est? » Idem: « Væ illi homini, qui acceptum talentum in sudario ligans, cæteris lucra facientibus, id

Christum ita sequatur, ut quidam sanctus Tobias videatur?

CAPUT VI.

Defensores olim Ecclesiarum ii erant, qui eis maximum detrimentum inferebant : hinc fictum eorum hominium. Res Ecclesiæ non sunt regis, sed pauperum, damnanturque episcopi, in tuendis Ecclesiæ juribus molliores.

De Tobia quidem sic legitur; quod, *cum omnes irent ad vitulos aureos, quos fecerat rex Israel, hic solus vitans consortia eorum, venit in Jerusalem adorare Dominum Deum Israel* (*Tob.* I, 5). Sic ergo iste, cum omnes eant ad palatium de mundi negotiis tractare, solus discat in visione pacis debitas Deo victimas et oblationes facere. Sed fortasse rex eum persequetur cum militia, et lege Christi velut re insolita post dorsum projecta, de sua illum urgebit justitia, habens in hoc milites fautores : qui cum Pilati militibus vendiderunt mendacium, ut acciperent Ecclesiæ stipendium. Fecerunt enim episcopis hominium, ut essent Ecclesiæ defensores, cum sint ipsi hostibus extraneis omnino deteriores, quia Ecclesiæ bona inter se dissipant, et id ipsum, quod beneficiis eorum superesse videtur, sumptuose apud episcopos convivando, ita volunt consumere, ut pene nihil possit militum sumptui superesse, unde pauperes et viduæ alantur, hospites et peregrini suscipiantur; et cætera episcopalis munificentiæ officia peragantur.

Quid est ergo illud hominium, nisi quoddam mendacium? nam cum se episcoporum homines dicant, tantam sibi super eos dominandi potestatem vindicant, ut nihil dantes, præter mendacium, totum Ecclesiæ sic exhauriant gazophylacium; ut per omnia illis militibus deteriores probentur, qui accepto a pontificibus pretio tale mendacium confinxerunt; quod per hoc solubile ac destructibile fecerunt, quoniam se dormientibus Christum furto ablatum dixerunt (*Matth.* XXVIII, 13).

Quis enim non videat fragile ac falsum testimonium illius esse, qui de hoc testatur, quod factum dicitur eo dormiente? cassatum est ergo mendacium eorum, quia Christus resurrexisse non dubitatur. Perierunt pontifices, a quibus hoc mendacium de stipe templi comparatum agnoscitur. Hominium vero et mendacium, quod episcopi de facultatibus Ecclesiæ mercantur, vix audet aliquis veritatis gladio impugnare, nisi propositum habeat eos, qui occidunt corpus, non ita formidare; sicut timenda est sententia illius judicis, *qui postquam occiderit corpus, habet potestatem mittere animam in gehennam ignis* (*Luc.* XII, 5).

Sed dicet aliquis : nonne et ipse justus judex *Cæsari, quæ sunt Cæsaris* (*Matth.* XXII, 21), reddenda præcepit? nonne hoc ipsum exemplo confirmans didrachma persolvit? Quis est ergo episcopus, qui se Christo vel etiam Petro majorem faciens, tributum, quod illi solverunt, contra doctrinam Pauli apostoli potestatibus sublimioribus denegare præsumat? Ad quod respondemus quia in hoc ipso cunctos episcopos Christo ac Petro conformari optamus; ut, sicut ille non de loculis Judæ, qui erant communis pauperum substantiæ, sed aliunde accepit pretium, quod Cæsari daretur : sic et episcopi non de facultatibus Ecclesiæ, quæ solis pauperibus et Deo militantibus debent esse communes; sed aliunde, si possent, militibus et regi ministrarent illud : attendentes, quod sancti Patres dicunt sacrilegium esse rem pauperum non pauperibus erogare. Si vero facultates Ecclesiæ imperator aut alius princeps peteret, congruenter episcopus cum beato Ambrosio, quod supra posuimus, respondet : « Nec mihi fas est tradere, nec tibi, imperator, expedit accipere. »

Quod si pro regia, ut dicunt, justitia de rebus pauperum aliquid episcopo imperator extorquere disponeret, melius esset cum beato Laurentio ardere, cui facultates Ecclesiæ nec ignis potuit extorquere : quam justitiam Florensem sive Aulicam tanti ponderare, quasi contra justitiam divinam illa nos possit excusare. Cum nulla quantumcunque vetus consuetudo, quantumcunque a regibus confirmata constitutio possit aut debeat stare, si propheticis, evangelicis atque apostolicis institutis invenitur repugnare.

Sed adhuc objicitur : Quod [*Cod.* quæ] a suis prædecessoribus illis cognoscuntur præstita esse, maxime si antiquitas accessit beneficio, ut in eo sit quædam per multas ætates quasi hæreditaria successio. Ad quod respondemus quod prædecessores episcopi, qui hoc fecerunt, nisi per ignem pœnitentiæ pro sacrilegio commisso postmodum sint purgati, et illi absque dubio perierunt : et suis successoribus hæreditatem perditionis dimiserunt, nisi ea studeant corrigere, quæ ab illis contra Dei leges sciuntur præsumpta esse (121). Nam si manum apposuerint ad ea secundum leges aulicas in potestate

tantum, quod acceperat, reservavit! (*Matth.* XXV, 25.) Illico Domini responsione ferietur : Serve nequam! Quare non dedisti pecuniam meam, et ego cum usuris exegissem eam? (*ibid.*, 26.) id est, deposuisses ad altare, quod ferre non poteras. Dum enim tu ignavus negotiator denarium tenes, alterius locum, qui pecuniam duplicare poterat, occupasti. Non omnes episcopi sunt. Attendis Petrum, sed et Judam considera. Stephanum suscipis? sed Nicolaum respice, quem Dominus in Apocalypsi (II, 15) sua damnavit sententia. Probet se unusquisque, et sic accedat.

(121) Ex synodo papæ Hilarii, cap. IV : « Illud, quod quisquis commisit episcopus illicite, aut a decessoribus invenit admissum, si proprium vult vitare periculum, damnabit. Nam in se, quidquid in alio non resecabit, inveniet. » Gelasius Cresconio, Joanni et Messalæ episcopis inter cætera : « Decessorum statuta, sicut legitima et justa successorem custodire convenit, ita debet etiam male facta corrigere. »

Adrianus papa Engelramno : « Constitutiones contra sancta decreta Romanorum præsulum nullius sint momenti. »

Gregorius in Registro : « Imperiali constitutione aperte sancitum est ut ea, quæ contra leges fiunt,

militum confirmanda, quæ illis per legem Dei de manu sunt extorquenda, sicut Judæi hodie viventes, quoniam Patribus suis Christi interfectoribus in errore succedunt, ab eorum damnatione alieni non sunt : sic episcopi malis episcopis succedentes, nisi male ordinata studeant ad ordinem justum reformare, damnationem prædecessorum non possunt evadere.

CAPUT VII.

Ædificium Dei consistere non potest, nisi episcopi jugum hujus sæculi, id est, pompam satellitiorum, ministeria militum, neglectum vitæ evangelicæ, etc., excutiant.

Non debet alicui mirum videri, quod in distinguendo ecclesiastica et regalia tandiu immoramur, quia hoc ad structuram ædificii, de quo tractare disposuimus, plurimum valere arbitramur. Sicut enim quondam sub Zorobabel duce et Jesu magno sacerdote reædificatio templi per hoc tardata est, quod lex Dei, quæ filiis hominum Israel alienigenas uxores interdixit, usque adeo profanata et neglecta est, ut etiam ipse Jesus legatur uxorem alienigenam duxisse (unde et beatus Hieronymus dicit eum propter hoc in *veste sordida* Zachariæ prophetæ apparuisse [*Zach.* III, 3], sic nostro tempore sanctæ Dei Ecclesiæ per hoc est ædificatio impedita, quod contra mandatum divinæ legis neminem Deo militantem sæcularibus negotiis implicari permittentis, ipsa sæcularia ecclesiasticis usque adeo sunt permista, ut etiam sacerdos, quem lex de sanctis egredi prohibet, foris appareat veste sordida indutus, hoc est, mundanis causis implicatus et involutus. Ideo et Satan per se ipsum ac membra sua illi multum adversatur ; et de corporalibus Ecclesiæ bonis, tanquam de corpore Moysis, plerumque cum eo per militum linguas altercatur. Quem Satanam archangelus Christi Ecclesiæ in adjutorium missus non audet increpare, quia episcopos veste sordida indutos, militum vexationibus juste videt subjacere.

Cui sententiæ illud concordat, quod angelus bonus, qui precibus Danielis adfuit, atque illas utpote a viro desideriorum oblatas cito exaudiri desideravit : tamen viginti et uno diebus per angelos adversarios moram tulit. Quoniam princeps Persarum, malus scilicet angelus, quasi causam justam contra illum habuit. Nam, quamvis preces Danielis mundæ fuissent, tamen propterea tardius exaudiri debuerunt, quod illi, pro quibus oravit, tantum culpæ contraxerant; ut justa peccati vindicta, principibus malis debebant subjacere. Sed tamen, quoniam

A vir desideriorum, qui sibi desiderabiles cibos subtraxerat, pro illis oravit, tandem bonus angelus (122) prævaluit : et de abbreviato captivitatis tempore lætam consolationem Danieli apportans, moram quoque diligenter exposuit, quia videlicet principes malos suis precibus adversantes habuit. Quorum nullus ante Deum bonis angelis pro salute satagentibus adversari poterit, aut præsumet, nisi peccatis hominum exigentibus justam a Deo licentiam acceperit.

Satan ergo, qui episcopis adversandi potestatem justam tandiu habet, quandiu sacerdotalis almitas veste sordida in eis dehonestatur, non potest ab angelo bono comprimi, nisi episcopus cum Daniele apponat cor suum ad intelligendum, ut se affligat B in conspectu Domini, nisi vestem sordidam projiciat, et lineis indutus, atramentarium scriptoris ad renes habens, tau litteram, hoc est, crucis mysticam figuram, frontibus Dei servorum inscribat. Tunc enim gladius Satanæ ulterius non poterit illi adversari : sed velit, nolit, pars adversaria cogetur per omnia illi famulari, eos tantummodo lædendo et interficiendo, qui non crucis figuram frontibus suis habent ita impressam, ut gementes et dolentes de his, quæ fiunt in medio eorum, per nimium boni fervoris cruciatum quasi per crucis signum possint evadere vindictam.

Ergo sicut ipsi principes Ecclesiam lacerantes tradentur in manus gladii in præsenti sæculo, et partes vulpium erunt in futuro, sic omnes eorum con- C sentientes foris vastabit gladius; et intus pavor. Quos utique nec foris gladius, nec intus pavor cum aliqua sui læsione vastaret, si eos nudos nudam crucem sequentes tau littera consignaret. Sed quia terrena diligunt, quæ a mundi principibus dari vel auferri possunt, necesse est eos pavore intus, foris gladio vastari, quando pacem terrenam per mundi principes vident non servari. Hæc itaque vastatio a sanctuario incipiet quia clericos proprietarios Ecclesiæ sanctuariis indigne incubantes primo exterminari continget: cum divitiæ, quas possident, a militibus, nemine defendente, auferentur et consumentur. Deinde ipsi aut peribunt ab invicem dispersi, aut, quod magis est ab omnibus bonis optan- D dum et de ipso bonitatis fonte sperandum, salvabuntur conversi.

Enimvero, si episcopus multitudine quantumcunque numerosa et consuetudine quatumcunque inolita, semel ac simul despecto lineo et apostolico habitu refulgens, et atramentarium scriptoris ad renes habens, hoc est, sacra Scripturarum auctori-

non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sunt. »

Innocentius papa episcopis per Macedoniam constitutis : « Grave non oportuit videri piissimis mentibus vestris cujuscunque retractari judicium, quia veritas exagitata sæpius, magis splendescit in luce; et pernicies revocata in judicium gravius et sine pœnitentia condemnatur. »

Ex Romanis legibus : « Illa scripta uniuscujusque supplicantis desiderio concessa prævaleant, et effectu mancipentur, quæ cum juris et legum ratione concordant. Ea vero, quæ subreptione vel falsis precibus forsitan impetrantur, nullum supplicantibus ferant remedium. »

(122) Hieronymus ad Augustinum : « Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu Nativitatis in sui custodiam Angelum delegatum. »

tate semetipsum accingens ita incedat, ut figuram tau, quorum potest, frontibus inscribat, et eos apostolicæ vitæ professores et crucis Christi bajulatores sibi assumat, atque cum illis solis animarum curam provideat, cæteri sine dubio vastabuntur gladiis sex virorum, hoc est, principum terrenorum. Qui ideo senario numero comprehenduntur, quia in præsenti mundo sex diebus creato per sex ætates gladium non sine causa portare permittuntur. In præsenti vero tempore, episcopo lineis et candidis puritatis et innocentiæ vestibus induto sic iste gladius famulatur, ut, etiam ubi creditur adversari, nihil illis noceat, atque interdum divino terrore retusus conquiescat, juxta illud : *Non reliquit hominem nocere eis, et corripuit pro eis reges* (*Psal.* CIV, 14).

Longe itaque sit ab episcopo sæcularis pompæ illecebra, quæ tanquam sordida vestis deturpat insignia episcopalia. Ut quid enim illi aut vestis pretiosa, aut militum caterva? Nunquid iterum comprehendendus et crucifigendus est Christus, ut ad hoc faciendum, cohortem ducat episcopus, Judæ potius traditori quam Petro pastori conformatus? Sicut enim, juxta Pauli sententiam, qui peccat in fratrem, pro quo Christus mortuus est, peccat in ipsum Christum, qui pro ipso mortuus est : sic et episcopus absque dubio, qui res pauperum tradit militibus, fame affligit et occidit pauperes Christi, atque ita peccans in fratres, peccat in Christum pro talibus liberandis semel in se ipso traditum militibus : qui nunc iterum per episcopos traditur militibus in suis membris affligendus et occidendus. Episcopus enim tradens stipendia pauperum, tradit animas et vitas eorum ; tanto deterior Juda traditore, quanto avidius ex tali traditione pretium sanguinis colligit, et in usus suos custodit, quod Judas possidere noluit, sed se hoc accepisse usque ad mortem doluit.

Ergo, ut dictum est, Judæ traditori, non Petro pastori episcopus conformatur, quando militum cohortem ducit, quam de stipendiis pauperum pascit. Sed utinam Petro conformaretur, et de medio militum, inter quos tenetur vinctus catenis duabus, ita exiret, ut utramque projiciens cum Psalmista diceret : *Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum* (*Psal.* II, 3).

Quæ sunt autem hæ duæ catenæ, quibus episcopus ligatur sub rectoribus mundi tenebrarum harum, sustinens et carcerem tenebrosum? Nimirum una catena (123) est hominium, per quod a militibus astringitur ; altera est illa timiditas, qua se a militibus destitutum lædi et male tractari suspicatur. Sed utræque istæ catenæ, assistente angelo magni consi-
A lii, dirumpentur, quia et hominio neglecto et timiditate abjecta, etiam porta ferrea ultro ad exitum ejus aperietur, si tantummodo ad imperium angeli velociter surgat, et confortatus in Domino, et in potentia virtutis ejus, non de militum robore confidat, sed illius fortitudine cui omne genu flectitur ; sub quo etiam potestas terrena usque adeo curvatur, ut magis honoret ac timeat episcopum cum Christo ministros milites habere nolentem, sed sola virga pastorali utentem, quam mille milites in comitatu suo ducentem.

CAPUT VIII.

Quomodo partiendæ ac dispensandæ sint ab episcopis ecclesiasticæ facultates : num de prædiis Ecclesiæ ac decimis principi stipendium pendendum, etc.

B Unde ergo tanta virtus in illa virga directionis, nisi quia Dominus regnavit, et præcinxit se virtute? (*Psal.* XVII, 33.) Hac ergo virtute præcingatur episcopus, et illum sola virga cum Moyse utentem tota timebit Ægyptus. Hac virga etiam rex Ægypti cum exercitu suo percutietur, si episcopum a se recedentem temerario ausu persequetur. Si enim episcopus a curia cum suis recedens speciem Jacob, quam Dominus dilexit, etiam in hoc teneat, ut illum sua omnia scrutari permittat, sicut a Laban factum legitur, qui scrutando Jacob substantiam nequiter egisse notatur (*Gen.* XXXI, 33, et seqq.). Si, inquam, hoc idem episcopus regi cæterisque principibus permittat : quid suum poterunt apud
C Ecclesiam invenire, pro quo episcopum a se recedentem debeant angariare? Villas, inquiunt, quas reges ecclesiis obtulerunt. Ad quod respondemus quod, sicut aurea idola de domo Laban a Rachele portata, scrutante ipso Laban, propterea inveniri non potuerunt, quod sub veste Rachelis abscondita latuerunt : sic et modo inter multas Ecclesiarum villas, quas partim a regibus, partim ab aliis Deum timentibus accepit Ecclesia, non apparet eam aliquas villas regalis pertinentiæ habere ; pro quibus debeat aut fiscum regalem implere, aut milites ad procinctum stipendiare. Nisi forte pro Ecclesia, non contra Ecclesiam militantibus placeat episcopis aliquam illis opem ferre, non tamen de decimarum sancta oblatione vel alia pauperum facultate ;
D quam nulli debet episcopus dare ut propriam ; sed sicut canones præcipiunt, dispensare utpote commissam.

Debetur enim pars una clericis ; altera ecclesiarum ædificationibus et reparationibus ; tertia viduis ac cæteris in hoc mundo consolationem non habentibus ; quarta episcopo, non ut inde cum militibus

(123) Hieronymus ad Paulinum presbyterum : « Multitudines hominum, et officia, et salutationes, et convivia, veluti quasdam catenas fugias voluptatis. Sit vilis et vespertinus cibus, olera et legumina, interdumque pisciculos pro summis ducas deliciis. Qui Christum desiderat, et illo pane vescitur : non quærit magnopere, de quam pretiosis cibis stercus conficiat. Quidquid post gulam non sentitur, idem tibi sit, quod panis, quod legumina. Semper in manu tua sit sacra lectio, crebræ vigiliæ : et ventre vacuo sæpius dormiendum. Rumusculos et gloriolas et palpantes adulatores quasi hostes ama. Pauperibus et fratribus refrigeria sumptuum manu propria distribue. Rara est in hominibus fides. Cogita Judæ loculos. Humilitatem vestium tumenti animo non appetas. Sæcularium et maxime pœnitentium consortia devita »

convivetur, sed peregrinis et hospitibus, quod sibi A suisque cubiculariis superesse poterit, ita largus dispensator impendat, ut omni viatori ostium suum pateat. Nam si omnes non receperit, juxta Patrum sententiam, inhumanus est. Ergo pars quarta, quam de decimis cæterisque oblationibus recipit episcopus, maxime debetur peregrinis et hospitibus. Inter quos hospites, milites ac principes non numerantur, nisi forte cum de terra sua peregrinantur. Tunc enim et ipsis consolatione indigentibus, prout facultas et domesticorum necessitas admiserit, charitatem debet episcopus, quoniam de tota sua parochia quarta pars decimæ ad hoc illi commendatur; ut omnibus consolatione indigentibus beneficus et munificus inveniatur.

Si ergo sic se agat episcopus in administrandis B Ecclesiæ facultatibus, quas villas audebit vel poterit imperator illi detrahere; quæ operiuntur sub tali charitate, qua tanquam veste nuptiali Ecclesia in Rachele figurata vestitur; et multitudo peccatorum, quæ ipsi reges et principes quasi quædam idola fabricant, penitus operitur? charitas enim quæ, cæteras virtutes ornando, et tanquam vestis ambiendo, regnat in paucitate spiritualium, ipsa operit multitudinem peccatorum in turba sæcularium; si tamen sæculares ipsi pro suis lucris omnia scrutantes Ecclesiam non moveant; sed eam cum Rachele quieta sessione utentem, atque ipsam charitatis vestem, qua ornatur, etiam ad persequentium peccata et idola operienda extendentem sedere et quiescere permittant. C

Plus ergo proficit regibus quam Ecclesiæ quod ipsa dignatur villas ab eis oblatas possidere; si tamen eam cum viro legitimo a se recedentem non ita persequantur, ut catholico episcopo, dilecto ipsius Ecclesiæ sponso, nihil asperum loquantur, sicut Laban ad Jacob nihil loquebatur asperum. Qui ne hoc præsumeret, Deus in via terruerat et præmonuerat illum, dicens : *Cave ne aliquid asperum loquaris ad eum* (*Gen.* XXXI, 24). Ecce quam vere speciem Jacob Deus dilexit, quam sub tanta diligentia protexit, ut Jacob dilectum suum nec verbo aspero lædi permitteret; sed ipsum ejus persecutorem ad fœdus cum eo componendum occulta sui timoris virtute urgeret. D

CAPUT IX.

Principum erga Ecclesiam benevolentia et munificentia primis sæculis maxima fuit; non item posterioribus. Electiones episcoporum oportet esse canonicas, id est, liberas.

Quis ergo dubitet hoc ipsum in sancta Ecclesia fieri, si episcopus speciem Jacob in se ipso exprimens, in hoc figuralem Jacob velit imitari, ut, sicut ille, socero inconsulto, solus in solitudine cum solis duabus uxoribus suis tale consilium iniit, ut a domo Laban patris earum recederet, quoniam vultum ejus adversum se mutatum videret; sic iste religiosus videlicet episcopus, non exspectans principum vel multitudinis consilia, solus in solitudine cordis sui, adhibita contemplandi et agendi solertia, tale consilium firmissime præfigat, ut a curia curarum plena totum se cum suis abstrahens, ad antiquas Patrum sedes via regia et cursu irrevocabili tendat, quoniam vultus regum ac principum erga episcopos valde mutatos constat?

Si enim recenseamus quales erga Ecclesiam fuerint imperatores Christianissimi, Constantinus (124), Constans, Valentinianus, Theodosius, Arcadius, Honorius, Carolus (125), Ludovicus et his imperio et religione consimiles, qui vel a se vel ab aliis ædificatas ecclesias amplissimis donis ditaverunt, et in clero et in rebus Ecclesiarum nullum sibi dominium vel judicium vindicare voluerunt; imo, ne quis sibi vindicaret, quidam eorum legibus vetuerunt. Hos, inquam, si recenseamus, et Othonibus, Heinricis, cæterisque illorum similibus conferamus, vere vultum regiæ dignitatis valde mutatum invenimus, non solum adversus episcopum, Rachelis et Liæ legitimum sponsum, sed adversus ipsum Dominum et Christum ejus, angariando et in servitutem redigendo sanctam et liberam sponsam ipsius.

Priores illi Ecclesias ditaverunt; isti spoliaverunt. Illi sancta concilia, in quibus potestas principum ab episcoporum promotionibus excluditur, caute servaverunt, nusquam se ad has inserentes, imo ne quis minorum principum hoc faceret, prohibentes nisi forte ab Ecclesia invitarentur ad collaborandum studiis bonorum. Sic petente Mediolanensi Ecclesia post factam electionem imperatoris accessit suffragium (126), ut obtinerent beatum Ambrosium. Qui in episcopum electus usque adeo renitebatur; ut imperatoris auxilium, quoniam tunc temporis non longe a Mediolano fuit, super hoc necessarium videretur; non ut electum investiret, sed ut

(124) Constantinus in Nicæna synodo conventum episcopalem ita exorsus est : « Dominus statuit vos sacerdotes, et potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi; et omnino nos a vobis recte judicamur. Vos autem non potestis ab hominibus judicari. Vos autem nobis a Deo dati estis dii; et conveniens non est ut homo deos judicet. Inter vos causam audite, et pacem facite. Nam ego si viderem sacerdotem Dei peccantem, chlamyde mea cooperirem eum. »

(125) Carolus et Ludovicus gloriosi imperatores in primo libro capitulorum suorum statuerunt sacrorum canonum non ignari : « Ut in Dei nomine sancta Ecclesia suo liberius potiatur honore, assensum ordini ecclesiastico præbemus, ut scilicet episcopi per electionem cleri et populi secundum statuta canonum de propria diœcesi, remota personarum et munerum acceptione, ob vitæ meritum et sapientiæ donum eligantur, ut verbo et exemplo sibi subjectis prodesse valeant. »

(126) Ex tripartita Historia : : Justinianus ad Mediolanenses loquens : Nostis, ait, eruditi divinis eloquiis, qualem oporteat esse episcopum. Et quia non decet eum verbo solum, sed etiam conversatione gubernare subjectos, et totius semetipsum imitatorem virtutis ostendere, testemque doctrinæ conversationem bonam habere. Talem itaque in pontificali constituite sede, cui et nos, qui guber-

renitentem imperatoriæ auctoritatis pondere ad hoc inclinaret; quatenus electioni divinitus factæ acquiesceret.

Similiter sanctus Gregorius post factam de se canonicam electionem in tantum renitebatur, ut imperatori Mauritio litteras mitteret, ne unquam populo Romano super sui electione assensum præberet; non, quod imperator haberet potestatem cassandi electionem, sed quia Gregorius meditabatur fugam, et sui subtractionem. Itaque sub imperatore tam orienti quam occidenti præsidente, fugam et latebram suam volens facere tutiorem, cogitavit litteris suis ad hoc inducere atque captare imperatorem, ne se ab electione subtrahendo illum offenderet, de cujus latissimo tunc imperio penitus exire non posset. Hoc vir Dei cogitans utile se putavit invenisse consilium. Sed, *Non est consilium contra Dominum* (*Prov.* XXI, 30). Namque neque litteræ istæ pervenerunt ad imperatorem; nec si pervenissent, impedire potuissent electionem. Nullus quippe inter omnes antiquos et catholicos illos imperatores invenitur, qui electionem clerici ac populi cassare aut retractare, sive aliquam in ea sibi potestatem vindicare tentaverit; quamvis tunc temporis ea consuetudo solemnis fuerit, ut electo Romanæ urbis pontifice scriptum super hoc ad imperatorem mitteretur; quatenus assensu illius ad favorem populi accedente ipsa electio firmior haberetur. Quod tamen non semper servabatur, sed tunc solummodo, quando utilitas hoc exposcere videbatur, sicut in electione istius beati viri tantum venientis, ut, sicut de beato Ambrosio diximus, necessarium videretur auxilium et assensus imperatoris.

Beatus vero Pelagius, prædecessor ipsius proximus, inconsulto imperatore, post factam electionem e vestigio fuit ordinatus, quia tunc non erat utilitas vel necessitas ulla, ut electio illius innotesceret imperatori; cum nullam in electione ac promotione pontificum potestatem habeat aliqua laica potestas, sicut sacra canonum testatur auctoritas. Quæ non solum episcopos, sed etiam presbyteros per laicam potestatem Ecclesias obtinentes usque adeo consecrari et ordinari prohibet, ut ordinatores talium non solum officio privandos judicet; sed etiam sub anathemate positos indicet (127).

Hinc est, quod octava synodus electionem per laicalem potestatem fieri sub anathemate interdicit: quæ synodus, petente et præsente Basilio magno imperatore, habita fuit. Neque tamen vel ipse Basi-

A lius, vel cæteri catholici imperatores questi sunt hoc ad sui contemptum fieri; ut nihil de pontificum electione eorum deferatur potestati: imo potius leguntur sanctorum Patrum institutiones amplexati fuisse, easque quidam eorum post quinque patriarcharum subscriptiones suis quoque subscriptionibus roborasse. Fuit enim tempore illo laicis in Ecclesia non aliqua statuendi potestas (128), non imperandi auctoritas, sed subsequendi necessitas et obediendi humilitas.

Nonne istis omnibus consideratis quodammodo intuemur clementissimum vultum regum cæterorumque principum erga speciem Jacob, quam Deus dilexit, sanctum videlicet sacerdotium quondam fulsisse? Sed modo peccatis exigentibus non solum

B vultus clementiæ in regibus est mutatus, sed etiam rarus quilibet invenitur episcopus, in quo species Jacob, quam Deus diligit, sic appareat, ut antiquo illi Jacob speciali similitudine appropinquare studeat. Videlicet in baculo crucis seu regulæ pastoralis Jordanem, hoc est, mundum fluentem transeundo; pauperum greges potius quam militum cohortes pascendo; Rachelem magis quam Liam diligendo, sed tamen utramque amplectendo; de domo Laban, hoc est, mundi principium cum suis omnibus recedendo; fratrem Esau cum armatis sibi occurrentem non armis, sed patientia vincendo; et cætera, quæ ille figuraliter gessit, specialiter exsequendo. Quæ omnia si episcopus pro debito sui or-

C dinis observaret, revera sic spatium inter gregem et gregem ordinaret, ut non esset, *sicut populus, sic sacerdos* (*Isai.* XXIV, 2); nec omnino sua voluntate ille esset sacerdos aut gregis custos, qui in domo propria tanquam lupi quadam spelunca potius prædam congregat, quam in claustralibus septis inter vestibulum et altare cum sacerdotibus et Dei ministris pro peccatis intercedat.

CAPUT X.

Quæ bona, et qua ratione liceat principi Ecclesiæ donare? Ecclesiastica munia ab ecclesiasticis, sæcularia vero a sæcularibus administranda sunt.

Hæc de villis dicta sint, quarum paucas ecclesia suscepit a regibus, ita ut de ipsius regni sint facultatibus. Sicut enim cuilibet fideli non dubitamus

D licere, ut sive de hæreditate sua, sive de alia legitime acquisita possessione oblationem faciat ecclesiis: sic idipsum regibus licere, nemo est qui dubitet; nemo, qui tales oblationes ab Ecclesia recusandas putet.

namus imperium, sincere nostra capita submittamus; et ejus monita, dum tanquam homines deliquerimus, necessaria veluti curantis medicamenta suscipiamus. Hæc cum dixisset imperator, petiit synodus ut magis ipse decerneret, sapiens et pius existens. At ille, super vos est, inquit, talis electio. Vos enim gratia divina potentes, et illo splendore fulgentes melius poteritis eligere. »

Item ad Ambrosium electum ait: « Noli timere, quia et Deus, qui te elegit, semper juvabit: et ego adjutor et defensor tuus, ut meo ordini decet, semper existam. »

(127) Ex concilio Antiocheno, cap. 128: « Si quis presbyter vel diaconus per sæcularem dignitatem ecclesiam Domini obtinuerit, dejiciatur a clero; et ipse et ordinator ejus a communione modis omnibus abscindantur, et sub anathemate sint, sicut Simon Magus a Petro. »

(128) Ex synodo Symmachi papæ cum ducentis et octodecim episcopis: « Non placuit laicos ad statuendum aliquid in Ecclesia habere aliquam potestatem: cui subsequendi manet necessitas non auctoritas imperandi. »

De regni autem facultate, quæ est res publica, non debet a rege fieri donatio privata. Est enim aut regibus in posterum successuris integre conservanda, aut communicato principum consilio donanda.

De re autem privata tam a regibus quam a cæteris principibus potest fieri donatio privata. Sic imperator Constantinus, si quid Ecclesiis donabat de ipsius regni publicis facultatibus, non hoc fecit, nisi consultis consulibus cæterisque regni majoribus, quorum collaudatione testamenta super talibus conscribi fecit, ne sua traditio posteris in dubium venire posset. De rebus autem sibi privatim pertinentibus ita erga Ecclesiam Dei fuit munificus; ut, si quis librum, qui de donationibus ipsius Romæ conscriptus est, perlegere voluerit, inveniat illum fuisse tam in privatis hilarem datorem, quam in publicis fidelem ac prudentem dispensatorem. Sua enim liberaliter donavit; regalia vero discretissime dispensavit; non, ut eum quidam accusant, confundens ac permiscens ecclesiastica regalibus, sed honorans Ecclesiam de ipsis regalibus.

Neque enim vel pontificem regales curas ministrare disposuit, neque sibi de ecclesiastico regimine aliquid temere usurpavit. Hinc est quod, in Nicæna synodo post omnes episcopos ultimus residens, de sacerdotum causis nihil judicare præsumpsit; sed per omnia sub episcoporum dignitate se reverenter humilians, ad eorum arbitrium se pendere judicavit.

Non ergo a Constantino processit ista confusio, et succedentium quorumdam imperatorum exitiabilis abusio : ut reges et principes promotioni episcoporum, abbatum, abbatissarum se ultro ingerentes, administrent ecclesiastica; quæ a Constantino non leguntur administrata. Rursum quis episcopo milites colligendi ad procinctum, ac cætera ducis officia gerendi potestatem tribuit, quam a Constantino et sub Constantino neque beatus Sylvester, neque alius episcopus habuit? non ergo a Constantino et Sylvestro cœpit hujus confusionis origo, quoniam et ille regis, et iste pontificis officium tam simpliciter, tam sincere ministravit, ut alter pro pace militando exercitui præesse, castris ac bellis interesse non recusaret; alter solum Dei ministrorum et Christi pauperum curam gerendo, non solum in spiritualibus animarum lucra studiose cumularet, sed etiam de corporalibus Ecclesiæ rebus eorum inopiæ solertissime provideret.

Volens itaque beatus pontifex Sylvester sui exemplum posteris relinquere, vidensque tunc in clero vitam communem defecisse, quæ nullam in decimis legem habuit, vel habet nisi quam apostoli habuerunt, qui, prout cuique opus erat, omnia, quæ offerebantur, diviserunt, et quod superfuit, pauperibus dimiserunt. Videns, inquam, hoc totum Sylvester papa, ipse primus omnium Romanorum pontificum, post vitæ communis defectum nihil suum dicentis, obviavit morbo avaritiæ sua quærentis per tale decretum, quo de rapacibus manibus epi- A scoporum et clericorum sua quærentium extorqueret partem pauperum.

Igitur præsidens episcoporum conventui, omnibus qui aderant consentientibus, generali decreto statuit de decimis cæterisque oblationibus quatuor fieri portiones, quarum nullam destinavit ad stipendia militum, quia non erat illi militiæ sed Ecclesiæ cura; magisque pauperum turba quam militum turma stipari optavit; nec Dominus militum facto sibi hominio appellari, sed pauperum Christi servus et dici et esse affectavit. Sciens enim scriptum esse quod *omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum* (*Hebr.* v, 1), his quæ ad sæculum erant omnino positis, de his tantummodo se intromisit, B quæ erant ad Deum. Ducatus, comitatus, telonia, moneta pertinent ad sæculum. Decimæ, primitiæ, cæteræque oblationes pertinent ad Deum. Illa per mundi principes, ista per pontifices antiquitus tractabantur, ea videlicet cautione ac distinctione, ut neque pontifex in his, quæ erant ad sæculum; neque princeps in his, quæ erant ad Deum præesset; sed uterque suo jure contentus, modum divinitus ordinatum non excederet.

Apostolus dicit quoniam *testamento hominis morte testatoris confirmato nemo aliud super ordinat* (*Hebr.* IX, 16); et testamentum sanguine Christi confirmatum tam facile annihilandum et conculcandum aliquis putat, ut, contra Evangelium, quod C est ipsius Christi Novum Testamentum, gladium Petro interdictum, manibus episcoporum denuo reddendum arbitretur? et Matthæum de telonio vocatum, rursum in episcopo ad idem officium residere cogat, ad quod Matthæus resedisse non legitur?

Hæc dicens, non illud intendo persuadere, ut episcopus telonium ac cætera sine dubio ad regem pertinentia sic abnuat, ut illis offendiculum ponat; qui talia semel Ecclesiis donata quacunque occasione ab illis auferentes dicunt sacrilegium committere, quoniam Ecclesia rem semel acceptam et diutina possessione mancipatam non potest amittere. Quibus ego ad præsens non respondeo; sed illud simpliciter affirmo : quod sicut laici nullo ju- D stitiæ vel falso colore decimarum possessionem sibi poterunt licitam affirmare, quoniam decima ecclesiastica res esse non dubitatur : sic illæ regales et militares administrationes ab episcopis sine certa sui ordinis apostasia gubernari non possunt. Quia si Matthæus ad telonium resedisset, nequaquam in apostolorum, sed apostatarum numero censeri meruisset.

CAPUT XI.

Proponitur episcopis in exemplum sanctus Martinus, non amator et collega militum ac nobilium, sed pauperum et monachorum.

Quis vero poterit culpare, imo quis non cogetur laudare, si episcopus decimas laicis sub anathemate interdicat; et se a publicis militarium negotiorum

officiis ita penitus alienum faciat, ut magis cum antiquo Martino pauperes, quam cum novo Moguntino milites colligere ac procurare studeat? Scimus quo pervenerit Martinus cum suis pauperibus: nescimus adhuc quo perveniat Moguntinus cum suis militibus. Martinus pauper et modicus, cœlum dives ingreditur; Moguntinus non pauper, non modicus adhuc super terram graditur. Non omnes episcopi possunt, quod potest Moguntinus; et per Dei gratiam possent, si vellent, quod potuit Martinus. Pauci cum Moguntino possunt tam sumptuosa convivia disponere, quibus valeant ac velint principes et milites multi interesse. Omnes autem, per Dei gratiam, si volunt, possunt cum Martino quotidianas sui suorumque discipulorum refectiones cum tanta frugalitate disponere, ut milites magis abesse, quam adesse libeat mensis eorum, glorificantes super hoc virtutem parcimoniæ ipsorum.

Quid autem prodest Moguntino, quod ante eum sedet populus manducare et bibere, et postea surgit ludere? multum vero profuit Martino in se ipso suisque discipulis parcimonia cum discretione, in peregrinos hospitalitas sine murmure, in viduas ac pauperes omnes pro charitate miserationis affectus, pro facultate largitionis effectus. Moguntinus cum militum turma solet ad curiam venire; Martinus (quo metropolis Moguntia patrono gloriatur) non ita solebat agere. Sed quando vel ad regem vel alias iter facere necessitas incumbebat, solum pauperum discipulorumque suorum comitatu contentus erat: nec spumantibus equis vel ipse vel sui vehebantur; sed vilibus jumentis ad solam itineris necessitatem utebantur; si tamen tam longe fuit eundum, ut pro corporis infirmitate necessarium esset jumentum (129).

Facilius ergo Martino Moguntiensium patrono, quam ipsi domino Moguntino possent omnes episcopi conformari, si, adjuvante gratia, vellent pro posse conari. Et quid dicam de Martino? certe in Christo Jesu possent omnes, quod potuit Petrus, imo quod potuit ipse Christus, pauci possunt hoc tempore argentum et aurum sufficienter habere, et militibus victum sufficientem præbere. Quis autem non potest cum Petro aurum et argentum non habere? Quis non potest cum Christo militibus ministris carere, quos ipse in hoc mundo noluit habere? Certe omnis episcopus potest, imo cogitur argentum et aurum non habere, si inter tot fame, siti, nuditate deficientes solam charitatem voluerit possidere. Multo autem facilius poterit militibus carere, si ipse militiam sibi a Deo præordinatam voluerit exercere. Nam et talem militiam milites sponte fugiunt; et ad eam strenue ab episcopis cum religiosis fratribus exercendam penitus necessarii non sunt. Non est enim nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem gladio materiali peragenda; sed adversus principes, mundi rectores militia spiritualis jugiter exercenda. In qua militia nemo militans implicat se negotiis sæcularibus; nemo libenter occupatur in administrandis regalibus: sed ducatu, comitatu, telonio cæterisque publicis functionibus omnino postpositis sic pugnat, non quasi aerem verberans; et sic currit, non quasi in incertum; nec modernorum sed antiquorum sequitur ducatum.

Quæ cum ita se habeant, patet Ecclesiarum facultates trifariam esse distinctas; in decimarum videlicet oblationes, et agrorum possessiones, nec non regales ac publicas functiones. Et de decimis quidem nulla est contradictio, quin eas laici possideant cum sacrilegio. Agros autem semel in usus pauperum oblatos docuit superior assertio ab Ecclesia sub charitatis operimento defendi, ne ab aliquo persecutore juste possint auferri. Publicas autem functiones non curat Ecclesia multum defendere; non curat Rachel vestem suam ad eas tegendas extendere, quoniam spirituales viri malunt carere talibus, quam ex eorum occasione implicari negotiis sæcularibus.

CAPUT XII.

De familiis, servis, et ministerialibus Ecclesiarum, quorum olim longe alia facies quam nunc. Turpe est episcopum vix ullibi, nisi militibus stipatum comparere.

Hic adjiciendum puto de familiis Ecclesiarum, quas longe aliter tractari videmus, quam paternarum traditionum venerandus præscribit terminus. Primitiva enim Ecclesia non solebat famulos possidere; sed omnes, quacunque ex conditione conversi, tanquam fratres in unum habitantes ista studebant agere: ut non, sicut principes gentium dominantur eorum quos possident, sic ipsi aliquorum dominarentur; sed per charitatem servientes invicem, illius vestigia sequerentur, qui non venit mi-

(129) Sulpitius in Vita sancti Martini: « Sumpto episcopatu qualem quantumque se Martinus præstiterit, non est nostræ facultatis evolvere. Idem enim constantissime perseverabat, qui prius fuerat. Eadem in corde ejus humilitas; eadem in vestitu ejus vilitas erat: atque ita plenus auctoritatis et gratiæ implebat episcopi dignitatem, ut tamen non propositum monachi virtutemque desereret. » Et post pauca: « Discipuli vero octoginta erant, qui ad exemplum beati Magistri instituebantur. Nemo ibi quidquam proprium habebat; omnia in medio conferebantur. Non emere aut vendere, ut plerisque monachis moris erat, quidquam licebat. Ars ibi, exceptis scriptoribus, nulla habebatur: cui tamen operi minor ætas deputabatur; majores orationi vacabant. Rarus cuiquam extra cellulam suam egressus, nisi cum ad orationis locum conveniebant. Cibum una omnes post horam jejunii accipiebant; vinum nemo noverat, nisi quem infirmitas coegisset. Plerique camelorum setis vestiebantur: mollior ibidem habitus pro crimine erat. Quod eo magis sit mirum, necesse est quod multi inter eos nobiles habebantur: qui longe aliter educati, ad hanc se humilitatem et patientiam coegerant: pluresque ex his postea episcopos vidimus. Quæ enim esset civitas aut Ecclesia, quæ non se de Martini monasterio cuperet sacerdotes habere? »

nistrari, sed ministrare. Sed licet apostolica Ecclesia servos non haberet, Apostolus tamen dominis carnalibus servos obedire docet. Non autem otiose, cum dixisset : *Servi, obedite dominis*, adjecit, *carnalibus* (*Ephes*. VI 5); sed voluit eos distinguere a perfectis et omnino spiritualibus. Quia omnes, quos ante conversionem habebant famulos, in ipsa conversione sua faciebant libertos. Neque enim erat adhuc consuetudo famulos Ecclesiæ donare, quia multis nunc persecutionibus Ecclesia exposita et quasi ad procinctum parata, nec agros poterat possidere : et ideo non agri offerebantur, sed pretia agrorum ad pedes apostolorum ponebantur. Testante vero Urbano papa et martyre, agri postmodum pro majori utilitate cœperunt Ecclesiis offerri, ut, episcoporum solertia providente, per annuos fructus eorum certiora essent subsidia communiter vivendi. Ad agros itaque colendos cum ipsis villis offerebantur et coloni. Si qui autem supra colonariam conditionem erant ministeriales, a dominis perfecte se convertentibus libertati donabantur : sicut in sancti (130) Sebastiani, aliorumque martyrum passionibus, de multis legitur. Qui se arbitrabantur non esse conversos, nisi prius libertati donarent omnes famulos suos. Tunc enim regnante persecutione vix poterat Ecclesia vel agros vel colonos tueri : et ideo placuit sanctis famulos suos magis libertati quam Ecclesiis donari.

Cæterum postquam, cessante persecutione, a Christianissimo principe Constantino pax et libertas Ecclesiarum confirmata est, in tantum sancta Dei Ecclesia exaltata est, ut cum maxima libertate possideret non solum famulos et colonos, sed et magnæ auctoritatis robore ipsos quoque contra A omnem injustam mundi violentiam tueretur libertos (131). Inde factum est ut, quando convertebantur principes magni, ministeriales eorum famuli mallent Ecclesiæ tuitionibus mancipari, quam omnimodo libertati donari. Extunc cœpit Ecclesia ministeriales habere, quos ipsa tueretur; non a quibus ipsa defenderetur, ut quidam rerum gestarum imperiti somniant, qui illos Ecclesiæ ad hoc datos putant; ut eos episcopi de pauperum facultatibus pascant ; et quanto plures ex eis poterunt, semper secum teneant. Neque enim putant episcopum prandium aut cœnam cum honestate sumere, si contingat militum multitudinem abesse, solos fratres parcimoniæ amatores et Christi pauperes adesse. Hoc illi somniant, quia, quid, quare factum B sit, ignorant. Neque enim idcirco venerunt milites in jus ac potestatem Ecclesiarum; ut essent distractores earum, sicut quotidie fieri videmus. Namque dum episcopi de rebus Ecclesiæ serviunt illis, nihil reservatur viduis et pupillis.

Quid ad hæc dicemus? certe si *religio munda et immaculata apud Deum et Patrem hæc est : visitare viduas et pupillos in tribulatione eorum* (*Jacob*. I, 27), irreligiositas utique et immunditia probatur pascere milites de rebus eorum. Ergo quicunque hoc facit, etsi nunc appareat hominibus honestus et religiosus, in ultimo examine stabit inglorius et maculosus. Ubi puto, tutior stabit, sive, ut magis credo, ad multos episcopos judicandos et in sui comparatione dam- C nandos in judicio sedebit Augustinus, tanto vicinior apostolis, quanto regulam apostolorum secutus est cum suis clericis. Sedebit etiam Martinus ille pauper et modicus. Tunc certe illum non pœnitebit, quod aliquando a militibus est male tra-

(130) Ex passione Sebastiani martyris : « Interrogatus Chromatius si crederet, dixit, credo. Iterum interrogatus, utrum abrenuntiaret omnibus idolis, respondit, abrenuntio. Prosecuta est interrogatio sacerdotis, utrum renuntiaret omnibus peccatis? at ille ait : Ista prius debuisti inquirere, antequam has aulas Regis cœlorum intrarem. Nunc autem reinduam me non baptizatus, ut omnibus prius, quibus sum iratus, indulgeam? omnibus debitoribus meis chirographa restituam? si cui aliquid violenter abstuli, integrum reddi præcipiam? Duæ mihi post uxoris obitum concubinæ sunt, et istis donem et maritis tradam? ab omni nexu servili, ingenuo, privato, publico actuum meorum nodos exsolvam; et ita demum promittam me renuntiaturum omnibus peccatis diabolicis et voluptatibus mundi? Dicit ei Polycarpus presbyter : Beatiorem te cœlestis unda perfundit, cum ea, quæ arbitrio tuo dicis te esse facturum, tota festinatione compleveris, » Et post pauca. « Chromatius sacri baptismatis novitatem cum eodem, ex familia ejus promiscui sexus mille quadraginta animæ, quos omnes prius manumissionis gratia a servitutis nodo exsolvit, et donis optimis instruxit, dicens : Hoc, quod quidem incipiunt habere Patrem servi hominis, non decet esse. »

(131) Ex decretis Melchiadis papæ cap. 3 : « Denique reges et præsides et magistratus non solum adjacentia tribuere, sed etiam ipsi propria largiti sunt per universa regna terrarum, unde alerentur egentes, qui in mundo nihil possidebant; Ecclesiæque fabricarentur atque restaurarentur Deoque et Ecclesiæ ejus rite famulantium servorum illius supplementa absque necessitate tribuerunt. »

Ex dictis ejusdem : « E quibus vir religiosissimus Constantinus primus fidem veritatis patenter adeptus licentiam dedit per universum mundum, et suo degentes imperio non solum fieri Christianos; sed etiam fabricandas ecclesias et prædia tribuenda constituit. Denique idem præfatus princeps donaria immensa et fabricam templi primi sedis beati Petri principis apostolorum instituit : adeo ut sedem imperialem, cui quoque Romani principes præsidebant, relinqueret; et beato Petro suisque successoribus profuturam concederet. »

D Agathense concilium, cap. 28 : « Libertos legitime a dominis suis factos Ecclesia, si necesse fuerit, tueatur quod si quis autem audientiam aut privare eos aut exspoliare voluerit vel præsumpserit ab Ecclesia repellatur. »

Toletanum concilium cap. 73 : « Liberti quibuscunque manumissi sunt, atque Ecclesiæ patrocinio commendati existunt, sicut regulæ antiquorum Patrum constituerunt, sacerdotali defensione a cujuslibet insolentia protegantur, sive in statu libertatis eorum, sive in periculo, qui habere noscuntur. »

Vita beati Gregorii, l. III, c. 46 : « Libertatem cujuslibet hominis Gregorius contra judicium insolentias crebris nihilominus vocibus defendebat. »

Ex concilio Arausic., cap. 6 : « In Ecclesiæ manumissos, vel per testamentum Ecclesiæ commendatos, si qui in servitutem, vel in obsequium, vel ad colonariam conditionem imprimere tentaverit, animadversione ecclesiastica coercebitur. »

ctatus : nunquam vero eisdem suo ministerio adscitis legitur stipatus. Nam pauper ipse cum suis compauperibus quadam vice, solito more non imperialiter, sed episcopaliter incedens, cum iter faceret; a militibus, quos obvios habebat, plagatus et male tractatus nullos ministros pro se certantes habuit; sed neque, ut postea iter faciens militum turmas duceret, tantis plagis compelli potuit.

Sane illud non reprehendimus, si aliquando, ubi malos habet suspectos, a principe deductores armatos accipiat episcopus (nam hoc legitur fecisse Paulus apostolus), non ut suos inimicos ipse lædere, sed ne ab eis lædi posset : qui se devoverant non accepturos cibum, donec occiderent Paulum. Sed illis deductoribus a tribuno, non a Paulo, stipendia providebantur, quia de collectis Ecclesiarum soli pauperes et communiter viventes pascebantur (*Act.* XXIII, 12). Puto autem, si de collectis milites pascendi fuissent, nullis certe rectius quam illius deductoribus exhiberentur : quo satagente per multas Ecclesias fuerant res pauperum collectæ; sicut ipsius testantur epistolæ. Sic ergo, si fieri potest, ut absque pauperum et Ecclesiarum gravamine per viam aliquam sibi suspectam deductores, armatos accipiat episcopus ab aliquo principum, non erit continuo appellandus dux militum, quoniam aliud est milites ducere, quod præter solum Judam nullus legitur apostolus fecisse; et aliud deduci a militibus, sicut deductus est Paulus apostolus.

Multo autem gloriosius erit episcopo, si non in homine, sed in Domino fiduciam ponens dicat cum beato Martino : « Ego signo crucis, non clypeo protectus aut galea, hostiam cuneos penetrabo securus. Affirmante enim Apostolo : *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Christi* (*II Cor.* X, 4, 5.)

CAPUT XIII.

Exemplo sancti Laurentii martyris episcopi se gerant, non ut bonorum ecclesiasticorum dominos, pascendis militibus addictos, sed ut eorum dispensatores, pauperibus benevolos.

Talibus armis Petrus expugnavit Romam; et de urbe orbis victrice humilis piscator obtinuit victoriam. Fuit etiam post apostolos in sanctis episcopis hæc armatura; sed in his maxime, quorum circa pauperes magis quam circa milites pascendos versabatur intentio et cura. Per hanc Leo papa de rege Attila triumphavit, quando, ut historia Longobardorum (habet), tyrannus nec in verbo aspero pontificem contristare, nec pacem postulatam illi denegare ausus fuit. Quoniam, ut ipse Attila postmodum suis aperuit, ad introitum pontificis terrifica quadam visione sic permotus fuit, ut non oporteat dubitare angelorum ministerium sancto pontifici adfuisse; regemque superbum fortius terruisse, quam nunc aliquis superbus prin- A ceps terreretur, si ad illum episcopus cum militibus ministris ingrederetur. Ipsi enim milites, qui dicuntur ministri, in tantum sibi volunt ab episcopis ministrari, ut magis timeantur, quam timeant, quia se defensores episcoporum putant, credentes illum penitus annihilari, si ab eo recesserint ipsi ministri. Unde etiam facultates Ecclesiæ velut ex debito sibi autumant impendendas, nescientes eas pauperibus Christi usque adeo debitas, ut sacrilegium committat, qui pro militibus beneficiandis pauperes, imo in pauperibus Christum spoliat.

Hoc intelligens insignis martyr Laurentius elegit pati a militibus ustionem craticulæ, quam illis dare facultates Ecclesiæ.

Sed dicit aliquis : Facultates Ecclesiæ non erant B Laurentio datæ, sed a beato Xisto commendatæ; atque ideo non licebat eas illi pro suo libitu donare, sed fidem commissarii erga magistrum servare. Acquiescimus plane, quia commissa fuit Laurentio facultas Ecclesiæ. Sed nunquid episcopo vel presbytero non similiter committitur facultas Ecclesiæ, quando ad hoc in pastorem ordinatur, ut fidelis ac prudens dispensator erga pauperes, non largus donator erga milites existat? Ergo sicut Laurentio, ita nihilominus episcopo facultas Ecclesiæ non data est ut proprium, sed commissa ut alienum.

Hoc est illud alienum, de quo dicit Dominus : *Si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis?* (*Luc.* XVI, 12.) Loquitur enim illis, quibus antea dixerat : *Beati pauperes spiritu, quia* C *eorum est regnum cœlorum* (*Matth.* VI, 3). His ergo, quibus regnum fuit proprium, comminatur ipsum regnum auferendum, si non fideliter dispensaverint alienum. Nam sive in Dei verbo, sive in ecclesiastico stipendio nihil habet episcopus, nisi alienum; quod si fideliter his, quibus debetur, dispensaverit, pro isto alieno regnum Dei possidebit ut proprium. Si autem in alieno fidelis non fuerit, regnum utique, quod suum esse poterat, nemo illi dabit.

In hoc alieno Laurentius fidelis fuit, quia dispersit, et dedit pauperibus; pauperibus, inquam, non militibus, quanquam multis et miris modis cruciaretur : non quomodo cæteri martyres, ut fidem negaret; sed ut res pauperum militibus D daret. At sanctus martyr per Spiritum sanctum intellexit æquipollere in peccato fidem Christi negare, et in alieno quod Christus commisit, infidelem existere. Omnis namque, qui in eo, quod Christus commisit, infidelis efficitur, Christi fidem negasse convincitur.

Nihil ergo distat causa passionis in hoc martyre cæterisque martyribus pro fide Christi occumbentibus, nisi quod iste tanto periculosius ad fidei naufragium urgebatur, quanto de ipsa fide occultius tentabatur. Neque enim solummodo dicebatur ille : nega fidem; sed etiam, da thesaurum. Si enim thesauros Ecclesiæ militibus prodidisset, jam in alieno infidelis factus, fidei thesaurum, qui suus erat, omnino perdidisset. Elegit itaque militum cruciatus patiendo

Christi minister permanere, quam milites ministros A de thesauro Ecclesiæ reconciliare. Ne, quamvis poterat videri, quod hoc fieret sine detrimento fidei, si tortores in se frementes de aliquantula pecunia mitigaret, fidem tamen verbotenus non negaret.

O tentatio periculosa, o lingua serpentis dolosa! quam multos Ecclesiæ procuratores hoc tempore circa fidem Christi naufragare facis, dum non compelluntur per tormenta fidem verbotenus denegare; sed per munera et falsa militum promissa persuadentur fidem in Christi commisso non servare; quasi minus sit fidem Christo non servare quam fidem Christi negare? O quanto tolerabilius inter duo mala esset Christum cum timido Petro verbis negare, quam cum impio Juda sub osculo pacis tradere! Episcopi enim tradentes bona Ecclesiæ militibus prætendunt quoddam osculum pacis; dum et milites in hominio suscipiunt sub osculo pacis, et susceptos pascunt sub obtentu pacis, quasi aliter pacem non habeant, nisi ministri et principes eorum latus ambiant. Sed, Deo juste judicante, agitur, ut a nullis pejora patiantur, quam ab his ipsis, quibus bona Ecclesiæ distribuunt; quibus, ut expressius dicam, ipsum Christum in suis membris crucifigendum tradunt. Quando enim pauper Christi fame ac nuditate per militum occasionem affligitur, Christus in paupere cruciatur, et quodammodo crucifigitur.

Quod beatus Laurentius intelligens maluit a militibus cruciari, quam ad pauperes Christi cruciandos ipsis militibus suffragari. Triumphavit ergo in fide Christi tanto gloriosius, quanto ad perdendam fidem tentabatur occultius et periculosius. Potuit enim quadam verisimilitudine cautelæ pro mitiganda principum rabie thesauros dedisse, et quasi quamdam pacem sibi cæterisque tunc fidelibus hoc modo quæsivisse (sicut modo multi faciunt, qui, quasi pro pace sibi suisque comparanda, bona ecclesiastica ministris et principibus distribuunt), sed beatus martyr neque sibi, neque cæteris confessoribus taliter pacem quæsivit, quia sub specie mellis venenum latere perspexit. Quia ergo sub specie pacis captandæ transgredi potuit, et non est transgressus; facere mala, et non fecit: ideo in laude ipsius lætius tota Ecclesia triumphat, jucun- D dius exsultat, et universalius festum ejus concelebrat, quam post apostolos alicujus martyris pro sola fide aperte luctantis et vincentis. Decet enim, ut, quanto in hujus martyris luctamine causa fidei fuit occultior, victoria rarior, tanto sit festivitas ipsius in toto mundo præclarior; illis videlicet in testimonium, qui martyrem tantum non sequuntur: his vero in adjutorium, qui illius exemplo fideliter utuntur, solis illis distribuendo ecclesiasticas facultates, quibus eas distribui præcipiunt sacri canones.

CAPUT XIV.

Sacri canones antiqui nullam bonorum ecclesiasticorum portionem militibus ministerialibus, et divitibus clericis indulgent.

Ibi puto, ad stipendia militum nulla de rebus Ecclesiæ portio destinatur; quibus tamen ab episcopis major portio de oblatis Deo rebus exhibetur, quam viduis ac cæteris indigentibus, consolationem in hoc mundo aut non habentibus cum Lazaro, aut habere nolentibus cum Petro. Quibus duobus pauperum generibus tota debetur facultas ecclesiastica præter quartam ejus partem, quæ fabricis Ecclesiarum est applicanda.

Cum ergo Ecclesiæ stipendia solis debeantur aut cum Lazaro non habentibus, aut cum Petro nihil habere volentibus, in quo genere pauperum istorum ponemus ministros, milites, et clericos proprium B habentes? cum Lazaro non conveniunt, quoniam habent consolationem suam. A Petro valde dissentiunt, quoniam, quod habent, servant tenaciter; et quod non habent, quærunt rapaciter. Quando autem vel milites, vel illi semiclerici de suis aliquid tribuunt, non tam large atque hilariter afflictis pauperibus, quam ipsis pauperum afflictoribus hoc impendunt. Nec mirum, cum ipsi sint pauperum afflictores, et quantum in ipsis est, ipsius Christi crucifixores.

Si tota canonum series recenseatur ministris, militibus et clericis divitibus nulla portio de rebus Ecclesiæ destinatur. Nusquam in Romanorum pontificum decretalibus epistolis, nusquam in sanctorum Patrum sententiis hoc approbatur: ut vel mi- C les minister, vel clericus, ex proprio dives, stipendiis Ecclesiæ pascatur. Nec moveat quemquam quod beatus Gregorius Anglorum clericis proprium habentibus, ab episcopo stipendii portionem dari permisit, quos (*vid.* c. 3, l.) nec infra congregationem pascendos, nec ad sacros ordines admittendos apertissime significavit; hoc enim et nos possemus et deberemus tolerare, si clerici proprietarii vellent extra sacros ordines, intra vel infra acolythos, in sancta Dei Ecclesia militare, nec præsumerent sibi curas animarum vel sacros ordines prius vindicare, quam proprietatibus renuntiarent, et jugo apostolicæ regulæ colla submitterent. Tunc enim ordinate ordinarentur, si tamen non bigami, non viduarum vel repudiatarum mariti, non aliquo crimine, quod invenialiter a sacris ordinibus canones reprobant, maculati per diligentem examinationem probarentur.

Si ergo sic ad ordines accederent, satis tolerari posset, ut extra congregationem et extra sacros ordines constituti, stipendia suis muniis debita foris acciperent, quamvis hi, qui Ecclesiæ rebus communicant, sua nequaquam sine peccato possideant. Soli enim, testante Prospero, sine peccato possident sua, qui nihil accipiunt ab Ecclesia. Qui autem Ecclesiæ stipendia cum suis possidere volunt, faciunt quidem rem culpabilem; sed juxta permissionem sancti Gregorii (132) quoquo modo tolerabi-

(132) Ex Vita S. Gregorii l. II, c. 11: « Prudentissimus rector Gregorius, remotis a suo cubiculo

lem, si stipendia sua foris accipientes, nec fratrum communiter viventium perturbant quietem, nec sacri ordinis præsumunt administrationem.

Invenimus ergo juxta quemdam modum clericos proprium habentes posse ab Ecclesia stipendiari; milites vero ministros nusquam invenimus ita in Patrum scriptis commendari, ut de rebus Ecclesiæ debeant beneficiari. Sancti etenim pontifices, apostolorum successores, modernorum præcessores non habuerunt milites ministratores, sed de clericis et monachis probatos cubicularios: neque super facultates Ecclesiæ laicos præfecerunt, sed œconomos sive vicedominos de clericis elegerunt. Clericis ergo solummodo res pauperum tractandas commiserunt, quia terminos Patrum transgredi noluerunt, qui laicis quantumcunque religiosis nihil in Ecclesiæ oblationibus administrandis permittunt. At nunc laicos vicedominos, et super bona pauperum præpositos, nec non episcoporum ministros contra Patrum consuetudinem videmus: et in conviviis eorum magis strepitum ex turba militum ac scutariorum, quam aliquid de scriptis Patrum, sonare dolemus. Neque enim simul se capiunt Patrum collationes, et militum confabulationes: et fortasse milites ministros offenderent, si vox lectoris in mensa paulo altius resonaret.

Quod malum beatus Augustinus discretissime cavens, tales convivas mensæ suæ frugali adhibere curavit, quibus superest lectio et sancta disputatio: nolens in mensa sua otiosam confabulationem; vehementissime vero exhorrens absentium detractionem. Quod, ut omnibus ad mensam suam accedentibus innotesceret, ne quis linguam suam apud ipsum in detractionem absentium laxaret, hos versus mensæ suæ inscribi fecit:

Qui cupit absentum maledictis rodere vitam,
Hac mensa indignam noverit esse suam.

Et (quia) breves lectiunculas, quas quidem in prandiis sub uno flatu incipiunt ac terminant, vel ipse suo tempore vidit, vel Spiritus, qui per eum loquebatur, nostra hæc tempora prævidit: dedit suis regulare præceptum, significans verbum ædificationis cum refectione corporali incipiendum, et eadem firmitate finiendum (132*). Utinam ergo militibus et scutiferis lectio saperet, vel episcopis aliquo modo persuaderi posset, ut cum Jesu a turba declinarent, et modernorum detestabili abjecta abusione, sanctas Patrum leges et consuetudines observarent.

Tunc certe nec milites ministros cum animarum suarum stipendio sibi conciliarent; sed sic eorum ministerialem libertatem ecclesiastico vigore dispensarent, ut tamen res pauperum nequaquam inter illos dividerent. Nunc autem non solum agri militibus traduntur; sed, quod magis detestandum est, ipsi Ecclesiæ coloni majori servitute sub militibus affliguntur, quam si essent proprii servi eorum. Afflictio itaque illorum tota redundabit in caput eorum. Quid enim ad eos pertinet famulos Ecclesiæ militibus præstare, a quibus aut debitam servitutem, aut pro servitute censum non nimium eos gravantem debent Ecclesiarum ministri accipere? Ad hoc enim solummodo constat eos Ecclesiis oblatos, ut minus sub Ecclesiæ, quam sub hominis dominio angarientur, non ut ex eis milites inbeneficientur.

Possunt quidem prælati Ecclesiarum suffraganeas quasdam facere de familiis earum; ut videlicet inter ipsos famulos Ecclesiæ, faciant alterum alteri suffragari, quando injunctum officium non potest ab uno sine adjutorio competenter administrari. Sic rustici villico subduntur, non in beneficium, sed in suæ procurationis necessarium quoddam suffragium. Sic vicedominus villicos habet subjectos, utpote ad suffragandum illius ministerio valde necessarios. Sic et cæteris per ecclesiastica munia occupatis possunt famuli Ecclesiarum in hoc ipsum præ-

sæcularibus, clericos sibi prudentissimos consiliarios familiaresque delegit. Inter quos Petrum diaconum, Patherium æque notarium, Joannem defensorem, monachorum vero sanctissimos sibi familiares elegit. Cum quibus Gregorius (cap. 12) die noctuque versatus, nihil monasticæ perfectionis in palatio, nihil pontificalis institutionis in Ecclesia dereliquit. Videbantur passim cum eruditissimis clericis adhærere pontifici religiosissimi monachi: et in diversis professionibus habebatur vita communis, ita ut talis esset sub Gregorio penes urbem Romanam Ecclesia, qualem hanc fuisse sub apostolis Lucas, et sub Marco evangelista penes Alexandriam Philo commemorat (cap. 14). Accersiebantur pontificalibus profundisque consiliis prudentes viri potius quam potentes; paupere philosophia intrinsecus, quid potius aut potissimum in unoquoque negotio sequendum putaretur, artificiosis argumentationibus rationabiliter inquirente: dives inertia, quæ odiosa est sapientibus, despicabilis remanebat (cap. 15). Nemo laicorum quodlibet palatii ministerium, vel ecclesiasticum patrimonium procurabat; sed omnia ecclesiastici juris munia, ecclesiastici nihilominus viri subibant, nimirum laicis ad armorum solam militiam vel ad agrorum curam continuam deputatis.»

(132*) Augustinus in Regula clericorum: «Carnem vestram domate jejuniis et abstinentia, quantum valetudo permittit.» Et post pauca: «Cum acceditis ad mensam, donec inde surgatis quod vobis secundum consuetudinem legitur, sine tumultu et contentione audite: nec solæ fauces vobis sumant cibum, sed et aures esuriant verbum Dei.»

Gregorius Natali Salonitano episcopo scribit dicens: «Multis ab urbe tua venientibus, frater charissime, didici pastorali cura derelicta, solis te conviviis occupatum. Quæ audita non crederem, nisi hæc actionum tuarum experimentis approbarem, etc.» Item ad eumdem suis se scriptis excusantem: «Convivia, quæ ex intentione impendendæ charitatis fiunt, recte vestra sanctitas in suis epistolis laudat. Sed tamen sciendum est quia tunc veraciter ex charitate prodeunt, cum in eis nulla absentium vita mordetur; nullus ex irrisione reprehenditur: et non in eis inanes sæcularium negotiorum fabulæ, sed verba sacræ lectionis audiuntur; cum non plus, quam necesse est, servitur ventri, sed sola ejus infirmitas reficitur, ut ad usus exercendæ virtutis habeatur. Hæc itaque vos si in vestris conviviis agitis, abstinentium fateor magistri estis.»

stari, ut illi, qui subduntur his qui præficiuntur, prestudeant fideliter suffragari. Attamen si illi, qui in aliquo tali officio præfecti sunt, ipsum amittunt officium : famuli ad suffragandum illis commodati nullum eis debent servitium.

CAPUT XV.

Familiæ ac prædia Ecclesiarum non sunt committenda aut præstanda militibus, aliisque sæcularibus ministris, sed probis clericis.

Ut autem ecclesiastica officia decentius administrarentur, et ipsi famuli Ecclesiarum non ultra modum angarientur; recte, sicut in gestis conciliorum invenitur, sancti Patres decreverunt, ne aliqua persona laica in talibus officiis præficeretur, quibus villicorum et villarum subjectio debetur (133).

Quod quidem, cum ex apostolorum actibus descendat, ubi solis diaconibus mensarum providentiam injunctam fuisse constat; cum etiam ex hoc probatur, quod œconomum, quem nos dicimus vicedominum, sacri canones de clero elegi præcipiunt: cui totam dispensationem imponunt, ad quam peragendam militibus non indiget, quia redditus agrorum melius a villicis, quam a præpositis militibus accipiet (133*). Ne, si contra Patrum sententias miles ecclesiasticis facultatibus præponatur, familia Ecclesiæ per militarem violentiam ultra modum prematur : et in privatis militum usibus compellatur servire, qui semel Ecclesiæ oblatus in Ecclesiæ tantum servitio debet permanere.

Quo servitio nec debet, nec potest ab episcopo quisquam Ecclesiæ famulus mancipari, nisi cultui religionis vel inter clericos vel inter monachos velit applicari. Tunc enim, ut beatus Gregorius dicit, ne illi, cujus sunt omnia, inveniantur episcopi quædam negare, potest causa sectandæ religionis aliquem de censuali vel colonaria conditione ab Ecclesiæ debito penso aut servitio episcopus emancipare.

Hanc, sicut dixi, libertatem permittente et consulente sancto Gregorio, non solum episcopi, sed etiam abbates, cæterique Ecclesiarum prælati non debent omnibus Ecclesiæ famulis denegare; sed neque omnibus debent eam præstare. Hoc autem qua discretione fieri debeat, idem beatus in quodam suo decretali constituto evidenter insinuat (134). Sicut ergo nihil in hoc Deo aufertur; sed quod oblatum est, amplius et mundius offertur illi ; cum Ecclesiæ famulus a debito servitio ad hoc emancipatur, quatenus districtiori religionis cultui subdatur : ita revera sancta Dei Ecclesia spoliatur per episcopos,

(133) Ex Vita S. Gregorii, libro II, cap. 15 : « Nemo laicorum quodlibet palatii ministerium vel ecclesiasticum patrimonium procurabat ; sed omnia ecclesiastici juris munia, ecclesiastici nihilominus viri subibant, nimirum laicis ad armorum solam militiam, vel agrorum curam continuam deputatis. »

Item Gregorius Januario Caralitano episcopo inter cætera scribit dicens : « Indicatum nobis est quod laicis quibusdam curam vestri patrimonii committentes, postmodum in rusticorum deprædationibus, atque per hæc ex fatigationibus fuerint deprehensi. Quod si ita est, a nobis districte discuti convenit; atque inter eos, Ecclesiæque vestræ rusticos causam examinare subtilius : et quidquid in eis fuerit fraudis inventum, cum pœna legalibus statuta reddere compellantur. De cætero vero cavendum a fraternitate vestra est, ne sæcularibus viris, atque sine regula vestra degentibus cujuslibet res Ecclesiæ committantur; sed probatis de vestro servitio clericis : in quibus si quid reperiri poterit pravitatis, ut in subditis, emendare, quod illicite gestum fuerit, valeatis. Quos videlicet apud vos habitus sui officium magis conveniat, quam excuset. »

Item Vita S. Gregorii, lib. II, cap. 54 : « Singula ecclesiastici juris offic a singulis quibusque personis singillatim committi debere jubebat, asserens quia, sicut in uno corpore multa membra habemus; omnia autem membra non eumdem actum habent : ita in Ecclesiæ corpore secundum veridicam Pauli sententiam in uno eodemque spiritu, alii conferendum est hoc officium, alii committendum est illud. Neque uni quantumlibet exercitatæ personæ uno tempore duarum rerum officia committenda, quia si totum corpus oculus, ubi auditus? Sicut enim varietas membrorum per diversa officia, et robur corporis servat, et pulchritudinem repræsentat : ita varietas personarum per diversa nihilominus officia distributa et fortitudinem et vetustatem sanctæ Dei Ecclesiæ manifestat. Et sicut indecorum est ut in corpore humano alterum membrum alterius fungatur officio, ita nimirum noxium simulque turpissimum est, si singula rerum ministeria personis totidem non fuerint distributa. Hinc est, quod quibusdam ambitiosis (sicut in suis litteris, quas ego studio brevitatis omisi, poterit inveniri) moderationis frena frequenter imposuit. Unde Anthemio subdiacono pro Paschasio episcopo, qui per semetipsum sibimet major domus et vicedominus permanebat, inter cætera præcipit, dicens : Volumus autem, ut frater noster Paschasius et vicedominum sibi ordinet et majorem domus, quatenus possit vel hospitibus supervenientibus vel causis, quæ veniunt, idoneus et paratus existere. Si vero negligentem eum perspicis, vel ea, quæ diximus, implere differentem; omnis clerus ejus adhiberi, debet, ut communi consilio ipsi eligant, quorum personæ ad ea, quæ prædiximus, valeant ordinari. »

(133*) Ex Vita S. Gregorii, cap. 53 : « Gregorius per diversas provincias pro custodia sacræ religionis, rebusque pauperum strenue gubernandis, Ecclesiæ suæ viros industrios, rectores patrimoniorum ascivit. In quibus Cyprianum diaconum, Pantaleonem notarium, Anthemium subdiaconum, candidum presbyterum. Hæc autem prudentissimus Pater Gregorius, non solum in Romana, sed et per diversas Ecclesias perpetualiter observanda censebat. »

(134) « Sanctus Gregorius papa coram sacratissimo beati Petri apostoli corpore, cum omnibus episcopis Romanæ Ecclesiæ presbyteris residens, astantibus diaconibus et cuncto clero dixit : *Multos ex ecclesiastica familia novimus ad omnipotentis Dei servitium festinare; ut ab humana servitute liberi, in divino servitio valeant in monasteriis conversari. Quos si passim dimittimus, omnibus fugiendi ecclesiastici juris dominium occasionem præbemus. Sin vero festinantes ad omnipotentis Dei servitium incaute retinemus, illi invenimur negare quædam, qui dedit omnia. Unde necesse est ut quisquis ex jure ecclesiasticæ servitutis ad Dei servitium converti desiderat, probetur prius in habitu laico constitutus; et si mores ejus atque conversatio bono desiderio illius testimonium fuerint, absque ulla retractione in monasterio omnipotenti Domino permittatur : et ab humano servitio liber recedat, qui divino obsequio districtiorem subire appetit servitutem.* »

cæterosque prælatos, quando militibus præstant Ecclesiarum famulos longe deterius affligendos et constringendos ab ipsis militibus, quam aliquis eorum proprius et hæreditarius famulus.

CAPUT XVI.

Curandum maxime ut res Ecclesiarum e manibus sæcularium vindicentur. Quocirca episcopi sibi Abrahamum imitandum proponant, et clerici expeditos ejusdem servos vernaculos.

O sancta Dei Ecclesia, una et simplex columba; quid prodest famulis tuis tibi donatis, quod tu non unguibus laceras, nisi alas tuas ad eos protegendos et unguibus milvorum eripiendos extendas? milites enim quasi milvi quidam et vultures tuos laniant et devorant : et episcopi, qui eos sub ungues eorum posuerunt, rem licitam se fecisse putant. B Sed quia tu columba diceris, quæ in tuis pro tuis gemere non desisti, gemitus pauperum, qui a militibus affliguntur, considera; et tam ipsos quam episcopos traditores eorum libera; sponsum tuum Regem cœlestem pro tuorum liberatione suscita : quatenus gladio suo utraque parte acuto distinguat a regalibus et sæcularibus ecclesiastica; ne per eorum commistionem et confusionem ædificatio domus ipsius impediatur, quæ per istam confusionem diu tardata cognoscitur.

Sint sub episcopos clerici, velut quondam Abrahæ patris omnium credentium expediti vernaculi (*Gen.* XIV, 14), quibus hæc sola militia imponatur : ut facultas et familia ecclesiastica de manu regum C et militum eruatur; qui ipsam Ecclesiam jam diu cum Lot in campestribus habitantem, et inter clericos Nicolaitas, velut inter ipsos Sodomitas morantem captivaverunt. Sed nunc tandem expediti vernaculi, non de curiis regum accepti, aut potius ab ipsis regibus intrusi; sed inter bonos canonicos aut monachos fidelis Abraham fideles domesticos inventi, et in hoc bellum a Deo tunc destinati; quando in rectores Ecclesiarum canonice sunt ordinati. Tales, inquam, vernaculi reges et milites Ecclesiæ captivatores viriliter persequantur; et gladio sancti Spiritus occidant : quatenus ipsos quoque Sodomitas clericos, videlicet Nicolaitas, laborantes, et totam Ecclesiæ supellectilem (134*) de D manibus eorum auferentes ad talem victoriam perveniant, ut de oblationibus ac decimis Ecclesiarum nihil subtrahatur, quod non vero Melchisedech per episcopum, tanquam per Abraham, dispensatorem, fideliter offeratur. Si enim juxta sententiam beati Hieronymi ille est dispensator optimus, qui nihil sibi reservat ex omnibus, hunc dispensatorem tunc Abraham manifestissime figurabat : quando ab omnibus A suo suorumque studio liberatis sic studuit manus suas excutere; ut sicut sacra narrat historia, nec *filum subtegminis nec corrigiam caligulæ* (*Gen.* XIV, 23) pateretur in usus suos ex his devenire.

Hunc ergo imitetur episcopus, nihil sibi reservans ex omnibus. Sed et partes clericorum secum laborantium nec ipse auferat ; nec apud sæculares dimittat. Quia et hoc Abraham manifestissime præsignavit; quando partes virorum, qui secum in bello laboraverant, nec apud alienos dimisit, nec proprio eas usui applicavit; sed illis eas coram sacerdote et rege Melchisedech, judicante donandas, quorum in bello spectata fuit strenuitas, illi vero, qui domi remanserunt, nec expediti ad pugnam fuerunt, nihil acceperunt ex omnibus, nec interfuerunt illis sacris ac mysticis oblationibus, in quibus panis et vinum offerebatur. Nemo etenim, nisi expeditus et militiæ Christi ascitus, vel stipendium ab Ecclesia digne meretur accipere, vel sacerdotali ac levitico ministerio fungitur legitime. Quod solis mundi renuntiatoribus debetur, quibus et panis Dominici corporis, et calix vivifici sanguinis Christi ab ipso rege ac sacerdote offertur. Illi ergo modis omnibus applicentur, ut sacris illi pascantur de Ecclesiarum stipendiis, qui non in domibus propriis remanere, sed cum fideli Abraham, strenuo videlicet episcopo, volunt contra hostes expediti pugnare.

Vere verus est sermo apostolicus, quia *sermo Dei vivus et efficax pertingit usque ad divisionem animæ ac spiritus* (*Hebr.* IV, 12). Gladius enim iste sæcularia ac spiritualia distinguendo, quasi animam a spiritu dividendo, talem jam describendo constituit episcopum cum suis clericis : ut in eo videre mihi videar fidelem Abraham cum expeditis suis vernaculis. Talibus ergo fidelis pontifex comitatus de quatuor passionum seu quadrifidi orbis regno facile triumphabit. His comitatus secundum ordinem Melchisedech, sacrificium panis et vini spiritualiter degustans, decimas illi totas ministrabit. Et ut omnino fidelis, et fideli Abrahæ similis inveniatur, a muneribus sibi oblatis ita manus excutiat, ut usque ad filum subtegminis omnia recuset.

Quid enim per hoc insinuatur, quod fidelis Abraham nec post peractos labores, munus non postulavit; sed sponte et gratis oblatum suscipere non acquievit, reputans : ne forte ab aliquo Sodomitarum vel Gomorrhæorum dici potuerit : *Ego ditavi Abraham?* (*Gen.* XIV, 23.) Quid, inquam, per hoc insinuatur, nisi ut ad cavendam Simoniam, et honestandam pontificis famam, manus ipsius ab

(134*) Ex libro Esdræ I, cap. VII : *Esdras enim paraverat cor suum, ut investigaret legem Domini et faceret et doceret in Israel præceptum et judicium.* Item : *Ego, Artaxerxes rex, statui atque decrevi, ut omne, quod ad ritum Dei cœli pertinet, tribuatur diligenter in domo Dei cœli : ne forte irascatur contra regnum regis et filiorum ejus. Vobis quoque notum facimus de universis sacerdotibus et levitis cantoribus et janitoribus, Nathinæis et ministris domus Dei ejus, ut vectigal, et tributum et annonas non habeatis potestatem imponendi super eos. Tu autem Esdra, secundum sapientiam Dei tui, quæ est in manu tua, constitue judices, ut judicent omni populo, qui est trans flumen, his videlicet, qui noverunt legem Dei tui : sed et imperitos docete libere.*

omni munere penitus excutiatur? Propheta enim beatum virum dicens, qui excuteret manus suas a munere, non frustra præmisit, *ab omni* (*Isai.* XXXIII, 15), quoniam inter ipsa munera magna diversitas valet notari.

CAPUT XVII.

Episcopi, qui in domo et ædificio Dei columnæ quædam et picturæ sunt, manus ab omnium generum muneribus abstineant.

In omni enim spiritualis beneficii dispensatione animum dispensantis tria munerum genera tentare solent : quæ inter se hoc modo distingui possunt. Aliud est munus debitum; aliud est munus indebitum, aliud munus contra debitum. Munus debitum est, quod offertur legaliter. Munus indebitum, quod offertur liberaliter. Munus contra debitum, quod offertur venaliter. Decimas quippe cæteraque Deo militantium stipendia populus offert ex debito et legaliter, quia lex dicit : *Non alligabis os bovi trituranti* (*I Cor.* IX, 9); quod Apostolus de prædicatoribus affirmat debere intelligi. A munere tali, quamvis debito, quamvis legali, manus suas Paulus excussit, quando Corinthiis prædicans debita sibi potestate uti noluit. Sæpe etiam offertur gratis et liberaliter, quod non ex lege debetur; sed ultro nec petenti, nec egenti præbetur. Sic Naaman Syrus munus spontaneum liberaliter Eliseo prophetæ obtulit, quod sanctus propheta laudabiliter oblatum laudabilius recusavit, quia manus suas maluit etiam ab actu oblatis discutere, quam de se pravi exempli occasionem præbere (*IV Reg.* v, 15, et seq.).

Quando aliquis autem habet causam judicio examinandam, sive injustam, sive justam, iste quidquid judicibus et tractatoribus causarum offert, venaliter offert, quia judicem comparare intendit, sive ad causam justam, quod est malum utcunque tolerabile; sive ad injustam pro sua voluntate prosequendam, quod est malum intolerabile. Modo enim utcunque toleratur, ut judex vel causidicus ad justam causam ematur; sed quia in domo Domini non licet negotiationes fieri, credo : quod veniente Domino nec emens nec vendens poterit a flagello ipsius, nec per justam causam, defendi; eo quod injuste justum exsequentes non timuerunt in domo ipsius negotiari. Multo enim amplius Deo placet, ut justitiam cum nostro cruciatu interdum opprimi permittamus, quam nos quasi pro justitia liberanda injustitiam committamus. Melius est utique ac salubrius, ut et nos ipsi cum Christo ab injustis injuste opprimatur, quam ut contra Christum negotiatores in domo ipsius inveniamur.

Habeat ergo aliquis causam quantumvis justam; veniat, si placet, ad ipsam causarum examinatri-
A cem Romam; certe si causam suam per munera exsequitur non a Simone Magno, sed a Simone Mago recipitur : nec illius in benedictione, sed istius in maledictione socius erit. Adhuc enim Petrus Romæ crucifigitur, quia bonus quilibet illius Ecclesiæ filius, verusque Petri discipulus, et in domo Petri vel in episcopatum vel in cardinalatum canonice promotus (quorum Dei gratia non parvus hic est numerus); talis, inquam, valde affligitur; atque in eo Petrus ipse a Simone Mago ipsiusque discipulis crucifigitur quando nec justam causam videt sine muneribus tractari, cui deberent omnes gratis astipulari.

Quisquis ergo pro qualicunque spiritali gratia
B munus venaliter offert, non inveniet Petrum suscipientem, sed manus suas ab hoc munere tam fortiter excutientem, ut dicat : *Pecunia tua tecum sit in perditione, quia donum Dei existimasti pretio possideri* (*Act.* VIII, 20). Episcopus ergo munus liberaliter oblatum cum Eliseo respuat, ut etiam apud eo, qui foris sunt, honestiori fama polleat. Munus quoque legaliter sibi debitum cum Paulo interdum postponat, ut plures lucri faciat. A munere autem venaliter sibi oblato manus suas cum Petro fortiter excutiat; ut nec in causa justa munus recipiens, ab illorum sorte longe remotus existat, de quibus scriptum est : *Dextera eorum repleta est muneribus* (*Psal.* XXV, 10).

Est etiam, qui tam in sinistra quam in dextera
C portat munus, quia sive injusta, sive justa sit causa, oblatum sibi non respuit munus. Qui autem in sola justa causa diligit, ac requirit munus, dextera ejus repleta est muneribus. Sicut enim multum est vituperabile munus tam in sinistra quam in dextera gestare, ita multum est laudabile manum utramque sic a muneribus excussam et evacuatam in sanctis precibus levare, ut possimus cum Psalmista dicere : *Domine, dilexi decorem domus tuæ et locum habitationis gloriæ tuæ. Ne perdas cum impiis animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam : in quorum manibus iniquitates sunt; dextera eorum repleta est muneribus* (*ibid.*, 8, 10) (135).

Quia virtus ista contemnendi muneris pertinet ad
D domus Dei decorem, quem Psalmista se dilexisse fatetur, nostro etiam ædificio decor iste sic aptetur, ut episcopus istius ædificii sapiens architectus, et super solam petram veritatis, non super nebulam consuetudinis, ædificans, omne genus muneris, omnem speciem negotiationis procul esse faciat; ne, decore domus Dei neglecto, pravum colorem firmis parietibus superinducat. Alia enim vice columnarum sustentant istud ædificium; alia vice picturarum decentem præbent ornatum. Si columna move-

(135) Vita S. Gregorii, lib. III, cap. 24 : « Consuetudines dationum vel xeniorum a suis episcopis accipere Gregorius quasi pondus quoddam pestiferum toto mentis conamine detrectabat. » Item cap. 27 : « Non mirum, si liberalissimus pontifex nullas consuetudines a suis suffraganeis, nulla xenia capiebat : quibus ipse, si quæ necessaria habere videbantur, satis hilariter ministravit. »

tur, tota ædificatio ruinam minatur. Si pictura deletur, oculus intuentium valde offenditur (135*).

Petrus ergo firmissimæ petræ innitens, et Dei ædificium fulcire contendens, idcirco per oblatum sibi munus moveri, aut inclinari non potuit, quia et ipse firmissima et rectissima columna fuit; et hanc justitiam in sancta Dei Ecclesia velut columnam constituit, ut, quidquid venaliter offertur, ab omnibus ipsius successoribus omnino contemnatur. Eliseus autem et Paulus eamdem domum velut picturis pulcherrimis ornaverunt, quando et ille munus liberaliter oblatum respuit: et iste munus sibi ex lege debitum pro tali gloria postposuit : de qua ipse confitetur quod melius esset sibi mori, quam ut gloriam suam quis evacuaret (*I Cor.* IX, 15).

Quid est enim ista gloria, nisi quædam fulgida pictura, quam lippus eorum oculus ferre non poterat, quos non manducare, ut evangelizarent, sed evangelizare, ut manducarent, constabat? Paulus autem, quia non solum firmitatem, sed etiam decorem domus Dei dilexit, talem picturam non lippientibus sed sanis oculis proposuit, ut quicunque domum Dei voluerit ornare, manus suas ab omni munere discat excutere; non solum quod machinatur ruinam venaliter oblatum, sed quod pulchritudinem ædificii dehonestat a liberaliter offerente oblatum susceptum.

CAPUT XVIII.

Sapienter ac utiliter episcopum facere, si ea, quæ quidem licent, sed non expediunt, devitet, atque adeo etiam abstineat nonnunquam a muneribus alioquin non illicitis.

Sed dicit aliquis : Nonne sacri canones, qui in Ecclesiarum consecrationibus hoc terribiliter interdicunt, ne aliquid a fundatoribus requiratur hoc tamen permittunt, ut, si gratis episcopo aliquid offerri contingat, non respuatur? Nonne et justitia decimarum penitus negligeretur, si populus a sacerdotibus ad eas persolvendas non cogeretur? Quid est ergo, quod Eliseus et Paulus ad imitationem proponuntur, quando et munus gratis oblatum in sacris canonibus accipi non prohibetur; in quibus etiam populus, si decimas dare noluerit, banno constringi præcipitur?

Hæc et ejusmodi potest aliquis objicere, quibus ea, quæ proposuimus, conatur in dubium vocare. Sed attendat, quisquis ille est, quod nos talis constructionem ædificii contendimus demonstrare, quod non solum firmitate solidum consistat, verum ipso etiam ornatu pretiosam et tam delectabilem sui speciem prætendat, ut etiam transeuntes invitentur ad intrandum et interiori sapore gustandum, quid in domo illa convivantibus proponatur, quæ foris tam aureis tam musivis picturis ornatur.

Cum enim propheta dicat beatum virum, qui *excutit manus suas ab omni munere* (*Isai.* XXXIII, 14), isti, quos imitandos proposui, tales fuerunt excus- A sores, manus suas videlicet ab omni munere penitus excutientes, ut, quicunque fuerint imitatores eorum, merito dicantur *filii excussorum.* De talibus dicit Psalmus : *Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum* (*Psal.* CXXVI, 4). Ecce quomodo sibi consonant prophetica testimonia? illic dicitur : *Beatus vir, qui excutit manus suas ab omni munere:* hic commemoratis excussoribus continuo sequitur: *Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis* (*ibid.*, 5). Infelix ille, qui implet desiderium suum contra ipsos munera suscipiendo; beatus ille, qui implet desiderium ex ipsis manus suas ab omni munere excutiendo. Ille implet desiderium contra ipsos excussores; iste autem implet desiderium suum ex ipsis, quia exempla honestatis mutuatur B ex ipsis. Ille, tanquam ex arcu pravo, non tendit in directum; iste, sicut sagitta in manu potentis, in directum mittitur; per omnem parochiam suam attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. Verbo quippe illius nihil erit fortius propter auctoritatem, nihil suavius propter charitatem.

Huic verbo fortiter suavi, at suaviter forti cedet omnis mundana potestas; quando tanta in ipso episcopo fulgebit honestas, ut cum Paulo apostolo gloriam suam evacuari non sinat; exemplo illius etiam debitum suæ militiæ stipendium negligens interdum ad expediendum verbi Dei cursum, si aliter non potest expediri, nisi neglecto lucro etiam debiti stipendii. Et ut cum Eliseo propheta nec post impen- C sum spirituale aliquod beneficium munus oblatum suscipiat, si viderit, et ubi viderit per susceptionem talium munerum verbi Dei cursum tardari. Quod leviter evenit, ubi dator sæcularis et Naaman Syro consimilis est, qui castam intentionem oblata xenia respuentis facile intelligit. Suscipientem vero interdum ipse, qui offert, quo animo suscipiat, non clare discernit; sicut ille Naaman Syrus Giezi animum non discrevit; sed indiscrete plus etiam, quam quæreretur, obtulit. Nec tamen offerentis, sed accipientis conscientia læsa est in tali negotio.

Attamen quoniam offendiculum coram homine gentili posuerat Giezi, unde Elisei servi Dei avaritia notari, et ex mala suspicione, offerentis etiam con- D scientia poterat scandalizari, omnino justum fuit ut lepram Giezi sentiret, quæ a Naaman recesserat; cui ipse occasionem scandali præbuerat, ut solus ipse portaret infamiam, qui neglexerat suam et quod pejus erat, magistri famam. Quam rem si magister dissimulasset, et ipse propriam famam negligens, et crudelis exstitisset. Quo exemplo admonetur episcopus, ut, si quis suorum Giezita effectus fuerit, hunc tanquam leprosum a cœtu fratrum excludat.

Omnia licent, sed non omnia expediunt. Licet episcopo post consecrationem Ecclesiarum munus sponte oblatum suscipere; sed puto cursum prædi-

(135*) Alexander papa : « Ecclesia, quæ pactione pretii claruit esse consecrata, et ut verius dicitur, exsecrata nullo modo pro Ecclesia habeatur. »

cationis per hoc magis impediri quam expediri. Quidquid autem non expedit, si hoc respuat episcopus, velociter currit sermo ejus.

Fuit quondam tanta honestas in hominibus, ut sponte oblata posset recipere bonus quilibet episcopus. Fuit tanta pulchritudo Sodomæ, ut in ea Lot justus potuisset hospitium habere. At nunc incumbente mundi vespere, appropinquante ruina totius Sodomæ non sufficit virum justum de ipsa exire, nisi etiam transcursa circumjacente planitie, velut quadam criminum vicinitate, studeat ad montis altiora festino cursu pergere, et cum Paulo dicere : *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt* (*I Cor.* VI, 12).

Licet episcopo in consecrationibus Ecclesiarum munus gratis oblatum suscipere; sed quoniam dies mali sunt, melius faciet cursumque prædicationis magis expeditum reddet, si nihil accipiendo tempus redimat, quo sermo ejus velociter currens nullum patiatur offendiculum per linguas detrahentium et vitam illius quodammodo rodentium. Quantumcunque enim firmis et altis castris utatur, in campo remissioris vitæ remanens, et instar uxoris Lot commutatus velut in truncum salis (*Gen.* XIX, 26), quia linguis detrahentium sapidus efficitur, contra lambentium linguas nullo muro defensatur; si, castris neglectis, non ad montis altiora, ut dixi, festinet : atque in actibus suis etiam a licitis declinet, nisi forte sic liceant, ut etiam expediant.

Si autem lucro provocatus per viam, quam Deus prohibet, voluerit pergere, non poterit expeditum ac velocem cursum habere, etiamsi asinam calcaribus urgeat, quando videlicet subjectam Ecclesiam præceptis coarctat (*Num.* XXII, 23 et seqq.). Quia enim gladius verbi plerumque etiam a simplicibus hoc tempore videtur, pontificis vita per subjectam plebem, quasi per asinam, redarguetur. Expedite autem currit sermo ejus, si excutit manus suas a licitis etiam, cum non expediunt, muneribus. Tunc *non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta* (*Psal.* CXXVI, 5), quia et ipsis inimicis suis claudetur detrahendi aditus et porta, ut quasi cæcati Sodomitæ domum justi viri circumeant, nec januam detractionis contra illum inveniant.

CAPUT XIX.

Munera non nunquam ab episcopis licite acceptantur, tunc nempe, cum ea in pauperes sub suæ Ecclesiæ testimonio dispensantur, quod factum a Petro, Paulo et Martino.

Notandum sane quod duobus modis a licitis mu-

A neribus manus excutiantur, sive liberaliter, sive legaliter offerantur. Aliquando enim penitus contempta respuuntur, sicut a Paulo et Eliseo factum superiori textu commemoravi. Aliquando vero, cum dies mali non impediunt, suscipiuntur quidem salva recipientis honestate; sed ita sub testimonio Christi et Ecclesiæ dispensantur, ut manus prælatorum etiam a susceptis oblationibus excutiantur.

Hinc est, quod Petrus fidelium oblationes non manibus suscepit, sed eas pedibus suis appositas, utpote studio contemplationis calcandas, beato Stephano cæterisque diaconibus caute sub totius sanctæ multitudinis conscientia pro cujusque indigentia dispensandas commisit. Ac si aperte rebus gestis nos instruat, quod valde prædicatoribus expediat;
B si etiam legales oblationes ita faciunt sub testimonio Ecclesiæ dispensari, ut privatam in talibus utilitatem de præsidente subjectorum nullus valeat suspicari.

Si sic agit, si sic manus etiam a licitis excutit, licite ac sine reprehensione decimas cæterasque legitimas oblationes ab injuste detinentibus, etiam banno requirere poterit. Quia filius excussorum factus, quemadmodum sagitta in manu potentis, potenter adversarios vulnerat, donec stipendia pauperum de manibus militum et principum penitus extorqueat.

Hinc est quod egregius doctor, Ecclesias gentium, pauperum et apostolorum debitores, in carnalibus astruens, ipsa carnalia quasi debitum vecti-
C gal a gentibus, liberis vocibus exegit, quia cuncta cum testimonio agens, de hoc reprehendi non potuit, quod suæ utilitati studeret : cum in omnibus fratrem, cujus laus in Evangelio erat, socium suæ peregrinationis atque administrationis haberet, providens bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Et Paulus unus itaque de bonis excussoribus fuit, quia manus suas a susceptis etiam oblationibus excussit.

Talis etiam excussor Martinus fuit, qui et legitimas fidelium oblationes, non in milites aut equos, sed in pauperes et clericos prudenter expendit. Et si quid illi post facta miraculorum beneficia contigit liberaliter offerri, aut hoc omnino (136) cum
D Eliseo respuit, aut indigentibus ita illud sub testimonio et conscientia omnium dispertiri fecit, ut totum extraneis pauperibus conferretur; ne, si aut ipse aut aliquis de suo collegio quidquam de talibus in usus domesticos quamvis necessarios obtineret, ipse vir sanctus a malignis carperetur, quod aut in

(136) Ex vita S. Martini : « Eodem tempore, quo primum episcopus datus est, fuit ei necessitas ad re comitatum. Valentinianus tunc major rerum potiebatur. Is, cum Martinum ea petere cognovisset, quæ præstare nolebat, jussit eum palatii foribus arceri. Etenim ad animum illius immitem ac superbum uxor accesserat Ariana, quæ totum illum a sancto viro, ne ei debitam reverentiam præstaret, averterat. Itaque Martinus, ubi semel atque iterum superbum principem adire tentavit; recurrit ad nota præsidia, cilicio obvolvitur, cinere conspergitur, cibo potuque abstinet, in orationibus diebus noctibusque perseverat. Septimo vero die astitit ei angelus; jubet eum ad palatium ire securum; regias fores quamlibet clausas sponte reserandas, imperatoris spiritum superbum molliendum. Igitur istiusmodi præsentis angeli confirmatus alloquio, et fretus auxilio palatium petit. Patent limina, nullus obsistit; postremo usque ad regem, nemine prohibente, pervenit. Qui cum venientem eminus videret, infrendens, cur fuisset admissus? nequaquam est dignatus assurgere astanti, donec regiam sellam ignis operi-

miraculo spirituale beneficium vendidisset, aut ab omni munere manus suas non excussisset. Recte itaque sacerdotum gemma nominatur, quia sanctis apostolis, quasi duodecim portis Jerusalem, velut gemma nobilissima summi artificis manu affigitur, ut ex tam pretiosi lapidis splendore quilibet sacerdotum a modernis consuetudinibus ad antiquas et apostolicas traditiones invitetur.

CAPUT XX.

Redditus ad clericos in commune, ac sine proprio viventes, quos genuinos Petri filios agnoscit, ab eodem olim in cœlestem Jerosolymam deducendos.

Inter has duodecim portas principalis dicitur Cephas, per quam nullus acephalorum ingreditur, quoniam a Cepha non potest recipi acephalus, utpote rebus illi et nomine contrarius. Cephas quippe renuntiavit omnibus; hoc non facit acephalus. Ille regulam communis vitæ reliquit suis in clero successoribus; hanc non servat acephalus : ideo per hanc portam, cui Cephas est præpositus, non intrabit acephalus; nec aliquo modo aptabitur ad illud ædificium, cujus participatio ejus in idipsum.

Illi ergo, qui in regula Ludovici gloriantur, per aliam, si possunt, ingrediantur portam, quia capite carentes portam Cephæ non inveniunt apertam. Per hanc portam introiit Augustinus cum suis clericis, Martinus cum suis, Gregorius papa cum suis, Augustinus, Anglorum episcopus, cum suis, et cæteri multi apostolicam regulam sectantes, et ad eam tenendam, quos potuerunt, invitantes. Suos ergo introducet Petrus; in dubio est quo suos proprietarios ducat Ludovicus, qui claves Petro soli commissas, non potest illi de manibus tollere, donec introducat acephalos. Itaque, contempto Ludovico, qui per devium ducit, dum consuetudines malas inducit, sequamur illum, qui dicit : *Ego sum via, et veritas, et vita* (*Joan.* XIV, 6). Qui enim pro consuetudine veritatem, quæ est Christus, derelinquunt, non in via ad vitam, sed per devium ad mortem perveniunt.

Huc accedit, quod Jesus secus mare constitutus non tres aut plures, sed duas tantum naves vidit; unam, in qua Joannes et Jacobus, alteram, in qua Simon Petrus fuit (*Luc.* v, 2, 3). Qui enim fluctus sæculi nituntur sicco pede transvadare, debent in

A monastico ordine cum Joanne orationi, meditationi, contemplationi invigilare; aut cum Petro et sub Petro in activa vita militare, Christique pauperibus ministrare; quod nulli sincere ac devote agunt, nisi qui aut pastores cum Petro, aut oves sub Petro esse volunt. Non est autem cum Petro, sed contra Petrum, in Christi militia sectari proprium. Non est pastor cum Petro, qui non tenet regulam apostolicam; sicut non est ovis sub Petro, qui non tenet fidem catholicam et apostolicam.

Qui ergo sacros ordines sortiuntur, debitores efficiuntur, ut teneant regulam apostolicam : sicut omnes, qui baptizantur, debitores fiunt servare fidem apostolicam. Ecce sicut omnes, qui baptizantur, debitores fiunt omnis observantiæ, quæ pertinet ad fidem catholicam et apostolicam : sic omnis, qui ad sacros ordines legitime promovetur, debitor efficitur illius observantiæ, quæ pertinet ad regulam apostolicam, maxime si congregationi alicujus Ecclesiæ sociatur; quæ, licet falso nomine, tamen *canonica* vocatur. Ibi enim, quando recipitur, promittit obedientiam secundum præcepta Dei et sanctorum exsequendam. Ex hac igitur obedientia constringetur, ut apostolicas traditiones observare conetur : si vult coronari cum apostolis, non damnari cum apostatis.

CAPUT XXI.

Ecclesiarum pastores ii constituendi ex clericis, qui prius in claustrali et communi vita se strenue exercuerunt.

C Quia vero sunt nonnulli, qui se contendunt consuetudines quasdam prælatis suis promisisse (quas invenimus apostolicis et paternis traditionibus contrarias esse), si votum suum corrigunt, bene faciunt; si autem, quod male voverunt, pejus defendendo aliud evangelizant, præter quod accepimus, anathematicis addicit Apostolus. Si quis autem extra sacros ordines et extra congregationem propria facultate utatur, vel etiam, si voluerit, conjugium sortiatur; hoc a beato Gregorio, ut supra dictum est, utcunque toleratur, quia videlicet nec sacros ordines habet, quibus debetur apostolicæ observationis disciplina, neque canonicæ congregationi se inseruit, in qua, beato Augustino affirmante, nulli proprium habere licet. Quod si qui ha-

r l, ipsumque regem ea parte corporis, qua sedebat, afflaret incendium. Ita solio suo superbus excutitur, et Martino invitus assurgit; multumque complexus, quem spernere ante decreverat, virtutem sensisse divinam emendatior fatebatur : nec exspectatis Martini precibus prius omnia præstitit, quam rogaretur. Colloquio illum atque convivio frequenter ascivit; postremo abeunti multa munera obtulit, quæ vir beatus, ut semper paupertatis suæ custos, cuncta rejecit. »

Item : « Licontius ex vicariis vir fidelis, cum familiam illius lues extrema vexaret, et inauditæ calamitatis exemplo per totam domum corpora ægra procumberent, Martini per litteras imploravit auxilium. Quo tempore vir beatus rem esse præmisit difficile impetratum iri; nam spiritu sentiebat do-

D mum illam divino numine verberari. Tamen non prius destitit septem totos dies totidemque noctes orando et jejunando continuans, quam id, quod exorandum receperat, impetraret. Mox ad eum Licontius divina expertus beneficia provolavit, nuntians simul et agens gratias, domum suam omni periculo liberatam. Centum etiam argenti libras obtulit, quas vir beatus, nec respuit, nec recepit. Sed pondus illud priusquam monasterii limen attingeret, redimendis captivis continuo deputavit. Et, cum ei suggereretur a fratribus, ut aliquid ex eo in sumptus monasterii reservaret, omnibus angustum esse victum, multis deesse vestitum; nos, inquit, Ecclesia et pascat et vestiat, dummodo nihil nostris usibus quæsisse videamur. »

bent, faciunt quod non licet. Unde necesse est ut, si qui talium canonicas Ecclesias occupant, aut ipsi obediant præceptis apostolicis et canonicis, non habendo proprium, quod in claustris haberi non licet; aut priventur ipsis claustris, quæ a solis communiter viventibus possideri, si habitari, conveniet. Deo enim in sancta Dei Ecclesia societas communiter viventium congregatur, ut de illis pastores Ecclesiæ legitime segregentur : sicut Paulus et Barnabas, præcipiente Spiritu, ad prædicandum gentibus segregati fuisse leguntur (*Act.* XIII, 2). Non enim fuissent in hoc opus per Spiritum segregati, nisi prius per eumdem Spiritum societati apostolicæ atque communi vitæ fuissent aggregati. Prius ergo aggregati, deinde segregati posteris formam reliquerunt, ut non de curialibus aut acephalis pastores plebium constituantur; sed de illorum societate, qui sub apostolorum regula in unum congregati, prius in acie tanquam milites probantur, ut postea, si necessitas exposcit, legitimi duces (136*) constituantur; taliter in Ecclesiis, quas accipient, cum suis militaturi, et exercitum sibi commissum ordinaturi, qualiter in claustris didicerunt, in quibus communi vitæ per Spiritum sanctum aggregati fuerunt.

Quod enim de his tantummodo sint pastores eligendi, qui cum apostolis fuerint congregati, Petrus pastorum princeps probat. Qui de electione unius apostoli, locum Judæ traditoris accepturi, tractans ita cæteros alloquitur : *Oportet*, inquit, *ex his*, *qui nobiscum congregati sunt*, *unum accipere locum ministerii hujus* (*Act.* I, 21, 25). *Oportet*, inquit, de *nobiscum congregatis*, quasi diceret : Non oportet de aliis. Hæc fuit vera et sincera electio, et apostolico digna collegio; ubi non Joseph dives ab Arimathia propter divitias cæteris anteponitur : imo per hoc ab electione Petri verbis excluditur; quod, licet bonus discipulus et in sepultura Christi probatus exstiterit, tamen adhuc relicta proprietate cum apostolis ad communiter vivendum congregatus non fuit.

Multi tunc erant boni discipuli, et Christo se ipsum illis manifestante probati. Ex quibus et illi plus quam *quingenti fratres* fuerunt, qui, testante Paulo, Christum post resurrectionem, sicut et apostoli, viderunt (*I Cor.* XV, 6); atque per hoc ad apostolatum poterat aliquis de illorum numero dignus videri : quod illi post resurrectionem Christum videntes non legantur hæsitasse, de quo leguntur apostolorum quidam dubitasse. Quid tamen ait Petrus? *Oportet*, inquit, *ex his*, *qui nobiscum congregati sunt*, etc. Quamvis ergo bonus Christianus quicunque proprietatis possessor inveniatur, solis tamen illis, qui cum apostolis fuerint congregati, recte pastoralis cura commendatur, si tamen Spiritu segregante fuerint probati. Quem Spiritum

A credimus in canonica electione ac populi petitione invisibiliter operari.

Si ergo populis pastore privatis talis optio proponatur, ut ab illis non curialis clericus, non acephalus, non aliquis absolute ordinatus, ac per hoc juxta synodum Chalcedonensem ab omni ministerio prohibendus; sed bonus aliquis canonicus, aut, si canonicus inveniri non poterit, bonus certe monachus petatur : tunc clero eligente ac populo petente, velut Jesu magno sacerdote in clero magistrante ac populo post inolitæ abusionis confusionem quasi post longam Babylonis captivitatem repatriante, Jerusalem civitas reædificatur; cujus participatio tota in idipsum coadunatur. Episcopus enim, sive alius ab illo et sub illo canonice prælatus, B communem vitam per majores et baptismales Ecclesias instituet; in qua nemo aliquid suum dicet, sed tota participatio erit in idipsum. Quia bona et jucunda conversatione fratres habitabunt in unum, quod est *idipsum*.

CAPUT XXII.

Clericos et maxime horum prælatos ab introducenda vita communi potentum oblocutiones absterrere non debent. Sine discussione ac probatione Spiritus nemo in societatem religiosam est recipiendus.

Hic occurrit quod in reædificatione Jerusalem portæ quædam principales mysticis nominibus appellabantur : quibus ea, quæ nunc in Ecclesia sunt agenda, prophetalibus figuris præsignabantur. Cun-C cta enim, quæ illis reædificatoribus terrenæ Jerusalem historialiter acciderunt, eorum, quæ nunc videmus, prophetica quædam signa fuerunt. Illis a Tobia et Gossem, cæterisque gentium primoribus dicebatur : *Quæ est hæc res, quam facitis? nunquid contra regem vos rebellatis?* (*II Esdr.* II, 19.) Hæc eadem verba a multis dicentur, quando spiritualis Jerusalem reædificatores, mandato regis postposito, ac toto mundo, velut quadam Babylonia, contempto, spiritualibus tantummodo studiis occupati, seu claustralibus disciplinis mancipati tenentur. Si enim ad tales venerit princeps aut miles, qui osculum Judæ osculo superius comparatum ad hoc offerat, ut Ecclesiæ facultatem per hominium quasi per mendacium obtineat, episcopi vero tanquam sa-D crilegium caventes, et pallium veri Samuelis scindere timentes denegent illis, atque interdicant beneficia per tot annos possessa, statim audient: *Quæ hæc res, quam facitis? nunquid contra regem vos rebellatis?* Regnum quippe destruitis, qui nobis beneficia denegatis.

Quid est ergo ab episcopis ad hæc respondendum, nisi quod a sacerdote Nehemia tunc est responsum? *Et reddidi*, inquit, *eis sermonem; dixique ad eos : Deus cœli ipse nos juvat, et nos servi ejus sumus. Surgamus*, inquit, *et ædificemus : vobis autem non est pars et justitia et memoria in Jerusalem.*

(136*) August., De potestate ligandi atque solvendi : « Ipsi solum habent potestatem ligandi vel solvendi, sicut apostoli, qui in hac carne positi illorum exempla simul et doctrinam tenent. »

(*II Esdr.* II, 20). His verbis si episcopus cum Nehemia sacerdote humiliter et constanter utatur, victoria verbi hoc in cordibus adversariorum operatur: ut obmutescant ad hæc verba, quamvis tamen afficiantur tristitia magna, quemadmodum et illi tristati sunt. De quibus, antequam ad sacerdotem Nehemiam accederent, ita præmisit Scriptura: *Et audierunt Sanaballat Horonites et Tobias servus Ammanites, et contristati sunt afflictione magna: quod venisset, qui quæreret prosperitatem filiorum Israel* (*II Esdr.* II, 10).

Quærat ergo episcopus, et quilibet spiritalis prælatus prosperitatem filiorum Israel cum Nehemia sacerdote Deum cœli adjutorem; et non timeat in causa Dei quemcunque terrenum principem, dicens cum Psalmista: *Deus mihi adjutor, non timebo, quid faciat mihi homo* (*Psal.* CXVII, 6). Tunc, velint, nolint filii hujus sæculi, surget structura permansuri ædificii. In quo ante omnes portas *porta gregis* ædificatur. De qua ita scriptum legitur: *Et surrexit Eliasib sacerdos magnus, et fratres ejus sacerdotes, et ædificaverunt portam gregis: ipsi sanctificaverunt eam, et statuerunt valvas ejus, et usque ad turrim centum cubitorum ædificaverunt eam* (*II Esdr.* III, 1). Quæ est hæc porta gregis, nisi vita communis? In hac ergo sub uno pastore in unum ovile *pusillus* ille *grex* colligitur, cui regnum a Christo promittitur (*Luc.* XII, 32). Huic portæ statuuntur *valvæ*, quando non quilibet, ubilibet, quomodolibet ad eam recipitur; sed per valvam diligentissimæ probationis examinatus intromittitur, ea nimirum cautione, ut etiamsi omnia sua offerat, ipse tamen sine diligenti examinatione societatem communis vitæ non recipiat.

Multi enim sic sua offerunt, ut ipsi sine contradictione et examinatione velint intrare, quos tamen Petrus debet prius *mactare*, et sic *manducare* (*Act.* X, 13), ne, si per valvas incaute intromittantur, quia vivi et non mactati trajiciuntur in ventrem communis vitæ, gravius eam incipiant in utero lacerare, quam si foris constituti eam videntur impugnare. Sic Petrus Ananiam sua examinatione mactare voluit ac deinde manducare. Sed illi fraudulenter accedens, quasi reprobus cibus, dentem quidem duræ increpationis sub mandibula Petri sua occulta discutientis expertus est, sed usque ad vitalia intromissus non est (*Act.* V, 3 et seqq.). Bona tamen illius, quia Deo fuerant oblata, non leguntur reprobata. Neque ita, ut Simoni, sic dictum est Ananiæ: ut pecunia sua cum eo esset in perditione (*Act.* VIII, 20). Aliud est enim per fraudem Spiritui sancto mentiri; quod faciunt omnes, qui sub specie religionis ficte accedunt. Aliud ipsum Spiritum sanctum velle mercari; quod faciunt omnes, qui taliter sua offerunt, ut pro bonis a se oblatis ipsi recipiantur, prætermissa examinationis diligentia. Isti volunt suæ vitæ qualitatem non

A subtiliter post oblationis suæ receptionem examinari, propter munera sua de introitu certi et omnino securi. Volunt ergo manducari, sed nolunt prius mactari. Volunt per portam gregis intrare, sed non attendunt valvas in ea statutas esse, quarum claves Petrus a Domino accepit: ut neque is, qui Spiritui sancto mentiri deprehenditur, donis suis etiam receptis intromittatur; neque is, qui eumdem Spiritum sanctum mercari meditatur, aliquatenus admittatur. Sed tam ipse quam pecunia sua maneat in perditione, quia sub quadam iniquissima negotiatione accedit: qui cum Simone dicit: *Date*, et *dabo* (*Act.* VIII, 19). Nimirum hoc intendens, ut non debeat in examinatione reprobari; sed absque omni contradictione propter co-

B piosam fortassis oblationem congregationi associari. Talis cum deprehenditur, de felle amaritudinis debet redargui, ut aut pœnitendo corrigatur, et correctus recipiatur; aut si permanserit in felle amaritudinis et obligatione iniquitatis, audiat cum Simone: *Pecunia tua tecum sit in perditione* (*Act.* VIII, 20). Alioquin si accedentes passim, sine longa probatione ac diligenti examinatione recipiuntur, valvæ in porta gregis non bene custodiuntur.

Hæc porta ædificatur usque ad turrim centum cubitorum, quia in communi vita multi offerunt fructum centesimum; cuncti vero perfecte illam sectantes accipient illud centuplum, quod Dominus Petro Petrique similibus promisit; quod cleri-

C cus proprietarius adipisci non poterit. Solis quippe sua relinquentibus, et Dominum sequentibus promittitur: ut et hic centuplum accipiant, et in futuro vitam æternam possideant (*Matth.* XIX, 29).

Talibus recte communitur custodia gregis, quia legitime stant in porta gregis. Acephalorum vero conventicula non canonicis, sed pseudocanonicis plena, quædam sunt portæ inferi (137), quæ non prævalebunt adversus istam gregis portam a Domino in petra fundatam, Petro commissam, et usque adeo confirmatam, ut omnes *portæ inferi non prævaleant adversus eam* (*Matth.* XVI, 18). Quia ille hanc portam gregis quasi proprium ovile defendit, cui omni genu flectetur: et ideo frustra pseu-

D docanonicorum turba illi ad tempus resistere videtur.

CAPUT XXIII

De vicariis, et iis qui diversorum locorum canonicatus una possident.

Frustra illi a vicariis et furibus resistitur, quorum neuter poterit Ecclesias, quas occupant, retinere, si episcopus evellendi ac plantandi scientissimus debitam in illos voluerit severitatem exercere; non permittens Ecclesiam vel a vicariis occupari, vel ab aliquo donari. Non est enim presbyter in Ecclesia ferendus, quem non intromisit ostiarius, qui neminem intromittit, nisi qui legitime

(137) August. in lib. IV contra Donatistas: « Ego portas inferi vitia reor atque peccata, vel certe hæreticorum doctrinas, per quas illecti homines ducuntur ad tartarum. »

accedit. Non autem accedit legitime, qui Ecclesiam suscipit, laico sibi eam donante. Laicus enim dando non pastorem constituit, sed suo dono furem seu latronem intrudit. Quia recte fur et latro dicitur, qui Ecclesiam, laico donante et ostiario ignorante, sortitur. Pastor autem nulla laicorum donatione, sed canonica electione creatur (137*), sive in ipsa Ecclesia inveniatur, quæ pastore indiget; sive de altera quæratur, quæ in uno communis vitæ ovili tales fovet arietes, per quos, si electi fuerint, fecundari possint oves. Quæ non sequuntur alienum, quia non est aries, sed lupus et prædo.

Canones enim satis permittunt ut, cum in aliqua Ecclesia, vel nulla vel non talis est clericorum congregatio, in qua pastor idoneus inveniatur, de altera Ecclesia quæratur: ita scilicet, ut regulariter electus, rebus illius Ecclesiæ, de qua ad aliam transfertur, non participet ulterius; sicut nec monachus debet rebus monasterii participari, postquam vel in episcopio vel in presbyterio regendæ proponitur Ecclesiæ. Nemo enim potest officia diversa simul recte administrare; nemo se ipsum titulis duarum Ecclesiarum debet alligare. Monstro enim simile videtur, ut in una Ecclesia episcopus, in alia sit canonicus: et ibi recipiat de stipendio portionem, ubi debitæ servitutis non solvit pensionem. Ut autem in una Ecclesia quis manens, in alia pro se ponat vicarium, divinis constitutis est contrarium omnino: maxime si ei, qui vicarius dicitur, cura ovium permittitur (138).

Quid est enim iste vicarius, nisi apertus mercenarius? Si mercenarius est, cujus non sunt oves propriæ, constat omnes vicarios mercenarios esse. Sive enim in urbana sive in rusticana Ecclesia vicarius serviat, non pertinet ad eum de ovibus, quia nulla judicialis sententia potest recte ab eo dari super oves Ecclesiæ illius, in qua est vicarius. In spirituali autem officio, quod pro mercede agit, A Spiritum sanctum vendit. In missa vero cum Spiritu sancto Christus venditur: quo vendito Pater ipsius graviter offenditur, non solum contra ipsos mercenarios; sed etiam contra episcopos tali mercimonio consentientes, nec pro debito sui officii tales mercatores de templo projicientes. Tacendo enim consentiunt, quando, ut canes muti, nec latrare valentes, ista videndo quasi parva despiciunt: quæ tanto sunt majora, quanto usitatiora. Quando enim crimen cum quadam verecundia committitur, contra Deum susurrio quodam periculose murmuratur. Quando autem publice ac sine verecundia culpa criminalis a multis agitur, tunc aperte contra Deum clamore pernicioso clamatur: sicut Sodomitæ contra Deum clamaverunt, quando peccatum suum prædicaverunt.

B Tunc revera boni angeli, sancti videlicet episcopi, non debent ulterius vindictam generalem differre; sed comprobata clamoris certitudine generalem sententiam anathematis proferre: solos inde illos excipientes et eripientes, qui secundum illorum consilium volunt a multitudine malorum discedendo vel in Segor parvula per activam vitam, vel in monte per contemplativam salvari. Si autem episcopus multiplicato iniquitatis clamore non movetur, non erit, sicut bonus angelus, ereptor paucorum bonorum; sed ipse pariter connumerabitur multitudini malorum.

CAPUT XXIV.

C *Criminum olim communiter a sanctis Patribus damnatorum pœna differenda non est, etsi magna sit criminosorum multitudo*, etc.

Sed dicit aliquis cum quibus ineat episcopus consilium contra multitudinis peccatum? Vix enim præsumit aliquis anathema dictare, quando multitudine pariter et consuetudine peccatum sic roboratur, ut in magna civitate, non quinquaginta, non decem, sed vix unus a malo declinans inveniatur.

(137*) Ex septima synodo universali habita a quinque patriarchis cum trecentis Patribus sub Adriano I pontifice, cap. 3: « Omnis electio episcopi, vel presbyteri, aut diaconi a principibus facta, irrita maneat secundum regulam quæ dicit: *Si quis episcopus sæcularibus potestatibus usus, Ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur, et segregetur, omnesque qui illi communicant.* »

Ex octava synodo item universali habita a quinque patriarchis cum Patribus ducentis et quadraginta sub Nicolao I pontifice: « Promotiones et consecrationes episcoporum, concordans prioribus conciliis, electione ac decreto episcoporum fieri, hæc sancta et universalis synodus diffinivit, et statuit, atque jure promulgavit neminem laicorum principum vel potentum semet inserere electioni vel promotioni patriarchæ vel metropolitæ aut cujuslibet: ne inordinata hinc et incongrua fiat confusio vel contentio. Præsertim cum nullam in talibus potestatem quemquam potestativorum laicorum habere conveniat, sed potius silere et attendere sibi, quousque regulariter a collegio Ecclesiæ suscipiat finem electio futuri pontificis.

« Si quis vero Laicorum ad concertandum et cooperandum invitatur ab Ecclesia, licet hujusmodi cum reverentia, si forte voluerit, se obtemperare asciscentibus. Taliter enim dignum pastorem sibi regulariter ad suam salutem Ecclesia promovet. Quisquis autem sæcularium principum vel potentum, vel alterius dignitatis laicus adversus communem ac consonantem atque canonicam electio- D nem ecclesiastici ordinis agere tentaverit, anathema sit, donec obediat et consentiat, quod Ecclesia de electione ac ordinatione proprii præsulis se velle monstraverit. »

(138) Synodus Chalcedonensis, cap. 10: « *Non licere clericum* in duarum civitatum conscribi simul Ecclesiis, et in qua initio ordinatus est, et ad quam confugit, quasi ad potiorem ob inanis gloriæ cupiditatem. Hoc autem facientes revocari deberi ad suam Ecclesiam, in qua primitus ordinati sunt et ibi tantummodo ministrare. Si vero jam quis translatus est ex alia in aliam Ecclesiam, prioris Ecclesiæ vel martyriorum, quæ sub ea sunt, aut xenodochiorum rebus in nullo communicet. Eos vero, qui ausi fuerint post diffinitionem magnæ et universalis hujus synodi quidquam ex his, quæ sunt prohibita, perpetrare, decrevit sancta synodus a proprio hujusmodi gradu recedere. »

Gregorius Mariniano episcopo Ravennæ: « *Si*

Ad quod respondetur, quod si unus (138*) tantummodo consiliarius episcopo adhærebit, qui, etsi non novit consilium dare, novit tamen cum fideli Abraham salubri et justæ sententiæ acquiescere; solo illius consilio contentus episcopus non debet vindictam differre : maxime si constat crimen illud, quod agitur a multitudine, in aliquo authentico consilio vel Romanorum pontificum decreto damnatum et anathemate cauteriatum esse.

Ebriosi enim, cæterique in hunc modum criminosi, quamvis, testante Paulo, regnum Dei non consequantur, tamen in sancta Ecclesia propter multitudinem tolerantur : nec aliquis pro hujusmodi ponitur in excommunicationem, nisi cum non habet sociam multitudinem; quamvis nec super talium consuetudine ac multitudine pastoris debeat cura dormitare, dicendo et faciendo cuncta, quibus regnanti peccato sic potest obviari, ut impugnatio iniquitatis non sit dissipatio unitatis, nec rursum custodia unitatis sit fomentum iniquitatis. Cum vero talis culpa patratur, quæ Patrum judicio damnata esse cognoscitur, non est in potestate pontificis differre sententiam ultionis, ne et ipse tacendo et consentiendo incurrat periculum anathematis. Sicut enim si Ariana hæresis in aliquo episcopatu pullularet, nemo illam utpote jam semel damnatam, pro consuetudine vel multitudine aliquorum tolerandam putaret; sic et in cæteris criminibus Patrum judicio damnatis et excommunicatis nemo debet hæsitare; quin statim, ut ab aliquo deprehensi fuerint, si post primam et secundam correptionem non corriguntur, episcopo prodantur : ut eorum damnatio non tunc primo in rebelles dictetur, sed jam olim dictata per episcopum roboretur et publicetur; ne antiquum anathema incurrant, quicunque, post talem publicationem damnato et excommunicato crimini scienter communicant.

Cum ergo apertus mercenarius aperte sit Simoniacus, a primo Romanorum pontifice Petro damnatus, et multis posteriorum Patrum sententiis præcisus, magis timendum est episcopo : ne ipse cum talibus damnetur tolerando eos in parochia sua; quam hoc ab aliquo consilium recipiendum, ut tolerentur pro multitudinis turba vel consuetudine diu inolita.

Hoc non solum de mercenariis, sed et de Nicolaitis et per laicam manum investitis observari oportet; cum certissime constet tales ab episcopo fideli ostiario non esse admittendos : quando Ecclesiæ dono per aliam personam accepto sibi offeruntur vel mittuntur, ut ab eo accipiant animarum curam, qui ab alia qualicunque persona jam receperunt Ecclesiam.

Certum est enim quod non imperatori, non laico alicui, non præposito, non abbati, non abbatissæ, non denique alicui personæ convenit aut licet Ecclesiam donare, quam sanguine Christi liberatam et magna libertate nobilitatam, soli episcopo non datam sed commendatam esse constat : ut quali accessu ipse accessit ad matricem Ecclesiam, taliter et non aliter accedentibus ipse committat animarum curam; cavens illud summopere, ne aliquem permittat in duabus Ecclesiis uno et eodem tempore obligari, quia nec ipse potest ad duos episcopatus regendos divaricari.

Facile autem iste ordo custoditur, ubi de solis regularibus canonicis, vel religiosis monachis Ecclesiæ præficiendus eligitur. Hæc autem electio tunc ecclesiastice procedit, si defuncto aliquo presbytero, illius obitu comperto episcopus aliquam prudentem et religiosam personam mittat ad illius decaniæ clericos prudentiores convocandos, in qua est Ecclesia viduata, quatenus illis consulentibus electio fiat ordinata. Legatus vero episcopi plebem debet alloqui, ut de pastoris electione diligentiam habeant, quatenus de tali persona suam petitionem faciant, cui præficiendæ clericus possit annuere, quam etiam diligens episcopi examinatio non possit respuere.

Cum enim tam in capitis quam in membrorum dispositione, una et eadem Ecclesiæ pulchritudo debeat apparere, sicut affirmante Leone Magno nulla ratio sinit, ut inter episcopos habeatur, quem nec clerus elegit, nec populus expetivit, nec suus metropolitanus ordinavit : sic nulla ratio sinit, ut inter parochiales presbyteros habeatur, quem nec clerus elegit, nec populus expetivit, nec suus episcopus de animarum cura investivit.

Nihil ergo tam in presbytero quam in episcopo constituendo cujusdam personæ operatur donatio, quia Ecclesia, non sicut ancilla est donanda, sed sicut sponsa legitimo viro legitime copulanda (139).

Sive autem qui donant, sive qui a donantibus accipiunt Ecclesias, quia paternas leges transgrediuntur, si correpti non resipiscunt, illa infamiæ ac damnationis pœna tenebuntur, qua paternarum legum sponte violatores feriuntur. Episcopus vero, nisi tale nefas verbi gladio persequatur, quosdam excludendo, quosdam intus corrigendo, quosdam

quispiam abbatum aut monachorum ex quocunque monasterio ad clericatus officium vel ordinem sacrum accesserit, non illic aliquam habeat, ut diximus, ulterius potestatem, ne monasteria hujus occasionis velamine ea, quæ prohibemus, sustinere onera compellantur. »

(138*) In libro Sapientiæ : *Cum fatuis ne consilium habeas. Non enim poterunt diligere, nisi quæ ipsis placent* (*Eccli.* VIII, 20). Item : *Multi pacifici sint tibi; et consiliarius tibi sit unus de mille* (*Eccli.* VI, 6). Item : *Ante omnia opera verbum verax præcedat, te, et ante omnem actum consilium stabile* (*Eccli.* XXXVII, 20).

(139) Ex epistola Clementis papæ : « Vestrum est, qui legatione Domini fungimini, o sacerdotes, docere populos; eorum vero est vobis obedire, ut Deo. »

Ex epistola Alexandri papæ : « Nullus comes, nullusque judex, nullus omnino in clericatu vel sæculari habitu constitutus legationem episcoporum impediat, vel conturbare præsumat. »

etiam cum discreta reclamatione aliquandiu sufferendo, donec tempus inveniat, quo fune de resticulis facto projiciendos projiciat. Nisi, inquam, sic agat, ipse utique divino judicio excludetur de porta gregis, quia non habet curam gregis : quam si haberet pastor ipse legitimus, pastores tantummodo legitimos sub se præside pateretur; nec ad vicarios, velut ad istos fures et latrones sua sponte tolerandos cujusquam consilio adduceretur : nec de Christi sponsa permitteret fieri adulteram. Quia, teste beato Ambrosio, Ecclesia, quæ non est legitimo viro legitime conjuncta, vocatur adultera.

Absit ergo dilatio ad tales adulteros excludendos, quos nulla ratio sinit haberi ut legitimos viros! Excludantur de porta gregis, qui non sunt boni custodes gregis. Ipsi enim tali exclusione aliquando melius attrahuntur, et a vero custode super gregis portam vigilante, de mortis profundo, quasi de maris fundo, extrahuntur. Portarius enim portæ istius prudentissimus piscator est. Novit, Christo præcipiente, sua retia laxare in capturam; novit eadem magnis piscibus repleta trahere ad terram.

CAPUT XXV.

Clerici vitiorum cœno demersi ad vitam apostolicam reformandi sunt, id quod jam Romæ, Salisburgi, etc., factum gaudet Gerhohus.

Recte itaque juxta portam gregis collocatur *Porta piscium*, de qua scriptum est : *Portam autem piscium ædificaverunt filii Asnaa. Ipsi texerunt eam, et statuerunt valvas ejus et seras et vectes* (*II Esdr.* III, 3). Qui sunt isti pisces, nisi clerici adhuc in lubrica sua consuetudine tanquam in cœno cujusdam piscinæ latitantes, et fluida conversatione vagantes? Horum magna pars, velint nolint, Petro piscante extrahentur, et in porta communis vitæ constituentur; quæ non solum porta gregis, ut jam dictum est, sed et piscium dicitur. Quia sicut colligit oves adhuc natare nescientes, ita nimirum eosdem collectos vertit ad quosdam rationabiles pisces; qui non tantummodo sciant ambulare tangendo terram per actionem, sed, more piscium, quasi naturalem natandi usum possidentes, a fundo terræ subleventur per contemplationem.

Recte itaque in reædificatione Jerusalem portæ gregis porta piscium continuatur, quia vita communis de activis et contemplativis, quasi de ovibus et de piscibus, in ædificio cœlestis Jerusalem manu artificis ita coaptatur, ut ædificator illius Christus recte in Evangelio filius fabri dicatur. Quia fabrile quoddam negotium, quod olim Ecclesiæ suæ promisit, nunc evidenter adimplet; sicut nostro tempore per multas Ecclesias apparet. Potens enim et verax ille faber fabri filius loquens Ecclesiæ, suæ sponsæ, civitati suæ per Isaiam prophetam ita dicit : *Convertam manum meam ad te, et excoquam ad purum scoriam tuam, et auferam omne stagnum tuum, et restituam judices tuos, ut fuerunt prius; et consiliarios tuos, sicut antiquitus. Post hæc vocaberis civitas justi, urbs fidelis* (*Isa.* I, 25, 26).

A Nonne faber ille hanc prophetiam in Salzburgensi Ecclesia jam cœpit implere? ubi et pseudocanonicos, quasi stagnum, abstulit; et regulares canonicos ibidem plantatos per ignem suo fabrili conflatorio aptum ita jam excoquere cœpit, ut non dubitemus eam ab omni scoria usque ad purum excoquendam, et deinceps nullos judices vel consiliarios habituram; nisi quorum talis erit introitus, conversatio et exitus, qualis in episcopis judicantibus et clericis consiliantibus fuit antiquitus?

Faber iste fabricat Romæ in Lateranensi patriarchio, ubi per gratiam ipsius jam reflorescit vita canonica, tanto citius omnem scoriam depositura, quanto illi tanquam in medio Babylonis positæ fornax tribulationis a quibusdam palatinis, non Petri B discipulis, sed regis Nabuchodonosor ministris, jugiter accendetur. In qua tamen ipse dominus apostolicus, velut quidam angelus, consolabitur tribulatos : ut, dum in medio tribulationis ipsum habeant suas angustias relevantem, videantur sentire in medio fornacis quasi ventum roris flantem. De ipsis vero illius fornacis incensoribus erit aliquis ita concremandus, ut aut cum Saulo conversus Ecclesiam defendat, aut cum Saule irrevocabiliter perversus in infernum descendat. Pueros autem Christi, veros videlicet canonicos, omnino non tanget ignis, neque contristabit, nec quidquam molestiæ inferet; imo tantum utilitatis conferet, ut per hunc ignem vinculis peccatorum consumptis libere C incedant, et quasi ex uno ore in medio fornacis Deum benedicant. Fuit enim ante aliquot annos Ecclesia illa talibus clericis exposita, qui non canerent quasi ex uno ore, sed quasi ex ore diverso ac multum dissono; tum propter vocis inconcinnos organismos, theatralibus quibusdam modulis variatos; tum propter mores incompositos et magna discrepantia contra invicem divisos. Nunc autem, Deo gratias, psallitur et canitur in Ecclesia illa quasi ex uno ore, tam in vocis matura et consona modulatione, quam in morum sancta juxta claustralem disciplinam compositione. In qua, si quid adhuc addi oportet, qui cœpit, ipse perficiet.

Gaudeat ergo ecclesia Sancti Fridiani Lucensis, quæ velut hortus irriguus, Romanas mensas de suis D locupletat fructibus; dum inde quantuluscunque canonicorum numerus, quasi parvum sinapis granum in Romanam Ecclesiam quasi in mortario conterendum mittitur : ut odor notitiæ Christi per hoc longe lateque spargatur, quando in ipso mundi capite reflorescit ordo communis vitæ.

Quæ deinceps acephalorum turba præsumet Romanam Ecclesiam appellare, si episcopus catholicus illos, quos ex eis convertere non potest, abjiciens vitam communem et apostolicam cœperit reformare? Si professores vitæ apostolicæ cum defensoribus vitæ apostaticæ venerint ad sedem apostolicam (quæ jam in propria sua principali Ecclesia fovet vitam apostolicam), quæ, putas, in sede illa pars triumphabit nisi cui Simon Petrus gratis cau-

sam suam adjuvans favebit? quis autem confundetur et gravi casu frangetur, nisi is, qui in civitate illa præsumet volatum suum cum Simone Mago contra Simonem Magnum extendere: ubi et ipse Petrus præsidet in domno apostolico; et ordo Petri diligitur a potiori cardinalium numero, qui eum fovent et ibidem secundum statum antiquum ex parte inchoatum, et inde tanquam a capite per totum corpus Ecclesiæ citissime dilatandum?

Ipsi enim pseudocanonici semetipsos valde faciunt expugnabiles, dum pro timore suæ proprietatis perdendæ usque adeo timent mundanos principes, ut suis episcopis justa præcipientibus inobedientes fiant, ne per mundanos bona, quæ diligunt, amittant. Sæpe quoque talibus sceleribus implicantur, in quibus deprehensi facile ab episcopis ecclesiastico stipendio privantur. Episcopus ergo, si triumphare voluerit, non carnalibus, sed spiritualibus armis accingatur; et pseudocanonicos verbi gladio, expugnando aggrediatur, in promptu habens ulcisci omnem inobedientiam, donec evellendo, destruendo, plantando et ædificando perveniat ad victoriam.

Erit enim ista victoria verbi per se potentis, per se vincentis, victoriæ autem corona verbum recte proferentis. Ille autem recte profert verbum, recte gladium evaginat utraque parte acutum, qui criminosos aut inobedientes clericos falce anathematis ita præcidit, ut eos tanquam ramos inutiles, foras projectos et arefactos, et illo igne arsuros relinquat, qui venit super socios Core; qui etiam ardebat in atrio Caiphæ, ubi se Petrus ad horam calefecit; sed, Domino cor ejus respiciente, ab illo igne discedens amarissime flevit, flensque susceptus est. Sic ergo et isti tunc recipiuntur, cum aut fletu aut aliis certis pœnitentiæ indiciis hoc de se testantur, quod sint paratiores cum Petro in communis vitæ cœnaculo ignem de cœlo venturum jejunantes et orantes exspectare, quam in domo Caiphæ contra frigus tristitiæ de cupiditatis igne sibi remedium captare.

A Hoc enim non est tam remedium, quam majoris tristitiæ fomentum, quoniam, unde ad tempus miser animus de cibo, potu, veste, nummo hilarescit, inde miserius tabescit: quando nec ancillæ vocem poterit sine tremore audire, qui de mundi fumoso atrio non vult exire.

Orandum est ergo pro talibus, ut eos respiciat Dominus, cui soli est possibile ramos fractos et arefactos ita recolligere ut, per gratiam reconciliationis inserti, calescant unitati et integritati vitis veræ, quæ est Christus; quatenus aut ipsi militiam illius de cætero legitime cum Petro exerceant; aut saltem eos, qui hanc exercere per Dei gratiam volunt et possunt, ulterius nulla inquietudine impediant. Quamvis enim maxime optandum sit, ut iterum inserti B gustent quam bonum et quam jucundum est habitare fratres in unum, tamen, si hæc vel non volentes, vel non valentes ita promittant se victuros esse canonice, ut viventes tanquam ramos de medulla vitis vitam trahentes non impediant, possunt aliquo modo in Ecclesia recipi, et tanquam in cortice matris arboris tolerari.

Si enim communione christianorum et salute animarum contenti, sic absque sacris ordinibus et extra congregationes vivere velint, quo modo invenimus beatum Gregorium clericis infirmis permisisse, rem quidem faciunt non laudandam, sed tamen utcunque tolerandam. Illud enim nullo modo potest tolerari, ut sacris ordinibus fungantur extra regu- C lam constituti.

Quis enim tales in sacris ordinibus recipiendos arbitretur, nisi qui scita conciliorum et gesta pontificum dissimulare aut ignorare videtur? Nam ut de cæteris Patribus taceamus (qui diligenter examinari præcipiunt promovendos in sacris ordinibus; ita videlicet, ut eorum non solum acta vita discutiatur, sed et agenda in sancto proposito stabilita, agnoscatur), solus (139*) Leo Magnus et Gregorius primus ad eos removendos sufficiunt, qui personas etiam suspectas respuunt. Quid autem est Leo Magnus

(139*) Leo papa urbis Romæ Januario patriarchæ Aquileiensi: « Lectis fraternitatis tuæ litteris, vigorem fidei tuæ, quem olim noveramus, agnovimus congratulantes tibi, quod ad custodiam gregis Christi pastoralem curam vigilanter exsequeris, ne lupi, qui sub specie ovium subintrarunt, bestiali sævitia simplices quosque dilacerarent: et non solum ipsi nulla correctione proficiant, sed etiam ea, quæ sunt sana, corrumpant. Quod ne vipera possit obtinere fallacia, dilectionem tuam duximus commonendam, insinuantes ad animæ periculum pertinere; si quisquam de his, qui a nobis in hæreticorum atque schismaticorum secta delapsas, et se utcunque hæreticæ communionis contagione macularit, resipiscens in communione catholica sine professione legitimæ satisfactionis habeatur. Saluberrimum et spiritualis medicinæ utilitate plenissimum est, ut sive presbyteri, sive diaconi vel subdiaconi aut cujuslibet ordinis clerici, qui se correctos videri volunt, ad catholicam fidem, quam jam pridem amiserant, rursum reverti ambiunt, prius errores suos et ipsos auctores erroris damnari a se sine ambiguitate fateantur: ut sensibus pravis et peremptis nulla sperandi supersit occasio; ne ullum membrum talium possit societate violari, cum per D omnia illis professio propria cœperit obviare. Circa quos etiam illam canonum constitutionem præcipimus custodiri, ut in magno habeant beneficio, si adempta sibi omni spe promotionis, in quo inveniuntur ordine, stabilitate perpetua maneant; si tamen iterata tinctione non fuerint maculati. Non levem apud Dominum noxam incurrit, qui de talibus ad sacros ordines promovendos judicarit. Quod si cum grandi examinatione promotio conceditur inculpatis, multo magis non debet licere suspectis. »

Et post pauca: « Non autem dubitet dilectio tua; vos, si, quod non arbitramur, neglecta fuerint, quæ pro custodia canonum et pro fidei integritate decernimus, vehementius commonendos. Quia inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quam ad desides negligentesque rectores: qui multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum necessariam dissimulant adhibere medicinam. »

vel Gregorius primus (140), nisi Petri uterque vicarius? Qui autem cum Petro non sapit, cum Petro non colligit. Qui cum Petro non colligit, certe cum ipsa Petra, quæ Christus est, non colligit, cum quo qui non colligit, spargit; et qui non est cum illo, contra illum est. Qui autem contra Christum est, Antichristus est. Et nunc Antichristi multi sunt, qui characterem bestiæ et numerum nominis ejus non solum in manu, sed et in fronte suscipiunt: non solum contraria Christo agentes, sed etiam impudenti fronte contra Ecclesiam defendentes; et sic a Romana Ecclesia discordantes indubitanter hæretici fiunt, quoniam hæreticum esse constat, qui a Romana Ecclesia discordat.

Dico autem Romanam Ecclesiam, cujus caput est Christus, membra vero Petrus et Paulus et omnis illius Ecclesiæ filius spiritualis, non solum in urbe illa, sed etiam per totum mundum in petra, quæ Petro nomen dedit, constitutus. Omnis, inquam, spiritalis pertinet ad Ecclesiam Romanam, quæ omnes judicat, et ipsa a nemine judicatur. Quia, Paulo affirmante: *Spiritualis judicat omnia, et ipse a nemine judicatur* (*I Cor.* II, 15).

CAPUT XXVI.

Episcopi caveant in clero dominari: imo id potius dent operam, ut clericis suis benignos, pauperibusque se largos præstent. Episcoporum mensa sit eadem, quæ mensa clericorum, pauperum, etc.

Quæratur ergo non solum a Petro, sed et ab omni doctore catholico, quid de vita clericorum sentiat; ut omnis, qui a Romana Ecclesia discordare non vult, spiritali eorum judicio consentiat? Dic, Petre, quid sentias? *Seniores*, inquit, *obsecro consenior, pascite eum, qui in vobis est, gregem* (*I Petr.* v, 1, 2). Ecce non dicit: Sequimini cum militibus regem; sed *pascite*, inquit, *eum qui in vobis est, gregem* et cætera: quibus vitam pastoris circumscribens, ita sententiam conclusit: *Non dominantes in clero, sed forma facti gregis* (*I Petr.* v, 3). Hanc sententiam beatus Gregorius quodammodo glossavit, quando Augustinum Anglorum episcopum seorsum a suis clericis vivere prohibuit, ne, si episcopus a clero divideretur, in clero dominari videretur.

Nunc autem clero multi dominantur, qui a suis qualibuscunque clericis divisi, de agris Ecclesiæ majorem partem sibi tenentes, minorem clericis, nullam vero pauperibus relinquunt. Atque ita dominantes in clero non sunt forma gregis, regendo clerum et pascendo gregem; sed magnum tam cleri quam gregis offendiculum, pascendo milites et regem. Hoc facere periculosum est: defendere autem sine dubio perniciosum est. Non enim dicit Scriptura: Væ his qui faciunt malum, quod tamen est periculosum; sed: *Væ his qui dicunt malum bonum, et bonum malum, ponentes lucem tenebras, et tenebras lucem* (*Isa.* v, 20). Est ergo periculum his qui faciunt malum; sed æternum væ his qui pertinaci studio defendunt.

Sancto enim Gregorio lamentationes, et carmen, et væ super Ezechielem exponente, hanc differentiam inter lamentationes notare possumus; ut non absurde peccatoribus pœnitentibus lamentationem temporalis afflictionis; peccati vero defensoribus væ perpetuæ damnationis assignemus, et cum Jeremia lamentantes dicamus: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum* (*Thren.* IV, 1)? purissimi namque auri color optimus fuit, quando episcopus ad suos discipulos cum Christo dicere potuit: *Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat* (*Luc.* XXII, 27).

Nam quod ubi communis vita non est, sacri canones episcopis quartam decimarum et oblationum partem conferendam censuerunt, non propter milites, sed propter peregrinos et hospites ab eo recipiendos fecerunt. Quibus tamen a beato Gelasio (141) prohibitum est agros Ecclesiæ dividere, quia debent potius per singulos annos tam redditus agrorum quam decimas in quatuor partes dispensare: ut pars, quæ contingit episcopum, sub testimonio

(140) Gregorius de quatuor conciliis in Synodica sua dicit: « Cunctas personas, quas veneranda concilia respuunt, respuo. Quas venerantur, amplector. Quia universali consensu constituta, se non illa destruit, quisquis præsumit aut solvere quos ligant, aut ligare quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit. » Gregorianum illud anathema incurrunt episcopi, a quibus non respuuntur acephali et absolute ordinati, nulli scilicet Ecclesiæ regulariter alligati: quibus Chalcedonense concilium interdicit omne ministerium.

(141) Gelasius papa, cap. 27: « Quatuor autem tam de redditu quam de oblatione fidelium, prout cujuslibet Ecclesiæ facultas admittit, sicut dudum est rationabiliter decretum, convenit fieri portiones. Quarum sit una pontificis, altera clericorum, pauperum tertia, quarta fabricis applicanda. De quibus sicut sacerdotis intererit integram ministris Ecclesiæ memoratam dependere quantitatem, sic clerus ultra delegatam sibi summam nihil insolenter noverit expetendum. Ea vero, quæ ecclesiasticis ædificiis attributa sunt, huic operi veraciter prorogato, locorum doceat instauratio manifesta sanctorum, quia nefas, si sacris ædibus destitutis, in lucrum suum præsul impendia his designata convertat. Ipsam nihilominus ascriptam pauperibus portionem, quamvis rationibus se dispensasse monstraturus esse videbatur; tamen juxta quod scriptum est, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est, oportet etiam præsenti testificatione prædicari, et bonæ famæ præconiis non taceri. » Cap. 28: « Quapropter, ne clericorum quisquam se hujus offensæ futurum confidat immunem, si in his, quæ salubriter sequenda deprompsimus; sive episcopum, sive presbyterum, sive diaconum viderit excedentem, et non protinus ad aures nostras deferre curaverit, probationibus duntaxat competenter exhibitis: ut transgressoris ultio fiat cæteris interdictio delinquendi. Sin vero, modis omnibus erit unusquisque pontificum ordinis et honoris elisor: si cuiquam clericorum vel Ecclesiæ totius auditui hæc putaverit supprimenda. »

Ecclesiæ sit, in pauperum solatio et hospitalitatis officio expendatur; ut episcopus non dominando in clero, sed forma factus gregi, quidam secundus Job videatur, dicens cum illo : *Si negavi, quod volebant pauperes, et oculos viduæ exspectare feci; et comedi buccellam meam solus, et non comedit ex ea pupillus, quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meæ egressa est mecum. Si despexi prætereuntem, eo quod non habuerit indumentum, et absque operimento pauperem. Si non benedixerint mihi latera ejus, et de velleribus ovium mearum calefactus est; si levavi super pupillum manum meam, etiam, cum viderem me in portis superiorem : humerus meus a junctura sua cadat, et brachium meum cum suis ossibus confringatur. Semper enim quasi tumentes super me fluctus, timui Deum, et pondus ejus ferre non potui. Foras non mansit peregrinus, ostium meum patuit viatori* (*Job* XXXI, 17-24).

Nunquid hæc verba potest episcopus veraciter dicere, ad cujus prandium intrat miles ac tyrannus; foris manet peregrinus? ostium illius clauditur viatori, quod aperitur militi et imperatori? Martinus hæc dicere potuit, qui nunquam regi, frequenter autem pauperi cœnam suam communem fecit. A quo et illud pro magna gratia tam a rege quam a regina susceptum est, quod ipse precibus coactus prandio eorum aliquando interesse dignatus est.

(142) Potuit hæc dicere Gregorius, qui omnes Ecclesiæ facultates dispersit et dedit pauperibus, non militibus aut principibus. Quorum tamen devotionem et dilectionem non damnose, captare solitus fuit, offerens ipsis primoribus pretiosa pigmenta, vel alia peregrinarum specierum rara munuscula. Hoc fiebat sine pauperum detrimento, imo cum multo pauperum lucro, quia quando vel balsamum vel aliam hujusmodi pretiosam speciem primoribus offerebat; illos in sui et Ecclesiæ dilectionem provocavit, per quorum devotionem pauperum facultas tuta et imminuta permansit. Quantum ergo absque pauperum damno fieri potuit, talem se etiam erga majores exhibuit; ut et ipse ab omnibus diligeretur, et Ecclesia quasi horreum commune putaretur. Absit tamen ut et ipse principes vel milites ita credatur timuisse, ut eos cum pauperum vel damno vel offensione soleret sibi aliquo modo conciliare! De quo illud potius in vita sua legitur, quod cunctorum judicum cupiditates vel scelera, quasi camo frenoque pontificii validissimis auctoritatibus restringebat.

Erat itaque Petri senioris consenior, non dominans in clero, sed forma factus gregi, cui omnia verba, quæ de Job dicta invenimus, verissime poterant adaptari. Poterat enim hæc omnia servare sine impedimento communis vitæ; quam et cum suis clericis in pontificatu servavit, et Augustino Anglorum episcopo servare mandavit. Si enim communis vita in administratione pontificalis curæ ab episcopo cum clericis observari non posset, duo contraria papa Gregorius Augustino episcopo mandasset. Cui et vitam communem servari præcepit, non permittens episcopum seorsum vivere a suis clericis; et eidem in decreto quodam suo de stipendiis Ecclesiæ scribens, quartam episcopo partem de his assignavit; quod propter hospitalitatem atque susceptionem fieri in eodem decreto significavit.

Hinc est, quod idem beatus Marianum episcopum de avaritia redarguens, vacuum episcopi nomen tenere illum asseruit: quod orationi et lectioni solummodo intentus, de manu nihil fructificavit; cum debeat episcopus largam manum habere, necessitatem patientibus succurrere, alienam inopiam suam credere; quia, inquit, « si sic non habet, vacuum episcopi nomen tenet. » Ad hanc asperam redargutionem, zelo Dei, vir sanctus propterea fuit excitatus, quod mendicantes quosdam cognoverat per Ecclesiam ejusdem Mariani transisse, nihilque ab eo accepisse.

O beatum pontificem, qui omnes tales esse voluit, qualis ipse fuit! Cujus manus vere fuit gazophylacium cunctis indigentibus commune, quia non sibi, sed aliis curavit accipere. Neque enim quidquam a quoquam accepisset, si non hoc propter indigentes fecisset. Non ergo injuriosum, si tunc oblationes ad pedes ejus, tanquam ad pedes Petri, ponebantur, quoniam inde non divitibus, sed pauperibus distribuebantur. Nulli ergo tunc dissuaderi debuit, quin ad pedes talis papæ offerret, quod potuit, quia non tam illi oblatio dabatur, quam per ipsum in sinus pauperum transmittebatur; cum et ipse pauper pauperibus ministraret; et vitam Apostolicam mirabili et difficili modo in palatio, sicut in monasterio, servaret, non dominans in clero, sed forma factus gregi.

Non est ergo episcopo impossibile pariter episcopatus curam administrare, vitamque communem cum suis clericis observare; quia sic poterit episcopus in vestium vilitate, in ciborum frugalitate, in jejuniorum dispositione, in omni denique

(142) Ex Vita S. Gregorii, cap. 22: « Tantæ hospitalitatis Gregorius in ipso etiam patriarchio permansit; ut exceptis his, quos tam per diversas regiones quam Romæ quoque Longobardorum perfidiæ gladios fugientes ecclesiastica stipe misericorditer nutriebat, quotidie ad mensam suam peregrinos quoslibet invitaret. »

Item cap. 27: « Suo tempore frumentum, suo vinum, suo caseum, suo legumen, suo lardum, suo manducabilia animalia, suo pisces vel oleum paterfamilias Domini discretissime dividebat. Pigmenta vero aliaque delicatiora commercia primoribus honorabiliter offerebat: ita ut nihil aliud, quam communia quædam horrea, communis putaretur Ecclesia. »

Item ex libro tertio, cap. 48: « Cunctorum judicum cupiditates vel scelera Gregorius quasi camo frenoque pontificii validissimis auctoritatibus restringebat. Et si quos dulciter a pravitate corrigere non valebat, scitorum suorum redargutionibus publicabat. »

morum et actuum suorum qualitate regulares mensuras tenere; ut, quando ipse conventui clericorum suorum non poterit interesse, nullum clericorum vel monachorum quantumcunque religiosum pigeat lateri suo adesse; quando apud episcopum nihil cogitur de regulari districtione relaxare. Sic beatus Augustinus, qui propter infirmos et hospites mensæ suæ carnes adesse permisit; sanis tamen et cohabitantibus de oleribus et legumine simplicem et regularem victum procuravit; studens videlicet sic hospitalitatis et condescensionis officium servare ad extraneos et infirmos: ut tamen a regulari districtione aliquatenus non relaxaret cohabitantes et sanos.

Quis ergo quantumcunque claustralis disciplinæ amator non libenter tali episcopo adesset, in quibus non inanes sæcularium negotiorum fabulæ, sed verba sacræ lectionis audiebantur? In quibus non plus quam necesse fuit corpori serviebatur; sed sola ejus infirmitas reficiebatur ut ad usum necessariæ virtutis haberetur?.

Si igitur sic agant episcopi, erunt communiter viventium, non solum socii, sed et regulares magistri. Nec vivent seorsum a clericis suis, qui, cum ipsi eorum conventibus interesse non poterunt, meliores de claustris ad se collectos regulariter, non carnaliter tractabunt. Non fuit ergo contrarium, quod beatus Gregorius ad beatum Augustinum scripsit; cum vita regularis et socialis etiam in pontificatu custodiri possit, quatenus episcopus juxta sententiam Petri non sit dominans in clero, sed forma factus gregi.

CAPUT XXVII.

An liceat episcopis negotiis sæcularibus, curiis principum, bellicis studiis, etc., vacare? Quid de hoc senserint apostoli et sancti Ecclesiæ doctores?

Perspicuum est, quid de vita episcoporum senserit Petrus, ante omnes in sede Romana post Christum audiendus. Audiamus etiam, quid dicat Paulus inter præcipua illius Ecclesiæ, quæ omnes judicat et ipsa a nemine judicatur, membra simul cum Petro computandus.

Dic, Paule, quid sentis de pontifice? Debetne pontifex regales functiones administrare? audite quid dicat. *Omnis*, inquit, *pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis* (*Hebr.* v, 1). Si ergo in his tantum pontifex constituitur, quæ sunt ad Deum, quid de his ad eum quæ pertinent ad regale officium? si ad hoc præficitur, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis, quare occupatur in militibus congregandis, et expeditionibus cum rege ordinandis? Nunquid hoc agere, est sacrificium pro peccatis, quando militiam ducens, nec unam pernoctationem in aliqua villa potest facere absque militum et scutariorum innumerabilibus peccatis? Si tali sacrificio placabitur Deus, vere dominus Moguntinus beato Martino in regno cœlorum erit præferendus. Sed melius est ut Martinum oremus orare pro Moguntino, quam ut illum taliter credamus præferendum Martino. Hoc enim si credimus aut sentimus, Ecclesiæ Romanæ per Paulum nos instruenti non consentimus. Ipse enim non solum de pontifice, sed de omni persona profitente militiam Christi affirmat aperte: quod *nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus* (*II Tim.* II, 4). Ecce habemus duos testes, inter omnes Ecclesiæ Romanæ judices amplius insignes. Sufficere nobis poterit istorum testimonium, quia in ore duorum vel trium testium stat omne verbum.

Attamen si quis verba istorum sic putat interpretanda, ut non in his persuadeatur clero vita communis et apostolica, respiciat posteriores Patres, qui in his verbis non quæsierunt allegoriam; sed hæc aptaverunt ad illam vivendi regulam, quam Dominus dedit discipulis, et per discipulos cunctis verbi sui ministris, dicens: *Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV, 33).

Hæc verba Urbanus papa et martyr sic intellexit, ut omnes clericorum congregationes per Ecclesias matrices taliter instituendas decretali sanctione constitueret, quatenus apostolica et communis vita futuris temporibus in his perpetuo perseveraret. Frustra ergo tanquam de re nova quærendum putat aliquis consilium a sede apostolica, utrum reformari debeat vita communis et apostolica: cum habeamus ad manum decreta Urbani papæ (143) et martyris, terribile anathema contra suarum constitutionum violatores promulgantis.

Hæc decreta inveniuntur absque itineris labore, sine magnis expensis, pene in omnibus ecclesiarum armariis; et tamen episcopi differunt his armari, quærentes et exspectantes novis decretis aut privilegiorum chartis ad hoc faciendum roborari; quod ipse Deus, qui habitare facit unius moris in domo, per se ipsum constituit, per apostolos fundavit, per multas orthodoxorum Patrum sententias et exempla corroboravit.

Si de certis et apertis consulere debemus apostolicam sedem, quare non eam consulimus utrum debeamus credere in Deum, Patrem omnipotentem? quod si supervacuum putatur in tam aperta fide apostolorum, domini apostolici exspectare consilium; cur in cæteris nihilominus certis et apertis apostolorum et apostolicorum constitutis exspectatur, donec nova charta seu privilegium a Romana sede afferatur?

(143) Urbanus papa et martyr: « Decet omnes Christianos, charissimi, ut eum imitentur, cujus nomen sortiti sunt. Scimus vos non ignorare, quia hactenus vita communis inter bonos Christianos viguit, et adhuc gratia Dei viget; et maxime inter eos, qui in sortem Dei sunt electi, id est clericos. Sicut legitur in Actibus apostolorum (IV, 32): *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una.* »

Benedictus papa Honorius, et benedictus sermo oris sui; quem audivi tale responsum dare domino Salzburgensi archiepiscopo de rebus quibusdam certis, etiam definitis, per legatum suum sedem apostolicam consulenti: « Sunt, inquit, scripta jam olim super his causis promulgata penes ipsum dominum archiepiscopum. Non illi est necesse de his quærere, aut exspectare novum ex nostri parte aliquod scriptum. Scriptis antiquis utatur, quia zelum Dei habens, nostrum habebit auxilium, in quibuscunque illi favent antiquæ traditiones Patrum. » Hæc verba, vel non multum his dissimilia, istam sententiam competenter exprimentia sic postea servavi, quasi de divino ea acceperim oraculo. Multos enim tam tepidos ac trepidos videmus in rebus certis, etiam sæpe judicio Patrum definitis; ut necesse habeant commoneri his verbis, quatenus in causis apertis, nullo consilio exspectato, confidenter agant; certi, quoniam eos adjuvabit Petrus Petrique vicarius, quando veritatis petra, non pravæ consuetudinis arena, ædificatio eorum fulcitur, et antiquis Patrum statutis, velut firmis et imputribilibus columnis undique stabilitur.

CAPUT XXVIII.

Vita clericorum inferior non est vita monachorum. Quibus vestimentis utatur monachus factus pontifex vel episcopus.

Si enim caute perspiciatur, quid de vita clericorum senserint, et scriptum reliquerint Patres antiqui, cum sit magna monachorum sancta districtio, clericalis tamen vitæ sanctimoniam et districtionem sic illi per omnia legimus parificatam: ut eam etiam magno certamine (144) a beato Ambrosio et Joanne Chrisostomo (144*) inveniamus prælatam. Quia cum monachus per fugam, clericus per pugnam debeat mundum vincere, beatus Ambrosius utrorumque vitam sic circumscribit, ut secundum A sententiam illius neque monachus clerico, neque clericus monacho insultare possit; quod alter altero in sanctitatis vigore superior vel inferior debeat inveniri, si doctrinæ illius tam clericus quam monachus voluerit perfecte inniti. Sic enim eos describit in sanctitate pares, ut tamen notet eos in pugna dissimiles. Ideo enim sancti quondam monachi difficile consenserunt se promoveri ad ordinem clericalem, difficilius vero ad militiam clericalem. Multi enim funguntur infra septa monasteriorum clericali ordine, qui tamen non facile acquiescerent per officium regiminis et prædicationis in clericali militia sudare. Sed velint, nolint, omnino ad hoc trahendi et compellendi sunt monachi sancti et bene regulares: sicut repellendi B sunt omnes clerici acephali et irregulares.

Quod cum nostro tempore sit necessarium propter penuriam clericorum regularium, quondam, cum omnes episcopales, baptismales, cæteræque præpositurales Ecclesiæ communem clericorum vitam foverent, raro fiebat; quia penuria regularium clericorum non ad hoc angebat, nisi cum aliquis tantis virtutibus inter monachos enituit: ut non immerito videretur, non solum clericali ordine insigniendus; sed in ipsa quoque clericali militia dux et princeps constituendus.

Constitutus enim sic sanctum clericorum regebat ordinem, factus ipse non solum unus clericorum, sed etiam magister eorum: ut semper vita et actu C probaret sibi non decessisse monachi sanctitatem, sed accessisse clericalem dignitatem. Hinc est, quod monachus in clero provectus, clericale aliquod acturus officium, non exuit vestem monachilem, sed superinduit clericalem. Si enim eligitur in papam, semel inthronizatus nunquam deinceps publice apparebit sine indumento clericali; quia continuo illi incumbit necessitas laborare cum Petro clericorum principe, cujus locum tenet: nec potest cum Bene-

(144) Ambrosius in Regesto suo de distinctione clericorum et monachorum: « Hæc duo in anteriore Christianorum devotione præstantiora esse quis ambigat, clericorum officia et monachorum instituta? Ista ad comitatem et moralem disciplinam, illa ad abstinentiam assuefacta atque patientiam. Hæc velut in theatro, illa in secreto; spectatur ista, absconditur illa. Ideo bonus athleta ait, spectaculum facti sumus huic mundo: dignus sane, qui spectaretur ab angelis, cum luctaretur, ut ad bravium perveniret; cum certaret, ut in terris vitam angelorum institueret, in cœlo nequitiam angelorum refelleret. Colluctabatur enim nequitiis spiritualibus. Merito mundus eum spectabat, ut mundus eum imitaretur. Hæc vero vita in stadio, illa in spelunca. Hæc adversus confusionem sæculi, illa adversus carnis appetentiam. Hæc subjiciens voluptates corporis, illa refugiens. Hæc gratior, illa tutior. Hæc se ipsam regens, illa semetipsam coercens: utraque tamen se abnegans, ut fiat Christi. Quia perfectis dictum est: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* (*Matth.* xvi, 24). Sequitur ergo Christum, qui potest dicere: *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Gal.* ii, 20). Negabat se Paulus, cum sciens, quia vincula et tribulationes eum manerent in Jerusalem, se voluntarius offerret periculis dicens: *Non facio animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consummem cursum meum, et ministerium verbi, quod accepi a Domino Jesu* (*Act.* xx, 24). Denique circumstantibus plurimis, plorantibus et obsecrantibus non reflexit animum. Ita fides prompta durus sui censor est. Hæc ergo dimicat, illa se removet. Hæc illecebras vincit, illa refugit. Huic D mundus triumphatur, illi exsulat. Huic mundus crucifigitur vel ipsa mundo, illi ignoratur. Huic plura tentamenta, et ideo major victoria; illi infrequentior lapsus, facilior custodia. »

(144*) Joannes Chrysostomus in dialogo suo ad sanctum Basilium: « Ipsis radiis solis splendidiorem oportet esse animam sacerdotis, ut nunquam a Spiritu sancto deseratur; sed ut possit dicere: *vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus.* » Et post pauca: « Multo quippe majori indiget vitæ nitore sacerdos, quam monachi. Quo, cum vehementiore ei opus sit, pluribus tamen necessitatibus iste, quam ille subditur: quæ eum facere possint ex magna parte sordescere, nisi cura continua et intensione plurima impenetrabilem se semper exhibeat. Magnum certe est monachorum certamen, et multæ molestiæ labor. Porro si quis, bene administrato sacerdotio, illius proposito sudores conferat; tantum eos distare reperiet, quantum inter privatum distat et regem. »

dicto, monachorum duce, amato frui silentio, cujus tamen sanctitatem et propositum non relinquit.

Episcopus autem ex monachis electus, et inter clericos provectus, cui aliquando conceditur frui amplexibus Rachelis cum Benedicto; aliquando vero fecunditatem de Lia sectari ex Petri officio, per dies et tempora suæ quietis potest absque vestimento clericali sanctum monachilem habitum gerere. Sed quando clericorum choro interesse in aliquo episcopali ministerio cogetur, clericali veste congruenter utatur; ita scilicet ut communibus clericorum vestibus aliquando sine mitra portandis omnino addantur episcopalia insignia : quando vel officia solemniter agit in Ecclesia, vel examinat causas clericorum publica conventione celebrata. In qua conventione, quam capitulum vocant, sicut ipse non debet sine clericali veste apparere, sic nulli clericorum hoc debet permittere, ut sancto illi conventui adjungatur, nisi clericali veste, tunica videlicet talari, utatur. Quæ nobis tanto amplius amanda est, quod tam Veteris quam Novi Testamenti auctoritate nobis commendatur.

CAPUT XXIX.

Quid mystice significet alba et talaris tunica clericorum, et quibus ea figuris in utroque Testamento præfigurata fuerit : qualis eorumdem tonsura, etc.

In vestimentis enim primi pontificis Aaron plurimum nitet byssus retorta; filii ejus in Dei ministerio lineis resplendent indumentis : posteri eorum Ephod utuntur lineo. Cum ergo a femoralibus usque ad tiaram lineo candore cum cæteris speciebus fulgeant sacerdotes; quid hoc figurat, nisi nostri ordinis inviolabilem auctoritatem, et resplendentem castitatem, et honestæ vitæ puritatem ? Quid tunica Samuelis reges constituentis designat, nisi tunicam nostram lineam et talarem; quam si juxta sui nominis etymologiam mundo corde observaverimus, genus regium et sacerdotale coram summo rege astabimus ?

Veniat in mentem nostram vir ille, qui apud Ezechielem indutus lineis, atramentarium scriptoris ad renes habere dicitur (*Ezech.* IX, 2). Cui tanta potestas ascribitur, ut a sanctuario incipiens, quos dignos perpenderit, per tau litteræ figuram reservet : quos vero indignos judicat, sine illius litteræ signo gladiis sex virorum exponere non formidet. Cujus potestatis sublimitas vere illis attribuitur, qui castitatem corporis munditiæ cordis ex discretione associantes, gladio verbi divini circa femur potentissime accincti, lectulum veri Salomonis observantes, puro oculo ipsum regem in decore suo indesinenter contemplantur.

Nunc ad Novum Testamentum veniamus ipsum Dei et hominis Filium, quem constat omnes gradus clericalis ordinis in seipso consecrasse; regulam communis vitæ, quam vivimus, discipulis suis et per discipulos nobis tradidisse. Ipse, inquam, verus pontifex et sacerdos, ut habitum nostrum in se sanctificaret, quando in monte transfiguratus est, in candida veste apparuit. Ipse in passione sua purpurea et alba veste indutus, sicut in purpura martyrium, sic in veste alba sanctificavit sacerdotium.

Angeli quoque in vestibus albis tam in resurrectione quam in ascensione ipsius leguntur apparuisse, ut omnes personæ clericales resurrectionem et ascensionem Dominicam ipso etiam habitu testentur, quando nunquam præter albam et talarem tunicam videntur. Ipsam quoque Dominicam passionem, quam monachorum habitus niger figurat, in clerico vestis alba insinuat : tum quia castigatione multa perducitur ad candorem; tum quia in ipsa manicarum forma Dominicæ crucis prætendit speciem.

Hanc tamen sanctæ crucis amantissimam speciem non figurat vestis acephalorum effeminata; quæ manicas non juxta manus, unde vocabulum sortiuntur, sed juxta pedes, aut certe in terra cum ipsa toga terminat. Unde et in se magis vanitatis quam religionis, magis petulantiæ quam crucis aut crucifixi formam per eamdem vestem demonstrant : ac per suæ religionis habitum deformatum, licet pretiosum et pomposum, ordinem suum æque deturpant; quemadmodum si eum, ut multi eorum faciunt, omnino projiciant. Nam, testante Isidoro, « sicut mulier sine velamine deturpat caput suum, ita clericus sine habitu incedens deturpat ordinem suum. »

Nos autem non solum in vestitu corporis, sed etiam in tonsura et rasura capitis ordinem clericalem decoremus; licet cum Eliseo decalvati improperium Christi a pueris centum annorum portemus. Ad illius namque formulam rasi et quasi decalvati sumus, quem in Calvariæ loco pro nobis crucifixum adoramus. Crucis itaque signum et crucifixi calvitium in habitu nostro decenter appareat; et pectoribus nostris ac frontibus in hora tentationis ipsa crux fideliter imprimatur, ut diabolus suæ damnationis tam in motu quam in habitu corporis videns, virtute Christi pro nobis crucifixi atteratur.

Fuit quondam consuetudo ista celeberrima et amantissima Christi fidelibus, cum Apostolo non nisi in cruce Christi gloriantibus. Unde quidam sancti martyres per hoc a persecutoribus deprehensi fuerunt, quod semper ac pene omni hora frontes suas hoc celeberrimo signo munire consueverunt : a qua consuetudine sancta et salubri, nec terrore mortis averti potuerunt. Puto, imo dubitare nolo, quin aliquid magnæ utilitatis in hoc experti sint sancti Dei martyres, in cruce Christi gloriantes : quod neque tunc prætermittere voluerunt, quando ad se quærendos totum pene mundum insanire viderunt. Sciebant enim quod, si Christum et etiam ejus exteriora insignia erubescerent coram hominibus, et ipse illos erubesceret coram angelis suis.

Sic sanctus martyr Narcissus si exteriora suæ

religionis insignia erubuisset, non illum Affra, tunc pagana, sed postea martyr sancta futura, Christianorum esse pontificem deprehendisset; sed tam ipsa, quam tota civitas Augusta in paganismo tunc relicta fuisset. Verum quia sanctus pontifex etiam declinando persecutionem, non erubuit crucem, dum eam fronti suæ frequenter imprimeret, a persecutoribus Christianus esse agnoscebatur; agnitus quærebatur, quæsitus ab Affra sub lino abscondebatur: et ne inveniri posset per diligentiorem inquisitionem, transfertur a matre ad filiam. In quibus omnibus priscam Rahab meretricem sic Affra est imitata, ut non inaniter credatur: quod sicut illa legato Josue recipiendo, abscondendo, et alia via ejiciendo meruit populo Dei connumerari (*Jos.* VI, 17): sic ista legatos veri Jesu recipiendo, abscondendo, ad matrem alia via ejiciendo supernæ civitati meruerit associari.

Hæc utilitas tota periisset, si Narcissus crucem erubuisset. Sed quia crucem cæteraque sanctitatis exteriora insignia non erubuit; per illum conversa est Affra cum tota cognatione ac familia sua. Affra, inquam, conversa est nobilissima futuri fructus planta, et electissimum granum, segetis futuræ seminarium; quod ad hoc in terram per aspersionem cadens mortuum est, ut fructum multum afferret, dum exempla magnæ virtutis ad posteros transferret. Sancta enim et pretiosa martyr tribunalibus persecutoris præsentata, et de sua facultate interrogata, inventa est vere apostolorum condiscipula, et post illos Christi pedissequa, quia omnia sua pauperibus se jam dispersisse coram judice in Domino gloriata est; et ipsi Christo arctius inhærens de solius pretiosæ margaritæ impretiabili thesauro lætata est.

CAPUT XXX.

Primitivæ Ecclesiæ mores a clericis et monachis vita et virtutibus exprimendi sunt. Id vero agere nolentes episcopi a sacris ordinibus repellant.

Erat enim antiqui temporis consuetudo, ut, qui perfecte convertebatur, omnia sua indigentibus faceret communia; sive in domo sua manens pauper ipse pauperibus inde ministraret, sicut Tabitha, quæ plena operibus bonis et eleemosynis mansit in domo sua; sive domum cum rebus simul ac semel dimittens, et in commune conferens; ut multi et multæ fecerunt sub apostolis in primitiva Ecclesia. Exceptis ergo his, qui conjugali vinculo alligati utebantur hoc mundo, tanquam non uterentur; emebant tanquam non possidentes; gaudebant tanquam non gaudentes, imperfectorum scilicet locum tenentes, et in Segor parvula Sodomitarum sulphureas pœnas evadentes; his, inquam, exceptis et inter mulieres, quæ Dominum a longe sequebantur, computatis, hi soli Christo cum discipulis propius adhæserunt, et discipulorum seu discipularum nomine præ cæteris digni habiti sunt, qui continentiæ legibus devincti, omnia sua simul pro Domino reliquerunt.

Hi distinguebantur in tres portiones. Aut enim propriis omnibus distributis victum sibi de labore manuum quæsierunt, nulli existentes onerosi, sicut Aquila et Priscilla fecerunt: quibus de opere manuum victum quærentibus ipse se conjunxit apostolus. Aut sua in unum conferentes, semetipsos tradiderunt non delicate tractandos, sed recte castigandos alicujus magisterio; sicut multi et multæ leguntur fecisse sub Petro. Aut certe in domo sua manentes, et juxta magisterium alicujus, legem castitatis custodientes, pauperes pauperibus ministraverunt: sicut Tabitha vidua sub Petro; Valerianus martyr et Cæcilia sub sancto Urbano; Chromatius pater Tiburtii martyris sub papa Gaio fecerunt. Hi enim ad hoc sua in domibus suis tenuerunt, parcius ipsi viventes, quam cæteri nonnulli, quos fovebant indigentes.

In his tribus portionibus non audeo judicare, qui inter perfectos fuerint perfectiores; sed illos tamen dico tutiores fuisse, qui semel omnia dimittendo, vel de labore manuum vixerunt; sicut illi cooperatores Pauli fecerunt (quos multi perfectissimi Patres Ægypti postea imitati sunt), vel de oblatione fidelium viventes verbo Dei tam docendo quam discendo se totos dederunt, sicut rectores et discipuli post ascensionem Domini, per Spiritum sanctum Jerosolymis in unum collecti fecerunt.

Hos debet clerus imitari, serviens non mundo sed altari; sicut etiam, testante Apostolo, ipse Dominus ordinavit, cujus ordinationi contrarium aliquid in sancta Dei Ecclesia ordinare neque pontifici, neque regi, neque omnino alicui licet, licuit, vel unquam licebit. Testante enim papa Felice, talem Deus Ecclesiam in ultimo examine requiret a præsidentibus, qualiter ordinata est a Christo et apostolis; non qualiter nunc depravata est a militibus et acephalis. Unde, sicut idem Felix papa testatur, a sancta et apostolica Ecclesia nunc alienus, et tunc manifeste alienandus agnoscitur, quisquis episcoporum non taliter studet reconsignare Christo sponso suam sponsam, qualem ab apostolis, primis ejus paranymphis, eam legimus ordinatam et ornatam.

Scribens enim ad Achatium Constantinopolitanum episcopum, necdum ab Ecclesia separatum, sic inter cætera dicit: « Ausculta vocem Domini præmonentis. Qui mecum non est, contra me est; et qui mecum non colligit, spargit (*Luc.* XI, 23). Et diligenter attende, nihil aliud esse non provocare, quæ Christi sunt, nisi se palam profiteri ejus inimicum. » Et post pauca: « Moneo, hortor, et suadeo ut, quæ omissa sunt, corrigas; et sequentibus studiis de te facias meliora sentiri. Negligere quippe, cum possis, deturbare perversos, nihil est aliud quam fovere: nec carent scrupulo societatis occultæ, qui evidenti facinori desunt obviare. » Et paucis interpositis, « quoniam, inquit, in die judicii talem a nobis Ecclesiam certum est, qualem a Patribus accepimus, exigendam; etiam in hac vita se ad eam non pertinere cognoscat: qui non solum plenitudini ejus

noxia conatur inferre; sed etiam, quæ eidem congruentia sunt, dissimulat providere. »

Si hæc verba vera sunt, non acephalica sed apostolica Ecclesia de manu episcoporum in die judicii requiretur; nec justitia militum, quam sibi contra justitiam Dei fabricant, ut pauperum bona possideant, poterit vel eos, mundo ardente, liberare, vel episcopos, judice Deo, excusare : quod multitudini vel consuetudini cedendo, justitiam divinam pro acephalorum consuetudine inolita, vel militum injusta justitia neglexerunt. Quandoquidem malos, etsi non possent omnino exstirpare, possent tamen reclamando turbare; possent errores capitaneos excommunicare; possent acephalos a suis consortiis et consiliis alienare; possent eosdem, etsi non celeriter expugnare, tamen jugiter et viriliter impugnare. Possent monachis exempla Pauli, Aquilæ et Priscillæ ac Patrum Ægypti constanter ingerere, ut secundum vestigia illorum incederent, operi operam dando; et Regulam Benedicti, quæ opus manuum valde commendat, modernis consuetudinibus anteponendo, et secundum eam vigilanter in via rectitudinis incedendo. Eos autem monachos, qui se per sua privilegia emancipare præsumunt ab ipsorum episcoporum obedientia, possent episcopi arguere de transgressione regulæ : quæ in tertio humilitatis gradu docet monachum omni obedientia majori subjiciendum. Est autem episcopus major monacho in sua parochia constituto : et ideo possent, si vellent, episcopi monachos hujusmodi aut ad obedientiam et observationem revocare, aut tanquam regulæ transgressores a suo sibique obedientium consortio alienare.

Possent etiam episcopi sanctos apostolos eorumque discipulos, viros apostolicos, altari privatæ domus servientes, de altari viventes, non de proprio luxuriantes, clericis proponere ; atque omnes ordinibus sacris mancipatos et mancipandos ad eorum regulam coarctare : vel extra regulam vivere volentes a sacris ordinibus repellere, utpote rebelles et regulæ inobedientes. Huic enim apostolicæ regulæ antiqua concilia significant omnes clericos obedire ac subjici debere, frequenter clericos A generali et tunc usitato nomine appellando *subjectos regulæ*. Quæ regula sine dubio intelligitur apostolica regula, secundum quam clericorum conversatio quondam per omnes Ecclesias fuit ordinata.

Freti ergo sanctorum conciliorum auctoritate possent episcopi clericos omnes ad Apostolicæ regulæ subjectionem constringere ; aut certe, si nollent regulæ subjici, sacris eos ordinibus privare.

Sancta enim synodus Nicæna, cap. 17, clericos ita sub regula constitutos vivere constituit, ut hæc regula, non nisi apostolica intelligi possit : si tamen hoc attendatur quod cum omni avaritiæ ac turpis B lucri sectatione proprietas quoque secundum regulam apostolorum clericis ibidem usque adeo amputatur; ut, si quis clericus quolibet modo negotium transigat, dejiciatur a clero, et alienus a regula existat.

Huic sancto et magno concilio synodus Chalcedonensis in eumdem sensum valde astipulatur. Quæ, cap. 3, sic episcopum cum toto clero apostolicæ regulæ subjici debere testatur, ut tam illis, quam monachis omnem patrimoniorum sollicitudinem interdicat, et sæcularibus negotiis aliquatenus eos misceri prohibeat, nisi forte leges imponant inexcusabilem curam, domino scilicet episcopo, legibus curæ pastoralis ad multorum sollicitudinem devincto ; aut ipse episcopus ecclesiasticarum re- C rum sollicitudinem habere præcipiat, clerico scilicet vel monacho. Rerum, inquiunt, ecclesiasticarum, non propriarum, quia res proprias clerico non licet habere, nisi forte lectori aut psalmistæ : quibus, nisi voto constringantur, licitum est non solum proprium retinere, sed etiam matrimonia contrahere ac filios procreare. Sed, affirmante papa Leone (145), cum ad gradus ordinum sacrorum promoventur, etiam si votum faciant : incipit eis non licere, quod licuit, quia sacri altaris ministros regulæ apostolicæ subjacere oportebit, nec misceri sæcularibus negotiis, quia valde hoc contrarium est apostolicis regulis. Si autem vel post regulæ professionem, vel sacri ordinis susceptionem quolibet

(145) Leo papa Rustico Narbonensi, cap. 6 : « Lex continentiæ est eadem ministris altaris, quæ episcopis atque presbyteris. Qui cum essent laici sive lectores, licite et uxores ducere et filios procreare potuerunt. Sed cum ad prædictos pervenerunt gradus, cœpit eis non licere, quod licuit. Unde ut de carnali fiat spirituale conjugium, oportet eos dimittere uxores, et quasi non habeant, habere, ut salva sit qualitas connubiorum, et cessent opera nuptiarum. »

Excerptum de cap. 13 Nicæni concilii : « Quoniam multi sub regula constituti avaritiam et turpia lucra sectantur, juste censuit sancta et magna synodus, ut, si quis inventus fuerit post hanc diffinitionem quolibet modo negotium transigens turpis lucri gratia, dejiciatur a clero, et alienus existat a regula. »

Synodus Chalcedonensis, cap. 3 : « Clericos et monachos perfectos in abnegatione sæcularium negotiorum omnino parificans ita dicit : Pervenit D ad sanctam synodum quod quidam videntur in clero allecti ut propter lucra turpia conductores alienarum possessionum fiant, et sæcularia negotia sub cura sua suscipiant ; Dei quidem ministerium parvipendentes, sæcularium vero domus discurrentes, et propter avaritiam patrimoniorum sollicitudines sumentes. Decrevit itaque sanctum hoc magnumque concilium, nullum deinceps, non episcopum, non clericum vel monachum, aut possessiones conducere, aut negotiis sæcularibus se miscere præter pupillorum, si forte leges imponant, inexcusabilem curam ; aut civitatis episcopus ecclesiasticarum rerum sollicitudinem habere præcipiat, aut orphanorum vel viduarum, earumque quæ sine ulla provisione sunt, personarum ; quæ maxime ecclesiastico indigent adjutorio, propter timorem Domini causa deposcat. Si quis autem transgredi de cætero statuta tentaverit, hujusmodi, ecclesiasticis increpationibus subjacebit. »

modo sæculare negotium transigit, juxta cap. 17 Nicænæ synodi dejiciendus est a clero, et alienandus a regula.

CAPUT XXXI.

Quare sanctus Gregorius Magnus clericis extra sacros ordines constitutis proprium permiserit.

His auctoritatibus, credo, quod beatus Gregorius innitebatur; quando Augustino Anglorum scribens solummodo eos consortio episcopi dignos judicavit, illumque seorsum ab eis vivere prohibuit, qui sub apostolorum regula communiter vivendo, sacris ordinibus fungebantur; quibus nulli extra regulam constituti admittebantur. Sancta enim ista principalia consilia, sicut sacrosancta Evangelia, vir beatus custodienda censuit.

Sunt ergo hæc valde necessaria nobis ad hoc nostrum præsens ædificium, quia, judicante sancto Gregorio, etiamsi lapides esse videantur, ad ecclesiasticæ structuræ non pertinent ædificium violatores quatuor principalium conciliorum. Unde nec idem beatus clericis extra sacros ordines constitutis proprietates permisisset, si non hoc in synodo Chalcedonensi permissum invenisset. Ibi caput 14, lectoribus et psalmistis permittitur etiam uxores ducere, quod tamen concessum non est universale. Sic enim dicunt Patres ejusdem concilii: *Quoniam in quibusdam provinciis concessum est lectoribus et psalmistis uxores ducere*, etc. Quod ergo concessum est in quibusdam provinciis, non est præsumendum in omnibus provinciis. Ideo et beatus Gregorius non omnium provinciarum, sed tantummodo clericis Anglorum ex isto concesso indulgentiam fecit, quia hoc sacris quatuor conciliis non esse contrarium perspexit. Eosdem vero clericos hac indulgentia utentes et extra regulam viventes ad sacros ordines noluit admittere, quia hoc vidit eisdem conciliis contrarium esse; quorum violatoribus ipse posuit anathema in epistola sua synodica.

Hoc anathema non bene cavent episcopi, qui eos ad sacros ordines recipiunt, quos extra regulam viventes et sæcularibus negotiis deditos sciunt; qui etiam plerumque ordinant acephalos, vagos, nec regula obligatos, nec loco fundatos contra Patres in Chalcedonensi concilio congregatos. Qui talem manus impositionem censent irritam esse, ac sic ordinatos nusquam ministrare debere. Unde non solum episcopi contra canones a beato Gregorio sub anathemate confirmatos, et quatuor Evangeliis parificatos præsumendo graviter delinquunt; sed et hi, qui sic absolute ordinatorum missas scienter audiunt, aut credunt eos posse alicubi ministrare, quos illi sexcenti triginta patres affirmant nusquam posse ministrare. Præsumptor est, et Spiritui sancto, qui per eorum os loquebatur, contradicit: qui hoc affirmat fieri posse, quod illi dicunt fieri non posse (146).

Magna itaque incumbit necessitas catholicis episcopis, ut taliter ordinatos non permittant in suis terminis ministrare; ne inveniantur in principalibus conciliis obviando, semetipsos anathemate obligare. Hoc enim, etsi nunc pro multa multitudine acephalorum et inveterata consuetudine abusionum pro nihilo ducatur, tamen coram illis in ultimo erit examine ventilandum; qui cautissimi observatores fuerunt istorum conciliorum. Quorum unus beatus Augustinus fuit, qui neminem in sacris ordinibus infra suos terminos ministrare permisit; quem a sancto apostolicæ regulæ proposito alienatum cognovit: nec potuit illum ab hac constantia movere multitudo proprietariorum. Quos ipse in sermone ad populum conqueritur defensores transgressorum, qui districtionem ipsius beati Patris fugiendo a Regulæ observantia recesserant; et tamen libenter multitudinis patrocinio clericatum foris exercere volebant.

Contra quos, ut supra notavimus, ille beatus ita se astrinxit, ut, ubi ipse esset episcopus, ibi nullus eorum esset clericus. Alias quippe non poterat eos persequi, quia defensores eorum erant proprietarii, et quia extra terminos suos manentes contra illum murmuraverunt, nimiumque austeram vitam illius dixerunt. At ipse, quoniam Ecclesiam talem novit Christo exhibendam, qualem constat a Christo fundatam, ab apostolis plantatam, martyrum sanguine rigatam; despecta pravorum consuetudine ac multitudine, apostolica tantummodo exempla sequebatur, a quibus divelli se non patiebatur.

CAPUT XXXII.

Sanctus Augustinus diversas regulas condidit, ad quas mores suos exigant tam clerici quam monachi, tam virgines quam viduæ, etc.

Cum enim superius inter perfectos apostolicæ et primitivæ Ecclesiæ filios, tres ordines distinxerimus; ubi alios cum Petro et apostolis verbo vacasse; alios cum Paulo de opere manuum vixisse; alios cum Tabitha discipula pauperibus in domo sua ministrasse notavimus, sicut fecit Onesiphorus, cujus opera commendat Paulus apostolus: omnes

(146) Decreta Gregorii VII, et Urbani papæ de filiis sacerdotum: « Presbyterorum filios a sacri altaris ministeriis removendos decernimus, nisi aut in cœnobiis aut in canoniis regularibus religiose probati fuerint conversari. »

Ex concilio Toletano, cap. 20: « In veteri lege ab anno vicesimo quinto, levitæ in tabernaculo servire præcipiuntur: cujus auctoritatem in canonibus sancti Patres secuti sunt. Nos et divinæ legis et conciliorum præcepti immemores, infantes et pueros levitas facimus ante legitimam ætatem et ante experientiam vitæ. Ideoque, ne ulterius fiat a nobis, et divinæ legis et canonum admonemur sententiis; sed xxv annorum diaconi ordinentur; ita ut secundum apostolicum præceptum probentur primum, et sic ministrent, nullum crimen habentes. »

Ex concilio Laodicensi: « Episcopum vel presbyterum ante xxx annos, vel antequam ad viri perfecti ætatem perveniat, nullus metropolitanorum ordinare præsumat: ne per ætatem, quod aliquando evenit, aliquo modo detineantur. »

Istos perfectionis ordines in Ecclesia sibi commissa sapiens architectus iste sic reformavit, ut etiam de singulis ordinibus speciales tractatus fecerit. Ut enim tales in Ecclesia sua haberet clericos, quales novit ab apostolis constitutos (qui videlicet conformes essent Ecclesiæ doctoribus, non proprietati sed doctrinæ curam præbentibus), composuit libellum brevem regulas sanctorum elucidantem : qui sic incipit : *Ante omnia, fratres charissimi, diligatur Deus.* Principium vero libelli istius idcirco designavimus, quoniam per multa claustra illum truncatum novimus. In quibus prima illius libelli capitula propter hoc amputantur, quod eorum partim obscuritate, partim austeritate quidam pusilli fratres offendantur. Unde et nos coacti sumus quorumdam rogatu obscuriora illius explanare, Deo committentes, difficilia ejus per infusam gratiam facilia reddere. Quia si ipse nobis per omnia et in omnibus fuerit illuminatio et salus, per ipsum cæcitas nostra vincet omnem obscuritatem clare videndo : per ipsum quoque nostra infirmitas adjuta vincet omnem difficultatem fortiter agendo. Præcepta enim ejus, sicut gravia videntur nolentibus, ita omnia gravia non sunt pure et sincere volentibus. Adsit ergo bona voluntas, et nulla clericis erit difficultas; quin servando Regulam beati Augustini, vere fiant Petri et aliorum apostolorum condiscipuli : quatenus talis in eis et sub eis appareat pulchritudo Ecclesiæ, qualis fuit olim in apostolis et sub apostolis, destructa vanitatum consuetudine, quæ nunc regnat in acephalis et sub acephalis, qui, quoniam irregulares sunt, plebem subjectam regere non possunt.

Monachi vero, si servabunt librum ab eodem Patre de opere monachorum compositum, Paulo apostolo conformati, bene suum adimplebunt propositum : eritque vita non solum clericorum, sed et monachorum penitus apostolica; clericis cum Petro altari servientibus et de altari viventibus; monachis cum Paulo diligenter interdum operi operam dantibus.

Sic enim sub beato Augustino utrorumque vita, clericorum scilicet et monachorum, juxta formam a sanctis apostolis traditam disponebatur, ut nemo a sæculo conversus in monasteriis reciperetur; qui non alterutræ professioni congrue associandus et incorporandus accederet : ut aut cum clericis verbo discendo vel docendo mancipatis, aut cum monachis regularibus operandi studiis occupatis, consideraret semitas domus suæ, et panem otiosus non comederet.

Si qua vere est vidua, quæ in domo sua manens stare voluerit, qualiter ei sectanda sit perfectio apostolica cum Tabitha Petri discipula; libellum ejusdem beati Patris Augustini de viduitate compositum vel legat : vel si litteras nescit, legere sibi faciat; et vere inter Christi discipulis connumerabitur, si præceptis libelli illius intelligendis et faciendis immorabitur.

Feminæ autem, quæ in virginali proposito dicuntur A cohabitare, sive secundum Regulam sancti Augustini vivant canonice, sive sancti Patris Benedicti Regulam profitendo sint monachæ; nunquam melius in antiquam apostolicæ disciplinæ formam, post multas abusionum ruinas lamentabiles, restaurari poterunt, quam si librum sancti Augustini De virginitate compositum, aliumque de adorando Deo succincte contextum intelligenter legant, libenter relegant, obedienter custodiant. Ibi virginibus insinuatur humilitas, per quam nutritur, et nutrita custoditur virginalis integritas, et integra virginitas. Ibi discreta districtio, et districta discretio commendatur, qua corpus feminarum sic tractetur viriliter, ne lascivire possit feminaliter. Est enim corpus velut quoddam animæ jumentum, tanto pa- B bulo reficiendum, ne in via deficiat; tanta parcitate castigandum, ne dominam super sedentem quandoque in lutum dejiciat; fiatque per aliquam maculam Sponso virginum minus accepta, quæ debet apparere sine macula et ruga.

CAPUT XXXIII.

De vitiis et excessibus sanctimonialium ab episcopis corrigendis.

Ad hoc enim catholicos episcopos, velut quosdam paranymphos, Deus Ecclesiæ suæ præfecit, ut inter omnes sibi commissos majori sollicitudine circumlustrent eas animas, quas Virgini virginum, Sponso virginis Filio in virginali proposito sciunt esse desponsatas. Qui nimirum Sponsus, quoniam C tales sibi sponsas suas a paranymphis exhiberi, in quibus macula et ruga non possit inveniri, valde offendetur, si dormitat episcopus in corrigendis modernæ pravitatis abusionibus, quæ nunc regnant in conventiculis feminarum, non commorantium sub apostolica doctrina, sed jacentium sub apostatica ruina.

Hæ sunt, quæ, abjecta verecundia honestatis magistra, id putant licitum, quod fuerit libitum; totumque habent libitum, quod ab apostolis et sanctis Patribus est prohibitum. Hoc ergo inter eas operatur earum regula prohibendo irreligiosa, ut, dum fuerint prohibita, sint illis magis libita. Exercentur autem libita quasi licita, dormitante super hoc paranymphorum custodia. Qui si vellent vigi- D lare, possent utique talium insanias aliquatenus mitigare; si tamen contra multam multitudinis abusionem supradictis Augustini libris cæterisque auctoritatibus antiquis vellent armari; et contra feminas Madianitas zelo rectitudinis cum Phinees filio sacerdotis sacerdotaliter inflammari. Stetit enim Phinees, et placavit : nec in aperto crimine ordinem judicialem exspectavit.

Quæ est ergo in tanta tamque aperta feminarum apostasia episcoporum dilatio, quasi quæ faciunt, faciant in occulto? Verecundum est dicere, quæ in occulto faciunt; sed tamen tanta faciunt in aperto, ut, si episcopus juxta prophetæ doctrinam *foderet parietem* (*Ezech.* VIII, 8), cito ei ostium appareret, per quod haberet aditum ad id, quod interius agi-

tur, destruendum. Tunc enim quasi paries foditur, cum exterior indisciplina verbi rastro, velut quodam fossorio instrumento, tangitur. Fodienti tunc apparet ostium ad interiora, quando verbi minister, Deo revelante, aditum invenit expugnandi, quæ prius fuerunt occulta. Fodiat ergo episcopus parietem (147), interdicendo sanctimonialibus vestem pretiosam, quæ non de communi datur sororum vestiario, sed undecunque ab unaquaque accipitur et tenetur ausu illicito et nefario : ut taceam de his, quæ ab amatoribus accipiunt, et quæ amici privatim conferunt.

Nulli itaque licet sibi aliquid operari ; sed omnia earum opera debent in commune fieri majori studio et ferventiori alacritate, quam si propria sibi facerent, quæ facere non deberent. Hoc sancti Patres quasi nefas prohibent. Qui et propter ipsum peculiare opus, ne forte occulte fiat, frequenti et diligenti scrutinio lectos jubent perlustrari, volentes hoc malum non molliter palpari, sed *radicitus amputari* (148) : ut unaquæque in congregatione persona eo victu contenta , qui datur de communi cellario et veste, quæ profertur de communi vestiario , nihil operetur nisi in commune ; quia non debet nisi de communi vivere, non debet nisi de communi aliquid habere. Nam etiamsi aliquid alicui tribuatur, non est occulte accipiendum, sed in publico præsentandum, ut in rem communem redactum pro arbitrio præsidentis, cui necessarium fuerit, præbeatur. Nisi forte sit vestis tam pretiosa, ut, si conferatur uni, aliquatenus faciat eam differre a societate communi ; et contra doctrinam Apostoli Ecclesia contemnatur, et his, quæ talia non habent, verecundia et confusio in congregatione præbeatur. Hinc est quod beatus Augustinus vere vir apostolicus de communione etiam in vestibus custodienda ita fuit sollicitus, ut in sua congregatione tali veste uteretur ipse magister et episcopus, quali utebantur presbyter, diaconus et subdiaconus. Nam testante ipso in sermone ad populum, si vestis paulo pretiosior offerebatur, quæ non potuit esse communis, vendebatur, ut de pretio ejus fieret usus communis.

Hujus ergo tanti præceptoris exemplo et documento instruimur, ne vestis, quæ pretiositate sua dissimilitudinem inducit, et ipsa dissimilitudine communem congregationis modum excedit, tribuatur uni : sed ipsa vendatur, et pretium ejus applicetur usui communi. Hoc singularitatis vitium si ab episcopo non est in communi vita præsumendum, quanto minus est uni muliérculæ ferendum,

A ut vestem pretiosam ipsa ferat, per quam inter congregationis membra singularis appareat ; cum non debeat servare vitam singularem, sed vitam communem? Multum regnat hæc abusio per feminarum congregationes, per quas omnino defecit vita communis et apostolica : regnat autem vita singularis et apostatica.

CAPUT XXXIV.

Personas religiosas non religiose viventes e monasteriis expellendas, et excommunicandas esse.

Quid dicet ergo episcopus in ultimo examine, cum debebit eas in vita communi et apostolica exercitatas et ordinatas, non in vita singulari et apostatica depravatas, cœlesti Sponso exhibere?
B Quando super eas curam pastoralem suscepit, tunc despondit eas uni viro virginem castam exhibere Deo. Itaque et memor et sollicitus de sua sponsione tales æmuletur Dei æmulatione, ut talem Deo in illis exhibeat sponsam, qualem in supra notatis Augustini libellis et Hieronymi epistolis, ipsius quoque Apostoli verbis invenimus descriptam : scilicet *ut sint sanctæ corpore et spiritu* (*I Cor.* VII, 34). Quomodo autem sollicitus erit ad majora, qui negligens existit ad corrigenda minora, majoribus tamen sine dubio malis aperte famulantia ? Cui enim famulatur opus peculiare, nisi magno crimini apostasiæ ? Cui famulatur compositio, singularitas, pretiositas, superfluitas in veste, nisi maximæ superbiendi et luxuriandi ruinæ ? Vere qui spernit minima, decidit
C in maximis, quia episcopus, qui exteriora irreligiositatis ministeria negligit impugnare, ac falce anathematis amputare : de maximis culpis, quibus ista militant, cogetur in die judicii rationem reddere. Qui si exteriora, quæ novimus, atque his similia, velut ramos inutiliter luxuriantes, amputaret, sciens quoniam *tempus putationis advenit* (*Cant.* II, 12), fideliter utique vineam sibi commissam custodiret falcem verbi utiliter exercendo. Quam ad hoc solummodo in manu tenet, ut, si de occulta vitis radice fructum exspectat, malas abusiones in habitu et gestu exteriori apparentes, velut ramos inutiles cortici adhærentes, tunc amputare studeat, quando primo videntur pullulare. Quia nisi desectis ta-
D libus non potest uberem fructum vitis procreare.

Deberent quidem in omni congregatione rectores et rectrices earum ad hoc faciendum diligenter invigilare, quia in porta gregis et piscium ad hoc jubentur stare, ac juges excubias observare, ut, quæ possunt, emendent ; quæ non possunt, episcopo insinuent, ut, quisquis in talibus post primam et se-

(147) Ex concilio Rothomagensi, cap. 3 : « Episcopus monasteria monachorum et sanctimonialium frequenter introeat ; et cum gravibus et religiosis personis in eorum conventu residens, eorum vitam et conversationem diligenter discutiat : et si quid reprehensibile invenerit, corrigere satagat. Sanctimonialium etiam pudicitiam diligenter investiget ; et si aliqua invenitur, quæ, neglecto proposito castitatis, clerico aut laico impudenter misceatur, acriter verberibus coerceatur, et in privata custodia retrudatur ; ubi quod male commisit, digne pœniteat. Indicatur etiam ex auctoritate sanctorum Patrum, ut nullus laicus aut clericus in earum claustris et secretis habitationibus accessum habeat ; neque presbyteri, nisi tantum ad missam ; expleta missa, ad ecclesias suas redeant. »

(148) Reg. S. P. Bened. c. 33.

cundam correptionem regulariter factam non corrigeretur, tanquam ovis morbida de medio grege projiceretur; et si major esset culpa (149), etiam anathematis gladio ab episcopo perfossus, cæteris exemplum daret, ne quis etiam in similibus inobediens fieri præsumeret, postquam ab episcopo, vel etiam a minoribus sub illo in congregatione præsidentibus interdicerentur, etiamsi non illicita, sed omnino licita et bona viderentur.

Arbor enim scientiæ boni et mali non mala fuit, sed bona et ante interdictum licita, nec omnino tangentibus nocitura aliquid; sed post interdictum, qui de fructu ipsius gustaverunt, et redarguti culpam non recognoverunt; foras exclusi et mortis sententia damnati, hoc judicium in se ipsis præmonstraverunt: quod postea sancti Patres in Ecclesia et maxime in congregationibus observandum statuerunt; ut videlicet si res licita præsumitur post interdictum, et præsumptio redarguta non recognoscitur, interdictor in promptu habeat ulcisci omnem inobedientiam, foras projiciendo præsumentem personam, non propter rem ipsam licitam et bonam (quæ fortassis fuit inobedientiæ causa vel materia, sicut arbor illa primis parentibus interdicta), sed propter inobedientiam nunquam bonam, nunquam licitam, nunquam sine ultione prætermittendam; maxime cum redarguta defenditur et ipsa defensione geminatur.

CAPUT XXXV.

Quo gladio recte utantur episcopi?

Si ergo tanti est ponderis interdictio episcoporum aliorumque Patrum, ut illis interdicentibus nec sanctissimus et innocentissimus eorum subjectus audeat præsumere corpus Dominicum (quod nemo dubitat sanctum et bonum), aut si præsumit, non evadit judicium; quid censendum est esse hanc potestatem interdicendi, nisi quemdam gladium, quo debent illicita resecari? Qui si acutus est ad amputanda interdum, quæ sunt licita et bona, quanto putas acumine præcidet illicita? si tamen gladius iste utraque parte acutus, de ore Christi procedens, ab episcopo in vagina silentii non recondatur; et materialis gladius, de quo Petrus est redargutus, ab eo non accipiatur.

A De illo enim scriptum est: *Væ, qui prohibet gladium suum a sanguine* (*Jerem.* XLVIII, 10): de isto autem Dominus dicit: quod *omnis qui accipit gladium, gladio peribit* (*Matth.* XXVI, 52). Istum gladium discipulis a Domino interdictum antiqui Ecclesiarum pastores cum Petro gregis portam custodientes non sibi necessarium putaverunt, ut ministros, quos Dominus non habuit, quærerent; et de rebus pauperum famelicorum milites pascerent. Sed ita se ab isto gladio tam terribiliter interdicto elongaverunt, suosque successores elongari voluerunt ut sacris canonibus testentur episcopos effusores ac reos humani sanguinis esse, qui, quamvis legali, tamen sæculari, præsumunt interesse judicio sanguinis.

B Quondam enim si causa judicialiter et sæculariter coram principe tractabatur, nullus catholicus episcopus tali se causæ inserebat, quæ per mortem vel membrorum mutilationem punienda erat; nisi forte post recte factum judicium ad eripiendum inopem de manu fortiorum ejus, sicut legitur fecisse beatus Nicolaus. Econtra moderni quidam episcopi causas mundanas cum regibus et principibus examinant, expeditiones ordinant (150); ubi non unius hominis, sed multorum, sanguis fundatur; ubi inopes de manu fortiorum ejus non eripiantur: sed rustici et inopes miserabiliter affligantur, quando milites non utuntur consilio Joannis, hoc militibus, si volunt salvari, consulentis;

C ut neminem concutiant, neque calumniam faciant, sed contenti sint stipendiis suis.

Quid ergo miramur, quod gladium Dei a sanguine prohibent, qui per milites negotium rapinæ, per principes judicium sanguinis exercent? Miserrimo excusationis pallio episcopi quidam utuntur, qui tractandis et examinandis causis intersunt. Sed in fine, quando ipsa judicialis sententia datur, ad hoc se per momentum unius horæ subtrahunt; ut sic videantur canonum scita servare, quæ prohibent episcopos judicio sanguinis interesse. Et etiam plerumque conantur sententiam ultionis avertere, quam ipsi prius studuerunt prædictare. Sic et diabolus (151) in passione Christi judicio sanguinis interfuit, sed circa finem se subtrahens, suamque

(149) Siricius papa in decretis suis, cap. 6, dicit de talibus inter cætera: « Has impudicas detestabilesque personas a monasteriorum cœtu ecclesiarumque conventibus eliminandas esse mandamus; quatenus retrusæ in suis ergastulis, tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio possint pœnitudinis igne decoquere, ut eis vel ad mortem saltem solius misericordiæ intuitu per communionis gratiam possit indulgentia subvenire. »

(150) Ex Vita S. Gregorii, lib. XXXVI: « Neminem sane pontificum a parochia sua saltem parumper absque inevitabili prorsus necessitate discedere Gregorius permittebat: quos nimirum in causis mundialibus occupari vehementissime prohibebat. Unde Romano defensori scribit dicens: Perlatum est ad nos reverendissimum fratrem nostrum Basilium episcopum, velut unum de laicis, in causis occupari, et prætoriis inutiliter observire. Quæ res quoniam et

D ipsum vilem reddit, et reverentiam sacerdotalem annihilat, statim, ut experientia tua hoc præceptum susceperit, eum ita ad revertendam districta executione compellat: quatenus ei illic, te insistente, quinque diebus sub qualibet occasione immorari non liceat. Ne, si quolibet modo eum ibidem amplius moram habere permiseris, cum ipso apud nos incipias esse culpabilis. »

Item Anthemio subdiacono: « Pervenit ad nos Primenium, » etc., uti habetur cap. 37, in Vita S. Gregorii.

(151) Augustinus in sermone in Joannem: « Videte genus homicidii, fratres. Homicida dicitur diabolus; non gladio armatus, non ferro accinctus ad hominem venit, verbum malum seminavit, et occidit. Noli ergo te credere non esse homicidam, quando fratri tuo mala persuades: si fratri tuo mala persuadens occidis; et ut scias, quia occidis,

damnationem præsentiens, etiam de dimissione illius per uxorem Pilati laboravit: et tamen non solum homicidium, sed, ut ita dicam, Deicidium recte illi ex toto imputatur; quo agente illud judicium sanguinis inchoatum et magna ex parte tractatum agnoscitur. Sic et Judæi dicentes: *Nobis non licet interficere quemquam* (*Joan.* XVIII, 31), conati sunt per hoc excusabiles videri, quod non ipsi eum crucifixerunt, sed milites Romani; et tamen quidquid illi milites fecerunt, rectissime illis imputatur; quorum voluntati per hoc a militibus serviebatur. Sicut ergo tunc, ita et nunc, quia peccatum principis male judicantis, et militis ac scutiferi prædicantis totum redundat in episcopos mundanorum consiliorum fabricatores, a quibus etiam, cum legaliter exercentur, ipsi deberent esse immunes.

CAPUT XXXVI.

Qua ratione episcopus sanctimoniales irreligiose viventes ad frugem et observantiam regularem reducat.

Sic, sic ille gladius Petro interdictus per episcopos movetur; gladius autem verbi semper ab illis in promptu habendus, et nunquam a sanguine prohibendus, ita latet in vagina taciturnitatis, ut non solum principes contra Ecclesiam insanientes per eum non cohibeant; sed nec infirmas feminas apostolicam vitam professas, et in apostasia cum diabolo aversas, inde perstringere audeant. Non dico ad stringendas eas in rebus licitis, in quibus non omnia, quæ licent, expediunt; sed in excessibus valde illicitis, qui non solum non expediunt, sed omnem sanctitatem vehementer impediunt.

Ut enim taceam de sanctimonialium, vel potius dæmonialium proprietate (quam sectando et retinendo committunt apertissimum crimen apostasiæ), quid expedit sanctitati earum superfluitas et pretiositas vestium? peculiare opus, et omnis exordinatio regularium dispositionum; dum, prout regula præcipit, nulla talium dæmonialium congregatio regulariter incedit? Vestes induunt, quas non de communi vestiario accipiunt. Cibos comedunt, quos de communi cellario non habuerunt. Vestimenta vetera, tanquam sui sint juris, cui volunt, conferunt. Reliquias vero ciborum quasi proprias, cui volunt, mittunt. Opus peculiare faciunt, in quo non communi utilitati, sed sicut volunt, cui volunt, quandiu volunt, serviunt; ut inde aut amicos lucrentur, aut aliqua privata lucra privatim operando sectentur.

Istas atque istis æquales aut certe majores exordinationes posset episcopus fidelis paranymphus primo interdicere; deinde, si interdicenti non obe- A diretur, non obedientes falce anathematis amputare, tradendo hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fieret; si tamen aliqua earum salubriter compuncta perfecte resipisceret (152). Si autem omnes abeuntes retro dicerent: *Durus est hic sermo, quis potest eum audire* (*Joan.* VI, 60)? nunquid propter induratas durum istum et verum sermonem deberet episcopus dimittere? sed certe sermo iste non est durus, nisi duris. His autem, qui non habent cum Pharaone cor induratum, *molliti sunt sermones isti super oleum; et ipsi sunt jacula* (*Psal.* LIV, 22). Ungunt enim, sicut oleum, fideliter obedientes; pungunt vero, sicut jacula, non obedientes: et ideo sermones oleum sunt et jacula pro auditorum magna differentia, quorum B alios sanant, alios vulnerant.

His jaculis a custodibus civitatis Dei sponsa percussa et vulnerata vehementer languens quæreret dilectum, si tamen ab ipsis custodibus murorum prius inde abstrahatur falsæ religionis seu malæ defensionis pallium, ut vulnus nudum appareat: quod jam diu occultum latuit, dum multitudinis patrocinio et inveteratæ consuetudinis vitio, quasi pallio, velatum fuit.

Hoc pallium sanctimonialibus abstrahitur, si illa jam dicta exordinatio ab episcopo sub anathemate interdicetur; si illud per cunctas earum congregationes præcipietur, ut pascantur de uno cellario, vestiantur de uno vestiario, de reliquiis ciborum C nullam potestatem unaquæque habeat; sed eas pauperum procuratrix omnes colligat, non altera die mensis denuo imponendas, sed eodem die Lazaro forte ante januam jacenti conferendas. Vestimenta etiam nova de vestiario accipientes deberent reddere vetera, quæ, sicut ciborum reliquiæ, quantum necessitati domesticorum superesse poterunt, item Lazaro conferenda sunt. Opus peculiare nullum facientes, ita debent in commune operari, ut probent se usque adeo renuntiasse proprietati; ut neque manus proprias habeant, cum quibus aliquid operari præsumant; nisi quod, et quantum, et quomodo præcipiuntur ab his personis, quæ secundum regulam illis præficiuntur. Sic semetipsas sibimet ipsis abnegant, si etiam de membris suis, D non quod volunt agant; si neque in bonis operibus, quomodo volunt, incedant: sed in omnibus ac per omnia regulæ obedire studeant, certo tempore orantes, certo legentes, et omnia, quæ agunt, ordinabiliter per tempora distribuentes; ut simul in oratione, simul in lectione, simul in opere, simul in refectione, simul in nocturna pausatione, simul in nocturnarum vigiliarum exsecutione inveniantur.

---

audi Psalmistam: *Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ; et lingua eorum* machæra acuta (*Psal.* LVI, 5). »

(152) Ex decretis Vigilii papæ: « Scire oportet eos, qui ecclesiastica vel synodalia judicia canonice facta falsificant vel negant, ratione convictos excommunicatorum sententia esse plectendos, id est ut septem quadragesimas in pane, sale et aqua jejunent, quia revera contemptores, decretorum synodalium ab omnibus conciliis sunt anathematizati. Et ideo æquum est contemptores et negatores sacræ Scripturæ tot quadragesimas jejunare, quot pro septena negligentia induciarum legitime constitutarum in sua absolutione excommunicati præcipiuntur observare, » etc.

veniantur : nisi forte aliquæ ob inevitabilem necessitatem de ista castrorum acie ordinata ordinabiliter ad tempus excipiantur, rediture ad ordinem, si continget cessare necessitatem.

Si hæc omnia præcipiantur ab episcopo, si interdicatur omnis exordinatio; cito videbit quasdam obedientes et regulariter incedentes; quasdam vero non obedientes, et post vestigia gregum foras exeuntes.

CAPUT XXXVII.

Ante omnia episcopo curandum, ut in Ecclesiam suam episcopalem canonicos regulares, ac vitam communem profitentes introducat.

Tota vero sancta et regularis dispositio tam inter clericos, quam inter sanctimoniales regulariter procedet, si episcopus primo verus Jacob efficiatur; si ipse circumcisus circumcisos habeat filios, hoc est, si ipse regularis regulares habeat clericos; si unicam filiam, commissam videlicet Ecclesiam (quæ sicut Dina filia Jacob ab irregulari clero tanquam ab homine incircumciso corrupta est) in suum jus recipiat, receptam nunquam illis constupratoribus et incircumcisis reddat, nisi circumcidantur, et duodecim apostolis veluti duodecim patriarchis per signum spiritualis circumcisionis in regularis vitæ observantia conjungantur. Sic enim aut erunt Israelitæ, suscipiendo non solummodo habitum regularem, sed veram cordis circumcisionem; aut erunt Sichemitæ, fingentes religionem exterius; ut potiantur cupitis Ecclesiarum sumptibus, sicut princeps terræ Sichem per exteriorem circumcisionem quæsivit potiri cupitis Dinæ amplexibus (*Gen.* XXXIV, 19 et seq.).

Sicut ergo ab Israel Israelitæ, sic a Sichem Sichemitæ dicuntur, quia inter multos religionis professores, non solum extrinsecus per habitum regularem, sed multo magis intrinsecus per veram cordis circumcisionem quidam assimilantur Israeli: quorum unusquisque auditurus est a Domino : *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est* (*Joan.* I, 47). Quidam vero assimilantur Sichem, non cœli sed terræ principi, qui se circumcidit, non propter Dei charitatem, sed propter carnis voluptatem. Qui tamen Sichem si neque sic circumcidi acquievisset, filiam vere propter Deum circumcisi Israelis non obtinuisset; nec fœdus, quod die tertia rumpendum fuit, cum fallaciter circumciso, Israel veraciter circumcisus iniisset. Die enim tertia Simeon et Levi eumdem Sichem cum omnibus masculis ob voluptatem circumcisis occiderunt, nec aliquid periculi a contribulibus occisorum propterea sustinuerunt. Terror enim Dei cunctos invadens per circuitum, non permisit eos persequi populum Deo dilectum et fideliter circumcisum.

Hæc autem omnia in figuram contingebant illis. Nemo enim incircumcisus, nemo nisi religionis forma insignitus, deberet obtinere aliquam Ecclesiam; vel si eam incircumcisus et irregularis irregulariter obtinendo corrupit, sine dubio deberet di-
A mittere illam, donec aut fideliter circumcisus efficeretur Israelita, qui posset filiam Jacob luctatoris luctans defensare, defensam fecundare; aut certe, si non fideliter sed infideliter circumcideretur, ut per exteriorem sanctitatis imaginem voluptate honoris ecclesiastici frueretur, supportatus a veris Israelitis per biduum, in die tertia occideretur.

Quandiu enim sanctitatis professor et ostentator peccat in sola cogitatione vel innocentis turpitudinis actione, quasi per biduum sustinetur, et fœdus, quod cum veris Israelitis habet, non rumpitur, quia propter affectatam vel occulte perpetratam turpitudinem nemo a regimine deponitur. At vero si tertia dies illucescat; si turpitudo prius occulta evidenter appareat, tunc Simeon et Levi, scilicet catholicus
B quisque de ordine sacerdotali et Levitico, deberet gladio accingi; quatenus ita fiat ultio stupri, ut peccator triduanus, non fiat quatriduanus, fœtens et putridus. Si autem contingat illum quatriduanum fieri, et fœtorem illius dilatari, non jam debet in cathedra pestilentiæ sedens Ecclesiam contaminare; sed humiliatus in aliquo pœnitentiali ergastulo, tanquam jacens in sepulcro, Jesum suscitatorem talium mortuorum exspectare. Qui potens est etiam de sepulcro mortuos vocare, atque in testimonium suæ virtutis denuo ad amissa sacri ordinis officia reformare.

CAPUT XXXVIII.

C *Clericus lapsus, non nisi peracta secundum veterem disciplinam pœnitentia, ad officii et ordinis functiones admittendus est.*

Hinc est, quod in reædificatione civitatis Jerusalem, filii Israel constructa gregis porta et piscium porta consequenter reædificaverunt *portam veterem* (*II Esdr.* III, 6). Qui enim stare et perseverare potest in porta gregis et in porta piscium, veteris portæ non quærit introitum. Qui autem inde lapsus fuerit per peccatum, sine dubio foras vel divino vel humano divinitus aperto judicio projectus non poterit intrare, nisi per portam veterem, hoc est per antiquam pœnitentialis observantiæ legem. Qui enim in imponendis pœnitentiis, postpositis legibus ac terminis Patrum, sequuntur devia consuetudinum, non introducunt peccatores in civitatem pacis; quia
D non eos ducunt per aditum portæ veteris: sed ipsi pariter cum eis in errore deviant, quos in criminali lapsos peccato sine antiquo pœnitentiæ ac satisfactionis ordine, vel ad ecclesiasticam communionem, vel, quod periculosius est, ad sacri alicujus ordinis functionem reparant.

Habemus enim, quasi portam veterem, sanctorum Patrum sanctam et antiquam constitutionem, per quam debent criminosi peccatores in Jerusalem introduci. Huic portæ veteri additur quasi ex latere in ipsius civitatis reædificatione turris, quæ in libro Esdræ dicitur *turris furnorum* (*II Esdr.* III, 11). Quod nullo modo ita disposuisset Spiritus sanctus in terreno ædificio, si non esset plenum cœlestium rerum sacramento.

Quæ est enim hæc turris, nisi castigatio corporalis? hæc est turris quasi præbens tutum et certum refugium, si quis ad eam cum spe indulgentiæ confugerit post peccatum. Hæc turris ponitur circa portam veterem, quia castigatio corporalis observanda est secundum antiquam pœnitendi traditionem, non secundum pravam modernorum abusionem. Si enim per istam corporalis castigationis turrim pœnitens non muniatur, falsa quadam securitate deceptus, cum dixerit, pax et securitas, tunc repentinus superveniet interitus, et sicut dolor in utero; et non effugiet.

Recte igitur castigatio corporalis dicitur turris furnorum, quoniam antiqua pœnitendi constitutio habet quosdam furnos ad peccatores purgandos, et caute ac diligenter in domum panis coquendos. In quibus furnis ipse Deus est quasi *ignis constans et emundans argentum, et purgabit filios Levi* (*Malach.* III, 2), hoc est etiam eos qui lapsi fuerint de ordine Levitico, vel etiam sacerdotali, quos intelligimus per filios Levi.

In tali furno beatus Remigius coxit quemdam episcopum, suum suffraganeum, quem in pœnitentiali ergastulo per septem annos inclusum, tandem purgatum et bene ac diligenter excoctum, monente angelo, restituit in sacris ordinis officio. Non iste pœnitens quæsivit, aut ambivit, ut in pontificale officium restitueretur; sed cum filio prodigo dicens: *Pater, peccavi in cœlum et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus* (*Luc.* XV, 18-19), hoc humilitate sua obtinuit: ut Pater cœlestis per angelum diceret ad servum suum, sanctum videlicet Remigium: *Cito profer stolam primam* (*ibid.*), stolam sacerdotalem, et indue illum, dans annulum in manu ejus, et calceamenta, sandalia scilicet, in pedes ejus.

Hæc omnia quanto miraculo facta sint, qui plenius nosse desiderat, gesta sancti Remigii diligenter perlegat. Unum hoc nos dixisse sufficiat, quod episcopus ante septem annos in pœnitentia expletos non est eductus de ergastulo; nec petitione propria, sed admonitione angelica restitutus est in amissæ dignitatis officio, hoc est, in quo sibi nostri temporis episcopi male prospiciunt, qui presbyteros vel diacones in lapsu carnis proditos nimis cito, nimis facile, ad amissos gradus restituunt. Ideo tales aliter, quam oportet, restituti et mensæ Dominicæ superpositi, velut panes crudi ac non bene cocti, nauseam faciunt sponso et sponsæ celebrantibus convivium nuptiale: dum *non est* pretiosa vel *speciosa laus in ore peccatoris* (*Eccli.* XV, 9); dum non bene sapit panis, quem non diligenter excoxit in furno pœnitentiæ ille ignis, de quo scriptum est: *Deus noster ignis consumens est.*

O sancti Patres, o electi cœlestis curiæ judices, quid prodest, vos numerum annorum et castigationis modum constituisse, in quo numero et modo pœnitentes coquantur, velut in quodam furno; si vestris constitutis debet prævalere modernorum abusio? Deberet homicida, vel alter in hunc modum criminosus per septem annos legitime castigari testimonio probati senioris, presbyteri videlicet probatæ religionis: qui post annos pœnitentiæ adimpletos episcopo illum præsentaret, testans et veraciter affirmans, quod legitime pœnitentiam injunctam expleverit, nulla die laxans jejunium, nisi pro consilio ipsius senioris statuta eleemosynarum largitione compensaret ipsum jejunium. Tali testimonio adjutus pœnitens posset Ecclesiæ reconciliari, posset sacræ communionis particeps fieri; certus quod, si ulterius ad vomitum rediret, nunquam ante diem extremum, nunquam ante mortis periculum et articulum, gratiam communionis inveniret (155).

(155) Joannes Chrysostomus De pœnitentia: « O pœnitentia, quæ peccata, Deo miserante, remittis, et paradisum reseras, quæ contritum sanas, omnem tristem exhilaras, vitam de interitu revocas, statum restauras, honorem renovas, fiduciam reformas, gratiamque abundantiorem refundis. Omnia ligata tu solvis, omnia soluta tu reseras, omnia adversa tu mitigas, omnia contraria tu sanas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas. Pœnitentia respuit avaritiam, horret luxuriam, fugat furorem, firmat amorem, calcat superbiam, linguam continet, componit mores, odit malitiam, excludit invidiam. Perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter sufferre. Si violentus quærat, quæ habet, non vetat; si vestem dirimat, non refragatur; percutienti maxillam, præbet et alteram; angariatus ultro adjiciet; castigatus gratias agit; provocatus tacet; exasperatus blanditur superiori; supplex inferiori subjacet. In corde ejus contritio est, in ore confessio, in opere tota humilitas. Hæc est perfecta et fructuosa pœnitudo. »

Gregorius De falsis pœnitentiis: « Propterea admonemus omnes qui æternæ damnationis pœnas evadere, et veræ beatitudinis gloriam cupiunt intra e, ut a falsis sibi caveant pœnitentiis. Sicut enim falsum baptisma non lavat originale peccatum, ita post baptismum falsa pœnitentia non delet nefas commissum. Ideoque valde necessarium est, ut, qui aliquod crimen se commisisse cognoscit, animam suam prudentibus et religiosis viris committat, ut per veram pœnitentiam certam peccatorum suorum consequatur veniam. Hæc est enim vera pœnitentia, ut post commissum alicujus gravioris criminis, utpote meditati homicidii, et sponte commissi, seu perjurii pro cupiditate honoris aut pecuniæ facti, vel aliorum his similium, ita se unusquisque convertat, ut, relictis omnibus iniquitatibus, deinde in fructibus bonæ operationis permaneat. Sic enim Dominus per prophetam dicit: *Si conversus fuerit impius ab impietate sua, et custodierit universa mandata mea; vita vivet, et non morietur* (*Ezech.* XVIII, 20, 21). In quibus verbis manifeste datur intelligi; quoniam qui aliena diripiunt, et ea, cum possint, reddere vel emendare noluerint; vel qui arma contra justitiam portaverint; aut qui odium in corde retinet; vel qui hujusmodi negotiationibus aut officiis implicitus fuerit, quæ sine fraude, sine falsitate, sine invidia, sine deceptione fratrum exerceri non possunt: nec ad Deum conversus, nec de perpetratis facinoribus veram pœnitentiam facere credendus est. Unde inter omnia vos hortamur, atque monemus, ut in accipiendis pœnitentiis non ad illos curratis; in quibus nec religiosa vita, nec est consulendi scientia. qui animas hominum magis ad interitum, quam ad salutem ducunt (teste Veritate, quæ ait: *Si cæcus cæ-*

CAPUT XXXIX.

Cur olim post semel publice actam pœnitentiam in crimen relapsi ad ecclesiasticam reconciliationem amplius admissi non fuerint.

Sane a sanctis Patribus caute ac salubriter provisum est, ut, si quis post semel publice actam pœnitentiam in criminalem culpam iterum laberetur, ad reconciliatricem pœnitentiam non reciperetur amplius; sed ab altaris communione penitus extorris, permaneret traditus Satanæ in interitum carnis, ut Spiritus salvus fieret.

Hoc, testante beato Augustino, non est factum desperatione indulgentiæ, sed rigore disciplinæ, ne fieret medicina ecclesiastica vilis, ac propterea minus utilis. Nam licet talibus secunda pœnitentia et plena reconciliatio secundum statuta canonum denegetur, hoc tamen salubri consilio iterato lapsis a beato Augustino suadetur : ut se non solum ab illicitis frenando, sed et a licitis constringendo, sua largiter tribuendo, uberius flendo, et cæteros dignos pœnitentiæ fructus perseveranter exsequendo, de Dei misericordia confidant, quamvis ante diem mortis vix introitum ecclesiæ, nunquam sacram communionem consequi debeant : ut censura canonum vigorem suum obtineat, in quibus secundam pœnitentiam nemini dandam sancta Patrum auctoritas affirmat. Hoc beatus Ambrosius ita docet observandum, ut, sicut unus est in Ecclesia baptismus, qui semel datus non est repetendus : ita debeat esse unus pœnitentiæ locus, qui denuo lapsis non sit ultro concedendus, quamvis nec talium aliquis desperabiliter sit terrendus. Quia licet spem A reconciliationis in hac vita non habeant, extrema tamen viatici communione adjuti salvari poterunt, si non semetipsos desperantes deteriora deterioribus addunt; sed extra reconciliationis constituti spem salutis fortiter, constanter et perseveranter quærunt.

Vere sancti Patres Spiritu sancto illuminati hoc prævidcrunt, quod medicina vilis fieret, si rigor iste cessaret. Nam hoc nostris temporibus factum videmus : propterea quod erga pœnitentes non servatur ordo legitimus. Presbyter quilibet pœnitenti cuilibet ubilibet jejunium sine compensationibus eleemosynarum laxat; quod olim solus ille, vel soli illi facere solebant, qui pœnitentes ipsos in die reconciliationis eorum episcopis præsentare debebant, B dantes idoneum testimonium super consummata pœnitentia eorum.

Evigilent ergo tandem episcopi, servando pœnitentiæ leges, quas tradiderunt Patres antiqui. Prohibeant, et sub interminatione suspensionis vel depositionis, vel certe anathematis presbyteris interdicant; ne passim inutiles et periculosas comedendi licentias pœnitentibus tribuant : neve illi post semel actam de crimine damnabili pœnitentiam denuo criminaliter peccanti carrinam imponant, et pœnitentiæ secundum locum, quem sancti probibent, illis concedant; quibus solummodo restat mundum contemnere, et sine spe reconciliationis ecclesiasticæ quærere spem salutis æternæ. Sed ideo clerici nesciunt laicos pœnitentes recte tractare; quia C nec ipsi recte tractantur, cum in aliquo criminali peccato veraciter deprehensi publicantur (154).

cum ducat, ambo in foveam cadunt (*Matth.* xv, 14), sed ad eos, qui religione et Scripturarum doctrina instructi, viam veritatis et salutis vobis ostendere valeant. »

(154) Decretum Nicolai papæ junioris : « Nullus missam audiat presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere aut subintroductam mulierem. Unde etiam ipsa sancta synodus hoc caput sub excommunicatione posuit dicens : « Quicunque sacerdotum vel diaconorum aut subdiaconorum, post constitutum beatæ memoriæ prædecessoris nostri Leonis papæ de castitate clericorum, concubinam palam duxerit, vel ductam non reliquerit, ex parte omnipotentis Dei, auctoritate beatorum apostolorum Petri et Pauli præcipimus, et omnino contradicimus, ut missam non cantet, nec evangelium vel epistolam legat ad missam; nec in presbyterio ad divina officia, quæ præfata constitutionis fuerint, obedientes maneant, neque partem ab Ecclesia suscipiant : quousque a nobis sententia super hujuscemodi Deo concedente procedat.»

Nicolaus Carolo archiepiscopo et ejus suffraganeo : « Sacerdotes, si in fornicationis ceciderint laqueum, et criminis manifestus, sive ostensus fuerit actus, sacerdotii non possunt habere honorem secundum canonicæ institutionis auctoritatem. »

Leo secundus episcopis et regi Dalmatiarum : « Si quis amodo episcopus, presbyter, diaconus feminam acceperit, vel acceptam retinuerit, proprio gradu decidat, usquequo ad satisfactionem veniat: nec in choro psallentium maneat, nec aliquam portionem de rebus ecclesiasticis habeat. »

Martinus papa Amando : « Qui semel post suam ordinationem in lapsu ceciderit, deinceps jam depositus erit, nullumque gradum sacerdotii poterit adipisci. »

Ex concilio Agathensi cap. 4 : « Si quis presbyter vitæ suæ negligens, pravis exemplis mala de se suspicari permiserit; et populus ab episcopo juramento seu banno Christianitatis constrictus infamiam ejus patefecerit; et certi accusatores criminis ejus defuerint : admoneatur primo seorsum ab episcopo; deinde sub duobus vel tribus testibus. Si non emendaverit in conventu presbyterorum episcopus eum publica increpatione admoneat. Si vero neque sic se correxerit ab officio usque ad dignam satisfactionem suspendatur, ne populus fidelium in eo scandalum patiatur. Si autem accusatores legitimi non fuerint, qui ejus crimina manifestis indiciis probare contenderint, et ipse negaverit : tunc ipse cum septem sociis ejusdem ordinis, si valet, a crimine se ipsum expurget. Diaconus vero, si eodem D crimine accusatus fuerit, semetipsum cum tribus excuset. »

Stephanus papa quintus Leoni Scianensi episcopo : « De manifesta et nota pluribus causa non sunt quærendi testes; ut sanctus Ambrosius in Epistolam ad Corinthios dicit, de fornicatione sententiam exponens Apostoli. Judicis, inquam, non est sine accusatore damnare, quia Dominus Judam, cum fuisset fur, quia non accusatus, minime abjecit. Cognito autem opere isto pellendum illum de cœtu fraternitatis censuit. Omnes enim crimen ejus sciebant, et non arguebant. Publice enim novercam suam loco uxoris habebat. In qua re neque testibus opus erat, neque tergiversatione aliqua poterat tegi crimen. Et paulo post, absens facie, præsens autem auctoritate Spiritus, qui nusquam abest, jam judicavi ut præsens eum, qui hoc admisit, tradi Satanæ in interitum carnis. »

Laicis quidem propter districtionis utilitatem angustus pœnitendi modus a papa Leone cæterisque sanctis præscribitur : ut videlicet post actam pœnitentiam conjugia non sortiantur, nisi forte propter fragilitatis lapsum cavendum hoc junioribus permitti contingat, non secundum regulam, sed secundum indulgentiam. Quod, sicut dixi, permittens Leo Magnus solummodo pœnitentibus in adolescentia constitutis, ita dicit : « in quo non regulam constituimus, sed, quid sit tolerabilius, æstimamus. » Et quasi quæreretur ab eo post hanc venialem concessionem adolescentium, quibus permittit conjugium, quæ sit regula legitimæ pœnitentiæ, consequenter subjunxit, dicens : « Nam secundum veram cognitionem nihil ei magis congruit, qui pœnitentiam gessit, quam castitas perseverans mentis et corporis (155). »

Sed hoc de illo pœnitente intelligendum est, qui pœnitentiam gessit, adhuc ab uxore solutus. Nam si alligatus est, post actam pœnitentiam uxori suæ poterit reddere debitum ; quod tamen ex parte pœnitentis nunquam est exigendum. Sed, si ab eo exigitur, quantum fieri potest, non per concupiscentiam, sed per conjugalem obedientiam cum timore et sollicitudine reddendum est. Si autem altero de duobus mortuo pœnitens fuerit superstes, novum conjugium non debet contrahere; sed juxta regulam a Leone confirmatam in castitate mentis et corporis perseverare. Debent quoque pœnitentes eidem Leoni pœnitentiæ regulam constituenti obedire, ut, si forte causam habeant, nunquam forense vel aulicum, sed tantummodo ecclesiasticum judicium exspectent ; quatenus ecclesiasticorum judicum consilio, vel propriæ perfectionis amore confœmnant, vel eam sine læsione proximi per ipsos requirant.

CAPUT XL.

De forma et discrimine judicii ecclesiastici et sæcularis. Ob quæ peccata delinquens anathemate feriatur, etc.

Hæc differentia inter judices ecclesiasticos et sæculares esse dignoscitur, quod in ecclesiastico judicio spiritualis judex inter nocentem et innocentem nihil terreni lucratur ; sed alterius offensam, alterius gratiam, justitiæ favens plerumque consequitur. Sæcularis autem judex, inter nocentem et innocentem personam mediator existens, plerumque aliquid secundum leges sæculi ex parte nocentis lucratur : quando idem nocens, non occisione vel membrorum mutilatione, sed bonorum suorum publicatione multandus est. Si quid autem præter judicium lucratur ex parte innocentis, ut justitiæ faveat, periculose peccat, quia justitiam vendit, cui gratis favere debuit. Quod si ex parte nocentis aliquid accipiat, ut in causa illius remissius agat, hoc est danti et accipienti certa pernicies, quia hoc non est justitiam quasi vivam vendere, sed omnino suffocatam pro lucro distrahere.

Si autem æterna morte punietur venditor viventis justitiæ, favens illi pro mercede, quæ sola sibi faventibus debuit merces esse ; quomodo puniendus est, qui eamdem justitiam, quantum in se est, occidit, favendo contra illam causæ injustæ, cui nec pro vita sua defendenda ullatenus favere debuit ?

Absit ergo ipsa tam venditio, quam occisio ac suffocatio justitiæ a judicibus Ecclesiæ, qui debent omnium clericorum, monachorum, sanctimonialium, viduarum, pupillorum et eorum qui pœnitentias egerunt et omnium qui se functionibus ecclesiasticis devoverunt, omnes causas tractare; militum vero et aliorum sæcularium non debent causas tractare, nisi quæ pertinent ad salutem animæ et ad justitiam Ecclesiæ. Nam in disceptatione pecuniarum per justitiam sæcularem vel repetendarum vel retinendarum ac a cæteris hujusmodi ad sæculum pertinentibus non se debet episcopus immergere, sed judici terreno talia relinquere. Attamen inter discordantes ac hujusmodi litigantes compositionem pacificam et justam faciens, ut non sit necessitas alteri eorum judicem terrenum pensare, facit episcopus quod sui est ordinis, cui commissum est Evangelium pacis.

Sed istam compositionem per episcopum tunc licet fieri, cum nondum causa præsentata est judici sæculari. Sicut enim judex terrenus non se debet, vel poterit de causa intromittere quæ suscepta est a spiritualiter præsidente : sic non debet episcopus injuriam facere illi qui non sine causa gladium portat. Verum, sicut episcopus judicem judicialiter agentem non debet impedire ; ita, si ordine judiciali contempto fuerit oppressor innocentium, licet episcopo eripienti pauperem et egenum de manu fortioris ipsum fortem ligare, atque ab Ecclesia sequestrare, donec pœniteat, et de se meliora promittat. Habent enim potestatem *ad alligandos reges in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis* (*Psal.* CXLIX, 8).

Hæc potestas victoriose procedit, si faciunt in eis *judicium conscriptum* (*Psal.* CXLIX, 9) ; quos angariare non debent extra ordinem judiciarium a sanctis Patribus conscriptum. Nam secundum conscriptum legitima commonitione, vocatione, induciarum exspectatione quasi arcus trahitur . ut sa-

(155) Augustinus : « Nihil ei magis congruit qui pœnitentiam gessit, quam castitas perseverans mentis et corporis. Portet semper verecundiam in fronte de recordatione delicti. Sine vera confessione et pœnitentia nemo salvabitur. Qui accusat et confitetur peccata sua, cum Deo facit pactum. »

Joannes Chrysost. : « Pœnitentia refrigerium est animæ, fornax est peccatorum, languentium mater, infirmorum adjutrix. Omne peccatum per pœnitentiam recipit vulneris sanitatem. Nil pejus quam culpam agnoscere, nec deflere. In hac vita tantum pœnitentiæ patet libertas : post mortem vero nulla est correctionis licentia. »

gitta excommunicationis in rebellem recte librata fortius mittatur. Attamen, si aliquid sub anathemate scitur prohibitum, quam cito illud committitur ab aliquo, sciat se continuo excommunicatum.

Hinc est quod beatus Gregorius episcopos, qui Maximum Salonitanum, cujus consecrationem sub excommunicatione prohibitam sciverunt, et hoc scientes eumdem consecraverunt, vocat excommunicatos, ita dicens : « Quam rem nos consecrationem nullo modo dicere possumus, quia ab excommunicatis facta est. » Ecce jam notat eos excommunicatos fuisse in illius peccati perpetratione, quod prohibitum erat sub excommunicatione. Jam ergo excommunicati erant nullis induciis, nulla præcedente vocatione, quia sciebant quam fecerunt consecrationem prius prohibitam sub excommunicatione.

Notandum autem quod, quamvis multa sint peccata, quæ contra se claudunt regnum cœlorum; non tamen omne peccatum criminale ante factum, prohibitum vel prohibendum est sub anathemate, quia, si ebrietas, fornicatio, mendacium sub anathemate ante factum prohiberetur, excommunicatorum numerus in infinitum extenderetur. Solet autem ista interdictio cum anathematis interpositione fieri, cum occurritur schismati noviter emergenti, quia, si ante interdictionem auditam committitur mora, necessario per ordinem judicialem inducitur. Est enim vocandus, et per legitimas inducias exspectandus, quantumcunque crimen aliquis committat; nisi aut ipse in faciem inobediens fiat, dum suæ admonitioni pertinaciter contradixerit, aut aliquid sub anathemate interdictum scienter admiserit. Est ergo pernecessarium, ut ea, quæ specialiter sub anathemate prohibentur, caute notentur; notata ab episcopo et presbyteris coram cæteris publicentur, quia publicata melius caventur; aut, si qui non cavent, ipsi propter anathema caveantur, et per episcopalem sententiam publicati videntur, donec pœnitentiæ submittantur.

Ad quam pœnitentiam, sicut superius diximus, regulariter exsequendam etiam hoc pertinet, ut ali- A quis de crimine damnabili pœnitentiam agens, non solum vacet a conjugio et sæcularium judiciorum implicamento, sed etiam a negotiatione ac militari cingulo (156). Unde scribit Leo Magnus Rustico Narbonensi super regula pœnitentiæ apostolicam sedem consulenti. « Aliud est, inquit, debita justa reposcere, aliud propria perfectionis amore contemnere : sed illicitorum veniam postulantem oportet etiam licitis abstinere, dicente Apostolo : *Omnia licent, sed non omnia expediunt* (*I Cor.* x, 22). Unde si pœnitentes habent causam, quam negligere forte non debeant, melius expedit quis ecclesiasticum, quam forense judicium. » Item quod pœnitenti nulla negotiationis lucra exercere conveniat, probat idem Leo dicens : « Qualitas lucri negotiantem aut B excusat aut arguit, quia est honestus quæstus et turpis. Verumtamen pœnitenti utilius est dispendia pati, quam periculis negotiationis obstringi; quia difficile est inter ementis vendentisque commercium non intervenire peccatum. » Item probans quod ad militiam sæcularem post pœnitentiam redire non debeat, ita dicit : « Contrarium est omnino ecclesiasticis regulis post pœnitentiæ actionem redire ad militiam sæcularem; cum Apostolus dicat : *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus* (*II Tim.* II, 4). Unde non est liber a laqueis diaboli, qui se militia mundana voluerit implicare. »

CAPUT XLI.

C *Qualiter puniendi, qui canonicam de commissis criminibus pœnitentiam agere detrectant : quod officium conversorum in congregationibus clericorum et monachorum?*

Si ergo juxta hujus tanti pontificis decretales sententias ad regulam pœnitentiæ pertinet, ut a sæculari judicio, a negotiationis exercitio, a militia sæculari alienus existat; et sicut superius probavimus, conjugium non contrahat, sed continens permaneat, quem pœnitentiæ jugum super se accepisse constat : debet utique pœnitens, hanc regulam transgrediens aliqua pœna multari.

Super talium transgressorum pœna requisitus beatæ recordationis papa Syricius ad Hunerium

(156) Gregorius papa VII in synodo Romæ celebrata, cap. 6, dicit : « Falsas pœnitentias dicit, quæ non secundum auctoritatem sanctorum Patrum pro qualitate criminum imponuntur. Ideoque quicunque miles vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod sine peccato exerceri non possit, culpis gravioribus irretitus ad pœnitentiam venerit, id est qui bona alterius injuste detinet, vel qui odium in corde gerit : recognoscat se veram pœnitentiam non posse peragere, per quam ad æternam vitam valeat pervenire, nisi miles arma deponat, ulteriusque ea, nisi consilio religiosorum episcoporum et pro defendenda justitia, non ferat; et negotiator negotium derelinquat; et officialis officium deserat : bona, quæ quilibet illorum injuste abstulit, restituat, et odium ex corde dimittat. »

Ambrosius in libro De pœnitentia : « Nonnulli ideo poscunt pœnitentiam, ut statim reddi communionem velint. Hi non tam solvere se cupiunt, quam sacerdotem ligare. Sua enim conscientia se non tam exuunt, quam sacerdotem indui cupiunt, cui præceptum est : *Nolite sanctum dare canibus, neque miseritis margaritas ante porcos* (*Matth.* VII, 6). D Hoc est, immundis spiritibus facile communionis non impertimini consortia. » In eodem sequitur : « Arbitrantur hoc esse pœnitentiam, si abstineant a sacramentis cœlestibus. Hi severiores in se judices sunt, qui pœnam præscribunt, si declinant remedium, quos pœnam conveniebat delere, quia cœlesti fraudarentur gratia. »

Ambrosius in tertio libro De pœnit. : « Facilius inveni qui innocentiam servaverint, quam qui congrue egerint pœnitentiam. An quisquam illam putat pœnitentiam, ubi acquirendæ ambitio dignitatis? ubi vini effusio? ubi ipsius copulæ conjugalis usus? Renuntiandum est sæculo, somno ipsi minus indulgendum, quam natura postulat : interpellandum est gemitibus, interrumpendum suspiriis, sequestrandum est orationibus; vivendum est ita, ut vitali huic moriamur, huic usui se ipsum sibi abneget, et totus commutetur. »

Terraconensem episcopum scribens, ita dicit cap. 5 : « De his vero non incongrue dilectio tua apostolicam sedem credidit consulendam, qui acta pœnitentia tanquam canes ac sues ad vomitus pristinos et volutabra redeuntes et militiæ cingulum, et ludicras voluptates, et nova conjugia, et in habitos denuo appetivere concubitus; quorum professam incontinentiam generati post absolutionem filii prodiderunt. De quibus, quia jam suffugium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, ut sola intra ecclesiam fidelibus oratione jungantur, sacræ mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint; a Dominicæ autem mensæ convivio segregentur, ut hac saltem districtione correpti, et ipsi in se sua errata castigent, et aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscenis cupiditatibus retrahantur. Quibus tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere, cum ad Dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam volumus subveniri : quam formam et circa mulieres, quæ se post pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, servandam esse censemus. »

Notandum est in his verbis, quam districtus modus humiliationis affixus est pœnitentiæ regulis, quæ diffiniunt pœnitentem a novo conjugio, a militiæ cingulo, ab omni voluptate lubrica sic elongari, ut sint pene quasi monachi a sæcularibus distincti. Unde et antiqua obtinuit consuetudo, ut, quia nemo post publice actam pœnitentiam ad clericales ordines admittitur, tam clericus quam laicus districtius pœnitens, monachorum collegio sociaretur, non sic tractandus, ut modo laicos multorum criminum reos per monasteria tractari videmus. Qui aut intus dissolute se habentes, non in sudore vultus sui pane vescuntur; aut incaute foras mittuntur ad hoc, ut in villis tanquam villici sedeant, et vacuo conversorum nomine decepti, inter sæculares pene sæculariter vivant. Tales vero aut nunquam oportuit exire, aut per obedientiam de claustro, quasi de navicula cum Petro, exeuntes, ac mundum quasi fluidum mare calcantes citissime ad naviculam redire (*Matth.* XIV, 29) : ne tempestas tentationis ingravescens ipsam illis navim interciperet; quos etiam ventus validus, ad movendam tempestatem paratus, facile periclitari faciet, nisi dextera Domini sustollantur, et antequam eos plena tempestas deprehendat, ad naviculam reducantur.

Sed, quia sunt aliqui talium conversorum, qui apostolicam vitam profitentur, utinam et apostolos imitarentur! Illi enim, qui in studio cœlestis verbi cum Petro mancipantur, imitando apostolum recte in apostolica vita censentur; sicut sæculares cle-

A rici ad communiter vivendum congregati. Rursum qui manibus suis operantur, quod bonum est; ut habeant unde tribuant necessitatem patienti : solis ipsi necessariis contenti simul vivunt; et ipsi apostolum Paulum imitantes veram apostolicam vitam ducunt sicut fecerunt monachi antiqui, non otiantes sub strenuis ducibus, magnis videlicet Patribus Ægypti. Petrus ergo apostolus, velut signifer certus, in apostolica vita illis ducatum præstat, quorum animus Dei verbo seu docendo seu discendo invigilat. Paulus vero apostolus nihilominus in apostolica vita signifer insignis illorum ordinat et ducit procinctum, qui ad imitationem illius interdum exercent opus manuum. Feliciter ergo et non fallaciter apostolicam vitam profitetur, qui aut cum

B Augustino Petrum, aut cum Benedicto Paulum comitatur : vel certe, ut omnem excusationem tollamus, comitari et imitari totis viribus per Dei gratiam conatur. Iste sive alterutro duce in apostolica vita regatur; sive nunc illum in verbi studio, nunc istum in operis exercitio sequens, vere apostolicam vitam ducit; imo ducitur per vitam apostolicam ad vitam æternam : si quæ retro sunt, obliviscens in anteriora semper semetipsum extendit.

Sane si negotia foris erunt exercenda, in fratribus foris mittendis apostolorum exempla sunt tenenda. Hæc enim per illos nobis præfigitur disciplina, ut nunquam frater solus longe mittatur, aut missus diu abesse permittatur. Hinc est quod, cum audissent apostoli quia recepit Samaria verbum

C Dei, miserunt ad eos, non solum Petrum, vel solum Joannem, sed *Petrum et Joannem* (*Act.* VIII, 14). Hinc est quod Paulus apostolus in sua peregrinatione tali gloriabatur socio, *cujus laus erat in Evangelio* (*II Cor.* VIII, 18). Hinc est quod discipulo a se misso scribit in Epistola ut *festinet cito* ad se *venire* (*II Tim.* IV, 8), quia expedit discipulum ad magistrum, a quo mittitur, cum festinantia redire (157).

Qui ergo apostolicæ vitæ professores facti, tam foris quam intus apostolos imitantur, sive clericali, sive monachali, sive pœnitentiali habitu ac veste utantur; illorum vita et dicitur et est apostolica, quia regula reguntur apostolica. Et possunt sane ita

D viventibus quicunque, non solum innocentes, sed etiam pœnitentes associari; et aut in librorum eruditione, aut operum studio, aut certe in utroque probabiliter exercitari : ita scilicet, ut illud summopere caveatur, ne pœnitens ad ordines sacros admittatur. Ad quos nec ille secundum rigorem canonum admittitur, qui post baptismum simpliciter militasse agnoscitur.

Unde Innocentius papa Felici episcopo Nuceriano

(157) Gregorius Ravennati episcopo : « Nemo potest et ecclesiasticis obsequiis deservire, et in monachica regula ordinate persistere : ut ipse districtionem monasterii teneat, qui quotidie in ministerio ecclesiastico cogitur permanere. » Item Maximiano episcopo Syracusano : « Qui in abbatis loco permanere decreverint, clericatus nullatenus permittantur habere militiam. Satis enim incongruum est si, cum unum ex his pro sui magnitudine diligenter quis non possit explere, ad utrumque idoneus judicetur. Sicque invicem et ecclesiasticus ordo vitæ monachicæ, et ecclesiasticis utilitatibus regula monachatus impedit. »

scribens, « designata sunt, inquit, genera, de quibus ad clericatum pervenire non possunt. Id est, si quis fidelis militaverit, si quis fidelis causas egerit, hoc est postulaverit; si quis fidelis administraverit. » Et post pauca: « Laici vero, qui habentes uxores baptizati sunt, ac sic se instituerint, ut opinio illorum nullo modo vacillet; ut aut clericis juncti sint aut monasteriis, ex quo baptizati sunt, hæserint; si non concubinam, non pellicem noverint; si in omnibus bonis operibus vigilaverint: non prohibentur hujusmodi ad clericatus sortem assumi. » In quo caput illud est notandum, quod aliud est clericis jungi, aliud ad clericatus sortem assumi. Nam laicos prius clericis junctos dicit; postmodum, si culpa non impedit, ad clericatus sortem assumendos.

Quid est autem clericis jungi, nisi scripturis discendis et exercendis in societate clericorum applicari; sicut in primitiva Ecclesia multi fuerunt Petro applicati quotidie, ut Actus apostolorum testantur, perdurantes unanimiter in templo; sicut isti debent perdurare in claustro verbum Dei vel docendo, ut Christus; vel discendo, ut Maria sedens ad pedes ipsius; vel certe istorum, discentium scilicet ac docentium, necessariis providendo et circa frequens ministerium exemplo Marthæ satagendo?]

Istiusmodi ministerium a conversis laicis fratribus industriosis dum bene procuratur, discentium ac docentium studiositas illis ad augmentum boni meriti reputatur: a quibus ipsa eorum studiositas, frequens ministerium adjuvatur. Et hi sunt fructus dignæ pœnitentiæ, quos laici conversi poterunt persolvere manentes in regularium clericorum societate.

CAPUT XLII.

Plura de eodem argumento, et quomodo pœnitendum iis qui nec habitum sæcularem nec domum propriam relinquunt.

De monachis autem nulla quæstio habetur, quin recte pœnitens illorum collegio societur, quia eorum habitus proprie pœnitentium esse agnoscetur, si tamen per fluxas et feminales vestes non deturpetur. Pœnitens ergo sive clericis sive monachis associatus, se a Petro mactari, manducari, atque ipsi apostolicæ vitæ penitus incorporari non dubitet, si vel cum Augustino vel cum Benedicto apostolicam regulam tenet. Alioquin timendum est ne non sit magis apostatica quam apostolica illius conversatio, qui neque clericis neque monachis recte adunatur; neque ipsam pœnitentialem districtionem, quam foris custodire debuit, post apostolicæ vitæ professionem sentire conatur; maxime cum tunc primo assumant habitum pœnitentialem, quando juxta regulas Patrum, militari cingulo deposito, induuntur habitu religioso et a sæcularibus aperte distincto.

Hoc enim quondam cuncti recte pœnitentes fecerunt, qui tamen non omnes proprias domus reliquerunt; sed habitu sæculari mutato, regularem pœnitentiæ servantes, etsi non apostolos, tamen apostolorum discipulos imitari studuerunt. Qui enim in domo propria sic vivit, sicut vixit Onesiphorus Pauli discipulus, non jam de sæculo, sed de solis Christi pauperibus sollicitus; qui facit in domo propria quod fecit Tabitha Petri discipula de viduis ac pauperibus tantum sollicita; qui sic ordinat domum suam, sicut credimus ordinatam fuisse domum Stephanæ (quam Paulus apostolus curavit omnibus in sanctæ imitationis exemplar demonstrare, dicens: *Nostis domum Stephanæ* [*I Cor.* XVI, 15]; quam etiam sua venerabatur salutatione) qui sic ordinat suam domum, et in domo sua semetipsum, ut se et sua in solum impendat ministerium pauperum (sicut illos fecisse non dubitamus quibus Apostolus testimonium perhibet, quoniam ordinaverunt semetipsos in ministerium sanctorum); qui istos et istas; apostolorum, etsi non comites, tamen sequaces; etsi non apostolos, tamen apostolorum discipulos, imitatur, manens in domo sua certiori via graditur quam si domum suam relinqueret: et nomen conversi assumens, neque apostolorum discipulos et discipulas perfecte sequi decerneret, aut pro viribus studeret.

Iste si in pauperum ministerio redigeretur ad paupertatem, tunc vere apostolicam vitam apprehenderet; maxime si tunc de manibus victum quærens, fortis ipse adhuc debilioribus et operari non valentibus ministraret, sicut Paulum fecisse legimus: qui non solum sibi, sed et his qui secum erant, victum quærens, ministravit suis manibus. Quod si non solum ad paupertatem, sed ad corporis quoque debilitationem in tali ministerio fuerit redactus, tunc est ab Ecclesiæ prælato in parochiam, domum scilicet pauperum, colligendus, et de quarta decimarum portione cum cæteris pauperibus large curandus.

Si autem fuerit vidua, quæ in tali ministerio depauperata testimonium habet; quod, quandiu potuit, *pauperes susceperit, pedes eorum laverit* (*I Tim.* V, 10), et cætera, per quæ Apostolus viduam bonam describit, caute servaverit: etiamsi ipsa nihil ab Ecclesia quærat, justum tamen et omnino ab Apostolo præceptum est, ut Ecclesiæ prælatus illam colligat, in cujus parochia eam laudabiliter vixisse constat: maxime si quadraginta annos jam excessit, et filios non habet, a quibus bene procurari valeat; ne Ecclesia vel infametur juvenculas colligendo, vel gravetur etiam eas pascendo quas filii possunt et debent procurare, si nolunt fidem negare et infidelibus deteriores existere: *Qui enim suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negat, et est infideli deterior* (*I Tim.* v, 8).

Vidimus apostolorum ardua exempla paucis imitabilia; consideravimus eorumdem apostolorum discipulos et discipulas, usque adeo imitabiles cunctis; ut non solum a conjugio liberi possint in domibus suis manentes eos imitari; sed etiam conjugati, qui forte ad hoc profecerunt: ut, quamvis inter eos permaneant fœdera nuptiarum, se tamen

ab operibus carnis castrare pari voto decernant A propter regnum cœlorum.

Isti, si recte vivunt visitando pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatos se custodiendo ab hoc sæculo, etsi non currunt cum apostolis, qui valde velociter et expedite cucurrerunt simul et semel cunctis relictis, ambulant tamen cum eorum discipulis sub custodia mundæ ac certæ religionis. Jacobus enim apostolus consolans et confortans discipulos suos, quasi regulam succinctæ brevitatis in Epistola sua inseruit, quæ istis bene congruit. Dicit enim : *Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem hæc est, visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo* (*Jac.* I, 27). Hæc regula ita convenit apostolorum discipulis, eorumque B similibus, sicut regula communis vitæ congruit apostolis eorumque similibus.

Vis audire regulam apostolorum? *Erat illis cor unum et anima una in Deo; nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat*, etc. (*Act.* IV, 32.) Si potes hanc regulam suscipere, sub hac aut verbo doctrinæ cum Petro exercearis; aut operi operam dando Paulo apostolo similis efficiaris, et nunc illum, nunc istum, imo in utroque Christum sequendo, cave deviationes eorum qui vel curiose vel otiose vivendo neutrum sequuntur istorum apostolorum : qui omnibus apostolicam vitam servare volentibus more duorum oculorum præbent geminum lumen et certum ducatum. Si autem non potes C tu omnia dimittendo nudus nudum Christum sequi, audi regulam discipulorum sub apostolis, et per apostolos ita ordinatorum, ut minores apostolis, altiores conjugatis tenerent quoddam medium, se suaque omnia ordinantes in ministerium sanctorum.

Talis fuit Tabitha plena operibus bonis et eleemosynis; quæ licet viduis sub Petro communiter viventibus non fuerit associata, fuit tamen ipsius Petri discipula, ab illo diligenter edocta : ut in domo sua quodammodo servaret vitam communem, faciens cunctam substantiam suam indigentibus communem; faciens tunicas et vestes, quas post obitum suum venienti Petro viduæ flentes ostenderunt, et hoc fletibus obtinuerunt ut Petrus diceret : *Tabitha, surge* (*Act.* IX, 40); dansque illi manum, erexit D eam, et sanctis ac viduis assignavit vivam. Nonne Petrus poterat discipulam suam saltem post resuscitationem ad communem vitam traxisse, si hoc putaret illius saluti et pauperum utilitati magis expedire? Ipse autem sanctis ac viduis assignavit resuscitatam, utpote sanctorum pauperum et sanctarum viduarum prudentem et fidelem ministram.

Pauperes enim propter Deum nihil habentes, ipsi sunt sancti. Qui vero cum Tabitha talibus ministrant, ipsi sunt sanctorum ministri. Isti sedebunt cum apostolis judicaturi; isti audient : *Venite, benedicti* (*Matth.* XXIV, 35); isti sunt, quos Apostolus notat, cum dicit : *Salutate omnes sanctos* (*Philipp.* IV, 21). Istorum commendat ministerium, laudans in Epistola sua eos et eas, qui se ordinaverant in ministerium sanctorum. Breviter autem complectitur utrorumque officium et ordinem, salutans in Epistola omnem operantem et cooperantem veritati. Nam qui apostolos perfecte imitatur, ille, quod veritas mandat et consulit, non cum cæteris communiter, sed præ cæteris excellenter operatur. Qui autem talibus ad hoc ipsum et propter hoc ipsum ministrat, iste est qui veritati cooperatur. Item qui cum Lazaro ante januam jacente in hac paupertate gravatur, et tamen non furta proponit, non abundantias divitum concupiscit; sed de illorum superfluis, quasi quibusdam micis de mensa cadentibus, id est mensuram necessitatis quasi mensam excedentibus, cupit saturari, non luxuriari; non murmurat; non alienum per iniquitatem affectat : iste revera in sua patientia operatur. Qui autem talem pro viribus consolatur, operanti cooperatur. Ideo, etsi deest aliquando pauper Petrus, raro vel nunquam deest pauper Lazarus.

His duobus pauperibus debentur omnium divitum superflua, quæ sine dubio pauperum sunt necessaria. Et ideo qui se ordinat in ministerium eorum, nihil debet de rebus suis cuiquam dare, nisi tantum ad necessitatem indigentium. Si hospes illi supervenerit, tractet illum, prout oportebit : ita tamen, ut de victu pauperum parum expendat in cibos scurronum, servans pactum; quod datis et acceptis dextris firmavit Paulus et Barnabas cum cæteris apostolis, scilicet ut *tantummodo pauperum memores essent* (*Gal.* II, 10). Ideo de rebus sanctorum, quæ per manum Pauli tractabantur, non otiosi garriones, sed pauperes pascebantur. Petrus enim et Jacobus et Joannes Paulo et Barnabæ dexteras dederunt, et ab illis quasi pactum societatis acceperunt, tantum ut pauperum memores essent. Quod ipsum et sollicitus fuit Apostolus facere de collectis Ecclesiarum tantummodo ministrans pauperibus.

Quod ipsum sollicite servavit Martinus, de decimis cæterisque pauperum stipendiis ministrans tantummodo pauperibus. Alii quoque viri catholici pactum istud servaverunt, qui de rebus pauperum tantummodo pauperum utilitatibus providerunt. Non sic impii, non sic; quorum sedet populus manducare et bibere, et postea surgit ludere vel in tabulis vel in aliis vanissimis ludis a diabolo adinventis : quemadmodum ludum tabularum testatur Cyprianus martyr et episcopus ad honorem cujusdam idoli adinventum.

CAPUT XLIII.

Quomodo præfecti vectigalium, judices, milites, aliique, qui propriis renuntiare nolunt, apostolicam regulam sequantur.

Quod si sunt aliqui cupientes in infimo gradu salvari, non volentes aut valentes omnia dimittendo sancti cum sanctis esse, vel cum eorum perfectis discipulis omnia sua in pauperum et sancto-

rum ministerium ordinare, nondum solido pane saginati, sed lacte fidei simpliciter potati : isti quoque recurrant ad doctrinam apostolicam. In qua conjugatorum talem inveniunt regulam, talem disciplinam nunc continendi, nunc in id ipsum revertendi, ut, si regulam suam perfecte sectentur, cum beato Job simplices et recti ac timentes Deum nullatenus a salvandorum sorte segregentur.

Si sunt judices et in sæculi causis actionarii, qui in Evangelio dicuntur publicani, sequantur doctrinam Joannis, nihil amplius faciendo quam constitutum est illis. Qui enim in publicis administrandis officiis servat ordinem legaliter et judicialiter constitutum, nec ille sequetur errores devios, quia Joseph in Ægypto, Danielem in Babylone, Constantinum in Ecclesia principantes, suæ viæ duces habet ac prævios ; quos recte sequendo ad eum qui potentes non abjicit, cum et ipse sit potens, certiori cursu ducitur, quam ille qui apostolicam vitam professus nullius apostoli ducatum sequitur.

Qui miles est, talem sibi regulam proponat, imo in Evangelio sibi propositam sciat : *ut neminem concutiat, neque calumniam faciat, ut contentus sit stipendiis suis* (*Luc.* III, 14), gladium ferreum non accipiat, ne gladio flammeo pereat. Aliud est enim gladium accipere et aliud gladium portare. Qui recte gladium exercendo Dei minister est, gladium quasi onus, ordinante Deo, sibi impositum non sine causa portat. Qui autem extra ordinem, non Dei sed suæ avaritiæ minister est, quia in pauperibus vexandis, et propriis injuriis vindicandis, et lucris iniquo mammonæ congregandis gladium accipit, nisi legitime pœnitendo salvetur, sine dubio flammeo gladio ante paradisum constituto peribit. Gladium portavit Mauritius cum legione sua ; quem tamen gladium noluit accipere, quia contra ordinem divinæ justitiæ nec ad sui sanguinis defensionem voluit illum movere. Nam sæpe gladius recte movetur a milite patriam seu Ecclesiam ex edicto vel præcepto præsidentium defendente ac publicum jus legaliter præscribente. Nunquam vero gladium recte movet qui semetipsum defendit, dicente Scriptura : *Non vosmetipsos defendentes, charissimi* (*Rom.* XII, 10). David non semetipsum, sed Dei populum defendendo, Philisthæum occidit pugnantem ; in sui defensionem noluit occidere Saulem dormientem. Tunc ergo gladium portando Deo placuit, qui postea gladium contra Uriam accipiendo ita Deum offendit, ut, nisi pœnitentiæ lacrymis flammeum gladium exstinxisset, gladium accipiendo gladio periisset.

Habent ergo et milites tam in David rege sub Saule malo bene militante, quam in Thebæorum legione sancta sub impio imperatore pietatem custodiente certum ducatum : quem non habet conversus, qui, neque inter clericos Petrum, neque inter monachos Paulum sequendo, vacuo nomine gloria- A tur se conversum, usque adeo se nesciens perversum, ut apostolicæ vitæ professio sit illi pro damnationis testimonio, nisi in ista castrorum acie ordinata, certa militandi regula, certo signo, certo duce, certo vexillo utatur ; ne cum acephalis capite carentibus, Christo legitime tantum certantes coronante, a corona repellatur.

Sane illud non esset usquequaque improbabile, si quis laicus pro suis peccatis compunctus, communiter sub regula viventibus omnia sua conferens, sed in seipso regularem districtionem ferre non valens aut non volens, ita illis associaretur, ut seipsum probans et pro viribus exercens prælatis Ecclesiæ sic submitteretur probabilem communis vitæ observando et profitendo..... : ut tamen apostolicam B vitam nunquam promitteret, nisi statuta regularia per omnia servare paratus, aut clericus aut monachus fieri vellet. Alterutra enim professio certo ducatu regitur, sub quo ducatu legitime certans coronatur. Probet ergo seipsum homo, et sic ad certamen apostolicæ professionis accedat, ne temere apostolicam vitam professus apostasiæ crimen incurrat ; dum, quod profitetur, legitime non servat.

Ut autem nemo extra regulam suæ professioni congruam transversa via incedens, a corona decidat, quam non accipit nisi qui in suæ professionis officio regulariter et legitime certat : debent regulam sibi a Domino et apostolis propositam custodire, C clericorum, monachorum, virginum, viduarum sancti ordines, distincte uniformes et uniformiter distincti. Quos vicino pede comitatur cœtus eorum qui suas domos necdum ex toto relinquentes, ordinant tamen se suaque omnia in ministerium sanctorum pauperum et peregrinorum. Post hos cæteri conjugati, divites, judices, milites non carebunt regula, si permanere volunt in Christi doctrina. Quorum regulas nos breviter supra perstrinximus, quas doctoribus Ecclesiæ diligenter, pleniter et frequenter relinquimus inculcandas, ut nemo irregulariter et inordinate incedere permittatur, qui in ista castrorum acie miles juratus agnoscitur.

Qui enim in baptismo abrenuntiavit diabolo et omnibus pompis ac suggestionibus ejus, etiamsi D nunquam fiat clericus vel monachus, mundo tamen renuntiasse convincitur quia mundus totus in maligno positus pompa est ipsius maligni, cujus pompæ renuntiaverunt omnes Christiani. Unde et qui utuntur hoc mundo, sint quasi non utantur : ut sive divites sive miseri, nobiles ac servi, mercatores et rustici et omnino cuncti, qui Christiana professione censentur, illa respuant, quæ huic inimica sunt nomini, et ea quæ sunt apta sectentur. Habet enim omnis ordo et omnino omnis professio in fide catholica et doctrina apostolica suæ qualitati aptam regulam, sub qua legitime certando poterit pervenire ad coronam (158).

(158) Athanasius : « Quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est ut teneat catholicam fidem. Quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit. »

Verum, quia frequenter exorbitatur a regula innocentiæ, constituta est regula pœnitentiæ, quasi porta quædam in sancta civitate : ut per eam violenti quodammodo introeant, qui per innocentiam intus stare nolebant; dum aut regulam suam ignorantes, aut a suis doctoribus frequenter inculcatam dissimulantes, non legitime incesserunt, quia solos clericos vel monachos mundo renuntiasse putaverunt. Discant ergo vel nunc tandem fidem catholicam; discat miles, discat rusticus, discat omnis Christianus fidem succincte ab apostolis traditam : discat vivendi regulam suæ professioni, suæ qualitati a sanctis apostolis traditam.

Quondam cum homines baptizabantur adulti, nullatenus ad baptismum præter mortis articulum admittebantur, nisi prius de oratione Dominica et fide apostolica diligenter catechizati, hoc est instructi fuissent. Unde etiam dicebantur catechumeni, qui adhuc baptismo carentes, de fide catholica erant instructi. Ne quis vero a fide apostolica vel oratione Dominica minus instructus, ad baptisma se furtim ingereret, ac fidem necdum memoriter sciens fidei sacramenta indigne acciperet, scrutinium de singulis habebatur : in quo diligenter a sacerdote perquirebatur, quid unusquisque corde crederet ad justitiam, et ore confiteretur ad salutem. Ideo secundum antiquas regulas in Pascha baptizandi per totam Quadragesimam in discendo fidem et orationem Dominicam usque ad diem scrutinii diligenter exercebantur. In quo scrutinio, qui hoc verbum super terram abbreviatum minus caute, minus erudite, ac non satis memoriter assecutus esse inventus est, baptismus illius usque in Pentecosten differebatur : ut tunc fidei sacramentum perciperet, cum fidei et orationis Dominicæ notitiam consecutus, quid, quomodo credendum, quid, quomodo petendum esset, non ignoraret. Si quis vero pro mortis periculo ante plenam hujus abbreviati verbi notitiam baptizabatur, post baptismum, si mortem evasit, ex præcepto canonum ad hoc stringebatur, ut, quod ante baptismum didicisse debuit, post baptismum disceret, ne fidem suam ignorans, frustra sacramentum fidei portaret. Qui autem statutis Patrum in diebus illis noluit obedire, primo et secundo commonitum ac de sua inobedientia regulariter publicatum quilibet Catholicus habebat quasi ethnicum et publicanum.

Nonne secundum hanc formam possent ac deberent omnes Christiani post infantiæ imbecillitatem compelli et commoneri ad discendam et intelligendam fidem apostolicam et orationem Dominicam, ad recolendam et servandam mundi abrenuntiationem semel in baptismo factam, sæpius post baptisma repetitam ? Si hoc fieret, si disciplina ecclesiastica vigeret, tunc unusquisque secundum fidei suæ pactum et regulam in aliquo aut ecclesiastici, aut sæcularis, sed tamen Christiani ordinis procinctu legitime militaret : aut a legitimo cursu exorbitans A legitimis pœnitentiæ regulis caput submitteret; aut hoc facere nolens ab Ecclesia extorris maneret, donec obediens factus consolatione et reconciliatione dignus fieret.

CAPUT XLIV.

Quanta humilitas in pœnitentibus, præsertim clericis requiratur.

Sic per antiquæ pœnitentiæ legem, quasi per portam veterem, introductus, et in turri furnorum quasi aurum excoctus, caveret ulterius exire, caveret vitæ puritatem stanno ac scoria iniquitatis denuo corrumpere; si tamen per portam veterem introductus perveniret usque ad *portam vallis*, turri furnorum recte coaptatæ atque continuatæ, quia nil valet pœnitentialis castigatio sine continua cor- B dis et corporis humilitate.

Quæ est enim *porta vallis* in civitate Jerusalem, magistrante Jesu sacerdote magno ædificata (*II Esdr.* II, 15), nisi humilitas vera per Jesum Christum vere magnum sacerdotem et regem miro artificio fabricata ? in cujus altiori et digniori parte semetipsum, quasi nobile margaritum, imposuit, qui semetipsum exinanivit, atque humiliatus Patri usque ad mortem obedivit.

Per hanc portam non solum pœnitentes, verum etiam innocentes oportet introire, configuratos Christi humilitati, si nolunt a gloria ipsius excludi. Sic enim, sic *oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam* (*Luc.* XXIV, 26), ut nobis humilitatem C suam poneret, velut quamdam januam, per quam intraremus in gloriam suam; cur vel innocens vel pœnitens alium introitum quærit præter illum quem ostiarius intrare volentibus gratis aperit? Ille semetipsum exinanivit, formam servi accipiens; tu pœnitens cum sis, temetipsum extollis, formam militis, vel, quod pejus est, formam sacerdotis contra interdictum recipere gestiens? ille seipsum humiliavit Patri obediens usque ad mortem; tu gravaris humiliatus, hoc est officio vel gradu privatus, permanere usque ad mortem?

Videmus enim quia, necdum anno in pœnitentia expleto, ille sacerdotium præsumit per ambitionem; ille militare cingulum resumit per præsumptionem; cum uterque deberet, non usque ad D annum, sed usque ad mortem post pœnitentiam sine officio humiliari, nisi pro magna compensatione ac necessitate compelleretur, vel ille sacris officiis, vel ille militaribus castris denuo inservire. Sic enim non ipse formam dominantis acciperet, quia non hanc ut acceptabilem et sibi delectabilem appeteret; sed formam servi, formam degradati, formam inhonorati usque ad mortem servaret, quamvis formam Domini, formam prælati, formam honorati per obedientiam Ecclesiæ præcipientis forinsecus gestaret. Sic legimus aliquos, non solum presbyteros, sed etiam episcopos, per pœnitentiam et post pœnitentiam non publice, sed in ergastulis claustrorum peractam, restitutos : non hoc temere

ambientes, sed præcepto majorum cedentes (159). A

Qui autem publice aliquando sub conspectu Ecclesiæ pœnitentiam fecerunt, vel pro suo lapsu a clero semoti, sub manum et jugum ablatis missi sunt, his omnem in dignitate consequenda sacri canones restaurationem auferunt, non desperatione indulgentiæ, sed rigore disciplinæ : quatenus pœnitentiæ medicina tanto esset utilior, quanto humilior; tanto autem humilior, quanto ad amissos ordines regressus difficilior.

Fecerunt sancti Patres hunc regressum alicubi difficilem, alicubi penitus impossibilem. Nam post publice actam de crimine damnabili pœnitentiam nemo debet in clericatu sacrorum ordinum fungi ministerio, quamvis possit interesse psallentium choro. Illi vero, qui non ita sunt rebelles, ut pro B sui humilitate mitius tractentur, et non publice coram populo, sed in claustris clericorum pœnitentiali aliquo includantur ergastulo, nec in diebus pœnitentiæ suæ admittantur in choro psallentium, poterunt, si in humilitate sua permanserint, non solum ad chorum, sed etiam ad ordines amissos revocari; si tamen in humilitatis virtute perfecte probabuntur consolidati.

Ipsa enim humilitatis virtus in Dei ædificio potest intelligi per portam vallis, juxta quam erat *porta sterquilinii* (*II Esdr.* III, 13) : cui in proximo loco juncta fuisse legitur *porta fontis* (*II Esdr.* II, 14). Quia, dum peccator humiliatus, quasi sterquilinium, immundus apud semetipsum reputabitur, ipse C apud Deum porta fontis efficitur; dum fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Talem forinsecus exhibebit semetipsum, ut de illius exemplo justus quasi de fonte reficiatur; infirmus vero et pronus ad peccandum, atque in pravo desiderio maculatus, illius consideratione abluatur.

Si enim pœnitentiæ leges pro debito servarentur, multi per hoc a sceleribus frenati salvarentur. Primum esset enim, ut unusquisque post baptisma viveret sub legibus innocentiæ. Secundum vero, ut, si ab his deviaret, constringeretur sub legibus et regulis pœnitentiæ. Tertium, ut, si nec his vellet subjacere, privaretur ecclesiastica societate. Quartum, ut, si hoc aliqua conservandæ pacis (ratio) pro cavenda strage multitudinis impediret, portaretur D non cum taciturnitate, sed cum discreta reclamatione. Quintum, ut, si hac sacerdotum reclamatione multitudo non corrigeretur, sententia in erroris capitaneos et scelerum auctores judicialiter daretur : quatenus ita parceretur multitudini, ut tamen obviaretur errori.

In qua tamen sententia magna discretio adhibenda est. Nam quando error aut nullos habet defensores, aut non tales, per quos schisma possit contingere, separationis consilia debent, ne ut cancer serpat, celerius morbo obviare. Quando autem tales habet defensores, per quos non dubitatur schisma excitari; si contingat eos ab Ecclesia separari, tunc utique ut beatus Augustinus dicit, consilia separationis et inania sunt et perniciosa et sacrilega, quia impia ac superba fiunt, ac plus perturbant infirmos bonos, quam corrigant animosos malos.

CAPUT XLV.

Quod sit servandum discrimen in corrigendis clericorum delictis, maxime ubi magna delinquentium multitudo est. Quomodo et per quos, ac unde dispensanda sit eleemosyna ecclesiastica ?

Quid ergo? nunquid propterea tacendum est episcopo? nunquid propterea cessandum est illi a clamore, cui dictum est, *Clama; ne cesses?* (*Isa.* LVIII, 1.) Absit! Quando enim pro strage multitudinis vitanda omnimoda separatio fieri non potest, sunt juxta leges Patrum alia multa coercitionum genera, quæ velut quædam medicinales potiones non vomitum provocent; non ea, quæ morbida sunt, omnino separent; sed cum quodam viscerum dolore intus curent. Juxta hunc modum possunt clerici salubriter ac medicinaliter intus torqueri; si (cum excommunicari eos non oportet propter multitudinem, nec tamen tolerari propter irregularem conversationem et manifestatam turpitudinem) salva laicali communione ab officio suspendantur : et subjectæ plebes ab eorum audientia et obedientia publico interdicto prohibeantur; maxime si tales sunt clerici, quales damnant vel officio privant Patres antiqui; sicut in synodo Chalcedonensi privant officio cunctos absolute ordinatos; sicut multi sanctorum damnant Simoniacos et Nicolaitas. Vicarios autem sive mercenarios et omnes qui incubant aliquam Ecclesiam, quam non electione sed laica datione adepti, quia, ut beatus Ambrosius affirmat, non sunt viri legitimi sed adulteri; quis episcoporum non arceat a thalamo Ecclesiæ, si cum Apostolo suos commissos æmulatur Dei æmulatione?

Isti omnes possent ab erroribus una et secunda commonitione revocari, et per singulas baptismales ecclesias ad vitam regularem et apostolicam invitari, ut populus instructus fide apostolica regeretur in toto episcopatu per vitam apostolicam, cavens ubique sectam apostaticam. Hujusmodi enim Christo Domino non serviunt, sed suo ventri · et per dulces sermones seducunt cæteros.

(159) Gregorius Petro subdiacono legato : « De lapsis sacerdotibus vel quolibet ex clero observare te volumus, ut in rebus eorum nulla contaminatione miscearis; sed pauperrima regularia monasteria require, quæ secundum Deum vivere sciant, et in eisdem monasteriis ad pœnitentiam, lapsos trude. »

Leo papa ad Rusticum Narbonensem cap. 16 : « Alienum est a consuetudine ecclesiastica, ut qui in presbyterali honore aut diaconii gradu fuerint consecrati, hi pro crimine aliquo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi. Quod sine dubio ex apostolica traditione descendit, secundum quod scriptum est : *Sacerdos si peccaverit, quis orabit pro illo?* (*I Reg.* II, 25.) Unde hujusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei privata est expetenda secessio : ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa. »

Qui ergo vel absolute ordinati vel acephali sanæ admonitioni nollent acquiescere, etsi excommunicare tot et tantos videretur difficile ac minus utile, possent quadam coercitione, velut salubri potione, curari; si tantummodo gratia Dei cooperante ad hoc invigilarent episcopi.

Tunc per singulas baptismales Ecclesias ædificaretur porta fontium, quia pro facultate decimarum fierent receptacula pauperum, et maxime viduarum de quarta portione decimationis pascendarum. Hæc receptacula quondam xenodochia dicebantur, quibus dispensandis diaconi et archidiaconi præficiebantur, per singulos annos episcopis de sua dispensatione rationem reddituri. Inde est quod beatus Gregorius in suis decretis proprie ad presbyteros prædicationem, ad diaconos vero eleemosynarum distributionem pertinere significat; juxta formam scilicet quam in Actibus apostolorum servatam constat, ubi Petrus cum reliquis apostolis verbo et orationi vacavit; Stephanus cum reliquis diaconis in viduarum ac pauperum procuratione ministravit.

Hinc est quod in sacris canonibus præcipitur, ut unaquæque baptismalis ecclesia nunquam ita sit clericis destituta: quin ad minus presbyterum habeat et diaconum, videlicet propter prædicationis et dispensationis geminum officium. Quia, sicut prædicatio publica non permittitur his qui sunt infra presbyteratum, ita ecclesiasticarum rerum distributio nunquam recte permittitur his qui sunt infra diaconatum. Ideoque soli diaconi aut presbyteri curam debent habere viduarum gratis ab Ecclesia sub communis vitæ regula de quarta parte decimarum sic pascendarum; ut, quod viduis ob solam paupertatem et bonum testimonium juxta Pauli doctrinam eligendis poterit superesse, pupillis et cæteris necessitatem patientibus, et ab Ecclesia, tanquam a matre, opem poscentibus fideliter sub testimonio Christi et Ecclesiæ conferatur: quatenus unusquisque pauper apud suam matrem portam fontis inveniat; ubi de munda eleemosyna suum defectum reficiat, quando illum porta sterquilinii non impinguat.

Hoc enim distat inter eleemosynatores adhuc propria retinentes, et magna ex parte mundo servientes; atque illos dispensatores facultatis ecclesiasticæ, quos nihil suum habentes, nulla sua quærentes, providet episcopus in singulis baptismalibus Ecclesiis: ut, sicut munda est aqua fontis in comparatione stercoris, sic munda sit eleemosyna Ecclesiæ gratis accipientis, gratis dantis, in illius eleemosynæ comparatione, quam sæculares faciunt de lucris iniqui mammonæ.

Ideo sancti et electi duces Israel a Babylonia reversi, non sunt contenti reædificare portam sterquilinii; sed huic addiderunt portam fontis. Eleemosyna enim de mammona iniquitatis, velut quædam pinguedo stercoris, curat divitum sterilitatem, adjuvando pauperum ariditatem; et in spiritali Jerusalem portam sterquilinii repræsentat, qui per hanc dives ac publicanus cum Zachæo divite ac publicano, quasi camelus per foramen acus, transit in sanctam sanctorum civitatem; si tamen ita sua tribuat, ut aliena reddat.

Aliena non sunt danda, sed reddenda. Quæ si non possunt reddi in quadruplum, reddantur saltem usque ad simplum. Quandiu enim scienter quis usurpat alienum, id ipsum, quod vel de suo labore, vel ex parentum successione, quasi juste videtur habere, sibi est alienum. Scriptum est enim: *Si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit nobis?* (*Luc.* XVI, 12.)

Non ergo aliquid juste possidet raptor et alienorum retentor, quia, etsi nobilis dicatur, nec se ipsum possidet, cum sit servus tot dominorum quot vitiorum. Qui si uni Domino serviret, præcepta illius ante omnia servando, etiamsi servus diceretur, liber esset. Nunc autem cum servis malignorum spirituum multiplici dominio communis, omnino est immundus. In lege enim omne immundum commune dicitur, quia quidquid uni domino non servit, multis malignorum spirituum dominationibus subactum, sic a munditiæ auctore alienatum per multos dominos vexatur: ut recte sub eadem significatione immundum et commune dicatur.

Sed, quia vox cœlestis Petro præcepit ne *communia vel immunda* dicat (*Act.* X, 28), quæ Deus ad suam servitutem vocando, et a multorum communium dominio liberando purificat et mundat; non est contemnenda porta sterquilinii, quia in ea fiunt pauperes amici divitum de mammona iniquitatis, ut recipiant eos in æterna tabernacula; si tamen divites donando sua, non retinent aliena. Ipsa enim propria legitime acquisita dicuntur mammona iniquitatis, quia vix possidentur sine contagio iniquitatis. Aliena vero non dicuntur mammona iniquitatis, sed omnino scelus iniquitatis. Unde, cum sacra Scriptura quasi causam redderet quare impiorum eleemosynæ Deo non placerent, idcirco eas dixit Deo non placere, quia offeruntur ex scelere, maxime si offerens est adhuc in ipsius sceleris approbatione seu defensione (160).

Si enim offerrentur de mammona iniquitatis, id est ex propriis legitime possessis, non propterea

(160) Gregorius Syagrio Augustudunensi: « Omnino ergo metuenda et cavenda est hostis astutia, ne, quos aperta nequit tentatione subvertere, latente telo sævius valeat trucidare. Neque enim eleemosyna reputanda est, si pauperibus dispensetur quod ex illicitis rebus accipitur, quia qui hac intentione male accipit, ut quasi bene dispenset, gravatur potius quam juvatur. Eleemosyna illa redemptoris nostri, illa placet, quæ non de illicitis et iniquitate congeritur; sed de rebus concessis et bene acquisitis impenditur. Unde etiam illud certum est quia, etsi monasteria aut xenodochia vel quid aliud construatur, mercedi non proficit, quoniam plura male ordinando destruit, quam ille po-

repellerentur, quod ab impio pietatem tamen quærente offerrentur; sed ipsum largitorem traherent ad pietatem: sicut et impius et gentilis centurio per suas eleemosynas tractus est ad Christianitatem. Ideo in figura illius ac illi similium de mammona iniquitatis discedere offerentium dictum est Petro: *Macta et manduca;* et iterum: *Quod Deus mundavit, tu commune ne dixeris* (*Act.* x, 13, 14), quia talium eleemosyna non est a sanctis respuenda; talium anima non est immunda vel communis dicenda; sed a Petro, id est quolibet sancto in Christo solidato, in corpus Ecclesiæ trajicienda. Hoc enim agitur, dum et eorum eleemosyna in cœlis accepta prædicatur; et salubri doctrina, velut quadam baptismatis aqua, mens eorum baptizata Christum induit, ut, quamvis homo ille, qui sic facit eleemosynam, cum centurione Cornelio per actiones mundi aliquantulum distendatur, tamen veraciter a Christo Christianus dicatur. Hic etenim ingreditur cœlestem Jerusalem per portam sterquilinii, faciendo sibi amicos de mammonâ iniquitatis.

Qui autem alienum retinentes de scelere offerunt, Deum irritantes et proximum lædentes per portas inferi ad mortem currunt; portam vero sterquilinii, qua in civitatem sanctam ingrediantur, non inveniunt, nisi alienum, prout possunt, restituendo studeant prius reconciliari fratri suo; et tunc se et sua munus acceptabile faciant Domino ac Deo suo, jam non ultra communes aut immundi appellandi. Quia non multorum dominorum jugo gravi et insuavi prementur, sed unius Domini onus leve et jugum suave portantes, erunt sancti et mundi, nec a Petro, id est quolibet Catholico, propter actus præteritos abominandi, quia quæ Deus mundavit, nemo debet communia vel immunda dicere; quin imo, cum etiam studiose adhuc peccant, pro talibus mundandis exorare. Potens est enim Deus etiam reptilia et bestias in linteo vase comprehensas Petro mactandas et manducandas offerre; ac de immunditia sua purgatas in cœlum levare, non offerentes de acquisitione sceleris, sed de mammona iniquitatis, ut, cum defecerint, recipiantur in æterna tabernacula per portam sterquilinii introducti; hoc est, redditis alienis, largitis propriis mundati; ac sanctæ sanctorum societati penitus incorporati.

CAPUT XLVI.

Quarta pars decimarum viduis et pauperibus distribuenda est, non militibus, quorum utique apud divinum tribunal tantæ non erit efficaciæ suffragium, quantæ illorum.

A Sit ergo procul a sancto ædificio nostro porta inferi, porta mortis, quæ ab injuste offerentibus fabricatur de *acquisitione sceleris.* Collocetur vero inter sæculares eleemosynatores *porta sterquilinii* (*II Esdr.* III, 13) per exemplum Zachæi ac sæpe dicti centurionis. Porro fontis porta reædificetur per regularia canonicorum claustra, in quibus nulla est quartatio facienda; sed omnia, prout cuique opus erit, apostolorum exemplo distribuenda, et quæ superfuerint, juxta mandatum evangelicum pauperibus tribuenda. Porro ubi communis vita non servatur, serventur saltem synodalia Patrum statuta; ut, sicut in unaquaque baptismali Ecclesia fons B baptismi purificat credentes per invisibilem gratiam, quasi per aquam mundam: sic decimarum portio quarta more fontis jugem ac mundam refectionem præbens consoletur indigentes per quamdam visibilem gratiam, gratius utique viduis ac cæteris indigentibus exhibendam.

Hæc eleemosyna est aqua fontis mundissima, quia non de mammona iniquitatis, sed de gratia æquitatis porrigitur. Ad hanc eleemosynam vidua bonum testimonium habens, quæ vere vidua et desolata est, ultro est quærenda, et juxta doctrinam Pauli eligenda, quia hæc eleemosyna nulli est vendenda, nulli spoliatis viduis et indigentibus exhibenda.

C Patres enim antiqui, patris orphanorum et judicis viduarum familiares amici, atque ideo circa viduas et orphanos valde solliciti, non ita de portione pauperum milites ditaverunt, sicut faciunt moderni quidam episcopi. Ideo illi de hac vita recedentes tranquillitatem et requiem apud eumdem Patrem invenerunt, cujus filiis in hac portione fraudem nullam fecerunt. Isti autem neque hic pacem inter milites bona Ecclesiæ possidentes habent, neque apud patrem orphanorum et judicem viduarum gratiam per militarem manum invenient. A militibus enim nunc affliguntur; in extremo autem examine pro viduarum ac orphanorum desolatione omnes pariter *turbabuntur:* qui dando, præstando, accipiendo portionem pauperum, convincuntur spo- D liatores eorum. Turbabuntur, inquam; sed quæramus, unde turbentur? utique *a facie ejus.* Cujus ejus? *Patris orphanorum et judicis viduarum* (*Psal.* LXVII, 6). Tunc neque miles poterit episcopum gladio defendere, neque episcopus militem excusare, quærente isto judice viduarum cur vel ille potest ædificare, qui ab eo pecuniæ ordinationem accepit. Ne ergo sub obtentu eleemosynæ cum peccato studeamus aliquid accipere, aperte sacra Scriptura nos prohibet, dicens: *Hostiæ impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex scelere* (*Prov.* XXI, 27). Quidquid enim in Dei sacrificio ex scelere offertur, omnipotentis Dei iracundiam non placat, sed irritat. »

In his verbis beati Gregorii diligenter notent monachi et cæteri religiosi canonici, quod periculose in talium dominorum claustris morantur, aut aliquorum hominum eleemosynis pascuntur, quos sciunt sacrilegos ecclesiasticarum rerum possessores, et hujus consuetudinis pertinaces defensores.

Ex concilio Laodicensi cap. 33: « Quod non oporteat ab hæreticis eulogias accipere, quæ sunt maledictiones potius quam benedictiones. »

stiterit, vel iste acceperit bona pauperum et viduarum? Gregorius, Martinus, Ambrosius, Augustinus non timebunt illud judicium Patris orphanorum et judicis viduarum, quia gratiam habebunt pauperum et viduarum. Nec invenientur ibi fraudem fecisse de pauperum portione, quam pro militibus non diminuerunt; sed usque adeo etiam de his, quæ angustæ necessitati eorum superesse poterant, augere studuerunt, ut propter aliorum paupertatem necessariam ipsi paterentur paupertatem voluntariam. Ideo non *turbabuntur a facie Patris orphanorum et judicis viduarum;* sed cum eo exercebunt judicium contra oppressores eorum (161).

Tunc in tanto angelorum et sanctorum senatu testimoniales tabulæ de Christi hæreditate a Patribus conscriptæ proferentur: in quibus omnes, qui facultates ecclesiasticas inordinate tractant, convincentur. Si enim hominis testamento nemo aliud superordinans evadit judicium, cum ab eo, cui testator favet, apud judicem fuerit proclamatum; quomodo evadent judicium præsente senatu sanctorum, quorum decretalia constituta violaverunt; dum his neglectis, quæ de Christi hæreditate conscripta sunt, novas usurpationes aut introduxerunt, aut introductas non emendaverunt?

Paucos enim videmus, qui de redditibus Ecclesiarum communem vitam in baptismalibus Ecclesiis foveant, aut exinde quatuor partes in singulis annis faciant, atque illas juxta statuta canonum distribuant. Quasdam villas episcopus possidet, quasdam miles; parum habet clericus, nihil accipit vidua et Lazarus. Nusquam porta fontis invenitur, ubi esuriens et sitiens Lazarus reficiatur, quia pauperum ptochia, in quibus quarta ecclesiasticorum redditutuum portio per singulas Ecclesias deberet inferri, nec in ipsa episcopali sede inveniuntur. Porta sterquilinii omnino destructa est; quia eleemosyna eorum, qui res pauperum illicite ad aliud intorquent, non stercus appellatur, per quod ager vitæ ipsorum fecundus reddatur; sed omnino, quidquid offertur, ex scelere offertur; quandiu ab illis pauperum portio in debitos usus non restituitur; et quandiu hæc ipsa iniquitas ab eis amatur, defenditur ac approbatur.

Sancta enim Ecclesia (quæ clericos paucos habet, quibus in vita communi communia sunt omnia; multos vero sustinet clericos vix quarta decimarum portione dignos) exspectans adhuc sibi tales Leviticæ stirpis clericos per Dei gratiam suscitandos, quibus communia sint omnia, interim non vult contenta esse Scribarum et Pharisæorum justitia: ideoque de his, quæ gratis accipit, non decimam sed quartam portionem pauperibus distinguit. Quia et parvus adhuc est numerus cum Petro nihil habere volentium; et magnus est numerus cum Lazaro ante januas divitum jacentium et indigentium. Ideoque non debet magnum videri, si quarta portio de cunctis Ecclesiæ redditibus conferatur in ptochia episcopo de sua portione quarta procurante, per quos voluerit, xenodochia, id est hospitum receptacula. Antiquitus enim ptochia dicebantur illæ domus per Ecclesias singulas constitutæ, quibus portio pauperum inferebatur.

De qua in concilio Aquileiensi sic legitur: « Hoc statuimus ut presbyteri habeant juxta suam Ecclesiam, aut infra suam cellam, locum constitutum, ubi quarta, quam pauperibus dari diximus, inferatur. » Hæc domus, ut notatum est, quondam dicebatur ptochium, et erat in ea receptaculum viduarum desolatarum communiter viventium, quibus quidquid superesse potuit, pupillis cæterisque indigentibus, vel ibi consolationem rogantibus, vel domi, si infirmi aut verecundi pauperes erant, eam exspectantibus fideliter per diaconos eorumque subministros impendebatur (162).

O beati qui tales fontium portas ædificaverunt; et o miseri, qui eas destruxerunt! In illis enim domibus, quas nos in ædificio Ecclesiæ portæ fontium assignavimus, fuit unicuique baptismali Ecclesiæ fons patens, et mundam refectionem præbens; fons unicus, de quo non communicabat alienus. Quia in ptochiis cujusque Ecclesiæ colligebantur emeritæ viduæ, in illa Ecclesia sub testimonio electæ quarum necessitati quidquid superfuit, consolationi aliorum pauperum illius Ecclesiæ filiorum accessit: ut apud matrem in Christo divitem filiorum mundo pauperes invenirent, non solum spiritales, sed et corporales consolationes.

Domesticis enim fidei ptochia fabricabantur, in quibus juxta modum præscriptum quarta portio sic dispensari debuit, ut dispensator illius ab Ecclesia et in Ecclesia sua famam de bona dispensatione habens, odor bonus existeret, cum Stephano viduarum ac pauperum ministro coronandus; aut certe vel de surreptione vel de aliqua turpitudine infamatus, Judæ furis et Nicolai fornicatoris contumelia notandus et a ministerio reprobandus. Ideo super tali dispensatione testimonium Ecclesiæ necessarium est, cum pauperibus filiis et filiabus ea portio sub omni conscientia conferenda est.

(161) Vita S. Gregorii libro secundo cap. 55: « Qualiter sane Gregorius per procuratores ecclesiasticorum patrimoniorum, velut Argus quidam luminosissimus, per totius mundi latitudinem suæ pastoralis sollicitudinis oculos circumtulerit; non ab re forsitan duxerim perstringendum. Ait enim in epistola Anthemio subdiacono: « Discedenti tibi « mandavimus, et postmodum præceptis discurrenti- « bus injunxisse me memini, ut curam pauperum « gereres; et si quos illic egere cognosceres, scriptis « recurrentibus indicares: et vix de paucis hæc fa- « cere curasti. »

(162) Vita S. Gregorii lib. II, cap. 27: « Quotidianis quibusque diebus per omnium regionum vicos et compita infirmis, sive qualibet corporis parte debilibus certa stipendia per constitutos veredarios emittebat. Verecundioribus vero, antequam ipse cibum caperet, a mensa sua benedictionis apostolicæ ostiatim dirigere curabat scutellam: ita ut neminem prorsus exciperet misericordissimi benevolentia provisoris, quem ad fidem traxerat omnipotentis cognitio Creatoris. »

Hinc Gelasius papa in suis decretis, « ipsam, » inquit, « conscriptam pauperibus portionem, quamvis divinis rationibus se dispensasse monstraturus esse videatur : tamen, juxta quod scriptum est, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est, oportet etiam præsenti testificatione prædicari, et bonæ famæ præconiis non taceri. » Idem Justino archidiacono et Fausto : « Quatuor, » inquit, « portiones fiant de oblatione atque prædiorum pensione; ita ut unam sibi tollat antistes; aliam clericis pro suo judicio et electione dispertiat; tertiam pauperibus sub omni conscientia faciat erogari. » Nonne iste sapiens architectus ædificavit portam fontis? De hac legitur in libro Esdræ : *Et portam fontis ædificavit Sellum. Ipse ædificavit eam, et texit, et statuit valvas ejus, et seras, et vectes* (*II Esdr.* III, 12, 13).

CAPUT XLVII.

Ostenditur auctoritate conciliorum quartam decimarum partem pauperibus elargiendam esse.

Qui sunt isti *vectes*, nisi fortissimæ auctoritates, quibus hæc porta sic munitur, ut se, et non illam destruat, quisquis testamento supra hanc portam conscripto aliud superordinat? Voluerunt quondam Patres in Toletano quodam concilio, testamento decimarum aliud superordinare, statuentes inde non *quartas* fieri, sed *ternas portiones*, duas clericis, tertiam destinantes episcopis. Sed, quia de pauperum causa non caute agentes, portam fontis tot seris et vectibus munitam destruere videbantur; non illam, sed illius destructores destrui posse per hoc probatum est : quod illud capitulum posterioribus et potioribus conciliis cassatum et damnatum est.

Patres enim in Agrippinensi concilio, capitulum Toletanum tolerare nolentes, ita dicunt : « Decima, quæ a fidelibus datur, Dei census nuncupanda est, et ideo ex integro reddenda : cujus tertia pars secundum canonem Toletanum episcoporum debet esse. Nos vero hac potestate uti nolumus; sed tantum singulis annis quartam partem, usu Romanorum pontificum et observantia sanctæ Romanæ Ecclesiæ, de eadem habere volumus. Quod si quis contentiosus fuerit inde repertus, sive clericus sive laicus, ille communione privabitur, et synodali censura judicabitur. »

En quomodo cassatum et damnatum est, quod antiquo decimarum testamento non recte superordinatum est. Romanæ siquidem auctoritates, velut quidam ferrei et infringibiles vectes, muniunt hoc testamentum de porta fontium : et quartam portionem sub omni conscientia dispensari præcipientes, non permittunt de decimis fieri tres tertias; sed præcipiunt secundum statuta canonum tam de prædiorum ecclesiasticorum pensione, quam de ipsa decimatione quatuor quartas fieri.

Harum una, quæ contingit episcopum in baptismali Ecclesia, de reliquis partibus sequestrata transportari poterit, quo episcopus decernit, quia; A ut beatus Gregorius Augustino Anglorum episcopo scribens testatur, « de hac portione debitor est episcopus providere peregrinorum et hospitum susceptionibus. » De hac ergo si voluerit propter hospitalitatis officium diligentius exsequendum, sic scilicet in successoris arbitrio relinquat, utrum sic an commodius judicet faciendum. Si enim præstationem vel dationem suam voluerit manere perpetuam, successori suo præjudicium faciens, et testamentum de decimis conscriptum solvens; etiamsi novo aliquo privilegio dationem suam contendat munire, non poterit eo defuncto datio vel præstatio contra canones facta durare; si eam voluerit vel proximus, vel secundus, vel quotuslibet successor ejus mutare.

B Testamentum enim aliud de decimis nemo potest ponere præter id quod positum est. Quod usque adeo seris et vectibus munitum et confirmatum est, ut hoc neque per monachorum nova privilegia, neque per milites de decimis et ecclesiasticis prædiis non bene beneficiatos injustæ modernorum justitiæ possint expugnare. Et quia vel monachi vel milites putant sibi episcoporum semel factam in decimis dationem vel præstationem transiisse in legem perpetuo servandam, nec ab ullo successore violandam; videamus quid inde censeant, non solum Ecclesiæ, sed etiam sæculi leges, quia pugna hæc non solum agitur contra ecclesiasticas quasdam personas, sed etiam contra sæculares decimarum legale C testamentum solvere molientes. Videamus, inquam, utrum possit stare, quod contra canones vel novo privilegio firmari, vel injusta militum justitia fulciri videtur.

CAPUT XLVIII.

Repugnat sacris canonibus, decimas Ecclesiarum ab episcopis perpetuo alienari.

Ex synodo papæ Hilarii cap. 4 : « Illud, quod quisque commisit episcopus illicite, aut a decessoribus invenit admissum, si proprium vult vitare periculum, damnabit. Nam in se, quidquid in alio non resecabit, inveniet. »

Gelasius Cresconio, Joanni et Messalæ episcopis, inter cætera : « Decessorum statuta sicut legitima et justa successorem custodire convenit, ita etiam D debet male facta corrigere. » Pelagius Armentario magistro militum, inter cætera : « Posteaquam Ecclesiæ jura documentorum quoque intercedentium fuerint auctoritate firma, nullatenus ab his discedendi liberam pontifex, vel si velit, permittatur habere licentiam. »

Adrianus Engelrammo : « Constitutiones contra sancta decreta Romanorum præsulum nullius sint momenti. »

Gregorius in Registro : « Imperiali constitutione aperte sancitum est, ut ea quæ contra leges fiunt non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint. »

Ex Romanis legibus : « Id tantum de sacra responsione substantiam mutuetur, quod legum auxi-

lia persequuntur. » Item : « Generale præceptum beneficio speciali anteferendum est. » Et iterum : « Contra jus rescripta non valeant, quocunque modo fuerint impetrata. Quod enim publica jura præscribunt, magis sequi judices debent. » Et infra : « Personalia rescripta, quæ cum jure concordant, valeant more veterum : et negotii, de quo loquitur nostra rescriptio, finis latæ sententiæ terminis censeatur. Speciale autem si quid legibus ac juri importat injuriam, obolitum exstirpetur. » Item : « Illa scripta uniuscujusque supplicantis desiderio concessa prævaleant, et effectui mancipentur; quæ cum juris et legum ratione concordant : ea vero, quæ subreptione vel falsis precibus forsitan impetrantur, nullum supplicantibus ferant remedium. »

Item in concilio præsidente papa Symmacho Romæ celebrato, cum fuisset præsentibus cunctis prava quædam constitutio recitata, Laurentius episcopus Mediolanensis Ecclesiæ dixit : « Ista scriptura nullum potuit obligare pontificem, maxime cum nec papa subscripserit, nec alicujus secundum canones metropolitani legatur assensus. » Petrus episcopus Ravennatis Ecclesiæ dixit : « Scripturam, quæ in nostra congregatione vulgata est, nullis viribus existere manifestum est, quia canonibus non convenit. » Eulalius episcopus Syracusanæ Ecclesiæ dixit : « Scripturam, quæ in sacerdotali recitata est, evidentissimis documentis invalidam : primo quod contra Patrum regulas facta videtur; deinde quod nullius præsulis apostolicæ sedis subscriptione firmata docetur. » Idem : « Cujuslibet provinciæ sacerdotes intra suos terminos concilio habito quidquid sine metropolitani sui auctoritate statuerint, irritum esse Patres sancti sanxerunt. Ergo, quod præsumptum cognoscitur, viribus carere non dubium est, nec posse inter ecclesiastica nullo modo statuta censeri. » Sancta synodus dixit : « Apud nos certum videtur hanc ipsam scripturam nullius esse momenti quam etiam provida beatitudinis vestræ sententia enervari conveniebat, et in irritum deduci, ne in exemplum remaneret præsumendi quibuslibet laicis, quamvis religiosis vel potentibus, in quacunque civitate quolibet modo aliquid decernere de ecclesiasticis facultatibus; quarum solis sacerdotibus indiscusse a Deo cura commissa docetur. » Symmachus papa dixit : « Opus est ut sollicitudinem nostram non solum ad præsentia, sed etiam ad secutura sæcula porrigamus. Ergo contra fas si quod conceptum fuerit documentum universis viribus, quamvis ab initio nullas habuerit .... Et liceat quibuscunque ecclesiasticis personis vocem contradictionis offerre, et ecclesiastica auctoritate fulciri. »

His decursis patet quoniam nec divinæ leges favent monachis partem episcopi perpetuo jure possidentibus; nec sæculi leges favent militibus beneficiario jure decimas et ecclesiastica prædia retinere, ac posteris suis relinquere volentibus; cum A aperta canonum ac sæcularium legum auctoritate cassetur quidquid a quolibet contra canones divinam et antiquam justitiam defendentes, vel novo scripto confirmatur, vel absque scripto per injustam modernarum consuetudinum justitiam injuste præsumitur.

Episcopus ergo si de sua portione aliquid dare vel præstare voluerit, datio vel præstatio illius, eo vivente, stabit, sive ad salutem sive ad damnationem ipsius; prout se habuerit dationis vel præstationis modus. In qua tamen datione vel præstatione, si periculum ante mortem agnoscet, ipse quoque divinis legibus fretus dissolvere poterit factum suum, cavens tam suum quam accipientis periculum. Est enim donanti et male accipienti du- B dum a Symmacho papa periculum per orbem divulgatum. « Quicunque, » inquit, « oblitus Dei, et decreti hujus immemor quidquam de jure titulorum vel Ecclesiæ perpetuo jure alienare tentaverit; donator, alienator ac venditor honoris sui amissione multetur. » Ecce qualis pœna datori et alienatori præscribitur, nisi, ut idem papa in sequentibus determinat, mos ille in datione servetur : qui secundum animarum considerationem proposito religionis convenire videtur. Audivimus pœnam donatoris incauti, audiamus qua pœna idem papa petitorem vel acceptorem incautum jubeat feriri. « Qui, » inquit, « petierit, aut acceperit, vel qui presbyterorum ac diaconorum, seu defensorum danti sub- C scripserit, quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur. »

Ut autem in datorem et acceptorem sic vindictam dictaret, quatenus tamen de ipsa vindicta exitum et evasionem monstraret : « Sit, » inquit, « alienatori, accipienti, subscribenti, quam præmisimus, vindicta, nisi forte et alienator sibi, dum repetit; et qui accepit, celeri restitutione prospexerit. Quod si minori animæ suæ cura quisquam remedium oblatum forte neglexerit, supra ea pœnarum genera, quæ superius tenentur ascripta, contra fas, si quod conceptum fuerit documentum, universis viribus, quamvis ab initio nullas habuerit . . . Sed etiam liceat quibuscunque ecclesiasticis personis vocem contradictionis offerre, et ecclesiastica aucto- D ritate fulciri : ita ut cum fructibus possit aliena reposcere. Nec aliquo se ante tribunal Christi obstaculo muniat, qui a religiosis animabus ad substantiam pauperum derelicta contra fas sine aliqua pietatis consideratione dispergit. »

CAPUT XLIX.

Hortatur Gerhohus episcopos male facta exemplo Petri a Paulo correpti emendare ac retractare.

Tantis ergo auctoritatibus in promptu positis, quis est episcoporum qui non libenter utatur oblato sibi remedio, quod male dedit vel præstitit, reposcendo? Quis est enim homo cui non possit accidere, ut per timorem vel per ignorantiam cum Petro peccet? Quod si acciderit, quid restat lapsis cum Petro, nisi ut resurgant cum Petro? Petrus enim

per ignorantiam non recte incedens ad Evangelii veritatem, quam cito errorem suum a condiscipulo increpatus agnovit, de correptione in faciem sibi facta lætus veritati acquievit; magnam præclarissimi exempli præbens imitationem; ut nemo quantumcunque altus verecundetur mutare suam sententiam; si modo, etiam ab inferiore illi fuerit revelatum, quod contra Evangelii vel canonum veritatem incedat.

Paulus enim apostolus, licet in labore cunctis apostolis præferatur, tamen, quia Ecclesiam persecutus et novissime vocatus est, ipse se *abortivum* nominat (*I Cor.* xv, 8, 9): et tamen princeps apostolorum usque adeo secundum veritatem Evangelii correptionem illius non recusavit; ut suum reprehensorem sibimet ipsi in sapientia præferens, eamdem laudaret epistolam, in qua suam simulationem vidit reprehensam.

Et ego itaque de Saulo duntaxat, nondum Paulo, agens, ac de magno persecutore, non de magno prædicatore similitudinem trahens, me abortivum et omnium Christianorum minimum nomino, quia et ego pro modulo meo, imo ultra modulum meum Ecclesiam Dei persecutus sum, non solum paternam substantiam in me ipso dissipando, ac porcos diu pascendo, sed et quod multum horreo, atque utinam satis horrerem, malam quamdam arborem anathematis falce succisam pro meo fastu et quæstu fulciendo. Quæ etiam si bonos fructus faceret, me tamen pro mea pessima intentione merces mala maneret, nisi quod Agnus ille, qui tollit peccata mundi, potens est et illam personam convertere, de qua loquor; et me sanare, qui culpam meam coram ipso cunctis hæc lecturis confiteor. Taceo autem tam illius quam meum nomen, prodens tantummodo iniquitatis confessionem; ut et pro peccatis venia oretur, et a me tam elationis quam invidiæ naufragium vitetur. Quia, cum ille, de quo loquor, inter episcopos licet male fructuosus adhuc a patrefamilias toleretur; mea vero persona opprobrium hominum et abjectio plebis convenienter et veraciter æstimetur, non careret fuco elationis manifestatio mei nominis, maxime cum in hoc opusculo ignorari velim personam et nomen scribentis, cognosci vero personam et nomen scribere

A me jubentis. Qui cum sit episcopus Ratisbonensis per Dei gratiam satis religiosus et charitate plenus, non est a nobis in invidiam vel odium sic trahendus, ut ab aliquo aliquatenus illi succenseatur; cur in ædificio suo jussu fabricato aliquis pseudoepiscopus ex nomine carpatur; cum hoc ædificium, quamvis a deformi pictore, tamen pulchrum pulcherrimo sit præsentandum; atque ideo nullius detestabilis personæ aperto nomine decolorandum, sed picturis delectabilibus per exempla memorabilium Patrum decenter ornandum.

Ergo ut ad propositum redeamus; cum Apostolus fuerit tanquam abortivus, ego autem sim veraciter abortivus et vilissimus omnium; tamen, prout Deus mihi revelaverit, ipso adjuvante proferam in
B medium in quo non recte ad veritatem Evangelii sive canonum ambulasse video episcopum, quatenus ille majoris tanto virtutis habeatur, quanto se minorem in talibus audire non dedignatur; sitque imitator Petri suam retractando et solvendo sententiam, etiamsi sciat eam juramento interposito contra salutem suam confirmatam. Nam, si Petrus negationem cum juramento factam non mutasset, ipse Petrus non permansisset Petrus, utpote a petra veritatis penitus excisus.

Ut ergo veritatis petra consuetudini prævaleat; ut abusio prava, quæ porta est inferi, adversus hanc petram non prævaleat, studeat episcopus has dationes vel præstationes a suis prædecessoribus, vel etiam a se male factas retractare. Habemus enim
C exempla magnorum virorum (163), qui sua statuta retractaverunt, dum semetipsos judicantes, a Domino judicari noluerunt. Siquidem secundus Bonifacius legitur ex decreto constituisse Vigilium diaconum sibi in pontificatu succedere. Quod, quia Romano clero visum est canonibus adversari, præsente clero ab eodem suppositum est igni ante confessionem beati Petri apostoli.

Beatus quoque Augustinus librum retractationum composuit in correptionem eorum, quæ prius incaute descripserat; et ut idem quisque sapiens faciat, his verbis commonefacit. Ait enim in proœmio ejusdem libri: « Neque quisquam, nisi impudens, ideo quia mea errata reprehendo, me
D reprehendere audebit; sed, etsi dicit non debuisse

(163) Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo decimo facta est in Lateranensi Ecclesia synodus præsidente Paschali papa II, indictione III, Nonas Martii. Ubi idem Paschalis suam sententiam damnans et retractans, ita dixisse legitur, et scriptum Romæ servatur: « Audite, fratres dilectissimi, confiteor Deo Patri omnipotenti et vobis, quod pœnitet illud privilegium, potius pravilegium, in tentoriis a nobis extortum, unquam alicui datum esse. Contra decreta antecessorum nostrorum consensimus; et in hac synodo, sicut in priori, illud et omnes, qui pro privilegio habere volunt, excommunicamus. Deo et vobis promittimus, donec ista misera anima in indigno corpore habitat, quod nunquam aliquid contra decreta Patrum nostrorum volumus consentiri, si placet majestati suæ. Ideo precor vos ut oretis pro me misero peccatore, ut istud scelus et omnia peccata mea dignetur mihi dimittere. » Statim dominus Bruno episcopus dixit: « Deum laudemus, et gratias sibi agamus, quod dominum nostrum et caput nostrum illam hæresim dedisse pœnitet. » Tunc Joannes rogitans iratus reclamavit: « Dicis nos hæresim dedisse? nullus amodo te debet audire. » Bruno dixit: « Probare volo hæresim esse. » Vulternensis episcopus dixit: « Tali animo fieri potest, quod est hæresis; sed fecit invitus et coactus. Non est hæresis dicenda. Si voluntarie fecisset, hæresis probari posset. »

In his notandum est quod contra canones episcoporum facta constitutio tunc in hæresim vertitur, si aut scienter perpetretur, aut post cognitam veritatem ab ipso constituente vel roborante non damnetur; ne, si eas non damnaverit, ipse damnetur

a me ea dici, quæ postea mihi etiam displicerent, verum dicit et mecum facit. Eorum quippe reprehensor est, quorum et ego sum. Sed, etsi, ut volet, quisque accipiat hoc quod facio, me tamen apostolicam sententiam etiam in hac re oportet intueri, quæ dicit : Si nosipsos judicaremus, a Domino non judicaremur. »

CAPUT L.

Doctrina de rebus Ecclesiæ non alienandis auctoritate sancti Leonis Magni confirmata.

Ut autem liquido appareat quas donationes, et præstationes, et quomodolibet factas in Ecclesiæ rebus alienationes corroborari; quas etiam reprobari conveniat : audiamus donationis, commutationis, venditionis regulam a Magno Leone papa cunctis episcopis generaliter præscriptam ; quamvis episcopis per Siciliam constitutis ab eo specialiter missam.

« Leo episcopus universis episcopis per Siciliam constitutis. Occasio specialium querelarum curam nobis providentiæ generalis indicit, ut, quod in duabus provinciæ nostræ Ecclesiis improbe gestum injusteque præsumptum est, id constitutione perpetua ab omni episcoporum usurpatione resecemus. Taurominitanis enim clericis Ecclesiæ deplorantibus nuditatem, eo quod omnia ejus prædia vendendo, donando, et diversis modis alienando episcopus dissipavit : etiam Panormitani clerici, quibus nuper est ordinatus antistes, similem querimoniam in sancta synodo, cui præsidebamus, de usurpationibus prioris episcopi detulerunt. Quamvis ergo jam ordinatum a nobis sit, quemadmodum utriusque Ecclesiæ utilitatibus consulatur ; ne hoc perniciosum nequissimæ deprædationis exemplum cuiquam posthac fiat imitabile : hanc præcepti nostri formam apud dilectionem vestram volumus esse perpetuam, qua sine exspectatione decernimus, ut, ne quis episcopus de Ecclesiæ suæ rebus audeat quidquam vel donare, vel commutare, vel vendere ; nisi forte ita aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat, et cum totius cleri tractatu atque consensu id eligat, quod non sit dubium Ecclesiæ profuturum. Nam presbyteri vel diaconi aut cujuscunque ordinis clerici, qui conventiam in Ecclesiæ damna instituerint, sciant se et ordine et communione privandos, quia plenum justitiæ est, fratres charissimi, ut non solum episcopi sed etiam totius cleri studio ecclesiastica utilitas intemerata servetur ; et eorum munera illibata permaneant, qui pro animarum suarum salute propriam substantiam Ecclesiis contulerunt. »

Ecce audivimus magnum Magni Leonis rugitum terribiliter exsecrantem, et congruis nominibus cauteriantem perniciosum nequissimæ deprædationis exemplum. Dicant hoc milites, prout placet, beneficium, quod pro suo fallaci hominio, et parvo atque interdum nullo interveniente pretio magnum accipiunt Ecclesiæ prædium. Certe illud beneficium contra præscriptam regulam datum et susceptum Spiritus sanctus per organum suum, sicut lectum est, loquens vocat illud nequissimæ deprædationis exemplum. O utinam singula istius decretalis epistolæ verba caute notarentur, et ab episcopis et clericis intelligenter et obedienter servata in usum verterentur ! utinam, sicut in ea constitutum est, cujuscunque ordinis clerici, qui conventiam in Ecclesiæ damna miscent, ordine atque communione privarentur ! utinam illi, quibus Ecclesiæ damna displicent, clericos Ecclesiæ suæ nuditatem deplorantes, de quibus ibi lectum est, imitarentur ! Certe si hæc fierent, quidquid contra istam sanctam constitutionem improbe gestum injusteque præsumptum est, aut finem, Deo triumphante, acciperet ; aut episcopis et clericis damnationem perpetuam non importaret : quando aut hic punirentur, aut sua reclamatione contra prædones Ecclesiæ pugnando, tuti coram Deo, laudabiles coram Ecclesia redderentur. Nam, si perseverarent continua reclamatione forsitan parum, forsitan multum prædones movente, cito daretur et ab his, qui ex diverso essent, bonum testimonium tam episcopis de malæ usurpationis pœnitentia, quam clericis de innocentia.

Non est autem victoria desperanda, ut testa hictatur cum petra ; nec omnino dubitare debemus quin adsit Dominus pro sua hæreditate certantibus : ut aut communis vita per matrices Ecclesias restituatur secundum apostolica instituta ; aut, si hoc fieri non potest, serventur saltem synodalia præcepta : ita scilicet, ut non solum quarta clericorum, quarta fabricarum ecclesiasticarum, quarta pauperum in antiquos ac debitos usus restituantur ; sed etiam ipsa quarta episcopi a monachis, et maxime a militibus requisita ab eo, sicut illi constitutum est, expendatur ; nisi forte secundum canones collaudantibus et subscribentibus clericis quinquagesima portio de aliqua ecclesiastica possessione monachis tradita doceatur.

Hujus enim subsidium permittunt sancti Patres fieri ab episcopo ad sublevandum et consolandum aliquod monasterium de rebus facultatum ecclesiasticarum, ut quinquagesima portio de aliquorum prædiorum pensionibus, seu villarum decimationibus monachis deputetur. Cujus quinquagesimæ portionis traditio solemniter et legitime collaudantibus clericis facta, manet insolubilis, quia permissa est in Patrum constitutis. Si autem de hac ipsa quinquagesima non est facta solemnis et canonica traditio, licet episcopo nec vivum nec scriptum testimonium super hoc invenienti ut matricibus Ecclesiis justitias suas restituat, ne de rebus ecclesiasticis facta usurpatio Deo faciat odibiles, partem peregrini ab episcopo subsidium poscentis, partem clerici Deo militantis, partem pauperis consolationem in sua Ecclesia non invenientis, partem Ecclesiæ fabricarum restauratione indigentis pervasione quadam possidentes.

CAPUT LI.

Occurritur objectionibus monachorum qui quartam decimarum partem sibi vindicant, cum nolint au-

marum in se curam suscipere. Idem est de quibusdam canonicis.

Hic obiiciunt monachi : Si, inquiunt, ab episcopo sua quarta de toto episcopatu collecta in peregrinorum et hospitum susceptione, non in militum, scutariorum, joculatorum, histrionum donis et epulationibus consumeretur; si episcopo illi sanctus episcopus, quem beatus Gregorius in suo dialogo commendat, eo quod joculatori non detrahenti, non aurium pruritum inani fabulatione moventi, sed cum simia et tympano simpliciter et innocenter ludenti, ad suum prandium non permisit accessum : quin potius propter hoc nuntiavit illum citissime moriturum, quod episcopo divinis intento stans ad januam joculator ingessit ludicrum sonum; si episcopi contenti religiosis cubiculariis (164), remotis a se militum turmis et militaribus ministris, ita viverent, ut juxta consilium beati Hieronymi mensam eorum pauperes et peregrini, et cum illis Christus conviva, nossent; si episcopi de his, quæ suæ domesticæ et strictæ necessitati superesse possent, xenodochia, id est hospitales domos, procurarent; si, inquiunt, se sic agendo episcopi quartam suam recte dispensarent, periculose ad eam retinendam nos monachi contenderemus, quia mundanis oblationibus, et victu de opere manuum quæsito contenti esse debemus. Nunc autem, ut de cæteris portionibus interim taceamus, cur a nobis quarta episcopi reposcitur; ut inde aut miles pascatur, aut equus incrassetur, aut joculator et publicus absentium detractor et præsentium assentator muneretur, aut castrum potius quam xenodochium ædificetur?

Item dicunt monachi : Si clerici per unamquamque matricem, præposituralem, baptismalem Ecclesiam canonice, apostolice, et non apostatice viverent; recte illis quarta decimarum portio præberetur : quibus in transversum euntibus eadem quarta nulli congruentius quam nobis monachis apostolicam vitam ducentibus præbetur. Quoniam illud, quod deberet accipere clerus, non rapinam arbitratur monachus clericalem ordinem sortitus, atque ideo clericus : maxime cum sit paratus partem cleri dimittere, si eum videat clericaliter incedere.

Cogimur hic recordari veteris historiæ, secundum tenorem cujus possumus monachis ista dicentibus competens responsum dare. Legitur in libro Ruth quemdam Elimelech propter famis magnitudinem de Bethlehem peregrinando venisse cum duobus filiis suis et uxore sua Noemi in terram Moab. Quo mortuo reversa est Noemi cum nuru sua Ruth, quoniam audierat escas esse in patria,

A de qua propter famem fuerat egressa. Historiam notam sufficiat commemorasse, quam, qui vult, in libro Ruth inveniet plenarie. Inveniet quoque illic inter cætera, quod propinquus quidam defuncti Elimelech, cum voluisset agrum ipsius Elimelech possidere propinquitatis jure, Ruth quoque Moabitidem cogebatur accipere uxorem, ut suscitaret semen defuncto propinquo et sic obtineret agrum jure legitimo. At ille quoniam defuncti propinqui semen suscitare noluit, possessionem quoque agri alteri dimisit, videlicet Booz benigno suscitatori seminis fratrum. Hic enim Booz, accepta uxore propinqui defuncti nomine Ruth, genuit Obed ex ipsa Ruth patrem Jesse, patris David regis, qui fuit insigne decus paternæ stirpis.

B Similiter fatemur, fame verbi Dei cogente verum Elimelech, quod interpretatur *Deus meus rex* (*Ruth* I), civitatem suam Bethlehem quodammodo reliquisse, et quasi defunctum, imo vere non solum a Judæis, sed etiam a falsis Christianis occisum, suscitatore seminis, id est verbi divini, indigere, ne careat sobolis legitima successione. Si ergo monachi vere Salvatoris propinqui volunt sic decimas cujuslibet ecclesiæ possidere, ut per sacerdotale regimen suscitent ex ea, quasi de Ruth, quod interpretatur *videns vel deficiens*, legitimum regimen (quod præfiguratum fuit per David legitimum regem), bene potest hoc approbari. Quoniam sic poterit per industriam monachorum ordo canonicorum resuscitari; imo ipsi monachi erunt vere clerici C et canonici, quasi quidam successores beatorum monachorum, Gregorii et Martini, qui, salva virtute monachatus, facti sunt clerici oves pascendo, et canonici canones observando : alter in papatu, alter in archiepiscopatu. Unde constat quod factum est in magnis, posse quoque fieri in parvis ecclesiis : ut videlicet regantur a monachis utentibus earum decimis. Neque enim vel monachi vel claustrales canonici sine periculo utuntur decimis plebium, nisi habeant curam earum.

Cum enim apostolica confirmat auctoritas, ut, qui pascit gregem, de lacte gregis manducet; et qui plantat vineam, de fructu ejus participet; cumque clericalis annona et clericalis militia sint conjuncta, D ut corpus et anima : qui hæc ab invicem dividit, ex quibus conjunctis vita Ecclesiæ subsistit, Ecclesiam occidit; et periclitatur circa illud anathema, quod Urbanus papa et martyr in suis decretis intentavit, in quibus vitam communem clericorum per omnes matrices ecclesias confirmavit. Igitur etsi rarus quisque religiosus episcopus inveniatur, etsi nullus clericus canonice vivens decimis recto

(164) Gregorius papa coram sacratissimo B. Petri apostoli corpore cum episcopis et omnibus Romanæ Ecclesiæ presbyteris residens, astantibus diaconibus et cuncto clero dixit : « Verecundum in nostro tempore indiscretionis malum inolevit, ut hujus sedis pontificibus ad secreta cubilis servitia laici, pueri ac sæculares obsequantur. Et cum pastoris vita esse discipulis semper debeat in exemplo, plerumque clerici, qualis in secreto sit vita sui pontificis, nesciunt, quam tamen, ut dictum est, sæculares pueri sciunt. De qua re præsenti decreto constituo ut quidam ex clericis vel etiam ex monachis electi ministerio cubilis pontificalis obsequantur : ut is, qui in loco est regiminis, habeat testes tales, qui ejus in secreto conversationem videant, et qui ex visione sedula exemplum profectus sumant. »

utatur, etsi nulla ecclesia de his instauretur, etsi nullus pauper inde pascatur, tamen nihilominus anathema incurrit, qui contra decimarum ordinationem divina et paterna confirmatione per Evangelia et multa concilia Patrumque decreta confirmatam, novam inducit exordinationem sub anathemate, ut diximus, prohibitam.

Quidquid enim sub anathemate constat prohibitum, si hoc scienter committitur, aut ignoranter commissum statim, cum fuerit cognitum, non deseritur : sine dubio importat anathema præsumptoribus, et in sua præsumptione durantibus; etiamsi eos nunc toleret in sua societate conventus ecclesiasticus, sine dubio eos in ultimo examine de medio sui auferendos exspectans : quando *mittet Filius hominis angelos suos, ut colligant de regno suo omnia scandala* (*Matth.* XIII, 41). Tunc erit anathema Maranatha, quod nunc præ multitudine zizaniorum exspectat Ecclesia.

Videamus nunc verba Urbani papæ et martyris terribile illud anathema contra milites et monachos et omnes ordinatarum decimarum exordinatores promulgantis :

« Res, inquit, Ecclesiæ non quasi propriæ, sed ut communes et Deo oblatæ cum summo timore non in alios, quam in præfatos usus sunt fideliter dispensandæ : ne sacrilegii reatum incurrant, qui eas inde abstrahunt, ubi traditæ sunt; et quod pejûs est, anathema Maranatha fiant; et si non corpore, ut Ananias et Saphira fecerunt, qui mortui ceciderunt : tamen anima, quæ potior est corpore, mortua et alienata a consortio fidelium cadat; et in profundum barathri labatur. »

Si ergo juxta hæc verba sacrilegium committendo anathema Maranatha incurrunt, qui res Ecclesiæ inde abstrahunt, ubi traditæ sunt, quid in ultimo examine defendet monachos, non dico nunc proprias decimas detinentes (neque enim decimæ requirendæ sunt a monachis de fructibus, quos propriis manibus ac sumptibus elaboraverint), nisi essent laici et militati monachi indigentes ministerio clericali. Sic fieri approbant quidam Romani pontifices monasteriorum septa in tanta libertate ponentes, ut libere Deo possint vacare, licet eorum rustici decimas omnino debeant persolvere ad ecclesias, ubi suos infantes baptizant. Non ergo nunc notamus monachos vel canonicos decimas ex permissu Romanorum pontificum proprias detinentes; sed de aliena eas portantes parochia, forsitan ita longinqua, ut evidenter appareat] quod rerum illius ecclesiæ ad aliam transportatio nihil est aliud, quam inde, ubi traditæ fuerunt, exitialis ablatio, neglecta videlicet ac destructa illic speciali et clericali militia; unde abstrahuntur illius militiæ stipendia. Talem nimirum oblationum ablationem prædictus papa sacrilegium nominat, atque illam sub anathemate damnat.

De hac injusta decimarum pervasione tractans Ivo episcopus Carnotensis in quadam sua epistola

A periculum quidem talis injustitiæ aggravat, quam monachus non militans militiæ stipem usurpat : sed tamen hoc non approbat, ut subjecti abbatibus monachi suos abbates propter istiusmodi transgressionem relinquant. Quibus hoc poterit coram Deo veniam obtinere, si hoc malum æquitate improbant; et si hoc auferre non possunt, cum discreta reclamatione supportant.

Videtur autem hoc legi divinæ per Moysen datæ convenire, quæ *morticinum* (*Levit.* XI, 25), cogente necessitate, sinit portari, sic scilicet, ut is, qui morticinum portat, non nisi vestimentis aqua lotis, mundus habeatur. Sicut et hic monachus per necessitatem stabilitatis conservandæ, portans mortale non a se sed ab aliis factum peccatum, a nobis B mundus judicatur : si tamen super hac ipsa necessitate dolens lacrymis pœnitentialibus lavatur, lacrymisque vel gemitibus crebris per necessitatem, non per voluntatem, se morticinum portare testatur; ut ex ipsa necessitate secundum legem Dei veniam mereatur.

Neque enim absque necessitate sinit lex morticinum vel tangi vel portari. Unde non video qualiter illi fratres, et maxime congregationum monasticarum seu canonicorum prælati valeant excusari, quos ad hujusmodi exordinationem perpetrandam non tam constringit necessitas, quam propria inflammat cupiditas. Qui etiam, si vellent, istud morticinum, cujus contagione infirmum pecus maculatur, possent omnino de medio tollere : ut nullo C modo ad eos respiceret illa Domini querela, qua per prophetam væ imprecans pastoribus semetipsos pascentibus, *lac*, inquit, *comedebatis, et lanis operiebamini; et factæ sunt oves meæ in direptionem* (*Ezech.* XXXIV, 3 et seq.). Istud sane improperium cavendo, caveant quoque illud anathema, quod contra decimarum alienatores continent Urbani papæ et martyris decretalia scripta.

Hoc nimirum anathema per hoc solvitur; non quod in baptismali ecclesia, ubi comportari et dispensari secundum canones debent; neque degunt clerici de uno quadrante communiter et regulariter pascendi; neque colliguntur viduæ et pauperes et infirmi de alio quadrante fulciendi; neque viget cultus matricis Ecclesiæ de tertio quadrante restau- D randæ et ornandæ. Quidquid enim de quadrante ad episcopum pertinente agatur, sive scilicet in baptismali ecclesia præcepto illius in hospitalitatis officio expendatur; sive ad matricem et episcopalem ecclesiam deferatur, aut suo stipendio episcopali insumendus, aut ipsius xenodochio, quod semper in civitate peregrinis et viatoribus consolatione indigentibus patere debet, jubente illo inferendus : ut sive absente sive præsente episcopo nullus transeat, prout facultas admittit, inconsolatus. Quidquid horum de episcopi quadrante fiat (de quo, ut beatus Gregorius ad Martinianum Ravennatem episcopum scribens testatur : sive absens sive præsens sit episcopus, hospitalitatis et susceptionis officium

in episcopali sede procurari debet; atque ideo, nisi quid ibi superabundat, extra civitatem expendi non debet), illi tamen tres quadrantes clericorum, pauperum, et ecclesiæ nunquam debent a parochia in parochiam transportari, spoliata illi baptismali sede, ad quam in initio fuerunt consignati.

CAPUT LII.

Plura in eamdem rem. Ubi etiam Gregorii VII constitutio de decimis monachorum et canonicorum regularium explicatur.

Verumtamen ipsa sedes rationabiliter de loco in locum translata cogit decimas ad se comportari, quæ a clericis ordinate viventibus et populo, qui decimas persolvit, providentibus ita debent dispensari, ut unam portionem sibi retineant, unam fabricis impendant, unam pauperibus maxime de illa et in illa ecclesia indigentibus sub tali testimonio expendant; ut in eorum ordinabili collegio portis gregis et piscium, de quibus supra tractatum est, ædificata cernatur in ptochio pauperum porta fontium, in refectionem indigentium jugiter patens inveniatur; atque in toto populo de bona matris Ecclesiæ imitatione informato porta sterquilinii per largas eleemosynas fabricetur, atque his quatuor portis ædificium, de quo agimus, decenter ornetur.

Ecclesia vero de sua portione tantum decoris in libris, vestimentis ac cæteris utensilibus accipiat, ut candelabrum in medio collocatum non solum utilitatem per spiritalem illuminationem, sed etiam decorem et exteriorem pulchritudinem circumjacenti parochiæ præbeat.

Quæ pulchritudo et utilitas tota dissipatur, quando baptismalis ecclesia tribus portionibus apud se juxta canones dispensandis, vel a monachis per falsam justitiam, vel a militibus per apertam injustitiam spoliatur. Quos utrosque res Ecclesiæ inde abstrahentes prædictus papa multis in verba sua consonantibus et sacrilegio notabiles facit, et anathemate, licet nunc ab illis neglecto, tamen Maranatha, id est in adventu Domini manifestando percellit. In tantum quippe ordinem præsignatum per matrices et baptismales ecclesias perdurare voluit, ut non monachis aut militibus tantum, sed ipsis etiam episcopis et omnibus omnino personis, futuris perpetuo temporibus, damnationem intentaret, si quis apostolica et decretalia ipsius constituta convellere niteretur. In quibus, quæ prædiximus, post multam ipsius communis vitæ in clero per omnes ecclesias tenendæ commendationem his verbis confirmat:

« Memoratis, inquit, augmentationibus ac cultibus in tantum ecclesiæ, quibus episcopi præsident, Domino adminiculante creverunt; et in tantis maxima pars earum abundavit rebus, ut nullus sit in eis communem vitam eligens indigens; sed omnia necessaria ab episcopis suisque ministris percipiat. Ideo si aliquis exstiterit modernis aut futuris temporibus, qui hoc avellere nitatur, jam dicta damnatione feriatur. »

Quid autem valet, quod tam antiquis decretis ac postea in multis conciliis, matricibus et baptismalibus ecclesiis pertinentia decimarum confirmata est, si monachorum vel militum nova et injusta justitia statutis Patrum præferenda est? Sane ut videantur monachi ex auctoritate sibi parochiarum decimas vindicare; ut impiæ indigentium deprædationes aliquatenus videantur palliatæ, muniunt se cujusdam capituli a Gregorio VII dati auctoritate, cujus textus ita se habet: « Ut nullus abbas decimas et primitias et reliqua, quæ secundum statuta canonum ad episcopos pertinent, sine auctoritate Romani pontificis, seu episcopi consensu, in cujus diœcesi habitat, detineat, apostolica sanctione firmamus. »

Miro modo in textu istius capituli falluntur sagaces monachi. Nam cum in eis in eodem capitulo caute insinuetur, qua dispensatione suas, suorum scilicet laborum, decimas, quas propria usurpatione non debent retinere, concessione Romani seu proprii pontificis valeant licite possidere, utpote qui non indigent servitio clericalis militiæ: ipsi occasione hujus capituli alienas decimas captant; idcirco videlicet, quod hoc solummodo a Gregorio VII indulgetur, ut, permittente Romano pontifice in sua speciali parochia, vel alio quolibet episcopo in sua, monachis liceat suas decimas et primitias detinere; non tamen alienas pervadere.

Quod ipsum, scilicet ut monachi, velut et regulares canonici, de fructibus proprio manuum vel sumptuum suorum labore conquisitis non exigantur decimas dare, confirmat papæ Innocentii nuper facta constitutio in Pisano concilio. Similiter in aliis Romanorum pontificum edictis infra septa monasteriorum confirmatur hæc libertas monachis, ut de fructibus domesticis nihil decimarum exigatur ab illis. Sed tamen nulla confirmat illis, vel confirmare potest auctoritas, ut decimas perpetuo jure possideant: quas baptismalibus ecclesiis inferendas firmissima Patrum testimonia probant.

Antiquis enim regulis caute sancitum constat, ut coloni monachorum ibi decimas persolvant, ubi infantes suos legitime baptizant. Si ergo monachi nec illas decimas possunt retinere, quas ipsorum coloni debent baptismali ecclesiæ, qua præsumptione hoc affirmant sibi licere, ut fundamentum canonicæ institutionis funditus evertant; ac tam novas leges introducant, quibus decimas antiquo jure baptimalibus ecclesiis inferendas, atque ibidem vel communi vitæ insumendas, vel secundum canones quartandas, ipsi aut dimidias aut totas aut alio quolibet modo non recte divisas colligant; et aut episcopum, aut clerum, aut ecclesiam, aut viduam sive pauperem spoliando, terribile anathema contra canonum sponte ac scienter violatores frequenter dictatum incurrere non timeant?

Sanctus quidam Pater a beato Gregorio in suo dialogo valde commendatur; eo quod oblationem illius recusaverit, quem Deo suam oblationem abstulisse constitit. At isti oblationem Dei auferunt; et pauperibus cum Lazaro in una qualibet parochia

indigentibus magnam injuriam faciunt, destruendo in baptismalibus ecclesiis portas fontium; quæ de uno decimarum quadrante semper deberent patere in refectionem pauperum.

O quanto rectius agerent, si supranotatum Patrem rite imitando, etiam laicorum oblationes vitarent, qui contra fas, contra jus decimas retinentes, quandiu oblationem suam auferunt frustra suas oblationes religiosis offerunt. Dum enim sanctam religionem destruunt, de qua scriptum est: *Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem hæc est, visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo* (*Jac.* I, 27); dum, inquam, talem religionem destruunt, ac per hoc anathema Maranatha incurrunt, cavendum est monachis et omnibus religiosis, ne hoc anathemate lædantur, quando per eos pauperum spoliatores in sua iniquitate confortantur. Quorum si tandiu vitarent oblationem, donec ipsi primitus Deo recognoscerent oblationem suam, puto quoniam et eos laudaret sanctus Gregorius, non jam loquens in dialogo, sed cum Christo regnans in cœlo.

Idem tamen scribens ad Augustinum Anglorum archiepiscopum satis insinuat quod lex ista ecclesiasticas possessiones quartandi non est posita, nisi propter transgressores apostolicæ vitæ, clericos scilicet sæculares. Nam communi vita viventibus nulla lex posita est, nisi ut omne, quod superest, pauperibus et indigentibus tribuatur. Unde cum præfato Augustino Anglorum archiepiscopo legem propter transgressores positam beatus ille commemorasset; ne communiter viventibus putaretur eadem lex data quæ propter transgressores est posita, ait: « Communi autem vita viventibus jam de faciendis portionibus vel ad exhibendam hospitalitatem, vel ad implendam misericordiam, quid nobis erit loquendum, nisi omne, quod superest, in causis piis ac religiosis erogandum, sicut scriptum est: *Verumtamen quod superest, date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis?* » (*Luc.* XI, 41.)

Ecce Deo gratias, beatus Gregorius evidenter indicat, quod ad communis vitæ observatores quartatio, de qua loquimur, non pertineat. Quam tamen cæteris clericis extra communem vitam viventibus adeo necessariam indicat, ut, quisquis seu episcoporum seu clericorum extra communem vitam viventium de decimis cæterisque stipendiis ecclesiasticis, præterquam inde statutum est, suo tempore faceret, non dubitaverit hoc appellare usurpationem. Neque enim solas decimationes et antiquas agrorum pensiones per singulos annos voluit per ecclesiasticos ministros episcopo judicante dispensari; sed hoc ipsum in novis Ecclesiarum acquisitionibus præcipiendo statuit observari, ut episcopus super his aliam potestatem non haberet, nisi ut tam novas quam veteres acquisitiones quartando juxta canones dispensaret.

Unde scribit Maximiano episcopo Syracusano inter cætera: « Cognovimus de redditibus Ecclesiæ noviter acquisitis canonicam dispositionem quartarum minime provenire; sed episcopos locorum tantummodo distribuere quartam antiquorum redituum, nunc vero quæsita suis usibus retinere. Quamobrem pravam, subintroductamque consuetudinem fraternitas tua vivaciter emendare festinet, ut sive de præteritis redditibus, sive de his qui noviter obvenerunt vel obvenient, quartæ secundum distributionem canonicam dispensentur. Incongruum namque est unam eamdemque Ecclesiæ substantiam duplici quodammodo censeri, id est, usurpationis et canonum. »

Auditis, o monachi, quomodo beatus Gregorius exsecrando novas usurpationes, et commendando sacros canones, pravam consuetudinem vivaciter emendari præcipit, quam sacris canonibus adversari deprehendit?

Si ergo nec novas acquisitiones hujus tanti pontificis auctoritas permittit episcopis aliter dispensare, quam statutum est reverenda canonum sanctione, quare vel episcopi eas taliter tradendo præsumunt? vel monachi eas a tradentibus accipiunt, affirmantes hanc esse legitimam traditionem, quam beatus Gregorius, ut lectum est, appellat « usurpationem, et pravam, subintroductamque consuetudinem? » Si tam plana esset a septimo Gregorio sententia monachis data ad parochiarum recipiendas decimas, quam plana et plena est primi Gregorii talem usurpationem prohibens auctoritas, puto tamen quia recte potior et antiquior auctoritas præponeretur; si Gregorius Gregorio, minor majori adversaretur. Sed absit ut hoc a nobis sentiatur, ut inter ultimum et primum Gregorium de constitutione decimarum dissentiatur, cum, sicut primus, ita et ultimus canonum constituta etiam a monachis in hac sublantia servari præcipiat; vixque illis decimas proprias cum episcoporum licentia detinere permittat. Quæ permissio septimi Gregorii primo Gregorio non multum adversatur. Qui monachorum libertati et quieti multum in suis decretis suffragatur; ita tamen, ut in synodo Chalcedonensi legitur, sub episcoporum potestate ipsi monachi permaneant; alioquin ejusdem synodi statuta eos communione privant.

Si ergo episcopo justitiam decimarum exigente, rebelles fiunt monachi, juxta statutum synodi Chalcedonensis propter ipsam rebellionem excommunicandi, juxta illud anathema periclitantur, quo violatores quatuor principalium conciliorum a beato Gregorio in sua synodica multantur. Nam si juxta sententiam illius, qui horum quatuor conciliorum soliditatem non tenet, etiamsi lapis esse videatur, extra ædificium jacet: cavendum est monachis per Chalcedonensem synodum ad obedientiam episcopi sub excommunicatione restrictis, ne præsumant illi sancta et juxta præcipienti, ac decimas juxta canonum scita disponere volenti aliquatenus repugnare. Quia Gregorius septimus, in quo fallaciter confidunt, nec vult nec potest tales rebelliones a beato

Gregorio anathemati addictos liberare: quin imo etiam ipse gravius offenditur quod ejus capitulum, non contra sed secundum canones datum, prava interpretatione ab eis pervertitur.

CAPUT LIII.

Præmissam doctrinam pluribus roborat, præsertim auctoritate sancti Gregorii Magni cujus exemplo episcopi ad curam pauperum et peregrinorum incitantur.

Sufficiant hæc pauca monachis et militibus responsa, quorum neutri poterunt sibi decimas per aliquam justitiam vindicare, si anathema contra canonum sponte violatores promulgatum voluerint evitare. De quorum numero si quis pro anima sua sollicitatur, episcopo etiam non reposcenti ecclesiasticas facultates reddere non gravabitur. Nec eos poterit securos facere consensio vel taciturnitas adhuc mortalis episcopi, contra quos clamant Patres in cœlo conscripti: præsertim cum episcopo nec de sua speciali portione liceat, quam ei paterna traditionum regula prædictat.

Unde beatus Gregorius Augustino Anglorum episcopo scribens, ita dicit: « Mos apostolicæ sedis est ordinatis episcopis præcepta tradere. De stipendiis Ecclesiæ vel de his, quæ fidelium oblationibus accedunt altario, quatuor debent fieri portiones. Una videlicet episcopo et familiæ propter hospitalitatem atque susceptionem; alia clero, tertia pauperibus, quarta in ecclesiis reparandis. »

Ecce audivimus quia non propter monachos aut milites ditandos et consolandos decimarum portio quarta episcopo disponatur, a quo talium susceptio in episcopali sede canonum justitiæ sic debetur, ut episcopus graviter accusandus notetur, si per suam Ecclesiam transierit egens peregrinus, ex parte pontificis consolationem talibus pro posse debentis inconsolatus.

Unde item beatus Gregorius, ut supra perstrinximus, Secundino servo Dei scribens, inter cætera sic ait: « Fratrem nostrum Marinianum episcopum verbis, quibus vales, excita, quia eum obdormisse suspicor. Nam venerunt quidam ad me, in quibus quidam senes mendicantes, qui a me discussi sunt, a quibusdam quid acceperint, ut per singula retulerunt, quando est et a quibus in itinere data sint. Quos cum sollicite de prædicto fratre requirerem, quid eis dedisset? responderunt se cum rogasse, sed ab eo nihil accepisse, ita ut neque panem in via acceperint, quod dare omnibus illi Ecclesiæ semper familiare fuit. Dixerunt enim: Respondit nobis dicens: Non habeo, quod vobis dare possim. Et miror, si is, qui vestes habet, argentum habet, cellaria habet; quod pauperibus dare debeat, non habet. Dic ergo illi, ut cum loco mutet mentem. Non sibi solam lectionem credat et orationem sufficere, ut remotus studeat sedere, et de manu nihil fructificare; sed largam manum habeat, necessitatem patientibus concurrat, alienam inopiam suam credat. Quia si sic non habet, vacuum episcopi nomen tenet. »

In quibus verbis hoc diligenter pensandum est, quod episcopus, qui lectioni et orationi deditus fuisse significatur, tantum propterea sancto pontifici redarguendus videbatur: quod viatoribus consolatione indigentibus atque hanc ab episcopo poscentibus nihil fuerat consolationis impensum; cum tamen propter consolandos unum decimarum quadrantem constet ex tota episcopatus parochia dispositum. Quod si episcopus ille religiosus fuisset, qui res pauperum divitibus dare, aut ex his castra ædificare non timuisset, non hoc in sua redargutione tacuisset beatus Gregorius, pauperum tam diligens patronus, ut, sicut superius dictum est, episcopum Paschasium vehementer increparet, cur, pauperibus neglectis, de rebus Ecclesiæ navim fabricare præsumeret: cui etiam in suis litteris numerum solidorum improperavit, quos in eadem navi fabricanda illum expendisse audivit (165).

Usque adeo vir sanctus voluit res Ecclesiæ, non juxta novas usurpationes, sed juxta canones antiquos dispensari: ut nec infirmitate corporis ab indigentium susceptione apud illum aliquis potuerit excusari; quam de portione ad episcopum pertinente semper in episcopali ecclesia voluit esse paratam, etiam episcopo absente. Hinc est quod Marinianum Ravennatem episcopum pro infirmitate corporis in civitate morari non valentem talibus verbis alloquitur: « Venientes quidam Ravennates homines gravissimo mœrore me invenerunt perculsum, quia fraternitatem tuam retulerunt de vomitu sanguinis ægrotare. Ex qua re sollicite et singillatim eos, quos hic doctos lectione novimus medicos, fecimus requiri: et quid singuli senserint, quidve dictaverint, sanctitati vestræ scriptum misimus. Qui tamen quietem et silentium præ omnibus dictant: quam si tua fraternitas in sua ecclesia possit habere, valde sum dubius. Et ideo videtur mihi, ut ordinata illic ecclesia, vel qui missarum solemnia explere valeat, vel qui episcopii curam gerere, hospitalitatem et susceptionem possit ex-

(165) Gregorius Antnemio subdiacono Campaniæ: « Pervenit ad nos fratrem et coepiscopum nostrum Paschasium ita desidem negligentemque in cunctis existere, ut in nullo, quod episcopus est, agnoscatur: adeo ut nec Ecclesia ipsius, neque monasteria, sive filii, vel oppressi ejus erga se dilectionis studium sentiant; nec aliquam supplicantibus sibi, in quibus justum est, opem defensionis accommodet. Et quod adhuc dici gravius est, consilia prudentium et recta suadentium nulla patiatur ratione suscipere; sed rebus, quæ ad pastoris curam pertinent, prætermissis, ad fabricandam navim toto se studio inutiliter occupet. Unde, sicut fertur, contigit quadringentos, aut eo amplius, illum jam solidos perdidisse. » Et post aliqua: « Si vero, quod non credimus, post adhortationem nostram solito adhuc more negligens esse tentaverit, ad nos est modis omnibus transmittendus, ut hic positus discere possit quid vel qualiter secundum Dei timorem agere conveniat sacerdotem. »

hibere, quive monasteriis custodiendis præesse, tua fraternitas ad me ante æstivum tempus debeat venire : ut ægritudinis tuæ ego specialiter, in quantum valeo, curam geram, quietemque tuam custodiam. »

Quid iste vir sanctus diceret, si nostro tempore videret episcopos in castris suis morantes, et egentium susceptionem in civitate procurandam negligentes; atque hoc, quod egentibus debebatur, militibus distribuentes? puto quod nec in episcopis tale dominium, nec in militibus tale hominium illi placeret, per quod pauperes dispoliari videret. Puto quod nec monachorum illi placeret importunitas, a quibus ita contemnitur canonum auctoritas, ut dicant episcopo licere, quod ei affirmant sancti Patres non licere (166).

Dicunt enim quod saltem suam portionem possit episcopus monachis, vel alteri, cui voluerit, dare : de qua secundum canonicas regulas in episcopali ecclesia et sicubi permittit, per cætera loca, debet hospitalitatem et susceptionem procurare. Illi novas leges componendo, cogitant consilia, quæ non poterunt stabilire; nos, quæ prius dicta sunt, ostendimus jam diu sic stabilita esse, ut, quisquis nobis in his adversatur, non nobis, sed sanctis in cœlo regnantibus contrarius inveniatur. Speramus autem meliora et viciniora saluti ex parte monachorum pro salvatione animæ suæ sollicitorum. Quia, Domino tribuente, fieri potest ut multi eorum, qui in pauperum substantia per ignorantiam deliquerunt et adhuc delinquunt, patefactæ veritati acquiescant; et milites, qui eorum exemplis ad decimas retinendas confortari et palliari solebant, ipsi monachi fortius compescant : quando illud per monachos decimas relinquentes militibus manifestatur, quod datio vel præstatio ab episcopo contra canones facta, non solum danti, sed etiam accipienti mortem et anathema Maranatha operatur; sicut præmissis auctoritatibus evidenter probatum agnoscitur.

Sane, quia Ecclesiæ, quæ regulariter non sunt dispositæ, speciem habent pupillorum tutoribus ac actoribus indigentium : si tales Ecclesias, velut hæredes parvulos, monachi susciperent omnino regendas et tuendas usque ad aliquod præfinitum tempus ab episcopo, posset hoc utcunque tolerari, si tamen ipsi monachi vellent esse tutores fidi, non perfidi. Notatur enim in tutore perfidia, si non ad hoc studeat nutrire parvulum hæredem sibi commissum, ut idoneus efficiatur ad regendam hæreditatem suam per se ipsum. Sic et monachorum notatur perfidia, si sic tractetur ab eis aliqua Ecclesia, ut, licet sit ei facultas ad quantulamcunque congregationem regulariter sustentandam, ipsis tamen impedientibus et facultatem ejus ad se trahentibus nunquam fiat libera et idonea ad regularem ordinationem, volentibus monachis perpetualiter possidere illius hæreditariam possessionem. Sed et hoc utcunque portari posset, si ipsi monachi lac et lanam ovium cujuslibet Ecclesiæ accipientes, pascerent per se ipsas oves. Illud vero penitus est intolerabile ac nimium exsecrabile, velle monachos lanam et lac de ovibus colligere, et ovium curam nolle habere : vel quod adhuc pejus est, alicui mercenario seu lupo eas committere. Quod quia periculosum est monachos jam diu fecisse, utinam vellent in compensationem præteritorum excessuum adhuc tenere ordinem suum, et favere ordinationi sacrorum canonum !

Tunc ipsis monachis legitime certantibus et justitiam Ecclesiæ defensantibus reædificarentur portæ fontium in refectiones egenorum per unamquamque matricem seu baptismalem Ecclesiam pascendorum. Tunc ipsis una cum clericis laborantibus ubi eos invitaret episcopus, tale consurgeret ædificium; quod in veritatis petra, non in pravarum consuetudinum arena, per hoc pateret esse fundatum, quia nullo impulsu posset moveri, etiamsi omnia tentationum flumina illi contingeret illidi. Speramus in Domino, quod optamus, posse fieri : quod cum factum fuerit ædificium, de quo tractamus, firmiter stabit.

Erunt enim clerici, non acephali, sed regulares facti, principales in hoc ædificio provisores, vigilias et excubias suas custodientes : ut de illis cantari possit : *Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes; tota die et tota nocte non tacebunt laudantes nomen Domini* (*Isa.* LXII, 6). Sic ergo clericis vigilantibus et laudantibus nomen Domini, monachi sancti cellam vinariam ingressi inebriabuntur ab ubertate domus Dei, quia hoc ædificium, de quo Deo largiente tractavimus, non est aliud, nisi domus Dei et porta cœli.

In hac domo colligitur familia, cui per episcopum dispensanda est in tempore tritici mensura. Contra istam familiam pugnat mundus in suis principibus. Sed licet in adversario nostro gigantea statura cernatur, tamen per episcopum, quasi per humilem et parvum David, prosternendus non dubitatur : si tamen ipse episcopus, non Saulis arma regalia et in se confidentibus usitata, sed David pastoris arma et instrumenta pastoralia eligat, quibus contra superbiam mundi pugnaturus procedat.

(166) Ex concilio Romano : « Quicunque militum, vel cujuscunque ordinis vel professionis prædia ecclesiastica a quocunque rege seu sæculari principe, vel ab episcopis invitis, vel abbatibus, aut ab aliquibus Ecclesiarum rectoribus suscepit vel susceperit, vel invaserit, vel etiam eorumdem rectorum depravato seu vitioso consensu tenuerit; nisi eadem prædia Ecclesiis restituerit, excommunicationi subjaceat. »

In his verbis notandum est quod ecclesiasticarum rerum alienatio nihilominus damnatur sub excommunicatione; et quando roboratur, vel toleratur prælatorum depravata consensione.

CAPUT LIV.

Epilogus et peroratio Gerhohi ad Chunonem episcopum Ratisbonensem.

Ut etiam te, o venerande præsul Chuno, cui hoc opusculum Deo tribuente compositum offerimus, circa finem specialiter alloquar; nonne fuisti pastor ovium, strenuus scilicet rector monachorum? nonne in episcopum electus et quasi pro multorum salute ad pugnam destinatus, vestimenta et arma Saulis induisti, quando juxta morem prædecessorum tuorum, non antiquorum sed modernorum et proximorum, milites ac principes in hominium suscepisti, quasi per tales contra mundum pugnaturus ac triumphaturus esses? Quibus tanquam armis tibi parvo et in solo Deo confidenti non competentibus gravari et impediri te sentis, et senties: si non illis depositis et exutis pastoralia tantum instrumenta resumes; quæ et antea portare consueveras, quando nullo principe, nullo milite stipatus pastoraliter incedebas.

Attamen non modica differentia inter illum tunc monasterialem et nunc episcopalem statum tuum est observanda. Tunc enim suffecit in pastoralem peram de lacte coagulato tales cibos colligere, quibus innocentes et simplices judicabas pascendos, et in robur virile nutriendos esse. Nunc vero, quia contra mundi superbiam pugnaturus incedis, etiam lapides limpidissimos de aqua Scripturæ colligere necessarium habebis: ut, qui de sanctissimo pectoris tui receptaculo doctrina lactea non vegetatur, sed, quod pejus est, contra humilitatem tuam erigitur; hunc sententia judicialiter dictata quasi funda bene librata lapide anathematis percutiat, et ad terram usque prosternat, proprio gladio jugulandum, et illo capite privandum, cujus membra Christum crucifixerunt, et usque hodie in suis membris crucifigunt. Tunc tibi de bello revertenti, et omnem victoriam verbo veritatis, non tibi, tribuenti dicetur illud canticum a turbis obviantium tuisque studiis pio favore astipulantium: *Saul percussit mille, et David decem millia in millibus suis* (*I Reg.* XVIII, 7). Cum enim satis timeretur prædecessor tuus, utpote Sauli quodammodo comparatus; quia supereminebat totum populum ab humero et sursum præ multitudine principum suorum cognatorum: tu de tribu Juda natus, tu per veritatis confessionem nobilitatus, magis formidabilis eris mundi principibus, quam si tu contra principes pugnaturus confidas in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus.

De te autem taliter pugnante, quasi de viro desiderabili et manu forti, nascetur Salomon pacificus; quia post aliquantam pugnam pace super pacem eris munerandus, ut, te cooperante in Domino, glorieris templum ædificatum, quod, Deo primi hominis costam ædificante, fuit inchoatum. A cu-
A jus introitu quia propter peccata mea longe sum repellendus, tuis et omnium, qui hoc opus lecturi sunt, rogo adjuvari precibus, ut mihi non imputetur peccatum, quod fœdus pulchrum, contaminatus mundum, ex parte Dei monstravi ædificium. De quo adhuc plura possent monstrari, si a lippis cordis mei oculis tantus fulgor posset tolerari. Sed puto, non expedit, ut a nobis ulterius procedatur, quoniam per sanctos Patres multipliciter de hoc ædificio tractatur: qui docent expresse, quid in eo sit turris David ædificata cum propugnaculis; quid turris Libani, quæ respicit contra Damascum; quid cæteræ turres Jerusalem, quæ gemmis ædificantur; quid denique omnia, quæ vel in tem-
B plo vel in tabernaculo figuraliter commemorantur.

Cum ergo de omnibus istis abunde a sanctis Patribus tractetur, mihi, quæso a te, Pater, et ab omnibus hoc opusculum lecturis venia impetretur, quod, licet jussus et tuis precibus coactus, præsumpsi oculos fœdos in tantam pulchritudinem attollere, atque hanc aliis multo me sapientioribus et melioribus demonstrare, quam ego ipse de longe aspicere non sum dignus. Nec ad eam aspiciendam aliquatenus fuissem admissus, nisi quod sæpe indignus ac degener servus, non dominorum mensam tractaturus, sed ministris dignis ad mensam accedentibus aliquid post tergum administraturus in
C conspectum dominorum admittitur. Qui tamen suo ministerio completo rursus ad stercus portandum, vel aliud utile officium foris exsequendum destinatur: nec est illi locus in convivio, qui vix pro sui fœditate ad horam a convivantibus aspicitur etiam in extremo ministerio.

Verum si minister dignus et decorus, cui subministrat indignus et indecorus, divertet ab oneribus dorsum ejus, ne manus ejus in cophino, vase scilicet stercorario, serviant: sed honestioribus actionibus occupatæ fœditatem de stercore contractam aliquatenus exuendo pulchritudinem assumant, fieri potest, ut in magno convivantium numero saltem novissimum locum teneat: quem prius fœ-
D ditas excludens vix post tergum ministrantis usque ad limen, vel parum ultra limen introire sinebat.

Tu itaque, o Pater, cum sis Dei minister et decorus, cui placuit in me misero habere subministratorem, qui nec dignus est nec decorus; age orando, age operando, dignus pro indigno, sanctificatus pro polluto: ne de illo ædificio, de illo infra ædificium hoc convivantium numero (quem tibi subministrans aliquatenus, quantum lippitudo mea patiebatur, vidi) penitus excludar; atque in opere stercoris, in labore luti et lateris, prout fœditas et improbitas mea exigit, relinquar: sed admittar et permittar saltem in novissimo loco novissimum diem exspectare, confidens me salvandum, non in

lia persequuntur. » Item : « Generale præceptum beneficio speciali anteferendum est. » Et iterum : « Contra jus rescripta non valeant, quocunque modo fuerint impetrata. Quod enim publica jura præscribunt, magis sequi judices debent. » Et infra : « Personalia rescripta, quæ cum jure concordant, valeant more veterum : et negotii, de quo loquitur nostra rescriptio, finis latæ sententiæ terminis censeatur. Speciale autem si quid legibus ac juri importat injuriam, obolitum exstirpetur. » Item : « Illa scripta uniuscujusque supplicantis desiderio concessa prævaleant, et effectui mancipentur; quæ cum juris et legum ratione concordant : ea vero, quæ subreptione vel falsis precibus forsitan impetrantur, nullum supplicantibus ferant remedium. »

Item in concilio præsidente papa Symmacho Romæ celebrato, cum fuisset præsentibus cunctis prava quædam constitutio recitata, Laurentius episcopus Mediolanensis Ecclesiæ dixit : « Ista scriptura nullum potuit obligare pontificem, maxime cum nec papa subscripserit, nec alicujus secundum canones metropolitani legatur assensus. » Petrus episcopus Ravennatis Ecclesiæ dixit : « Scripturam, quæ in nostra congregatione vulgata est, nullis viribus existere manifestum est, quia canonibus non convenit. » Eulalius episcopus Syracusanæ Ecclesiæ dixit : « Scripturam, quæ in sacerdotali recitata est, evidentissimis documentis invalidam : primo quod contra Patrum regulas facta videtur; deinde quod nullius præsulis apostolicæ sedis subscriptione firmata docetur. » Idem : « Cujuslibet provinciæ sacerdotes intra suos terminos concilio habito quidquid sine metropolitani sui auctoritate statuerint, irritum esse Patres sancti sanxerunt. Ergo, quod præsumptum cognoscitur, viribus carere non dubium est, nec posse inter ecclesiastica nullo modo statuta censeri. » Sancta synodus dixit : « Apud nos certum videtur hanc ipsam scripturam nullius esse momenti quam etiam provida beatitudinis vestræ sententia enervari conveniebat, et in irritum deduci, ne in exemplum remaneret præsumendi quibuslibet laicis, quamvis religiosis vel potentibus, in quacunque civitate quolibet modo aliquid decernere de ecclesiasticis facultatibus; quarum solis sacerdotibus indiscusse a Deo cura commissa docetur. » Symmachus papa dixit : « Opus est ut sollicitudinem nostram non solum ad præsentia, sed etiam ad secutura sæcula porrigamus. Ergo contra fas si quod conceptum fuerit documentum universis viribus, quamvis ab initio nullas habuerit .... Et liceat quibuscunque ecclesiasticis personis vocem contradictionis offerre, et ecclesiastica auctoritate fulciri. »

His decursis patet quoniam nec divinæ leges favent monachis partem episcopi perpetuo jure possidentibus; nec sæculi leges favent militibus beneficiario jure decimas et ecclesiastica prædia retinere, ac posteris suis relinquere volentibus; cum

A aperta canonum ac sæcularium legum auctoritate cassetur quidquid a quolibet contra canones divinam et antiquam justitiam defendentes, vel novo scripto confirmatur, vel absque scripto per injustam modernarum consuetudinum justitiam injuste præsumitur.

Episcopus ergo si de sua portione aliquid dare vel præstare voluerit, datio vel præstatio illius, eo vivente, stabit, sive ad salutem sive ad damnationem ipsius; prout se habuerit dationis vel præstationis modus. In qua tamen datione vel præstatione, si periculum ante mortem agnoscet, ipse quoque divinis legibus fretus dissolvere poterit factum suum, cavens tam suum quam accipientis periculum. Est enim donanti et male accipienti
B dudum a Symmacho papa periculum per orbem divulgatum. « Quicunque, » inquit, « oblitus Dei, et decreti hujus immemor quidquam de jure titulorum vel Ecclesiæ perpetuo jure alienare tentaverit; donator, alienator ac venditor honoris sui amissione multetur. » Ecce qualis pœna datori et alienatori præscribitur, nisi, ut idem papa in sequentibus determinat, mos ille in datione servetur : qui secundum animarum considerationem proposito religionis convenire videtur. Audivimus pœnam donatoris incauti, audiamus qua pœna idem papa petitorem vel acceptorem incautum jubeat feriri. « Qui, » inquit, « petierit, aut acceperit, vel qui presbyterorum ac diaconorum, seu defensorum danti sub-
C scripserit, quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur. »

Ut autem in datorem et acceptorem sic vindictam dictaret, quatenus tamen de ipsa vindicta exitum et evasionem monstraret : « Sit, » inquit, « alienatori, accipienti, subscribenti, quam præmisimus, vindicta, nisi forte et alienator sibi, dum repetit; et qui accepit, celeri restitutione prospexerit. Quod si minori animæ suæ cura quisquam remedium oblatum forte neglexerit, supra ea pœnarum genera, quæ superius tenentur ascripta, contra fas, si quod conceptum fuerit documentum, universis viribus, quamvis ab initio nullas habuerit . . . Sed etiam liceat quibuscunque ecclesiasticis personis vocem contradictionis offerre, et ecclesiastica aucto-
D ritate fulciri : ita ut cum fructibus possit aliena reposcere. Nec aliquo se ante tribunal Christi obstaculo muniat, qui a religiosis animabus ad substantiam pauperum derelicta contra fas sine aliqua pietatis consideratione dispergit. »

CAPUT XLIX.

Hortatur Gerhohus episcopos male facta exemplo Petri a Paulo correpti emendare ac retractare.

Tantis ergo auctoritatibus in promptu positis, quis est episcoporum qui non libenter utatur oblato sibi remedio, quod male dedit vel præstitit, reposcendo? Quis est enim homo cui non possit accidere, ut per timorem vel per ignorantiam cum Petro peccet? Quod si acciderit, quid restat lapsis cum Petro, nisi ut resurgant cum Petro? Petrus enim

per ignorantiam non recte incedens ad Evangelii veritatem, quam cito errorem suum a condiscipulo increpatus agnovit, de correptione in faciem sibi facta lætus veritati acquievit; magnam præclarissimi exempli præbens imitationem; ut nemo quantumcunque altus verecundetur mutare suam sententiam; si modo, etiam ab inferiore illi fuerit revelatum, quod contra Evangelii vel canonum veritatem incedat.

Paulus enim apostolus, licet in labore cunctis apostolis præferatur, tamen, quia Ecclesiam persecutus et novissime vocatus est, ipse se *abortivum* nominat (*I Cor.* xv, 8, 9): et tamen princeps apostolorum usque adeo secundum veritatem Evangelii correptionem illius non recusavit; ut suum reprehensorem sibimet ipsi in sapientia præferens, eamdem laudaret epistolam, in qua suam simulationem vidit reprehensam.

Et ego itaque de Saulo duntaxat, nondum Paulo, agens, ac de magno persecutore, non de magno prædicatore similitudinem trahens, me abortivum et omnium Christianorum minimum nomino, quia et ego pro modulo meo, imo ultra modulum meum Ecclesiam Dei persecutus sum, non solum paternam substantiam in me ipso dissipando, ac porcos diu pascendo, sed et quod multum horreo, atque utinam satis horrerem, malam quamdam arborem anathematis falce succisam pro meo fastu et quæstu fulciendo. Quæ etiam si bonos fructus faceret, me tamen pro mea pessima intentione merces mala maneret, nisi quod Agnus ille, qui tollit peccata mundi, potens est et illam personam convertere, de qua loquor; et me sanare, qui culpam meam coram ipso cunctis hæc lecturis confiteor. Taceo autem tam illius quam meum nomen, prodens tantummodo iniquitatis confessionem; ut et pro peccatis venia oretur, et a me tam elationis quam invidiæ naufragium vitetur. Quia, cum ille, de quo loquor, inter episcopos licet male fructuosus adhuc a patrefamilias toleretur; mea vero persona opprobrium hominum et abjectio plebis convenienter et veraciter æstimetur, non careret fuco elationis manifestatio mei nominis, maxime cum in hoc opusculo ignorari velim personam et nomen scribentis, cognosci vero personam et nomen scribere me jubentis. Qui cum sit episcopus Ratisbonensis per Dei gratiam satis religiosus et charitate plenus, non est a nobis in invidiam vel odium sic trahendus, ut ab aliquo aliquatenus illi succenseatur; cur in ædificio suo jussu fabricato aliquis pseudoepiscopus ex nomine carpatur; cum hoc ædificium, quamvis a deformi pictore, tamen pulchrum pulcherrimo sit præsentandum; atque ideo nullius detestabilis personæ aperto nomine decolorandum, sed picturis delectabilibus per exempla memorabilium Patrum decenter ornandum.

Ergo ut ad propositum redeamus; cum Apostolus fuerit tanquam abortivus, ego autem sim veraciter abortivus et vilissimus omnium; tamen, prout Deus mihi revelaverit, ipso adjuvante proferam in medium in quo non recte ad veritatem Evangelii sive canonum ambulasse video episcopum, quatenus ille majoris tanto virtutis habeatur, quanto se minorem in talibus audire non dedignatur; sitque imitator Petri suam retractando et solvendo sententiam, etiamsi sciat eam juramento interposito contra salutem suam confirmatam. Nam, si Petrus negationem cum juramento factam non mutasset, ipse Petrus non permansisset Petrus, utpote a petra veritatis penitus excisus.

Ut ergo veritatis petra consuetudini prævaleat; ut abusio prava, quæ porta est inferi, adversus hanc petram non prævaleat, studeat episcopus has dationes vel præstationes a suis prædecessoribus, vel etiam a se male factas retractare. Habemus enim exempla magnorum virorum (163), qui sua statuta retractaverunt, dum semetipsos judicantes, a Domino judicari noluerunt. Siquidem secundus Bonifacius legitur ex decreto constituisse Vigilium diaconum sibi in pontificatu succedere. Quod, quia Romano clero visum est canonibus adversari, præsente clero ab eodem suppositum est igni ante confessionem beati Petri apostoli.

Beatus quoque Augustinus librum retractationum composuit in correptionem eorum, quæ prius incaute descripserat; et ut idem quisque sapiens faciat, his verbis commonefacit. Ait enim in proœmio ejusdem libri: « Neque quisquam, nisi impudens, ideo quia mea errata reprehendo, me reprehendere audebit; sed, etsi dicit non debuisse

(163) Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo decimo facta est in Lateranensi Ecclesia synodus præsidente Paschali papa II, indictione III, Nonas Martii. Ubi idem Paschalis suam sententiam damnans et retractans, ita dixisse legitur, et scriptum Romæ servatur: « Audite, fratres dilectissimi, confiteor Deo Patri omnipotenti et vobis, quod pœnitet illud privilegium, potius pravilegium, in tentoriis a nobis extortum, unquam alicui datum esse. Contra decreta antecessorum nostrorum consensimus; et in hac synodo, sicut in priori, illud et omnes, qui pro privilegio habere volunt, excommunicamus. Deo et vobis promittimus, donec ista misera anima in indigno corpore habitat, quod nunquam aliquid contra decreta Patrum nostrorum volumus consentiri, si placet majestati suæ. Ideo precor vos ut oretis pro me misero peccatore, ut istud scelus et omnia peccata mea dignetur mihi dimittere. » Statim dominus Bruno episcopus dixit: « Deum laudemus, et gratias sibi agamus, quod dominum nostrum et caput nostrum illam hæresim dedisse pœnitet. » Tunc Joannes rogitans iratus reclamavit: « Dicis nos hæresim dedisse? nullus amodo te debet audire. » Bruno dixit: « Probare volo hæresim esse. » Vulternensis episcopus dixit: « Tali animo fieri potest, quod est hæresis; sed fecit invitus et coactus. Non est hæresis dicenda. Si voluntarie fecisset, hæresis probari posset. »

In his notandum est quod contra canones episcoporum facta constitutio tunc in hæresim vertitur, si aut scienter perpetretur, aut post cognitam veritatem ab ipso constituente vel roborante non damnetur; ne, si eas non damnaverit, ipse damnetur

a me ea dici, quæ postea mihi etiam displicerent, verum dicit et mecum facit. Eorum quippe reprehensor est, quorum et ego sum. Sed, etsi, ut volet, quisque accipiat hoc quod facio, me tamen apostolicam sententiam etiam in hac re oportet intueri, quæ dicit: Si nosipsos judicaremus, a Domino non judicaremur. »

CAPUT L.

Doctrina de rebus Ecclesiæ non alienandis auctoritate sancti Leonis Magni confirmata.

Ut autem liquido appareat quas donationes, et præstationes, et quomodolibet factas in Ecclesiæ rebus alienationes corroborari; quas etiam reprobari conveniat: audiamus donationis, commutationis, venditionis regulam a Magno Leone papa cunctis episcopis generaliter præscriptam; quamvis episcopis per Siciliam constitutis ab eo specialiter missam.

« Leo episcopus universis episcopis per Siciliam constitutis. Occasio specialium querelarum curam nobis providentiæ generalis indicit, ut, quod in duabus provinciæ nostræ Ecclesiis improbe gestum injusteque præsumptum est, id constitutione perpetua ab omni episcoporum usurpatione resecemus. Taurominitanis enim clericis Ecclesiæ deplorantibus nuditatem, eo quod omnia ejus prædia vendendo, donando, et diversis modis alienando episcopus dissipavit: etiam Panormitani clerici, quibus nuper est ordinatus antistes, similem querimoniam in sancta synodo, cui præsidebamus, de usurpationibus prioris episcopi detulerunt. Quamvis ergo jam ordinatum a nobis sit, quemadmodum utriusque Ecclesiæ utilitatibus consulatur; ne hoc perniciosum nequissimæ deprædationis exemplum cuiquam posthac fiat imitabile: hanc præcepti nostri formam apud dilectionem vestram volumus esse perpetuam, qua sine exspectatione decernimus, ut, ne quis episcopus de Ecclesiæ suæ rebus audeat quidquam vel donare, vel commutare, vel vendere; nisi forte ita aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat, et cum totius cleri tractatu atque consensu id eligat, quod non sit dubium Ecclesiæ profuturum. Nam presbyteri vel diaconi aut cujuscunque ordinis clerici, qui conventiam in Ecclesiæ damna instituerint, sciant se et ordine et communione privandos, quia plenum justitiæ est, fratres charissimi, ut non solum episcopi sed etiam totius cleri studio ecclesiastica utilitas intemerata servetur; et eorum munera illibata permaneant, qui pro animarum suarum salute propriam substantiam Ecclesiis contulerunt. »

Ecce audivimus magnum Magni Leonis rugitum terribiliter exsecrantem, et congruis nominibus cauteriantem perniciosum nequissimæ deprædationis exemplum. Dicant hoc milites, prout placet, beneficium, quod pro suo fallaci hominio, et parvo atque interdum nullo interveniente pretio magnum accipiunt Ecclesiæ prædium. Certe illud beneficium contra præscriptam regulam datum et susceptum Spiritus sanctus per organum suum, sicut lectum est, loquens vocat illud nequissimæ deprædationis exemplum. O utinam singula istius decretalis epistolæ verba caute notarentur, et ab episcopis et clericis intelligenter et obedienter servata in usum verterentur! utinam, sicut in ea constitutum est, cujuscunque ordinis clerici, qui conventiam in Ecclesiæ damna miscent, ordine atque communione privarentur! utinam illi, quibus Ecclesiæ damna displicent, clericos Ecclesiæ suæ nuditatem deplorantes, de quibus ibi lectum est, imitarentur! Certe si hæc fierent, quidquid contra istam sanctam constitutionem improbe gestum injusteque præsumptum est, aut finem, Deo triumphante, acciperet; aut episcopis et clericis damnationem perpetuam non importaret: quando aut hic punirentur, aut sua reclamatione contra prædones Ecclesiæ pugnando, tuti coram Deo, laudabiles coram Ecclesia redderentur. Nam, si perseverarent continua reclamatione forsitan parum, forsitan multum prædones movente, cito daretur et ab his, qui ex diverso essent, bonum testimonium tam episcopis de malæ usurpationis pœnitentia, quam clericis de innocentia.

Non est autem victoria desperanda, ut testa luctatur cum petra; nec omnino dubitare debemus quin adsit Dominus pro sua hæreditate certantibus: ut aut communis vita per matrices Ecclesias restituatur secundum apostolica instituta; aut, si hoc fieri non potest, serventur saltem synodalia præcepta: ita scilicet, ut non solum quarta clericorum, quarta fabricarum ecclesiasticarum, quarta pauperum in antiquos ac debitos usus restituantur; sed etiam ipsa quarta episcopi a monachis, et maxime a militibus requisita ab eo, sicut illi constitutum est, expendatur; nisi forte secundum canones collaudantibus et subscribentibus clericis quinquagesima portio de aliqua ecclesiastica possessione monachis tradita doceatur.

Hujus enim subsidium permittunt sancti Patres fieri ab episcopo ad sublevandum et consolandum aliquod monasterium de rebus facultatum ecclesiasticarum, ut quinquagesima portio de aliquorum prædiorum pensionibus, seu villarum decimationibus monachis deputetur. Cujus quinquagesimæ portionis traditio solemniter et legitime collaudantibus clericis facta, manet insolubilis, quia permissa est in Patrum constitutis. Si autem de hac ipsa quinquagesima non est facta solemnis et canonica traditio, licet episcopo nec vivum nec scriptum testimonium super hoc invenienti ut matricibus Ecclesiis justitias suas restituat, ne de rebus ecclesiasticis facta usurpatio Deo faciat odibiles, partem peregrini ab episcopo subsidium poscentis, partem clerici Deo militantis, partem pauperis consolationem in sua Ecclesia non invenientis, partem Ecclesiæ fabricarum restauratione indigentis pervasione quadam possidentes.

CAPUT LI.

Occurritur objectionibus monachorum qui quartam decimarum partem sibi vindicant, cum nolint ani-

A *marum in se curam suscipere. Idem est de quibusdam canonicis.*

Hic obiiciunt monachi : Si, inquiunt, ab episcopo sua quarta de toto episcopatu collecta in peregrinorum et hospitum susceptione, non in militum, scutariorum, joculatorum, histrionum donis et epulationibus consumeretur; si episcopo illi sanctus episcopus, quem beatus Gregorius in suo dialogo commendat, eo quod joculatori non detrahenti, non aurium pruritum inani fabulatione moventi, sed cum simia et tympano simpliciter et innocenter ludenti, ad suum prandium non permisit accessum : quin potius propter hoc nuntiavit illum citissime moriturum, quod episcopo divinis intento stans ad januam joculator ingessit ludicrum sonum; si episcopi contenti religiosis cubiculariis (164), B remotis a se militum turmis et militaribus ministris, ita viverent, ut juxta consilium beati Hieronymi mensam eorum pauperes et peregrini, et cum illis Christus conviva, nossent; si episcopi de his, quæ suæ domesticæ et strictæ necessitati superesse possent, xenodochia, id est hospitales domos, procurarent; si, inquiunt, se sic agendo episcopi quartam suam recte dispensarent, periculose ad eam retinendam nos monachi contenderemus, quia mundanis oblationibus, et victu de opere manuum quæsito contenti esse debemus. Nunc autem, ut de cæteris portionibus interim taceamus, cur a nobis quarta episcopi reposcitur; ut inde aut miles pascatur, aut equus incrassetur, aut joculator et publicus absentium detractor et præsentium assen- C tator muneretur, aut castrum potius quam xenodochium ædificetur ?

Item dicunt monachi : Si clerici per unamquamque matricem, præposituralem, baptismalem Ecclesiam canonice, apostolice, et non apostatice viverent; recte illis quarta decimarum portio præberetur : quibus in transversum euntibus eadem quarta nulli congruentius quam nobis monachis apostolicam vitam ducentibus præbetur. Quoniam illud, quod deberet accipere clerus, non rapinam arbitratur monachus clericalem ordinem sortitus, atque ideo clericus : maxime cum sit paratus partem cleri dimittere, si eum videat clericaliter incedere.

D Cogimur hic recordari veteris historiæ, secundum tenorem cujus possumus monachis ista dicentibus competens responsum dare. Legitur in libro Ruth quemdam Elimelech propter famis magnitudinem de Bethlehem peregrinando venisse cum duobus filiis suis et uxore sua Noemi in terram Moab. Quo mortuo reversa est Noemi cum nuru sua Ruth, quoniam audierat escas esse in patria, de qua propter famem fuerat egressa. Historiam notam sufficiat commemorasse, quam, qui vult, in libro Ruth inveniet plenarie. Inveniet quoque illic inter cætera, quod propinquus quidam defuncti Elimelech, cum voluisset agrum ipsius Elimelech possidere propinquitatis jure, Ruth quoque Moabitidem cogebatur accipere uxorem, ut suscitaret semen defuncto propinquo et sic obtineret agrum jure legitimo. At ille quoniam defuncti propinqui semen suscitare noluit, possessionem quoque agri alteri dimisit, videlicet Booz benigno suscitatori seminis fratrum. Hic enim Booz, accepta uxore propinqui defuncti nomine Ruth, genuit Obed ex ipsa Ruth patrem Jesse, patris David regis, qui fuit insigne decus paternæ stirpis.

Similiter fatemur, fame verbi Dei cogente verum Elimelech, quod interpretatur *Deus meus rex* (*Ruth* I), civitatem suam Bethlehem quodammodo reliquisse, et quasi defunctum, imo vere non solum a Judæis, sed etiam a falsis Christianis occisum, suscitatore seminis, id est verbi divini, indigere, ne careat sobolis legitima successione. Si ergo monachi vere Salvatoris propinqui volunt sic decimas cujuslibet ecclesiæ possidere, ut per sacerdotale regimen suscitent ex ea, quasi de Ruth, quod interpretatur *videns vel deficiens*, legitimum regimen (quod præfiguratum fuit per David legitimum regem), bene potest hoc approbari. Quoniam sic poterit per industriam monachorum ordo canonicorum resuscitari; imo ipsi monachi erunt vere clerici et canonici, quasi quidam successores beatorum monachorum, Gregorii et Martini, qui, salva virtute monachatus, facti sunt clerici oves pascendo, et canonici canones observando : alter in papatu, alter in archiepiscopatu. Unde constat quod factum est in magnis, posse quoque fieri in parvis ecclesiis : ut videlicet regantur a monachis utentibus earum decimis. Neque enim vel monachi vel claustrales canonici sine periculo utuntur decimis plebium, nisi habeant curam earum.

Cum enim apostolica confirmat auctoritas, ut, qui pascit gregem, de lacte gregis manducet; et qui plantat vineam, de fructu ejus participet; cumque clericalis annona et clericalis militia sint conjuncta, ut corpus et anima : qui hæc ab invicem dividit, ex quibus conjunctis vita Ecclesiæ subsistit, Ecclesiam occidit; et periclitatur circa illud anathema, quod Urbanus papa et martyr in suis decretis intentavit, in quibus vitam communem clericorum per omnes matrices ecclesias confirmavit. Igitur etsi rarus quisque religiosus episcopus inveniatur, etsi nullus clericus canonice vivens decimis recto

(164) Gregorius papa coram sacratissimo B. Petri apostoli corpore cum episcopis et omnibus Romanæ Ecclesiæ presbyteris residens, astantibus diaconibus et cuncto clero dixit : « Verecundum in nostro tempore indiscretionis malum inolevit, ut hujus sedis pontificibus ad secreta cubilis servitia laici, pueri ac sæculares obsequantur. Et cum pastoris vita esse discipulis semper debeat in exemplo, plerumque clerici, qualis in secreto sit vita sui pontificis, nesciunt, quam tamen, ut dictum est, sæculares pueri sciunt. De qua re præsenti decreto constituo ut quidam ex clericis vel etiam ex monachis electi ministerio cubilis pontificalis obsequantur : ut is, qui in loco est regiminis, habeat testes tales, qui ejus in secreto conversationem videant, et qui ex visione sedula exemplum profectus sumant. »

utatur, etsi nulla ecclesia de his instauretur, etsi nullus pauper inde pascatur, tamen nihilominus anathema incurrit, qui contra decimarum ordinationem divina et paterna confirmatione per Evangelia et multa concilia Patrumque decreta confirmatam, novam inducit exordinationem sub anathemate, ut diximus, prohibitam.

Quidquid enim sub anathemate constat prohibitum, si hoc scienter committitur, aut ignoranter commissum statim, cum fuerit cognitum, non deseritur : sine dubio importat anathema præsumptoribus, et in sua præsumptione durantibus; etiamsi eos nunc toleret in sua societate conventus ecclesiasticus, sine dubio eos in ultimo examine de medio sui auferendos exspectans : quando *mittet Filius hominis angelos suos, ut colligant de regno* B *suo omnia scandala* (*Matth.* XIII, 41). Tunc erit anathema Maranatha, quod nunc præ multitudine zizaniorum exspectat Ecclesia.

Videamus nunc verba Urbani papæ et martyris terribile illud anathema contra milites et monachos et omnes ordinatarum decimarum exordinatores promulgantis :

« Res, inquit, Ecclesiæ non quasi propriæ, sed ut communes et Deo oblatæ cum summo timore non in alios, quam in præfatos usus sunt fideliter dispensandæ : ne sacrilegii reatum incurrant, qui eas inde abstrahunt, ubi traditæ sunt; et quod pejûs est, anathema Maranatha fiant; et si non corpore, ut Ananias et Saphira fecerunt, qui mortui ceciderunt : tamen anima, quæ potior est corpore, C mortua et alienata a consortio fidelium cadat; et in profundum barathri labatur. »

Si ergo juxta hæc verba sacrilegium committendo anathema Maranatha incurrunt, qui res Ecclesiæ inde abstrahunt, ubi traditæ sunt, quid in ultimo examine defendet monachos, non dico nunc proprias decimas detinentes (neque enim decimæ requirendæ sunt a monachis de fructibus, quos propriis manibus ac sumptibus elaboraverint), nisi essent laici et militati monachi indigentes ministerio clericali. Sic fieri approbant quidam Romani pontifices monasteriorum septa in tanta libertate ponentes, ut libere Deo possint vacare, licet eorum rustici decimas omnino debeant persolvere ad ecclesias, ubi suos infantes baptizant. Non ergo nunc D notamus monachos vel canonicos decimas ex permissu Romanorum pontificum proprias detinentes; sed de aliena eas portantes parochia, forsitan ita longinqua, ut evidenter appareat quod rerum illius ecclesiæ ad aliam transportatio nihil est aliud, quam inde, ubi traditæ fuerunt, exitialis ablatio, neglecta videlicet ac destructa illic speciali et clericali militia; unde abstrahuntur illius militiæ stipendia. Talem nimirum oblationum ablationem prædictus papa sacrilegium nominat, atque illam sub anathemate damnat.

De hac injusta decimarum pervasione tractans Ivo episcopus Carnotensis in quadam sua epistola A periculum quidem talis injustitiæ aggravat, quam monachus non militans militiæ stipem usurpat : sed tamen hoc non approbat, ut subjecti abbatibus monachi suos abbates propter istiusmodi transgressionem relinquant. Quibus hoc poterit coram Deo veniam obtinere, si hoc malum æquitate improbant; et si hoc auferre non possunt, cum discreta reclamatione supportant.

Videtur autem hoc legi divinæ per Moysen datæ convenire, quæ *morticinum* (*Levit.* XI, 25), cogente necessitate, sinit portari, sic scilicet, ut is, qui morticinum portat, non nisi vestimentis aqua lotis, mundus habeatur. Sicut et hic monachus per necessitatem stabilitatis conservandæ, portans mortale non a se sed ab aliis factum peccatum, a nobis B mundus judicatur : si tamen super hac ipsa necessitate dolens lacrymis pœnitentialibus lavatur, lacrymisque vel gemitibus crebris per necessitatem, non per voluntatem, se morticinum portare testatur; ut ex ipsa necessitate secundum legem Dei veniam mereatur.

Neque enim absque necessitate sinit lex morticinum vel tangi vel portari. Unde non video qualiter illi fratres, et maxime congregationum monasticarum seu canonicorum prælati valeant excusari, quos ad hujusmodi exordinationem perpetrandam non tam constringit necessitas, quam propria inflammat cupiditas. Qui etiam, si vellent, istud morticinum, cujus contagione infirmum pecus maculatur, possent omnino de medio tollere : ut nullo C modo ad eos respiceret illa Domini querela, qua per prophetam væ imprecans pastoribus semetipsos pascentibus, *lac*, inquit, *comedebatis, et lanis operiebamini; et factæ sunt oves meæ in direptionem* (*Ezech.* XXXIV, 3 et seq.). Istud sane improperium cavendo, caveant quoque illud anathema, quod contra decimarum alienatores continent Urbani papæ et martyris decretalia scripta.

Hoc nimirum anathema per hoc solvitur; non quod in baptismali ecclesia, ubi comportari et dispensari secundum canones debent; neque degunt clerici de uno quadrante communiter et regulariter pascendi; neque colliguntur viduæ et pauperes et infirmi de alio quadrante fulciendi; neque viget D cultus matricis Ecclesiæ de tertio quadrante restaurandæ et ornandæ. Quidquid enim de quadrante ad episcopum pertinente agatur, sive scilicet in baptismali ecclesia præcepto illius in hospitalitatis officio expendatur; sive ad matricem et episcopalem ecclesiam deferatur, aut suo stipendio episcopali insumendus, aut ipsius xenodochio, quod semper in civitate peregrinis et viatoribus consolatione indigentibus patere debet, jubente illo inferendus : ut sive absente sive præsente episcopo nullus transeat, prout facultas admittit, inconsolatus. Quidquid horum de episcopi quadrante fiat (de quo, ut beatus Gregorius ad Martinianum Ravennatem episcopum scribens testatur : sive absens sive præsens sit episcopus, hospitalitatis et susceptionis officium

in episcopali sede procurari debet; atque ideo, nisi quid ibi superabundat, extra civitatem expendi non debet), illi tamen tres quadrantes clericorum, pauperum, et ecclesiæ nunquam debent a parochia in parochiam transportari, spoliata illi baptismali sede, ad quam in initio fuerunt consignati.

CAPUT LII.

Plura in eamdem rem. Ubi etiam Gregorii VII constitutio de decimis monachorum et canonicorum regularium explicatur.

Verumtamen ipsa sedes rationabiliter de loco in locum translata cogit decimas ad se comportari, quæ a clericis ordinate viventibus et populo, qui decimas persolvit, providentibus ita debent dispensari, ut unam portionem sibi retineant, unam fabricis impendant, unam pauperibus maxime de illa et in illa ecclesia indigentibus sub tali testimonio expendant; ut in eorum ordinabili collegio portis gregis et piscium, de quibus supra tractatum est, ædificata cernatur in ptochio pauperum porta fontium, in refectionem indigentium jugiter patens inveniatur; atque in toto populo de bona matris Ecclesiæ imitatione informato porta sterquilinii per largas eleemosynas fabricetur, atque his quatuor portis ædificium, de quo agimus, decenter ornetur.

Ecclesia vero de sua portione tantum decoris in libris, vestimentis ac cæteris utensilibus accipiat, ut candelabrum in medio collocatum non solum utilitatem per spiritalem illuminationem, sed etiam decorem et exteriorem pulchritudinem circumjacenti parochiæ præbeat.

Quæ pulchritudo et utilitas tota dissipatur, quando baptismalis ecclesia tribus portionibus apud se juxta canones dispensandis, vel a monachis per falsam justitiam, vel a militibus per apertam injustitiam spoliatur. Quos utrosque res Ecclesiæ inde abstrahentes prædictus papa multis in verba sua consonantibus et sacrilegio notabiles facit, et anathemate, licet nunc ab illis neglecto, tamen Maranatha, id est in adventu Domini manifestando percellit. In tantum quippe ordinem præsignatum per matrices et baptismales ecclesias perdurare voluit, ut non monachis aut militibus tantum, sed ipsis etiam episcopis et omnibus omnino personis, futuris perpetuo temporibus, damnationem intentaret, si quis apostolica et decretalia ipsius constituta convellere niteretur. In quibus, quæ prædiximus, post multam ipsius communis vitæ in clero per omnes ecclesias tenendæ commendationem his verbis confirmat:

« Memoratis, inquit, augmentationibus ac cultibus in tantum ecclesiæ, quibus episcopi præsident, Domino adminiculante creverunt; et in tantis maxima pars earum abundavit rebus, ut nullus sit in eis communem vitam eligens indigens; sed omnia necessaria ab episcopis suisque ministris percipiat. Ideo si aliquis exstiterit modernis aut futuris temporibus, qui hoc avellere nitatur, jam dicta damnatione feriatur. »

Quid autem valet, quod tam antiquis decretis ac postea in multis conciliis, matricibus et baptismalibus ecclesiis pertinentia decimarum confirmata est, si monachorum vel militum nova et injusta justitia statutis Patrum præferenda est? Sane ut videantur monachi ex auctoritate sibi parochiarum decimas vindicare; ut impiæ indigentium deprædationes aliquatenus videantur palliatæ, muniunt se cujusdam capituli a Gregorio VII dati auctoritate, cujus textus ita se habet: « Ut nullus abbas decimas et primitias et reliqua, quæ secundum statuta canonum ad episcopos pertinent, sine auctoritate Romani pontificis, seu episcopi consensu, in cujus diœcesi habitat, detineat, apostolica sanctione firmamus. »

Miro modo in textu istius capituli falluntur sagaces monachi. Nam cum in eis in eodem capitulo caute insinuetur, qua dispensatione suas, suorum scilicet laborum, decimas, quas propria usurpatione non debent retinere, concessione Romani seu proprii pontificis valeant licite possidere, utpote qui non indigent servitio clericalis militiæ: ipsi occasione hujus capituli alienas decimas captant; idcirco videlicet, quod hoc solummodo a Gregorio VII indulgetur, ut, permittente Romano pontifice in sua speciali parochia, vel alio quolibet episcopo in sua, monachis liceat suas decimas et primitias detinere; non tamen alienas pervadere.

Quod ipsum, scilicet ut monachi, velut et regulares canonici, de fructibus proprio manuum vel sumptuum suorum labore conquisitis non exigantur decimas dare, confirmat papæ Innocentii nuper facta constitutio in Pisano concilio. Similiter in aliis Romanorum pontificum edictis infra septa monasteriorum confirmatur hæc libertas monachis, ut de fructibus domesticis nihil decimarum exigatur ab illis. Sed tamen nulla confirmat illis, vel confirmare potest auctoritas, ut decimas perpetuo jure possideant: quas baptismalibus ecclesiis inferendas firmissima Patrum testimonia probant.

Antiquis enim regulis caute sancitum constat, ut coloni monachorum ibi decimas persolvant, ubi infantes suos legitime baptizant. Si ergo monachi nec illas decimas possunt retinere, quas ipsorum coloni debent baptismali ecclesiæ, qua præsumptione hoc affirmant sibi licere, ut fundamentum canonicæ institutionis funditus evertant; ac tam novas leges introducant, quibus decimas antiquo jure baptimalibus ecclesiis inferendas, atque ibidem vel communi vitæ insumendas, vel secundum canones quartandas, ipsi aut dimidias aut totas aut alio quolibet modo non recte divisas colligant; et aut episcopum, aut clerum, aut ecclesiam, aut viduam sive pauperem spoliando, terribile anathema contra canonum sponte ac scienter violatores frequenter dictatum incurrere non timeant?

Sanctus quidam Pater a beato Gregorio in suo dialogo valde commendatur; eo quod oblationem illius recusaverit, quem Deo suam oblationem abstulisse constitit. At isti oblationem Dei auferunt; et pauperibus cum Lazaro in una qualibet parochia

indigentibus magnam injuriam faciunt, destruendo in baptismalibus ecclesiis portas fontium; quæ de uno decimarum quadrante semper deberent patere in refectionem pauperum.

O quanto rectius agerent, si supranotatum Patrem rite imitando, etiam laicorum oblationes vitarent, qui contra fas, contra jus decimas retinentes, quandiu oblationem suam auferunt frustra suas oblationes religiosis offerunt. Dum enim sanctam religionem destruunt, de qua scriptum est: *Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem hæc est, visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo* (*Jac.* I, 27); dum, inquam, talem religionem destruunt, ac per hoc anathema Maranatha incurrunt, cavendum est monachis et omnibus religiosis, ne hoc anathemate lædantur, quando per eos pauperum spoliatores in sua iniquitate confortantur. Quorum si tandiu vitarent oblationem, donec ipsi primitus Deo recognoscerent oblationem suam, puto quoniam et eos laudaret sanctus Gregorius, non jam loquens in dialogo, sed cum Christo regnans in cœlo.

Idem tamen scribens ad Augustinum Anglorum archiepiscopum satis insinuat quod lex ista ecclesiasticas possessiones quartandi non est posita, nisi propter transgressores apostolicæ vitæ, clericos scilicet sæculares. Nam communi vita viventibus nulla lex posita est, nisi ut omne, quod superest, pauperibus et indigentibus tribuatur. Unde cum præfato Augustino Anglorum archiepiscopo legem propter transgressores positam beatus ille commemorasset; ne communiter viventibus putaretur eadem lex data quæ propter transgressores est posita, ait: « Communi autem vita viventibus jam de faciendis portionibus vel ad exhibendam hospitalitatem, vel ad implendam misericordiam, quid nobis erit loquendum, nisi omne, quod superest, in causis piis ac religiosis erogandum, sicut scriptum est: *Verumtamen quod superest, date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis?* » (*Luc.* XI, 41.)

Ecce Deo gratias, beatus Gregorius evidenter indicat, quod ad communis vitæ observatores quartatio, de qua loquimur, non pertineat. Quam tamen cæteris clericis extra communem vitam viventibus adeo necessariam indicat, ut, quisquis seu episcoporum seu clericorum extra communem vitam viventium de decimis cæterisque stipendiis ecclesiasticis, præterquam inde statutum est, suo tempore faceret, non dubitaverit hoc appellare usurpationem. Neque enim solas decimationes et antiquas agrorum pensiones per singulos annos voluit per ecclesiasticos ministros episcopo judicante dispensari; sed hoc ipsum in novis Ecclesiarum acquisitionibus præcipiendo statuit observari, ut episcopus super his aliam potestatem non haberet, nisi ut tam novas quam veteres acquisitiones quartando juxta canones dispensaret.

Unde scribit Maximiano episcopo Syracusano inter cætera: « Cognovimus de redditibus Ecclesiæ noviter acquisitis canonicam dispositionem quartarum minime provenire; sed episcopos locorum tantummodo distribuere quartam antiquorum redditnum, nunc vero quæsita suis usibus retinere. Quamobrem pravam, subintroductamque consuetudinem fraternitas tua vivaciter emendare festinet, ut sive de præteritis redditibus, sive de his qui noviter obvenerunt vel obvenient, quartæ secundum distributionem canonicam dispensentur. Incongruum namque est unam eamdemque Ecclesiæ substantiam duplici quodammodo censeri, id est, usurpationis et canonum. »

Auditis, o monachi, quomodo beatus Gregorius exsecrando novas usurpationes, et commendando sacros canones, pravam consuetudinem vivaciter emendari præcipit, quam sacris canonibus adversari deprehendit?

Si ergo nec novas acquisitiones hujus tanti pontificis auctoritas permittit episcopis aliter dispensare, quam statutum est reverenda canonum sanctione, quare vel episcopi eas taliter tradendo præsumunt? vel monachi eas a tradentibus accipiunt, affirmantes hanc esse legitimam traditionem, quam beatus Gregorius, ut lectum est, appellat « usurpationem, et pravam, subintroductamque consuetudinem? » Si tam plana esset a septimo Gregorio sententia monachis data ad parochiarum recipiendas decimas, quam plana et plena est primi Gregorii talem usurpationem prohibens auctoritas, puto tamen quia recte potior et antiquior auctoritas præponeretur; si Gregorius Gregorio, minor majori adversaretur. Sed absit ut hoc a nobis sentiatur, ut inter ultimum et primum Gregorium de constitutione decimarum dissentiatur, cum sicut primus, ita et ultimus canonum constituta etiam a monachis in hac subtantia servari præcipiat; vixque illis decimas proprias cum episcoporum licentia detinere permittat. Quæ permissio septimi Gregorii primo Gregorio non multum adversatur. Qui monachorum libertati et quieti multum in suis decretis suffragatur; ita tamen, ut in synodo Chalcedonensi legitur, sub episcoporum potestate ipsi monachi permaneant; alioquin ejusdem synodi statuta eos communione privant.

Si ergo episcopo justitiam decimarum exigente, rebelles fiunt monachi, juxta statutum synodi Chalcedonensis propter ipsam rebellionem excommunicandi, juxta illud anathema periclitantur, quo violatores quatuor principalium conciliorum a beato Gregorio in sua synodica multantur. Nam si juxta sententiam illius, qui horum quatuor conciliorum soliditatem non tenet, etiamsi lapis esse videatur, extra ædificium jacet: cavendum est monachis per Chalcedonensem synodum ad obedientiam episcopi sub excommunicatione restrictis, ne præsumant illi sancta et juxta præcipienti, ac decimas juxta canonum scita disponere volenti aliquatenus repugnare. Quia Gregorius septimus, in quo fallaciter confidunt, nec vult nec potest tales rebelliones a beato

Gregorio anathemati addictos liberare: quin imo etiam ipse gravius offenditur quod ejus capitulum, non contra sed secundum canones datum, prava interpretatione ab eis pervertitur.

CAPUT LIII.

Præmissam doctrinam pluribus roborat, præsertim auctoritate sancti Gregorii Magni cujus exemplo episcopi ad curam pauperum et peregrinorum incitantur.

Sufficiant hæc pauca monachis et militibus responsa, quorum neutri poterunt sibi decimas per aliquam justitiam vindicare, si anathema contra canonum sponte violatores promulgatum voluerint evitare. De quorum numero si quis pro anima sua sollicitatur, episcopo etiam non reposcenti ecclesiasticas facultates reddere non gravabitur. Nec eos poterit securos facere consensio vel taciturnitas adhuc mortalis episcopi, contra quos clamant Patres in cœlo conscripti: præsertim cum episcopo nec de sua speciali portione liceat, quam ei paterna traditionum regula prædictat.

Unde beatus Gregorius Augustino Anglorum episcopo scribens, ita dicit: « Mos apostolicæ sedis est ordinatis episcopis præcepta tradere. De stipendiis Ecclesiæ vel de his, quæ fidelium oblationibus accedunt altario, quatuor debent fieri portiones. Una videlicet episcopo et familiæ propter hospitalitatem atque susceptionem; alia clero, tertia pauperibus, quarta in ecclesiis reparandis. »

Ecce audivimus quia non propter monachos aut milites ditandos et consolandos decimarum portio in quarta episcopo disponatur, a quo talium susceptio in episcopali sede canonum justitiæ sic debetur, ut episcopus graviter accusandus notetur, si per suam Ecclesiam transierit egens peregrinus, ex parte pontificis consolationem talibus pro posse debentis inconsolatus.

Unde item beatus Gregorius, ut supra perstrinximus, Secundino servo Dei scribens, inter cætera sic ait: « Fratrem nostrum Marinianum episcopum verbis, quibus vales, excita, quia eum obdormisse suspicor. Nam venerunt quidam ad me, in quibus quidam senes mendicantes, qui a me discussi sunt, a quibusdam quid acceperint, ut per singula retulerunt, quando est et a quibus in itinere data sint. Quos cum sollicite de prædicto fratre requirerem, quid eis dedisset? responderunt se eum rogasse, sed ab eo nihil accepisse, ita ut neque panem in via acceperint, quod dare omnibus illi Ecclesiæ semper familiare fuit. Dixerunt enim: Respondit nobis dicens: Non habeo, quod vobis dare possim. Et miror, si is, qui vestes habet, argentum habet, cellaria habet; quod pauperibus dare debeat, non habet. Dic ergo illi, ut cum loco mutet mentem. Non sibi solam lectionem credat et orationem sufficere, ut remotus studeat sedere, et de manu nihil fructificare; sed largam manum habeat, necessitatem patientibus concurrat, alienam inopiam suam credat. Quia si sic non habet, vacuum episcopi nomen tenet. »

In quibus verbis hoc diligenter pensandum est, quod episcopus, qui lectioni et orationi deditus fuisse significatur, tantum propterea sancto pontifici redarguendus videbatur: quod viatoribus consolatione indigentibus atque hanc ab episcopo poscentibus nihil fuerat consolationis impensum; cum tamen propter consolandos unum decimarum quadrantem constet ex tota episcopatus parochia dispositum. Quod si episcopus ille religiosus fuisset, qui res pauperum divitibus dare, aut ex his castra ædificare non timuisset, non hoc in sua redargutione tacuisset beatus Gregorius, pauperum tam diligens patronus, ut, sicut superius dictum est, episcopum Paschasium vehementer increparet, cur, pauperibus neglectis, de rebus Ecclesiæ navim fabricare præsumeret: cui etiam in suis litteris numerum solidorum improperavit, quos in eadem navi fabricanda illum expendisse audivit (165).

Usque adeo vir sanctus voluit res Ecclesiæ, non juxta novas usurpationes, sed juxta canones antiquos dispensari: ut nec infirmitate corporis ab indigentium susceptione apud illum aliquis potuerit excusari; quam de portione ad episcopum pertinente semper in episcopali ecclesia voluit esse paratam, etiam episcopo absente. Hinc est quod Marinianum Ravennatem episcopum pro infirmitate corporis in civitate morari non valentem talibus verbis alloquitur: « Venientes quidam Ravennates homines gravissimo mœrore me invenerunt perculsum, quia fraternitatem tuam retulerunt de vomitu sanguinis ægrotare. Ex qua re sollicite et singillatim eos, quos hic doctos lectione novimus medicos, fecimus requiri: et quid singuli senserint, quidve dictaverint, sanctitati vestræ scriptum misimus. Qui tamen quietem et silentium præ omnibus dictant: quam si tua fraternitas in sua ecclesia possit habere, valde sum dubius. Et ideo videtur mihi, ut ordinata illic ecclesia, vel qui missarum solemnia explere valeat, vel qui episcopii curam gerere, hospitalitatem et susceptionem possit ex-

(165) Gregorius Anthemio subdiacono Campaniæ: « Pervenit ad nos fratrem et coepiscopum nostrum Paschasium ita desidem negligentemque in cunctis existere, ut in nullo, quod episcopus est, agnoscatur: adeo ut nec Ecclesia ipsius, neque monasteria, sive filii, vel oppressi ejus erga se dilectionis studium sentiant; nec aliquam supplicantibus sibi, in quibus justum est, opem defensionis accommodet. Et quod adhuc dici gravius est, consilia prudentium et recta suadentium nulla patiatur ratione suscipere; sed rebus, quæ ad pastoris curam pertinent, prætermissis, ad fabricandam navim toto se studio inutiliter occupet. Unde, sicut fertur, contigit quadringentos, aut eo amplius, illum jam solidos perdidisse. » Et post aliqua: « Si vero, quod non credimus, post adhortationem nostram solito adhuc more negligens esse tentaverit, ad nos est modis omnibus transmittendus, ut hic positus discere possit quid vel qualiter secundum Dei timorem agere conveniat sacerdotem. »

hibere, quive monasteriis custodiendis præesse, A tua fraternitas ad me ante æstivum tempus debeat venire : ut ægritudinis tuæ ego specialiter, in quantum valeo, curam geram, quietemque tuam custodiam. »

Quid iste vir sanctus diceret, si nostro tempore videret episcopos in castris suis morantes, et egentium susceptionem in civitate procurandam negligentes; atque hoc, quod egentibus debebatur, militibus distribuentes? puto quod nec in episcopis tale dominium, nec in militibus tale hominium illi placeret, per quod pauperes dispoliari videret. Puto quod nec monachorum illi placeret importunitas, a quibus ita contemnitur canonum auctoritas, ut dicant episcopo licere, quod ei affirmant sancti Patres non licere (166). B

Dicunt enim quod saltem suam portionem possit episcopus monachis, vel alteri, cui voluerit, dare : de qua secundum canonicas regulas in episcopali ecclesia et sicubi permittit, per cætera loca, debet hospitalitatem et susceptionem procurare. Illi novas leges componendo, cogitant consilia, quæ non poterunt stabilire ; nos, quæ prius dicta sunt, ostendimus jam diu sic stabilita esse, ut, quisquis nobis in his adversatur, non nobis, sed sanctis in cœlo regnantibus contrarius inveniatur. Speramus autem meliora et viciniora saluti ex parte monachorum pro salvatione animæ suæ sollicitorum. Quia, Domino tribuente, fieri potest ut multi eorum, qui in pauperum substantia per ignorantiam deliquerunt C et adhuc delinquunt, patefactæ veritati acquiescant; et milites, qui eorum exemplis ad decimas retinendas confortari et palliari solebant, ipsi monachi fortius compescant : quando illud per monachos decimas relinquentes militibus manifestatur, quod datio vel præstatio ab episcopo contra canones facta, non solum danti, sed etiam accipienti mortem et anathema Maranatha operatur ; sicut præmissis auctoritatibus evidenter probatum agnoscitur.

Sane, quia Ecclesiæ, quæ regulariter non sunt dispositæ, speciem habent pupillorum tutoribus ac actoribus indigentium : si tales Ecclesias, velut hæredes parvulos, monachi susciperent omnino regendas et tuendas usque ad aliquod præfinitum D tempus ab episcopo, posset hoc utcunque tolerari, si tamen ipsi monachi vellent esse tutores fidi, non perfidi. Notatur enim in tutore perfidia, si non ad hoc studeat nutrire parvulum hæredem sibi commissum, ut idoneus efficiatur ad regendam hæreditatem suam per se ipsum. Sic et monachorum notatur perfidia, si sic tractetur ab eis aliqua Ecclesia, ut, licet sit ei facultas ad quantulamcunque congregationem regulariter sustentandam, ipsis tamen impedientibus et facultatem ejus ad se trahentibus nunquam fiat libera et idonea ad regularem ordinationem, volentibus monachis perpetualiter possidere illius hæreditariam possessionem. Sed et hoc utcunque portari posset, si ipsi monachi lac et lanam ovium cujuslibet Ecclesiæ accipientes, pascerent per se ipsas oves. Illud vero penitus est intolerabile ac nimium exsecrabile, velle monachos lanam et lac de ovibus colligere, et ovium curam nolle habere : vel quod adhuc pejus est, alicui mercenario seu lupo eas committere. Quod quia periculosum est monachos jam diu fecisse, utinam vellent in compensationem præteritorum excessuum adhuc tenere ordinem suum, et favere ordinationi sacrorum canonum !

Tunc ipsis monachis legitime certantibus et justitiam Ecclesiæ defensantibus reædificarentur portæ fontium in refectiones egenorum per unamquamque matricem seu baptismalem Ecclesiam pascendorum. Tunc ipsis una cum clericis laborantibus ubi eos invitaret episcopus, tale consurgeret ædificium; quod in veritatis petra, non in pravarum consuetudinum arena, per hoc pateret esse fundatum, quia nullo impulsu posset moveri, etiamsi omnia tentationum flumina illi contingeret illidi. Speramus in Domino, quod optamus, posse fieri : quod cum factum fuerit ædificium, de quo tractamus, firmiter stabit.

Erunt enim clerici, non acephali, sed regulares facti, principales in hoc ædificio provisores, vigilias et excubias suas custodientes : ut de illis cantari possit : *Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes ; tota die et tota nocte non tacebunt laudantes nomen Domini* (*Isa.* LXII, 6). Sic ergo clericis vigilantibus et laudantibus nomen Domini, monachi sancti cellam vinariam ingressi inebriabuntur ab ubertate domus Dei, quia hoc ædificium, de quo Deo largiente tractavimus, non est aliud, nisi domus Dei et porta cœli.

In hac domo colligitur familia, cui per episcopum dispensanda est in tempore tritici mensura. Contra istam familiam pugnat mundus in suis principibus. Sed licet in adversario nostro gigantea statura cernatur, tamen per episcopum, quasi per humilem et parvum David, prosternendus non dubitatur : si tamen ipse episcopus, non Saulis arma regalia et in se confidentibus usitata, sed David pastoris arma et instrumenta pastoralia eligat, quibus contra superbiam mundi pugnaturus procedat.

(166) Ex concilio Romano : « Quicunque militum, vel cujuscunque ordinis vel professionis prædia ecclesiastica a quocunque rege seu sæculari principe, vel ab episcopis invitis, vel abbatibus, aut ab aliquibus Ecclesiarum rectoribus suscepit vel susceperit, vel invaserit, vel etiam eorumdem rectorum depravato seu vitioso consensu tenuerit ; nisi eadem prædia Ecclesiis restituerit, excommunicationi subjaceat. »

In his verbis notandum est quod ecclesiasticarum rerum alienatio nihilominus damnatur sub excommunicatione; et quando roboratur, vel toleratur prælatorum depravata consensione.

CAPUT LIV.

Epilogus et peroratio Gerhohi ad Chunonem episcopum Ratisbonensem.

Ut etiam te, o venerande præsul Chuno, cui hoc opusculum Deo tribuente compositum offerimus, circa finem specialiter alloquar; nonne fuisti pastor ovium, strenuus scilicet rector monachorum? nonne in episcopum electus et quasi pro multorum salute ad pugnam destinatus, vestimenta et arma Saulis induisti, quando juxta morem prædecessorum tuorum, non antiquorum sed modernorum et proximorum, milites ac principes in hominium suscepisti, quasi per tales contra mundum pugnaturus ac triumphaturus esses? Quibus tanquam armis tibi parvo et in solo Deo confidenti non competentibus gravari et impediri te sentis, et senties: si non illis depositis et exutis pastoralia tantum instrumenta resumes; quæ et antea portare consueveras, quando nullo principe, nullo milite stipatus pastoraliter incedebas.

Attamen non modica differentia inter illum tunc monasterialem et nunc episcopalem statum tuum est observanda. Tunc enim suffecit in pastoralem peram de lacte coagulato tales cibos colligere, quibus innocentes et simplices judicabas pascendos, et in robur virile nutriendos esse. Nunc vero, quia contra mundi superbiam pugnaturus incedis, etiam lapides limpidissimos de aqua Scripturæ colligere necessarium habebis: ut, qui de sanctissimo pectoris tui receptaculo doctrina lactea non vegetatur, sed, quod pejus est, contra humilitatem tuam erigitur; hunc sententia judicialiter dictata quasi funda bene librata lapide anathematis percutiat, et ad terram usque prosternat, proprio gladio jugulandum, et illo capite privandum, cujus membra Christum crucifixerunt, et usque hodie in suis membris crucifigunt. Tunc tibi de bello revertenti, et omnem victoriam verbo veritatis, non tibi, tribuenti dicetur illud canticum a turbis obviantium tuisque studiis pio favore astipulantium: *Saul percussit mille, et David decem millia in millibus suis* (*I Reg.* XVIII, 7). Cum enim satis timeretur prædecessor tuus, utpote Sauli quodammodo comparatus; quia supereminebat totum populum ab humero et sursum præ multitudine principum suorum cognatorum: tu de tribu Juda natus, tu per veritatis confessionem nobilitatus, magis formidabilis eris mundi principibus, quam si tu contra principes pugnaturus confidas in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus.

De te autem taliter pugnante, quasi de viro desiderabili et manu forti, nascetur Salomon pacificus; quia post aliquantam pugnam pace super pacem eris munerandus, ut, te cooperante in Domino, glorieris templum ædificatum, quod, Deo primi hominis costam ædificante, fuit inchoatum. A cujus introitu quia propter peccata mea longe sum repellendus, tuis et omnium, qui hoc opus lecturi sunt, rogo adjuvari precibus, ut mihi non imputetur peccatum, quod fœdus pulchrum, contaminatus mundum, ex parte Dei monstravi ædificium. De quo adhuc plura possent monstrari, si a lippis cordis mei oculis tantus fulgor posset tolerari. Sed puto, non expedit, ut a nobis ulterius procedatur, quoniam per sanctos Patres multipliciter de hoc ædificio tractatur: qui docent expresse, quid in eo sit turris David ædificata cum propugnaculis; quid turris Libani, quæ respicit contra Damascum; quid cæteræ turres Jerusalem, quæ gemmis ædificantur; quid denique omnia, quæ vel in templo vel in tabernaculo figuraliter commemorantur. B

Cum ergo de omnibus istis abunde a sanctis Patribus tractetur, mihi, quæso a te, Pater, et ab omnibus hoc opusculum lecturis venia impetretur, quod, licet jussus et tuis precibus coactus, præsumpsi oculos fœdos in tantam pulchritudinem attollere, atque hanc aliis multo me sapientioribus et melioribus demonstrare, quam ego ipse de longe aspicere non sum dignus. Nec ad eam aspiciendam aliquatenus fuissem admissus, nisi quod sæpe indignus ac degener servus, non dominorum mensam tractaturus, sed ministris dignis ad mensam accedentibus aliquid post tergum administraturus in C conspectum dominorum admittitur. Qui tamen suo ministerio completo rursus ad stercus portandum, vel aliud utile officium foris exsequendum destinatur: nec est illi locus in convivio, qui vix pro sui fœditate ad horam a convivantibus aspicitur etiam in extremo ministerio.

Verum si minister dignus et decorus, cui subministrat indignus et indecorus, divertet ab oneribus dorsum ejus, ne manus ejus in cophino, vase scilicet stercorario, serviant: sed honestioribus actionibus occupatæ fœditatem de stercore contractam aliquatenus exuendo pulchritudinem assumant, fieri potest, ut in magno convivantium numero saltem novissimum locum teneat: quem prius fœ- D ditas excludens vix post tergum ministrantis usque ad limen, vel parum ultra limen introire sinebat.

Tu itaque, o Pater, cum sis Dei minister et decorus, cui placuit in me misero habere subministratorem, qui nec dignus est nec decorus; age orando, age operando, dignus pro indigno, sanctificatus pro polluto: ne de illo ædificio, de illo infra ædificium hoc convivantium numero (quem tibi subministrans aliquatenus, quantum lippitudo mea patiebatur, vidi) penitus excludar; atque in opere stercoris, in labore luti et lateris, prout fœditas et improbitas mea exigit, relinquar: sed admittar et permittar saltem in novissimo loco novissimum diem exspectare, confidens me salvandum, non in

mea justitia, sed in summi Patris infinita miseratione per Jesum Christum Filium suum, Dominum A nostrum, cui una cum Spiritu sancto est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Libro perscripto sit laus per sæcula Christo
Anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo, in vigilia sancti Damasi papæ..
Amen.

VEN. GERHOHI

PRÆPOSITI REICHERSPERG

TRACTATUS ADVERSUS SIMONIACOS.

(D. Martène, *Thes. Anecdot.*, t. V, p. 1457, ex ms. Dunensis monasterii.)

—

ADMONITIO PRÆVIA.

Sequentem adversus Simoniacos tractatum suppeditavit nobis optimæ notæ codex antiquus Dunensis monasterii apud Brugas, ordinis Cisterciensis, a reverendissimo abbate domino Luca solita humanitate nobis communicatus. Cujus quidem tractatus primum folium auctoris nomen præferens, nescio quo fato avulsum erat. Verum hunc defectum supplevit contentorum in codice opusculorum index ipsi præfixus, primaria scriptoris manu exaratus. Qui est hujusmodi : *In hoc volumine continentur libri isti : I. Regula Templarensium auctoritate multorum Patrum præcipue domni abbatis edita; II. Liber domni B. ad eosdem de laude novæ militiæ; III. Liber apologeticus; IV. Epistola domni Willelmi abbatis ad fratres de Monte Dei; V. Epistola fratris Geroch ad domnum B. abbatem, de Simoniacis; VI. Epistola cujusdam eremitæ ad Rainardum Morimundensem abbatem; VII. Liber Petri Cluniacensis ad domnum B. abbatem de objectis et responsis utriusque ordinis.* Fuit autem Gerochus, seu Gerhous, vel Gerhohus, canonicus regularis ordinis S. Augustini, præpositus Reicherspergensis in diœcesi Salisburgensi, vir doctrinæ non vulgaris, nec inferioris pietatis, sæculi atque Ecclesiæ principibus, episcopis scilicet ac summis pontificibus carus, qui corruptos sæculi sui mores verbis ac scriptis non semel exagitavit. Inter varia autem ingenii sui monumenta, quorum indicem magnum habes in Chronico Reicherspergensi, pauca hactenus prodierunt in lucem, scilicet *Syntagma de statu Ecclesiæ sub Henrico IV et V impp. et Gregorio VII, nonnullisque consequentibus pontificibus* vulgatum Ingolstadii anno 1611, a Gretsero; *Chronicon Reicherspergensis monasterii*, eodem anno editum Monachii, *et Expositio in psalmum* LXIV, *sive liber de corrupto Ecclesiæ statu ad Eugenium III papam*, quem publici juris fecit Stephanus Baluzius Miscellaneorum tomo V. Quapropter viris eruditis pergratum facere censendi sunt hi qui tanti viri hactenus latentia opera e tenebris eruunt, deque nobis eos benemerituros fore speramus, qui sequentem tractatum adversus Simoniacos aliis Gerhohi opusculis certe non inferiorem hic vulgamus. In eo auctor etsi omnes omnino Simoniacos aggrediatur, conductitios tamen clericos qui nullo titulo alligati sacrum ministerium pro pecunia sola exercent, insectatur; quorum occasione pluribus agit de validitate sacramentorum ab hæreticis administratorum. Porro, tametsi *epistolæ* titulum tantum præferat epigraphe codici præfixa, prolixitas tamen illius, tractatus aut libri nomen exigere videtur. B. abbas cui inscribitur, is non alius est quam magnus Clarevallensis abbas S. Bernardus, quem Romæ existentem aut in Alemannia prædicantem videre potuerat, quemque ita sub fine tractatus sui seu epistolæ compellat : *Ad te, vir sancte, abbas Clarævallis; ad te, inquam, nominis ac vitæ illustris, cum semel cœpissem loqui, brevitatis compendium coactus excessi, meumque sensum, qui sæculares clericos et maxime conductitios offendit, ideo tibi tanquam patri spirituali digessi, ut ubi quæ sentio approbaveris, defensorem et adjutorem : ubi vero aliquid eorum improbandum judicaveris, correctorem te mihi exhibeas.*

EPISTOLA FRATRIS GEROCH

AD

BERNARDUM ABBATEM,

DE SIMONIA.

—

1. . . . . Pharao et tota Ægyptus, id est omnis hic mundus B in maligno positus, quia necdum apparet quod sacramentis et signis licet omnino similibus, non ubique cooperatur invisibilis Dei digitus, qui a multis

asseritur inesse omnibus sacramentis, tam extra quam intra celebratis. Quod tamen vos, Deo gratias, non conamini astruere, sed inter diversas et adversas mundi partes, ita vos medium soletis exhibere, ut neque affirmantes neque infirmantes prænotatum sensum adjuvetis : ob hoc forsan, quia vos cum Elia declinando insidias Jezabelis, in spelunca silentii super hac quæstione vultis latere, captata vobis ac vestris quadam securitate, quam non possetis habere, si quemadmodum de peccato et de justitia mundum arguitis, ita quoque de judicio eum velletis arguere, astruendo scilicet quod princeps hujus mundi non solum in seipso, sed etiam in quibusdam membris suis jam judicatus est. Quod cum ita vel sit, vel vobis esse videatur, gaudemus quidem de vestra securitate, gaudemus vobis omnes homines esse amicos, etiam ipsos Christianæ religionis inimicos, dummodo vos constet eorum pravitatibus inimicari et adversari, quantumlibet sentiatis vos ab eis amari. Sed multum per omnem modum illi nos exhilarant, qui cum Elia non solum latitare, sed et cum eodem solent in hoc se manifestare, ut sacrificia falsorum prophetarum annihilent, et eosdem spiritus gladio jugulent. Quid autem de illis dicam, qui nunquam latitant cum Elia, sed semper in urbibus morantur cum Isaia, Zacharia, Jeremia, cæterisque prophetis, qui nullos vel paucos habuere discipulos : et tamen eos in faciem resistentes iniquis hominibus hoc solum reddit coram Deo gloriosos, quod ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt ?

2. Imitatores talium sitiens anima mea nusquam dulcius reficitur, quam cum præsides apostolicæ sedis intuetur. Per hos enim contritus est Simon Magus, per hos a sacri altaris ministerio repelluntur greges sodalium, scilicet vel cum Nicolao, Ebione, et Paulo Samosateno fornicantium, vel cum ipso Simone Mago et Juda mercatore pessimo in domo Dei negotiantium. Ut enim de cæteris nunc taceam, in quibus princeps mundi hujus jam judicatus est, quis impium Simonem cum suis sequacibus toties damnatum denuo censeat vocandum in judicium tanquam adhuc judicandum, cum in eo princeps hujus mundi jam ita sit judicatus, ut de illius toleratoribus Victori episcopo scribens dicat sanctus Gregorius : « Quisquis ad hoc facinus, videlicet Simoniacæ aut Neophytorum hæreseos, emendandum officii sui consideratione vehementer non arserit, cum illo se non dubitet habere portionem, a quo prius hoc piaculare flagitium sumpsit exordium. » Sane hoc notari cupimus, quod non in causis dubiis vel personis ignoratis dicimus hujus mundi principem damnatum, cum talium personarum tales causæ divinum extremi examinis exspectent judicium. Sed in his tantum causis vel personis dicimus mundi hujus principem damnatum, de quibus evidenter a sede apostolica invenimus judicatum. Hæc enim sedes cautis utendo circumscriptionibus, non perdit justum cum impio : unde ab illius præsulibus non alii cum Nicolao et Simone Mago judicantur, vel Nicolaïtæ aut Simoniaci hæretici nominantur, nisi qui in erroris sui secta indurati synodalibus sanctorum Patrum diffinitionibus et decretalibus eorum statutis et manifeste inobedientes, apostatarumque pertinacia eis recalcitrantes, studio et voluntate refragantur. In tales dudum data est anathematis sententia, eorumque penitus interdicta sunt officia, quamvis in convictu, salutatione, ac cæteris hujusmodi eis communicare permittatur (in) ecclesia, quia, si etiam in talibus interdicerentur, oportuerat nos exire de hoc mundo Nicolaïtis et Simoniacis pleno. Quis enim clericos conductitios eorumque conductores dubitet esse Simoniacos et hæreticos negotiatores? Quis altaris ministros fornicantes et interdicta sibi officia usurpantes, talemque præsumptionem contra sedis apostolicæ doctrinam pertinaciter defendentes dubitet hæreticos, utpote a Romana Ecclesia discordes eique rebelles? Verum, quia tales incestuosos et præsumptuosos difficile nimis est examinare, quid videlicet sint hujus præsumptionis et inobedientiæ, quam in interdictis officiis committunt, pertinaces defensores, et ob hoc hæretici nominandi ac publice vitandi, maxime si eos vitandos docent proprii sui episcopi, et qui non publice sint vitandi sed caute declinandi : maxime quia vel non defendunt aut docent faciendum quod faciunt; vel quia eos, licet a Romana sede interdictos, proprii episcopi adhuc sufferunt; rectius fortasse hujusmodi homines inter pravos et interdictos catholicos, quam inter exclusos hæreticos computamus. Quamvis anno Dominicæ Incarnationis millesimo quinquagesimo nono celebrata synodo, præsidente papa Nicolao II, idem papa inveniatur eos cum assensu totius concilii Nicolaitas nominasse, perversitatemque ipsorum hæresim appellasse. Cum itaque auctoritate hujus Romani pontificis et concilii sub eo celebrati, possimus prænotatos incestuosos et præsumptuosos proscribere inter cæteros hæreticos : tamen quia, ut dixi, vix possunt examinari, contenti sumus eos pravos et interdictos catholicos nominari : ut nemo Romanæ sedi obediens audiat eorum officia terribiliter ab eadem sede interdicta : « Quia, ut ait Gregorius VII, peccatum ariolandi incurrit quisquis dum Christianum se asserit, sedi apostolicæ obedire contemnit. » Sed hanc obedientiam facile possunt observare qui habent episcopos per omnia obedientes apostolicæ sedi, vitando scilicet, et vitandos docendo quorum illa sedes officia prohibet audiri : ubi vero episcopi similes angelo Thyatiræ nolunt mulierem Jezabel, quæ se dicit propheten, de suis terminis expellere; sed permittunt eam interdicta sacrificia edere, pariterque fornicari, ac servos Dei seducere, ibi oportet veros catholicos aut persecutionem pati ab ista Jezabele, aut fugere sicut anti quam Jezabelem fugit Elias, aut ita suam cautelam et Romanæ sedis obedientiam occultare sub ista

Jezabele, sicut quondam septem millia virorum A ante Baal genu non incurvantium suam cautelam occultabant regnante Jezabele.

3. Hæc de incestuosis clericis dicta sufficiunt. Si quis vero in lepra Simoniæ ita notabilem et insignem se reddiderit, ut ex felle amaritudinis et obligatione impietatis agnosci possit, hunc non dubito ut hæreticum et hostem Ecclesiæ cavendum: ut pote in ipso Simone Mago a beato Petro multisque successoribus ejus proscriptum et damnatum, quoniam, teste Gelasio papa, cum quilibet cujuscunque perversitatis auctores ad doctores anathemati addicerentur, omnes eorum complices et sectatores pariter sunt anathematizati et gladio spiritus amputati, atque antequam nascerentur prædamnati, sicut Chanaan filius Cham maledictus est ante- B quam natus, dicente Noe: *Maledictus Chanaan servus servorum erit fratribus suis* (*Gen.* IX, 25). Quare in impio patris derisore Cham adhuc non natus maledictus est filius ejus Chanaan, nisi quia in damnato quolibet hæresiarcha intelligi debet omnis posteritas ejus maledicta? Lege, si vacat, epistolam Gelasii papæ ad Euphemium, et invenies uniuscujusque semel damnatæ pravitatis non solum auctores, sed et successores et successorum communicatores pari modo vitandos. Dicit enim inter cætera ipse beatus papa Gelasius in ipsa epistola: « Si aliquis recte sapiens de fide catholica communicet hæreticis vel successoribus eorum, non est fas eum inter catholicorum altaria nominare. » Idem C orientalibus episcopis: « Omnes complices, sectatores, communicatores damnatæ semel pravitatis pari censentur. » Item omnibus episcopis Dardaniæ: « Patres nostri auctore cujuslibet erroris pariter cum errore damnato, sufficere judicaverunt, ut quisquis aliquando hujus erroris communicator existeret, principali ejus sententia damnatus esset, quando manifeste qualibet vel professione sua vel communione posset agnosci. » Et post pauca: « Forma fidei communionisque catholicæ Nicæno prolata concilio Arianos omnes, vel quisquis in hanc pestem sive consensu, sive communione deciderit, sine retractatione excludit. » Idem in sequentibus: « Ipse error, qui semel est cum suo errore damnatus in participe quolibet pravæ D communionis effectu et exsecrationem gestat et pœnam. »

4. Nonne per hunc Romanum pontificem talia dicentem Spiritus Veritatis arguit mundum de judicio, nimirum ostendens quod princeps hujus mundi jam judicatus est, non solum in ipsis hæresibus damnatorum auctoribus, sed et in omnibus eorum sectatoribus, successoribus, communicatoribus? Hoc principis hujus mundi judicium jam factum bene prospexit Romana diligentia, docens conductitios clericos in nullis ecclesiis tolerandos, utpote in impio Balaam primo conductitio damnatos, et de ejusdem Balaam detestando nomine in Apocalypsi apostoli, et in Epistola Petri apostoli, ac Judæ notatos, imo et in Simone Mago multoties anathematizatos. Tales enim conductitios eorumque conductores, vel præbendarum seu ecclesiarum publicos venditores et emptores recte Simoniacos hæreticos nominamus: etiamsi semel damnatam, imo multoties præcisam non defendant negotiationem, quomodo eam Simon Magus non defendit: qui, licet esset in felle amaritudinis et obligatione iniquitatis, tamen dixit apostolis: *Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum quæ dixistis* (*Act.* VIII, 24). Nunquam ergo ad judicium sunt vocandi qui de Simonia pulsati, neque Simoniacæ actionis, neque Simoniacæ pactionis lepra sunt manifeste maculati, et habeant locum defensionis qui adhuc habent vocem negationis; illi tamen clerici conductitii eorumque conductores tam manifesti sunt in domo Dei negotiatores, ut non solum actio, sed etiam pactio Simoniaca ita sit in his manifesta, quatenus debeat pro certo constare, illos jamdudum cum Simone et in Simone Mago damnatos, neque sortem ullam eis in sacerdotio Christi esse, dicente ad Simonem Magum Simone Petro: *Non est tibi pars, neque sors in sermone isto, cor enim tuum non est rectum coram Deo* (*ibid.*, 21). Similis enim causa simili subjacet sententiæ. Nunquid enim Petrus Magum illum damnans non camdem causam expressit, quam nunc inter conductitios et conductores esse nemo est qui negare possit? *Cor enim*, inquit, *tuum non est rectum coram Deo*. Sic et nunc si quærant conductitii quare a Petri vicario sint proscripti, dictum sibi putent quod Simoni Mago dictum est: Cor enim vestrum non est rectum coram Deo. In quo non est rectum? videlicet quia donum Dei existimastis pecunia possideri.

5. Libet, admota Scripturarum lucerna propius, demonstrante ipso lumine quod illuminat omnem hominem, intueri quare præ omnibus hæreticis acrius damnati sunt Simoniaci. Quia cum omnes hæresiarchæ pravitatem suam pertinaciter defendentes legantur damnati, in solum Simonem Magum etiam pro venia rogantem deprompta est maledictio, non quia donum Dei pecunia possederit, sed quia hoc posse fieri existimavit, quod est istud donum tam inæstimabile, ut hæreticus et damnationis et perditionis filius judicetur, quisquis illud existimat pretio possideri vel obtineri posse, ut ille filius perditionis, cui dictum est a Petro: *Pecunia tua tecum sit in perditione* (*Act.* VIII, 20). Non enim ita vehementer damnatus est ille alter filius perditionis venditor Christi, ut una cum ipso periret pretium sanguinis Christi. Nam ipso quidem pessimo mercatore perdito, magna utilitas provenit de ipso sanguinis pretio, dum secundum auctoritatem propheticæ Scripturæ comparatus est ex eo ager figuli in sepulturam peregrinorum. Simoni vero dicitur: *Pecunia tua tecum sit in perditione*, ut hinc liquido animadvertere possimus scelere Judæ scelus Simonis majus esse. Hinc

Judas quidam vendidit Christum, quem utpote mortalem non intellexit esse ipsum Deum, Deo Patri coæternum : quod hinc facile perpendimus, quia ipsa nocte qua Christus tradebatur, discipulos ita increpatos legimus : *Tanto tempore vobiscum sum, et non coonovistis me?* (*Joan.* XIV, 9.) Si hoc bonis discipulis dici potuit, quanto magis illi, quem ne Christum Deum agnosceret, avaritia quæ sapientium quoque oculos excæcat, obcæcavit? In recompensationem namque, ut sibi videbatur perditi unguenti, quod ipse dixerat trecentis denariis potuisse venundari, stimulante avaritia contentus est hujus pretii, id est trecentorum denariorum decimam Christo vendito acquirere, hoc est triginta denarios, qui sunt trecentorum denariorum decimatio. Quam cæcus venditor qui pro tam vili pretio vendidit illum, cujus in Canticis canticorum legitur : *Caput est aurum optimum, et manus tornatiles aureæ plenæ hyacinthis* (*Cant.* V, 14), longe pretiosiores triginta argenteis, imo qui est illa Sapientia de qua dicitur: *Pretiosior est cunctis opibus, et omnia quæ desiderantur huic non valent comparari!* (*Prov.* III, 15.) Attamen quemadmodum dicitur hujus mundi principibus, *quia si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*I Cor.* II, 8), ita de isto dici potest quia, si aureum caput, manus aureas et cætera in eo desiderabilia mortalitate carnis obtecta perspexisset, nunquam Dominum gloriæ tam vili vendidisset. Neque tamen per ea quæ dicimus Judas mercator pessimus excusatur, qui, etsi aliud nihil de Christo scire potuit, nisi quod homo innocens et bonorum operum factor exstitit, hunc talem pro triginta denariis vendendo ad mortem, digne ac merito hæreditavit a Psalmista in illum prædictatas triginta maledictiones, quarum prima est : *Constitue super eum peccatorem* (*Psal.* CVIII, 6); ultima : *Operiantur sicut diploide confusione sua* (*ibid.*, 29). Verumtamen tam iste Judas, quam etiam cuncti hæretici, qui peccaverunt in personam Filii, tolerabilius peccasse judicantur his qui peccaverunt in personam Spiritus sancti. Verbi gratia tolerabilius peccavit Arius in sua blasphemia dicendo creaturam esse Filium, quam impius Macedonius dicendo creaturam esse Spiritum sanctum. Ut enim Arius Christum creaturam diceret, ipsius Christi verbis de se secundum humanitatem prolatis, et ab ipso Ario non recte intellectis, primo induci potuit; verbi gratia cum dicit Christus quia *Pater major me est* (*Joan.* XIV, 8); sed ubi trecentorum octo et decem Patrum sententiam consonam de Patris et Filii consubstantialitate in uno Spiritu prolatam et indubitata sancti Spiritus auctoritate corroboratam pertinaciter oppugnans, indignum se vitæ æternæ judicavit, non solummodo in Filium, sed in Spiritum quoque sanctum Arius ipse peccavit. Est enim indubitata sancti Spiritus auctoritas, unanimis Patrum orthodoxorum in aliqua sententia id ipsum dicentium, id ipsum sapientium censura, quam si quis contemnens dissono spiritu sic agitur, ut ex dispersione ad congregationem quam Spiritus sanctus operatur nunquam redeat; ipse, beato Augustino teste, verbum dicit contra Spiritum sanctum, neque in hoc sæculo, neque in futuro remittendum. Sic sic Arius vel alius quilibet hæresiarcha, seu etiam schismatis inveterati defensor aliquis, dum nimis amando suam sententiam vel invidendo melius dicentibus, factus est pertinax et obstinatus, post initia suorum errorum, quibus fortasse non peccabatur in Spiritum sanctum, erroribus ipsis augmentum capientibus incidit in sancti Spiritus blasphemiam, neque in hoc, neque in futuro sæculo remittendam. Simon vero Magus vel alius quilibet Simoniacus in ipsa Simoniacæ negotiationis inceptione, qua donum Dei existimatur pecunia possideri, convincitur esse blasphemator Spiritus sancti. Nam quod Spiritus sanctus donum Dei dicatur et sit, ita est evidens, ut probatione non egeat; unde illud quod mulieri Samaritanæ Christus dixit : *Si scires donum Dei, et quis est qui loquitur tecum, tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam* (*Joan.* IV, 10). Ita invenimus a magnis doctoribus expositum, ut donum Dei de quo Christus ait, non aliud intelligamus quam Spiritum sanctum. Quod cum ita sit, quisquis donum Dei existimat pecunia possideri, ipse Spiritum sanctum qui æque ut Pater et Filius est Creator omnium, redigit sub pretium utique a sancto Spiritu creatore creatum. Cum ergo Creatorem creaturæ vili aut confert aut supponit, longe deterius Ario delinquit, quoniam ille Filium Dei asseruit quidem esse creaturam, sed tamen excellentissimam, cui nec angelicam dignitatem concessit æquiparandam. Simoniacus autem donum Dei, hoc est Spiritum sanctum, credens et existimans quasi rem propriam posse ab homine pecunia emi, cum omne quod quasi proprium possidetur ab homine sit vilius et inferius homine, Spiritum sanctum qui donum Dei est, imo qui Deus est, supponit homini, et coæquat pretio gratiam impretiabilem, comparatque rem incomparabilem, si ad creaturas universas attendimus, quibus omnibus appretiari vel comparari non potest creator Spiritus, quemadmodum nec Pater, nec Filius, quorum amborum est iste unus Spiritus, æque liber ut Pater et Filius : imo cum Filius, forma servi accepta, per annos triginta fuerit servus, etiam servientibus sibi angelis paulominus minoratus, Spiritus sanctus tantæ est libertatis, ut etiam servos quos repleverit liberos faciat; unde est illud Apostoli : *Ubi est Spiritus Domini, ibi libertas* (*II Cor.* III, 17). Item : *Quod si Spiritu ducimini, non estis sub lege* (*Gal.* V, 18). Jugum quippe legis iram operantis, jugumque peccati graviter onerantis, per solum hunc Spiritum advenientem aufertur, juxta illud Isaiæ dictum : *Computrescet jugum a facie olei* (*Isa.* X, 27). Nonne itaque magnum et nefandum sacrilegium homo committit, cum hunc solum Spiritum omnino liberum ac totius angelicæ vel humanæ libertatis aut libera-

tionis effectorem vendit vel emit, quasi mancipium A proprium? Imo cum hoc facere non possit, existimat se illum posse aut emere aut vendere, qui non venit ad homines ulla emptione, sed potius tanquam liber solummodo ubi vult spirat, et sua donativa dividit singulis prout vult (*I Cor.* XII), non prout emitur pretio, non prout exigit ambitio, sed, ut dixi, prout vult? Peccavit quidem in hunc Spiritum sanctum impius Macedonius, asserendo quod ipse esset Patris ac Filii servus, omnibus tamen angelis præferendus; multo amplius peccat Simoniacus, existimans quod liberrimus hic Spiritus, quasi mancipium proprium suum possit ab ipso vendi. Qui autem hunc emere nititur, et pretium perdit, et appretiatum non acquirit, sed tota lepra venditoris B miro modo cum ab ipso non recedat, ad emptorem commigrat, ut tam emptor quam venditor inter filius membra pereat, qui extollitur super omne quod dicitur Deus. Nam Simoniacus venditor et emptor extollitur supra Spiritum sanctum, qui dicitur et est cum Patre et Filio unus et summus Deus, in qua excellentia quoniam Spiritus sanctus vili creaturæ supponitur, ut præmonstratum est, eidem Spiritui sancto sua divinitas denegatur: quod aptissimum scelus et blasphemia in Spiritum sanctum esse comprobatur; et est nequius hoc scelus scelere Macedonii, et eorum qui cum ipso blasphemabant Spiritum sanctum, dicentes eum Patris et Filii servum; quod ne videamur de corde nostro prophetare, Patrum non paucorum testimonium subnectere libet, C quorum tam auctoritas quam numerositas fidelem et non contentiosum auditorem potest movere, quæque dicimus persuadere.

6. Septima synodus universalis habita a quinque patriarchis cum trecentis quinquagintaque Patribus in epistola quam Adriano papæ direxit, hæc inter cætera dixit: « Eos qui per pecuniam manus imposuerunt, vel imponunt, Petrus divinus apostolus, cujus cathedram sortita est sanctitas vestra, tanquam Simonem Magum deponit. Tolerabilior est enim Macedonii et eorum qui circa ipsum sunt sancti Spiritus impugnatorum impia hæresis. Illi enim creaturam et servum Dei Patris et Filii Spiritum sanctum delirando fatentur. Isti suum eumdem D Spiritum sanctum efficiunt servum. Omnis enim dominus quod habet si vult vendit, sive servum, sive aliquid eorum quæ possidet. Similiter et qui emit, dominus volens esse ejus quod emerit, per pretium pecuniæ illud acquirit: ita et qui hanc iniquam actionem operantur, detrahunt Spiritui sancto æqualiter peccantes, his qui blasphemaverunt dicentes in Beelzebub ejicere Christum dæmonia: et procul dubio non est gratia Spiritus sancti in eis, id est sacerdotii sanctitas: ait enim Petrus Simoni: *Non est tibi pars, neque sors in sermone isto* (*Act.* VIII, 21). Nam et vicesimus et octavus canon apostolorum, et Actus eorum, tertius et quartus liber Regnorum alienum omnino a sacerdotio pronuntiant eum, qui aliqua dederit, vel acceperit pecuniam in aliquo tempore, sive ante manus impositionem, sive post impositionem. Accipere enim est quandocunque accipere. » Item ex ultima epistola ejusdem synodi: « Qui per pecuniam quemque consecrat, vel consecratus est, alienus est a sacerdotio, sicut omnes Ecclesiæ scimus alumni ex canonicis disciplinis eruditi. » Quem non moveat tantorum Patrum in una synodo residentium auctoritas consona, idem prædicantium quod prædicat etiam parvitas nostra? Cui si quis æstimat facile contradicendum, restat ut annihilet auctoritates tot Patrum nobis consonantium, atque una nobiscum affirmantium quod Simoniacus in sua hæresi vincat Macedonium hæreticum.

7. Sed quia de manus impositione multi concedunt, quod si per pecuniam tribuatur, dans et accipiens hæreticus efficiatur: de cæteris vero rebus ecclesiasticis non idem concedunt. Audiant illud ex epistola Paschalis papæ Mediolanensibus directa. « Si quis objecerit non consecrationes sed res ipsas quæ ex consecratione proveniunt vendi, videtur quidem aliquid dicere, nihil autem penitus sapere. » Nam cum corporalis ecclesiæ episcopus vel abbas aut tale aliquid sine rebus corporalibus et exterioribus in nullo proficiat, sicut nec anima sine corpore temporaliter vivit: quisquis eorum alterum vendit, sine quo alterum habere non provenit, neutrum non venditum derelinquit. Quam tamen objectionem sacer Chalcedonensis canon penitus exterminat, cum procuratorem vel defensorem Ecclesiæ vel quemquam regulæ subjectum adeo per pecunias ordinari prohibeat, ut interventores quoque tanti sceleris anathematis mucrone succidat. Quid plura? Si anathematizati et excommunicati, et ut vere hæretici, Simoniaci et neophyti ab Ecclesia sunt separati, quis non videat quod hujusmodi sacerdotum missæ et orationes Deum ad iracundiam super populum provocent, quem talibus placari credebamus? Scriptum est enim: « Veri sacrificii locus extra Ecclesiam non est. » Et item: *Hæreticum hominem post primam et secundam correptionem devita* (*Tit.* III, 10). Quoniam ergo tales episcopos, vel abbates, vel reliquos clericos non devitamus, si eorum missas audimus, vel cum eis oramus, cum illis excommunicationem subimus. Quos quidem sacerdotes esse saltem credere omnino errare est, cum Petrus Simoni dicat: *Pecunia tua tecum sit in perditione, quia existimasti donum Dei pecunia possideri* (*Act.* VIII, 20), ut cum *existimasti* dicitur, non pro eo quod fecerit, sed quod se facere credidit condemnatur, cum minus sit existimare, quam credere. In hoc ergo quod subjungitur: *Non est tibi pars neque sors in sermone isto* (*ibid.*, 21), patenter ostenditur quod nihil sacræ ordinationis in hac promotione percipitur.

8. Audent adhuc aliqui post istas aliasque fortissimas auctoritates conductitios ab hæresi defendere, dicentes ea quæ de Simoniacis dicta sunt non ad eos pertinere, pro eo quod conductiones, de quibus

agimus, non videntur nominatim in prædictis auctoritatibus expressæ. Hi audiant illud ex concilio Clementis papæ : « Jussum est antiquitus, et nos sub anathemate in perpetuum interdicimus de hæresi Simoniaca, quæ crevit inepta, de qua sancta decrevit synodus, nullum aut ecclesiarum consecrationem, aut archipresbyteratum, aut commendationes altarium, aut traditiones ecclesiarum, aut abbatias aut præposituras vendere ; quique conduxerit aut vendiderit, aut emerit, anathema sit. Amen. Et responderunt omnes tertio : Fiat, fiat. » Audiant illud conductitii, ne novum putent quod conductiones nihilominus quam emptiones aut venditiones ecclesiasticarum rerum dicimus pertinere ad anathematizatum Simoniæ mercimonium.

9. Item sunt qui conductitios ac cæteros hujusmodi mercatores per hoc nitantur defendere, a Simoniaca hæresi, quod peccant cupiditate potius lucri, quam seducendi studio stimulati ; quasi perversa eorum cupiditas minuat ac non potius augeat malum quod agunt, qui maxime per ipsam cupiditatem accusabiles fiunt. Neque enim Giezi ideo potuit a se lepram amovere Naaman Syri, quod peccaverat magis cupiditate vestium et argenti, quam studio quemquam seducendi. Talibus manifeste obviat Urbanus papa secundus, ita dicens : « Quicunque res ecclesiasticas non ad hoc ad quod institutæ sunt, sed ad propria lucra munere linguæ vel indebiti obsequii vel pecunia largitur vel adipiscitur, Simoniacus est : cum principalis intentio Simonis fuerit sola pecunia, et avaritia, id est idololatria, ut ait Apostolus : *Et avaritia quæ est idolorum servitus* (*Ephes.* v, 15).

10. Huic Romani pontificis auctoritati quidam faciunt ineptam oppositionem. Dicunt enim : « Si rerum ecclesiasticarum per munus linguæ, obsequii indebiti, perque munus pecuniæ facta largitio vel adeptio est Simonia ; jam Simoniacis plena est omnis terra, quoniam et villicis cæterisque colonis necnon militibus laicis donantur interdum ecclesiastica, interveniente linguæ, obsequii ac muneris mercimonio. » Qui hæc dicunt, non satis inter sacrilegium et Simoniam distinguunt. Nam cum beneficium et officium ecclesiasticum ita sint juncta, quemadmodum corpus et anima, quisquis eorum alterum ita comparat, ut alterum sine altero non proveniat, ipse utique in Spiritum sanctum peccat, sine quo nullum ecclesiasticum officium posse rite administrari constat. Officia ecclesiastica sunt quorum ista sunt nomina, episcopatus, presbyteratus, diaconatus, præpositura, abbatia, clericatus, et si qua sunt hujusmodi, quæ sine dono Spiritus sancti non possunt rite administrari. Ut igitur de uno agamus, de solo episcopatu proponamus posse fieri, ut aliquis episcopales facultates per munus obtineat, villasque ac cætera bona episcopali administrationi debita sic possideat, ut omnino episcopus nec esse, nec dici concupiscat, quod a nonnullis tyrannorum sociis factum constat ; nunquid hunc talem judicabimus esse Simoniacum, quia nullatenus existimat vel hoc de se cupit existimari quod donum Dei possideat ? Imo si congrua rebus nomina ponimus, non Simoniacum, sed sacrilegum hunc talem dicimus, quia tollendo sacrum de sacro, ecclesiastica, quantum in se est, facit sæcularia, et non ecclesiastica existere. Istud sacrilegium laicis est imputandum, qui res ecclesiasticis administrationibus debitas possident per sæculare obsequium talibus rebus indebitum. De hoc sacrilegio notantur laici decimarum possessores, et episcopi earumdem decimarum ultronei concessores, juxta illud beati Urbani papæ et martyris : « Ipsæ vero res singularum parochiarum in ditione episcoporum, qui locum tenent apostolorum, erant et sunt usque adhuc, et futuris semper erunt temporibus, ex quibus episcopi et fideles dispensatores eorum communem vitam degere volentibus ministrare cuncta necessaria debent, prout melius potuerunt, ut nemo in eis egens inveniatur. Ipsæ enim res fidelium oblationes appellantur, quia Domino offeruntur. Non ergo debent in alios usus quam ecclesiasticos et prædictorum Christianorum fratrum vel indigentium converti, quia vota sunt fidelium et pretia peccatorum, atque ad prædictum opus explendum Domino traditæ. Si quis autem, quod absit ! secus egerit, videat ne damnationem Ananiæ et Saphiræ percipiat, et reus sacrilegii efficiatur, sicut illi fuerunt qui pretia prædictarum rerum fraudabant. De quibus in prædictis apostolorum legitur Actibus : *Vir autem nomine Ananias*, etc., usque *factus est timor magnus in omnes qui audierunt hæc* (*Act.* v, 1). Hæc, fratres, valde cavenda sunt et timenda, quia res Ecclesiæ non quasi propriæ, sed ut communes et Domino oblatæ cum summo timore non in alios quam præfatos usus sunt fideliter dispensandæ, ne sacrilegii reatum incurrant qui eas inde abstrahunt, ubi traditæ sunt, et, quod pejus est, anathema fiant, etsi non corpore, ut Ananias et Saphira fecerunt, qui mortui ceciderunt, anima tamen quæ potior est corpore mortua et alienata a consortio fidelium cadant, et in profundum barathri labantur. » Hucusque verbis Urbani primi sufficiat nobis exaggerasse crimen sacrilegii, quod in distractione rerum ecclesiasticarum committunt episcopi, qui nequaquam in illicita decimarum concessione quam laicis faciunt, Simoniam committunt, quia cum illis decimis nullam spiritualem administrationem illis injungunt, sed manifestum sacrilegium, ut satis arbitramur superius demonstratum, quia videlicet rem ecclesiasticam, quantum in ipsis est, faciunt non ecclesiasticam. Urbanus autem secundus de talibus egit : « Qui dant vel possident res ecclesiasticas, ut ecclesiasticas, id est officio vel ministerio spirituali, quemadmodum corpus animæ, conjunctas, quas dum vel habent, vel aliis largiuntur, una scilicet cum spiritali ministerio sub Simonis intentione, quæ fuit avaritia sive cupiditas lucri, vere comprobantur esse Simoniaci, quia donum

Dei quod in sancto ministerio est, existimant pecunia possideri, et contumeliam faciunt sancto Spiritui, quem sic existimant posse obtineri. » Nam, ut præmissa superius papæ Paschalis auctoritas ostendit, quicunque de rebus pariter conjunctis alteram vendit, alteram invenditam non relinquit, scelus istud quisquis occulte committit, reus est judicio, videlicet judicio divino. Qui autem quasi dicens Racha, manifestum et indubitatum in se hujus sceleris dederit signum, reus est non solum judicio divino, sed etiam humano concilio, quoniam subjacere dignoscitur his quæ contra Simoniacos prolata sunt in quolibet sanctorum Patrum concilio. Si autem a quolibet sane redarguitur, redarguenti se dicit *Fatue, reus erit gehennæ ignis* (*Matth.* v, 22), et est omnino illis consimilis, qui Christo arguenti se dixerunt : *Dæmonium habes* (*Joan.* vii, 20).

11. Nunc igitur illis divino judicio servatis, qui rei sunt judicio, quoniam scelus eorum est in occulto, agamus de illis qui sunt rei concilio, quia Simonia eorum est in aperto, ut manifesti venditores et emptores ecclesiarum, præbendarum, aliarumque rerum ecclesiasticarum ut ecclesiasticarum. Quibus cogimur connumerare conductitios clericos eorumque conductores, quoniam et illi committunt non occultam, sed apertam Simoniam, dum et conductitii vendunt, et conductores emunt missam vel administrationem in Spiritu sancto agendam : hos tanquam reos concilio primum percutimus, vel potius percussos demonstramus in Chalcedonensi concilio, ubi de talibus clericis vagis, et ad nullum titulum certum ordinatis, ab omni concilio statutum est et definitum, eos nusquam posse ministrare ad ordinantis injuriam. Huic sancto et magno concilio consonans Leo Magnus : « Vana est, inquit, habenda consecratio, quæ nec loco fundata est, nec auctoritate munita. » Sanctus papa Gregorius idem concilium cum cæteris principalibus conciliis approbans in sua synodica dicit : « Sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor concilia suscipere ac venerari me fateor, Nicænum scilicet, in quo perversum Arii dogma destruitur; Constantinopolitanum quoque, in quo error Eunomii et Macedonii convincitur; Ephesinum etiam primum, in quo Nestorii impietas judicatur ; Chalcedonense vero, in quo Eutychetis Dioscorique pravitas reprobatur, tota devotione amplector ; integerrima approbatione custodio, quia in his velut in quadrato, sanctæ fidei structura consurgit, et cujuslibet vitæ et actionis existat, quisquis eorum soliditatem non tenet, etiam si lapis esse videatur, extra ædificium jacet. Cunctas vero personas quas præfata veneranda concilia respuunt respuo, quas venerantur amplector, quia, dum universali consensu sunt constituta, se et non illa destruit quisquis præsumit ; aut solvere quos ligant, aut ligare quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit. » Et nos ergo sancto Gregorio consona sentientes, clericos vagos ad nullum certum titulum ordinatos,
A passim vagantes, et venale officium suum circumferentes in Chalcedonensi concilio abjectos abjecimus, ne vel a sancto Gregorio dictum anathema incurramus, vel extra ædificium juxta illius censuram jaceamus.

12. Objiciunt quidam hujusmodi vagos clericos, cum ordinarentur, quibusdam titulis fuisse assignatos, quibus tamen nec ipsi erant regulariter alligati ; sed cum ordinarentur, sunt ad illos titulos nominati, quia non erant illis titulis seu ecclesiis vel prælati vel earum prælatis canonice aut monastice alligati ; sed tantum sunt nominetenus attitulati. Quorum consecrationem nos talem censemus, qualis esset consecratio episcopi, qui ad aliquam episcopalem sedem consecraretur, ad quam non fuis-
B set electus, et in qua nunquam reciperetur : sed illo neglecto et rejecto, sedes illa per alium regulariter electum et consecratum regeretur, nec ei locus ullius episcopandi vel illic vel alius concederetur, qui tamen si alicubi regulariter alligarentur, ita ut aut canonici aut monachi efficerentur, posset eis certo in loco fundatis impendi aliquod subsidium pietatis. Nunc autem quia nusquam regulariter aut legitime stabiliti hac et illac vagantur, circumferendo venalia officia sua, quæ nusquam celebrant, nisi sub conventione Simoniaca, proferenda sunt contra eos alia capitula, quibus eorum demonstrentur officia penitus esse vacua et irrita, tam pro eo quod sine titulo sunt ordinati, quam pro eo quod
C manifesti sunt Simoniaci. Placentinum concilium præsidente Urbano papa celebratum dicit : « Sanctorum canonum statutis consona sentientes, decernimus ut sine titulo facta ordinatio irrita habeatur. » In eadem synodo contra Simoniacos ita dictum est : « Ea quæ a sanctis Patribus de Simoniacis statuta sunt nos quoque sancti Spiritus judicio et apostolica auctoritate firmamus. Quidquid igitur in sacris ordinibus vel in ecclesiasticis rebus, data vel promissa pecunia, obsequio aut lingua, acquisitum est, nos irritum esse et nullas vires unquam obtinere censemus. Si qui tamen a Simoniacis non simoniace ordinati sunt, siquidem probare potuerint, se cum ordinarentur, nescisse Simoniacos; et si tunc pro catholicis habebantur, in Ecclesia talium ordinatio-
D nes misericorditer sustinemus : si tamen laudabilis vita eos commendat. Qui vero scienter se a Simoniacis consecrari, imo exsecrari passi sunt, eorum ordinationem omnino irritam esse decernimus. » Multa possemus his capitula consona colligere; sed ista credimus intelligenti sufficere ad nostræ comprobationem sententiæ, qua dicimus omnia manifestorum Simoniacorum officia in præmissis capitulis exsufflata et damnata penitus esse irrita, sicut et Donatistarum aliarumque damnatarum et exclusarum personarum officia omnino asserimus esse irrita, quamvis eadem quæ nos habemus habeant sacramenta.

13. Hic scio multos non consentire, dicentes fieri non posse ut ubi est integritas sacramentorum, ibi vel in missis vel in aliis officiis quidquam dicatur

irritum. Quæramus ergo quod sonet hoc nomen *irritum*, et hoc aliud nomen *integrum*, quoniam videtur quibusdam hæc duo nomina significativa esse quasi rerum contrariarum, quæ de uno eodemque subjecto non possunt pariter enuntiari. Sic album et nigrum, dulce et amarum, et alia nomina rerum contrariarum non sibi pariter conveniunt circa unum idemque subjectum. Nos autem de uno eodemque subjecto, videlicet de uno eodemque alicujus excommunicati vel damnati hæretici sacramento enuntiamus, utrumque scilicet quod sit integrum et tamen irritum, quoniam, affirmante Augustino, ubi de Agar et Ismael disputat, idem sacramentum in hæretico et catholico constat, æque integrum, si tamen ritu ecclesiastico fuerit utrobique celebratum, accedente verbo ad elementum, sicut Isaac et Ismael pariter de semine Abrahæ natis, quantum ad paternum semen par fuit nobilitas nativitatis.

14. Videamus ergo an sacramentum utrobique integrum, sit etiam utrobique ratum. Quod ut possimus videre, libet utriusque nominis, rati scilicet et integri, quasi quamdam descriptionem ponere. Totum integrum dicimus, cui nulla principalis pars constitutiva deest. Verbi gratia, cum domui neque tectum, neque parietes, neque fundamenta desunt, integra domus dicitur : si vero aliquid horum desit, non dicetur domus integra, imo nec dicetur omnino domus. Ratum vero id dicimus, quod firmum et virtute ac viribus plenum significamus, et irritum quod a virtute vacuum viribus carere demonstramus. Item ratum non incongrue dicimus, quod virtutem quam continet nunquam amittere posse significamus, ut, verbi gratia, propositio vel oratio aliqua talem continens vel significans veritatem quæ impermutabilis est, cum vel affirmat esse quod potest non esse, vel e converso, potest dici rata oratio, potestque proprie dici oris ratio. Dicitur namque ratio ab eo quod est ratum, quamvis et falsa oratio dicatur oratio, quæ tamen ratum, id est firmum seu verum non generat intellectum, et ideo recte sicut falsa, ita et irrita recte dici potest oratio, quæ rato et vero intellectu caret, quia videlicet aliter est in re quam ipsa significat esse. Exemplum ad ea quæ dicimus hoc sit. Si quis proponat *Deus verax est* (*Joan.* III, 33): hæc propositio tam vera est atque tam rata, ut omnis qui acceperit ejus testimonium, subscribere ac signare possit quia Deus verax est. Quod enim veraces homines dicunt, verum esse volunt, quod autem non solum dicunt, sed etiam scribunt fortius atque durabilius verum esse innuunt : quod autem dictum et scriptum signant aliquo inviolabili sigillo verum durare volunt sub ipso signaculo. Unde Joannes de Christo loquens : *Qui accipit*, inquit, *ejus testimonium, signavit quia Deus verax est* (*ibid.*). In quo verax, nisi quia sicut locutus est ad patres nostros Abraham et semini ejus in sæcula, sic fecit, et facit, et faciet in sæcula? In quo verax, nisi quia mittens incarnari Filium suum, visitavit et fecit redemptionem plebis suæ, et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui, non alio modo, non alio tempore, non alia de tribu, non alio in castello, nisi per Virginem in plenitudine temporis, de tribu Juda, in Bethlehem castello David, sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt prophetarum ejus? Itaque testimonio Christi suscepto recte quod credimus in corde scribimus, et scriptum signamus, hoc scilicet quia Deus verax est. Hæc enim propositio non solum integra, sed etiam rata est. Integra nimirum, quia nulla principalis pars constitutiva deest in hac oratione; nam, quemadmodum domus principalis constitutivæ partes sunt tectum, parietes, fundamentum; quarum partium si vel una defuerit, domus non integra, imo nec domus erit; ita orationis vel propositionis principales constitutivæ partes sunt nomen et verbum, quorum si alterum defuerit, propositio vel oratio integritate carebit. De tali autem oratione agendo, quam dialectici enuntiativam dicunt, nomen et verbum large accipimus, cum nomine pronomen, cum verbo participium comprehendendo, ut in tanto negotio, tantilla determinatione, quasi modico flabello sophismatum importunas muscas abigamus. Integra ergo non erit oratio carens nomine cum verbo, imo non erit oratio dicenda, cui deest pars orationis principalis et principaliter constitutiva. Sed ista oratio *Deus verax est*, omnino est integra, quia non caret aliqua parte principaliter constitutiva, licet careat secundariis partibus orationis, conjunctione, præpositione ac cæteris, quarum absentia vel subtractio non diminuit integritatem orationis, id est non destruit orationem, quo minus oratio sit, sicut nec paxilli vel tegulæ subtractio domum destruit. Ignosce, lector, tandiu talibus nugis immoranti, quoniam ea quæ dicimus notata valent nobis ad demonstrandum integritatem cujusque sacramenti.

15. Dicamus item : *Deus verax est*, est oratio integra; integra, inquam, nulla carens parte principaliter constitutiva. Sed si solummodo esset integra, non etiam rata, nequaquam esset juxta consilium Joannis Baptistæ signanda, sed exsufflanda, quantum esset integra. Est autem hæc oratio ita vera et rata, quod possibilius est cœlum et terram in nihilum redigi, quam hanc orationem irritam fieri; quod enim significat ita verum est, ita invariabiliter existit, ut nunquam non esse possit. Proponat alius: Diabolus verax est. Et hæc oratio nihilominus est integra, ex nomine scilicet et verbo constituta; sed nequaquam est rata, quoniam sæpe est falsificata, licet interdum et diabolus vera dicat, seu verisimilia, ut persuadeat ea quæ omnino falsa sunt. Dicimus ergo secure, quoniam hæc propositio: Diabolus verax est, omnino est irrita et falsa, inanis et a veritate vacua, suffragante nobis testimonio Veritatis de ipso diabolo testantis, *quia mendax est et pater ejus* [*mendacii*] *et* quia *in veritate non stetit* (*Joan.* VIII, 44).

16. Ut igitur ad rem de qua sermo est redeamus

unumquodque sacramentum est quasi quoddam totum integrum; habet enim partes constitutivas, quando accedit verbum ad elementum et fit sacramentum. Verbi gratia, cum baptizatur aliquis, hoc verbum : *Ego baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*, accedit ad aquæ visibilis elementum, et fit invisibilis gratiæ sacramentum, de verbo audibili et aqua visibili tanquam de partibus principaliter constitutivis perfectum. Nam cæteræ preces quæ illa jam dicta verba præcedunt vel sequuntur, et cætera quæ præter elementum aquæ illic adhiberi solemne vel usitatum est, ut oleum seu chrisma quod baptismo permisceri solet, aliaque hujusmodi non sunt principales vel constitutivæ partes baptismatis sacramenti; sed solum, ut dixi, hoc verbum : *Ego baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*, rite accedens ad elementum aquæ constituit sacramentum integrum, sive in Ecclesia, sive extra Ecclesiam sic celebretur ita perfectum. Hæc verba visibili aquæ adhibenda non ab apostolo aut propheta sunt ecclesiæ tradita; sed desuper contexta, textrice ipsa Dei sapientia, sicut et illa verba quæ super elementum panis et vini effusa conficiunt corpus et sanguinem Christi, sunt contexta per totum. A solo enim Christo exordium habuit utraque traditio, tam baptisma perficiendi, quam corpus et sanguinem ipsius conficiendi, per illa nimirum verba quæ de ipsius Christi ore sunt primum prolata, vel ubi baptisma instituit dicens : *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 19). Vel ubi corpus et sanguinem suum de pane ac vino confecit, et discipulis suis ut id ipsum facerent præcepit, dicens : *Hoc facite in meam commemorationem* (*Luc.* XXII, 19). Quæ autem vel in baptismi vel in missæ celebratione huic traditioni, huic verbo consummato per Christum et abbreviato superadduntur, non magis perimunt integritatem sacramentorum si prætermittuntur, nec perficiunt si adduntur, quam orationem ex nomine et verbo constantem perimunt seu perficiunt reliquæ orationis partes appenditiæ, demptæ vel additæ.

17. Cogimur enim nunc talium quoque næniarum uti similitudine. Olim quippe non tanto exterioris apparatu decoris missarum solemnia celebrabantur, nec ab uno quolibet hæc omnis religiosi obsequii gratia consummata et perpolita est. Pontifices namque sacri splendida Romanæ sedis luminaria sicut diversis temporibus affulserunt, ita paulatim studii sui claritate venustatem hujus salutaris officii perfecerunt; et sicut traditum a Domino per Moysen sacrificii veteris ordinem præcipue David et Salomon sacerdotum et levitarum ministerio, cantorum multiplici numero, psalmorum divinorum tripudio, templi vel altaris illustri gloria, sacrorumque multitudine vasorum splendidius amplificaverunt; sic traditum a Domino mirabile novi sacrificii ritum per primos apostolos sancta Romana Ecclesia suscipiens, religiosa fide amplexata est, fideli A cura conservavit, diligenti apparatu exornavit, proferens de thesauro suo nova pietatis monumenta, quoddam velut ex auro lapidibusque pretiosis religiosi officii sancto sacrificio fabrefecit diadema, dum alius Romanorum pontificum antiphonam ad introitum, alius *Kyrie eleison*, alius *Gloria in excelsis Deo*, atque alius aliud in missa instituit canendum vel dicendum : non quidem ad augendum illud unicum sacramentum, sed ad ornandum ejusdem sacramenti cultum divinissimum et ad venerandum singulare sacrificium a Christo apostolis et per apostolos nobis traditum. Neque enim sanctius hinc est quam erat prius, cum ad sola verba Domini solamque orationem Dominicam consecrabatur; sed maxime decuit, ut fides quæ adhuc erat B illo tempore rudis, et ut ait quidam tam doctus quam fidelis, agresti turbida cultu, nuda humeros, intonsa comas, exerta lacertos, ubi ornari potuit, maxime in hac parte tanquam in capite suo deauraretur, et quasi murenulis aureis vermiculatis argento decenter ornaretur.

18. Igitur, quamvis, ut dixi, nec talibus prætermissis minuatur integritas sacramenti a Christo constituti, tamen si quis ea temerarius decerperet, quæ Dominicis verbis Patres sancti addiderunt, parificandus esset militibus vestimenta Christi scindentibus et dividentibus. Illa vero Dominica verba desuper contexta per totum, ubi Christus inducitur ore proprio loquens et dicens : *Accipite et manducate ex hoc omnes : hoc est enim corpus meum. Accipite et bibite ex hoc omnes : hic est enim calix sanguinis mei*, etc., usque *hoc facite in meam commemorationem* (*Luc.* XXII, 19) : illa, inquam, verba super panem et vinum fusa, quibus accedentibus ad panis et vini aqua misti elementum fit sacramentum, similitudinem repræsentant illius tunicæ desuper contextæ, quam neque ipsis Christi crucifixoribus licuit scindere. Hoc est verbum brevians et consummans totam integritatem, quæ est in panis et vini sacramento, si eidem, cui ea Christus adhibuit, adhibita fuerint elemento, ritu videlicet ecclesiastico, quem traditum scimus ab ipso Christo. Quod si vel baptizans aliquis vel sacrificans aliquis traditionem Christi derelinquat, ita ut in perficiendis sacramen- D tis alias elementorum species quam eas quas Christus instituit adhibeat, vel verba ipsa ipsius Christi prætermittat et contemnat, hic non perficit integritatem sacramenti : imo quod agit non magis habet nomen sacramenti, quam illa res nomen potest domus habere, cui constiterit vel tectum vel parietes vel fundamenta deesse. Posset autem domus esse cui pictura parietum, vel clavi tegularum, vel cætera talia deessent : posset quoque oratio consistere, cui contingeret omnes partes orationis deesse præter nomen et verbum : subtracto autem nomine et verbo, non esset unde constitueretur oratio. Sic in celebrando baptismi vel missæ officio interdum quædam subtrahuntur, quæ a sanctis Patribus apposita noscuntur, ut cum periclitantem infantem

baptizamus, et sola ibi verba unius trini nominis recitamus, vel cum interdum *Gloria in excelsis* et *Credo in unum* prætermittimus, et tamen integritatem sacramenti perficimus. At si baptizantes unam saltem personam de tribus personis nominare contemnamus, vel sacrificantes et omnia quæ a sanctis Patribus apposita sunt recitantes, Christum in cœna sua loquentem non introducamus, non potest nominari sacramentum quod agimus. Hinc est quod sancti Patres etiam in hæresi ab hæreticis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizatos prohibent rebaptizari, agnoscentes in eis characterem Christi, id est integritatem sacramenti. Ab his autem hæreticis baptizatos, qui non baptizabant in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, censuerunt non tam rebaptizandos, quam ex integro baptizandos, quia non reputatur baptismi sacramentum, ubi secundum ritum divinitus traditum invocatio trini nominis non sit super aquæ visibilis elementum.

19. Donatistæ autem et alii multi hæretici sacramenta divina ritu ecclesiastico celebrabant: et ideo beatus Augustinus violenter decertat in quibusdam scriptis contra rebaptizatores a talibus baptizatorum, et contra reordinatores a talibus ordinatorum; integritatem, inquam, non utilitatem talium sacramentorum defendit quia extra ecclesiam ea posse quidem inesse, sed non posse prodesse contendit, et multis orationibus ostendit. Multi tamen scripta ejus negligenter legentes, ubi integritatem et formam sacramentorum tam extra quam intra vident, parificari putant eorumdem sacramentorum virtutem tam intra quam extra ecclesiam æqualiter operari Quod ille beatus Pater nunquam sensit, quia hæreticorum sacramenta quantumlibet integra, tamen probat esse mortua, et omni virtute sancti Spiritus destituta; neque enim hæc sunt contraria, esse aliquid integrum et mortuum, quia sæpe vidimus corpus humanum integrum, et tamen mortuum. Sæpe contingit ut palmes abscissus et integer existeret, et tamen vitalem succum non haberet. Fieri potest ut manus abscissa formam membri obtineat, sed usum membri non exhibeat. Non ergo beatus Augustinus sibi est contrarius, dum sacramenta hæreticorum defendit integra et nunquam reiteranda, quæ tamen probat esse mortua. Dicit enim in sermone de blasphemia Spiritus sancti: « Potest esse visibilis forma palmitis etiam præter vitem, sed invisibilem vitam non potest habere radicis nisi in vite. Proinde corporalia sacramenta, quæ portant et celebrant etiam segregati ab unitate corporis Christi, formam possunt exhibere pietatis. Virtus vero pietatis invisibilis et spiritualis ita in eis non potest esse: quemadmodum sensus non sequitur hominis membrum dum amputatur. » Nonne ista dicendo beatus Augustinus probat esse mortua hæreticorum sacramenta; quæ tamen quantum ad extrinsecam formam docet auctoritas Romana redeuntibus ad Ecclesiam non esse iteranda; sed sola sancti Spiritus invocatione per manus impositionem confirmanda. Unde Leo papa Nicetæ Aquileiensi patriarchæ scribens ita dicit: « Hi qui baptismum ab hæreticis acceperunt, cum baptizati antea non fuissent, sola sancti Spiritus invocatione per impositionem manus confirmandi sunt, qui tantum formam baptismi sine sanctificationis virtute sumpserunt; et hanc regulam servandam ab omnibus Ecclesiis prædicamus, ut lavacrum semel initum nulla ratione violetur, dicente Apostolo: *Unus Deus, una fides, unum baptisma* (*Ephes.* IV, 5), cujus ablutio nulla iteratione temeranda est; sed, ut diximus, sanctificatio sola sancti Spiritus invocanda est, ut quod ab hæreticis nemo accipit, a catholicis sacerdotibus consequatur. » Eant nunc hæretici et glorientur de sacramentorum integritate, dummodo nobis constat eadem sacramenta penitus mortua, penitus exstincta. Unde idem Leo papa Leoni augusto de Alexandrinis excommunicatis, et tamen sacramenta ritu ecclesiastico celebrantibus loquens, ita dicit: « Perspicuum est quibus pietas vestra succurrere, et quibus debeat obviare, ne Alexandrina Ecclesia, quæ semper fuit domus orationis, spelunca nunc sit latronum. Manifestum quippe est per crudelissimam immanissimamque vesaniam omne illic cœlestium lumen sacramentorum exstinctum; intercepta est sacrificii oblatio, defecit chrismatis sanctificatio, et parricidalibus manibus omnia se substraxere mysteria. »

20. Ecce probavimus mortua et exstincta hæreticorum sacramenta, liceat nunc eadem affirmare irrita, nisi fuerint per Ecclesiam confirmata. Liceat nos nunc consentire Placentino concilio (can. 2) affirmanti penitus irritum esse, et nullas vires habere quidquid vel in sacris ordinibus vel in ecclesiasticis rebus data vel promissa pecunia, obsequio aut lingua acquisitum est. Quæ synodalis censura etiam eos perculit, qui amissa per aliquod crimen officia reambiverunt, et data vel promissa pecunia, obsequio indebito, aut lingua reacquisierunt.

21. Jam de sacramentis extra Ecclesiam ritu tamen ecclesiastico celebratis quatuor demonstrata sunt, videlicet quod sunt integra quantum ad partes principaliter constitutivas, quod sunt mortua secundum testimonium Augustini, quod sunt exstincta secundum testimonium Leonis papæ, quod sunt irrita secundum testimonium Placentini concilii. Libet nunc distinguere inter ipsa sacramenta quæ possunt esse mortua, exstincta, irrita, et ipsam virtutem sacramentorum, quæ nunquam potest esse mortua, exstincta, irrita; sed ubicunque est viva, lucida et rata est. Est enim distantia non parva in his consideranda, quæ facile videbitur si ipse sacramentorum effectus primo distinguatur. Sacramentorum etenim effectus non est uniformis, quia dicitur sacramentorum effectus passive, ille scilicet quo ipsa sacramenta effici designamus. Dicitur etiam active, ille scilicet quem efficiunt sacramenta. Et

prior quidem effectus in eo consistit, si ritu ecclesiastico integre celebretur, quia si vel in missa vel aliis divinis officiis alio ritu quam eo quem Ecclesia divinitus traditum tenet, quis agat, nequaquam sacramentum illic efficitur, sicut illi hæretici fecerunt, qui non in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizaverunt; et ideo pro sacramento baptismi non est habitum quod fecerunt. Et qui de talibus resipuerunt in Ecclesia catholica, tanquam nunquam baptizati ex integro baptizati sunt; qui autem foris ritu ecclesiastico sunt baptizati, ad ecclesiam venientes per manus impositionem sunt confirmati, utpote habentes in se illum effectum sacramenti, quo sacramentum potuit etiam extra ecclesiam effici. At ille activus effectus quem agunt et efficiunt sacramenta, non est nisi in catholica Ecclesia. Et prior quidem effectus oculis et auditu discernitur, quoniam de verbis audibilibus et speciebus visibilibus ipsum sacramentum, id est rei sacræ signum perficitur. Activus autem sacramentorum effectus quem sacramenta efficiunt solis fidei oculis cernitur. Cum ergo multiplex intellectus generetur, si absque determinatione sacramentorum effectus nominetur, veniam postulo quod necessitate coactus, passivum et activum sacramentorum nomino, more hactenus inusitato. Neque enim omnes vocum novitates, sed profanas tantum Apostolus cavendas dicit; non est autem profana vocis novitas, qua exprimitur non nova rerum veritas. Licuit, semperque licebit rei veritatem utcunque aptatis nominibus quæ modo nihil erroris inducerent proferre, sicut sancti Patres in Nicæno concilio fecerunt, qui urgente necessitate nomen novum *omousion* in symbolo recitari fecerunt, quo tamen nomine rem non novam expresserunt. Sic et nos urgente necessitate cogimur sacramentorum effectus in re multum distinctos etiam nominibus distinguere, ut evidentius pateat, quo sacramentorum effectu dicimus hæreticos carere. Sicut enim apostoli cum vidissent in nomine Domini quemdam dæmonia ejicientem et ipsos non sequentem, et hunc prohibuissent, inde sunt a Christo redarguti, quod in eo in quo erat secum prohibuerunt eum, quem potius debuerant invitasse ad sequendum ipsum, in cujus nomine fecit signa virtutum, sic et nos argui possemus, si hæreticos in eo increparemus, in quo nobiscum agunt, et interdum dæmonia ejiciunt, videlicet cum baptizant infantes, vel alios errores in quo ipsi sunt excusabiliter ignorantes, vel etiam eos qui urgente mortis articulo non valentes habere catholicos baptizatores, accipiunt per hæreticos, quod mallent accipere per catholicos. Quibus ita baptizatis, quoniam corde non abnegant virtutem pietatis, non inaniter credendum est, inesse ipsum sacramentum pietatis. Hoc intuitu prænotatum Placentinum concilium (can. 3) a Simoniacis hæreticis non Simoniace ordinatos judicat misericorditer tolerandos; si tamen probare potuerint se, cum ordinarentur, suos ordinatores nescisse Simoniacos; et si tunc pro Catho- A licis habebantur ipsi ordinatores, et si ipsos ordinatos laudabilis vita commendat. Si ergo utcunque toleramus a talibus ordinatos per jam dictas causas excusatos, multo magis per ignorantiam vel necessitatem a talibus baptizatos, et errori eorum in nullo consentaneos Ecclesia catholica suos potest recognoscere filios; si tamen errore talium baptistarum agnito hæresim detestari et catholicam veritatem et pacem voluerunt sectari.

22. Igitur Simoniacos et alios hæreticos in nomine Domini signa facientes, videlicet sacramenta quæ sunt rerum sacrarum signa, non sic facere prohibemus, sicut faciunt, quoniam nobiscum faciunt; sed ibi facere ubi faciunt, quoniam extra ecclesiam signa faciendo nobiscum non colligunt. Et B quia ipsis eorumque pravitati consentaneis una cum ipsis anathemati subjacentibus nullus provenit hujusmodi signorum usus, eos familiariter monemus, ne glorientur in signis, quemadmodum gloriabantur magi Pharaonis, quoniam digitus Dei nusquam operatur nisi in Ecclesia Dei, nec in ipsis eorum baptizatis vel ordinatis, quidquam per eos operatur, nisi cum eorum animus ab Ecclesia catholica non esse disjunctus probatur, et vel per infantilem vel aliam invincibilem ignorantiam seu etiam per mortis articulum excusatur, quæ tamen excusatio non ut in baptismo, sic etiam in alio quolibet reperitur sacramento. Unde sanctus Joannes Alexandrinus dicit inter cæ- C tera : « Baptismus a quovis hæretico vel facinoroso suscipi potest, si in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti baptizari potest. Pœnitentia autem a nullo nisi a Catholico suscipienda est. » Et post pauca : « Si nullus catholicus sacerdos vel bonus vel facinorosus adfuerit, rectius est sine communione manere visibili et invisibiliter a Domino communicari, quam ab hæretico communicari et a Christo separari. *Nulla conventio Christi ad Belial*, ait Apostolus, *nulla pars fideli cum infideli* (*II Cor.* VI, 15). Omnis hæreticus infidelis est; Simoniacus autem est hæreticus, igitur infidelis est. Sacram communionem Christi quamvis visibiliter et corporaliter catholici propter imminentes hæreticos habere non possunt, tamen dum mente et opere Chri- D sto conjuncti permaneant, sacram Christi communionem invisibiliter habent, sicut plurimi sanctorum, qui remoti in eremo a nullo vel viventes vel morientes videbantur, quos tanto magis credimus conjunctos esse Deo, quanto disjunctos hominibus. » Item testimonium ejusdem : « Nullatenus, ait, aliquando hæreticorum communione, imo coinquinatione participemini, etsi in omni vita vestra ex aliqua impulsione vel necessitate communionem catholicæ Ecclesiæ non invenientes, sine communione permanseritis. Si enim uxorem corporalem legitime possidentes, si in regione aliqua longinqua absque ista muliere tempore multo morantes, relinquere hanc mulierem et alii copulari a Deo et legibus prohibemur; si vero egerimus, punimur, quomodo

putas Deo per rectam fidem et catholicam Ecclesiam conjuncti, ut ait Apostolus : *Aptavi vos uni viro virginem exhibere Christo* (*II Cor.* xi, 2), si orthodoxam Ecclesiam et sanctam fidem adulteraverimus per communionem hæreticorum, non in futuro tormenti, quod exspectat hæreticos, erimus participes? Communio enim dicitur eo quod communem faciat, et firmat communicantem quibus communicat. Ne igitur, quæso, ait o filii, hujuscemodi oratoriis applicetis. » Hoc ultimum de oratoriis quæ dedicaverant hæretici dictum inde colligimus, quod eumdem Joannem alias de catholicis ecclesiis dixisse invenimus. Ecclesias catholicas quamvis ab hæreticis invasæ sint, tamen ingredi ad orationem nullus timeat, quia, quamvis carnifices membra Christi vulneraverint, et vestimenta diviserint, tamen sanctissima remanserunt in semetipsis.

23. Nunc ad intermissa redeamus, et sacramentorum effectus supra distinctos adhuc plenius distinguamus. Ille quidem sacramentorum effectus, quem diximus passivum, semper est uniformis, et tam extra quam intra ecclesiam unius institutionis vel constitutionis quantum ad partes principaliter constitutivas, nam in secundariis et appendiciis partibus modus est interdum varius, et multifarius, prout singularum ecclesiarum est usus. At principali sacramentorum constitutione semper modus est unus et uniformis in omnibus ecclesiis, Græcis et Latinis. Nam in eo quod Græci fermentatum panem offerunt, principalem Christi constitutionem non omittunt, quam tunc omitterent, si aliud quam panem offerrent : verbi gratia, caseum vel tale aliquid quod Christus non obtulit. Et ideo quamvis rationabilius facerent, si azymum panem offerendo sanctæ Romanæ Ecclesiæ concordarent : eorum tamen fermentatum sacrificium diu toleravit Ecclesia, non cum negligentia, sed adhibita per multos multa diligentia, ut Græci concordarent cum Romana Ecclesia. Inde (167) Leo VIII hujus nominis papa a beato Petro CXLVIII contra Michaelem Constantinopolitanum patriarcham egregiam conscripsit epistolam, defendens consuetudinem Romanam sinceram, et institutioni Christi magis consonam. Sed tamen Græci perseverant in sua consuetudine, non discordantes a nobis in principali sacramentorum constitutione. Similiter inter ipsos Latinos, cum aliqui discrepent in eo quod cum pene omnis Ecclesia teneat Gregorianum ordinem; ipsi adhuc tenent Ambrosianam institutionem, in principali tamen sacramentorum constitutione adeo sibi concordant omnes Ecclesiæ, ut etiam hæreticorum nullus eam audeat mutare, atque si quis eam permutaverit, scilicet vel aliud offerens, vel in alio liquore baptizatus, vel aliud inter offerendum, aut baptizandum recitans, quam habet ecclesiastica traditio, nullatenus quod agit reputetur pro sacramento. Sunt igitur inviolabilia sacramenta, quoniam ubicunque sunt, eadem sunt; et semel imposita, nunquam aboleri possunt. Neque enim cum ordinati vel baptizati excommunicantur, sacramentis quæ ritu ecclesiastico susceperunt, ullatenus privantur, sed permanent in eis ordinationis vel baptismi sacramenta, quamvis mortua, quamvis exstincta, quamvis irrita, id est nullius virtutis aut salutis effectiva. Speciem ergo solam pietatis quam habent hi tales baptizando conferunt; sed quam non habent virtutem ejusdem pietatis, conferre non poterunt, maxime his qui suis erroribus consentiunt, et ab Ecclesia dissentiunt, vel in eo quod eorum interdicta sacramenta scienter suscipiunt. Quapropter tales qui a talibus baptizati, quando ad catholicam Ecclesiam redeunt, non eis repetitur lavacrum carnis; sed ut perficiatur quod deest, inseruntur catholicæ matri, ut per ejus reconciliationem Spiritus sancti gratiam percipere mereantur. Nam in illa sola Spiritus sanctus datur, quia videlicet in scissura mentium Deus non est : sed in unitate et pace, quæ perfectionis vinculum est. Et hi quidem toro minus legitimo procreati, tamen reputantur filii, nam et ex omni tribu filiorum Israel numerati sunt filii Deo cogniti, ubi signantur servi Dei nostri in frontibus suis, scilicet tam ex tribu Gad et Aser, qui de illa nati sunt, quam ex tribu Juda et Joseph, qui ex legitimis conjugibus orti sunt. Verumtamen si ante legitimæ matris reconciliationem de hac luce subtraherentur, cum Ismaele de domo et hæreditate paterna ejecti, nequaquam inter hæredes regni Dei reputarentur, dicente matre libera : *Ejice ancillam et filium ejus : non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac* (*Gen.* xxi, 10). Quod beatus Augustinus exponens ait : « Ecclesia dicit : Ejice hæreses et filios earum; non enim hæredes erunt hæretici cum catholicis. Sed quare non erunt hæredes? nonne de semine Abrahæ nati? et quomodo baptismum habent, baptismum hæredem faceret semen Abrahæ, nisi ab hæreditate superbia excluderet. Eodem vero verbo nasceris, eodem sacramento; sed ad eamdem hæreditatem vitæ æternæ non pervenis, nisi ad Ecclesiam catholicam reversus fueris. » In his dictis beati Augustini ac cæteris ejus scriptis diligenter perspectis facile notatur, quem sacramentorum effectum ipse astruat apud homines esse perfectum, nempe non alium, nisi quem nos dicere possumus passivum. Quo nomine notamus non eum effectum quem efficiunt, sed quo efficiuntur sacramenta, ut sint sacramenta, id est rerum sacrarum signa, sicut aqua baptismi signum est Spiritus sancti, vel sicut oleum sanctum in ordinatione pontificis signum est Spiritus sancti, vel sicut panis et vinum sacrificatum unitatis est signum, in eo scilicet, quod sicut unus panis ille de multis confectus est granis, et sicut vinum illud de multis confluxit acinis, sic Ecclesia] de multis hominibus

(167) Lege Leon. IX.

una consistit per fidei unitatem. Significari autem pane illo uno unam Ecclesiam dicimus, non in eo quod offertur et consecratur; sed in eo quod de multis, ut dictum est, conficitur granis. Nam in eo quod consecratur nec ipsum individuum corpus Domini significat, sed est corpus Domini transfuso in se Dei Verbo per fidem passionis, resurrectionis et ascensionis. Dominus enim non hoc significat, sed *Hoc est corpus meum* (*Matth.* XXVI, 12), inquit. Ergo panis ille aliud est, aliud significat. Nam est corpus Domini, significat autem unam Ecclesiam, quæ licet et ipsa sit corpus Domini: aliud est tamen corpus Domini redimens, aliud corpus redemptum. Aliud est corpus Domini, quod est etiam, Dominus, de quo Maria loquens: *Tulerunt Dominum meum*, inquit, *et nescio ubi posuerunt eum* (*Joan.* XX, 13); aliud corpus Domini, quod non potest Dominus vel Deus nominari, quanquam sit corpus Domini. Corpus Domini quo redimimur, est ipsum individuum corpus, de quo dixit Christus: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis et pro multis tradetur in remissionem peccatorum* (*Matth.* XXVI, 28). Corpus vero Domini quod est Ecclesia, non est unum individuum corpus, nec est corpus redimens, sed est per unam fidem unum corpus, et corpore Christi redempta, una in multis individuis vel personis Ecclesia. Hanc Ecclesiam panis sacrificii significando, est et dicitur sacramentum, id est sacræ rei signum. Unitas enim Ecclesiæ res sacra est, quam panis ille in eo significat quod de multis granis confectus est, et unum quid effectus. Hoc idem cum in quolibet pane possit significari qui de multis granis conficitur, aptius tamen hanc significationem quasi rei sacræ signum et quasi sacramentum, imo vere sacramentum in illo pane Ecclesia sancta veneratur, qui sacrosancto altari adaptatur, et super quem verbum Christi secundum ritum Ecclesiæ recitatur. Quod quia tam hæretici quam catholici, qui tamen ritu ecclesiastico sacrificant, uno eodemque modo recitant, æqualiter sacramentum, id est rei sacræ signum tam hi quam isti repræsentant. Quod enim significat panis a catholico sacerdote oblatus, hoc significat panis ab hæretico et simoniaco sacerdote secundum ritum Ecclesiæ oblatus. Et miro modo etiam significat panis ille unitatem, ubi constat non esse ipsam Ecclesiæ unitatem. Unitas enim Ecclesiæ nequaquam potest intus et extra esse; sed in una Ecclesia est unitas indivisa. Signum vero vel sacramentum unitatis etiam extra unitatem potest esse; sed ipsa unitas, ut dixi, extra semetipsam non potest esse, nec potest quisquam indivisibilem unitatem dividere. Cum ergo signum unitatis est præter unitatem, ad quam significandam fuit institutum, habet quidem suimet effectum ipsum sacramentum, quem supra diximus effectum passivum; sed non habet effectum, quem dicere possumus activum; quoniam ipsum quidem sacramentum efficitur vel conficitur, dum verbo accedente ad elementum sacræ rei signum perficitur; sed quia sacra res illic deest, non efficit suos effectus ipsum sacramentum. Quomodo enim corpus absque anima nihil operatur, sic sacramentum unitatis absque unitate suos effectus non operatur. Nam sicut corpori ut aliquid operetur, anima cooperatur; sic sacramento unitatis, ut aliquid operetur, ipsa unitas cooperatur; et sicut corpus est vivum habens in se vivificantem spiritum, eoque subtracto, est mortuum; sic sacramentum unitatis vivit, si ipsum in unitate et unitas in ipso consistit, et ab unitate sejunctum penitus est mortuum, et ad eos effectus quos efficere deberet invalidum.

25. Cooperante namque unitate, sacramenta non nihil efficiunt, quia operantur in creaturis triforme opus creatoris, id est sanctificationem, permutationem, salutem. Sanctificationem etiam in rebus inanimatis, ut in chrismate vel in templo manufacto, quæ per verba alia sacrarum rerum signa sanctificantur. Permutationem, ut in pane et vino, quæ dum sacrificantur, in aliud permutantur. Salutem, quia fideles digne sacramentis participantes, et in unitate perseverantes, per ea salvantur. Hæc autem omnia, videlicet sanctificationem, permutationem, et salutem operatur in sacramentis et cum sacramentis unus atque idem Spiritus, circa ipsas creaturas quæ sanctificantur, permutantur, et salvantur, per Dominum nostrum Jesum Christum, cui tanquam viti palmites adhærent catholici sacramentorum celebratores; quandiu enim per unitatem fidei magistro concordant veritatis, unitatis vinculum servantes, id ipsum sentiendo omnes in Christo manent, et singuli de spiritu ejus viventes, internæ viriditatis gratiam habent, vivitque in salutem communicantium illis, quodcunque celebrant sacramentum in Ecclesia Christi. Christus namque in eis loquitur, et quidquid ab eis fit, ab eo factum et Spiritu ejus confirmatum esse recte creditur; etiamsi in moribus suis reprehensibiles inveniantur, dummodo in unitatis compage maneant, et uni viti quæ Christus est inhæreant. At vero ubi dissentientes seseque per hæreses et schismata ab unitate Ecclesiæ dividentes, a Christo præcidunt, mortuum est omne eorum verbum et sacramentum; et quidquid agere videntur, irritum; quidquid sanctificare putantur, pollutum est.

25. Eant igitur et fructum ferre gestiant, plantaria mortis et surculi æternis ignibus deputati, Simoniaci conductores et conductitii cæterique negotiatores, flagello dominico ejecti de domo Dei, et omnes hæretici et schismatici ab unitate præcisi, et ideo penitus infructuosi. Nam quidquid apud eos agitur, quodcunque quasi sacrum vel sacramentum celebratur, tam vere verbo vitæ et spiritu veritatis caret, quam vere palmes; nisi manserit in vite fructum ferre non potest, quam vere manus abscissa a corpore vivere vel operari non potest. Igitur cum in omnibus gestis et dictis in quibus testimonium Christi recipimus, hoc oporteat notari

A et signari, quia Deus verax est : hoc ejus testimonium tanquam a Deo, tanquam a veracissimo teste prolatum diligenter est notandum et inviolabili fidei signaculo signandum, ubi ait : *Manete in me, et ego in vobis;* addiditque : *sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis* (*Joan.* xv, 4). Hoc veracis Dei testisque fidelissimi verum testimonium non solum contra hæreticos atque schismaticos, sed etiam contra quoslibet præsumptuosos est caute signandum, et memori semper in pectore gestandum. Quis enim vitis et palmitum ejus nesciat unitatem? quandiu palmites in vite manent, tandiu ascendentes per venas intimas genuinum radicis ejus humorem bibunt, et vivunt, florentque, et flores fructus parturiunt. At vero si de B vite palmes excisus fuerit, jam boni succi ejus particeps esse non potest; sed nec vivit nec usum habet alium, nisi ut in ignem mittatur et ardeat. Itaque, o hæretici atque schismatici ab Ecclesiæ corpore vos præscindentes, et propriis adinventionum vestrarum sarculis præcisi, nolite putare, quod vitalem fructum ferre possitis. Itemque et vos præsumptores et nimii assertores liberi arbitrii, qui vos putatis non indigere auxiliantis et miserantis gratiæ Dei tanquam volentes et currentes vestra velocitate vitæ sempiternæ fructum comprehendere possitis : scitote vos horrenda manu agricolæ tollendos et in ignem mittendos, nisi omnem pulchritudinem, omnemque fru- C ctuum venustatem, non ex vobis, sed ex vitis intima radice procedere confessi fueritis. Dicit enim fidelis et verax testis noster : *Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere* (*Joan.* xv, 5). Plane nihil, quia peccatum nihil est, quod solum sine ipso facere possumus. Non enim est peccatum ulla substantia, sed corruptio substantiæ. Similiter mendacium pro nihilo est habendum. Est namque mendacium quo id significatur esse quod non est, vel non esse quod est. Unde cum audimus mentientem, solemus dicere : Nihil dicis, quod idem est, ac si dicamus : Non est quod dicis. Non est ita in rerum existentia, sicut significant verba tua; et ideo recte mendacium nihil dicitur, quia non habet ubi subsistat, D ejus existentia subtracta vel denegata illi re significata. Sic postquam Christus natus est, cujus nascituri signum erat circumcisio, Apostolo affirmante : *Circumcisio nihil est* (*I Cor.* vii, 19), id est falsum signum est; quod illo signo significatur futurum, jam est præteritum, nato Christo de semine Abrahæ, cujus futuræ nativitatis erat signum verum ipsa circumcisio propterea posita in illa corporis parte per quam semen traducitur, ne dubitaretur de semine Abrahæ nasciturus, qui ad benedicendas omnes gentes fuit Abrahæ promissus. Quo nato; quicunque se circumcidit nihil facit, quoniam, teste Apostolo : *Circumcisio nihil est, et præputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei* (*I Cor.* vii, 19). Simili modo qui sacramenta Ecclesiæ data extra Ecclesiam celebrat, nihil facit, quia ibi signum rei sacræ adhibet, ubi res sacra esse non potest. Ibi exhibet signum sanctificationis, ubi nihil sanctificatur : et ideo signum vel sacramentum illud nihil est. Verum ergo Veritas dicit : *Quia sine me nihil potestis facere* (*Joan.* xv, 5). Hoc enim Veritatis testimonium est adeo verum, ut nihil sit apud ipsum sacramentum, id est ipsum sacræ rei signum, cujus exhibent speciem palmites præcisi; sed speciem omni fructu, omni virtute, omni veræ vitis viriditate ac succo carentem : et ideo Judæorum qui blasphemant Christum circumcisioni per omnia consimilem. Nam sicut Judæi blasphemant Christum, et tamen portant signum nativitatis ejus indicativum, sic hæretici et maxime, ut præostensum est, Simoniaci blasphemant Spiritum sanctum, et tamen celebrant signa Spiritus sancti operationem et virtutem significantia.

26. Memorem volumus esse lectorem, quia ut superius determinavimus, non nisi de manifestis et indubitatis atque synodaliter damnatis hæreticis agimus, illosque tantum Simoniacos quasi reos concilio in sanctis conciliis damnatos asserimus, quos in felle amaritudinis et obligatione impietatis per hoc esse constiterit, quod eorum Simonia indubitata cernitur, et ob hoc eorum officium a Romana sede interdicitur. Ubi enim Simoniaci vel cæteri hæretici sic latent, ut pro catholicis a catholicis habeantur; non eos judicamus reos concilio, sicut eum qui fratri suo *raca* dicens reus erit concilio; sed arbitramur eos reos judicio, sicut eum qui fratri suo irascitur, dicimus reum judicio, judicio videlicet, non humano, sed divino, ad quem spectant omnia quæ fiunt in occulto. Quod ergo de occultorum hæreticornm sacramentis rei veritas habeat, illius judicio servandum putamus, qui si etiam per tales necdum aperte seclusos aliquid virtutis et salutis operatur, magna in hoc ejus pietas commendatur. Si autem Spiritus sanctus, qui indisciplinatum in sacramentis fugit apertum hæreticum, etiam disciplinæ fugiet fictum, id est occultum hæreticum, lupum videlicet ovina pelle vestitum, quis ei dicere audebit : Cur ita facis? Credimus tamen fideles Christi, qui istos latentes hæreticos ignorant, et eorum sacramentis in fide Christi communicant, non fraudari munere Christi et operatione Spiritus sancti, qui sicut vult spirat : ita et per quos vult spirat, etiam per consimiles Caiphæ interfectori Christi : qui cum jure sint damnandi, habent tamen exemplo ipsius Caiphæ potestatem etiam ipsum Christum in suis membris judicandi, cum, ut dixi, deberent potius ipsi a membris Christi dijudicari et damnari. Quandiu ergo Christus in suis membris tales patitur, quasi Caiphas pontifex in domo Dei principatur, cujus familiaritas non magis accepta est veris Christi apostolorumque pedissequis, quam familiaritas Caiphæ accepta fuit ipsis apostolis; sed inviti tolerant parietem dealbatum, donec Deus per-

cutiat illum. Qui autem eumdem parietem fulciunt, A longe a Paulo apostolo dissentiunt, qui stans coram quodam tali pontifice, dum ipso præcipiente percuteretur : *Percutiet*, inquit, *te Deus, paries dealbate* (*Act.* XXIII, 2). Sed hunc parietem dealbatum et quodam justitiæ quasi cæmento vestitum Deo percutiendum relinquamus; et nos eidem jamjam ruituro saltem latenter subtrahamus, prout possumus, ne si eum velut stipites fulcire nitamur, cum ipse ruere cœperit nos obruamur. Stipites hunc parietem fulcientes sunt clerici valenter litterati, et laici religionis inimici, et omnes ipsorum tales amici, qualis fuit ille amicus pontificis, qui Christum percutiens dixit : *Sic respondes pontifici?* (*Joan.* XVIII, 22.) Poterat quidem brachium Domini repercutere percutientem, nec eum solum, sed etiam illum quem B tam rigidus stipes fulciebat statim subvertere parietem dealbatum, id est ipsius falso pontificem appellatum; sed accepit injuriam, servavit patientiam, nec ullam tam iniqui pontificis captavit erga se clementiam. Sic igitur et nos, opitulante ipso, servemus patientiam, nec ullam iniquorum pontificum captemus clementiam, benevolentiam vel munificentiam, si magis volumus cum Christo salvari, quam inter impiorum pontificum adulatores damnari. Habent isti pontifices Caiphæ consimiles, in cathedra Moysi sedentes etiam in hoc affinitatem cum illo Caipha, quod sicut ille Christum captivum tenuit et occidit, non solum sua lingua, sed etiam Romana manu : ita isti Christum quasi captivum in sacra- C mentis tradunt illis quibus ipse tradi non vult, ut fiant rei corporis et sanguinis Domini, non solum dum ipsi sibi manducant et bibunt judicium, sed etiam dum his quos usque ad condignam pœnitentiam ab ecclesia pellere deberent, ipsum corpus Domini tradunt manducandum et conspuendum, et crucifigendum, quia, testante Apostolo, reatus corporis et sanguis Domini contrahitur, quando corpus et sanguinis ejus indigne manducatur. At illi manifesti hæretici, præcisi palmites et aridi et omnino mortui, et mortuorum sacramentorum inutiles ministri, nec saltem hoc debent existimare, quod vel illo modo quo eum Caiphas apud se habuit, habeant Christum vel corpus ipsius vivificum, quanquam habeant corporis Domini sacramentum, D ut superius est ostensnm.

27. Rursum non inde sibi blandiantur, quod si non est Christus in eorum sacramentis, ipsi participando illis, non fiant rei corporis et sanguinis Domini. Pari enim vel graviori eos reatu constat astringi; occisoribus enim ipsius Christi perseverantibus in reatu suo graviter imputabatur ipsa ejus occisio; sed gravius imputata fuisset ipsius Christi divisio, si eum tanquam lanistæ divisissent, et membratim decerpsissent, ossaque ipsius confregissent. Hoc autem fieri non decuit, quoniam Filius hominis secundum quod de eo diffinitum erat, ad Patrem vadens, nihil sibi vel corpori suo pœnarum vel injuriarum inferri permisit, nisi quod de eo scriptum fuit. Unde cum omnia consummata fuissent, quæ de passione ipsius erant scripta, nihil ultra in eum carnifices potuerunt. Verum si divinitus cohibiti non fuissent, libenter ossa ejus et crura confregissent, et fortasse ita eum dilaniassent ac divisissent, sicut servorum ejus multos legimus dilaniatos et membratim discerptos. Sed Scriptura sacra quæ prædicabat Christi occisionem, nusquam prædicabat, imo modis omnibus prohibebat quoque crurium ejus confractionem, dicente Domino per Moysen de Agno paschali in typum Christi : *In una domo comedetur* (*Exod.* XII, 46); quod idem est ac si dixisset : Per diversas domos unus ille Agnus non dividetur; sed in una domo comedetur: *Et os non comminuetis ex eo* (*Joan.* XIX, 36). Culpa ergo malorum indigne corpus et sanguinem Domini accipientium in Ecclesia, judicante Apostolo, est quasi occisio Christi reputanda, quia reum corporis et sanguinis Domini eum esse asserit, qui indigne manducat et bibit. Et est quidem culpa hæc magna, sed a Scripturis non dissona. Hæreticus autem vel schismaticus, non tam de Christi occisione, quam de Christi culpatur divisione, pro eo quod contra omnem sacræ Scripturæ auctoritatem Christum conatur dividere, putans illum in diversis ac pluribus domibus comedi posse, cum lex dicat : *In una domo comedetur*. Quanquam itaque nunquam dividatur Christus : tamen hujus divisionis rei fiunt in suis cogitationibus, qui contentiose affirmant quod tam extra quam intra Ecclesiam comedatur paschalis Agnus. Est autem pejor, detestabilior et exsecrabilior hæreticus vel schismaticus ipsis Judæis et militibus Christi occisoribus, quia quod per illos non potuit fieri, hoc facere conantur isti; sed frustra, quia ut Christus dividatur, et tam extra quam intra unam domum ecclesiæ dividatur non concedit sancta Scriptura, sicut evidentissime probant subjuncta Patrum testimonia. Cyprianus in epistola ad Cornelium : « Existimat aliquis summa et magna, aut non sciente Deo aut non permittente, fieri; et sacerdotes, id est Dei dispensatores erunt non de ejus sententia ordinati. Hoc est fidem non habere quia vivimus, hoc est Deo honorem non dare, sed de ejus sententia non ordinantur sacerdotes, qui extra ecclesiam fiunt, qui contra dispositionem et traditionem Evangelii faciunt, sicut ipse Dominus in duodecim prophetis ponit et dicit : *Sibimetipsis regem constituerunt, et non per me*. Et iterum : *Sacrificia eorum tanquam panis luctus, omnes qui manducant ea contaminabuntur* (*Ose.* IX, 4). Et per Isaiam Spiritus sanctus clamat et dicit : *Væ vobis, filii desertores, hæc dicit Dominus : habuistis consilium et non per me, et fecistis conventionem non per Spiritum meum adjicere peccata super peccata* (*Isa.* XXX, 1). Idem ad magnum presbyterum : Ecclesia una est, quæ intus et foris esse non potest. Si enim apud Novatianum est, apud Cornelium non fuit; si vero apud Cornelium fuit, Novatianus in Ecclesia non est,

nec episcopus computari potest. Hieronymus super duodecim prophetas : « Odit Deus sacrificia hæreticorum et a se projecit, et quotiescunque sub nomine Domini fuerint congregati, detestabitur fetorem eorum et claudit nares suas. Odisse autem et projicere et non odorari, humana loquitur similitudine, ut nos affectum Dei nostris sermonibus cognoscamus. » Idem de Agno paschali loquens ait inter cætera : « Non putemus Agnum istum ubique posse comedi. Præcipitur nobis ut in una illum comedamus domo, id est ne extra ecclesiam immolari Agnum putemus. » Ex quo manifestum est quod Judæi et hæretici et omnia conventicula dogmatum perversorum, quia in ecclesia non comedunt, non eos Agni carnes, sed draconis comedere, qui datus est in escam populis Æthiopum. Nos vero comedimus azyma sinceritatis et veritatis. Augustinus ad Bonifacium : « Hæretici non quærant Spiritum sanctum, nisi in Christi corpore, cujus habent foris sacramentum ; sed rem ipsam non tenent intus cujus illud est sacramentum. » Idem : « Qui Joseph emerat, eunuchus fuit : ita qui gratiam sancti Spiritus mercatur, vivum semen non habet siccis genitalibus. Sic quoque ignis sacrificii, qui per septuaginta annos Babylonicæ captivitatis sub aqua vixerat, exstinctus est Antiocho Jasoni vendente sacerdotium. Hoc significat ignem sancti Spiritus Simoniacis non lucere sacramentis. » Origenes in expositione super Leviticum : « Talis vir quæritur, qui carnes sanctas possit comedere, non in quocunque loco, sed in loco sancto inter atrium tabernaculi. Audiant hæc qui scindunt Ecclesias, et peregrinas ac pravas inducentes doctrinas, putant se sacras carnes extra templum Dei, et extra aulam Dominicam posse comedere ; profana sunt eorum sacrificia, quæ contra mandati legem geruntur. In loco sancto edi jubentur, intra atria tabernaculi testimonii sunt, quæ fidei murus ambit, spei columnæ suspendunt, charitatis amplitudo dilatat. Ubi hæc non sunt carnes sanctæ nec haberi possunt nec comedi. »

28. Si autem aliquæ auctoritates requiruntur a sede apostolica promulgatæ nostris assertionibus consonæ, poterunt sufficere auctoritates præmissæ de scriptis Leonis Magni et papæ Paschalis excerptæ, quorum alter in Ecclesia Alexandrina propter excommunicatos asserit interceptam sacrificii oblationem, et defecisse chrismatis sanctificationem, et omne cœlestium sacramentorum lumen exstinctum. Alter in epistola Mediolanensibus directa, illud beati Augustini dictum comprobat : « Veri sacrificii locus extra Ecclesiam catholicam non est. » Horum duorum Romanorum pontificum dicta cum superius posuerimus, eadem hic iterare superfluum, sed commemorare opportunum duximus. Attamen si quis plures apostolicæ sedis requirit auctoritates, audiat quæ sequuntur. Pelagius papa

A Victori et Pancratio ait inter cætera : « Non est Christi corpus quod schismaticus conficit, si veritate duce dirigimur, nec enim divisum Christum esse poterit quisquam sine Apostoli reprobatione confingere. Unam, ut sæpe dictum est, quæ Christi corpus est, esse constat Ecclesiam, quæ in duo vel plura dividi non potest. Simul enim cum ab eo quisquam discesserit, esse desistit Ecclesia. Unum Jerusalem templum est, idolis necesse est ut immolet, qui semetipsum diviserit. » Idem Joanni Patricio : « Noli catholicam semper mentem aliqua schismaticorum communione polluere. Unum Christi corpus, unam constat esse Ecclesiam. Divisus ab unitate veritatem corporis Christi non potest consecrare. Si enim ipsius consecrationis nomen rationabili ac vivaci intellectu discutimus, consecrare est simul sacrare. Sed ab Ecclesiæ visceribus divisus et ab apostolicis sedibus separatus, dissecrat potius iste, non consecrat. Noli ergo quasi nulla schismaticorum aut Ecclesiæ sit differentia, velle indifferenter utrorumque sacrificiis sociari. » Gregorius in Registro : « Nos consecrationem nullomodo dicere possumus, quæ ab excommunicatis est hominibus celebrata : » Idem in Moralibus libro XXXV : « Notandum magnopere est, quod conversionis suæ sacrificium amici Job Domino non per se, sed per Job jubentur offerre. Ait enim : *Job autem servus meus orabit pro vobis : faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia* (*Job* XLII, 8) ; ac si aperte hæreticis dicat, sacrificia vestra non suscipio, petitionum vestrarum verba non audio, nisi per intercessionem illius, cujus professionis verba de me veracia recognosco. » Et post pauca : Salutem vestram per catholicam Ecclesiam quam diligo postulate ; ipsi enim volo dimittere id quod mihi in ipsa deliquistis, ut hæc vestram incolumitatem obtineat, quæ ex vestro languore laborabat. Sola quippe est per quam sacrificium Dominus libenter accipiat, sola quæ pro errantibus fiducialiter intercedat. » Unde de Agni hostia Dominus præcipit, dicens : *In una domo comedetur, nec efferetur de carnibus ejus foras* (*Exod.* XII, 46). In una vero domo agnus comeditur, quia in una Ecclesia catholica vera hostia immolatur, de cujus carnibus divina lex efferri foras prohibet, quia dari sanctum canibus vetat. »

29. Hæc Patrum dicta tam patentia atque manifesta sunt, ut dilucidari non egeant, patentissime namque Simoniacorum aliorumque hæreticorum sacerdotum (168) et sacrificium irrita demonstrant : imo nullum eos convincunt habere sacrificium verum, quanquam habeant sacramentum verum et integrum sacrificando secundum ritum ecclesiasticum. Duo enim nomina sunt sacrificium et sacramentum ; et longe inter se discrepant significata ipsorum, cum vivificum Christi corpus proprie satis appelletur sacrificium, quod non proprie dici-

(168) Deest hic aliquid verbum, forte *sacramentum*.

tur sacramentum, nisi quantum ad speciem quam sensibus ingerit: quæ species non incongrue sacramentum dici poterit, utpote signum unius corporis quod est Ecclesia, de multis personis quasi de multis granis in unum compacta, et unum corpus velut unus panis effecta. Hanc unionem non significat nobis corporis Christi existentia, utpote nimium a sensibus nostris remota, sed ipsa quæ videtur et sentitur species et forma. Cum enim sacramentum sit visibile signum invisibilis gratiæ, corpus Christi secretum et nostro visui absconditum non audeo sacramentum appellare, quia non significat rem sacram, sed est res sacra, nisi forte ab effectu dicatur sacramentum, quia digne participantem sacrat, sicut ornamentum quia ornat. Sententiam quorumdam magistrorum affirmantium quod carne et sanguine Christi utroque invisibili intelligibili significetur corpus Christi visibile et palpabile, cogor admirari, cum potius invisibilia per visibilia, quam visibilia per invisibilia soleant significari. Igitur hæretici, schismatici et omnes evangelica falce præcisi, licet possint habere identitatem sacrificii nobiscum, quibus ille Agnus est unicum sacrificium, quem in una tantum domo comedi probat evidentissima veritas præmissarum auctoritatum.

30. Quibus etsi alicubi videantur aliæ auctoritates obviare, quæ sunt tam intra quam extra Ecclesiam, affirmant eadem esse ad modum quatuor paradisi fluminum, quæ sunt tam intra quam extra paradisum. Nihil nos movet hujusmodi auctoritatum diversitas, quia nos non denegamus extra Ecclesiam esse posse sacramentorum integritatem; sed sacrificii veritatem juxta præmissarum auctoritatum assertionem, quibus illæ auctoritates recte inspectæ non obviant, quæ non sacrificium sanctum, sed sacramentum integrum, non corpus Domini sed sacramentum corporis Domini extra Ecclesiam esse posse affirmant.

31. Est in hac diversarum non adversarum auctoritatum determinatione caute notandum, quia magna invenitur differentia intra sacramenta et sacramenta. Nam alia sunt sacramenta quæ tantummodo circa creaturam rationalem fiunt, ut sacramentum ordinationis et baptismi; alia quæ circa res inanimatas fiunt, ut illa sacra signa, quæ verbis divinis accedentibus ad elementa fiunt in consecratione chrismatis vel altaris, vel etiam panis et vini; et illa quidem sacramenta quæ circa creaturam rationalem fiunt, cum extra Ecclesiam celebrata sint, irrita, vacua, exstincta et mortua, fiunt rata et lucida et viva, dum rationabili creatura, id est homine pœnitentiam agente sacramentis extra celebratis, accedit Ecclesiæ confirmatio. Illa vero sacramenta, quæ circa res inanimatas fiunt, nullo modo confirmari poterunt, quia illæ creaturæ pœnitentiam agere non poterunt. Unde aliquando legimus personarum sacramenta foris data vel intercedente pœnitentia per Catholicos confirmata, vel A interveniente ignorantia excusata, sicut ab Anastasio papa sunt excusata ordinationis et baptismi sacramenta per Acacium damnatum celebrata, cujus dicta quidam negligenter legentes putant eum sentire contra præmissas auctoritates, sed non ita legenti patebit, si sacramentorum differentiam attendere voluerit, eorum scilicet quæ aliquo modo et aliquando poterunt excusari, per venialem seu invincibilem ignorantiam eadem sacramenta percipientium, et solam Dei gratiam in sacramentis quærentium, et eorum sacramentorum quæ circa res inanimatas foris exhibita nunquam leguntur intus confirmata vel excusata; sed omnimodis ubique sunt exsufflata. Unde Alexander papa dicit: « Ecclesia quæ per pactionem pretii claruerit esse B consecrata, et ut verius dicatur exsecrata, nullomodo pro ecclesia habeatur. » Quod de Ecclesia dicitur, de omnibus rebus inanimatis non incongrue dici poterit, quia videlicet neque vinum neque panis, neque oleum a quolibet hæretico exsecratum potius quam consecratum dicendum vel habendum est sanctum. Ecce utcunque de sacramentis quæ sentimus expressimus absque præjudicio meliorum et meliora dicentium, quibus acquiescere parati sumus, ostensa nobis ratione vel auctoritate, cui non debeamus contradicere, et propter quam debeamus dicta nostra mutare.

32. Libet autem adhuc dicere aliqua de iniqua peste, Simonia. Inter omnes quippe vulpeculas quæ demoliuntur vineas, nulla vulpecula nequior vel C astutior Simonia. Nam, ut quidam ait,

Quo teneam nodo mutantem Prothea vultus?

Sic nos dicere possumus, quo teneamus nodo Simoniam vulpeculam astutissimam, vultu multifariam, habitu milleformem, et pene semper non solum aliis vulpeculis, verum et sibimetipsi dissimilem, usque adeo ut cum vineas Christi demoliatur, interdum in ipsius vinitoris habitu cernatur? Cum enim in una qualibet sua pelle dignosci cœperit, continuo aliam induit, et vineas quas devastat, interdum se plantare simulat. Aliquando et multoties hæc vulpecula a sagacibus Christi venatoribus deprehensa est, et pelle sua spoliata, at nunc pellem talem invenit in qua vix dignosci possit, D quando in ea non more vulpis utitur astutia, nec omnino apparet quasi bestia, sed quasi ovis domestica. Cum enim cœnobiorum prælati ab his quos in suum consortium recipiunt munera exigunt, ipsam simoniacam avaritiam nomine oblationis tegunt: nimirum satis improprie, cum aliud sit oblatio, aliud exactio; aliud quod sponte offertur, aliud quod etiam ab invitis aufertur et extorquetur. Non sic beatus Benedictus in Regula sua (c. 59) præcepit fieri: imo istud vetuit fieri, docens ut pauperes, qui pueros suos offerunt, simpliciter petitionem faciant, a divitibus autem parentibus non sinit quidem aliquid exigi; sed si quid sponte offerunt, acquiescit posse recipi, quod ita receptum potest appellari oblatio, non exactio. Christus etiam

diviti cuidam perfectam conversionem suadens, non ait : Vade, vende quæ habes, et affer mihi; sed *da*, inquit, *pauperibus*, *et veni*, *sequere me* (*Luc.* XVIII, 22). Petrus quoque apostolus communem vitam Jerosolymis regens a nemine sua exigit, quanquam ea suis pedibus apposita, quasi voluntariam oblationem recepit. Ananiam et Saphiram sua Christo destinare non exegit; sed ea jam destinata Christo dicavit; et in eorum fraudatores debitam vindictam exercuit, quo exemplo debetur illis magna severitas, qui fraudant vel decimas vel alias oblationes jam usui communis vitæ destinatas : et ideo non debent culpari vel cum debita sibi stipendia exigunt episcopi, et reliqui altaris ministri, vel graviter in eos vindicant qui talia defraudant. Illud quod in divinis ministris exigunt non debita, quid est nisi apertissima simonia, sed novo pallio vestita, ut non possit agnosci, dum Simon Magus Simon Petrus appetit videri. Dicunt enim episcopi deberi sibi servitium et expensas multas dum consecrant ecclesias : et nos non negamus eis debitum servitium et expensas quamlibet multas : verumtamen non ab ecclesiarum fundatoribus exigendas, nec omnino ab eis recipiendas, nisi voluntarie, non per exactionem, sed per devotionem offerant eas. Habent enim episcopi decimas et curtes ac villas, quemadmodum olim levitæ habebant decimas et civitates cum suburbanis ad altaris ministerium caste adimplendum; sed mirum est quod dicimus, ad placita, sæcularia, et hujus mundi negotia, pascunt semetipsos episcopi de facultatibus episcopalibus : et aliunde pastum exigunt in ipsis ministeriis episcopalibus, ecclesias consecrare, clericos ordinare, christianos consignare pertinet ad officium episcopale ; decimæ, primitiæ, seu cæteræ facultates ecclesiasticæ ad hoc officium debent episcopum sustentare, atque ideo ex debito requirendæ in usum episcopi et clericorum cooperantium illi. Si quid ultra exigitur in administratione spiritualium officiorum, lepra Giezi contrahitur, et in tali administratione non Deo sed mammonæ servitur. Unde laudanda est papæ Honorii censura justissima, qui Ottonem Halverstatensem dictum episcopum deposuit, et simoniacum suis litteris publicavit, pro eo quod in consecratione cujusdam ecclesiæ, sub prætextu servitii convictus est pecuniam exegisse.

33. Igitur, o vos omnes, quibus dicit Sponsus : *Capite nobis vulpes parvulas quæ demoliuntur vineas* (*Cant.* II, 15); capite istam vulpem vetustissimam tempore, sed semper novam nova fraudum reparatione. Separate vos ab oratoriis per manifestam pretii pactionem, per indebiti obsequii exactionem non tam consecratis quam exsecratis. Nam si tales ecclesias pro consecratis habebitis; Romanæ sedi inobedientes eritis. Docet enim Alexander papa II, ut jam supra notavimus, ecclesias per pactionem

A pretii consecratas, non tam consecratas quam exsecratas esse, ac nullo modo pro ecclesiis habendas. Idem in Ecclesia Constantiniana centum et amplius episcoporum (169) synodum celebrans, vulpeculam de qua loquimur tribus percussit ictibus. Nam legitur inter cætera illius concilii capitula : « Ut ecclesia et altaria nec vendantur, nec emantur : et qui amodo vendiderint vel qui emerint, anathemati subjacebunt. Item ut ecclesiæ per pretium vel a Simoniacis consecratæ denuo consecrentur. Item ut presbyteri a tempore Nicolai papæ usque nunc et deinceps scienter ordinati a Simoniacis, sciant se depositos. » Hujuscemodi percussionibus plagata jam vulpecula poterat videri penitus interfecta, nisi quod ipsa est fortasse illa bestia, de
B qua legitur in Apocalypsi : *Quod habet plagam gladii et vixit* (*Apoc.* XIII, 14). Ariana pestis vel alia quælibet hæresis tunc est exstincta per plagam gladii, cum damnata et anathematizata est judicio synodali. Simonia vero, quamvis gladio anathematis non semel percussa, tamen adhuc vivit, quia plaga mortis ejus per hoc videtur curata, quod etiam a religiosis quibusdam recipiuntur manifestorum Simoniacorum sacramenta, licet a Romanis pontificibus tanquam ore ipsius Petri multoties interdicta. Vivit plane adhuc Simonia, non quidem veritate, sed eorum æstimatione, qui Simoniacorum sacramenta putant vivere, pro eo quod Simonem Magum vident non jam per terras ambulare, sed juxta cœlos volare.
C Concedimus et nos adhuc vivere Simonem Magum in suis complicibus, attamen jam mortuus est, et quotidie moritur, imo quasi cadaver fetidum reputatur ab electis ad Christum pertinentibus et ejus contactum fugientibus, juxta quod in lege fuit prohibitum, ne quis tangeret morticinum; quod si quis tetigerat, lex eum judicabat immundum. Et notandum quod tangere vel comedere morticinum lex absolute prohibet. Portari vero morticinum urgente necessitate indulget, ita dicens : *Et si necesse fuerit ut portet quidpiam horum mortuum, lavabit vestimenta sua, et immundus erit usque ad solis occasum* (*Levit.* II, 22). Qua consideratione concedimus quidem urgente necessitate morticinum esse portandum ; sed nunquam concedimus illud esse tangendum vel
D comedendum. Verbi gratia, quando de Simoniaco agimus, quem licet aliqui contendant vivere, nos mortuum non dubitamus, nunquam concedimus talem mortuum tangendum, quia non est ejus peccato consentiendum. Multo minus vero acquiescimus talem mortuum comedendum, quia factum ejus non est imitandum. Attamen fatemur, urgente necessitate, mortuum istum aliquando portandum, donec fodiatur peccatori fovea, in quam projectus non portetur ultra. Parata vero tunc erit mortuo fetenti sua fovea, cum Deo vel per se ipsum vel per legitimos judices agente projicitur de ecclesia

(169) Tria Romæ sub Alexandro papa II celebrata sunt concilia : unum anno 1063, duo vero 1065. Ad primum, quod præsertim adversus Simoniacos congregatum est, spectare videntur tres isti canones, qui in editis desiderantur.

in sepulcrum vel infernalis pœnæ, vel quod magis optandum est pœnitentialis pœnæ. Ubi vero facultas non est exsequendi falsa judicia, necesse est ut portentur morticina; sed non sine lacrymosa compunctione, qua debemus vestimenta nostra lavare, id est exteriorem nostram conversationem, ita formare ac purgare, ne videamur peccatores maxime in conciliis anathematizatos ex voluntate potius quam ex necessitate tolerare. Item vestimenta nostra lavamus, si pro eis lacrymas et preces fundimus, ne forte, sicut ait Apostolus, det illis reprobum sensum; sed ut resipiscant a laqueis diaboli, a quibus capti tenentur ad ipsius voluntatem. Sic rex David portabat Saulem divinitus quidem depositum a regno, sed adhuc potentem ex humano suffragio. Portabat quidem rex in Deo vivus regem Deo mortuum, sed tamen eumdem quasi non tetigit; quia ejus factum non approbavit, quin potius ne illum tangere cogeretur, profugus ab illo in silvas latitavit et ad ultimum exsulavit. Lavit quoque idem David vestimenta sua, dum non in ruina inimici exsultavit; sed planxit planctu magno super Saul et Jonathan filium ejus. Paulus quoque apostolus Ananiam pontificem portavit, sed tamen ejus pontificatum minime approbavit, cui sui interitum prænuntiavit, dicens: *Percutiet te Deus, paries dealbate* (*Act.* XXIII, 2). Lavit etiam vestimenta sua idem Paulus tristitiam habens magnam pro fratribus suis. Itaque David regis atque Pauli apostoli exemplis edocti mortuos ubi necesse fuerit ita portemus, ut tamen contactum eorum prout possumus declinemus.

34. Factus sum insipiens altiora me tractando; sed quia coactus dixi quæ dixi, credo et spero ab ipsa incarnata Dei sapientia imperfectum meum posse perfici, a cujus adversariis coactus sum insipiens fieri, non solum, ut dixi, altiora me tractando, sed et scribendo ad virum sapientissimum, cum sim stultissimus. Non enim ignoro quis cui loquor; sed exemplo Abrahæ dicentis: *Loquor ad Dominum cum sim pulvis et cinis* (*Gen.* XVIII, 27), et ego cum sim genere, conversatione, ipsoque nomine obscurus, ad te, vir sancte abbas Clarævallis; ad te, inquam, nominis ac vitæ illustris, cum semel cœpissem loqui, brevitatis compendium coactus excessi, meumque sensum qui sæculares clericos et maxime conductitios offendit, ideo tibi tanquam Patri spirituali digessi, ut ubi quæ sentio approbaveris, defensorem et adjutorem, ubi vero aliquid eorum improbandum judicaveris, correctorem te mihi exhibeas, adjuratus et obsecratus per illum, a quo tibi est ea quæ rogo faciendi possibilitas. Si enim in dictis et scriptis nostris cernuntur illa insignia, quibus Thamar ne combureretur legitur defensa, videlicet annulus, baculus et armilla, per quæ intelligitur fides, spes et charitas, obsecro te ne credas animam meam cum patre mendacii fornicatam, sed potius fatere illam de semine Judæ, id est Christi,

A gravidatam, ut exemplo Thamar pareret quasi filium, qui appellaretur Phares, id est *divisio*, quia Deus testis est, nulla propriæ gloriæ captatione, sed sola veritatis æmulatione vel me a sacramentis hæreticorum divido, vel inter ipsorum et catholicorum sacramenta magnam divisionem et distinctionem esse dictis et scriptis demonstro, sine meliorum, ut dixi, præjudicio.

35. Dudum necessitate compulsus ad Dominum papam Innocentium, ipso vocante, veni; cui me scrutanti, cum peteret qua fide vivo, qua spe gaudeo, et qua erga Deum et sanctam Ecclesiam dilectione, Christo donante, moveor; tanquam si audisset ex ore meo, de viro cujus hæc sunt concepi, benigne sui gratia me habuit, et per litteras suas B domino meo Salzburgensi archiepiscopo meam parvitatem defensandam commendavit, quem ideo præ cæteris optavi mihi defensorem dari et fieri, quoniam et ipse non minus quam ego, imo pro suæ auctoritatis majestate multo magis ipse insignis archiepiscopus, quam ego pusillus clericus, hæc decertat obtinere, quod princeps mundi hujus non solum in se ipso, sed etiam in membris suis ab Ecclesia separatis jam ita sit judicatus, ut omnino contemni debeat, quamvis per sacramenta vacua inveniatur in angelum lucis transfiguratus. Unde accensus zelo justitiæ non patitur in sua parochia vel clericos conductitios vel manifestos incestuosos altari ministrare. Nam cum habeat latam parochiam C et amplam per iter decem dierum vel amplius extensam, non posses infra tantum terminum invenire saltem unum conductitium, vel unum clericum aperte incestuosum. Irregulares etiam canonicos tanquam vere Chananæos terra sancta indignos de claustris suis ejecit, et in locum eorum regulares canonicos tanquam veros Israelitas introduxit. Quod ejus factum licet nos approbemus, dum irregulares Chananæis, regulares autem Israelitis conferimus, non tamen ignoramus inter irregulares aliquos esse salvandos, et inter regulares aliquos damnandos, quomodo in Babylonia quidam laudabiliter vixerunt, et in Jerusalem quidam perierunt; sed quia super flumina Babylonis non est tuta sessio, neque in littoribus eorumdem fluminum, utpote multum lutosis, D est fida statio, nequaquam commendat ipsam Babylonem bonorum illic bene acta conversatio, sicut nec Jerosolymam damnat pravorum inhabitatio, quominus de harum duarum civitatum altera dicatur: *Exite inde:* de altera vero, *illuc vero ascenderunt tribus, tribus Domini ad confitendum nomini Domini* (*Psal.* CXXI, 4), atque ideo non immerito gaudemus, ubicunque irregularem aliquam congregationem quasi Babyloniam destrui, et de ipsius quasi melioribus lapidibus Jerusalem in communis vitæ reparationem videmus ædificari. Gaudemus, inquam, et petimus ut gaudium nostrum sit plenum per Christum Dominum nostrum. Amen.

MONITUM IN OPUSCULUM SUBSEQUENS.

(D. P. Pezius, præ. ad tom. II *Anecdot.*, p. xxviii.)

—

Singulare prorsus est ac divini honoris studio persplendens Gerhohi scriptum, quod hic non sine omni metu evulgamus. Itaque prudentem et moderatum lectorem, si quod aliud, hoc profecto vetus monumentum requirit, in quo Gerhohus de discrimine quod inter canonicos sæculares et regulares intercedit, ita disputat, ut in illorum opiniones et mores passim acerbissime invehatur, existimetque *irregulares canonicos, nisi convertantur, salvari non posse*, quæ ipsa verba Gerhohi sunt col. 479 ubi etiam addit ea Gualtherio archiepiscopo Ravennati, sanctæ ac venerabilis vitæ præsuli, cum Ratisponæ in domini papæ legatione esset, vera fuisse judicata. Imo in epistola seu prologo ad Innocentium II aperte scribit, idem Honorium II papam, præsente Norberto archiepiscopo Magdeburgensi sensisse. *Jam quidem*, inquit Gerhohus col. 441, *quod lex præcipit, feci, pergens ad locum quem Dominus Deus elegit, ut ibi invocetur nomen ejus. Romanam videlicet sedem in legatione domini mei episcopi Conradi Salzburgensis, accessique ad sacerdotem, qui erat in diebus illis, beatæ recordationis, papam Honorium, et contuli verbum cum eo, quod prædico inter clericos adhuc sæculares, ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem. Erat autem occasio hujus verbi, quia fratres meos uterinos de talium cœtu exire dictis et scriptis incitavi, distinguens inter bonum semen apostolicæ vitæ, quod in clero Christus voluit ac disposuit fructificare, atque inter sæcularium clericorum zizania ab homine inimico superseminata. Hujusmodi a me dicta, licet quibusdam fuerint molesta, sanctæ tamen recordationis viro papæ Honorio fuerant accepta.* Quæ non ideo hic lectoribus inculcamus, ut idem de hodierno sæcularium canonicorum statu judicium ferant, utpote qui status a pontificibus maximis et episcoporum synodis postea approbatus et sanctissimis canonibus munitus fuerit, sed ideo duntaxat, ut eosdem lectores non nihil amplius Gerhoho conciliemus, qui tantæ auctoritatis et sanctimoniæ viros suæ doctrinæ, ut ut asperæ, collaudatores habuerit. Cæterum ex hoc Gerhohi Dialogo adeo multa præclara et singularia discimus, ut is sine gravi reipublicæ litterariæ detrimento supprimi non possit. In specimen quædam delibemus. Columna 453 ait Gerhohus quosdam *perverse ac mendose imponere sancto Udalrico, quod ad papam Nicolaum scripserit pro defendendis presbyterorum et reliquorum ministrorum Dei conjugiis, ne continentia esset occasio fornicationis. Quod falsissimum*, inquit, *inde convincitur, quod tempore suo nullus apostolicæ sedi præfuit, cui Nicolaus nomen fuerit. Huic ergo viro sancto consimiles, in se sancte viventes, et aliorum inordinatam vitam non tuentes, imo pro posse saltem apostolicis exemplis destruentes vocari possunt florentes, utpote desiderium floridum habentes ab inordinate viventibus dissolvi, et cum Christo esse in apostolica et sancta conversatione, quod sanctum Udalricum legimus desiderasse, qui dimisso episcopatu cupivit inter monachos vitam apostolicam, quia tunc temporis in clero vix potuit invenire illam.* Ita Gerhohus auctor gravissimus illius temporis, quo a concubinariis clericis bellula illa epistola de conjugiis clericorum sub sanctissimi Augustani episcopi nomine maxime circumferebatur. Interim Joan. Gottfridus Olearius *Bibliothecæ scriptorum eccles.* tom. II, ita scribit : *Udalricus Augustanus episcopus, comes cæteroquin Dillingensis circa annum Domini* 930 *vigens relatu Grynæi Præf. ad* Orthodoxogr. Veter. Patr. *Exstat ibidem t. I Lat. Patr., f.* 481, *et apud Calixtum, tract.* De conjugio clericorum, *Append., f.* 1, *ejus epistola* De conjugio sacerdotum *ad Nicolaum I P. R. scripta, qua contendit conjugium ex æquo omnibus adeoque et sacerdotibus concessum, nec illis vel jure vel prætextu posse prohiberi. Epitomen illius epistolæ vide apud Schopffium Academ. Jesu Christi Class.* 9, *f.* 143. *Confer Heilbrunneri* Papatum acatholicum, *f.* 656, *et Calixtum* De conjugio clericorum, *pag.* 502, *et Lydium, notis ad Clemang. fol.* 25. *Bellarminus aliique complices, ejus non meminerunt, forte quia non ad Rhombum.*

At enim non ideo Bellarminus aliique catholici bibliothecarii epistolæ Udalricanæ, quam etiam in codice Udalrici Babenbergensis exstare, in ejusdem conspectu publice significavimus, non meminerunt, sed quia confictam et castissimo præsuli a concubinariis suppositam esse certissimum habuerunt. Nec aliud censuisset ipse Olearius, vir eruditus, si vel epistolæ inscriptionem cum Gerhoho expendisset, cujus etiam cætera auctoritas nulli non erudito major erit, quam omnium recentiorum hominum, quos pro se congerit et adducit Olearius. Columna 491 et sequenti multa de Manegoldo, decano Raitenbuchensi, ejusque libro pro Gregorio VII in vulgus emisso scribit Gerhohus, ejusdem monasterii canonicus. *Lege*, inquit, *librum a nostri claustri quondam decano Manegoldo contra septimi Gregorii laceratores compositum, et invenies in eo fortissimis auctoritatibus probatum, quod et nos probare contendimus, quia videlicet fornicantes et insuper interdicta officia usurpantes clerici Nicolaitæ sunt et hæretici non solum cum Nicolao, sed etiam cum Ebione ac Paulo Samosateno. Talibus enim ex rationibus excusavit septimum Gregorium, a nostræ terræ clericis ob hoc laceratum, quod fornicantibus altaris ministris interdixit non solum officium, sed etiam Ecclesiæ introitum.* Cumque adversarius objecisset Gerhoho *Manegoldi importunitatem et mortem*, communemque opinionem, qua putabatur, *Manegoldi librum, licet in defensione septimi Gregorii fuerit compositus, tamen ab ipso non fuisse approbatum*, respondet Gerhohus, nec se librum illum *habere pro auctoritate, licet eum* sciat *catholicis etiam episcopis placuisse, qui propter Wigbertinum schisma expulsi tunc temporis frequentabant claustrum Raitenbuchense. Sed ad hoc*, inquit Gerhohus, *tibi respondeo, quod me credis dissonum a fratrum meorum regulari collegio, cum fratres mei probabiliores, illius Manegoldi, quondam illic decani, sint laudatores, habeantque scripta illius quasi responsa cœlestis oraculi, quibus in Wigbertino schismate non nulli fuerunt ad catholicam unitatem confortati, quibus et sæculares contra Ecclesiam disputatores aliquantulum tunc fuerunt confutati. Unde semper ex tunc in Raitenbuchensi claustro a prudentioribus fratribus, tanquam adhuc vivat, sic auditur ille decanus, qui licet defunctus, adhuc loquitur, et adhuc in scriptis suis fornicantium sacrificia detestatur*, etc. Ibidem laudat Gerhohus cujusdam Anonymi Raitenbuchensis *epistolam*, et quemdam *Chunradum de Silva*, itidem canonicum Raitenbuchensem, quem *in sententia veritatis jam senuisse* scribit.

Cæterum ad Manegoldi librum quod attinet, suspicati sumus in Itinere nostro Bavarico, Præfationi in primum volumen inserto, eum non esse diversum a Manegoldi opusculo *contra Wolffelmum Coloniensem* ab eruditissimo Muratorio tom. IV *Anecdotor. Ambros.* edito. Verum vel sola relata ex Gerhohi *Dialogo*

verba contrarium evincunt. Cum enim ex his constet, Manegoldum Raitenbuchensem decanum superstite adhuc Gregorio VII scripsisse, nec minus ex opusculi Manegaldiani apud Muratorium capite ultimo certum sit id non nisi Gregorio ad superos jam translato edi potuisse, qua ratione utraque lucubratio eadem sit? Itaque non solum hi duo inter se libri, sed ipsi etiam *Manegaldi* seu *Manegoldi* accurate inter se distinguendi sunt. Si enim unus idemque Manegoldus utriusque operis auctor exstitisset, in eo quod contra Wolffelmum post annum 1080 publicavit, ac in quo spem cujusdam adversus calumnias Wenerici pro Gregorio VII scriptionis fecit, vivente adhuc Gregorio, aliud opus pro ejusdem tuenda dignitate condidisse se nequaquam dissimulasset. Maneat itaque firmum ac certum non minus Manegoldum decanum Reitenbuchensem a Manegaldo Muratorii esse diversum, etsi coætaneum, quam librum illius pro Gregorio VII ab hujus opusculo contra Wolffelmum et contra epistolam Wenerici esse distinctum. Denique Manegaldus Muratorii idem omnino nobis esse videtur atque Manegoldus ab Anonymo Mellicensi *De script. Eccl.*, cap. 105, his verbis celebratus : *Manegoldus presbyter modernorum magister magistrorum, strenuus assertor veritatis fuit, a qua nec promissis nec minis schismatici regis flecti potuit. Quin imo in dissensione illa quæ inter Gregorium VII et Heinricum IV exorta fuit, pro tuenda justitia laboravit usque ad vincula. Exstat ad eum scripta quædam exhortatoria Ivonis episcopi Carnotensis epistola. Hic textum Isaiæ prophetæ, paginalibus clausulis distinxit; super Matthæum vero Glossas continuas scribit. Scribit quoque super Psalterium opus præstantissimum super topazium et aurum obryzum pretiosum.* Hæc Anonymus Mellicensis, scriptor iis temporibus propinquus. Sed ad Gerhohi *Dialogum* redeamus. Columna 497 scribit præpositus Reicherspergensis, Conradum I archiepiscopum Salzburgensem, *Domino cooperante omnes pene parochiæ suæ congregationes fecisse regulares*, deploratque *in suffraganeis illi subjectis, quarum una sit Ecclesia Ratisponensis, adhuc regnare filium ancillæ, et quod nequius sit, persequi filium liberæ.* Insignis demum et elegans locus colum. 493 et seq. exstat, ubi in laxiores scholasticorum, ut passim alibi, doctrinas ita invehitur : *Satis scio magistros quosdam in scholis circa hæc occupari, ut Scripturas ad suum sensum inflectant potius quam se ad rectitudinem Scripturæ dirigant. Qui cum omnia terribilia dicunt ad terrorem dicta, miro modo terrorem conantur evacuare, affirmantes, ipsis terribilibus nihil seriæ veritatis inesse, nimirum serpentis more, qui in paradiso terribilia Dei dicta frustra conatus est cassare. Hoc illi rotundo ore buccis inflatis crepant, ut suam scientiam inflantem ostendant, vitamque dissolutam in se suique similibus defendant. At illi, qui magnificentiam sanctitatis Dei loquuntur, et mirabilia ejus narrant, ipsi etiam virtutem terribilium ejus dicent, nec aliis memoriam abundantiæ suavitatis eructabunt, nisi de quorum justitia exsultare poterunt, et qui virtutem terribilium non surdis auribus audiunt.* Subdit deinde Gerhohus quid sibi evenerit, dum rationem status et vitæ suæ apud quemdam cremitam redderet, qui locus cum historiam conversionis hujus magni viri contineat, ab omnibus legi commeretur. Nos enim modum præfationis omnem excederemus, si omnia notatu digna ex hoc *Dialogo*, quem ex coævo membraneo codice inclyti monasterii Rotensis ad Œnum eruimus, excerpere vellemus.

VEN. GERHOHI

PRÆPOSITI REICHERSPERG.

LIBER EPISTOLARIS SEU DIALOGUS

AD INNOCENTIUM II PONT. MAX.

De eo quid distet inter clericos sæculares et regulares.

(D. B. Pezius *Anecdot.* t. II, II, 437, ex ms. Rotensis monasterii in Boiaria.)

—

PROLOGUS.

INNOCENTIO, divina favente clementia sanctæ Romanæ sedis almo pontifici, G. (170) frater indignus vocari presbyter, cum Petro pugnare, cum Petro triumphare.

Quod omnium Ecclesiæ filiorum ego indignissimus et infimus præsumo scriptis alloqui vicarium Petri, apostolorum principis, nolo assignetur ausui temeritatis, cum hoc agam partim cogente necessitate, partim animante me ad hoc ipsius Dei auctoritate, cujus in Spiritu Moyses dicit : *Audi, Israel, quæ ego præcipio tibi hodie. Cum intraveris terram, quam Dominus Deus tuus tibi daturus est possidendam, et obtinueris eam, atque habitaveris in ea, tolles de cunctis fructibus tuis primitias, et pones in cartallo, pergesque ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit, ut ibi invocetur nomen ejus, accedesque ad sacerdotem, qui fuerit in diebus illis, et dices ad eum : Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, qui exaudivit nos, et respexit humilitatem nostram, et laborem atque angustiam, et eduxit nos de Ægypto in manu forti et brachio extento, in ingenti pavore, in signis, atque portentis, et introduxit ad locum istum, et tradidit nobis terram lacte et melle manantem, et idcirco nunc offero primitias frugum terræ, quam*

(170) *Gerhohus*, ut ipse se nominat in Epilogo opusculi.

Dominus Deus tuus dedit mihi. Et dimittes eas in conspectu Domini Dei tui; et adorato Domino Deo tuo epulaberis in omnibus bonis, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi (*Deut.* xxvi, 11). Quorsum hæc? Nimirum quia et ego, proh dolor! in Ægypto fui, dum inter sæculares clericos vanis vanior, exstiti, et nisi me Dominus in ingenti pavore, in signis, atque portentis terruisset, in tantum Ægyptus ipsa placuisset, ut nunquam inde fugientes vellem comitari, tam pomposus eram in cultu sæculari. Ab anno antem, ut recordor, decimo sexto vel decimo septimo ætatis meæ percussus plaga, et dolore importabili ad propositum castitatis mentem aptavi, et ab infirmitate quæ tunc inerat, sanatus, continuo scholasticis exercitamentis totus inservivi. Emancipatus autem scholarum studio, et confirmatus in solo castitatis proposito, me miserum perdita virginitate, nimium sero, pene fui, imo vere esse studui sectator Juliani Apostatæ; quia susceptum clericatum dedignabar tonsura, et aliis religiosis indiciis vestium decenter ornare, solitus me sic formare, imo deformare, ut me specialiter potuerit notare quadragesimum capitulum Toletani concilii III, quod sic se habet: « Omnes clerici vel lectores sicut levitæ et sacerdotes, detonso capite toto superius, inferius solam circuli coronam relinquant, non sicut hucusque in Galliæ partibus facere lectores videntur, qui prolixis, sicut laici, comis, in solo capitis apice modicum circulum habent. Ritus enim iste in Hispania hucusque hæreticorum fuit. Unde oportet ut pro amputando scandalo hoc signum dedecoris auferatur, et sit una tonsura vel habitus, sicut totius Hispaniæ est usus. Qui autem hoc non custodierit, fidei catholicæ reus erit. »

Igitur et ego tunc catholicæ fidei reus juxta præsens capitulum exstiti, quia hæreticorum, videlicet Julianistarum veneno saltem in habitu laico, vel quasi laico participavi. Verum nunc per Dei gratiam ab istis vanis ereptus, et regulam apostolorum per aliquot annos juxta doctrinam sancti Augustini utcunque sectatus, profiteor hodie coram Domino Deo tuo, qui exaudivit me, et respexit humilitatem meam, et laborem, atque angustiam, et eduxit me de Ægypto in manu forti et brachio extento. Jam quidem, quod lex præcepit, feci, pergens ad locum quem Dominus Deus elegit, ut ibi invocetur nomen ejus, Romanam videlicet sedem, in legatione Domini mei episcopi Conradi Salzburgensis, accessique ad sacerdotem, qui erat in diebus illis, beatæ recordationis, papam Honorium, et contuli verbum cum eo, quod prædico inter clericos adhuc sæculares, ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem. Erat autem occasio hujus verbi, quia fratres meos uterinos de talium cœtu exire, dictis et scriptis incitavi, distinguens inter bonum semen apostolicæ vitæ, quod in clero Christus voluit ac disposuit fructificare, atque inter sæcularium clericorum zizania ab homine inimico superseminata. Hujusmodi a me dicta licet quibusdam fuerint molesta, sanctæ ta-

A men recordationis viro papæ Honorio fuerant accepta, qui mihi, præsente Nortperto Magdiburgensis Ecclesiæ archiepiscopo, quærenti cur hæc zizania jam penitus matura non eradicarentur, dixit maledicis, mendacibus et ebriosis, istos apostatantium greges connumerandos, quos cum Apostolus indicet regnum Dei non possessuros, multitudo tamen prohibet excommunicari, ne forte talibus præcisis plus perturbentur infirmi boni, quam corrigantur animosi mali. Ad hæc verba mihi tunc satisfactum est. Verum pœnitet me tunc non dixisse illi, quod nunc tibi dico, utpote illius legitimo successori: esto ut non valeant excommunicari prædicetur saltem de istis, sicut de maledicis et ebriosis, quod regnum Dei possidere non poterunt, si in tali

B sacrilegio perdurabunt, quale damnat in suis decretis papa et martyr Urbanus, qui res ecclesiasticas communiter et apostolice viventibus, cæterisque nihil habentibus ita prædicat, ab episcpo suisque ministris conferendas, ut sacrilegos indicet qui in alios usus transferunt eas. Quod faciunt sæculares clerici, communiter habenda male fraudantes. Prohibet enim prædictus martyr sub anathemate, ne quis ecclesiastica bona subtrahat communi et apostolicæ vitæ, sicut Ananias et Saphira fecerunt, et ideo mortui ceciderunt, Petro increpante, cujus te decet, pater, vestigia servare increpando eos, æternamque mortem intentando illis, qui scienter ac temere obviant prædicti papæ ac martyris insti-

C tutioni, per omnes Ecclesias matrices communem vitam firmanti.

Non autem sufficere credo ad prænotati mandati obedientiam, quod accessi ad sacerdotem, qui fuit in diebus illis, nihil offerens illi de frugibus, vel frugum primitiis, quas in cartallo ponendas et sic offerendas divina mandat auctoritas. Idcirco quod recognosco me tunc minus fecisse, nunc, adjuvante Domino, conabor supplere. In præsenti etenim libello velut in cartallo, tibi legitimo sacerdoti offero sententias, vel primitias de cunctis meis opusculis, pro quibus persecutionem patior a sæcularibus clericis. Postquam enim exemplo Isaac patriarchæ cœpi puteos, a Palæstinis humo repletos purgare, et eisdem nominibus quibus Pater eos appellavera'

D iterum appellare, id est, postquam vitam clericalem regularem atque spiritualem determinare cœpi, sequestrata ab illius vitæ puritate terrenorum congerie, quæ veris Israelitis obstruit venam aquæ vivæ, jurgati sunt contra me pastores Geraræ, volentes me de terra expellere, qui nomen sæcularium clericorum auderem repudiare, atque illos ancillæ filiis præsumerem comparare. Ut autem facillime, o pater, discernere valeas, quos filiis liberæ, et quos ancillæ assignare debeas, ita placet subjuncta ordinare, ut duos, unum sæcularem, alterum regularem repræsentemus disputantes, et quasi præsente matre libera, cujus te oculum recognoscimus, ita invicem ludentes, ut materna pietas, quæ in te est, cogatur paternam severitatem excitare, ne ultra patiaris in

domo simul habitare tanquam cohæredes, quos materna nobilitas vel ignobilitas facit valde dissimiles. Alterum quippe genuit promissio Christi dicentis in Evangelio : *Omnis qui reliquerit domum, agros*, etc., *propter nomen meum, et propter Evangelium, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit* (*Matth.* A xix, 29). Alter secundum carnem natus, alienus est ab hujusmodi promissionibus. Et quoniam, qui est hujusmodi, sponte rixatur, in disceptatione ista sæcularis et sua quærens clericus prior loquatur, ut ei regularis justa respondere cogatur.

INCIPIT DIALOGUS

Inter clericum sæcularem, et regularem; quid inter utrosque distet.

Sæcularis. Vos, qui dicimini regulares canonici, quia velut monachi mundo debetis esse mortui, nullam vocem habetis in Ecclesia, quæ nobis ad regendum est committenda, sicut hactenus habet consuetudo antiqua, cui vos magnam vim facitis, qui novitatem regularis vitæ introducitis, et hanc ab omnibus clericorum congregationibus observandam prædicatis absque documento alicujus certæ et indubitatæ auctoritatis.

Regularis. Utinam nos, qui dicimur et esse desideramus regulares, omni simus mundo mortui, et perfectissimis monachis in illis deliciarum hortis associati, de quibus in Canticis canticorum loquitur sponsus : *Quæ habitas in hortis, fac me audire vocem tuam* (*Cant.* viii, 13). Nam illius Christiani sive monachi, sive canonici vocem sponsus desiderat, C qui in hortis Scripturarum toto affectu inhabitat; illius, inquam, vocem sive in prædicatione, sive in oratione ac laudibus, desiderat sponsus, consolans eum de vestris contradictionibus, qui negatis vocem in Ecclesia talibus. At ille, *fac me*, inquit, *audire vocem tuam*; præmisitque causam, dicens : *amici auscultant* (*ibid.*). Ac si diceret : ne cures quid inimici contradicant, qui neque me, neque te, neque se amant; quoniam qui diligit iniquitatem, odio habet animam suam. Nos tamen nec istis adhortationibus animati prædicationis officium nobis usurpamus, ita ut in aliqua Ecclesia nobis non commissa pulpitum non vocati ascendamus, et inde quasi tuba vocem exaltemus. Veritatem vero interrogati, vel D aliquando non interrogati, præceptis salutaribus moniti dicere [*f.* dicimus] saltem in aurem, saltem in cubiculis, quam adhuc speramus prædicandam in tectis. Quod autem de novitate nos arguis, male facis. Nam si attendas quid sit in Christo seminatum, et quid postea dormientibus hominibus, Ecclesiarum videlicet rectoribus, et custodibus ab inimico homine sit superseminatum, invenies Christum Petro proprietatis, imo suimet abnegatori, Ecclesiam commisisse regendam, cui idipsum regimen antea noluit committere, quam tertio amorem ipsius Christi confessus, inventus est extra Ecclesiam nihil amare. Sed inimicus homo licet adhuc vigilantibus agri custodibus tentavit superseminare zizania, dum Simonem Magum, præcipuum negotiatorem, Nico- B laum in clero fornicatorem, Ananiam primum illicitæ proprietatis amatorem consuscitavit, quorum germen in agro Dei, peccatis exigentibus ita pullulavit; ut vix triticum appareat, vixque sibi aliquis de lolio non comedendo caveat. Est ergo antiquorum nostra institutio. Si autem absque auctoritate credis nos docere, per omnes matrices ecclesias apostolicam vitam observari debere, lege ad integrum decreta Urbani papæ ac martyris, tibi, tuique similibus ecclesiastica bona sub terribili anathemate interdicentis, et sacrilegium esse judicantis, ubicunque res Ecclesiarum detorquentur in usum aliquorum non apostolice viventium.

Sæcul. Ergo juxta tuam sententiam peccavit sanctus Gregorius, qui de rebus ecclesiasticis mandavit stipendia, quibusdam clericis danda, qui nec uxoribus carere, nec proprietatibus voluerunt renuntiare.

Regul. Aliud est, quod sanctus Gregorius Augustino, Anglorum episcopo, servandum præcepit, videlicet ut conversationem institueret, quæ in initio nascentis Ecclesiæ fuit patribus nostris, in quibus nullus eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Aliud vero est, quod idem Pater non secundum legem, sed contra legem novellis Anglorum clericis permisit propter duritiam cordis; quemadmodum Moyses libellum repudii permisit Judæis. Ab initio autem nascentis Ecclesiæ non fuit sic. Scilicet ut aliquis ministraret, qui non caste viveret, vel aliunde, quam de altari viveret. Unde et istis sanctissimus Pater clericis tantum extra sacros ordines constitutis hanc permisit indulgentiam, sacri altaris ministris nunquam permittendam, ut videlicet seorsum cum uxoribus vivant, et stipendia exterius accipiant. Reliquis autem extra votum, et extra sacros ordines presbyteratum, diaconatum, subdiaconatum constitutis, potest auctoritas Gregorii aliquid seorsum competere de rebus ecclesiasticis, si vel in tantum obedierint regulis ecclesiasticis; ut, sicut ille sanctissimus diffinit, bonis moribus vivant, canendis psalmis invigilent, et ab omnibus illicitis cor, linguam et corpus, Deo auctore, conservent.

Sæcul. Aut defende sanctum Gregorium a sacrilegio, quod asseris notari a papa et martyre Urba-

no; aut hoc inconveniens habebis, ut unus Romanorum sanctus damnet alterum, nihilominus notæ sanctitatis virum.

REGUL. Dixi tibi jam, et audisti. Nunquid iterum vis audire? Sicut Moyses excusatur a prævaricatione legis permittendo, quod erat contra Dei legem, duris Judæis; ita excusatur sanctus Gregorius permittendo, quod prohibuerat martyr et papa Urbanus, imo in ipso Dei fortissimus Spiritus, in quo idem beatus usque ad sanguinis effusionem est actus. Huc accedit quod eadem consideratione poterat istud concedere novellis Anglorum clericis, qua in quinto vel quarto gradu consanguinitatis concessit nuptias novellis Anglis, non legem statuendo, sed adhuc infirmis lac præbendo. Est ergo venialis, non legalis institutio, clericos extra votum, et sacros ordines constitutos vivere non de altari, sed de proprio, et ita viventibus ministrari et dari quidquam de stipendio solis apostolice militantibus debito. Munitur tamen ista nova condescensio David regis antiquo exemplo, quo persequente latrunculos, qui succenderant Sicilech, lassi quidam in via cum sarcinis remanserunt, qui usque ad ipsam pugnam procedere non potuerunt, sed æqua tamen evenit portio spoliorum judicante David et his, qui lassi remanserant, et his, qui ad pugnam pervenerant. Quid putas accidisse, si omnes voluissent ad sarcinas remansisse?

SÆCUL. Puto eos nihil de spoliis accepisse.

REGUL. Verum dicis, atque ideo consentire te oportet eas congregationes, in quibus nemo militat legitime, sacrilegium committere, si de stipendio, sibi minime debito, præsumunt quidquam contra interdictum Urbani papæ contingere. Ubi autem saltem ab his apostolica vita servatur in congregatione, qui funguntur sacris ordinibus, ibi absque sacrilegio velut alter David sanctus Gregorius, ut quasi ad sarcinas residentibus uxoratis clericis non denegetur stipendium solis militantibus ex debito, istis vero ex indulgentia persolvendum. Quicunque enim tales fuerint, ut apostolice viventibus in extrema saltem acie, imo post aciem subserviant, dum officia minora gerentes velut sarcinas custodiendo eas adjuvant, eadem justitia possunt stipendia sua exterius accipere, qua supradictos lassos, attamen circa sarcinas occupatos, legimus de spoliis accepisse. Illæ vero congregationes, quæ totæ irregulares dicunt ordini apostolico: recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus, indubitanter sciant, quia revelabunt cœli iniquitatem eorum, et terra adversus eos consurget, et manifestum erit peccatum, et sacrilegium eorum in die furoris Domini, quia justitiam in iniquitate detinent, occupando sedes, quæ a regularibus teneri deberent. Unde in synodo, quæ anno Dominicæ incarnationis millesimo centesimo decimo habita est in Lateranensi Ecclesia, præsidente beatæ recordationis papa Paschali, inter cætera promulgatum est, et ab omni concilio corroboratum est hujusmodi capitulum: « Sunt præterea, qui vel violentia, vel favore non permittunt Ecclesias regulariter ordinari; hos etiam decernimus ut sacrilegos judicandos. »

SÆCUL. Nimis dure me tangis, et supra modum tuum te extendis. Nam si juxta illud capitulum papæ Paschalis sacrilegi sunt, qui Ecclesias regulariter ordinari non permittunt, sed, ut tu sentis, justitiam Dei in injustitia detinent, dum justitiam regularis vitæ procedere prohibent, plena est Ecclesia sacrilegis, ipsique Patres valde culpandi sunt, qui hactenus talia permiserunt.

REGUL. Qui, rogo, Patres? et quid permiserunt?

SÆCUL. Tempore Ludewici regis convenerunt episcopi et clerici, et eodem rege mediante regulas collegerunt, quibus et hoc interposuerunt, quod liceret canonicis vivere in domibus privatis et propriis.

REGUL. Hoc est, quod conqueritur Dominus per Prophetam: *Duo*, inquiens, *mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, quæ continere non valent aquas* (*Jer.* I, 23). Neque enim suffecit eis apostolicas regulas clero auferre, nisi præsumerent insuper malas regulas fabricare, quæ comparari possunt pravæ cisternæ. Tu vero satis a vero devias, qui Urbano papæ et martyri, Petri apostolorum principis legitimo successori, obviandum putas auctoritate Ludewici, sive illorum episcoporum, qui unacum illo assenserunt errori. Neque enim in illorum regula invenitur distinctio aliqua inter sacri altaris ministros, et reliquos clericos, quibus cum discretione poterat Gregoriana illa condescensio Anglorum clericis permissa, convenire. At istud regis edictum confuse de omnibus clericis prolatum illi edicto potest comparari, quo scripsit rex Antiochus omni regno suo, ut esset omnis populus unus. Nos autem cum Mathathia legem potius quam regem debemus audire.

SÆCUL. Sunt adhuc authentica concilia, in quibus nobis proprietas est permissa, nec tamen ecclesiastica interdicta, quin etiam a sacerdotibus valeant possideri una cum proprietatibus. Legitur in Carthaginensi concil. cap. 22: « Item placuit ut episcopi, presbyteri, diaconi, vel quicunque clerici, qui nihil habentes ordinantur, et tempore episcopatus sui agros, vel quæcunque prædia nomine suo comparant, tanquam rerum Dominicarum invasionis crimine teneantur, nisi admoniti in Ecclesiam ea contulerint. Si autem ipsis proprie aliquid, vel successione cognationis obvenerit, faciant inde, quod velint. »

REGUL. Capitulum corruptum, et male truncatum protulisti, sicut illud forsitan in quibusdam exerptis invenisti. Perlege integrum Carthaginense concilium, et invenies illic ita diffinitum: « Si autem ipsis proprie aliquid liberalitate alicujus, vel successione cognationis obvenerit, faciant inde quod eorum proposito congruit. Quod si a suo proposito retrorsum exorbitaverint, honore ecclesiastico tan-

quam reprobi indigni judicentur. » Hoc autem capitulum cum de his agat qui nihil habentes ordinantur, sintque nihil habentes, quos pauperes fecit aut nativitas aut voluntas, rectius agere intelligitur de his, quos voluntas, aut sanctum propositum fecit pauperes, quam de his, quos necessitas vel nativitas posuit inter nihil habentes, nullum tamen propositum nihil habendi habentes; præcipit enim ne de sibi accedentibus rebus aliquid agant contra suum propositum, quod vix aptari potest non habentibus aliquod sanctitatis propositum. Est autem laudabile presbyteri propositum a prudenti viro Prospero his verbis comprehensum : « Sacerdos, inquit, cui dispensationis cura commissa est, non solum sine cupiditate, sed et cum laude pietatis accipit a populo dispensanda, et fideliter dispensat accepta, qui omnia sua aut reliquit, aut Ecclesiæ rebus adjunxit, et se in numero pauperum paupertatis amore constituit, ita ut unde pauperibus subministrat, inde ipse tanquam pauper voluntarius vivat. » Hujusmodi ergo presbytero, cum sit in bono proposito, prædictum capitulum sane jubet, ne a suo proposito retrorsum exorbitet. Quomodo vero idipsum præceptum penitus irregulari clerico aptari queat, mihi non apparet, quoniam sanctitatis propositum non habet, a quo monendus sit, ne exorbitet. Sed esto permittantur illic et in aliis quibusdam capitulis ministri altaris habere propria; sed nec in eisdem, nec aliis authenticis capitulis excusatur præsumptio sacrilega, qua contra interdictum papæ ac martyris Urbani per matrices Ecclesias vita communis impeditur, cui ecclesiasticarum rerum facultas principaliter debetur, ut ab ipsa dispensetur, sive paupertatis amatoribus, sive Lazari similibus, sive hospitibus, sive, ut multum condescendamus, infirmis clericis extra sacros ordines tolerabiliter viventibus, et Ecclesiæ pro modulo suo saltem in psalmodia servientibus.

Sæcul. Nonne per hoc videmur excusari, quod nos Patres censuerunt posse tolerari, qui in quibusdam conciliis statuerunt legem de propria substantia morientis presbyteri, quo modo videlicet oporteret eam dividi inter episcopum, et hæredes, atque ipsam Ecclesiam?

Regul. Patres illi, quos commemoras, prudenter fecerunt, morbum temperantes, quem penitus auferre non potuerunt. Hoc et illi adverterunt, qui a rebus Ecclesiæ res episcopi proprias jusserunt haberi distinctas. Quia nimirum accidit morientibus episcopis aut presbyteris Ecclesiam vexari ab hæredibus, et quod adhuc turpius erat, a presbyterorum dominis carnalibus; cum disceptaretur de propriis eorum rebus. Huic malo præcavendo intenderunt, qui de substantia propria leges dederunt, quomodo scilicet a rebus ecclesiasticis haberentur distinctæ, et quomodo morientibus presbyteris essent dividendæ. Pone tibi ante oculos presbyterum, in quo sit sanctum propositum verbis Prosperi, supra comprehensum, nunquid eget ista dispensatione vel A remedio, quod hæredes temperet a sacrilegii vel capacitatis morbo?

Sæcul. Scio perfectis non convenire, quæ defendo. Sed ego ad hoc tendo; ne ob hoc simus damnabiles, quod nos altaris ministri habemus proprietates, quas et illi habuerunt, quibus prænotatæ leges positæ fuerunt, ne videlicet nescirent, qua cautela sua cum rebus Ecclesiæ habere deberent.

Regul. Ego principaliter intendo agere de rebus Ecclesiæ, quæ ad quoddam propositum sanctum sunt oblatæ, atque a Patribus destinatæ, quas, qui inde abstrahit, sacrilegium committit. Res autem hæreditariæ, vel aliunde acquisitæ, quæ nunquam fuerunt in sanctos usus oblatæ, absque sacrilegio possint haberi in proprietate. Sed eas habentibus B presbyteris et diaconibus nihil debetur de sanctis Ecclesiæ rebus. Sua vero, testante Prospero, sine peccato possident, si ea, quæ eis ab Ecclesia compelunt, dispensatori relinquant nihil habentibus conferenda. Quod tamen de his dictum sit, quod votum communis vitæ non tangit, quamvis presbyteris et diaconibus, etiam extra votum existentibus vix aut nullatenus congruat illa indulgentia, sua sine rebus Ecclesiæ retinendi, quam infirmis concedit auctoritas Prosperi. Hi enim qui altario deserviunt, omnino tales debent esse, testante S. Hilario, et S. Ambrosio, et B. Hieronymo, quorum dicta studio brevitatis, tanquam pluribus nota omitto, ut eorum portio sit in terra viventium, nihilque proprium possideant in hac terra morientium, sed sint C liberi a jugo sæcularium potestatum, quod B. Augustino teste nullus illorum poterit esse, qui dicere habet : meus servus, mea villa, mea substantia, quoniam jure humano, quod potestatibus hujus mundi subjacet, possidentur propria; sed jure divino Domini est terra et plenitudo ejus. Nec dicere quisquam potest ex hoc jure : meus fundus, meus servus. Unde non est liber a laqueis sæculi, qui a proprietatis possessione non vult liberari, digneque repellitur hic talis juxta rigorem apostolicum a ministerio sancti altaris, utpote adhuc sæcularis, et implicatus laqueis mundanis. Quod ne de corde meo videar prophetare, Antherius papa et martyr dicat super hoc suum decretale : « Oportet, inquit, ut D qui Deum hæreditate possident, absque ullo impedimento sæculi Deo serviant, ut dicere possint : Dominus pars hæreditatis meæ. » Quibus consideratis constat sacri altaris ministris proprietatem illicitam, quamvis in supra dicto Carthaginensi concilio videatur indulgere eam. Et revera sic est. Considerate enim propter duritiam cordis propria Patres indulserunt, quæ omnino duris illis auferre non potuerunt, sed et leges posuerunt, quibus fieret, ut non omnino licite, sed minus moleste cæteris, minusque damnose illa possiderent.

Sæcul. Ego gaudeo utcunque mihi permitti res meas, quia invitus dimitto eas.

Regul. Esto permittantur tibi tua. Sed cum tu non vivas extra congregationem, aut extra sacros

ordines, ut illi, quibus in Anglia permisit B. Gregorius non solum stipendia foris præbenda, sed etiam conjugia, quis tibi permisit, aut permittere potuit, ut tu neque apostolice militans, neque sic militantibus ministrans accipias ecclesiastica stipendia, tibi graviter interdicta?

SÆCUL. Ubi, quæso, interdicuntur mihi ecclesiastica bona? Ubi solis apostolice viventibus videntur destinata?

REGUL. Lege, ut dixi, decreta Urbani papæ et martyris, qui inter cætera dicit: « Ipsæ vero res singularum parochiarum in ditione episcoporum, qui locum tenent apostolorum, erant, et sunt usque adhuc, et futuris semper debent esse temporibus, ex quibus episcopi et fideles dispensatores eorum omnibus communem vitam degere volentibus ministrare cuncta necessaria debent, prout melius potuerint, ut nemo in eis egens inveniatur. Ipsæ enim res fidelium oblationes appellantur, quia Domino offeruntur. Non ergo debent in alios usus, quam in ecclesiasticos, et prædictorum fratrum, vel indigentium converti, quia vota sunt fidelium, et pretia peccatorum, atque ad prædictum opus explendum Domino traditæ. Si quis autem, quod absit! secus egerit, videat ne damnationem Ananiæ et Saphiræ percipiat, et reus sacrilegii efficiatur sicut illi, qui pretia prædictarum rerum fraudabant. » Et post pauca: « Hæc, inquit, fratres, valde timenda sunt et cavenda, quia res Ecclesiæ non quasi propriæ, sed ut communes, et Domino oblatæ, cum summo timore non in alios, quam in præfatos usus sunt fideliter dispensandæ, ne sacrilegii reatum incurrant, qui eas inde abstrahunt, ubi traditæ sunt, et, quod pejus est, anathema maranatha fiant, etsi non corpore ut Ananias et Saphira fecerunt, qui mortui ceciderunt; anima tamen, quæ potior est corpore, mortua et alienata a consortio fidelium cadant, et in profundum barathri labantur. » Et paucis interpositis concludit sententiam, dicens: « Ideo si quis exstiterit modernis aut futuris temporibus, qui hoc avellere nitatur, jam dicta damnatione feriatur. »

SÆCUL. Dura sunt, quæ dicis.

REGUL. Non sunt dura nisi duris

SÆCUL. Verum est. Sed bonum esset, nos ita duros mollibus provocari, quod et ipse papa Urbanus videtur attendisse, ubi dicit: « Si quis exstiterit modernis, aut futuris temporibus, qui hoc avellere nitatur, jam dicta damnatione feriatur. » Fuerunt enim ante nos, qui hoc niterentur avellere, videlicet apostolicæ vitæ plantaria, quos acquiescimus damnatos, et nos clementer a damnatione sejunctos, qui hoc non nitimur avellere, quia his jam ante nos evulsis alia plantatio nunc videtur florere, in qua multæ sunt probabiles personæ, quæ, si nunc essent in eorum Ecclesiis vita apostolica, non niterentur pro ea evellenda. Hos, ut credo, per Urbanum papam promulgata maledictio non tangit, quia non sunt ipsi apostolicæ vitæ avulsores, aut ecclesiasticarum rerum primi alienatores, imo nostræ Ecclesiæ longe post Urbanum papam sic institutæ creduntur a suis fundatoribus, ut nunquam destinaverint res earum apostolice viventibus. Huc accedit quod B. Udalricus, Augustensis episcopus, vir in Christo illustris non legitur hoc exegisse a suis canonicis, ut propriis carerent, et apostolice viverent. Invenitur quoque in quibusdam ipsius dictis, quod fragilitati clericorum valde fuerit condescendibilis, et tamen sanctus habetur in Ecclesia, licet alienus ab apostolica vita.

REGUL. Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est. In supra dicto enim Urbani decreto invenis, quod episcopi locum tenent apostolorum, unde et constat eos debitores conversationis eorum. Alioquin erunt audituri: « Amici, quomodo huc intrastis in locum eorum, quorum non estis imitati exemplum? » Sive enim illi fuerint avulsores apostolicæ vitæ, sive jam illa evulsa et alia consuetudine introducta, illi ad episcopatum venerint, locumque apostolorum tenuerint, solus Christus erat sequendus, et in fundamento habendus. Nam et cum ille dicat: *Qui mihi ministrat, me sequatur* (*Joan.* XII, 26), id est me imitetur quisquis episcoporum, presbyterorum, diaconorum illi apud sanctum altare ministraverit, si illum quoque in abnegatione suorum et suimet in proprietatis carentia, in communi vita imitatus fuerit, similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, et ponit fundamenta supra petram. Qui autem vel in loco apostolorum, ut episcopi, vel in loco duorum et septuaginta discipulorum, ut presbyteri, vel in loco septem diaconorum, ut reliqui altaris ministri, apparere præsumunt, nolentes vivere in illa vita, in qua illi vixerunt, qui absque felle simpliciter illud Christi edictum susceperunt: qui mihi ministrat, me sequatur, in totis officiis, totisque ministeriis, quæ agunt, similes sunt homini ædificanti super arenam, quia non habent in Christo fundatam suæ conversationis regulam. Unde satis incongrue dixisti aliam plantationem nunc florere, in qua non vivitur apostolice; cum hi, qui alia, quam Christus plantavit, plantant, vel ab aliis plantata sectantur, rectius fetere, quam florere dicantur. Inter quos personæ, quas tu dicis probabiles, quia forte sunt erga pauperes largi, et castitatem servantes, tanto amplius a Deo reprobantur, quanto per eas tanquam per columnas muri Babylonis tandem ruituri sustentantur. Qui si darent eleemosynam, ut Deus mutaret eorum conversationem pravam, et fundamento destitutam, daretque illis in fundamento conversationis habere quasi petram apostolicæ conversationis regulam, et non defenderent vitam in clero, apostolicis institutis contrariam, posset fieri; ut aut ipsi mutarentur, et muri Babylonis, quos illi sustentant, ruerent; aut si in hoc desiderio morerentur conversationis fructum, quem voluntas eorum optavit, præventu mortalitatis non perderent. Legimus enim de quibusdam episcopis, qui in semetipsis quidem servave-

runt pro posse apostolicam perfectionem, sed cum A clero sibi commisso non potuerunt habere vitam communem secundum beati Gregorii ad Augustinum Anglorum episcopum dispositionem, et tamen sancti habentur, quia vitam apostolis contrariam nec ipsi duxisse, quantum in ipsis fuit, nec in aliis defendisse leguntur : quin potius ad eam in clero disponendam toto affectu aspirasse creduntur, licet quidam perverse ac mendose imponant sancto Udalrico, quod ad papam Nicolaum scripserit pro defendendis presbyterorum, et reliquorum ministrorum Dei conjugiis, ne continentia esset occasio fornicationis. Quod falsissimum inde convincitur, quod tempore suo nullus apostolicæ sedi præfuit, cui Nicolaus nomen fuerit. Huic ergo viro sancto consimiles, in se sancte viventes, et aliorum inordinatam B vitam non tuentes, imo pro posse saltem apostolicis exemplis destruentes vocari possunt florentes, utpote desiderium floridum habentes, ab inordinate viventibus dissolvi, et cum Christo esse in apostolica et sancta conversatione, quod sanctum Udalricum legimus desiderasse, qui dimisso episcopatu cupivit inter monachos vitam apostolicam, quia tunc temporis in clero vix potuit invenire illam. Sed jam contracta sponsalia, de quibus Apostolus dicit : *Alligatus es, noli quærere solutionem* (*I Cor.* VII, 27), compulerunt illum adhærere uxori, quantumlibet lippis oculis existenti. At isti, quos tu dicis nunc inter inordinate viventes florere, concupiscunt ipsis inordinate viventibus adhærere, non sicut sanctus C Udalricus, aut sanctus Wolfgangus vel aliquislibet sanctus, cui nectu Lia supponebatur, et ut altius repetam, non sicut Jacob, qui Liam tenens, in Rachelis amore amplius afficiebatur, sed sicut Ruben qui, cum esset primogenitus et nobilis, tamen primogenita et nobilitatem suam per hoc polluit, quod ipse liber ancillæ adhærens patris lectum polluit.

SÆCUL. Nescio quorsum tendat ista tua digressio. Nam ego defendi bene viventes in pravorum consortio, et tu eos maculatos ostendere niteris nescio cujus ancillæ contubernio.

REGUL. Vere sic est. Nam apostolica vita est illa libera, pro qua Christo conjungenda, forma servi est ab illo accepta. Hæc in contemplativis et otiosis D pulchra, in negotiosis lippa Deo filios genuit, quia hæc est, quæ totum mundum convertit. Sed ubi hæc in clero defecit, in quo amplius, quam in monachis fecunda fuit, subintroivit velut ancillaris vita, in qua legitime baptizantibus et prædicantibus multis nati sunt etiam boni filii ad hæreditatem ascripti, sed ipsa tamen velut ancilla respuitur, et omnis, qui libenter illi adhærens illius consortio polluitur, præsertim in tali Ecclesia, quæ toro Dei est assimilata, imo torus, sive lectus Dei est appellata, ut est episcopalis, vel baptismalis Ecclesia, in qua generatio Deum, non sua quærentium est gignenda et nutrienda. Hoc est enim, quod maxime Jacob in filio suo Ruben punivit, quod in lectulo suo cum Bala dormivit. Dixit namque inter cætera sanctus patriarcha : *Ruben, tu principium doloris mei, effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, et maculasti stratum ejus* (*Gen.* XLIX, 3, 4). Ecce non tam culpat factum turpe, quam quod in loco accidit, in quo id minime decuit accidisse. Igitur et vos, qui quasi dormitis cum ancilla, quibus non est pars neque sors cum libera, quærite vobis Ecclesias, imo Synagogas, in quibus nec baptizari, nec prædicari conveniat, ne super vos illa Dei maledictio veniat, quæ in Ruben vestri similes damnat. *Hæc* enim *omnia*, testante Apostolo, *in figura contingebant, scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt* (*I Cor* X, 11). Quærite vos prælatos præter episcopos. Nam cum hi, affirmante Urbano papa, teneant locum apostolorum, debeantque imitari exempla ipsorum, non possunt vobis concordare, nisi una vobiscum velint apostatare.

SÆCUL. Quomodo sequestras nos a matricibus Ecclesiis, cum supra beatum Gregorium hoc indulsisse dixeris, ut in Anglorum, utique baptismali, imo et Ecclesia episcopali, tales tolerarentur, et de rebus Ecclesiæ stipendiarentur ?

REGUL. Nonne cum hoc attendebas, pariter et hoc debeas advertere, quod in eadem Ecclesia neminem, nisi apostolica et communi vita viventem consensit altari ministrare, vel baptizare, vel prædicare ? Ne videlicet in toro Dei Patris cubaret ancillarius, et prava vita ipsos Dei ministros corruptura, si non eos foris arceret apostolica regula ? Quærite igitur, ut dixi, vos alias ecclesias præter Deum fabricatas; quærite alios redditus ecclesiarum, quia non solum illas, quas tunc possederunt, sed quas extunc possessuræ fuerunt, et sunt habituræ futuris temporibus Ecclesiæ matrices fidelium oblationes, interdixit sub interminatione anathematis decretalis illa sententia præfati Urbani papæ ac martyris, quam sanguine scriptoris, velut morte testatoris roboratam delere non potestis. Si autem id quosdam vestrum consolatur, quod continentes estis, quod eleemosynas datis, discutite utrum ob id contineatis, et eleemosynas detis; ut, cum sitis altaris ministri, et de bonis Ecclesiæ sustentemini, ab illa dissoluta conversatione, in qua estis, liberemini, et in apostolica vita confirmemini, cui soli debetur altaris ministerium, et ecclesiasticum stipendium ? Nam quod inde percipiunt exterius conjugati, et a ministerio altaris, et voto vitæ communis liberi, sicque accipiunt ab apostolice viventibus liberæ, si secundum doctrinam sancti Gregorii sub eis agnoscuntur Deo servire, sicut illud accipiunt ecclesiarum servi, qui si ab aliis quam apostolice viventibus illud acciperent, illisque ipsi subservirent viventibus dissolute, ipsa sua stipendia quotidiana illorum servituti debita non acciperent satis tute, si tamen ullo modo possent, et nollent male agentibus contradicere, suaque servitute illos destituere. At vos, omnes pusilli cum majori-

bus, altaris ministri cum junioribus, ut ea quæ in occulto fiunt, quæ et turpe est dicere, taceam, tantam habetis in defensione illius vitæ vestræ concordiam, ut ego pro vobis timere cogar, ne adaptanda vobis sit illa Dei sententia, qua loquens ad beatum Job describit squamas Leviathan quasi scuta fusilia, invicem se prementia, ut ne spiraculum quidem incedat per illa. Unde si vos, qui sanctioris in illa vita falsa, et vera morte videmini, ad hoc jejunatis, ad hoc eleemosynas datis, ad hoc psallitis, ut non de illa vita liberemini, sed ut in illa salvemini, judicem nitimini corrumpere, ut parcat non homini, sed hominis culpæ, quod penitus est impossibile, et tamen etiam pro hoc habet vos damnare, quia, licet frustra, voluistis eum corrumpere.

Sæcul. Dure nos tetigisti, cum nos quasi squamas corpori Leviathan assignasti.

Regul. Vere ut de vobis taceam, quorum non intueor conscientiam, valde me liberet contra illum Leviathan durissima et acutissima jacula dictis et scriptis mittere, nisi quod, testante Domino, ad beati Job in stipulam versi sunt ei lapide fundæ.

Sæcul. Qui lapides? Et cujus fundæ?

Regul. Nonne jam ostendi vestram illam vitam sub anathemate in Ecclesiis matricibus prohibitam? Quid est autem anathema maranatha, quod intorquet Urbanus martyr in prænominata sententia, nisi lapis durus in funda? qua tandem, cum Dominus venerit, sternetur altitudo, se nunc erigens adversum scientiam Christi? Sed hanc fundam cum Goliath Philisthæo nunc multi derident, qui temere committere audent non solum, quæ in præfata Urbani sententia, sed et alias inveniuntur sub anathemate prohibita, quibus adaptari potest, quod in Apocalypsi dicitur de bestia, quæ habet *plagam gladii et vixit* (*Apoc.* XIII, 14). Qui enim sibi imprecatum anathema contemnit, ipse habet plagam gladii, et suo judicio vivit, quia eam, quasi nulla sit, contemnit. De hujusmodi timendum est ne pertineant ad corpus illius bestiæ, cujus plaga mortis dicitur curata esse, cum non vere, sed falso dicatur curata.

Sæcul. Ego tibi consensi de primis avulsoribus illius vitæ secundum tenorem sententiæ, ab Urbano datæ, quod illi periclitati fuerint sub anathemate; et tu nos omnes eorum sequaces vis notare?

Regul. Si parum videtur dixisse primus, Urbanus secundus papa in suis Decretalibus: « Quicunque, ait, res ecclesiasticas non ad hoc, quod institutæ sunt, sed ad propria lucra munere linguæ, vel indebiti obsequii, vel pecunia largitur, vel adipiscitur, Simoniacus est; cum principalis intentio Simonis fuerit sola pecuniæ avaritia, id est idololatria, ut ait Apostolus, et avaritia, quæ est idolorum servitus. » Itaque consonant sibi antiquus et novus Urbanus, dum ille ad communem vitam affirmat res ecclesiasticas institutas; iste vero Simoniacum, et idololatram esse ostendat quemlibet eas ad propria lucra vertentem vel munere linguæ, quod est

A in ipsa officiorum temeraria præsumptione; vel munere obsequii indebiti, quod fit in exsecutione ministerii ab altioris professionis hominibus exhibendi; vel pecuniæ, quæ Simoniæ species omnibus est nuda.

Sæcul. Mirum est quod conaris astruere ut qui res ecclesiasticas ab his, ad quæ instituta sunt, alienant speciebus munerum præsignatorum, incidant idololatriæ vel Simoniæ contagium. Attamen nos non fuimus primi alienatores, quod fortasse reddit nos ab hac sententia immunes.

Regul. Non ego, sed Lucius papa et martyr tibi respondeat, qui de raptoribus, fraudatoribus, alienatoribus rerum ecclesiasticarum, eorumque consensoribus inter cætera sic intonat cap. 7: « Qui

B Christi pecunias et Ecclesiæ aufert, fraudat et rapit, homicida in conspectu justi judicis esse deputabitur. Unde et Judas, qui pecuniam fraudavit, quæ usibus Ecclesiæ, id est pauperibus, quos Ecclesia pascere debet, distribuebatur jussu Salvatoris, cujus vicem tenent episcopi, non solum fur, sed fur et sacrilegus effectus est. Hæc fieri prophetæ, hæc apostoli, et successores eorum, et omnium catholicorum Patrum vetant decreta, et tales præsumptiones sacrilegia esse dijudicant. Quorum nos sequentes exempla, omnes tales præsumptores, et Ecclesiæ raptores, atque suarum facultatum alienatores a liminibus sanctæ matris Ecclesiæ anathematizatos apostolica auctoritate pellimus, et damnamus, atque sacrilegos esse judicamus. Sed et

C omnes consentientes eis, quia non solum qui faciunt, rei judicantur, sed etiam, qui facientibus consentiunt. Par enim pœna et agentes et consentientes comprehendit. » Ecce, frater, qui de hoc tibi applaudebas, quia res Ecclesiæ tu non primus ab usu apostolicæ vitæ alienaveras, quas huic sanctæ vitæ affirmat martyr et papa Urbanus mancipatas, non audisti compontificem et commilitonem ejus, papam et martyrem Lucium, quomodo consentientes cum agentibus involutos ostendit in idem judicium.

Sæcul. Nos res Ecclesiæ, licet apostolicæ vitæ abalienatas, Ecclesiæ tamen non abalienamus, quia eidem Ecclesiæ, cujus res illæ sunt, quas habemus,

D utcunque militamus, et ideo anathema Lucii papæ contra raptores, fraudatores et alienatores præsignatos dictatum, ut spero, evademus.

Regul. Et Judas utcunque militavit, quem tamen idem Lucius in præmisso capitulo furem sacrilegum judicavit, quia videlicet pecuniam jussu Salvatoris pauperibus distribuendam in alios usus detorsit. Sic et vos, licet Ecclesiæ utcunque militetis, quia non habentibus debita vos habentes consumitis, eamdem sententiam incurritis.

Sæcul. Quam multi sic inter nos egent, ut eis minime sufficiat, quod ab Ecclesia, cui serviunt, habent. Nunquidnam et illi sub anathemate prænotato jacent?

Regul. Si non obtineant ea per obsequium, in-

debite impensum, ut superius habes distinctum, A possunt vivere de rebus Ecclesiarum, non quia sunt clerici sic viventes, sed quia sunt pauperes.

Sæcul. Nunquam præter nunc audivi astrui; ut qui faciunt aliquid sub anathemate prohibitum, continuo subjaceant anathemati. Credo quidem eos anathema meruisse, sed nisi nominati fuerint ab episcopis ordine judiciali, non puto eos anathematis gladio sauciari.

Regul. Hoc est quod supra conquerebar, quia lapides fundæ versi sunt in stipulam, dum verbum penetrabilius omni gladio ancipiti creditur per hoc infirmari, si moderni tacent episcopi, clamantibus his qui nunc sunt in præsentia Christi.

Sæcul. Certam debes ostendere auctoritatem de hac re, si me vis acquiescere. B

Regul. Recordare veteris historiæ, quomodo scilicet Jericho destructa sub Josue duce Achan, filius Charmi præsumpsit de anathemate, nec tamen Josue compulsus est sententiam anathematis iterare, sed anathema jam contractum vindicare, dicente ad eum Domino: *Peccavit Israel et prævaricatus est pactum meum, nec poterit Israel stare ante hostes suos, eosque fugiet, quia pollutus est anathemate. Non ero vobiscum ultra, donec conteratis eum, qui hujus sceleris reus est* (*Jos.* VII, 11, 12). Ecce qui sub anathemate prohibita usurpavit, auctoritate divina non denuo post factum anathematizandus, sed in ipso facto anathematizatus publicatur, et, jubente Josue, ab omni populo C lapidatur.

Sæcul. Omnis scriba doctus in regno cœlorum similis est homini qui profert de thesauro suo nova et vetera. Protulisti vetera; profer, si habes, aliquid a Novi Testamenti Patribus super hac sententia.

Regul. Fiat: Gregorius primus in epistola ad Theotistam patriciam dicit inter cætera: « Si qui vero sunt, qui dicunt, quod compulsus quispiam necessitate, si contra ea, quæ sub anathemate prohibita sunt, præsumpserit, anathematis vinculo non tenetur, ipsi sibi testes sunt, quia Christiani non sunt; quia ligamenta Ecclesiæ vanis se æstimant conatibus solvere, ac per hoc nec absolutionem sanctæ Ecclesiæ, quam præstat fidelibus, ve- D ram putant, si ligaturas ejus valere non æstimant. Contra quos diutius disputandum non est, quia per omnia despiciendi, et anathematizandi sunt; et unde fallere veritatem se credunt, inde in peccatis suis veraciter ligantur. Si qui sunt igitur, qui sub nomine Christiano hoc aut prædicare audent, aut tacita apud semetipsos tenent, procul dubio eos anathematizamus ego et omnes catholici episcopi, atque universa Ecclesia, quia veritati contraria sentiunt, et contraria loquuntur. »

Sæcul. Secundum hæc dicta videris modernos episcopos destituere judiciali potestate, si sunt jam judicati, et anathematizati, quos anathematizant Patres antiqui.

Regul. Apostolo testante, *quorumdam hominum facta manifesta sunt præcedentia ad judicium, quorumdam et subsequuntur*. Illa ergo, quæ manifestum nihilominus judicium exigunt, debent a pontificibus judicari, quia judicium præcedunt, in hoc scilicet, quod nondum judicata, sed adhuc judicanda sunt. Quæ autem et manifesta sunt, et subsequuntur, judicium jam antehac regulariter factum et promulgatum, sive a modernis pontificibus damnentur, sive dissimulentur, inter jam judicatos censentur.

Sæcul. Da exemplum eorum quæ dicis.

Regul. Fiat. In paradiso Eva virum corrupit male suadendo, et vir peccavit lignum vetitum comedendo. In his duabus culpis altera præcessit, altera subsecuta est judicium. Nam comestio ligni vetiti prædamnata erat, Domino dicente: *Quacunque die comederitis, morte moriemini* (*Gen.* III, 5). Seductio vero mulieris male suadentis non ante factum, sed post factum judicata est, et punita, per hoc scilicet quod multiplicatæ sunt ejus ærumnæ et conceptus, et quod audivit: *in dolore paries filios* (*ibid.*, 16). Culpa igitur interdictæ comestionis sub gravi anathemate, id est sub gravi morte animæ prohibita, in ipso facto est punita; nam amborum animæ in peccato erant mortuæ, quam cito præsumpserunt fructum arboris cum interminatione mortis interdictæ. Nec Deus justus judex curavit hanc damnationem de morte animarum iterare, sed alias culpas, videlicet culpam seducentis, et culpam seducenti obedientis plus quam voci Dei, percussit sententia judiciali, dum et mulieri pro gloria ærumnas, et viro pro suavi fructu deputavit spinas. Idem vero serpens, qui tunc dixit: *Nequaquam morte moriemini* (*ibid.*, 4), cum Deus dixisset: *morte moriemini*, plane idem serpens antiquus, qui vocatur diabolus, et Satanas, nunc seducere nititur universum mundum, suadens hominibus carnalibus, ut contemnant jam factam de quibusdam criminibus damnationem. Cumque sint eorum facta non præcedentia, sed subsequentia judicium, illi securi sunt, nisi denuo fiat judicium, damneturque id quod agnoscitur damnatum et anathematizatum, seu mitiori aliqua sententia mitiori pœnæ adjudicatum.

Sæcul. Quod nunc dicis, non intelligo de mitioris pœnæ modo, nisi exemplum subnectas, quo id lucidum facias.

Regul. Fiat quod postulas, licet ignorem utrum fideliter, an infideliter ista quæras. Nam et antehac similia sunt a me quæsita cum multa malevolentia, ut videlicet in sermone caperer, et a juste damnatis ego injuste damnarer. Dicam tamen, quod et antea dixi. Alexander Papa II, in Ecclesia Constantiniana centum et amplius episcoporum synodum celebrans inter cætera dixit: « Præcipiendo mandamus ut nullus missam audiat presbyteri, quem scit indubitanter concubinam habere, vel subintroductam mulierem; nam dudum hujusmodi presbyterum sive

diaconum sancta synodus officio privavit. » Hac auctoritate munitus cum diceret quidam canonicus, de hac re interrogatus, quod manifeste incontinentes clerici non adhuc privandi officio, sed jam essent privati; talium defensores, nescio an ipsi fuerint tales, scilicet incontinentes, frenduerunt super eum dentibus suis, dicentes eum adnumerandum hæreticis, qui auferret potestatem episcopis. At ille postquam non tolerari senserat mitiorem illum damnationis modum, quo interdicitur officium, adjecit majorem, quo Gregorius VII, vere septiformi Spiritu plenus, interdixit eis etiam ecclesiæ introitum dicens : « Si qui sunt presbyteri, vel diaconi, vel subdiaconi, qui in crimine fornicationis jaceant, interdicimus eis ex Dei parte omnipotentis, et sancti Petri auctoritate, ecclesiæ introitum, usque dum pœniteant et emendent. Si qui vero in peccato suo perseverare maluerint, nullus vestrum eorum præsumat recipere officium, quia benedictio eorum convertitur in maledictionem, et oratio in peccatum, Domino testante per prophetam : *Maledicam*, inquit, *benedictionibus vestris* (*Malach.* II, 2). Qui vero huic saluberrimo præcepto obedire noluerit, idololatriæ peccatum incurrit, Samuele teste, et beato Gregorio instruente. Peccatum ariolandi est non obedire, et scelus idololatriæ nolle acquiescere. Peccatum igitur paganitatis incurrit, quisquis, dum Christianum se asserit, sedi apostolicæ obedire contemnit. »

SÆCUL. Quo tendis per hæc omnia?

REGUL. Nimirum per ea quæ dixi expeditur interrogatio tua de minori modo damnationis, quem ostendere non potui sine collatione majoris. Fornicantes enim altaris ministri, si postquam fornicati fuerint, officia non præsumpserint, erunt in minori damnatione, videlicet in officiorum tantummodo privatione. At si contra interdictum sedis apostolicæ præsumunt, peccatum paganitatis incurrunt, et ipsi, et qui scienter eorum interdicta, imo et excommunicata officia audiunt.

SÆCUL. Et hæc est novitas inaudita, qua officia eorum dicis excommunicata. Ubi, quæso, est hæc excommunicatio facta? vel ubi saltem sub excommunicatione interdicta?

REGUL. Interroga papam Alexandrum, et papam Nicolaum, quorum pene sententia est eadem habens hunc tenorem : « Nullus, inquiunt, audiat missam presbyteri, quem scit indubitanter concubinam habere, aut subintroductam mulierem. » Unde etiam sancta synodus hoc a capite statuit sub excommunicatione dicens : « Quicunque sacerdotum, diaconorum, subdiaconorum, post constitutum beatæ memoriæ sanctissimi papæ Leonis de castitate clericorum, et cætera. » Ecce hi duo Romani pontifices testantur, sub excommunicatione statutum, ut incontinentes non celebrent interdictum sibi officium. Quære tu ab eis de ista excommunicatione; mihi sufficit illud a papa Gregorio supradictum, ubi officiis eorum ostendit fieri paganum.

SÆCUL. Quid dicis ad illa Nicolai papæ decreta, A quæ ad consulta Bulgarorum data, continent hæc inter cætera : « De presbyteris vobis, qui laici estis, nec judicandum est, nec de vita eorum quidquam investigandum, sed episcoporum judicio, quidquid illud est, reservandum. » Et post aliqua : « Sumite, inquit, ab omni sacerdote intrepide Christi mysteria, quoniam omnia in fide purgantur. » Hæc dixit papa Nicolaus sciscitantibus, ut ipsa responsa ostendunt, non solum de presbyteris fornicantibus, sed etiam adulterantibus, ostendens eorum audienda officia, quoad usque ab episcopis eorum detur in eos justa sententia.

REGUL. Scio, frater, ista capitula inveniri, sed a Catholicis non video illis obediri.

SÆCUL. Modo illis Catholici non obediunt, sed B antehac obedierunt.

REGUL. Certe, frater, neque modo neque antehac fornicantes et adulterantes accepti fuerunt sanæ mentis hominibus, et etiam tunc reprobabiles, cum nondum a Gregorio VII fuerunt eliminati. Unde licitum est opinari, si a juniore Nicolao data est hæc jussio de audiendo fornicantium officio, quasi mitius, ut se corrigerent, primitus cum eis agendo. Postquam exstiterunt incorrigibiles, ipsemet se correxit, quando in synodo eisdem officia interdixit. Ideo juxta regulas canonum potiori auctoritati est acquiescendum, vel hoc sentiendum, quod in ipsa synodo factum est episcoporum judicium, post quod non est ulterius audiendum illorum interdictum officium. Si autem a priore Nicolao data est illa jus- C sio, recte correcta est a successoribus, quia repugnans erat sancitis potioribus. Unde pluribus magis quam uni obediens, et inter cætera Gregorium VII, quasi tubam audiens, ego de missis eorum magis non curo, quam si cantarentur a pagano.

SÆCUL. Cave ne sacramentis facias injuriam, quæ, licet hæretico celebrante, non amittunt vim suam. At isti necdum sunt addicti hæretici, quamvis Nicolao hæresiarchæ in facto sint propinqui.

REGUL. Unum restat probandum, scilicet quod hæreticorum ea sacramenta extra Ecclesiam celebrata, licet quantum ad formam sacramentalem sint integra, sicut integra est aliquando manus amputata, tamen a virtute sancti Spiritus ita sunt D vacua, sicut ab humano sensu et spiritu manus amputata. Et quod illis aliquando inustum est nomen hæresis tam Nicolaitis, quam Simoniacis, qui, in erroris sui secta indurati, synodalibus sanctorum Patrum diffinitionibus, et decretalibus eorum statutis scienter inobedientes, apostatarumque pertinacia eis recalcitrantes studio et voluntate refragantur. Hoc autem ita diligenter determino, ne quis me credat hæresim assignare sic lapso, ut ipse ante lapsum, et post in continentiæ proposito fuerit; sicut Petrus et ante, et post negationis lapsum, fuit in proposito nunquam negandi Christum, et ideo Petrum dicimus lapsum, similiterque lapsis non claudimus recuperandæ salutis facilem aditum. Judas autem, qui quæsivit opportunitatem ut Jesum traderet, non

dicitur lapsus, quia non habuit propositum mentis, ut peccatum caveret, imo, ut dixi, quæsivit opportunitatem ut hoc faceret. Ideo non convenit his reparatio Petri, qui ante et post fornicationem sunt extra propositum sancte et caste vivendi; imo cum Juda quærunt opportunitatem, ut exercere valeant suam iniquitatem. Ad hoc nimirum diligunt et proprias mansiones, et abominantur claustrales, quia in domibus privatis est opportunitas affectatæ iniquitatis. De talibus in synodo beatæ recordationis Paschalis papæ non dubitavit Bruno Segnensis episcopus inter cætera dicere: « Nos clerici et monachi primitivæ Ecclesiæ normam tenentes, Christum et apostolos, ac sanctos Patres sequamur, et omnes Simoniacos cum illis perpetuo anathemate damnemus. Imitemur plenum Spiritu sancto Stephanum, et impium Nicolaum cum universis sequacibus suis excommunicemus, ne illorum errori tacendo consensisse in adventu judicis accusemur. » Ecce iste catholicus pontifex Nicolaum cum suis sequacibus, clericis videlicet fornicandi opportunitatem quærentibus, vel diligentibus dure notavit, et tam istos, quam Simoniacos damnandos asseruit, nullusque in tanta synodo quasi nimis austeram illius sententiam repudiavit.

SÆCUL. Licet iste bonus homo Nicolai sequaces cum Simonis Magi sequacibus pari sententia tetigerit, non tamen eos hæreticos Nicolaitas dixit. Unde si vis mihi satisfacere, debes aliquem illo auctorabiliorem inducere, qui de his agens tetigerit eos Nicolaitarum, vel hæresis aperto nomine. Alioquin tu culpaberis, hoc istis primum imposuisse nimis injuste, cum non doceant, vel defendant cum Nicolao, clericis aut sibi debere connubia esse communia.

REGUL. Fiat quod postulas, quia tu nimis importune instas. Audi ergo quid dicat papa Nicolaus: « Nicolaus papa omnibus Christi fidelibus. Anno Dominicæ Incarnationis MLIX, pontificatus nostri primo, interdictione XII, in urbe Romana in ecclesia Salvatoris, quæ Constantiana [*ita cod.*] dicitur, sanctam synodum cum sanctis Patribus, videlicet centum tredecim episcopis, exceptis abbatibus, clericis, et laicis, de statu sanctæ Ecclesiæ ad communem utilitatem, Deo propitio, canonice celebravimus. Inter cætera de Nicolaitarum hæresi, id est, conjugatis presbyteris, diaconibus, omnibus in clero constitutis, ab omni concilio statutum, et corroboratum est ita: Quicunque sacerdos, diaconus, subdiaconus, » etc. Sufficiat hic de dictis Nicolai papæ tantum id posuisse, in quo invenitur, ut audisti, hæresim Nicolaitarum eisdem, quibus et nos, attitulasse.

SÆCUL. Ille de conjugatis presbyteris tantum loquitur, ubi hoc nomen tangit, ita dicens: « De hæresi Nicolaitarum, id est de conjugatis presbyteris. » Unde videtur concubinatus clericorum illic non tangi.

REGUL. Cogis me totum capitulum ponere, quod brevitati studens volebam omittere. « Quicunque, inquit, sacerdos, diaconus, subdiaconus, post institutum beatæ memoriæ prædecessoris mei, sanctissimi papæ Leonis de castitate clericorum concubinam palam duxit, vel ductam non reliquit, ex parte omnipotentis Dei, et auctoritate beatorum apostolorum Petri et Pauli præcipimus, et omnino contradicimus, ut missam non cantet, nec evangelium pronuntiet, nec epistolam ad missam legat, nec in presbyterio ad divina officia cum his, qui præfatæ institutioni obedientes fuerint, maneat, neque partem ab ecclesia recipiat, quousque a nobis sententia super hujusmodi, Deo auctore, procedat. » Atque ut agnoscas non solum incontinentiæ scelus ab ipso papa Nicolao desectum, cujus etiam conabatur obstruere aditum, audi sequentia, vitam apostolicam inducentia: « et præcipientes, inquit, statuimus ut hi prædictorum ordinum, qui ejusdem prædecessoris nostri statutis de clero obedientes hæc servaverint juxta Ecclesias, quibus ordinati sunt, sicut oportet religiosos clericos, simul maneant, manducent, et dormiant. »

SÆCUL. Nonne possunt simul manere, manducare, et dormire, et tamen proprias domus, proprias pecunias habere salva ista præceptione.

REGUL. Si hoc papa voluisset, non addidisset præceptum simul manendi, manducandi, dormiendi, « sicut oportet religiosos clericos. » Alienum quippe est a religione duobus dominis ita servire, ut et in claustro clericus procuretur, et pecunia, vel pecuniola de mammona iniquitatis domi servetur. Sed redeundum est ad nomen Nicolaitarum, quod sicut in amatoribus conjugum, ita quoque in amatoribus concubinarum altaris ministris demonstrat sententia Romani pontificis.

SÆCUL. Quid si neque concubinas, neque uxores habent, et tamen se non continent? Nunquid et hoc modo ad sortem Nicolai fornicatoris attinent, qui uxorem dicitur amasse, et hoc dogmatizasse, quod apostolice viventibus uxores, ut cætera, deberent communia esse?

REGUL. Diligenter nota quos ego supra exceperim, ubi alios cum Petro lapsos; alios cum Juda perditos ex utrorumque studio, ac proposito distinxi. Simulque et illud considera, quod hi qui cum Petro contra suum studium ex incidenti, et non quæsita occasione peccant, amaris fletibus culpas expiant, et illi vitæ se associant, in qua et Petrum pœnitentem salvatum esse sciunt, relicta non apostolice viventium secta, in qua nec aliquem continentem salvatum esse certis documentis probare poterunt. Quod enim lapsi clerici debeant in regularibus claustris expiari, et ad propria ulterius non reverti, testantur dicta S. Gregorii, Petro subdiacono hæc inter cætera mandantis: « De lapsis sacerdotibus, vel quolibet ex clero observare te volumus, ut in rebus eorum nulla contaminatione miscearis, sed pauperrima regularia monasteria require, quæ secundum Deum vivere sciant et in eis-

dem monasteriis lapsos trade, et res eorum lapsorum in eo loco proficiant, in quo agere pœnitentiam traduntur. » Qui ergo sic pœnitent, ut juxta B. Gregorii mandatum se suasque res monasteriis apostolice viventium tradi acquiescant, istis cum Petro pœnitentibus magnus patet misericordiæ aditus. Quotquot vero istis exceptis præsumunt ministrare sive conjugati, sive concubinati, sive vaga stuprandi consuetudine fœdati, accedunt ad sortem Nicolai, quibus etiam a Gregorio VII, ut supra ostendi, ademptus est introitus ecclesiæ usque ad dignam pœnitentiam, quam habes a S. Gregorio supra dictam. De aliis etiam non agimus, nisi quos eliminat S. Gregorius, quorum pœnitentiam dignam Petro subdiacono scribens determinat ejusdem nominis, ut dixi, Gregorius primus.

SÆCUL. Ea, quæ dicis, possent constare, si vel unum sanæ mentis hominem nostri temporis posses ostendere, qui Nicolaitarum hæresim, quam Nicolaus papa manifeste uxoratis, et concubinatis assignat, his quoque attribuat, quorum talis est vita, ut nemo, qui eos novit, sinatur dubitare de illorum vaga luxuria ; nec tamen est eis uxor, aut concubina, quas ideo non habent, quia eas specialiter et populus notat, et Nicolaus papa nominat, ubi hæresim Nicolaitarum pene solus, et fortasse improprie de talibus promulgat.

REGUL. Unum sane mentis hominem nostri temporis tibi ostendo, qui scripto affirmavit quod et ego. Qui scilicet homo catholicus optime concordat papæ Nicolao, imo diffiniens illam hæresim supplet ea quæ de vagis vagarum feminarum constuoratoribus videntur ab aliis remansisse intacta.

SÆCUL. Quis est iste?

REGUL. Rudbertus abbas Tuitiensis [*sic cod.*], homo sanctæ recordationis, inter sanctæ Scripturæ tractatores valde illustris. Qui exponens Apocalypsin rogatu venerabilis viri Chuononis, tunc Sigbergensis abbatis, nunc Ratisbonensis episcopi, ubi ventum est ad eum locum pertractandum, quo angelus Pergami Ecclesiæ culpatur, eo quod habeat apud se tenentes doctrinam Nicolaitarum, dicit inter cætera : « Procedunt sub ornatu filiæ Madian ludentes, et composito gradu incedentes ad decipiendum Israelem. Hoc nimirum toties fit, quoties, teneri et molles vitiis profluentes, nullumque ad vitæ constantiam virile robur habentes, acceptis honoribus, cum sint moribus obscuri, in Ecclesia sub Christi nomine videri appetunt spectabiles. Annon isti sic provecti doctrinam tenent Nicolaitarum? Nicolaum quippe refert Clemens, de zelo pulcherrimæ conjugis increpatum respondisse, ut, quicunque vellet, eam acciperet uxorem, et ob hoc infideles docuisse, quod apostoli cunctis promiscua, communiaque feminarum consortia permitterent. Annon illi doctrinæ vicinum est, quod isti legitimum non valentes habere conjugium, utpote legibus ecclesiasticis interdictum, ut sint sancti, et

A mundentur, quia portant vasa Domini, nihilominus incontinentes sunt, imo in deterius proruunt, mutantes connubia, quoties volunt, et qui nullum habent torum licitum, dum sic evagantur, nullum se confidunt rupisse conjugii vinculum? Ait ergo : *Sed habeo adversus te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam* (*Apoc.* II, 14). Continuo subjungit : ita habes et tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. Ergo fornicationes, quas Nicolaus induxisse fertur contra puritatem ecclesiasticam, appellat doctrinam Balaam, et hoc esse confirmat scandalum Ecclesiæ Dei : *edere et fornicari* (*ibid.*). » Nonne hoc Rudperto dicente, imo Spiritu sancto in Apocalypsi diffiniente, doctrinam esse Nicolaitarum *edere et fornicari*, rectissime prædicatur servandum B quod a Romanis quoque pontificibus est roboratum, scilicet, ut edentes interdicta sibi multoties Ecclesiæ stipendia, solis continentibus debita, cum ipsi sint voluptatum amatores, magis quam Dei, caveantur sicut homines veritati rebelles in illa Nicolaitarum doctrina, id est in illo scandalo jacentes, quod Spiritus loquens Ecclesiis diffinit esse in edendo et fornicando? Nam si aut fornicari desinerent, recteque pœniterent ; aut ecclesiastica stipendia non ederent, in illa Nicolaitarum doctrina non essent, quæ est : *edere, et fornicari.*

SÆCUL. Vere si hoc ipsum *edere et fornicari* defenderent, si pro justitia illud haberent, et habendum suaderent, atque id pertinaciter facerent, sine C dubio hæretici essent. Nunc autem, quia non defendunt scandalum illud pro justitia, non est eis proprie Nicolaitarum hæresis attributa. Nam secundum quod hæresis est a Patribus diffinita, non factum pravum, sed sententia prava pertinaciter defensa, facit hæreticum, quod confirmari potest multis documentis Patrum.

REGUL. Vere sic tenetur de cunctis hæresibus, exceptis duabus, Nicolaitarum scilicet et Simoniacorum. De Nicolaitis enim Spiritus loquens Ecclesiis in Apocalypsi, culpavit solum edere et fornicari. Petrus autem damnando Simonem, culpavit pravam illius voluntatem et æstimationem, dicens : *pecunia tua tecum sit in perditione* (*Act.* VIII, 20), D quia existimasti donum Dei pecunia possideri. Ecce non culpatur hic erroris defensio, sed ipsa factum præcedens existimatio, et voluntas peccandi, quam idem B. Petrus vocavit fel amaritudinis, dicens : *In felle amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse* (*ibid.*, 23). Similiter ubi culpatur illorum edere et fornicari, qui erant in doctrina fornicatoris Nicolai, tacetur facti defensio, et agitur de solo pravitatis facto. Et recte nimirum, quia sive, ut quidam volunt, idolothyta comederent, et fornicarentur, sive Deo sanctificata, et in usus continentium destinata fornicantes ederent, quæ et Nicolaus fornicans edebat, quorum quoque dispensator unus inter septem diaconos erat ; cum illo sunt alligandi in uno fasciculo ad comburendum, si non

fuerit eis pœnitentiæ remedio regulariter subventum.

SÆCUL. Si, ut tu asseris, Nicolaitæ et Simoniaci, quorum non est numerus, cuncti sunt hæretici, cur non ab antiquis Romanæ sedis pontificibus sunt omnino et prorsus excommunicati, ut Ariani et Sabelliani?

REGUL. Sola multitudo talium cogebat exspectari universale illud ventilabrum. Sed cum ipsi propter multitudinis cavendam ruinam sint jam diu tolerati, nec in salutatione, vel convictu interdicti, Simoniacorum tamen sacramenta etiam ab antiquis Patribus leguntur exsufflata. Jacentes vero in fornicatione, atque insuper præsumentes ecclesiastica officia et beneficia, hos tales contra interdictum edentes et fornicantes, primus Romanorum pontificum Nicolaus papa invenitur Nicolaitas nominasse. Extunc velut hæreticorum cæterorum officia talium publicantur vitanda, sicut idololatria. Sunt igitur ipsis nondum excommunicatis, id est, in convictu et salutatione non interdictis, eorum tamen officia penitus excommunicata, penitusque interdicta, non simplici interdictione, sed Alexandro papa testante sub excommunicatione. Igitur interdicta et excommunicata Simoniacorum et Nicolaitarum officia, et sacramenta, ubi tales manifeste sciuntur, non dubie conjiciuntur, sunt vitanda, ut Nicolai papæ, et Gregorii VII docent bene austera decreta, ne nos pariter involvat excommunicatio, quæ interdicto et excommunicato inest officio, nimirum ut Alexander papa testatur, sub excommunicatione interdicto, ut Gregorius VII testatur, peccato ariolandi, atque idololatriæ comparando. Vere hic legitimus pontifex de Spiritu illo creditur accensus, in quo loquens Moyses contra Dathan et Abiron dixit filiis Israel : *Recedite a tabernaculis hominum impiorum, et nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum* (*Num.* XVI, 26). Nonne in eodem Spiritu loquens iste Gregorius VII dixit, ut supra ostendimus, eos incurrere peccatum paganitatis, qui scienter contemnunt obedire saluberrimis præceptis apostolicæ sedis, manifeste incontinentium officia interdicentis?

SÆCUL. Iste Gregorius VII videtur nobis nimium fuisse austerus et præproperus, qui eos dicit peccatum paganitatis incurrere, quos nos vix acquiescimus hoc meruisse, ut increpari deberent juxta Evangelium, primo sub uno teste, deinde sub duobus; deinde coram Ecclesia; ut vel hanc audientes essent Christiani, vel non audientes tunc primum essent sicut ethnici et publicani.

REGUL. De occultis et necdum judicialiter damnatis causis tenendus est iste ordo redargutionis. At ubi aliquid sub tam terribili interdictione cognoscitur prohibitum, ut is, qui scienter hoc præsumpserit, habeat contra se judicialiter, vel decretaliter dictatum, vel synodaliter promulgatum, ut anathema sit, vel sicut ethnicus et publicanus habeatur, qui hoc vel hoc fecerit, ille hoc vel hoc faciens, et sententiam agnitam contemnens, in ipso facto semetipsum sic ab Ecclesia segregat, ut Spiritum sanctum, qui est in Ecclesia, non habeat, juxta quod scriptum est : *Animales semetipsos segregantes, Spiritum non habentes* (*Jud.* XIX). Unde primus Gregorius, cujus iste septimus erat pedissequus, agens de Maximi Salonitani contra simile interdictum ordinatoribus, non eos meruisse, sed jam contraxisse asseruit excommunicationem, scribens ad eumdem in hæc verba: « Auditur inauditum nefas, quod post interdictionem quoque nostram, quæ sub excommunicatione nostra ordinantiumque tunc facta est, cæsis presbyteris et diaconibus, militari manu ad medium diceris deductus. Quamobrem nos consecrationem dicere nullo modo possumus, quæ ab excommunicatis hominibus est celebrata. » Si autem arbitraris istum septimum Gregorium vel in hoc a vestigiis primi Gregorii discrepasse, quod fornicantibus interdixit altaris ministerium, lege, et invenies hoc illis a primo Gregorio strictius interdictum. Iste namque agit de jacentibus in fornicatione; at ille constituit ut etiam quis lapsus post acceptum sacrum ordinem careat ordine. Scribens enim Januario Calaritano inter cætera dicit: « Qui post acceptum sacrum ordinem lapsus in peccato carnis fuerit sacro ordine sic careat, ut ad altaris ministerium ulterius non accedat. »

SÆCUL. Hoc ego sic intellexi, quod hic talis jam ex merito deponendus, dignus esset officio carere; non quod jam depositus eo debeat carere.

REGUL. Tu de dictis pontificum sensu tuo judicas eos deponendos, quos illi suo sensu jam judicant esse depositos. Nam papa Martinus, vas ejusdem Spiritus, cujus primus et septimus Gregorius, in suis Decretalibus : « Qui, inquit, semel post suam ordinationem lapsu cecidit, deinceps jam depositus erit, nullumque gradum sacerdotii poterit adipisci. » Item Alexander Papa II Dominico Gradensi patriarchæ scribit, dicens : « Erubescant impii et aperte intelligant, nos judicio sancti Spiritus eos qui in tribus gradibus scilicet presbyteratu, diaconatu, subdiaconatu positi, mulierculas non abjecerint, et caste non vixerint, excludere ab eorumdem graduum dignitate. De manifestis quidem loquimur; secretorum autem cognitor et judex Deus. » Nonne qui post hæc judicia præsumunt interdicta sibi officia, securi de modernorum episcoporum pigritia, quorum exspectant et tamen declinant judicia de causa jam judicata, nonne, inquam, tales Patrum judiciis recalcitrantes, Romanæ sedis mandata calcantes, cum Nicolao, Ebione, Paulo Samosateno fornicantes, et tamen altari ministrantes, recte censentur eorum participes et complices? Ebionem namque hæresiarcham sancta Ecclesia cum suis sequacibus reprobavit, qui temporibus Christianis

Judaicam incontinentiam induxit. Paulus Samosatenus, ut ecclesiastica tradit historia, cum turpi feminarum servitio adhinniret quo minus notabilis ipse existeret, idem voluptatis volutabrum clericis suis concessit, atque femineæ commistionis illecebras licitas illis inter cætera vomitus sui venena asserere non expavit. Qua de re, quia tantæ fœditatis auctor exstitit, merito illum Ecclesia cum suis sectatoribus damnavit. Sectatores autem illius esse convincuntur, qui in ipsius turpitudine pertinaces inveniuntur.

SÆCUL. Satis et super satis dixisti de istis, ut ego sentio, pravis Catholicis, qui utrum hæretici sint, nec ne, reservetur judicio Romani pontificis. Tu nunc persolve promissum tuum de cassandis hæreticorum sacramentis.

REGUL. Judicium papæ Innocentii desidero super hoc audire, cui et paratus sum obedire. Prius autem, quam de sacramentis hæreticorum agamus, ipsa eorum sacramenta distinguamus, imo ante nos distincta ostendamus. Nicolaus etenim papa rigide contra eos intendens, qui ordinantur a Simoniacis Simoniace, austerissime ac justissime in suis Decretalibus dicit: « Erga Simoniacos nullam misericordiam in dignitate servanda habendam esse decernimus. » Item: « De cætero, si quis in posterum ab eo, quem Simoniacum esse non dubitat, se consecrari permiserit, et consecrator, et consecratus non disparem damnationis sententiam subeant, sed uterque depositus pœnitentiam agat, et privatus a propria dignitate persistat. » Idem Nicolaus alias clementius agens, triformiter distinguit, alios ordinatos a Simoniacis Simoniace, alios a non Simoniacis Simoniace, atque alios a Simoniacis non Simoniace, ultimosque illos tolerandos asserit pro necessitate. Quare hoc, nisi quia suffragatur eis pura et simplex conscientia, qua ad Simoniacum ordinatorem accesserunt mente catholica? Tali quippe consideratione Leo papa cum asseruisset nulla ratione inter episcopos habendos, quos neque clerus elegit, nec populus expetivit, nec suus metropolitanus ordinavit, subintulit: « Si qui autem clerici ab istis pseudoepiscopis in eis Ecclesiis ordinati sunt, quæ ad proprios episcopos pertinebant, et ordinatio eorum consensu et judicio præsidentium facta est, potest rata haberi: » Acatius quoque, qui omnino a papa Felice fuerat excommunicatus, et a papa Gelasio etiam post mortem damnatus, licet fuisset in magno anathemate, et omnimoda excommunicatione, quosdam ordinaverat, in quibus Anastasius papa ipsa sacramenta virtutem suam obtinuisse affirmat, scribens ad Anastasium imperatorem in hæc verba: « Nam secundum Ecclesiæ catholicæ consuetudinem sacratissimum serenitatis tuæ pectus agnoscat, quod nullum de his, vel quos baptizavit Acatius, vel quos sacerdotes, sive levitas secundum canones ordinavit, ulla ex nomine Acatii eos portio læsionis

A attingat, quo forsitan per iniquum tradita sacramenti gratia infirma videatur. »

SÆCUL. Tu promisisti hæreticorum sacramenta te vacuare, et ecce his dictis probantur firma et rata esse.

REGUL. Non proposui ea vacuare, sed vacua ostendere, illa nimirum sacramenta, quæ ab hæreticis quibuslibet anathematizatis extra unitatem Ecclesiæ data fuerint et accepta. Quia vero columba nihil vivum comedit, ad hoc in Christo simplicitas mea intendit, ut eos a cassatione sacramentorum sequestrem cum discretione, quos et Romani pontifices curaverunt inde sequestrare, ordinatos videlicet, quamvis ab hæreticis, catholica intentione. Hi sunt enim, quos Nicolaus papa dicit ordinatos « a
B Simoniacis non Simoniace. » Quod dicit: « Non Simoniace, » idem est ac si dicat: Catholice, sive catholica intentione. Hi sunt etiam quos Leo Magnus, licet a pseudoepiscopis ordinatos, suscipit cum integritate ordinum, ob hoc scilicet quia ordinati fuerunt sub judicio et consensu præsidentium ad certum titulum. Quandiu enim præsidentes, et ecclesiastici judices vel archipresbyteri, vel presbyteri, atque archidiaconi cæterique cardinales, sive cathedrales prælati cujuslibet Ecclesiæ consentiunt, et judicant episcopo suo obediendum esse, habentque illum pro Catholico, tandiu potest ad eum quis ordinandus accedere animo catholico inductus præsidentium consensu et judicio, cujus
C etiam ordinatio rata erit, nimirum si catholice, licet non a catholico episcopo consecratus titulo, ad quem consecratur, quantum in ipso est, adhærebit, quia et hoc poterit accidere, ut juste cogatur locum ipsum deserere. Aliter, ait Leo Magnus, vana est habenda consecratio, quæ nec loco fundata est, nec auctoritate munita. Nonne oculus columbæ nihil vivum comedentis erat in isto Romano pontifice, nihil Catholice actum cassare volentis? Licet enim juxta sui nominis proprietatem tanquam Leo fortissime dicturus esset, vanas esse pseudoepiscoporum consecrationes, prius tamen distinxit inter mortuos et viventes, ne et illos pariter tangerent leonini dentes, scilicet duræ diffinitiones, et pseudoepiscoporum sacramenta tangentes. Sed quia isti,
D licet pseudoepiscopi, fortassis poterant non esse hæretici, quid iste Leo contra omnimodos hæreticos rugiat, in sequentibus dicemus, postquam a mortuis eorum sacramentis omne vivum columbino more distinguemus.

SÆCUL. Procede, ut vis, dummodo verborum tuorum fiat aliquando finis. Quæ et mihi sunt onerosa, et a multis judicantur hæretica, nisi ea muniat auctoritas firmissima, docens, quomodo cassa sint sacramenta, quæ, docente S. Augustino, ubique integra, ubique sunt inviolabilia?

REGUL. Credo tibi posse satisfieri. Sed prius peragam quod proposui. Nunquid enim perdendus est justus cum impio? Nunquid pariter involvendi sunt in uno fasciculo ad comburendum, quos di-

stinxit diversitas animorum et intentionum? Nequaquam. Ut enim verbis Anastasii papæ de Acatio scribentis utamur: « Anima illa sola, quæ peccaverit, justo judicio proprie erit obnoxia, et superbia sibi semper non aliis, facit ruinam. » Unde ait: « Cum sibi sacerdotis nomen vindicaverat condemnatus, in ipsius verticem superbiæ tumor inflixus [*f.* infixus] est, quia non populus, qui in mysteriis donum ipsius sitiebat, exclusus est. » Ecce quam columbina pietate distinxit catholica corda, donum Dei sitientia a pravi, imo hæretici baptizatoris, vel ordinatoris impietate! Quisquis igitur attendit, quod Anastasius papa baptizatos, et ordinatos ab Acatio supra dictis verbis defendit, illam quoque partem attendat, quia causam inseruit, pro qua eos defendat. Cum enim, ut supra in verbis ejus ostendimus, non defendat simpliciter, quos Acatius ordinavit, sed quos secundum canones ordinavit, nos intelligere oportet eos ordinatos esse secundum canones, qui, illo baptizante et ordinante judicio et consensu præsidentium, ut supra in verbis Leonis Magni determinatum est, habuerunt animum catholicum, « sitientes, » ut Anastasius notat, « in Dei mysteriis, Dei donum. » Quæ cum ita se habeant, liceat nobis dicere quod sicut Nicolao papa distinguente non omnes ordinati a Simoniacis ordinantur Simoniace, ita non omnia sacramenta, quæ celebrant præcisi, fiunt in præcisione. Sed miro modo, quod excommunicati faciunt extrinsecus, completur intrinsecus, quando animus benedictionem poscentis erit Catholicus, de ordinatoris damnatione et præcisione adhuc non plene instructus. Hujusmodi ergo baptizatis et ordinatis, affirmante Anastasio papa, non nocuit malus bona ministrando, et ideo nulli eorum, quos Acatius baptizavit, vel ordinavit, legitur facta manus impositio, dum reconciliarentur, imo nunquam foris fuisse probarentur. At ubi quod agitur in sacramentis, totum est foris, et extra vitam veræ vitis, totum est aridum, totumque mortuum, quia neque is qui dat, neque is qui accipit benedictionem, cor gestat Catholicum, veræ viti complantatum; inde nec trahere valet in se vitalem Spiritum. Hinc est quod ab hæreticis, ut ita dicam, hæretice baptizati negantur habere donum Spiritus sancti, nisi hoc accipiant in catholica Ecclesia, vel sub erroris abdicatione, vel sicut Occidentales observant manus impositione, vel, ut Orientales volunt, chrismatis unctione, aut certe, ut B. Gregorius episcopis Hiberniæ scribens permisit, aperta erroris abdicatione, fideique professione. Quisquis igitur animo ab Ecclesia Dei alienus, ab hæretico nihilominus alieno baptismi vel ordinationis accipit sacramentum, id est invisibilis gratiæ visibile signum, non habet ipsam gratiam, cujus illud est signum.

Sæcul. Expedi me primum de solo baptismo, quomodo ibi velis distingui donum gratiæ pro sacramento, ipsam vero gratiam pro re sacramenti; ut hoc expedito appareat, quid exhinc de sacramentis cæteris teneri conveniat.

Regul. Trina mersio sub trina invocatione, facta in aqua, signum est Christi triduanæ sepulturæ; gratia vero signi vel sacramentum istius illa est, quam Apostolus describit, dicens: *Omnes, qui in Christo baptizati estis, Christum induistis* (*Gal.* III, 27); *consepulti enim estis cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus* (*Rom.* VI, 4). Istam gratiam, ut induatur Christus, et ex veteri homine fiat homo novus, non dat hæreticus, et errori damnato consentaneus. Sed ipsius signum, quod dicitur, et est sacramentum tam foris quam intus est inviolabile, et ut ita dictum sit, irreiterabile. At Spiritus sanctus tantummodo habetur intus, per quem fit homo ex veteri novus, et Christo vere consepultus.

Sæcul. Non omnino displicet quod dicis, quia sic infantibus ab errore quolibet extraneis, nullique schismati consentaneis, etiam per Simoniacos, et alios hæreticos datur sacramentum, et res sacramenti, quod scio a quibusdam negari.

Regul. Nos cum hæreticis non damnamus, nisi, ut determinavi, cum eis a Catholica extraneos et errori mente consentaneos; unde si quis infantibus undecunque ritu ecclesiastico baptizatis regnum Christi, et virtutem sacramenti contradicit, mecum, imo, ut de me pusillo taceatur, cum Anastasio papa non sentit, qui affirmat munus baptismi etiam per tales datum ad percipientem pervenire illibatum.

Sæcul. Certe ubi hoc loquitur papa Anastasius, non determinat se agere de solis infantibus

Regul. At certe determinat se agere de solis Christum amantibus, ubi dicit populum, dona Dei sitientem in mysteriis, non fuisse exclusum participatione damnati sacerdotis. Liceat ergo mihi Christum amantibus infantes jungere, de quibus audio Christum dicere: *Sinite parvulos venire ad me* (*Matth.* XIX, 14).

Sæcul. Quamvis tu me sæcularem dicas, liceat mihi nunc dicere, quod scio quemdam spiritualem et catholicum, satis in Ecclesia reverendum virum, tibi objecisse: quid si parentes infantis, accedentes ad hæreticum, sentiunt cum hæretico contra Deum?

Regul. Quod bona fides parentum prosit, habemus. Utrum vero ad æternam damnationem legitime baptizatis infantibus infidelitas eorum noceat, non habemus; cum eis prosit fides Ecclesiæ, qua creditur, undecunque ritu ecclesiastico celebratum baptisma comitari Spiritus sancti dona, nisi ubi hunc excludit cor possidens pravitas hæretica, quæ non inest infantibus utpote inter sinistram et dexteram discernere non valentibus. Qui tamen si ad annos ætatis legitimæ pervenerint, perdunt acceptam in baptismo gratiam, nisi deserentes ac detestantes hæresim, diligant catholicam Ecclesiam. Qui vero

adulti foris baptizantur, his congruit, quod beatus Augustinus ad Orosium scribens dicit : « Quamvis, inquit, unum baptisma sit et hæreticorum, eorum scilicet qui in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti baptizant, et Ecclesiæ tamen, quia foris Ecclesiam baptizantur, non sumunt baptismum ad salutem, sed ad perniciem, habentes nimirum formam sacramenti, et virtutem ejus abnegantes. » Hoc de his dictum sit, qui habent posse ad abnegandam, vel non abnegandam, virtutem sacramenti. Nam de infantibus, qui hoc posse non habent, idem beatus alibi dicit scribens ad Bonifacium : « Non illud te moveat, quod quidam non ea fide ad baptismum percipiendum parvulos offerentes, ut gratia spirituali ad vitam regenerentur æternam, sed eos putant hoc remedio temporalem retinere vel recipere sanitatem. Non enim propterea illic non regenerantur, quia non ab istis hac intentione offeruntur. » Idem alibi : Parvulum etsi nondum fides illa, quæ in credentium voluntate consistit, jam tamen ipsius fidei sacramentum fidelem facit. » His auctoritatibus muniti fideles dicimus, infantes baptizatos, etiam sub infidelibus parentibus a quibuscunque baptizatoribus in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti baptizantibus. Hi vero, qui virtutem sacramenti non catholica mente abnegant, vacuum sacramentum se habere sciant, quibus illud potest adaptari, quod scribit Leo Magnus Nicetæ Aquilegiensi, dicens : « Hi qui baptismum ab hæreticis acceperunt, cum baptizati antea non fuissent, sola sancti Spiritus invocatione per impositionem manus confirmandi sunt, quia formam tantum baptismi sine sanctificationis virtute susceperunt. » Ecce habes de sacramento baptismi, quod petisti. Transeamus nunc ad cætera hæreticorum sacramenta sic annullanda, et cassanda, ut more columbæ nihil vivum comedentis, nullum damnemus hominem catholicæ mentis.

Sæcul. De sacramento ordinationis non est opus immorari, quia intelligo ex jam dictis, quos cum damnatis ordinatoribus damnatos, quosque velis inde haberi excusatos, quod catholica mente accedunt ad eum cujus hæresim vel omnino ignorant, vel non plene sciunt, sicut de his creditur, qui ab Acatio sacros ordines acceperunt. Loquere nunc tantum de illis hæreticorum sacramentis, in quibus nulla est intermistio alicujus catholicæ mentis, ut in confectione [*f.* consecratione] panis, vini et chrismatis. Video quos per mentem catholicam, quasi per tau litteram, a gladio damnationis defendas. Nunc restat ut, quia te tantum facis, ut nulli nostrum parcas, jam a sanctuario incipias, conando, si potes, defendere quod culparis dixisse, videlicet sacramenta ab hæreticis rebus insensibilibus impressa, in quibus nec est, nec esse potest mens catholica, non habere virtutem ad alicujus talis creaturæ vel in melius mutationem, vel qualemcunque sanctificationem, quando constat, nec in sanctificante, nec in sanctificato esse catholicam intentionem. Nisi enim in hac sententia plures habeas authenticos testes, te-

A cum facientes, tibique consonantes, accusabimus te atque damnabimus pro hæretico, sicut proposuimus, præsente domno Salzburgense episcopo, et domno tuo Ratisponense episcopo, cui a quibusdam nostrum episcopis nonnullis, et clericis multis audientibus, quibus tu videris hæreticus, illud est objectum ; quod hæreticus esset, qui hæreticum foveret. Igitur non solum ad tui, sed et ad domini tui excusationem proba quod dixisse diceris ; quia, ut verbis utar cujusdam nostri prolocutoris, tu denegasti sacramentorum efficaciam sacerdotibus pravis in rebus duntaxat inanimatis panis et vini, quæ adhibentur ad altaris venerabile sacramentum quod nos credimus posse confici per quemlibet sacerdotem, quantumlibet pravum. Re-

B sponde quoque ad id quod dixisse diceris, mutam et secretam confessionem non valere lapsis presbyteris ad reparationem violati ordinis absque verbo pontificis ; cum nos credamus de omni presbytero, quod ipso solvente peccatorem in terra, solvatur idem in cœlo.

Regul. Ego a sanctuario non incipiam, sed inde incipi, adjuvante Domino, ostendam, in quo negotio taceatur de domino meo episcopo. Fides enim et conversatio ejus apud omnes amabilis et venerabilis non habet opus defendi vel excusari meis dictis. Sit ergo ille in tuto, me licet versante in periculo. Sit corpus meum totum eo tenore periculis objectum ut non lædatur caput meum. Sit mecum illa pru-

C dentia serpentis, quæ docet custodire sanitatem capitis. Nolo igitur nunc in testimonium vocare dominum meum episcopum, patrem, et ordinatorem meum ; alios habeo Catholicos mihi per omnia consentaneos. Nam anno præterito, cum sanctæ ac venerabilis vitæ G. archiepiscopus Ravennas esset Ratisponæ in domini papæ legatione, fui apud ipsum de verbo isto et aliis dire pulsatus, a quo etiam præsente domno meo episcopo de omnibus examinatus, ab ipso tandem in sententia, quam dixeram, sum corroboratus. Fuit autem summa mihi culpæ tunc impositæ, quod dicerem irregulares canonicos, nisi converterentur, salvari non posse, et extra ecclesiam corpus Christi confici non posse. Hoc et ipse domnus Ravennas testatus est, verum esse. Nullus eo-

D rum, qui me audire consuevit, me hoc dixisse dixit de pravis sacerdotibus, quorum intra Ecclesiam ego sum unus mea culpa nimis pravus, qui non sum dignus, ut intret sub tectum meum Christus. Et tamen credo certissime tam a me, quam a cunctis in Ecclesia sacerdotale nomen habentibus confici Dominicum corpus. Hæreticis vero multoties anathematizatis, et cunctis a vera vite amputatis, etsi concedam sacramentum, quantum ad formas visibilium signorum, quæ fiunt in depictione crucis, et verbis ad hoc institutis, ut per ea fiat opus virtutis ; tamen quia ipsam virtutem abnegant, quandiu extra ecclesiam sacrificant, eis ibi sacrificantibus, ubi testante beato Augustino, non est locus veri sacrificii, etsi locus ibi sit, veri sacramenti denega-

mus adesse virtutem per visibilia sacramenta boc invisibiliter operantem, ut de pane fiat caro agni secundum legem in una domo manducandi. Deus illi indulgeat, qui me illud, quod de anathematizatis dico, de pravis in Ecclesia sacerdotibus dixisse, vel scripsisse mendaciter affirmat. Illud quoque quod ego, dicunt mecum testes magni et auctorabiles, nec pauci numero, nec parvi auctoritate, quorum dicta libet subnectere. Primo ipse Christus ait : *Sicut palmes non potest fructum ferre a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis* (*Joan.* xv, 4). Item : *sine me*, inquit, *nihil potestis facere* (*ibid.*). Hæc ille Leo de tribu Juda. Sed et Leo Magnus, ipsius Christi pedissequus, Leoni Augusto de Alexandria scribens : « Manifestum est, inquit, per crudelissimam, immanissimamque vesaniam omnium illic cœlestium sacramentorum lumen exstinctum. Intercepta est sacrificii oblatio ; defecit chrismatis sanctificatio, et parricidalibus manibus omnia se subtraxere mysteria. » Pelagius papa Joanni patricio : « Noli catholicam semper mentem aliqua schismaticorum communione polluere. Unum Christi corpus, unum constat esse Ecclesiam. Divisus ab unitate veritatem corporis Christi non potest consecrare. Ab Ecclesiæ visceribus divisus, et ab apostolicis sedibus separatus dissecrat iste potius, non consecrat. Noli ergo, quasi nulla schismaticorum aut Ecclesiæ sit differentia, velle indifferenter utrorumque sacrificiis sociari. Non enim est Christi corpus, quod schismaticus conficit, si veritate duce dirigimur. » Addamus adhuc tertium Romanæ sedis antistitem, ut in ore duorum vel trium stet omne verbum. Gregorius papa in Moralibus libro xxxv, inter cætera dicit : « Notandum magnopere quod conversionis suæ sacrificium amici Job Domino non per se, sed per Job jubentur offerre. Ait enim : *Job autem servus meus orabit pro vobis ; faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia* (*Job* xlii, 8). Ac si aperte hæreticis dicat : Sacrificia vestra non suscipiam, petitionum vestrarum verba non audio, nisi per intercessionem illius cujus professionis verba de me veracia recognosco. » Et post pauca : « Salutem vestram per catholicam Ecclesiam, quam diligo, postulate ; ipsi enim volo dimittere id quod mihi in ipsa deliquistis, ut hæc vestram incolumitatem obtineat, quæ ex vestro languore laborabat. Sola quippe est, per quam sacrificium Dominus libenter accipiat; sola, quæ pro errantibus fideliter intercedat. Unde etiam de agni hostia Dominus præcipit : in una domo comedetur, nec offeretur de carnibus ejus foras. In una vero domo agnus comeditur, quia in una catholica Ecclesia vera hostia Redemptoris immolatur, de cujus carnibus divina lex foras efferri prohibet, quia dari sanctum canibus vetat. » Item Augustinus ad Bonifacium : » Hæretici non quærant Spiritum sanctum nisi in Christi corpore, cujus habent foris sacramentum, sed rem ipsam non tenent intus, cujus illud est sacramentum et ideo sibi judicium manducant et bibunt. » Idem

A alibi : « Extra Ecclesiam non est locus veri sacrificii. » Idem alibi : « Sicut eunuchus fuit, qui Joseph comparavit, ita qui gratiam sancti Spiritus mercatur, vivum semen non habet siccis genitalibus. Sic quoque ignis, qui per septuaginta annos Babylonicæ captivitatis sub aqua vixerat, Antioche Jasoni vendente sacerdotium exstinctus est; quod significat vere, ignem sancti Spiritus sacramentis Simoniacis non lucere. » Item Hieronymus in sermone De agno paschali : « Non putemus agnum istum ubique posse comedi. Præcipitur nobis, ut in una illum comedamus domo, id est ne extra ecclesiam immolari agnum putemus. Ex quo manifestum est quod Judæi et hæretici, et omnia conventicula dogmatum perversorum, quia in ecclesia B non comedunt, non eos agni carnes, sed draconis comedere, qui datus est in escam populis Æthiopum. Nos vero comedimus azyma sinceritatis et veritatis. » Item Origenes in Levitico : « Talis vir quæritur, qui carnes sanctas possit comedere non in quocunque loco, sed in loco sancto intra atrium tabernaculi. Audiant hæc, qui scindunt Ecclesiam, et peregrinas, ac pravas inducentes doctrinas, putant se sacras carnes extra templum Dei, et extra aulam Domini eam posse comedere. Profana sunt eorum sacrificia, quæ contra mandata legis geruntur. In loco sancto edi jubentur, intra atria tabernaculi testimonii sunt, quæ fidei murus ambit, spei columbæ suspendunt. Ubi hæc *non sunt*, carnes sanctæ nec haberi possunt, nec comedi. » C Vade tu nunc ad illos tuos determinatores, non ecclesiastice, sed scholastice Scripturam Dei legentes. Roga tibi sic determinari omnia supradicta, ut *extra* Dei templum inveniatur illa propositionis mensa, quæ tantummodo intus contra candelabrum *septem* lucernarum est collocata. Argumentare, ac disputa, quantum velis. Extra Dei paradisum non est fructus ligni vitæ, illis utique denegatus, quos ab horto deliciarum Ecclesiæ separat flammeus ille gladius acutissimi anathematis, quod vos contemnitis, qui sub anathemate interdicta, quasi licentia præsumitis, et ideo anathematizati estis vos, qui sponte canonum violatores estis, quia, affirmante Leone IV, « omnes canonum sponte violatores in omnibus authenD ticis conciliis anathematizati sunt. » Gloriare nunc de sacramentalibus mysteriorum signis, quæ apud altare fiunt in expressione crucis, in elevatione calicis, in extensione manuum, cæterorumque repræsentatione signorum Christi vel mortem, vel resurrectionem sacramentaliter exprimentium. Sed cave, ne tot signa rebus carentia, sint illa signa mendacia, quæ de ministris Antichristi sunt *prophetata*. Sunt enim hæreticorum sacramenta sacramentis Catholicorum adeo similia, imo tam vere, *quantum* ad formam eadem ipsa, ut in errorem inducerentur, si fieri posset, electi, nisi quod eos *hoc roborat*, quod cum Moyse et Aaron digitum Dei operantem habent sacerdotes, et ministri catholici, quod ad ultimum fatebuntur, et ipsi magorum similes

Pharaonis ministri, hæretici videlicet cunctique ab Ecclesia præcisi.

SÆCUL. Quos nostrum assignas ministerio Pharaonis, cum simus cuncti sub titulo Christiani nominis?

REGUL. Nonne complices et fautores illius nuper damnati, imo jam olim prædamnati Petri Leonis, Romanæ Ecclesiæ invasoris, manifeste sunt ministri Pharaonis?

SÆCUL. Quid ad nos de illo?

REGUL. Plus ad te, tuique similes, quam ad me, meique similes pertinet ille impius. Nam si percurres omnia claustra canonicorum regularium, nec unum quidem in eis, credo, invenies Petri Leonis consentaneum. At sæcularium clericorum nonnulli, præcipue incontinentes, et conductitii, sive conductores clerici cum Nicolao fornicatore, ac Simone Mago damnati, partim occulte, partim quoque manifeste optant illum prævalere contra papam Innocentium, quem Innocentium nos, qui regulares dicimur, omnes unanimes uno ore fatemur successorem Petri legitimum, quem et ante papatum novimus castitatis et religionis fuisse amicum, sicut illum alterum Dei et Ecclesiæ novimus fuisse inimicum. Quod autem dicis, me dixisse de fornicantium sacerdotum secreta et mutua confessione, qua suos lapsus videntur curare, scias hinc evenisse, quod aliquando coram æmulis commemoravi capitulum Ilerdense, quod ita se habet: « Hi, qui altario Dei serviunt, si subito in flenda carnis fragilitate corruerint, et Domino respiciente, digne pœnituerint, ita ut mortificato corpore cordis contriti sacrificium Deo offerant, maneat in potestate pontificis, vel veraciter afflictos non diu suspendere, vel desidiosos prolixiori tempore ab Ecclesiæ corpore segregare, ita tamen ut sic officiorum suorum loca recipiant, ne possint ad altiora officia ulterius promoveri. Quod si iterato velut canes ad vomitum reversi fuerint, non solum dignitate officii careant, sed etiam sanctam communionem nisi in exitu non recipiant. » Auctoritate hujus capituli, quis, inquam, dedit hanc potestatem presbyteris, quam nec invenimus concessam episcopis? Permittunt episcopi in concilio Ilerdensi misericordiam facere subito in carnis fragilitate corruentibus, et Domino respicienti, digne pœnitentibus. At isti nostri temporis nimium clementes, aut forte dementes presbyteri suos compresbyteros non more hominum lapsos, sed more porcorum volutabro luti diu immersos, nulla digna pœnitentia excoctos, faciunt cantare missas, nec ab episcopo permittendas, nisi digne pœnitentibus, et iterationem vomitus caventibus. Unde, inquam, presbyteris hæc potestas, quam nec episcopis concedit auctoritas, scilicet officia permittere non digne pœnitentibus, culpas crebro iterantibus, et hac fiducia fornicantibus, quia valeat impurum absolvere consacerdos æque impurus? Certe si talis confessus talisque confessor digna pœnitentia plecterentur, ambo suis officiis priva- A rentur, quia privilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate. O, inquam, quanto rectius ageretur, si legitima pœnitentia lapsis imponeretur, qua tamen occultus lapsus non proderetur! Hac etenim pœnitentia suscepta consequenter permitti posset officium, non legitime pœnitenti nunquam permittendum.

SÆCUL. Quam vocas legitimam pœnitentiam?

REGUL. Quæ secundum auctoritates Patrum imponitur. Hæc autem bifariam distinguitur tam inter clericos, quam inter laicos. Nam cum alius pœnitens aliquid sibi de seipso retineat; alius totum, quod est; totum, quod habet; totum, quod potest, semel et simul Deo in holocaustum offerens, imitatur illum prodigum, imo ex prodigo pœnitentem B filium tali animo reversum, ut a domo patris ulterius non evagetur, ministraturus et serviturus in ea facturusque totum, quod ei a patre præciperetur, nec ullo modo audens appetere, ut filius vocaretur, nedum hoc ambiret, ut stola prima indueretur. Iste modus pœnitentiæ servatur ab his qui ad regularia claustra veniunt, seque totos abnegantes ad puritatem sanctimoniæ sub obedientia contendunt. Horum declarata tali intentione poterit pater monasterii cum eis mitius agere, poteritque decernere, ut ita pœnitens stola prima etiam in sacerdotali officio fungatur, vitulumque saginatum, si laicus erat, laicaliter edere; si sacerdos, et sacerdotaliter immolare permittatur. Sed clericis pœniten- C tibus tali pœnitentia non congruit una et eadem forma. Cujus enim occulta fornicatio in mundo non est publicata, sive alia quælibet culpa, sacerdotalis honoris peremptoria, hic potest eligere sibi medicum et patrem sive monachorum sive regularium canonicorum strenuum rectorem. Huic Patri omnino subjectus is qui non fuit in crimine detectus, potest, nisi fallor, agere officium, quando Patri et confessori ejus fuerit visum, quia, licet hanc potestatem legamus solis episcopis ubique assignatam, ut, presbyteris digne pœnitentibus reddant stolam, tamen ubi quis presbyterorum stolam suam non publice amisit, sed occulte demeruit, si eam resumit, jubente Patre et confessore, sub quo disposuit usque ad mortem militare, non id puto reprehendi D debere; quamvis consultius ageretur, si episcopus etiam super taliter pœnitentem consuleretur propter præfatum Ilerdensis concilii capitulum, quod indifferenter quoslibet sacerdotes pœnitentes indicat, ex arbitrio pontificis, vel veraciter afflictos non diu suspendendos, vel desidiosos prolixiori tempore ab Ecclesiæ corpore segregandos.

SÆCUL. Si ita, ut dicis, ageretur, facile occultum crimen proderetur, dum unusquisque fratrum diuturnum presbyteri suspendium apud se miraretur.

REGUL. Non est in claustris bene religiosis consuetudo, ut quantumlibet castus, noviter conversus tam cito ministret ut diuturna suspensio non castum notet. Ibi quoque sanctissimi et castissimi in tan-

tum humiliantur, et vigiliis, jejuniis, cæterisque bonis exercitiis voluntarie castigantur, ut ab his nullatenus discerni valeant, qui se pro criminibus occultis castigant. Hæc dicta sunt de occultis inter monachos, vel regulares canonicos absumendis criminibus, tanquam si consumatur in sanctuario hircus, dum viveret fetidus, attamen infra loca sancta occisus et assatus. Qui nimirum hircus Aaron et filiis ejus incorporatur, quando ab homine tali talis professio datur, ut in communi vita vivatur, in qua proprie militant Aaron et filii ejus, quibus non permittit lex hæreditatem in sortibus aliarum tribuum, quia Dominus est portio eorum, jubenturque in lege nihil possidere præter Dominum. Alia vero forma circa illos est observanda, quorum fornicationes, cæteraque crimina populo sunt manifesta, præcipue talia, qualia facientibus interdicta sunt altaris mysteria. Hi nimirum volentes pœnitere multo rectius petunt monasteria monachorum, quam regularium canonicorum propter austeritatem legis, omnem publicam maculam a functione sacrorum ordinum repellentis; clericis namque associati secundum canones erunt hi tales tractandi, nec unquam sine auctoritate pontificis officio restituendi; nimirum congrue, quia nec officio caruerunt sine auctoritate pontificum qui, in multis conciliis, fornicantibus et negotiantibus, Nicolai videlicet et Simonis manifestis complicibus divinum officium interdixerunt, populum Dei averterunt ab auditu officiorum interdictorum. Talis ergo volens pœnitere inter canonicos regulares cogendus est observare canones, et audire Clementem, cæterosque Romanos pontifices, vix psalmodiam cum fratribus, et minora officia permittentes, nisi forte peracto tempore castigationis legitimæ fratrum testimonio fultus ab episcopo fuerit reconciliatus prout permittit papa Calixtus, et beatus Gregorius tantummodo condignam pœnitentiam agentibus, ac deinceps bene viventibus. Ecce habes, quos pœnitentium non sine auctoritate pontificis censeam reapplicandos perditis officiis.

Sæcul. Post quantum videtur tibi pœnitens posse reconciliari de factis publicis?

Regul. Ut nunc agam de sola fornicatione publica, licet sancti Patres varie distinguant tempora, ita ut alii septem annis, alii paulo paucioribus determinent pœnitentiæ tempus propter illud, ubi ob culpam Maria, soror Aaron, jubetur septem dies extra castra manere; tamen mihi placet, quod supra novimus diffinitum a Patribus, ut maneat in potestate pontificis vel veraciter afflictos non diu suspendere, vel desidiosos prolixiori tempore ab Ecclesiæ corpore separare. Quod vero monachi quidam spirituales, manifestos fornicatores ad monachatum venientes, inconsultis episcopis, faciunt missas cantare, non possum approbare, quia nescio qua hoc agunt auctoritate. Illud vero vehementer detestandum judico, quod sæculares clerici ex deliberatione fornicantur; multo vero amplius detestor, quod ita

A fornicantes ministrant, aut neglecta pœnitentia, aut sub ficta aut falsa pœnitentia?

Sæcul. Quam dicis falsam pœnitentiam?

Regul. Audi primum quid sit vera, ut inde colligas quæ sit falsa. Beatus Ambrosius in tertio libro Pœnitentiæ: « Facilius, inquit, inveni, qui innocentiam servaverint, quam qui congrue agerent pœnitentiam. » Et quasi tu quæreres modum congruæ pœnitentiæ, consequenter subjungit: « Renuntiandum est sæculo, somno ipsi minus indulgendum, quam natura postulat, interrumpendum suspiriis, sequestrandum est orationibus, vivendum est ita, ut vitali huic moriatur usui, seipsum sibi homo abneget, et totus commutetur. » Audis, frater, quia in vera pœnitentia renuntiandum est sæculo, B debetque seipsum abnegare pœnitens homo, et totus commutari. Nunquid hanc pœnitentiam potest quisquam agere in habitu pompatico et sæculari?

Sæcul. Ut nunc de clericis taceam, nonne multos laicos videmus pœnitentes in habitu non solum sæculari, sed etiam militari?

Regul. De hoc verbo tibi respondeat Leo Magnus, qui inter cætera dicit: « Contrarium est omnino ecclesiasticis regulis post pœnitentiæ actionem redire ad militiam sæcularem, cum Apostolus dicat: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus* (*II Tim.* II, 4). Unde non est liber a laqueis diaboli, qui se in militia sæculari voluerit implicare. » De his etiam Nicæna synodus capitulo 12 sic ait: C « Quicunque vocati per gratiam primum quidem impetum monstraverunt, deponentes militiæ cingulum, postmodum vero ad proprium vomitum sunt relapsi, ita ut quidam et pecunias tribuerent, et beneficiis militiam appeterent. Hi decem annis post triennii tempus, quo inter audientes erunt, in afflictione permaneant. »

Sæcul. Raros video sic pœnitentes, exceptis barbatis fratribus, qui omnino subduntur claustrorum strenuis rectoribus. Unde audeo conjicere, quod ad solos ipsos pertineat forma talis pœnitentiæ, in qua non licet sæculariter vivere.

Regul. Respondeat tibi Toletanum concilium II, cujus cap. 10 sic se habet: *Quicunque ab episcopo vel presbytero sanus, vel infirmus pœnitentiam postu-* D *lat, id ante omnia episcopus observet et presbyter, ut si vir est, sanus vel infirmus, prius eum tondeat, aut in cinere et cilicio mutare habitum faciat, et sic pœnitentiam, id est carrinam, tradat. Si vero mulier fuerit, non accipiat pœnitentiam, nisi prius velata fuerit, aut mutaverit habitum. Sæpius enim laicis tribuendo desidiose pœnitentiam, ad lamentanda rursum facinora post acceptam pœnitentiam relabuntur.* Item Toletano concilio III, cap. 16: *Si quis acceptæ professæque pœnitentiæ immemor ad sæcularia relabitur, prorsus communicare non poterit, nisi professioni, quam illicite prætermiserat, reformetur.*

Sæcul. Utcunque acquiesco de publicis pœnitentibus, quia non bene convenit eis pompaticus et sæcularis habitus. At illi clerici, de quorum pœni-

tentia nos agimus, non pœnitent cum publice pœnitentibus, et ideo fortasse non impedit eorum salutem sæcularis habitus; tantummodo sit cor contritum et humiliatum; quia et David post pœnitentiam fuit in habitu non solum sæculari, sed etiam regali, et Achab rex Israel ad tempus cilicio humiliatus, postmodum fuit mollibus vestitus.

REGUL. Apostolus dicit : *quia ubi non est lex, ibi nec prævaricatio* (*Rom.* IV, 15). Licet enim aliqui prophetarum prædicaverint pœnitentiam, tamen a diebus Joannis Baptistæ, qui primus prædicavit baptismum pœnitentiæ, qui et habitum pœnitentialem demonstravit in se, cœpit regnum Dei vim pati, et violenti, non tepidi, rapuerunt illud et rapiunt, qui non indignos, sed ita dignos pœnitentiæ fructus faciunt, ut juxta exemplum Annæ vultus eorum amplius in diversa non mutentur, sed in eodem habitu, in eodem vultu, quo suscepta est pœnitentia, usque in finem conservetur. Crux enim pœnitentiæ non est exemplo Simonis vel in angaria ferenda, vel ante mortem deponenda, sed exemplo Christi voluntarie usque ad mortem sustinenda, ita ut sit pœnitenti post acceptam pœnitentiam semper habitus despectus, et circa se castigandum usque ad mortem rigor continuus discretissime intensus, nec unquam remittendus, nisi quantum eum sancti Patres temperant, qui licet post initialem pœnitentiam rigorem leniorem in veste ac cibo indulgeant, habitum tamen sæcularem nunquam relaxant, imo pro tali habitu pœnitentes a corpore Domini usque ad mortem sequestrant, ut partim supra ostendimus, partim diligenti lectori quærendum relinquimus. Omnis enim, qui quærit, invenit, ut sileam nunc de clerico vel laico publicam pœnitentiam agente, quod neque secreta satisfactione mortalem culpam quis deflens absque periculo corpori et sanguini Christi communicat, quandiu eum sæcularis habitus huic sæculo conformat. Unde beatus Augustinus in libro De diffinitionibus ecclesiasticis : « Quem, inquit, mortalia post baptismum commissa premunt, hortor, primum publica pœnitentia satisfacere, et ita sacerdotis judicio reconciliatum communioni sociari, si vult non ad judicium, vel condemnationem suam eucharistiam percipere. Sed et secreta satisfactione solvi mortalia crimina non negamus, sed mutato prius sæculari habitu, et confesso religionis studio per vitæ correctionem, et jugi, imo perpetuo luctu, Deo miserante, veniam consequatur; ita duntaxat, ut contraria his, quæ pœnitet, agat, eucharistiam omnibus Dominicis supplex et submissus usque ad mortem percipiat. » Idem in eodem : « Pœnitentia vera est, pœnitenda non admittere, admissa deflere. » Item : « Satisfactio pœnitentiæ est, causas peccatorum excidere, nec earum suggestionibus aditum indulgere. » Ecce habes regulas pœnitentiæ, quas non solum laici, sed et clerici pœnitentes debent servare, si volunt securi esse de sua salute. Laici vero, qui contra præscriptas regulas post actam pœnitentiam ferunt arma, fortasse damnationem evadent, si David post pœnitentiam arma ferenti similes erunt in causa, scilicet non militando, nisi pro justitia; quamvis hoc ipsum non eos valeat excusare a pœnitentialis vitæ exorbitatione, si hoc faciant propria præsumptione, nullius ecclesiastici rectoris permissione vel jussione. Illi vero pœnitentiæ transgressores, qui decimas, laicis interdictas, possident, qui aliena bona diripiunt, et ea, cum possint, reddere, vel emendare nolunt, vel qui arma contra justitiam portaverint, aut odium in corde retinent, vel qui hujusmodi negotiationibus, aut officiis implicti fuerint, quæ sine fraude, sine falsitate, sive invidia, sive deceptione fratrum exerceri non possunt, nec ad Deum conversi, nec de perpetratis facinoribus veram pœnitentiam facere credendi sunt.

SÆCUL. Ut audio, tu militibus, et negotiatoribus post pœnitentiam, quam dicimus carrinam, militias et negotiationes repetentibus nimium es durus.

REGUL. Si ego tibi videor durus, audi quid de hujusmodi censeat Gregorius VII in suis Decretalibus. « Falsas, inquit, pœnitentias dicimus, quæ non secundum auctoritatem sanctorum Patrum pro qualitate criminum imponuntur. Ideoque quicunque miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod sine peccato exerceri non possit, culpis gravioribus irretitus ad pœnitentiam venerit, id est, qui bona alterius injuste detinet, vel qui odium in corde gerit, recognoscat, veram pœnitentiam non posse peragere, per quam ad æternam vitam valeat pervenire, nisi miles arma deponat, ulteriusque ea, nisi consilio religiosorum, et pro defendenda justitia non ferat, et negotiator negotium derelinquat, et officialis officium deserat, bona, quæ quilibet illorum injuste abstulit, restituat, et odium ex corde dimittat. Ne tamen interim desperet, sed quidquid boni facere possit, hortamur, ut faciat, ut Deus omnipotens cor illius ad pœnitentiam illustret. »

SÆCUL. Hæc omnino magis ostendunt, quæ sit vera vel falsa pœnitentia laicorum, quam quæ sit vera pœnitentia clericorum, de quibus tamen specialiter fuit propositum.

REGUL. Nonne tibi satisfacere poterunt verba beati Augustini supra, nec secretas mortales culpas expiantibus veniam concedens, nisi mutato prius sæculari habitu, et professo religionis studio ? Isti vero clerici, de quorum falsa pœnitentia conqueror, et post aperta crimina ingrediuntur domum Dei; nullum studium religionis professi, nullum sanctitatis propositum aggressi, sed ita sæculariter vestiti ut, si clericum videas, laicum esse credas, cum omnibus clericis sacri canones præcipiant, ut non laicalibus vestibus utantur, id est, mantello sive aliis sine cappa, sed religioso habitu et decenti semper incedant. Amplius autem beatus Gregorius, ut supra perstrinximus, de pœnitentia clericis debita scribens ad Petrum subdiaconum

adeo intercludit sæculum, ut mandet quoque de rebus eorum vel monasterio conferendis, vel parentum usui relinquendis, ut hinc evidenter pateat, quia clericus falso pœnitet, nisi rebus, quas habuit, renuntiet, quod et ante lapsum fieri deceret, ut altari serviens non nisi de altari viveret.

SÆCUL. Nec volo, nec possum tot auctoritatibus contradicere, sed tamen libet me, meosque complices te infamare, quia tu derogas famæ ac vitæ nostræ quæ, licet sæcularis, hactenus tamen fuit in honore. Tua vero fama satis est undique decolorata per ea, quæ de te sunt sive per veritatem, sive per occasionem seminata.

REGUL. Quisquis de me seminat et loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est et pater mendacii. Veritatem vero de me dicentes non mihi sunt molesti, quia libet me ipsum veritatem confiteri.

SÆCUL. Quia dicis veritatem confiteri paratum, dic, obsecro, an verum sit, quod affirmant multi de te dictum de imprægnata muliere, et ejus viro, qui ad eam accesserit tempore illo?

REGUL. Non est æquum ad hæc me respondere, quæ mentita est iniquitas sibi de me. Sufficit mihi ea defendere, quæ scio me dixisse. Inhonesta vero et turpia, quæ turpes mentiuntur de me dicentes, hæc et hæc a me prædicata esse, quæ nec dici, nec scribi decet præ nimia turpitudine, breviter excuso, dicens: Hæc et hæc nec dixi, nec dico. Sic loqui soleo, quando interrogatus fuero, an dixerim illa et illa, quæ patet esse repudianda, non solum pro falsitate, sed etiam pro nimia inhonestate.

SÆCUL. Potest esse, ut odientes te aliqua mentiantur de te, dicentes te dixisse quæ non dixisti. Sed nos libenter præbemus aurem omni de te mala loquenti, ut quoquo modo eradamus et conteramus te de terra viventium, quoniam gravis es nobis etiam ad videndum ob id maxime, quia tu solus videris nos impugnare. Hoc est enim, quod aliquantulum nos turbat, quia in ipso claustro, in quo nutritus es, nullus fratrum tuorum tibi concordat.

REGUL. Lege librum a nostri claustri quondam decano Manegoldo contra Gregorii VII laceratores compositum, et invenies in eo fortissimis auctoritatibus probatum, quod et nos probare contendimus, quia videlicet fornicantes, et insuper interdicta officia usurpantes clerici Nicolaitæ sunt et hæretici non solum cum Nicolao, sed etiam cum Ebione ac Paulo Samosateno damnati. Talibus enim ex rationibus excusavit Gregorium VII, a nostræ terræ clericis ob hoc laceratum, quod fornicantibus altaris ministris interdixit non solum officium, sed etiam ecclesiæ introitum.

SÆCUL. Ille Manegoldus etiam fuit homo importunus, et est jam defunctus. Unde optamus ut liber ipsius cum ipso sit sepultus, quem credimus despici etiam ab ipsis tui claustri confratribus,

A quia liber ille, licet in defensione Gregorii VII fuerit compositus, tamen ab ipso non creditur approbatus.

REGUL. Nec ego librum illum habeo pro auctoritate, licet eum sciam catholicis etiam episcopis placuisse, qui propter Wigbertinum schisma expulsi, tunc temporis frequentabant claustrum Raitenbuchense. Sed ad hoc tibi respondeo, quod me credis dissonum a fratrum meorum regulari collegio; cum fratres mei probabiliores, illius Manegoldi, quondam illic decani sint laudatores, habeantque scripta illius, quasi responsa cœlestis oraculi, quibus in Wigbertino schismate nonnulli fuerunt ad catholicam unitatem confortati, quibus et sæculares contra Ecclesiam disputatores, aliquantulum tunc fuerunt confutati. Unde semper

B ex tunc in Raitenbuchensi claustro a prudentioribus fratribus, tanquam adhuc \ivat, sic auditur ille decanus; qui licet defunctus adhuc loquitur, et adhuc in scriptis suis fornicantium sacrificia d.testatur. Unde nuper quidam ex fratribus illius claustri scribens ad me: Hic, inquit, est notandum quod illi sacerdotes pro argento et auro altari servientes, non tantum sunt vitulorum aureorum cultores, sed etiam Baal insani adoratores. Nam dum eos indignos apostolico officio sine apostolica probare niteris vita, et illi, quibusdam clamoribus veritati resistunt, Baalim quodammodo aureis vitulis adjiciunt, fingendo se tales, quales Dominus habeat,

C cum tales sint, quales projiciat. Quorum culpa noveris juge sacrificium jam essu conculcatum, dum in sancto loco manendo talem abominationem desolationis faciunt, ut oblationes Ecclesiæ, quas nec bigamas viduas licet sanctas, in escam sumere licet, isti transferant in luxuriam, ut n anducent hujus mundi divites, quod non deberent manducare, nisi casti hujus mundi contemptores. Hæc illius fervidi fratris verba verbis meis ad hoc sunt inserta, ne putetur quod solus ego ex fratribus meis obediam Apostolo jubenti, ut subtrahamus nos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem, quam acceperunt ab apostolis. Sed et frater noster Chunradus de S.lva sensuit jam in hac sententia veritatis, qua jubemur atten-

D dere a falsis prophetis, qui, licet missas cantent in sacris vestibus, ad sanctitatem et innocentiam pertinentibus, intrinsecus tamen gestant cor lupinum lucri sui, et rapinæ potius quam Dei gloriæ avidi, sicut agnoscitur ex fructibus eorum. Unde non est mihi graviter imputandum, si, consonando fratribus meis qui fidem habent Christi verbis, nolo de spinis colligere ficus, neque de rubo vindemiare uvas, postquam se mihi patefecerit malorum fructuum damnata, et anathematizata aliqua pravitas. Colligant, qui volunt, spinarum fructus et rubi; ego credo verbis Christi affirmantis quod neque de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant uvas. Uva enim et botrus Cypri, qui est in vineis Engaddi, qui prelo crucis exprimitur in torculari-

bus, de quibus ait Psalmista, non invenitur extra Ecclesiam, aut extra vineas Engaddi, quæ sunt plures Ecclesiæ in una Christi fide. Igitur botrus Cypri tantum est in vinea Christi in una Ecclesia Dei.

Sæcul. Absque dispensationis discretione videris mihi verba Dei, et verba sanctorum intelligere, a quibus multa dicta sunt pro terrore, a quibus etiam quædam permittuntur, quædam consuluntur, quædam jubentur, quæ omnia tibi necessario servanda videntur, et cum omnia Dei et sanctorum verba simules te libenter audire, tamen his eorum dictis non vis obedire, in quibus agunt de dispensatione, in qua charitas omnia suffert, omnia sustinet. Tua vero mens impatiens, indiscreta nihil suffert, nihil sustinet, quæ, si posset, ante messem zizania eradicare vellet, cum Dominus dicat : *Sinite utraque crescere usque ad messem* (*Matth.* XIII, 30). A Dei quoque vinea nimis præmature separas inutilia sarmenta, quæ simul cum uvis concludit una maceria. In quibus omnibus apparet indiscretio tua magna, et quod virtus dispensationis tibi penitus est incognita, quam valde inculcat magistrorum in scholis diligentia.

Regul. Satis scio magistros quosdam in scholis circa hæc occupari, ut Scripturas ad suum sensum inflectant potius quam se ad rectitudinem Scripturæ dirigant. Qui cum omnia terribilia dicunt ad terrorem dicta, miro modo terrorem inculcando, terrorem conantur evacuare, affirmantes ipsis terribilibus nihil seriæ veritatis inesse, nimirum serpentis more, qui in paradiso terribilia Dei dicta frustra conatus est cassare. Hoc illi rotundo ore buccis inflatis crepant; ut suam scientiam inflantem ostendant, vitamque dissolutam in se, suique similibus defendant. At illi, qui magnificentiam sanctitatis Dei loquuntur, et mirabilia ejus narrant, ipsi etiam virtutem terribilium ejus dicent, nec aliis memoriam abundantiæ suavitatis eructabunt, nisi de quorum justitia exsultare poterunt, et qui virtutem terribilium non surdis auribus audiunt. Hoc in meipso sum expertus, qui antehac juxta magistrorum tuorum doctrinam laudans dispensationem, multum offenderam quemdam religiosum eremitam. Ille mihi primus virtutem terribilium Dei intonuit, meque vehementer commonuit, ne sub honesto nomine dispensationis palliarem verba malitiæ inventa ad excusandas excusationes in peccatis. Eram tunc studiosissimus explorator, quid de vita sæcularium clericorum, quorum tunc unus eram, æstimarent viri religiosi : utrum scilicet esset in ea spes aliqua certa salutis, præsertim castis clericis, qualis tunc esse decreveram, licet adhuc mea quærens, meaque diligens parum potuissem sapere quidquam de vera honestate, veraque castitate? Non diu quippe attenderam, quod is, qui sic divisus est, ut modo cogitet quæ sunt Domini, modo quæ sunt hujus mundi, modo quomodo placeat Deo, modo quomodo placeat huic sæculo, parum distat ab homine uxorato, imo illo inferior existit, si ille habens uxorem, tanquam non habeat, sollicitus est, quomodo etiam in habendo uxorem placeat soli Deo. Tamen qualiscunque tunc eram, libenter volueram salvari, etiamsi mors me inveniret, licet altaris ministrum in habitu sæculari. At ille præfatus eremita, quem astutus explorator adii, talia et tam terribilia, imo virtutem terribilium tam terribiliter mihi objecit, ut etiam ipse mihi ex hoc in odium venerit. Sed postmodum digestis, quæ ab eo audieram, ubi sanctos Patres illi concordes animadverteram, tanquam inventus a custodibus murorum amisi defensionis et dispensationis affectatum pallium, quo palliatur enormitas multorum excessuum. Tunc a custodibus murorum percussus, et vulneratus, et ut dixi, pallio nudatus, non erubui coram multis confiteri et conqueri prioris vitæ miserabiles excessus, et ideo, ut spero, misericordiam sum consecutus ad hoc fortasse, ut conversationi, in qua pene perieram, omnino sim oppositus, simque in exemplum positus ab ea converti volentibus. Fidelis enim sermo, et omni acceptione dignus, quia Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus et maximus ego sum, qui etiam Ecclesiam Dei persecutus sum aliquando, defendens mala quasi per dispensationem; atque ideo fortasse justo Dei judicio patior multos me persequentes quasi per dispensationem, qui arbitrantur obsequium se præstare Deo, si me aut interficiant, aut alio modo ab hominum bona memoria tollant, ponentes me in tenebrosis, et in umbra mortis, et dicentis animæ meæ : Non est salus ipsi in Deo ejus. Non illis imputetur, nec statuatur eis hoc ad peccatum. Sciant tamen me non adeo cæcum, ut non videam alia præcipi, alia consuli, alia permitti, quæ omnia congruunt suo loco et tempori. Consentio etiam charitati omnia sufferenti, omnia sustinenti. Sed rursum consentio eidem quædam scandala non sufferenti, sed succidenti, ne inutiles arbores etiam terram occupent, quæ neque dignos fructus vitæ bonæ, neque dignos pro vita mala pœnitentiæ habent fructus.

Sicut credo Paulum apostolum per charitatem quædam sustinuisse, ita in eadem charitate scio factum, quod quibusdam nec ad horam cessit, ut veritas Evangelii permaneret apud ipsum. Quo facto satis docuit, quod contra veritatem falsitati nec ad horam cedi convenit. Illi tamen pravorum surculi, qui necdum falce apostolica sunt amputati, nec inveniuntur in suis officiis interdicti, ut sunt clerici lascivi, aleatores, venatores, scurrilitati servientes magis quam gratiarum actioni, si per charitatem sufferuntur, quandiu Simonia cæterisque damnatis, et anathematizatis pravitatibus carentes infra maceriam vineæ Dei esse creduntur, non impediunt bonorum sufferentium salutem; imo per hoc purgantur boni, quod vel ignoratos, vel necdum damnatos intus portant malos, quandiu a

Deo dicitur prælatis, ut sinant utraque crescere, et illi huic dicto obedientes permittunt utraque crescere; quia videlicet utraque sunt in teneritudine, habentque tam mala zizania, quam bona germina, in quo possunt augmentum capere. At, ubi secundum quod in Apocalypsi legitur, dicitur angelo habenti falcem acutam, videlicet apostolicæ sedis pontifici, habenti potestatem Deo rebelles excommunicandi, ubi, inquam, tali angelo dicitur : *Mitte falcem acutam, et vindemia botros vineæ terræ, quoniam maturæ sunt uvæ ejus* (*Apoc.* XIV, 18). Cui dicto Gregorium VII obedisse credimus; ex tunc fieri credimus id, quod in Apocalypsi sequitur : *Misit angelus falcem suam, et vindemiavit vineam terræ, et misit in lacum iræ Dei magnum, et calcatus est lacus extra civitatem* (*ibid.*, 20). Erant enim Nicolaitæ, ac Simoniaci velut quidam botri vineæ terræ, non vineæ Christi, qui ante Leonem IX, pene ipsam vineam Christi occupaverant, quasi licito simul feminas et Ecclesias habendo, Ecclesias et ecclesiastica stipendia per pecunias et obsequia obtinendo. Sed ex tunc per apostolicæ sedis pontifices falcem acutam ex præcepto Dei moventes apparet, quod isti botri vineæ terræ nec tunc pertinuerunt ad vineam Christi, quando sunt ab eorum prædecessoribus tolerati pro eo forsitan, quia necdum erant maturi. Nunc autem quoniam vinea terræ tota est matura, cujus et magna pars per apostolicæ sedis pontifices est vindemiata, et extra civitatem Dei projecta, atque in civitate diaboli congesta, recte audimus nunc vocem in Apocalypsi dicentem : *Exite de illa, populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus, et de plagis ejus non accipiatis, quoniam pervenerunt peccata illius usque ad cœlum. Reddite illi, sicut ipsa reddidit vobis; quantum dilatavit se, et in deliciis fuit; tantum date illi tormentum et luctum, quia in corde suo dicit : Sedeo regina, et vidua non sum, et luctum non videbo* (*Apoc.* XVIII, 4-7). Nolo tamen hæc dicendo persuadere ut omnes omnino malos debeamus corporaliter fugere, sed ut interdictos in rebus interdictis omnino studeamus vitare, quorumdam missas non audiendo, et tamen eis adhuc ave dicendo; quibusdam vero nec ave dicendo, firmissimeque tenendo, quod Romanorum pontificum linguæ claves cœli factæ sunt. Et ideo quæcunque missæ illis contradicentibus canuntur, extra cœlum, imo extra Ecclesiam sunt; et qui eas temere audiunt, sua inobedientia peccatum paganitatis, affirmante Gregorio VII incurrunt.

SÆCUL. Hactenus te sustinui loquentem sive scribentem. Nunc te respuo sicut profanum, et sicut hæreticum, quia non concordas dictis magistrorum per totam Franciam scholas regentium. Unde et nos condiximus, ut missas tuas non audiamus, tibique in hoc vicem rependamus, qui nostra exsecraris officia, cum tu sis omnium hominum, ne dicam sacerdotum peripsema. Nos autem pene omnes genere, nobilitate, divitiis excellimus. Unde tua verba ultra dedignantes audire, te toti mundo in opprobrium faciemus.

REGUL. Ecce audis, o Ecclesia Romana, mater libera. Quomodo luditur, imo illuditur filius tuus in domo tua, quæ tibi ad regendum est commissa! Si sunt in te viscera materna, succurre filiolo tuo contra illum non tuum aliquomodo tolerandum (170)... Ubi non persequitur filium liberæ; quoniam fieri potest ut per fraternam concordiam et ipse aliquid accipiat de paterna hæreditate. Sed, quia me tuum qualemcunque persequitur filium, scribe Patri, et archiepiscopo meo [Conrado] Salzburgensi, ut ejiciat ancillam et filium ejus, quod etiam Dei gratia ipse fecit ex parte. Qui, Domino cooperante, omnes pene parochiæ suæ congregationes fecit regulares. Sed in suffraganeis illi subjectis, quarum una est Ecclesia Ratisponensis, adhuc regnat filius ancillæ, et quod nequius est, persequitur filium liberæ; si tamen tu dignaris me agnoscere filium, qui tibi servo filialem affectum, frequenter optans tibi tales rectores, qualis fuit Gregorius primus, ut non dicam, qualis fuit Petrus apostolus, quorum unus, scilicet Petrus vitam in te apostolicam plantavit; alter, videlicet Gregorius eamdem in te ita reparavit, ut Romæ in ipsa Babylonia talis esset clericorum et monachorum vita, qualis a beato Petro creditur plantata, et qualis sub Marco discipulo ejus apud Alexandriam est observata. Scimus et dolemus te in capite quassatam, ita ut non possis ordinare contra scientiam Christi crebro tumultuantem Romam. Si ergo non valeas cominus pugnare in gladio, pugna saltem in arcu extento. Sagittæ potentis acutæ fuerunt illæ Gregorianæ epistolæ, quas archiepiscopis et episcopis ultro ingessit, et omnia eorum reprehensibilia tetigit, vitamque apostolicam etiam in Anglorum longinqua Ecclesia disposuit. Illius etenim tempore nulli opus erat litteras apostolicas extorquere, vel difficulter obtinere. Ultro ingerebantur, et episcopis non quærentibus mittebantur. Postea vero frequenter evenit ut etiam sub devotis, et epistolarum largis apostolicis esset querela de cancellariis et notariis nimium parcis, et ad scribendas ac dandas epistolas tardis, ignorante tamen, vel non pensante hoc Petri vicario, qui utique devotus erat in semetipso. Devotum quoque te jam antea experti sumus, et ideo de causa justa et tibi nota paucis agendum censemus.

Igitur, o papa Innocenti, Antichristo regnum jam affectante, ut non dicam regnante, communicato consilio cum sanctioribus et prudentioribus, quos tu nosti, quod sint senes, adjuva nos. Præter dominos cardinales, quos habes, tanquam Dei sponsæ paranymphos fideles audio tecum esse domnum Terraconensem, et abbatem Clarevallensem, viros illustres. His ad consilium adhibitis, surge et metire templum, et adorantes in eo. Atrium autem, quod est foris templum, ejice foras, et ne metiaris illud, quoniam datum est gentibus. Distingue scriptis de-

(170) Deest versus in codice.

cretalibus, qui sint illi mendaces magistri, oculos habentes plenos adulterii, et incessabilis delicti, quos in epistola sua notat apostolus Petrus, docens cavendum a talibus quorum etiam sacramenta per hoc ostendit sicca, quia dicit eos fontes esse sine aqua, per hoc exstincta, quia dicit eos esse nebulas, turbinibus exagitatas, quibus caligo tenebrarum reservatur. Beatus Gregorius Joanni Constantinopolitano scribens olim inquit: « Clamatur per Apostolum: *Filioli, novissima hora est* (*I Joan.* II, 18), secundum quod Veritas dicit: Pestilentia et gladius per mundum sævit, gentes insurgunt gentibus, terræ concutitur orbis cum habitatoribus suis, terra deficiente, solvuntur omnia, quæ prædicta sunt, fiunt, rex superbiæ prope est, et quod dici nefas est, sacerdotum ei præparatur exercitus, quia cervice militant elationis, qui positi fuerant, ut ducatum præberent humilitatis. » Quid putas, iste beatus diceret, si nostro tempore viveret, et exercitum sacerdotum, quem regni superbiæ præparari dixit, jam præparari videret? Puto, quod jam non diceret, regem superbiæ prope esse, sed jam adesse. Jam fortasse diceret, ac plangeret, ab eodem rege superbiæ duos testes Eliam et Henoch, scilicet cum Elia fervidos, cum Henoch mansuetos doctores exstinctos, quia videmus utriusque materiæ doctores a mundo præfocatos, ita ut exemplo Henoch pauci ambulent cum Deo, exemplo Eliæ pauci ardeant in tanto domus Dei zelo, quanto ille arsit, qui sacerdotum falsorum primo sacrificia cassavit, ac deinde ipsos jugulavit. Verumtamen doctoribus occisis occidi non potest sermo divinus. Clamat enim sermo divinus per apostolum Judam, qui alio nomine dicitur Thadæus: *Væ illis, quia in via Cain abierunt, et errore Balaam mercede effusi sunt, et in contradictione Chore perierunt. Hi sunt in epulis suis maculæ, convivantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sidera errantia.* Et post aliqua: *Vos autem, charissimi, memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab apostolis Domini nostri Jesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores, secundum sua desideria ambulantes in impietate. Hi sunt, qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes* (*Jud.* 11-19). Hac apostolica doctrina suffragante, sanum arbitramur subtrahere nos ab omni fratre ambulante inordinate, maxime ab his, qui segregant semetipsos a Christi corpore, dum faciunt, quæ sunt prohibita sub anathemate. Non enim sufficit illis ambulare inordinate, nisi persequantur volentes ambulare ordinate. Unde nos miseri, qui regulares dicimur, premimur a sæcularibus, præcipue ab his, quorum duces isti sunt: Nicolaus immundus, Simon magus, a quibus duobus, quasi a duabus caudis ticionum fumigantium gravantur lumina Ecclesiarum, dum istis, tanquam in arce sedentibus, quia præsident Ecclesiæ [*ita Cod.*], cathedralibus, nec bonæ voluntatis episcopi domum Dei valent cum Mathathia mundare, vel saltem in baptismalibus Ecclesiis apostolicam vitam plantare, quæ cunctas, etiam Ecclesias episcopales et matrices deberet gubernare. Huc accedit, quod quidam episcopi ad hoc negotium secundum prophetam evellendi, destruendi, dispergendi, dissipandi, ædificandi, plantandi, nimis inveniuntur tepidi.

Igitur, o papa Innocenti, apprehende arma et scutum, et exsurge paucis bonis in adjutorium. Mitte saltem ad episcopos terræ Teutonicæ, unum edictum simile illi Gregorianæ sententiæ, qua Victori episcopo scribens dicit: « Quisquis ad hoc facinus, videlicet Simoniæ, ac neophytorum hæresim emendandum officii sui consideratione vehementer non exarserit, cum ipso se habere non dubitet portionem, a quo prius hoc peculiare flagitium sumpsit exordium. » Dic et tu episcopis omnibus, quod si quis pro commissa sibi potestate vehementer non exarserit ad plantandam vitam apostolicam, in qua regnat Christus, et explantandam irregularem, in qua regnat Antichristus, non dubitet se participem damnationis, quam facientibus dictat rigor apostolici sermonis. De me vero æstimato, quod velis; ego tibi sum et ero semper fidelis. Et, ne quis tibi persuadeat profanum hæretici nomen ab hominibus, voluptatum amatoribus magis quam Dei, mihi veraciter imponi, scito, tu pater mi, quem agnosco legitimum successorem Petri apostoli, me semper esse paratum satisfacere omni poscenti rationem de ea, quæ in me est, spe, nihilque me pertinaciter affirmare, qui idipsum, quod dico, semper sum et fui paratissimus mutare, si cui catholicorum videtur a vero dissonare, poteritque hoc rationabiliter ostendere. Diligunt autem me sui gratia catholici non solum clerici et monachi, sed etiam archiepiscopi et episcopi, specialius tamen domnus Salzburgensis, et domnus Ravennas. Quibus, dum innotuisset qualitas vitæ, ac doctrinæ meæ, unus eorum, videlicet Salzburgensis inter quatuor virtutes amplius commendavit mihi fortitudinem; alter scilicet Ravennas inculcavit amplius temperantiæ suavitatem. Ambo vero monuerunt, ut ita dicto veritatis testimonio a me satis pro meo modulo ego ultra quiescerem. Sed insatiabili odio adversantur meæ quieti, quos aliquando vera dicens offendi. Non enim nego me aliquando ivisse ad succidenda ligna silvestria, dum, Apostolo monente, redargui opera tenebrarum infructuosa; in quo negotio potuit fieri, ut ferrum de manubrio elapsum, excessus videlicet increpationum læderet vel offenderet proximum, cujus tamen vitæ insidiatus non sum. Sed unam refugii civitatem, Ecclesiæ scilicet indissipabilem unitatem ita, ex quo sapere cœpi, semper dilexi, et diligo, quod mortem evadere me spero, tuente meam parvitatem magno, et summo pontifice, cujus te, papa Innocenti, credo membrum et vicarium esse. Tua itaque, Pater, con-

solatione contra totius religionis inimicos indigeo. Quam consequar, si scribes archiepiscopo Salzburgensi, ut subsidium ferat episcopo Ratisponensi regularem vitam sibi commissis clericorum congregationibus injungere, vel saltem regulares illis intermiscere cupienti, cujus in parochia ego sedeo sicut passer solitarius in tecto, ita circumvallatus ab inimicorum grege numeroso, ut in proximis, te veniente, ad Leodicensem urbem non ausus fuerim venire ad visendam tuam, Pater, præsentiam desiderabilem. Rogo, Pater, ut scribens domino episcopo Salzburgensi digneris in bono memoriam habere mei, indigni presbyteri, nomine Gerhohi, quatenus ille me tueatur ab insultibus inimicorum, quibus tuum quoque nomen ob hoc est odiosum, quod eos apud montem Clarum tetigisti de colore vestium, notabilemque fecisti vitam et habitum eorum. Nos enim, qui regulares dicimur, si quis non obedit verbo tuo, per epistolam hunc notamus, et corripimus, ut fratrem; sed illi persequuntur corripientem. Tuum est ergo, Pater, eos consolari, quos inter inimicos Dei agnoveris periclitari, et ut tu consolationem perfectam consequaris, exterminato inimico Dei et tuo, de cujus qualitate aliqua nunc dicere haberem. Sed hoc feci scribens ad venerabilem virum Joannem Ostiensem episcopum, cui persuadere studui, quod Petrus cum suis consentaneis pertineret ad corpus filii perditionis, si tamen ipse non est ipsa illa bestia, cujus in Apocalypsi plaga mortis dicitur curata; quia contemnit fortissimum anathema, tanquam nulla sit in eo mortis plaga, et quasi inde sit in eo mortis plaga curata, quod ei multitudo pravorum est associata. Igitur, sive ipse sit membrum, sive caput magni Antichristi per mundum dilatati, destruet eum Dominus illustratione adventus sui.

Tu vero, papa Innocenti, quasi os Domini eris, si separaveris pretiosum a vili; si distinxeris lupos a pretioso Dei ovili; si greges sodalium disjunxeris a tabernaculis pastorum, secundum quod tu ipse internoscis distantiam illius plantationis, quam non plantavit Pater, quæ tandem eradicabitur; et illius, quam plantavit in Christo Deus Pater, quæ nunquam eradicabitur. Notum enim est tibi, atque perspicuum] inter apostolice et non apostolice viventes clericos habita distinctione, qua in portione sit Aaron sacerdos cum suis filiis in continuis tabernaculi sancti excubiis. Cui e contrario in alia parte resistit, eumque maledicit, imo nolens benedicit Balaam ariolus, propheta conductus cum omnibus conductitiis. Stat hinc Samuel in linea sua tunica, quam dedit ei mater sua, vita scilicet apostolica, post longam sterilitatem fecunda. Illinc vero lasciviunt filii Heli, qui dormiunt cum mulieribus, nec sciunt officia sacerdotum, rapiuntque cum tridente fuscinula, munere, linguæ, manus obsequii, stipendium sanctis usibus destinatum. Hinc sacerdotes legitimi portari arcam Domini, habentes videlicet corpus Christi, in quo tanquam in arca sanctissima

A salus mundi est reposita. At illinc sacerdotes excelsorum, qui manum suis ordinatoribus vel Ecclesiarum datoribus implendo, ascendunt excelsa, de quibus evidentius appareat eorum vestis gulata et splendida, qui etiam Ecclesias regunt per conducta et empta officia, quod est apertissima Simonia. Carent illa arca sancta, quia vacua sunt eorum sacramenta. Una in parte stat Elias, et, ipso Deum suaviter invocante, sacrificium illius cœlesti consumitur igne. At contra eum in parte altera chorus sacerdotum Baal vendentium et ementium, et conducentium et conductorum sacerdotum grex altissime canentium, ita ut etiam ignem de cœlo faciant descendere, quando præsumunt Spiritum sanctum invocare, qui tamen non descendit super mendaB citer, et Simoniace invocantium sacrificia, licet clament voce altisona, ita ut eis illudat Elias dicens: *Clamate voce majori; deus enim vester*, sive nummus, sive Beelphegor, *forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur* (*III Reg.* XVIII, 27). Una in parte stat Christus, vitis vera, cum sibi adhærentibus palmitibus, per quos in sacramento altaris pullulat ille botrus Cypri, qui non est extra, sed tantum intus in vinea Engaddi. Altera in parte, id est in lateribus aquilonis, in hominibus frigidis, in monte Testamenti, id est in hominibus altis et litteratis ille sibi sedem vindicat, qui per identitatem sacramentorum, quantumlibet vacuorum se altissimum jaC ctat, quasi per ora suorum dicat: *Ero similis Altissimo* (*Isai.* XIV, 14); quia tanta virtus est in missis, et sacramentalibus signis excommunicatorum, quanta in missis catholicorum. Si hoc ita est, ut illi volunt, ubi est, quod Antichristus ab Apostolo prædicatur operaturus in signis mendacibus? Quid vero sunt sacramenta cassa et vacua, nisi signa mendacia non solum effectu salutis carentia, sed etiam eam virtutem abnegantia, qua mutatur, aut sanctificatur invisibilis creatura? Affirmante namque Apostolo, *adventus Antichristi erit secundum operationem Satanæ, non secundum operationem Christi. Erit quoque in omni virtute, et signis, et prodigiis* (*II Thess.* II, 9). Atque, ne putares virtuD tem veram, signa vera, prodigia vera, subjunxit: *Mendacibus, et in omni seductione iniquitatis his qui pereunt, eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent. Ideo mittit illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati* (*ibid.*, 10, 11). O spectaculum omni mundo admirandum! si attendatur hinc Moyses et Aaron cum signis efficacibus; illinc Joannes et Mambres cum signis mendacibus. Hinc Aaron a Deo electus; illinc Balaam a rege impio adductus; nondum quippe defecerunt, qui per violentiam et regiam manum intrusi sunt. Stat hinc Petrus, Paulus, et Stephanus, et cum illis apostolice vivere studentium, ac Deo caste militantium chorus; at illinc Simon Magus, Nicolaus impurus, Ananias perfi-

dus, et fraudulentus pro rebus pauperum usui destinatis, anathematizatus cum suis complicibus, suæ iniquitati participantibus, atque ut breviter concludam, supra montem Sion, super apostolicam scilicet vitam, a monte Sion inchoatam, stat Agnus, et cum eo centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra; jacet vero in arena illa bestia, de qua dicit Joannes : *Et vidi bestiam, de mari ascendentem* (*Apoc.* XIII, 1), quæ habet secum eorum A gregem, qui ædificant super arenam, non habentes in fundamento petram, quia neque cum Job recte conjugati, neque cum Daniele casti, neque cum Noe rectores justi esse probantur; atque ideo nisi dignos pœnitentiæ fructus velint agere, non poterunt ad vitam intrare. Pœniterent autem ex eis multi absque dubio, si audirent illud Petri ab ejus vicario : *Salvamini a generatione ista prava* (*Act.* II, 40).

MONITUM IN OPUSCULUM SEQUENS.

(D. B. Pezius, præf. ad t. I *Anecdot.*, p. LXXXV.)

Perpaucis qui in beatorum choros recepti sunt, ea sors obtigit ut adeo doctum et celebrem vitæ scriptorem nanciscerentur, qualem beati Berengerus et Wirnto, inclyti ad Œnum cœnobii Formbacensis ord. S. Bened. abbates nacti sunt. Is est magnus ille Gerhorus, præpositus Reicherspergensis ord. Can. Reg. S. Augustini. Cujus tamen opus diu delituit, hodieque veteribus membranis involutum sine dubio delitesceret, nisi adm. R. et eruditissimi P. Clari Fasmanni, Formbacensis prioris industria et humanitate quoddam illius apographum ad manus nostras pervenisset. Id adornatum est ad fidem membranei codicis, in archivo Formbacensi asservati, qui quadringentos annos excedere nobis præsentibus videbatur. Aliud ejusdem operis manu exaratum exemplum vidimus in codice chartaceo bibliothecæ Sancti Petrensis Salisburgi, sed quod non nisi trecentorum annorum est. Porro quæ Gerhohus hic narrat, tanto fide digniora sunt, quanto multis titulis integrius est ejusdem testimonium, quo in prologo innuit se scripturum et tractaturum de *signis, quæ suo tempore largiente Domino quasi in propriis laribus oculis suis viderat, et quasi manibus palpaverat, tractaveratque.* Cæterum ad utriusque hujus beati cultum quod attinet, ea de re ad cl. P. Clarum litteras dedimus, ad quas 10 Decembris 1720 his verbis respondit : *Annis abhinc tredecim in fabricanda sepulcrali crypta omne ferme totius nostræ ecclesiæ pavimentum fuit effossum ea spe, ut forte aliquod vestigium sepulcri beatorum Berengeri et Wirntonis inveniretur. Sed in vanum laboravimus, etsi satis profunde terram eruerimus. Nec publico nec aliquo alio cultu honorantur beati duo abbates. In Necrologio tamen nostro sequentia legimus : « VI Martii sanctus obitus beatissimi Wirntonis, secundi hujus loci abbatis, rarorum miraculorum patratoris, anno* 1127, *sui regiminis decimo nono, ante aram S. Crucis sepulti. » Iterum de beato Theoderico in eodem Necrologio legitur : « III Kal. Julii pius obitus Theoderici, tertii abbatis nostræ congregationis, rediens Jerosolyma, cujus depositionis diem tribus miraculosis signis Deus ejus innocentiam manifestans illustravit. » Et demum : « IV Kal. Nov. Beringerus sanctus nostræ congregationis abbas primus anno* 1108. *Præfuit* 14 *annis.* » Hæc rerum domesticarum scientissimus Pater Clarus.

BEATORUM ABBATUM FORMBACENSIUM

BERENGERI ET WIRNTONIS

ORDINIS S. BENEDICTI

VITÆ,

AUCTORE GERHOHO, PRÆPOSITO REICHERSPERGENSI.

(Eruit quidam Benedictinus Formbacensis ex inclyti monasterii sui cod. ms., edidit D. B. Pezius, *Anecdot.* I, III, 397.)

Incipit Prologus Gerhohi præpositi Reicherspergensis in Vitas beatorum abbatum Berengeri et Wirntonis.

Diva clementia, quæ ubicunque, quibuscunque secundum divitias bonitatis suæ sua impendit beneficia, cum venit tempus miserendi, de cœlo prospexit, ut audiret gemitus compeditorum, et solveret vincula afflictorum. Terra enim nostra, quæ aliquando grandine peccatorum percussa, nullum fru-

ctum ad salutem languentium protulit, cum aliæ terræ longe lateque miraculis coruscarent, nunc stillicidiis gratiæ irrigata, Dominus dedit benignitatem, et terra nostra dedit fructum suum. Signa etiam, quæ in aliis terris facta miramur, nunc, largiente Domino, quasi in propriis laribus oculis nostris videmus, et quasi manibus palpamus et tractamus. Hæc est, Domine Jesu, tuæ pietatis dignatio, hæc est solita tuæ miserationis visitatio, quæ peccata nostra dissimulans gratiam et gloriam in manifestatione signorum videre nos jussisti. In hoc enim ostendisti, quia nihil odisti eorum, quæ fecisti, qui solem tuum oriri facis super bonos et malos, et pluis super justos et injustos. Quia ergo secretum regis celare bonum est, justitias Dei enarrare gloriosum, ad ædificationem fidelium, qui Deum et sanctos ejus diligunt, non metuentes nec attendentes eos, qui gesta sanctorum non solum legere dedignantur, sed nec audire quidem dignantur, sed solent ea odisse, et fastidisse, magis diligentes commenta Maronis, scripta Ciceronis nænias Nasonis, quam signa Nicolai, virtutes Ægidii, et aliorum Christi amicorum; evidens exemplum Dei clementiæ in glorificatione sanctorum memoriæ commendamus, quos ideo Deus revelare dignatus est, ut in corporibus declaret, quid eorum beati spiritus apud ipsum mereantur. Et quia vicinus est dies iræ Agni, vult suos laudibus anticipare; vult eos, qui eum de toto corde desiderabant, visitare et consolari, ne illorum merita lateant, et ne isti aliquam recusationis scintillam obtendere queant. Qui velit, legat; qui nolit, respuat, quia, sicut poeta dicit: *Carmina nulla placent.* Et alius noster poeta veridicus: *Non est omnium fides* (*II Thess.* III, 2), *nec omnes obediunt Evangelio* (*II Thess.* I, 8).

Incipit aliquid de vita et virtutibus sancti Wirntonis abbatis.

CAPUT PRIMUM.

Wirntonis natales. Pueritia et adolescentia sancte traducta. Ingressus in monasterium Formbacense Perngero primo ejusdem loci abbate. Hujus sancta mors.

Igitur, sicut fidelis tradit antiquitas, cui indubitanter credere non indecens mihi videtur, Wirnto in occiduis partibus stirpe nobili, stirpe beata, radice sancta progenitus, a parentibus disciplinis scholaribus traditus, viam veritatis elegit, scientiam veritatis quæsivit. Nil autem scire duxit commodum, nisi crucis mysterium. Non enim, ut ista ætas assolet, lasciviam consecutus est mundi; sed totum totaliter se Deo mancipavit. Orationum, vigiliarum, jejuniorum solemnia amavit: Deo servire summam libertatem adjudicavit. At ubi perventum est ad bivium Pythagoricæ litteræ, sinistro ramo cum omni vanitate mundi relicto, dextrum cum omni aviditate, imo perfectione complectitur: Christum, qui est via et veritas, ut in dextris coronari mereretur, sequitur. Relictis ergo cognatis et notis, ut Deo liberius vacare valeret, a patria egreditur, et ordinatione Dei, sine quo factum est nihil, nec erit aliquando aliquid, qui etiam omnia, antequam fiant, novit, Noricum intravit, sua omnia, seque Deo, nocte dieque orando, psallendo mancipavit. Est autem in Bavaria secus ripas Æni fluminis locus Formbach dictus, in honore Dei genitricis consecratus, cui tum præerat vir magnæ sanctitatis, miræ abstinentiæ, miræ providentiæ, vir dilectus Deo et hominibus, Perngerus nomine. Qui, quod verbis docuit, exemplo monstravit, viduarum et orphanorum consolator, pauperum recreator. Et quia ad alia properamus, hæc breviter attigisse sufficiat. Cum autem placuit Regi regum militi suo pro labore diurno dare stipendium vitæ, caro ejus jam non caro, sed pellis macra, pallida, trita flagellis, febre corripitur, anno ab Incarnatione Domini MCVIII, anno vero ordinationis suæ XIV, IV Kalendas Novembris, jubente Deo, anima ejus sancta carne solvitur, cœli palatium ingreditur, ab exsultantibus angelis in sui consortium suscipitur. Corpus in basilica Beatæ Mariæ sepulturæ traditur. Quia nunc illa anima beata cum Christo regnet, testantur miraculorum beneficia, quæ ad sepulcrum ejus fiunt, non annua, sed quotidiana. Hic primus abbas Formbacensi Ecclesiæ a Deo præordinatus est. Et si flebile principium melior fortuna sequatur, quanto magis principium blandum, manet omni parte beandum. Felix Ecclesia, felix familia, cujus fundamentum Christus est, quam hic initiavit, qui est alpha et omega, felix, inquam, initium, sed melior finis, ipso donante, qui est auctor omnium bonorum.

CAPUT II.

Wirnto in regimine abbatiali Perngero sufficitur. Ejus virtutes, fama, gratia apud principes. Singularis misericordia, et liberalitas in pauperes ac egenos.

Formbacensis itaque Ecclesia pastore viduata, toto corde ad pastorem et episcopum animarum nostrarum convertitur, utque sibi pastor idoneus ab eo donetur, suppliciter imprecatur. Et quia oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum, non sunt fraudati a desiderio suo, sed exaudivit eos in latitudine. Quid ulterius immoror? Nutu igitur Dei Wirnto unanimiter eligitur, electus consecratur, consecratus officio dignus ab omnibus proclamatur. Suscepta pastorali cura jam priora nititur frangere jura. Postquam aucti sunt honores, cœpit augere labores, cœpit austerius carnem domare, vigilias prolongare, orationum frequentiam frequentius et propensius amare, locum sibi commissum rebus et beneficiis amplificare, gregem sibi creditum temporalibus et æternis alimentis abundanter

reficere, bona eis plus exemplis quam verbis suadere. A Nemo eleemosynarum ejus munificentiam, et virtutum ejus constantiam, humanus sermo, ut puto, imo non puto, sed veraciter scio, non valet exprimere. Sed homo, quantum a Deo accipit, tantum sapit. Et indignum satis esset, si ejus facta et miracula laterent, per quem tot sanati sunt, et quotidie sanantur; cum quidem videamus memoriæ commendata, gloriam vanam nuptiarum, varios eventus bellorum, laudes victoriarum, quæ omnia nihil nobis aliud emolumenti conferunt, nisi ut tempus ea legentibus rediment, et aures male demulceant.

Dedit autem Deus Wirntoni tantam gratiam in conspectu principum, ut ob sanctitatis ejus merita, eum ac si Patrem, ac si justum, ac si sanctum (sicut et erat) B venerarentur, vestes ejus quasi sanctitatis reliquias contingere niterentur, felices se fore existimantes, si consortium ejus uspiam habere mererentur. Plura etiam donaria offerebant, quæ omnia pauperibus erogabat, nec tanta poterat distribuere, quanta illi studebant offerre. Nec immerito, quia, quem perfuderat Deus gratia, ab omnibus amabatur, et diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Si quando pecunia defecisset, et manus hilaris datoris a distribuendo quievisset, convocans dispensatorem suum, Exi, ait, in plateas, et vicos civitatis, et pauperes ac debiles, cæcos et claudos collige; crastina enim erit nobis salus, crastina abundantia tanta perfruemur ut possimus eos, qui in omni pressura sunt, consolari. Facto mane, C beati viri adimpletur vaticinium, ruunt catervatim singulorum principum legati, et munera infinita congerunt. Procedebat autem ipse, sicut crebro solebat, minister ejus onustus copiis nummorum, ut alterum Getam putares, anhelus sequitur, sellula sibi ad residendum ponitur, turba pauperum undique advolat, thesaurus ille thesauro Christi distribuitur, per quem thesaurus regni cœlestis aditur. Rem minimam dicturus sum, et tamen dicam. Si occurrisset ei mulier in utero habens, quæ tamen adhuc non evidens imprægnaturæ haberet signum, duos illi nummos contulit, unus, inquiens, tibi debetur; alter ei, quem gestas in utero. Quid plura? Illa modice admodum subridens gemino munere D ditata abscedit lætabunda.

CAPUT III.

Aqua in vinum sæpius a Wirntone miracu.o conversa.

iunt veridici testes, quorum fidei derogare dementia est, venisse eum aliquando ad hospitium cujusdam militis, rogatu tamen suo, qui quasi Eliam, aut unum ex prophetis hospitio recepisset, lætabatur. Ipse totus festinus occurrit, equum suscipit, Wirntonem in hospitium ducit, sedile manibus suis ordinat, convivium festivum instruit, cognatos et notos convocat, epulaturus ita hilaris, quasi Petrum, aut aliquem apostolorum haberet convivam, residet. Ad medium fere convivium minister militi pateram obtulit, et alius quidam, ut ipse ante refectionem suppliciter et clam petierat, e fonte haustam sancto aquam ministrat. Unus autem e convivis, ut benedictionis ejus particeps fieret, scyphum aquæ dari sibi petiit. Minister autem nil cunctatus, nil sinistri suspicatus, scyphum quasi pro benedictione petenti obtulit, quid factum foret, inscius.

Accipit, bibit; aqua enim in dulcissimum vinum divinitus mutata erat; sed rei gestæ ignarus, ista ridiculose, ut mos est laicorum, qui sunt mallei litteratorum, intulit: O istum beatum! o istum sanctitate præditum, qui non novit nisi optimo vino potari! Et ego facile hanc sanctitatem possem æquiparare, si talibus deliciis juberer insudare. Minister, qui aquam hauserat, turbatur, et bene sibi conscius, se aquam, non vinum obtulisse confirmat; si aliud jam sit, nesciat. At ubi cognoscunt Deum per eum hoc fecisse miraculum, gaudent, lætantur, de benedictione novi vini omnes participantur. Miles is, qui sanctum subsannaverat, confusus erubuit, veniam petiit, indulgentiam accepit, deinceps sanctitatis ejus astipulator, non detractor fuit. O res mira, et post illum, qui in Cana Galilææ hujus miraculi auctor exstitit, satis inusitata! Vir autem beatus, ut famam devitaret humanam, ne cuiquam id proderent, obnixe rogavit; nescio, si impetravit. Idipsum autem ministri ejus, qui adhuc supersunt, crebro factum esse, cum familiariter resideret, asseverant; sed nos etiam nota omittimus, ne alicui oneri simus.

CAPUT IV.

Cadaver pueri, olim in matrem injuriosi, jussu Wirntonis ab eadem virgis cæsum, quod ante nequiverat, in cineres resolutum.

Alio tempore, sicut astruunt, quibus credi oportet, quorum nomina, si legentibus fastidium non ingereret, inseruissemus, dum in itinere constitutus vir beatus ecclesiam secus viam positam peteret, mulier quædam nati sui parvulas exsequias ejulans, et gemebunda prosequens fit ei obviam. Nam et fratrem ejus fere ante triennium vel quadriennium sepelierat, et a fodientibus postulaverat, ut fratrem fratri jungerent; ut quos unice amabat, unicus tumulus foveret. Ventum est ergo ad perficiendas exsequias, et ille beatus causa humanitatis accedit, ut officio funereo et ipse deserviret. Aperto tumulo corpus ante triennium humatum ita recens reperitur et incorruptum, ac si pridie fuisset tumulatum. Hoc mater cum omnibus, qui aderant, intuens resupina corruit, pectora palmis cædit, crines evellit miserabili ejulatu, et fletu circumstantes in fletum concitavit. Fuit enim videri miseria: commota sunt quippe viscera ejus super nato suo, et hinc magis angebatur, quia non facile patebat, quid causæ intercessisset, quod corpus tam longo tempore imputribile permansisset. Tum monumentum a juventute vallatur, corpus contrectatur, hac et illac jactatur, et sicut prius, incorruptum videtur. Mater resumpto spiritu sparsis capillis citius advolat, pe-

des sancti quasi altera Maria lacrymis rigat, et hujusmodi precibus eum sollicitat : Si habes, inquit, o sancte, aliquam in Christo fiduciam, si habes aliquam, ut audio, spem in cœlestibus repositam, succurre gementi, condole viduæ et desolatæ, miserere miseriæ et infelicitati meæ, et illum, qui nil tibi negat, precibus exorare digneris, ut tibi declarare velit quid puer iste admiserit, pro quo in lege tumulatorum esse non meruerit, cum quidem, sicut puerum simplicem et rectum deceret, totus bonitate conspicuus sibi visus fuerit. Fugit ille a mulieris complexibus, fugit a mundi favoribus, indignum se hujuscemodi legationibus vociferans, iret potius ad sanctorum limina, qui precibus et meritis valerent sibi, quæ peteret, obtinere suffragia, se desereret, nec irrideret, qui in terrenis constitutus terrenis inserviret. Attamen victus prece populi, et maxime anxietate mulieris, tulit eam seorsum diligenter quærens, si aut ipsa filio, aut filius illi aliquando aliquam injuriæ contumeliam irrogaverit? Quomodo, inquit illa, lædere lumen oculorum meorum, baculum senectutis meæ, solatium, spem, salutem corporis et animæ? At ille, diligenter, ait, recole, quia nemo immunis a peccato, nec infans unius horæ. Nihil, inquit, conscia sum, nisi aliquando mecum ludendo, jocando, ligno, quod manu gestabat, caput meum puerili simplicitate pulsavit, pulsando vulneravit, unde aliquantulum sanguinis emanavit. Nunquid propterea, ait sanctus, correptus est puer? Minime, inquit. Vade, ait, adhuc, et sumptis virgis in nomine Domini corrige filium tuum verberibus, quia, ut sentio, hoc, quod dixisti, est sibi obstaculum. Sanctus oravit, mater licet invita, filio verbera multiplicavit, post verbera corpus in cineres solutum matri terræ sociatum disparuit. Nemo fidelium ignoret, hoc non fortuito, sed precibus sancti actitatum, qui consilium, quid faciendum esset, dedit, deinde potestatem absolvendi, postremo summam totius orationis efficaciam adhibuit.

CAPUT V.

Anima cujusdam e faucibus prope dæmonum opera Wirntonis erepta.

Miles ad extrema deductus, legatum personatum et honorabilem Wirntoni dirigit, suppliciter obsecrans, ut adventu suo fluctuantem animam recrearet; felicem enim se fore credidit, si visitationis ejus gratiam mereretur.

Erat alter quidam alia in provincia, quem spiritus nequam exagitavit. Hic inter cætera deliramenta et garrulitates, nunc vera nunc falsa rotando sibi præsentibus indicavit, quia magister suus cum universis satellitibus iniquitatis ad lucrandam militis animam conflueret, et ipsum adesse oporteret. Wirnto itaque, qui non solum bona temporalia, sed etiam semetipsum, si sic necessitas poposcisset, pro salute proximi impenderet, audito nuntio iter accceleravit; mox ad adventum ejus omnis iniqua potestas, ut fumus, evanuit; animam

A illam orationis, confessionis, Eucharistiæ gratia refectam quasi e medio barathro rapuit, et Domino sociavit, terræ carnis materiam commendavit. Dæmon autem post agoniam domum illam, quam ad tempus reliquerat, male revisens, de negotii lucro requisitus : Casso, inquit, labore venimus, nil nisi opprobrium suscepimus : Wirnto quidam hæreticus nequissimus nobis nostra violenter rapuit. Quid enim? *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (*Matth.* XI. 12).

CAPUT VI.

Pauci pisciculi meritis beati viri multiplicati. Cur referendis pluribus miraculis a Wirntone vivente patratis, abstinuerit auctor?

B Dum tempore quodam vir beatus trans Ænum de rebus Ecclesiæ circuiret, a vidua venerabili, ut alter Eliseus invitatur, invitatus discumbere rogatur. Annuit ipse petenti, intravit, accubuit, quievit. At illa ignara eum carnibus et adipe non victitare, sed tantummodo leguminibus vitam pauperem sustentare, instruit, quod habere potuit, convivium, ordinat mensas, residere jubet convivas. Paululum autem ante horam refectionis Wirnto viduam secretius convocat : Quas, inquiens, epulas, o mater, præparasti filio tuo? Nunquidnam in promptu sunt omnia? Ergone sedendum est? Non sunt, ait, mihi, domine mi, cibi delicatiores, non escæ suaviores; procul a me omnis novitas, varietas, numerositas ferculorum; quod autem habeo, hoc tibi do : rusti-C cum scilicet panem cum alliis, quæ mihi suppetunt. At ille : Non oportet, inquit, te multum causa mei sollicitari; scio enim abundare, scio et penuriam pati, quæ præparasti, da comitibus meis; mihi autem, quod tibi in aurem loquar, ne cæteri hoc audiant, aut nobis detrahant, præpara aliquantulum leguminum, et scyphum aquæ. At illa arrepto pallio, humerosque cooperiens, impexa comas ocius egreditur, huc et illuc cursu velocissimo rapitur, si forte se aliquid offerret, quod victui viri Dei congrueret. In hoc ipsum enim spes suas confirmaverat. Et quia spes non confundit, occurrit ei puer unus tres ferens pisciculos, qui si uno minus tulisset, et quinque panes habuisset, non incongrue D illum putares fuisse quem in Evangelio Andreas Domino ostendit, quamvis ipse eum non ignoraverit, qui cognovit omnia novissima et antiqua. Sed ille, qui sibi tunc puerum cum piscibus et panibus adesse jussit, etiam nunc viduæ, ut servus ejus pasceretur, utque providentia sua omnia providens, omnia tenens, et regens, in sui dispositione non falleretur, portitorem tot piscium exhibuit. Pisciculos igitur illos cœlitus sibi collatos brevi ære comparans velociter domum rediit, coxit, et coctos disco imponit, allio desuper cooperiente Wirntoni proponit.

Nutu igitur Dei in manibus sic aucti sunt, et, ut ita dixerim, creverunt pisces, ut ipse abundaret, et omnes convivas ex his copiose donaret. Hujus rei

non unum ego testem, sed totam introducam regionem trans Ænum, qui quidem hoc factum adhuc memoriter tenent, venerabiliter credunt, publice confitentur. Parochiam autem, in qua vidua illa habitavit, abbas tenet Formbacensis, quæ ab eo, aut ab alio, quem ipse substituere voluerit, vicario gubernatur, providetur, regitur. Sunt autem plura, et his multo majora miraculorum ejus beneficia, quibus eum Dominus adhuc superstitem glorificare dignatus est, sed quædam, ne mentiar, oblivio nobis furata est; quædam propter sui prolixitatem, et propter hominum belluino more præ felicitate aliorum frementium invidiam, et detrahentium versutiam, etiam nobis satis cognita, et stylo digna omisimus; ne forte dicant, nos ea, quæ loquimur, non probasse, non vidisse, non ita, ut credi debeant, audisse, sed potius adulationis causa somniasse. Sed nullus sapientium turbetur, si gloriæ fidelium obsistat simultas infidelium, cum etiam ipsum Regem gloriæ affecerunt æmuli opprobriis contumeliæ. A Nunquid rarum aut novum tibi videtur, esse lilia inter spinas, triticum inter zizania, uvam inter labruscas? Sic sunt casti inter luxuriæ deditos, pauperes inter divites, electi inter reprobos et hæreticos, persecutionem patientes inter persecutores. Electi ergo tanto erunt gloriosiores, quanto fuerint in persecutionibus frequentiores. Quomodo ergo stabiles in fide dicerentur, si nulla adversitate quaterentur? Qualiter, ait aliquis, discerni potest rosa, ne lædat etiam spina, triticum, ne corrumpant illud zizania; uva, ne inficiat eam labrusca? *Separabit*, inquit, *eos, sicut pastor segregat oves ab hædis* (*Matth.* xxv, 32). Et : *Mittet Filius hominis angelos suos, et congregabunt de regno ejus omnia scandala* (*Matth.* XIII, 41), *et dicet messoribus : Evellite zizania, et colligite ea in fasciculos ad comburendum;* B *triticum autem congregate in horreum meum* (*ibid.*, 30). Ista supervacua, ne alicui fastidio simus, intermittamus, et ad ea, quæ post mortem ejus Dominus per eum fecit miracula, convertamur.

Explicit Vita beati Wirntonis.

Incipit de obitu ejus.

CAPUT VII.

Suprema Wirntonis ad suos verba, morbus, obitus, sepultura in loco, ubi Perngerus terræ commendatus.

Postquam paterfamilias ille rerum omnium dominus operario suo, Wirntoni scilicet, qui in vinea sua a mane, hoc est, a prima ætate usque ad vesperam, hoc est, usque ad consummationem vitæ suæ fideliter laboravit, pondus diei et æstus portavit, denarium vitæ dare voluit; ille beatus febre corripitur, lectulo male blandienti deprimitur, spiritus totus ad Deum erigitur. Tum vero mœror et luctus, omnium vox una plangentium : « Cui nos, Pater, deseris, aut cui nos desolatos relinquis? » Ille autem motus eorum fletibus, motus luctuosis vocibus, querimoniam talem sedare nititur : « Nolite, fratres, inquiens, nolite dolere, nec vos ita propter absentiam pulveris exigui afflixeritis, sed illum, qui formavit hominis nativitatem, precibus pulsate, ut animam refoveat, quam creavit. Deus enim non propter me, sed propter semetipsum, jam multis, ut mihi, nescio si vobis, videtur, diebus nos et locum nostrum misericorditer gubernavit, tutavit, conservavit, victui necessaria, sicut sibi et nobis admodum placuit, suppeditavit. Huic grates, quas possimus, persolvamus. Ego quippe non post multos hos dies, quo Domino placuerit, ibo. Sed providete vobis alium, quem vice mei constituatis, per quem Deo placeatis, quia me non diu habebitis. » Fratres autem mœroris tristitia turbati, angustiati : « Ad quem, inquiunt, Pater, confugiemus? ad quem ibimus? Da consilium, confer auxilium; credimus, quia Dominus per te, sicut mi- sertus est, adhuc nobis miserebitur. » — « Si, inquit, mihi acquieveritis, non aberrabitis, et quod salva conscientia dicere possum, non ego, sed Dominus ostendet vobis, quem eligatis, quem vobis Patrem constituatis, per quem in his, quæ sunt ad Deum et C ad homines, ad plenum gubernemini. Theodoricus, quem vos mihi capellanum nominastis, scio quod sit vir virtutis, Deum ex toto corde desiderans. Hic, si placet, vobis, vice mei constituatur. Attamen suadendo, non imperando dico vobis : Si aliquos ex his, quos ego ob enormitatem factorum suorum a loco isto alienavi, receperitis, continuo ab unitate scindemini, continuo disperdemini. » Ecce spiritus Eliæ requievit super istum beatum, qui quod prædixit in spe, evenit in re. O beatum virum, virtutibus ineffabilem, signis admirandum, prophetis non incongrue æquiparandum! Deinde Wirnto : « Eia, fratres, si inveni gratiam in conspectu vestro, meis annuite precibus; ne me in meis confundatis spebus, ut hoc D saltem vel supremum munus propitiationis a vobis suscipiam. » « Pete, aiunt, Domine, quia tecum parati sumus, in carcerem et in mortem ire. » At ille : « Ossa, inquit, mea, ossibus Perngeri viri justi, et sancti antecessoris mei in sepulturam jungite, ut quos Deus uni loco destinavit, uno nomine adoptionis, abbatis scilicet, ditavit, vinculo charitatis univit, cum venerit admirabilis fieri in sanctis suis, unita corpora unico sepulcro inveniat. » Assentiunt, concedunt, seque voto suo satisfacturos spondent. Ut quid sibi jungi petit? nunquid ut ab eo bearetur? Illud non abnuo; sed forsitan ideo magis quia futurum erat locum illum signis illustrari, hoc potius collaterali suo, quam sibi tribueretur, sicut

des sancti quasi altera Maria lacrymis rigat, et hujusmodi precibus eum sollicitat : Si habes, inquit, o sancte, aliquam in Christo fiduciam, si habes aliquam, ut audio, spem in cœlestibus repositam, succurre gementi, condole viduæ et desolatæ, miserere miseriæ et infelicitati meæ, et illum, qui nil tibi negat, precibus exorare digneris, ut tibi declarare velit quid puer iste admiserit, pro quo in lege tumulatorum esse non meruerit, cum quidem, sicut puerum simplicem et rectum deceret, totus bonitate conspicuus sibi visus fuerit. Fugit ille a mulieris complexibus, fugit a mundi favoribus, indignum se hujuscemodi legationibus vociferans, iret potius ad sanctorum limina, qui precibus et meritis valerent sibi, quæ peteret, obtinere suffragia, se desereret, nec irrideret, qui in terrenis constitutus terrenis inserviret. Attamen victus prece populi, et maxime anxietate mulieris, tulit eam seorsum diligenter quærens, si aut ipsa filio, aut filius illi aliquando aliquam injuriæ contumeliam irrogaverit? Quomodo, inquit illa, lædere lumen oculorum meorum, baculum senectutis meæ, solatium, spem, salutem corporis et animæ? At ille, diligenter, ait, recole, quia nemo immunis a peccato, nec infans unius horæ. Nihil, inquit, conscia sum, nisi aliquando mecum ludendo, jocando, ligno, quod manu gestabat, caput meum puerili simplicitate pulsavit, pulsando vulneravit, unde aliquantulum sanguinis emanavit. Nunquid propterea, ait sanctus, correptus est puer? Minime, inquit. Vade, ait, adhuc, et sumptis virgis in nomine Domini corrige filium tuum verberibus, quia, ut sentio, hoc, quod dixisti, est sibi obstaculum. Sanctus oravit, mater licet invita, filio verbera multiplicavit, post verbera corpus in cineres solutum matri terræ sociatum disparuit. Nemo fidelium ignoret, hoc non fortuito, sed precibus sancti actitatum, qui consilium, quid faciendum esset, dedit, deinde potestatem absolvendi, postremo summam totius orationis efficaciam adhibuit.

CAPUT V.

Anima cujusdam e faucibus prope dæmonum opera Wirntonis erepta.

Miles ad extrema deductus, legatum personatum et honorabilem Wirntoni dirigit, suppliciter obsecrans, ut adventu suo fluctuantem animam recrearet; felicem enim se fore credidit, si visitationis ejus gratiam mereretur.

Erat alter quidam alia in provincia, quem spiritus nequam exagitavit. Hic inter cætera deliramenta et garrulitates, nunc vera nunc falsa rotando sibi præsentibus indicavit, quia magister suus cum universis satellitibus iniquitatis ad lucrandam militis animam conflueret, et ipsum adesse oporteret. Wirnto itaque, qui non solum bona temporalia, sed etiam semetipsum, si sic necessitas poposcisset, pro salute proximi impenderet, audito nuntio iter acceleravit; mox ad adventum ejus omnis iniqua potestas, ut fumus, evanuit; animam A illam orationis, confessionis, Eucharistiæ gratia refectam quasi e medio barathro rapuit, et Domino sociavit, terræ carnis materiam commendavit. Dæmon autem post agoniam domum illam, quam ad tempus reliquerat, male revisens, de negotii lucro requisitus : Casso, inquit, labore venimus, nil nisi opprobrium suscepimus : Wirnto quidam hæreticus nequissimus nobis nostra violenter rapuit. Quid enim? *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (*Matth.* XI. 12).

CAPUT VI.

Pauci pisciculi meritis beati viri multiplicati. Cur referendis pluribus miraculis a Wirntone vivente patratis, abstinuerit auctor?

B Dum tempore quodam vir beatus trans Ænum de rebus Ecclesiæ circuiret, a vidua venerabili, ut alter Eliseus invitatur, invitatus discumbere rogatur. Annuit ipse petenti, intravit, accubuit, quievit. At illa ignara eum carnibus et adipe non victitare, sed tantummodo leguminibus vitam pauperem sustentare, instruit, quod habere potuit, convivium, ordinat mensas, residere jubet convivas. Paululum autem ante horam refectionis Wirnto viduam secretius convocat : Quas, inquiens, epulas, o mater, præparasti filio tuo? Nunquidnam in promptu sunt omnia? Ergone sedendum est? Non sunt, ait, mihi, domine mi, cibi delicatiores, non escæ suaviores; procul a me omnis novitas, varietas, numerositas C ferculorum; quod autem habeo, hoc tibi do : rusticum scilicet panem cum alliis, quæ mihi suppetunt. At ille : Non oportet, inquit, te multum causa mei sollicitari; scio enim abundare, scio et penuriam pati, quæ præparasti, da comitibus meis; mihi autem, quod tibi in aurem loquar, ne cæteri hoc audiant, aut nobis detrahant, præpara aliquantulum leguminum, et scyphum aquæ. At illa arrepto pallio, humerosque cooperiens, impexa comas ocius egreditur, huc et illuc cursu velocissimo rapitur, si forte se aliquid offerret, quod victui viri Dei congrueret. In hoc ipsum enim spes suas confirmaverat. Et quia spes non confundit, occurrit ei puer unus tres ferens pisciculos, qui si uno minus tulisset, et quinque panes habuisset, non incongrue D illum putares fuisse quem in Evangelio Andreas Domino ostendit, quamvis ipse eum non ignoraverit, qui cognovit omnia novissima et antiqua. Sed ille, qui sibi tunc puerum cum piscibus et panibus adesse jussit, etiam nunc viduæ, ut servus ejus pasceretur, utque providentia sua omnia providens, omnia tenens, et regens, in sui dispositione non falleretur, portitorem tot piscium exhibuit. Pisciculos igitur illos cœlitus sibi collatos brevi ære comparans velociter domum rediit, coxit, et coctos disco imponit, allio desuper cooperiente Wirntoni proponit.

Nutu igitur Dei in manibus sic aucti sunt, et, ut ita dixerim, creverunt pisces, ut ipse abundaret, et omnes convivas ex his copiose donaret. Hujus rei

non unum ego testem, sed totam introducam regionem trans Ænum, qui quidem hoc factum adhuc memoriter tenent, venerabiliter credunt, publice confitentur. Parochiam autem, in qua vidua illa habitavit, abbas tenet Formbacensis, quæ ab eo, aut ab alio, quem ipse substituere voluerit, vicario gubernatur, providetur, regitur. Sunt autem plura, et his multo majora miraculorum ejus beneficia, quibus eum Dominus adhuc superstitem glorificare dignatus est, sed quædam, ne mentiar, oblivio nobis furata est; quædam propter sui prolixitatem, et propter hominum belluino more præ felicitate aliorum frementium invidiam, et detrahentium versutiam, etiam nobis satis cognita, et stylo digna omisimus; ne forte dicant, nos ea, quæ loquimur, non probasse, non vidisse, non ita, ut credi debeant, audisse, sed potius adulationis causa somniasse. Sed nullus sapientium turbetur, si gloriæ fidelium obsistat simultas infidelium, cum etiam ipsum Regem gloriæ affecerunt æmuli opprobriis contumeliæ.

A Nunquid rarum aut novum tibi videtur, esse lilia inter spinas, triticum inter zizania, uvam inter labruscas? Sic sunt casti inter luxuriæ deditos, pauperes inter divites, electi inter reprobos et hæreticos, persecutionem patientes inter persecutores. Electi ergo tanto erunt gloriosiores, quanto fuerint in persecutionibus frequentiores. Quomodo ergo stabiles in fide dicerentur, si nulla adversitate quaterentur? Qualiter, ait aliquis, discerni potest rosa, ne lædat etiam spina, triticum, ne corrumpant illud zizania; uva, ne inficiat eam labrusca? *Separabit*, inquit, *eos*, *sicut pastor segregat oves ab hædis* (*Matth.* xxv, 32). Et : *Mittet Filius hominis angelos suos*, *et congregabunt de regno ejus omnia scandala* (*Matth.* xiii, 41), *et dicet messoribus : Evellite zizania*, B *et colligite ea in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum* (*ibid.*, 30). Ista supervacua, ne alicui fastidio simus, intermittamus, et ad ea, quæ post mortem ejus Dominus per eum fecit miracula, convertamur.

Explicit Vita beati Wirntonis.

Incipit de obitu ejus.

CAPUT VII.

Suprema Wirntonis ad suos verba, morbus, obitus, sepultura in loco, ubi Perngerus terræ commendatus.

Postquam paterfamilias ille rerum omnium dominus operario suo, Wirntoni scilicet, qui in vinea C sua a mane, hoc est, a prima ætate usque ad vesperam, hoc est, usque ad consummationem vitæ suæ fideliter laboravit, pondus diei et æstus portavit, denarium vitæ dare voluit; ille beatus febre corripitur, lectulo male blandienti deprimitur, spiritus totus ad Deum erigitur. Tum vero mœror et luctus, omnium vox una plangentium : « Cui nos, Pater, deseris, aut cui nos desolatos relinquis? » Ille autem motus eorum fletibus, motus luctuosis vocibus, querimoniam talem sedare nititur : « Nolite, fratres, inquiens, nolite dolere, nec vos ita propter absentiam pulveris exigui afflixeritis, sed illum, qui formavit hominis nativitatem, precibus pulsate, ut animam refoveat, quam creavit. Deus D enim non propter me, sed propter semetipsum, jam multis, ut mihi, nescio si vobis, videtur, diebus nos et locum nostrum misericorditer gubernavit, tutavit, conservavit, victui necessaria, sicut sibi et nobis admodum placuit, suppeditavit. Huic grates, quas possimus, persolvamus. Ego quippe non post multos hos dies, quo Domino placuerit, ibo. Sed providete vobis alium, quem vice mei constituatis, per quem Deo placeatis, quia me non diu habebitis. » Fratres autem mœroris tristitia turbati, angustiati : « Ad quem, inquiunt, Pater, confugiemus? ad quem ibimus? Da consilium, confer auxilium; credimus, quia Dominus per te, sicut misertus est, adhuc nobis miserebitur. » — « Si, inquit, mihi acquieveritis, non aberrabitis, et quod salva conscientia dicere possum, non ego, sed Dominus ostendet vobis, quem eligatis, quem vobis Patrem constituatis, per quem in his, quæ sunt ad Deum et ad homines, ad plenum gubernemini. Theodoricus, quem vos mihi capellanum nominastis, scio quod sit vir virtutis, Deum ex toto corde desiderans. Hic, si placet, vobis, vice mei constituatur. Attamen suadendo, non imperando dico vobis : Si aliquos ex his, quos ego ob enormitatem factorum suorum a loco isto alienavi, receperitis, continuo ab unitate scindemini, continuo disperdemini. » Ecce spiritus Eliæ requievit super istum beatum, qui quod prædixit in spe, evenit in re. O beatum virum, virtutibus ineffabilem, signis admirandum, prophetis non incongrue æquiparandum! Deinde Wirnto : « Eia, fratres, si inveni gratiam in conspectu vestro, meis annuite precibus; ne me in meis confundatis spebus, ut hoc saltem vel supremum munus propitiationis a vobis suscipiam. » « Pete, aiunt, Domine, quia tecum parati sumus, in carcerem et in mortem ire. » At ille : « Ossa, inquit, mea, ossibus Perngeri viri justi, et sancti antecessoris mei in sepulturam jungite, ut quos Deus uni loco destinavit, uno nomine adoptionis, abbatis scilicet, ditavit, vinculo charitatis univit, cum venerit admirabilis fieri in sanctis suis, unita corpora unico sepulcro inveniat. » Assentiunt, concedunt, seque voto suo satisfacturos spondent. Ut quid sibi jungi petiit? nunquid ut ab eo bearetur? Illud non abnuo; sed forsitan ideo magis quia futurum erat locum illum signis illustrari, hoc potius collaterali suo, quam sibi tribueretur, sicut

et Benedictus Mauro ereptionem Placidi deputavit.

Wirnto itaque semetipso, omnique grege Domino commisso carcere carnis eripitur. Mox odor balsami per omne habitaculum aspergitur, ita, ut aliquam visitationem angelicam crederes adfuisse. Sicque angelis comitantibus hymnum etiam concinnantibus, sancta illa anima cœli regiam ingreditur, et hoc anno Incarnationis Domini MCXXVII, anno autem ordinationis suæ XIX, VI Idus Martii. Fratres autem indignum judicantes, si tantus Pater a consortio majoris Ecclesiæ sequestraretur, irent potius, et, si necessitas poposcisset, effoderent Perngerum, et Wirntoni jungerent. Deliberatione habita in medio monasterii ante aram sanctæ crucis, ubi nunc in Domino quiescit, venerabiliter tumularunt. Non multum temporis elapso, nescio, quid horroris visum est circa ecclesiam Dei Genitricis, ubi beatus Perngerus quievit, ita, ut adventantes non ibi diu consistere auderent, sed horrore concuterentur, sed repellerentur, et hinc mirarentur. Unde convenientes animadverterunt, ob separationem corporum sanctorum horrorem illum fieri, et consilio habito effoderunt eum, et in monasterium transtulerunt, et sancto Wirntoni, sicut ipse petierat, honorifice conjunxerunt, ut quorum erat coram Domino par meritum, eorum corpora nec sepulturæ injuria disjungeret.

CAPUT VIII.

De subrogatione, persecutione, ac morte Theoderici, abbatis Wirntonis consilio suffecti.

Post discessum beati viri Wirntonis luctu et mœrore aliquantulum sopito, fratres unanimiter conveniunt, consilio habito Theodericum unanimiter eligunt, secundum præceptum pii Patris Patrem sibi præficiunt. Adepta itaque potestate, orationibus et vigiliis, omnique virtutum genere, sicut a bono magistro didicerat, insistere nititur, præceptum magistri in receptione fratrum exclusorum prætergreditur, omnibus omnia fieri conatus, cunctorum servire moribus gaudet et lætatur. Et dum nimis hu-

A manus vult fieri, dum suos charitate et misericordia, ut pater filios, vult fovere, dum dispersa vult congregare, congregata servare, suscipit in fratribus inimicos, in ovibus lupos, destructores, non tutores, discordiæ amatores. Nec mirum quia crebro latet anguis in herba. Ingressi monasterium concitant plebem, turbant gregem, fiunt conspirationes, fiunt detractiones, fiunt litteræ, dilapidationes rerum, illæ per illos episcopo Pataviensi, aliæ per alios marchioni Neuburgensi diriguntur; penuriæ, dispendia, aliaque his similia ad medium ducuntur. Et cum dies opportune accidisset, convenit episcopus, convenit marchio cum clero et populo; abbas circumvenitur, impetitur, calumniatur, et quia subesse maluit, quam præesse, quia depelli voluit, facile depellitur, facile

B deponitur, deserit locum et gentem, quærit ubi Domino serviat in sanctitate et justitia, ut sine timore de manibus inimicorum eripiatur. Pars autem sanior videns Patris contumeliam, condolens ei, locum etiam ipsa deserit, alieni subintrant. Principes autem videntes per invidiam famulo Dei factam violentiam, iniqua commiseratione commoti legationem post illum, et pro eo mittunt, utque ad sua redeat, rogant, mandant, imperant. At ille nolens laicali, aut alicui iniquæ subdi clientelæ, aut potestati, revocari non potuit, sed auxilio Dei non multo post Jerosolymam proficiscitur, adoraturus in loco, ubi steterunt pedes Domini; rediens autem in itinere, languore gravatus obdormivit in Domino III

C Kalendas Julii, et tribus in die depositionis suæ signis, ut fertur, emicuit. Sed, quid ex illo die usque ad hæc tempora Deus per eum egerit, aut agat, non est nostræ possibilitatis scire. Aiunt etiam plerique, omnes adversarios suos non æquo fine, nec sine vindicta ab hoc sæculo migrasse, marchionem, cujus nomen, ne fautores ejus mihi indignentur, supprimam, in expeditione Friderici imperatoris contra Mediolanos occubuisse, nec statum aut prosperitatem huius loci deinceps, sicut prius, viguisse.

De signis et miraculis quæ Dominus meritis beati viri declaravit

CAPUT IX.

Ad tumulum sancti Wirntonis cæcis visus, cuidam mulieri manuum usus restitutus; dæmones ex obsessorum corporibus ejecti, etc.

Postero die depositionis beati Wirntonis mulier quædam vidua paupercula et cæca, quam ipse, dum adhuc viveret, eleemosyna ob honorem Dei sustentabat, tumulo adhærens, vigiliis et orationibus serviens, nocte ac die inter lacrymarum suspiria, ista sonat querimonia: « Quid, inquiens, o Domine, quid mihi sic fecisti? Lumen oculorum mihi ademisti, viduam nudam, pauperculam omni facultate destitutam me esse fecisti. Sed tamen, quia pius et misericors es in millibus omnia hæc mihi

D in Wirntone contulisti, et hæc omnia mihi in eo abstulisti. O! o cur hoc fecisti? » Hæc dicens mœrore, dolore, labore fatigata obdormivit, et evigilans meritis sancti repente illuminata cum gaudio ad propria remeavit.

Erat altera quædam vita et rebus desolata a nativitate cæca, huic in visione revelatum est ut, si sepulcrum beati viri adiret, oblationem qualemcunque cum oratione offerret, visum meritis sanctorum reciperet. At ubi somno excitata est, currit, abit, properat, quod ad manus habere poterat, secum ferens. In itinere autem constituta, non longe a loco super monte, largiente Domino, ita visu recepto lætatur, ut universam positionem loci a longe intuens comitibus omnia dinumeraret. Attamen iter

incœptum peragit, orationem cum oblatione offert, sic lætabunda abscedit.

Manus mulieris cujusdam ita arida erat, ut officium suum illi negaret; pendebat enim ita, ut abscissam putares. Hortantur eam amici, ut sanctorum pro restitutione manus peteret suffragia, si forte salus illi redonaretur. At illa velut jam desperata neglexit consilia, neglexit sanctorum postulare suffragia. Coegerunt ergo eam amici, et fere quasi nolentem, et in Formbach usque procedere simul eam comitantes fecerunt, manum tumulo beati viri adhibuerunt, preces cum ea, et pro ea ad Deum fuderunt, inde ad sua redierunt. In itinere autem quasi formicas brachium ambientes se sentire profitetur, et quanto diutius, tanto amplius infestatio illa crevit, donec dolor more formicarum discurrentium cœpit abrepere. Quid plura? antequam tecta intraret, ita pleniter manus illa sanitati restituitur, ut nulli in quocunque labore femineæ possibilitatis secunda inveniretur, cum quidem prius eam nec movere quivisset.

In vicina possessione monasterii erat homo fratribus deserviens biennio cæcus. Permanens hic integerrima fide tumulum sancti visitavit, orationibus aliquantisper vacavit. Et dum domum repetit, ductori manum eripit, ipse per se recto tramite incedit : Vade, inquiens, ad ductorem, per te Dominus fecit mihi magna, quia potens est, et sanctum nomen ejus; nam meritis beati Wirntonis nemo clarius quam ego videre poterit.

Asseverant testes idonei quidam etiam canitie venerabiles, quorum fides non contemnenda mihi videtur, vidisse se una die tres personas spiritu nequitiæ purgatas, duas ad monumentum beati viri, quarum una tot spiritibus, quot Maria Magdalena, mundata est; tertia in ecclesia beati Martini sanata. Illi iidem etiam cum juramento, fere quadraginta et eo plura miraculorum beneficia inibi suis temporibus completa affirmaverunt, sed successione temporum, et maxime negligentia hominum, quia, quamvis magna, tamen raro evenerunt, oblivioni tradita dixerunt. Sed, quia lucerna non est sub modio recondenda, sed candelabro, ut omnibus, qui in domo sunt, luceat, imponenda; ea, quæ coram posita oculis nostris vidimus, his, quibus misericordia obviavit, et multarum regionum plebibus testibus, ut Deus in sanctis ejus laudetur, posteritati elucidare curavimus.

CAPUT X.

Dæmon, cæteris pertinacior, meritis sancti Wirntonis ex energumenæ corpore propulsus.

Tempore domini Henrici abbatis, qui sextus post beatum Perngerum primum Formbacensis loci provisorem, eidem loco præfuit, locumque et gentem scienter, honorifice, strenue gubernavit, amplificavit, tutavit, mulier quædam omnibus fere sanctorum liminibus, scilicet Petri et Pauli Romæ, Jacobi in Gallicia, Ægidii, Leonardi, deinde his qui in Juvavensi Ecclesia Dei gratia manifestati magnifice

A veneranlur, peragratis, deducta venit Pataviam. Erat enim tribus, ut postea patuit, nequitiæ exagitata spiritibus. Postremum vero secundum dispositionem Dei multa comitante turba Formbach deducitur, et quia nox imminebat, hospitio deputatur, pervigili custodia vallatur, humanitate quantulacunque refocillatur. Orto die decanus monasterii rogatus exiit, ad ecclesiam deduci jubet, et illa longe præcedente, illoque subsequente, lente manum in turba elevat, et nescio quid boni intra semetipsum murmurans signum crucis post eam elevat. At illa conversa retrorsum fremit, ardet, minitat, et ne ulterius fiat, imperat. Deducitur igitur in ecclesiam, tumulo applicatur, a multitudine vallatur, orationis, postulationis devotio pro ea ad Dominum funditur :
B interea spiritus nequam mulierem turbavit, miserabiliter arctavit, crudeliter cruciavit, omni populo fratres implorante, ut pro ea preces funderent, si forte Deus misericordiam postulantibus ostenderet.

Pater igitur monasterii misericordia motus ex intimo corde afflictæ condoluit, congregationem coadunat : « Si, fratres, inquiens, bene sapio acquiescite; si male, me corrigite. Habemus nos, sicut et plerique alii sanctorum patrocinia, fovemus, Deo largiente, corpora, quæ etiam, dum in hac vita versabantur, Dominus miraculis glorificavit, et, ut mihi videtur, nescio an recta prosequar, si peccatorum nostrorum nebulæ non obstarent, etiam nunc,
C quando cum Domino regnant, miraculis coruscarent. Si ergo rectum est in oculis nostris pro glorificatione sanctorum, pro redemptione peccatorum, et maxime pro salute, quæ inpræsentiarum sunt personarum, triduanum ducamus jejunium, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in tempore opportuno. » Quod dictum placuit omnibus. Libentissime se annuere spondent, Deum pro salute hominum orandum dicentes secundum illud : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Gal.* VI, 2). Et iterum : *Petite et accipietis*, (*Joan.* XVI, 24) omnis qui petit accipiet. Qui nihil petit, nescio quid accipiat, nec dormientibus provenit regnum Dei. Sed, quia, sicut quidam dixit, nihil omni parte beatum, unitatem conventionis il-
D lius duo e fratribus scindere voluerunt, dicentes, quod Domino placuisset, factum esse; cum sibi placeat, aliter fieri posse; nec ideo jejunandum, quia, quod statuit de re, sine te deliberat ipse. Dominus abbas videns eos obstinatos in suo proposito, dimisit illos arbitrio suo, annuens illis agere, quod velint, ne alios scandalizent; quia immedicabile vulnus ense est demendum, ne pars sincera trahatur. Igitur institutio superius dicta a reliquis devote suscipitur, orationes, obsecrationes, postulationes, vigiliæ, eleemosynæ plus solito frequentantur, et sicut Ninivitæ clamaverunt ad Dominum in fortitudine, unde exaudivit eos in latitudine. Ita spiritualibus armis præmuniti accedunt ad eam, quam antiquus hostis vexabat, et ille nequam per virtutem

hominis Christi, et per merita et sanctorum nomina constringitur, arctatur, utque plasma Dei deserat, jubetur. « In vanum, inquit ille, laboratis vos, et vane garrulitates vestras consumitis; nondum venit hora mea. » Et nunc Virgilium, nunc Vitalem, nunc Pilgrinum se fugaturum profitebatur, Et quia ab initio mendax fuit, et pater ejus, diverticula quærenti non crediderunt; sed precibus institerunt, fortius hunc objurgaverunt, et conjuraverunt ut saltem, ubi ejiciendus esset, tertius illis indicaret. His dictis indignum ducentes ulterius verba ventis dare, ipsum, cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, toto corde et ore pro salute hominis implorant, obsecrant, assidua prece pulsant. Nox illa insomnis ducitur, omnis omnium intentio ad Deum dirigitur. Circa medium fere noctis inter lacrymarum suspiria, inter orationum solemnia vox etiam laicorum, ut mos est, in ecclesia noctu vigilantium altius Deum et sanctos ejus laudans reboabat; Deo miserante, et beato Andrea, ut credimus, interveniente, mulier unum de spiritibus immundis amisit, circumstantibus ignorantibus tamen. Nam crebro viderant eam prius eosdem gestus, eosdem furores præferentem, ideoque ejectio illa facile eis persuaderi non poterat. Deinde ad majus altare Dei Genitricis, plebe sequente deducitur, et ibi, sicut paulo ante, exorcizatur, utque plasma Dei deserat, adjuratur, imperatur. Dæmon autem unus ex duobus, qui male remanserat, mirabiliter et miserabiliter clamans et ejulans : O! inquit, scelus! O Christiana perfidia! o dolus Christianorum! imo hæreticorum, quorum versutia agente unum e sociis amisi. Quid ergo statis? quid pessima gens exspectatis? Cur Andream vocibus et precibus non exaltatis? cur illi grates pro expulsione fraterculi mei non accumulatis! O timor! o pœna! quæ me reddit etiam in crimine meo disertum! Tum conversus ad profugum spiritum : Quare, inquiens, modicæ fidei, quare dubitasti? nunquid amplius Andream, quam magistrum tuum reverebaris? Vade, vade, fuge, fuge, solemniter excipieris, mercedem dignam laboris tui consequeris.

Omnes ergo qui aderant laudes pro gratia sibi, mulierique impensa Domino reddiderunt, et adhuc plurimum de misericordia ejus confidentes, manus mentesque ad sidera tollentes, Matrem misericordiæ vocibus et precibus pulsant, utque sexus communis reminiscatur, suppliciter implorant. Tum quibusdam suggerentibus, et quia Deus alium locum ejectione alius dæmonis forsan honorare disposuerit, dicentibus, cunctisque in hac spe pendentibus, ad ecclesiam Dei Genitricis extra monasterium ducitur, precibus ab omnibus insistitur, meritisque Matris misericordiæ, persona altero dæmone purgatur, lausque Creatori omnium persolvitur. Fugatis duobus nequitiæ spiritibus, adhuc tertius, qui se principem aliorum jactitabat, supererat, et quasi libera utens potestate perennem se hospitem illic futurum non sine arrogantia astruebat, alios duos refugas spiritus asseverans esse timidos, mobiles, instabiles, cor leporis gerentes, quin etiam ignobiles, pauperes eos proclamat. Hic ergo miranda mirabiliter proferebat, nunc rotabat turbines irrisionum, detractionum; nunc volvebat tonitrua terrorum, nunc homines in risum et cachinnum mittebat, ita ut si non esset videri miseria, istum risu, illum dolore dissolvi, fatuis et insipientibus hujusmodi ludibria placerent. Accidit autem ut vestis quæpiam, quam non oportet nominari, furto distraheretur, et noti missi ignotis adducti, personam circumstare jubentur experiri volentes, utrum aliquid certitudinis ex ejus verbis credituri essent, utrum veraciter malignus prædo ibi hospitaretur, cum quidem penitus mulierem sanatam jam sperarent, magisque, ut de amissione vestis certi redderentur. Dæmon autem singulos singulis nominibus compellat, singulorum facta sive bona sive mala propalat, postremo furti reum demonstrat, ubi furtum lateat, indicat. Pater vero monasterii triduanum pro salute hominis jejunium ducere sine cibo disposuit; sed altera die hospitibus supervenientibus humanitatis charitatisque gratia jejunium solvit, invitus tamen. Qui dum inter cæteros mulieri appropiat, delirat, fremit, exspuit, immundum eum, vas vacuum, malitia et perfidia plenum acclamat. Fratres vero in Domino confidentes, spes suas et mentes ad Dominum dirigentes, arctiori observantiæ se tradiderunt, orationes, vigilias, jejunia plus solito auxerunt, sanctorum patrocinia per litaniarum suffragia pro sanitate hominis implorant. In tantum pietatis fervebat studium, ut etiam pueri primæ ætatis, taceo de senibus et junioribus, pœnitentiæ se voluntariæ submitterent, flagellandos se traderent, in aliqua perfectione subito, quantum huic ætati possibile fuit, eniterent. Accedunt sacerdotes universi, et spiritualibus armis præmuniti dæmonem invocatione divini nominis constringunt, adjurant, arctant, ut vas, quod male possidebat, deserat; sin autem, saltem ubi, vel quando deserturus esset, edicat. Jam enim ulterius laborare nolebant, quia non poterant. Dæmon vero post longas conflictationes, et post longos et miserabiles cruciatus, quibus plasma Dei cruciabat: Hac nocte, inquit, Wirnto vester cum Margaretha venturus est (imminebat enim festum ejus ipsa nocte), tunc crucior, tunc abjicior; scio enim quia festive a magistro meo recipior. Heu! heu! quid faciam! quo fugiam? considerans ad dexteram et sinistram, quo fugiam, non video: dum prædam rapere quæro, præda fio; crucior, dum crucio. Fratres autem scientes quia spes non confundit, non sunt fraudati a desiderio suo, et celebrantibus eis vigilias, ad medium fere noctis, miseratione Dei, ad tumulum beati viri persona mundata est. Illa vero, ne ingrata videretur beneficiis Dei, se ereptori suo, sanctisque inibi quiescentibus, abbate cum fratribus annuente, mancipavit, illic reliquum vitæ suæ tempus in obsequio sanctorum et fratrum ducere constituit, hodieque videtur

ibi in habitu, quem ipsa sibi in tribulatione sua elegit. Non enim necesse habemus aliquid ulterius de hac re testificari; ætatem habet, ipsa de se loquatur.

CAPUT XI.

Puer gravissimo morbo, quo vermes in ejus cerebro generabantur, implorata Wirntonis ope liberatus.

Venit præterea mulier quædam ad tumulum beati viri, multis sanitatum virtutibus inibi completis animata, adducens puerum, cujus ætas memoriæ excidit, novo et miserabili et inaudito languoris genere jam per multum temporis detentum et cruciatum. Cerebrum enim, ut puto, superfluis humoribus secundum physicos vitiatum in ipsa cerebri theca vermium turmas genuerat, qui male aliti et confortati miserum miserabiliter affligebant, angebant, cruciabant. Qui etiam interdum aure ab utraque scaturientes profluebant, et fusos grossitudine non longitudine parificare visi sunt. Horrendum est autem hujusmodi spectaculum animo recolere, non dico, scribere, enarrare, aut videre; quis vero ad passionem illam sufficiat? quis ista toleret? ille utique, quia sic oportuit fieri, sustinuit, toleravit, donec illum, qui est gloriosus in sanctis suis, sanctum suum per virtutis efficaciam in eo glorificavit. Quid enim? Rarus cibus ægrotanti, tenuis somnus, nocte dieque auditur dolor et gemitus. Deinde post multa suspiria, magna devotionis confidentia tumulo applicatur, precibus parentum dolor ejus Domino commendatur, utque sanctorum meritis misero misereatur, suppliciter implorant. Nox insomnis ducitur, dies similiter hujuscemodi laboribus consumitur, nec medelæ gratia sentitur sicque cassati et quasi desperati ad sua gemebundi commeant. Exinde Pater ille, qui novit bona data dare petentibus se, beati viri suffragantibus meritis opem fert misero, salutem cum sanitate donat, jamque vermes mortui ab auribus profluunt, quievit dolor et gemitus, puer sospitati redditur. Post aliquantum vero temporis, ne ingrati viderentur circa se bene gestis, ad monasterium redeunt, rem gestam omnibus referunt, grates Deo et sancto ejus persolvunt, sicque cum gaudio et lætitia sua tecta subintrant.

CAPUT XII.

Alius puer, membris fœde contractus, voto ad sancti Wirntonis tumulum a matre concepto, sanatus.

Quandoquidem a pueris orsi sumus, aliud miraculum relatione dignum priori jungamus. Erat materfamilias trans Ænum in vicinia monasterii habens puerum debilem et claudum, cujus pedes ad posteriora retorti etiam loca ipsa naturæ ministrantia fere operire videbantur. Fuit autem homuncio ille aspectu miserabilis, ita ut jam non hominem, sed miserabile cerneres simulacrum, et sicut poeta dicit:

Hic ut truncus erat ficulnus, inutile lignum,

quem etiam noti sui videre dedignarentur. Nocte igitur quadam, cum se genitrix sopori dedisset, in A somnis admonetur, si sepulcrum Wirntonis ab ea et puero digna cum veneratione expetatur, priscæ sanitati dolus ille restituatur. Ubi vero e somno excitata est, visione admodum facta hilarior, secum multa tacite disputat, diu animo fluctuat, quid sibi prædicta visio velit, dubitat, deliberat, hæret. Tandem fiducia resumpta, spe animata, assumens puerum aditura monasterium, visitatura beati viri tumulum, tendit ad Ænum, spondens nautæ naulum, dummodo non tardet eam in transvehendo. Nauta vero: « Nonne vides, ait, aquarum virtutem? nunquid non audis fremitus fluctuum ad invicem sese collidentium? salva temetipsam, et pauperem vitam filii tui, ne te et ipsum amittas, dum sponte intras periculum, et me, quandiu Domino placet, B sinas vivere, ne exiguo naulo mortem mihi et vobis videar mercari. Redi ergo in tabernacula tua, donec inundatio aquarum conquiescat, et tunc sine dispendio mei et tui transfereris. » Erat autem hoc anno tam crebra vis imbrium, tam frequens inundatio aquarum, ut etiam ædes in vicinia riparum positas in plerisque locis dirueret, vineta, sata atteneret. Illa autem tristis et gemebunda metuens, ne votum ejus irritum fieret, ne spes ejus cassaretur, ad sua cum puero repetit, nil interrogantibus respondet, sed fletibus et gemitibus vacat. Fortis ergo mulier in Deo et Domino suo confisa, femineæ fragilitati virilem animum inserens, sciens etiam nihil Deo esse impossibile, surgit velocius, et arripiens C puerum mensæ, quasi pro altari, superimponit eum, offert contribulati spiritus sacrificium, offert cum puero oblationem, offert sinceræ orationis devotionem. Tum tota ad Deum effusa: « Tu, inquit, Domine, qui habes sanctam scientiam, qui cognoscis omnia novissima et antiqua, manifeste scis quia, si possibilitatis meæ fuisset, tumulum servi tui, licet cum detrimento mei, expetissem. Tu vero, qui ubique es, qui nunquam dees, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime et miserando manifestas, memorare quæ sit nostra substantia; memento quia pulvis sumus, memento, qualescunque sumus, sive cæci sive claudi, sive sani sive ægroti, creatura tamen tua sumus, meritis beati Wirntonis, quem tecum regnare, quem omnia a te obtinere D posse, et merita facta probant; miserere creaturæ tuæ, et absolve eam ab hac languoris molestia, ne sit in opprobrium hominum, pro quo dedisti tui sanguinis pretium. Non enim misericordia aut potentia tua major est in ecclesiis, aut in templis, et minor in agris aut silvis, sed totus ubique es, ubique potens es, ubi, cui vis, et quando vis, et quomodo vis, misereris. Si ergo gaudium tuum est fortitudo nostra, si nihil odisti eorum, quæ fecisti, miserere fletibus, gemitibus, doloribus meis, solare tristitiam cordis mei, moveat te dolor pueri mei. Illa peroravit, et dicto citius auditur fragor ossium, puer erigitur, sanitatique redditur. Quo facto concurrit populus, mater præ gaudio in lacrymas solvitur, laudes Deo, et beato Wirntoni concinuntur.

Non multum temporis elapso assumens genitrix puerum, evidens clementiæ Dei spectaculum, beati viri adit sepulcrum, vota vovit et solvit, grates quas poterat, et noverat, Deo et sanctis ejus reddit, deinde magnalia Dei enarrat. Tum una omnium in A Deo exsultatio, magna utriusque hominis fervet devotio, isque ab omnibus glorificatur, qui est largitor omnium bonorum, qui facit mirabilia solus, cui sit honor et gloria per infinita sæculorum sæcula. Amen.

Explicit vita et miracula beati Wirntonis.

Appendix ab admodum reverendo et clarissimo D. P. Claro, priore Formbacensi, adjecta.

CAPUT XIII.

Appendix ad vitam et miracula sancti Wirntonis, antiquos versus de beatis Perngero, Wirntone, de Theoderico primis abbatibus Formbacensibus complexa.

B In quodam vetusto volumine de abbatum Varnpacensium serie et successione, etiam aliud quoddam elogium de beato Perngero, uti et de beatis Wirntone ac Theoderico inveni, quod meo chronico inserui, et inde huc transferre visum fuit.

BERENGERUS.

Anno a pariente Virgine 1094 ad clavum hujus monasterii primus feliciter sedere cœpit, vixitque miraculose.

Aspice tres primos, simul et mirare parentes,
 Quos studium cunctos evigilavit idem.
Norma, quibus Benedictus erat, sine crimine vita,
 Innocui mores, et sine labe pudor.

WIRNTO II, ABBAS.

Nihil mutatus a primo æque beatum tenuit cursum.
Una fuit pietas, virtus, mens omnibus una,
 Unus amor, pulchræ laudis, et una fides.
Tales omnino, quos aurea condidit ætas,
 Tempore, quo rerum floruit omne decus.

Præfuit annis 19, obiit anno Domini 1127, VI Idus Martii. Sepelitur in ecclesia majori cum tali epigraphe lapidi marmoreo incisa :

 Felix, jucundus, Wirnto Pater ille secundus,
 Ecce Deo vivit, quem Formbach hic sepelivit.

THEODERICUS III, ABBAS.

Utriusque incitatus exemplo eumdem se præbuit; obiit Jerosolymis tribus miraculis in die depositionis clarus. De quo hi versus :

Et quamvis lateant nunc cæcis abdita tumbis
 Corpora, quo repetant jura, locumque suum,
Hora tamen veniet, tumulis cum viva resurgent,
 Et mox lucentis sideris instar erunt.

VEN. GERHOHI

PRÆPOSITI REICHERSPERG.

DE HENRICIS IV ET V IMPP

ET GREGORIO VII

Nonnullisque consequentibus Romanis pontificibus

SYNTAGMA.

(Apud Jacobum GRETSERUM S. J. theologum, Opp. t. VI, p. 235.)

Nobili, clarissimo et consultissimo domino Christophoro GEWOLDO, J. U. doctori, serenissimo Boiorum ducis Maximiliani consiliario intimo, Jacobus GRETSERUS Societatis Jesu.

Cum superioris anni autumno Monachium venissem, obtulisti mihi, vir clarissime, plane ex improviso, et præter exspectationem, quamvis non præter votum, Gerhohum, seu Gerochum Reicherspergensem in Bavaria olim præpositum, quem, indicio Aventini, de nomine noveram, cupidissimus ejusdem propius, et ut dici solet, *de facie* noscendi, cujus desiderii mei satis luculentam significationem dederam in Præloquiis seu Prolegomenis ad Paulum Bernriedensem, Gerhohi in defensione Gregorii VII, pontificis maximi, socium.

Quo autem gaudio, qua mentis voluptate, librum, cujus adipiscendi spem jam abjeceram, complexus fuerim, ipsemet oculatus testis testari potes; mihi enim librorum mercibus nihil charius aut jucundius

accidere solet, præsertim iis in quibus causa Dei et Ecclesiæ Catholicæ contra hæreticos et schismaticos agitur. Et cum universim omnes pontifices Romanos, tanquam Christi vicarios, et S. Petri successores, reverenter colam ac venerer, nescio tamen qua ratione mens mea potissimum, ex superioris memoriæ pontificibus, feratur, imo et rapiatur ad Gregorium VII, virum, ut sanctitate, ita et animi magnitudine eximium; et nec prospero rerum cursu languescere multoque minus insolescere; nec adversæ fortunæ procellis, frangi consuetum. Quæ causa me impulit ut in vindicationem hujus tanti antistitis a recentium et veterum sectariorum criminationibus, diligenter incubuerim, inquirendo, et proferendo novas et priscas copias, quibus adversariorum in hunc supremum Christianæ religionis præsulem ac præsidem impressio propulsaretur; cujus mei, qualis qualis studii, testes habeo Paulum Bernriedensem, et Apologiam, et in hac comprehensum Bernardum seu Bernaldum Constantiensem presbyterum.

Cæterum, etsi ex Aventini lectione arbitrabar, Gerhohum seu Gerochum Vitam et res gestas Gregorii VII ex professo in litteras misisse; vel Apologiam proprie pro ipso Gregorio adversus illius oppugnatores instituisse; viso tamen ipso auctore, comperi rem secus se habere; et in illo volumine Gerocho *investigationem Antichristi* præcipue propositam fuisse; quem ille singulari quadam nec probanda opinione inductus, existimat non esse unum et singularem hominem sub mundi clausulam exoriturum, sed omnes Ecclesiæ orthodoxæ oppugnatores et persecutores, sive ethnicos, sive hæreticos, sive schismaticos. Et quia Henricus IV Ecclesiam gravissime afflixerat, ut et filius ejus Henricus V, creatis aliquot antipapis, ut Cadaloo, Guiberto, Burdino, ideo de his eorumque nefariis ausis et actis Gerhohus disserit, quia ostendere volebat hos tam impia et scelerata adversus Petri sedem et orthodoxam fidem aggressos, satis superque implesse Scripturas de Antichristi immanitate ac tyrannide vaticinantes.

At nos omissa hac paradoxia (quam tamen ipse Gerhohus in epistola dedicatoria ad Eberhardum archiepiscopum Salisburgensem, a se non *definientis*, sed *inquirentis* more proponi palam affirmat), accipiamus id, quod nobis *historico stylo*, quemadmodum ipsemet loquitur, de Henricis IV et V, et de Gregorio VII, et aliquot aliis consequentibus pontificibus suppeditat.

Quæ ex opere Gerhohiano exscripta et excerpta, tibi, nobilis et clarissime domine doctor, offero, primum ut fidem meam liberem, secundo, ut hoc commune beneficium in Gregorium VII ejusque defensores collatum, ad te, tanquam ad fontem et originem, redeat et quasi refluat. Tu enim Gerhohum, ubique gentium, etiam Reicherspergæ, frustra a me, licet perquam studiose, quæsitum, ex latebris eduxisti, eductumque mihi in manus tradidisti. Non igitur tantum ingratus, sed et omnino inverecundus essem, si Gerhohianis postibus alium titulum appenderem, quam istum: D. CHRISTOPHORUS GEWOLDUS REPERIT. Tertio, hoc veluti publico testimonio omnibus testatum facere volui, te inter gravissimas reipublicæ Bavaricæ occupationes, quibus quotidie distineris, eum esse qui a bibliothecis, et quæ in iis latent antiquorum monumentis curam et cogitationes tuas nequaquam abducas, sed in iis perlustrandis sedulam prorsus operam ponas, cui tuo in omnes antiquitatis studiosos merito deprædicando, me præcone haud eges, utpote, qui nimis indisertus sim; nemoque id quod jam dixi vero consonare luculentius probaturus sit, quam tu ipse, quando Chronicon Reicherspergense, tua cura inventum, foras prodire multisque prodesse jubebis.

Interea accipe hoc ex tuo Gerhoho fragmentum..... At jam verbis compendium facio, et illud etiam atque etiam oro ut hoc meæ in te observantiæ qualecunque argumentum gratum habere velis, non tam cogitans quantum sit, quam a quanto animo proficiscatur.

Ingolstadii, 12 Decembris, anno Redemptoris 1610.

SYNTAGMA GERHOHI

De statu Ecclesiæ sub Henricis IV et V impp. et Gregorio VII nonnullisque consequentibus pontificibus.

INSTRUCTIO PRO SEQUENTI SYNTAGMATE.

Libro I De investigatione Antichristi *comparat Gerhohus Ecclesiam Dei cum templo manufacto Israelitico, quod Salomon construxit, et hujus oppugnatores et eversores cum hostibus Ecclesiæ; et ut templum illud varias clades ab infidelibus accepit, sic Ecclesiam quoque Christianam ab ethnicis, hæreticis et schismaticis multipliciter oppugnatam et exagitatam fuisse docet. Q. causa est cur etiam hæc de Salomonis templo capita huic Syntagmati intexere voluerim.*

CAPUT PRIMUM.

De templo manufacto, quoties post primam ædificationem destructum et reparatum sit.

Venit nunc in mentem, quod olim circa templi fabricam Jerosolymis accidit. Herodes funestus, parvulorum nece cruentus, propriæ uxoris ac filiorum parricida, virorumque per omnia sanguinarius, templum ipsum olim a Salomone CXX cubitorum altitudinis fabricatum (cum destructum a Chaldæis sub ducibus Zorobabel et Neemia, filii captivitatis,

A adhortantibus prophetis, LX cubitorum altitudinis reædificassent (*II Esdr.* II, 3), dolens is, quem describimus, Herodes, altitudinis ei, quod per Salomonem primo constructum fuerat, mediam partem deesse, ad solum dirui præcepit: quod et in pristinam sub Salomone dispositam altitudinem inter unius anni et quinque mensium spatium reformavit, arbitrans forte obsequium se præstare Deo; imo, quod est verius, suæ vanæ consulens gloriæ, seque stulte præferens sanctorum studio Patrum ac

prophetarum in celeritate operis et impendiis sumptuum

Adde etiam idem ipsum templum a filiis transmigrationis, ut dictum est, reædificatum, rex Græcorum Antiochus profanare non timuit (*I Mach.* II, 3, 5), sed obsistentibus ei Machabæis, ac pro patriis legibus pugnantibus, in manibus eorum opus, Domino cooperante, prosperatum est; et civitate ac templo receptis, denuo ac eis templum consecratum, et coronis aureis perornatum est (*II Mach.* X). Post quæ omnia funestus, ut præmissum est, Herodes manum apposuit, idemque templum ad solum diruens in duplam altitudinem reformavit ex tam politis et prægrandibus lapidibus, ut, quod supra quoque commemoratum est, admirantes discipuli dicerent Domino : *Magister, aspice quales lapides, et quales structuræ?* (*Marc.* XIII, 1.) Quibus et quod notum est, Dominus respondit : *Amen*, inquiens, *dico vobis, non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur* (*ibid.*, 2).

CAPUT II.

De spiritali intelligentia dimensionum templi.

Sed quorsum ista? Nimirum quia operæ pretium scire est ea, quæ in templi illius manufacti fabrica typice præcesserunt, nunc in Ecclesia, quæ verum Dei templum est, in veritate actitari, et ad nostra usque tempora esse actitata. Verus namque Salomon, id est pacificus Dominus noster Jesus Christus, qui est *pax nostra* (*Eph.* II, 14), et spiritus ejus, verum et vivum Dei vivi templum Ecclesiam sanctam ex vivis lapidibus construxit, cujus et dimensiones ad instar illius templi manufacti quod hujus veritatis, velut umbra præcesserat procuravit.

CAPUT III.

Longitudo templi.

Longitudo siquidem illius templi manufacti LX cubitorum cum oraculo exstitit. Nam XX cubitos oraculum tam in longitudine, quam in latitudine simul et altitudine, id est quadrati cubiti speciem tenuit, quo sanctorum et spiritualium in Ecclesia perfectio significata est; quos nec prospera extollunt, nec adversa dejiciunt, sed semper æqualis sunt animi, *spe gaudentes, in tribulatione patientes, necessitatibus sanctorum communicantes* (*Rom.* XII, 13). In his namque tribus sanctorum et perfectorum quasi quasdam, imo vere spirituales dimensiones tenes. Nam, quod spe gaudent, altitudinis est; quod tribulatione patientes, longitudinis; quod necessitatibus sanctorum communicant, latitudinis est. Charitate namque ad proximum tendi spiritualiter dilatari est. Longitudo vero domus pro foribus oraculi XL cubitorum exstitit; quo nimirum numero passiones hujus vitæ significantur, in qua Ecclesia pro Christo suis persecutionibus et passionibus atterenda est.

Quo videlicet sacramento Moyses et Elias pro suis pariter et populi peccatis XL diebus ab omni cibo abstinuerunt. Ipse quoque Dominus item XL dierum

A jejunio abstinens, pro nostris iniquitatibus, quasi quadraginta plagis legalibus vapulavit. Quia enim mundus ex quatuor elementis subsistit, et quatuor decurrit temporibus; cujus amorem conditoris amori præhabentes, decalogi legem violavimus, jure quater decies vapulamus, id est patientiam nostræ longanimitatis per omnia præsentis vitæ tentamenta extendimus, affirmante nimirum Apostolo : *Quoniam non sunt condignæ passiones hujus temporis ad superventuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII, 18). Cui mysterio et illud concinit, quod tota templi longitudo LX cubitorum tendebatur. Quia enim homo sexto die conditus est, totique visibilium creaturæ prælatus; qui et ipse amori Creatoris se ipsum præhabuit, nimioque sui amore

B naturalis legis in se decalogum corrupit; jure etiam longitudo patientiæ ejus sexies denaria esse debet, ut quidquid creatura sex diebus condita homini tentamentorum inferre valet, omnia pro Christo et lege ipsius ferre paratus sit.

Divisit autem Domini pietas ipsa contra Ecclesiam tentamenta surgentia, sicut dictum est ad Job : *Dividitur æstus super terram* (*Job* XXXVIII, 24), ut, cum omnia tentamentorum genera percurrere habeat, nullumque ei tempus a tentamentis liberum transeat : raro tamen, vel nunquam contra eam, nisi forte in ultima Antichristi persecutione simul universa consurgant; sed breviavit Dominus et dies illos. *Qui nisi fuissent breviati, non fieret*

C *salva omnis caro* (*Matth.* XXIV, 22). *Fidelis namque Deus est, qui non patietur* Ecclesiam suam, sicut nec ullum Ecclesiæ membrum, quod prædestinavit in gloriam, *tentari supra id, quod potest; sed faciet cum tentatione proventum, ut possit sustinere* (*I Cor.* X, 13). Et inde est, quod *patientia* sanctorum *non peribit in finem* (*Psal.* IX, 19) : quæ, ut diximus, patientia pro Dei legibus usque ad mortem habita decies senaria, vel sexies dena templi non manufacti, quod est Ecclesia, longitudo est.

CAPUT IV.

De latitudine templi.

Latitudo quoque templi hujus, quod Ecclesiam intelligimus, ad instar illius manu facti templi, vicenis cubitis tenditur; qui numerus binarius dece-

D nus est, latitudinem charitatis significans, quæ ad proximum tenditur, minusque quam inter duos haberi non potest. Oportet autem ut et decena sit, quatenus legis decalogum non transgrediatur; alioqui faciens et diligens iniquitatem, odisset animam suam, sicque nec proximum tanquam se ipsum diligere posset, cum utique nec se ipsum diligeret. Qui autem ordinate se ipsum diligit, primo ac præ omnibus suum principium, quod est Deus, diligit. Diligens vero Deum, ejus, quem diligit, mandata custodit. Sicque secure se ad proximum charitas tendit; Dei ac suimet dilectione formata : et obedit jam ordinate præcepto dicentis : *Diliges proximum tuum sicut te ipsum* (*Matth.* XXII, 39). In quo nimirum uno sermone omne completur mandatum. Sit

ergo decena charitas, ut primo se ipsum homo secundum Deum, et ejus mandata diligat. Denarius vero hic duplicetur, ut se ad proximum tendat. Dumque primo quod tibi fieri legaliter non vis, nec proximo facis : quæ utique charitas initialis est ; ac deinde, quod tibi fieri legaliter vis et proximo impendis, quod perfectionis est : templi utique sancti, in quo inhabitat Deus, bis denorum cubitorum latitudinem implesti. Templum enim Dei sancta hæc decet latitudo in longitudine dierum, in qua binarius se ad proximum tendit et decalogum legis non excedit.

CAPUT V.

De altitudine templi.

Templi sane altitudo, quæ secundum Regum volumen tricenis cubitis tenditur (*III Reg.* VI, 2), secundum Paralipomenon CXX cubitorum fuisse dicitur (*II Paral.* XXIII, 4). At ne sacra hæc testimonia [invicem] alterum adversari videantur, recte intelligitur, ea quæ triginta cubitorum exstitit, ad inferius tabulatum pertingere : ea vero, quæ CXX cubitorum, ad summum usque templi fastigium pertendere. Tria enim cœnacula domus continebat : infimum, medium et supremum, per quæ tres Ecclesiæ ordines, id est conjugatos, continentes et doctores præfiguratos agnoscimus : qui et per tres viros, Noe, Daniel et Job in prophetia Ezechielis præsignati sunt (*Ezech.* XIV, 20). Sive autem in XXX, sive in CXX cubitorum altitudine spei nostræ, quæ secundum fidem est, sublimitas innuitur. Sicut enim nunc in Patrem Deum omnipotentem et in ejus Filium unigenitum atque in sanctum amborum Spiritum credimus : ita nos ejusdem sanctæ Trinitatis visione beatificandos speramus. Quam utique spei nostræ celsitudinem Joannes nobis apostolus commendat dicens : *Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit, quid erimus. Scimus quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus. Videbimus enim eum sicuti est* (*I Joan.* III, 2).

Altitudo sane CXX cubitorum ad summum templi usque pinnaculum pertingens, summæ numeri electorum mihi videtur congruere, in quos in initio nascentis Ecclesiæ, veri scilicet Dei templi gratia Spiritus sancti effusa est. Erat enim, ut Lucas ait, turba hominum simul fere CXX (*Act.* I, 15). Quare autem in templi manu facti Domino sanctificanda altitudine, vel in electorum summa Spiritus sancti adventu consecranda Deo hic numerus complacuerit, requirendum existimo. Non enim magno vacare crediderim mysterio, quod notatur in facto. Etenim ipsum, de quo loquimur, templum manu factum in eamdem CXX cubitorum altitudinem, non sine Dei nutu, licet per funestum Herodem, ut prædiximus, reformatum est, antequam Dominus in ipso cum oblatione a parentibus præsentaretur, quæ maxima erat ejusdem templi sanctificatio et gloria. Unde et per prophetam prædictum est : *quia major erit gloria domus hujus novissimæ plus quam primæ* (*Agg.* II, 10). Si-

A cut electorum quoque summa non ante a Spiritu sancto consecrata Deo in templum est, quam ad numerum hunc a Deo præfinitum pervenit. Igitur pro nostra mediocritate hujus sacrati, ac Deo complaciti numeri scrutemur sacramentum.

Omnibus sacræ Scripturæ studiosis cognitum *numerum quindecim*, propter duas partes ipsius, commendabilem existere, quæ sunt septem et octo. Nam, dicente Salomone : *Da partes septem, nec non et octo* (*Eccle.* XI, 2). Septem partes damus, dum secundum legem mandati veteris, spiritualiter sabbatizantes, a vitiis feriamur. Octo vero partes damus, dum secundum novæ legis rationem nos per octo virtutum gradus exercentes ad octonariam beatitudinis tendimus remunerationem.
B Propter hoc et octavus dies Dominica resurrectione consecratus est. Octonarius primus in numeris cubicis est, æternæ beatitudinis nobis in anima et corpore stabilitatem simul et soliditatem designans. Sicut septenarius quoque nobis non solum sabbati spiritualis feriationem indicit; sed et septem sancti Spiritus donorum, per quæ ad virtutes fecundamur, participationem promittit.

Has itaque duas quindenarii partes septem videlicet et octo in nostræ pio conversationis studio in unum conjungimus : et quasi quindecim graduum canticum Deo accepte canimus, dum feriantes a vitiis, septem quoque spirituum donis ditati, per octo virtutum exercitia, ad octonarium bea-
C titudinum culmen Christo conresurgentes pertingimus.

Sed, quid hæc, inquies, ad numerum CXX cujus mysterium quæritur, pertinent? Multum per omnem modum. Nam, si ab uno incipiens et eo numero, qui apud arithmeticos *aggregativus* dicitur, numerando ad quindecim usque procedas, centum viginti in numero complesti. Qui etiam numerus in plano dispositus, formam trianguli exhibet : cujus tres extremæ lineæ invicem reductæ æqualis exstent longitudinis, qualibet earum quindecim in se unitates retinente. Et quid hujus mysterio numeri pulchrius? In quo et trianguli species fidem sanctæ Trinitatis informat ; et quinde-
D narius in extremis finibus triangulæ figuræ tripliciter occurrens, in duabus partibus suis, septenario videlicet et octonario mores instruit ; insuper et beatitudinis per immutabilem statum fidelibus repromittit. Propter hoc, ut æstimo et originali mundo, qui per aquas periit, iste annorum numerus, id est CXX, ad pœnitentiam indultus est, dicente Domino ad Noe : *Eruntque dies hominis centum viginti anni* (*Gen.* VI, 3). Ut sciret homo evangelicus per Spiritum a Deo doctus, hanc ipsi Deo gratam esse, atque sufficientem ad placandum pœnitentiam, quæ et in fide sanctæ Trinitatis agitur, et quam feriatio a vitiis, studiumque virtutum comitatur. Qui enim sic per septenarium et octonarium pœnitet, quasi per CXX annos Deo sa

tisfaciens, non solum sabbatizans a vitiis, æternæ et extremæ ultionis evadit supplicium, sed et culmen virtutum, atque beatitudinis æternæ consequitur octonarium, dicente Domino: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*, etc. (*Matth.* v, 3).

CAPUT VI.

De dimensionibus recapitulatio et spirituali ornatu templi.

Istæ itaque dimensiones: hæc longitudo fidelis patientiæ ac fidei omnia propter Dominum sustinentis; hæc amplitudo charitatis se ad proximum in Deo et propter Deum dilatantis; hæc sublimitas cœlestis conversationis et spei, se in Deum erigentis, gratum Deo templum, sanctam ejus Ecclesiam efficiunt: LX in longum, XX in latum; XXX vel etiam CXX in altum spirituales cubitos obtinentem. Hujus templi aurum divinitatis notitia, cultus et amor est. Argentum ejus in divinis rebus eloquentia. Pretiosi lapides ejus, virtutum margaritæ sunt. Thymiama ejus bonæ opinionis fragrantia. Thus lucidissimum ejus, conscientiæ puritas et orationum incensa sunt. Altare thymiamatis ejus, Christus Jesus sanctorum preces et orationes excipiens. Altare quoque holocausti et sacrificiorum, et victimarum idem Christus est; pœnitentiam conversorum et vota quoque fidelium non repellens. Singuli templi hujus lapides, quique fideles. Tabulata auro affigendo præparata pietas cordium, devotio mentium est.

Non nobis vacat, nec propositum est, per singula spirituales templi hujus structuras vel ornatus perstringere; sed ista intulisse sufficiat; quatenus sciamus Deo fabricatori ejus majorem de hoc templo, quam de quolibet manufacto quantumlibet ornato, vel amplo curam existere. Nam cætera omnia manu facta Dei templa propter istud facta sunt et fiunt. Ista vero domus pro suimet ipsius pretio a Domino Jesu Christo propriæ prædicationis labore, imo et mortis ejus impendio fabricata, Spirituque sancto de cœlo misso consecrata est. Itaque, quantum hæc domus omni templo præstat manu facto, tanto ejus profanatio abominabilior, Deoque et hominibus detestabilior est, et esse debet. Quod vero in rebus detestabilius, Christoque magis contrarium est, hoc sibi vindicare Antichristum, dubitari non potest.

CAPUT VII.

Adaptatio ad Ecclesiam eorum, quæ in templo illo facta sunt.

Ea propter quanta malignatus est inimicus in hoc sancto Dei templo, quod est Ecclesia; insuper vero et in illo Jerosolymis in hujus typum facto. Quanta item, nimirum in figura passionum et agonum Ecclesiæ, Domino permittente, idem inimicus malignatus sit, perstringere, atque invicem sibi, veritatem et umbram conferre, Deo favente, curabo; ut de abominatione quoque desolationis, qualis, et in quo templo quærenda sit, a bono A rerum æstimatore scire possit. Illud namque templum a David et Salomone regibus divino instinctu fabricatum per regem Babylonis igni combustum et ad solum dirutum est. Ecclesiam quoque a vero David, Domino nostro Jesu Christo, atque ab ejus Spiritu, tanquam Salomone vero, constructam et dedicatam, item Babylonicus rex, id est imperator urbis Romæ, quam tropice Petrus Babylonem nominat (*I Petr.* v, 13), Nero videlicet, et quilibet ejus potentiæ simul et impietatis successor, persecutionibus, proscriptionibus, et omnis generis tormentorum cruciatibus contra eam desæviens, quantum in ipso erat, destruxit atque incendit, quin et totum mundum Babyloniæ caminum effecit: in quo, ut superius quoque memoratum est, sanctæ Trinitatis cultores quasi tres B pueri, sancto certamine desudarunt. Qua in tempestate innumera sanctorum millia ab unius Dei cultu nolentium transire ad culturam creaturæ, illustre martyrium duxerunt. Sed Dominus in eadem tentatione sanctis suis adfuit, eosque vel in passione confortans, vel passiones, ut tolerari possent, mitigans, flammam ignis de fornace excussit: insuper vero consolationibus eos sui spiritus refovens, medium fornacis fecit eis, quasi ventum roris flantem: unde et post fornacem passionum vivere se miraculis multipliciter protestati sunt, dæmonibus ex obsessis hominibus ad eorum sepulcra fugientibus, et qualibet infirmitate detentis consolationem recipientibus.

C

CAPUT VIII.

De hæreticis reædificationem impedientibus.

Deinde Cyro Persarum rege captivitatem Judæorum relaxante, templum quoque et civitas Jerusalem ut reædificarentur, permittente (*I Esdr.* I, 6), itemque Dario et Artaxerxe Persarum et Medorum regibus idem concedentibus, opus diu dilatum est: impedientibus nimirum vicinis viris potentibus, eosque in manu et robore prohibentibus. Interdum vero et in dolo simul ædificare iidem vicini promittebant. Sed admissi non sunt, utpote homines alienæ fidei, atque in multis comprobati inimici. At vero Zorobabel dux filiorum Juda et Nehemias sacerdos perstabant in opere, donec eamdem domum Dei ad consummationem perducerent (*III* D *Esdr.* IV, 6). Et hoc ædificationis tempus per quadraginta et sex annos protelatum est, nimirum adversariis jam dictis eidem operi olim obnitentibus. Unde Judæi obloquentes Domino: *Quadraginta*, inquiunt, *sex annis ædificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud?* (*Joan.* II, 20.)

Quæ utique tempora temporibus hæresum videntur mihi congruere; quando regio culmine ad fidem inclinato, legibus quoque malis ablatis, bonæ leges pro Ecclesia latæ sunt. Tunc enim per Arium, Sabellium et Photinum, aliosque quam plurimos hæreses diversæ contra Ecclesiam pullularunt, qui ejus ædificationem impedientes, tanto nocentiores

hostes exstiterunt; quanto quasi e vicino habitantes in multis nobiscum erant. Quin et regum animos in suæ perversitatis dogma trahentes, contra Ecclesiam concitabant. Unde Constantius, Constantini filius, multa sanctis Dei mala intulit. Sed et Gothorum reges ariani, multas et graves sanctis Dei, maxime autem sacerdotibus per totam Africam persecutiones intulerunt, quæ omnia suis locis digesta, inveniuntur; nos quoque prout opportunitas poscet, memorabimus. At vero sancti Dei confessores et doctores, Hilarius, Ambrosius, Augustinus, aliique illustres viri pro fide catholica murum se opponentes, tandiu mendacio restiterunt, donec, damnatis hæresibus, judicium eorum ad victoriam pervenit.

CAPUT IX.

De actis Antiochi Epiphanis, cui statui Ecclesiæ typice conveniant.

Tertio per Antiochum Epiphanen eadem domus Dei manu facta, illato in eam statunculo [simulacro, icone] Jovis contaminata est (171): talisque abominatio desolationis in loco sancto per tres annos stetit; cum et civitas Jerusalem per sex annos vastata jaceret, quo tempore, ut liber Machabæorum continet, pastophoria templi diruta, et in atriis virgulta nata sunt: cum et impudicæ mulieres sacris se ædibus ultro ingerebant, intro ferentes quæ fas non est; sed et templum comessationibus plenum fuit: hoc præcipiente tunc, et tormentis exigente Antiocho, ut Judæi a patriis translati legibus ad ritum gentilium transirent, quatenus omnis populus esset populus unus.

Cui impietati Judas restitit Machabæus et fratres ejus, et protegente eos Domino, in manibus eorum opus prosperatum est; ita ut, cum essent pauci, de magnis regibus, ac de multitudine hostium triumpharent, sicque tandem civitatem et templum reciperent. Quo in tempore, sacerdotium quoque venale apud regem factum est. Nam Jason proprium fratrem Oniam virum optimum datis ac promissis pecuniis cum supplantasset atque in captivitate detineret, idem Jason a Menelao supplantatus est, superponente sibi argenti talenta trecenta.

Sed, cum pecunias promissas solvere negexisset, et ipse sacerdotio deturbatur, succedente sibi Lysimacho fratre. Rursum Menelaus sacerdotium reambiens, aurea quædam vasa, quæ furatus fuerat in templo, dedit Andronico. Pro qua re dum argueretur ab Onia, dedit consilium Andronico, quatenus Oniam interficeret, sicque factum est. Et Menelaus per fraudulentiam simul et violentiam in potestate permansit. Et hæc tertia templo illi manu facto tribulatio fuit. Cui rei mihi simile videtur illud malum, quod item tertio loco postea, quæ prædicta sunt, in Ecclesia, et contra Ecclesiam Dei actitari, machinante diabolo, cœpit.

CAPUT X.

De statu Ecclesiæ temporibus Heinrici IV quomodo temporibus et actis Antiochi congruant.

(172) Postquam enim per sanctos et illustres viros, devictis hæresibus, Ecclesia victoriam et pacem obtinuit; cum interim quoque divitiis et honoribus regalibus eadem Ecclesia per reges et principes aucta simul et cumulata est, ambitiosorum pervicacia, quasi intestino bello eam vastare cœpit. Si quidem et reges a temporibus Caroli Magni, ex concessione quorumdam Romanorum pontificum, videlicet Leonis III et Adriani II, ecclesiasticarum sibi dignitatum investituras vindicabant, et persæpe in Ecclesia Dei, non quos volebat, sed quos volebant in episcopalium sedium apicem exaltabant, et quos volebant, humiliabant. Quorum tamen regum nonnulli circa hujus cladis principia modestius se in his, atque temperantius agebant, nimirum electionibus ecclesiasticis, in concedendis honoribus, deferendo, ipsasque dignitates non ad gratiam seu pecuniæ pretium, quin potius ad morum et scientiæ prærogativam largiendo.

At vero, ubi ad reges ventum est qui ignorabant Joseph, Ecclesia, quæ erat domina, facta est ancilla. Et sicut quando tribus Dan cœpit sibi quærere possessionem, cum jam non esset rex in Israel, sed unusquisque, quod bonum sibi videbatur, hoc faciebat, cum jam in Ecclesia Dei vel in domo Michæ cœpit esse idolum, et sacerdos conductitius; non electio cleri, non consensus honoratorum, non petitio populi, in ordinandis episcopis quærebatur; non sanctitati vitæ, non scientiæ illustriori delatum est (*Jud.* XVII, 18); sed, quicunque volebat, implebat manum suam, et factus est sacerdos non jam Domini, sed mammonæ, ac principis hujus mundi dicentis: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me* (*Matth.* IV, 9). Quid enim erat nisi diaboli principis hujus mundi in maligno positi adoratio? Principum, in quibus superbiæ et avaritiæ spiritus habitabat, ad hoc clientelæ deservire; ut quisque illis familiarius deserviens, dignitatis ecclesiasticæ alicujus apicem citius consequi potuisset. Cum taliter, aliunde videlicet ascendentes, non ad aliud, nisi ut essent hæretici, promoverentur? Nam et ipsi, talium ordinatores, dicti episcopi, cum essent indubitati Simoniaci, jam olim in suo auctore a magno Simone Petro, aliisque successoribus ejus legitimis prædamnati, nihil præter damnationem, quam habuerunt, suis ordinatis conferre potuerunt; ipsique talium ordinati, per eorum manus impositionem vulneratum ab eis caput reportaverunt.

(171) De his consule libros Machabæorum, præsertim secundum.

(172) De hoc vide Commentariolum meum de impp. regum ac principum in sedem apostolicam munificentia. De hoc investiturarum privilegio vide, quæ scripsi in apologia Baroniana c. 1, et in basilico Doro cap. 5. Gerhohus Adrianum II et Leonem III nominat. Alii Adrianum I, et Leonem VIII pseudopapam. Ex quo apparet commenti vanitas.

Quid sponsam Christi sanctam Ecclesiam non periculi vel mali sub talibus pronubis et sodalibus sponsi passam arbitremur? irruentibus nimirum ad eam passim, et ut dictum est, aliunde ascendentibus quibuslibet, vel pecuniosis jam ad omne vitium exercitatis, vel a descendentibus nobilibus ad omne vitium carnis; ad quos monendos vel arguendos si quilibet accessisset, velut a tribulis et spinis convulsus et dilaceratus abisset. Tales namque ad sponsæ Domini castitatem, nemine prohibente, libere irruerunt, non ut fratri defuncto semen suscitarent, sed ut suæ vesaniæ cæcas cupiditates explerent. Quis ad ejusmodi arguendos prosiliret, quos et imperialis tuebatur auctoritas, divitiarum quoque facultas et amicorum, vel cognatorum potentia, clientum officiositas et multitudo similium defendebat? Unde a capite, imperatore videlicet, non bene sano, et a pontificibus lepræ hujus contagio maculatis per totum fere cleri corpus pestis se diffuderat. Nam, dum episcopus episcopatum marcarum aliquot centenariis coemisset; quam non ipse sibi subjectam dignitatem ad resarciendum damnum suum venderet? Sic ergo ab eo abbates, præpositi, archipresbyteri, archidiacones et presbyteri constituti: quid non et ipsi ecclesiasticarum administrationum usque ad sepulturæ locum et officium venale haberent? quatenus et ipsi vel divitias cumularent, vel saltem marsupia exinanita replerent?

Parum vero dixi, vel ad gratiam, vel ad pecuniæ, aut obsequii exhibitionem honores ecclesiasticos laica manu fuisse adolescentibus collatos: quin insuper ad impietatis et miseriarum augmentum hi facilius eosdem consequebantur honores, qui opinatissimi in flagitiis exstitissent, et hoc maxime Heinrico IV imperium tenente; qui et ipse omnes usque ad sua tempora reges vel augustos, imo ut credi potest, omnes homines in flagitiis præibat. Nam secundum quod dictum est Joanni in sua Apocalypsi, divini concessione judicii: *Qui nocet, noceat adhuc; et qui in sordibus est, sordescat adhuc* (*Apoc.* XXII, 11). Ego cum hujus hominis sordes mente aversa recolo, quas publicus abhorret auditus; id, quod dictum est, *sordescat adhuc*, id est ultra, vel amplius; in hoc homine finaliter completum existimem: cui in sordibus parem, ne dicam superiorem inveniri posse, non putaverim. Nam, si mihi recolas Jovem adulterum, si Neronem spurcum simul et facinorosum, si Maximinum, et ipsum simul crudelem et flagitiosum; ego adhuc isti in flagitiis palmam dederim: qui et æqualis eis, aut etiam superior in flagitiis esse potuit, et in augmentum sceleris eadem flagitia sub titulo Christianitatis peregit. Nam *si inimicus meus*, ait Propheta in persona Domini, *maledixisset mihi*, verbi gratia Judæus, vel paganus; *sustinuissem utique. Tu vero*, Christiane, *homo unanimis dux meus, et notus meus* (*Psal.* LIV, 13, 14), sub-

A auditur, mala mihi inferendo, non eris sustinendus.

Erat in ejus contubernio impudicorum grex ex clericis et laicis illustrioris prosapiæ congregatus. Erat ei item adunata juvencularum et matronarum tanta multitudo, quantam nec sine querela regiæ domus mansio vel profectio sustinere potuisset; quarum tamen pleræque a propriis viris abstractæ, invitæ et captivæ ad opus nefarium ducebantur. Per horum commistionem, præter quotidianas spurcitias diabolo vespere et mane et meridie sacrificatas cum Beelphegor Deo suo solemnius sacrificare voluisset; in propria ejus *caminata* in unum coire faciebat, ipse medius eorum in sacris nefandis consistens, ut et luminibus, ut dicitur, exstin- B ctis, quantum valuit, arte procurarit: ut frater cum sorore, vel quilibet proximi sanguinis, qui se in tenebris dignoscere non poterant, convenirent. Dumque omnibus viris moris, ac pene naturale sit, proprias celare conjuges, ne cum alienis conveniant, ipse e contra, suam, quæ ei fuerat, forma et nobilitate, ac morum honestate decenter dicam an indecenter sociata, cum ei ex nutu, vel significatione dæmonum id placuisset, in publico illo impudicorum conventu, more scenico prostituit. Unde aliquando contigit, ut illa suæ illusionis tempus præsciens, pariter et locum, implorato civitatis, in qua res agebatur, episcopi Dei zelum habentis auxilio, armata manu, exemplo C Phinees sacerdotis, de medio impudicorum eriperetur, ubi, ut fertur, nexibus quoque ad opus nefarium aptata inventa est.

CAPUT XI.

Abominationes maximæ.

Et quia de abominatione desolationis in loco sancto statura loquimur, abominandi non erimus, si adhuc loquamur abominationes majores his. Nox erat sacrosancta natalis Domini, in qua solemnes agere, ut notum est, vigilias, interpositis quoque missarum solemniis, universa Christi consuevit Ecclesia. In hac ei solemnes agere diabolo vigilias, Christianis vigiliis omnino contrarias ex dæmonum haud dubie suasu complacuit; in quibus et sacrificium Christiano sacrificio penitus con- D trarium loco missæ inseruit. Aderat ibi impudicorum grex ex clericis et laicis adunatus, singulis, ut fertur, psalmis et lectionibus scorta interserens. Ubi vero ad missæ et sacrificii locum ventum est, omnia inverse et perverse, ac sanctitati contraria gerebantur. Ita ut pro osculis, sacerdos profanus et ministri sacrilegi, altare, posteriore corporis parte nudata, contingerent. Quæ ibi spurcæ delibationes oblatæ sint, parco dicere, ne dicentem lector una cum sacrificio detestetur. Omnia tamen feruntur spermate humano fuisse fœdata. Vidi ego ipse episcopalem illam capellam in civitate Ratisbona pro tali sacrificio merito profanatam.

Et quid de hoc omnium flagitiosorum præposito

existimem, nisi Beelphegor per ipsum esse consummatum, cui, ut legitur, quondam filii Israel in deserto cum filiabus Madian sunt initiati (*Num.* xxv, 6; *Psal.* cv, 28). Nam, quamvis omnia hæc, et plura his, quantum fieri poterat, abscondite agebantur, per eas tamen matronas, quæ invitæ et captivæ adhibebantur sacris nefariis; perque uxoris propriæ publicas tandem querimonias detecta sunt. Etenim post unius uxoris obitum, ex qua et liberos, adhuc circa principia regni sui, ut fertur, honestior honeste susceperat; quam Dominus a facie hujus iniquitatis gementem et dolentem misericorditer abstulit; aliam regis Ruteni filiam nomine Gisilam matrimonio hujus mysterii iniquitatis ignaram accepit. Quæ ut impietatis cultum primo in aliis, eamdemque in semetipsa per impudicos admissos experta est; post muliebris verecundiæ aliquandiu servata silentia; quando jam patientiam matronalem vicit magnitudo scelerum; primo fidelibus Christo episcopis et sacerdotibus rem pandit, fugæque ac separationis occultæ opportunitatem quæritat.

Instabat inter hæc regia profectio, Cisalpinis partibus in Longobardiam destinata, quo et reginæ commeatus ab imperatore quærebatur. Dumque illa pro causis quidem secretioribus, obtensa vero, ut erat, infirmitate, laborem viæ detrectaret; episcopi vero reginæ, ut erat regi placitum, profectionem suaderent; illa inter cætera dixisse perhibetur: justo se mœrore contabescere, viamque merito detrectare; quæ a proprio marito ita prostituta sit, ut scire non possit, ex quo prolem conceperit. Profecta tamen est, et in ipsa via quorumdam Deum timentium auxilio fugam arripuit. Dumque, ut poterat, delitesceret, missis ad episcopos Germaniæ litteris, causas fugæ ac separationis publica manifestat querimonia: sicque iniquitatis mysterium, quod prius dicebatur in tenebris, cœpit in luce et publice dici, quantum tamen publicus auditus poterat admittere. Regina vero in proprio et mariti videlicet dimissi regno latendi securitatem non inveniens, primo ad Ungaricum regnum, ubi quosdam parentes habebat, fuga devenit. Dumque inde eam imperator, missis nuntiis, retrahere destinasset, in Ruteniam, ad patrium videlicet regnum, repedavit, ubi reliquum vitæ tempus in sancta viduitate peregit.

Rex vero et ipse in suæ obscenitatis et impietatis nequitia perseveravit, venditans episcopatus, et quibuslibet turpibus, nonnunquam ob ipsius turpitudinis pretium ecclesiasticos largiens honores; ita ut in stratis quoque lectulorum inter scorta, et inter ipsos turpitudinum socios ac socias lasciviens, dicatur cuidam episcopatus investituram per annulum, ut erat turpis, turpissimo schemate non dicendo porrexisse. Quam rem, vel similem, ei quidam scholastice tunc temporis subsannans, irrisit hoc modo:

Abbatissarum reginarumque subactor
Propter adulterium sumpsit episcopium.
Mundi Roma caput si non ulciscitur illud;
Quæ caput orbis erat; cauda sit. et vereat (173).

CAPUT XII.

De civitate Gabaa, et uxore Israelitæ constuprcta, adaptatio ad illius temporis statum.

Eo in tempore miserrimus erat status et facies Ecclesiæ, ita ut non facile occurrat, cui loco Scripturarum decenter possit assimilari (*Jud.* xix). Venit tamen in mentem de uxore Israelitæ temporibus Judicum a viris civitatis Gabaa usque ad mortem tota nocte illusa. Quam vir suus mane in limine domus protensis manibus mortuam inveniens, ac domum asino impositam revehens, in duodecim frusta concidit (*Jud.* xx, 6); sicque missis partibus in duodecim tribus Israel, omnes ad miserationem, et vindictæ zelum commovit. Pro qua re et ab universis in unum congregatis acriter semel et secundo cum multa suorum strage pro justitia contra viros urbis Gabaa ex præcepto Domini dimicatum est. Tandemque tertio congressu obtenta victoria; ita ut universi viri civitatis Gabaa cum fratribus suis Benjaminæ tribus viris deleti sint, quorum et civitates everterunt, mulieribus simul et parvulis exstinctis; ita ut ad reparandam tribum reliquiæ vix repertæ sint.

Quæ enim est hæc mulier, dimisso patre, Israelitæ sociata, nisi sancta Ecclesia, relicto patre diabolo vel mundo, Christo in conjugium copulata? Quæ toties, viro deserto, ad Patrem regreditur, quoties Ecclesia, refrigescente in se charitate Christi, huic mundo vel principi ejus diabolo, infidelitatis, vel pravæ conversationis contubernio sociatur; sed eam vir suus Christus toties revocat, quoties per ora pastorum et doctorum, suique spiritus infusione dilectionis suæ in ea calorem resuscitat, tale quid blande dicens ei: *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et concupiscet rex speciem tuam* (*Psal.* xliv, 12). Sed, dum in hac vita inter superbos ac pestilentes homines Ecclesia graditur, eorumdem superborum ac pestilentium, tanquam virorum civitatis Gabaa, quod interpretatur, *sublimis*, perversæ doctrinæ vel morum pravitate corrumpitur. Quod cum multoties Ecclesia ab iniquis et pravis hominibus passa sit, nunquam, ut mihi videtur, fœdius corruptioni subjacuit, quam modo, cum ex Simoniacorum caterva, laxatis habenis, ad ejus castitatem suas cupiditates expletura irrupit. Denique sicut de naviculis evangelicis scribitur, *quoniam impletæ sunt, ita ut pene mergerentur* (*Luc.* v, 7); non quod mersæ sint, sed quod ad mersionem usque periclitatæ. Ita et de Ecclesia dicere possumus, quod ejus modo corruptoribus tota ei nocte, hora videlicet tenebrarum, illudentibus, mortua; id est, morti proxima effecta est. Imo vero et in pluribus Ecclesiis vitalis sacramentorum calor, ex

(173) Recitat hos versus Aventinus lib. v Annal. Boiorum.

quo vitam habere poterant, penitus exstinctus est: quomodo et ignis altaris Domini, qui per tot annos captivitatis Babylonicæ servatus fuerat, Jasone ac Menelao ementibus sacerdotium, fuisse perhibetur exstinctus.

CAPUT XIII.

De Gregorio VII, et ejus optimo zelo.

Nunc vir mulieris hujus Christus per suum vicarium, Petri successorem, Gregorium VII, tunc Romæ urbis episcopum quid gesserit, qualemve pro uxoris adulteratæ morte zelum ostenderit, tacendum non arbitror. Dignum est enim temporis illius luctuosam tragœdiam, certamenque Ecclesiæ contra pravorum pervicaciam, in notitiam extendi futurorum. Enimvero jam dictus papa Gregorius VII, septiformis Spiritus gratia donatus, post multas et fortes commonitiones, jam dicto imperatori, ejusque consiliariis per nuntios ac litteras directas (174) mandavit, quatenus vitæ propriæ enormes excessus corrigeret: præcipue vero, ut ab honoribus ecclesiasticis, quos venditabat, cuiquam conferendis, penitus abstineret, quippe quod ejus officii non esset: cum regum non sit ecclesiasticas, sed laicas tantum dispensare dignitates, ad episcopalem vero apicem, vitæ meritis et electione cleri præcedente, per episcopalis manus impositionem veniendum, sicut prædecessor quoque ejus papa Nicolaus strenue cœperat, Ecclesias et ecclesiastica officia, eorumque ordinationes sacerdotibus et ecclesiasticis personis vindicare.

Post multas igitur, perquam fortes admonitiones, gravesque correptiones, post fomenta blandæ instructionis et exhortationis adhibita, cum nihil his omnibus profecisset, ferro tandem præcisionis usus est, tradens ejusmodi *Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus* fieret *in die Domini* (*I Cor.* v, 5). Itaque dicente Domino: *Non veni pacem mittere, sed gladium* (*Matth.* x, 34), misit et ipse, velut alter Machabæus, gladium quo, etsi non corrigeret, saltem perturbaret iniquos; ne forte gladio verbi Dei parcens, tacendo consensisse videretur et libere grassaretur iniquitas. Quam vero non præceps, aut levis, imo vero modestus in danda in eum excommunicationis sententia idem Gregorius papa VII exstiterit, ipsius testatur apologetica epistola, episcopis ac principibus aliisque fidelibus in regno Teutonico constitutis directa, quam et huic opusculo nostro non superfluum duximus inserere.

« Post epistolam hæc subdit et pertexit Gerhohus. » Ita modeste simul et strenue Gregorius officio suo contra Heinrici IV pravitatem usus est, quemadmodum epistola ejus apologetica præscripta docet. Quemadmodum vero de Pharaone scriptum est: *Quoniam induratum est cor ejus* (*Exod.* iv, 21; viii, 19): et alia Scriptura dicit de Leviathan: *Cor ejus induratur quasi lapis, et stringitur quasi malleatoris incus; et quia non fugabit eum vir sagittarius, in stipulam versi sunt ei lapides fundæ* (*Job.* xli, 15). Ita et ille fortis fractus, ut corriperetur a Domino, verbi Dei gladium, plagamque suam, qua plagatus est, in nihilum reputans, non solum ad pœnitentiam contristatus non est, sed ab unitate corporis præcisus, foris, quasi aliam fabricare Ecclesiam molitus est.

CAPUT XIV.

Wigwertus superponitur Gregorio.

Unde quasi papam alium Wigbertum quemdam Gregorio superponens, eumque Clementem nominans, idolum potius erexisse, quam papam ordinasse æstimandus est. Nam, qui post unum secundus esse voluerit, jam non secundus, sed nullus erit. Hoc igitur simulacro, non papa, in civitate Brixina, ubi idem jam non dicendus rex, sed tyrannus natale fecerat, erecto, ad urbem Romam tendit, indeque proturbato Gregorio summo pontifice, hunc suum, non papam sed simulacrum, in sede beati Petri collocavit (175). Gregorius vero exsulans in regnum devenit Franciæ, indeque litteris directis, fideles quos novit Ecclesiæ, contra iniquitatem roborat, commonens, ne communicando schismati catholicæ pacis unitatem ac sanctitatem commacularent. Heinricus vero jam non rex, sed tyrannus, episcopos, aliosque fideles Ecclesiæ suæ parti non communicantes, de propriis sedibus proturbat, eisque alios non episcopos, sed schismaticos et hæreticos superponit, vixque in regno suo episcopatus inveniebatur, in quo dualitatis hujus scissura non esset. Hinc jam cædes, hinc membrorum in laicis et clericis truncationes et oculorum effossiones; hinc publicæ civium contra cives congressiones, aliis pro pastoribus legitimis; aliis vero contra pastores dimicantibus. Ex eo tempore, a multis fidelibus ac prudentibus impletum, atque impleri acceptum creditur; quod in Apocalypsi Joannis sic prophetatum est: *Cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo; et exibit et seducet gentes multas, quæ sunt supra quatuor angulos terræ, Gog, et Magog*, etc. (*Apoc.* xx, 7).

Usque ad illud namque tempus per angelum magni consilii idem Satanas, sicut ibidem in præcedentibus dicitur; in abysso nimirum cordium iniquorum ac profundæ suæ malitiæ catena magna ligatus fuerat et clausum erat atque signatum super eum per annos mille, ut non seduceret amplius gentes, donec consummarentur mille anni. Nam post hæc, ut ait eadem Scriptura, *oportet eum solvi modico tempore* (*ibid.*). At eo tempore, quo diabolus per jam dictum, et adhuc dicendum regem Heinricum quasi solutus, imo vere solutus, tyrannizare cœpit; jam mille anni a Dominica passione transierant, quod diabolus, ut jam dictum est, in carcerem missus fuerat, et signatum super eum est: ex eo namque dualitas illa cœpit papatus, et discordia inter sacerdotium et regnum, quæ profecto multum pro-

(174) In ms. desideratur.

(175) Hæc eadem verbatim ferme leguntur in Chronico Reicherspergensi nuper a D. Gewoldo evulgato ad annum 1080.

fecerunt ad solutionem Satanæ. Quandiu enim sacerdotium per unitatis bonum, et religionis cultum in suo vigore stabat lucens et ardens, regnum quoque, quandiu cooperabatur sacerdotio, in bono viguit, timori existens non boni operis, sed mali. Duobus his luminaribus, Satanas et ministri ejus mali homines, tanquam bestiæ ex præsentia Dei, intra sua latibula tenebantur inclusi. Et quo vero duo hæc luminaria etiam invicem turbata sunt, et in religionis cultu tepuerunt; ex quo, quasi papa contra papam stetit, hoc solvere tentans, quod ille ligarat, et e converso; ex quo per Simoniæ malum et incontinentiæ pravitatem lino fumiganti sacerdotium simile factum est; si quidem et ipsum existens in pluribus timori non mali operis, sed boni, dum episcopus quicunque rarus, volens clerum suum corrigere, timore Romanæ, quemadmodum dicunt curiæ, non auderet, quippe qui apud et iniquam suffragium per pecuniam invenirent, ex eo solutus est Satanas, si quidem *facta est nox, in qua pertransierunt omnes bestiæ silvæ, catuli leonum rugientes, ut rapiant, et quærant a Deo escam sibi* (*Psal.* CIII, 21), quodam nimirum colore pietatis causam suam fucantes, ut id, quod nequiter et bestialiter agunt, Deo auctore, agere videantur, hoc est, ut quærant a Deo escam sibi, etc.

Et hæc mihi maxime videntur esse causæ, quibus solutus est Satanas, dum principes sive ecclesiastici sive sæculares timori esse cœperunt non mali operis, sed boni, et honores ecclesiastici flagitiosis deferri ac venales haberi, et illa diutina et implacabilis dissensio sacerdotii et regni, per quam et sacerdotium una cum Ecclesia scissum est, quamvis Ecclesia nisi una, et sacerdotium nisi unum esse non possit.

Sed faciat Dominus juxta promissum suum, ut solutio illa Satanæ modico duret tempore, *oportet enim*, inquit, *eum solvi modico tempore* (*Apoc.* XX, 3). Nisi enim *breviati fuerint dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos*, ait, *breviabuntur dies illi* (*Job* XVII, 1) : Satis sit jam per septuaginta fere annos Ecclesiam Christi in illius temporis tenebris laborasse, quibus solutus est Satanas, in quibus et pertranseunt omnes bestiæ silvæ, catuli leonum rugientes, ut rapiant et quærant a Deo escam sibi : oriatur nunc sol, sicut consequenter scriptum est : Et congregentur hæ bestiæ, atque in cubilibus suis collocentur, et exeat homo ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperam, dicatque : *Quam magnificata sunt opera tua, Domine, omnia in sapientia fecisti*, etc. (*Psal.* XCI, 6). Nunc, unde digressi sumus, redeamus, idque quod reliquum est tyrannidis Henricis annotemus.

CAPUT XV.

De Heinrici IV ab imperio dejectione, et Rudolphi atque Hermanni substitutione simul et occisione.

Videntes namque fideles Heinricum sub nomine regis contra Ecclesiam Christi tyrannidem agere, idque malum augeri in dies, usi papæ Gregorii con- A silio, in unum conveniunt, Heinrici tyrannidi obviare cupientes, ante posito sane firmissimo pacto, ne unquam sibi idem Rudolphus in ecclesiasticis dignitatibus ordinandis, ullam potestatem vindicaret. Quo comperto, Heinricus non jam rex, sed tyrannus, copiis instructis, contra eumdem Rudolphum regem bello se parat. Cui et Rudolphus rex occurrit in manu valida, Saxonum maxime fretus auxiliis, commissaque pugna prope fluvium Unstruth in loco, qui Welfesholz dicitur : Ubi hinc inde multorum facta strage, contigit quo, Deus novit, judicio, illum in bello ruere, qui pro Ecclesia Christi atque justitia bellum inierat.

At Rudolpho occiso, non multo post tempore, fideles Ecclesiæ, alium ex principibus Hermannum B nomine in regem eligunt; qui et ipse non unius integri anni spatio regno potitus, a fautoribus Heinrici per insidias occisus est; ut similitudo quoque certaminis, quam supra de muliere constuprata intulimus, in Ecclesiæ certamine non deesset (*Jud.* XX, 5). Sicut enim illic adversarii æquitatis bis superiores effecti sunt, ita et in hoc certamine duobus regibus in defensione justitiæ occisis, bis adversarii victoria potiti sunt. Si vero et mulieris in frusta concisæ in præsenti causa similitudo quæritur : hoc fuerit legitimo viro Christo, vel ejus vicario, verbi causa, Gregorio VII, mulierem ex bono zelo in frusta concidisse, conscissam per schismaticos et dilaceratam Ecclesiam demonstrasse, qua- C tenus fidelium animos ad vindictam tanti sceleris, per concisionis demonstrationem provocaret. Eo sane locutionis genere dici potest mulierem conscindere, hoc esse conscissam demonstrare. Quoniam et Dominus ad Abraham loquens, *nunc*, inquit, *cognovi*, hoc est cognitum feci, *quod timeas Dominum* (*Gen.* XXII, 12). Qui videlicet locutionis modus, efficiens pro effectu, vel e converso, ponens, apud grammaticos metonymia dici solet.

CAPUT XVI.

Victor papa Gregorio : Victori Urbanus succedit.

Interim sane dum hæc circa Rudolphum et Hermannum reges geruntur, decedente in exsilio Gregorio VII, substituitur Victor; Victori quoque Urbanus succedit; adhuc in urbe Roma Wigberto, quem D Clementem dixerant, Petri sedem occupante. Hic videlicet Urbanus, sicut in dignitate, ita quoque in virtute Gregorii VII, imo et ipsius Petri legitimum se successorem exhibuit. Hujus in tempore Franci, per ejus exhortationem provocati, civitatem Jerosolymam, locum videlicet sepulcri Domini, de manu paganorum virtute potenti, angelorum quoque visibili ministerio adjuti eripiunt, sicut proprius inde contextus libellus edocet. In qua etiam civitate, per clerum eodem commigrantem, vitæ communis ea formula refloruit, quæ primitus per apostolos ibidem cœpta dignoscitur judicantibus eis nimirum justissime non aliam se illi civitatem debere normam vivendi inducere, quam quæ primæ institutionis apostolicæ fundamentis congrueret. Hæc siquidem

plantatio legitimi germinis in civitate illa sancta resuscitata palmites suos inde jam late extendit, bonorum cordium glebis id facile ac libenter recipientibus; quod primitus ab ipsa dextra Domini in propriæ coloniæ agello plantatum sit. Persecutio quoque huic bono cooperata est. Nam dum a civitatibus meliores clerici, eo quod excommunicato principi, ejusque fautoribus et communicatoribus suam subtraherent communionem, pellerentur : in silvis ac suburbanis agellis cohabitantes, ubi eos, quibus Deus inspiravit, fideles ac potentes quidam tutati sunt, ea cœperunt conversationis norma degere, quam Christo, pro quo et persecutionem sustinebant, maxime complacitam agnovissent. Sicque in clero et in monachatu apostolicæ institutionis vita, quæ primo in desertis ac silvosis locis reviruit, paulatim etiam antiqua et suburbana cœnobia revisit, ejectis inde malis colonis, vel in melius commutatis, sicut scriptum est : *Pinguescent speciosa deserti, et exsultatione colles accingentur* (*Psal.* LXIV, 13). Alia quoque Scriptura dicit : *et vineam suam locabit aliis agricolis* (*Matth.* XXI, 41).

Eodem quoque tempore canones antiqui de continentia ministrorum sacri altaris innovari, novis accedentibus præceptis, cœperunt, alioquin incontinenter viventium. Simoniacorum quoque et conductitiorum missas audire populo indubitanter scienti prohibitum tribus his Romanis pontificibus, Nicolao, Gregorio atque isto, de quo loquimur, Urbano, eadem successive quasi uno ore contestantibus atque præcipientibus, quatenus in ore duorum vel trium testium staret omne verbum. Et Urbano quidem contigit, ut in manus adversariorum fraudulenter adductus, in una turrium urbis Romæ aliquandiu captivus teneretur.

CAPUT XVII.

Rudbertus papam liberat.

Sed inde eum divina clementia eripuit per manum Rudberti, cognomento Guiscardi, magna regione Urbis incendio conflagrata, turrique interim expugnata, dum populus ad incendia festinans illic occupatus teneretur. Itaque, Domino cooperante, liberatus in Franciam rediit, ibique confidenter agens quæ apostolici erant officii, in Heinricum excommunicationis sententiam renovat; litteris et legationibus fideles ad standum et agendum pro Ecclesia confortat. Ipsos namque Francigenas inter se pro terris ac terrenis litigantes ad pacem revocat, suadens eis, et Urbano inter eos ore perorans ut, si eis otium displiceret ac terra propria angusta videretur, ad terras Orientis contenderent, ibique pro receptione sanctæ civitatis ac sepulcri Domini de manu gentilium ereptione satagerent : ubi eis aut gloriose, Domino dante, triumphare contingeret, aut gloriosius esset mori pro Christo, felicesque fore, qui aut Christo vincerent, aut pro Christo morerentur. Et verbum ejus ad victoriam pervenit, *Domino cooperante*, et sermonem effectui mancipante, *sequentibus signis* (*Marc.* XVI, 20); et adjuvantibus virtutibus angelicis, atque ut supra dictum est, visibiliter præsentiam suam exhibentibus.

In Urbe vero Guibertus, quem Clementem dicebant, satis agebat pro sectæ suæ pariter ac Heinricianæ tyrannidis principatu, exhibens nimirum seipsum veram abominationis desolationem, de qua nobis nunc sermo est, stantem in loco sancto, in sede videlicet beati Petri, simulacrum pontificis residens abominandum. Super qua re quidam dialogi specie scholastice lusit verbis amborum alternantibus hoc modo (176) :

Diceris Urbanus, cum sis projectus ab Urbe :
Vel muta nomen, vel regrediaris in Urbem.

Item :

Nomen habes Clemens, sed clemens non potes esse,
Cum tibi solvendi sit tradita nulla potestas.

CAPUT XVIII.

Henricus levatur in regem contra patrem.

Interea quam plurimis ex principibus, aliisque viris virtutis sententiam excommunicationis formidantibus, et cum Ecclesia ac pro Ecclesia sentientibus, Urbani quoque papæ hortatu accedente, complacuit, quatenus Heinricum filium Heinrici levarent in regem, sperantes se per filium legitime regnantem posse patris tyrannidi resistere; quod et factum est. Levato sane filio in regem et in civitatem Ratisponam tendenti, pater cum multitudine armatorum, duce Boemico et marchione superioris Pannoniæ ipsi auxilium ferentibus, occurrit; sed pugnæ congressus fluvio, qui Regin dicitur, interceptus est. Dum vero mora interponitur, principes jam dicti, quibusdam sponsionibus acceptis de [illegible] patris ad filium accedunt. Atque ex tunc pater [illegible]ricus fugabatur, impingebatur, minuebatur, [illegible] principum penitus destitutus auxilio, filio ta[illegible] preces atque supplicationes porrigeret, quaten[us] private vivendi securitas concederetur : factu[m] est ut in celebri quoque curia coronam imperial[em] resignaret, petens ab excommunicatione, qua tenebatur, absolvi, et ecclesiasticæ communioni restitui. Sed petitionis effectum consecutus non est, timentibus nimirum et caventibus catholicis; ne forte absolutus aliqua Ecclesiæ vel imperio contraria moliretur. Unde et absque communione servatur in quodam castro, in tantum abominabilis effectus, ut reliquias ciborum ejus pro communione videlicet Ecclesiæ conservanda, etiam *garziones* et minimi pueri non contingerent, sed canibus, ipso vidente, projicerent.

Testatur hæc epistola ab eo ad principes missa, de ipsa, qua tenebatur custodia, in qua et hoc inter cætera lamentando conqueritur, « quod in sancta natalis Domini nocte, omnibus Christianis ad ecclesias festinantibus, et sacra mysteria participanti-

(176) Citat. Avent. lib. V.

bus, Christus, qui omnibus ad salutem est natus, sibi soli sit negatus; » justo equidem Dei judicio. Nam, qui multos episcopos et sacerdotes propriis sedibus expulerat, juste etiam ipse regno privatus est, et qui alios injuste in vincula conjecerat, vinctus et custodiæ mancipatus est; et, qui sacra mysteria sanctissima natalis Dominici nocte polluerat, justissime et ipse eorumdem mysteriorum indignus et expers habitus est. Et pœnitentia illius qualis exstiterit, Dominus viderit. Absque communione vero Ecclesiæ vitam finivit.

CAPUT XIX.

De Heinrico V, et ejus tyrannide.

Filius itaque confirmatus in regno, primo modeste agere, affabilem se exhibere, jura ecclesiasticæ libertati conservare. At simulata pro affectato regno et imperio pietas, velut auri superinducti species, ubi paululum usu dominandi detrita est, cœpit apparere, qualis apud se intus fuerit. Qualem vero se in causis sæculi exhibuerit, dicere nihil nostra interest; sed, in causis Ecclesiæ qualis detectus sit, perstringere, non abs re arbitramur, si forte abominationem desolationis in loco sancto stantem, de qua nobis inquisitio est, etiam in ejus actibus invenire valeamus.

CAPUT XX.

Wicbertus abjicitur.

Interim dum inter duos Heinricos patrem et filium hæc, quæ dicta sunt, geruntur, deturbato et abjecto ex consensu Heinrici junioris, Wicberto, qui Clemens dicebatur, Urbanus papa ad Urbem rediit; quo et ipso diem obeunte, Paschalis (II) successit, optimus et ipse legis Dei ac paternarum traditionum, seu libertatis ecclesiasticæ æmulator existens. At vero et Heinricus rex per abrupta paterni callis ingrediens, regno et imperio suo maximum detrimentum reputabat, si episcopatuum investituras liberas, sicut in sua sublimatione promiserat, permisisset: omnem videlicet gloriam regni sui, velut alter Aman, nihili reputans, nisi Mardochæus, ordo scilicet sacerdotalis, curam agens Ecclesiæ, sponsæ regalis, ei, pro adipiscendis honoribus ecclesiasticis, flecteret genu.

CAPUT XXI.

Heinricus V sacerdotalia sibi usurpat.

Cœpit igitur et ipse, obeuntibus episcopis, electiones legitimas in substituendis aliis vel prævenire, vel factas nihili pendere, episcopatus ad gratiam personarum, ad pecuniæ quoque vel obsequii acceptionem conferre. Dumque ad eum Paschalis papa paterna monita dirigeret, quibus eum ad viam revocabat, quatenus, justitia regni sui contentus, pontificalia sibi non usurparet, Ecclesiæ Dei, matri videlicet suæ, honorem deferret, libertatem ejus, quam in eligendis sacerdotibus habere deberet, non temeraret. Bona verba, et quæ rationabilia videri poterant, reddidit, nisi sub lingua ejus labor et do-

A lor latuissent. Dixit namque et scripsit ad electionis episcopalis concedendam libertatem, ad investituras etiam resignandas, ad decimas quoque remittendas Ecclesiis, paratum se esse, si quidem domnus apostolicus omnia regalia, videlicet ducatus, marchias, comitatus, dominia cum beneficiis, monetas, teloneas, munitiones per universum regnum suum imperio reddere voluisset.

Hæc sane promittens sciebat non consensum iri ab episcopis præcipue Germaniæ et Galliæ atque Saxoniæ, multas regales divitias et honores, ex antiqua regum et imperatorum donatione possidentibus; sed per promissa speciem quamdam pietatis habentia, ad perceptionem imperialis coronæ per benedictionem Romani pontificis imponendæ nitebatur; B domnus papa quoque, his promissionibus acceptis, rescripsit ei, qualia postulaverat, de impositione videlicet imperialis coronæ et restitutione omnium regalium, si quidem rex promissa sua de Ecclesiæ libertate compleret. Et hæc paucis arbitris inter regem et Romanum pontificem gerebantur, nimirum episcopis (solo cancellario imperatoris excepto) aliisque Ecclesiæ et imperii principibus promissa hinc inde facta penitus ignorantibus. Igitur talibus hinc inde promissis datis et acceptis rex cum multo episcoporum aliorumque principum comitatu ad Urbem tendit; quam et veniens ingreditur præstitis ante juramentis, ac data fide, de pace Romano pontifici atque Urbi integre conservanda. C

CAPUT XXII.

Paschalis papa a rege Heinrico captivatur.

Jamque ventum erat in medium ecclesiæ Beati Petri, ubi de justitiis hinc inde conservandis, ac tenore concordiæ inter sacerdotium et regnum tractare convenit, cum sellis hinc inde prolatis consessum est, circumstante confertim corona armatorum. Proferuntur in medium litteræ de parte imperatoris ad Romanum pontificem directæ, et quæsitum per cancellarium domni papæ a domno imperatore ejusque cancellario, an eas suas, et a se missas recognoscerent (177)? Cumque responsum fuisset ab eis, et eædem in palam litteræ lectæ sunt, promissa domni regis ad domnum papam continentes. D Similiter et ex parte domni regis, litteris, quæ a domno papa directæ fuerant, in medium prolatis, quæsitum et responsum est; itemque litteræ in publico recitatæ, quæ domni papæ ad domnum regem promissa continebant. Dumque promissa eatenus inaudita episcoporum aures percellerent, cognoscentes se et Ecclesias suas occasione imperialis coronæ regis capiti imponendæ spoliandos antiquis possessionibus; quasi ex uno ore contradicebant, aientes se regi coronam imperialem tanto suarum Ecclesiarum detrimento emere nolle. Cumque et armati circumstantes eos minis ac terroribus perurgerent, quasi jam interficiendos, nisi conser sis

(177) Lege Baron. Tom. XII. Ann. 1100 et 1101.

sent, Chuonradus Juvavensis archiepiscopus, etiam caput potius amputandum porrexit, quam ut ad ea quæ petebantur, consensum præberet. Et dum clamor hinc inde confusus aliquandiu percrebuisset, rex cum indignatione et motu animi surgens abire cœpit. Sed et domnus papa, ex præcepto militum cum rege et post regem abire compulsus est.

Hinc prædo grassatur, hinc cædes civium Romanorum pro pastore suo, quem liberare cupiebant, morientium; captivi quoque domni cardinales trahuntur, aliusque clerus intra ambitum ecclesiæ Beati Petri inventus. Omnia siquidem ostia ecclesiæ observata [obserata] fuerant, ne quis libere effugere potuisset. Episcopi videntes quæ fiebant, gemere ac facinus detestari, sacrilegium clamitare. Multa vero et inenarrabili cæde in cives perpetrata, rex abit, et domnus papa Paschalis cum eo, sed coactus ab alio et ductus quo nolebat. Erat videre miseriam. Cardinales aliique clerici tenere educati funibus trahebantur ab equitibus, quos illi, ut poterant, sequebantur per plateas, luto profundo ac tenaci vix emergentes. Dumque pedites equitibus coambulare non possent, hastis transversis eorum dorsum et latera pungentes ad currendum cogebant, ita ut aliqui inter manus trahentium vitam exhalarent. Qui vero supervixissent, hos per nocturna tempora vel saccis inclusos, vel catenis, aut aliis vinculis, ne fuga laberentur, astrictos servabant, donec forte eis per pecunias, quas vel per se, vel amicos habere poterant, extorsissent.

Nec mirum hoc de vivis, siquidem et cadavera, victis civibus, mortua pro captivis redimendis pleraque etiam pro pecuniæ pretio vinditaverant. Et papa quidem ducebatur ac servabatur in custodia. Honorabant vero eum nihilominus episcopi aliique timentes Deum. Ea sane intentione a rege ducebatur captivus, quatenus captivitatis fune benedictionem ei imperialem extorqueret, sicque una cum benedictione, vel investituras episcopatuum obtineret, vel regalia omnia ad imperium retraheret. *Non dimittam te*, inquiens [Jacob patriarcha], *nisi taliter benedixeris mihi* (*Gen.* XXXII, 26). Sed multum dissimilis ab illo, qui hæc prior dicebat. Nam ille humilitate, fletu ac precibus ab angelo benedictionem obtinuit; sicut de eo scriptum est: Quoniam in fortitudine sua directus est cum angelo, invaluit ad angelum, flevit et rogavit eum. Iste vero captivitate, minis ac terroribus, multisque sacrilegiis coronæ imperiali benedictionem dicam an maledictionem? qualiter desiderabat, extorsit. Et ille quidem, patriarcha videlicet Jacob, ab angelo benedictus marcido femoris nervo uno claudicabat pede; major videlicet in spiritualibus, in quibus per benedictionem excreverat, ac minor in temporalibus existens, quod proprium est claudicantis, ut uno pede fortior, altero infirmior incedat. Iste vero jam imperatoria benedictione percepta æqualem potestatem sibi in

A spiritualibus ac temporalibus vindicabat. Nam, spretis electionibus, is apud eum dignior cæteris episcopatus honore habitus est; qui ei vel familiarior exstitisset; vel plus obsequii, aut pecuniæ obtulisset.

Et obtinuerat quidem in ipsis tentoriis privilegium de retrahendis omnibus regalibus ad imperium, quale voluit ab ipso, quem mirantibus sæculis et indignantibus secum ducebat papam quasi suum captivum (178): ipso nimirum domno papa optime callido ac sciente privilegium, quod in tentoriis a captivo daretur, nullas vires habiturum. Pro qua re universi pene Franciæ episcopi concilium inierant, quatenus excommunicarent ipsum papam Paschalem, tanquam Ecclesiæ hostem et destructorem, nisi privilegium idem ipse, qui dedit B damnavisset. Quod et factum est. Nam idem Paschalis concilio residens, astipulantibus ei episcoporum multitudine cum domnis cardinalibus, idem privilegium, imo verius dicendum *pravilegium*, quod ei captivitate fuerat extortum, damnavit, omnibus regibus eo de privilegio ad dehonestandam, vel aperiandam Ecclesiam abutentibus, maledictionem pro benedictione inducens.

CAPUT XXIII.

Paschali Gelasius succedit: cui Burdinus a rege superponitur.

Non multo post tempore Paschali papa viam universæ carnis ingresso, Gelasius in pontificatu succedit, optimus et ipse legis Dei ac libertatis eccle- C siasticæ æmulator, cujus post ordinationem die quadragesimo Heinricus imperator Urbem ingressus, bestiam quamdam nomine Burdinum superintrusit, Gelasio papa ab Urbe deturbato (179). Iterum videre erat abominationem desolationis stantem in loco sancto, *filiumque perditionis in templo Dei*, quod est Ecclesia, sedentem, *seque super omne quod dicitur Deus aut quod colitur extollentem* (*II Thess.* II, 3); Gelasio papa exsulante et Burdino sedem beati Petri, imo vero et Christi sedem occupante. De quo, ejusque similibus jure dixerim quod super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, se extulerit. Si quidem non solum veris Christi sacerdotibus, de quibus a Domino dicitur; *ego dixi: Dii estis, et filii excelsi omnes* (*Psal.* LXXXVI, 6); sed et D Christo, præter quem alius non est Deus, se, qui ejusmodi sunt, præferre nituntur, dum ipso spreto et abjecto, qui verus Ecclesiæ sponsus est, ejus locum adulterino ausu pervadunt.

CAPUT XXIV.

Contentio inter regnum et sacerdotium.

Et Burdinus quidem sedem beati Petri occupans satis agebat pro iniquitatis complendo mysterio, Gelasius vero exsulans, quasi pater filium regem Heinricum ad correctionem invitat, quatenus videlicet Ecclesiæ in electionibus episcoporum suam libertatem dimitteret, et statuam, quam in sancto loco contra Deum crexerat, deponere festinaret. E

(178) Lege Baron., tom. XII, ann. 1111 et 1112.

(179) Anno Christi 1118. Lege Baronium hoc anno.

contra vero imperator obsistebat, dicens, aut velle se omnia regalia ad imperium retrahere, aut in episcopis constituendis consuetudinem antiquam retinere. Quod si placeret Ecclesiæ libera episcopos eligendi facultas, imperio, quæ sua sunt, redderent, et si libera electione potirentur. Episcopi sane ex regalibus divites contra nitebantur dicentes : Episcoporum electionem, secundum regulas canonum, omnino liberas esse debere : non esse autem æquum Ecclesias regales divitias aut honores perdere, quæ illis a regum liberalitate fuissent libere collatæ ; imo vero, parum esse aiebant, ut, quia sancti Dei martyres a regibus paganis non solum tormenta, sed et contumelias sustinuerint, nunc pro contumelia perpessa, gloria et honore a regibus sublimentur. Atque hujus rei, tam videlicet gloriæ, quam contumeliæ typum præcessisse aiunt in Joseph, qui de carcere regis Ægypti, quem inique perpessus est, in currum Pharaonis secundum sublimatus, regio insuper annulo decoratus sit ; idque esse, quod in Canticis canticorum sponsæ a sponso dicitur : *Equitatui meo, in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea* (*Cant.* I, 8). Nec vero, inquiunt, non idcirco non est amica et dilecta Christo Ecclesia, quod in curribus Pharaonis equitatui Christi in Joseph typice sublimati assimilata sit : sicut idem Joseph non idcirco dilectus Deo et hominibus patriarcha esse desiit, quod in curru Pharaonis consederit. Siquidem eum currus Pharaonis non obtrivit, vel exstinxit, aiunt, sed exaltavit. Sic ergo, inquiunt, et papa urbis Romæ Sylvester; non idcirco Deo et hominibus dilectus pontifex esse desiit; quod cum Constantinus Augustus regali equo et sellæ impositum regalibus quibusdam insuper insignibus decoravit (180). Cui ad honoris cumulum et ipse Constantinus tenens frenum per civitatem stratoris officium exhibuit. Unde usque hodie amborum, pii videlicet principis Constantini, itemque beati Sylvestri Romani pontificis memoria in benedictione est, et futuris semper debet esse temporibus.

Adjiciunt quoque et dicunt : hoc de Ecclesia sentiendum est, quod et in Christo Jesu. Nam sicut in Christo Jesu distincta inveniuntur tempora, passionis et gloriæ; passionis videlicet præteritæ, cum accepto aceto dixit : *Consummatum est* (*Joan.* XIX, 30); gloriæ vero incipientis apud homines ex quo resurgens a mortuis *constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum* (*Act.* X, 42). Unde et ipse resurgens a mortuis, ait : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* XXVIII, 18). Et Psalmista de ipso utrumque uno versu complectens : *Minuisti eum paulo minus ab angelis; gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus* (*Psal.* VIII, 6) : ita et in Ecclesia distincta inveniuntur passionis et gloriæ tempora. Nam tempora passionis ei exstiterunt, quæ et persecutionis, quando per

A imperatorum gentilium edicta crudelia, sanguis martyrum effusus est, usque ad tempora pii principis Constantini : cum videlicet Ecclesia gloriosa fuit apud Deum tantum, et non apud homines : ex tunc vero et ipsa gloria et honore ac divitiis regalibus aucta cœpit esse gloriosa non solum apud Deum, sed et apud homines, inclinatis nimirum ad eam regibus ac regnorum culminibus et sanctorum confessiones pro ignominia priore in ædificiis et prædiorum donationibus magnifice glorificantibus; inter quæ et regales ei quidam honores collati sunt, ut ipsi, sicut præmisimus, dici conveniat a sponso suo Christo; quod equitatui in curribus Pharaonis assimilata sit amica ejus.

Cujus rei typus, aiunt, in tribus quoque pueris
B et quarto socio eorum Daniele præcessit (*Dan.* III). Illi namque fornace Babyloniæ superata, inclyti postmodum apud regem habiti, et magistratus honore in provincia Babyloniæ functi sunt. Daniel quoque post regalium solutionem somniorum; post scripturæ, et in pariete aulæ regalis contra candelabrum scriptæ lectionem simul et interpretationem, et ipse torque aureo coronari, ac tertius in regno Balthasar haberi meruit, sicut in regno quoque Nabuchodonosor inclytus exstiterat (*Dan.* V) : ut in illis tribus videlicet pueris martyrum laborem et subsequentem gloriam, in Daniele vero sanctorum confessorum atque doctorum vigilantiam et ligatorum solvendi peritiam ; itemque sub-
C sequentem gloriam temporalem simul et æternam typice præfulsisse, manifestum sit. Horum etiam trium, id est martyrum atque confessionis, vel secretorum solvendi peritiæ, ac securæ pro utroque apud Deum et homines gloriæ, in uno Joseph typus manifestus præfulsit. Nam in typo martyrii innocens carcerem sustinuit; in typo confessionis vel doctrinæ somnia regis dissolvit : in typum gloriæ securæ, et ipse gloriosus, et post regem Pharaonem secundus in regno ejus habitus est. Igitur, aiunt, sicut in præmissis veteris instrumenti præfulsit imaginibus, indecens videri non debet, imo vero dignum et justum, sanctam Ecclesiam, pro consolatione laboris ignominiarumque præteritarum, non solum sumptibus adjuvari necessariis,
D sed regalibus quoque insuper honoribus atque divitiis, honorumque insignibus decorari. Hæc etsi tunc temporis omnia forte ab episcopis aliisque ex clero in defensionem ecclesiasticæ sublimitatis dicta non sunt, tamen secundum Scripturæ sanctæ auctoritatem dici potuerunt.

At vero, qui pro parte erant regis, sufficere, aiebant, ecclesiasticis debere decimas et oblationes liberas, id est nullo regali vel imperiali servitio obnoxias. Eas vero quæ sic Ecclesiis ab imperatoribus collatæ sint, ut regibus ab episcopis easdem possidentibus famulatus debeatur, oportere aut imperio restitui aut ab eorum possessoribus episcopis

(180) Vide edictum Constantini Magni.

consueta *hominia* ac servitia regibus exhiberi, A maxime præcipiente hoc Domino ac dicente: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo* (*Matth.* XXII, 21). Dum vero et apostolus Paulus, in quo Christus loquebatur, dicat: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit* (*II Tim.* II, 4). Satis, inquiunt, apparet, sacerdotes regibus se per hominia obligantes, Deo, pro sui officii gradu sufficienter placere non posse. Unde, ut ei placeant, cui se probaverunt, militiam et cætera, pro quibus hominia regibus debentur, regno libera relinquant; et ipsi vacent orationibus, ovibusque Christi pascendis invigilent, ad quod instituti sunt, dicente Domino ad Petrum: *Pasce agnos meos; pasce agnos meos* (*Joan.* XXI, 15): ac tertio, *Pasce oves meas.* Unde et ipse Petrus pro B sui officii ministerio legitime sollicitus: *Non est*, ait, *æquum, relinquere nos verbum Dei, et ministrare mensis* (*Act.* VI, 2). Item: ipse in ordinatione Clementis: « Non vult te, » inquit, « Christus ordinare causarum judicem sæcularium, aut litium forensium cognitorem fieri, etc. » Quod si, aiunt, non est æquum sacerdotem Domini, relicto verbo Dei, ministrare mensis; aut litium sæcularium fieri cognitorem; quanto minus æquum est, ejusmodi relicto verbo Dei, ductare militiam, castris interesse regalibus, aggerem comportare subvertendis urbibus, struere per quæ et homicidia frequenter fiunt, quæ si pro parte regum imperantium interdum juste gerantur, sacerdotem Dei talibus vel interesse fas C non est, ne sancti violentur obtutus, nisi forte pro defensione patriæ ab alienigenis ad cives cohortandos ejus præsentiam ad tempus necessitas expostulet; aut pro divinis rebus in castris regalibus agendis et consiliis salutaribus ministrandis, sacerdotem Domini commeatum pergere necesse sit.

Dum igitur, inquiunt, hæc divinissima Evangelii præcipiat auctoritas, ratio consentiat, necessitas expostulet, dimittantur Cæsari quæ Cæsaris sunt, ne talibus implicati episcopi, reddere non possint Deo, quæ Dei sunt. Nam valde, aiunt, sunt opposita, vacare Deo et sæculo militare. Aut si episcopi, aiunt, retentis regalibus Deo simul et imperio militare satagunt, seque ad utrumque posse sufficere arbitrantur; oportet, aiunt, imperatores in ipsis D quoque episcopis ordinandis ac substituendis primum habere locum. Non enim, aiunt, imperio condecet, ut aliquis in principem regni, nisi ab ipso imperatore, ex consilio aliorum principum, assumatur.

Hæc et his similia, quæ in illa contentione hinc inde ad alterutrius partis confirmationem, vel infirmationem dicta sunt, vel dici potuerunt, longum esset retexere; vel, quæ nuntii medii tulerunt ac retulerunt. Gelasio namque papa Remis celebrante concilium; imperatore vero Heinrico Verduni manente, per mediatores nuntios res agebatur. Hoc ad præsens negotium scire, satis est, imperatorem tunc temporis obdurasse cor suum, ne dimitteret Ecclesiis electiones liberas, episcopos quoque faciem suam obfirmasse, ne imperio regalia remitterent. Magis vero dicebant, quæ semel sanctificata erant Domino, a sanctorum ditione abalienari non posse (*Levit.* XXVII, 20): dicente quoque lege divina, quod si quis id, quod sanctificatum est Domino, mutare voluerit, utrumque esse Domini, scilicet id, quod mutatum est et pro quo mutatum est. Pro ipsis sane regalibus imperio fatebantur consueta se debita recognoscere, regique servire ad defensionem coronæ suæ paratos esse; quantum cum integritate et observatione sui officii possibile foret: sicque se Cæsari reddituros esse, quæ Cæsaris sunt; et Deo, quæ Dei sunt. Utrum vero per hominia et juramenta regibus obligari, id sæcularibus implicari sit negotiis; quod in apostoli Pauli verbis reprehensum in sacerdotibus est, ipsi domni sacerdotes et episcopi viderint, de quorum factis judicare, supra nos est. Possunt autem et sic implicari nonnunquam tempus ad vacandum orationibus et lectionibus pecuniis redimere, ut, quamvis implicati, fere liberi sint. Utrum vero et talis implicatio ejusdemque servitii redditio, vel redemptio Ecclesiam Dei plus levet, an gravet, Dominus viderit, et tandem Ecclesiæ suæ sanctæ congruam libertatem provideat.

CAPUT XXV.

De excommunicatione Heinrici V.

Interim Heinricus jam dictus imperator Ecclesiæ Dei electiones et investituras nolens dimittere, magisque cor suum adversum salutaria monita indurans, et bestiam, Burdinum dico, sedi beati Petri super intrusam defendens ac manu tenens, tanquam schismaticus et adversus Dominum rebellis ab Ecclesia Dei per Gelasium Romanum pontificem, multorum in Remensi civitate commanentium episcoporum astipulatione, separatus est: sicque ab utrisque discessum.

At Heinricus tanquam bestia vulnerata sævior effectus, dum recedentem, ac civitates quasdam regni sui ingressum clerus non solito favore ac laudibus exciperet, nonnullis videlicet ab ejus receptione se subtrahentibus, quasi in rebelles imperio vindictam exercet, domus eorum subverti præcipiens.

Non multo post Gelasio obeunte, Callistus succedit, cujus in tempore tandem Ecclesia ad eligendos sibi episcopos libertati donata est; cui et investituræ per annulum et baculum, virgam videlicet pastoralem in episcoporum consecrationem faciendæ, recognitæ sunt. Videns namque imperator Ecclesiæ graves manus super se ac metuens, ne forte in iniquitate sua per cœlos rationales, videlicet episcopos et sanctos Dei, revelata; etiam terra, terreni scilicet principes adversus eum consurgerent; sicque et ipse, quemadmodum patri contigit, regno privaretur, collecta curia, in loco, qui Lobwise dicitur, ubi et legati Romanæ sedis aderant, electiones, ut prædiximus, atque investituras liberas Ecclesiæ remisit, ita ut electus vel consecratus de manu imperatoris vel regis regalia per sceptrum

acciperet, facto sibi hominio et fidelitate jurata. Et ita ablato Burdino de medio, et in monasterium, quod Cavea dicitur, misso imperatore quoque a vinculo anathematis absoluto, pax Ecclesiæ Dei reddita est.

CAPUT XXVI.

De abominatione desolationis.

Nunc reducendum in memoriam ad quid hæc de Heinrico IV et V, historico scribendi modo prosecuti simus. De abominatione quippe desolationis in loco sancto stante, itemque filio perditionis in templo Dei sedente vel sessuro, nobis inquisitio est. Sed nec aliud esse abominationem desolationis in loco sancto stantem, quam ipsum esse filium perditionis in templo Dei sedentem, existimem. Superior autem nostri sermonis ordinatio sic processit, ut templo Dei manufacto, quod erat in Jerosolymis nimirum in typum Ecclesiæ fabricatum, et his, quæ circa ipsum gesta sunt, nobis admotis pro speculo, vel quasi augurandi scypho, ea, quæ usque ad nostra tempora circa Ecclesiam Dei gesta sunt, cum illis conferamus; si forsitan ex eorum ad invicem collatione nobis innotescat : ex quo tempore abominatio desolationis in templo Dei, quod est Ecclesia, mysterialiter stare cœperit. Nempe opus Salomonis, templum ædificantis, typice Christi conferre operibus, Ecclesiam suam prædicatione, miraculis, ad extremum passionis quoque propriæ impendiis construentis satis usitatum est. Mortuus est enim Dominus Jesus, resurrexit justificationi nostræ, ascendit consummationi nostræ, Spiritum quoque sanctum remisit, sanctificationi et confirmationi nostræ, qui templum sanctum ejus esse debemus et sumus.

At rex Babylonis, princeps confusionis diabolus, templum hoc Dei sanctum, quod est Ecclesia, quietum esse passus non est, concitans adversus illud Romanos imperatores, vel alterius Babylonis principes; per quos idem templum sanctum evertere, ac fidem labefactare molitus est. Romam quippe, ut supra quoque docuimus, Petrus tropice nomine Babylonis propter morum similitudinem denotat : *Salutat*, inquit, *vos Ecclesia in Babylone collecta* (*I Petr.* v, 13). Hanc enim epistolam scripsit tempore Claudii Cæsaris Romæ constitutus, Marco discipulo ejus secum illic commorante. Quanta vero inimicus in hoc sancto Dei templo, quod est Ecclesia, evertendo simul et in illo manu facto per utriusque Babylonis principes malignatus est, ut supra quoque commemoravimus, nostra demonstratione non indiget. Nam et libri Regum templi manufacti eversionem continent. Et Ecclesiæ agones, martyrum gesta immanissimæ crudelitatis plena testantur, quæ auribus nostris quotidiana ingeruntur lectione. De utraque siquidem domo, de illa videlicet manufacta; et de ista, quæ est Ecclesia Dei, recte illa conquestio intelligitur, quam Ecclesiæ voces depromunt psallendo, dicentis *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam: posuerunt morticina servorum tuorum, escas volatilibus cœli; carnes sanctorum tuorum bestiis terræ, effuderunt sanguinem ipsorum tanquam aquam in circuitu ejus, nec erat, qui sepeliret*, etc. (*Psal.* LXXVIII, 1-3).

CAPUT XXVII.

Collatio Christianæ fidei per reges gentiles ad fornacem Babylonicam.

Itaque tempora persecutionis per Romanos principes Ecclesiæ illatæ temporibus eversionis templi per Babylonios principes factæ, rectissime respondent. Illic enim, statuam auream adorare tormentis cogebantur. Hic ad simulacra gentium argentea et aurea adoranda innumeris tormentorum compellebantur generibus; illic una fornax contemptoribus regalis præcepti parabatur : hic totus mundus ad neces sanctorum inflammatus quasi una fornax martyribus erat; illic tres pueri unius regis; hic Trinitatis cultores, multa videlicet millia martyrum, injusta regum imperia spreverunt; illic per tres pueros et quartum Danielem bestiale cor regis Nabuchodonosor tantum humanitatis induit, ut verum Deum, ejusque Filium confessus sit, dicens : *Vere Deus vester, Deus deorum est, et Dominus regum, revelans mysteria, quia tu potuisti aperire sacramentum hoc* (*Dan.* II, 47). Item : *Ecce ego video viros solutos quatuor, et nihil corruptionis in eis est; et species quarti similis Filio Dei* (*Dan.* III, 92). Et in subsequentibus : *Benedictus*, ait, *Deus eorum Sidrach, Misach et Abdenago, qui misit angelum suum, et eruit servos suos qui crediderunt in eo; et verbum regis immutaverunt, et tradiderunt corpora sua, ne servirent, et ne adorarent omnem deum, excepto Deo suo. A me ergo propositum est hoc decretum, ut omnis populus, tribus, et lingua, quæ locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sidrach, Misach et Abdenago, dispereat, et domus ejus vastetur* (*Dan.* III, 95, 96).

Et consequenter Scriptura annectit, dicens : *Tunc rex Nabuchodonosor promovit Sidrach, Misach et Abdenago in provinciam Babylonis. Nabuchodonosor rex omnibus populis, gentibus et linguis, qui habitant terram in universa terra, pax vobis multiplicetur. Signa et mirabilia fecit apud me Deus excelsus. Placuit ergo mihi prædicare signa ejus, quia magna sunt, et mirabilia ejus, quia fortia, et regnum ejus regnum sempiternum, et potestas ejus in generationem et generationem* (*ibid.*, 97-100). Sic, ut diximus, tres pueri cum socio ipsorum Daniele cor regis bestiale in humanum permutatum ad cognitionem et confessionem adduxerunt unius et solius veri Dei. Similiter et sanctorum martyrum quasi trium puerorum ex uno ore sanctam Trinitatem confitentium perseverantia ad hoc profecit, ut bestia illa terribilis secundum visionem Danielis dentes ferreos habens, comedens et comminuens, ac reliqua pedibus suis conculcans Romanum videlicet imperium bestiale ac terribile humana se mente indueret, et Dominum

majestatis agnoscens, vera se illi humilitate subdiderit.

CAPUT XXVIII.

Cessatio persecutionis per Romanos principes et reges Babylonicos: itemque meliora decreta hinc inde statuta conferuntur.

Quod vero decreto statuit, ut si quis loqueretur blasphemiam contra Deum Sidrach, Misach et Abdenago, disperiret et domus ejus vastaretur, typus exstitit per jam dictos Romanos imperatores meliora prioribus, pro Ecclesia Dei decreta esse statuenda. Sed hujus rei in subsequentibus regnis et regibus typus clarior effulsit nimirum Cyro et Dario atque Artaxerxe Persarum et Medorum regibus captivitatem relaxantibus, et vasa domus Domini restituentibus, domusque ipsa, ut reædificaretur concedentibus, in ejus ædificationem sumptus præbentibus. Hoc enim præclaræ illius rei typus exstitit, quæ postmodum in Romano imperio per pium principem Constantinum completa est; quando ipso videlicet jam dicto principe ad fidem accedente, malæ per eum leges ablatæ, ac meliores pro Ecclesiæ catholicæ pace ac provectione constitutæ sunt, sicut scriptum est: *Tollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit Rex gloriæ* (*Psal.* XXIII, 7). Principum namque portæ auferendæ, malæ ipsorum leges fuerunt, contra Ecclesiam aliquando et in æreis tabulis propositæ. *Portæ* vero *æternales*, bonæ pro Ecclesia leges exstiterunt; quæ tunc elevatæ sunt, quando, sicut jam dictum est, pius princeps Constantinus, nec non et alii post eum imperatores, optimas pro Ecclesia Dei leges statuerunt.

In tantum namque jam dictus princeps Ecclesiæ Dei paci, provectioni ac sublimationi intendit, ut, sicut scriptum est de rege Ninive; quod audita verbi Dei prædicatione per prophetam Jonam, surrexerit de solio suo, et indutus sit sacco (*Jon.* III, 5): ita et iste princeps Constantinus, cujus memoria in benedictione est, prioris ignorantiæ pœnitudinem gerens, locum solii sui, urbem videlicet Romam, principi apostolorum ejusque successoribus Romanis pontificibus concesserit; ac intra palatium Lateranense, quod erat omnibus palatiis sublimius, Ecclesiam in honore Salvatoris Domini nostri Jesu Christi consecrari fecerit: ipse sibi sedem imperii in partibus orientis, optimo videlicet terræ solo, Byzantium consecrans, nimirum æquum esse non arbitrans, ut principatum sacerdotii in vicario Petri, sedemque imperialem unius civitatis ambitus concluderet. Et ita veritas novorum cum typo antiquitatis congruit, ut concessiones piæ per Constantinum principem Ecclesiis Dei factæ, concessionibus de reædificatione templi per Cyrum, Artaxerxem, et Darium factis concinnanter respondeant.

CAPUT XXIX.

Impedimentum reædificationis templi et hæreticorum molimina conferuntur.

Sane quidem captivitate per Cyrum relaxata, vasisque sanctis de Babylonia in Jerusalem revectis; fundamentis quoque templi jactis, opus impeditum est per principes, qui erant trans flumen in regionibus Samariæ, quorum nomina sunt hæc: Reum, Beel Theeman et Samsai scriba, et cæteri consiliarii eorum, qui et epistolam accusationis miserunt adversus Judæos ad regem Artaxerxem primo; deinde quoque ad Darium (*I Esdræ* IV, 17). Quod per hos, inquam, opus impeditum est, usque ad secundum annum Darii regis Persarum et Medorum, hoc in hæreticorum typum diabolus contra domum Dei, et in typum futurarum hæresum, prior ipse ædificare tentavit per homines, qui ab oriente, id est ab unius veri Dei cognitione et dilectione moti sunt, sicut decem quoque tribus per vitulos aureos a domo Dei scidit, non solum illi domui Dei manufactæ invidens, sed et futuræ contra Ecclesiam scissioni hæreticorum intendens.

Et hominum quidem jam dictorum opus impedientium molimen ad hoc valuit, quatenus ad suggestionem eorum rex Artaxerxes præciperet, ne sinerent idem opus fieri, donec forte super hoc regis præceptum aliud jubentis agnoscerent; cujus impedimenti tempus simul cum eo, quo ædificatum est, computantes Judæi, *quadraginta*, inquiunt, *et sex annis ædificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud?* (*Joan.* II, 20.) Cum Dominus, cui hæc dicebant struentes calumniam, non de templo illo manu facto, sed de templo corporis sui dixisset: *Solvite*, inquiens, *templum hoc, et post triduum excitabo illud* (*ibid.*, 19).

Sanaballath quoque Oronites et Tobias Ammonites, et Gosen Arabs reædificantibus domum eamdem Domini fortiter restiterunt; qui et adduxerunt contra eos Ammonitas et Arabas atque Azoticos prohibentes eos in manu et robore (*II Esdr.* IV): aliquando vero et pacem simulantes in dolo eis coædificandi adjutorium obtulerunt. Sed admissi non sunt, utpote homines dolosi atque fidei alienæ.

Quid autem per horum vel apertas inimicitias, vel fraudulentam societatem rectius intelligitur, quam hæreticorum contra Ecclesiam nunc manifesta crudelitas, nunc dolosa concordia? *In multis enim*, inquit, *erant mecum.*

Sed homo, ait, *pacis meæ in quo sperabam, et qui edebat panes meos, ampliavit adversum me supplantationem* (*Psal.* XL, 10). Quis non novit Manichæorum [Donatistarum] circumcelliones? qui nimirum cellas circumeundo dolum sanctis Dei moliebantur, quibus et neces innumeras manibus usi crudelibus quasi zelantes zelum Dei, inferebant? Quis Arianorum ignoret pervicaciam, nunc eamdem nobiscum fidem fuco verborum simulantium, nunc apertas contra Christum blasphemias evomentium, insuper vero et reges suæ pravitatis dogmate infectos contra Ecclesiam concitantium, per quos et aperta sævitia, Ecclesiis catholicorum clausis, episcopos eorum exsiliis detruserunt, ipsi suæ sectæ episcopos civitatibus subrogantes, magis vero simulacra

quædam episcoporum fabricantes. Quæ nimirum cuncta maximum non solum impedimentum, sed et detrimentum domui Dei, quæ est Ecclesia, exstiterunt reædificandæ. Nam primum, sicut prædictum est, eadem domus per Christum verum Salomonem ædificata est; per reges vero ac principes persecutores quasi Babylonios destructa; deinde regum concessione per filios transmigrationis reædificata est, quibus jam dicti viri in hæreticorum typum ædificantibus restiterunt. Nec incongrue hæreticorum typum eis assignem. In regionibus namque Samariæ habitantes libros et legem Dei habebant (*IV Reg.* XVII, 28), de quibus scrutabantur similitudines simulacrorum suorum. Dumque victimas immolarent Domino et simulacris suis sacrificabant; quid horum conversationi in cœtibus hæreticis similius? qui, cum libros nobiscum Veteris pariter ac Novi Testamenti reciperent; dumque in unius Dei professione nobiscum essent : tamen interea hæresum suarum mendacia monstruosa non deserebant. Quarum hæresum vel catalogum proponere; nedum contra singulas disputare, hujus opusculi non requirit intentio, nec admittit brevitas. Sed, id nosse, satis sit, malitiam hominum opus reædificationis impedientium, pensatis omnibus, quæ circa templi fabricam, vel statum gesta sunt, maxime typum prætulisse hæreticorum ; qui et ipsi Ecclesiæ Dei post persecutorum tyrannidem, quasi post Babylonicam captivitatem, reædificandæ maximum exstiterunt impedimentum.

CAPUT XXX.

De Aman hoste Judæorum; in quo typum hæreticorum teneat.

Sed et illud ad figuram hæreticorum non nihil facit, quod in eodem regno Medorum per Aman hostem Judæorum contra eamdem gentem diabolus machinatus est, regem circumveniens Assuerum, quatenus et Mardochæum cruci affigeret, et tota gens Judæorum una die perimeretur (181). Sed, interventu reginæ Esther, dolus et dolor ejus in caput ipsius conversus est, et in verticem ipsius iniquitas ejus descendit. Nam in patibulo, quod paraverat Mardochæo, ipse suspensus est, itemque decem filii ejus in patibulis affixi. Insuper et omnes, qui se ad necem Judæorum paraverant, versa vice, a Judæis interfecti sunt. Sed et hoc, quod Mardochæus somnium suum exponens : *Duo*, inquit, *dracones ego sum et Aman* (*Esth.* X, 7); non solum hæreticorum astutiam, sed et sanctorum Patrum mysticat prudentiam. Nam sicut in malo, ita et in bono serpens vel draco nonnunquam in Scripturis accipitur (*Exod.* VII, 9). Unde est illud, quod virga Moysi versa in draconem dracones magorum devoravit, nimirum in typum hæresum per prudentiam justorum annihilandarum. Sicut itaque per manum Moysi draco dracones devoravit : et quomodo in somnio Mardochæi draco a dracone victus est, ita et certamine inter hæreticorum astutiam et sanctorum prudentiam commota Sapientia vicit malitiam : *Attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter* (*Sap.* VIII, 1). Quod item in Apocalypsi Joannis mirabili visione præmonstratum est. Nam, sicut illic draco, quem diabolum intelligimus, emisit de ore suo, quod nimirum os erat (*Apoc.* XII, 13). Arius vesanus [Lutherus, Zwinglius, Calvinus, Besa], aquam tanquam flumen, id est doctrinam hæreticam, ut mulierem, videlicet Ecclesiam, quæ per fidem suam pepererat masculum Christum, trahi faceret a flumine; sed terra, nimirum Ecclesia in Nicæno concilio congregata, aperuit os suum et absorbuit flumen, damnando videlicet pestiferum Arii dogma.

Ita et Aman velut quidam Arii [Lutheri, Calvini] præambulus pessimum de corde et ore suo emisit consilium contra eamdem gentem, de qua masculus ille recturus gentes sperabatur futurus, quatenus ea extincta, Christi impediretur adventus. Sed et tunc terra quasi os suum aperuit, quando regina Esther primo ad Deum orationibus, deinde quoque apud regem intercedendo, egit, quatenus consilium Aman pessimum in caput ipsius redundaret, et gens illa unica, vel arbor, de qua fructus salutis exspectabatur, salva permaneret. Et ibi quidem gladii ad Judæorum neces corporales parabantur : hic vero linguæ Judæorum, machæræ nimirum acutæ, ad interficiendas animas exerebantur. Et sicut legimus, reges quosdam ex consilio hæreticorum depravatos contra Ecclesiam desævisse : ita e contra legimus, sapientia vincente malitiam, hæreticos regum animadversione damnatos, quod, ut diximus, in Aman malitia simul et damnatione, et in reginæ Esther prudentia ac Mardochæi sollicitudine congrue præfiguratum est.

CAPUT XXXI.

De dimensionibus templi.

Interim vero pensanti mihi dimensiones templi, quæ a regibus Cyro et Dario captivitatem relaxantibus, constitutæ sunt, suspectus est in altitudine ac latitudine sexaginta cubitorum numerus. Sic enim ipsa Cyri concessio scripta continet inter cætera : *Et ut ponant fundamenta altitudinem cubitorum* LX, *et latitudinem cubitorum* LX (*I Esdræ* VI, 3). Nam, cum templum, ut æstimari potest ad prioris instar etiam longitudine factum una cum oraculo LX cubitos habuerit : undique rursum in dimensionibus senarius decenus occurrit; qui mihi forte non immerito, ut dixi, suspectus est, nimirum pro similitudine illius Babylonicæ statuæ aureæ, quam erexerat Nabuchodonosor rex, et ipsam habentem in altitudine cubitos LX, et in latitudine cubitos VI (*Daniel.* III, 1). Sed et in Apocalypsi Joannis numerum bestiæ, quæ utique Antichristus intelligitur,

(181) Lege librum Esther.

invenimus DC LXVI (*Apoc.* XIII, 1), de quo videlicet A bestiæ numero postmodum tractandum erit. Interim vero sciendum quod senarius creaturæ solum, et non Creatoris numerus est. Sex namque diebus mundum Deus condidit; septimo, quasi fatigatus post laborem sex dierum ab omni opere suo requievit. Quid vero septimus iste dies requietionis Dei intelligitur, nisi sapientia ejus, quæ non est aliud, quam ipse? Deus namque, qui spiritus est, certum est, quod in creatura sensibili, qualis est terra inanimata, requiem sibi non quærat; sed nec animantia irrationabilia Deo in se requiem exhibere possunt. Sola rationalis creatura, requiei Domini apta condita fuerat, qualis est angelus et homo.

Sed dum angelo pes superbiæ venit, hominem B quoque superbientem manus peccatoris movit, expulsique sunt, nec potuerunt stare divinitas in eis requiem sibi non invenit, quæ non nisi super humilem et quietum ac trementem ad sermones Dei spiritum requiescit. Sed nec angeli boni cum nondum in humilitate ita perfecte solidati fuissent, ut eis nihil defuerit, sine superbiæ, vel casus sui periculo totum divinitatis se inundantis pondus sustinere valuissent. Quanto minus hominum quisquam exstitit, præter unicum Filium Dei, qui Deus ab æterno existens, etiam homo prædestinatus est. Præter hunc, inquam, nullus inveniri potuit, qui cum summis virtutibus, arcem quoque simul repente humilitatis apprehenderit, ita ut Domino in ejus dictis et factis laborandum non esset. Itaque solus Filius, in quo Pater sibi per omnia complacuit, quique Patri in se, ac de se nullum unquam laborem præbuit; solus, inquam, ipse est, in quo Pater plene requiem invenit; unde et ipse rectissime dies ille septimus intelligitur, in quo Pater Deus ab omni opere suo requievit.

Igitur, ut dicere cœpimus, sicut senarius creaturæ, ita septenarius Creatoris numerus est; ac proinde statua illa aurea recte in sui altitudine ac latitudine senarium non excessit. Siquidem diabolus eam ad serviendum creaturæ potius, quam Creatori erexit.

GERHOHI PRÆFATIO

IN LIBRUM

DE INVESTIGATIONE ANTICHRISTI.

(Opp. Jacobi Grotseri, t. VI, p. 243.)

Cum librum hunc primum Investigationis Anti- C christi scriberem, et recens jam schisma de contentione papatus Alexandri atque Octaviani, quem Victorem dicunt, ferveret, singulis partibus, quod sibi commodum videbatur, in sui favorem assumentibus, et alterutrum sive per veritatem, sive per occasionem derogantibus. Dumque partes utræque multitudine magnorum et non contemnendorum sacerdotum, insuper et regem ac principum se favore munirent, fateor, hac contentionis nebula totam terram tegente, faciemque Ecclesiæ tetra caligine obfuscante, non satis mihi claruit vel puritas electionis ecclesiasticæ in Alexandrum factæ, vel pervicax præsumptio partis Octavianæ. Unde pendulo gressu inter illas divisiones incedens, et quasi concionatoris modo sententiam suspensam tenens, in D neutram partem declinare facilis fui. Cum ignorantibus ignorabam, cum dubitantibus dubitabam, factusque sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones; et quasi nesciens reprobare malum et eligere bonum.

At nunc, postquam mendaciorum nebulæ contra canonicam electionem Alexandri confictæ cœperunt rarescere, ipsis etiam negantibus ac solemniter negare paratis quæ contra imperium sacrilege conspirasse dicebantur, et nulli mortalium velle super his rationem reddere, tanquam soli cœlo debentes innocentiam; accedentibus quoque in consensum electionis in Alexandrum factæ sedibus apostolicis, id est Hierosolymitana, in qua sedit Jacobus apostolus; Antiochena quoque, in qua primo sedit B. Petrus; quæ et utræque Ecclesiæ litteras apostolicas meruerunt: sanctæ quoque Romanæ Ecclesiæ majore ac potiore cardinalium numero, tribus videlicet solum exceptis, in ejusdem Alexandri electionem consentientibus: quem videlicet dominorum cardinalium cœtum nos Romanam Ecclesiam intelligimus: his, inquam, declaratis, jam ultra dubitandi locus non est quin is pro papa legitimo habeatur, quem et electio canonica, et consecratio eorum pontificum in sedem B. Petri promovit; quorum id juris fuisse antiquæ Romanæ Ecclesiæ juxta morem probat institutio. Et hæc dicimus nostræ dubitationis ambages excusatas esse cupientes. Nam finis loquendi audiendus est, non concionatoris percunctationibus inhærendum.

APPENDIX AD GERHOHUM.

EPISTOLÆ SEPTEM

DE VENERABILI SACRAMENTO EUCHARISTIÆ,

Ex quibus senæ refellunt delirium Folmari præpositi Trieffensteinii, seu Petræ Stillantis, epistola prima propositum et expositum. — Nunc primum in lucem editæ, ex ms. C. monasterii Raittenhaslacensis.

(Opp. Gretseri, t. XII, parte II, p. 100.)

LECTORI.

Vixit circa tempora Alexandri III pontificis Romani Folmarus quidam, præpositus Petræ Stillantis, seu Trieffensteinii in Franconia, infra Herbipolim, qui sive ex imperitia, sive ex malitia, sive ex utraque varios errores partim per epistolas, partim per tractatus et libros disseminare, et cum in alias, tum nominatim in Bavariam inferre tentavit; etiam perniciosissimum illum, terque exsecrandum circa venerabile sacramentum corporis et sanguinis Domini, quem ipse disertis verbis exponit in epistola prima ad S. Eberhardum, archiepiscopum Salisburgensem; et cui funditus destruendo evertendoque reliquæ epistolæ graviter insistunt; quarum secundam non dubito scriptam esse jussu S. Eberhardi archiepiscopi. Tertia Gerhohi, seu Gerochi Reicherspergensis in Bavaria præpositi est; qui et libro secundo *De investigatione Antichristi* contra ejusdem Folmari Nestorianismos acriter disputat. Idem præstat germanus Gerhohi frater, decanus Reicherspergensis in proprio et prolixo volumine adversus Folmarum, utrumque, si Deus volet, aliquando publicabimus, quia utrumque jam ex vetustis codicibus exscribendum curavimus, in quorum altero monasterii Rottenhaslensis in Bavaria inferiore has epistolas invenimus, quas cum scriptoribus contra sectam Waldensium foras exire jussimus.

I.

Impia Folmari epistola.

Domino suo Eberhardo, Salzburgensi archipræsuli, Folmarus, Dei gratia si quid est, semper gaudere nihilque adversi timere.

Fidem meam de veritate corporis ac sanguinis Domini domino A. Eboracensi abbati, sed et aliis litteratis viris ac religiosis mandatam litteris, diligenter exposui, eosque in nullo penitus adversos, sive diversos inveni. Sapientes etenim hujus mundi cum minime gustent mysterii hujus suavitatem, ejus videlicet non intelligunt puritatem, ideoque sacramentum hoc humilibus spiritu per Domini Spiritum credimus revelatum. Ego igitur in sacrosancto mysterio, sicut spiritualis uvæ meracissimum sanguinem, sub vini sapore ac specie bibere me quidem, sed solum et purum, sine carne, non dubito: ita solam et puram carnem Christi, sine ossibus, sine membris corporalibus, imo et sine humani corporis plenitudine, sub panis sapore ac specie manducare me credo: nec me Filium hominis, sed carnem Filii hominis manducare confiteor.

Ubi vero caro Christi, ibi consequenter et Christus; non pro parte, sed totus, totus seorsum in

A carne, totus seorsum in sanguine, totus simul in utroque: nihilominus separatim in altero, nihilo magis in utrisque conjunctis totus, vel integer, non ad humani corporis, ut quidam litigant, integralitatem; sed ad personæ Christi individuam unitatem arbitror referendum. Oportet enim in Sacramento hoc tam offerre bene, quam recte dividere, et naturam verbi a corporis natura distinguere. Ubicunque enim Christus est, totus est: etsi totum non est: sicut uno eodemque tempore totus in sepulcro, et totus in inferno erat; sed totum non erat: eo quod trium substantiarum, quæ unam faciunt in Christo personam, aliquid deerat.

II.

Refutatio superioris epistolæ.

B Viro litterato Folmaro de Stillante Petra præposito, R. Salzburgensis Ecclesiæ frater modicus, sapere ad sobrietatem, et sanam doctrinam docere nescientes.

Fluenta fontis vestri excrescentis, et se non continentis, a Petra vestra ad nos usque stillantis, credo irrigare ariditatem nostram, qui in montanis habitamus. Potius habete eam solus: et nihil nobiscum commune et Christianis. Inter alia, quibus acuta sapientia vestra imperitiam nostram erudire

satagit, de corpore et sanguine Christi, novam fidem, imo detestandam perfidiam, sine auctore, sine exemplo novus Evangelista prædicatis. Dicitis enim : *Credo me sub specie uvæ meracissimum sanguinem solum et purum bibere.* Et quia hoc totum sane posset intelligi; ut, *purum*, ad sanctitatem solum referretur; ad unius ejusdemque sacramenti separatam sumptionem, non ad substantiarum carnis et sanguinis divisionem, prudentia carnis vestræ determinavit adjiciendo, *sine carne.* Adhuc latet; . . . . . et nondum se totum prodidit error. Audi sequentia : *sic me*, inquit, *carnem Christi sine ossibus manducare, credo.* Quid hic impia secta introducit; nisi, ut qui angustis faucibus fidei, ossium strangulationem timet in carne; fugiat etiam cruditatem carnis in sanguine; vel etiam in sanguine, carnes? Velletis etiam assam et coctam manducare partem carnis Christi, quia cruditatem, et membrorum grossitudinem horretis? Noli timere. Cibus est animæ, non corporis. Frangitur quidem et corporaliter, et sensibiliter in sacramento, fidelium dentibus atteritur, integritate incorruptibilis carnis permanente, ita ut veritas per omnia non desit sacramento, et fides sana abominationem non pertimescat in gutture.

O male delicatum palatum fidei, cui usu carnalis consuetudinis, quasi pulpa carnis Christi placet, non ossa. Date veniam dicto : indignitas quæstionis cogit. Asseritis et vos manducare totum Christum. Et, ne hoc etiam referatur ad plenitudinem substantiarum, determinatis, totum esse referendum, non ad membrorum integritatem, sed ad personæ unitatem, propter partem. Et adjecisti: *Credo me manducare carnem Filii hominis, non Filium hominis.* Quæso, ubi nunc est, quod postea propter auctoritatem quasi concessistis; manducari in Sacramento totum Christum; sed, pro parte? Quare saltem et illud non datis Filio hominis? Aliudne est Christum manducare, et aliud, *Filium hominis* manducare? Annon unus, idemque est Christus, et Filius hominis? Quo ducit, vel potius quo seducit, vel seducta est vestra sibi contraria, et diffusa eloquentia?

Hæc omnia, licet eadem facilitate, qua probantur, respuantur; quod nec in superficie phantasiam habeant veritatis; parumper tamen interrogamus acumen tam novum ingenii. Dicite nobis; sanguinem Christi bibitis sine carne, ut dicitis hic, separata substantia carnis. Sic enim vestra distinctio docuit nos intelligere. Dicite inquam; partemne sanguinis bibitis, an totum? si partem, dicite, de quo membro elicitam? De capite, an de pede? Vos me cogitis hoc dicere. Insania quandoque levius insania repellitur, quam ratione. Credo, ad illud redibitis, ut dicatis, vos bibere totum sanguinem Christi. Si totum bibitis juxta traditionem vestram, separata carne, qualis, quæso, interim manet caro Christi? sicca, vel potius mortua, sine sanguine? Sane nemo, nisi insanus, hoc dixerit.

Sumitur itaque sanguis Christi a fidelibus non abstractus a carne, sed sanguis cum carne, et caro cum sanguine, imo totus Christus cum integritate utriusque substantiæ: et licet separatim, tamen non separata percipiuntur. Separatim, propter mysterii divinam significationem, non separata, propter deificatæ immortalitatis indissolubile fœdus. Quid igitur est, quod infertis tanquam constet, quod antecedit? *Sic me credo carnem Christi manducare sine ossibus.* Quid est, *sic?* nisi, si abominabilis videatur sanguinis potus cum carne; sit et impossibilis cibus carnis cum ossibus. O timor vesanus! o carnalis et exsecranda cogitatio! Times ossa in faucibus, quæ verbo Dei unita sunt : quæ januis clausis intraverunt ad discipulos. Dic mihi, quæso, quando manducas, vel potius quando rodis, secundum tuum sensum, carnem sine ossibus, ossa qualia interim manent? Nuda, an statim alia carne vestiuntur? Profana sunt ista. Hoc est hæretico magis dente rodere carnem, quam Christiana mente manducare in Sacramento Christum. Cesset ergo tam cæca præsumptio, tam vana quæstio. Quia, sicut superfluæ curiositatis est quærere utrum, cum Deus sit ubique, sit et in calceo, et similia sic nemo vel antiquorum, vel modernorum quærendum esse putavit, tali forma verborum : *Utrum in Sacramento cum ossibus Christi sumatur caro?* Cum ubique digna honestate verborum tanta rerum majestas ita expressa sit, ut dici oportuit, et inde amplius non dubitabit, nisi hæreticus.

Manducat itaque Ecclesia carnem Filii hominis, non partem carnis, sed totum corpus, quod natum est de Virgine, quod passum est in cruce;

Non siccam sine sanguine; sed cum sanguine vivam.

Imo (182) vitam carnem. Manducat, inquam, carnem, non rodit ambesis ossibus, ut vos dogmatizatis. Manducat quidem, non illam consumendo; sed in illam salubriter transeundo. Manducat totam et integram carnem Christi sine diminutione, sine divisione; imo in carne Christum totum Filium Dei, totum filium hominis ineffabili, incogitabili modo : sed eo modo, quo ipse novit. Et totum refero non ad partem tantum pro parte, uti vos subtilisatis; sed ad substantiarum carnis et sanguinis plenitudinem, dicente Augustino : *Corpus illud dico pariter offerri in altari; quod natum est de virgine, quod pependit in cruce, quod resurrexit, quod ascendit in cœlum.* Corpusne illud, quæso, sine ossibus, et nervis peperit virgo? Sine ossibus et nervis pependit in cruce? Manducatur itaque, ut dictum est, et tamen vivit integer manducatus, quia surrexit occisus. Totus non pro parte, sed pro toto in cœlo, in humana forma visibilis; totus similiter etiam secundum corpus ubique uno et eodem tempore in

(182) Quia caro Christi dat vitam.

altari, in Sacramento invisibilis. Mirum, si te attendis : mirari desinis, si Dominum consideras. Sic quoque anima Christiana bibit sanguinem Domini sui, non sugit, non elicit a carne vel totum, vel partem sanguinis, ut vestra, licet oblique, significat inventio; sed sine diminutione, sine divisione, in utroque utriusque plenitudinem mente sumit et corpore, hoc est sacramentaliter, et spiritualiter, uno eodemque Sacramento ineffabili. Contra hujusmodi somnia, quæ etiam a Vetulis derideri possunt, licet rationes et auctoritates abunde vel parum exercitato præsto sint, hic interim potius subsannando, quam disputando abominati sumus, ne tacendo ineptiis consensisse videamur.

III.

Gerhohi ad A. abbatem Eboracensem.

Nuper venit, etc. *Exstat inter epistolas Gerhohi, superioris tomi col.* 476.

IV.

A. abbatis de Ebora ad Gerhohum præpositum Reicherspergensem.

Domino venerabili præposito de Richersperg, fr. A. dictus abbas de Ebora [*Ebrach*, hodie], devotæ orationis obsequium.

Quod præpositus de Trieph [Petra Stillante] dudum scripsit fidem suam se nobis exposuisse, noveritis non aliter, quam subscripsimus [*id est* infra scripsimus, *vel* subjecimus], fuisse. Vice quadam in nostri præsentia, allato libello, dixit : « Hæc est fides mea ; » legitque ex eo in auribus nostris nobis nihil attendentibus, nihilque de eo hujusmodi suspicantibus. At postquam scripta vestra, quæ Catholice adversus eum edidistis, accepimus, ex mandato episcopi Babebergensis egimus, ut una nobiscum ad ejus præsentiam Babeberg accederet : ubi coram non paucis religiosis et litteratis viris, episcopo contra eum agente, humiliter professus est, nihil tale se deinceps sentire, nec scribere. Porro nos his, quæ eadem scripta vestra habent, consentimus, et Catholica judicamus, de cætero optantes et orantes divinam clementiam, ut illuminet oculos cordis vestri ad omnem cognitionem veritatis, et amorem virtutis.

V.

Palinodia Folmari.

Folmarus, Dei gratia Stillantis Petræ id, quod est, prælatis omnibus in Bavaria et Austria constitutis, semper gaudere nihil adversique timere.

Qui non offendit in verbo, Scriptura teste, *perfectus est vir* (*Jac.* II). A qua quidem perfectione, mea procul peregrinatur humilitas, quæ non verbis solum, sed toties etiam in scriptis offendit. Quod equidem eo periculosius est, quo error, qui scribitur, corrigitur laboriosius, difficilius revocatur. Et si enim *missa*, quanto magis *nescit vox scripta reverti. Si semel emissum manet irrevocabile verbum;* scriptum, rogo, qui poterit verbum revocari ? Sanet ergo confessio quæ corrigi revocatione non potest.

Scripsi ego domino meo quondam Eberhardo A Salzburgensi archiepiscopo de corpore Domini, quod omnino non debui; asserens, quod in altari esset quidem verum, sed non integrum, id est non in omnium suorum plenitudine, ac distinctione membrorum, idque videbar mihi cum multis sapere argumentis, et rationibus, imo et auctoritatibus, quas necdum forte intellexeram, arguisse. Quod si quis improbat, et ego; si cui displicet, et mihi. Si quis eradit, et conspuit; mecum facit. Confiteor enim, quia non solummodo verum, sed et plenum, perfectum et integrum in altari corpus est Christi : ibique in humanæ substantiæ veritate et integritate, sub aliena licet specie, mirabiliter, et invisibiliter sumitur, qui ad dexteram Patris visibiliter dominatur. Quod, qualiter in parte sit totum, B in singulis integrum, frangatur in forma, nec in essentia dividatur confectum sæpenumero angelorum non admittat et numerum, et multa in hunc modum; supra omnem sensum est non solum hominum, sed, ut ego reor, angelorum : nec habet causam nisi primissime primam, voluntatem scilicet sive potentiam Creatoris. Et hoc quidem in libello, quem de carne et anima Verbi ad Gerhohum scripsi, plenius fortassis expressum est; sed absque præjudicio sententiæ melioris. Nec enim in quæstionibus et articulis fidei pudor est vel ab hoste doceri; ubi, nemo debet naturalia sequi, et sensum suum quasi ex ratione defendere. Siquidem naturæ usum, et rationis terminos, et physicas, sive C logicas facultates, fidei majestas excedit : ideoque, ubi fides quæritur, argumenta non valent. Et inde est forsitan, quod contra naturæ usum caput agni cum intestinis et pedibus vorare præcipimur; sed, ossa non confringere. Quia, quidquid divinum, vel humanum est Christi, in sacrosancto mysterio sumimus, sed minime facti hujus altitudinem investigare præsumimus. Experimento enim didici, quod opprimatur a gloria, qui contra legem discutit majestatem.

Judicium de prædicta recantatione Folmari.

Hæc dicta sunt a Folmaro errorem suum recognoscente, non per omnia, sed ex parte. Nam sunt adhuc plurimi ejus errores inserti scriptis ejus, aut jam propalati verbis ejus indisciplinatis : quos D quia nondum recognovit, oremus tam ipsi, quam ejus fautoribus, ita revelari veritatem, ut ex ejus lumine conscientias eorum reverberante, compellantur et sanæ doctrinæ acquiescere, vel penitus obmutescere.

VI.

R. Rorensis ad Gerhohum.

Reverendissimo Patri domino Gerhoho Reicherspergensis Ecclesiæ venerabili præposito, R. Rorensium fratrum minimus, suus alumnus, omnia magnifice contraria vincere posse.

Nuntius præpositi de Triefinstaine transiens per nos hoc anno, post Natale Domini, ostendit mihi litteras, quas deferebat Salzburgensi præposito continentes qualemcunque pervicaciam supradicti

missoris sui, de hæresi, qua se polluerat. Ostendit etiam mihi libellum, quem mittebat vobis idem erroneus, quem de carne et anima Verbi Dei, nescio an satis apte, nuncupabat. Et in litteris quidem sic homo arrogans et fatuus nomen vestrum indigne nimis et nude posuerat : in libello autem aperta fronte cum derisione personam vestram de pravo intellectu, et inepto dogmate multipliciter arguebat. Ego vero, non inscius quid debeam vobis, non potui non dolere vicem vestram, sed et dolorem meum, præsertim cum ille non incidenter, sed ex longa consuetudine famam vestram sine causa laceraret, tacendo, sicut ante feceram, dissimulare non valui, nec volui, ne diceretis mihi : *Qui non est mecum, contra me est* (*Luc.* XI). Sciens ergo certissime spiritum veritatis usquequaque custodem fore cordis et oris vestri ; spiritum vero mendacii non parum sibi vindicare de lingua et labiis adversarii vestri ; scripsi ad eum, non tam ingenio fretus, quam zelo provocatus, arrogantiam ejus fortasse nimis inverecunde redarguens, sed omnino digna tribuens ; ut qui illud Apostoli, *cui honorem, honorem* (*Rom.* XIII), in suo majore et seniore negligeret, et ipse a minore et juniore suo nihil honoris acciperet. Quia vero zelum Dei habent multi, non secundum scientiam ; ne forte et mihi idem acciderit, misi vobis easdem invectionis litteras, ut, si peccasse me judicatis, ad pœnitentiam provocetis : sin autem, securum me litteris vestris faciatis.

VII.

Fratris R. ad Folmarum.

Domino Folmaro præposito de Stillante Petra fr. R. ut Dei parvulus, pacem et veritatem diligere.

Quia senibus deferre debemus, et adolescenti *vix in causa sua*, loqui a sapiente permittitur (*Eccli.* XXXII), consilium mihi fuit annis præteritis, audienti sæpe et legenti maledicta vestra, et improperia multa, nec parva contra dominum Gerhohum Patrem nostrum, ætate et vita venerabilem, quamvis non modice cor meum conturbarent ; dissimulare tamen volui, et pro debita senibus reverentia, esse, *sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutionem* (*Psal.* XXXVII), ut possem dicere cum Propheta : *Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus* (*Psal.* CXIX). Sperabam enim, quandoquidem non estis penitus idiota ; habetis quippe aliquid de scientia, quæ inflat ; quamvis nihil de charitate, quæ ædificat ; sperabam dico, quod tandem aliquando terreret simul et corrigeret vos comminatio illa toties decantata : *Quoniam qui malignantur, exterminabuntur* (*Psal.* XXXVI) : et quia *maledici regnum Dei non possidebunt* (*I Cor.* VI) ; et alia multa de sacris libris, quæ adversis conversionem suadere noscuntur.

Nunc autem, quia placet vobis imitari eos, *quorum os maledictione et amaritudine plenum est ; qui viam pacis non cognoverunt ; nec est timor Dei ante oculos eorum* (*Psal.* XIII). Jamque maledicendi consuetudo quasi in naturam vobis versa est : non puto me modo disciplinæ limitem excedere, si injuriam Patris ulterius ferre non valens, puer senem, parvus magnum in oculis suis, zelans invidum redarguo ; cum Daniel junior judices senes, mendaces et impudicos Susannam sanctam constuprare non valentes, ideoque mendaciter condemnare nitentes innocentem, condemnavit (*Dan.* XIII). Quis det eumdem spiritum in cor universi populi, ut similiter et nunc zelo pietatis armati et animati lapidibus dignæ increpationis, et justæ objurgationis insurgant contra omnes arrogantes, et invidos, et qui *iniquitatem in excelso loquuntur* (*Psal.* LXXII), ut utrinque *obstruatur os peccatoris et dolosi*, sicut tunc *obstructum est os loquentium iniqua* (*Psal.* LXII), ut discat non blasphemare. Non minus digne vobis, quam illis similia facienti, similia contingerent, ut sequeremini in pœna, quos imitamini in culpa. Quales patres, talis filius. Illi quidem spiritu fornicationis seducti, cogitaverunt et locuti sunt nequitiam adversus matrem in Israel : vos autem, spiritu superbiæ inflatus, maculare intenditis *habitantem in domo* non adhuc *sterilem* (*Psal.* CXII), sicut vos ; sed *matrem filiorum lætantem. In Christo enim Jesu per Evangelium nos genuit*, non sicut vos garritis, et ore polluto dicitis, atque manu sacrilega scriptitatis, pro lacte sanæ doctrinæ veneno erroris nos pascens ; sed plane fidem pietatis intellectu muniens veritatis, habens eum docendi modum, quem tradit Apostolus, ut simpliciores lacte facilioris doctrinæ nutriat, et perfectioribus solidiorem cibum sententiarum et Sacramentorum Dei abundanter apponat.

Et ideo non acquiescit vobis suadenti, ut Hilarium non legat, quasi quem non intelligat ; legit et exponit eum : et in eo obscure dicta, spiritu veritatis ipse illuminatus illuminat, et omne erroris venenum potenter exterminat. Cujus verborum subtilitatem, et intellectus profunditatem, in his, quæ ei, de non recta fide, impudenter assignatis ; si vos non capitis, ideoque alieno sensu inducitis, sicut faciunt omnes adulterantes verbum Dei ; nos non miramur, quia, non est novum. Secundum hoc enim faciebant et Patribus nostris hæretici antiqui, dicta eorum ad suum sensum applicantes, et aliud pro alio sentientes. Sed vobis ipsis persuadete. Non credimus vobis. Ipse ut bonus homo de bono thesauro suo profert bona ; sed malus homo superseminavit zizania. Omnino sincerum vas incrustare nitimini. Non possumus ea, quæ audivimus, et vidimus, vestris conjecturis postponere. Audivimus verba vitæ, et legem disciplinæ ex ore ejus. Vidimus eum facientem mirabilia in vita sua, medicum peritum cordium, non corporum, et probavimus, quod bonus est, quia non posset arbor mala tam bonos fructus facere. Ex fructibus ejus cognoscimus eum.

Cessent ergo maliloquia vestra contra virum, quem Dominus virtutum, virtutibus adornavit, præ-

sertim cum, quidquid dicitis, non ex amore verbi Dei dicatis, sed ex invidia, quæ est vitium diaboli, qua et vos stimulamini contra eum, forte pro eo, quod non estis inventus *similis illi conservanti legem Excelsi* (*Eccli.* XLIV), sed certe ex nimia cordis arrogantia, ut vobis, non Deo, gloriam acquiratis. Dicimus proinde vobis : Gloria tua tecum sit in perditione. Vobis quippe perditis gloriam, quam Deo non acquiritis, *cui soli honor et gloria.*

Non parva tamen glorificatio vestra. Magnum est aliquid, magnos audacter provocare : et, magnum mereatur nomen, non quidem doctoris, sed vituperatoris, qui bonis derogare non erubescit. Sed hoc dico, quia de aliorum fide jam non habetis judicare, qui vestram noluistis illibatam servare ; quia, non potest esse accusator, cui similis causa objicitur. Tacete proinde ; et aliis tacentibus, qui non A habent cauteriatam conscientiam, vos manu ori superponite, ne illud iterum in cœlum ponatis, et fiant novissima vestra pejora prioribus.

Adhuc enim timeo pro vobis.

Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu.

(HORAT., epist. I, lib. II, v. 69).

Si fides vera mundat corda, non est fides vera ubi non est charitas sincera, mundi cordis incola. Nam charitas benigna, non invida, non nutrit odia, sed parit concordiam, quod totum vobis est contrarium. Videte ergo an fidem vestram perfecte correxeritis. Nisi correxeritis, quod adhuc indiget correctione, timete vel expertus illud justum judicium Dei : *Qui fodit foveam, incidit in eam* (*Prov.* B XXVI). Hæc legite, et dicite : *Sicut feci, sic reddidit mihi Dominus* (*Jud.* I).

ANNO DOMINI MCLXXV

FR. ARNO

PRÆPOSITUS REICHERSPERGENSIS

NOTITIA HISTORICA.

(FABRIC. *Biblioth. med. et inf. Lat.*, tom. I, pag. 137)

Arno decanus et prior abbatiæ Reicherspergensis in Bavaria, diem obiit Anno 1175. Ejus *Scutum canonicorum regularium* vulgatum a V. C. Raymundo Duellio libro primo Miscellaneorum, Augustæ Vindel. 1723, 4, pag. 3-55. Idem Arno cum fratre suo Gerhoho, cui anno 1169 in prælatura successit, scripsit opus prolixum *De eucharistia*, oppositum Folmaro præposito Triefensteinensi, sive Petræ Stillantis in Franconia, infra Herbipolim. Prologus autem et fragmentum operis Folmaro oppositi editum a Stevartio in sylloge veterum scriptorum, pag. 243 (in nova editione Antiquarum Lectionum Canisii Basnagiana, t. III, parte II, p. 200), et in Bibliotheca Patrum Lugdunensi, tomo XXIII, pag. 240, non Beati nec Hetherii est, qui adversus Felicem et Elipandum multis ante Folmarum sæculis scripserunt, sed Adami, decani Reicherspergensis, qui vastum suum adversus Folmarum volumen dicavit P. decano Herbipolensi, meminitque epistolæ Folmari ad Tavanensem archiepiscopum [lege *Juvavensem*, et Salisburgensem intellige, sed aliam quam quæ exstat ad illum Folmari epistolam] in qua injurias Gerhoho, præposito Reicherspergensi, irrogaverit. Denique Stevartius notavit in Boicis bibliothecis præter illud Adami opus exstare etiam Gerhohi librum *De investigatione Antichristi*, in quo Folmarum refellendum sibi sumpsit, perinde ut in libro *De gloria et honore Filii hominis*, ad Hermannum episcopum Brixinensem, qui vulgatus est a Bernardo Pez tomo I Anecdotorum, parte II, pag. 163, Augustæ Vindelicorum 1721, fol.

FR. ARNONIS

SCUTUM CANONICORUM

(Raymundi Duelli *Miscellanea*, lib. Sent. I, Aug. Vindel. et Græc. 1723, p. 3.)

OBSERVATIO PRÆVIA.

Fr. Arnonis Scutum Canonicorum, scil. Regularium. Undecimum a Christo nato sæculum orbis numeraverat, quum universalis ordinis nostri παλιγγενεσία agi cœpit. Ea enim tempestate in Italia S. Abbas Romualdus plures canonicos et clericos, qui laicorum more sæculariter habitabant, præpositis obedire, et

communiter in congregatione vivere docui (1); Ænhamense concilium Anglos canonicos ad vitam castam ac communem incitavit (2); vita canonica in ecclesiam Gerundensem introducta est (3); Congregatio San-Rufea caput extulit (4); et, quod prætereundum minime, ipse Alexander II anno 1063, in synodo Romana I hortatu Petri Damiani, canonicis præcepit, « ut hi, sicut oportet religiosos clericos, simul manducent et dormiant, et quidquid eis in ecclesia competit communiter habeant (5); » quæ verba ut exemplo firmaret, in basilica Lateranensi canonicos regulariter viventes instituit. Sumpsere sibi cordi Supremi in terris vicarii exemplum plures sanctioris vitæ viri, qui de instauranda denuo, collapsa jam jam canonica disciplina passim laborarunt, e quorum numero fuere Rajambaldus Arelatensis archiepiscopus qui 1064 « Canonicos metropolitanæ basilicæ ad strictiorem vitam et ordinem S. Augustini amplectendum induxit (6); » Lietbertus episcopus Cameracensis, qui annum circiter 1066 in ecclesia S. Autberti, et in alia montis S. Eligii clericos « de communi viventes ordinavit, eisque abbatem suæ professionis præfecit (7); » Ivo Carnotensis episcopus, sub quo circa annum 1078 cœpit reflorere canonicus ordo, primum ab apostolis institutus, et a S. Augustino regulis auctus (8); S. Altmannus episcopus Pataviensis, qui circa annum 1074 Gotwicense in Austria, et S. Nicolai Pataviense collegium canonicorum regularium exstruxit, canonias etiam quasdam, S. Hippolyti nimirum, ac S. Floriani 1080 mira severitate reformavit, et proscriptis concubinarum prostibulis, ejectis clericis a regula decedentibus, in priorem ordinem redegit. (9). Secutum est illud. Plurimis per universum fere orbem sectatoribus auctum se vidit ordo canonicus, et id ad invidiam lividorum quorumdam monachorum atque degenerum (quos inter bonos non monachorum duntaxat cellulæ, verum et tempora omnia, et loca pariter semper aluere) hi ut remoram tanto incremento injicerent, alia ex aliis excogitare, regularis vitæ candidatos innumeris technis de proposito dimovere, jam jam professos mille illecebris ad se pellicere, verbo omnia ad extirpationem canonicorum regularium conducibilia machinari. Cecidisset sane res ad votum, nisi summi pontifices cum conciliis auctoritatem suam interposuissent, anathematis fulmine in machinatores talium detorto, et decreto edito, ne canonici regulares ad monachos transire attentarent (10): neque tamen exinde ita malo huic medela erat apposita, quo minus insequenti sæculo recrudesceret, præfatorum hominum malitia eo procedente, ut collegia nostra inaudito ausu occupare non abhorrerent; indigni qui innumeris tum inter monachos viris piissimis conviverent.

Ut tantos hostium ausus Arno noster, acerrimus ordinis canonici ὑπερασπιστής, nonnihil reprimeret, hoc confecit opusculum, et *Scutum Canonicorum* inscripsit. Exstat hujus scripti exemplum in bibliotheca San Florianensi (11) quod tamen in manus nostras nunquam pervenit: hoc etenim in bibliotheca Cæsarea ex codice exeuntis sæculi XII vel certe XIII non admodum adulti, deferente id ultro perillustri D. Gentilotto ab Engelsbrun, Cæsari a bibliotheca et consiliis transcripsimus. Quis autem porro Arno hic fuerit, αὐθεντικῶς edicere nequimus, non enim ullum, certi quidquam statuendi, est fundamentum Bernhardus Pezius, orbi litterario notissimus (cui magnum studiorum meorum partem acceptam refero) in hunc modum de Arnone disserit: « Dum ante aliquot annos mss. codices Canoniæ Florianensis in superiore Austria, favente reverendissimo et perillustri D. præposito Francisco Claudio Kröll, præsule humanissimo lustraremus, incidit in manus nostras codex membraneus in 4° CCCC circiter annorum, quo Tractatus quidam apologeticus continebatur auctore Arnone canonico regulari, qui Arno forte ab Arnone præposito Reicherspergensi (12) Gerhohi fratre diversus non est. » Suffragatur huic conjecturæ chartula quædam, quam inter manuscripta prædecessoris sui, Joannis Chrysostomi Hager, rerum nostrarum peritissimi reperit, et pro sua in nos benevolentia communicavit plurimum rev. D. Lucas Faber Canoniæ regularis in Gars Decanus; ea sic habet:

« Arno canonicus regularis Reichersperchensis Bojus ac Decanus, M. Gerhohi frater et in prælatura successor, doctrina et virtute non impar suo germano, ad concilium Romanum misit suos canonicos. Obiit 1175 Kal. Febr.

« Scripsit contra Folmarum præpositum Trieffensteinium de ejusdem erroribus contra SS. Eucharistiam, volumen prolixum. Asservatur manuscriptum in Monasterio Raitenhaslacensi (13). »

Nobis ætatem, statum, doctrinam, aliud itidem apologeticum scriptum hujusce viri probe perpendentibus, perinde atque certum est, Arnonem præpositum eumdem esse cum Arnone nostro, quem circa medium sæculum XII scripsisse (14), canonicum regularem, doctum, pium, et in SS. litteris domi fuisse, nullus, quisquis præsens opusculum legerit, inficiabitur. Relinquimus ista libero cujusvis judicio, et ad præclarum illud elogium accedimus, quod huic apologiæ Arnonis, in opere suo propediem edendo, suspendit perillustris D. Gentilottus, vir, si quisquam, πολυμαθής: « est opusculum, inquit, non indignum, quod aliquando in lucem proferatur, præsertim eam ob causam, quod formulam vitæ, consuetudines, ac ritus, quibus institutum ac disciplinæ canonicorum regularium circa medium sæculum XII continebatur, copiose declarat. » Superest adhuc, quod lectorem volumus, nimirum, ut præsens *Arnonis Scutum* comparate ad illorum temporum statum ac mores legat: secus quisquis fecerit, innumeris se præjudiciis exponet. *Sapienti pauca.*

(1) Petr. Dam. in vit. S. Romualdi, c. 35.
(2) Ænhamense concil., c. 1.
(3) Chartæ Gerund. apud Baluz. in Marc. Hisp., col. 1066.
(4) Vid. disquis. de Canon. Ord. p. 337.
(5) Binius tom. III concil. parte II.
(6) San Marth. Gall. Christ. t. I, p. 48.
(7) Lib. I diplomatum Belg. c. 36 et 43.
(8) Ita Urbanus II in diplom. 1093 ad canonicos S. Ivonis dato. Videatur præterea chronic. Sigeberti A. D. 1078.
(9) Hund. in Altm.
(10) Vid. not. 1 ad Arnon,
(11) Pez in Thesauri N. dissert. Isagog. in t. II, p. 28.
(12) Vid. Hund. in Metr. parte III.
(13) Vid. de hoc scripto Bibliotheca PP. edit. Colon. tom. XIII, p. 344; item Miræus in Auctar. n. 406.
(14) Vid. not. 15.

tis Ecclesiæ magnus erat inter omnes orientales filios et filias Septiformi spiritu robustos, ac sanctæ Trinitatis fide pulchras, habens oves et boves, asinas et camelos in millibus conversorum ex Judæis et gentibus possidens, in fractione dominici panis, quotidiana sanctæ epulationis cum exsultatione convivia faciens. Deinde Satan expetivit eum, ut cribraret sicut triticum, incipiens a persecutione, quæ sub Stephano facta est (2). Sic vero et nostro in tempore magistrorum quorumdam torpente desidia et falsorum fratrum vigilante perfidia data est in eum Satanæ potestas a Domino, perdiditque omnem substantiam ejus, ac filios ita, ut plerisque in locis, ubi quondam floruit, pene in nihilum redactus sit, et perierit, ac proin tanquam sal infatuatum mittatur foras, et conculcetur ab hominibus ordo noster canonicus, non ab hominibus, neque per hominem, sed divinitus institutus; qui in sacerdotio Aaron, ac Levitico ministerio in typo floruit in Christo et apostolis ejus ac discipulis, inque ipsis primitiis credentium, « quibus cor unum et anima una erat in Deo (*Act.* IV), fructum suavitatis et salutis protulit; in sanctis Romanis pontificibus usque ad Urbanum papam et martyrem a beato Petro apostolo sextum decimum (3) in toto fere illorum temporum clero, ut idem Urbanus papa testatur, in sanctisque postmodum confessoribus et pontificibus Hilario, Ambrosio, Augustino, germen plantationis justitiæ mundo protulit; qui aliquandiu post illorum tempora mortuus fuerat, sed revixit; perierat, sed inventus est; per cujus symphoniam et choros jam ecce domus Ecclesiæ exhilarata est. Unde oportuerat fratres quosdam nostros monachos gaudere, non autem eidem ordini in quibusdam membris suis insultare morienti, vel hæreditatem semivivi invadere. Quia si inimicus ejus acephalorum siquidem clericorum cœtus maledixisset ei, canonico videlicet ordini, sustinuisset utique; et si is, qui oderat eum sua videlicet quærens, non quæ Jesu Christi, magna locutus fuisset super eum, abscondisset se forsitan ab eo; nunc vero filii matris suæ pugnant contra eum, et homo unanimis dux ejus, et notus ejus, qui simul cum eo dulces verbi divini capiebat cibos, in domo Dei ambulabat cum consensu, homo pacis suæ, in quo sperabat, ampliavit adversum se supplantationem ut jam cum Apostolo valeat in Domino non solum periclis ex gentibus, sed et periclis ex genere, et periclis in falsis fratribus gloriari. Sed falsæ fraternitatis nomen solis illis imputetur, qui viscera pietatis non habentes fratris errantem bovem, aut asinum ad ipsum non solum non reducunt, sed et furto subripere moliuntur, qui fratri a latronibus vulnerato ac semivivo relicto non solum non subveniunt, sed vulnus super vulnus infligunt, qui, quod sibi fieri nolunt, aliis inferunt, dum eorum filios ac discipulos ab eis, sub quibus salvari poterant, magistris abstrahere, ac sibi attrahere moliuntur, tanquam apud solos eos Christus sit, tanquam regnum Dei ab eis processerit, aut in eos solos pervenerit: ita ut pene dici audiamus, sicut quondam hæresium temporibus dictum est: « Ecce hic est Christus, aut ecce illic (*Matth.* XXIV). » Sed ire nolumus neque sectabimur: non enim ita pauper est Dominus noster Jesus Christus, ut solos de labore manuum viventes monachos servos habeat, nec tam durus, ut pellicia veste carentium frigore mortifero delectetur, vel multitudine lanearum tunicarum servos suos cupiat usque ad succumbendum onerari, aut vermibus multiplicatis absumi præcipiat, quæ sunt omnia ad non parcendum corpori in ipso usu. Sed, « in domo Dei mansiones multæ sunt (*Joan.* XIV). Et: « Novit Dominus, qui sunt ejus, et discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini (*II Tim.* II). Et religio munda et immaculata apud Dominum hæc est visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo (*Jac.* I). » In his profecto aliisque veræ religionis cultibus ac pietatis exercitiis, in quantum nobiscum sunt, sive præcedant nos, sive comitentur, aut præcedentes subsequantur, aut Domini, ac fratres monachi, cujuscunque coloris utantur vestibus, vere domestici ac fratres nostri sunt, nosque omnes hi, qui inter eos sapiunt, suos fratres ac domesticos recognoscunt; et sicut in cœlo cherubin et seraphin, sic in terris una nobiscum consone et unisone « Sanctus, Sanctus, Sanctus » cantantes Dominum Sabaoth socia exsultatione concelebrant. Nec vero invidemus eis sub nomine Seraphin sex alarum volatum, dum tamen et ipsi ordinem canonicum sub nomine Cherubin secum in socia exsultatione patiantur: alioquin, ut taceam de Cherubin et Seraphin, sed ne inter angelorum quidem sortem censeri possunt; non enim superbientium, et de sua superlativa sanctitate in aliquam derogationem gloriantium, ac superlative Sanctus, Sanctior, Sanctissimus hoc modo canentium, sed « parvulorum et humilium est regnum cœlorum (*Matth.* XVIII), » in quo, qui major effici voluerit, oportet, ut omnium minimus et omnium minister efficiatur. Jam vero, quandoquidem gloriari oportet, licet non expediat, glorietur et ordo canonicus: glorietur autem non in se, sed in Domino dicat, quia, in quo quis audet, in insipientia dico, audeo et ego. Sectatores Christianæ paupertatis sunt, et ego: æmulatores apostolicæ perfectionis sunt, et ego: professores et observatores communis ac cœnobitalis vitæ sunt, et ego: ministri Christi sunt, et ego: ut minus sapiens di-

(2) Anno post C. N. 257 Impp. Valeriano et Gallieno.

(3) Urbanus I, secundum nostri temporis Chronologos XVII, a B. Petro numeratur. Nostrum autem eos secutum fuisse, suspicor, qui Cletum cum Anacleto confudere. Urbani porro Epistolam, quam noster allegat, habet Binius tom. I Concil. in qua explicate vitam communem et votum paupertatis inter clericos illo tempore viguisse asseritur.

non est paucis evolvere : siquidem in tempore Hainriciani schismatis in meo Herlebaldo Mediolanense, qui filiorum meorum, quos aiunt Patarenos (4), prior exstitit, mortis atrocitatem incurri. In Gregorio VII et Urbano Romanis pontificibus persecutiones sustinui, in Pascali papa ejusque clero, Manegoldo quoque Luterbacense, aliisque quam plurimis captivatus et incarceratus sum. In Eppone meo Salzburgense (5) luminibus orbatus sum, in Azelino Pataviense, aliisque multis virgis usque ad horrorem videntium cæsus sum, cum videlicet in tempore Matathiæ Machabæi quisque meorum, inquinationem excommunicationis refugiens, qua temporis illius principes detinebantur, vix in publico apparere potuit, quod non statim ab omnibus quasi monstrum abominandum proclamaretur. At tamen idem pusillus grex meus etiam sic confidentiam regnaturæ veritatis non amisit, sed coram regibus et principibus veritatem confitens sermones Christi non erubuit : unde et Pater cœlestis ipsum non erubescet. Sed et in illa tempestate frater meus monasticus ordo quieti suæ consulens, vel intra sui se silentii claustra continuit, vel quod erat deterius, etiam iniquitati consensit ; cum ego canonicus ordo in meis filiis usque ad mortem privatim ac publice agonizarem. Quis enim etiam tunc scandalizabatur, et ego non urebar ? quis infirmabatur et ego non infirmabar ? si gloriari oportet, non expedit quidem, veniam autem ad visiones et revelationes Domini. Scio quosdam institutionis meæ adhuc in carne viventes alumnos, non laneis sed lineis tunicis et camisiis utentes, ac ne sit eorum notabilis habitus caventes, neque vestibus, sed moribus placere affectantes, scio, inquam tales, qui inter jejuniorum ac lectionum et orationum studia, ac cætera spiritualium exercitationum commercia crebrius ac diutius odores paradisiacos naribus hauserint, nonnunquam cœlestium hymnodiarum sonos mellifluæ dulcedinis plenos, extra carnis sensum facti, auditu divinissimo audierint ; qui inter amoris Dei, ac laudum cantica nonnunquam verbi Dei oscula intus in animis perceperunt, quorum venter super sensibili attactu sponsi ad opus eos spiritale suscitantis sæpius intremuerit ; quorum oculis spiritalibus multoties ab amicis sponsi murenulæ aureæ vermiculatæ argento factæ sunt, formulis videlicet visibilibus ad similitudinem doni spiritualis in eos collati per angelorum ministeria mentibus æque ostensis. Scio hominem ejusmodi meæ scholæ discipulum adhuc viventem in carne Theophilum ante annos quatuordecim, qui factus in agonia, ac prolixius inter odores paradisiacos expallens, et hymnichans, ad inusitatum quemdam carnis ac spiritus in Dominum exsultantis tremorem tam fortem, quam suavem raptus sit, præ cujus fortitudine vix se anima intra thecam carnis continuerit ; præ cujus suavitate paulominus resoluta in paradiso habitaverit ; ut non inaniter ejusmodi in Domino gloriari possit, quam benedictionibus dulcedinis adeo præventus, et ad portam paradisi coronatus sit. Et scio hominem ejusmodi, qui, cum post vigilias et orationes ac laudes matutinas publicas ac privatas in amaritudine animæ suæ, intra septa claustri, loco quodam a conventu fratrum semoto, membra sedens tradere vellet quieti, corde vigilante divinissime soporatus, non parvum illius experimentum a Domino accepit miraculi, quod super discipulos in cœnaculo residentes quinquagesimo post resurrectionem Dominicam die ostensum est ; nam subito sonum de cœlo factum tanquam spiritus vehementis audivit, qui modice incipiens, et in majus crescens, domuique, in qua erat sedens, approximans se per fenestram, quæ capiti sedentis erat contigua, infudit, in quo etiam spiritus impetu, ignea quædam non urens, sed lucens substantia, auri talento in camino ardenti similis, eidem fenestræ, ut erat vitro obducta, fortissime impacta est, quæ introgressa mox velut in nebulam tenuem dissoluta replevit totam domum, ubi erat sedens, cujus nebulæ athomi suavitatis, ac benedictionis pleni, quodam impetu se corpori, et animæ sedentis, per poros undique infuderunt, donec talis fluminis impetus animæ illius abundanter impletæ civitatem lætificasset ; cum et ille ad se reversus abiit, secum in plenitudine sancta admirans, ac Dominum laudans taliter humiles consolantem, cujus et gratia non vacua usque hodie ad sancta eum suscitans studia, ut suis ipse in Christo secretalibus fateri solet, perseverat : ambulans in fortitudine cibi illius in mediis hujus vitæ tentationibus usque hodie, et ambulaturus, ut sperat, usque in bonæ consummationis finem : « Omne enim datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio (*Jac.* I). Est item alius meæ institutionis domesticus, cui inter tractandum verbum Dei in ecclesia visa sit a quibusdam indubitatæ fidei hominibus jugiter, velut flammea lingua, de ore procedere, ipso interim nihil aliud, quam bonam in loquendo Dei gratiam sentiente, cui item in alio tempore visus est digitus manus cujusdam invisibilis, os jugiter signaculo crucis inter verbi divini tractatum consignare : qui et ipse alio in tempore factus in agonia, ac prolixius orans quasi scintillarum inter se discurrentium, maximeque faciem ejus replentium virtutem, et gratiam non parvo stupore ac miraculo persensit. Item ipsi in quodam natalitio die beati Ambrosii, cum solemnia missarum celebraret, visus est ipse beatus Ambrosius eidem sacrificanti assistere, ac simul cum ipso oblata consecrare ;

(4) Sive cælibatus in Clero defensores. Vid. Pag. in Crit. t. IV.

(5) Adscripsit hic in codice Tengnagelius : hinc liquet auctorem fuisse Salzburgensem, sed, ut scite pro more suo advertit Cl. Gentilottus, paulo ante Herlebaldum Mediolanensem suum quoque appellavit. Addo ego, Arnonem non sui, sed ordinis canonici nomine hic perorare.

alio quoque tempore, dum altari missam celebraturus assisteret, ubi ad canonem, et actionem cœlestium mysteriorum ventum est, visus est tanquam ignis quidam circa ipsum consurgere, qui paulatim adauctus tandem totum sacerdotem involvit, ita ut nihil aliud in eo, quam ignis videri potuisset; mirumque dictu, quod muri, qui medius interfuit, obstacula personæ cujusdam fidelis, cui id videre concessum est, contuitum impedire non valuerint, quin duplici, et in viso, et in vidente miraculo, ignis divinus per obstaculum parietis non aliter, quam si nihil interfuisset, videretur. Item alio in tempore eidem bonæ fidei et dilectionis personæ super eodem sacerdote quoddam secretum revelatum est, quod scitu forsitan non indignum sit. Erat ipse sacerdos inter tabernacula Cedar alienæ cujusdam, ut videbatur, iniquitatis circumdatus caligine, in qua sibi dissimulanda non tutum, quantum ad Dominum fuisset silentium, et quam rursus non sine persecutionis periculo discutere potuisset: cumque super hac re inter suos sermocinaretur, non sine quodam cordis sui vehementi calore dicens, utrumque esse laudabile videlicet non existente, vel penitus latente causa, pro qua pugnandum sit, in Christo pace frui, et propter Christum causa id postulante persecutionem pati, juxta dictum sapientis: « Tempus belli et tempus pacis (*Eccle.* III), » distinguentis; medium vero torporem, in quo neque pax, neque persecutio sit gloriosa, diceret viro ecclesiastico penitus respuendum, ne videlicet ipse respui mereatur a Domino dicente ad angelum Laodiciensis ecclesiæ: « Utinam aut frigidus esses aut calidus, sed quia neque frigidus es neque calidus, incipiam te evomere ex ore meo. » Cum, inquam, talia sacerdos prædictus sermocinaretur, seque his atque aliis ejusmodi verbis ad ferendam persecutionem animaret, persona illa præfata Christi, et ipsius in Christo dilectrix, non nesciens, atque fideli pietate recogitans in suis electis Christum et esse, et loqui, dum inter verba vultum loquentis contemplaretur, tale sibi incidit desiderium, ut in corde suo optaret ac diceret ad eum: Utinam Christi in te manentis et loquentis invisibile aliquod experimentum valeam agnoscere! dumque secum cogitationem tacita mente volveret, subito facies loquentis, velut olim facies Moysi ex consortio sermonis Domini splendida facta et quodam divino dominici vultus splendore induta, atque ultra, quam dici vel credi forsitan possit, in ipsam Christi faciem splendidam et gloriosam commutata est, ut prædicta persona videns hæc et multum delectata, in his a pio suo desiderio fraudata non sit, quo Christum in suo sacerdote videre concupivit; cum tamen inter hæc ipse sacerdos non aliud, quam divinum quemdam, solito tamen amplius, boni zeli in semetipso fervorem senserit, sicut intra sacrificandum, quando non aliud extra se, quam bonam Dei gratiam sibi inesse persensit. Et hæc sunt dona tua, Christe, atque hæc largitas donationum tuarum circa nos, Spiritus S. Paraclite D[...] sic humiles consolaris et mentibus sincer[...] nare consuevisti; juxta quod mater tua o I[...] id est vir, in quo est Deus, Domine Jesu [...] a te postulavit dicens: « Noli, inquit, regibu[...] muel, noli regibus dare vinum, quia nullu[...] tum, ubi regnat ebrietas, ne forte bibant, [...] viscantur judiciorum, et mutent causam [...] pauperis. Date, ait, siceram et vinum h[...] amaro sunt animo: bibant et obliviscantur [...] tis suæ, et dolores non recordentur amplius [...] XXXI). » De quibus verbis nunc per singula [...] dum non est. Et: « Gratias tibi ago, Domi[...] cœli et terræ, qui abscondisti hæc a sapien[...] prudentibus (*Matth.* XI), » regibus videlic[...] memoratis, mundi hujus consolationem hab[...] neque istam consolationem quærentibus, [...] recipere eam non valentibus, « revelasti a[...] parvulis; ita Pater, quoniam sic placitum [...] te (*ibid.*). » Qui et inter ejusmodi vision[...] apparentes ac præsentiam Spiritus sanct[...] declarantes, intus invisibiliter in sanctis a[...] operaris, dum eis juxta visionum formulan[...] dona spiritalia, verbi gratia sermonem sapi[...] scientiæ, vel etiam fortitudinis constanti[...] aliud ejusmodi donorum infundis, in quibus [...] tui consolationem habeant, et dum exerc[...] his, egestatis suæ obliviscantur, et doloris [...] cordentur amplius; per quos loquentes, [...] bentes, dum quilibet cæterorum vocem [...] sanctus audierit, nescit, unde veniat, aut [...] dat.

Parco autem in talibus gloriari, etenim n[...] dit, ne forte dicatur mihi: « Ecce somniato[...] venite, occidamus eum (*Gen.* XXXVII). » Lic[...] et sic tacenti, et in humilitate Domino se[...] malis quibusdam agricolis dicitur mihi: « [...] hæres, venite, occidamus eum et nostra e[...] ditas (*Matth.* XXI). » Quippe in sedibus ep[...] bus non in tantum timetur ordo monastic[...] aut griseus, braccis vestitus, aut spoliat[...] neque novitiæ adinventionis adeo timetur c[...] neis tunicis adopertus, ut in ipsis sedibus [...] hæres legitimus sedere debeat; sed in me[...] sticis laneis ac pelliciis ad necessitatem, et [...] sui ordinis honestatem simul et mysteriu[...] ctis bissinus vestium Aaron candor et Jac[...] stoli collobium album pertimescitur, unde [...] ei: « Hic est hæres, etc. » Nec vero debuer[...] meæ, videlicet domesticæ animæ, suæ in[...] Idcirco abhorrere habitum, quod in eo lup[...] plurimos viderint contectos; cum et p[...] Deus de lupis agnos facere, aut lupis eject[...] introducere: in quo etiam ordine hoc fors[...] diabolus, quod ad similitudinem primævæ [...] tionis Apostolorum, ita mediocriter et con[...] omnibus institutus est, ut in eo non solum [...] sed et mulierum agmina, in suis termini[...] nienti clausura distincta, cohabitent; par[...]

que pueri et puellæ, senes cum junioribus nomen Domini in eo laudent: sicut per Isaiam in typo prædictum est: « Quomodo leone cum bove, vitulo quoque cum urso, et lupo cum agno commorante, simul et requiem habituri essent catuli eorum: » sic videlicet nostro vero Jacob viæ suæ processum moderante, sicut viderit greges suos et parvulos posse, quos si plus in ambulando cogeret laborare morerentur una die cuncti greges. Sed et Moyse in meis domesticis viris, vere Israelitis, cantante Domino gloriose magnificato, Maria simul cum mulieribus, communis vitæ choros ducentibus, idem canticum et musica melodia concelebrat dicens: « Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est (*Exod.* XV). » Ut videre sit prope crucem Domini hinc discipulus in masculino, hinc mater in feminino sexu discipulo commendata assistere. Videant principes et irascantur, dolores obtineant habitatores Philisthim, Moab obtineat tremor, obrigescant habitatores Chanaan, irruat super eos formido et pavor in magnitudine brachii tui Deus; dum verus Israel te duce ad terram promissionis, terribilis, ut castrorum acies ordinatus incedat. Sed et illud in meis domesticis odit forsitan diabolus, omnium bonorum inimicus, quod juxta præceptum Domini a gemino fermento cavere studiosi, hinc mundanæ superfluitatis pompa et illecebris tanquam Herodis fermento se abstinent, hinc vero a novitatis superstitione, tanquam fermento Pharisæorum cavent, usum videlicet Ecclesiæ antiquum, tanquam in habitu, in abstinentiæ, ac jejuniorum, et officiorum divinorum modo, auctoritatem reputantes, et ab eo non facile, vel in dextrum, vel in sinistrum declinantes, ut juxta regulare P. Augustini præceptum solliciti, tam in nobilitate, quam in austeritate, tam in pretio, quam in utilitate vestium cavere videantur, « ne sit notabilis habitus eorum. » Ecce enim in tonsuris et rasuris capitum suorum Christo capiti suo, regi suo summo et sacerdoti vero, quem et unxit Dominus Deus in regem et sacerdotem, in prophetam et dominum præ participibus suis, ipsi, de quibus loquor, domestici mei, regalis ac sacerdotalis unguenti participes effecti, cupientes et in schemate visibili configurari, non sicut mos quondam hæreticorum erat modicum in summitate capitis circulum radentium, quæ et hodie penes quosdam perduravit abusio, sed juxta Patrum diffinitionem totam capitis superficiem radunt, inferius solam circuli coronam relinquentes, ut in rasa, vel plana parte capitis sacerdotalis thiaræ schema sit, et in circulo capillorum regalis coronæ præfulgeat insigne; et ne videlicet quempiam illorum more Absalonis gravans cæsaries, etiam peccaminum mole oppressum reddat notabilem, vel tanquam more Judæorum, velamen adhuc super cor habentium, non coronatus ac infulatus, sed quasi pileatus incedat. Nunc vero in rasa parte, ut dictum est, capitis recte sacerdotalis sanctimoniæ in nobis signum est, ut, quomodo inter summitatem capitis nostri ac cælum nihil medii obstacli interest, ita mentem nostram curis terrenis spoliatam orationis tempore, quo minus Deo immediate cohæreat, nihil valeat retardantis sollicitudinis obtexere. Verum, quoniam in his non secundum carnem, militantes tamen in carne ambulamus, in qua, ut novit Pater noster cœlestis, omnibus etiam terrenis subsidiis indigemus, decet in viro perfecto, eadem terrena subsidia congrue dignitati mentis subordinari, juxta quod dicitur: « Læva ejus sub capite meo (*Cant.* II); » ita videlicet, ne gravent spiritum, aut mentem obnubilent, sed prudentis dispositionis ordinatione coronent; ut hic sapienter contemplando, hinc prudenter disponendo, vel agenda, sacerdotalis regni non incassum insignibus decoremur. Jam vero, quoniam ista perfectio, ac perfectionis conservatio, non unius diei opus est, siquidem et affectionum nostrarum pili, non radicitus evulsi, sed propositæ semel sanctimoniæ novacula rasi, tantum de reliquiis innatæ nobis ac residentis apud nos miseriæ mentis nostræ puritati increscunt, ut curam carnis facientes, vel temporalia procurantes metas necessitatis excedimus, et curas superfluas, sensus onerantes, multiplicamus, juxta quod scriptum est: « Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (*Sap.* IX); » hinc illa per quotidianam pœnitentiam et confessionem mutuam crebra nobis innovatio necessaria est, in qua renovatur sicut aquilæ juventus nostra, quam Psalmista inquirens, « exercitabar, inquit, et scopebam spiritum meum (*Psal.* LXXVI). » Ob cujus innovationis forinsecam significationem, juxta quod dictum est ad nos: « Mundate, quæ intus sunt, et, quæ foris sunt, munda erunt, » et corporum nostrorum capitibus per lavationem, novacula et forcipes crebras innovationes admittere solemus, ut in hac quoque parte sacerdotalis, vel clericalis ordinis tanquam Ecclesiæ sponsi manus tornatiles per mysticas cœlestium rationes aureæ, ac plenæ hyacintis sint.

Ut autem tam rasæ parti capitis, quam capillorum ordini suum jus conservetur, ita, ne alterutræ plus minusve parti detrahatur, vel addatur, hæc norma rasuræ visa est apud quosdam prudentes cuilibet capiti clericali competere, ut videlicet lineæ caput ambientis tertia pars a labio coronæ ad labium in transverso capitis pertingeret, quæ quidem mensuræ formula in bene rotundis ac sphæricis capitibus etiam rasuræ longitudini congruit: cui tamen in oblongis capitibus aliquid adjiciendum non est, ne ordo capillorum caput in modum coronæ ambiens æqualis latitudinis appareat. Et hæc quidem mensuræ cautio propter quosdam, vel nimios, vel tepidos, et irreligiosos necessaria adnotatu visa est. Sane hæc cœlestis numismatis formula semel in nobis bene cœpta, ne per tonsoris, vel rasoris incuriam depravetur, ad Patris cœnobii diligentiam pertinebit, per singula rasuræ tempora capita contemplari, vel alteri diligenti inspectori videnda et emen-

danda rasuræ vitia committere, qui providebit, quod et tota capitis superior pars juxta jam dictam mensuram radatur, et inferior coronæ extremitas auriculæ solum summitatem attingat, et auris tota pateat. Hanc vero tonsuræ et rasuræ formulam post legalem in Nazaræis et evangelicam in apostolis auctoritatem, et a Toletano concilio tertio legimus introductam : cujus capitulum XLV (6) ita se habet: « Omnes clerici vel lectores, sicut levitæ et sacerdotes detonso toto capite superius, inferius solam circuli coronam relinquant. Non sicut huc usque in Galliciæ partibus facere lectores videntur, qui prolixis, sicut laici, comis utentes in solo capitis apice modicum circulum tondent, ritus enim iste in Hispaniis hucusque hæreticorum fuit. Unde oportet ut, pro amputando Ecclesiæ scandalo, hoc signum dedecoris auferatur, et sit una tonsura vel habitus, sicut totius Hispaniæ est usus : qui autem hoc non custodierit, fidei catholicæ reus erit. » Similiter et in toga linea candida talari et apostolica, quam superpellicium dicimus, antiquum Ecclesiæ usum retinentes, et crucis in ea Dominicæ formulam prætendentes, nihil novitatis admittunt; in lineæ vestis candore vitæ innocentiam carnisque munditiam multa castigatione elaboratam, in amplitudine charitatis largitatem, in longitudine usque ad talum operis boni usque in finem perseverantiam significantes, simul et beatos se pacificos demonstrantes, eo, quod et Romani proceres in pace talari toga usi antiquitus sint : cujus etiam tunicæ lingua semper soluta et apta est, et semper paratos ad satisfactionem poscenti nos rationem, et potentes exhortari in sana doctina demonstrans, et contradicentes redarguere, et utiles esse in sermone ædificationis docendo, et erudiendo in omni loquendi tempore, debere; sicut decentius linguæ interulæ vel camisiæ semper clausa, et sursum nexa est, cordis nostri et oris a vaniloquiis et malis sermonibus æternam custodiam vel clausuram significans, qui et ædificationum colloquiis interdum propter taciturnitatem abstinere debemus, ut in veritate cum Propheta dicere Domino valeamus: «Secretum meum mihi, secretum meum mihi. » Item : « Obmutui et silui a bonis (*Isai.* XXIV). » Et illud : « Posui ori meo custodiam, cum consurgerent peccatores adversum me (*Psal.* XXXVIII). » Raro namque tacuisse pœnituit, sæpe nocuit esse locutum : « Mors quoque et vita in manu linguæ (*Prov.* XVIII) ; » Et : « Qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir (*Jac.* III).» Linguam vero nullus hominum domare potuit; quod ergo apud homines impossibile est, apud Dominum possibile non dubitatur : proinde sursum cordis nostri, et oris lingua nectitur, ut, quomodo a terrenis vel humanis eloquiis clauditur, eo divinorum eloquiorum et cum Domino soliloquiorum secretis inseratur, sic enim « non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei (*Matth.* IV) : » ita et lingua non solum sed et divini eloquii, vel colloquii minis est, nec se addicet de immoderatione sile homines, cui cum Domino, et angelis mi orationes colloquia concessum sit; quod quoque tunicæ pelliciæ significari non inc ter intelligitur, hanc etenim quia interdu usum calore corpus confovendi ac frigo lendi claudimus, nunc vero laxam relinqui flante Austro aeris melior temperies obv in hoc mysterii subesse potest, quod D omni, id est tam in adversitatis, quam in tatis tempore a nobis benedicendus, et j migraphi dictum : « Semper laus ejus in stro esse debet; seu secrete oremus cont licas tentationes submovendas, et Spirit gratiam invocandam, seu laxata lingua in tibus Ecclesiæ communibus laudes ejus altisonis concelebremus, ut tali modo in et egredientes sanctuarium non sine sonit mur, et pascua ubique inveniamus, sempe sive aquilone surgente, sive austro cordiu rum ortum perflante fluant aromata illius.

Est etiam ad habitum nostrum pertin vestis lanea, quam procurator domus mea nus birrum nominat, quæ corpus undique quasi exequiali tegmine capiens et involv litatem in nobis mortificationis et abrenun mundi significat. Sicut enim, qui cappa mundo quodammodo seclusus, ac si p craliter inclusus est, ita ut facile nequeat cere, vel manus ad pugnandum vel reperc expedire, sed neque ad amplexus mundia dere, pallium enim hoc breviatum et co tum utrumque operire non potest ; ita se mei mundo mortuos, et ab omnibus m pompis, operibus et illecebris remotam a debere meminerint. Et hujus nobis vestis tidianus, maxime vero quadragesimali, tendi tempore usus est, ut nos non solu sed et quotidianorum delictorum pœnit debere noverimus. Jam vero si hujus ves nas hinc inde nos contegentes alas cum tunicæ talaris partibus, id est anteriore et re, et duabus manicis adnumeres, quid sex alarum Seraphim volatu in nostri quo tus sanctimonialis sacramento reperies? quoque et abstinentiis antiquum Ecclesia retinere studentes nunc biduanis, vel tridua et quotidianis jejuniis se castificantes, ac cætera dominicalia, sed et apostolorum tyrum festa æque dominicalibus celebria a jejuniorum observantia, gemina videli rum refectione illorum gaudio natalitio, dum carnem interim mysterio communica rum passionibus ac justitiæ per vigilias, præcedentia visi sunt condoluisse; ne vi

(6) Transcriptoris hic vitio error irrepserit, nam verba nunc adducta non in concil. Tole in IV, capitulo 40, vel ut alii 41 habentur.

Symbolo Apostolico Sanctorum communionem inaniter profiteri videantur, quorum nec passionibus condoleant nec lætitiæ congaudeant. Scientes quoque bonum esse non comedere carnes, sic in communibus refectoriis esu earum abstinent, ut tamen earum usum infirmis, quousque vires reparent, puerisque ac debilibus, nec non et hospitibus, convenientibus temporibus et locis, non negent, sed et in cœnobiis pauperioribus in piscibus et lacte minus abundantibus sagiminis usum pro condimento olerum et leguminis diebus interpositis non absciderunt, non solum in personis, sed et in congregationibus possibilitatis facultatem pensandam æstimantes; qui tamen alios cœnobitas his penitus abstinentes et consolationem in talibus infirmis suis et pueris denegantes, sed et hospites ad regularis abstinentiæ tenorem destringentes, non quidem judicant, licet eos nonnullæ indiscretionis coarguant, eo, quod a Patribus terminos constitutos excedant: nam esse velle quempiam nostri temporis hominem Augustino et Benedicto sanctiorem, meliorem, sapientiorem, ac discretiorem superstitioni potius, quam religioni deputabitur, cum sufficiat discipulo, ut sit sicut magister ejus, ne forte Apostolica illa increpatione denotetur: « Ne tetigeritis, neque contrectaveritis, etc. (*Coloss.* II). »

Sed neque comedentes, et usum carnium semel, aut bis in hebdomada mensis regularium fratrum admittentes temperate; apostolica conventi sententia spernere audent, maxime, si in illis regionibus habitant, ubi fratrum ejusdem ordinis districtius viventium major multitudo aliud fieri non requirat; etenim, cum in omni professione meliores imitandi sint, sicut esse puto superstitionis, aliquid præsumere cœnobium, quod nec regularia dictant præcepta, nec majorum cohortantur exempla, ita flagitii existimo, alios infra bonorum, inter quos conversantur, consuetudinem residere, maxime si causa, quæ id fieri cogat, nulla rationabiliter existat. Scientesque mei domestici cultum esse pietatis silentium nocturnis horis ac divino officio, seu lectioni deputatis temporibus, videlicet in mane per duas horas diei, in quas nonnulli ac fere omnes pene religiosi lectionis et spiritalis exercitii tempus transtulerunt, in profestis quoque diebus, et quadragesimalibus continue, in locis quoque sepositis, id est oratorio, dormitorio ac refectorio sic student silentio, ut a bonis quoque loquelis linguam cohibeant, nisi illi, qui præest, aliquid ordinare incumbat, quod et ipse cum quantum potest verbis paucioribus et minore strepitu ordinabit, aut alicujus signi nutu vel sonitu demonstrabit. Sedentes quoque ad opera domestici mei a mane, dicta videlicet circa initium ipsius horæ tertia de sancta Maria, et capitulo peracto usque ad tertiam majorem, tacent, nisi necessitas exigat, ut loquatur quis: et hæc major tertia propter tempus operis percelebrandum, tempore maxime æst vo, tardius inchoanda erit, ut sexta, quando missæ peractæ competen-**A** ter, valeat continuari: in quo videlicet operis tempore loquelam sic moderari meorum domesticorum studeo, ne cultus pietatis idem silentium excludat, dum quisque cum sibi cooperante, quod ad necessitatem pertinet, sine strepitu vocis colloquitur, sicut Martha sororem suam Mariam, Evangelio referente, vocavit sub silentio dicens: « Magister adest (*Joan.* XI); » ubi et paucitas in verbis, et in voce modestia silentii gratiam non excluserunt. Si vero cuiquam plura loquenda videntur, eum, cum quo loquendum est, adhibito senioris testimonio extra conventum operantium educet: nisi forte is, qui præest, aliquid in commune dicendum judicaverit. Si dies jejunii est, post dictam sextam his, **B** quibus permittitur, usque ad nonam lectioni vacandum est, nisi forte per dies æstivos huic tempori propter meridiandum, et parcendum oculis aliquid detrahendum videatur. His vero diebus privatis, quibus solvitur jejunatio, postquam dicta sexta refecerunt fratres, simul et mensarum servitores, cum etiam signo ad hoc dato diebus æstivis meridiatum fuerit, dicta etiam nona, sive in horto, sive ubi necessitas postulat, operandum est, quod item faciendum est, si post nonam fratres refecti sunt; in quo nimirum opere hoc ad honestatem simul, et exercitii rationem spectare credimus, ut non vulgari lingua, sed litteratorie sermones necessitatis et utilitatis conferant, hoc omnibus in commune caventibus, ne multiloquium, seu vaniloquium grassari incipiat, aut verbum scurrilitatis audiatur. **C** Quod si quis admonitus continuo a talibus non cessaverit, disciplinæ regulari subjacebit, sicut etiam propter multiloquium, in quo peccatum non deerit, submovendum, id consuetudinis piæ caute assumpserint, ut non nisi cum priore, vel illo, qui operi præest, id, quod necessitas postularit, loquantur. Si vero de divino officio aliquid tractandum est, vel in capitulo sedendo, vel post capitulum, si Rectori ordinis placuerit, aut certe post nonam dicto benedicite stantes breviter facient: quod si opus forinsecus, etiam post nonam, defuerit, ad opera sua interiora usque ad vesperam cum disciplina residebunt. Ut autem cursus quotidianæ nostræ dietæ honeste et secundum ordinem fiat, non parvæ **D** cautelæ studium ad observanda horarum signa et suo tempore pulsanda adhibent, videlicet, ut ad nocturnas vigilias media nocte surgatur, et in tempore hiemis primo illuscescente die per æstatem vero sole mox orto, prima pulsetur, et per hiemem circa finem tertiæ, per æstatem vero, ut superius quoque dictum est, tam diu tertia differatur, ut missa cum subsequente sexta eidem valeant congrue continuari: nam ne tertia hora sine oratione transeat, in ejus principio tertia de sancta Maria præsumenda est, et sic ad capitulum accedendum.

Nulla sane dies prætereat, in qua lectionum ad minus duarum horarum spatium non relinquatur, et hoc per æstivos dies, sive in mane, ab idibus vero Septembris usque ad pascha, sive in mane, sive a,

sexta usque ad nonam teneatur, indifferens esse arbitror, nisi, quod in uno ad regularem constitutionem magis acceditur. Quotidie sane suo tempore lectionem non prætermitti propter hoc magis approbo, ne videlicet ea prætermissa diurni cursus diæta velut cæca sit, siquidem lectio post orationes et laudes Dominicas ejusdem diætæ nostræ quidam oculus est; qui si nullus vel tenebrosus fuerit, totum diætæ corpus tenebrosum erit. At vero, si is, qui præest, aliquando, causa id postulante, etiam tota die operandum, vel toti conventui, vel aliquibus nominatim, aut per vices nunc his, nunc illis injunxerit, in his, ut æstimo, fructum lectionis obedientiæ meritum recompensat, maxime, si opus intumultuose, ac pro silentii moderamine agatur, quibus etiam in jejuniis per dies maxime æstivos relaxandum, et psalmodia canonicarum horarum non tonatim, sed dictante agenda erit. His etiam nocturnum silentium, ac profesti dies toti silentio, ac spiritali exercitio deputandi animum quieti restituere, et id, quod minus lectioni impensum est, recompensare poterunt. Sed et his ipsis diebus vacationum is, cui forte in lectione vel oratione somnus obrepit, ad aliquod tale opus dirigendus erit, quod ejus torporem discutiat et aliorum quietem non conturbet. Nona etiam diebus vacationum hora ipsa incipiente, reliquis vero diebus octava ultra medium vergente sonet propter somnum per æstivos dies breviandum et prandium per dies jejuniorum causa infirmioris ætatis, vel sexus maturandum : ab idibus vero Septembris non ante horæ ipsius initium nona pulsanda est. Vespera quoque per dies æstivos incipiente undecima, per hiemales vero cum diurna sedentibus ad opera incipit minui, pulsetur, cum etiam post vesperas, ubi conventui procedendum vel sedendum erit, laternæ duæ vel tres pro quantitate conventus deferantur. In Psalmodia quoque hoc amo, ut mediocriter, item ut neque nimis correpte, neque nimis producte, tamen cum distinctione ac tonatim fiat, nec nimis remissa, nec nimis altisona voce proferatur : in qua ad rectorem ordinis pertinebit, mediæ distinctionis silentio interdum propter collectam populi, vel aliam rationabilem ob causam omisso, correptius canere, vel rursum absente populo, solemnizandi gratia, aliquantum protrahere; ad hoc enim et legis præceptum pertinere videtur, quando dictum est a Domino ad Moysen : « Si prolixior atque concisus clangor increbuerit, movebunt castra (*Num.* v). » Et paucis interpositis : « Quando, ait, congregandus est populus, simplex tubarum clangor erit, et non concise ululabunt. » Multiplicationem vero familiarium Psalmorum sicut non requiro, ita nec linguis in hujusmodi loqui prohibeo, maxime hoc approbans, ut id studii psallentes et orantes habeant, quatenus quod ore profertur, mente versetur, et ne operis ac lectionis exercitium, vel secretæ orationis turtureum sacrificium per orationis et psalmodiæ in communi percelebrationem excludatur, cum hoc oporteat fieri

A et ista non omitti. Sane quia psallentibus nocturnis horis desidia et somnus obrep quod nimis, si in consuetudinem venerit, perniciosum est animæ, solent diligentio vigiliarum in choro unum custodem pone medio chori stans, interdum et sedens oportuerit, obambulans, ei, quem dormie torpidum viderit, librum porriget, cui, s gnificans vigiliam suam, non inclinaverit, ipsum posito eum suscitabit, sicque in lo perget, et alius, qui deprehensus est, vice plebit tandiu, donec et ipse alii dormien eadem conditione posuerit.

Non solum autem, sicut dictum est, vig choro custodes adhibentur, sed et discipl
B claustralis custodes deputantur, quos circ circumspectores vocant eo quod, tempo silentii, claustri interiora circumeundo c ciant, qui si quos a sedibus sibi deputat ac moras in absentia facere, vel in ipsis non, quibus oportet, intentos, aut certe tres alicubi inordinata collocutione sibi j prehenderunt, mane in capitulo proclam et quilibet fratrum, quod ab alio excess hendit, ibidem proclamabit, habito tam post dictum benedicite silentio, quatenu seipsum, in quibus oportet, accusandi beat, juxta quod scriptum est : « Justus pio accusator est sui (*Prov.* XVIII). » Pr
C autem quispiam continuo surgens in medi et audita causa, toto prostratus corpore, liabit, qui et jussus surgere verba confes militer proferet, aut si habet unde se ve cusare valeat, et major causa fuerit, peti id faciet, excluso penitus tumultuario s capitulo ; pro quo etiam excludendo non inter se fratres mutuo verba conferent, s dicendum erit, ad eum, qui præest capi mone directo proferatur. Sed nec de ca munibus illic agendum est, aut de cibo et vestitu causandum erit, sed capitular causæ, et quæ ad ordinis observationem, nis munitionem, seu decorem pertinent, p tur, quibus pertractatis, si rectori placuer
D etiam de aliis dicere, quæ causa postula erit inconveniens.

Proclamatus vero in capitulo frater, si tinuo verba confessionis proferens se hu sed potius verba defensionis ad excusand tiones in peccatis protulerit, non per hoc tem lucrabitur, nec diu cum ejusmodi pl erit, sed si causa evidens est, et de cul quæstio agitur ; seniores vel etiam conve hoc consulendus est, qui si culpam adju tunc quasi convictus gravius puniatur ; si ei, qui præest, visum fuerit in pœnite ductus, non inde exeat, donec reddat om usque ad novissimum confessionis qu scriptum est enim : « Ex verbis tuis jus

et ex verbis tuis condemnaberis (*Matth.* XII). » Quod si vera, et ex corde ejus confessio fuerit, et sibi, et aliis proderit; sin vero ficta, minor ejus ex hoc jam erit damnatio, quod alios pravæ defensionis non corrumpit exemplo. Confiteatur sane, etsi ipse culpam suam quadam cæcitate cordis obscuratus nondum plene cognoscat; confiteatur inquam hoc, sine dubio sciens, aliorum super causa sua, quam suimet ipsius verius esse judicium. Fieri autem æstimo, ut ex talis confessionis merito, quæ si non ex scientia, tamen ex fide est, respiciente se Domino, culpam suam et ipse illuminatus agnoscat, agnoscens ingemiscat atque ingemiscenti divinitas propitiata ignoscat. Quod si in finem quispiam obduratus contra propriæ conscientiæ judicium nolens confiteri perseverarit, cum tamen vindictam ferre non recusaret, ejusmodi non tanquam pestilens, vel mortuus projiciendus, sed velut infirmus et claudus, sive cæcus tolerandus esse videtur, de qualibus procurator domus nostræ Augustinus: « Malo, inquit, habere claudos, quam plangere mortuos. » De his vero, qui vindictam ferre detrectant, tanquam pestilentibus ac mortuis, ipse in regula præscribit dicens: « Convictus vero debet emendatoriam sustinere vindictam, quam si ferre recusaverit, projiciatur de vestra societate; non enim et hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat. » Hæc autem projectio, vel separatio intus primo, videlicet a mensa, vel a choro, vel a colloquio fit, quibus si curari nequiverit, tunc demum is, qui ejusmodi est, tanquam membrum præmortuum resecandus, ac de toto congregationis cœtu pellendus et projiciendus erit, adhibita tamen, ubi oportuerit, moderatione, quam præscribit Gelasius papa in hæc verba: « Si quis, inquit, post professionem secundum regulam beati Augustini exhibitam fratres in canonico ordine Deo servire volentes inquietaverit, et litibus, et assiduis contentionibus operam dando, Deo et regulæ inobediens conventum indesinenter conturbaverit, hic talis, taliterque conversando, si ad aliquem locum, in quo sub præposito secundum sui ordinis præpositum salvari possit, ire consilio sui præpositi, suorumque fratrum voluerit, licentia data discedat. Si autem contumaciæ spiritu ductus, non causa salutis animæ suæ, sed amplioris viæ volutabra replicandi, et cum corvo ex arca egresso carnibus et sanguinibus crassari ac pasci magis, quam cum columba virtutibus refici delectaverit, absque benedictionis licentia juxta prophetam secundum desideria cordis sui dimittatur: infidelis enim si discedit, discedat; non enim hoc juxta beatum Augustinum fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat. Verum tamen si extra positus fratres, vel domum inquietaverit, secundo vel tertio admonitus non resipuerit, a præposito et fratribus excommunicetur (7). » Sane adolescentior ætas non leviter excommunicationibus etiam minoribus ne dicam majoribus subjicienda est; quippe, quæ ex levitate animi interdum separationibus gaudet magis, quam ut corrigatur ex eis, quin potius cum rebellare cœperit, post correptiones verborum, virgarum, et jejuniorum, et silentii adhibitas, ergastulis et reclusionibus magis, quam ut suo beneplacito admittatur, destringenda erit, donec certo, ac diutino probetur experimento, si forte viam suam velit in melius corrigere, quemadmodum scriptum est: « In quo corrigit adolescentior viam suam (*Psal.* CXVIII). » Pueri vero delinquentes virgis, ac ferulis pro majoribus minoribusve excessibus corriguntur; melius autem est, ut per virgæ custodiam ab excessibus quam maxime cohibeantur, propter quod oportet, ut nunquam ex eis senioris, vel pædagogi desit custodia, per quam etiam cura tenuiori ætatulæ necessaria congrue valet provideri. Adolescentes quoque, cum de schola puerorum, et de sub virga, in conventum seniorum, et capitularem disciplinam assumuntur, non suæ voluntatis arbitrio, non otio et vagositati permittentur, sed et ipsi, vel singuli, vel bini, vel terni sub seniorum erunt custodia, sub quorum conscientiæ in sedibus deputatis legant, et operentur, nec absque certæ rationis causa moras extra loca sua sineatur facere.

Commune sane erit omnibus, tam senioribus quam junioribus, extra septa claustri in quadro positi, absque præpositi, vel decani, seu prioris, et absque certæ rationis causa non procedere, exceptis duntaxat officialibus, videlicet cellerario et camerario, eorum quoque cooperatoribus, et his, qui extra eadem septa assignatas habent obedientias. Sed nec ipse monasterii pater, sive præpositus, extra cellam pernoctandi consuetudinem habeat, causa egressionis suæ decano, seu priori non indicata: si vero longiorem extra intendit moram facere, vel senioribus, vel toti conventui, si dignum erit, egressionis suæ causas intimabit. Sic autem et in certis majoribus rebus, quæ agendæ, vel disponendæ erunt, non suo utetur arbitratu, sed nunc seniores, nunc et totum conventum adhibebit ad consilium, ut, quod omnibus, vel potioribus placuerit, illud submoto murmuris scandalo perficiatur. Mensa ejus erit cum hospitibus præsertim, qui spiritalis, id est canonicæ vel clericalis, seu monasticæ professionibus sunt, qui etiam supervenientes, maxime de remotioribus partibus, prout reverentiæ ipsorum qualitas expetierit, nunc a toto conventu, nunc ab aliquot fratribus sibi cum psalmodia occurrentibus, pia alacritate suscipiendi erunt, tanquam in quibus Christum habitantem suscipiamus, et sic intra septa claustri ad mansiones sibi dispositas introducentur; in quorum etiam mensa lectio non deerit propter multiloquii inutilitatem submovendam, et ut spiritalibus collationibus major præbeatur occasio: cæteri vero, qui sæcularis vel militaris pro-

(7) Videatur de ejectione c. Cum in Ecclesiis de majorit. et obedient.

Hæc Prosper, qui dum dicit « in domibus suis, » intelligendum est, non quas hæreditario, vel proprietatis jure, sed ecclesiastica cura seu beneficio possederint; sicut de discipulo quem diligebat Jesus, scriptum est, quod Matrem Domini in sua acceperit (*Joan.* XIX), qui tamen nihil proprietatis jure, sed de rerum communium distributione suam et a se procurandorum portionem communicandi affectu et usu possedit. Bene autem et caute a Prospero distinctum est ita, ut diceret : « sive in domibus suis, sive in congregatione ; » ut non simul domum privatam habere, et insuper in congregatione manere quemquam posse intelligas. Hos vero clericos, quos dicit « cum perfectione virtutis necessaria vitæ » in domibus suis viventes accipere, ego esse arbitror legitimos sacerdotes Dei in populo, qui domus quidem ecclesiasticas, sed suas et suo jure possidentes, decimarum et oblationum se contingente portione congrue sustentantur, tali nimirum vita degentes, quæ perfectione virtutis perornata sit. Nam clericos extra sacros ordines constitutos, quibus etiam SS. canones sortiri uxores et stipendia sua extra accipere permittunt, non eum posse significare intelligo, siquidem illi mundialibus laqueis implicati, porro infra culmen perfectionis constituti sint, dicente Domino, ac regulam perfectionis præscribente sic : « Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me (*Matth.* XIX). » Ab hac namque perfectionis regula adhuc extorres fiunt, qui dicere possunt : « domus mea, ager meus, servus meus, ancilla mea. » De quolibet dicit procurator domus meæ Augustinus, quoniam, quandiu hæc dicere possunt, liberi a diaboli laqueis non sunt.

In eis quoque dictis congregationibus, quæ contra professionis suæ nomen et normam in domibus suis privatim ac segregatim vivunt, non nescio, aliquos esse, etsi non per omnia probabiliter, tamen tolerabiliter secundum judicium humanum conversantes, quos judicium veritatis sub defensionis meæ scutum non admittit, quia proprias adhuc substantias possidentes nondum perfectionem virtutis attigerunt, salvari tamen inter perfectos possunt, siquidem eos, quos noverunt, aut putant perfectos, diligunt, juxta quod scriptum est : « Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur (*Psal.* CXXXVIII). » Salvari, inquam, possunt, si, ut foris apparent hominibus, criminibus et vitiis absolutam vitam ducentes, seque ministerio, seu vacationi verbi mancipantes, aliorum interdictis officiis comministrando et communicando auxilium non præbuerint, nec, cum quibus eis est una communio, causa etiam communis sit ; de qualibus, ut item ait Prosper, dicere videtur Apostolus : « Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt, et qui altari deserviunt cum altari participant (*I Cor.* IX). » Qui, nisi hoc de contemptoribus facultatum suarum vellet intelligere, nunquam secutus adjungeret : « ita et Dominus ordinavit his, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. » De Evangelio, inquit, vivunt, qui nihil habere proprium volunt, qui nec habent, nec habere concupiscunt, non suorum, sed communium possessores. Sic juxta rationabilem Prosperi et apostolicæ doctrinæ concordantem sermonem sacerdotes et clericos etiam extra cœnobia probabiliter conversantes, sub defensionis meæ tutela susceptos esse non injuriosum est.

Hæc vero quasi scutum defensionis nostræ de consuetudinum nostrarum omine, et conversationis nostræ contexens thematem, tanquam vita communi in clero pro se loquente, et in Domino gloriante perstringere volui, factusque sum insipiens, sed coactus ab his, qui de sua quasi singulari sanctitate in immensum gloriantur, studentes, ut de ordine canonico ad monasticum vel unum faciant proselytum, quem cum fecerint, timendum, ne forte filium gehennæ perfecerint habentem damnationem, quia primam fidem irritam fecit ; qui etiam inobediens S. Romanæ Ecclesiæ convincitur per Urbanum papam hoc præcipienti atque dicenti (8) : « Mandamus et mandantes universaliter interdicimus, ne quisquam canonicus regulariter professus, nisi, quod absit ! publice lapsus fuerit, monachus efficiatur : quod si decreto nostro contraire præsumens facere tentaverit, ad ordinem canonicum præcipimus ut redeat, et deinceps memoriale præsumptionis suæ cucullam deferat, et ultimus in choro maneat. » Et quidem de hoc verbo apud quosdam contentio, vel dubium est, utrum deferre, an deserere cucullam in præcepto sit ? Nos vero de verbo non contendimus, illud tamen indubitanter scimus, ipsum præcepti datorem Urbanum papam secundum ac post ipsum alios Romanos pontifices ejusmodi præsumptoribus cucullam detraxisse. His concinit Innocentius papa II per epistolam quam in defensionem canonici ordinis scripsit in hæc verba (9) :

« Innocentius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Conrado Salzburgensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem. De dignitate et excellentia vitæ canonicorum multa nos docet divina Scriptura, et multa possemus dicere, quod vita canonicorum vita est apostolica, quoniam apostoli contemptis omnibus hac vita cum Domino vixerunt, et post ascensionem cum multitudine credentium, cujus erat anima una et cor unum, hac vita viventes eam posteris suo exemplo tenendam reliquerunt. Quod martyr et pontifex Urbanus ad informationem fidelium in suis decretis memorare curavit, dicens : Scimus vos non ignorare, quia

(8) C. Mandamus 19, q. 3.

(9) Habetur etiam in lib. V Miscell. Baluzii. Est hic Conradus I qui canonicos Regul. sub norma D. Augustini Salisburgi instituit, 1147 fato functus. Hist. Salisb.

cutus, tamen villosam tunicam pro hieme monachis concesserit. Pellicia sane tunica, qua uti solemus, quid aliud est quam tunica villosa? Etenim villosam esse manifestum est, tunicam vero esse negari non potest, cum in Genesi scriptum sit (*Gen.* III), quod Dominus Adæ et uxori ejus tunicas pellicias dederit. Sed unusquisque in suo sensu abundet; atque utinam omnia in ædificationem et non in aliquorum destructionem fiant! sed et si aliqui aliter sapiunt, et hoc illis Deus revelabit.

Hæc autem non in derogationem illorum, de quibus loquimur, fratrum dixerim, qui mihi fere in omnibus admirandæ et prædicandæ humilitatis et sanctimoniæ patientiæque videntur, inter quos etiam nonnullos illustres viros tanquam luminaria cœlestia veneror et amplector, sicut enim in ordine nostro Hugo (13) per donum scientiæ magnifice illuminatus nostris temporibus tanquam stella matutina effulsit, et quomodo in ordine Cluniacensium Rudbertus abbas Tuiliensis (14) totius pene Veteris ac Novi Testamenti expositor illustris, ordinem illum aureum tanquam topazius exornat, ita in ordine Cisterciensium abbas Clarevallis Bernardus, dono humilitatis ac sapientiæ præditus, magnum cœlestis aulæ luminare est, et eximium illius ordinis ornamentum. Similiter et Norbertus archiepiscopus magnificæ doctrinæ dono præpollens haud dubium, quin et ipse in Ecclesia Dei luminare præclarum effulserit. Sed ipsi, quos ex eis sapientiores novi et veneror, non alia de his, quam quæ sentimus, sentiunt; nam et abbas Clarevallis Bernardus de nostro ad suum ordinem transfugas improbat, et Pater Norbertus lanearum tunicarum in clero inductor idem ipse suæ institutionis postmodum exstitit corrector. Etenim, cum esset junior cingebat se, et ambulabat, ubi volebat, sicque per novitium fervorem et juvenile animi robur in illam simulationem adductus est, cum autem senuisset, jam factus etiam archiepiscopus, Ecclesiæ cedens auctoritati simul et antiquæ consuetudini, tanquam cinctus ab alio, tunicas ipse lineas accepit, simul et suis, qui sibi præsentes erant discipulis, ut eis vestirentur, præcepit, volens, hoc ipsum in toto suæ institutionis clero effecisse, sed morte præventus est, et a multis recepta consuetudo subito auferri non potuit. Sed de his hactenus. Interim vero et hujus verbi quoddam mihi lucere vestigium videtur, quod in Apocalypsi Joannis a Domino prædictum est: « Et dabo, inquit, duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti sacco (*Apoc.* XI). » Etenim cum in duobus testibus recte martyres et confessores intelligantur, non inconvenienter etiam hic duo ordines, clericorum videlicet et monachorum per eos valent intelligi, quibus etiam nostro in tempore per datam divinitus sapientiam os ad prophetandum et prædicandum mysterium Dei resolutum est, et hoc diebus mille ducentis sexaginta, id est in illa tempestate Antichristi abundante iniquitate, quia videlicet iniquitatis abundantiam ille numerus superfluus significat, de quo non est modo dicendum per singula: prophetant vero et amicti sacco, id est in omnimoda pœnitentiæ humiliatione, quam etiam in habitu foris humili et abjecto proferunt, tam clerici quam monachi griseis et nigris, laneis et lineis vestiti, dum in vestibus suis non nitorem, vel pretium, aut mollitiem, sed, quod necessitati cum honestate sufficiat, requirunt; hoc videlicet eis in commune procurantibus, ne « sit notabilis habitus eorum. »

Sed cuiquam fortasse videatur, quod ordo canonicus in habitu suo lineo et candido aliquantulum honestatis ordine monastico sequentior sit, quod mirum non est: nonnulla enim inter utrumque ordinem professionis ac testimonii differentia est, siquidem ordo monasticus in habitu lugubri seipsum mundo mortificans, mortem nobis Christi, et qualiter ei cum vitiis et concupiscentiis commori debeamus denuntiat: ordo vero clericalis in habitu candido cum angelo testis resurrectionis Christi præfulget; nimirum qualiter Christo conresurgentes in novitate vitæ ambulare debeamus, insinuans. Objicitur etiam forsitan nobis ab imperitis propter lanæ in vervecinis pellibus mollitiem, quasi dicti Dominici eloquio notabiles videamur, quod ab ipso super Joannis Baptistæ amictu dictum est: « Quid existis in desertum videre? hominem mollibus vestitum? ecce, qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt (*Matth.* XI). » Sed non bene attendunt ipsi, hoc verbo a Domino non omnem vestimentorum mollitiem reprehensam, sed eam specialiter, in qua mollitiem etiam pretiositas juncta comitatur, ut sunt vestes de pelliculis peregrinarum murium, et de serico contextæ, et si quæ sunt ejusmodi, in quibus pretiositas cum mollitie sociata Christianæ paupertatis simplicitatem et humilitatem excedit, quod manifestius Lucas evangelista insinuat, qui sic ait: « Ecce qui in veste pretiosa sunt et deliciis, in domibus regum sunt (*Luc.* VII). » Dum igitur Matthæus evangelista vestes molles, Lucas vero, ut dictum est, vestem pretiosam nominat, quam in veste mollitiem Dominus reprehendat, manifestum est; ut innocentia, quam per Evangelium impugnare moliuntur, etiam per Evangelium valeat defensari tam in nobis quam monachis, pellicia veste, sed non pretiosa utentibus. Sane in vestibus sacris etiam pretiositatem inculpabiliter admittimus, et solent admittere hi ipsi, qui de monastico ordine sanum sapiunt, videlicet, ut ejusmodi ornatibus, mysticam rationem habentibus, nuditatem nostri nomine in cruce irrisi decenter cooperiamus. Insuper et futuræ gloriam resurrectionis, quæ revelabitur in nobis, ejusmodi vestium decore præsignamus,

(13) Presbyter et abbas S. Victoris Parisiensis ord. canon. reg. S. Aug., natione Saxo. Ita Trithem. de Script. Eccl. Meibomius, tom. III Rer. German.

(14) De hoc Anonymum Mellicensem in fine Bibliothecæ Benedictino-Maurianæ positum adeat lector.

in aliquantis videatur præcurrere: etenim etsi in patientiæ humiliatione et corporali exercitatione ordo monasticus ordinem nostrum præcurrit, non tamen etiam in dispensatione mysteriorum Dei prior est in his, sicut Joannes Petro, sed ordini clericali prioratum dependit, cui in Petro dictum est: « Pasce oves meas (*Joan.* XXI). » Qui et primus cum Petro Ecclesiæ sagenam trahens, sociis de alia navi, de ordine videlicet monastico, quos ad hoc opus aptos agnoverit, innuendi atque advocandi habet potestatem, ut veniant et adjuvent eum collaborantes sibi in Evangelio Christi. Nempe hi duo ordines, etsi inter se in professionis proposito et habitus varietate aliquantulum diversi, non tamen etiam alterutrum adversi sunt, sed tanquam duo cherubim semetipsos fraterna familiaritate respiciunt versis vultibus in propitiatorium: unde et sæpe utiliter in una persona concurrunt, dum vel ex clericis proprietatem tenentibus ad monasticam et cœnobitalem perfectionem relictis omnibus convertuntur, vel intra cœnobia probatæ scientiæ et conversationis viri ad altaris ministerium admittuntur, aut ad regendas Ecclesias evocantur, ex qualibus Gregorius I et VII Romani pontifices præclara Ecclesiæ luminaria exstiterunt, et nunc Ecclesia in sui Eugenii (15) Romani præsulis sanctitate gloriatur, aliique plures ex eodem ordine pontifices et sacerdotes satis utiliter Ecclesiæ per diversa loca et tempora inveniuntur præfuisse, qui et miraculorum potentia, et quod his minus non est, doctrinæ prærogativa claruerunt; unde et in Domino Jesu utrumque, id est miraculorum potentia et doctrinæ gratia æqualiter in Evangelio commendata sunt, ubi scriptum est, duos sibi in via coambulantes dixisse « de Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere et sermone (*Luc.* XXIV). » Item in Actibus apostolorum: « Quæ cœpit Jesus facere et docere (*Act.* I). » Quod item ipse Lucas in Evangelio suo manifestius declarat, scribens verba Domini Jesu dicentis duobus discipulis Joannis: « Euntes, renuntiate Joanni, quæ vidistis et audistis, quia cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt (*Luc.* VII); » ac deinde evangelizandi gratiam miraculorum potentiæ coæquans adjunxit, quod his non minus est, « pauperes evangelizantur. » Quapropter mirentur, qui volunt in Martino et Benedicto miraculorum potentiam, ego non minus mirabor et venerabor, siquidem testificante Domino minus non est, in Ambrosio, Hilario et Augustino cum sanctitate vitæ doctrinæ et eruditionis gratiam, qua multi pauperes evangelizati, et multi jamjam cæci illuminati, leprosi mundati et mortui resuscitati sunt, quæ utique miracula quanto spiritaliora, tanto majora a recte judicantibus non dubitantur. Dividit autem et sua dona Deus, ut alius miraculis clareat, alius sapientiæ ac scientiæ donis, vel doctrinæ eruditione præ-

A fulgeat: et in omnibus his hi duo discipuli, Petrus et Joannes, ordo canonicus et monasticus simul currunt, dum in una persona laudabiliter conveniunt, dum ex clericis his, quibus licitum est, monachi, et ex monachis probatis clerici fiunt, dum non minoris sublimitatis est in clericis evangelizandi gratia, quam in monachis miraculorum potentia, dum non indignius est Christi et apostolorum in verbo ministerium, quam Mariæ audientis et obaudientis silentium, dum hi maris undas trahentes rete piscium cum Petro non minori fortitudine superambulant, et ad Christum festinant, quam illi suavitate super pectus Jesu cum Joanne recumbunt, vel ad Christum in navi residentes veniunt; dum
B non minoris celsitudinis est in clericis verbi ministris cum Petro et Paulo victoria tyrannorum, ac despectio tormentorum et mortium, quam in monachis cum Joanne in Pathmos insula relegato eremi recessio ac cœlestium visionum crebra et multimoda revelatio. In his, inquam, omnibus aliisque plurimis, quæ nunc enumerare longum est, simul hi duo ordines hactenus in Ecclesia laudabiliter cucurrerunt, et usque in finem sæculi concurrere non desinent, ambo Deo dilecti et ambo diligentes Deum, ita ut, quis alteri præferendus sit, non in hominum, sed in Dei solius judicio positum sit, nisi quod major in regno cœlorum futurus creditur, qui sanctius et humilius ac probabilius, sive de illorum, sive de nostro ordine conversatus invenitur: ubi
C multæ viduæ et conjugatæ multis episcopis et monachis præponentur, qui nunc in hominum æstimatione magni fiunt, unoquoque propriam mercedem accipiente secundum suum laborem.

Adhuc vero etiam in nostris cœnobiis hi duo ordines, canonicorum scilicet et monachorum, Joannes et Petrus simul currunt, dum apud nos ex laicali conversatione homines illuminati, relictis omnibus jugum Christi suscepturi, convertuntur, qui ad ordinem clericatus promoveri nec volunt, nec possunt, sed probabiliter in omni perfectione monastica degunt, manibus suis operantes, et carnem suam cum vitiis et concupiscentiis in habitu pœnitentiali crucifigentes, qui etiam more monachorum veste, quæ scapularis dicitur, in quibusdam claustris ad
D opera succingi consueverunt, ita ut, in quo quidam gloriari videntur, parum eis de sex alarum cherubim volatu pro hac parte similitudinis deesse putetur. In omnibus his duo isti, de quibus loquimur, simul currunt, juncto gressu combinati incedendo, sicut item de Petro et Joanne legimus, ubi pariter juncto gressu, non alter alterum præcurrendo, sed junctim incesserunt: unde scriptum est: « Petrus et Joannes ascenderunt in templum ad horam orationis nonam (*Act.* III); » ubi et claudo illi gressus per eorum verbum est redditus, qui exsiliens continuo consolidatis basibus ejus et plantis ambulabat, et introivit cum illis « in templum am-

(15) Hinc colligitur ætas Auctoris. Eugenius III factus pontifex an. 1145-1153.

Quod in duobus prophetis eximiis pervidere in promptu est, quorum unus scilicet Isaias, calculo de altari accepto mundatus labiis factus, fidentior aiebat Domino, quem mitteret, conquirenti : « Ecce ego : mitte me (*Isa.* VI); » animam suam sponte ad obedientiam laboriosissimam exponens : alius autem, videlicet Moyses, Domino se ad Pharaonem mittente, humillime missionis recusabat officium dicens : « Domine, mitte quem missurus es (*Exod.* IV); » simul in ipsis verbis etiam Domini in hunc mundum per incarnationem adventum expostulans, qui magni consilii Angelus perfectæ liberationis absolutionem annuntiaturus, et morte sua, Agni scilicet veri immolatione, perfecturus esset, cupiens nimirum umbra prætermissa veritatem revelari. Joannes quoque Baptista, et ipse humillimus, sublime recusabat officium baptizandi Jesum dicens : « Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me? » (*Matth.* III.) Item : « Non sum, » inquit, « dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti (*Joan.* I). Paulus vero apostolus fidentior mox, baptizatus cum fuisset, per dies aliquot cum discipulis, qui habitabant Damasci, continuo in synagogis prædicabat Jesum ; qui etiam super hoc suo ministerio gratulatur et dicit : « Gratias ago ei, quia fidelem me existimavit ponens in ministerio (*I Tim.* I). » In quibus, ut dictum est, viris æque perfectis unius humilitas alterius confidentiæ non præjudicat, et e converso ; sicut in animalibus quoque cœlestibus faciem vituli faciei leonis, faciemque hominis faciei aquilæ, et e converso non præjudicare manifestum est, sed in singulis faciebus unus atque idem Dominus Jesus subintelligitur venerandus. In picturis quoque ecclesiasticis, cum nunc in agni specie, nunc in similitudine manus dexteræ fingatur Dominus Jesus, foris quidem in pictura nonnulla diversitas est, sed intus unus atque idem Dominus adoratur. Sic plane in fratrum monachorum nostrorum habitu laneo simul, et humili ac laboriosa patientia, quædam forinseca agni similitudo est, in nostro vero ministerio ac cœlestium sacramentorum operatione figura manus est dexteræ, sed unus utrobique subesse non dubitatur Dominus Jesus, æque in nobis et in illis venerandus, si tamen, quam foris ostendimus, pietatis species intus virtute ac veritate subnixa sit ; ne pictura super inane permanere non possit. Vanissimum est igitur quempiam, etsi super modum videatur esse monachus, vel canonicus, de forense professionis suæ habitu, vel pietatis specie gloriari, cum omnis gloria filiæ regum ab intus sit quæ tamen et foris circumamicta hujusce varietate est, in qua et thalami regalis ornatus sit, et diversarum professionum discretio, non sine spirituali significatione, teneatur. Procul ergo sit a duobus istis ordinibus fœda illa duarum meretricum contentio, quarum una coram rege Salomone ait ad alteram : « Filius tuus mortuus est, et filius meus vivit, et filius tuus mortuus est, » et e contrario altera : « Non est ita, inquit, sed filius meus vivit et filius tuus mortuus est (*III Reg.* III). » Non enim decet talis inter nos coram Rege cœlesti contentio : sufficit namque nobis omnibus unus, atque idem Christus Jesus Dominus noster et frater et filius, prout ipse confiteri dignatus est : « Si quis, inquit, fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater et soror et mater est (*Matth.* XII). » Hunc in communi possideamus, nec alter alteri invideamus, sufficit enim omnibus, qui etsi aliquando, sive in nobis, sive in illis mortuus fuerit, nunc in utrisque nobis resurgens, ut speramus jam non moritur et mors illi ultra non dominabitur, statque vivus Dominus Jesus non in parte, vel in angulo, sed in medio discipulorum suorum æqualiter ab omnibus videndus, contrectandus et possidendus.

Hoc, Patres et domini, vestræ sanctitati, contra importunos, defensionis scutum simul, et cautelæ commonitorium ex mea humilitate directum est, ut, sicut facere cœpistis, communis vitæ in clero reformandæ per annuos conventus curam habeatis, non ut semper ad non parcendum corpori nova edicta prodeant, sed ne illa, in quibus religionis vigor est, videlicet silentium, opus, et lectio, obedientia prioribus exhibenda, proprietatum abdicatio, orationum suo tempore instantia, et vitæ sanctimonia, subintrantibus per negligentiæ sentinam otiositate, verbositate, vagatione, contemptu, et cæteris ejusmodi pestibus, dissolvantur, quæ nisi cauta diligentia continuo subintrantia exhauriat, tota communis vitæ sanitas periclitabitur, et contemptui non solum Dei et angelorum, sed et hominum subjacebit, juxta quod scriptum est : « Qui modica spernit, paulatim decidet (*Eccli.* XIX), » et quod per virum Dei a Domino dictum est ad Heli : « Quicunque glorificaverit me, ego glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles (*I Reg.* II). » Nunc vero divina favente clementia, vestraque annitente diligentia, ordo canonicus sicut palma florebit, et sicut cedrus Libani multiplicabitur in domo Domini.

trum dicta pro nobis facientia in eodem opere nostro, vel acervum testimonii, locis opportunis congessimus, ut venientes eo usque adversarii persequentes nos, ultra progredi non præsumant.

Sed nec illa, quæ nobis contraria putantur, omisimus, ut eadem determinando, cum sanctæ canonicæ Scripturæ sensibus, quoad potuimus, faceremus concordare. Nam ut Patres ea loquuntur quæ cum sanctæ canonicæ scripturæ apicibus concordant, ibi non determinatione, sed fide majore opus est, etiamsi ea quæ dicuntur humanæ intelligentiæ facultatem excedant. Sed nec una hujus opusculi nostri pagella quis lecta, idem quod in ea his quæ in scholis forte audivit, aut quæ sua sibi dictat opinio, contrarium invenerit, in contradictionem, vel sugillationem nostri rapiat; vel codicem, quasi amaricantibus ad insuetum cibum dentibus, detestetur, quin potius lecta cum præcedentibus et subsequentibus conferat; et, ut spero, omnia salva erunt.

(16) *Sententia Adam decani de hæresibus.*

Magistro P'. venerabili Herbipolensis Ecclesiæ decano, Fr. A., dictus et ipse, divina clementia, Reicherspergensis cœnobii decanus; si quid valet peccatoris oratio.

Sciens vestræ honestatis non latere personam quantas et quales, vicinus vester, Folmarus de Petra stillante dictus, magistro nostro Richenspergensi præposito [Gerhoho] injurias irrogaverit, in epistola sua domno nostro Tavavensi archiepiscopo missa; non me temerarium apud vos judicari arbitror, si me scutum opponere tentavero pro illo, cujus et germanitate secundum carnem frater, et in Domino filius sum. Sed enim, ut verum fatear, epistola illa maledicta, et maledicenda, siquidem maledictis plena, mendaciis respersa, felle amaritudinis infusa; utpote, juxta nomen auctoris, de *folle amaro*, et amaritudinis missa, nondum a magistro nostro perspecta est, hoc me ad vos scribere inchoante (17), quia jure inter cætera id bonum (est) contentionis hujus, ut cum epistola forte ad eum, contra quem erat scripta, pervenisset, simul quoque et ea, quæ a suis essent contra dicta, acciperet; et quem injuriarum forte acerbitas humanitus contristasset, injuriarum depulsio, simul et mendaciorum exinanitio consolaretur.

Quamvis ne id quidem contristare nos debeat, quasi novi nobis aliquid contingat. Nec enim novum, virtuosis improbos invidere, nomenque sibi eos, qui nullius nominis aut meriti sunt, ex detractione in Ecclesia virorum spectabilium comparare; infelices se, ac sine causa natos arbitrantes, nisi nomen suum quoque, nacti occasionem, sparserint in populum, ne homines viventes, morientesque fallant, si apud eos vel falsæ virtutis opinione, cum vere non possent, vel saltem in malum, cum non possent in bonum, memoriam non relinquant. Hæc namque intentio plerosque sicarios, latrones, piratas, et aliorum scelerum principes ac duces effecit; dum quærebant magis et per malefacta, insuper et mendaciter apud homines celebrari, quam felicem in silentio vitam peregisse.

Hinc et noster Follis amarus non quiescit, scribit et rescribit: legendas circumfert epistolas libere increpationis plenas. Principes occulte scriptis infamat: quibus tamen in facie adulans, munuscula eorum libenter, Giezitico more, acceptat. Porro doctrinæ perversitate aerem ipsum maculat; natalibus Domini nostri Jesu Christi derogat: dicens eum, in eo quod homo est, ut auribus nostris audivimus, non aliter esse Filium Dei, quam unum ex nobis. Resurrectionis quoque gloria, et honore ascensionis glorificatum, negat paternæ æqualitatis gloriam introisse, aut introire potuisse. Resistentes vero sibi nos in hac pestifera doctrina, mendaciis commaculat; suumque mortuum filium, nobis nocturna fraudulentia, sed aperta coram principibus et laicis procacia, nititur supponere: nostrum vero vivum sibi vindicare: sed, judicante rege Salomone, non proficiet. Archiepiscopos et episcopos in epistolis suis imperitiæ vel negligentiæ arguit, et addicit, ducem se non jam cæcorum solum, sed et videntium constituens: quasi ipse melius de longe, quæ apud eos gerenda sunt, quam ipsi sua de prope cognoscant. Hæc sane impigre ac temerarie satagit; non ut eos iniquitati; sed, magis nostræ innocentiæ infensos efficiat. Sustineant vero illi, quandiu volunt, ejus insipientiam, cum sint ipsi sapientes, nam noster [Gerhohus] dulcem patientiam exsuperat; contra quos linguam serpentinam exacuit, virus evomit, os vipereum dilatat, non quidem vitam in nobis temporalem, sed id, quod Deo vivimus, quodque Christiani veri sumus, et esse ac dici cupimus, volens exstinguere

Sed agat, et satagat, quantum volet, quantumque Deo permittente, a suo sessore diabolo concitatur. Nam, Deo nos protegente, quandiu superest halitus in nobis, non incidemus id, in quod nos præcipitare molitur, contra Deum negationis barathrum, ut cum ipso in Dominum Jesum dicamus blasphemiam ut negemus hominem assumptum in Deum, esse Deum, esse proprium Dei Patris Filium, esse id, in quod assumptus, et in quod ex Spiritu sancto, et Maria Virgine natus est. Cujus perversæ in faciem resistentem doctrinæ magistrum nostrum [Gerhohum], draconi in occulto sibilanti comparat: quasi ipse magister noster ea, quæ de hominis in Deum assumpti vera divinitate loquatur, hactenus in occulto, et non in palam locutus sit. Quasi non de verbo hoc contra novos Paulianistas, Nestorianos, Photinianos loquens et scribens, aures etiam Romanæ Ecclesiæ impleverit. Non est autem erubescendum, de Christi et hominis assumpti in Deum gloria, Evangelium, sicut Paulus quoque apostolus

(16) Alia ac recentiore manu est epigraphe ista ms. apposita.

(17) Non exstat hæc epistola Folmari.

dam, quod nec Deus plene, nec homo sit, arbitremur! Etenim supernaturalia Dei naturalia humanæ naturæ ad imaginem suam facta, nec corrumpunt, nec excludunt; quin potius sua unione super semetipsa in divina mirabiliter attollunt, in propria quidem natura et ipsa manentia, et humana conservare potentia. Quod enim supernaturale est, in omnia naturalia omnifariam potens est, suæ tamen sublimitatis et excellentiæ jure in omnibus conservato; nec ad indigna se penitus inclinans. Unde et Deus, more nostro, videre et audire in Scripturis sanctis dicitur: cum tamen, more nostro, nec aurem ipse, nec oculum habeat.

Unde et David dicere nec voluit, nec debuit: qui plantavit aurem, nonne et ipse aurem habet: et, qui finxit oculum, nonne et ipse oculum habet; sed: *Qui plantavit aurem*, ait, non *audiet?* aut, *qui finxit oculum, non considerat?* (*Psal.* XCIII, 9.) Sicut ergo audit et videt: ita quoque suæ divinitatis modo tangit, quæ suo attactu digna judicaverit, suæ, inquam, sublimitatis modo, videt Deus, audit, atque tangit et operatur, in nullo corporei membri utens, vel indigens instrumento. Quomodo enim aure vel oculo, aut manu ad audiendum, videndum et tangendum vel operandum indigeat, qui totus sibi auris, oculus et manus est? Videt autem, audit atque tangit Deus, non nostræ passibilitatis modo, sed suæ impassibilitatis et æternitatis virtute. Videt atque audit omnia, non quo visus ejus in rem oppositam agat, vel auditus sonos offendentes et advolantes excipiat; sed, quod eum nibil nostrorum motuum, vel cogitationum, ne dicam dictorum, lateat: nihilque eorum, quæ fecit, aut quæ voluit sibi ejus contuitum atque scientiam celare valeat. *Omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus* (*Hebr.* IV, 13). Videt omnes et omnia quæ fiunt sive in cœlo, sive in terra, diverso tamen, quod in effectis patet, contuitu; quosdam videlicet per gratiam, quosdam vero per iram. Unde scriptum est: *Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum* (*Psal.* XXXIII, 16, 17).

Similiter autem et operatur Deus, manu propria ad agendum nec utens, nec indigens: quippe cujus velle, fecisse est. Amat quoque et zelat Deus, non quod nostræ infirmitatis modo passibiliter, sed suæ virtutis privilegio impassibiliter. Qui sicut totus oculus, ita et totus amor est. Tangit quoque animas suo attactu dignas, quas videlicet suo attactu ipse dignas effecerit. Ejus vero tetigisse, est, præsentiæ suæ, et ingressus in animas sanctas sensibile ejus signum dare: imo in miro atque ineffabili modo, eas, cum voluerit, nunc intellectu, nunc et in affectu, interdum quoque in sensu, mira quadam, et huic sæculo penitus ignota suavitate afficere. Quippe qui totus ipse suavis et vera atque summa suavitas est. Quasdam vero in æmulationem, atque telum contra vitia et vitiosos, spiritus sui igneo quodam afflatu suscitare. Sic autem hoc agit, ut

A vigilantes, seu dormientes interdum signa quædam divinæ visitationis in semetipsis recognoscant: sanctis solummodo, quos Deus novit, experta et usitata maxime; tunc, cum eos in opus aliquod spiritale suscitare voluerit. Quarum, nimirum Deum diligentium ac dilectarum Deo animarum pro experimento divini attactus, in amoris Cantico hæc vox est: *Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum ejus* (*Cant.* V, 4).

De fructu quoque spiritalis operationis ejusmodi tactum subsecuto, subsequenter subjecit dicens: Surrexi ut aperirem dilecto meo. Nequaquam enim suscitatæ et fecundatæ animæ ministerium suum Deo negare poterunt; quin surgant, et oris pessulo discluso, Verbum Dei tractando, ipsum in corda audientium vel legentium introducant. Et talis quidem animarum fecundatio ex dilectione est.

Aliæ vero et ex timore concipiuntur: quarum vox est: *Domine, a timore tuo concepimus, et peperimus, spiritum salutis fecimus super terram.* In omnibus tamen nihil indignum se, Divinitas agit cum hominibus, vel angelis, habitans in eis, et in eis, ac per eos agens, quæ vel ipsorum, vel aliorum saluti conducunt. Imo vero, valde decet Deum ista dignatio; ut ei de salute nostra, et de laude sua per nos amplianda, cura sit. Nos quippe sumus illa Sion, de qua scriptum est: *Te decet hymnus Deus in Sion, et tibi reddetur votum in Jerusalem* (*Psal.* LXIV, 1). Neque vero innaturale est Deo habitare cum hominibus: quippe quos ad imaginem suam contemplandam condidit: sicut oculus noster solus, præ omnibus membris, ad solis lumen creatus est. Unde et universam Ecclesiam, simul et singularem quamlibet sibi dilectam, seque diligentem animam, sponsam vocare dignatus est: seque ab ea sponsum vocari non dedignatur. Quin et inter hanc sponsam, et se, per spiritum suum decantari, et scribi procuravit Epithalamium, carmen videlicet nuptiale. Unde totus ille tertius libellus Salomonis contextus est. Super cujus amoris experientia Paulus quoque apostolus dicere non dubitavit: *Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum* (*Philip.* IV, 7). Item: *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum* (*I Cor.* XIII, 12). Item: *Corpus non fornicationi, sed Domino, et Dominus corpori* (*I Cor.* VI, 13). Et illud: *Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur, qui autem adhæret Domino, unus spiritus est* (*ibid.* X, 17)

Et hoc dicimus, ut nec inconsuetum, nec innaturalem inter Deum et rationalem creaturam demonstremus amorem. Nihil enim fere magis naturale Deo, factori omnium, quam diligere facturam suam: præcipue tamen eam, quam ad sui imaginem et similitudinem condidit: quam ad se cognoscendum et diligendum creavit. Sicut item rationali creaturæ valde naturale est, factorem suum, versa vice diligere. Nam si qui rationales spiritus Deum factorem suum non vident, nec diligunt, ex

sima hac abbatissa ignorasse videtur Bruschius. Quam enim ipse Rilindem vocat, haud alia est ab illa Regilinde seu Regilla, de qua Chronicon (2) Admontense ad annum 1156 hæc commemorat: « Bargense, id est Bergense prope Neoburgum ad Danubium monasterium per Admuntenses instituitur sub domina Regilla abbatissa. » Hoc ut melius intelligatur, probe sciendum quod Wolvoldus, Admontii pientissimus abbas sub annum 1115 parthenonem nostri ordinis prope suum monasterium excitarit, in quo non virtutum duntaxat, sed doctrinarum etiam studia ab ejus primordiis floruerunt. Ex hoc parthenone postea Godefridus abbas Admontensis ab anno 1138 usque ad annum 1165 prudentissimas religiosæ vitæ magistras educere solebat, quarum opera et studio alios sacros parthenones, si quos a veteris disciplinæ observantia descivisse compererat, in viam reducere adlaboravit. Quo laudabili fine Rilindem seu Regilindem, vel Regillam in Bergense monasterium ablegavit. Huic cum avitæ disciplinæ decora, ac præsidia vitæ sanctioris restituisset, a Friderico I imperatore ad Hohenburgense in Alsatia cœnobium abire jussa est, ut in eo pari industria ac prudentia chordam disciplinæ regularis æquo remissiorem intenderet. Quod illa præclare fecit, atque parthenonem ad pristini rigoris normam redegit. Ad Sponsum vero migravit IV April., an. 1169, uti fidem facit V. C. Joan. Dietrich a Falckenstein in *Antiquitatibus Nordgaviensibus*, part. II, cap. 4, § 2, pag. 320, ubi Bruschium in chronologiam hic peccantem corrigit.

Fuit hæc ipsa Rilindis litteris cum politioribus tum sacris egregie imbuta (3). Quo tempore enim ætatem egit in parthenone Admontensi, ex ore Irimberti, doctissimi cœnobitæ ac postea abbatis Admontensis, divinas Scripturas explanantis, tota pendere, ejusque dicta in litteras Latine referre consueverat. Cujus rei perenne monumentum exstat in Commentario Irimberti in lib. Jud. cap. XIX. Nec prætermittendus hic insignis locus ejusdem Irimberti est, ubi de sacris virginum Admontensium studiis ita loquitur: « Ante annos autem aliquot, quia historiam de concubina, quæ in duodecim partes est secta, nec non historiam Ruth sororibus Admuntensibus disserueram, duæ ex ipsis studii sui impenderunt diligentiam ad conservandam interpretationis meæ memoriam. Ideoque huic opusculo annectere duxi earumdem Historiarum, sicut ab ipsis sororibus digesta est, explanatiunculam. » Porro sorores seu moniales, quas Irimbertus ob eruditionis studium laudat, fuere Rilindis seu Regilindis et Irmingardis, quarum illa explanationem historiæ de concubina Judic. cap. XIX, hæc explicationem libri Ruth ab ore Irimberti stylo excepit, ut docet elegantissime ab iisdem virginibus exaratus membranaceus codex Admontensis in folio hodienum superstes.

—

Evocatæ ex hac mortali vita Rilindi, subrogata et substituta est ab eodem cœnobii hujus advocato, domino Friderico Barbarossa, tum Romano imperatore, suffragantibus unanimi consensu omnibus sororibus et monialibus, domina Herradis ex nobili Landspergiorum familia nata, cœnobii Altitonensis professa, Rilinde nec virtutibus nec doctrina inferior. Quæ divinum cultum augeri volens, Truttenhusium cœnobium ad pedem montis situm anno Domini 1181 de suis condidit, dotavitque propriis bonis liberalissime. Exstitit in Altitona ante paucos adhuc annos *Liber sacrarum sententiarum* justæ magnitudinis, ipsius manibus in mundissima membrana scriptus, et ex diversis cum Bibliorum tum veterum doctorum monumentis ab ipsa collectus, sororibusque tali epistola præliminari nuncupatus.

Herradis gratia Dei Hohenburgensis Ecclesiæ abbatissa licet indigna, dulcissimi Christi virginibus in eadem Ecclesia quasi in vinea Domini fideliter laborantibus gratiam et gloriam, quam dabit Dominus.

Sanctitati vestræ insinuo, ex diversis sacræ philosophicæ Scripturæ floribus, quasi apicula (Deo inspirante) comportavi. Et ad laudem et honorem Christi et Ecclesiæ, causaque dilectionis vestræ quasi in unum mellifluum favum compaginavi. Quapropter in eo ipso libro oportet vos sedulo quærere pastum, et mellitis stillicidiis animum reficere lassum: ut sponsi blanditiis semper occupatæ, et spiritualibus deliciis saginatæ, transitoria secure percurratis, et æterna felici jucunditate possideatis, meque per varias maris fluctuum semitas periculose gradientem fructuosis orationibus vestris a terrenis affectibus mitigatam, una vobiscum in amorem dilecti vestri sursum trahatis. Amen.

Addidit vero doctissima sui sæculi versificatrix sequentes etiam dithyrambos.

Salve cohors virginum
Hohenburgensium
Albens quasi lilium
Amans Dei Filium.

Herrad devotissima
Tua fidelissima
Mater et ancillula
Cantat tibi cantica.

Te salutat millies
Et exoptat indies
Ut læta victoria
Vincas transitoria.

(2) Exstat tom. II *Scriptor. Rer. Austriac.*, pag. 188.

(3) Vid. Bern. Pezii Dissert. Isag. in tom. IV *Anecd.*, pag. 11, n. 2.

JOANNIS DIACONI

LIBER

DE ECCLESIA LATERANENSI.

(MABILL. *Mus. Ital.*, t. II, p. 560.)

INCIPIT PROLOGUS IN LIBRO DE SANCTIS SANCTORUM.

Beatissimo domino et Patri reverentissimo ALEXANDRO divina gratia Catholicæ Ecclesiæ atque sedis apostolicæ summo pontifici, JOANNES qualiscunque diaconus basilicæ Salvatoris patriarchii Lateranensis canonicus, librum De sanctis sanctorum ex archivo renovatum.

Cum juxta sapientis viri præconium gloria regum sit celare verbum, et gloria Dei investigare sermonem (*Prov.* XXV); tanto utriusque professoribus probabile est ad utriusque beneplacitum et honorem sollicitum ac devotum præstare obsequium, quanto de utriusque gratiæ plenitudine speratur remunerationе dignum, atque indubitanter creditur affuturum, etc. Hoc itaque considerationis respectu considerans, libellum De sanctis sanctorum memoriam continentem, qui in archivo hujus sacrosanctæ basilicæ a prædecessoribus nostris usque ad nostra tempora conservatur, antiquitatis vetustate jam quasi abolitum, quoniam beatitudini vestræ beneplacitum est et gratum, erogatum quia pernecessarium ne tam celebris sacrorum memoria, quæ ab antecessoribus nostris nobis diligenter conservata est et tradita, per nostram negligentiam posteris nostris oblivione deficeret, sanctitatis vestræ auctoritate et præcepto, mandato quoque et voluntate venerabilis prioris Joannis et fratrum ejusdem Ecclesiæ, ad honorem Domini et Salvatoris Jesu Christi renovare curavi posteritati conservandam, ipsorumque devotioni profuturam. Sane quia non solum de mendosis, sed etiam de otiosis ante tribunal Dei viventis, in cujus manus horrendum est incidere, reddituri sumus procul dubio rationem; scire cupio vestræ paternitatis benevolentiam Deo et hominibus meritorum plenitudine et sinceritate reverendam, atque universos, qui hujus libelli memoria gaudent, me nullatenus superstitionis causa aliquas novitates præsumptionis inserere, sed simpliciter antiquam seriem scribendo conservans, si qua alia superaddo, illa sunt procul dubio, quæ vel ipse jam per quinque lustrorum spatia, in hac sacrosancta basilica in canonicali proposito vivens, oculis propriis vidi, vel ab antecessoribus nostris veridica relatione cognovi, ea scilicet quæ sunt de translatione sanctorum Chrysanthi et Dariæ, seu de inventione sanctarum Rufinæ et Secundæ, atque Sanctorum Cypriani et Justinæ, vel etiam quæ de historiis et auctoritatibus sanctorum ad repellendam ambiguitatis opinionem quorumdam de absconsione tabernaculi et arcæ, et his quæ continebantur in ea, vel altaris incensi, quæ nimirum ut liquido clarescant, et historiographorum nomina et libros, et tempora, seu doctorum nomina, vel volumina manifestius in sequentibus declarare curavi, etc.

LIBER DE ECCLESIA LATERANENSI.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, incipit scriptum de supremæ sanctuario sanctæ Dei Romanæ, id est Lateranensis, ecclesiæ, compositum de archivis et antiquis pontificum Romanorum gestis, quæ videlicet ecclesia patriarchalis et imperialis privilegio ac prærogativa sanctæ sedis apostolicæ, dono gratiæ Dei Salvatoris J. C. super omnes ecclesias totius orbis terrarum obtinet dominationem atque principatum, quæ etiam divino nutu apostolici culminis et Romani imperii nomen possidet gloriosum

Et quoniam totus orbis terrarum huic matri ecclesiæ debitæ subjectionis exhibere debet obsequium; multi ex diversis regionibus hic conveniunt oratores, quibus nescientibus quantum, et quam pretiosissimum in hac prædicta ecclesia sanctuarium Dei sit reconditum, per istarum insinuationem litterarum volumus esse notatum, saltem quando hic conveniunt ad exorandum Deum Dei Filium J. C. D. N. Salvatorem sanctorum pro pace sanctæ Ecclesiæ, pro remissione omnium peccatorum, pro acquirenda gloria æternæ visionis Dei, pro societate

æternorum civium et sanctarum animarum. Igitur post beatam ac salutiferam D. N. J. C. passionem, et ab inferis gloriosam ipsius resurrectionem, seu in cœlum admirabilem ascensionem, percepta consolatione gloriosissimi adventus Spiritus sancti, in sortem suæ prædicationis apostoli iter suum direxerunt, et dispositione ineffabilis misericordiæ Dei regni cœlestis senatores eximii, Petrus scilicet et Paulus, caput totius orbis, hanc Romanam videlicet civitatem, ingressi sunt, in qua ad honorem D. N. J. C. Catholicæ fidei fundamentum, super Petram, id est Christum, fideliter collocarunt: pro cujus ædificationis incremento usque ad mortem decertarunt, pro cujus amore gloriosum sanguinem suum effuderunt, ac denique mortem crucis et gladii temporalem subeuntes, regis superni curiam laureati petierunt. Isti sunt viri sancti, quorum doctrina fulget Ecclesia : quam antiquus hostis per Neronem primum, deinde per succedentes principes per trecentos annos et eo amplius impugnavit et concussit, sed nullatenus evertere valuit. Cum enim placuit ei qui fideles suos igne passionis permisit examinari, Constantinus Augustus, Constantii et Helenæ filius, culmen imperii subiit, et præcedentium tyrannidem principum in servos J. C. aliquandiu exercuit; sed immensa Dei pietas electorum suorum clamantium ad se dolori et angustiæ compatiens, calamitati et miseriæ tantæ persecutionis finem imponere non distulit. Quid plura? sicut enim in Vita sancti Sylvestri legitur, præfatus imperator Constantinus elephantiæ lepra a Deo percutitur : cui pontifices Capitolii hoc dederunt consilium, quatenus in piscinam occisorum infantium sanguine plenam nudus descenderet, et a lepra sic mundatus pristinam sanitatem sic reciperet, etc.

Deinde privilegium Romanæ Ecclesiæ pontifici contulit, ut in toto orbe Romano sacerdotes hunc ita caput et principem habeant, sicut omnes judices regem habere consueverant : in quo privilegio ita inter cætera legitur : « Utile judicavimus una cum omnibus satrapis nostris, et universo senatu, optimatibus etiam et cuncto populo Romanæ gloriæ subjacenti, ut sicut beatus Petrus in terris vicarius Filii Dei videtur esse constitutus, etiam et pontifices ipsius principis apostolorum, vice principatus potestatem, amplius quam terrenæ imperialis nostræ serenitatis mansuetudo habere videtur, obtineant, etc. »

Sicut enim in Gestis beati Sylvestri legitur, quæ beatus papa Gelasius in concilio septuaginta episcoporum a Catholicis legi commemorat, præfatus imperator Constantinus secunda die processionis suæ promulgavit legem, quæ his verbis concluditur : « Sit omnibus notum nos ita Christi cultores effectos, ut intra palatium nostrum templum hujus nominis construamus, etc. » Quam ecclesiam postea ædificatam et consummatam beatus Sylvester publice (quod non fiebat antea) solemniter consecravit quinto Idus Novembris. Et est illa usque hodie celeberrima festivitas in Urbe, in qua prima ecclesia publice consecrata est, et imago Salvatoris infixa parietibus, primum visibilis omni populo Romano apparuit. Inscribitur enim Dedicatio basilicæ Salvatoris. Inde est quod quæcunque ecclesia per Urbem atque per orbem Salvatoris vocabulo specialiter intitulatur, in præfata die ipsius celebritatis memoriam recolit et veneratur; cujus dedicationis solemnitatem octo diebus celebrandam apostolica sancivit auctoritas : quoniam decimo die a solemnitate dedicationis istius dedicatæ sunt postea basilicæ sanctorum Petri et Pauli.

Inde est quod Romanus pontifex ipsius Salvatoris Jesu Christi, qui suavis et copiosus est in misericordia omnibus ad se redeuntibus, in dedicatione istius sacrosanctæ basilicæ, quæ misericordiæ sortita est vocabulum, de omnipotentis Dei certa misericordia præsumens salubriter ordinavit, ut omnibus ad hujus festivitatis lætitiam convenientibus magna fieret remissio peccatorum, de quibus tamen digne Deo Ecclesiæque confessi per pœnitentiam fuisse noscuntur, seu qui usque ad octavam diem, cum vera et Deo grata cordis contritione confiterentur. Quæ videlicet emissio apostolica providentia sic tripertita distinguitur, ut Romanis et circum adjacentibus mille annorum; Thuscis et Lombardis duorum millium annorum, sed et his qui maria transmeare noscuntur, trium millium annorum, maneat remissio peccatorum. Similis eademque institutio remissionis facta probatur in hac prima et sacrosancta basilica quinta feria in cœna Domini, quando a domno apostolico consecratur sacrum chrisma, quando et hæretici contumaces, et extollentes se adversus hanc sanctam Catholicam et apostolicam Ecclesiam, publicæ excommunicationis maledictione apostolica sententia traduntur Satanæ in interitum carnis, ut tandem miserante Deo resipiscentibus illis a diaboli laqueis spiritus eorum salvus sit in die D. N. J. C.

I. *De mysticis appellationibus istius sacrosanctæ basilicæ.*

Hæc, inquam, ecclesia a sanctis Patribus, sicut in eorum scriptis invenitur, pluribus mysticis est vocabulis insignita. Hæc etenim principaliter vocatur basilica quia cum Regi regum Salvatori Jesu Christo sit dedicata, ei qui in terra summus rex est et sacerdos, comprobatur esse commissa. Vocatur etiam basilica, Aurea, vel basilica Constantiniana, a Constantino, ut dicitur, tota aureo musivo depicta. Dicitur etiam templum Misericordiæ, quia, ut usque hodie cernitur, cum multos aditus habuerit, nulla die vel nocte claudebatur, nisi tapetibus, ut quasi alterum asylum semper pateret obnoxiis omnibus, quatenus amplius non punirentur a legibus sæcularibus. Legitur quoque apostolica Ecclesia, Apostolorum duntaxat doctrinis instructa; sedes apostolica, quia præter apostolicum nullus alius sedere præsumit; sedes prima, quia secunda est

Antiochena, tertia Alexandrina; sedes Petri, quia per vicarium suum ipsemet sedet ibi. Vocatur et ab urbe Romana Ecclesia; et a loco Lateranensis ecclesia, Lateranensis basilica, Lateranense episcopium, Lateranense patriarchium. Dicitur hæc universalis ecclesia, quia ejus episcopus de universis habet judicandi potestatem, de illo vero nullus. Et propter hoc appellatur caput Ecclesiarum, mater Ecclesiarum, et magistra Ecclesiarum, quia omnes ab illa accipiunt fomentum et magisterium. Omnibus providet, pro omnibus invigilat, pro cujus utique fide, ut aliquando non deficiat, sed fratres suos confirmet, ipse Salvator exorat. Iis atque aliis nominibus hæc aula Dei nobiliter in divinis paginis decoratur, et honoratur.

II. *Quod omnia quæ in templo post destructionem reperta sunt, Helena mater portavit ad filium.*

Hanc itaque sacrosanctam basilicam, omni mundo reverendam, beatissima Helena Constantini mater post perceptum sacri baptismatis sacramentum, incomparabilis sanctuarii thesauro ditavit. Quod videlicet de Hierosolymitanis partibus rogatu ipsius Augusti filii transportavit quod ab antiquis ante incarnationem Domini fuerat reconditum, et post destructionem, quæ a Tito et Vespasiano Romanis principibus facta legitur, inibi habebatur residuum. Totidem Deus omnipotens viscera misesericordiæ suæ Romanæ huic Ecclesiæ dignata est aperire, cum jam dicta regina sanctuarium, quod Dei nutu de civitate sancta Hierusalem secum attulerit ad filium, in hujus sacrosanctæ basilicæ, quæ sacerdotalis est et regia, transtulit habitaculum. Quod quia nondum proprio designatur ex nomine, licet indignus sim nomen ejus depromere, tamen in honore suæ laudis non differam cum reverentia nominare.

Item anno Dominicæ Incarnationis 1260, Alexander papa quartus in die Dedicationis hujus ecclesiæ sacrosanctæ corroboravit et confirmavit omnes quascunque indulgentias, a quibuscunque summis pontificibus, quocunque tempore concessas : sed et illas principaliter, quas beatus Sylvester abunde statuit et donavit, inclinatus justis precibus humilis et Christianissimi Constantini, et de speciali misericordia et gratia prorogavit eas usque ad diem dedicationis apostolorum Petri et Pauli.

III. *De arca et sanctis sanctorum, quæ sunt in basilica Salvatoris.*

In hac itaque sacrosancta Lateranensi basilica salvatori Jesu-Christo Deo dicata, quæ caput est mundi, quæ patriarchalis est et imperialis, sedes est apostolicæ cathedræ pontificalis, et in ejusdem ecclesiæ ara principali est arca fœderis Domini, vel, ut aiunt, arca est inferius, et altare ad mensuram longitudinis, latitudinis et altitudinis arcæ conditum est superius, inter quatuor columnas de rubeo porphyrio suo sub quodam pulchro ciborio. In quo quidem, ut asserunt, multum est sanctua- A rium, sed quale sit non agnoscunt. Nam nomen ejus nesciunt.

In altari vero, quod superius est ligneum de argento coopertum, atque sub eo inferius, est tale sanctuarium : septem candelabra, quæ fuerunt in priori tabernaculo. Unde Paulus dicit apostolus : *Tabernaculum factum est primum, in quo erant candelabra, et mensa, et propositio panum, quæ dicitur sancta, et aureum thuribulum, et urna aurea habens manna, quod habuit secundum tabernaculum, quod dicitur sancta sanctorum. Et ibi virga Aaron, quæ fronduerat. Et tabulæ testamenti* (*Hebr.* 9), et virga Moysi, qua percussit bis silicem, et fluxerunt aquæ. Item sunt ibi reliquiæ de cunabulis Domini. De quinque panibus hordeaceis, et duobus piscibus. B Item mensa Domini. Linteum unde extersit pedes discipulorum suorum. Tunica inconsutilis, quam fecit virgo Maria filio suo Domino nostro Jesu Christo, quæ in morte ipsius a militibus sortita est, non scissa; quam dum Salvator inibi reservaverit, hæresis vel scissura fidei diu non erit in ea. Purpureum vestimentum ejusdem Salvatoris et Redemptoris. De sanguine et aqua lateris Domini ampullæ duæ. Circumcisio Domini. Sudarium quod fuit super caput ejus, quod est unum de quinque linteaminibus, quibus sanctissimum corpus ejusdem Domini nostri fuit involutum. Est ibi de loco Ascensionis Christi in cœlum De sanguine sancti Joannis Baptistæ. De pulvere et cinere combusti C corporis ejusdem præcursoris Christi. Cilicium ejus de pilis camelorum. De manna sepulturæ sancti Joannis evangelistæ ampulla plena. Tunica ejusdem apostoli et evangelistæ, qua supposita corporibus trium juvenum, surrexerunt. Mortui enim fuerant propter venenum quod biberant.

IV. *Ratio circa eos, qui opponunt de absconsione tabernaculi, et arcæ, vel altaris incensi.*

Verum quam plurimi sacrorum voluminum et historiarum profunda mysteria minus prudenter investigantes, *nec intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant* (*I Tim.* 1), propter hoc quod in secundo libro Machabæorum de absconsione tabernaculi et arcæ, seu etiam altaris incensi reperitur, superflua opinione existimant, ipsum taber- D naculum, et arcam vel altare, hactenus occultata usque ad tempus futuri judicii latere, et ignorare, etc.

V. *Quod tempore Titi et Vespasiani, quæ in templo fuerant, Romæ translata fuerunt.*

Quo autem tempore, vel a quibus vasa templi, et utensilia, seu universa donaria Romæ delata fuerunt, vel ubi reposita, præfatus doctor Hieronymus, cui proprium fuit semper nova quærere, et absconsa dilucidare, in expositione Joelis prophetæ testatur, quod Titus et Vespasianus, Romani principes, post ascensionem Domini destructa civitate Hierosolyma, et templo, ob victoriam et monumentum populi Romani, omnia illa quæ in templo præcipua et speciosa Judæi habuerant, secum asportaverunt, imo

ab ipsis Judæis asportari jusserunt: et ædificato Romæ templo Pacis, ibi ea in delubrum mirifice condiderunt, quæ Græca et Romana narrat historia. Nec dubium unde tantus vir docuit habendum, quod Græca et Romana historia voluit esse confirmatum. Hoc idem usque hodie liquido perpenditur in triumphali arcu, qui appellatur Septem lucernarum, qui constructus fuisse probatur ad memoriam prædictorum principum totiusque populi Romani, juxta ecclesiam Sanctæ Mariæ Novæ, in quo candelabra, quæ fuerunt in priori tabernaculo, et arca cum vestibus suis, quæ fuit in secundo intra velum, manifeste ac mirifico opere sculpta fuisse cernuntur.

Hoc etiam manifestioribus documentis eloquentissime doctor Leo papa in sermonibus Dominicæ Passionis, cum de velo scisso in templo sub ipso tempore passionis Christi contra perfidiam Judæorum contestando inveheret, declarare videtur, dum ipsorum cæcitatem Judæorum omnia mundi elementa evidentius arguisse protestaretur in sermone, qui sic incipit: *Cum multis modis Judaica impietas laboraret*, scripsit ita: « Quod si ad arguendos vos, nec cœlestia, nec inferna sufficiunt, et crucem Christi magis potuerunt petræ atque monumenta, quam vestra corda sentire, saltem quod in templo actum est, scienter advertite. Velum, cujus objectu intercludebantur Sancta sanctorum, a summo usque ad ima diruptum est, et sacrum illud mysticumque secretum, quo solus summus pontifex jussus fuerat intrare, reseratum est, etc. »

Sub altari isto sacrosancto, de quo in præsenti loquimur, est quædam imago tota aurea Domino Jesu Christo dedicata; et beatæ Mariæ virginis, et sancti Joannis Baptistæ, sanctorumque apostolorum Petri et Pauli, sancti Joannis evangelistæ imagines de electro aureæ et argenteæ, necnon aliorum apostolorum penitus argenteæ, quas Constantinus imperator Dei servus, qui easdem ad honorem Salvatoris Jesu-Christi suorumque discipulorum imaginari studuit, sic in quodam gynæceo molitus est recondere, quod nulli artifici per quodcunque ingenium licet accedere.

VI. *Quod quotidie in Matutinis, Missa et Vesperis festive in ea pulsatur.*

In hac ecclesia, quia typum gerit cœlestis Ecclesiæ, die noctuque in Matutinis et Missa, seu Vesperis quotidie festive pulsatur. Inde est quod in ea non cantatur ad Missas, *Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem*, quoniam ibi summa pax justorum ipse Christus erit, ubi perfecta et consummata in electis, nec postulatione opus erit, nec augmento.

VII. *De oratione Dominica, quæ in omni officio frequentatur.*

Hæc reservans apostolicam institutionem non nisi Dominica in officiis utitur oratione, quoniam aliæ orationes postea sunt superadditæ; et congruum est atque conveniens, ut prima et summa omnium aliarum ecclesiarum, primam et summam omnium aliarum orationem frequentet; et quæ Salvatoris vocabulo consecrata est, Salvatoris orationem, quam discipulos suos orare docuit, præ cæteris præcipuam semper habeat. Sunt præterea aliæ quædam collectæ ad Matutinas vel Vesperas intitulatæ, quæ ab apostolico, vel ab ejus septem collateralibus episcopis tantum, et non ab aliis penitus in ipsa ecclesia dici possunt.

VIII. *De episcopis septem hebdomadariis, aliisque officialibus ejusdem ecclesiæ.*

Ad hoc igitur tam solemne sacrosanctum altare, ubi, sicut diximus, vestimentum habetur sortitum, non scissum; et aliud multum et incomparabile sanctuarium, quod totum hic nominare supersedemus: nullus ad sacrificandum audet accedere præter domnum apostolicum, et septem cardinales episcopos ejusdem ecclesiæ hebdomadarios, qui missam in hac sacrosancta basilica celebrant per hebdomadas suas, oblationemque, quam in ipsa missa accipiunt a principio officii usque ad finem, quæcunque est in auro vel argento, vel quibuscunque oblationibus, in ordinationibus etiam et consecrationibus æqualiter dividunt cum canonicis ejusdem ecclesiæ sibi assistentibus in ministerio altaris, et in officiis, præter oblationem panis et vini, quæ tantum canonicorum sunt. Quorum septem civilia hic describenda sunt nomina. Episcopus Hostiensis, qui debet consecrare et benedicere Apostolicum præ omnibus aliis, episcopus sanctæ Rufinæ secundus, episcopus Portuensis tertius, episcopus Albanensis quartus, episcopus Tusculanensis quintus, episcopus Sabinensis sextus, episcopus Prænestinensis septimus.

In quibusdam vero dominicis et festivis diebus, sanctorumque præcipuis solemnitatibus, quandoque sacerdos est regalis et imperialis episcopus, imo patriarcha; et idem apostolicus in supradicto sacratissimo altare Salvatoris hujus Lateranensis basilicæ missam debet celebrare: et quando celebrat dominus papa sancti Petri vicarius, debent etiam ei assistere vicarii et collaterales sui prædicti, videlicet septem episcopi cum XXVIII cardinalibus totidem in Ecclesiis infra muros urbis Romæ præsidentibus, qui potestatem obtinent judicium faciendi super omnes episcopos totius Romani imperii in omnibus conciliis, vel synodis quibuscunque legati, vel præsentes adfuerunt. Debet etiam ibi præsens esse archidiaconus cum sex diaconibus palatinis, qui in palatio legere debent evangelium, et in basilica Lateranensi: et alii duodecim diacones regionarii, qui solent evangelium legere in stationibus ecclesiarum Romæ constitutis. Isti decem et octo diaconi totidem ecclesias habent infra muros civitatis. Et tamen omnes sunt canonici patriarchalis basilicæ Lateranensis. Debent etiam ibi esse septem subdiaconi palatini, et schola cantorum, scilicet alii septem subdiaconi, qui vocantur regionarii. Isti debent legere lectiones et epistolas in stationibus Romæ constitutis. Alii septem, scilicet

schola cantorum debet canere officium, dum dominus papa celebrat missam in basilica Lateranensi, et in aliis Alii vero septem Palatini epistolam debent legere in palatio ad missam apostolici, et in eadem patriarchali basilica Lateranensi, necnon etiam ad missas ipsius apostolici. Sunt etiam ibi acolythi præsentes, et capellani, lectores, exorcistæ, et ostiarii, quorum unusquisque nititur adimplere suum officium, sicut a sanctis Patribus inibi est constitutum.

Sunt autem in hac prædicta Lateranensi basilica quorumdam sanctorum altaria, quorum ista sunt nomina. In choro canonicorum est altare sanctæ Mariæ Magdalenæ, in quo reconditum est corpus ejus sine capite per manus domini Honorii tertii papæ, qui ipsum altare consecravit.

Retro sub absida est altare sanctorum Chrysanthi et Dariæ, in quo recondita olim fuerant eorum pretiosa corpora; sed cum a schismaticis fuisset exsecratum, levata sunt iterum inde, et translata in ecclesia beatæ Dei genitricis Mariæ, et sancti Pancratii martyris, quæ est in dextero latere basilicæ, atque recondita sunt in altare ipsius ecclesiæ, quod consecratum est per manus Innocentii papæ II, in quo recondidit pretiosas sanctorum reliquias, sanctorum videlicet Pancratii, Jacobi apostoli, Matthæi apostoli, Thaddæi apostoli, Timothei discipuli Pauli, protomartyris Stephani, sanctorum Innocentium, de linteamine Domini, et de sepulcro ejus, de rubo incombusto, Blasii, Nicomedis, Vitalis, Gervasii et Protasii, Nazarii et Celsi, sancti Felicis, et sanctorum XL martyrum.

In eadem parte sunt sepulturæ apostolicorum, in quibus sanctæ recordationis Lucius papa II. Hic vixit in canonicali proposito longo tempore in ecclesia ista, atque hinc assumptus presbyter cardinalis ordinatus est in ecclesia Sanctæ Crucis in Jerusalem, quam de ruinis a fundamento præclaro et admirando opere renovavit, atque ad normam religionis secundum beati Augustini Regulam informatam ante apostolatum multis processionibus ditavit. Sed et istam ecclesiam, assumptionis suæ memor et pristinæ conversationis, per omnia dilexit, magnisque beneficiis honoravit. Octavo siquidem die consecrationis suæ textum Evangeliorum, laminis aureis opertum, smalto et multis pretiosis lapidibus pulcherrimo opere ornatum, super altare obtulit. Inde non post multum sarantasmum optimum ad altaris ornamentum (1), ampullas etiam duas magnas, præclaro opere sculptas, argenteas deauratas in ministerio sacrificii pensantes libr. IV. Condidit quoque privilegium, in quo donavit huic basilicæ ecclesiam Sancti Joannis ante Portam Latinam, cum omnibus quæ ad eam pertinent, necnon hospitale juxta portam.

Ibi prope jacet Leo papa V, et Agapitus papa II, juxta sepulcrum ejus. Inde per directum ad dexteram jacet Paschalis papa II, qui salubri providentia et studio renovavit ordinem canonicum in ista ecclesia: juxta quem jacet Callistus papa II, qui reformavit cum imperatore Henrico pacem. Secus ipsum requiescit Honorius papa II, ac deinde penes istum Cœlestinus papa II. Inde in porticu sepulturæ plurimæ episcoporum istius ecclesiæ. In eadem quoque porticu jacet Gerbertus Remorum archiepiscopus, qui papa effectus Sylvester est appellatus, cujus sæpe sepulcrum, etiam in serenissimo aere, cum non sit in humido loco, aquarum guttas (quod satis est hominibus admirandum) visibiliter emanat.

Inde est altare sanctorum XL Martyrum prope hoc altare. In navi ecclesiæ jacet Innocentius papa II in concha porphyretica, quæ fuit Adriani imperatoris sepultura. Hic renovavit tectum hujus basilicæ, propriis expensis novis trabibus, quas gloriosus et potens Roggerius Siciliæ rex precibus suis eidem ecclesiæ transmisit: quod videlicet tectum suo tempore cecidit, suoque tempore restauratum est. Turrim etiam ante ecclesiam, quæ ruinæ vicina videbatur, renovari jussit: atque quam plurima, dum vixit, ecclesiæ dona ad ornamentum altaris obtulit, cycladem videlicet auro textam satis optimam, de qua postea vestis ad ornatum altaris, et casula ad celebrationem missæ factæ sunt. Tarantasmum ad cooperimentum altaris, thuribulum argenteum pensans libr. II, libras centum Lucensis monetæ pro emendis possessionibus ad sustentationem canonicorum, de quibus postmodum dominus Bernardus prior istius basilicæ, qui postea factus est cardinalis Sancti Clementis, ac deinde episcopus Portuensis, salubri studio et providentia emit possessiones non longe ab urbe, juxta formas prope ecclesiam Sanctæ Helenæ. Item in eadem parte juxta fores ecclesiæ requiescit quidam papa, qui Sergius ex Petro sic vocitatus erat. Inde penes istum jacet Alexander papa II, qui fuit episcopus Lucensis, qui et condidit optimum privilegium prædictæ basilicæ, et renovavit communem regularium canonicorum vitam in ipsa: in quo privilegio donavit ipsis canonicis medietatem omnium oblationum principalis altaris, domus quæ sunt in circuitu istius basilicæ, multaque alia possessionum prædia diversis in civitatibus et locis consistentia, sicut ipsius privilegii digna memoria nobis refert testimonia. Est inter duas fores quidam alius papa, qui non habet epitaphium. Et iterum in hac parte juxta fores ecclesiæ:

Pontificis summi pausant ibi membra Joannis.

Hic eamdem renovavit basilicam. Et iterum inter duas fores ecclesiæ in ista parte:

Cernitur hic tumulus, qui præsul dicitur esse,
Summi Joannis, sic quoque dictus erat.

Iste Joannes XVII papa. Et ante fores ecclesiæ quidam præsul requiescit, qui Petrus est vocatus. Super ipsas fores ecclesiæ scriptum fuit interius:

(1) Infra, *tarantasmum ad cooperimentum altaris.* Paulo inferius, *sarantasmum.* Quæ genuina esse lectio videtur.

Domnio, sanctus Anastasius, sanctus Maurus, sanctus A Asterius, sanctus Septimius, sanctus Jelius, sanctus Antiochianus, sanctus Paulinianus, sanctus Gaianus.

Tertium vero est oratorium postea, ubi fontes sunt inter duo altaria. Unum est sancti Joannis Baptistæ, aliud est sancti Joannis evangelistæ. Fontes sunt rotundi, inter columnas porphyreticas positi in medio ecclesiæ, quæ pulchra est et rotunda, ubi Constantini imperatoris fuit camera. Oratoria vero ipsa, videlicet sancti Joannis Baptistæ et beati Joannis evangelistæ, e regione hinc inde disposita, construxit Hilarius [*al.* Hilarus] papa, quæ ornavit omnia ex argento et lapidibus pretiosis. Confessionem sancti Joannis Baptistæ ex argento pensantem libr. c, et crucem auream, et in ambobus oratoriis januas æreas argento clausas. Ante con- B fessionem coronam argenteam pensantem libr. xx, farum cantarum pensantem libr. xxv. Item ad Sanctum Joannem intus sanctum fontem lucernam auream cum inoluminum x pensantem libr. v, turrim argenteam cum delphinis pensantem libr. LX, columbam auream pensantem libr. II. Fecit etiam ibidem prope, Sancti Stephani monasterium in baptisterio Lateranensi. Fecit et in eodem loco bibliothecas duas. Hæc autem omnia in basilica Constantiniana ad Sanctam Mariam constituta reposuit.

X. *De oratorio Sanctæ Crucis, et ornamentis ejus.*

Quartum vero postmodum sanctæ Crucis est oratorium, in quo ejusdem Sanctæ Crucis multum est sanctuarium. Ibi dictante angelo beatus papa Gregorius antiphonarium, et multa alia scripsit. Hoc C oratorium multum est pulcherrimum, in modum crucis factum, de musivo decoratum, quod a prædicto papa Hilario fuit constitutum : in quo pari modo plurima dona obtulit. Confessionem, ubi lignum crucis posuit, cum cruce aurea et gemmis, quæ pensant pondus lib. xx. In confessione januas ex argento pensantes pondus librarum L, supra confessionem arcum aureum pens. lib. IV, quem portant columnæ onychinæ, ubi stat agnus aureus pensans libr. II, coronam auream ante confessionem, farum cum delphinis pensans libr. v, lampadas aureas IV pens. lib. II, nympheum et triporticum ante oratorium Sanctæ Crucis, ubi sunt columnæ exatopentalaicas, et conchas striatas duas cum columnis por- D phyreticis ragiatis foratis aquam fundentes, et in medio lacum porphyreticum cum concha ansata in medio aquam fundente, circumdata a dextris vel sinistris in medio cancellis æreis, columnis cum fastigiis et epistyliis, undique ornatum ex musivo, et columnis aquitanicis, et tripolitis, et porphyreticis. Est iterum huic oratorio satis proximum aliud sancti papæ Gregorii oratorium, ubi usque hodie lectulus (2), in quo ipse sanctus solebat quiescere, videtur juxta aram permanere.

XI. *De ecclesia Sancti Laurentii in palatio.*

In sacro namque palatio est quoddam Sancti Laurentii oratorium, in quo tria sanctissima computantur altaria. Primum in arca cypressina, quam Leo papa III condidit, tres capsæ sunt. In una est crux de auro purissimo adornata gemmis et lapidibus pretiosis, id est hyacinthis, et smaragdis, et prasinis. In media cruce est umbilicus Domini nostri Jesu Christi ; et desuper est inuncta balsamo ; et singulis annis eadem unctio renovatur, quando dominus papa cum cardinalibus facit processionem in Exaltatione sanctæ crucis ab ipsa ecclesia Sancti Laurentii in basilicam Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana. Et in alia capsa argentea et deaurata cum historiis est crux de smalto depicta, et infra capsam illam est crux Domini nostri Jesu Christi : et in tertia capsa, quæ est argentea, sunt sandalia, id est calceamenta Domini nostri Jesu Christi. Est iterum ibi alia capsa deaurata, ubi est de ligno illo sanctæ crucis, quam Eraclius devicto Chosroe secum tulit de Perside, una cum corpore sancti Anastasii martyris, et est in altare, quod ibi est Sancti Laurentii de marmore. Ibi est etiam brachium sancti Cæsarii martyris, ossa duo sancti Joannis Baptistæ et os unum sancti Hieronymi, et spatula sancti Dionysii Areopagitæ, et os de crure sancti Stephani papæ, et sancti Damasii reliquiæ, et sanctorum Primi et Feliciani, et caput sanctæ Praxedis, et sanctæ Anastasiæ reliquiæ cum aliis multis, et sanctarum Agapæ, Chioniæ, et Hirenæ, Pistis et Helpis virginum, Nerei, et Achillei, Priscæ, et Aquilæ. Item sunt ibi reliquiæ de genu sancti Tiburtii filii Cromatii. In hac eadem arca cypressina est panis unus Cœnæ Domini, et tredecim de lenticulis ejusdem Cœnæ, et de arundine, et de spongia cum aceto ad os Domini posita, et lignum de sycomoro, ubi Zachæus ascendit.

Et super hoc altare est imago Salvatoris mirabiliter depicta in quadam tabula, quam Lucas evangelista designavit, sed virtus Domini angelico perfecit officio ; sub cujus pedibus in quadam pretiosorum lapidum linea, pignora hujus sanctuarii sunt recondita, quorum ista sunt nomina. Lapis in quo consedit sancta Maria ; lapis de sancto Jordane, ubi sedit Dominus dum baptizaretur ; lapis de sancta Bethlehem ; lapis de monte Oliveti, ubi Dominus oravit ad Patrem ; sancta petra in qua sedit angelus ad sepulcrum ; de sancta columna ubi Dominus fuit ligatus et flagellatus ; de sepulcro Domini, ubi corpore mortuus requievit ; de lancea qua fuit latus Domini perforatum ; de ligno crucis Domini ; de loco qui dicitur Lithostrotos ; de Calvariæ loco ; sancta silex, ubi Dominus conditus est ; lapis de monte Sion ; lapis in quo Dominus transfiguratus est in monte ; lignum de sancto præsepe Domini, in quo puer natus fuit positus ; lapis de monte Sina, ubi lex fuit data ; lapis de sepulcro sanctæ Mariæ.

(2) Alium Gregorii lectum memorat Anastasius sub finem Vitæ Stephani VI, cum laudat *oratorium Beati Georgii, ubi ejus lectus habetur, juxta ecclesiam Principis apostolorum*. Verum ibi *lecti* nomine tumulus intelligitur.

In alio vero altari ejusdem oratorii sunt capita A sanctorum apostolorum Petri et Pauli, et capita sanctarum Agnetis, et Euphemiæ virginum.

In tertio vero sunt carbones aspersi de sanguine sancti Laurentii, et de arvina corporis ejus. Sunt etiam in eodem oratorio reliquiæ sanctorum XL martyrum, multorumque aliorum.

XV. *De ecclesia Sanctæ Mariæ Majoris et de Sanctuario ejusdem.*

Ecclesia Sanctæ Mariæ Majoris, quam Sixtus papa junior (3) ædificavit, quam Paschalis papa renovavit, tot columnas habet in sua positione, quot dies sunt in anni unius revolutione. Hujus ecclesiæ dedicatio Non. Augusti celebratur. Habet insuper hæc venerabilis ecclesia Sanctæ Mariæ cardinales B septem, qui per suas hebdomadas in ordine vicis suæ ad suum sanctum altare missas debent celebrare. In ara vero hujus venerabilis ecclesiæ reconditæ sunt reliquiæ de capillis sanctæ Mariæ matris Domini, de lacte ejusdem Virginis, de wimplio sui capitis, de panno sui vestimenti. Cunabulum Domini ibi est, in quo puer jacuit. De præsepio (4) Domini sunt ibi reliquiæ. De Mathia apostolo, qui in loco Judæ apostolis aggregatus Parvus Dei nominatur. Quidam dicunt, quia sub hoc altare beatæ Mariæ Majoris requiescit : alii dicunt, quia in altare est reconditum. Credunt quidam, quia sub ingenti lapide marmoreo requiescit in terram, qui lapis est ante altaris fenestram. Fenestra enim hæc ita est sub altari, sicut arca sub altari Sancti Petri ; in cu- C jus ecclesia asseverant plurimi corpus esse prædicti sancti Mathiæ apostoli in pariete super majorem arcum, qui continuus est per medium ecclesiæ ab uno pariete usque ad alium. In absida vero Sanctæ Mariæ est cathedra pontificalis in medio sub vitrea, quæ quinque sunt in absida. Hæc absida nimis pulchra de musivo est effecta. Nam videntur a pluribus pisces ibi in floribus, et bestiæ cum avibus, inter chorum et altare.

XIII. *De episcopis et cardinalibus per patriarchatus dispositis.*

Septem cardinales episcopi primæ sedis, qui ad sacrosanctum altare Dominicum in basilica Salvatoris per hebdomadas suas vice apostolici celebrare D debent quotidie, ii sunt. Episcopus Hostiensis, episcopus Portuensis, episcopus Sanctæ Rufinæ, episcopus Sabinensis, episcopus Tusculanus, episcopus Prænestinensis.

Cardinales Sanctæ Mariæ Majoris sunt ii : Sanctorum Apostolorum, Sancti Cyriaci in Thermas, Sancti Eusebii, Sanctæ Pudentianæ, Sancti Vitalis, Sanctorum Marcellini et Petri, Sancti Clementis.

Cardinales Sancti Petri sunt ii : Sanctæ Mariæ Transtiberim, Sancti Chrysogoni, Sanctæ Cæciliæ, Sanctæ Anastasiæ, Sancti Laurentii in l Sancti Marci, Sanctorum Martini et Sylvest

Cardinales Sancti Pauli sunt ii : Sanctæ Sanctæ Priscæ, Sanctæ Balbinæ, Sanctoru et Achillei, Sancti Sixti, Sancti Marcelli, Susannæ.

Cardinales Sancti Laurentii sunt ii : San xedis, Sancti Petri ad Vincula, Sancti Lau Lucina, Sanctæ Crucis in Jerusalem, San phani in Cœlio Monte, Sanctorum Joannis Sanctorum quatuor Coronatorum.

Diaconiæ sunt XVIII : Sanctæ Mariæ in D ubi est archidiaconus Sanctæ Luciæ in Circ Septem solia, Sanctæ Mariæ Novæ, Sanctor mæ et Damiani, Sancti Adriani, Sanctoru et Bacchi, Sancti Theodori, Sancti Georgii Mariæ in Schola Græca, Sanctæ Mariæ in Sancti Nicolai in Carcere, Sancti Angeli Eustachii, Sanctæ Mariæ in Aquiro, Sanct in Via lata, Sanctæ Agathæ in Equo m Sanctæ Luciæ in capite Suburræ, Sancti Q

Abbatiæ sunt istæ : Sancti Cæsarii in Sancti Gregorii in Clivo Scauri, ibi est ca chii sancti Andreæ apostoli ; Sanctæ Mariæ tino, ibi est de corpore Sancti Savini Sancti Alexii, ubi est corpus ejus, et Sancti martyris ; Sanctorum Priscæ et Aquilæ, corpora eorum partim ; Sancti Sabæ Cell ubi est caput sancti Tiburtii martyris ; Sa cratii in Via Aurelia. Infra urbem Rave Transtiberim, Sancti Cosmæ et Damian aureo. Item Sancti Sylvestri inter duos quam ædificavit Dionysius papa, qui et ib scit ; Sanctæ Mariæ in Capitulio, ubi est Dei ; Sancti Basilii juxta palatium Trajan toris ; Sanctæ Agathæ virginis, quæ est monte ; Sancti Laurentii in Panisperna, ub situs in craticula ; Sancti Thomæ juxta Claudiam ; Sancti Blasii inter Tiberim et Sancti Petri ; Sanctæ Trinitatis Scottorum Valentini juxta pontem ; Sanctæ Mariæ i aureo ; Sanctæ Mariæ in Pallara, ubi fuit s Sanctus Sebastianus ; Sanctæ Mariæ in m juxta Sanctum Petrum ad Vincula.

XIV. *De casu et reparatione istius basilicæ, pore fuit facta a Sergio papa III, et donis namentis, quæ obtulit in ipsa, sicut in epi rietum hinc inde scribitur juxta columnu*

Anno quo baptizatus est piissimus i Constantinus Augustus a beatissimo Sylve ctæ apostolicæ sedis pontifice, et a lepra crum sacri baptismatis mundatus est, hanc basilicam in honore Salvatoris Don stri Jesu Christi, et commemoratione sanc nis Baptistæ. Permansit enim ab eodem

(3) Id est Sixtus tertius, testante libro Pontificum. Sed ante eum Liberius illam basilicam construxerat, *juxta macellum Libiæ* seu *Liviæ*, ex eodem libro, unde et basilica Liviæ primitus appellata.

(4) Sergius secundus *cameram præsepii nostri Jesu Christi argenteis tabulis ac* *perornavit*, ex Anastasio.

licet separatio parietum, et tectorum curvatio ejus ruinam ante ostenderent, per aliquot annos usque ad tempus Stephani piæ memoriæ VI. Tempore autem illius ruit, et fuit in ruinis dissipata, et comminuta usque ad tempus quo revocatus est dominus Sergius presbyter, et electus de exsilio et consecratus est Romanorum tertius præsul. In illis vero temporibus, quibus invasores apostolicam tenebant sedem, tulerunt de hac basilica omnes thesauros, et cuncta ornamenta aurea et argentea, ac universa utensilia, quæ ab initio hic oblata fuerunt; et non celebrabantur divina officia in ea, sed erat in dispersione quasi in thermis virgultorum et vepribus cooperta. Post ordinationem igitur suam dominus Sergius III, papa tristabatur nimium super desolationem hujus nobilissimi templi. Non enim erat spes neque solatium mortalis de restauratione illius. Cumque omnibus una esset desperatio de ejus relevatione, et humanum deesset auxilium; ad divinæ pietatis conversus juvamen, in qua semper habuit fiduciam, incipiens ab antiquis laborare fundamentis, fine tenus opus hoc consummavit, et decoravit aureis ornamentis et argenteis, sicut inferius legitur, et plus; quia super ibi addidit, dum vixit, prædictus sanctissimus Sergius tertius papa.

« Postquam in honore tui nominis, mundi Salvator, et commemoratione tui sancte Joannes Baptista, de tuis donis per multa certamina et labores præfatus dominus Sergius tertius papa hanc basilicam in ruinis positam a fundamentis construxit, cum omnia ornamenta aurea et argentea atque ænea ex ea ablata fuissent ab invasoribus, reparare et offerre tibi alia cum devoto animo studuit, quamvis in multis esset perturbationibus constitutus, non omisit tamen tuæ servire majestati. Fecit autem, et obtulit omnipotentiæ tuæ istam pulcherrimam imaginem, quam quinque libris auri decoravit; ciborium vero miræ pulchritudinis ex argento et auro purissimo cum gemmis; ejus perfectionem CCL librar. numeros et pondus assumpsit; crucem auream cum crucifixo; argenteas duas, unam habentem crucifixum totum de auro et agnum de auro cum gemmis; coronam de auro, cum crucibus duabus, et alias duas ex mistis metallis. Fibulam de auro cum gemmis. Duas bursellas de argento deauratas cum gemmis quinque; coronas de argento cum delphinis suis decem; canistra de argento XXXIX; gavatas de argento XXV; cruces argenteas IV, in quibus gavatæ pendent, et unam modicam similiter argenteam; calices argenteos III, unum ex his deauratum; patenam de argento; thuribula de argento III; imagines de argento tres, unam ex his habentem dexteram de auro, et fibulam in pectore cum gemmis; arcus argenteos VI; travicculam de argento, columnellas de argento VI, mala argentea XII, vestes intextas auro duas, coopertorium cum auro, et alium purum, vela serica LII. Hæc omnia devotus tibi præparavit: et non cessabit, dum spiritus ejus rexerit artus, præparare, et offerre tibi dominus Sergius papa tertius. »

Si quis forte tristando miratur, quod hæc ornamenta, et alia quæ superius notata ab imperatore Constantino fuerunt oblata, modo non appareant, legat et scrutetur Gesta Romanorum pontificum, et inveniet, quando, et quomodo ab invasoribus hinc fuerint inique sublata.

ANNO DOMINI MCLXVII

HUGO PICTAVINUS

NOTITIA

(FABRIC., *Biblioth. med. et inf. Lat.* III, 297)

Hugo Pictavinus, monachus et notarius Guilelmi abbatis Vezeliacensis, in pago Avalensi in regno Burgundiæ, jussu Pontii abbatis an 1156 scribere aggressus est *Historiam Vezeliacensis* (1) *cœnobii* ab anno 846 ad 1147, præfixa brevi comitum Nivernensium historia, eamque libris IV absolvit an. 1167. Primus edidit Dacherius tom. III Spicilegii pag. 446 (editionis novæ t. III, p. 498-560.) Liber primus totus abundat epistolis et privilegiis pontificum, Nicolai I, Joannis VIII insecutorumque usque ad Adrianum quartum.

(1) Ord. Bened. usque ad annum 1537, quo monachi obtentis a Paulo III litteris bullatis, cucullum abdicavere et sæcularium Canonicorum mores et vestes induerunt, ut notat Dacherius ad Guil. de Novigento p. 658.

DOMNI LUCÆ DACHERII

MONITUM

IN SUAM HISTORIÆ VIZELIACENSIS MONASTERII EDITIONEM.

(*Spicil.* in-fol. t. II, 498.)

—

Quadriennium jam effluxit quo refugiebat animus Historiam Vizeliacensis monasterii amplissimi fœdatam in publicum proferre : spes enim erat illius integræ aliquando e ruderibus, antrisve monas ubi fortean adhuc in pulvere et situ cum tineis deluctatur, eruendæ : verum crebris amicorum hort interpellatus, suasionibus impulsus, ne a me repulsam paterentur, cessi tandem eorum votis (viri e inter litteratos eruditione juxta ac pietate præcipui) atque historiam quamvis lacunis dehiscentem tamen nobilitatam monumentis, docteque ac eleganter conscriptam, nolui diutius tenebris obvolvi, utpote utilitate litterariæ profuturam libens exposui.

Historiam placuit auctori Hugoni Pictavino quadripertitam proponere. In priori parte conditor tas, Romanæ urbis litteras, diplomata regum, atque alia id genus rescripta, tanquam eorum quæ er dium producturus fundamenta subjecit. Depingit in altera episcopum Eduensem qua fas qua nefas Ecclesiæ Vizeliacensis infringere, ac jura soli Romano pontifici competentia usurpare conantem. demum et quarta luctuosas prodit tracegdias a comitibus Nivernensium peractas, qui incursionibus ptione per se, perque suos non semel in monasterium Vizeliacense, universumque ejus dominium, ut tioni suæ adjungerent, grassati sunt, barbarorum more monachos expulerunt, oppidanos a legibus ctione abbatis eorum domini aperta vi subtraxerunt. Auctor ipse nihilominus victorias ab abbate chis, non tamen sine ingenti labore ac dispendio rei familiaris, tum de episcopo, tum etiam de Niver afflante divino Spiritu, pontificibus Romanis juvantibus, favente in primis rege Ludovico septimo, describere non omittit. Interserit etiam insigniora sui temporis, quæ civilem ecclesiasticamque admodum illustrant.

HISTORIA VIZELIACENSIS MONASTERII

AUCTORE HUGONE PICTAVINO

Notario Guillelmi abbatis Vizeliacensis, qui eam jussu Pontii abbatis scribere ag est anno 1156, et sub ipso Guillelmo absolvit anno 1167.

—

LIBER PRIMUS.

PRIVILEGIA ET CHARTÆ VIZELIACENSIS COENOBII.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, incipit instrumentum seu testamentum Geraldi comitis, fundatoris monasteriorum, videlicet Pultariensis et Vizeliacensis, subsequentibus privilegiis apostolicæ et regalis auctoritatis, ipsum testamentum confirmantibus et corroborantibus in perpetuum.

Testamentum Gerardi comitis. Omnibus Christi fidelibus, pietate, amore, desiderioque ferventi beatam vitam exspectantibus, et in unitate Christianitatis sub obedientia præceptorum Dei ubique manentibus, sive his qui præsentes sunt, sive his qui futuri, atque in compage et vinculo charitatis victuri, et usque ad consummationem sæculi in Ec- A clesia sanctorum sibi invicem sunt succes Gerardus divinæ pietatis munere apud regalem mansuetudinem comitis honore tus, ex communi voto et desiderio dil conjugis meæ atque amantissimæ Bertæ, nobis pariter unanimiterque, Domino in complacuerit, ut de rebus nostris et poss nostrarum titulis perennem memoriam Do nostro, ubi laus ejus assidue fieret, stat Et quoniam largitionibus piis dominorum rum nostrorum, qui nos liberalissime hon dignitatibus ampliaverunt, id est, impera nior noster clementissimus Ludovicus, et domina et regina Judith, filiusque ipsorum

JOANNIS DIACONI
LIBER
DE ECCLESIA LATERANENSI.

(MABILL. *Mus. Ital.*, t. II, p. 560.)

INCIPIT PROLOGUS IN LIBRO DE SANCTIS SANCTORUM.

Beatissimo domino et Patri reverentissimo ALEXANDRO divina gratia Catholicæ Ecclesiæ atque sedis apostolicæ summo pontifici, JOANNES qualiscunque diaconus basilicæ Salvatoris patriarchii Lateranensis canonicus, librum De sanctis sanctorum ex archivo renovatum.

Cum juxta sapientis viri præconium gloria regum sit celare verbum, et gloria Dei investigare sermonem (*Prov.* XXV); tanto utriusque professoribus probabile est ad utriusque beneplacitum et honorem sollicitum ac devotum præstare obsequium, quanto de utriusque gratiæ plenitudine speratur renumeratione dignum, atque indubitanter creditur affuturum, etc. Hoc itaque considerationis respectu considerans, libellum De sanctis sanctorum memoriam continentem, qui in archivo hujus sacrosanctæ basilicæ a prædecessoribus nostris usque ad nostra tempora conservatur, antiquitatis vetustate jam quasi abolitum, quoniam beatitudini vestræ beneplacitum est et gratum, erogatum quia pernecessarium ne tam celebris sacrorum memoria, quæ ab antecessoribus nostris nobis diligenter conservata est et tradita, per nostram negligentiam posteris nostris oblivione deficeret, sanctitatis vestræ auctoritate et præcepto, mandato quoque et voluntate venerabilis prioris Joannis et fratrum ejusdem Ecclesiæ, ad honorem Domini et Salvatoris Jesu Christi A renovare curavi posteritati conservandam, ipsorumque devotioni profuturam. Sane quia non solum de mendosis, sed etiam de otiosis ante tribunal Dei viventis, in cujus manus horrendum est incidere, reddituri sumus procul dubio rationem; scire cupio vestræ paternitatis benevolentiam Deo et hominibus meritorum plenitudine et sinceritate reverendam, atque universos, qui hujus libelli memoria gaudent, me nullatenus superstitionis causa aliquas novitates præsumptionis inserere, sed simpliciter antiquam seriem scribendo conservans, si qua alia superaddo, illa sunt procul dubio, quæ vel ipse jam per quinque lustrorum spatia, in hac sacrosancta basilica in canonicali proposito vivens, oculis propriis vidi, vel ab antecessoribus nostris veridica relatione B cognovi, ea scilicet quæ sunt de translatione sanctorum Chrysanthi et Dariæ, seu de inventione sanctarum Rufinæ et Secundæ, atque Sanctorum Cypriani et Justinæ, vel etiam quæ de historiis et auctoritatibus sanctorum ad repellendam ambiguitatis opinionem quorumdam de absconsione tabernaculi et arcæ, et his quæ continebantur in ea, vel altaris incensi, quæ nimirum ut liquido clarescant, et historiographorum nomina et libros, et tempora, seu doctorum nomina, vel volumina manifestius in sequentibus declarare curavi, etc.

LIBER DE ECCLESIA LATERANENSI.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, incipit C scriptum de supremæ sanctuario sanctæ Dei Romanæ, id est Lateranensis, ecclesiæ, compositum de archivis et antiquis pontificum Romanorum gestis, quæ videlicet ecclesia patriarchalis et imperialis privilegio ac prærogativa sanctæ sedis apostolicæ, dono gratiæ Dei Salvatoris J. C. super omnes ecclesias totius orbis terrarum obtinet dominationem atque principatum, quæ etiam divino nutu apostolici culminis et Romani imperii nomen possidet gloriosum

Et quoniam totus orbis terrarum huic matri ecclesiæ debitæ subjectionis exhibere debet obsequium; multi ex diversis regionibus hic conveniunt oratores, quibus nescientibus quantum, et quam pretiosissimum in hac prædicta ecclesia sanctuarium Dei sit reconditum, per istarum insinuationem litterarum volumus esse notatum, saltem quando hic conveniunt ad exorandum Deum Dei Filium J. C. D. N. Salvatorem sanctorum pro pace sanctæ Ecclesiæ, pro remissione omnium peccatorum, pro acquirenda gloria æternæ visionis Dei, pro societate

Antiochena, tertia Alexandrina; sedes Petri, quia per vicarium suum ipsemet sedet ibi. Vocatur et ab urbe Romana Ecclesia; et a loco Lateranensis ecclesia, Lateranensis basilica, Lateranense episcopium, Lateranense patriarchium. Dicitur hæc universalis ecclesia, quia ejus episcopus de universis habet judicandi potestatem, de illo vero nullus. Et propter hoc appellatur caput Ecclesiarum, mater Ecclesiarum, et magistra Ecclesiarum, quia omnes ab illa accipiunt fomentum et magisterium. Omnibus providet, pro omnibus invigilat, pro cujus utique fide, ut aliquando non deficiat, sed fratres suos confirmet, ipse Salvator exorat. Iis atque aliis nominibus hæc aula Dei nobiliter in divinis paginis decoratur, et honoratur.

II. *Quod omnia quæ in templo post destructionem reperta sunt, Helena mater portavit ad filium.*

Hanc itaque sacrosanctam basilicam, omni mundo reverendam, beatissima Helena Constantini mater post perceptum sacri baptismatis sacramentum, incomparabilis sanctuarii thesauro ditavit. Quod videlicet de Hierosolymitanis partibus rogatu ipsius Augusti filii transportavit quod ab antiquis ante incarnationem Domini fuerat reconditum, et post destructionem, quæ a Tito et Vespasiano Romanis principibus facta legitur, inibi habebatur residuum. Totidem Deus omnipotens viscera misericordiæ suæ Romanæ huic Ecclesiæ dignata est aperire, cum jam dicta regina sanctuarium, quod Dei nutu de civitate sancta Hierusalem secum attulerit ad filium, in hujus sacrosanctæ basilicæ, quæ sacerdotalis est et regia, transtulit habitaculum. Quod quia nondum proprio designatur ex nomine, licet indignus sim nomen ejus depromere, tamen in honore suæ laudis non differam cum reverentia nominare.

Item anno Dominicæ Incarnationis 1260, Alexander papa quartus in die Dedicationis hujus ecclesiæ sacrosanctæ corroboravit et confirmavit omnes quascunque indulgentias, a quibuscunque summis pontificibus, quocunque tempore concessas : sed et illas principaliter, quas beatus Sylvester abunde statuit et donavit, inclinatus justis precibus humilis et Christianissimi Constantini, et de speciali misericordia et gratia prorogavit eas usque ad diem dedicationis apostolorum Petri et Pauli.

III. *De arca et sanctis sanctorum, quæ sunt in basilica Salvatoris.*

In hac itaque sacrosancta Lateranensi basilica salvatori Jesu-Christo Deo dicata, quæ caput est mundi, quæ patriarchalis est et imperialis, sedes est apostolicæ cathedræ pontificalis, et in ejusdem ecclesiæ ara principali est arca fœderis Domini, vel, ut aiunt, arca est inferius, et altare ad mensuram longitudinis, latitudinis et altitudinis arcæ conditum est superius, inter quatuor columnas de rubeo porphyrio suo sub quodam pulchro ciborio. In quo quidem, ut asserunt, multum est sanctua-

A rium, sed quale sit non agnoscunt. Nam nomen ejus nesciunt.

In altari vero, quod superius est ligneum de argento coopertum, atque sub eo inferius, est tale sanctuarium : septem candelabra, quæ fuerunt in priori tabernaculo. Unde Paulus dicit apostolus : *Tabernaculum factum est primum, in quo erant candelabra, et mensa, et propositio panum, quæ dicitur sancta, et aureum thuribulum, et urna aurea habens manna, quod habuit secundum tabernaculum, quod dicitur sancta sanctorum. Et ibi virga Aaron, quæ fronduerat. Et tabulæ testamenti* (*Hebr.* 9), et virga Moysi, qua percussit bis silicem, et fluxerunt aquæ. Item sunt ibi reliquiæ de cunabulis Domini. De quinque panibus hordeaceis, et duobus piscibus.
B Item mensa Domini. Linteum unde extersit pedes discipulorum suorum. Tunica inconsutilis, quam fecit virgo Maria filio suo Domino nostro Jesu Christo, quæ in morte ipsius a militibus sortita est, non scissa; quam dum Salvator inibi reservaverit, hæresis vel scissura fidei diu non erit in ea. Purpureum vestimentum ejusdem Salvatoris et Redemptoris. De sanguine et aqua lateris Domini ampullæ duæ. Circumcisio Domini. Sudarium quod fuit super caput ejus, quod est unum de quinque linteaminibus, quibus sanctissimum corpus ejusdem Domini nostri fuit involutum. Est ibi de loco Ascensionis Christi in cœlum De sanguine sancti Joannis Baptistæ. De pulvere et cinere combusti
C corporis ejusdem præcursoris Christi. Cilicium ejus de pilis camelorum. De manna sepulturæ sancti Joannis evangelistæ ampulla plena. Tunica ejusdem apostoli et evangelistæ, qua supposita corporibus trium juvenum, surrexerunt. Mortui enim fuerant propter venenum quod biberant.

IV. *Ratio circa eos, qui opponunt de absconsione tabernaculi, et arcæ, vel altaris incensi.*

Verum quam plurimi sacrorum voluminum et historiarum profunda mysteria minus prudenter investigantes, *nec intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant* (*I Tim.* I), propter hoc quod in secundo libro Machabæorum de absconsione tabernaculi et arcæ, seu etiam altaris incensi reperitur, superflua opinione existimant, ipsum taber-
D naculum, et arcam vel altare, hactenus occultata usque ad tempus futuri judicii latere, et ignorare, etc.

V. *Quod tempore Titi et Vespasiani, quæ in templo fuerant, Romæ translata fuerunt.*

Quo autem tempore, vel a quibus vasa templi, et utensilia, seu universa donaria Romæ delata fuerunt, vel ubi reposita, præfatus doctor Hieronymus, cui proprium fuit semper nova quærere, et absconsa dilucidare, in expositione Joelis prophetæ testatur, quod Titus et Vespasianus, Romani principes, post ascensionem Domini destructa civitate Hierosolyma, et templo, ob victoriam et monumentum populi Romani, omnia illa quæ in templo præcipua et speciosa Judæi habuerant, secum asportaverunt, imo

ab ipsis Judæis asportari jusserunt: et ædificato Romæ templo Pacis, ibi ea in delubrum mirifice condiderunt, quæ Græca et Romana narrat historia. Nec dubium unde tantus vir docuit habendum, quod Græca et Romana historia voluit esse confirmatum. Hoc idem usque hodie liquido perpenditur in triumphali arcu, qui appellatur Septem lucernarum, qui constructus fuisse probatur ad memoriam prædictorum principum totiusque populi Romani, juxta ecclesiam Sanctæ Mariæ Novæ, in quo candelabra, quæ fuerunt in priori tabernaculo, et arca cum vestibus suis, quæ fuit in secundo intra velum, manifeste ac mirifico opere sculpta fuisse cernuntur.

Hoc etiam manifestioribus documentis eloquentissime doctor Leo papa in sermonibus Dominicæ Passionis, cum de velo scisso in templo sub ipso tempore passionis Christi contra perfidiam Judæorum contestando inveheret, declarare videtur, dum ipsorum cæcitatem Judæorum omnia mundi elementa evidentius arguisse protestaretur in sermone, qui sic incipit: *Cum multis modis Judaica impietas laboraret*, scripsit ita: « Quod si ad arguendos vos, nec cœlestia, nec inferna sufficiunt, et crucem Christi magis potuerunt petræ atque monumenta, quam vestra corda sentire, saltem quod in templo actum est, scienter advertite. Velum, cujus objectu intercludebantur Sancta sanctorum, a summo usque ad ima diruptum est, et sacrum illud mysticumque secretum, quo solus summus pontifex jussus fuerat intrare, reseratum est, etc. »

Sub altari isto sacrosancto, de quo in præsenti loquimur, est quædam imago tota aurea Domino Jesu Christo dedicata; et beatæ Mariæ virginis, et sancti Joannis Baptistæ, sanctorumque apostolorum Petri et Pauli, sancti Joannis evangelistæ imagines de electro aureæ et argenteæ, necnon aliorum apostolorum penitus argenteæ, quas Constantinus imperator Dei servus, qui easdem ad honorem Salvatoris Jesu-Christi suorumque discipulorum imaginari studuit, sic in quodam gynæceo molitus est recondere, quod nulli artifici per quodcunque ingenium licet accedere.

VI. *Quod quotidie in Matutinis, Missa et Vesperis festive in ea pulsatur.*

In hac ecclesia, quia typum gerit cœlestis Ecclesiæ, die noctuque in Matutinis et Missa, seu Vesperis quotidie festive pulsatur. Inde est quod in ea non cantatur ad Missas, *Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem*, quoniam ibi summa pax justorum ipse Christus erit, ubi perfecta et consummata in electis, nec postulatione opus erit, nec augmento.

VII. *De oratione Dominica, quæ in omni officio frequentatur.*

Hæc reservans apostolicam institutionem non nisi Dominica in officiis utitur oratione, quoniam aliæ orationes postea sunt superadditæ; et congruum est atque conveniens, ut prima et summa omnium aliarum ecclesiarum, primam et summam omnium aliarum orationem frequentet; et quæ vocabulo consecrata est, Salvatoris (quam discipulos suos orare docuit, pı præcipuam semper habeat. Sunt præterea dam collectæ ad Matutinas vel Vesperas quæ ab apostolico, vel ab ejus septem col episcopis tantum, et non ab aliis penit ecclesia dici possunt.

VIII. *De episcopis septem hebdomadarii officialibus ejusdem ecclesiæ.*

Ad hoc igitur tam solemne sacrosanct ubi, sicut diximus, vestimentum habetu non scissum; et aliud multum et inc sanctuarium, quod totum hic nominare mus: nullus ad sacrificandum audet acc ter domnum apostolicum, et septem episcopos ejusdem ecclesiæ hebdomad missam in hac sacrosancta basilica cel hebdomadas suas, oblationemque, qua missa accipiunt a principio officii usque quæcunque est in auro vel argento, vel c que oblationibus, in ordinationibus etiam crationibus æqualiter dividunt cum cano dem ecclesiæ sibi assistentibus in mini ris, et in officiis, præter oblationem pa quæ tantum canonicorum sunt. Quoru civilia hic describenda sunt nomina. Epis stiensis, qui debet consecrare et benedice licum præ omnibus aliis, episcopus sanc secundus, episcopus Portuensis tertius, Albanensis quartus, episcopus Tusculane tus, episcopus Sabinensis sextus, episc nestinensis septimus.

In quibusdam vero dominicis et festi sanctorumque præcipuis solemnitatibus que sacerdos est regalis et imperialis imo patriarcha; et idem apostolicus in sacratissimo altare Salvatoris hujus La basilicæ missam debet celebrare: et qu brat dominus papa sancti Petri vicariu etiam ei assistere vicarii et collaterales su videlicet septem episcopi cum XXVIII ca totidem in Ecclesiis infra muros urbis R sidentibus, qui potestatem obtinent ju ciendi super omnes episcopos totius Ron rii in omnibus conciliis, vel synodis qui legati, vel præsentes adfuerunt. Debet etia sens esse archidiaconus cum sex diaconi nis, qui in palatio legere debent evangel basilica Lateranensi: et alii duodecim di gionarii, qui solent evangelium legere i bus ecclesiarum Romæ constitutis. Isti octo diaconi totidem ecclesias habent ir civitatis. Et tamen omnes sunt canonici p lis basilicæ Lateranensis. Debent etian septem subdiaconi palatini, et schola scilicet alii septem subdiaconi, qui voca narii. Isti debent legere lectiones et episto tionibus Romæ constitutis. Alii septen

schola cantorum debet canere officium, dum dominus papa celebrat missam in basilica Lateranensi, et in aliis Alii vero septem Palatini epistolam debent legere in palatio ad missam apostolici, et in eadem patriarchali basilica Lateranensi, necnon etiam ad missas ipsius apostolici. Sunt etiam ibi acolythi præsentes, et capellani, lectores, exorcistæ, et ostiarii, quorum unusquisque nititur adimplere suum officium, sicut a sanctis Patribus inibi est constitutum.

Sunt autem in hac prædicta Lateranensi basilica quorumdam sanctorum altaria, quorum ista sunt nomina. In choro canonicorum est altare sanctæ Mariæ Magdalenæ, in quo reconditum est corpus ejus sine capite per manus domini Honorii tertii papæ, qui ipsum altare consecravit.

Retro sub absida est altare sanctorum Chrysanthi et Dariæ, in quo recondita olim fuerant eorum pretiosa corpora; sed cum a schismaticis fuisset exsecratum, levata sunt iterum inde, et translata in ecclesia beatæ Dei genitricis Mariæ, et sancti Pancratii martyris, quæ est in dextero latere basilicæ, atque recondita sunt in altare ipsius ecclesiæ, quod consecratum est per manus Innocentii papæ II, in quo recondidit pretiosas sanctorum reliquias, sanctorum videlicet Pancratii, Jacobi apostoli, Matthæi apostoli, Thaddæi apostoli, Timothei discipuli Pauli, protomartyris Stephani, sanctorum Innocentium, de linteamine Domini, et de sepulcro ejus, de rubo incombusto, Blasii, Nicomedis, Vitalis, Gervasii et Protasii, Nazarii et Celsi, sancti Felicis, et sanctorum XL martyrum.

In eadem parte sunt sepulturæ apostolicorum, in quibus sanctæ recordationis Lucius papa II. Hic vixit in canonicali proposito longo tempore in ecclesia ista, atque hinc assumptus presbyter cardinalis ordinatus est in ecclesia Sanctæ Crucis in Jerusalem, quam de ruinis a fundamento præclaro et admirando opere renovavit, atque ad normam religionis secundum beati Augustini Regulam informatam ante apostolatum multis processionibus ditavit. Sed et istam ecclesiam, assumptionis suæ memor et pristinæ conversationis, per omnia dilexit, magnisque beneficiis honoravit. Octavo siquidem die consecrationis suæ textum Evangeliorum, laminis aureis opertum, smalto et multis pretiosis lapidibus pulcherrimo opere ornatum, super altare obtulit. Inde non post multum sarantasmum optimum ad altaris ornamentum (1), ampullas etiam duas magnas, præclaro opere sculptas, argenteas deauratas in ministerio sacrificii pensantes libr. IV. Condidit quoque privilegium, in quo donavit huic basilicæ ecclesiam Sancti Joannis ante Portam Latinam, cum omnibus quæ ad eam pertinent, necnon hospitale juxta portam.

Ibi prope jacet Leo papa V, et Agapitus papa II, juxta sepulcrum ejus. Inde per directum ad dexteram jacet Paschalis papa II, qui salubri providentia et studio renovavit ordinem canonicum in ista ecclesia: juxta quem jacet Callistus papa II, qui reformavit cum imperatore Henrico pacem. Secus ipsum requiescit Honorius papa II, ac deinde penes istum Cœlestinus papa II. Inde in porticu sepulturæ plurimæ episcoporum istius ecclesiæ. In eadem quoque porticu jacet Gerbertus Remorum archiepiscopus, qui papa effectus Sylvester est appellatus, cujus sæpe sepulcrum, etiam in serenissimo aere, cum non sit in humido loco, aquarum guttas (quod satis est hominibus admirandum) visibiliter emanat.

Inde est altare sanctorum XL Martyrum prope hoc altare. In navi ecclesiæ jacet Innocentius papa II in concha porphyretica, quæ fuit Adriani imperatoris sepultura. Hic renovavit tectum hujus basilicæ, propriis expensis novis trabibus, quas gloriosus et potens Roggerius Siciliæ rex precibus suis eidem ecclesiæ transmisit: quod videlicet tectum suo tempore cecidit, suoque tempore restauratum est. Turrim etiam ante ecclesiam, quæ ruinæ vicina videbatur, renovari jussit: atque quam plurima, dum vixit, ecclesiæ dona ad ornamentum altaris obtulit, cycladem videlicet auro textam satis optimam, de qua postea vestis ad ornatum altaris, et casula ad celebrationem missæ factæ sunt. Tarantasmum ad cooperimentum altaris, thuribulum argenteum pensans libr. II, libras centum Lucensis monetæ pro emendis possessionibus ad sustentationem canonicorum, de quibus postmodum dominus Bernardus prior istius basilicæ, qui postea factus est cardinalis Sancti Clementis, ac deinde episcopus Portuensis, salubri studio et providentia emit possessiones non longe ab urbe, juxta formas prope ecclesiam Sanctæ Helenæ. Item in eadem parte juxta fores ecclesiæ requiescit quidam papa, qui Sergius ex Petro sic vocitatus erat. Inde penes istum jacet Alexander papa II, qui fuit episcopus Lucensis, qui et condidit optimum privilegium prædictæ basilicæ, et renovavit communem regularium canonicorum vitam in ipsa: in quo privilegio donavit ipsis canonicis medietatem omnium oblationum principalis altaris, domus quæ sunt in circuitu istius basilicæ, multaque alia possessionum prædia diversis in civitatibus et locis consistentia, sicut ipsius privilegii digna memoria nobis refert testimonia. Est inter duas fores quidam alius papa, qui non habet epitaphium. Et iterum in hac parte juxta fores ecclesiæ:

Pontificis summi pausant ibi membra Joannis.

Hic eamdem renovavit basilicam. Et iterum inter duas fores ecclesiæ in ista parte:

Cernitur hic tumulus, qui præsul dicitur esse,
Summi Joannis, sic quoque dictus erat.

Iste Joannes XVII papa. Et ante fores ecclesiæ quidam præsul requiescit, qui Petrus est vocatus. Super ipsas fores ecclesiæ scriptum fuit interius:

(1) Infra, *tarantasmum ad cooperimentum altaris.* Paulo inferius, *sarantasmum.* Quæ genuina esse lectio videtur.

Sergius ipse pius papa hanc qui cœpit ab imis
Tertius, exemplans istam quam conspicis aulam.

In atrio quoque ipsius basilicæ oratorium est pulchrum, et ibi est altare Sancti Thomæ apostoli. In hoc quidem oratorio, quod fecit Joannes papa qui renovavit ecclesiam, induit se pontifex vestimenta sacerdotalia et pontificalia, quando debet celebrare missam in stationibus istius basilicæ. De hoc enim oratorio exiens cum processione intrat basilicam, et vadit ad sacrosanctum altare Dominicum, quod omnium altarium solum habet principatum. Cœlestinus papa III jacet juxta Sanctam Mariam de Reposo. Alexander papa III jacet ante pulpitum ecclesiæ, vel juxta viam quando imus ad curiam. Clemens III papa jacet ante chorum canonicorum.

A sinistro vero latere basilicæ est altare Beatæ Mariæ de Reposo. Ibi juxta jacet Anastasius papa IV, qui fuit Sabinus episcopus, in mausoleo porphyretico præclaro opere sculpto, in quo olim jacuit Helena mater Constantini imperatoris : quod videlicet mausoleum de ecclesia, quam idem imperator ad honorem ipsius matris extra Urbem fabricaverat, idem papa deportari fecerat. Hic unice ac devotissime dilexit præ omnibus istam ecclesiam antea, dum esset episcopus, atque in apostolatu sublimatus, postea plurimis beneficiis honoravit. Nam duo privilegia canonicis præfatæ basilicæ solemniter condidit : in quibus, et quæ tunc possidebat confirmavit, et de benignitate et gratia sua plurima supererogavit. In quibus ecclesiam Sancti Gregorii in Marcio cum palatio, in quo sita est, et cum omnibus ad eam pertinentibus, nec non et terram cum molendino extra portam in capite, ubi fuit aliquando locus, huic ecclesiæ donavit. Ad ornamentum etiam sacrosancti Dominici altaris plurima dona obtulit, antea dum esset episcopus ; et postmodum sublimatus in sacrosancta sede Apostolicus : octavo enim die a consecratione sua cycladem unam altari Dominico obtulit. Exinde quinto decimo die casulam unam albam et optimam pretioso auriphrygio circumdatam ad celebrationem missæ. Post aliquantum temporis intervallum obtulit ad ornamentum altaris candelabra duo optima fusorio opere fabrefacta, et sarantasmum unum præclarum et optimum, et pro fratrum subsidiis argenti libr. III. In anniversario etiam dedicationis istius sacratissimæ basilicæ calicem satis magnum et admiratione dignum tam pro sui ponderis magnitudine, quam etiam pro admirandi operis varietate. Undique enim ex omni parte sculptorio opere fabrefactum est mirabiliter, atque diversis historiis cum versibus adornatum, pensans libr. XXVIII.

« In nomine Domini amen. Anno Incarnationis 1297, die... mensis Februarii consecratum fuit altare capituli ad honorem Dei et beatæ Mariæ Magdalenæ de mandato domini Bonifacii papæ VIII per dominum Gerardum de Parma episcopum Sabinensem · in quo altari recondidit corpus ipsius beatæ Mariæ

A Magdalenæ sine capite, et brachium beati Zac et reliquias multorum aliorum sanctorum.

Judicum alii sunt Palatini, quos ordinarios mus ; alii consulares distributi per judicatu pedanei a consulibus creati. In Romano vero rio et in Romana usque hodie Ecclesia septe dices sunt palatini, qui ordinarii vocantur, q dinant imperatorem, et cum Romanis cleric gunt papam. Quorum nomina hæc sunt : P primicerius, secundus qui dicitur secundi qui ab ipsis officiis nomen accipiunt. Hi d levaque vallantes imperatorem, quodammod illo videntur regnare, sine quibus aliquid m non potest constituere imperator. Sed in R Ecclesia in omnibus processionibus manuati
B cunt papam, cedentibus episcopis et cæteris n tibus, et in majoribus festivitatibus octavam omnes episcopos legunt lectionem. Tertius es rius, qui præest tributis. Quartus sacellariu stipendia erogat militibus, et Romæ sabbato tiniorum dat eleemosynam, et Romanis episc clericis, et ordinariis largitur presbyteria. Quir protoscrinarius, qui præest scrinariis, quos ta nes vocamus. Sextus primus defensor, qui defensoribus, quos advocatos nominamus. Se adminiculator, intercedens pro pupillis et pro afflictis et captivis. Pro criminalibus judicant, nec in quemquam mortiferam dicta sententiam : et Romæ clerici sunt, ad nullos u alios ordines promovendi. Alii vero, qui dicunt
C sules, judicatus regunt, et reos legibus puni pro qualitate criminis in noxios dictant sente

IX. *De oratoriis ad fontes, et de sanctua donis eorum.*

Retro basilicam Salvatoris quatuor sunt ria : unum est quod habet absidas duas : s est altare sanctarum virginum Rufinæ et Se sub quo recondita sunt pretiosa earumdem c quæ inventa sunt ab Anastasio papa IV felic moriæ, antequam apostolica dignitate sub tur, et post ipsarum inventionem fabricato ad honorem earumdem propriis manibus co vit ipsum altare, astantibus nobis omnil præsentibus canonicis basilicæ Salvatoris et
D plurimis tam de Urbe, quam extra Urbem.

Sub alia absida est altare Sancti Andreæ a et Sanctæ Luciæ virginis, quod et prædictus sius papa consecravit, et in eo recondidit de r utriusque, videlicet Andreæ apostoli, et Luci nis. In festivitate sancti Cypriani episcopi et m et sanctæ Justinæ virginis, quorum corpora marmoreo posita locavit, et recondidit sub e tare, quæ et invenerat in altare supradictaru num Rufinæ et Secundæ, dum pro invenie poribus earum quærere et fodere nobis præ

Aliud vero est oratorium huic prædicto co quod unam sub absida tantummodo habet a qua sunt recondita pretiosa sanctorum corpo rum ista sunt nomina : sanctus Venantius,

Domnio, sanctus Anastasius, sanctus Maurus, sanctus Asterius, sanctus Septimius, sanctus Jelius, sanctus Antiochianus, sanctus Paulinianus, sanctus Gaianus.

Tertium vero est oratorium postea, ubi fontes sunt inter duo altaria. Unum est sancti Joannis Baptistæ, aliud est sancti Joannis evangelistæ. Fontes sunt ro-tundi, inter columnas porphyreticas positi in medio ecclesiæ, quæ pulchra est et rotunda, ubi Constantini imperatoris fuit camera. Oratoria vero ipsa, videlicet sancti Joannis Baptistæ et beati Joannis evangelistæ, e regione hinc inde disposita, construxit Hilarius [*al.* Hilarus] papa, quæ ornavit omnia ex argento et lapidibus pretiosis. Confessionem sancti Joannis Baptistæ ex argento pensantem libr. c, et crucem auream, et in ambobus oratoriis januas æreas argento clausas. Ante confessionem coronam argenteam pensantem libr. xx, farum cantarum pensantem libr. xxv. Item ad Sanctum Joannem intus sanctum fontem lucernam auream cum inoluminum x pensantem libr. v, turrim argenteam cum delphinis pensantem libr. LX, columbam auream pensantem libr. II. Fecit etiam ibidem prope, Sancti Stephani monasterium in baptisterio Lateranensi. Fecit et in eodem loco bibliothecas duas. Hæc autem omnia in basilica Constantiniana ad Sanctam Mariam constituta reposuit.

X. *De oratorio Sanctæ Crucis, et ornamentis ejus.*

Quartum vero postmodum sanctæ Crucis est oratorium, in quo ejusdem Sanctæ Crucis multum est sanctuarium. Ibi dictante angelo beatus papa Gregorius antiphonarium, et multa alia scripsit. Hoc oratorium multum est pulcherrimum, in modum crucis factum, de musivo decoratum, quod a prædicto papa Hilario fuit constitutum : in quo pari modo plurima dona obtulit. Confessionem, ubi lignum crucis posuit, cum cruce aurea et gemmis, quæ pensant pondus lib. xx. In confessione januas ex argento pensantes pondus librarum L, supra confessionem arcum aureum pens. lib. IV, quem portant columnæ onychinæ, ubi stat agnus aureus pensans libr. II, coronam auream ante confessionem, farum cum delphinis pensans libr. v, lampadas aureas IV pens. lib. II, nympheum et triporticum ante oratorium Sanctæ Crucis, ubi sunt columnæ exatopentalaicas, et conchas striatas duas cum columnis porphyreticis ragiatis foratis aquam fundentes, et in medio lacum porphyreticum cum concha ansata in medio aquam fundente, circumdata a dextris vel sinistris in medio cancellis æreis, columnis cum fastigiis et epistyliis, undique ornatum ex musivo, et columnis aquitanieis, et tripolitis, et porphyreticis. Est iterum huic oratorio satis proximum aliud sancti papæ Gregorii oratorium, ubi usque hodie lectulus (2), in quo ipse sanctus solebat quiescere, videtur juxta aram permanere.

XI. *De ecclesia Sancti Laurentii in palatio.*

(2) Alium Gregorii lectum memorat Anastasius sub finem Vitæ Stephani VI, cum laudat *oratorium Beati Georgii, ubi ejus lectus habetur, juxta ecclesiam*

In sacro n
rentii orator
tantur altari
Leo papa III
crux de aur
bus pretiosi
prasinis. In r
Jesu Christi
singulis anni
minus papa
in Exaltatio
Laurentii in
Constantinia
cum histori
capsam illan
et in tertia c
id est calcea
iterum ibi al
sanctæ cruci
tulit de Pers
martyris, et
rentii de m
Cæsarii mar
et os unum
Dionysii Are
papæ, et san
mi et Felicis
Anastasiæ r
Agapæ, Chio
num, Nerei,
sunt ibi reli
matii. In ha
Cœnæ Domi
Cœnæ, et de
os Domini
chæus ascer

Et super
liter depicta
gelista desi
fecit officio ;
sorum lapid
recondita, q
consedit san
sedit Domi
Bethlehem ;
oravit ad P
ad sepulcru
ligatus et fla
pore mortu
Domini perf
qui dicitur
silex, ubi I
Sion ; lapis
monte ; lign
puer natus
lex fuit data

Principis a
mulus intelli

licet separatio parietum, et tectorum curvatio ejus ruinam ante ostenderent, per aliquot annos usque ad tempus Stephani piæ memoriæ VI. Tempore autem illius ruit, et fuit in ruinis dissipata, et comminuta usque ad tempus quo revocatus est dominus Sergius presbyter, et electus de exsilio et consecratus est Romanorum tertius præsul. In illis vero temporibus, quibus invasores apostolicam tenebant sedem, tulerunt de hac basilica omnes thesauros, et cuncta ornamenta aurea et argentea, ac universa utensilia, quæ ab initio hic oblata fuerunt; et non celebrabantur divina officia in ea, sed erat in dispersione quasi in thermis virgultorum et vepribus cooperta. Post ordinationem igitur suam dominus Sergius III, papa tristabatur nimium super desolationem hujus nobilissimi templi. Non enim erat spes neque solatium mortalis de restauratione illius. Cumque omnibus una esset desperatio de ejus relevatione, et humanum deesset auxilium; ad divinæ pietatis conversus juvamen, in qua semper habuit fiduciam, incipiens ab antiquis laborare fundamentis, fine tenus opus hoc consummavit, et decoravit aureis ornamentis et argenteis, sicut inferius legitur, et plus; quia super ibi addidit, dum vixit, prædictus sanctissimus Sergius tertius papa.

« Postquam in honore tui nominis, mundi Salvator, et commemoratione tui sancte Joannes Baptista, de tuis donis per multa certamina et labores præfatus dominus Sergius tertius papa hanc basilicam in ruinis positam a fundamentis construxit, cum omnia ornamenta aurea et argentea atque ænea ex ea ablata fuissent ab invasoribus, reparare et offerre tibi alia cum devoto animo studuit, quamvis in multis esset perturbationibus constitutus, non omisit tamen tuæ servire majestati. Fecit autem, et obtulit omnipotentiæ tuæ istam pulcherrimam imaginem, quam quinque libris auri decoravit; ciborium vero miræ pulchritudinis ex argento et auro purissimo cum gemmis; ejus perfectionem CCL librar. numeros et pondus assumpsit; crucem auream cum crucifixo; argenteas duas, unam habentem crucifixum totum de auro et agnum de auro cum gemmis; coronam de auro, cum crucibus duabus, et alias duas ex mistis metallis. Fibulam de auro cum gemmis. Duas bursellas de argento deauratas cum gemmis quinque; coronas de argento cum delphinis suis decem; canistra de argento XXXIX; gavatas de argento XXV; cruces argenteas IV, in quibus gavatæ pendent, et unam modicam similiter argenteam; calices argenteos III, unum ex his deauratum; patenam de argento; thuribula de argento III; imagines de argento tres, unam ex his habentem dexteram de auro, et fibulam in pectore cum gemmis; arcus argenteos VI; traviculam de argento, columnellas de argento VI, mala argentea XII, vestes intextas auro duas, coopertorium cum auro, et alium purum, vela serica LII. Hæc omnia devotus tibi præparavit: et non cessabit, dum spiritus ejus rexerit artus, præparare, et offerre tibi dominus Sergius papa tertius. »

Si quis forte tristando miratur, quod hæc ornamenta, et alia quæ superius notata ab imperatore Constantino fuerunt oblata, modo non appareant, legat et scrutetur Gesta Romanorum pontificum, et inveniet, quando, et quomodo ab invasoribus hinc fuerint inique sublata.

ANNO DOMINI MCLXVII

HUGO PICTAVINUS

NOTITIA

(FABRIC., *Biblioth. med. et inf. Lat.* III, 297)

Hugo Pictavinus, monachus et notarius Guilelmi abbatis Vezeliacensis, in pago Avalensi in regno Burgundiæ, jussu Pontii abbatis an 1156 scribere aggressus est *Historiam Vezeliacensis* (1) *cœnobii* ab anno 846 ad 1147, præfixa brevi comitum Nivernensium historia, eamque libris IV absolvit an. 1167. Primus edidit Dacherius tom. III Spicilegii pag. 446 (editionis novæ t. III, p. 498-560.) Liber primus totus abundat epistolis et privilegiis pontificum, Nicolai I, Joannis VIII insecutorumque usque ad Adrianum quartum.

(1) Ord. Bened. usque ad annum 1537, quo monachi obtentis a Paulo III litteris bullatis, cucullum abdicavere et sæcularium Canonicorum mores et vestes induerunt, ut notat Dacherius ad Guil. de Novigento p. 658.

DOMNI LUCÆ DACHERII

MONITUM

IN SUAM HISTORIÆ VIZELIACENSIS MONASTERII EDITIONEM.

(*Spicil.* in-fol. t. II, 498.)

—

Quadriennium jam effluxit quo refugiebat animus Historiam Vizeliacensis monasterii amplissimis hia fœdatam in publicum proferre : spes enim erat illius integræ aliquando e ruderibus, antrisve monasterio ubi fortean adhuc in pulvere et situ cum tineis deluctatur, eruendæ : verum crebris amicorum hortatio interpellatus, suasionibus impulsus, ne a me repulsam paterentur, cessi tandem eorum votis (viri enim inter litteratos eruditione juxta ac pietate præcipui) atque historiam quamvis lacunis dehiscentem, vel tamen nobilitatam monumentis, docteque ac eleganter conscriptam, nolui diutius tenebris obvolvi, imo utpote utilitate litterariæ profuturam libens exposui.

Historiam placuit auctori Hugoni Pictavino quadripertitam proponere. In priori parte conditorum t las, Romanæ urbis litteras, diplomata regum, atque alia id genus rescripta, tanquam eorum quæ erat in dium producturus fundamenta subjecit. Depingit in altera episcopum Eduensem qua fas qua nefas liber Ecclesiæ Vizeliacensis infringere, ac jura soli Romano pontifici competentia usurpare conantem. In t demum et quarta luctuosas prodit tragœdias a comitibus Nivernensium peractas, qui incursionibus ac ptione per se, perque suos non semel in monasterium Vizeliacense, universumque ejus dominium, ut illu tioni suæ adjungerent, grassati sunt, barbarorum more monachos expulerunt, oppidanos a legibus et s ctione abbatis eorum domini aperta vi subtraxerunt. Auctor ipse nihilominus victorias ab abbate et m chis, non tamen sine ingenti labore ac dispendio rei familiaris, tum de episcopo, tum etiam de Nivernens afflante divino Spiritu, pontificibus Romanis juvantibus, favente in primis rege Ludovico septimo, repor describere non omittit. Interserit etiam insigniora sui temporis, quæ civilem ecclesiasticamque histo admodum illustrant.

HISTORIA VIZELIACENSIS MONASTERII

AUCTORE HUGONE PICTAVINO

Notario Guillelmi abbatis Vizeliacensis, qui eam jussu Pontii abbatis scribere aggre est anno 1156, et sub ipso Guillelmo absolvit anno 1167.

—

LIBER PRIMUS.

PRIVILEGIA ET CHARTÆ VIZELIACENSIS CŒNOBII.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, incipit instrumentum seu testamentum Geraldi comitis, fundatoris monasteriorum, videlicet Pultariensis et Vizeliacensis, subsequentibus privilegiis apostolicæ et regalis auctoritatis, ipsum testamentum confirmantibus et corroborantibus in perpetuum.

Testamentum Gerardi comitis. Omnibus Christi fidelibus, pietate, amore, desiderioque fervenli beatam vitam exspectantibus, et in unitate Christianitatis sub obedientia præceptorum Dei ubique manentibus, sive his qui præsentes sunt, sive his qui futuri, atque in compage et vinculo charitatis victuri, et usque ad consummationem sæculi in Ec- A clesia sanctorum sibi invicem sunt successuri. Gerardus divinæ pietatis munere apud glori regalem mansuetudinem comitis honore subl tus, ex communi voto et desiderio dilectis conjugis meæ atque amantissimæ Bertæ, eo nobis pariter unanimiterque, Domino inspir complacuerit, ut de rebus nostris et possessio nostrarum titulis perennem memoriam Domino nostro, ubi laus ejus assidue fieret, statuere Et quoniam largitionibus piis dominorum et s rum nostrorum, qui nos liberalissime honorib dignitatibus ampliaverunt, id est, imperator c nior noster clementissimus Ludovicus, et glo domina et regina Judith, filiusque ipsorum æqu

nior atque dominus noster rex Carolus, plurima A nobis possidenda accreverunt, justissime nobis visum est, ut eorum amore incitati locum etiam ipsum fundaremus, ubi pro gratis muneribus ipsorum esset in orationibus solemnis et jugis supplicatio, et apud Deum continua pro salute ipsorum exoratio. Non immemores etenim sumus eorum circa nos benevolentiæ, ipsorum, id est domini senioris Ludovici Augusti, Judith dominæ et reginæ, Caroli filii ipsorum similiter domini et senioris qui nunc superest regnans. Sed et dignam rependentes genitoribus atque parentibus honorificentiam, id est, Leuthardi, et Grimildis, atque gratissimorum Hugonis et Bavæ, amabilibusque filiis et filiabus ipsorum, sive qui jam dormierunt in Domino, sive qui adhuc vivunt, consanguinitate, affinitate et propin- B quitate etiam nobis junctis, id est, Leufredi et Adalardi comitum præclarissimorum, ut pro eis intercessio et assidua deprecatio fieret, et peccatorum eorum acquireretur propitiatio, et in loco ipso, quem juvante Christo fundaremus, succedentibusque temporibus esset eorum permanens recordatio. Itaque et illorum quoque propinquorum, quibus et hæreditario jure eisdem in rebus successimus, necnon et reliquorum omnium, sed et amicorum nostrorum universorum et fidelium generaliter omnium perpetualis duraret memoria, ibique per ævum pro omnibus fieret communis oratio.

Fundatur monasterium Pulteriense monachorum. C Ego igitur Gerardus, et conjux simul gratissima, pia et fideli devotione constituimus atque construximus monasterium et habitaculum servorum Dei apto competentique loco, et ex largitione atque oblatione facultatis et rerum nostrarum, illic quidquid ad sustentationem eorumdem Deo famulantium, quidquid ad religionis cultum necessarium exstat, pia ac solerti providentia juxta vires quas Deus tribuit, procuravimus, menteque promptissima eadem ipsa quæ de manu ipsius accepimus, gratias beneficiis illius referentes, obtulimus. Fundatus igitur atque conditus est locus devotionis nostræ in honore Domini nostri Jesu Christi, et veneratione beatissimorum apostolorum Petri et Pauli super amnem Sequanæ præterfluentis, in agro re- D spiciente ad villam, quam ex antiquo Pultarias nominant, in pago Laticensi in regno Burgundiæ, ut ibi venerabile orationis domicilium votis ac supplicationibus fidelium frequentetur, conversatioque cœlestis sub regulari districtione, et institutione beati Benedicti viventium, omni desiderio et ardore intimo perquiratur et expetatur. Ibique contulimus villas has : ipsam eamdemque, ubi e vicino monasterium situm est, Pultarias; quidquid ibi ex hæreditate, quidquid præcepti sui auctoritate senior noster Carolus rex nobis ibi contulit, quidquid alio legitimo pacto ibi rebus nostris accessit, cum universis appendiciis suis, et quæ ubicunque ad ipsa respicientia sunt. In pago vero Senonico Sextam cum omnibus ad eam respicientibus et universis appendiciis, villam Manniscam similiter cum omnibus ad eam respicientibus et appendiciis suis. Veron etiam, et villare in supradicto pago cum omnibus rebus ad eas respicientibus et appendiciis earum. Similiter et in eodem pago, in villa quæ dicitur Piscatoria, quæ est sita super Hyonam fluvium, totum et ad integrum quidquid de Ildino vasallo dominico conquisivimus, et quidquid ad ipsam piscatoriam aspicit, in omnibus duntaxat, in quibus ibidem nostra videtur dominatio, vel esse scitur potestas; et quidquid ad jus nostrum in pago Tricassino pertinet.

Fundatur monasterium Vezeliacense monialium. Pari etiam ordine fundavimus aliud monasterium eodem studio, eademque devotione, ut habitaculum ancillarum Dei sub districtione regulari, et institutione beati Benedicti viventium, ibidem fieret in honore Domini nostri Jesu-Christi, in loco vel agro qui dicitur Vizeliacus, in pago Avalensi, in regno Burgundiæ; ubi et contulimus villas has : eamdem ipsam in qua situm sacrum et venerabile monasterium Vizeliacum, quam commutavimus cum domina et gloriosa Judith regina, agente et impetrante apud piissimæ memoriæ dominum et seniorem nostrum Ludovicum imperatorem, quidquid idem clementissimus imperator ad eamdem villam respiciens sub præcepti sui confirmatione condonavit, nobisque contulit, quæ ubicunque respiciunt ad eamdem villam pertinentia, prædicto monasterio consignavimus. Villam denique Dorniciacum, villam Cisternas, Fontanas, atque Molnitum; vel quidquid in nominato pago Avalensi vel Tornodorensi acquisivimus, cum universis appendiciis supradictarum villarum, ubicunque vel in quocunque pago fuerint.

Totum ergo ex integro quidquid in supranominatis villis vel agris acquisivimus et acquirere potuimus, sacratissimis locis et monasteriis coadunavimus, et unanimitati atque utilitati eorum qui ibi Deo servierint in perpetuo connexuimus; tantum nobis, dum manemus in vita carnis, usufructuario reservato; tuitionem quoque atque defensionem prædictorum monasteriorum sub nostra cura habentes. Itaque quidquid præfato monasterio virorum nostra religiosa oblatione collatum est, quidquid in rebus sive servitiis, vel quibuscumque speciebus, Deo inspirante contraditum additumque fuerit, aut a quibuscunque fidelibus, quolibet unquam tempore oblatum absque ullis exterioribus obsequiis, et obsequiorum exactionibus, solis eorum stipendiis et necessariis sumptibus, qui illic Domino serviunt, jugi præsentis nostri testamenti firmitate permaneat illibatum; excepto quod pro benedictione annis singulis ad reverentissimam sedem beatorum apostolorum, cui loca eadem subdidimus, Romæ offerantur beato pontifici Urbis libræ argenti duæ, et quæ ultronea voluntate charitatis atque humanitatis officio quotidiana beneficia docent exercen-

ac reverendissimæ Urbi, et loco, ubi beatorum Petri et Pauli apostolorum æterna memoria celebratur, decerneremus, subderemus, atque dominationi sanctissimi pontificis Urbis ipsius committeremus; ut videlicet dispositionem sive statum ipsorum ecclesiastica pietate et firmitate idem B. Pontifex ordinaret; ita tamen ut nulli unquam ea beneficiario dono concederet, nisi ipsis, quibus testamentaria largitione consulentes nos ipsi concedendum esse signavimus, et inferius hæc eadem scriptura signabit. Implentes igitur promptissimam nostram devotionem, et plenissimum in Christo desiderium, legitime ac testamentario donationis jure Ecclesiam Dei rerum nostrarum constituentes hæredem, statuimus atque fundavimus venerabilem et sacrum oblationis nostræ locum in nomine Domini nostri Jesu Christi, et veneratione beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ut sit habitaculum Dei servorum sub regulari ordine, ac professione beati Benedicti degentium, super amnem præterfluentis Sequanæ, in agro respiciente ad villam, quam ex antiquo Pultarias nominant, in pago Laticense, in regno Burgundiæ, et in parochia Lingonicæ civitatis, ut ibi venerabile orationis domicilium votis ac supplicationibus fidelium frequentetur conversatioque cœlestis omni desiderio et ardore intimo perquiratur et expetatur; cuique et res nostras et facultates possessionum nostrarum, quæ de parentum benignissima successione, seu affectuosissima largitione provenerunt, vel benignissimus rex dominus et senior noster Carolus per præceptum nobis conferre dignatus est, sive etiam quæ digna comparatione in nostrum jus transfusa sunt. Deo auxiliante, et plene devotionem nostram adimplente, legitime scilicet ac testamentario donationis jure transposuimus atque refudimus. Hoc est agrum sive villam in pago Laticense, ubi e vicino monasterium situm est, Pultarias; quidquid ibi ex parentum hæreditate, quidquid præcepti sui auctoritate pius Rex ibi contulit, nobisque provenit; quidquid alio legitimo pacto ibi rebus nostris accessit, cum universis appendiciis suis, et quæ ubicunque sunt ad ipsam respicientia. In pago Senonico Sextam cum omnibus ad eam respicientibus, et universis appendiciis suis; Magniscam (2) villam similiter cum omnibus ad eam respicientibus appendiciis suis. Totum ergo, ut prætulimus, ex integro quidquid in supra nominatis villis acquisivimus et acquirere potuimus, sacratissimo loco et monasterio, servisque Dei ibi militaturis coadunavimus, unanimitati et utilitati eorum servitura in perpetuum connexuimus, tantum nobis, dum manemus in vita carnis, usufructuario reservato, tuitionem potius atque defensionem loci ferenao.

Itemque alium æque venerabilem et sacrum locum sub honore ejusdem Dei et Domini nostri Jesu Christi, et veneratione Genitricis ipsius beatæ Virginis Mariæ, in loco vel agro qui dicitur Vizeliacus in pago Avalense, et regno Burgundiæ, atque de rebus nostris communi voto similiter ditavimus atque dotavimus: ibique contulimus villas has, ipsam in qua situm est sacrum et venerabile monasterium Vizeliaci, quam commutavimus cum piissimæ memoriæ Ludovico imperatore; quidquid idem clementissimus imperator ad eamdem villam respiciens sub præcepti sui confirmatione muniendo nobis ad vicem condonavit, quæcunque respiciunt ad eamdem villam pertinentia prædicto monasterio consignavimus, villam denique Dorniciacum, villam Cisternas, villam Fontanas, atque Molnitum, vel quidquid in nominato pago Avalense vel Tornodorense acquisivimus cum universis appendiciis supradictarum villarum, ubicunque vel in quocunque pago fuerit.

Quidquid itaque præfatis locis, monasteriis, ecclesiisve contulimus, quidquid ibi nostra oblatione collatum est, in rebus sive in servitiis vel quibuscunque speciebus a nobis Deo inspirante additum fuerit, aut a quibuscunque fidelibus quolibet unquam tempore oblatum, absque ullis exterioribus obsequiis et obsequiorum exactionibus, solis eorum stipendiis et necessariis sumptibus, qui illic Domino serviunt, jugi nostræ auctoritatis firmitate, et testamenti conscriptione permanere decrevimus, usu nobis fructuario tantum dum vivimus, reservato; excepto quod pro benedictione annis singulis ad reverentissimam sedem cui ipsa monasteria subdidimus, offerantur B. pontifici Urbis ex utrisque monasteriis libræ duæ argenti; et quæ ultronea voluntate charitatis atque humilitatis officio quotidiana beneficia docent exercenda: nec quislibet temerarius, seu ulla quæcunque persona inde aliud unquam præsumat affectare, aut invadendo sacram donationem minuere, aut propriario jure in usus suos illicite transferendo vindicare, sed quod respectu divino a nobis profectum est, metuens tremendum judicium sinat inconvulsum durare. Hæc itaque venerabilia servorum Dei domicilia una cum Deo ibi servientibus sive servituris, vobis, beatissime pontifex, successoribusque vestris propter reverentiam beatorum apostolorum, quorum locum et vices sortiti in Christi Ecclesia tenetis, tota ante Deum animi devotione commendamus, subdimus, et ad disponendum nostri desiderii votum stabiliter per apostolatus vestri studium perpetuo committimus; ut ea paterna in omnibus et ecclesiastica pietate, misericordissimaque dispositione gubernare, tutari, et defensare dignemini: ne cuiquam contra nostrum votum beneficiario dato tradantur, nisi his qui testamentaria scriptura designantur, et piis successoribus vestris sub divinæ majestatis obtestatione, et futuri judicii tremenda contemplatione, ubi ante tribunal Christi unusquisque nostrum absque dubio actus sui rationem reportabit, immobili fir-

(2) *Magniscam.* Supra habetur *Manniscam.* Illic etiam alia loca nominantur, quæ cur hoc loco non recenseantur, videbit fortasse peritior aliquis.

tum reperies in Observationibus ad Guiberti Novigentini Opera (Patrol. t. CLVI). A

Privilegium Joannis papæ VIII. — Confirmat pontifex immunitates monasterii Vizeliacensis.

Joannes episcopus, etc.

Quoties illa, etc. *Vide* Patrologiæ *t.* CXXVI *in Joanne* VIII, *ad ann.* 882.

Privilegium Stephani papæ II.

Stephanus episcopus, etc.

Quoties illa, etc. *Vide in Stephano papa*, ad *an.* 891, Patrologiæ *t.* CXXIX.

Privilegium Joannis papæ

Joannes episcopus, etc.

Quoties illa, etc. *Vide in Joanne* IX, *ad an.* 900, Patrologiæ *t.* CXXXI.

Privilegium Marini papæ II. B

Marinus episcopus, etc.

Unde et constituimus, etc. *Vide in Marino*, Patrologiæ *t.* CXXXIII, *ad an.* 946.

Privilegium Benedicti VI papæ.

Benedictus Episcopus, etc.

Quoties illa, etc. *Vide in Benedicto VI ad. an.* 974, Patrologiæ *t.* CXXXV.

Privilegium Benedicti papæ VII.

Benedictus Episcopus, etc.

Quoties illa, etc. *Vide in Benedicto VII ad an.* 983, Patrologiæ *t.* CXXXVII.

Privilegium Joannis papæ XV.

Joannes episcopus, etc. *Vide* Patrologiæ *t.* CXXXVII. *ad an.* 996.

Privilegium Sylvestri II papæ. C

Silvester episcopus, etc. *Vide in Silvestro II ad an.* 1003, Patrologiæ *t.* CXXXIX.

Privilegium Leonis IX papæ.

Leo episcopus, etc.

Quoniam postulastis, etc. *Vide in Leone IX*, Patrologiæ *t.* CXLIII, *ad an.* 1054.

Privilegium Gregorii VII papæ.

Gregorius episcopus etc. *Vide in Gregorio VII*, Patrologiæ *t.* CXLVIII, *ad an.* 1085.

Privilegium Paschalis II papæ.

Paschalis episcopus, etc.

Quia documentis, etc. *Vide in Paschali II*, *ad an.* 1118, Patrologiæ *t.* CLXIII.

Ejusdem epistola 2. Solvit interdictum injuste ab episc. Eduensi latum. D

Paschalis episcopus, etc.

Audivimus, etc. *Vide ubi supra.*

Ejusdem epistola 3. In suam tutelam accipit Robertum abbatem.

Paschalis episcopus, etc.

Et divinarum, etc. *Vide ibid.*

Ejusdem epistola 4. Monet comitem Nivernensem ut molestiam monachis Vizel. non afferat.

Paschalis episcopus, etc.

Non parva, etc. *Vide ibid.*

Ejusdem epistola 5. Ut benevolos se exhibeant episcopi erga Vizeliacenses rogat.

Paschalis episcopus, etc.

Ex fundatoris, etc. *Vide ibid.*

Ejusdem epistola 6. Abbatis interfectores præcipit in exsilium propulsari.

Paschalis episcopus, etc.

Sacerdotalis ordinis, etc. *Vide ibid.*

Innocentii papæ II epistola 1. Abbatem instituit.

Innocentius episcopus, etc.

Quemadmodum tua novit fraternitas, etc. *Vide in Innocentio II*, *ad an.* 1143, Patrologiæ *t.* CLXXIX.

Ejusdem epistola 2. Abbati mandat ut Ecclesiæ Vezeliac. servet consuetudines.

Innocentius episcopus, etc.

Sicut tua novit fraternitas, etc. *Vide ibid.*

Ejusdem epistola 3. Ejusdem argumenti.

Innocentius episcopus, etc.

Per alia tibi scripta, etc. *Vide ibid.*

Ejusdem epistola 4. Ejusdem argumenti.

Innocentius episcopus, etc.

Per apostolica vobis scripta, etc. *Vide ibid.*

Lucii papæ epistola 1. Jubet servum incarceratum mon. Vizel. Abbas Autissiodor. liberet.

Lucius Episcopus, etc.

Dilectus filius noster, etc. *Vide in Lucio ad an.* 1145, Patrol. *t.* CLXXIX.

Ejusdem epistola 2. Exsulare vult interfectores Artaldi abb.

Lucius episcopus, etc.

Prædecessor noster, etc. *Vide ibid.*

Ejusdem epistola 3. Hortatur comitem Nivernensem ut stratam Vizel. restituat.

Lucius episcopus, etc.

Ad nobilitatem tuam, etc. *Vide ibid.*

Ejusdem epistola 4. Scribit Bernardo ut comitem ad bonam frugem reducere conetur.

Lucius episcopus, etc.

Dilectionem tuam, etc. *Vide ibid*

Eugenii papæ II epistola 1. Comitem monet ut jura Vizeliac. ultra non usurpet

Eugenius episcopus, etc.

Venerabilia loca, etc. *Vide in Eugenio III ad an.* 1153, Patrologiæ *t.* CLXXX.

Ejusdem epistola 2. Objicit comiti patris pietatem et erga sedem apost. devotionem, quo illum deterreat ab infestatione Vizeliac. mon.

Eugenius episcopus, etc.

Quanta devotione pater tuus, etc. *Vide ibid.*

Ejusdem epistola 3. Ut comitem coerceat regem adhortatur.

Eugenius episcopus, etc.

Summum in regibus bonum, etc. *Vide ibid.*

Ejusdem epistola 4. Idem scribit, asseritque comitem excommunicaturum nisi resipiscat.

Eugenius episcopus, etc.

Pro sinceri amoris et paternæ affectionis prærogativa, etc. *Vide ibid.*

Ejusdem epistola 5. Commoneant comitem ut Vizeliacenses non perturbet.

Eugenius episcopus, etc.

Apostolicæ sedis administratio, etc. *Vide ibid.*

Ejusdem epistola 6. Commendat duci Burg. Vizeliacense monasterium.

Eugenius episcopus, etc.

Ad industriam Catholicorum principum, etc. *Vide ibid.*

Legatus abbatem forti sit animo exhortatur

Albericus Dei gratia Hostiensis episcopus, sedis apostolicæ legatus, venerabili fratri Pontio Vizeliac. abbati, salutem et dilectionem. Scire volumus fraternitatem vestram quia comiti Nivernensi studiose pro vobis scripsimus. Quod si eum in pertinacia sua manere videritis, aliud vobis consilium non damus præter illud quod jam vobis semel et secundo dedimus, ut videlicet contra Romanorum pontificum privilegia, seu Ecclesiæ vestræ libertatem nihil facere incipiatis.

Ejusdem epistola 7. Mandat episcopo Lingon. post monitionem si comes non resipiscat, excommunicatum denuntiet.

Eugenius Episcopus, etc.

Sævitiam et tyrannidem, etc. *Vide ibid.*

Ejusdem epistola 8. Excommunicatos Burgenses Vizel. episcopi in suis ditionibus versari non sinant.

Eugenius episcopus, etc.

Immoderatam præsumptionem, etc. *Vide ibid.*

Ejusdem epistola 9. Eodem argumento scribit ad ducem Burgundiæ et alios nobiles viros.

Eugenius episcopus, etc.

Immoderatam præsumptionem, etc. *Vide ibid.*

Ejusdem epistola 10. Vult ut episc. bona ablata Burgensium Vizeliac. restituat.

Eugenius episcopus, etc.

Unde nos, etc. *Vide ibid.*

Ejusdem epistola 11. Ducem Burgundiæ quod Vizeliacenses vexaverit, increpat.

Eugenius episcopus, etc.

Quanto divinæ dispositionis, etc. *Vide ibid*

Ejusdem epistola 12. Judicem constituit episc. Autissiod. in causa episc. Edu. et Vizel.

Eugenius episcopus, etc.

Venerabili fratri nostro etc. *Vide ibid.*

Ejusdem epistola 13. Certiorem facit abbatem de episc. Autiss. judice a se constituto.

Eugenius episcopus, etc.

Quid venerabili fratri, etc. *Vide ibid.*

Ejusdem epistola 14. Dux desinat Vizeliac. cœnobium divexare.

Eugenius episcopus, etc.

Cum omnis potestas etc. *Vide ibid.*

Ejusdem epistola 15. Vult ut coram se vel episc. Autiss. dirimantur controversiæ Vizel. inter et ep. Eduens.

Eugenius episcopus, etc.

Veniens ad præsentiam nostram, etc. *Vide ibid.*

Ejusdem epistola 16. Episcopo Lingon. et abbatibus mandat ut quod testes deposuerint ad ipsum referant.

Eugenius episcopus, etc.

Causa quæ inter venerabilem fratrem nostrum, etc. *Vide ibid.*

A *Hugonis Rothomagensis ad Eugenium* [...] *tificem ut libertates cœnobii* [...]

Reverendo patri et domino suo Eu[...] tia summo pontifici, Hugo Rothom[...] cerdos, obedientiam debitam et reve[...]

Quod sancta Romana Ecclesia, et[...] *gone Rothomagensi*, Patrologiæ *t.* CL[...]

Eugenii epistola 17. Increpat episc[...] *quod Vizeliac. burgensibus excom*[...] *verit.*

Eugenius episcopus, etc.

Quod apostolicæ benedictionis, et[...] *genio*, Patrologiæ *t.* CLXXX.

Ejusdem epistola 18. Episcopo Eduen[...] *coram Lingon. stet rationem de pe*[...] *se in Vizeliac. excitatis redditurus.*

B Eugenius episcopus, etc.

Opera quæ de persona tua, etc. *Vid*[...]

Eugenius Ludovico regi, epistola 19. [...] *tatur ut cohibeat comitem a vexatio*[...]

Per alia scripta, etc. *Vide ibid.*

Idem episcopo Lingonensi epistola 20. [...] *qui cum excommunicatis convers*[...]

Ex parte dilecti filii nostri, etc. *Vi*[...]

Idem abbati Cluniacensi epistola 21. [...] *batem Pontium exsulem*[...]

In maximis vexationibus, etc. *Vid*[...]

Idem archiepiscopo Senonensi, epistol[...] *ecclesia S. Machuti solva*[...]

Dilectorum filiorum, etc. *Vide ibid*

Eugenius M. Aurelianensi episcopo, epi[...] *dem Ecclesiam episc. Aurel. restitua*[...]

C *coram arch. Senon.*

Ex conquestione, etc. *Vide ibid.*

Eugenius abbati de Chora epistola 24. [...] *ra decimam, etc., usurpavit V*[...]

Veniens ad nos, etc. *Vide ibid.*

Eugenius S. abbati de Regniaco episto[...] *constituitur abbas Regniaci in causa* [...]

Controversiam quæ, etc. *Vide ibid*

Eugenius I comitissæ Nivernensi epis[...] *liacenses exagitari desina*[...]

Guillelmus comes, etc. *Vide ibid.*

Epistola S. Bernardi. Ejusdem a[...]

Dilectæ in Christo filiæ I Niverne[...] frater Bernardus Clarevallensis voca[...] lutem et orationes.

D Conqueritur venerabilis abbas Viz[...] *Vide inter epistolas S. Bernardi.* [...] CLXXXII.

Epistola Cononis A. S. L. ad H. Ni[...] *scopum. De inauguratione Calisti* [...] *Deinde comitem atque ejus satellite*[...] *in Vizeliacensem ecclesiam commiss*[...] *catos declarat.*

Cono, Dei gratia Prænestinus episc[...]

Quæ postquam a nobis, etc. *Vide i*[...] trologiæ *t.* CLXIII.

Anastasii papæ epistola 1. Burgenses [...] *communicatos degere in suis terris n*[...] *et exspoliari et capi faciant.*

Anastasius episcopus, etc.

Ad notitiam vestram, etc. *Vide in* [...] *an.* 1154, Patrologiæ *t.* CLXXXVIII.

Ejusdem epistola 2. Ejusdem argumenti.

ANASTASIUS episcopus, etc.

Ad notitiam vestram, etc. *Ut superius.*

Anastasius papa Bituricensi archiepiscopo, epistola 3. In comitem Nivern. nisi resipiscat, damna Vizel. illata resarciendo, proferat sententiam.

Immanem crudelitatem, etc. *Vide ubi supra.*

Anastasius Ludovico regi epistola 4. Scribit ut Nivernens. comitem coerceat a persequendis Vizel. et burgenses comprehendi jubeat.

Quoniam jam, etc. *Vide ubi supra.*

Ejusdem epistola 5. Sententiam excommunicationis edicant in comitem Nivern. et burgenses Vizel.

ANASTASIUS, etc.

Quando peccata, etc. *Vide ibid.*

Ejusdem epistola 6. Ad Pontium abbatem. Jura sui monasterii fortiter propugnet, exhortatur.

ANASTASIUS PONTIO, etc.

Super contritione, etc. *Vide ibid.*

Epistola abbatis Floriacensis ad Pontium. Quid facto opus habeat in defensione jurium Vizel. scribit.

Domno PONTIO abbati Vizeliac. frater M. Floriacensis abbas; pacem quæ evangelizabatur hominibus bonæ voluntatis. Litteris vestris lectis, earumque tenore diligentius retractato, quod mihi consultius visum est, dilectioni vestræ rescribo. Pax vestra si venalis vobis proponeretur, quæ vos et a tantæ tribulationis angaria levaret, vestrosque adversarios humiliaret, et unanimes exhilararet, caro valde emenda videretur, dummodo Ecclesia vestra status sui rectitudinem, et libertatis privilegia illibata servaret. Porro fratrem vestrum sic habere suspectum, ut cum se comes ei ex toto committat, vos ejus arbitrium declinetis, durum valde videtur. Libratis itaque hinc inde causis, quæ utilius judicamus, dicimus, ut exspectetis legatos, quos ad Dominum papam direxistis, et cum venerint, responsum Domini papæ, et privilegia Ecclesiæ vestræ domno abbati ostendite, et tunc demum negotium vestrum ejus arbitrio fideliter committite. Neque enim credimus aut privilegiis vestris aut præceptis A Domini papæ contraria et repugnantia judicare.

Epistola Ludovici regis ad eumdem. Clementiam promittit ac tutelam.

LUDOVICUS, Dei gratia Francorum rex et dux Aquitanorum, venerando PONTIO abbati Vizeliacensi, salutem et gratiam nostram. Non decet regem asperitas nimia, et in veritate supplicandi non est neganda venia. Intelligimus prece vestra fidelem nostrum arc. de Burbone, et ejus conjugem nostram materteram, pro vobis nos deprecari. Quibus nos obaudientes, pro honore Dei et Ecclesiæ vestræ sanctitate, et pro nostra honestate, quidquid offensæ adversum vos habemus, omnino laxamus, et totius rancoris nubilum abstergimus, et vos de cætero in gratiam, et res ad vos pertinentes in tutelam B regiam benigne suscipimus.

Adriani papæ epistola 1 ad Lingonensem, Eduensem, etc., episcopos. Reddat comes Niversensis chartam in jura Vizel. ecclesiæ confectam, abstineatque a vexatione, alioquin excommunicetur, etc.

ADRIANUS episcopus, etc.

Tantum jam malitia Niverneusis comitis, etc. *Vide in Adriano papa, ad an.* 1159, Patrologiæ *t.* CLXXX.

Ejusdem epistola 2 ad episcopos Galliæ. Excommunicatione, ac variis pœnis afficiant, burgenses Vizel.

ADRIANUS, etc.

Quanta nequitia, etc. *Vide ibid.*

Adrianus Ludovico regi, epistola 3. Rex armata manu C *burgenses Vizeliac. insequatur, ut abbati tanquam domino subdantur.*

De religiosorum virorum præsidio, etc. *Vide ibid.*

Ejusdem eidem epistola 4. Regem iterum gratiis prius habitis, commonet, ut opem abbati Vizel. ferat.

Gratum et acceptum habemus, etc. *Vide ibid.*

Epistola 5. Abbatem arguit quod jura monasterii infregerit.

Quanto monasterium vestrum, etc. *Vide ibid.*

LIBER SECUNDUS.

Quare hanc scribere historiam auctor aggressus est.

Divinæ bonitatis gratia pluribus ac diversis consulens modis humanæ infirmitati, inter cætera æque innumera suorum beneficiorum remedia, homini contulit litterarum præsidia, quo vel præsentium incitaretur industria, vel absentium provocaretur affectus, vel futurorum erudiretur posteritas: et quoniam omnis prudentiæ inimica oblivio rerum maxime utilium quam sæpe intercipiebat memoriam, mos ab antiquitus inolevit Patrum monimenta per litterarum apices, tanquam per visibiles sonos, mandare posterorum notitiæ. Quem D morem et nos quoque pro modulo nostro imitantes, pressuras Ecclesiæ nostræ, quas pro ingenita sibi libertate per multa temporum curricula multipliciter pertulit, brevi compendio ad multorum utilitatem describere sategimus. In quo dum brevitatem sectamur, arrogantiæ supercilium omnino diffugimus: quoniam si juxta quod ipsa deposcit materia, rerum perfectioni incumberemus, ipsa procul dubio periculi enormitate quodammodo fidei derogare videremur, dum quod historicæ integritati aliquatenus inserviret, loquaci jactantiæ incredulus auditor deputaret. Utrobique ergo prospi-

cientes, sic medio tramite incedimus, ut et rerum constet cognitio integra, et falsitatis pateant penitus nulla vestigia. Sane quamvis ad hæc minus idoneos, minusve sufficientes nos esse non ignoremus, provocamur tamen charitate Ecclesiæ, invitamur etiam, imo, ut ita dicam, perurgemur obedientia reverentissimi Patris nostri Pontii venerabilis abbatis, qui, etsi quantum ad prædecessores suos tempore videtur esse novissimus, attamen in defensione libertatis Ecclesiæ suæ omnium antiquorum merito constat esse primus. Illi enim licet vel acquirendo vel ædificando plura contulerint, certe plus illis omnibus iste laboravit, dum a diripientibus et evellere eam conantibus, salvam et integram atque illibatam viriliter custodivit. Minus quippe est habere quod custodias, quam custodire quod habeas. Sed jam propositum adordientes, de his hactenus.

Quæ Vizel. Ecclesiæ Privilegia. Humbertus Eduens. episc. primus perturbare privilegia tentat. Igitur cum Vizeliacensis Ecclesia nobiliter nata, nobilius fuisset educata, ingenuæ libertatis caput inter omnes Occidentis Ecclesias præferebat, siquidem in ipso suæ fundationis primordio beatissimo attitulata Petro regni cœlorum clavigero, soli et uni apostolicæ illius sedi nobiliter a nobilissimis auctoribus suis est assignata, atque perpetuæ libertatis dote ab ipso tunc temporis summo et apostolico pontifice Nicolao subarrata. Cujus successores ad hæc usque tempora pietatis ejus inhærentes vestigiis, auctoritate apostolica et dignitate Romana suis privilegiis eam corroborantes, acsi proprium jus et alodium beati Petri, ab omni subjectione cujuslibet alterius personæ vel Ecclesiæ immunem penitus esse decreverunt. Ecclesiastica proinde officia, uti sunt sacri ordines monachorum vel clericorum suorum, et basilicarum seu altarium consecrationes, chrismatis vel sancti olei gratiam, et quæcunque alia hujusmodi, ubilibet et a quolibet cujusvis provinciæ Catholico episcopo accipere, Romanorum privilegiorum clementia atque libertate apostolica indulgentes, illi concesserunt. Tantis ergo et tam ingenuæ libertatis propalata præconiis, invidiosam faciem sodalibus exhibebat Ecclesiis. Unde post annorum plura centena Humbertus quidam Eduensi præsidens Ecclesiæ, pulchritudini libertatis illius nævum maculosæ servitutis inferre molitus est. Quo tempore venerabilis Pontius regimen Vizel. Ecclesiæ obtinebat, Petri Cluniacens. et Jordane Casæ-Dei abbatum frater uterinus. Nobilis ergo genere nobilissimam sortitus Ecclesiam, de more libertatis illius Aurelianensem episcopum Eliam invitavit, et ut sibi celebraret sacros ordines humiliter petivit. Qui perspectis Romanæ auctoritatis privilegiis, devotioni ejus devotius acquievit, monachorumque nonnullos, ac clericorum aliquos in basilica Vizel. Ecclesiæ ad sacros ordines promovit. Quo facto indignatus Eduensis, quos adepti fuerant ordines clericis interdixit. Quam vesanam

A ejus temeritatem corripiens bonæ memoriæ Innocentius tunc temporis Romanæ sedis apostolicus pontifex, suspensos ab Eduensi clericos suis reddidit ordinibus, et ne jura Rom. Ecclesiæ amplius temerare præsumeret, denuntiavit. Tum Eduensis accepto gustu apostolicæ indignationis pœnituit cœpti; sed cœpta dissimulare puduit. Nec destitit abbatem lacessere donec suis ipsis frustratus conatibus, tandem in manu Cluniacensis abbatis, et aliarum honestarum personarum propositæ liti renuntiavit, atque inter utramque Ecclesiam per manum jam dicti venerabilis Pontii abbatis, pristinæ pacis statum reformavit.

Henricus illius successor, ducis Burgundiæ germanus, itidem attentat. Cum autem esset genere B clarissimus, morum honestate ac pietate decentissimus, Ecclesia Lugdunensis antistite suo destituta, archipræsulem sibi eum petebat; quo assumpto, Eduensem episcopatum suscepit Henricus, ducis Burgundiæ germanus, nec mora, veteris discordiæ incentores hunc alloquuntur, et sopitam calumniam super Vizel. libertate renovare satagentes, cupidis auribus ingerunt. Ille autem confidens de potentia generis et divitiarum, quibus æque pollebat, novumque aliquid tanquam singularis potentiæ homo facere prætentans, Vizel. Ecclesiam in jus proprium vindicare, et in diœcesim redigere, ac pro more aliarum Ecclesiarum suæ parochiæ subdere, suisque synodis eam parere quæsivit, sed Deo prote-C gente, et beata Deique dilectrice Maria Magdalene patrocinante, clavam de manu Herculis tollere non potuit : plane quantum in eo fuit, nihil intentatum reliquit, quo sibi usurparet quod soli Petro cessisset. Cæca quippe cupiditas totum blanditur sibi facile, quod ipso appetitu jam se sperat obtinere. Prædictum itaque venerabilem Pontium abbatem, qui causam Ecclesiæ in ratione sua acceperat, primum de synodali exsecutione, deinde de clericali seu sacerdotali examinatione, postremo de sacramentorum ecclesiasticorum ratione compellans, juris justitiam ab eo deposcebat. At ille tutorem Ecclesiæ non actionarium imo apostolicæ paternitatis, quantum ad Vizel. jus Ecclesiæ spectat, Vicarium se esse dicens, nihil causæ cum eo se ha-D biturum super hac re, inscio domino papa, respondit. Sic repulsus episcopus vi extorquere voluit, quod subripere actionali persecutione non potuit. Cœpit ergo Ecclesiam infestare, homines Ecclesiæ opprimere, possessiones quoque illius diripere, ac quidquid in se fuit posse, totum adversus Ecclesiam in detrimentum illius experiri. Arbitratus autem suum posse minus esse sufficiens ad præmeditatos perficiendum conatus, fratrem suum ducem, et alios etiam fratres suos in odium Ecclesiæ incitavit, et per eos quasi potentatum totius Burgundiæ in ruinam et dejectionem Ecclesiæ appulit et impulit. Abbas vero nactus constantiam, patientia sua omnes impetus illius sprevit, fregit, cassavit, ac velut inanes et futiles annihilavit.

Coram summo Pontif. de immunitatibus Vizel. controvertitur. Decidit a causa episcopus Eduens. His temporibus universali Ecclesiæ præsidebat Eugenius sanctissimus, qui audita insania, qua Eduensis nitebatur adulterare castitatem suæ specialis filiæ, Vizeliacensis dico Ecclesiæ, sæpe illum admonuit, sæpe corripuit, et intentando, ni resipisceret, de gradus sui periculo præmonuit. Jam ergo Eduensis a spe propria frustratus, et diffidens de vanitate potentiæ suæ, Romanam adiit curiam, et falsa comminiscens, verique similia componens, querelam adversus abbatem statuit, asserens ea quæ ab Vizel. Ecclesia repetebat, per longi temporis præscriptionem hactenus ad hæc usque tempora suæ sedis Ecclesiam absque alicujus controversiæ calumnia tenuisse. Clementissimus vero papa Eugenius dignitati apostolicæ autoritatis, salva integritate veritatis, per omnia consulendo, deferens, diem utrique parti statuit, et notatam abbati designavit, utque vel per se, vel per sufficientes responsales suos cum munimentis Ecclesiæ suæ ad ejus præsentiam denominato die occurreret, ad illata responsurus, per pietatis suæ scripta mandavit. Uterque igitur secum adhibito sufficienti, et ut cuique videbatur, legitimo testium comitatu, universali se præsentavit curiæ, finem quisque suæ causæ ratus tanto sub examine adepturum se fore. Interea justi tenax merito dicendus abbas Pontius accedens ad summum pontificem, conquestus est non debere se omnino subire actionem quamlibet, vel judicium hujusce rei, cujus per Apostolicam manum et perpetua possessione tueretur, et ejusdem apostolicæ auctoritatis per plura et antiqua Rom. privilegia testamento perpetuæ libertatis hæres esset constitutus. Ad quod pius refert Apostolicus, tanto æquius ac liberius eum debere etiam judicii examen expetere, quo suæ justitiæ magis conscius esset, sciens procul dubio causam suam eo semper robustiorem fore, quo judicii libramine perpensa, de cætero ab omni quæstionis nodo redderetur absoluta. Qui si etiam forte, quod futurum non sperabat possibile, inconsiderato præjudicio in causa sua quoquomodo gravaretur, tum demum auctoritate privilegiorum cujuslibet præjudicii violentas determinationes refragari posse non dubitaret. Hac permotus ratione abbas acquiescit suscipere actionem, et jam causam suam utraque pars prosequitur; in qua prosecutione definitum est Eduensem nihil ex proprietario jure, nihil ex investitionis possessione, nihil ut sibi videbatur ex longi temporis præscriptione, nihil etiam ex fructuario seu legatario, sed tantummodo largitionis, permissionisve usu, de more Vizeliacensis libertatis quibuslibet etiam cujusvis provinciæ concesso episcopis, efficere in quæstione; cum e diverso Vizeliacensis abbas nec longi temporis præscriptionem, nec legatarium, sive alium quemlibet alienæ acquisitionis usum prætenderet, sed omnino ex proprietario jure, et antiqua perpetuæ posses-

Laurentii, tempore Alberici abbatis, papa Innocentio existente Altissiodoro, et vidi tempore ejusdem abbatis quod Rothomagensis archiepiscopus Hugo altare Sancti Ægidii in majori Ecclesia consecravit, et vidi matrimonium Arduini et Cæciliæ, unde controversia erat, auctoritate et judicio Vizeliac. Abbatis Alberici, præsente et assistente Galterio Cabilonensi episcopo confirmari : et ipse pater et juvenis filius erant de parochia Eduensi, videlicet de Glana. Garnerius Subprior Vizel. duxit me Altissiodorum, et ibi ab episcopo Hugone, qui fuerat abbas S. Germani, in sacerdotem cum pluribus monachis nostri Monasterii ordinatus sum. Postea, cum essem camerarius, XIV monachos Altissiodori per Hugonem Altissiod. ordinari fecit (qui fuit Pontiniacensis abbas) ad vocationem Alberici abbatis. Stephanus Eduensis episcopus consecravit altare S. Andeoli positum in choro monachorum, et audivi Stephanum episcopum Eduensem dicentem comiti Nivernensi, quoniam vocatione abbatis Cluniacensis Petri, et monachorum Vizel. venerat ad benedicendum abbatem Pontium, et hoc fuit in camera abbatis. Et vidi sæpe Carnotensem episcopum Guifredum, et Altissiodorensem Hugonem, qui fuit abbas S. Germani, celebrantes missas in Ecclesia sanctæ Mariæ Magdalenæ in festo ejusdem, præsente Eduensi Stephano et non contradicente. »

Anselmus Vizel. monachus juratus dixit : « Vidi abbatem Pontium committere Ecclesiam S. Petri inferioris cuidam presbytero Bernardo tam in spiritualibus quam in temporalibus, et hoc in capitulo. Et idem commisit presbytero Guidoni Ecclesiam S. Petri superioris pro spiritualibus et temporalibus præsente capitulo : et idem abbas commendavit presbytero Andreæ ecclesiam S. Stephani similiter in capitulo; et hæc omnia post concordiam, quæ facta est apud Molinos, contigerunt. Matthæus Albanensis episcopus me in diaconem, et tres alios monachos in capella S. Laurentii ordinavit. Hugo Altissiodorensis episcopus, qui fuerat abbas Sancti Germani, me in presbyterum et plures alios ordinavit apud Pontiniacum. Henricum Eduensem episcopum cum processione vidi recipi Vizeliaci, et plures alios. »

Hugo de Silviniaco monachus et presbyter juratus dixit : « Elias Aurelianensis episcopus me in presbyterum, et plures alios monachos, et Guidonem, qui modo capellanus est, et Renaldum Reialta me vidente in presbyteros ordinavit in Ecclesia majori Vizeliacensi, et eodem anno meæ ordinationis vidi nuntium abbatis Pontii, Durantum nomine, euntem pro chrismate et oleo ad episcopum Nivernensem Frotmundum, et cum chrismate et oleo redeuntem, et cum ex consuetudine Vizel. monasterii nullus clericorum villæ debeat ire ad synodum sine licentia abbatis, vidi tempore synodi, quod abbas Pontius Sadonem et Petrum Aumbaldi majores capellanos vocavit, et præcepit eis ne ad synodum irent, et ipsi obedierunt. Et cum presbyteri juxta festum Omnium Sanctorum licentiam eundi ad synodum peterent, abbas non concessit, et ipsi non iverunt. Vidi Arnulfum de Ferrariis ex mandato abbatis Altissiodorum pro chrismate et oleo euntem, et cum chrismate et oleo redeuntem, et hoc post concordiam ; et jam sunt sex anni : et vidi post concordiam altare S. Michaelis in majore ecclesia ab Hugone Rothomagensi episcopo benedici : et post concordiam vidi Hugonem Altissiodorensem Vizeliaco ordinationes facere; vidi quæstiones trium matrimoniorum deponi apud abbatem Pontium, Oberti Saltarelli et Helisabeth, et Americi cerarii et filiæ Blaucarti sartoris, et fratris Drogonis et filiæ Petri mercatoris, et terminari auctoritate abbatis. Et in causa Oberti et Helisabeth fuit advocatus Ermannus, qui modo est archidiaconus et archipresbyter Avalonensis : de donatione trium Ecclesiarum idem penitus dicit, quod Ansellus monachus Vizeliacensis. »

Hugo de Scola Vizel. monachus et presbyter dixit : « Tempore Alberiei abbatis prior de Moret Hugo duxit me cum pluribus aliis Altissiodorum, ibique nos ordinari fecit, me in subdiaconum, et reliquos in diversos ordines ab Hugone, qui fuit abbas Pontiniacensis. Tempore Pontii abbatis, Elias Aurelianensis episcopus ordinavit me in diaconem, et plures alios in diversos ordines, Guidonem, qui modo major capellanus est, et Renaldum Raiaza in presbyteros, et hoc in majori ecclesia. Et tempore ejusdem Pontii vidi Humbertum Lugdunensem, tunc Eduensem, vocatum ab eodem abbate Vizeliac. in ecclesia peregrinorum ordinare plures alios in presbyteros, alios in diaconos, alios in diversos Ordines : Et vidi Hugonem Rothomagensem archiepiscopum consecrare altare S. Michaelis, et hoc in majori ecclesia, et post pacem reformatam : et vidi Hugonem Altissiodorensem ordinare duos Guifredos in subdiaconos. Et de donatione trium Ecclesiarum idem prorsus dicit quod Ansellus et Hugo. Vidi Humbertum, qui nunc est Lugdunensis, et Henricum, qui nunc est Eduensis, in Burgo Vizel. et quandoque in majori ecclesia hospitari, et quandoque in Burgo suis sumptibus procurari. »

Ursus juratus dixit idem de chrismate et oleo quod Hugo de Silviniaco, et de synodo idem; de quæstionibus et terminationibus matrimoniorum idem dicit quod Hugo, excepto quod mentionem archipresbyteri Avalonensis nullam fecit.

Benedictus cocus abbatis juratus dixit idem de causa matrimonii Arduini et Cæciliæ, quod Hugo prior de Moret, et de matrimonio Oberti et Helisabeth, et de matrimonio Aimerici cerarii et filiæ Blanchardi sartoris, et fratris Drogonis et filiæ Petri mercatoris, idem dicit quod Hugo de Silviniaco monachus et presbyter.

Alegreth juratus dixit idem de causa matrimonii Oberti Salterelli et Helisabeth, et Aimerici cerarii et filiæ Blanchardi sartoris, quod dixerat Hugo de

Silviniaco, et Benedictus cocus; et dicit quod quædam mulier ivit Hierosolymam, et cum moram faceret, vir ejus aliam duxit, postmodum mulier reversa virum repetiit, et in præsentia ipsius Pontii cognita causa, judicio et auctoritate abbatis viro suo reddita est, sed nomina eorum non reminiscitur.

Testes episc. Eduens. adducuntur. His amotis, obtulit Eduensis testes suos, quorum primus abbas S. Margaritæ juratus dixit, se vidisse ad synodum Eduensis episcopi sacerdotes Vizeliaci pluribus vicibus, continue an assidue ignorat; Sadum, Petrum, Bernardum, et hoc, tempore Stephani, Sadum et Petrum; Humberti, Bernardum; an debito vel voluntate nescit, si simul, non reminiscitur. Verumtamen sæpe audivi monachos dicentes quod ex debito non ibant ad synodum : querelam quando non veniebant sacerdotes Vizeliaci audivi, et vindictam vel satisfactionem nullam. Sacerdotes suspensos ab Eduensi scio restitutos a domino papa, et litteras ejus vidi. In reformatione pacis audivi abbatem promittentem se fidelem amicum deinceps futurum Eduensi, et talem se exhibiturum ipsi, quales prædecessores ejus exhibuerant se prædecessoribus episcopi. Vidi quod abbas obtulit huic episcopo privilegium Eugenii, et tunc abbas Cluniac. dixit Eduensi episcopo : « Cum opus fuerit, vade Vizeliacum, et fac ut episcopus præsente Pontio abbate ipsius monasterii. »

Joannes prior Sancti Symphoriani juratus dixit : « Ego vidi quod Humbertus episcopus Eduensis celebravit missam Vizeliaco, et sermonem fecit, et hoc quadam solemnitate, et tempore synodi vidit Sadonem et Petrum Eduis, et credit quod ad synodum venirent. » De reformatione pacis hoc dixit se audisse a quodam, quod episcopus iret Vizeliacum, et faceret ibi officium suum, et hoc post reformationem pacis.

Eberardus archipresbyter juratus dixit : « Vidi Stephanum Eduensem episcopum die Paschæ, et Mariæ Magdalenæ celebrare missas majores, et ad minus bis. In die sanctæ Mariæ Magdalenæ quando missas celebravit Eduensis, erat ibi Carnotensis episcopus, et fecit ipse sermonem ad populum, Eduensis vero benedictionem. Idem, Stephanus dedicavit ecclesiam Peregrinorum, existente in Vizeliaco papa Innocentio : quo tempore fuit ignoro. Idem dedicavit altare de choro monachorum, et altare de capella Sancti Stephani, et vidi quod benedixit Albericum Altissidiori, et vidi Pontium benedici ab eodem, et vidi ordinationes monachorum et clericorum fieri ab eodem Stephano in ecclesia Peregrinorum, et hoc semel. Vidi Bellinum, Angilbertum, Sadonem et Bernardum, capellanos Ecclesiæ inferioris; Petrum Graelum, Blainum, Sadonem, Guidonem, Ecclesiæ superioris, venire ad synodum continue exceptis duobus annis, hoc præsenti, et eo quando fuit discordia inter Humbertum Eduensem episcopum et abbatem Pontium, pro ordinibus ibi

A celebratis ab Aurelianensi, et hoc per XXX annos. Hoc idem de chrismate et oleo; de pace idem quod abbas, excepto eo quod verbum illud : « Vade Vizeliaco, » non dixit : Sed post modum vidi episcopum ibi celebrare ordines semel, et vidi duos clericos, Bonnamicum, et Petrum volentes ordinari, portare litteras Eduensis Altissiodorensi, et vidi duos capellanos, videlicet S. Stephani et S. Jacobi de Esconia venire ad synodum Eduensem, et hoc vel semel. Ego idem archipresbyter Eberardus vidi duos excessus clericorum puniri, videlicet Blandini subcapellani, et Mainardi de Esconio; et vidi Angelbertum capellanum Sancti Petri inferioris recipere curam animarum a Lamberto presbytero Avalonensi; et Bernardum ab Humberto Eduensi, et audivi eum

B dicentem, quia volebat quod abbas nesciret : Petrus et Andreas capellanus Sadonis, et Galterius de Esconio, adduxerunt mihi parochianos suos ad pœnitentiam recipiendam de criminibus, et hoc sæpe et ex antiqua terræ consuetudine : vidi per XL annos, quod parochiani de villa Vizeliaci, singuli de singulis domibus veniunt ad ecclesiam Avalonensem, et ibi unusquisque nummum, vel ceræ nummatam Ecclesiæ prestat. Vidi Sadonem et Petrum recipere curam animarum a Stephano Eduensi episcopo. Vidi Renaldum Lugdunensem archiepiscopum facere ordines ibi, tam de monachis quam de clericis. Vidi quod abbas Vizeliacensis mittebat monachos suos ordinandos episcopo cui volebat. Vidi instrumentum Fundatoris : legi coram domino papa In-

C nocentio, in quo continebatur quod liberum esset monasterium ab omni exactione pecuniæ, præter libram argenti quæ annuatim offerebatur ecclesiæ Beati Petri, et eo lecto dixit dominus papa episcopo : « Vade, fac quod tuum est. » Et vidi quod ecclesia Sancti Petri singulis annis pro parata a XL annis retro quinque solidos Ecclesiæ Eduensi annuatim persolvit. »

Arnulfus juratus dixit : Vidi quod Stephanus episcopus benedixit altare quoddam in ecclesia Sancti Stephani. Nescit tamen quod altare fuerit, cum ibi plura sint : idem benedixit altare de choro in ecclesia Sanctæ Mariæ. Idem benedixit ecclesiam Peregrinorum, et erat ibi papa Innocentius, sicut

D credit in eadem ecclesia idem fecit ordines monachorum et clericorum illius villæ, et aliorum sui episcopatus; et cum essem in sede loco archipresbyter, vidi Aganonem episcopum euntem Vizeliaco ad ordines faciendos, et vidi clericos redeuntes qui dicebant se ordinatos. Et audivi quod in sequenti die post ordines dedicavit ecclesiam de Esconio. Idem Stephanus celebravit Vizeliaco missas majores in Resurrectione Domini et Sanctæ Mariæ Magdalenæ, et Carnotensis fecit sermonem, et Eduensis benedictionem, et hoc contigit pluribus vicibus me vidente. Vidi quod per XXX et V annos continue sacerdotes Vizeliaci veniebant ad Synodum Eduensem : aliquorum nomina sub hæc; Blandinus, Sado, Petrus Grandella, Petrus Armenbaldi, Guido. Vidi

Narigaldum episcopum recipi a monachis Vizel. A cum processione. Vidi quod Stephanus benedixit Albericum Altissiodori, sed de ecclesia non reminiscitur.

Galterius archipresbyter juratus dixit quod Stephanus episcopus benedixit abbatem Pontium, benedixit altare de choro. De concordia hoc idem quod et alii, et post fecit ordinationes in ecclesia Sancti Petri, et Stephanus confirmavit ibi omues, et vidit sacerdotes Vizel. venire ad synodum Eduensem multoties, et Guidonem et Bernardum, qui modo sunt, et v solidos recepit decem annis pro parata, et unaquæque familia nummum unum pro crucibus, et hoc semel vidit et multoties audivit, et audivit quod abbas Vizel. mittat monachos ad quem vult episcopum ordinandos. B

Galterus presbyter juratus dixit, a xxx annis retro se vidisse clericos Vizel. petere chrisma ab archipresbytero Avalonensi, præter præsentem et annum discordiæ; qui fuerint nuntii ignorat, et vidit benedici ecclesiam Peregrinorum a Stephano episcopo, commorante in villa papa Innocentio, quo tempore fuerit ignorat, et erat ibi abbas, sed nescit nomen ejus. Idem consecravit altare de choro majoris ecclesiæ, quæ consecratio alteram præcesserit, nescit. Idem vidit Landricum, Petrum, Angibertum, venire ad synodum Eduensem, et hoc per xxx annos, et vidit quod Angilbertus suscepit curam animarum ab archipresbytero Avalonensi; per xxx annos vidit Petrum Gradella, Sadonem, Blan- C dinum, cum successoribus suis venire ad synodum. Idem vidit ecclesiam Sancti Petri inferioris paratam solvere ministris episcopi xxx annis. Idem vidit Blainum capellanum Sadonis puniri ab archipresbytero Avalonensi pro excessibus suis; et eumdem Mainardum, et Galterium de Walteria : et audivit quod abbas Vizel. mittebat monachos ordinandos quo volebat.

Joannes Gentilis juratus dixit quia a xxx annis vidit clericos Ecclesiæ Sancti Petri tam superioris quam inferioris venire ad synodum, sed non continue, et vidit Angilbertum Ecclesiæ inferioris recipere curam animarum a Lamberto archypresbytero Avalonensi, et audivit Petrum et Arebaldum et Sadonem dicentem se recepisse curam animarum D a Stephano episcopo, sed non vidit : et vidit capellanos Vizeliac. recipere chrisma ab archipresbytero Avalonensi et Monte regali per triginta annos, sed non continue; et vidit Petrum Gradella petere archipresbyterum in synodo ab episcopo Stephano, et hunc præsentem concessit; et de excessu Blaivi idem dicit quod alii : et vidit denarios crucis solvi, et vidit capellanos Vizel. adducere parochianos suos, ut reciperent pœnitentiam ab archipresbytero Avalonensi; de dedicatione Ecclesiæ Peregrinorum idem dicit : de celebratione missarum ab episcopo idem quod et alii.

Bonusamicus idem per omnia quod Gentilis, præter præsentem annum et discordiæ.

Gosfridus juratus dixit quod multoties vidit Sadotem, Petrum tempore Stephani, et Humberti, Bernardum et Guidonem tempore istius venire ad synodum; et vidit quemdam clericum Vizeliaci, petentem licentiam ab episcopo ordinandi.

Constantinus juratus dixit, quod sæpe ivit ad synodum cum clericis Vizeliaci; et quod quidam clericus Vizeliaci ordinatus est per litteras Eduensis.

Gofridus Nivernensis episcopus coram positis sacrosanctis Evangeliis dixit : « Vidi quod Eduensis episcopus Stephanus vocatus, et aliquando non vocatus Vizeliaco ut episcopus recipiebatur, et aliquando a monachis, aliquando suis sumptibus procurabatur, et in festo beatæ Mariæ Magdalenæ missas solemnes, aliis quibusdam episcopis astantibus, sæpe celebravit : et semel Eduensi celebrante solemnia Carnotensis sermonem fecit; et vidi quod idem Stephanus benedixit abbatem Albericum Altissiodori, et idem Stephanus consecravit ecclesiam Peregrinorum, existente papa Innocentio Vizel. Alio tempore idem Stephanus benedixit altare in choro monachorum, alio tempore idem Stephanus benedixit altare in ecclesia S. Stephani; et interfui, cum pax reformata est inter Eduensem et Vizel., mediante Cluniacensi, ubi in ultimo dictum Eduensi est : Vade Vizeliaco, et fac ministerium tuum. Sed sive hoc abbas dixerit, sive alius pro eo, non recordor. Et alio tempore Pontius abbas cum Eduensi Humberto ab Urbe veniens, cum episcopus eum præcessisset, postmodum ab eodem et clericis ejus dictus abbas cum processione susceptus est Eduæ, et inde in capitulum Eduense veniens, amicitiam et dilectionem Eduensi secundum consuetudinem suorum prædecessorum promisit. »

Humbertus Lugdunensis coram positis sacrosanctis Evangeliis dixit : « Cum essem Eduensis episcopus, non vocatus ivi Vizeliacum, et in majori ecclesia in Pascha missarum solemnia celebravi, credens meo episcopali jure uti, et sermonem ad populum feci, et benedixi præsente quodam alio episcopo. » De concordia idem prorsus dicit quod episcopus Nivernensis, nisi quod asseverat abbatem dixisse ei : Vade et fac Vizeliaci quod antecessores tui facere consueverunt. Postmodum vocatus Vizeliaci ordines celebravi tam monachorum quam clericorum villæ, et quorumdam clericorum mei episcopatus. Et alia vice Eduæ ordines celebrans, clericos Vizeliaci cum clericis meis aliis secundum consuetudinem examinans promovi. Et quandiu episcopus fui, clerici Vizel. ad synodum meam singulis annis venerunt, vel excusationem miserunt. Archipresbyter Avalonensis quemdam Burgensem Vizeliaci ad me adduxit, qui uxorem causa sterilitatis dimiserat, cui mandavi, ut dictante justitia Burgensem ad recipiendam uxorem cogeret.

Ita testimonia sua prosecuti, in partem cedunt testes Eduensis, quorum voces, si diligenter pensantur, causam Eduensis examinare potius quam

fulcire probantur. Celebratio quippe missarum, consecratio altarium, distributio ordinum, largitio benedictionum, petitio sacri olei vel chrismatis, et alia hujusmodi vicino et comprovinciali episcopo æque ut peregrino, liberali permissione pro arbitrio Vizeliacensis libertatis conceditur. Quod igitur cum cæteris sibi commune est, jure proprio minime illi cedit. Cæterum quod ab Eduensi suspensos per apostolicam libertatem suis ordinibus restitutos testantur, causam Vizeliac. faciunt, et suam, hoc est Eduensis, penitus destruunt. Quod Vizeliaci clericos Eduensem synodum frequentasse, quod licentiam ordinandi ab Eduensi petiisse, quod curam animarum ab eodem suscepisse, quod paratam solvisse, quod parochianos suos pro pœnitentia archipresbyteris duxisse referunt, si fas est dicere, et sacerdotum fraudulentiam, et Eduensis temeritatem produnt, dum hæc inscio utique Vizeliacense perpetrata fatentur, ac per hoc gravis actori redditur causa, quæ furtivis subreptionibus allegatur adnixa.

Igitur posteaquam utriusque partis testes, prout superius expressum est, testificati sunt, decrevit summus Apostolicus, ut judicio tantæ litis controversia dirimeretur : et quoniam suprema formido argumentum est sævæ conscientiæ, fit nonnunquam ut extremis subacta periculis cogatur mens perpendere, quod in pace olim quodammodo dedignabatur prospicere. Causa itaque posita in articulo discriminis, perturbatur Eduensis suæ conscius temeritatis. Quia porro eum non latebat Romana æquitas in censura duntaxat juris justitiæ, fluctuare cœpit, dissimulare nequivit, judicium tamen differri petiit, dicens causæ suæ adhuc se habere efficacissimos comprobatores, qui languore et ætate confecti, laborem tanti itineris non possent aggredi. Verum si infra Gallias competens et loco et die sibi præstetur actio, hos procul dubio se exhibiturum, atque post horum voces in ejus præsentia statuto ab eo tempore indubitanter se subiturum apostolicam sententiam pollicetur, nisi forte interim optata pax intercedat. Tum Vizeliacensis supervacaneam comperendinationem ratus, et de temporis indulgentia potius quam de causæ constantia Eduensem sperare considerans, jusjuris, vel jurisjudicium instanter reposcebat; prævaluit tamen apostolica clementia, et tandem judicium distulit, diem repetendæ sententiæ statuit, vicarios adjutores testium suorum infra Gallias episcopos designavit, videlicet episcopum Lingonensem Godefredum, necnon Petrum Trinorciensem, et Stephanum Regniacensem abbates. Quibus et per scripta mandavit, ut die et loco congruo prædictam causam inter Eduensem et Vizeliacensem suscipientes, testes quos Eduensis legitime proferret sub forma præscripti juramenti audirent, atque eorum testificationes descriptas, et sigillorum suorum munimine consignatas per eosdem sibi ad statutam judicii diem transmitterent. Cujus tenor epistolæ superius in serie epistolarum illius quas ad diversos ob tutelam Vizeliacensis libertatis fecit, continetur. Enimvero incomparabilis memoriæ papa Eugenius pia sollicitudine futuris præcavens eventibus, utriusquepartis testificationes jussit conscribi in triplici scedula, quarum unam episcopo, abbati alteram dedit, tertiam vero suis indidit scriniis, quatenus si forte vel in sua vel in sui successoris præsentia hæc eadem iterum agitaretur controversia, præscriptæ testificationes ac si vivæ voces, novitates omnes refellerent, et judicium, vel agentium alteratam successionem suppositi testes non fallerent. Sic rebus gestis, suis uterque redditur.

Eduensis autem optata dilatione potitus, proposita dissimulare, tempusque redimere nitebatur, ac de his quæ pro dilatione summo pontifici pollicitus fuerat, penitus nihil curabat. Cumque moras ægre ferret abbas, quibus impedimentum causæ suæ et non finem litis parere sentiebat, Lingonensem episcopum, qui forte quadam die Vizeliaco advenerat, convenit, deque domini papæ mandato requisivit. Qui respondit eum potius hanc requisitionem facere debere qui actionem proposuerat, cum plerumque tacendo liti renuntietur. Ipse autem, videlicet Eduensis, necdum super hoc negotio quidquam sibi sit locutus.

Interea sanctæ memoriæ S. Eugenius sanctæ sedis Apostolicus, viam universæ carnis ingreditur. Cui Anastasius S. R. Ecclesiæ vicarius subrogatur. Quo comperto, Vizeliacensis metuens ne faciem novi præsulis præveniret vetus hostis, scribit ad eum ocius, significans quanti semper habita sit usque hodie Vizel. Ecclesia in oculis omnium apostolicorum qui eum præcesserunt. Supplicat præterea, ut exemplo Patrum suorum Romanorum pontificum Vizel. Ecclesiam uti proprium jus et alodium B. Petri ab infestantium incursatione, maxime autem ad præsens ab Eduensis temeraria præsumptione tueatur, describens qualiter causa tam illius, quam sua in præsentia piæ memoriæ decessoris sui Eugenii ventilata per dilatam jurisjudicii diem petente episcopo remansisset infecta. Ad postremum, ut ejus pietas transactam morte judicis sententiæ diem in sua præsentia renovare, et Eduensi denuntiare dignetur, exorat.

Tandem pacem init abbas cum episc. Eduensi. Divus ergo Apostolicus specialis ecclesiæ patroni preces admittens, renovationem causæ utriusque mandat, et quintam decimam post Pascha utrique præscribit, nisi forte ex consensu alterutro pax interim ecclesiarum reformetur, quatenus quæ suus prædecessor infecta reliquerat, Deo agente, per eum bono fine terminarentur. Tunc nodosa cervix sese contorquens, utpote insperatis percussa spiculis, rebus jam desperans ducem aggreditur, et jam cum fratre agit de pace sua, cum quo egerat aliquando de oppressione aliena. Quippe veritus ne, dum alienis inhiat, amittere cogatur et propria, duellioni renuntiat, de reformatione pacis cogitat. Quique ha-

ctenus aliena per se usurpare contenderat, jamjam aliis mediantibus sibi consulere festinat. Ne vero fraterna esset suspecta malitia, religiosæ vitæ, et honestæ famæ viros dux ipse cum episcopo interpellat, abbatem scilicet Cisterciensem, et alios plures ejusdem ordinis. Hi ergo Vizel. abbatem Pontium adeuntes cum supplicatione preces ducis offerunt et vice episcopi pacem repræsentant, pacemque reposcunt. Nec pati repulsam merentur, quoniam apud generosos animos rigorem rectitudinis semper comitatur lenitas mansuetudinis. Cedit ergo abbas humiliter supplicanti, qui non cesserat arroganter superbienti; et, his mediantibus, per manum ducis pax inter utramque Ecclesiam reformatur, controversia omnis pacificatur, dantque invicem amicitiæ oscula, atque ineunt perpetuæ pacis fœdera. Quæ pacis compositio, ut etiam inter successores custodiretur illibata, manus suæ formatam fecit, quam et sigilli sui munimine corroboravit, ut sequens probat exemplar.

« Notum sit tam præsentibus quam posteris, quod ego Henricus in Dei nomine Eduensis episcopus consilio religiosarum personarum, et quorumdam fratrum Ecclesiæ nostræ, controversiam et querelam diu inter Eduensem et Vizeliacensem ventilatam tali tenore amicali compositione sopitam esse volui, ut in bona pace et concordia tam ego quam Pontius abbas prædictæ Ecclesiæ permaneamus et persistamus, salvo jure in vita mea et privilegiis utriusque ecclesiæ. Prædictam autem transactionem sive compositionem me superstite ratam esse decerno, adeo ut post mortem meam nullum præjudicium utraque Ecclesia hinc patiatur. Testes sunt ex parte utriusque: Guillelmus abbas Fonteneti, Hugo abbas de Busseria, Petrus abbas de Monte Sancti Joannis, Otbertus abbas Sanctæ Margaritæ, magister Otbertus, Signinus de Liniaco, Gislebertus prior Oisiaci, Girardus Buca, Hugo de Moncellis, et multi alii. »

Hæc pro nostræ modulo parvitatis de libertate Vizel. Ecclesiæ quanta potuimus brevitate et veritate perstrinximus, latiora forte sed non veriora majori committentes otio. Et veritate quidem filiis atque amatoribus hujus ecclesiæ fecimus, ut credimus, satis. Brevitate autem talium subsannatoribus condescendere curavimus. Solent (3) quippe utilia scribentibus succensere nonnulli, vel gestorum invidia capti vel eorum quæ proferuntur ignari. Cum autem sapientis otium nihil arbitretur otiosum, quin alienum otium suum ducat officium, econverso maximum est insipientis negotium ascribere otio quidquid prudens elaborat studium, quod sui pretio pensantes, compendio usi cursim stylum exegimus. Licet enim temporum ætate juniores nos Ecclesia protulerit, nostram tamen erga ipsam nihil devotionem minuit, si posse nostrum qualecunque illius profectibus affectu integerrimo impendamus, nec diffidimus quin præstet vires ipsa, quæ præstitit velle et gratia, dummodo degere nobis detur sine querela. Quia vero aliquanti loco mercenarii, et non natura filii, sua quærentes, et non quæ sunt adepti officii, in communi causa, vel sub obtentu communis causæ propria sectantur emolumenta, nos ab hac specie adeo mentem defæcatam gessimus, ut solo et simplici respectu communis boni pro communi bono ad commune bonum his operam dederimus. Sane spem nostram in eo solo et ad eum solum contulimus, qui nullum bonum esse decernit irremuneratum ab ævo et usque in æternum.

(3) *Solent*. Sic restitui : editum erat *Semper*,

LIBER TERTIUS.

Pontius abbatum regni celeberrima virtus,
Vizeliacenses sorte regebat oves.
Dumque sibi morum parat instrumenta bonorum,
Dum sibi commissæ providet Ecclesiæ;
Suscitat invidiam turba turbatior omni,
Servorum in dominum seditiosa manus.
Plebs armata dolis, dux et via proditioni,
Frangere docta fores, et spoliare domos.
Ædibus ausa dehinc assultum impingere sacris,
Inque necem domini tangere sacra manu:
Quæ mala, quot clades rabies complesset iniqua,
Ni celerem prudens abba tulisset opem?
Si rerum causas quæris cognoscere, lector,
Præsentis libri pagina pandet iter.
Hanc tibi noster Hugo vir stemmate Pictaviensis,
Elegit gratis pendere mente, manu.
Perlege, cognosces quantum bene, quam sapienter
Quamque suo fulgens ordine currat opus.
Invida lingua tace, cui virtus est inimica,
Cui semper studium velle nocere bonis.

Jussu Pontii abbatis id opus auctor est aggressus.

Græci cujusdam famosissimum fertur proverbium, quod in tripoda Apollinis dicitur inventum : *Scito te ipsum, et vide te ipsum.* Nihil in humana natura utroque clarius, nihil pretiosius, nihil denique excellentius. Per hæc quipppe singulari prærogativa passibilibus cunctis homo præfertur, et connexa unitate impassibilibus quoque conjungitur. Est autem scire seipsum, propriæ dignitatis conditionem nosse atque intelligere; videre quoque seipsum est

ipsam dignitatem conditionis sinceritate fidei, et pietatis cultu excolere. Quia igitur primæ parti specierum prædictarum, hoc est scientiæ, supponitur quod intendimus, de dignitate Vizeliacensis quo potuimus compendio partim in superiore libro egimus : in quo, dum res commendare et non verba jactitare studuimus, quasi placidi æquoris terga sulcantes enavigavimus, scientes pium lectorem ex superficie verborum pondus negotii conjecturum. Verum, quoniam prædictæ libertatis sive dignitatis vestes, scilicet Ecclesiæ possessiones, quidam ore canino lacerare, vel pede belluino discerpere, audacia fisi, non virtute freti, conati sunt ; placuit serenissimo atque strenuissimo Patri nostro venerabili Pontio abbati per hæc scripta mandare longe post futuris, qualiter et quomodo per divinam providentiam et conatus æmuli evanuerint, et Ecclesia suis ipsis casibus enituerit. Nec vero istis quasi proprium exercentes ingenium otiosi incumbimus, quibus voti esset propriæ potius quam alienæ eruditioni vacare. Sed movemur utique tum coævorum probitate, tum succedentium utilitate, tum Ecclesiæ matris dignitate. Movemur necne irrepugnabili jam dicti Patris imperio, qui pro hac eadem libertate et dignitate ad sanguinem usque decertavit, licet votum sceleris percussor non obtinuerit, nihil tamen in eo defuit quin fere totum se immunitati Ecclesiæ impenderet, et suam pro illius salute negligeret. Cujus videlicet Ecclesiæ sponsæ suæ casto flagrans amore, cum jura illius per aliquot annos et officiosissime disponeret, et strenuissime administraret, invidente fortuna, nævo eam pravæ commistionis constuprari persensit. Tum ille zelatus, et stans ex adverso pro domo Israel, sese obicem adulterinis obtutibus præbuit, et per plura vitæ suæ pericula clariorem et perspicabiliorem libertatis sponsæ suæ puritatem effecit, sicuti nostram infirmitatem Deo juvante, et nostram parvitatem ipsius Patris auctoritate corroborante, in sequenti more nostro sectantes compendium, propalare curabimus, quatenus et præsentes habeant quo fruantur, et futuri quid æmulentur. Quia etenim piorum est communi potius quam privatæ utilitati intendere; sategimus et nos profectui futurorum providere, et charitatis vestem ad talum usque protendere. Opus ergo pium pius lector pie legat; susurro autem et detractor procul absistat. Cui autem nostra displicent, aut adulterinus, si tamen filii nomine dignus fuerit, aut vernaculus, nedum dicamus Ecclesiæ inimicus reputabitur. Si enim placuit antiquis vel aniles fabulas, vel monstruosa portenta ob solam elegantis ingenii ostentationem tradere memoriæ, et hæc etiam nostris temporibus non infructuose aliquando leguntur; multo acceptabilius, multoque fructuosius fore futuris credimus, nosse tum gestorum veritatem, tum ipsius fructus honestatem : neque prorsus talia fatemur quasi fraternæ charitatis examen dedignantes, quin demantur ea quæ forte per excessum effluxerunt, et

A suppleantur itidem ea, quæ vel nostram præteriere notitiam, vel styli non admisit compendium. Utrobique sane simplicem interpellamus affectum, quo et nostram non erubuimus penuriam, et tanti oneris non neglegimus laborem.

De immunitate ac nobilitate Vizeliacensis Eccles. Origo libertatis Vizel. Cum Vizeliacensis Ecclesia ex dono fundatoris et ex dignitate Romanæ auctoritatis prærogativa libertatis polleret, et oraculo beatæ dilectricis atque famulatricis Dei Mariæ Magdalenæ, quæ ibidem condita toto orbe prædicatur et adoratur fortissima emineret, multis ex partibus ad eam plures convolaverunt, et tam sui copia quam rerum affluentia illud oppidum illustre conspicuumque reddiderunt. Prædia quoque ut erant
B amplissima et sibi contigua, locum ipsum suo situ delectabilem, opulentissimum adeo effecerunt, ut spectabilis ad usque fines terræ clareret, et gloriosus in universo orbe emineret. Hujus loci corpus tanta et tam speciali charitate proprietarii juris capiti suo Ecclesiæ unitum et compactum jungebatur, quod in qualibet parte sui cujusquam participium dominii vel societatis admittere tanquam profanum atque insolentiæ incentivum abhorreret, et seipso per apostolicam gratiam in allodio testatoris constans, nemini contractu alicujus servitutis, nisi tantum apostolico pontifici, cervicem flecteret. Ad cujus integræ libertatis notitiam si quis oculos castos ingenuæ simplicitatis intendat, perlecto fundatoris testamento relegat, et primordialis, atque
C antiquæ auctoritatis Romanorum pontificum privilegia, venerandi scilicet Nicolai et utriusque Joannis, Benedicti quoque, necne alterius Benedicti, Leonis etiam et Sergii, et Stephani, et Marini, sed et divæ recordationis Urbani, qui de Cluniaci monasterio ad apostolatus administrationem assumptus, prædecessorum privilegia seu decreta pro libertate jam dicti cœnobii Vizeliacensis, non solum intemerata et rata atque inconcussa esse voluit, imo etiam et suæ auctoritatis munimine corroboravit. Illis denique omnibus diligenter perspectis, nulla certe contraria, vel repugnantia offendet, nec fictitia et subreptitia esse omnino comprobabit; cum pro certo impium et sacrilegum sit sentire aposto-
D licos viros contraria sibi decernere, et quod ex opposito allegari potest, sibimetipsis repugnare. Felicis etenim memoriæ Gerardus comes, cum pia conjuge Bertha, ob timorem Dei, et sui suorumque salutem, monasterium supra Choram fluvium, in proprio et liberrimo allodio suo construxit, et congregationem famularum Dei ibidem constituit, quod etiam monasterium cum omnibus rebus ibi collatis beatissimis apostolorum principibus, et illorum in Romana sede per sæcula successoribus dato testamentario libello perpetuæ possessionis regendum defensandumque contradidit, dimota et penitus exclusa omni beneficiaria potestate cuiquam dandi, aut mutandi licentia. Sed cum propter crebras irruptiones Saracenorum præfatum monasterium

pene fuisset subversum, ne piis studiis hostilis prævaleret invidia, reædificatum est illud ab eodem comite in adjacenti monte sive castello Vizeliacensi, ac feminino sexu commutato, servorum Dei primus effectus est abbas Eudo.

Summa privilegiorum apostolicorum. Tantæ igitur devotionis pietatem ejusdem comitis Romana sedes gratanter et benigne suscipiens, placuit ipsum cœnobium proprio juri et allodio B. Petri ascribere, et gratia vel dono apostolicæ auctoritatis auctum munire. Siquidem hujusmodi privilegia suæ apostolicæ auctoritatis decreto Romani pontifices indulgentes concesserunt et confirmaverunt, atque statuerunt, ut nulli imperatorum, nulli regum, nulli antistitum, nulli quacunque prædito dignitate de his quæ eidem monasterio ab eodem comite vel a quibuslibet de proprio fuissent jure collata, sub specie cujuslibet causæ sive occasionis minuere, vel auferre, sive suis usibus applicare, vel aliis quasi piis causis pro suæ avaritiæ excusatione liceat quocunque modo concedere, sed ab eis qui in eodem loco religiosa conversatione degerent, illibata et sine inquietudine possiderentur; ea conditione ut nullus Romanorum pontificum unquam vel usquam quiddam de eisdem rebus cuiquam beneficiare, commutare, aut sub censu concedere, vel retinere per futura tempora pateretur, sed censum tantummodo unius libræ argenti in testamento traditionis singulis annis ab eodem monasterio Romana sedes accipiens, piæ paternitatis suffragium sollicitudine pastorali vigilanter contra omnes infestantes eidem impendere studeat. Statuit quoque sedes apostolica, ut sine cujuslibet subreptionis astutia communi consensu fratrum, vel sanioris partis ejusdem cœnobii consilio, electo abbate, et a Romano præsule approbato, de ordinatione ipsius, aut monachorum, vel clericorum, necne presbyterorum, seu de largitione chrismatis, aut consecratione basilicæ, aut de quacunque commoditate spiritualis vel temporalis obsequii nullus pontificum, nullus regum, nullus vel Ecclesiasticæ vel sæcularis personæ fidelium, per se suppositamve personam accipere, aut juris aliquid sibi vindicare auderet.

Taliter apostolicis privilegiis compositis, Francorum quoque regum majestas eidem cœnobio clementer prospexit, et precibus illustris Gerardi comitis favens tale edictum eidem fieri constituit, per quod quidquid apostolicæ sedis decretum sanciendo deliberasset, absque alicujus contradictionis scrupulo perpetuis temporibus inconvulsum manere statuit; præcipiens ut nulla sæcularis persona, vel ex missis regiis in præfato cœnobio, aut prætitulato castello, seu villis ad locum ipsum pertinentibus potestative mansiones acciperet, aut paratas seu freda, vel cespitaticum, seu pontaticum, aut inferendas ab eo exigeret. Quisquis vero hoc immunitatis decretum temerare præsumeret, sexcentorum solidorum mulctam coactus exsolveret, medie-

A tatem scilicet fisco regio, et medietatem Ecclesiæ cui litem intulisset. Quod suæ auctoritatis præceptum ut pleniorem firmitatis vigorem obtineret, manu sua illud firmaverunt, et sigilli sui impressione signaverunt.

Invidere plures libertati Vizel. Guillelmus Nivern. Comes usurpare tentat jura Vizel. Monasterii. Sub tantæ igitur libertatis et immunitatis integritate novella plantatio novo cespite pullulavit, et ramorum suorum viridi fertilitate plurimas provincias illexit. Sed, quoniam inter cætera vitia quæ in prævaricatione primi parentis humana contraxit natura, invidiæ livor atrocius humanum genus infecit, multi hac peste corrupti tam Ecclesiasticarum quam sæcularium circumadjacentium potestatum, stola li-
B bertatis spoliare, et gloria suæ nobilitatis privare jam dictum monasterium conantes, de corde in corde locuti cogitaverunt ad invicem nequitiam, et pertranseuntes in affectum cordis, ignominiam reportaverunt suæ confusionis. Licet etenim diversis temporibus vel pariter vel vicissim sibi succedentes, sacri cœnobii pacem vexare, inquietare, perturbare molirentur, et maximos magnæque auctoritatis ejusdem cœnobii Patres multifarie multisque modis afficere non vererentur, omne tamen virus nequitiæ suæ malignitatis, totumque posse suæ pravitatis generatio nequam et viperina in præstantissimum atque prudentissimum nostri temporis abbatem Pontium evomuerunt, et evomentes contabuerunt et
C defecerunt, eviscerati sunt et annihilati sunt. Pia quippe Vizeliacensium abbatum sollicitudo, ob crebras impiorum hominum infestatione comitibus Nivernensis civitatis liberalissima indulgentia frequenter spontaneum impendebat obsequium, quo devotius contra omnes adversantes præsidium ferrent Ecclesiæ, quæ nullo jure sibi obnoxia, sedulo gratuita sibi largiretur beneficia. Verum degener animus beneficiis semper abutitur, atque gratuitis obsequiis insolentior nonnunquam efficitur, nec obsequium gratiæ ascribitur, quod ingrato decernitur. Unde factum est ut Guillelmus, qui postmodum Carthusiæ effectus est monachus, dum Nivernensis civitatis consulatum gereret, salariis atque aliis Ecclesiæ beneficiis insolenter abusus, nonnullas ab ea
D consuetudines non solum pacis, sed etiam libertatis inimicos, per vim tyrannidis exigere nitebatur. Cujus aspernatus insolentiam venerandus abbas Pontius, rationabiliter denegavit quod injuste petebatur, et prudenter conservavit quod potestative exigebatur. Dolens itaque Nivernensis sic se repulsum, in tantam exarsit iracundiam, ut stratas regias a Vizeliaco diverteret, et publicum commeatum a vico prohiberet. Tunc Vizeliacensis cum beneficio nec prece gravi comitem a proposito flectere potuisset, sanctæ matri apostolicæ sedi Romanæ Ecclesiæ insinuavit oppressionem monasterii sui, et qua tyrannide jus vel allodium beati Petri comes insectaretur, exposuit. Summus autem pontifex eidem comiti reiterato scribens ut ab insectatione specialis filiæ

suæ Vizeliacensis Ecclesiæ desisteret, monuit; ut etiam ejus paci et libertati favendo pro B. Petri reverentia provideret, injunxit, ne si apostolica jura usurpare præsumat, universalis Ecclesiæ inimicus et temerator existat. Quod si quid juris in eodem monasterio sibi competere crederet, ab apostolica gratia non diffideret, dummodo quietem Ecclesiæ non vexaret; alioquin si secus contenderet, onus apostolici baculi se laturum non ignoraret. Vizeliacensem quoque idem præsul auctoritate apostolica commonuit, ne de jure monasterii in aliquo alicui cederet, neve Patrum terminos transgredi præsumeret, imo de Dei et B. Petri auxilio confideret, et viriliter pro Ecclesia decertaret, ne si Ecclesiæ integritatem commaculari permitteret, ipsius integritatis proditor existeret.

Arbitri controversiæ inter abbatem Vizel. et comitem Nivern. Quid prætenderet Nivern. exponit : cui Vizeliacensis respondet, eumque confutat. Diu ergo inter Vizeliacensem et Nivernensem protracta controversia, tandem ad hoc ventum est quod abbas et comes communi assensu in laude et concordia, seu diffinitione Bernardi abbatis de Claravalle, et Hugonis de Tilio, atque illorum quos ipsi ad hanc vellent vocare concordiam se exposuerunt; ut quod præfatæ personæ super hac re concorditer diffinirent, irrefragabiliter observarent. Festo igitur die solemnis Paschæ, cum universa fere Gallia solito crebrius Vizeliaco convenisset ob frequentiam orationis, simulque ob reverentiam piissimi et religiosissimi regis Ludovici Junioris, qui suis ibidem in humeris crucis Dominicæ vexillum Hierosolymam peregrinaturus suscepit, convenit pariter et comes cum jam dictis personis : qui venientes apud Bassiacum Ecclesiæ grangiam, die statuto, quarta scilicet feria infra octavas Paschæ, taliter comes calumniam suam exorsus est : « Ecclesia Vizeliacensis, inquit, in advocatione mea est : volo ut quoties abbati mandavero, mihi et hominibus meis secundum judicium curiæ meæ justitiam faciat, negare non debet. Et si aliquis adversus eum dicere voluerit quod ei justitiam negaverit, dictante meo judicio se defendere debet. » Ad hæc abbas respondit, quod nullatenus hoc facere deberet; quia abbatiam Vizeliac. a præfato comite non haberet. Cumque esset ipse monachus et sacerdos et abbas, laicali judicio se subdi nolebat, nec per tales personas aut in se aut in monachos suos sententiam suscipere non debebat. Iterum comes quærebat quod homines Vizeliaci ad Ecclesiam pertinentes, de justitia sua esse volebat, et quoties sibi placeret abbati mandaret, ut pro susceptione coacti judicii ad curiam suam eos duceret, et si forte inter homines ipsos et abbatem aliqua querela emerserit, dicebat idem comes nonnisi per manum suam, tantum in curia abbatis, debere eos inire concordiam. Respondet abbas, quod Ecclesia Vizeliac. non esset ab ipso, nec a parentibus suis fundata, nec homines de feodo suo erant, nec abbas aut Ec-

A clesia eos ab ipso habebat; et ideo indignum erat, ut illius subderentur judicio, de cujus non erant beneficio. De concordia vero Burgensium nihil ipso auditu dicebat injustius esse, et veritati omnique justitiæ contrarium, cum pax sit omnibus communis, et beati pedes evangelizantium pacem protestentur a divinis Scripturis et a sanctis Patribus, neque ista vel hujusmodi consuetudo fuerit in Ecclesia a priscis temporibus. Rursus comes dixit, quod homines sui de Clemiciaco, cum ad nundinas vel ad forum Vizeliaci veniebant, in plateis sua mercimonia deponebant, et a consuetudine aliorum hominum immunes se esse dicebant, et ideo querebatur quod telonearii abbatis ipsas consuetudines ab eis violenter exigerent. Abbas ad hæc respondit,

B quod plateas in proprios usus ab antiquo habebat, et nemo aliquid juris exceptum habebat, et cum omnes homines ad nundinas sive ad forum Vizeliaci adventantes secundum diversitates mercium teloneum gratanter exsolverent, volebat ut similiter et ipsi consuetudines redderent, qui non dicebant qua justitia retinere deberent. Tunc Hugo de Tilio testatus est comitem nullum jus in hac querela habere, quia tempore domni Renaldi abbatis Vizeliaci, postmodum Lugdunensis archiepiscopi, super hac re ab ipso comite querela mota est, quam ipse comes accepta ab eodem abbate pecunia per manum suam, Hugonis scilicet de Tilio, penitus dimisit, et de cætero nunquam se quæsiturum eam

C fideliter promisit. Iterum comes quæsivit stratam, quæ tendit de Esconio usque Blanniacum, et illam de Prisseio, et alias a crucibus et a terminis usque Vizeliacum constitutis. Cui respondens abbas dixit, quod stratam de Varginiaco, quam comes requirebat de Esconio usque Blanniacum, illa fuit Erveo de Donziaco, et Savarico de Varginiaco dominis castri Censorii, qui ipsam stratam, et totam terram de Varginiaco cum omnibus appenditiis suis, scilicet aquis currentibus cæterisque quæ jure hæreditario in allodio possidebant, ipsi eam dederunt, et vendiderunt beatæ memoriæ Artaldo abbati, et Ecclesiæ Vizel. ac super altare BB. apost. Petri et Pauli multis astantibus Deo et B. Mariæ Magdalenæ, atque ipsis apostolis, cum omnibus appenditiis suis

D obtulerunt; quam terram Ecclesia Vizeli. per 40 et eo amplius annos jure hæreditario hactenus in pace totam ex integro absque omni calumnia possedit. Latrones vero in publica via captos ibidem suspendit, et de cæteris malefactoribus justitiam fecit, et si quid ibi inventum fuit, sine violentia quiete habuit. Terra porro de Prisseio fuit allodium ducis Burgundiæ, quam quidam milites ab ipso tenebant, qui eam B. M. Magdalenæ dederunt, ac vendiderunt. Ab illo itaque tempore usque nunc et Ecclesia et abbas Vizel. in pace sine aliqua interruptione totam ipsam terram, et viam publicam intus villam et extra, cum viis publicis et semitis tenuit et possedit. De qua re et aliis supradictis abbas plurimos testes habuit et nominavit; Martinum

scilicet et fratres ejus de Prisseio, et multos alios in villa viventes, qui dixerunt se in strata sex latrones falsam monetam deferentes comprehendisse, et Vizeliacum pro justitia facienda præposito reddidisse. Insuper bovem unum in via publica sine domino inventum Renaldo monacho de Prisseio, qui eo tempore ibidem morabatur, sicut jus Ecclesiæ reddidisse. Quæ omnia sine dilatione prædicti viri parati fuerunt probare. De aliis vero stratis, scilicet de Fontaneto, et de Craia, et de Monte Tirohet, et de cæteris Vizeliacum usque tendentibus, abbas respondit, quod antecessores sui justitiam earum sine querela diu multumque tenuerant, qui et ipsæ stratæ per viam Ecclesiæ transeunt, de quibus omnibus multos testes habuit, Guinimerum olim decanum, Girardum decanum, Hugonem præpositum, Renaldum Dautran, Renaldum de Sancto Christophoro, Guillelmum de Ponto, et fratrem ejus Jonam, Arnulfum de Ferrariis, Robertum de Monterohillone, Guidonem Forestarium, Durannum de villa Lohet, Durannum de Chasteneto, Constantium præpositum de Fontaneto, Stephanum præpositum de Blanniaco, Aimonem Nummularium, Bonumamicum de castro Censorio, Gofridum Bertinum, Blanchardum de Sarcitorio, Stephanum Beurandum, Odonem pulchræ similitudinis, et multos alios. Quæ omnia a summo pontifice in perpetuum tenenda confirmata sunt, et ne ab aliquo super his Ecclesia vel abbas molestentur sub anathemate interdictum. Hæ fuerunt querelæ comitis, et hæ repulsiones earum, abbate refellente.

Abbatis objectiones, et comitis responsa. Post hæc conquestus est abbas de prædicto comite, quia per viam publicam ab Altissiodoro usque Vizeliacum institores et mercatores omnes avertebat, et Vizeliacum ire non permittebat. Comes respondit, quia olim sic fecerat, nec ab aliquo abbate interpellatus de hac re fuerat. Econtra abbas dixit, quia strata quæ Vizeliaco tendebat æque erat regalis, publica, antiqua via sicut Nivernensis ac securior, et injustum erat ut itinerantes revocaret a via quæ sibi facilior et melior videbatur, cum plures orationis causa magis quam negotiationis ibi convenirent. Iterum abbas conquestus est de telonear iis comitis, qui assidue homines suos per Altissiodorum transeuntes deprædabantur, dicentes quod abbas in tribus festivitatibus, scilicet Paschæ, et Pentecostes, et B. M. Magdalenæ, eos cum omnibus sociis suis procurare deberet, et unicuique ceram pondo unius libræ pro pedagio vini Altisiodorensis, quod emere solebat, dare. Respondit comes quod prædicti pueri sui hanc consuetudinem ab abbate Renaldo constitutam in Ecclesia habebant. Abbas ad hæc dixit se nescire hanc consuetudinem, si verum erat, tamen consilio capituli factum non fuerat, ac per hoc nec ratum nec stabile esse potest, vel debet.

Filii comitis una cum rege Jerosolymam proficiscuntur. Comes ipse habitum monasticum Carthusiæ induit, post a cane devoratur. Igitur postquam signum Dominicæ crucis rex piissimus Ludovicus Junior Hierosolymam profecturus suscepit, plures facti hujus fama et exemplo incitati, transmarinam peregrinationem arripuere : inter quos etiam duo filii Nivernensis comitis, videlicet Guillelmus et Renaldus, comitatui regio sese conjungentes, eamdem profectionem susceperunt. Ipse quoque pater eorum desiderio alterius priorem vitam commutans, habitum religionis et vitæ finem apud Carthusiam accepit. Sed quia venerabilis dilectricis atque famulatricis Dei M. Magdalenæ sepulcrum gloriosum et religione sanctissimum injuste vexando afflixerat, pœnam criminis ipse a cane devoratus excepit, et injustitiæ vindictam suis reliquit hæredibus. Nam Renaldus captivitatis miseriam turpiter sortitus, servituti barbaræ gentis infeliciter addictus est, ut pater, qui Vizel. Ecclesiæ libertatem depravare tentaverat, servitutis experiretur opprobrium in filio. At vero Guillelmus paterni consulatus hæres et sceleris, cum ab Hierosolymis revertens naufragium pateretur, de salute propria periclitabatur. Rebus autem expositis, cum jam in articulo mortis omnibus constitutis a circumstantibus moneretur, ut quæ pater illius contra jus fasque in Vizel. monasterio usurpando sibi vindicabat, pro communi salute sui et suorum remitteret, vix tandem urgente periculo cessit, et jurejurando sub testificatione devovit, nullas deinceps procurationes... Paschæ et transitus B. Mariæ Magdalenæ solemnitatibus se repetiturum in monasterio. Nec mora, mira Dei virtute, ipsa ejus dilectrice B. Maria Magdalena suffragante, mirabiliter ab angustiis præruptæ rupis quo navis inciderat, repente eripitur, et turbido æquore transmeato, quieto littori redditur.

Ereptus comes Nivern. e naufragio, votum solvit Vizel. capitulo. Interea præclarus abbas Pontius terram ac familiam prædicti Nivernensis procurabat, atque ab incursantibus undique defensabat; tum quia monasterio suo eatenus prospici sperabat; tum quia idem Guillelmus cognationis affinitate sibi conjunctus exstabat. Quem revertentem ab Hierosolymis naufragum excepit, et occurrens ei honorifice a penuria, qua graviter premebatur, sufficienter relevavit. Incolumem denique familiam cum totius immunitate possessionis suæ illi consignavit; nec multo post etiam inimicos illius cum satisfactione in gratiam reflexit. Invitatum deinde Vizeliaco coram fratribus vocavit, et ut quod fecerat votum persolveret Deo, monuit. Paruit ille in facie, quamvis dolos versaret in mente. Capitulum ergo ingressus fratrum, naufragium suum illis exposuit, quod B. M. Magdalenæ interventu liberatus sit, confitendo absolvit, votum quod ob gratiarum actionem fecerat, expedivit, et a patre usurpata salaria, vel cibaria, concedente uxore sua, et filio suo Guillelmo, præsentibus innumeris, remisit, concessit, confirmavit. Cumque multa sibi

bella increvissent, assistebat ei in omnibus, et A auxiliabatur abbas Pontius, sperans mitigare se posse feroces animos, et proclives atque præcipites ad usurpandum jus alienum; et cum totis animis flagraret ad impetendam Ecclesiam, reprimebatur tamen nimiis cognati beneficiis, quibus obsequentem verebatur impetere aliquibus præjudiciis. Unde cui pro natura vitium inerat, toto spiritu suo meditabatur, quoquomodo invenire posset occasionem calumniandi Ecclesiam vel abbatem. Viri autem iniquitatis, quorum cor clibanus erat impietatis, dolentes se amisisse maximos quæstus suæ libidinis, quibus fruebantur in comessationibus quæ Comiti frequenter Vizeliaco exhibebantur, pronum ad omne malum circumveniunt animum principis, B et ut detrimentum, quod sua sponte admiserat, renovatione sive commercio alterius litis recompensaret, suggerunt.

Hugo de S. Petro auctor persecutionis in monachos Vizel. actæ. Erat autem Vizeliaco quidam qui dicebatur Hugo de S. Petro advena, genere et moribus ignobilis, quem natura inopem protulerat, sed manus arte docta mechanica locupletem effecerat. Is, ut erat acer ingenio, et in omni versatus nequitia, comitem modo muneribus illiciebat, modo fraudulentis spebus animabat, quatenus extorqueret ab Ecclesia jus justitiæ, seu judicii dirimendi vel examinandi causas hominum Vizeliacensium. Sperabat enim nefandissimus homo toti se principari vico, si per gratiam tyranni jurisjudicii sibi C daretur optio: quare nonnullos pravitate sui similes clandestinis conciliabulis huic malignitatis proposito sibi associabat, ut sub specie libertatis proditionem meditarentur, et obtentu pietatis dolos machinarentur: affluentia siquidem rerum semper apud degeneres animos insolentiam parit. Dumque plus quis censu potest, quam alter natura, regiis etiam naturalibus sese præfert, et oblitus sui mane erigitur, dum occulta conditione superbus incedens privatis gloriatur. Monachus ergo quidam de monasterio Vizel. dum possessiones circuiret Ecclesiæ, contigit eum in quodam nemore, quod erat juris Ecclesiæ, devenire, et cum invenisset, quemdam vetitum nemus præcidentem, securim pro vade voluit ab eo auferre; sed conversus ille D monachum graviter cecidit, et circumventum ab equo cui insidebat, dejecit. Tunc monachus accepta injuria dehonestatus ad propria rediit, et illatam sibi contumeliam clientibus monasterii aperuit. At illi tantam indignitatem non ferentes, nocte veniunt ad domum hominis, et effossis oculis illius, noctem ei intulerunt perpetuæ cæcitatis. Quod factum cum resciret comes, dissimulato gaudio quasi nactæ opportunitatis calumniandi, perditionem minatur hujusce rei factoribus; diuque conceptam in corde nequitiam pedetentim parturiens, renovare disposuit quam pater sopitam reliquerat litem.

Deprædatur comes bona Vizel. monasterii. Superveniente itaque beatissimæ dilectricis Dei Mariæ Magdalenæ festo solemni, cum in hospitio monasterii ex more consedisset, servos suos jussit stare præ foribus, quatenus si forte visitaturus illum abbas advenisset, ab ingressu eum prohiberent. Qui factis jussa complentes advenienti abbati obices janua clauserunt, comitem esse in conclavi deintus responderunt. Repulsus abbas sustinuit et hanc cum patientia contumeliam, et suspectus ingrati hominis nequitiam, utrobique liberum gerebat animum. Existente autem comite apud Cluniacum, ingressus est ad eum abbas, causamque ostentatæ indignationis requisivit ab eo, quo prætendente orbati hominis calumniam: non esse juris illius hominem abbas respondit. At ille filiolum suum hominem esse dixit, hoc est ab utero matris denominatum. Arridens abbas quasi ludo, utrum jus justitiæ ab eo dignaretur accipere requisivit, quo negante, utrum etiam per manum amicorum et domesticorum suorum, et illius in concordiam rediret, identidem rursus requisivit. Idipsum eo renuente, interrogavit iterum abbas, utrumne necessario sibi incumberet, ut se suaque ab eo observaret. Respondente illo sic sibi opus esse, diffidatus abbas ab eo recessit. Misitque comes satellites suos in quamdam possessionem monasterii, et deprædatus est eam abductis animalibus et spoliis multis. Obsecrante proinde abbate, ut ablata sibi concederentur; tunc tandem hactenus absconsum virus comes effudit, et ut abbas in curia ejus de quibuslibet ab eo vocatus juris justitiam exsequeretur, expetiit. Abbas respondit contrarium adversumque omnino esse tam divinis legibus quam Ecclesiæ moribus, necne etiam apostolicis decretalibus quod expostulatur. Et turpe atque indecorum, inquit, mihi est, ut libertas monasterii quæ per multa tempora sub diversis Patribus florens, hactenus etiam impræsentiarum viget, per eam quæ a te mihi est cognationem servituti addicta depereat. Nec tantum affinitati, sed et naturæ inimicatur quod intendis, dum divina jura homo tibi subdere moliris, quæ me cognato et parente tuta illibataque conservare et augere debuisses. Quam vero inhumanum sit beneficiis talem vicissitudinem rependere, coram est inspicere, dum tibi deferenti honorem et munificentiam, sempiternum mihi præstare contendis opprobrium. Verumtamen cum de cætero gratum tibi spondeam obsequium, sed in hac expostulatione scias me nullatenus tibi cessurum.

Conciliare sibi animum comitis omnem impendit industriam, sed frustra. Quo audito tyrannus accensus est nimis, et multa interminando, graviora inferendo, excidio ecclesiæ totus incubuit: adversus quem Romanum per internuntios interpellat abbas suffragium. Interim mediantibus amicis pro pace comiti supplicat; comitis malignitatem sese immeritum perorat, concordiam salvo jure privilegiorum et dignitate Ecclesiæ repræsentat; proinde

multorum magnorumque optimatum, pluribus in A locis colloquia multa, variæque versantur sententiæ. Attamen amicitiæ nusquam procedit pax, quoniam discurrit ubique discordiæ fax. Ut ergo cognovit tyrannus quod legatos suos Romam abbas misisset, protinus missa expeditione per prædia et possessiones monasterii Vizeliacensis, ubicunque in Nivernensi seu Altisiodorensi pago aliquid Ecclesia juris habebat, totum invasit, diripuit, abduxit, spoliavit. Præpositos quoque, et singularum rerum monasterii procuratores, per sacramenta pollicitæ fidei coegit, quatenus in nullo negotio monachis parerent, nec de aliqua ratione abbati vel suis responderent. Satagebat quidem callida versutia prævenire abbatis legatos, si forte aliquod cessionis verbum vel ab invito utcunque posset B extorquere. At ille prudenter usus rebus in periculo constitutis consuluit, de competenti satisfactionem comiti repromisit, amissa recepit, eidem B. Jacobi oraculum adeunti dona et exenia multa largitus est. Sed quæ beneficiorum copia cupiditatis voracitatem opplere queat? nempe animus corruptus nihil aliud novit quam vel recta pervertere, vel de rectis prava conjectare.

Reversus denique comes ab Hispaniis, diem ex mandato abbati statuit, ut in ejus præsentia de quibus foret interpellatus judicium curiæ principalis susciperet. Enim vero cui baculus Petri commissus fuerat, Petri constantiæ et magnanimitatis omnino expers esse non poterat. Igitur eo dissimulante man- C data tyranni statim edicto proposito denuntiavit comes, ne quis mercandi, vel viandi seu religionis obtentu Vizel. ingrederetur, neve ab Vizel. quispiam ad publicas nundinas, sive ad publicum commeatum prodiret. Quisquis porro constitutum temerare præsumeret edictum, prædæ omni occursanti pateret. Taliter vicanis obsessis, cœpere aliqui intrinsecus furtivo murmure susurrare, dicentes auctorem simul et causam malorum omnium esse abbatem, qui et novis et injustis legibus eos premeret, et tyranni furorem, cujus infra terminos claudebantur, adversum se in interitum eorum concitaret. Felices demum se ac beatos fore prædicabant, si rejecto Ecclesiæ jugo sese manciparent comitis arbitrio. Tunc quippe et extremos hostes non for- D midarent, et internos exactores velut exiguas muscas a se abigerent; sed, et si opus esset, cum abbate judicio æquipollenter contenderent, cum plures fortiori innitentes paucorum et imbellium dominatione sese eriperent. Nec latuit comitem talia eos invicem mussitare, Hugone profano impia consilia sibi perferente. Cujus amplexatus dolum quo instruebatur, quoniam si Vizeliaco veniret, et verbum de abbatis desertione quasi tentando usus temperanter ad vicanos haberet, non dubium quin potior et copiosior pars eorum sibi favens protinus manum deditionis ei daret; recompensato fœdere, quo protectionem et auxilium suum eis ubique præstaret, venit Vizeliaco: cumque in hospitio monasterii ex improviso descenderet, clam ad se vicanos convocat, desertionem illis suadet, secum eos agere contre abbatem orat, dicens quod se irato nusquam subsistere haberent, se pacifico nec etiam dominum suum formidarent.

Suadet comes Burgensibus Vizel. ut a dominatione abbatis se substrahant. « Videtis, ait, quoniam cum sim legitimus advocatus et tutor Ecclesiæ hujus, solus abbas impedire communem vestri salutem contendit, dum præripiendo quod juris est alieni, jus justitiæ quidem a me repetit, quod ipse calumniantibus me judice vel advocato exsequi dedignaretur. Et quis tantam ferat arrogantiam, imo iniquitatem, quod sua quis repetens, aliena indiscusse detineat? quam vero causam habere possum in faciem diripientium bona vestra, jure ipsorum tyrannice retento? Denique pluris est, inquit, aliquid posse, quam petere jugiter. Quid autem et quantum, vel quam late nostrum valeat posse, nihil experto evidentius argumento. At monachorum preces et si quando repulsam non merentur, inefficacia sæpius diminuuntur. Quorsum igitur vestra tendant vota, vestra interest. Nam nobis faventes, et posse nostro communicantes, jam cassas monachorum preces, et futile abbatis auxilium non curabitis, tutum habentes ac liberum ingressum et regressum quaquaversus destinaveritis, perpetua potiti securitate tam vestri quam bonorum vestrorum. »

Vizeliacenses fratres comitem ut a cœptis desistat, exorant. Hæc dicens ac prorumpens in singultus, lacrymas fudit impietatis, quas hauriebat de puteo cœnulentæ cupiditatis. Quam malesuadæ suggestionis tentationem præcavens abbas, cœtum convocat fratrum, et ut euntes prostrati solo tenus pariter comitem deprecarentur, quatenus eorum misertus Ecclesiæ parceret, admonuit. Obtemperantes filii monitis paternis, ad pedes tyranni relinquentes mensas pariter corruunt, et ut sibi, imo Ecclesiæ amore Dei, et ejus dilectricis reverentia parceret, suos vel Ecclesiæ homines ne seducendo perverteret, suppliciter efflagitant. Quibus ille colubrino corpore, non columbina mente econtra dejectus respondit, se nihil aliud ab eis requirere præter quod jus proprium repetentes, itidem et ipsi per manum illius jus alienum exsequantur. « Et mire, inquit, stupeo, cuinam æquitati ascribatur tanta insolentia; quod me advocato et judice alios compellatis; ipsi autem aliis quoque compellantibus, me itidem advocato et judice quod justum est exsequi dedignamini; nec vero homines vestros vel seducere, vel revocare a vobis, ut dicitis, studeo; sed quos de more et de jure meo ubique ab omnibus tueor ac defendo, legitimo ac publico judicio curiæ meæ vel purgatos, vel justificatos esse decerno: quisquis enim, ait, quod suum est repetit, alieno æque juri cedere debet. » Fratribus ad hæc respondentibus, juxta consuetum diu morem Patrum suorum, et statuta apostolica se nemini negare quod justum est, tota subito domus confuso clamore repleta est. Iterum

fratres, quia festi B. Mariæ Magdalenæ solemnitas instabat, comitem deprecantur, ut vel aliquot dierum inducias sibi concederet, quo publico concursu festos dies peragerent. Quibus ille nec obsidione a se conclusos, nec captivitati eos esse addictos, quo talia peterent, respondit: « Quia, inquiunt, prohibuisti intentando ne quis ad nos externus accedat, neve nostrum quispiam extra progrediatur commeatus gratia, misera conditione immeritos nos esse obsessos protestamur. » Vix tandem confusus tantorum fratrum precibus, octo dierum concessit inducias; atque illico abscessit infecto proditionis negotio. Fratres autem tametsi non solito cursu, non minori tamen ritu dies festos peragunt. Quibus expletis, accersito Altissiodorensi episcopo ad comitem abbas profectus est. Cui apostolica mandata quibus pro terminanda calumnia Eduensis episcopi pergere jubebatur Italiam, ei innotuit. Orat deinde ut quemadmodum ipso peregrinante jura illius ac si sua, fideliter servarat, et ab incursantibus intacta defensarat; ita et ipse cognati sui monasterium cum appendiciis suis tueretur, et in fide sua susciperet, atque fideliter protegeret, donec a Roma rediret. Spondet præterea se suasurum domino papæ ut Vizeliacensem permittat subire audientiam Nivernensis; quod si forte impetrarit, omnem penitus controversiam sese depositurum promittit. Ut autem istæ induciæ ratæ et inconcussæ persisterent, obtulit ei abbas pecuniam sexaginta librarum monetæ publicæ.

Induciis a comite datis, Romam abbas proficiscitur, ubi de Eduensi episcopo triumphat. Forti sit animo adversus comitem monet pontifex. Itaque tyrannus precibus flexus, sponsionibus illectus, muneribus actus, postulatas concessit inducias; et de cætero sese fidelem fore amicum pollicetur, si promissum effectus prosequatur. Et quia duplici animo nil facilius ad mentiendum, multa promisit quæ pauca servavit. Tamen, quia charitas omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, fidei ipsius generosa simplicitas abbatis se credidit. Profectus denique Romam, atque universalem curiam ingressus, adeo de calumnia Eduensis episcopi coram summo pontifice triumphavit, ut nec etiam pilus capitis ejus quoquam fluctuaret dejectus, et Eduensem sic dejectum redderet, ut audientiam jurisjudicii subterfugiens, dilationem confusus deposceret. Post hæc abbas ingressus ad apostolicum, calumniam qua eum et monasterium Vizeliaci, quod hactenus B. Petri proprium jus, et Romanæ Ecclesiæ liberrimum fuisset, Nivernensis comes vexabat, exposuit. Et quoniam is nec potentum precibus flectitur, nec amicorum suggestionibus inclinatur, nec obsequiis delinitur, nec muneribus revocatur, nec ecclesiastica censura coercetur: « Decernat, inquit, apostolica prudentia quid facto opus sit, utrum videlicet proterviæ tyrannicæ apostolica cedere debeat libertas, necne. Forsitan etenim exsaturata rabies inimici cupida, pacem ac perpetuæ tutelæ præstabit

A Ecclesiæ munimentum. » Ad hæc apostolicus: « Nequaquam, ait, imo si Vizeliacensis sacerdos forensi vel plebeio subjacuerit examini, non solum quiete privabitur Monasterium, sed etiam omnis ecclesiasticus ordo extremæ confusionis nodo implicabitur. » Monitum ergo corripiemus, et suadebimus ut jam semel fecimus, quatenus ab hac desistat insolentia; denuntiantes ut si quid juris in monasterio tuo sibi competere autumat, sub datis a nobis judicibus sua recipiat, aliena linquat. Qui si forte nostram pietatem contempserit; ecce camus, ecce frenum, ecce Petri gladius, quo auricula contumaciæ præcidatur. Tuam denique solertiam auctoritate apostolica præmunitam esse volumus, ne de rebus monasterii, scilicet de jure B. Petri, cuiquam in aliquo cedas, neve ingenitam atque apostolica gratia cumulatam Ecclesiæ libertatem qualibet pusillanimitate prodas. Quamvis enim longe remotum non minori gratia te pro jure apostolico vigilantem habebimus, sollicitudine et auctoritate qua decet filium.

Apostolica scripta spernit comes, instigatque in monachos Burgundiæ primates. Talibus abbas instructus monitis, vale dicto curiæ ad monasterium ovans revertitur. Cumque apostolica monita comiti dedisset, sprevit, respuit, abjecit, nil se illi debere a quo æque nil possideret, respondit. Requirebat deinde si juxta promissum audientiam et exsecutionem jurisjudicii curiæ suæ ab apostolico impetrasset. « Salvavi, ait abbas, verbum oris mei, sed prohibitus sum voto parere. » At ille stomachatus, et felle permistus, rursus Vizeliacensem commeatum jus prodeundi et ingrediendi habere prohibuit; et veritus per seipsum monachis bellum inferre, satrapas instigat provinciæ, videlicet Gibbadum de S. Verano, Iterium de Brivate, Gofridum de Arseio, et eorum complices, quatenus Vizeliaci homines quaquaversus occurrerint, invadant, res illorum occupatas usurpent, monasterio non parcant, possessiones diripiant, calumniam abbati struant, suamque inopiam ecclesiastico penu suppleant. Isti itaque ac si canes effusi prædia monasterii invaserunt, monachos ceciderunt, vestibus eorum ablatis turpiter abusi sunt, omnemque suppellectilem diripientes, tam servos quam jumenta vel pecora ecclesiæ deprædati sunt. Nulla religio ab eis reverebatur, sed passim clerici cædebantur, sacerdotes inhoneste trahebantur, viantes spoliis nudabantur, peregrini captivabantur, nobiles matronæ prostituebantur. Quocirca mira consideranda est Vizeliacensis Ecclesiæ patientia, mirabilior prudentis Pontii abbatis strenuitas atque magnanimitas. Hinc siquidem Nivernensis comes, illinc Eduensis episcopus, hinc tyranni, illinc duces terræ uno impetu, uno spiritu, uno interventu, quasi feræ bestiæ hinc inde discurrebant, abbatem lacessebant, Ecclesiam vexabant, atque adeo jura illius lacerabant, quod totum cederet occupanti quidquid hostili occurreret manui. Verum generositas mentis ingenuitate nobilitatis adornata, tanto æquius indigna

sustinebat, quanto nequius mala sibi irrogari pependebat.

Exhibet abbatis regi privilegia Vizel. ejusque implorat tutelam. Considerans itaque abbas, quod undique mala multiplicarentur, venit ad regem auxilium petens ab eo adversus comitem. Qui vocatus a rege sic respondit : « Advocationem suæ tuitionem monasterii Vizel. cum contingentibus sibi usibus, pii patris vestri ac vestræ concessione serenitatis et gratia hactenus a patribus et proavis meis jure matrimonii absque ullius reclamationis contradictione usque impræsentiarum teneo ac possideo. Qua vero ratione jus tanto tempore a patribus meis hæreditatum mihi calumnietur, prorsus ignoro. » Respondens abbas dixit : « Ecclesia Vezeliacensis ab inclyto Gerardo comite nobiliter fundata, nobilius ab eodem attitulata BB. Petri et Pauli apostolorum nomini ascripta, juri assignata, regimini credita, protectioni commissa ; ipso etiam pio comite Gerardo interveniente, Francorum excellentissimorum regum tali meruit donari privilegii prærogativa, ut omnibus remissis quæcunque jus regium ab antiquitus ibidem obtinebat, nulli potestati seu personæ cuicunque pateret facultas cujuslibet juris aut consuetudinis, pro qualibet pietatis munerisve specie seu occasione exigendi, sed ab omni servitutis conditione libera, exhibitionisque exactione persisteret. Quod ita esse pii proavi vestri Ludovici privilegium, quod præsto habemus, si vestra dignetur audire serenitas, comprobavit. » Perlecto privilegio quærebat rex ab abbate, utrum sese committens regio examini, sententiam super hac calumnia promulgatam prosequeretur. Perpendens itaque abbas infensam sibi curiam partibus favere adversis, timuit sese committere dubio judicio, ne præjudicium pateretur Ecclesia, quæ solo judice Petro, adhuc paululum respirabat. Celsitudinem denique regiam exoravit, ut tyrannum ab infestatione Vizeliacensis monasterii desistere juberet, et jusjudicii per manum apostolicæ sedis legati, vel eorum quibus a domino papa commissum fuerat, susciperet. Quæ cuncta comite cum subsannatione renuente, valefaciens abbas regi ad monasterium suum reversus est. Et cum audisset quod Joannes Romanæ Ecclesiæ presbyter cardinalis, cui apostolicus causam controversiæ Vizeliacensis et Nivernensis commiserat, expleta legatione ab Anglia rediret, misit in occursum illius, rogans ut quantocius veniret, quoniam Vizeliacensis Ecclesia omni auxilio destituta, jam prope solitudinem minabatur. Qui accepto nuntio accelerat pedem, et utrique mandat, scilicet abbati et comiti, ut sibi occurrant Altissiodoro. Audiens autem ille Joannes, quod Jordanus cardinalis datus esset Gallicanis legatus, scribit ei ut festinato Vizeliacum veniat, et festum instans B. Mariæ Magdalenæ pariter ibidem concelebrent. Et cum Altissiodoro uterque præsente abbate et comite adsisteret, hortabatur clementer comitem et affabiliter legatus, ut sopita calumnia pacem

A faceret cum abbate, ne vicarium Christi persequendo et Petri, Deo inimicari convinceretur, ac per hoc persecutoris Ecclesiæ Sauli similis existeret. Quin etiam si nostri, ait, contemptor exstiteris, nec etiam Sauli imitator dignus inveniaris, quoniam ipse ut corripientem expertus est, protinus magistrum secutus est. Sed cum comes pia monita contemnendo dissimularet, quia rursus a Vizeliaco publicum commeatum vel accessum prohibuerat, petivit ab eo cardinalis inducias, quatenus B. Mariæ Magdalenæ solemnia festivo cultu atque publico concursu more debito celebrarentur, quibus vix ad octavas usque impetratis, Vizeliacum venerunt cardinalis Joannes et abbas Pontius, veniensque Jordanus cardinalis Galliarum legatus, pariter cum
B eis dies sanctos peregit.

Comes avertere conatur subditos Vizel. a subjectione. Interea comes regressus a rege, descendit et consedit in loco campestri, ubi rex peregrinaturus crucis Christi trophæum sustulerat, atque adunata potiori parte hominum Vizeliacensium, et profusis impuris lacrymis ab oculis cupiditatis simulata compassione exactis, sic profatur ad eos : « O viri illustrissimi multaque prudentia famosissimi, ac fortitudine strenuissimi, sed et propria virtute acquisitis opibus locupletissimi, doleo satis admodum miserrimam conditionem status vestri, quoniam multarum rerum possessores quidem specie, revera autem nullarum domini effecti estis, quin
C nec ipsa vestra ingenita libertate utcunque fruimini. Videns denique optima prædia, vineta pulcherrima, copiosa flumina, pascua uberrima, fertiles agros, nemora condensa, pomifera virgulta, ædes conspicuas, quæ ipso situ suo in circuitu vestro sunt omnia, nec tamen fruendi eis vobis conceditur ulla facultas : hæc, inquam, prospiciens, non mediocri affectu vobis compatior. Hærens autem valde stupeo ubi sit, vel ad quantam ignaviam devenerit olim opinatissima virtus vestra, qua prudentissimum et satis liberalissimum abbatem Artaldum, ob duas tantum domorum stationes interfecistis ; hunc vero alienigenam Arvernensem ipsa sui præsentia trucem, absentia crudelem, sermone arrogantem, moribus plebeium, nec solum vestrorum bonorum,
D sed etiam ipsius vitæ vestræ exactorem tanta sustinetis ineptia, ut jam recte brutis animalibus comparemini. Denique ad incrementum et consummationem interitus vestri, præripere et auferre mihi molitur dominus vester abbas jus legitimæ advocationis, qua vos tueri, et pro vobis respondere habeo, ut destitutis vobis liberius queat exactorias consuetudines imponere. Eapropter, charissimi, suadeo prudentiæ et magnanimitati vestræ, quatenus instanti necessitati feratis consultum, et declinetis ab homine illo qui tanta debacchatur in vobis tyrannide, scientes quod vobis me propitio nulla contingat defectio, sicuti e diverso quandiu fidem præstabitis adversario, nulla vobis erit salutatio. At vero si mutuam confœderationem ad invicem ju-

rantes, ac me quoque fidelitatem servare volueritis, ubique meo fruemini præsidio, atque ab omni prava exactione malarum consuetudinum liberos vos facere studebo, necne ab ingruenti malorum incursione defensabo. »

Detrectant Vizel. assensum comiti præbere. His dictis et multa verborum interruptione dolorem dolo simulans siluit. Viri autem illi respondentes, dixerunt: « Nos fidelitatem domino nostro jurejurando juravimus, et quamvis inique nobis abutatur, fidem tamen prodere perperam judicamus, et quidem consilio inito certiores effecti, ad præfixum diem proximo in loco sub tua præsentia convenientes tibi ad hæc respondebimus. » Et venientes retulerunt Abbati verba comitis, perquirentes quid super hæc ferret consilii. Quibus ille: « Minime, » inquit, « fideles mei, vestram latet prudentiam, quod ea sola de causa mihi inimicatur, ut dolo vos circumveniens plenius servituti suæ addictos subjiciat, erepto quod plenum est libertate dominio. Ego autem hactenus pro vestra libertate certando desudans, si tantæ ingratitudinis tam impiam vicissitudinem rependere mihi volueritis, ut mei et matricis Ecclesiæ vestræ proditores fieri non vereamini, solus, licet gemens, licet confusus sustinebo, et Ecclesiæ detrimentum et interitum vestrum, scilicet vobis et filiis vestris perpetuo pœnam proditionis luentibus. Quod si sanis acquiescentes consiliis prudenter pro vobismetipsis steteritis, atque juratam fidelitatem ad me et ad Ecclesiam quæ suo lacte vos enutrivit et educavit indubitanter servaveritis, et mecum contra omnes insectantes pro libertate et salute, necne pro gloria et honestate vestra constanter egeritis, libentissime pro vobis impendar, nihil hæsitans quod prospera secundis succedent casibus, et post multas tribulationum calamitatumque procellas, pacis quandoque donabimur serenitate. » At illi dixerunt: « Ita esse ut astruis omnino credimus et speramus. Sed enim renuntiare liti, cedere adversario, inire pacem cum eo, consultius nobis esse videtur. Sin autem et aliter est in conspectu tuo, tui pro certo sumus erimusque. Nec dubites quin tibi ut fideles tui ubique in omnibus sinceriter assistamus. » Respondit eis abbas: « Lis equidem nulla mihi est penitus, sed sola litem inferenti responsio vel defensio. Porro adversario cedere dementissimæ est in præsenti causa ignaviæ, ac perpetuæ confusionis chirographum. Pacem denique tam prece quam pretio vel obsequio sæpe quæsivi, sæpius obtuli, sæpissime exegi, sed a filio discordiæ non potui pacem impetrare. Si ergo, ut dixistis, pro communi salute steteritis, ego quoque operam meam pro salute vestra ac libertate spondeo, simulque vobiscum omne infortunium cæcamque fortunam virtute ac justitia fretus subibo. »

Conspiratio juvenum contra abbatem. Hæc dicens dimisit eos. Et ecce affluxerunt viri nequam, effundentes diu reconditum virus in latebris sævæ conscientiæ; aggregataque sibi maxima sceleratorum juvenum multitudine, pacti sunt sibi mutuo fœdus sceleratæ conspirationis adversus æquissimi moderaminis et ingenitæ pietatis dominum suum, hactenus simulatam fidem prodentes, et a matre sua Ecclesia sese præcidentes, et convenientes ad præfixum diem et locum, confœderati sunt tyranno, legitimo domino suo abjurato, paciscentes ad invicem per manum tyranni exsecratam communiam, et conspirantes contra caput suum, ut jugum libertatis Ecclesiæ a cervicibus suis rejicerent, et comiti adhærerent: quique juravit illis consilio et auxilio nunquam vel nusquam adversus quemquam, vel negotio in quoquam se defuturum. Constituitque illis principes vel judices, quos et consules appellari censuerunt. Quod factum non latuit, prædictum dominum abbatem, sed nec cardinales, quos ad festum adscitos esse dictum est.

Cardinales deterrere illos conantur a cœptis. Ingressi denique majores natu, quique capita populi esse videbantur ad cardinales, freti auctoritate perfidiæ suæ postulabant remitti sibi quasdam consuetudines, quas novitatis et tyrannidis esse dicebant. Quibus cardinales responderunt: « Quoniam et vobis æque ut filiis Romanæ Ecclesiæ sollicitudinis nostræ curam debemus, prono affectu suadebimus abbati, quod et paci et utilitati vestræ, atque honestati et integritati convenire videbitur. Scimus autem eum tantæ mansuetudinis esse, quod irretractabiliter nostris obaudiens monitis, clementer indulgebit quidquid ratio æquitatis dictaverit. Attamen nunc in periculo mortis pro communi libertate et sospitate vestra constituto, fidem necesse est ei deferatis auxilii per omnia, et collaboretis illi pro vobis ipsis, quoniam res constat in periculo omnium vestrum. Si quid autem, quod minime credimus, conspirationis ab aliquibus vestrum in dominum vestrum abbatem admissum, hoc primitus abjuretur, purgetur, emendetur: et sic postmodum quidquid natum fuerit justæ querimoniæ, salvo jure Ecclesiæ sedabitur. » Abbas quoque locutus est ad eos: « Videtis, inquit, quam graviter opprimor et insector a comite, cui et manum dedistis in perniciem vestram adversum me mutuo conspirantes. Iniquum ergo est quod improba fortitudine confœderati remissionem expetere potius quam deposcere videmini, quam non tam remissam, quam extortam vel exactam vobis habeatis. Verum si funditus relinquatis quod male pacti estis, non tantum remissionem, sed et condonationem, uti nostram mansuetudinem decet, merebimini. » At illi conclamantes, non ita se facturos dixerunt, sed potius rebellionem Ecclesiæ illaturos sese dixerunt.

Cardinales discussa perperam controversia, et a comite repulsam passi abeunt. Porro cardinales exorabant comitem ut sopita discordia iracundiam animi sui remitteret. Ille autem dissimulabat eos audire. Cumque diu orantes persisterent, juravit

se nullam penitus admissurum concordiam, donec omnia quæ juris sui esse dicebat, reciperet. Tunc demum abbas conquestus est in præsentia cardinalium de malefactoribus suis, Gaufredo videlicet de Arseio, et aliis quos ad destructionem Ecclesiæ comes impellebat. Quo respondente homines illos nec de familia, nec de militia sua esse, atque ideo ex proprio voto, et non ex suo impulsu calumniam eos abbati inferre, decreverunt Romanæ Ecclesiæ cardinales vastatores Ecclesiæ gladio anathematis ferire. Restitit eis comes, dicens homines suos esse, quos ad justitiam exsequendam paratos haberet, si sibi et ipsis abbas ad interpellata responderet. Et constituta die ad discernenda ea quæ comes in calumniam deducebat, apud Jabliacum nono die a Vizeliaco cardinales egressi sunt cum magno tremore, medium abbatem deducentes ob infidelium conspirationem, qui mortem illius devoverant. Et cum Jabliaco venissent, jusserunt cardinales ut causam suam comes ediceret. Quam cum referret, exigebat ab abbate ut tam de se quam de hominibus Vizeliaci staret ad justitiam ab ipso vocatus in causam. Cardinalibus et cæteris prudentibus viris qui aderant non est visum quod talia ab abbate exigi deberent; oblata est comiti justitia secundum tenorem apostolici præcepti. Ille autem justitiam ut injustus, et judicium ut iniquus recusavit. Lectæ sunt litteræ apostolicæ in præsentia ejus, quibus sententia excommunicationis in eum ni resipisceret, promulgabatur. Quibus auditis indignatus est, et cardinalibus conductum per terram suam diu negavit. Vix tandem obtinuerunt illustres personæ quæ aderant, ut eis conductum permitteret. At vero abbati non nisi usque Vizeliacum dextras fiduciæ dare voluit. Cujus non fuit consilii eo pergere; quoniam perfidi homines sui adversus eum conspiraverant. Quem assumens episcopus Nivernensis, præcepto cardinalium ex parte apostolica ab ecclesia Jabliaci eum deduxit, et ad portum usque Sancti Majoli perduxit. Quo permeato, ad Montetum abbas divertit, et fuit ibi per dies aliquot.

Vizel. burgenses adhærent comiti. Proditores autem viri Vizel. sacrilegium perjurio addentes, comiti adhæserunt, et obliti factoris sui qui mendicos et egenos eos locupletaverat, et bonis omnibus repleverat inopes et vagos, obliti, inquam, Dei, et avertentes se ab eo, coluerunt deos quos ignoraverunt, colla submittentes comiti, et cæteris tyrannis provinciæ, sese suaque illis dedentes, et fornicantes in superbia oculorum suorum, quantum in ipsis fuit commaculaverunt semen sanctum, adulterantes castitatem incorruptæ Ecclesiæ. Ipse quoque tyrannus præter omnia mala quæ monasterio intulerat, auferendo quæcunque extra oppidum reperta sunt, atque alia multa immunitatis et sævitiæ plena inferendo: addidit insuper et hæc, scilicet ut desertores Dei et Ecclesiæ contra omnem justitiam, contraque privilegia apostolica susciperet, et ipse ad hoc eos variis promissionibus ac blanditiis impelleret, ipse minis et terroribus irritaret: promittendo insuper nunquam sine ipsis pacem se facturum cum abbate, nunquam ad concordiam abbatis consensurum.

Oppidani Vizel. omnia quæ monasterii erant diripiunt, monachos divexant, evertunt ædificia. Hujus itaque freti auxilio, et conspirati consilio, egressi sunt mures de cavernis suis prorumpentes, torrentes Belial, et insurrexerunt in Ecclesiam matrem suam, et quasi abyssus circumvallaverunt eam, et tanquam pelagus cooperuerunt caput ejus oppidani, vel qui dicuntur burgenses, utique sui ipsius quondam specie tenus filii, nunc facti alieni, et tanto graviores quanto interiores. Et cognito quod clam ab eis declinaverit abbas, mox sacrosancto violato templo, occupaverunt turres ejus, ponentes in eis custodes, et escas et arma, atque gravioribus pejora cumulantes, servos Dei monachos et dominos suos turpiter injuriaverunt, et bonis omnibus privatos, atque omni humano destitutos auxilio, infra muros monasterii recludentes abdiderunt, ut absque externo conducto quoquam progredi nemini liceret. Præterea invaserunt colonias, etiam monasterii jura sive debitos redditus usurpaverunt, domos plurimas ecclesiæ diruerunt, prædia, molendinos, omnemque suppellectilem diripuerunt, mobilibus et immobilibus furia invecti non pepercerunt, mœnia vel clausuras monasterii solo tenus confregerunt, et erant per dies et noctes consilia in conciliabulis malignantes, dolos et fraudes atque insidias concinnantes; unanimiter conspirantes, et malis graviora, gravioribus pejora quotidie interminantes.

Interea vigilantissimus abbas Pontius profectus est Cluniacum, ubi cardinales et legati apostolicæ sedis cum multis religiosis et honestis personis convenerant. Cumque nota fecisset illis quanta mala profani Vizeliacenses monasterio suo intulissent, exorabat eos ut peterent a Cluniacense, fratre videlicet suo, quatenus unam sibi impertiret cellulam, quo tuto diverteret, et pacem suam investigaret. Qui compatientes afflictioni ejus, Cluniacensem deprecati sunt ut misericordiam et compassionem præstaret uterino fratri suo in maxima angustia posito, ejusque exsilium relevando, Silviniacense monasterium ad tempus usque sopitæ tribulationis clementer illi concederet. Annuens ille petitioni eorum ita se pollicitus est facturum in brevi, explorato loco congruo. Post hæc abbas Pontius suggessit germano et majoribus Cluniacensium ut facerent, quatenus cardinales sententiam anathematis promulgarent super sacrilegos ac perfidos proditores suos Vizeliaci et eorum fautores. Illis hoc ipsum detrectantibus et dissimulantibus, visum est cardinalibus ita ut abbas implorabat expedire.

Fertur in eos sententia excommunicationis et interdicti. Data ergo sententia, malefactores illos atque sacrorum violatores, suique proditores, a corpore Christi, quod est Ecclesia catholica, anathematis gladio præciderunt, et deprecatus est eos abbas

ut causam suam sicuti viderant oculis suis, et manibus suis palpaverant, domino papæ ex integro panderent, traditoque in manum eorum nuntio suo, qui sententiam universalis pontificis super comitem referret, rediit ad Montetum habens libellum excommunicationis proditorum Vizeliacensium. Quem posteaquam Vizeliaco misit, et sententiam Romanorum promulgari jussit, convenientes sacerdotes pariter quadam in capella S. Petri superiori coram omni populo exposuerunt sententiam, et illos qui designati erant ex nomine publice anathematizaverunt : cæteros cum omni villa penitus a divinis officiis et ecclesiasticis charismatibus interdixerunt, solo baptismate parvulorum, et confessione morientium indulto. Indignati ergo sacrilegi aliqui, in eum sacerdotem qui sententiam protulerat impetum fecerunt. Quorum primus fuit Odo de Palude, qui rejecto pallio quærebat lapides ut jaceret in eum; deinde David Longabarba, et Robertus filius ejus, qui solvens pallium suum extraxit patinos suos ut sacerdotem percuteret, et nisi quidam intervenissent, in mille frusta concideretur, qui fugiens ad altare vix evasit manus impiorum. Sequenti denique die, cum sublatis valvis aditum ecclesiæ ipsius spinis obstruxisset, incentores omnis malitiæ Hugo et Petrus uterque de S. Petro cognominatus, abstulerunt spinas, et valvas restituerunt. De ecclesia vero S. Stephani injuriato clerico, qui sacrilegio eorum resistebat, calicem, librum, vestimenta sacerdotalia tulerunt : postea cum magno strepitu furoris claustra monasterii ingressi, priorem Hildinum assistentibus quibusdam fratribus injuriose conviciis lacessebant, causantes de excommunicatione, atque cum multa arrogantia postulabant inducias ; qui cum nollet eis acquiescere, unanimiter responderunt : « quia, inquiunt, nos excommunicatis immeritos, faciemus ut excommunicati videamur. Decimas itaque et censum, seu alios reditus consuetos, jam amplius vobis non persolvemus. » Adeuntesque comitem, de sententia conquesti sunt. Quibus ille : « Non possum, inquit, aliud : ita etiam de me facient, si voluerint. » Dixeruntque : « Ubi molemus, vel coquemus panes nostros ? Monachi enim nolunt molere nobiscum. » Ait illis : « Ite, et de lignis vestris clibanum succendite, et coquite. Si quis obstiterit, vivum incendite : sed et si molinarius obstat, vivum similiter mola comminuite. »

Nihil ducentes sententiam excommunic. contumeliis monachos afficiunt. His et hujusmodi animati responsis, ad mala exageranda reversi sunt ; ita factum est, ut quidquid vellent damni, injuriæ, adversitatis monasterio inferrent, pueros ecclesiæ de domibus suis expellerent, verberibus afficerent, et cum magna jactantia se adeo afflicturos monachos devoverent, quod absolutionem ad ipsorum pedes requirerent. A potestate igitur abbatis vel Ecclesiæ sese penitus abdicantes, sententiam super eos datam tanquam pro nihilo habebant, et minime ab ingressu ecclesiæ sanctæ sese cohibebant, cumulantes peccata sua, nec Deum timentes, nec sanctuaria illius reverentes. De his omnibus et hujusmodi pluribus conquestus est prior in præsentia comitis. Ille prava et perversa promittens, eos bene fecisse respondit, et exaggerando prolocutus sic dicebat : « Utinam monachi omnes discederent, et monasterium funditus esset dirutum ! Quare excommunicavit eos ? » et abstracto pilo vestis qua operiebatur, addidit : « Si mons Vizeliaci totus in abyssum usque foret præcipitatus, pilum istum non darem. Vobis commendo thesaurum ecclesiæ simul et oblationes custodire ; ne ille quidquam habeat vel suscipiat, fortiter observate : cujus gratia volo ut burgenses omnia dissipent, omnia diruant, maxime illos qui de ipsius confœderatione sunt. » Accidit autem ut quemdam sub anathemate defunctum, ipsi absque sacerdote signa pulsantes sepelirent, et ipsum sacerdotem de domo sua ejicerent.

Cum igitur apud Montetum abbas moraretur, et dictum fuisset Cluniacensi, quoniam Vizeliacensis Romam mittens, monasterium Silviniacense requisiturus foret a summo pontifice, indigne tulit, et promissionem suam differendo dissimulavit. Reputans autem ne forte anathema super comitem, et super terram illius ab apostolico promulgaretur, et ob hoc monasteria Cluniacensis curæ quæ plura infra terminos ipsius erant, periclitarentur, hujusmodi per suos necessarios eidem comiti mandat monita : « Quotquot Christianitatis nomen sortimur, apostolicam censuram subterfugere omnino non possumus. Bene ergo feceris, si bonæ spei fide te committens, pacem cum Vizeliaci abbate per manum nostram feceris. Nostrum autem erit ita rebus utrobique consulere, ut tibi quoque profectus pacis illius accedat. » Talibus acceptis mandatis, acquievit comes, et quasi senipetam Bernardum priorem S. Stephani misit ad abbatem Vizeliacensem, cujus mortem sitiebat pigmentis omnibus præstantiorem. Is ergo veniens, constantiam atque magnanimitatem in eo vigere prædicabat; sed si pertinacia virtute pallietur, non minimam perhibebat monasterii sui ferre jacturam. Hortatur proinde sic magnanimum esse in adversis, ut honestati provideat in prosperis, et belli quidem incertam esse fortunam, pace autem, quamvis judicetur extrema, nihil fore dicebat securius, nihil quietius, nil certius, quam sibi oblatam per manum Cluniacensis si dignetur suscipere, testatur comitem eidem pacto favere. Nec videri debet suspectus eodem de sanguine cretus,

Cum sit affinis repugnans identitas hostis,
Immemor ipsa sui se judice victa manebit.

Conveniunt apud Luzeium ubi tractant de pace. Credidit abbas suadenti, nec sperat posse subripi præjudicium, ubi cum justitia causa tota sibi constabat. Conveniunt ergo pariter Cluniacensis et Vizeliacensis atque Nivernensis apud Luzeium oppidum Augustodunense. Cui colloquio interfuerunt Stephanus abbas S. Michaelis de Clusa et..... abbas

de Moisiaco, sed et aliæ graves Cluniaci personæ; quo pariter consistentes, post plura quæ comes injuste requirebat indebita, hi qui loco advocatorum convenerant, sub specie pietatis adversæ potius quam justæ parti faventes, composuerunt quamdam formam pacis suspectam libertati, obnoxiam servituti, deditam instabilitati. Suggerunt deinde abbati Pontio suscipere quod fraternus amor et socialis dispensatio de pace sua providit, tempus redimens atque instanti necessitati indulgens, sufficere sibi debere quod diminutum alter optato capiat: quibus ille prudenter et reverentiam Numinis et injuriam honestatis sæpius prætendebat, et ne impietas pietatis ministris frueretur, iterato supplicabat. Denique comes protestatus est quod si tantorum amicorum compositioni acquiescat, communiam vel sacrilegam confœderationem hominum suorum ipse dissipabit, et penitus abolebit, eumque in monasterio suo salvum et incolumem, servato ei jure dominii integerrimo, constituet. Sed cum multa hinc et inde alternarentur, et abbate in causa sua persistente confusioni cederet effectus, tandem inito consilio Nivernis finem colloquii exitumque pacis statuunt. Misit itaque tyrannus majoribus conspiratæ proditionis, et futuræ concordiæ jussit eos interesse. Abbas quoque mandavit priori et quibusdam aliis de fratribus monasterii sui, ut sibi occurrerent, consulto primum generaliter universo cœtu, utrum pacis compositionem inter se et comitem per jam præscriptam manum ratam esse decernerent. Qui pari et unanimi sententia rescripserunt domino suo et patri vigilantissimo, ratum et firmum atque inconvulsum in sententia fratrum permanere, quidquid paterna providentia decreverit vel constituerit, salvo jure privilegiorum suorum et libertatis Ecclesiæ.

Id etiam agitant Cluniacenses. Ut autem factus est Nivernis conventus, mittebat comes exenia quædam abbati Pontio, et varia pocula ob simulandæ pacis ostentationem; quod videntes sacrilegi proditores confusi sunt, et se desertos esse a tyranno suo formidarunt. Ingressus deinde comes ad Cluniacensem, monebatur copiosius ab eo de reformanda cum cognato amicitia. At ille multipliciter contestans jurabat se neminem charius eo diligere; quin nec ab eo quidquam expeteret, quod non et utilitati et honestati illius accederet, et hæc genu tenus dicens, complicatis etiam manibus inter manus Cluniacensis, luculentas lacrymas emungebat, quibus copiose fraudulentus affluebat. Cumque Cluniacenses clam tractarent aliquid de compositione pacis, collegas abbatis a consessu suo omnes arcebant: unde et Vizeliacenses suspecti redditi sunt; et præcaventes ne sub specie pacis præjudicium paterentur ignominiosæ conditionis, ingressi sunt aliqui ex eis in conspectu Cluniacensis, et ne aliquid contra jura dignitatis et privilegiorum mona- A sterii sui pacis conditione molirentur, ex Dei et apostolica auctoritate, atque ex parte capituli Vizeliac. denuntiaverunt et contradixerunt. Ob quam causam iratus Cluniacensis profectionem parari præcepit, accitoque fratre objurgabat eum dicens: « Quid est quod agis? quid tam impudenter me exhonoras? nunquid puer aut delirus tibi videor? ego pro tua pace et quiete usquequaque laboro, ego tuis profectibus ac successibus incunctanter invigilo; tu autem versa vice quod ædifico, destruis; quod exstruo, dissipas; quod colligo, dispergis; et quod palam pacis tuæ gratia vocifero, clam me calumniando contradicis; quia ergo inutilis tibi videtur labor noster, solus ipse onus proprium ferto. » Miratus ad hæc Vizeliacensis interrogabat B quisnam talia præsumpsisset: dicunt ei Cluniacenses: Guillelmus qui dicitur de (1). . . . . .

Regina mater regis, soror uxoris Archimbaldi de Burgobono. . . . . .

Sed et filia ejusdem...... quæ postmodum nupta est comiti de S. Ægidio. . . . .

Macharius autem Floriacensis cœnobii abbas vegetis, dolia. . . . .

. . . .

. . . . Monasterio meo cum in treuga et pace reverentiæ tuæ jura disponerem ecclesiæ, accidit suscipere me litem cum quodam servo ecclesiæ pro causa possessionis ipsius ecclesiæ, quam duelli certamine adjudicavi fore determinandam. C Protinus itaque ut tempus certaminis advenit, versi in seditionem homines isti qui præsto sunt, me cum fratribus et pueris meis oppetierunt, fugatisque nobis et improvisis et insperatis, claustra monasterii violavarunt, ornamenta dissipaverunt, utensilia diversi generis diripuerunt, vegetes ruperunt, vina fuderunt, rapinam bonorum omnium fecerunt, sanctuaria conculcantes contaminaverunt, cædem in monachos et famulos nostros exercuerunt, et me ad mortem petierunt, quem utique si invenirent, in mille frusta conciderent; deinde ineruditos nos ad præliandum obsederunt, domos fregerunt, molendina everterunt, et quidquid nostrorum præ manibus habuere, totum occupaverunt, et in contumeliam regiæ majestatis satiati sunt pœnis nostris. D Tandem nactus opportunitatem, iterum apostolico jubente, ut in præsentiarum est cernere, ad te singulare præsidium meum confugi; proinde astans æqualitatis tuæ judicio, sanguinem meum et meorum, mortemque meam de manu istorum requiro, et detrimenta domus meæ ab ipsis repeto, salvo per omnia vestro jure atque apostolico, cujus injuriam prorsus remittere nec possum nec debeo. » Ilis dictis conticuit.

Surgens autem tyrannus, comes scilicet Nivernensis, causam perfidorum prosecutus, ait: « Cum constet Vizeliaci oppidum multorum millium promiscui vulgus esse refertum, nec sint homines

(1) *Dicitur de.* Desunt hic 28 folia infeliciter excisa in ms. codice.

unius moris vel quantitatis, utpote ex multis hinc inde partibus ex majori numero adventitii, ac diversa studia ferentes, et studio potius quam lege morem gerentes, non est jure imputandum electis indigenis, et in omni lege et honestate probatis, quidquid erroneum vulgus per excessum deliquisse comprobatur. Alioquin jus justitiæ non est justitia, si pari crimine justus et impius obligantur. Cæterum cum ubique numerosior, ac proinde fortior quodammodo sit plebs quam senatus, quid requiritur a paucissimis et honestis ac solius rei familiaris curam gerentibus, quo principis auctoritas plebeios nequit comprimere motus? Quapropter si regio placet moderamini, denominentur ab abbate auctores sceleris, ut innoxiis absolutis justitiæ censura in reos decernatur. » Ad hæc tyranno responsum est : « Quoniam naturali et legitimo jure proprium est civibus custodire et defendere, atque immunem servare ab omni periculo dominum ac principem suum, mortem necne spontaneam pro salute illius non abhorrere, jam non noxii, sed proditores et desertores domini sui dicendi sunt, et adjudicandi qui eo in necessitatis articulo constituto, tam solatio quam auxilio suo eum defraudaverunt. Atque ideo a capite ipsorum exigendum est quidquid nequiter, ipsis instigantibus, juvantibus et opem ferentibus, plebeia manus commisit. » Tunc omnes pariter qui cum abbate ab Vizeliaco non exierunt, vel fratribus in monasterio obsessis non se adjunxerunt, vel auxilium non tulerunt, adjudicati sunt rei proditionis, infidelitatis, sacrilegii, perjurii atque homicidii.

Quo facto, prolatum est primum capitulum de sententia regis, ut abbas testificando probaret detrimenta sua vel Ecclesiæ, et quidquid legitime probatum fuisset, condemnati crimine capitali totum restituerunt. Cui capitulo hæc abbas objecit. Cum palam constet homines istos ob immanitatem pertinaciæ suæ a tribus apostolicis excommunicatos et anathematizatos esse, perperam mihi videtur dominum servis, fidem perfidis, sacramentum perjuris, testificationem profanis, legem facere sacrilegis. Respondit ei Lingonensis (is quippe semper et ubique Vizeliacensi causæ adversabatur, et cum Humberto de Talahi archidiacono Nivernensi mediante comite causam proditorum burgensium in advocatione sua susceperat) : « Etiamsi, inquit, tantummodo sententia sit promulgata, non habemus homines pro lege excommunicatorum, donec ab Ecclesia generaliter denominentur, vocentur, publicentur : quod de istis factum minime scimus. » Ad quod abbas : « Præsto sunt, ait, dominus Senonensis, et dominus Parisiensis, necne dominus Trecensis, qui jussu apostolici pontificis sacrilegos proditores denominantes publicaverunt. « Attestantibus episcopis hæc ita se habere, persuasum est abbati facere probationem, quam nil suo juri contrariam fore constaret. Sed quia plene non aderant officiales ac ministri Ecclesiæ, per quos probatio

A facienda erat, dilata est in subsequenti Sabbato, quo pariter tam præsentes quam absentes convenirent apud Moretum.

Iterum apud Moretum conveniunt. Sententia profertur in comitem Nivern. et perfidos Vizel. oppidanos. Erat autem dies qui cognominatur Martis, id est tertia feria. Et ut qui fuerant requisiti convenerunt, egressi sunt omnes cum rege et optimatibus suis in nemore consito supra Moretum. Ubi cum abbas referret summam probationis suæ, dixit eam esse centenorum sexagenorum millium solidorum, præter detrimenta nemorum et aquarum, et præter injuriam proditionis, et præter sanguinem occisorum, et præter sacrilegium invasæ et violatæ sacrosanctæ ecclesiæ. Quo audito conscii facinoris B consternati animo, protinus in fugam versi sunt, nec sustinuerunt fieri probationem; et nesciente rege ad complices et consodales scelerum suorum repedarunt. Abbas vero jussu regis fecit probationem suam præsente comite, et auxiliariis illius prætitulatis. Ut autem cognovit rex perfidos abesse, et injussos temere regiam curiam subterfugisse : « Feliciter, ait, abbas comprobavit justitiam suam, proditores vero comprobaverunt perfidiam suam : quamobrem quia exciderunt a justitia, proferatur sententia eorum reatui congrua ; » locutusque est Remensis : « Unum, inquit, capitulum dictavimus, adhuc alia prolaturi, si exspectantes vel judicio se dignos inveniri paterentur. Nunc autem quo- C niam exsortes rationis exciderunt ab omni jure justitiæ, dictante regis judicio diffinimus, ut comes Nivernensis, qui de fidelitate regis præsens adest, profanos illos proditores vi comprehendat, et puniendos regi ubi jussus fuerit adducat. Res porro eorum tam mobiles quam immobiles ex integro pro restitutione illati damni abbati tradat. » Et interrogatus comes utrum dictatam ex ore regis sententiam susciperet : « Suscipio » ait. At Lingonensis nitebatur refellere judicium. Cui Remensis : « Si, inquit, injustum tibi videtur elucubratum judicium, apud Romanam audientiam te appello, ut ibi coram summo pontifice et universali judice, si quid habes, objectes. » — « Nequaquam, ait Lingonensis, appellationem istam suscipio, nec judi- D cium regis redarguo, sed quod æquitati ipsius visum fuerit, ut dignum est, approbo. » Iterum ergo rex interrogavit comitem utrum prolatum judicium susciperet de tradendis condemnatis. Qui respondit : « Si jubet dominus meus rex, suscipio; sed peto ut illis concedantur induciæ, quas ex fiducia regis pietatis dedi eis. » Respondens rex ait : « Plane jubeo, et auctoritate regia pro fidelitate, qua mihi juratus es, præcipio ut quod præfinitum est, perficias, nec de sententia quidquam omittas. De induciis autem tua intererit ; nam a me nec tibi nec illis aliquæ conceduntur, quin sequenti Dominica perficiatur quod definitum est. »

Invitus comes sententiæ cum annuisset, modis omnibus obluctatur, tentatque ut effectum non sortiatur.

Biduo igitur habito concilio ibidem, solutum est collegium. Abbas autem valefaciens regi, et optimatibus atque amicis illius, accessit prope Vizeliacum, et fuit apud Givriacum usque ad dictam Dominicam. Tyrannus vero dolens super impios, quos ad conspirationem incitarat, quos ad facinus provocarat, quorum juratus erat, quorum opes ob fiduciam sui exhauserat, quorum etiam auxilio dominium monasterii Vizeliacensis sese obtinere sperabat, dolens quoque quod tam potenter et tam publice ab abbate victus, et confusus atque confutatus esset, quodque tam de se quam de suis satellitibus et complicibus vesaniæ suæ pro voto triumphasset, affligebatur animo vehementer, et cogitabat qualiter damnatis provideret, vel desperatis subveniret. Sed quia confusus animus impos est rationis, infatuatum est consilium ejus, et, Deo disponente, dum plebi providet damnatæ, invitus et ignarus consultum fert Ecclesiæ, totumque præstat oppressis quod nititur efficere dolis : dumque tendit laqueum, levat ipse socium, aduncatur stimulo, male satur cupito. Missis ergo satellitibus suis, jussit clamare sub voce præconis omnibus oppidanis seu vicanis ex ore comitis, ut sublatis mobilibus cunctis omnes pariter quaqua possent confugerent, in præsidiis illis, ubi cum minime venturum sperarent, quoniam ex judicio regis sequenti die lunæ omnes comprehenderet quotquot infra Vizeliacum inveniret et puniendos quamvis invitus regi traheret Parisius. Et immisit Deus terrorem suum in hominibus illis, et fugerunt quotquot erant de adversariis, omnes a minimo usque ad maximum, domos, uxores, liberos, possessiones, et mercimonia sua relinquentes, ita ut penitus nemo ex tot millibus summo mane appareret, sed quasi ab hostibus invasum et direptum esset, sic vacuum et inane remansit oppidum. Existimans autem versutus et callidus comes quod non præsumeret se absente abbas ingredi in monasterium suum, simulavit languorem. Tunc abbas vecordiam ipsius despiciens, statim ipsa Dominica cum triumpho vespere Vizeliacum venit, et monasterium suum obtinuit, et facta est exsultatio magna in ecclesia, quoniam confusus est adversarius, contritus est inimicus. Et misit tyrannus satellites suos Vizeliacum quasi ob gratiam perficiendi mandatum regis, ut comprehenderent profanos quos loco cedere jusserat. Ingressique satellites, dixerunt abbati dominum suum comitem diu exspectasse nuntium illius, quo veniens ipsum in monasterio suo honorifice introduxisset ; se autem adeo mirari quod tam improvise illuc ingressus inimicorum motus non pertimuerit ; missos autem a domino suo idcirco se dicebant, ut definitam de adversariis ultionem ad imperium abbatis exercerent. Quibus abbas respondit : « Audito quod dominus vester infirmaretur, nolui onerosus illi existere sed commisi meipsum Deo et beatæ Mariæ Magdalenæ, cujus causam vobis omnibus prosequor, et recepi, Deo tradente, quod nitebatur æmulus præripere. Cæterum ipsi scitis a quo missi estis : si quid faciendum vobis præcepit, vestra interest utrum faciatis necne : ego autem rei exitum patiens præstolabor. » Respondentes dixerunt se missos ideo esse, ut homines vici illius comprehenderent, sed ingressos neminem præter mulieres et parvulos earum invenisse. Ait illis : « Siccine quatuor homines tot millia comprehendere venistis ? » Et dixit illius quidam : « Ecce si perfidos proditores captivare venistis, invenietis fere quater viginti latitantes et latrocinantes in contigua silva. » At illi : « Aliud, inquiunt, iter nobis confecturis ; modo non dirigitur illo via nostra ; » et sic tergiversantes abierunt : versutia quippe discipuli probatur dolus magistri. Et egressi sunt quidam de fratribus armatæ cum pueris juventutis, et fregerunt tabulam impii Simonis, et vestibulum domus ipsius, quæ contra jus ob contumeliam contradicentium fratrum ædificaverat, et de conspiratione factionis confisus hactenus contra votum Ecclesiæ obtinuerat. Inde progressi dissipaverunt torcularia, quæ in subterraneis domorum suarum fraudulenter erexerant impius Hugo Fricans-panem, et nefandissimus Hugo de Sancto Petro. Porro impii diffusi sunt per oppida et loca tyranni, quique jussit satellitibus suis atque præpositis, quatenus eos occultarent, excusarent, et omnem humanitatem illis exhiberent, tantum sui præsentiam declinare eos juberent. Reliqui circumquaque errando dispersi, multi eorum prædæ et direptioni, necne captivitati patuerunt. Inopes et vagi contiguam silvam occupaverunt, ædificantes ibidem casas, et exinde latrocinia exercebant, viantes et peregrinos deprædabant. Die autem suspecti occursum quærentium se declinabant, et ad socios qui erant in locis munitissimis se conferebant : nocte vero in prædicta silva degentes, mittebant absconditos exploratores in vico sub veste peregrina, qui eis deferrent necessaria, et referrent quæ didicissent consilia ; et congregati sunt profugi apud Corbiniacum, et cogitaverunt irruptionem facere, et vi repetere quas sponte formidolosi reliquerant sedes.

Exercitum colligi jubet abbas, quo perfidis oppidanis obsisteret. Tunc collegit abbas externum exercitum, manum fortissimam, et homines doctos arcu et balista, et militibus infra castrum retentis, cæteros divisit cum pueris suis, et posuit in munitionibus pessimorum, ut per ea expugnarentur impii per quæ nitebantur oppugnare munitiones monasterii. Omnes autem jussit per vices et die et nocte circuire et discurrere circa oppidum et prædia illius. Quicunque vero de fugitivis comprehendebantur, aut captivitatis miseria, aut membrorum multa puniebantur : et obtinuit ecclesia jus justitiæ debitum, nec tyrannicam cogebatur adire curiam pro ulciscenda justitia, et ultus est ecclesiam abbas Pontius de pessimo adversario illius Hugone de Sancto Petro, et præcepit ut diriperetur omnis substantia ejus, et publicarentur omnia bona illius, et

subverterentur omnia ædificia ipsius, domus et molendina, stagnaque aquarum quæ multo fastu exstruxerat, et exaltatus erat usque in cœlum. Sicque deleta est omnis possessio illius, ut fieret parabola et proverbium cunctis post futuris generationibus. Sed et in ministros seditionis, Aimone de Sancto Christophoro, qui dicebatur insanus, Petro, qui prænominatus est de Sancto Petro, Aimone de Phalesia, Roberto de Furno, Renaldo Daudet, Galterio Northmanno, Roberto de Campo-petroso, Duranno Gulos, Alardo Claudo, et Petro Galimardi, censura justissimæ ultionis pertransiit, et domus eorum funditus eversæ atque succensæ sunt, bonaque eorum quibus male abusi fuerant, direpta. In cæteris autem, hoc est Eustachio, Simone, Duranno, Alburno, inque David, et Hugone Fricante-panem, et Felice, aliisque ipsorum complicibus pietas abbatis sententiam suam moderata est, et vina tantum eorum a fidelibus ecclesiæ transfusa sunt. Inventa sunt præterea scuta et arma diversi generis inter spolia direptarum domorum. Et conjecti sunt plures in vinculis, donec regis judicium super eos decerneret; et humiliata est superbia impiorum, et cognovit se subactam insolens rusticitas Viziliacensium. Et vidit tyrannus quoniam prævaluit justitia, et confusa est impietas, nec erat ei auxilium quo ferret opem deceptis, et reverebatur eos, nec poterat sustinere aspectum illorum, quoniam arguebatur ab ignavia sua, et torquebatur a conscientia sua. Attamen impios sese volentes reddere, et ad arbitrium abbatis satisfacere prohibuit, promittens eis pro voto pacem affuturam, et quia confundebatur pro eis intercedere, ne contra jusjurandum eos juvare videretur, cogitavit consilium irritationis in Deum, et blasphemus erga cultum pietatis, assumpto baculo et pera, quasi B. Dionysii petiturus oracula, cujus instabant solemnia, profectus est ad regem. A quo requisitus causam sui adventus, peregrinum se B. Dionysii martyris mentitus est. Captato denique regis colloquio, procidit ad pedes ejus, et ut exsulibus parceret illis, parceret etiam Vizel. monasterio, quod destituto vico desolatum iri constaret, affectuosissime deprecatus est, jurejurando etiam et obtestando pollicitus est, se in præsentia regis homines illos adducturum, et eos ad arbitrium regiæ pietatis abbati et ecclesiæ satisfacturos, ac perpetuæ pacis fœdus firmaturos.

Comes multa regi fraudulenter suggerit quibus occurrit abbas. **Motus igitur rex precibus istis, statuit ei diem apud Altissiodorum, scilicet tertia die post festum Omnium Sanctorum, et designavit abbati petitiones et pollicitationes comitis, petivitque ut interim parceret domibus eorum usque ad diem condictæ concordiæ. Quibus auditis abbas significavit protinus Floriacensi et reliquis amicis suis mandatum regis et condictum comitis, petiitque ut futuro secum adessent colloquio. Cæteri autem optimates, cum quibus pro causa Vizeliacensi rex indixerat colloquium, renuntiaverant regi, nullatenus se affuturos ubi Nivernensem adesse prænoscent. Quo cognito tyrannus et hac etiam improbitate sua impudenter uti voluit: iterumque festinus ad regem venit, postulans ut diem et locum indicti colloquii de causa Vizeliacensi accelerando præveniret, causatus inimicorum suorum insecutionem, a quibus se defendere oporteret. Sperabat etenim quod si nudum consilio et solitarium absentia suorum amicorum abbatem inveniret, facile suadibilibus dolis eum flecteret. Sed tritus fallaciis illius animus, non potuit decipi incautus. Credidit tamen ei rex, et scripsit abbati ut ipsa die Omnium Sanctorum apud Sanctum Julianum de Saltu indicto colloquio adesset, pacem facturus, pacemque recepturus, si congrua offerretur. Ad quod abbas inito consilio respondit tam præpropere se non posse occurrere, quippe qui ad primitus designatum diem amicos suos vocaverat, quorum consilio et facturus et accepturus pacem esset, si congrua offerretur; quem præsertim non decebat tantum et tantæ causæ solum subire colloquium. Quo audito rex justum esse dixit abbatis responsum, sicque fieri jussit ut prius fuerat constitutum.**

Condicta die Autissiodori congregantur rex, abbas, etc. Damnantur denuo oppidani Vizel. **Die igitur statuta Jovis post festum Omnium Sanctorum convenerunt pariter apud Altissiodorum rex et abbas cum optimatibus et amicis; comes quoque cum vicanis Vizeliaci: et sedens rex postera die quæ nuncupatur Veneris, interrogavit burgenses quidnam facere mallent. At illi respondentes, omnia se facturos secundum beneplacitum miserationis illius dixerunt. Dictum est igitur ex sententia regis, ut conspirationem et mutuam confœderationem quam fecerant, quoquo pacto fecissent, penitus abjurarent: illos, qui pueros ecclesiæ occiderant, ubi ubi repertos aut caperent si possent, aut clamore et indicio quo possent, proderent. Fidelitatem et vitam, salutemque membrorum abbatis et suorum, ecclesiæ et suorum, supra sacra jurarent, et summam XL millium solidorum pro illato damno penderent, munitiones et antemuralia domorum dato termino ad festum usque sancti Andreæ diruerent, et hæc omnia bona fide integre se facturos jurarent. Tum illi jam fracta cervice domiti et humiles effecti, ita se facturos spoponderunt, et abbatem ut dominum suum se veneraturos et conservaturos juraverunt; ipsa etiam statuti juramenti sacramenta, statim ibidem qui affuerunt, fecerunt; scilicet Guibertus Lotariensis, Hugo Fricans-panem, Durannus Alburni, et alii fere amplius quam XL. Et reversus est abbas Vizeliacum cum hominibus suis jam de perfidis factis fidelibus. Et ingressi sunt cum eo, lætitia et tripudio magno exsultantes, habitaveruntque in pace, ut feræ mansuefactæ. Porro illi qui erant circumquaque diffusi, audita pacis conditione gavisi sunt, et revertentes confluebant quo-**

tidie catervatim ad jusjurandum et ditionem. Constituit autem abbas ex ipsis quæstores, qui exigerent a singulis impositam pecuniam, tali moderamine, ut appretiatis per obligationem jurisjurandi singulorum possessionibus, redactisque in summa pensitationibus de libra persolveretur pars decima, hoc est duo solidi redderentur de viginti; nec fuit in his omnibus qui resisteret, vel aperiret os contradicendo, quoniam ablatum est cornu superbiæ illorum, et contrita est virga fortitudinis eorum, et redintegrata est per manum eximii abbatis Pontii libertas Ecclesiæ, et confusi sunt omnes prostitutores pudicitiæ illius. Verumtamen antemuralia domorum evertere dissimulantes neglexerunt, quoniam hoc præceptum in scandalum erat illis, et quasi aculeus terebrans oculos eorum.

Plectit abbas renuentem se subjicere suis decretis. Peractis autem Dominicæ Nativitatis Kalendis, vocavit eos abbas, monuitque ut juxta compositionem pacis, quod necdum fecerant perficerent, de diruendis munitionibus domorum. Constituitque illis terminum quo jussa complerent. Iterum dissimulantes cum interminatione commonuit, et si ultra factis obaudire negligerent, iram suam eos experturos fore prædixit. Mittebantur autem frequenter abbati epistolæ precatoriæ a principibus regionis, maxime pro Simone, ne contineret in ira misericordiam suam super eum, sed magis misereretur, parceret domui illius, quæ utique causa erat et initium malorum. Unde et ipse impius Simon plurimum præsumens de gratia et familiaritate principum, suadentem abbatem ut præcipitaret quod male ædificaverat, contempsit, addiditque contumeliam contemptui, et ædificavit propugnacula, et munitionem incœptæ turris. Ut igitur vidit abbas quod vestigium contumaciæ, et gloria superbiæ ipsorum esset in domibus illorum, accersivit agrestem multitudinem de possessionibus monasterii, et Sabbato post Hypapante Domini misit eos et quosdam de fratribus in domum impii Simonis, præcipitaveruntque funditus antemuralia ipsius, propugnacula, et turrim, sedente ipso Simone ad ignem in ipsa domo, cum uxore et liberis suis. Quod videntes cæteri timuerunt valde, et ingemiscentes erubescebant, dederuntque obsides pro evertendis munitionibus infra constitutum tempus.

Tandem an. 1155, *obtinet suam libertatem Vizeliac. ecclesia, ac petente abbate ordines conferuntur.* Divinæ humanationis anno quinquies undecimo atque vicies quinquagesimo quinto, pontificatus vero apostolici Nicolai, qui nuncupatus est Adrianus, anno II, regnante et agente pio rege Francorum Ludovico Juniore, data est requies Vizeliacensi Ecclesiæ per manum inclyti et clarissimi abbatis Pontii, genere et moribus ac dignitate præstantissimi, et obtinuit ecclesia integerrimam atque liberrimam libertatem suam, tam in privato quam in forensi negotio. Nam in privato, superstite adhuc æmulo, invitatus est a prædicto abbate Alanus Altissiodorensis pius episcopus, et celebravit apud Vizeliacum solemnes ordines in oratorio B. Dei genitricis et semper virginis Mariæ, Sabbato jejuniorum mensis Martii, assistente in monasterio cardinali subdiacono Odone de Bona-Casa, fecitque inspecta Romanorum privilegiorum auctoritate acolythos tres, subdiaconum unum, diaconos quatuor: porro ad sacerdotii gradum sex fratres promovit, præsente et cooperante Stephano abbate de Rigniaco. Sequenti anno, anno scilicet pacis et victoriæ, duo episcopi, videlicet Cenomanensis et Ebroicensis, venientes a Roma cum abbate Sancti Albani apud Vizeliacum Pascha sanctum fecerunt, qui rogatu venerabilis Pontii sanctarum vigiliarum resolventes officium, sacros ordines solemniter celebraverunt. Et Ebroicensis quidem ostiarios, exorcistas, lectores, acolythos in oratorio Theotocou Mariæ ordinavit. Cenomanensis vero septem subdiaconos et unum diaconem fecit, presbyteros autem quinque consecravit. Et in his omnibus obmutuit adversarius jugulo invidiæ confossus, et auctoritate justitiæ dejectus. Eodem Sabbato accepit abbas Pontius sanctum chrisma ab archipresbytero Altissiodorensi.

Porro in forensi causa, primo quidem de perfidis proditoribus et servis rebellibus non ex jure neque ex consuetudine, sed ex necessitate per manum regis auctoritate apostolica liberum jus justitiæ obtinuit ecclesia. Deinde per manum abbatis Pontii tam suas quam suorum causas potestative in propria curia dijudicavit, nec unquam vel usquam cujusquam laicalis vel clericalis personæ arbitrium juri judicii intercessit; et annulata est omnis calumnia, quoniam possedit calumniatores confusio et ignominia, et defecit inimicus, quoniam prævaluit justus.

LIBER QUARTUS.

Sicut patres thesaurizant filiis in incremento prædiorum et pecuniarum, ita priorum providentia thesaurizat sequentium notitiæ in descriptione librorum, et commendatione gestorum. Scriptis namque mediantibus præterita quodammodo junguntur futuris, dum littera repræsentat quod antiquitas abduxerat. Descriptis itaque superioribus libellis de dignitate et exordio atque libertate Vizeliacensis

Ecclesiæ, laboribus etiam quos pro justitia libertatis suæ constanter et infatigabiliter sustinuit, ad ea quæ desunt non supplenda quidem, sed prosequenda, utpote visu et auditu experta, stylum ducimus, et piorum Patrum piis filiis æmulandum probitatem describimus, quatenus obtinere non negligant quod Patrum strenua sagacitas non absque gravibus laboribus acquisivit. Devictis igitur omnibus adversariis libertatis ecclesiæ Vizeliacensis, obtinuit venerandæ et semper recolendæ memoriæ abbas Pontius integræ dignitatis fastigium, et quasi renovato jure totum penitus abolevit quidquid erroris livor servilis induxerat, et pace adepta per quinquennium pacifice postmodum rexit in virga æquitatis monasterium suum. *

An. 1159 schisma exortum in Ecclesia. Anno autem Verbi incarnati millesimo centesimo quinquagesimo nono, orta est, proh dolor! fœda dissensio in Romana Ecclesia. Mortuo etenim Adriano papa, generali consilio et universali consensu electus est sacri scrinii cancellarius Rollandus. Quo humiliter tantum onus suspicere dissimulante, interim Octavianus unus ex cardinalibus apostolicis, et inter senatores Urbis nobilior, apostolica insignia sibi fraudulenter præripuit, et apostolicum honorem, proh nefas! usurpavit: neque divina neque humana jura reveritus, tres tantum sui schismatis fautores habens de toto apostolico consistorio, scilicet Ismarum Tusculanum episcopum, et Guidonem Cremonensem, atque Joannem de Sancta Martina; quorum Ismarus et Joannes schismatici mortem in schismate prævenerunt. Ut autem cæteri cardinales schismaticam usurpationem cognoverunt, protinus cum electo suo, Alexandro cognominato, atque ab Humbaldo Ostiensi episcopo consecrato, ab Urbe sunt egressi. Et factum est grave schisma in occidentali Ecclesia, Germanico imperatore Octaviano, qui dictus est Victor, Siculo autem rege favente Alexandro Catholico. Et misit Alexander legatos suos in Galliam, et in insulas Britanniæ, ad regem Francorum Ludovicum, et ad Henricum regem Anglorum, atque ad omnem utriusque regni Ecclesiam, videlicet Guillelmum Papiensem, et Henricum Pisanum, atque Ottonem de Tulliano Carcere. Qui transeuntes Italiam, cum a Cluniacensi monasterio nequaquam reciperentur, primus et præcipue omnium Gallicanarum personarum suscepit eos dignæ memoriæ abbas Pontius Vizeliacensis, et catholicam orthodoxi Alexandri electionem universis utriusque ordinis principibus commendavit.

Renuunt Cluniacenses Alexandro papæ adhærere. Excommunicantur. Igitur Alexandro ab utroque regno suscepto, scripserunt legati Cluniacensibus pro susceptione Alexandri. Præerat eo tempore Cluniacensi ecclesiæ Hugo prudens moribus, et simplex ingenio. Is convocato ex more talium negotiorum capitulo, de susceptione Alexandri fratres suos consuluit; at illi Patris Hugonis exosam habentes prælationem, cum dentem invidiæ in personam innocentis nequirent infigere, versuto usi consilio, cum contestatione interdixerunt ei tam catholicum quam schismaticum suscipere, ne forte dum, ut assolet in talibus, victo faverent, victoris odium incurrerent; ne vero dolosi potius quam salubris consilii periculum suspectum haberet, idem sapere, et eadem subire cum eo unanimiter quidquid exinde contigisset adversi spoponderunt. Cum autem Cluniacum accedere, et in schismaticos ferre sententiam apostolici legati formidarent, miserunt Henricum tunc Belvacensem, postea vero Remensem episcopum, qui propter germanitatem Ludovici regis tutius ad partes illas accedere, et delegatum sibi ab Alexandro per prænominatos legatos apostoli Petri gladium exercere posse videbatur. Qui cum accessisset, et apud Luzeium convenisset, superque Cluniacenses ponere sententiam anathematis disponeret, rogatu Dalmatii et aliorum terræ illius principum distulit, et scripsit Cluniacensibus, exhortans ut resipiscerent, et ut Alexandrum, sicut alia Franciæ monasteria, susciperent; alioquin delegata sibi auctoritate apostolica sententiam excommunicationis tam super ipsos quam super omnes fautores eorum ulterius promulgare non differret; et assignato die apud Melidunum, cum neque ipse abbas Cluniacensis fraude detentus a suis, neque responsales ejus adessent; porro æmuli abbatis ex adverso starent, Theobaldus scilicet prior Sancti Martini de Campis, qui aliquando post abbatem prioris locum in monasterio Cluniacensi tenuerat, et alii plures qui videbantur esse capita Ecclesiæ suæ, ipsum abbatem suum tanquam parricidæ filii patrem accusantes, et culpam schismatis a se removentes, quippe qui se et commissa sibi monasteria subjectioni et protectioni catholici Alexandri committerent, ipsis faventibus Hugonem abbatem Cluniaci, et omnes subditos et fautores illius publice excommunicavit.

Pontio abbate Vizel. vita functo in ejus locum subrogatur Guillel. abbas Pontisas. Vocatus fuerat ad hoc colloquium sanctæ memoriæ Pontius noster merito abbas nominandus, quibusdam annuentibus, ut extruso Hugone is monasterio Cluniacensi præficeretur. Sane beata et gloriosa Dei dilectrix Maria Magdalene, cui devotus devotum semper exhibuerat famulatum, hunc a candelabro suo, quo clarissime irradiaverat, minime evelli pertulit, retinuitque eum sibi etiam corpore, quem a puero enutritum et ab angelorum principe Michaele sibi concessum, totum ex integro sibi vindicans consecraverat, nec passa est inimicum libertatis sepulcri sui vel ad horam exsultare de eo, ne forte contrarius sibimetipsi existens, qui pro patria pugnaverat patriam quodammodo expugnaret, neve malitia de virtute virtutem prosterneret, et ignavia probitatem probitate dejiceret. Languore namque insperato detentus, vicesimo quarto anno ordinationis suæ viam universæ carnis in-

gressus est, et cum gravi luctu suorum ante sepulcrum famulatricis sepulcri Christi sepultus, raptus est, ut credi fas est, ne gloria humanæ probitatis mutaret intellectum illius. Quo assumpto protinus Vizeliacensis monasteri fratres una voce et communi assensu elegerunt sibi Patrem genere nobilem, probitate conspicuum, virum ab adolescentia sacris instructum disciplinis, tam in ipso ubi susceptus est Vizeliacensi, quam in Cluniacensi cœnobio, videlicet Guillelmum abbatem Sancti Martini Pontisarensis, quod monasterium ipse per XV annos regens, possessionibus et ædificiis multis ampliaverat.

Ne sortiatur effectum electio, obicem ponit comes Niv. Consensus comitis in eligendo abbate haud requirendus. His diebus Nivernensis comes Guillelmus, filius Guillelmi Cartusiensis, filii Renaldi de Hubenc, filii Guillelmi, filii Renaldi, filii Landrici, qui primus hujus generis principatum Nivernis a comite Burgundiæ suscepit : hic, inquam, comes post multa gravamina quæ, uti in superiore volumine partim comprehensa sunt, ecclesiæ Vizeliacensi intulit, gravi morbo correptus, calicem divinæ ultionis prægustabat. Ut ergo audivit filius ejus Guillelmus quod Vizeliacenses abbatem sibi elegissent, genuina insolentia ratus omnia nutu suo constare, Vizeliacum venit in ira multa et in furore magno, et interdixit fratribus electionem se absente et inconsulto patre suo factam ; posuitque custodes ne quis de Vizeliacensibus transiret ad electum. Sed quam pravo et irrationabili consilio hoc fecerit, manifestant Romanorum pontificum munimenta, et Francorum regum privilegia ; avi quoque sui, qui simili arrogantia electionem Renaldi abbatis, postmodum Lugdunensis archiepiscopi, calumniatus est, exemplar subscriptum declarat : « Ego Nivernensis comes dimitto Deo et beatis apostolis Petro et Paulo, et beatæ Mariæ Magdalenæ quamdam pravam consuetudinem, quam in Vizeliacensi ecclesia, exigebam, scilicet ut de electione abbatis ejusdem loci nullus ulterius a me vel hæredibus meis sive successoribus meis requiratur consensus, sed cum qui electus fuerit, prædicta ecclesia habeat, ita ut nullus nostrum possit aliquid calumniari, vel de consensu a nobis non acquisito aliquid ab Ecclesia exigere. Sed et tam de introitu quam de exitu abbatum promitto me nihil ulterius calumniaturum. »

Confirmat electionem cardinal. legatus. Init possessionem abbas. Vizeliacenses igitur postposita juvenis comitis injusta calumnia, Renaldum Merlotensem ad convocandum electum suum miserunt : qui cum venisset, neque monasterium introire, neque solemnem fratrum processionem suscipere voluit, ne minus per ostium ingressus videretur, cum hujusmodi translatio de monasterio ad monasterium, vel de ecclesia ad ecclesiam inconsulto pontifice Romano nequaquam authentica esse decernatur. Unde Vizeliacenses per Gaufredum Hospitalem scripserunt Ottoni cardinali et legato apostolicæ sedis, insinuantes ei modum electionis, et personam electam. At ille perlectis apostolicis privilegiis, electionem sanam comprobavit, et eam fore ratam vice apostolica confirmavit, ipsique electo commisit curam Vizeliacensis ecclesiæ ex parte domini papæ, per manum Petri Pisani decani Sancti Aniani Aurelianensis. Et ingressus est Guillelmus abbas Vizeliacum, totius populi favore, et fratrum solemni processione susceptus, habens secum Macharium Floriacensem, Theobaldum Sancti Germani de Pratis, Stephanum Rigniacensem, abbates. Et non post multos dies misit ad Alexandrum papam prænominatum Gaufredum, et Joannem Italicum clericum suum cum litteris capituli sui continentibus actionem electionis suæ, et litteris Francorum regis, litteris etiam regis Anglorum, atque abbatum prænominatorum, personam electi et modum electionis commendantium.

Alexander papa januam appulit. Ratum habet acbatis electionem ; renovatque privilegia. Cluniacenses usurpant regimen cœnobii Vizel. Interea Alexander papa Octaviani schismatici declinans insidias, per mare appulit ad urbem Januensium. Quo audito nuntii Vizeliacenses profecti sunt illuc. Suscepti que honorabiliter ab Alexandro, fuerunt cum eo in palatio per dies aliquot ; et sedens Alexander una cum universo cœtu cardinalium, adstante multa frequentia multarum partium, legatos Vizeliacensis monasterii audivit, allatas ab ipsis litteras suscepit, ordinationem Guillelmi abbatis ratam habuit, eidem et fratribus universis ejusdem monasterii privilegium fecit, in quo juxta antiquorum pontificum Romanorum exemplaria statuit, quatenus fratres monasterii Vizeliacensis, defuncto abbate suo, liberam electionem in substituendo successore haberent, et ne aliqua persona cujuslibet causæ religionisve obtentu quemlibet assensum de ipsa electione sibi usurpare, vel quocunque modo requirere præsumeret. Hanc siquidem libertatem, cum per trecentos fere annos ab ipso suæ fundationis principio Vizeliacensis ecclesia quiete et absque calumnia obtinuisset, tamque de suis quam de aliorum fratribus monasteriorum sibi Patres indifferenter præfecisset, Cluniacenses longe post exorti per subreptionem sibi vindicare nisi sunt ; assensum quidem primum, deinde vero jus electionis sibi arrogantes, mentientes utique a Paschali traditam sibi curam ordinis ecclesiæ Vizeliacensis ob quam prorsus causam eadem ecclesia sub Innocentio II papa grave scandalum pertulit reclamando libertatem ingenitam, dum per violentiam ejusdem Innocentii et comitis Nivernensis intruso a Cluniacensibus quodam Alberico, fere omnes sæpe fati monasterii fratres vinculis colligati, et per Provinciam, Italiam, Germaniam, Lotharingiam, Franciam, et Aquitaniam, hac illacque ignobiliter dispersi sunt, alienigenis subintroeuntibus in liberrimo solo, qui quasi

sub Sennacherib undecunque congregati, unum superstitionis Samaritanorum nomen fecere.

Quia ergo in tempore tentationis supercilium Cluniaci intumuit, et monasterium quod hactenus specialius Ecclesiæ Romanæ membrum exstiterat, a Romana unitate exorbitavit, jure placuit apostolico examini, ut beati Petri uterina filia Vizeliacensis ecclesia denuo schismaticorum non subjaceret calumniæ, præsertim cum ipse catholicus papa Alexander æque ut Paschalis, et quilibet alii apostolici prædecessores sui, Deo auctore, beati Petri clavibus frueretur, quibus merito fidei remittendum vel solvendum censebatur, quod aliquando sub obtentu religionis commissum vel ligatum prætendebatur. Ob insolentiam denique Cluniacensium non solum in hac parte, imo etiam in toto corpore, libertas Ecclesiæ Vizeliacensis periclitabatur; nam cum adventitii præfati abundatia multa abuterentur, et a vicinis locorum indigenis bonorum Ecclesiæ rapinam paterentur, desidiæ et ignaviæ potius quam debitæ libertati consulentes, comitem Nivernensem induxerunt, et sub specie familiaritatis materiam ei dederunt inconsuetæ tyrannidis et inusitatæ consuetudinis. Eorum etenim temporibus et indebitæ justitiæ exactio, et procurationum frequentia, occasionumque gravamina, atque malarum consuetudinum submissio inolevit; per quæ omnia nostris temporibus eadem Ecclesia pene ad nihilum redacta est; paulatim enim serpendo pestiferum virus tam Cluniacæ servitutis quam comitis tyrannidis, a planta pedis usque ad verticem omnes illius ævi seniores infecit usque ad beatæ memoriæ Pontium, quem fecunda virorum illustrium Arvernica nobilis tellus protulit, et hunc de quo in præsentiarum agitur, Guillelmum de Melloto, quem strenua Caroli Magni de Rupe Merloti proles edidit. Ili nempe vere filii veræ matris vicem doluerunt, et pro justitia illius ad sanguinem restiterunt.

Igitur Alexander papa egressus ab urbe Januensium, in portu Magalonæ applicuit; cui prænominatus occurrens, Guillelmus abbas Vizeliacensis, quemadmodum prædecessor illius Pontius primitias legationis apostolicæ, non absque suorum et quorumdam magnatorum invidia susceperat, ita et hic ipsum summum pontificem a littore maris prodeuntem omnium sacerdotum Galliæ prior excepit, et invenit gratiam in conspectu Alexandri, et magnificavit eum Alexander coram frequentia totius Romanæ Ecclesiæ, et iterum retractato comitis Gerardi testamento, munimentis etiam antiquorum privilegiorum collatis cum modernis, immunitatem libertatis Ecclesiæ Vizeliacensis et libertatem eligendi vel substituendi abbatem communi consilio et voluntate, atque arbitrio omnium episcoporum, presbyterorum, diaconorum, subdiaconorum, cardinalium, Alexander papa in consistorio Montis pessulani juxta subscriptum exemplar confirmavit.

Privilegia Vizeliacensis ecclesiæ confirmat Alexan- A *der papa; eamque eximit a potestate Cluniacensium.*

« ALEXANDER episcopus S. SS. Dei, dilectis filiis Willelmo abbati Vizeliacensis monasterii, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, monasticam vitam professis in perpetuum. Sacrosancta Romana Ecclesia, quæ unicuique respondet pro suorum qualitatibus meritorum, eos quos fideles reperit, benigniori tractare gratia consuevit, et quos ferventiores circa suum obsequium intuetur, honoris prærogativa est solita decorare. Antecessor autem noster bonæ memoriæ Paschalis papa, sicut ex privilegio prædecessoris nostri felicis recordationis Calixti papæ cognovimus, Vizeliacense monasterium, quod proprie ac specialiter beati Petri juris B existit, Cluniacensis ecclesiæ fervorem religionis, quæ tunc temporis inibi habebatur, attendens, cum religio in eodem Vizeliacensis monasterio tunc ex parte maxima deperisset, commisisse dignoscitur, et prædictus Calixtus papa idipsum auctoritatis suæ privilegio confirmasse, ita quidem ut obeunte abbate qui ibidem esset pro tempore institutus, alius ibi deberet communi fratrum consensu, vel partis consilii sanioris, Cluniacensium abbatum consilio subrogari. Nos vero devotionis vestræ constantiam, et fidei firmitatem, quam in hoc tempore procelloso tam vos quam bonæ memoriæ Pontius Vizeliacensis abbas, circa Romanam Ecclesiam habuistis, diligentius attendentes: considerantes etiam quam manifeste Cluniacensis Ecclesia tempore hujus C turbationis erraverit, et quomodo a pristina religione et honestate corruens, ab unitate Ecclesiæ se fecerit alienam, prædicto monasterio vestro in devotione et fide Ecclesiæ firmissime permanente, et religione per Dei gratiam ibidem plenarie restituta, ut utraque ecclesia fructum videatur pro meritis reportare, commissionem illam, quam idem antecessor noster Paschalis papa fecerat, de communi fratrum nostrorum consilio duximus revocandam, statuentes ut idem monasterium Cluniacensi ecclesiæ in nullo penitus subjacere debeat, nec alicui teneatur nisi tantum Romanæ Ecclesiæ respondere; et electionem ita liberam per omnia habeatis, ut Cluniacensium abbatum consilium vel consensus nullomodo requiratur; imo illum vobis in abbatem D dari volumus et præponi, quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem et beati Benedicti institutionem elegerint, et Romanus pontifex aut præviderit ordinandum, aut suggestione monachorum ejusdem loci consenserit ordinatum. Ut autem hæc nostra institutio futuris semper temporibus inviolabiliter observetur, eam auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, secundo tertiove commonitus, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reum-

que se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Servantibus autem sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. »

Abbas humaniter a papa exceptus ad propria redit. Famæ ejus detrahunt osores. Et cum fuisset abbas Guillelmus cum apostolico Alexandro dies plurimos, gratia et benedictione illius auctus cum favore Romanæ totius Ecclesiæ recessit ad propria, et regressus cum magna gloria receptus est a fratribus suis, et ab omni populo suo cum solemni processione in ornatu platearum et fumo thymiamatum, et facta, ut moris est, oratione, obtulit duos pretiosos pannos sericos, et duo optima tapetia, et confusi sunt omnes adversarii libertatis ecclesiæ Vizeliacensis, et insurrexerunt viri linguosi, et quibus proprium est bonorum invidere prosperis, cœperuntque detrahere Guillelmo abbati apud comitem juvenem (nam pater vita excesserat) quasi Guillelmus omnia bona ecclesiæ dilapidasset, et infinitam pecuniam Romanis dedisset; dicentes impium esse tam nobilem ecclesiam dissipari, impietatem vero ipsam in caput comitis merito redundare, qui cum tutor et defensor existat ecclesiæ, tantæ illius depopulationi non obsistat.

Erat autem juvenis quidam, nomine Guillelmus, filius Petri de Monte Regali inter ministros abbatis Pontii ætate quidem junior, sed ingenio acrior; hic sensu astutus, et obsequio gratus, tantam apud Pontium obtinuit gratiam, ut potentia cunctos excelleret aulicos, et dominandi secundum fere vindicaret locum; quem excludebat, excludebatur; et quem admittebat, admittebatur; quem justificabat, justificabatur; et quem condemnabat, condemnabatur; justum et injustum, munus et meritum, ipsa quoque gratia, qua nihil clarius in omni fortuna, absque Guillelmi favore nihili pendebantur; factique sunt extranei, quos olim et ætas et sapientia Pontio familiares fecerat. Cumque puerilibus animis majora majoribus præsumeret, etiam fratribus detrahere cœpit, proprios accusans dominos, servus conditione et moribus, exclusisque omnibus solus solo nomine domini sui gratia abutebatur; fasque nefasque unius erant pretii apud eum, qui totus incumbebat de penuria pauperum dilatare terminos suos, et abusus fiducia domini sui pro centenario tricenarium reddebat, et pro denario centenarium recipiebat, multiplicatusque est vehementer in possessionibus multis et pecuniis innumeris, et actus omnium in ore illius. Unius tantum gratia abutendo contentus, omnium simul intus et extra odium concitavit. Homo quippe superbus et arrogans atque impurus, honestos quosque et probatissimos viros despiciebat, accusabat, et dehonestabat; adeo quippe simplices pii Patris

A animos circumvenerat callidis adulationibus, ut totum ei concederet quod huic quocunque modo placeret. Elatus igitur et miro modo supra semetipsum juvenis erectus, cum per quadriennium ita insolesceret potiusquam convalesceret, unius uno momento noctis repente miser corruit et crepuit, et effectus est quasi qui nec fuerit, et utinam nec fuisset! nam cum felicis memoriæ Pontius abbas extremum vitæ spiritum efflasset, servus proditor, qui præ dolore commori debuerat, postpositis exsequiis protinus claves tulit, armaria spoliavit, et quidquid rapere potuit, clam asportavit. Cumque tam sacrilegum furtum sæpius reiterasset, deprehensus a fratribus et comprehensus est. Inquisitus autem super thesauros abbatis, et de candelabro au-
B reo quod imperatrix quondam Mathildis mater regis Anglorum Henrici monasterio Vizeliacensi dederat, omnia negavit; et scrutata domo illius, tandemque negata clave a familiaribus illius recepta, repertum est illud quod negaverat candelabrum, sigillum quoque abbatis, simul et sigillum capituli, quod jam per biennium fratres latuerat. Facto autem mane dedit fratribus obsides super quingentas libras pro exsecutione justitiæ tenenda in manu futuri abbatis, qui ea ipsa die depositionis venerabilis Pontii concorditer electus est, anno divinæ Incarnationis millesimo centesimo sexagesimo primo, VI feria, XIV die mensis Octobris.

Interea profanus Guillelmus de Monte Regali ac-
C cessit ad juvenem comitem patris exsequias celebrantem, qui octavo die obitus pii Pontii vitam humanam finierat: cumque multa mentiendo præstrueret, spopondit comiti novo octoginta libras, decem septemque scyphos argenteos, si ei adversus Vizeliacenses auxilium præberet, et singulis etiam annis duas marchas argenti comiti pro commendatitio daret. At ille compromisit ei contra omnes petitum auxilium.

Recepto igitur solemniter electo abbate Guillelmo, clamaverunt omnes pariter adversus Guillelmum de Monte Regali, qui præsumens de auxilio comitis justitiam exsequi detrectabat. Unde jussus ab abbate Guillelmo comprehendi, carceri mancipatus est. Tunc ille solita usus versutia, cum spe-
D rato careret auxilio, abbatibus qui forte ad novi abbatis introitum convenerant, Floriacensi scilicet et Parisiacensi cœpit supplicare, atque sub obtentu confessionis, quam detegere sacerdotibus fas non est, requisitos thesauros in quantum nosset propalare, contestans se stare definitioni eorum de objectis capitulis si novus abbas acquiesceret, qui parens illorum precibus et consiliis dixit se quoque idem facturum, statimque in ipso crepusculo noctis allatæ sunt sanctorum reliquiæ in virgulto abbatis, et productus impius Guillelmus de carcere, juravit super sancta quod faceret quidquid sequenti mane præscripti abbates definirent, et quod interim nusquam diffugeret. Sed in perfido quæ fides? nullum est enim veritatis vestigium, ubi non est fidei

fundamentum. Ut autem vulgo dicitur experto non esse credendum inimico, ita et proditori juranti nulla fides est adhibenda: jurat ore profanus, ore justitiam, sed loquitur ex corde in corde nequitiam, et decidens in profundum malorum contemnit justitiam, sequiturque impietatis propositum. Sic iste sceleratus Guillelmus spreto jusjuramento, postposita etiam fide obsidum impudenter ipsa nocte perjurus aufugit. Quod cum abbas Guillelmus audisset, et rei exitum comprobasset, statim misit ministros suos in domum fugitivi proditoris, et tam frumenta quam vina, vasa quoque et pannos, atque universam supellectilem domus asportari fecit, pollicitamque pecuniam quingentarum librarum a fidejussoribus exegit. Sacrilegus vero clam profugit ad comitem, a quo receptus, post paucos etiam dies ab eo Vizeliacum reductus est. Unde cum comes interpellaretur ab abbate quare perfidum fugitivum suum suscepisset, et Vizeliacum contra morem villæ reduxisset; cui utique non liceret de jure neque commendatitium hominem monasterii suscipere, neque cuiquam inimico villæ in ea conductum præstare: de his et aliis capitulis terminandis constituerunt diem apud Regniacum; ubi cum convenissent, primum conquestus est abbas quod comes extra morem Ecclesiæ homines suos commendatos susciperet; petiitque ut hunc fugitivum suum Guillelmum de Monte-Regali, qui capitaneus servus ecclesiæ existebat, incunctanter sicut de perditione et perjurio convictum sibi redderet. Tunc comes optimates suos requisivit super propositam de jure consuetudinis calumniam. At illi omnes unanimiter dixerunt nullum habere comitem in hominibus ecclesiæ Vizeliacensis commendatum, neque adversus Ecclesiam, neque alio quolibet modo. Protinus comes dimisit versipellem Guillelmum, et jussit eum redire ad legitimum dominum suum, et per omnia illius stare mandato: et ut vidit quod nihil profecisset, præcepto abbatis, vellet nolletque, se submisit. Domo igitur cum aliquibus ex suis possessionibus distracta, obsides suos liberavit.

Preces fundunt ad Deum monachi Vizel. pro comite Nivern. ægro; qui ingratum se nihilominus exhibet. Post hæc contigit comitem infirmari usque ad mortem. Cui abbas Willelmus valde compassus, ut potuit, quanquam exosus ab eo, gratis ei obsecutus est; et oratio fiebat quotidie ab ecclesia Vizeliacensi ad Deum pro eo. Sed cum illa orante convalesceret, ingratus oblitus est omnium beneficiorum quæ sibi ab ecclesia, vel ab abbate exhibita sunt. Et patulas aures linguis apponens detrahentium, recogitabat quibus occasionibus abbatem vel monasterium fatigaret. Scripsitque abbati ut pecuniam, quam profanus Guillelmus de Monte-Regali cognominatus sibi ex compromisso debebat, sibi redderet. Deditque in mandatis nuntio qui ejus litteras deferebat, ut si pecuniam reddere abbas differret, vel dissimularet, terram abbatis illico deprædaret. Quadam ergo die Dominica, epistolam comitis super præfatum negotium abbati nuntius obtulit (dicebatur autem nuntius ille Gaufridus de Meliduno), cui protinus abbas respondit nullam omnino pecuniam se comiti debere; si quid vero impius Guillelmus comiti deberet, ab eo indubitanter reposceret. Respondit Gaufridus nil sua interesse, nisi domini sui tantummodo mandatum perficere. « Nunquid ergo, ait abbas, hac Dominica bonorum nostrorum rapinam facies. » — « Non, inquit Gaufridus, sed cras domini mei præceptum dissimulare non potero. Si tamen ad dominum meum mittere placet, proficiscar libens et ego cum nuntio, et pro causa tua orabo; et cum ibidem, hoc est apud Campummollem, ab abbate procuratus fuisset et abbatis nuntium quemdam monachum iturum ad comitem accepisset, in ipso itinere divertit a monacho, et veniens ad Castrum-Censorium elegit fortissimos juvenes, statimque ipsa Dominica jam advesperascente omnes greges ovium abbatis apud Campummollem, ubi ea die cum abbate comederat, deprædatus est. Nec mora, ultio eum divina secuta est: nondum quippe septem diebus transactis amentia captus, de fenestra domus suæ saltum dedit in subjacenti flumine Yonnæ: unde semivivus extractus propria cœpit membra laniare, sicque insaniendo vita indignus mortuus est. Conclamantibus autem fratribus universis et omni populo Vizeliacensi adversus Guillelmum sceleratissimum, quod causa illius, et tanti principis inimicitias, et suorum deprædationem paterentur, præcepit eidem Guillelmo abbas, quatenus comiti de compromisso satisfaceret, aut certe illata damna ecclesiæ restitueret. Qui deficiens ab utroque, conjectus in vinculis carceri mancipatus est. Ferro igitur ligatus et tenebris obvolutus, censum pecuniæ fetore carceris non potuit negligere, quinimo dulcius habuit omnem subire miseriam, quam vel diminuere gratis pecuniam. Hac etenim pluribus in locis fenerata, squalorem carceris atque famis inediam, quodque gravius est, honestatis injuriam libenter perferebat: tandemque longa carceris pressura coactus, iterum distractis possessionibus pacem fecit, fuitque deinde quasi lupus inter oves circumveniens proximos, accusans pauperes, detrahens divitibus. Sane comes neque hujus miseriis neque suis malis contentus, armenta et pecora, hominesque monasterii Vizeliacensis prædari fecit, quia, ut dicitur in proverbio vulgari, « Sola volenti nocere sufficit occasio; » nullius justæ querimoniæ fretus ratione, occasione quærebat qualiter ecclesiam suo dominio subjugaret, et ab ingenita libertate spoliaret.

Ludovicus rex Gal. partibus stat Alexandri papæ a quo repulsam passus est. His diebus occidentalis Ecclesia gravi schismate laborabat. Henricus autem comes Trecensis partibus favebat imperatoris. Porro Ludovicus rex Galliæ misit in occursum Alexandri catholici papæ legatos suos, Theobaldum abbatem S. Germani de Pratis, et Carducum clericum suum; quorum legationem cum minus optato Alexander

suscepisset, reversi Vizeliacum venerunt. Et decidit in lecto ægritudinis Theobaldus abbas, et mortuus est .IX Kalend. Augusti, sepultusque infra januam basilicæ B. Mariæ Magdalenæ, cujus monachus exstiterat. Et ut cognovit rex Ludovicus repulsam legatorum suorum, iratus pœnituit se suscepisse Alexandrum contempto Victore, et scripsit per Manassem episcopum Aurelianensem super hæc verba comiti Henrico Trecensi, qui eo tempore ad Germanicum imperatorem properabat. At ille gratulabundus pro opportunitate reperta, suggessit imperatori ut iniret colloquium cum rege adunatis utriusque regni optimatibus, et ecclesiasticis viris, contestatus jurejurando quod rex audita utriusque apostolici electionis examinatione, juxta discretionem personarum utriusque regni, staret consilio suo, videlicet Henrici comitis, et indictum est colloquium apud Lovigennam vicum citra Ararim fluvium intra fines regni Franciæ. Et statutum est ut Alexander catholicus et Victor schismaticus colloquio adessent, et de sua electione in conspectu totius Ecclesiæ conferrent.

Pontifex saniori consilio legatos mittit ad regem, qui ejus animum demulcerent. Quod ut cognovit Alexander, misit ad Ludovicum regem legatos, scilicet Bernardum Portuensem episcopum, et Jacintum diaconem suum, qui regis iram lenirent, et familiare colloquium inirent. Convenerunt ergo Alexander et Ludovicus apud Silviniacum, qui est vicus monachorum Cluniacensium. Rex autem Ludovicus rogabat Alexandrum ut ad constitutum veniret colloquium; aut si forte præsentiam imperatoris abhorreret, saltem ad partes illas accederet usque ad Vergiacum castrum, quod erat inexpugnabile. Cui cum Alexander nollet acquiescere: Ego, ait rex, et te et universum comitatum tuum salvum ducam, et reducam salvum sicut corpus meum. Et cum nec sic acquiesceret Alexander veritus dolos imperatoris, respondit rex: « Mirum est quod conscius justitiæ suæ subterfugit testimonium innocentiæ suæ, seu audientiam causæ suæ. » Et abiit rex ad indictum cum imperatore colloquium, nondum autem cognoverat conditiones quas ex parte sua comes Henricus fecerat cum imperatore.

Convenit rex ad colloquium cum Henrico comite Trecensi qui imperatori favens Alexandro adversabatur. Cum ergo venisset rex apud castrum Divionem, occurrit ei comes Henricus, et tum primum aperuit ei pactiones quas cum imperatore fecerat, dicens: « Majestatis tuæ reverentiæ et regni tui consulens utilitati, domine mi rex, inii colloquium super Ararim fluvium, quo, tu domine mi rex, et imperator Fridericus cum pontificibus et abbatibus atque optimatibus utriusque regni convenientes, præsente apostolico tuo, et imperatoris apostolico, ex utraque parte eligentur probatissimi viri tam ecclesiastici quam militares, qui electionem utriusque apostolici dijudicabunt. Et si Rollanni electio fuerit sanior comprobata, Octaviani electio cassabi- A tur, et imperator procidet ad pedem Rollanni; si autem Victoris electio prævaluerit, Rollannus adnullabitur; tu vero, domine rex, ad pedem Octaviani venies. Quod si Octavianum deesse contigerit, imperator ab eo deficiens Alexandro tuo obediet; si autem e converso Alexander defuerit, identidem decidet, et rex Victori favebit. At vero si tua majestas noluerit nec prædictis pactionibus acquiescere, nec arbitrio judicum assensum præbere, ego jurejurando juravi quod ad partes illius transibo, et quidquid de fisco regis in feodum habeo imperatori tradens, ab illo deinceps tenebo. Stupefactus rex Ludovicus ad hæc respondit: « Miror unde tibi fiducia, quod me inscio meque inconsulto talia cum imperatore condixisti. » Respondit Henricus: B « Hanc fiduciam tu, rex, ipse per Manassem Aurelianorum episcopum mihi dedisti: » interrogatusque super hoc verbo episcopus, timore regis dissimulare cœpit, occultans machinationes quibus Henricum ad hoc induxerat. Tunc Henricus protulit epistolam regis, qua continebatur quod nuntii regis repulsi fuissent ab Alexandro, ob quam rem indignatus rex mandabat Henrico quatenus ad imperatorem Fredericum licenter procederet, et colloquium utriusque audientiæ iniret, certus quod rex per omnia illius consilio staret.

Aliud colloquium in finibus imperii. Nuntii regis. Fredericus autem imperator ædificaverat sibi palatium miræ amplitudinis in loco qui dicitur Dolah, C in finibus imperii sui, et cognoverunt Franci quod schismaticus Victor non esset cum imperatore; et lætati sunt super illius absentiam. Quo agnito Theutonici sive Germani currentes, adduxerunt eum cum festinatione maxima eadem die: quem assumptum imperator media nocte duxit supra pontis medium, statimque quasi pactionibus satisfecisset, recessit. Rex autem Ludovicus quasi venatura pergens, transiit per nemus ad locum colloquii, misitque Jocium Turonensem archiepiscopum, et Mauricium Parisiorum episcopum, Guilelmum quoque Vizeliaci abbatem cum aliis optimatibus regni sui ad nuntios imperatoris, qui ibidem convenientes verbum regis exspectabant. Inter quos etiam erat comes Henricus, qui propter affinitatem cognationis, D partibus omnino favebat Victoris schismatici. Petierunt itaque missi regis ex ore ejus competentes inducias, eo quod pactiones hujus colloquii hactenus usque perendie regi fuissent incognitæ, præsertim cum imperator compulerit Henricum comitem jurare ne prædictas actiones ante diem constituti colloquii ullomodo manifestaret regi: indecens autem fore tam temere de tanto negotio diffinire. Cumque imperatoris Frederici prolocutores petitas inducias negarent, reversus est rex apud Divionem. Cardinales vero, quos illuc Alexander papa miserat, sperantes solutum esse colloquium, Vizeliacum redierunt. Rex autem constituit qui custodirent fines regni sui. Et sequenti summo mane venit comes Henricus ad regem in palatio ducis Burgundiæ,

a'legans regem nequaquam esse a pactionibus liberum, ideoque se necessario discessurum ab eo, et sese traditurum in manu imperatoris, ita ut totam terram, quam de feodo regis hactenus tenuerat, amodo imperatori traditam ab eo reciperet, et hominium illi faceret. Attamen ob gratiam regis obtinuisse se dixit ab imperatore trium hebdomadarum inducias, ea conditione quod rex datis obsidibus polliceretur imperatori ad diem se venturum, et Alexandrum adducturum, atque ibidem causam utriusque auditurum, et judicio proborum virorum imperii et regni pariturum, aut certe seipsum tradere vinctum imperatori apud Chrysopolim, quæ est urbs nobilis Byzantinorum : et acquievit rex, et defecit spiritus ejus, et tædiatus est animo, pactusque est ita se facturum, datis obsidibus....... duce Burgundiæ.... comite Flandriæ, et Guilelmo comite Nivernensi. Omnis autem ecclesiasticus, ordo audito hoc verbo quod fecerat rex, doluit valde, et corde clamaverunt omnes ad Dominum ut misereretur Ecclesiæ suæ sanctæ, et liberaret regem a fraude circumvenientium se.

Fallaciæ imperatoris detectæ, a quo rex desciscit. Abiit ergo rex ad prænominatum vicum Lovigennæ, ubi regi debebat occurrere imperator; sed fefellit imperator Henricum, misitque præcipuum fautorem schismatis, Renaldum cancellarium suum Coloniensis Ecclesiæ. Cumque coram eo replicarentur pactiones, quas comes Henricus ex ore imperatoris proposuerat regi, subito divina virtus adstitit Ecclesiæ suæ, et piæ simplicitati regiæ majestatis. Respondit enim Renaldus, profani erroris fautor, nequaquam imperatorem talia dixisse, scilicet quod cuiquam permitteret consortium judicandi Romanam Ecclesiam, quæ proprie sui juris existebat. Tunc repletus gaudio rex, quæsivit ab Henrico comite utrum se haberent pactiones secundum formam ab eo sibi propositam. Et rex : « Ecce, ait, quod imperator qui juxta verbum tuum adesse debuit, abest; ecce quod etiam missi illius formam pacti, te præsente, te teste commutant. » — « Verum est, » inquit, comes Henricus. Et ait rex : « Nonne ergo absolutus sum ab omni pacto? » — « Absolutus, » ait Henricus. Et dixit rex cunctis optimatibus suis et episcopis, atque abbatibus, qui præsentes aderant : « Audistis et vidistis omnes qualiter ego ipse gratis perfecerim omnia quæ ad me pertinent, et dicite utrum liber ab his pactionibus videar. » Dicunt omnes : « Liberasti verbum tuum. » Statimque rex velocissimum equum cui insidebat reducens, protinus ire perrexit. Theutonici autem valde confusi insecuti sunt eum, rogantes ut rediret ad imperatorem paratum prosequi omnia quæ Henricus proposuerat. At ille parvipendens ea quæ dicebantur, decipulam quam evaserat exhorruit, dicens : « Feci quod meum fuit. » Sic soluto conventu rex in suum regnum rediit.

Alexander papa susceptus Parisiis a rege. Consecrat ecclesiam S. Germani Pratensis. Concilium A *celebrat apud Turones.* Alexander autem catholicus papa veritus indignationem regis Ludovici, transiit in Aquitaniæ metropolim urbem Bituricorum, et in Dolense monasterium, quod est apud Castrum Radulphi, ibique hiemavit : et sequenti tempore Quadragesimæ accessit ad Ludovicum regem in urbe Parisiorum. A quo susceptus honorifice secundum morem Romanæ Ecclesiæ, portavit ipse rosam auream Dominica qua cantatur *Lætare, Jerusalem*. Peractisque paschalibus solemniis consecravit basilicam monasterii B. Germani de Pratis, cui præerat Hugo de Moncellis, monachus Ecclesiæ Vizeliacensis. Illuc iterum accessit Guillelmus abbas Vizeliacensis, petens a summo pontifice Alexandro quatenus libertatem et possessiones ecclesiæ suæ, atque immunitatem B banniarum monasterii sui ab antecessoribus suis præscriptarum tertio plenius confirmaret. Cui ille pium assensum præbuit, et tertium ei privilegium dedit. Inde Turonicam metropolim urbem adiit, et concilium ibidem tenuit omnium episcoporum Lugdunensium, Narbonensium, Viennensium, Bituricensium, Senonensium, Remensium, Rothomagensium, Turonensium, Burdegalensium, Auscitanensium, Alpensium, Apenninarum, et Maritimarum, centum quinque numero : Cantuarensium etiam atque Eboracensium, Scotorum quoque et Hiberuensium ; sed et abbatum et diversæ professionis personarum gratanter undique advenientium : nam et Germanorum episcopi plures occulte scri- C pserunt Alexandro papæ, obedientiam, et omnimodam reverentiam pro loco et tempore illi humiliter exhibentes. Italiæ vero non minima pars affuit, partim scripto, partim sua præsentia. Sed et Sardinia et Sicilia, cum omni Calabria, omnis quoque orientalis Ecclesia, et Hispania, devotum obedientiæ caput humiliter Alexandro catholico papæ subdidit.

Agitatæ eo in concilio variæ causæ; præsertim clericorum Paris. adversus monachos San-German. Interfuerunt prædicto concilio Stephanus abbas Cluniacensis, et Guillelmus abbas Vizeliacensis. Cogitaverunt autem actionem renuntiationis Cluniacenses proponere contra Vizeliacenses; sed conscii suæ injustitiæ et Romanæ rectitudinis conti- D cuerunt omnes, nec etiam exinde ausi fuerunt mutire, cum plurimæ hujusmodi controversiæ hinc et inde in eodem concilio proponerentur et terminarentur; sicut fuit causa Parisiensium clericorum et monachorum cœnobii Sancti Germani de Pratis, quæ plenius ventilata injustis clericorum vocibus æternum silentium imposuit. Alexander igitur soluto concilio synodali, Bituricam in urbem, quæ caput est Aquitaniæ, rediit. Procedente dehinc tempore autumni Senonicam civitatem adiit, ibique per decem et octo mensium curricula sedit. Auctore autem schismatis Octaviano, qui appellatus est Victor, ab hac vita infeliciter exempto, subrogatus est a schismaticis Guido Cremonensis, qui de auctoribus electionis Alexandri primus apostatavit.

Comes Nivern. persequi Vizeliacenses non desistit. Interea comes Nivernensis Vizeliacensem Ecclesiam graviter infestabat, et per suppositas personas eorum qui ovino colore mendacium supprimunt, mores Guillelmi abbatis et fratrum suorum diffamare insistebat. Sola quippe Vizeliaci deditione cupidus, invidiæ morbo adversus abbatem afficiebatur, qui pravis conatibus ejus tam strenue quam callide resistebat, Unde illius magnanimitas potissimum enituit, quod insimulanti æque ut deprædanti restitit. Eapropter cum dolus invidiæ in seipso contabescens nihil penitus proficeret, et ab omni destitueretur jure, tandem postposita justitia, honestate spreta, contempta religionis reverentia, rabiem vesaniæ suæ tyrannica temeritate armavit. Cumque tergiversando ut inique ageret, laboraret, et nullam causam juste affligendi Ecclesiam inveniret, usurpatas procurationes, quas pater illius periculo maris actus remiserat, et eo cum matre in capitulo Vizeliaci concedente confirmaverat, contra jus fasque ab Ecclesia repetiit. Neganti abbati quod injuste reposcebatur, diffidationem mandavit. Intervenientibus autem amicis utriusque partis, inierunt colloquium supra stagnum de Noverria, si forte obortam controversiam pacificare possent. Interpellanti itaque comiti super prædictam exactionem, respondit abbas, quia quod pater dimiserat, et ipse concesserat, nec ab eo repetendum, nec a se reddendum erat, præsertim cum ipse investitam Ecclesiam hac dimissione partis, et sua concessione invenerit. Et subito tyrannus iracundia motus, frendens et insaniens, Vizeliacum venit (erat autem vigilia nativitatis præcursoris Christi), ingressusque monasterium, cum fratres audito adventu ejus claustra sua signassent, irruit ipse, et primus accepta securi ostium fregit coquinæ. Quod videntes satellites ejus, domos ecclesiæ protinus occupaverunt, ostia reliqua fregerunt, monachos impellentes cæciderunt, et de substantia monasterii dominum suum invitis fratribus ea nocte in hospitio monasterii procuraverunt. Fratres autem cruces et capsellas deposuerunt, altaria nudaverunt, et divinum officium per omnes ecclesias suas celebrare cessaverunt.

Papa monet comitem ut vexare desinat Vizeliacenses. Ea nocte declinavit abbas apud Campummollem; sequenti vero apud Gibriacum: inde misit ad regem, ipse autem profectus est ad Romanum pontificem, qui regressus a concilio Turonico in Dolensi monasterio degebat: sed quia rex expeditionem tunc moverat in Arvernenses, noluit exasperare comitem, monuit tamen ut propositam litem differret, donec ipse ab expeditione rediret. Alexander quoque recogitans schisma quo infirmabatur Ecclesia, et veritus ne forte si aliquantulum durius erga sæculi principes procederet, graviori scandalo Ecclesiam affligeret, simplici tantum scripto commonuit comitem, ut a gravaminibus Ecclesiæ Vizeliacensis, quæ filia beati Petri et alodium Romanæ Ecclesiæ existebat, desisteret. Sed induratum est

A cor Pharaonitici comitis, et pro dulci fonte duritiam induit lapidis. Apostolica igitur simul et regalia monita spernens, cum gravi et multo exercitu equitum et peditum atque promiscui vulgus, quasi hostilem obsessurus populum, in ipsa beatæ Mariæ Magdalenæ sacra solemnitate Vizeliacum venit: quo ingresso, protinus fratres cessaverunt a divinis officiis, seorsum submissa voce in capella Genitricis Dei clausis ostiis claustri Deo debita vota solventes, indignum utique judicantes sacra sacrilego pandere. Abbas autem descendit apud Sanctum Petrum; comes autem monasterium ingressus more solito, sed comitatu insolito descendit in hospitio, negatamque sibi a fratribus procurationem ipse sibi de suo exhibuit.

B *Pacem ineunt abbas et comes nonnullis conditionibus interpositis. De illatis injuriis veniam petit comes.* In ipsa nocte ascendit abbas ad sepulcrum beatæ Mariæ Magdalenæ, ibique Deo debita solemnitatis celebria pro tempore persolvit, et illucescente die descendit ad Esconium, Deoque sacram hostiam obtulit. Quem insecutus Renaldus de Merloto fratruelis suus cum Duranno Alburg, rogavit quatenus ibidem requiesceret modicum. Miserat quippe apud Gibriacum, qui sibi necessariam refectionem pararent. Ascenditque Renaldus, et locutus est de compositione pacis cum comite. Revocato igitur abbate talis compositio processit, ut comes de violatione monasterii publice ad altare satisfaceret, de usurpata procuratione viginti libras resolveret, remis- C sionem quam pater fecerat de fortuitis procurationibus ipse denuo concederet, et scripto confirmaret; Renaldum quoque fratrem suum, et Guidonem æque fratrem suum, sororemque hæc omnia concedere faceret, data fidei pollicitatione et obsidibus, Ignaro vicecomite de Joviniaco, et Stephano de Petrapertuis, et Hugone de Tornella, ut cum ad legitimam ætatem pervenissent, iterato præscriptam remissionem concederent. Ob gratiam vero scriptæ confirmationis et conservandæ pacis in perpetuum diffinitum est quod abbas septingentas libras daret comiti, et de procuratione illius diei ducentas quinquaginta tres libras persolveret, eo pacto interveniente, quod comes sequentis festi procurationem D penitus dimitteret, et iterum de alia procuratione non nisi centum libras exigeret. His ita compositis et hinc inde concordatis, hora diei sexta pulsantibus signis celebraverunt fratres sacri festi solemnia. Et accedens comes ad altare, de illata monasterio satisfecit injuria, reposuitque juxta condictum pro recti executione viginti libras. Et sequenti die ingressus capitulum fratrum, præsidente abbate, coram omnibus concessit sæpedictam procurationum fortuitarum remissionem, quam pater suus fecerat, et scripto confirmavit, suique sigilli munimine corroboravit.

Iterum litem movet et persecutionem. Post hæc Guillelmus comes Nivernis ægrotavit vehementer, ita ut desperaretur; sed cum humilitatis vota sol-

veret Deo, tandem convaluit, petivitque sanctorum suffragia in oratorio Beatæ et intemeratæ Virginis Mariæ apud Anicinum urbem Vallavensium. Inde reversus corpore quidem ad patriam, animo autem ad inditum sibi odium Guillelmi abbatis Vizeliacensis, mandavit eidem ut sibi justitiam de non exhibito sibi salinario exsequeretur in præsentia sua, et judicio curiæ suæ Nivernis staret. Respondit abbas: « Sperabam fecisse me pacem cum comite de omnibus querelis præteriti temporis : verumtamen quia ego rudis, et de hujus monasterii consuetudinibus nondum plene instructus videor, loquar cum majoribus natu villæ hujus, et cum cæteris sapientibus, et secundum consilium cœlitus nobis indultum per proprios comiti nuntios respondebo. » Abo autem de Monte-Gualguerii (is enim injunctum sibi nuntium perferebat) dixit abbati : « Si placet diem comitis a me tibi denominatum suscipere, bene; sin autem, comes faciet sicut de negata sibi a te justitia. » Sic Abo recessit, et pejora dictis comiti retulit. Abbas vero iniit consilium, misitque nuntios qui ad hæc verba responderent; qui euntes occurrerunt satellitibus comitis, dominum suum cum multa vesania venientem Vizeliacum præeuntibus. Et subito tyrannus irrumpens in monasterium, invasit officinas monasterii, misitque protinus præcones per omnem villam Vizeliaci et Esconii et Sancti Petri, mandans omnibus hominibus monasterii, ut pariter congregati præsentiæ suæ in crastinum astarent. At illi unanimiter omnes mandatum ejus contempserunt. Tunc ille furia invectus contra morem oppidi clamare fecit per præconem suum, quod omnis qui ante conspectum suum non veniret, inventus procul dubio caperetur, et domus illius publicaretur. Quo audito stupefacti sunt omnes, et plures præ timore accesserunt ad eum; quibus astantibus dixit : « Quoniam negavit mihi abbas justitiam, investivi me de jure meo : volo itaque ut abjurato abbate fidelitatem mihi faciatis, et amodo abbati aut monachis nullam consuetudinem persolvatis. » Ad hæc burgenses responderunt : « Nos fidelitatem juravimus abbati et Ecclesiæ; injustum ergo et turpissimum videtur absque causa quantum ad nos pejerare; unde petimus a te dari nobis inducias ut cum domino nostro loquamur, et super hæc verba illum conveniamus. » — « Præsto est, ait, dominus vester, et cito poteritis ei loqui. » — « Permitte nos ergo, inquiunt, ire ad eum. » Quibus ille dixit : « Eligite ex vobis duos vel tres qui abbati verbum vestrum, et vobis illius responsum perferant. »

Surrexit igitur Simon de Silviniaco, et Durannus Alburg, qui comitis impietati præcipue favebant, veneruntque cum paucis ante abbatem, et innotuit sermo abbati, quod comes detinuisset suos, ne ad se venirent. Illico vocavit Joannem Caprarium, et paucos seniorum ecclesiæ, misitque eos confestim in hospitium ad burgenses suos in hæc verba: « Vobis qui fidelitatem abbati debetis et Ecclesiæ,
A mandat et præcipit abbas per ipsam fidelitatem quam sibi jurastis, et sibi debetis, ut recedentes ab hoc tyranno quantocius ad illum veniatis; » et statim venerunt. Et cum de quæstione comitis hinc inde multa conferrent, rogaverunt burgenses abbatem, quatenus in tanta necessitate sibi et illis consuleret, tempusque redimeret, recipiens diem comitis sub tali conditione, ut in eo tantum comiti faceret, quantum deberet. Acquievit abbas suorum consiliis, mandavitque comiti dicens : « Quoniam ex improviso tyrannice invasisti domum meam, licet omnino injustum sit quod exigis, suscipio tamen diem tuum sicut violentiam passus, assignatum apud Altissiodorum, tantum ibidem facturus quantum debere me probabo. » Protinus comes frustra-
B tus a proposito (proposuerat namque tali conditione Vizeliacum suo mancipare dominio) collecto impetu vesaniæ suæ recessit. Instante autem die, misit abbas ad comitem Desesiæ majores ecclesiæ suæ, Gilonem tunc priorem, et Gaufredum Angligenam superiorem, atque Gislebertum eleemosynarium. Quibus ille dixit ut se sequerentur Nivernis, ibidem eos auditurus. Quod cum fecissent, ex parte abbatis renuntiaverunt ei diem assignatam, rogantes ut alteram propinquiori loco assignaret. Renuente illo diei renuntiationem vel commutationem suscipere aut dare, subintulerunt : « Dominus abbas Vizeliacensis tibi respondet per nos, quod mandato tuo stare nullo teneatur jure, et si denuo per violentiam
C volueris illum fatigare, ipse te appellat ad audientiam apostolicam, ad quam dominium Vizeliacensis monasterii proprie spectat, et ad audientiam domini regis, sub cujus protectione et custodia idem monasterium consistit, assignatque tibi diem in præsentia papæ Alexandri in Octavis Paschæ; interim se suaque in manu apostolici, et in manu regis committens. » Et cum hæc dixissent, licentiamque redeundi ab eo petiissent nec impetrassent præ nimia ira, paululum digressi reversi sunt ad hospitium suum in monasterium Sancti Stephani, quod contiguum est eidem urbi, simulantes quasi in crastinum ad curiam comitis essent redituri. Nocte vero conscensis equis Vizeliacum redierunt. Abbas autem declinans furorem insanientis comitis, abiit
D in Franciam.

Abbas vero abiit ad Alexandrum papam, significans ei qualiter et quam injuste ipse et ecclesia Vizeliacensis a comite gravaretur. Inde profectus est ad regem, conquestus in auribus ejus super injusta vexatione qua premebatur a comite ; qui motus tam compassione conquerentis, quam commonitione Alexandri papæ, mandavit comiti diem colloquii in urbe Senonum. Quo utrinque convenientes, et plura hinc inde conquerendo conferentes, cum pacis vestigia nulla paterent, tandem rogatu regis diem requisitæ justitiæ in submonitione sua distulit. Rex autem Ludovicus Epiphaniorum diem fecit apud Vizeliacum, et suscepit eum abbas, obsecutusque est ei diligenter; quo regresso,

invidia ductus comes mandavit abbati diem apud Altissiodorum; qui diem suscipiens pro tanto quanto sibi competeret, misit ad papam legatos qui eum consulerent quid super hoc faceret. Illi vero accepto ab eo consilio, et caute secreto commisso, reversi sunt.

Monachus circumfert reliquias SS. ad poscendas suppetias. Et egressus quidam frater Vizeliacensis, nomine Renaldus, a monasterio quod adjacet Moreto cum B. Dei genitricis Mariæ, et S. Blasii, aliorumque sanctorum memoria propter ædificationem basilicæ ipsius monasterii, de eleemosynis fidelium plurimam collectionem faciebat. Cumque loca peragraret, et Ambianensium pagum pluribus sanctorum virtutibus opitulante superna gratia illustrasset, ad castrum quod dicitur Arborea, cum ipsa sanctorum venit memoria: ubi paucis diebus commoratus, cum plurima ibidem sanctorum per merita fierent miracula, et multus undique occursus populorum fieret, tandem exinde abire proposuit, et hinc inde, ut moris est, assumentes lecticam, nec vel parum ab ecclesia potuerunt eam extrahere. Cumque vices vicibus alternarent, et nunc alios aliis, nunc fortiores fortioribus submitterent, dominus locorum, nomine Alelmus, cum alio illustri viro lecticam levavit, sed neque limen basilicæ attingere potuit. Reponentes itaque lecticam super altare, orationi incubuerunt. Tunc unus fratrum, qui cum eodem Renaldo advenerant, vocatus Petrus, stulta temeritate cœpit lecticam ipsam, quasi sanctos flagellis exire compellens, percutere virgis. Nec mora, in illum desævit ultio: continuo quippe paralysi dissolutus, post paucos dies hac vita caruit. Illustris ergo vir Alelmus, perpendens divinitus hæc fieri, pro munere sibi cœlitus collato omnium bonorum auctori Deo gratias egit; deditque in confinio ipsius castri in proprio allodio locum ubi ædificaretur oratorium, in quo sanctorum memoria reponeretur, et a fratribus religioso officio ad honorem Dei coleretur. Constituit etiam locum ipsum sub regimine et dispensatione Ecclesiæ Vizeliacensis debere consistere, eo quod sanctorum pignora ab eadem Ecclesia et a fratribus ejusdem loci perlata ibidem fuissent. Ad quem locum ipse Guillelmus abbas cum vocatus venisset, alias quoque reliquias et ornamenta multa pretiosa secum attulit, quæ ob honorem sanctorum et ob devotionem fidelium locorum illorum ibidem reliquit, dictus est locus ille de nomine adjacentis castri, Arborea. Sic inter fluctus persecutionis bonorum semper successus virtutis incrementum capit; et unde magis Ecclesia affligitur, inde magis cumulatur.

Grassatur comes Nivern. in monachos Vizel. Comes itaque Guillelmus gravi odio tenebatur adversus Guillelmum abbatem, et quia minus perficere valebat quod volebat, furorem suum in rapina asinorum, et pecorum, et mancipiorum monasterii explebat. Et erat homo pessimus Hugo, cognomine Lethardus, servus de capite suo monasterii: fuit quippe mater ejus consanguinea germana Simonis filii Odonis præpositi Vizeliaci, servi utique Ecclesiæ: qui videlicet Simon prodidit et percussit dominum suum, videlicet Artaldum abbatem Vizeliacensis monasterii. Hunc Hugonem fecit sibi comes præpositum apud castrum Censurium, qui præ omnibus satellitibus comitis Ecclesiam persequebatur. Impossibile dictu quot et quibus quantisque modis nocte dieque vexabat eam, et injuste agens de jure interpellabat Ecclesiam; sed jus exigens, nil juris rependebat, imo pro jure sibi constabat quidquid contra jus fasque violenter extorquebat. Cum ergo iterum abbas conquereretur in Alexandri papæ auribus super iniquas et multiplices oppressiones, quæ per satellites comitis sibi et suis inferebantur, scripsit Alexander comiti et matri ejus in hæc verba:

Ut a vexatione abstineat ad eum scribit Alexander papa. « ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro GUILLELMO comiti Niverni, et IDÆ matri ejus, salutem et apostolicam benedictionem. Quanto monasterium Vizeliacense, » etc. *Vide in Alexandro III*, Patrologiæ t. CC.

Litteras papæ spernit comes. Igitur Petrus Rom. Ecclesiæ subdiaconus peractis apud Vizeliacum Dominicæ Nativitatis solemniis, venit ad comitem et ad matrem ejus, deditque illis apostolica scripta: et cum post apostolica scripta, etiam et suam, uti optime litteratus, exhortationem obturatis auribus exhibuisset, illi ex adverso injuriis et diversis pluribusque mendaciis cœperunt abbati et fratribus ejus detrahere, bonumque nomen illorum diffamare. Et cum de pace cum inimicis pacis tractaret, nullum pacis vestigium invenit, nisi abbas contra morem et dignitatem Ecclesiæ judicio curiæ comitis staret. Adhibito ergo communi fratrum consilio, deliberaverunt omnes pariter exsilium potius mortis subire, quam tantæ tyrannidi deservire. Omnem itaque postponens abbas dissimulationem induciarum, suscepit diem indictam in initio Quadragesimæ, misitque ad papam ut sibi mitteret auxilium: qui misit ei Hyacintum diaconem cardinalem Rom. Ecclesiæ, et Petrum de Bona subdiaconem suum, et Joannem mariscalcum suum.

De pace tractatur. Eo tempore fratres Pontisaræ astabant apostolicæ curiæ, interpellati a Cluniacensibus, eo quod vel Guillelmum quondam abbatem suum Vizeliacensibus illis inconsultis dimiserint, vel alium ei substituerint; sed defecerunt Cluniacenses a causa sua, nec etiam præsentare se ad diem præsumpserunt. Unde fratres monasterii Pontisariensis absoluti a Romano pontifice, cum libertate sua remearunt ad propria. Quorum abbas Lecelinus Vizeliacum interim degebat, et rei exitum ibidem exspectabat. Præ nimia quippe arrogantia dedignati sunt illum Cluniacenses in causam trahere, sed fratres ejus tantum, quasi acephalos provocaverunt; de monachis tantum, non de abbate, quasi non esset abbas, conquerentes; ideo conse-

quenter fratrum, et non abbatis audientiam Alexander papa expetiit : sed, quia non fuit Satan neque occursus malus, probatam Pontisarensis monasterii libertatem favore omnium cardinalium confirmavit. Convenerunt itaque Altissiodorum Guillelmus abbas Vizeliacensis, et Lecelinus abbas Pontisarensis, atque abbas monasterii S. Joannis de Pratis, cum multis aliis fratribus et amicis monasterii Vizeliacensis; quibus etiam occurrerunt legati apostolici : quorum præsentiam comes reveritus, jam sponte mutare diem voluit, quem hactenus nec rogatus differre permisit. Super quo abbas prudentes viros consuluit. Respondens Hyacintus dixit ei : « Hactenus tertiana laborasti febre, ergone vis quartanam subire? quin potius ambages omnes abrumpe, et de jure libertatis tuæ incunctanter age. » Et posuit abbas verbum suum in ore abbatis monasterii Sancti Joannis de Pratis; sed nec ipse nec quispiam alter ob timorem comitis ausus est proloqui. Quod videntes filii libertatis Ecclesiæ Vizeliacensis, fide armati omnem penitus timorem abjecerunt, et propriam dignitatem alieno defensare sermone indignum duxerunt. Surrexitque Gilo, tunc temporis prior cœnobii Vizeliacensis, et ait comiti : « Hactenus audivit allegationes tuas dominus Vizeliacensis; et quædam quidem facili cedunt concordiæ; cætera vero secum ipse tractabit; nam judicio tuo eum stare debere frustra existimas, quippe qui nullo unquam tibi jure tenetur. » Quo audito comes nimio furore correptus est. Erubuit enim ad verbum quod præter opinionem suam fuerat prolatum. Egressusque est abbas cum suis a comite. Hyacintus autem feroces principis animos mitigare tentabat, et pro pace instabat; sed repulsus, vel inducias aliquas Ecclesiæ dari orabat. Acquievit comes, et fictas licet inducias dedit usque in octavas Paschæ.

Episcopalia munia exercet Vizeliaci Signiensis episcopus. Instante igitur sacra Dominicæ Resurrectionis solemnitate venit Vizeliacum Signiensis episcopus, a latere domini papæ missus ad visitandos et confortandos fratres; et consecravit ibidem sacrosanctum chrisma, et oleum sanctum sacro die cœnæ; celebravitque Sabbato sancto Paschæ ecclesiasticos ordines. Ordinavit autem Henricum, Petrum, et Humbertum de monachis Ecclesiæ presbyteros; Geraldum quoque ejusdem villæ clericum fecit presbyterum; tres etiam diacones de monachis ordinavit, scilicet Ansellum, Guillelmum, et Gaufredum, subdiaconos autem, Guillelmum, et Guidonem pueros. Porro Laurentium de Moreto fecit acolythum.

S. Thomas exsul in Gallia tutelæ regis se committit. Thomas autem Cantuariæ archiepiscopus Henricum regem fugiens exsulabat apud Pontiniacum. Is aliquando familiarissimus eidem regi, et eleganti strenuitate conspicuus, cancellarius ejus exstiterat, nec eo potentior quisquam visus est apud regem Angliæ; at, ubi ecclesiastici regiminis curam suscepit, Deum homini præponere per omnia curavit, unde contigit ut usurpanti regi in morem Oziæ jura ecclesiastica, velut alter Jonas constanter restiterit. Quamobrem indignatus rex, et inæstimabilem gratiam implacabili commutans odio, comprehendere illum, et bona ejus in fisco redigere disposuit; sed prævenit impios conatus solertia innocentis, et clam mare transiens cum parvo comitatu ad Ludovicum regem Francorum venit, et se suosque in manu illius commisit. Qui suscepit eum benignissime, et necessarium ei auxilium liberaliter exhibuit. Attamen justum illi visum est Alexandrum papam adire debere, et omnino ipsius consilio stare. Ad quem cum venisset, et adventus sui causam ei exposuisset, condoluit ei Alexander, et tradidit eum Guichardo Pontiniacensis monasterii abbati, qui postea ab ipso Alexandro Lugdunensium archipræsul consecratus est. Rex autem Ludovicus pro his et pro aliis negotiis ad Henricum regem Anglorum misit, indixeruntque reges mutuum colloquium : cui colloquio cum interesse Alexander disponeret, venit Parisius : quod ut rex Henricus cognovit, colloquium indictum Ludovico regi demandavit, infestus Alexandro ob invidiam Thomæ Cantuariensis. Alexander autem iterato jam acceperat legatos Romanorum rogantium ut rediret, et beati Petri ad sedem remearet, vale dicens itaque Ludovico regi ad urbem venit Bituricorum.

Hugo Letardus res Vizel. deprædatur instinctu comitissæ Nivern. Impiissimus vero Hugo Letardus, servus nequam genere et moribus, pertinaciter insistebat tam captioni quam deprædationi hominum et rerum Vizeliacensium; sed et illa vetus Herodias, filia Jesabel de semine Amalech, mater videlicet Guillelmi comitis Nivernis, nomine Ida, virus odiorum ore pestifero jugiter infundebat in filii pectore, æmula honestatis, et inimica totius bonitatis, et quæ satellites suos quasi filii partibus favens, ad persequendum monasterium Vizeliaci acriter perurgebat. Hinc cædes, hinc rapinæ, hinc captivitates, hinc varia tormenta, hinc mortis diversa genera, omnia de antro femineæ nequitiæ manantia; nec facile cuiquam civium Vizeliaci exitus liber patebat. Composuerant fratres ratem calcis miræ magnitudinis ad construendum dormitorium suum, et igne succenso trahebant ligna cum plaustris de adjacenti nemore suo : unde inflammata hydra peste invidiæ, immisit satellites vesaniæ suæ, qui in ipsis sancti Spiritus solemniis equos raperent quadrigarum, quibus ligna trahebantur : sic deficiente igne periit opus ratis pretii centum librarum. Hujus hydræ viperinus filius præceperat observari iter Guillelmi abbatis, ut quasi eo ignorante a vilibus mancipiis dehonestaretur.

Conqueritur abbas coram papa multis rationibus. Tantis igitur undique malis afflictus Guillelmus abbas, prosecutus est Alexandrum papam; quem cum in prædicta urbe invenisset, exposuit ei omnia.

ut potuit, mala quæ a comite et matre illius patiebatur : dixitque illi quod causa sua, causa esset domini papæ et totius Romanæ Ecclesiæ, cujus juris monasterium suum proprie existebat, et ideo æque ut suum Vizeliaci negotium suscipere apostolicum debere, præsertim cum idem monasterium hoc solo crimine periclitaretur, quod se Romanum libera voce profiteretur, et quod nemini se obnoxium, nisi soli Romano præsuli fateretur. Addidit quoque, quod si periclitanti monasterio quam citius subvenire negligeret, tanquam repudiatum adulterò manum daret, et jam amplius de censuali jure non teneretur, maxime cum in ipsa apostolica præsentia tam moderna, quam antiqua Romanorum pontificum impune vacillarent statuta, seu privilegiorum munimenta, et astante pastore lupina desæviret rabies, nec multum constaret libertas, quæ unius verbi justitiæ posset distrahi silentio. Denique, non pusillanimitate, nec supercilio ductus toties apostolicas adversus comitem aures interpellarit, qui certe quam sæpe et prece et pretio gratiam illius redemerit : ipse autem econtra tam diram calamitatem ingratus sibi rependerit, quod jam pene exhaustum ad extremam fere inopiam se contulerit, nec contentus redemptione hominum seu dilapidatione possessionum monasterii fuerit, sed ipsum fratrum quotidianum victum jam per biennium tulerit. Quod factum quamvis graviter monasterium affligat, magis tamen ac magis injuriam ingenitæ libertatis deflet; quam videlicet libertatem sub obtentu cujusdam usurpati, et negligentia quorumdam prædecessorum suorum subrepti salvamenti annullare penitus contendit; liberalitas quippe, quæ illi charitative aliquando impendebatur, jam non ut gratuita devote liberalitas poscebatur, imo ut debita tyrannice servitus exigebatur. Et qui prius pauci numero contenti erant oblato, nunc multus exercitus inhiant rapto, in tantum quod unius hospitii procuratio ducentarum quinquaginta librarum et eo amplius constaret pretio. Talia dicta talibus abbas rursus prosequebatur, dicens filiam B. Petri, videlicet Ecclesiam Vizel. omni expositam fore malo, ita ut jam a planta pedis usque ad verticem nulla sit in ea sanitas : « Data est enim, ait, omni transeunti in direptionem et conculcationem, et quo prius exstitit junior, eo nunc magis ac magis invenitur abjectior; et qui prius invidebant libertati illius, modo insultantes movent super eam capita sua, et derident Sabbata Romanæ dignitatis in exprobrationem deditionis Ecclesiæ Vizeliac. » Jam Edua, Cluniacum, et versa vice Cluniacus Eduam adversus Vizeliacum mutuo se instigant et cohortantur. « Tempus est, aiunt, quo confracto cerebro Romanæ arcis, oculi quoque illius effodiantur, et subjiciamus nobis ancillam fugitivam, quæ se gloriatur B. Petri filiam. » Et nunc Edua Moab, nunc Cluniacus Idumæam repræsentat, Vizeliacum velut alteram Jerusalem impugnando sibi reputantes, et dicentes : Populus stultus est, pauper et superbus. Ego igitur Edua superbiam illius contundam : tu autem stultitiam ejus subsannabis et paupertas illius nostras supplebit delicias. Invitemus ergo Assur precibus, instigemus persuasionibus, conducamus muneribus, qui ejus arrogantiam atterat in virga ferrea, et in manu robusta, et quoniam non est auxiliator neque propugnator qui liberet eam, scindamus eam inter nos, et tollat unusquisque partem suam. Tu, Cluniacus, arcem obtinebis capituli : ego Edua mihi vindicabo altare. Porro Assur, comes scilicet, oppidum diripiet. « Et quis ad hæc, inquit, domine sancte Pater, stabit? utinam esset transmigratio! utinam forte divideremur! utinam tempus et tempora nobis ponerentur! forte quando suscitaret nobis Dominus Aod ambidextrum, in cujus manu foret salus Israel; nunc autem in sedibus nostris jugulamur in domo nostra servituti subjicimur, temporis redemptio perpetua nobis efficitur subjugatio. Tantorumque malorum cumulo totius miseriæ et extremæ ignominiæ accedit incrementum, quod in conspectibus patris mactamur, quod a complexibus pastoris avellimur, quod legitimo præsente patrono præjudicamur; quodque summa totius redargutionis est, silentio universalis judicis condemnamur. Utique si actio palam procederet, si ratio intercederet, si jus fasque, vel judiciarius ordo locum haberet, levior esset jactura, et gauderet compendio præjudicata pœna, tametsi minus videretur conscientiæ judicio promerita. Nunc autem causa nostra in ore vulgi versatur, et judicium nostrum in manu inimicorum nostrorum proscribitur. »

Papa Alexander respondet abbati, conaturque a vexatione comitem avertere. His auditis condoluit Alexander, et omnis Romana Ecclesia, scripsitque comiti, ut illata damna monasterio Vizel. emendaret, et denuo ab infestatione ejus abstineret : quod si quid juris habere se adversus abbatem putaret, præsentiæ suæ in octavis Pentecostes apud Clarummontem se exhiberet, ibi primum abbati satisfacturus, et sic ab eo jus debitum recepturus. Comes autem apostolicum mandatum penitus contempsit, insuper etiam abbati insidias prætendens, ita eum inclusit, quod nec illius equi aquatum ire possent. Misit ergo abbas Joannem clericum suum ad Alexandrum; sed et comes dissimulans contemptum, misit et ipse Theobaldum decanum Nivernis, et Humbertum archidiaconem, et Bernardum priorem S. Stephani : quos apostolicus pontifex benigne suscipiens, requisivit utrum sufficientes responsales pro comite advenissent. Sed cum excusationem potius quam juris executionem prætulissent, absolutos remisit, scribens per eos comiti quatenus infra octo dies posteaquam litteras suas recepisset, abbati et fratribus monasterii Vizel. ablata restitueret, captos burgenses, et eorum obsides liberos absolutosque dimitteret; et ipsis stratæ publicæ, quam a longe retroactis temporibus habuisse noscebantur, ingressum et egressum liberum habere permitteret : deinde apostolico se conspectui præsentaret, ut inter

eum et prænominatum abbatem ac fratres componeret. Quod si ei grave videretur, scilicet apostolicam adire præsentiam, ad Senonensis et Bituricensis archiepiscopi præsentiam cum abbate accederet, qui inter eos pacem et concordiam reformarent. Porro, Bituricensi et Senonensi archiepiscopis scripsit formam præscripti mandati ad comitem, præcipiens eis ut, si comes mandato illius staret, congruam compositionem inter abbatem et comitem facerent; sin autem, præcipiendo mandavit soli Senonensi, ut secundum tenorem aliarum litterarum procederet, quarum continentia ita se habet :

Scribit ea de re ad Senon. archiep. « ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HUGONI Senonensium archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem. Ad tuæ fraternitatis notitiam, » etc. *Vide in Alexandro III*, Patrolog. t. CC.

Ejusdem est argumenti. « ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei : venerabilibus fratribus HENRICO Eduensi, GALTERIO Lingonensi, ALANO Antissiodorensi, et BERNARDO Nivernensi episcopis salutem et apostolicam benedictionem. Ad vestræ fraternitatis notitiam, » etc. *Vide ibid.*

Rogat regem ut comitem coerceat. « ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, charissimo in Christo filio LUDOVICO, illustri Francorum regi, salutem et apostolicam benedictionem. Ad regiæ serenitatis notitiam, » etc. *Vide ubi supra.*

De præfatis litteris a se scriptis certiores facit abbatem ac monachos Vizeliac. « ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis GUILLELMO abbati et fratribus Vizeliacensibus, salutem et apostolicam benedictionem. Susceptis litteris vestris, » etc. *Vide ibid.*

Archiepiscopus Senon. arbiter a papa constitutus, agit causam Vizeliac. et comitis. Igitur Hugo Senonensium archiepiscopus secundum mandatum apostolicum præfixit comiti et matri ejus diem infra quem ablata Ecclesiæ Vizeliacensi restituerent, et suam atque Bituricensis præsentiam adirent, ut cum Ecclesia Vizeliacensi componerent. At illi rogaverunt Senonensem quatenus per se solum diem sibi et abbati daret, illi autem consilio ejus cum abbate libenter componerent. Et convenerunt Senonensis et abbas cum fratribus et amicis suis apud Sanctum Julianum de Salice. Comes autem et mater ejus legatos suos miserunt, non qui componerent, sed qui appellarent apostolicam audientiam. Prævideral hoc abbatis Guillelmi provida sagacitas, qui jam paulo ante cum magna celeritate miserat nuntium suum, supplicans quatenus omnem appellationis vocem tolleret ab eis, qui potius subterfugium quam judicium quærebant. Unde impetrato quod postulabat, reversus est festinanter nuntius; et quarto die post appellationem ingressus Senonicam urbem, invenit abbatem; et dedit ei optatas litteras domini papæ. Statimque abbas ingressus ad archiepiscopum, tradidit ei apostolicum mandatum, quo continebatur, ut nisi comes et mater sua infra præ-

A scriptum terminum viginti dierum, quem nuper in superioribus litteris præfixerat, ablata Ecclesiæ restituerent, de illatis injuriis satisfacerent, et a gravaminibus Ecclesiæ deinceps quiescerent, omni remota appellatione in personas et in terras eorum sententiam secundum tenorem aliarum litterarum promulgaret. Quo audito Senonensis valde stupuit, miratus tam celerem appellationis remotionem, indignabatur etenim apostolici judicii sententiam sibi delegatam fuisse, eo quod Nivernensis comitis animositatem vereretur. Ipse autem comes ære graviter alieno pressus, audivit multas esse opes in quodam Arvernorum municipio, quod vocatur Mons-Ferrandi ; et repente ex insperato quietum nihilque suspicantem aggressus est populum, et omnem B prædam prædicti diripuit municipii, ipsumque dominum municipii pactæ pecuniæ obsidem secum tenuit : ubi cum furiosa tyrannide desæviret, venit ad eum Senonensis archiepiscopi Hugonis nuntius, et obtulit ei ex parte domini sui archiepiscopi Senonensis litteras hunc modum continentes :

Nisi comes ablata Vizeliac. restituat, excommunicationis sententiam minatur. « HUGO, Dei gratia Senonensium archiepiscopus, charissimo suo GUILLELMO nobili comiti Nivernensium, salutem et dilectionem.

« Suscepimus litteras domini papæ pro Ecclesia Vizeliacensi, quam omni modo aggravastis, sicut monachi conqueruntur, et misimus ad vos statim Guilelmum fratrem meum qui vos admoneret diligenter, C ut omnia ablata et damna faceretis restitui, et injurias emendari, et præfixus fuit vobis dies. Infra vero diem, sicut conquesti sunt monachi, viginti quatuor boves capi fecistis : ad diem qui præfixus fuerat misistis ante nos responsales vestros, minus quidem sufficientes uti videbatur, quoniam nec litteras vestras attulerant, quod quidquid facerent de negotio, teneretis. Nec ideo plenius agere poterant in eodem negotio. Abbas quidem plenariam petebat restitutionem ablatorum, sicut dominus papa præcipiebat ; sin autem, infra terminum viginti dierum, prout in eisdem litteris domini papæ continetur, plenariam justitiam de vobis et de terra vestra exhiberi. Econtra dicebant vestri, quod recredi facerent abbati : sed abbas non nisi plenam restitutio- D nem volebat habere. Inter hæc vero et alia, vestri appellaverunt ad dominum papam, et sic destitimus in eodem negotio procedere. Postea venerunt ad nos litteræ a domino papa, in quibus nobis injunctum est, cessante omni occasione et appellatione si damna et universa ablata non feceritis restitui, extunc et in vos et in terram vestram excommunicationis sententiam promulgemus. Quod si non feceritis, infra decem dies postquam litteras istas videbitis, in vos et in terram vestram auctoritate et præcepto domini papæ, quamvis tristes et inviti, excommunicationis sententiam promulgamus. »

Comes excommunicatione innodatur. Similia quoque scripta misit Senonensis Idæ matri comitis; et completi sunt præscripti dies ante festum B. Mariæ

A Magdalenæ tertia die; et incurrit comes et mater ejus apostolicam sententiam. Nec tamen minus venire præsumpsit comes Vizeliacum in festo solitam procurationem exacturus, non debitum honorem famulatrici Dei exhibiturus. Sed fratres absente abbate suo domini papæ excommunicatum procurare minime præsumpserunt, imo divina officia celebrare ipso præsente destiterunt. Super quo valde aporiatus, voluit vim inferre monasterio et burgensibus, sed revocatus est a Milone et ab aliis baronibus suis.

Monachi quidam degeneres partibus stant comitis. Et addidit Satan aggravare manum suam super monasterium Vizeliaci, et intravit in cor quorumdam pseudomonachorum, ut quoniam exterior B calamitas ad evacuandam dignitatem monasterii sufficere minus videbatur, intestinum saltem bellum ipsam penitus libertatem subjugaret. Nam Petrus quidam, genere Arvernicus, in monasterio a juventute enutritus, viperinam astutiam asinina simplicitate, vel potius hypocrisis fictione occultabat. Et quoniam palliata virtus bonorum simplicitatem efficacius decipere solet, factum est ut per singulos gradus ordinis ad prioratum monasterii promotus, tandem industria et ope dignæ memoriæ abbatis Pontii monasterio Tornodorensi præficeretur. Quam dignitatem indignus indigne adeptus, vitiorum protinus laxatis habenis, bona domus ad nihilum usque redegit. C Cujusdam præterea juvenis, nomine Theobaldi, quem sacro habitu induerat, contubernio diffamatus, sæpe a fratribus monasterii sui præmonitus, sæpe ab ipso Lingonensi episcopo suo Godefrido correptus est; sed, cum non minus correptionem quam præmonitionem neglexisset, contubernium tandem illius fratris abjurare ab episcopo præfato coactus est. Cumque dilapidationi domus etiam perjurii infamiam apposuisset, canonico judicio a cura regiminis monasterii Tornodori remotus est. Quem depositum Pontius abbas venerabilis usus ingenita pietate suscepit, et eum multo, quamvis indebito, honore habuit. Quo videlicet Pontio patribus suis in pace conjuncto, insanus ille Petrus fratres monasterii Vizeliaci sollicitando cœpit a sacra libertate deviare, et electionem hujus Guil- D lelmi, de quo agitur, modis quibus potuit impedire, sed infatuatum est consilium Achitophel, et dissipatæ sunt omnes machinationes Satanæ. Tamen multis verbis stultorum corda inficiebat, et interna odia concitabat. Factus est ejus insipientiæ collega Gaufredus de Latiniaco, potens in sermone, et efficax in persuasione, sed efficacior in versutia.

Talis et tantus præfato conjunctus Theobaldo, furtivis colloquiis et nocturnis susurris nunc istum nunc illum sollicitabat, inquirebat, irritabat, instigabat et provocabat ad scandala detractionum atque odiorum. Uterque igitur coeuntes ex semine Chanaam pepererunt filium dissensionis, matrem scandali, fomitem inimicitiæ, incitamentum discordiæ, Bartholomæum spurium, et ex scorto ab adultero genitum.

His quatuor rotis currus Pharaonis velut quatuor equi juncti sunt, et alii quatuor quorum nomina supprimuntur, quia nihil præter numerum efficere, valebant, tum quia in tempore examinationis a proposito resipiscentes insipientiam suam recognoverunt. Per hos omnes murmur paulatim serpebat, et sacri ordinis disciplinam quodammodo inficiebat. Jamjamque confœderantes sibi quoscunque allicere poterant, unanimi deliberatione scripserunt Petro pulso a Tornodoro, qui paucis ante diebus cum gratia et benedictione abbatis ad visitandas obedientias suas in territorio Arvernico sitas perrexerat, et rogaverunt eum suppliciter ut desolatæ domui Vizel. subveniret celeriter, unum esse dicentes consensum fratrum omnium illius consilio in hac necessitate parere. Quibus cognitis, Petrus statim inopinatus advenit, malignantes exhilaravit, cæteros autem multa admiratione tam subiti quam insperati adventus replevit; et accesserunt ad eum clam machinatores infandæ seditionis, et effuderunt in auribus ejus fel conspiratæ proditionis, rogantes et adjurantes, seseque illi devoventes, ut infaustam illorum causam adversus abbatem, imo adversus Ecclesiam susciperet; spondentes se nunquam illi defuturos usque ad mortem, et etiam totius conventus maximam partem sibi sociaturos. Ille comitem secreto adiit, qui, ut prætaxatum est, ad festum convenerat, eique seditiosorum vota intimavit. At ille gaudio incredibili exsultans, ipse quidem fidei pollicitatione, sibi et complicibus ejus spopondit quod eis in omnibus firmissimum præstaret auxilium, equos et expensas, et etiam, si necesse foret, tuta præsidia ubique locorum terræ suæ impenderet. Quatuor autem milites de optimatibus suis dedit ei obsides, qui jurejurando pacti sunt comitem promissa servaturum tam ipsi quam omnibus quos secum adversus abbatem in fide comitis habere posset. Petrus vero et Theobaldus juraverunt comiti fidem se illi tenere adversus abbatem, ita quod potiorem partem conventus Ecclesiæ fidelitati comitis submitterent: ipsi autem post Alexandrum universalem pontificem adversus eumdem abbatem Guillelmum pergerent. Et facta est conjuratio hæc in ipso sacro festo sanctæ dilectricis Dei Mariæ Magdalenæ, in capella superiori apud B. Laurentium, per manum Stephani Pontisarensis, et Stephani de Petra-foraminis, et Milonis atque Hugonis de Argentolio. Et impii quidem atque adulterini sic profanaverunt sanctum diem, fratribus et liberæ filiis dolentibus et mœrentibus, quod patronæ suæ minus digne possent exsolvere debitam celebritatem. Aderant quoque Henricus Pisanus cardinalis, et electus Maguntinus, atque electus Carnotensis, qui specie tenus videbantur agere de pace, sed spiritu carnis acti, magis ac magis partibus comitis et matris ejus favebant.

Comes allicere conatur monachos adversus abbatem. Unde et ipse comes proditorum suggestionibus audacior effectus, fratrum capitulum ingredi petiit; quo impetrato conquestus est de abbate, a quo exhæredaretur, et multiplicibus injuriis afficeretur. Quæ cum universa immeritus pateretur, maxime dolere se perorabat desolationem Ecclesiæ quondam rebus opulentæ, honorabilibus personis decoratæ, rigore disciplinæ religiosæ, charitate hospitalitatis opinatæ; et quæ in his aliisque pluribus bonis omnes Gallicanas Ecclesias post Cluniacum aliquando præcellebat, nunc et rerum penuria, et debitorum gravamine, et personarum exiguitate, et morum infamia, et hospitalitatis inhumanitate adeo denotabatur, quod jam non solum quarumcunque Ecclesiarum, sed etiam vilium vulgi personarum fabula exstaret, quod totum utique superbia et dissolutione abbatis, ipsorum quoque fratrum consensu, qui ei faverent, provenisse constabat. « Ubi, ait, sunt honestæ illæ et graves personæ quondam, cellerarius, hospitalis, sacrista, eleemosynarius, camerarius, quorum prudentia et etiam potentia olim domus hæc florebat? Jam non est in vobis qui possit alterum juvare, vel consulenti cuilibet respondere, casso nomine tantum honoris retento. Idcirco patet in propatulo omnium vestrum dissolutio, cum similes simili faventes, quasi gratuitam patimini injuriam. Hactenus sustinui injurias meas, hactenus passus sum hujus Ecclesiæ detrimentum, quæ videlicet Ecclesia quoniam mea est, et in tuitione mea, velit, nolit abbas vester, consistit, jam amplius tantum dedecus, tantumque gravamen non patiar; præmonitos tamen vos esse cupio, quatenus abbati suadeatis, ut huic denuo Ecclesiæ parcat, et a destructione illius desistat; quodque mei juris est mihi restituat. Ego quippe nihil novi exigo, sed meorum antiqua patrum jura repeto. Quomodo namque novis vel injustis exactionibus gravarem, quam ab omnium hominum infestatione habeo custodire? Moneo demum ut consulatis vobis, alioquin ab omnibus vobis exigam tantæ illius pravitatis assensum. »

Prior comiti respondet. His auditis, surrexit Gilo prior ad hæc responsurus, vocavitque Ecclesiæ seniores, et ipsum alterum Judam cujus adhuc proditio latebat, et secessit in oratorio beatæ Dei Genitricis Mariæ cum fratribus et burgensibus, collatoque consilio, respondit Gilo: « Sicuti, domine comes, ipse professus es, et nos quoque cognoscimus et volumus te tutorem ac patronum nostrum et Ecclesiæ hujus esse. Desolationi autem domus nostræ te compati gratum et acceptum habemus; atque in hoc affectuosius celsitudinem tuam rogamus, quatenus in his quæ ad tuam, et in his quæ aliorum principum spectant personam, Ecclesiæ huic, quæ in tua existit custodia, consulas et provideas. Quæ licet interius fraterna pace et concordia, sufficientique victu et vestitu vigeat, exterius tamen et rerum suarum diminutione, et quorum-

A dam inimicorum gravamine laborat. Debito autem eam opprimi nondum novimus, quod septingentas libras non excedere scimus. Capituli sane severitas, et claustri disciplina, necne personarum dispositio non minus solito florere nobis videtur; et, si qua mendacis infamiæ nota Ecclesiam lædit, non hanc veritatis assertio, sed æmulorum invidia contraxit. Personam porro abbatis nostri bonam et honestam fore sicut volumus, ita et credimus, et si quid, odio judice, cuiquam de eo aliter videtur, rationis lance mendosum convincitur. Eapropter idem sapere, idemque cum eo sentire, sicut decet membra cum capite, gaudemus; nec in tam communi legitimoque capitis et membrorum consensu quidquam inesse vitii speramus. Verumtamen, si

B quid vel proprio excessu, vel aliena insimulatione odio dignum forte apud vos contraxit, hoc nos piget, et exinde plurimum dolemus, licet usque hodie incompertum quid vel quare commeruerit habeamus. Cum ergo venerit, humiliter ut monachi abbatem, ut subditi dominum commonebimus, quatenus dignitatis vestræ gratiam promereri satagat. Cæterum, discretionem tuam exoramus, ut Ecclesiæ quæ in tua, ut dicis, existit custodia, parcas, et ne unius hominis odio illam disperdere moliaris, quæ quantum in se est abbati quidem suo subdita, tibi autem semper est devota. » Mandaverat autem Petrus proditor comiti per Simonem de Silviniaco clam ut mitius fratribus loqueretur, maxime in verbo quod ad fratrum infamiam spectare

C videretur, ne, dum abbatem insequitur, irritatos fratres amittere videatur.

Subinfert comes. Respondit ergo comes: « Vestros quidem mores non improbo, sed multam egestatem vestram, quam Ecclesiæ hujus bonorum dilapidatione ab abbate factam patimini, doleo; unde, sicut dixi, aut vos ipsi vobis et Ecclesiæ isti providebitis, aut ego tantum ulterius detrimentum non patiar. Nam, cum canonico ordine nondum publicatus fuerim, præcepto abbatis vestri ob solam præsentiam meam a divinis officiis cessastis, et procurationem meam, mundo teste, debitam nescio qua ratione non exhibuistis. Quod vero debitum Ecclesiæ septingentas libras non excedere

D dicitis, scio ego inter duo maria plus quam mille libras vos debere; et quod de exteriorum inimicorum gravamine querimini, hoc in caput abbatis vestri redundat, cujus tanta esse arrogantia dignoscitur, quod nec mihi, nec cuiquam alii, quod justum est prosequatur: Verum in causam vos ego non traho, tantum ut recogitetis, et vobis provideatis moneo. Quod si feceritis, fidelem adjutorem me per omnia habebitis; sin autem, vestra intererit: ego autem mihimet providebo. » Hæc ideo dixit, ut proditores animaret, et alios ad consensum proditorum incitaret. Egressus ergo capitulum, locutus est Petro proditori, inieruntque simul consilium, quomodo Petrus ipse post Alexandrum papam pergeret, abbatem accusaturus et

mitteret cum eo abbatem Boniradii, qui sub ovina specie insontem acrius dente lupino morderet; et ut dolus mutuæ locutionis lateret, spopondit Petro comes quod pecuniam, quam eidem Petro Ecclesia Tornodorensis pro dimissione cujusdam obedientiæ debebat, sibi reddere faceret.

Instabat autem dies colloquii data comiti et abbati ab archiepiscopo Senonensi: sed neque comes neque abbas convenerunt. Adfuit tamen ex parte abbatis Gilo prior, et hic ipse Petrus adhuc latens proditor. Cumque utrinque agerent in præsentia archiepiscopi apud Bassoldum, et Gilo prior illata a comite damna Ecclesiæ astante comite prosequeretur, Petrus vim ferventis doli eructans, cœpit constanter arguere Gilonem, quasi durius et irreverentius adversus comitem loquentem. Quo audito Gilo et Gofridus tunc hospitalis, aliique fratres, qui illuc pro abbate convenerant, erubuerunt vehementer. Comes autem, pro parte damnorum restituendorum, dedit obsides. De reliquis vero querelis, petiit alteram diem annuente Senonensi archiepiscopo, innocenti parantes laqueum in quem ipsi deciderunt. Namque archiepiscopus excusatoriam petitionem misit ad Alexandrum papam, rogans ut sententiæ super comitem alter judex delegaretur, ne forte juvenis principis sævitia tam in se quam in suos debaccharetur, et unius detrimentum duos in eadem pœna involveret. E contra comes Petrum præfatum et alios principes suos parabat mittere adversus Guillelmum abbatem Vizeliacensem ad Alexandrum papam. Et hæc erat fiducia, ut, archiepiscopo excusante, comite autem accusante, delegarentur a papa judices, qui inter utrosque limites comitis et abbatis causam agitarent. Sed contigit in obliquum, et frustrata est cogitatio insipientiæ.

Narrat prior abbati quid cum comite, egerit. Infecto igitur negotio recesserunt ab invicem, et venit Gilo ad abbatem apud Sanctum Julianum de Salice, et retulit ei quæ nudius tertius apud Vizeliacum, et quæ in præsentem diem egissent, et quam impudenter confudit eos Petrus ille intimus amicus suus in præsentia comitis et archiepiscopi. Super quo abbas non modicum admiratus, ex abundanti gratia fidem dictis nullatenus adhibuit, imo liberum eum ab omni suspicione dimittens, præcepit ei ut recepta pecunia a Tornodorensibus in domum suam de Salis abiret, ibidem eum exspectans iturum in proximo post Alexandrum papam, aut viso nuntio suo, occurreret ei apud Podium, paratus proficisci cum eo: præmiserat autem abbas ad curiam Joannem clericum suum, a quo cum litteras recepisset, quod Alexander in Kalendis Augusti mare foret ingressurus, propositam profectionem dimittens, venit per terram ducis Vizeliacum perendie Octavarum beatæ Mariæ Magdalenæ, et obstupuerunt quotquot erant de factione Petri ad tam subitum et inopinatum abbatis adventum, quem denuo abbatis honore præditum non spera-

A bant rediturum, quemadmodum contubernalibus suis prophetizando, vel potius delirando jam prædixerant.

Abbas tandem agnoscit proditores suos. Certior tandem abbas redditus de proditoribus, vocavit Vincentium decanum, narravitque ei quomodo etiam alio referente eadem cognoverit. Vocavit etiam abbas Gilonem priorem, et retulit ei omnia quæ audierat. Incredibile illi visum fuisset, nisi nequitiam verborum Petri ad memoriam renovasset. Accersitus postmodum Gaufredus superior, obstupuit ad ea quæ dicebantur. Nec mirandus stupor tantæ novitatis: Ecclesia quippe Vizeliacensis trecentorum et eo amplius annorum tanta pacis et honestatis disciplina floruerat, quod usque ad id temporis nulla
B infamiæ macula, nullius scandali rumor eam fœdaverat. Abbas autem paci et quieti, atque silentio, et charitati operam dare omnes in commune hortabatur; et, ut orationi attentius insisterent, et manus in cœlum contra Amalec levarent, deprecabatur. Dein, habita ex more solemni processione, obtulit Deo sacrificium. Et hi qui se litionem abjuraverant, scripserunt Petro et Theobaldo, ut cœpta omitterent, quoniam frustra contra stimulum recalcitrarent; præsertim cum in ipso exordio dissipatum videretur consilium illorum, et ipsi deprehensi traditam si ab ipsis nequitiam abjurassent. Alexandro quoque summo pontifici et universis apostolicæ curiæ cardinalibus scripserunt qualiter a quodam die-
C rum malorum inveterato fuissent infatuati; quem ad pedes apostolicæ curiæ venientem adversus abbatem suum et matrem suam Ecclesiam, ne susciperetur, exorant neve tenebræ lucem obfuscarent, errorque veritatem obtunderet supplicant. Porro, vasa iniquitatis filii Belial, scilicet Gaufredus Latiniacensis et Guillelmus Pidet, in felle permanentes nequitiæ, et dolos excogitantes insipientiæ, rogabant abbatem quatenus post Petrum et Theobaldum eos abire concederet, quatenus eos aut reducerent, aut in Romana curia de proditionis nequitia convincerent. Sane columbina simplicitas prudenter nonnunquam præcavet astutiam serpentis; vix nempe experta nequitia suspicione caret.

Auctor hujus historiæ. Post prandium itaque clam
D disposito itinere, venit Guillelmus abbas nocte Avalonam, quod est castrum ducis Burgundiæ. Inde surgens septima die Montempessulanum ingreditur, habens in comitatu Gaufredum Angligenam subpriorem, Vincentium decanum, Franconem capellanum suum, Hugonem Pictavinum notarium suum, hujus operis auctorem. Hugo autem de Varenis subsecutus fuerat proditores Petrum et Theobaldum, quos in castro quod dicitur Gannac invenit simul cum abbate Boniradii, qui ea hora jam se collocaverat. Proferens igitur Hugo litteras abbatis Guillelmi, et totius capituli Vizeliacensis tradidit eas Petro, quem torvo lumine Theobaldus respiciens, ait Petro: Quid est, stultorum stultissime quod fecisti? Quis est ille abbas in cujus nomine

formatam suscepisti ? nos quidem illum pro abbate non habemus, qui fidelitati comitis contrarius existit. » Et hæc dicens, formatam adhuc integram rapuit de manu Petri, atque in solo conculcandam projecit. Respondens Hugo dixit Petro et Theobaldo : « Injuria hæc non solum abbatem, sed etiam totum conventum Vizeliacensis monasterii lædit. Ex parte igitur abbatis Guillelmi, et ex parte totius capituli vobis dico, ut infra quartum diem Vizeliacum redeatis ad objecta responsuri; sin autem, abbas et totus conventus sententiam excommunicationis auctoritate apostolica in personas vestras promulgant, et ego ipsam sententiam ex parte illorum vobis denuntio. » Et egressus occurrit abbati apud Anicium civitatem Vallavorum, et retulit ei proditorum rebellionem. Præveneruntque proditores abbatem; sed præcogniti a Joanne clerico abbatis nullum ad curiam introitum habere potuerunt.

Abbas a Romano pontif. cum honore exceptus; proditores repulsi. Ingressus abbas ad Alexandrum papam, cum magno honore et plena gratia susceptus est ab eo, et ab omni curia. Cumque proditores adire curiam niterentur, et ab ea turpiter et cum nota proditionis etiam per ostiarios repellerentur, introivit abbas Boniradii quasi propria ordinis sui negotia exsecuturus : ut autem partes comitis cœpit allegare, et proditorum velut innocentium legatorum Ecclesiæ Vizeliacensis causam adversus abbatem quasi adversus dilapidatorem bonorum, et ordinis subversorem agere, repulsus est statim ab Alexandro papa, resistente ei in faciem Umbaldo Ostiensi episcopo cardinali. Denique Henricus, Pisanus cardinalis, et electus Maguntinus parti comitis et proditorum pro posse favebant. Unde precibus multis pertæsum papam, vix compulerunt scribere comiti excommunicato. Quod ut per notarios cognovit abbas, ingressus ad eum genuflexo dixit : « Quid est, domine, quod fecisti? nondum plenam justitiam sumus assecuti, et jam illud tantillum justitiæ quam nobis feceras, revocasti. » — « Quomodo ? » ait papa. — « Scribendo, inquit, præter morem apostolicum ei quem ipse excommunicasti. » — Ergone, ait, jam sententia promulgata est ? » — « Ita, inquit. » Et dixit : « Ostende tuum rescriptum : » Et dedit ei. Protinus Alexander misit in gazophylacium notariorum, et jussit ut subreptitium illud scriptum retineretur. Utque cognovit quod jam illud Maguntinus recepisset, indignatus valde, præcepit ut celeriter ab eo reposceretur : quo reddito, ingressus est Maguntinus ad papam, et petiit apostolicam epistolam sibi reddi : quem papa cœpit arguere de subreptione indebiti scripti. Qui cum petitionis suæ repulsam indigne ferret, ad lacrymas prorupit. Motus ergo papa, dixit ei : « Ecce habeto ut vis; sed nullum exinde cognato tuo emolumentum præstabis : fecimus enim nova scripta adversus illa subreptitia. Videntes ergo Petrus et Theobaldus proditores quod nihil proficerent, recesserunt. Quibus abeuntibus, occurrerunt eis Guillelmus Pideth, et Elias litteris quidem vacuus, sed insipientia plenus : hi ad vomitum reversi, et abjurata infidelitate resumpta, nocte claustrum clam egressi, monasterii murum conscenderunt, et per funiculos sese submiserunt. Accidit autem ut rupto funiculo caderet Elias, et brachium læderet.

Delegati judices a summo pontifice. Tota igitur nocte fugientes, et ad comitem venientes conquesti sunt se gravissimis tormentis afflictos ab abbate ob illius solam odii causam, quibus comes dedit equos et expensas, misitque eos post Petrum et Theobaldum. Ut ergo sibi invicem occurrerunt, ad curiam pariter reversi sunt : et observantes exitum Alexandri papæ, ad quem nullum penitus accessum habere valebant, tandem occurrerunt ei exeunti de oratorio : prostratusque coram eo Guillelmus Pideth, conquestus est quod post appellationem apostolicæ audientiæ cæsus et incarceratus fuerit ab abbate Guillelmo. « Nunquid, ergo, ait apostolicus, et tu ex illis excommunicatis proditoribus Ecclesiæ tuæ es ? » Conclamantibus autem universis astantibus, ejecti sunt proditores a conspectu Alexandri de consistorio. Denique abbas nihil horum curabat, nec etiam verbum ex illis in curia facere dignabatur. Volebat sane ut delegatio apostolicæ sententiæ in tyrannum et matrem illius a Senonensi transferretur, et cuilibet alteri delegaretur; quod etiam ipse Senonensis plurimum affectabat, et hoc ipsum jam scripto petierat. Sane quoniam potior et maxima pars terræ comitis de diœcesi ejus erat, delegationem quidem sententiæ transferre apostolicus noluit, sed ut securior et robustior ad exsecutionem sententiæ Senonensis procederet, dedit ei collegam Stephanum Meldensem episcopum : et scripsit utrique quatenus comitem Nivernensem et matrem ejus convenirent, eosque hortarentur cum Ecclesia Vizeliaci amicabiliter componere, aut super contemptores delegatam sententiam, omni subreptione scripto postposito et appellatione remota promulgarent, et Eduensi, Lingonensi, Altissiodorensi atque Nivernensi observandam denuntiarent, secundum quod eisdem scripto ipse mandaverat.

Conveniunt delegati Joviniacum, excommunicationique subjiciunt comitem et matrem ejus. Factum est ergo sequenti die Lunæ post Assumptionem intactæ virginis et genitricis Dei Mariæ, ascendit sanctissimus et universalis pontifex Alexander catholicus papa ad altare, ut sacram et vivificam Deo victimam offerret pro anima Ivonis Carnotensis Ecclesiæ decani; et cum perficeretur sacrificium, proditores illi cum Gaufredo Angligena litigabant; et accessit ipse Gaufredus ad Umbaldum, Ostiensem episcopum, et significavit ei quantam domino papæ proditores irreverentiam irrogarent. Conversus Ostiensis vidit detestabiles illos proditores, dixitque Alexandro : « Ut quid, domine, sustines profanos illos proditores Vizeliaci, sacris, te præsente, interesse officiis ? ubinam, inquit, sunt ? » Respondit : « Adsunt : » — Et ait : Ejice quanto-

cius eos foras. » Dissimulantibus illis exire, protinus Ostiensis et Signiensis vocatis officialibus expulerunt eos ab ecclesia. Quod videns Maguntinus, qui tunc forte cum Vizeliacensi loquebatur abbate ibidem, egressus præ nimia indignatione abiit post eos. Abbas quoque Boniradii, cujus lateri semper ipsi proditores adhærebant, videns sese frustratum a proposito, erubuit valde, et recessit : quem proditores prosecuti, confusionem et ignominiam promeritam domino suo comiti reportaverunt. Abbas autem Guillelmus non recessit, donec ipsum papam Alexandrum usque ad mare prosecutus est. Reversusque prospere auctus apostolica benedictione, ultimo die mensis Augusti Vizeliacum ingressus est : inde post paucos dies venit Parisius, ubi Hugoni archiepiscopo Senonensi, et Stephano episcopo Meldensi apostolica scripta tradidit : qui protinus tam ipsi quam comiti statuerunt diem apud Joviniacum. Quo cum convenissent, obtulit abbas munimenta privilegiorum Romanorum pontificum et regum Francorum, epistolas quoque Alexandri papæ, quas prænominatis pontificibus de executione compositionis seu sententiæ delegarat. Cumque hinc inde allegarentur plura, constante controversia dies finita est. Ut ergo pontifices cognoverunt quod per comitem staret quin pacis compositio fieret, delegatam sibi ab Alexandro papa excommunicationis sententiam super comitem et super matrem illius promulgaverunt.

Iterum apud Ulmum Bassoldi litem discutiunt, sed incassum. Abbas regem adit. Sequenti sane die rogatu ipsorum pontificum rursus hinc inde ad Ulmum Bassoldi convenerunt. Enumeratis igitur damnis Ecclesiæ illatis, tentabant quidam ita componere quod abbas damna sua omnino condonaret; comes vero deinceps pacem cum abbate et Ecclesia haberet, sicque omnes aliæ controversiæ sopirentur. Et respondit abbas : « Quam ergo cautionem præstabit comes de pace tenenda ? » Dixerunt ei : « Nudo tantum verbo tenebitur : quod si comitem ad hoc coegeris, manu sua fiduciabit in manu pontificum. » — « Et si, inquit abbas, fidem compromissæ pacis excesserit, quis mihi justitiam faciet ? » Responderunt : « Tu videbis. » Non ergo acquievit abbas remissioni tantorum detrimentorum, imo magis omnino instabat ut gravamina procurationum penitus a comite remitterentur. Quippe cum auctoritate testatoris et privilegiorum neminem habeat Ecclesia procurare, nisi sponte et ex charitate. Comes vero respondit prius se velle exhæredari, quam obtentam a patribus suis consuetudinem relinquere. Quin etiam ni trecentas libras ei abbas pro negata sibi nuper procuratione ea ipsa die persolveret, nullam pacis compositionem reciperet. Et ait abbas Guillelmus : « Nequaquam more nummularii ad has nundinas attuli sacculum meum. Verumtamen ecce jam in propatulo patet superstitio tyrannidis seu rapacitatis comitis, qui pro unius diei procuratione trecentas libras exigit ; et sub tanto flagello quæ

A pax poterit constare ? Sic per comitem negata pacis compositione discessum est. Venit itaque Gilo prior Pontiniacum nocte illa cum episcopo Meldensi, qui celebravit festum Omnium Sanctorum apud Vizeliacum ; Gaufredus vero subprior cum Renaldo eleemosynario, et reliquis sociis venerunt, non sine timore, Altissiodorum, et nocte surgentes ipso mane ingressi sunt Vizeliacum. Porro, abbas noctem illam fecit cum Senonensi archiepiscopo, et abbate S. Germani de Pratis, apud Sanctum Julianum de Salice. Inde occurrit regi Moretum, efflagitans ut pro ingenita pietate, et pro apostolici mandati reverentia in tanta et tam gravi necessitate Vizeliacensi subveniret Ecclesiæ : A quo responsum accepit, nunquam se B. Mariæ Magdalenæ neque famulis B ejus defuturum ; imo pro monasterio Vizeliacensi, sicut pro corona regni decertaturum. Abbatem sane sustinere ad modicum debere, et declinare vesaniam insanientis tyranni, et videre si forte ad sacrilegium usque manus extenderet, quatenus completa totius orbis testimonio punirent.

Archiep. Senonensis excommunicatos declarat comitem et ejus matrem. Suscepit igitur abbas monita regis, misitque Hugonem notarium suum mandans Senonensi archiepiscopo, quatenus juxta apostolicum mandatum comitem et matrem ejus excommunicatos publice denuntiaret. Cum itaque archiepiscopus sacris astaret altaribus, et expleta lectione apostolica, solemnis perficeretur jubilatio, astante C populo et exspectante diacono, fecit sermonem ad populum, significans ei quantis gravaminibus comes Nivernensis et mater ejus, dilectricis Dei B. M. Magdalenæ toto orbe famosissimum persequeretur sepulcrum. « Pro quibus videlicet gravaminibus ex mandato, inquit, domini papæ sententiam excommunicationis super utrumque promulgamus ; et nisi infra imminens festum B. Martini resipuerint, totam terram illorum sub interdicto totius divini officii, præter baptisma parvulorum et pœnitentias morientium, ponimus. » Hanc sententiam idem archiepiscopus Hugo scripsit Alano Altissiodorensium, Bernardo Nivernensium, Henrico Eduensium, Galterio Lingonensium episcopis in hunc modum.

Ea de re ejus epistola ad episcopos. « Hugo, Dei D gratia Senonensis Ecclesiæ humilis minister, venerabilibus fratribus et amicis Henrico Eduensi, Galtero Lingonensi, Alano Altissiodorensi, Bernardo Nivernensi, eadem gratia episcopis, salutem et dilectionem in Domino.

« Discretioni vestræ significamus quod dominus papa sæpe et repetitis litteris a Claromonte, et a Podio, atque a Montepessulano tam monendo quam auctoritate apostolica præcipiendo, nobis scripsit super indebita gravamina et iniquas oppressiones, quas monasterio Vizeliaci et hominibus eidem pertinentibus comes Nivernensis et mater sua inferre noscuntur. Denique, præcepit nobis, ut ex tenore litterarum ipsius videre potestis quas vobis ex parte illius mittimus, quatenus

utrumque, scilicet comitem et matrem suam, sub velocitate conveniremus, et cum omni diligentia eos exhortaremur, ut abbati prænominati monasterii ablata omnia sine dilatione redderent, de damnis et injuriis illatis satisfacerent, et ab eorum infestatione et indebito gravamine ulterius quiescerent. Si autem infra xx dies nostræ commonitioni obedire contemnerent, super ipsos excommunicationis sententiam proferremus, et in terram illorum omnia divina officia, præter baptisma parvulorum, et pœnitentias morientium, penitus interdiceremus : eamdemque sententiam omni remota appellatione, et dilationis occasione inviolabiliter observandam vobis auctoritate ipsius mandaremus. Nos itaque præceptum Domini exsecutioni mandantes, cum de admonitione nostra nihil proficeremus, sententiam excommunicationis in utrasque personas, promulgavimus; sed vobis eam denuntiare hactenus consulto distulimus. Pacem quippe inter abbatem et comitem componere cupientes institimus, et, in quantum potuimus, elaboravimus, tam nos quam venerabilis frater noster Meldensis episcopus, cui hoc ipsum a domino papa ex industria injunctum fuerat; sed, quoniam sæpius a proposito frustrati sumus, tandem Joviniacum convenientes, et per biduum de pace agentes, cum nec pacis vestigium habere possemus, promulgatam jamdiu a nobis ex mandato domini papæ sententiam confirmavimus, eamdemque vobis tenendam et firmiter observandam auctoritate domini papæ et nostra præcipiendo denuntiamus, mandantes ut de cætero habeatis eos excommunicatos, et ab instanti festo S. Martini statim sine dilatione per omnes parochias vestras excommunicatos publice denuntietis, et in omni terra illorum divina officia, præter baptisma parvulorum, et pœnitentias morientium, prohibeatis : maxime autem illis sacerdotibus qui proprie capellani comitis et comitissæ matris ejus dicuntur, hoc denuntiandum, et sub ordinis sui periculo intimandum est, ut a transgressione apostolici et nostri mandati caveant. »

Sepulcrum B. Mariæ Magdalenæ flagrat. Reliquiæ in imagine B. Virginis repertæ. Et hæc quidem archiepiscopus. Cæterum episcopi constitutam sibi sententiam minus firmiter observare studuerunt. Porro, Guillelmus abbas circuiens monasteria sua in pago Belvacensi constituta, ingressus territorium Noviomensium venit ad Villaris-Silvæ monasterium. Erat autem dies Sabbati hebdomadæ primæ adventus Domini; eadem nocte venit ad eum unus e pueris ejus nomine Giroldus, referens ei luctuosum statum Vizeliacensis Ecclesiæ. Accidit interea in eadem ecclesia quoddam futuræ calamitatis præsagium simul et solatium. In crypta enim, quæ supra B. dilectricis Mariæ Magdalenæ sepulcrum exstat, tantus ignis casu erupit, ut etiam tyrannos, quos Francigenæ trabes vocant, qui erant in superiori parte, combusserit. Imago tamen B. Dei genitricis Mariæ lignea, in ipsius pavimento

A cryptæ posita, nullum omnino passa est incendium, sed tantummodo denigrata est. Sericum autem quod ad collum imaginis pueri Jesu pendebat phylacterium, nec odorem fumi contraxit, nec in parvo aut magno colorem mutavit. Unde liquido claruit, quod nec ipsa imago aliquantisper fumo obduceretur, nisi ut reparationis ejus occasione thesaurus inæstimabilis latens in ea per divinam dispensationem panderetur. Nam prædicta imagine ad reparatorem missa, dictum est ab ipso reparatore, quod imago, uti sibi videbatur, occultissimum ostiolum inter scapulas haberet : quo audito, Gilo prior præcepit eam portari in sacristariam; vocansque secum Gaufredum subpriorem, et Gervasium sacristam, et Girardum conestabulum, Mauricium quo-
B que succentorem, et ipsum Lambertum imaginis reparatorem, accepto cultello ipsemet rasit colores, lignoque retecto nullius juncturæ indicium potuerunt deprehendere : demum accepit malleolum ferreum, tentavitque aure percipere quod omnes oculis nequibant investigare, audiensque quasi sonum rei concavæ, spe succintus hilari ostiolum illud propriis manibus pie audax reseravit, invenitque capillos illius intemeratæ Virginis, quæ nec primam similem visa est nec sequentem habere; et de tunica ejusdem genitricis Dei Mariæ, et ossium unum B. Joannis Baptistæ. Invenit etiam ossa BB. apostolorum Petri et Pauli et Andreæ in ligatura una : unam quoque unciam pollicis B. Jacobi fratris Do-
C mini; sed et duas ligaturas de ossibus B. Bartholomæi apostoli, et quasi unum brachium de Innocentibus, atque reliquias S. Clementis, et unam massam de capellis S. Radegundis reginæ; de vestimentis præterea trium puerorum, Sidrach, Misach, et Abdenago; et de veste purpurea quam indutus est Dominus Jesus Christus in passione. Per singula autem supra dicta singulos breves invenerunt, qui singulorum docerent differentiam; et cum omnes prædicti breves adeo inveterati essent quod vix legi potuissent, inventi sunt et alii tres non legibiles; sed cujus vel quorum exstiterint soli Deo cognitum est. Quos ergo legere potuerunt, transcribi fecerunt, et vetera scripta cum novis ligaverunt in testimonium. Postquam autem omnia dili-
D genter viderunt, loco suo, ut prius fuerant, reddiderunt, ipsamque imaginem cum prædictis sanctorum pignoribus super majus altare locaverunt : et induti omnes cappis, omnibusque signis majoribus cum campanis pulsatis, laudaverunt Creatorem omnium, qui ad illorum custodiam et loci tutelam tot et tam præclara pignora largiri dignatus est. Tunc confluentibus populis tam peregrinis quam vicinis fit lætitia et exsultatio permaxima, tam in ecclesia quam tota villa atque in locis vicinis, ex agris et ex vicis circumquaque properantibus ad gaudii celebritatem. Denique, vix omnium clamores Gilo compescens, manu silentium imperavit, causamque laudis et gaudii sub brevitatis moderamine reddidit, omnibus flentibus præ gaudio, et dum postea

sepulcri dilectriois Dei cryptæ imaginem reddere niterentur, tantus factus est concursus populorum volentium eam osculari, vel etiam tangere, ut vix eam in omnium præsentia loco pristino possent restituere. Quod autem ipsam imaginem tangi non permiserunt, causa fuit ne notarentur avaritiæ. Ignis ergo divinitus erumpens instantis tribulationis præsagium fuit; inventio autem sanctorum pignorum ejusdem tribulationis optimum finem edocuit. Hæc autem verba scripserunt Vizeliacenses abbati suo Guillelmo ad consolationem susceptæ peregrinationis.

An. 1165, comes Niver. novam persecutionem movet adversus Vizeliac. Anno Verbi incarnati millesimo centesimo sexagesimo quinto, vicesima sexta die mensis undecimi, quinta feria quæ præcedebat adventum Domini, Guillelmus comes Nivernis et mater ejus Ida ingressi sunt oppidum Vizeliaci cum multitudine armatorum, quasi funditus illud eversuri. Et comes quidem declinavit in hospitium monasterii quod adjacet domui eleemosynariæ, quæ est in introitu claustri; mater vero ejus, omnium malorum incitatrix, descendit in domum Simonis de Silviniaco, et factus est timor magnus super omnes inhabitantes oppidum. Et intonuit sermo Giloni priori, et omnibus fratribus ea hora in capitulo sedentibus, tulitque Gilo omnes claves monasterii, prohibens ne quis claustrum egrederetur. Et siluit comes ea die. Sequenti vero die cum vidisset quod nullus fratrum prodiret, subsannando interrogavit utrum monachi parascevem ridiculo solemnizarent, an forte solita superbia suam præsentiam dedignarentur. Hæc ille irridendo; revera autem fratres parascevem instantis reparationis libertatis suæ solemnizabant: nam, sicut per parascevem Dominicæ passionis reparata est dignitas humanæ conditionis, sic et per parascevem communis fratrum exsilii exclusa tyrannica usurpatione, reparata est integritas priscæ libertatis. Et mandavit fratribus comes, quod vellet ingredi capitulum eorum locuturus ad eos. Qui responderunt quod non possent communicare excommunicato; verum, si ea quæ pacis sunt persequeretur, per priorem suum ei loquerentur. Paucis ergo secum accitis venit Gilo ante faciem comitis, quem torvo respiciens oculo in multis eum objurgabat; ad extremum ut detestabiles proditores Petrus et Theobaldus eorumque complices in monasterio reciperentur instabat. Cui Gilo respondit nec posse nec debere se excommunicatos domini papæ recipere. At ille : « Isti, ait, non sunt excommunicati; sed quia noluerunt uti prudentes participare vestræ leccacitati, innocentes expulistis a vobis. » Respondit Gilo : « Nos in pace et pro pace venimus, tu autem nos indebitis injuriis appetis : unde tibi certum constet quod denuo faciem tuam pro tali donativo non repetemus. » His dictis, claustrum Gilo repetiit. Comes autem misso præcone, sub interminatione præcepit omnes burgenses ante faciem suam convenire. Quidam sane illorum nequitiam illius sæpius experti, sese latenter per abdita infra monasterium receperunt. Posuerat namque custodes qui observarent valvas, ne quis burgensium ingrederetur monasterium.

Prior fratres adhortatur ut forti sint animo. Hi ergo qui vel de familiari obsequio, vel de furtiva commendatione tyranno exhibita præsumere potuerunt, præsentiam illius adierunt : quos protinus fidelitatem abbati et Ecclesiæ pactam abjurare præcepit. At illi responderunt consilium super hoc verbo se habituros. « In promptu, ait, habetote consilium. » Et fecit obserare ostia hospitii portasque monasterii : misitque Stephanum cancellarium suum, et Stephanum de Petra-foraminis, et Furnerium de Droia ; mandavitque Giloni priori, ut sibi mitteret claves monasterii. At ille respondit : « Ergone comes est abbas, vel claviocularius monasterii hujus? Sic, inquiunt, præcipit comes. » At ille : « Loquar super hoc fratribus meis : » et ingressus capitulum, omnibus fratribus residentibus sic exorsus est : « Ecce, fratres, ecce adest dies longe ante a venerabili abbate nostro, et a nobis ipsis præmeditata, sæpiusque vobis prædicta, in qua de libertate vestra et vestræ Ecclesiæ, deque communi periculo vestro et hominum vestrorum non tractandum, sed potius deliberandum est. Hæc dies est meta servitutis et libertatis, quietis et laboris, ignaviæ et probitatis, honoris et infamiæ; utrumlibet eligatis chirographo inviolabili constabit. Hactenus bonorum vestrorum rapinam sustinuistis, hactenus minas et opprobria impiorum patienti aure, quasi ventorum rabiem excepistis. In theatro fortunæ istius vobis constitutis, omnium in vobis defixi sunt oculi. Jam corpus ipsum negotii vestri est in stadio, et utrum vincatis, an vincamini nulla est dilatio, non sufficit tyranno huic vestes vestras abrumpere, pilos vestros evellere, pellem vestram vellicare, sed jam etiam molares vestros conatur excutere, Claves vestras expetit, ut vestram libertatem servitutis compede se inclusisse glorietur. » Ad hoc verbum protinus omnes surrexerunt, et ne claves monasterii comiti daret, ex parte apostolica, et ex parte abbatis sui una voce contradixerunt. Et insistebant ut paucis relictis custodibus omnes pariter exsilium pro libertate subirent. Quibus respondit Gilo : « Inconsultum mihi videtur domum relinquere, quandiu redditus domus superfuerint. »

Satellites comitis vi monasterium ingrediuntur diripiuntque. Et dum hæc agerentur, divertens Furnerius de Droia, tulit secum satellites comitis, et venit extrinsecus ad inferiorem portam domus abbatis, ejectoque loripede qui portam custodiebat, accepit claves, quæ forte in ostilio valvæ majoris dependebant, et occupavit domum tam superius quam inferius, relinquens in ea viros impios, qui comitis loco eam obtinerent, quasi comes tantam in monasterio haberet dominationem, quod ejectis abbatis hominibus suos pro libito intromitteret. Et

prorumpens comes ingressus est claustrum, clamante Isgnardo, vicecomite Joviniaci: « Festinate, ait, superbi monachi, et estote subditi domino meo comiti. » Cumque festinaret comes ingredi capitulum fratrum, occurrentes ei quidam compulerunt eum cedere retrorsum. Fratres autem statim egressi capitulum, ingressi sunt ecclesiam ut rei exitum exspectarent, non ut divina officia celebrarent in ea, a quibus ob præsentiam comitis eadem ecclesia vacabat, et cum sederent in ea, respicientes viderunt super capita sua tyranni satellites, qui jam turrem Sancti Michaelis fracto ostio invaserant. Siquidem subito adventu inimicorum fratres præoccupati, non potuerunt resistere inopinatæ nequitiæ; sed et prudentioribus visum fuit cedere potius quam resistere ne forte tyranni provocatus furor monasterium simul et oppidum funditus everteret. Post hæc fratres refectorium ingressi, panem lacrymis, potumque fletu miscentes vix parumper cibo prægustato egressi sunt velocius, responsuri burgensibus de expostulata a comite abjuratione: dixeruntque eis: « Si sanum sapitis, honestam paupertatem divitiarum infidelitati præferetis. Melius quippe est honeste vivere cum fidelitate quam opulenter cum dedecore infidelitatis: vos videritis quid præstet consultius. Siquidem vestri gratia laboramus, vestri causa persequimur. Cujus enim est pretii staminium nostrum, seu nigellum caputium istud quod cernitis? Vestræ opes ambiuntur, vestrum proprie caput appetitur, si serpentino more vos membra nostra ictui exponimus: ecce nos quasi truncum caput, qualicunque quiete perfruemur; sed absit hæc a nobis! absit quod vestra deditione ignominiosam pacem redimamus! Neque enim gloriamur in tribulationibus vestris pro nobis, sed potius gloriamur in tribulationibus nostris pro vobis. Jamjam experiri libet, et jam experiri necesse est quæ fides, quod fœdus, quis amor hactenus intercesserit, jamque qui noster est, nulla ratione a nobis avelli patietur. » Talibus animati, qui fideles exstiterunt, cum fratribus infra monasterium remanserunt. Quo audito comes armatos satellites disposuit in domibus singulorum, solo victu præcipiens eos fore contentos de stipe obsessorum. Porro excommunicatis proditoribus pseudomonachis, Petro scilicet, ejusque complicibus tradidit domum et redditus de Esconio: alios autem redditus omnes monasterii tradidit in manu Hugonis Letardi præpositi castri Censorii qui erat servus Ecclesiæ de genere Simonis filii Odonis præpositi Vizeliaci, qui videlicet Simon occidit dominum suum abbatem Artaldum. Hugo autem tradidit omnia Mauricio de Sancto Andrea ejusdem conditionis et generis. Et innotuit verbum Giloni. Facto igitur vespere misit famulos qui debitum furnagium reciperent; quos satellites comitis cum uxore Mauricii aggredientes, panibus ablatis, et verberibus affectos remiserunt. Reos etiam, qui in domo præpositi tenebantur, jussit comes absolvi. Tunc pro monastico more percussa tabula ingres-

A sus est capitulum Gilo cum fratribus suis, et dixit eis: « Jam quod rationabiliter differebamus, necessario facere compellimur. Domus nostræ et hominum nostrorum occupatæ sunt ab hostibus; redditus necessarii auferuntur; et quod morte gravius est, garciferi cum meretricibus sacratissimum dilectricis Dei sepulcrum pedibus impuris conculcant, jam nihil est quod nos detineat, quibus et victus et honestas interdicitur. Cedat sane dolor rationi, et indiscreta procul absit desperatio. Neque enim novum est, vel inopinatum est quod accidit. Biennium est fere quod idem versabamus in mente, hanc eamdem violentiam tyranni, et futurum exsilium præ oculis habentes, et vobis omnia hæc prædicentes; unde et vos ipsi sæpius nobis acclamastis,
B et ut præmeditata effectui manciparentur exorastis; et ecce nox tribulationis et nox temporis nos urget, nec verbis sed factis opus est. » Et factus planctus et fletus magnus inter fratres, et famulos, atque burgenses qui infra monasterium confugerant.

Monachi crudeliter vexati aufugiunt. Disposuit itaque Gilo prior qui remanerent, quive pergerent, et famulos qui euntibus obsequerentur. Et dato potu fecerunt super se tota nocte excubias, et deposuerunt imagines, et cruces, et omnia vascula, in quibus sanctorum pignora continebantur. In qua depositione cum iconiam majoris crucis quæ super altare in media pendet basilica, diligentius inspice-
C rent, invenerunt de lacte inviolatæ Virginis et genitricis Dei Mariæ. Gilo autem prior inter tumultum euntium et redeuntium, clam nocte recessit; descenditque pedes in inferiorem vicum S. Petri, statimque conscendens equum, venit in prædium quod vocatur Pons Arberti, ubi cum parumper quiesceret, supervenerunt a Gibriaco Gaufredus subprior, et Gaufredus hospitalis: remissoque hospitali prior et subprior per longos anfractus Burgundiæ declinantes terram comitis, venerunt Joviniacum. Facto igitur mane cum vidisset comes quod fratres recessuri componerent sarcinas suas, recessit in domum Simonis Silviniaci. Fratres autem, præparatis omnibus, ingressi sunt capitulum, et accepta benedictione, mutuo sibi cum lacrymis vale dixerunt. Et
D ingressi in majorem basilicam, ubi fere omnis populus cum parvulis et mulieribus convenerat, ante sepulcrum beatæ patronæ suæ prociderunt, et causam suam illius patrocinio commiserunt, factusque est mugitus ingens, flentium et plangentium, suosque capillos evellentium, ita quod ad cœlum usque pertingeret clamor ululantium. Et erat horror intolerabilis videre quod vix præ dolore videri poterat, commistusque clamor et promiscuus fletus pectora et capita sua in ipso pavimento tundentium. Elementa denique ipsa tantæ calamitati quodammodo compati visa sunt, dum obtenebratus aer, solaris splendor obfuscatus, fluidus liquor congelatus, continuo nivium imbre adoperta tellus, tristem omnia faciem prætenderent. Fletu tandem et ululatu to-

tius populi prosequente, egrediuntur fratres ab ecclesia numero ferme sexaginta.

Jam comes, matre remanente, ab oppido recesserat. Traditor autem Guillelmus Pideth, conscenso equo, tripudians venit post fratres, dicens quod comitissa mandaret ut subsistentes eam exspectarent. At illi dissimulantes invisum videre, transierunt Esconium, perveneruntque, comitante populo, ad crucem Montisgaudii. Ibi remorantes aliquantisper, venerandamque toto orbe dilectricis Dei Mariæ Magdalenæ basilicam respicientes, prociderunt in facies suas cantantes ut poterant : « O peccatoris solatium ! » Quis fletus, quisve dolor fuerit abeuntium simul et prosequentium virorum ac mulierum, capita sua ibidem præ angustia in nive volutantium, fari potest nemo, cum stylus hic ipse ferreus lacrymis pene totus exudet. Luctus iste, ut verum fatear, funeris luctum excedit, siquidem luctum funeris relevat successio hæredis : at vero hæredis desolatio, hæreditatis est abolitio, inaudita nostro orbe, nostraque ætate desolatio ! Catholicus princeps innocentes monachos pellit a monasterio, et quem fere totus Christiani nominis mundus veneratur locum, affines ipsi atrociter devastant. Si causa quæritur, libertas criminatur ; si ratio ventilatur, præjudicium contorquetur.

Mater comitis fictis lacrymis compati monachis simulans, eis ut redeant suadere tentat. Cum ergo fletus et gemitus utrinque tam a fratribus quam ab omni populo indifferenter funderentur, illa tyranni viperea mater Ida pedetentim abeuntes prosecuta, accessit proprius, et ab equo descendit, utque a fratribus audiretur simulata humilitate petiit. At illi memores illius Apostolici : *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum* (*Rom.* XII, 21), surgentes a terra substiterunt. Tunc illa fictas prætendens lacrymas, irrationabilem et sine causa illorum calumniabatur exitum, cum filius suus ipsos et Ecclesiam Vizeliacensem affectuosius diligeret, solique abbati inimicaretur, a quo injuste exhæredaretur, quanquam filius suus nihil ab eo, nisi quod sui juris est, reposcat : eos autem memores esse debere illius evangelici : *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo* (*Matth.* XXII, 21). Rogabat deinde ut redirent, et ipsa filium exoraret, quatenus illorum misertus usurpatos redditus monasterii eis redderet, vel si ad hoc filium flectere nequiret, ipsa eis quotidianum sumptum præberet, donec abbas filio suo concordaret. Talibus dictis fratres responderunt, quod neque locus, neque tempus intercederet disceptandi de jure filii sui, cum palam constaret illum sibi vindicasse fasque nefasque ; redire autem sub incerta spe inconsultum videbatur ; et alienam stipem inconsulto abbate suo percipere intolerabile credebant, indignum judicantes se præbendarios famulatricis Christi Jesu Mariæ Magdalenæ, effici stipendiarios desolatricis sepulcri ejusdem beatissimæ patronæ suæ. Hæc dicentes terga mulieri dederunt, et noctem illam apud Breciam fecerunt.

A Sequenti die properantibus Altissiodorum, occurrit Arduinus venerabilis abbas S. Germani, supplicans ut apud S. Germanum declinarent. Quo concesso, ille quidem redit ad præparationem hospitii. Fratres autem bini et bini coopertis capitibus urbem ingrediuntur, suam calamitatem Davidica melodia commendantes, et factus est concursus populi totius civitatis virorum et parvulorum ac mulierum flentium atque clamantium : « Proh dolor ! quis unquam vidit talia? quis crederet posse fieri talia ? quis furor, quæve insania exercuit talia? O gloriosa et B. domina Maria Magdalena, ut quid sustines talia ? quam de te nos peccatores fiduciam sperare possumus, quæ permittis servos tuos pati talia ? pereant et confundantur omnes illi quorum B consilio aguntur talia. » Ipse quoque tyrannus ascenso equo advenerat, et singulos respiciens, subsannabat eos dicens : « Sic et sic tales debent lucrari panem suum. » Fratres autem nihil horum curantes, demissis vultibus transierunt. Et honeste suscepti in monasterio S. Germani nocte illa quieverunt. In crastinum autem divertentes apud Joviniacum in domum Hugonis quondam præpositi, procurati sunt honorifice ab Aimerico Podiensi, et a fratre illius Stephano. Inde properantes ad urbem Senonicam præmiserunt procuratores. Simon autem, cognomento Infans, egressus deambulatum forte occurrit eis, et cognita causa tanti laboris tantorum et talium virorum, vehementer condoluit. C Et descendens suppliciter petiit ut in domum suam pro charitate diverterent. Quo vix impetrato suscepit eos, et procuravit honestissime. Mane autem deduxit eos ad conductam navem (nam huc usque pedes venerant) et fenum multum illis ipse supposuit, et laboraverunt die illa in remigando, vixque jam nocte ingruente descenderunt in quamdam villulam quæ dicitur Miriacus : cumque illic non inveniretur hospitium tot et tantis opportunum (erant quippe ferme octoginta animæ), cujusdam rustici grangiam boum stercoribus refertam ingressi sunt. Et cum die jejunassent, nihil circumcirca inveniri potuit, præter parum communis panis, et duas aliorum restes, quæ cruda utcunque comederunt cum pane et aqua. Mirum dictum ! cum tot laboriD bus affligerentur, alacriter omnia tolerabant, et exsilium pro libertate quasi patriam amplectentes, cantando et congratulando squalorem itineris transigebant. Et summo diluculo ad navem reversi, applicuerunt Chonam. Ibi primo invenerunt Gilonem priorem, et socium illius Gaufredum. Et exinde pedes venerunt Moretum die secunda mensis duodecimi, ibique fecerunt sequentem diem et tertiam. Miserunt autem Renaldum priorem de Arborea ad Hugonem venerabilem abbatem Parisiensem, nuntiantes ei adventum suum, et causam adventus ad regem. Quo ille audito vehementer condoluit, lacrymisque suffusus festinavit ad regem Ludovicum, ostendens illi quam facinoroso usus sacrilegio comes Nivernensis pervasisset famosissimum mona-

sterium Vizeliaci, et quanto labore omnes fere ejusdem monasterii fratres ad pedes regiæ majestatis confugerent. Protinus rex, ira simul et dolore motus, mandavit comiti, ut injuste pervasa demitteret, et fratribus infra octo dies ecclesiam, turres, domos, villam, redditus omnes, et possessiones in eo statu quo ante octo dies egressionis fratrum constiterant, redderet, diminuta quoque restitueret et de tam gravi injuria toti regno illata sibi satisfaceret. Ad hæc comes legatis regis respondit : « De monasterio Vizeliaci feci sicut de meo, nec quidpiam ex hoc facto regi debeo. » — « Imo, inquiunt, debes de excessu perpetrato in feudo regis. » At ille comminando prohibuit eos denuo adire præsentiam suam. Cui responderunt : « Nos servi regis sumus, et responsum tuum domino regi referre debemus. » Statim comes misit regi Joannem Aurelianensem, qui de perpetrata tyrannide sese excusaret, quasi qui rebus publicis terræ suæ consuluisset, eo quod abbas et monachi Vizeliacenses inimicum suum ducem Burgundiæ conduxissent, et ei nisi præventi fuissent, turres monasterii tradidissent.

Tandem monachi Parisios advenerunt, ac lacrymis perfusi regi pandunt causam doloris. Clementer a rege excepti. Interea, fratres nocte, qua secunda Dominica Dominici adventus illucescebat, surrexerunt, navemque ingressi pervenerunt in quamdam possessionem monasterii beati Germani episcopi Parisiensis. Introeuntes autem domum cujusdam viri, optime procurati sunt a superveniente misso abbatis ejusdem monasterii nomine Renaldo. Inde surgentes, et æquoreo vehiculo sese committentes, venerunt Parisius : et commota est universa civitas, concurrentibus et flentibus universis a minimo usque ad maximum ; ingressique matricem ecclesiam, facta oratione, sederunt ibidem modicum, nihilominus assistente et confluente omni populo. Rex vero Ludovicus ut audivit adventum Vizeliacensium, relicto negotio de ordinatione monasterii Sancti Dionysii, quo tendebat, reversus est. Venerunt ergo fratres ad palatium regis. Cumque rex obviam illis iret, et super gradus palatii staret, cum ingenti fletu prociderunt omnes ad pedes ejus : e contra rex ipse flens motus pietate procidit, et cum surgentibus surrexit. Dixit itaque Gilo, qui prior agminis existebat : « Nota tibi est, domine mi rex, nostri causa adventus, sed dolore et concursu populi præpediente, modum causæ nequaquam plenius tibi ad præsens pandere valemus. Loco igitur et tempore a te constituto, pars nostrum veniet ad te, et quæ mala nobis comes intulerit diligentius aperiemus, interim ad hospitium remeabimus, vestram in commune gratiam et misericordiam implorantes. » Et prociderunt omnes in facies suas. Et respondit rex : « Antequam venissetis, statim ut infamis fama nostras pervenit ad aures : misi ego nuntios meos ad comitem. Quid responsurus, quidve facturus sit, nondum ego novi. Hoc tamen pro certo A noveritis quoniam si comes tantumdem terræ quantum rex Anglicus habet, præter suam propriam terram haberet, nullatenus tantam injuriam sustinerem fore inultam. Ego quippe peregrinus sum dominæ meæ beatæ Mariæ Magdalenæ, et pro posse meo famulis ejus nunquam deesse potero. Unde etiam rogo ut in domo mea manere dignemini, et ego cuncta vobis necessaria providebo. » At illi humiliter gratias agentes, responderunt sufficere sibi auxilium illius in tanta necessitate. Videntes vero ad latus regis hospitem suum Simonem, qui cognominatur Infans, gratias ei de collato egerunt obsequio in conspectu regis. Sed et rex multam ei gratiam exhibuit. Exeuntibus igitur Vizeliacensibus et populis prosequentibus, processerunt obviam B illis usque ad vetus palatium omnes fratres monasterii Sancti Germani de Pratis, et susceperunt eos cum fletu et gemitu gravi. Ingressique, ut moris est, bini et bini, et facta solemni oratione venerunt in domum abbatis, et appositæ sunt illis mensæ.

Abbas Parisios fratres visurus petit. Porro Guillelmus abbas Vizeliacensis ut audivit apud Villarem-Sylvam mala domus suæ, et adventum fratrum suorum, ingemuit, et omnes qui erant cum eo consternati sunt animo, maxime eo quod tam longe positi essent. Surgentesque nocte ipsa, qua et fratres a Moreto, tota die jejunii et frigore niveque affecti equitantes per varios alieni itineris anfractus, tandem secunda vigilia noctis fessi et mœsti venerunt Merlotum. Sequenti autem die venerunt C Parisius, inveneruntque fratres suos adhuc sedentes ad mensam, quos surgere volentes jussit abbas sedere. Et prætendens abbas constantiam a fletu continuit, intrinsecum dolorem viriliter reprimens. Socii autem ejus tanta doloris capti sunt angustia, quod vix alterutrum discernere, et salutantibus se fratribus exsulibus respondere quivissent. Mirum in modum fratres exsules, itineris et famis squalore confecti, fratres suos, qui tantorum pro parte laborum fuerant expertes, consolabantur, et de Dei misericordia, deque regis compromisso auxilio præsumendum hortabantur.

Coram rege causam suam agit. Facto igitur mane, Dominique invocato auxilio, ingressi sunt palatium D regis abbas Guillelmus et abbas Hugo, cum Gilone et Gaufredo, Francone et Rotberto, Petro et Vincentio, Hugone et Theobaudo regis cognato, paucis accitis gestæ rei testibus. Sedente itaque rege cum fratribus suis, Henrico Remensium archipræsule, et comite Roberto, atque Petro de Curtiniaco, et aliis optimatibus Palatinis, surrexit Gilo, et modum tyrannicæ invasionis, fratrumque suorum expulsionis ex ordine peroravit. At contra Joannes Aurelianensis respondit abbatem jus comitis, quod in villa Vizeliaci regio ex fisco habebat, tulisse, et de illatis injuriis justitiam comitis negasse. « Si, inquit rex, de feodo meo habet jus illud quod sibi vindicat, ergo prius debuerat mihi clamorem facere de injuria feodi mei quam mona-

chos de suo monasterio expulisset. » Et ait Joannes: « Dominus comes non expulit monachos, sed ipsi sponte in contemptum domini mei exierunt. » Respondit Robertus, cognomento Crassus, unus ex fratribus Vizeliacensibus: « Satis, inquit, mibi obturat os qui meam de manu mea tollit buccellam. » — « Ita est, inquit rex. » — « Postquam ergo, ait Rotbertus, invasit comes monasterium nostrum, et misit inibi satellites suos omnesque redditus nobis ablatos in manu eorum tradidit, quæ nobis ibidem post hæc mansio competebat? » — « Nulla, inquit, tota curia. » Et ait rex: « Ego nuntios meos misi comiti, et siquidem bene fecerit, utinam! sin autem, posse meum Ecclesiæ non deerit. » Et gratias agens abbas cum his qui secum erant, ad hospitium regressus est. Fueruntque abbas et frater ejus per triduum apud Sanctum Germanum, et reversi sunt Moretum, manseruntque ibidem per dies triginta. Et scripsit Hugo archiepiscopus Senonensium Guillelmo abbati monasterii Vizelacensis in hæc verba:

Mandat abbati ut Senones conveniat ad pacem cum comitissa componendam. « HUGO, Dei gratia Senonensis archiepiscopus, charissimo suo Guillelmo venerabili Vizeliacensi abbati, salutem et dilectionem. Pro negotio Vizeliacensis Ecclesiæ et vestro, misimus ad comitissam Nivernensem, et ipsa sicuti illa quæ multum pacem desiderat, fecit nos securum de centum libris in vadimoniis auri et argenti et si amplius fuerit in querela, faciet me inde securum per bonos obsides et fidejussores. Mandamus itaque vobis et consulimus, ut proxima die Jovis Senonis veniatis, et secundum quod feceritis probari legitime, restitutionem habebitis. Nunc autem, si non veneritis ad diem, sentiet se comitissa gravari; et si verbum hoc voluerit ad summam audientiam deportari, non poterimus ei negare testimonium secundum quod offert. Valete. »

Petit Senones disceptatque de jure ac de damnis Vizel. illatis. « His verbis abbas rescripsit, quod data dies minus competens videbatur, eo quod tam longe positus a monasterio suo, et inimicitias habens ipsius comitissæ et filii ejus, convenire nullatenus posset. Verumtamen, si securitatem eundi et redeundi ipsa comitissa præstaret hominibus suis legitime probaturis illata damna, libenter conveniret ad diem congrue sibi datam. Et factum est ita. Convenerunt igitur utrinque. Reposcente ergo abbate illata damna, et legitime probare volente; e contra partem maximam comitissa negabat, quædam vero in filium retorquebat, dicens crimine filii se non debere teneri. Respondit ei quod malefactores ipsi homines essent comitissæ, et præpositi terræ illius; et idcirco juste ab illa exigebat, quod a suis ablatum legitime probabat ad pretium usque ducentarum marcharum. Attoniti qui erant ex parte comitissæ, magis autem ipsi archiepiscopus cum clericis suis, rogabant abbatem, ut finem probatorum damnorum diceret, ne tam gravi verbo comitissam exasperaret. Et respondit abbas: « Immeritus extremam exasperationem illius expertus sum, et jam in quo amplius valet exasperari? Attamen ob recuperandam gratiam illius, si tamen hoc revera posset fieri, quod indubitanter constaret, medietatem eorum quæ probare possum gratis dimitterem, salva in cæteris domini papæ mandati exsecutione. » — « Cujus, inquiunt, mandati? » At ille respondit: « Ut de illatis injuriis satisfaciat, et de servanda pace cautionem præstet. » Et erat Sabbatum ante Natale Domini. Ipsa die promotus est ad diaconum Guillelmus electus Carnotensis, frater comitis Henrici, qui etiam tunc ibidem ob gratiam fratris advenerat. Is jejunio valde pertæsus, graviter adversus abbatem indignatus abscessit; et dilatum est verbum usque in crastinum. Cumque hinc inde multum pro compositione laboraretur, opere casso discessum est, quoniam comitissa neque illata damna restituere, neque de servanda pace cautionem præstare voluit, dicens absque consensu filii sui expostulata facere se non posse, unde et actio ipsa dilata est usque in tertiam diem Circumcisionis.

Sequestres se offerunt comites Theobald. et Henric. pro comite Nivern. Legati autem regis a comite reversi responderunt se nihil de mandato regis a comite impetrasse; injuriis vero, et minis abundanter ab eo remuneratos fuisse. Statim rex accitis librariis præcepit undique adunari exercitum, et jussit ut omnes armati occurrerent sibi vicesima die post Natale Domini. Comes igitur Theobaldus et comes Henricus vix a rege impetrata licentia comitem Guillelmum convenerunt, et de perpetrata nequitia objurgati sunt, acceptoque ab eo compromisso quod staret mandato regis, conduxerunt eum in urbem Senonicam, quo rex propter alia negotia intrante Januario convenerat. Abbas quoque Vizeliacensis forte ibidem advenerat in præsentia Senonensis et Meldensis, causa componendi cum comitissa. Sed illa desistente vel ablata reddere, vel cautionem de servanda pace præstare, labor inutilis effectus est. Nocte itaque insecuta misit comes Theobaldus ad abbatem, rogans ne sequenti crastino abscederet, donec secum de proprio negotio loqueretur. Cumque sequenti die abbas curiam regis adiret, occurrentes ei comes Henricus et comes Theobaldus tentabant eum de compositione pacis. Quibus abbas respondit: « Ego in manu domini papæ sum et domini regis, et absque illorum nutu facio penitus nihil. » Ingressi ergo ad regem, rogabant eum super hunc eumdem sermonem. Et vocatus abbas ante regem, non tam de sua quam de tyranni pace a quibusdam interpellabatur. Cognovit autem abbas dolos eorum, qui modis omnibus laborabant gratiam ab eo regis avertere, unde consulto in deliberatione illius posuit totum finem negotii sui, vituperium æque ut gratiam a se removens totius operis. Quæsivit ergo rex a prolocutoribus comitis, non enim cum eo loquebatur, nec faciem

ejus videre volebat, quandiu quæstio ventilabatur : A quæsivit, inquam, rex utrum comes secundum verbum suum finem faceret hujus negotii. Quo negante, indignatus rex vehementer, ait : « Quid ergo? abbas, qui injuriam passus est, et in nullo penitus mihi tenetur obnoxius, ipse totum se meæ dispositioni exponit, et comes qui fecit injuriam, mihique tenetur tam proprio hominio quam causa querelæ suæ, consilio meo et curiæ meæ parere diffidit? Jam de cætero caveat sibi abbas ne decipiatur, quia ego ei nunquam deero. »

Comes Nivern. coram rege sistitur, promittitque damna a se inflicta resarciturum. Post multos itaque conflictus verborum, tandem vocatus comes ante præsentiam regis, compromisit ei per manum suam in manu illius pollicendo Ecclesiam, redditus, do- B mos, et omnes possessiones monasterii abbati et suis reddere in eo statu, quo diebus octo ante fratrum egressionem consistebant, et salvis illis querelis quas ad invicem ante habebant, et salva sententia excommunicationis et interdicti qua tenebatur. Pollicitus est item ea omnia, quæ a tertio die ante fratrum exitum de rebus Ecclesiæ quoquomodo diminuta vel perdita viderentur, restituere, et denuo pacem servare, Ecclesiæ et possessionibus illius, abbati et monachis atque hominibus eorum, hoc jure retento, quod si forte inter comitem et abbatem vel Ecclesiam controversia emerserit, per quindecim dies post diffidationem habebunt induçias burgenses Vizeliaci, in quibus divertere pote- C runt se et sua ad tuta loca, Ecclesia permanente in pace cum universis propriis possessionibus suis. De damnis igitur modernis secundum probationem hominum Ecclesiæ restituendis comes dedit obsides Ansellum de Triagnello, et fratrem ejus Garnerium..... comitem, et Isgnardum vicecomitem de Joviniaco. Hi quatuor pro quarta parte fiduciaverunt singuli in manu comitis Theobaldi, quoniam si comes post quadraginta dies legitimæ probationis damna probata reddere detrectaret, infra quindecim dies submonitionis abbatis apud Senonicam urbem obsidatum tandiu tenerent, donec abbati et Ecclesiæ ipsi vel comes satisfacerent.

Rex per semet abbatem restituit, et monachos Vizeliac. His itaque compositis rogatus ab abbate fe- D stinavit rex facere diem Epiphaniorum apud Vizeliacum, reduxitque abbatem cum lætitia magna in locum suum. Et ejecti sunt filii Belial de monasterio et de burgensium domibus, et obtinuit omnes gaudium et lætitia magna. Sed et nequam proditores pseudomonachi egressi de domo Esconii, bona penitus omnia quæ manibus habere poterant dissipantes, fugam arripuerunt. Igitur novies quinque diebus exactis, reversi sunt fratres de exsilio cum lætitia et ingenti gaudio. Unus autem excommunicatorum nomine Guillelmus Pideth, diabolico invasus spiritu cœpit monasterium impugnare et prædas facere : quod cum diu fecisset, insecuti sunt cum tam ex oppido Vizeliaci quam ex oppido Campimolli multitudo rusticorum magna : tandem percussus miser mortuus est. Itaque præsentibus regis militibus et clientibus comitis, computavit abbas summam detrimentorum monasterii, quæ ab hominibus comitis fuerant Ecclesiæ illata ab exitu fratrum usque in præsens : et fuit summa ducentarum quadraginta librarum.

Tentat comes abbatis animum emollire. Post hæc missi a comite expostulaverunt ab abbate expensam procurationis festi B. Mariæ Magdalenæ, et alia quædam ridicula. Quibus abbas respondit : « Quando comes, facta mecum concordia, in communionem Ecclesiæ susceptus fuerit, tunc respondebo illi super posita quæstione. » Et convenerunt apud Crisenon archiepiscopus Lugdunensis, et archiepiscopus Cantuariensis, tentantes si forte componere possent inter abbatem et comitem atque comitissam. Sed frustra laboratum est. Quia enim pondus omnium gravaminum in immoderatis procurationibus existebat, nolebat abbas vel Ecclesia recipere quamlibet compositionem, quæ profecto non veram, sed potius fictam inducere pacem videretur, nisi aut omnimodas procurationes comes dimitteret, aut certa expensarum præscriptione easdem limitaret.

Conqueritur regi abbas de comite. Iterum imminente Quadragesima Guillelmus de Merloto et Renaldus frater ejus venerunt ad patruum suum Guillelmum abbatem Vizel. tentantes de compositione pacis animum ejus. Et convenerunt apud Escolnias hinc abbas, illinc comes : sed et tunc casso labore sudatum est. Inde abbas cum properaret ad regem, invenit eum Senonis. Et significavit ei quomodo comes constitutas interrupisset inducias quadraginta dierum. Siquidem in Senonica compositione dictum fuerat, quod post probationem damnorum suorum, abbas et Ecclesia XI dierum inducias haberent a comite super omnibus querelis quas comes adversus abbatem haberet. Et etiam deinceps, si forte comes amplius sustinere nollet, a die diffidationis iterum quindecim dies induciarum abbas haberet. Comes autem diebus octo infra XL dierum inducias abbatem ita diffidavit, quod non nisi octo dies daret induciarum, et ipsi octo dies cum XL superioribus perficerentur. Quod ut rex audivit, ægre tulit; dixitque abbati ut secum rediret Altissiodorum; et vituperavit comitem rex, præcepitque ei ut fractas inducias restitueret. Et contristatus est comes valde, ita quod pene lacrymaretur : coactus tamen paruit, et abinde XV dierum inducias dedit. Completique sunt dies illi infra septimanam Ramis palmarum.

Comes Trecensis, et alii agunt de pace componenda, sed perperam. Henricus denique comes Trecensis, et Theobaldus comes Blesensis, atque Ansellus de Triagnello convenerunt Guillelmum comitem Nivernensem, et Guillelmum abbatem Vizeliacensem, et diu satisque egerunt pro compositione pacis inter comitem Nivernis et cœnobium Vizeliaci. Erant

autem hi duo comites cognata germanitate conjuncti comiti Nivernensi. Quid plura? de omnibus querelis suis dixit abbas stare consilio et diffinitioni eorum, exceptis duabus procurationibus, quibus Ecclesiam penitus comes destruebat. Dictum est itaque a prætaxatis illustribus viris, quatenus de singulis procurationibus sexaginta libras comiti persolveret, ita tamen ut de festivitate, quam præsentia sua minime comes honoraret, nihil ei omnino abbas vel Ecclesia præstaret. Ut autem hæc compositio grata comiti, et perpetua lege rata constaret, dictum est ut abbas comiti septingentas libras daret. Abbas vero quinquaginta tantum libras de singulis procurationibus, et pro compositione quingentas libras offerebat. Ventum est igitur ad comitem Nivernensem. At ille compositionem omnino, instigatus a Stephano clerico suo, et a Stephano de Petra-foraminis renuit, nisi de singulis procurationibus octoginta libræ, pro compositione autem mille libræ ab abbate sibi darentur. Et durus visus est sermo in oculis abbatis, laudante et contradicente comite Henrico, ne quid oblato amplius daret. Sic, vespere facto, infectoque negotio ab invicem discesserunt. Rogatu denique abbatis scripsit rex comiti Henrico gratias agens, et obsecrans quatenus pro præscripta compositione satageret. Et assignavit comes Henricus abbati diem Lunæ Ramis palmarum Trecis. Misitque ad comitem Nivernensem, rogans sicut cognatum, ut gratia compositionis inter ipsum et abbatem Trecas venire dignaretur. At ille remandavit ei ipsum potius venire debere Altisiodorum, si forte opus haberet. Henricus autem tantum fastum exhorrescens, scripsit hoc ipsum verbum regi et abbati. Reversus itaque abbas ad regem, invenit eum Aurelianis in die sancto Dominicæ Cœnæ. Invitatusque est ab episcopo Manasse, ut secum celebraret solemnia confectionis sacri chrismatis. Quo facto, misit ex eodem chrismate Vizeliacum per manum Vincentii decani. Et cum intimasset regi responsum Guillelmi comitis, quod fecerat comiti Henrico, miratus est rex valde, et misit ad eum præcipiens ut die Mercurii post Pascha suam apud Moretum præsentiam exhiberet.

Colloquium coram rege. Interim autem ab infestatione monasterii Vizeliac. contineret, et salvum conductum veniendi ad prædictum colloquium Vizeliacensibus concederet. Fecitque abbas sanctum Pascha apud Villare monasterium. Et quarto die convenerunt in nemore quod est supra Moretum rex, et comes, et abbas, singuli cum suis. Rex autem rogabat comitem ut compositioni acquiesceret secundum consilium comitis Henrici. Cui comes respondit : « Quod habeo in monasterio Vizeliaci susceperunt patres mei a patribus tuis in feodum, de quo feodo plus quam de tota hæreditate mea vel agere vel componere non tam pacificum quam violentum mihi videtur. » Ad hæc rex : « Si ita est, inquit, quod patres mei patribus tuis illud tradiderunt feodum, constat procul dubio causa tuitionis et non destructionis id factum fuisse. Tu autem, prout nobis videtur, in destructionem monasterii totis viribus anhelas. » Respondit ei comes : « Salvo verbo regis, ego illud non destruo. » Dicit ei rex : « In quantum opera tua manifestant, destructio ipsa præsto est. Sane his intermissis, de compositione agamus, si tamen abbas voluerit. » Respondit abbas : « Quod comes dicit patribus suis a patribus tuis datum fuisse monasterium Vizeliaci, ecce præ manibus habemus patrum tuorum privilegia, quibus ipsius monasterii libertas commendatur, et omnium potestatum omnimoda possessio atque consuetudo excluditur. Attamen ipsa privilegia tam apostolica quam regalia, et ipsum monasterium Vizeliaci in manus tuas committo, compone et dispone secundum censuram justitiæ tuæ. »

Renuit comes stare regis sententiæ. Interrogavit ergo rex comitem utrum staret compositioni prolocutæ a comite Henrico apud Autissiodorum. Respondit comes : « Nullum penitus verbum feci compositionis cum comite Henrico. » Et ait rex : « Equidem sic audieram sicut dixi. Sed quantum ad hæc, vide quid mei gratia facturus sis. » At ille : « Tui, ait. gratia quod potero faciam, sed de jure meo nunquam componam. » Indignatus rex ait : « Abbas qui nullo jure mihi tenetur obnoxius, de jure proprio sese submittit, et sententiæ meæ totum se exponit : et tu qui jure proprii hominii mihi teneris, suspectum me dominum tuum habes, atque consilio meo stare detrectas? Hactenus pueritiæ tuæ deferens injustitias tuas sustinui ; hactenus grande peccatum in tolerantia subversionis sepulcri beatæ Mariæ Magdalenæ contraxi. Jam de cætero justitiæ monasterii non deero, si forte abbas clamorem super te faciens justitiam quæsierit : interim auctoritate regia interdico tibi, ne amodo monasterium Vizeliaci, aut homines seu possessiones ad illud pertinentes infestare præsumas, sciens in injuriam coronæ regni redundare quidquid denuo mali eidem monasterio feceris. Si quid autem habes adversus abbatem, ecce ad justitiam illam tibi exhibeo. » Accedensque abbas ad regem petiit justitiam de comite. Respondit ei rex : « Quoniam pro compositione vocatus a me venit, non decet regiam mansuetudinem in jus illum ad præsens trahere. Sustine ergo donec recedat, et postmodum tibi et illi assignabo diem et locum agendi. » Et convenerunt iterum sequenti die in domum fratrum Vizeliac. quæ sita est super fluvium Lupæ apud Moretum.

Consilium cogit denuo rex apud Moretum. Aderant autem cum Guillelmo abbate Vizeliacensi Hugo abbas S. Germani, Stephanus abbas S. Remigii Senonensis, Stephanus abbas Castri Meliduni.... abbas Castri Landonis, et jurisperitus Mainerius, atque Osmundus Parisiensis canonicus. Quidam vero multifarie tentabant si quomodo possent avertere animum regis ab abbate, vel ab Ecclesia Vizeliacensi ; sed frustrati sunt omnes conatus Satanæ,

et dirupti laquei clandestinæ cupiditatis; quoniam abbas in nullo penitus a voluntate et sententia regis deficiebat; comes autem judicio regis stare omnino recusabat; et conquestus est quod abbas hominem suum captum teneret. Requisitus, quem: respondit: « Andream de Palude. » Et ait abbas: « Andreas de Palude nihil omnino ad te pertinens, meus est a planta pedis usque ad verticem, sicut proprius servus monasterii Vizeliac. » Dixitque comes: « Conditionem servitutis hujus Andreas minime nisi coactus cognoscit. » Respondit abbas: « Ecce super hoc etiam asto judicio regiæ curiæ. » Et dixerunt optimates et consiliarii regis: « Mos regiæ curiæ talis est quod si quis de servili conditione ab alio interpellatus fuerit, liber a suo possessore producatur in medium. Qui si suum possessorem solum dominum suum recognoverit, calumniator lite soluta nihil in eo habebit. Si autem se servum calumniatoris dixerit, nudus cedet in partem calumniatoris; res autem illius tam mobiles quam immobiles universas nudo relicto corpore possessor occupabit. » Respondit abbas: « Hoc judicium et hunc morem laudo et libenter observabo. » Tunc confusus comes voluit ignominiam causæ suæ in abbatem refundere, et proposuit calumniam de proditore illo Guillelmo, qui digno interitu perierat, dicens monachum qui in sua tutela existebat, præcepto abbatis fuisse interemptum. Et exclamavit omnis curia adversus tam insipientem et nequissimam calumniam comitis; dixitque abbas: Licet omnino falsa sit proposita calumnia, nihil tamen exinde tibi responsurus sum. Cum ergo cognovisset rex de pseudo illo monacho, in risum multum excussus, ait comiti: « Ergone tales sunt monachi tui? » Cumque modum et causam interitus perditi hominis audisset, iterum subsannando et improperando ait: « O justus et competens clamor comitis! o prosequenda calumnia nobilissimi principis! quid super hoc expostulat? proditor monachus terræ corpus, diabolo animam exsolvit. »

Interim terram Vizeliac. prædatur Hugo Letardus. Dum hæc apud Moretum aguntur, Hugo Letardus, assumptis satellitibus comitis, ingressus est terram Vizeliacensis monasterii, et fecit in eam prædam multam nimis armentorum et pecorum, variæque supellectilis, et etiam infecta coria mansionariorum de cœno extrahens distraxit, et pecuniam ducentarum, eoque amplius librarum ex omnibus confecit. Et ascendens clamavit per præconem in foro, quod si quis cujuslibet conditionis deinceps aliquid venale afferret infra oppidum Vizeliaci vel in omni confinio ejus, bonorum suorum amissionem, et proprii corporis injuriam vel captivitatem incurrerent. Transacta denique septimana Paschæ posuit nequissimos viros, et ipsa inopia prædones acerrimos qui singulos aditus observarent, ne quis virorum aut mulierum, parvulorum vel senum præsumeret descendere ad hauriendam aquam, seu ad molendum triticum. Unde factum est ut matronæ

A et virgines pro sexus reverentia confidentes descenderent aliquando, et a vilissimis hominibus dehonestarentur et violarentur, atque injuriis multis affligerentur. Tanta igitur necessitate coacti descenderunt ipsi fratres ad hauriendam aquam, et ad legenda olera; sed et ipsos injuriis affectos spoliaverunt, nec utilitatem pannorum, seu inhabilitatem habitus pannosi garciferi erubuerunt. Stephanus quoque de Beliaco accepta a fratribus pecunia quingentorum solidorum, et piperis ac ceræ non modica quantitate, egressus pergebat ad abbatem eo tempore apud Villare monasterium commorantem, et insidias comitis declinantem. Cumque satellites comitis suspectos haberet Stephanus, assumpto fratre suo milite circuivit per devia et venit in Poseium, B confidens de conductu Guillelmi præpositi Droiensis, qui sororem illius in uxorem duxerat. Sane proditio pietate sanguinis nonnunquam abutitur. Recedente namque milite a fratre protinus misit Guillelmus præpositus Droiensis Guillelmum de Lensech, qui insecutus est abeuntem Stephanum, et abstulit ab eo pecuniam, et equos, et universa quæ deferebat. Reversus ergo Stephanus accessit ad Idam matrem comitis, et petiit ex parte regis ut ablata sibi restituerentur, quoniam cuncta spectabant ad domum Villariis monasterii, quæ in dominatione et tutela regis existebat. At illa nomen regis spernens, et monasterium Vizeliacensis quod erat in protectione sua et filii sui, ab adversario et C filii sui deprædari prætendens, vix precibus amicorum Stephani devicta, equos et partem ceræ jussit reddere. Et pervenit verbum istud ad aures Vizeliacensium, et consternati sunt animo, paternam magis inopiam quam propriam deflentes ærumnam. Et factus est rumor, quod præcepisset comes, ut seniores et potentiores populi Vizeliacensis comprehenderentur, et bona eorum diriperentur vel confiscarentur. Qui perterriti receperunt se infra claustra monasterii.

Abbas Bellovacum regem adit, conquesturus de prædis a comitis satellitibus actis. Gaufredus igitur Angligena, qui post Gilonem primum locum in cœnobio Vizeliac. tunc obtinebat, scripsit cum fratribus suis abbati, significans ei quanta afflictione D et contritione a satellitibus comitis oppidum Vizeliaci obsideretur. Tunc abbas venit Belvacum, quo rex forte convenerat cum multitudine episcoporum et optimatum suorum. Ut ergo cognovit rex mala quæ Vizeliacensi monasterio Guillelmus comes Nivernensis intulerat, assignavit ei diem agendi cum abbate coram se Aurelianis Dominica quæ præcedit Pentecosten; ita tamen ut sibi primum satisfaceret de contemptu et transgressione mandati sui, monasterium præfatum post prohibitionem suam persequendo. Et accepto die, indignatus est comes valde, et recessit cum comminatione multa. Accessitque abbas ad ducem Burgundiæ, rogans eum ut obsessis opem ferre dignaretur. Protinus ille scripsit Guntardo præposito Avalonensi, præcipiens ei qua-

tenus quæque venalia terræ suæ Vizeliacum indubitanter conduceret, et etiam si necesse foret armis defenderet. Sed puer ætate et animo pellectus a comite per astutiam Anserici de Monte-Regali, qui non minus quam comes abbati et monasterio inimicabatur, mentitus est omnia quæ spoponderat, et prohibuit venalia, præcipiens comprehendi quotquot de Vizeliacensibus in terra sua invenirentur. Rex autem Ludovicus accersitis librariis scripsit omnibus præfectis et principibus regni sui, ut coadunato exercitu equitum et peditum sibi occurrerent Senonis Dominica quæ præcedit festum beatæ Mariæ Magdalenæ. Porro, comes veritus judicium regiæ curiæ assignatam sibi diem excusavit. Rex illico assignavit primam Dominicam post Pentecosten Parisius. Et hanc quoque rursus excusanti dedit tertiam Dominicam post Pentecosten Laudunum. Sed et hanc tertio excusans comes, misit Guillelmum de Domno-Petro, supplicans, ut vel semel rex inire dignaretur colloquium, quo utrimque auditis allegationibus ipse per omnia staret arbitrio regis. Et bonus visus est sermo in oculis regis, cui grata requies, exosum semper exstitit bellum.

Genealogia regum Capetianorum. Ludovicus VII Hierosolymam pergit. Hic est enim Ludovicus rex filius Ludovici, qui cognominatus est Grossus, filii Philippi, filii Henrici, filii Roberti, filii Hugonis Capitonis, qui primus rex exstitit post defectum genealogiæ Caroli, quæ per ducentos ferme annos regnavit; fueruntque a primo anno Hugonis usque ad primum annum hujus Ludovici, qui cum patre per quinquenium regnavit, anni fere centum quadraginta. Hic est rex Ludovicus, cujus pater Ludovicus usquequaque dilatavit regnum suum, et conjunxit ei in matrimonium filiam Guillelmi ducis Aquitanorum et comitis Pictavorum, propter quam acquisivit omnem Aquitaniam, Guasconiam, Basclonìam et Navarriam, usque ad montes Pyrenæos, et usque ad crucem Caroli. Hic est rex Ludovicus qui quintodecimo anno regni sui, præsidente in Romana cathedra Eugenio, cum magno exercitu vexillo vivificæ crucis insignito Hierosolymam perrexit, gentem inimicam fidei debellaturus. Sed, incognito Dei judicio, maxima suorum parte amissa, absque triumpho rediit, pravoque usus consilio uxorem suam cum prænominata terra, quæ regnum aliquando per se exstiterat, dimisit, et postmodum conjunctus est filiæ imperatoris Hispanorum, qua defuncta, tertio nupsit sororem comitis Henrici, de qua primum suscepit filium, nomine Philippum, anno regni sui XXXIII, a Gallis redeunte Alexandro papa.

Conveniunt Moretum rex, comes, et abbas. Convenerunt igitur apud Moretum rex, et comes, et abbas. Propositis hinc inde controversiis, voluit rex ut uterque staret definitioni Henrici archipræsulis Remensis, et Henrici comitis Trecensis: et concessit comes data fide in manu Petri fratris regis ita se facturum: abbas autem in verbo tantum veritatis idem spopondit. Quærentibus diem definitionis (neque enim intererant arbitri) respondit rex quod circa festum beati Dionysii congruam eis diem assignaret; interim vero abbas ad monasterium suum reverteretur, et optata pace atque securitate ipse et sui perfruerentur, usquequo lis per prædictos arbitros terminaretur. Quam pacem se servaturum comes sacramento fidei confirmavit. Sic singulis ad sua redeuntibus, abbas Guillelmus abiit Trecas ad comitem Henricum, et inde Clarevallis, quo se sperabat inventurum fratrem regis Henricum archiepiscopum: quem cum non invenisset, rediens celebravit solemnitatem beatæ Mariæ Magdalenæ in monasterio. Rex vero Ludovicus movit exercitum adversus Guillelmum comitem Cabilonensem propter pessimam stragem, quam Guillelmus filius ejus exercuerat super Cluniacenses. Cum enim occupasset castrum Lordonis, quod exstat de jure Cluniacensis cœnobii, egressi sunt majores natu cum juvenibus de vico Cluniacensi, quos incautos sicut indoctus vulgus docta manus militum comitis protinus aggressa, fugam inire compulit, et fere omnes ad internecionem delevit. Movens ergo rex exercitum, occupavit castella et munitiones ejus, et ipsam urbem Cabilonensium, omnemque terram illius usque ad fluvium Ararium, quam devastatam tradidit in manu Hugonis ducis Burgundiæ, et Guillelmi comitis Nivernis, quousque puer ipse, qui causa malorum existerat, venit Vizeliacum ante faciem regis cum matre sua, et, prout potuit, regi satisfecit. Quia igitur totum pondus ipsius negotii comitem Nivernensis occupabat, distulit rex diffinitionem controversiæ, quæ versabatur inter ipsum comitem et abbatem, usque in festum quod instabat beati Martini.

Anno Verbi Domini incarnati millesimo centesimo sexagesimo sexto; exceptionis autem sacri corporis beatæ dilectricis Dei Mariæ Magdalenæ ducentesimo octogesimo sexto, porro destructionis exsecratæ Burgensium communiæ undecimo, decima die mensis Novembris, convenerunt ante regem Parisius Guillelmus abbas Vizeliacensis, et Guillelmus comes Nivernis, et proposuit Co. (5) . . . .

Guido adhuc puer frater comitis. . . . . . .
Soror ejus adhuc innupta, et junior frater suus. . . . . Milo de Nuceriis. . . . . .

Jusjurandum comitis de pace tenenda cum Vizeliacensibus. Dissimulata igitur nequitia verborum matris surrexit comes, et flexit genua ante sanctum Evangelium, et vivificam crucem Christi, sanctasque reliquias. Cui cum abbas vellet dictare formam juramenti, « Sustine, ait, et permitte me quod corde sentio et fide teneo, per me proferre: si quid autem minus vel amplius protulero. liceat tibi emen-

(5) Desunt hic sex folia excisa.

dare. » Dixitque : « Sicut ex præsenti chirographo recitatum est, et ego bona fide intelligo, vosque omnes qui astatis, intelligitis, sic tenebo et observabo, et meos observare faciam. Sic me Deus adjuvet et sancta ista. » Et clamaverunt omnes : « Satis est, satis est. Bene et luculenter dictum est. » Vocansque Guidonem fratrem suum præcepit ut et ipse juraret in eumdem modum : quod et fecit, sic dicens : « Sicut dominus comes frater meus bona fide juravit, sic et bona fide tenebo et observabo. Sic me Deus adjuvet et sancta ista. » Deinde vocatus præpositus Altisiodori, nomine Joannes, Columbus quoque præpositus Tornodori, et Milo præpositus Malliaci, atque Hugo Letardus præpositus Castricensorii, aliique circumadjacentis territorii juraverunt sicut in chirographo diffinitum fuerat. Ida vero mater comitis subterfugiens, ingressa est oratorium intactæ virginis Mariæ : quod contiguum erat capitulo, accito secum Milone, aliisque quampluribus, quos vecordiæ suæ sperabat parituros, et cum multifarie retractarent quomodo jusjurandum comitissa evitare posset, nullusque sibi honestus pateret exitus, vocaverunt comitem : quo præsente supplicabat mater ne eam jurare compelleret. Respondit ei comes : « Si me vis perjurium incurrere, noli jurare. » Quæ dixit : « Velim nolim, concedo in verbo legitimo quidquid pro voluntate jurasti. » Dixit ei comes : « Si hoc satis fuerit abbati, mihi quoque satis erit. » At illa : « Roga, inquit, fili, eum ut tibi det hoc jusjurandum. » Reversus comes ad abbatem dixit : « Turpe est mulierem jurare, maxime vero matrem meam, quæ nobilis est et genere et potentatu, sed et vidua : parce illi, quæso, et ne illam compellas jurare ; sed suscipe pactum illius in verbo legitimo ; ego autem pro ea tenebor quod sic observabit. » Respondit abbas : « Noli, inquit, noli solvere firmamentum pacis ; scio enim matrem tuam initium et causam fuisse omnium inimicitiarum tuarum, quam profecto constat plura compromittere, pauca effectui mancipare. Verumtamen amore tui, si, ut dixisti, formam compositionis servaturam se in verbo legitimo pepigerit, patiar ut quilibet legitimus miles vice ipsius astante illa ante sancta juret. » Et factum est ita : et juravit Balduinus, qui dictus est pro ea. Et facta est lætitia et exsultatio magna omni populo in die illa. Et facta est concordia et amicitia magna inter abbatem et comitem, et nulla fuit distantia inter utrumque, quin sentiret idem unus quod alter. Hi autem qui operatores et incitatores inimicitiarum omnium fuerant ad pedes abbatis venerunt, et ut eos comiti offensos reconciliaret suppliciter exoraverunt. Rex autem Ludovicus venit Vizeliacum, et gratias ei egit abbas cum fratribus suis pro adepta pace, et occurrit ei filius comitis Cabilonis, et agente abbate fecit pacem cum rege.

Ad hoc colloquium venit et Stephanus abbas Cluniaci, qui exosam habens personam Guillelmi abbatis Vizeliaci, dedignatus est ingredi oppidum Vize-
A liaci, et substitit in prædio quod dicitur Novemfontanas, mandavitque regi ut sibi ubilibet occurreret, qui assignavit ei locum in crastinum apud S. Petrum inferiorem ; quod est prædium monasterii Vizeliaci ; quod ut Guillelmus abbas Vizeliacensis cognovit, misit ad eum Renaldum eleemosynarium, et Gaudricum priorem de Campo-molli : quos vix ad se introductos cum audisset, non resalutato Guillelmo, remisit Stephanus dicens collaturum se cum fratribus suis super ea quæ sibi protulerant. Erant autem cum Stephano abbate Cluniaci Bernardus prior S. Stephani Nivernensis, et Hugo de Silviniaco, Thomas et Amblardus aliique quamplures, qui omnes unanimiter rogaverunt et laudaverunt ut acquiesceret petitioni abbatis Vizeliaci. Pe-
B tiit enim abbas Vizeliacensis, ut ipse abbas Cluniacensis Vizeliacum veniret ; ille autem sibi occurreret cum duce Burgundiæ et comite Nivernis, universaque militia procerum, qui tunc ibidem convenerant, et ornatis plateis multoque incenso flagrantibus, solemnem processionem cum signorum omnium sonitu, festivo more susciperet, capitulum pro arbitrio teneret, ad cymbalum refectorii sederet si vellet, aut certe in camera abbatis quotquot vellet diebus comperendinaret. Acquiescens ergo Cluniacensis suorum consilio, mandavit abbati Vizeliac. per Hugonem et Amblardum, quod satisfaceret petitioni illius. Statimque abbas præcepit ornari basilicam et omnes plateas, omnique populo
C clamante præcone præcepit ut fores et vestibula domorum suarum decenter ornarent, et honeste secum procederent in occursum abbatis Cluniacensis. Superveniens autem Theobaldus prior Cluniaci, qui postmodum factus est abbas monasterii Molismensis, vituperavit consilium fratrum suorum. Veniensque cum Pontio tunc priore Paredi monasterii, tentabat animum Guillelmi abbatis, inquirens quo honore abbatem Cluniaci suscipere disponeret. Cui abbas respondit, dicens : « Assumptis mecum comitibus et proceribus atque militibus, quorum multitudinem adesse cernitis, occurram domino Cluniacensi, et solemnem ei processionem exhibebo. Cum autem huc ingressus fuerit, capitulum et refectorium pro arbitrio tenebit, aut in ipsa ca-
D mera mea quandiu voluerit, comperendinabit, omnemque illi honorem exhibebo, in frumento, vino et carne et piscibus. » Submurmurante Theobaldo, respondit Pontius : « Hæc omnia quæ proponis, bona quidem sunt, sed minus sufficentia personæ abbatis Cluniaci. » At ille : « Quid ergo, ait, amplius faciendum vobis videtur ? » Et respondit Pontius : « Optime nosti quid ei congruat, præsertim in hoc monasterio, quod præter communem hospitalitatem ampliori tenetur sibi reverentia. » — « Bene, inquit, novi quid sibi congruat, ideoque omnem debitum illi honorem exhibebo. Si autem forte ultra intenditis, hoc apud vos certum constare volo, quod collata mihi sede non sibi cedam. » At illi dixerunt : « Noli ergo fatigari, quoniam dominus abbas mi-

nime huc veniens, obsequium tuum recipiet. » A Quibus abbas ipse ait: « Viderit; feci ego quod meum fuit. »

Abbatis Cluniac. actus improbantur a rege ac proceribus. Et audivit rex et optimates ejus hoc verbum, et displicuit eis valde, dixeruntque: « O quanta arrogantia istius hominis, qui sibi oblatum tantum honorem despicit, et dominum regem nosque omnes occurrere sibi expetit. Cum hæc loquerentur, et esset Guillelmus abbas coram rege, dictum est ei quod Stephanus abbas Cluniaci jam descendisset ad gradus exteriores majoris basilicæ, et staret ante altare apostolorum Petri et Pauli, ad quem descendens, deduxit eum in domum superiorem ante conspectum regis, ubi cum frustra per totum B diem jejunus perstitisset, imminente noctis conticinio, rediit ad prætaxatum prædium. Et magnificatus est ea die abbas Guillelmus in conspectu regis et comitis Nivernis, omniumque procerum. Et obtinuit abbas Guillelmus gratiam comitis Nivernis, et magis ac magis per singulos dies proficiebat in dilectione ejus; ita quod comes per omnia sese illi crederet, et secreta sua committeret.

Guillelmus Nivern. pergit Hierosol. Post hæc verba comes Nivernis Guillelmus, filius Guillelmi Altissiodorensis, filii Guillelmi Carthusiensis, filii Renaldi Malliacensis, filii Guillelmi Nivernensis, filii Renaldi, qui fuit filius Landrici primi hujus generis comitis Nivernis, accepit apud Charitatem signum vivificæ crucis gratia Hierosolymitanæ peregrinationis C ab Hugone Senonensi archiepiscopo.

Telonarii seu Poplicani hæretici in judicium adducti. Hæresis eorum capita. Eo tempore deprehensi sunt apud Vizeliacum quidam hæretici, qui dicuntur Telonarii seu Poplicani (6), et adducti in quæstionem per ambages et circuitus verborum tentabant velare fœdissimam sectam hæresis suæ. Separatos itaque abbas jussit recludi, donec a supervenientibus episcopis honestisque personis convincerentur. Fueruntque detenti fere per sexaginta vel eo amplius dies, et frequenter adducebantur in medium; et nunc minis, nunc blandimentis de fide Catholica inquirebantur. Tandem cum frustra multo tempore laboratum fuisset, mediantibus archiepiscopis, videlicet Lugdunensi et Narbonensi, D cum episcopo Nivernensi, et abbatibus, aliisque peritissimis viris quampluribus, convicti sunt quod solam divinitatis essentiam ore confitentes, omnia penitus Ecclesiæ Catholicæ sacramenta evacuarent, baptismum scilicet parvulorum, Eucharistiam, vivificæ crucis impressionem, exorcizatæ aquæ aspersionem, basilicarum ædificia, decimarum et oblationum remedia, conjugatorum connubia, monachorum instituta, clericorum et sacerdotum omnia officia. Et cum instaret Paschalis solemnitas, duo ex illis, audito quod proxime ignis exterminandi essent judicio, finxerunt se credere quod Catholica credit Ecclesia, et pro pace Ecclesiæ aquæ examine satisfacturos. In ipsa igitur processione Paschalis solemnitatis adducti sunt in medium maximæ multitudinis, quæ totum claustrum occupabat, stante Guichardo Lugdunensi archiepiscopo, et Bernardo Nivernensium episcopo, magistro quoque Galterio Laudunensi episcopo, cum Guillelmo Vizeliacensi abbate. Itaque requisiti de fide per singula capitula, sic se credere dixerunt sicut Catholica credit Ecclesia. Requisiti de exsecrabili sacramento erroris sui, nihil se scire dixerunt, præter præscriptam infidelitatem ecclesiasticorum sacramentorum. Requisiti utrum ita se credere, uti professi sunt, et nihil de secreto erroris amplius se scire aquæ examine probarent, ita se facturos sponte absque aliqua adjudicatione responderunt. Tunc omnis Ecclesia uno ore exclamavit, *Deo gratias.* Et respondens abbas dixit omnibus qui aderant: « Quid ergo, fratres, vobis videtur faciendum de his qui adhuc in sua perseverant obstinatione? » Responderunt omnes: « Comburantur, comburantur. » Sequenti die adducti sunt illi duo qui videbantur revocati, ad judicium examinis aquæ; quorum unus omnium judicio salvus per aquam factus est. Fuerunt tamen nonnulli qui exinde dubiam tulere sententiam. Alter porro remersus in aquam, fere omnium ore damnatus est. Unde carceri mancipatus, quoniam varia quorumdam, etiam sacerdotum ferebatur sententia, iterum ipso petente, ad aquæ judicium reductus, et secundo demersus, nec vel parum ab aqua receptus est. Bis denique damnatus igni ab omnibus adjudicatus est: sed deferens abbas præsentiæ suæ, publice cæsum eliminari præcepit. Cæteri autem numero septem igni traditi exusti sunt in valle Esconii (an. 1167).

(6) [*Telonarii.* Sic scribendum monuit Baluzius· editum erat *Deonarii.*

ANNO DOMINI MCLV-MCLXIX

ISAAC ABBAS DE STELLA

CISTERCIENSIS

ALCHERUS ET PETRUS DE ROYA

CLARÆVALLENSES MONACHI

NOTITIA

(*Histoire littéraire de la France*, par des religieux bénédictins, XII, 678)

I.

Isaac naquit en Angleterre, et y embrassa la vie religieuse dans un monastère de l'ordre de Cîteaux (1). Après avoir été suffisamment éprouvé dans cette maison, il fut envoyé par ses supérieurs pour en fonder une autre dans une île dont on ne sait ni la position, ni le nom (2). De là il passa en France, l'an 1147, et devint abbé de l'Etoile, au diocèse de Poitiers. L'histoire ne nous apprend aucun détail de son administration. Mais les lumières et la piété qui règnent dans ses écrits donnent lieu de présumer qu'elle fut très-sage. L'année de sa mort est incertaine. Il vivait encore en 1155, et Valise, son successeur, ne commence à paraître dans les monuments domestiques qu'en 1169.

Isaac tient un des premiers rangs parmi les écrivains de son ordre, moins par le nombre que par le mérite des ouvrages qu'il nous a laissés. Dom Bertrand Tissier les a presque tous recueillis dans le sixième volume de sa Bibliothèque de Cîteaux. Ce sont :

1° Des sermons, au nombre de cinquante-quatre, dont les six premiers sont sur la Toussaint; les trente-un suivants ont pour objet les évangiles des dimanches, depuis l'Epiphanie jusqu'à Pâques ; ensuite deux sermons sur la Résurrection, un sur l'Ascension, trois sur la Pentecôte, trois sur la fête de saint Jean-Baptiste, deux sur celle de saint Pierre et saint Paul, trois sur l'Assomption, et un sur la Nativité de la sainte Vierge.

Dans le premier sermon sur le troisième dimanche après l'Epiphanie, l'auteur, expliquant ces paroles du Sauveur, *Je le veux, soyez guéri. Allez, montrez-vous au prêtre*, dit : « L'Eglise ne peut rien remettre sans Jésus-Christ, et Jésus-Christ ne veut rien remettre sans l'Eglise. Elle ne peut rien remettre qu'au pénitent, c'est-à-dire à celui que Jésus-Christ a touché, et Jésus-Christ ne veut rien remettre à celui qui a méprisé son Eglise. Comme tout-puissant, il peut faire tout par lui-même, baptiser, consacrer l'Eucharistie, ordonner, absoudre, et autres choses semblables. Mais l'humble et fidèle époux ne veut rien faire sans son épouse. Que l'homme ne sépare donc pas ce que Dieu a joint. Je dis que ce sacrement est grand en Jésus-Christ et dans l'Eglise. Ne retranchez donc point du corps la tête, de manière que le Christ ne soit nulle part tout entier. Car le Christ n'est nulle part tout entier sans l'Eglise, comme l'Eglise n'est nulle part tout entière sans le Christ, attendu que dans son intégrité le Christ est composé d'une tête et d'un corps. C'est là cet homme unique qui remet les péchés, qui d'abord touche intérieurement afin d'opérer la pénitence du cœur, et ensuite renvoie, pour la confession de bouche, au prêtre, qui renvoie lui même à Dieu pour l'offrande de la satisfaction. Ces trois choses produisent la parfaite guérison, savoir, la contrition, la confession de bouche et la satisfaction des œuvres, de sorte qu'avant cela personne ne peut se dire véritablement guéri. »

Dans un autre sermon, Isaac dépeint ainsi la situation du monastère qu'il gouvernait alors. « C'est pour vous soustraire entièrement au monde, mes frères, que par un dessein bien entendu nous vous avons amenés dans cette solitude reculée, aride, désagréable, où vous pouvez être humbles, et ne pouvez être riches; dans cette solitude, dis-je, placée fort avant dans la mer, et qui n'a presque nul commerce avec le reste de la terre, afin que privés de toute consolation séculière, et presque de tout secours humain, vous oubliiez entièrement le monde, vous pour qui, à l'exception de cette petite île, la plus éloignée du continent, il n'y a plus de monde nulle part. » Ce texte ne désigne certainement pas l'abbaye de l'Etoile, qui n'est point dans une île; et il ne peut convenir qu'au premier monastère dont Isaac fut abbé.

Le début du septième des neuf sermons sur l'évangile de la Sexagésime fait connaître la circonstance dans laquelle il fut prononcé. « C'est maintenant, mes frères, dit l'auteur, qu'on voit en nous l'exécution de cette sentence prononcée contre l'homme après son péché : *Tu mangeras ton pain à la sueur de ton front*..... Voilà qu'accablés par le travail et brûlés par la chaleur du midi, nous dégouttons de sueur,

(1) Gall. Chr. nov. t. II, col. 1352.
(2) Bibl. Cist. t. VI, p. 20, col. 2.

et cela pour défricher une terre inculte, afin de ne pas semer sur les épines. Fatigués à l'excès du soin de la semence terrestre, allons prendre un peu de repos à l'ombre de ce chêne touffu que vous voyez ici près; et là, non sans une certaine sueur intérieure, criblons, moulons, pétrissons, cuisons, mangeons la semence de la parole divine, pour ne pas tomber en défaillance par un jeûne immodéré. »

La plupart des autres sermons furent prononcés en pareilles occasions, et l'on voit que nullement préparés, ils naissaient sur-le-champ des questions que l'on faisait à l'auteur. Par exemple, dans le deuxième sur l'évangile du second dimanche de la Quinquagésime, Isaac, après avoir pris pour texte ces paroles des disciples au Sauveur : *Renvoyez cette femme, parce qu'elle crie après nous*, commence ainsi : « Allons, mes frères, c'est assez de travail des mains. Prenons un moment de repos, et employons-le à satisfaire, suivant ce que la bonté divine voudra bien nous inspirer, à la question que ce bon frère nous a faite sur la fin du sermon d'hier. Il est étonné de ce que le Seigneur ne daignant point répondre à cette femme, ses disciples néanmoins, touchés de compassion, osent intercéder pour elle, comme s'ils étaient plus compatissants et plus miséricordieux que leur Maître, qui est lui-même la source de toute miséricorde. Mais d'abord, mon frère, d'où savez-vous que c'est la pitié et non l'ennui, qui a porté ces disciples à en agir de la sorte, tandis que vous leur entendez dire : *Renvoyez-la, parce qu'elle crie après nous*. Mais soit : prêtons-leur des sentiments plus nobles et plus conformes à la charité. Dites-moi : Quel est celui d'entre nous qui ne souhaiterait pas que tous les hommes fussent sauvés, et que nul ne fût damné? Or assurément Dieu, que nous n'égalons pas en bonté, le ferait, s'il le jugeait à propos, avec autant de facilité qu'il le voudrait..... Mais il n'y a, mes frères, aucune comparaison entre le Créateur et la créature. Il n'y a nul rapport de notre piété à celle de Dieu. Il veut souvent que les siens désirent pieusement ce qu'il ne veut pas lui-même faire par le motif d'une plus grande piété. » Toute la suite de ce sermon, ainsi que le suivant, traite de la prédestination, que l'auteur explique suivant les principes de la bonne antiquité. L'éditeur, peu éclairé sur cette matière, renverse, dans une note, la doctrine de ces deux sermons.

Dans le premier, sur le troisième dimanche de Carême, Isaac dit : « L'Ecriture, mes frères, ne nous laisse pas ignorer que chacun de nous a son démon particulier, qui est extrêmement curieux de tout ce qui nous regarde, qui nous suit en tous lieux, qui observe soigneusement toute notre conduite, et qu'il n'est permis à personne, moins encore à un moine, de méconnaître. Pour moi, je pense bien connaître le mien. Car rien ne m'est plus présent, parce que rien ne m'est plus nuisible; rien ne m'est plus familier, parce que rien n'est plus assidu auprès de moi. »

A l'entrée du premier sermon sur l'Assomption, l'auteur s'énonce en ces termes : « On ne trouve pas aisément ce qu'on peut dire précisément sur la fête d'aujourd'hui, c'est-à-dire l'Assomption de Marie. Resserrés, comme nous le sommes, dans les limites que nos pères ont posées, et qu'il ne nous est pas permis de passer, nous n'osons décider autre chose, sinon qu'aujourd'hui Marie a été transportée (soit avec son corps, soit sans son corps, je n'en sais rien, Dieu le sait), a été, dis-je, transportée, non pour un temps, ni jusqu'au troisième ciel seulement (si cependant il y a réellement plusieurs cieux), mais dans le domicile éternel de la souveraine félicité, et jusqu'au plus haut des cieux. »

Nous ne pousserons pas le détail de ces sermons plus avant, malgré la satisfaction extrême que nous avons goûtée en les parcourant. Nous invitons les lecteurs curieux de s'instruire et de s'édifier à les lire; et nous osons leur promettre qu'ils y trouveront une théologie profonde, une morale pure et exacte, une grande connaissance du cœur humain, un style clair, vif, pathétique, et nourri des expressions bien choisies de l'Ecriture sainte.

2° Une lettre fort étendue touchant la nature de l'âme. Alcher, moine de Clairvaux, à qui elle est adressée, avait prié l'auteur de lui mettre par écrit le résultat d'une conférence qu'il avait eue avec lui sur ce sujet. C'est ce qu'Isaac exécute dans cette pièce, où il ne s'agit pas de savoir ce que l'âme, selon les Ecritures, a été avant le péché, ce qu'elle est maintenant sous le péché, ni ce qu'elle doit être après le péché; mais quelle est son essence, quelles sont ses facultés, comment elle est unie au corps et de quelle manière elle en sort. Notre auteur satisfait à toutes ces questions en bon métaphysicien et d'une manière qui leva les doutes d'Alcher, et le mit en état de composer sur la même matière, comme on le verra plus bas, un assez bon écrit.

Isaac dit en terminant sa lettre : « Voilà, mon frère, ce que l'obéissance m'a engagé de vous écrire, au milieu des afflictions sans nombre dont nous sommes accablés. Car cette année le Seigneur a envoyé sur cette province deux grands fléaux, la peste et la faim, tels qu'on ne croit pas qu'il y en ait eu de semblables dans les siècles passés. Ils ne nous ont point surpris inopinément. Nous en avions vu et observé les signes avant-coureurs l'année dernière, persuadés, comme nous le sommes, que tous les événements ont leurs causes, d'où ils naissent, leurs préparations pour la manière dont ils doivent s'opérer, leurs signes pour le temps où ils doivent arriver, et leur utilité finale dans la raison pourquoi ils arrivent. Car la sagesse ne fait rien que d'une manière sage, et le souverain bien ne fait rien que de bon, d'une bonne manière et pour une bonne fin. »

3° Une autre lettre, moins longue que la précédente, à Jean (de Belesme), évêque de Poitiers, sur l'Office de la messe. C'est un commentaire mystique sur les paroles du canon de la messe, dans lequel on trouve d'excellentes choses. L'auteur finit cet écrit par ces mots : « Tandis que je me délectais à vous écrire ces choses, tant à raison du sujet que de la personne à qui j'avais l'honneur de parler, voilà que votre homme, Hugues de Chavigni, m'arrête, et vient m'empêcher de passer les bornes d'une lettre. Car il est tombé subitement sur nos gens, a frappé de sa main quelques-uns de nos convers, mis en fuite nos domestiques, proféré plusieurs propos insolents contre nous, et fait plusieurs menaces contre notre maison. De plus, il nous a enlevé huit bœufs, qu'il a, je crois, déjà vendus, et sa main est encore levée pour se porter à de plus grands excès. Il crie sur les toits qu'il se vengera dans ma personne de tous les Anglais. Plût à Dieu que je ne fusse point de cette nation, ou que dans le lieu de mon exil je n'eusse jamais vu d'Anglais! »

Dom Dacheri, comme on l'a dit ailleurs en publiant cet ouvrage dans le troisième tome du Spicilége, l'avait mis d'abord sur le compte d'Isaac, évêque de Langres. Mais il corrigea depuis cette attribution dans la table générale de ce recueil, conformément à l'autorité de deux manuscrits de la bibliothèque du roi (n. 1252-1258), qui donnent cette lettre à l'abbé de l'Étoile, et sur ce que du temps d'Isaac, évêque de Langres, il n'y avait point d'évêque de Poitiers qui se nommât Jean.

4° Un commentaire, qui n'a pas encore vu le jour, sur le Cantique des Cantiques. On le conserve manuscrit à la bibliothèque du roi (n. 1252), mais sans nom d'auteur. Il est à la suite de la lettre d'Isaac sur l'âme, et il est assez dans sa manière d'écrire.

On ne s'arrêtera pas à réfuter Oudin (3), qui lui fait honneur des trois livres du *Sacrement de l'autel*, dont on a rendu compte sur Alcher (4). Il est incontestable que cette production appartient à ce dernier, et l'on peut en voir les preuves à son article.

Isaac est un des trente-un auteurs qu'Ottomarus Luscinius a compilés pour la composition de son grand ouvrage des *Allégories et Tropologies de l'un et de l'autre Testament*.

II.

Alcher, dont on vient de parler, cultiva les lettres avec piété dans l'abbaye de Clairvaux, sous le gouvernement de saint Bernard, et de ses successeurs Fastrede et Geofroi. Il était versé, non-seulement dans les lettres divines, mais aussi dans les sciences humaines. Isaac, dans la lettre qu'il lui écrivit sur la nature de l'âme, après avoir observé que la tête est le siége de cette substance, lui parle ainsi : « Car la tête, comme vous le savez mieux que moi, vous qui excellez en physique (c'est-à dire en médecine, suivant le langage du temps), est un assemblage de six ossements, soutenu par les sept colonnes du cou. Si vous jugez à propos de m'écrire sur la structure du corps humain, peut-être vous ferai-je une réponse dans laquelle je montrerai comment l'âme reçoit de son plein gré cet instrument de son action et de son plaisir, comment ensuite elle le conserve avec soin, comment elle le quitte toujours avec regret, comment elle désire avec empressement de le reprendre après l'avoir quitté malgré elle, comment enfin elle se réjouira, lorsqu'elle l'aura repris pour ne le plus perdre. » Alcher, comme on l'a dit, était en doute sur ces trois points, parce qu'il ne pouvait comprendre le mystère réellement incompréhensible de l'union du corps et de l'âme. Bien éloigné toutefois de confondre les deux substances qui composent la nature humaine, il fit un traité dans lequel il s'appliquait à montrer leur distinction. Cet ouvrage est le second des quatre livres *de l'Ame*, imprimés parmi les Œuvres de Hugues de Saint-Victor, et le même que le livre de l'*Esprit et de l'Ame*, qu'on voit dans l'appendice du sixième tome de saint Augustin. On a fait voir ci-devant qu'il était ridicule de l'attribuer à l'un ou à l'autre de ces deux écrivains, puisque Boëce, postérieur à saint Augustin, et Isaac plus récent que Hugues, s'y trouvent cités. Dom Tissier, qui l'a pareillement inséré dans le sixième tome de sa bibliothèque de Cîteaux, n'est pas mieux fondé à le donner à Isaac lui-même, attendu qu'il n'a aucun garant de cette attribution. Erasme, parlant de ce livre, dit que l'auteur y montre beaucoup de lecture, mais qu'il n'entend point l'art de lier un discours, en sorte que son érudition ressemble à du sable sans chaux.

La censure d'André Rivet est un peu moins sévère (5). « Quoique ce livre, dit-il, soit incontestablement étranger à saint Augustin, il mérite néanmoins d'être lu, et l'on y trouve bien des choses propres à satisfaire la curiosité des lecteurs. » Il est divisé en trente-trois chapitres dans l'édition des Œuvres de Hugues de Saint-Victor, et en quarante-quatre dans la bibliothèque de Cîteaux. Mais les nouveaux éditeurs de saint Augustin, qui l'adjugent comme nous à notre auteur, l'ont partagé en soixante-six. Dans cette édition, beaucoup plus correcte et plus ample que les précédentes, on a eu soin (ce qui n'est pas un petit travail) de marquer, par des notes marginales, les auteurs dont Alcher avait emprunté les expressions. Pour dire notre avis sur ce livre, nous le regardons comme un assez bon précis de ce que les anciens ont dit de mieux sur la nature de l'âme, sa différence d'avec le corps, l'immortalité de son être et la noblesse de sa destination.

Le Traité de l'amour de Dieu, *De diligendo Deo*, divisé en dix-huit chapitres, et placé dans la nouvelle édition de saint Augustin à la suite du précédent, nous paraît, par la conformité qu'ils ont ensemble, être du même auteur. Au jugement d'Erasme et des théologiens de Louvain, une piété lumineuse et affective est le caractère dominant de cet ouvrage. Le style en est toutefois bien différent de celui de saint Augustin. Saint Anselme, Hugues de Saint-Victor et saint Bernard, qu'on y voit cités comme des écrivains récents, montrent que l'auteur vivait au XIIe siècle. Vincent de Beauvais, dans le vingt-troisième livre de son *Miroir naturel*, rapporte un endroit tiré de ce livre, sous le nom de Pierre le Mangeur. Mais on sait combien il y a peu de fond à faire sur sa critique. Ce qui est certain, c'est que l'auteur était un homme de cloître; car il remercie Dieu de l'avoir retiré du siècle. Les derniers éditeurs de saint Augustin inclinent à mettre, parmi les productions d'Alcher, et cet ouvrage et tous les autres qu'ils ont rassemblés dans l'appendice du sixième tome de ce Père, savoir, le *Soliloque de l'âme avec Dieu*, le livre des *Méditations*, l'opuscule *de la Contrition du cœur*, le *Manuel*, formé en partie des méditations de saint Anselme, et en partie du quatrième livre de l'*Ame*, imprimé, ainsi qu'on l'a dit, parmi les Œuvres de Hugues de Saint-Victor. Le fondement sur lequel ils s'appuient est la grande ressemblance que ces livres ont entre eux et avec celui de l'*Esprit et de l'Ame*. Mais il y a difficulté pour le *Soliloque*, en ce que dans le chapitre trente-deuxième on trouve, à quelques mots près, tout le chapitre premier du quatrième concile de Latran, tenu, non en 1198, comme le disent nos éditeurs, mais en 1215, sous le pape Innocent III. Le concile aurait-il copié cet endroit, ou serait-il l'original?

III.

Pierre de Roye, en latin, *de Roia*, fut élevé dans le clergé de Noyon, y obtint un canonicat, et, par ses talents, mérita la confiance et l'estime de l'évêque, qui le fit son commensal. L'aisance et la faveur dont il jouissait lui firent oublier ses devoirs. Il donna dans la dissipation, et mena une vie peu conforme aux canons. Au milieu de ses égarements, il ne laissait pas de faire de temps en temps des réflexions sur la vanité du monde, sur la brièveté de la vie et sur l'incertitude du dernier moment. Ces pensées fructifièrent dans le temps que la divine miséricorde avait marqué. A la fin il se sentit si vivement tou-

(3) Script. t. II, p. 1485.
(4) *Patrologiæ* t. CLXXX.
(5) Crit. Sacr. l. IV, c. 12, p 422.

ché du désir de faire pénitence, qu'il se rendit à Clairvaux pour y embrasser la vie monastique. C'est lui-même qui nous apprend ces circonstances dans une assez longue lettre qu'il écrivit, pendant son noviciat, à C. Prévôt de l'église de Noyon. Cet ami et d'autres, attachés à Pierre, avaient beaucoup appréhendé qu'il ne pût soutenir un genre de vie aussi austère. Il les rassure à cet égard, en protestant qu'il n'a jamais ressenti de joie plus pure et plus constante que celle dont il jouit dans cette sainte solitude. Il leur annonce qu'il touche au moment de ses vœux, qu'il doit prononcer le dimanche après l'Ascension. Vient ensuite le tableau de la régularité qui s'observait à Clairvaux. « Parmi ces pauvres et ces fervents solitaires, dit-il, au milieu desquels j'ai le bonheur de vivre, il y en a qui ont été évêques, d'autres consulaires, d'autres illustres, soit par leurs dignités, soit par leurs talents. Vous avez connu Géofroi de Péronne, Raynald de Térouane, G. de Saint-Omer, Wautier de Lille. Mais qu'ils sont bien différents ici de ce qu'ils étaient dans le siècle! » A cette description il joint celle de sa vie passée, telle qu'on vient de la donner en raccourci.

Soit qu'on regarde cette lettre du côté des sentiments, soit qu'on l'envisage par rapport au style et à l'érudition, on peut dire qu'elle est une des plus belles du temps. Saint Bernard, lui-même, ne l'aurait pas désavouée. Dom Tissier l'a communiquée le premier au public dans sa Bibliothèque de Citeaux (t. III, p. 271-276), sur un manuscrit de l'abbaye d'Aumon. Elle a reparu dans la nouvelle édition de saint Bernard, et se trouve la quarante-quatrième parmi ses lettres.

DE AUCTORE OPERUM SEQUENTIUM.

(D. Bertrand Tissier *Biblioth. Patr. Cisterc.*, Bonofonte 1664, fol., tom. VI, pag. 1.)

—

De auctoritate sequentium operum pauca hæc accipe. Dominus, seu ut alicubi vocatur, beatus Isaac, genere Anglus, professione monachus, cœnobii de Stella in diœcesi Pictaviensi tertius abbas exstitit, sapientia et eruditione conspicuus, ut ex libro De anima, *et ex multis sermonibus ejus fit manifestum. Synchronus fuit S. Bernardi, ut ex secundo sermone in assumptione, in fine, satis constat. Porro in pluribus sermonibus indicat cœnobium suum in insula esse constitutum; unde consequens est aut Stellense cœnobium olim in insula fuisse situm, aut ipsum alicui alteri cœnobio prius præfuisse. Nam Stellæ illum abbatem aliquando fuisse declarat epistola ad Joannem Pictaviensem episcopum scripta. Neque vero per insulam illam Anglia potest intelligi: neque enim in Anglia, sed in Gallia degebat; et ait se exsulem esse in insula illa, et ab omnibus hominibus remotum. An non fuisset exsul in Anglia: nemo enim exsulat in patria sua, nec in Anglia remotus fuisset ab hominibus.*

SERMONES
B. PATRIS ISAAC,
ABBATIS DE STELLA ORDINIS CISTERCIENSIS.

—

SERMO PRIMUS.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Videns Jesus turbas, ascendit in montem (*Matth.* V). Utinam, fratres, et nos quandoque contingat turbas videre, et, illis dimissis, ascensiones in corde disponere! Difficile est in turba turbam videre: turbari autem in turba necesse est; nec turbatus clare videre, aut discernere, vel dijudicare unquam oculis potest. Ideo dimittenda est turba, ut videatur ipsa turba, et judicetur de ipsa turba. Quicunque enim eam bene conspicit, plene contemnit, libenter fugit, libere dimittit. Qui lucem nunquam vidit, nec tenebras unquam agnovit. Sic Omnipotens postquam dixit de tenebris lumen splendescere, tunc divisit inter lucem et tenebras; tunc discrevit, tunc dijudicavit, tunc vocavit lucem diem, et tenebras noctem. *Et vidit*, inquit (*Gen.* I), quasi antea non vidisset. Sic nimirum sic turbam non vidit, qui super turbam se minime levavit. Turbæ turbelam non sensit, turbæ tumultum non audivit, qui solitudinis silentium non gustavit. Dominus meus Jesus, et fortassis solus, potuit in turba non turbatus a turba, videre turbam; quam tamen videns dimisit, et secessit in montem, quo eum turba sequi non poterat: Heu me! fratres, quanti hodie turbas fugere proponunt, eo tamen resident, ubi a turbis itidem inveniuntur, amplius comprimuntur, ita ut fiat novissimus turbæ tumultus pejor priore. Ideo, frater, elonga fugiens, nec recurras ad turbam; sed mane in solitudine, sequere Jesum, subi in montem, dic turbæ: Quo ego vado, non potes venire. Licet, dilectissimi, de terreno aliquo monte, et exteriori quadam turba historia sibi constet, ego tamen mysterium attendo, maxime illud, quod plurimum mores instruat, quod super fundamentum ædificet. Et quamvis materialis turba difficile

vel nunquam esse possit sine turba, mihi tamen validius suspecta est interior quædam turba ; et eo quidem ad turbandum efficacior, quo interior. Et propter hanc, frater, in altum egredere, Jesum sequere. Propterea descendit in te, ut post ipsum, et per ipsum supra te ascendas, etiam ad ipsum in te. O grande mysterium ! relictis turbis, ascendit in montem. Sequuntur discipuli, et cuncti, et soli. Nunquid omnes omnibus de turba corpore fortiores ? An spiritu, quod magis puto, ferventiores ; ut quo ibat impetus, illuc graderentur ? Sed quid est quod discipulis iterum tam promptis, tam devotis, tam fortibus, tam ignitis, ferme omnibus relictis, in alium montem cum paucis ascendit, quem testatur Scriptura excelsum ? (*Matth.* XVII.) Imo quid putamus, fratres, quod aliquando etiam iis ipsis, et aliis, imo omnibus omnino hominibus relictis, solus ascendit in montem orare ? (*Matth.* XIV.) Quid sibi volunt ii montes ? In primo ascendit docere, in secundo gloriam suam ostendere, in tertio Patrem orare. Nunquid hic est mons domus Domini præparatus in vertice montium ? (*Isai.* II.) Sic fortasse venit saliens in montibus, et transiliens colles (*Cant.* II). Primo turbas omnes transiliens, cum discipulis salit in montem, secundo ipsos tanquam minores transiliens respectu trium ; tertio ubi nemo eum sequi potest, universitatem creaturæ transiliens, solus ad solum, æqualis ad æqualem, Filius ad Patrem. In primo solus Filius auditur ; in secundo Filius videtur, Pater auditur ; in tertio nemo vidit vel audivit Patrem, nisi Filius ; neque Filium, nisi Pater. An forte hæc sunt ineffabilia, quæ non licet homini loqui ? Quid si tres montes tres cœli accipi possunt ? In primo formatur spiritualis hominum vita, in secundo monstratur angelica, in tertio latet divina. In primo signatur præsens justitia, in secundo monstratur futura gloria, in tertio, tanquam cœli cœlo, quo ascendit super occasum, cui Dominus nomen, ad Orientem, gloriosa sibi soli nota Trinitas, et homini assumpto in Deum, lucem habitat inaccessibilem. In ea pace, quæ exsuperat omnem sensum (*Philipp.* IV), ubi tamen homo ille orat Patrem pro nobis, sicut beatus ait Apostolus, qui assistit vultui Patris (*Hebr.* IX), et interpellat pro nobis (*Rom.* VIII). Ecce in quanto orat abscondito, qui docuit orare Patrem in abscondito. Fac ergo, frater, absconditum tibi in te ; quo fugias a te, si vis in secreto Patrem orare. Audiamus itaque jam nunc de primo abscondito, de primo secreto, de primo cubiculo, de primo cœlo, sive monte, quid loquatur in eo Dominus Deus. *Beati*, inquit, *pauperes spiritu* (*Matth*, V). Relicta est turba : nihil de infirmitate, nihil de vitio, nihil de malitia diei. Totum de virtute vitæ, de beatitudine gloriæ, de regno cœlorum sermonem texit. *Beati*, inquit, *pauperes spiritu*. Sapientia sapienter semper agit, et loquitur. Volens post se adolescentulas trahere, septem eis aperuit thecas unguentorum , ut delectatæ odore , currant

A post eum , sicut scriptum est : *Trahe me post te : curremus in odorem unguentorum tuorum* (*Cant.* I).

Et cum sed 'set, aperuit os suum. Mihi obtingat sedere cum Jesu, et in monte ; sedere ad pedes ejus, et accipere de doctrina illius. In turba stat, et ambulat ; agit, fatigatur, premitur, ut quasi non liceat sibi, nec discipulis ejus manducare panem vitæ et intellectus, et aquam sapientiæ bibere, quæ in otio bibitur : et qui minorantur actu, hauriunt eam. Puteus enim altus est. *Aperuit os suum*. Os, unde osculum petit sponsa (*Cant.* I). Os pretiosæ supellectilis, in quo erant omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. Os, per quod dies diei eructat verbum. Multi exquisierunt de sapientia, multi
B de beatitudine, sed quia hoc sanctum os non audierunt, nec diem viderunt, palpabiles errorum tenebras incurrerunt ; unde nox nocti indicavit falsi nominis scientiam. Aperiens ergo os suum ad cor Jerusalem, loquens ei in solitudine, sive in monte, ait : *Beati pauperes spiritu*. Beatitudinem loquitur ipsa beatitudo, paupertatem factus pauper, Rex regnum, mansuetudinem mitis, consolationem paracletus, verus panis saturitatem, misericordiam ipsa misericordia, mundicordiam cordium munditia, pacificentiam et filiationem verus Filius, et natura Filius. Verum Patris Verbum quod est loquitur, divina sapientia quod est docet, dicens : *Beati pauperes spiritu*. Sapienter omnino id priore loco
C ponit, id omnibus primo proponit, quod omnis quærit, quod omnis cupit, quod omnis desiderat, a quo tamen fere omnis exorbitat. Quis enim non vult esse beatus ? Cur litigat, pugnat, negotiatur, obsequitur, vexat, vexatur homo universus ? Anne, ut quod sibi bonum videtur, et unde aliquatenus beatus sibi videtur, alicunde quoquomodo extorqueat ? Eo enim quisque beatum se magis credit, quo quod mavult efficit. Unanimiter ergo omnis homo beatitudinem appetens, sed de ipsa differenter sentiens, alius in voluptate corporis, et suavitate temporali, alius in virtute mentis, alius in agnitione simul veritatis eam positam autumaverunt. Unde omnium doctor, sola charitate sapientibus et insipientibus debitor, primum corrigit errantes, secundo dirigit
D itinerantes, tertio admittit ad januam pulsantes, sicut ait : *Pulsate, et aperietur vobis* (*Luc.* XI). Clamat pro deviis Propheta : *Deduc me, Domine, in via tua* (*Psal.* LXXXV). Clamat pro viatoribus : *Et ingrediar in veritate tua* (*ibid.*). Clamat pro pulsantibus : *Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum* (*ibid.*). Clamat pro deviis : *Deduc me in justitia tua* (*Psal.* V). Clamat pro viatoribus : *Dirige in conspectu tuo viam meam* (*ibid.*). Clamat pro pulsantibus : *Lætentur omnes qui sperant in te : in æternum exsultabunt*, etc. (*ibid.*)

Itaque Via, Veritas, et Vita, corrigens, dirigens, admittens, sic inchoat : *Beati pauperes spiritu*. Sæculi hujus falsa sapientia, et vera stultitia, non intelligens quæ loquitur neque de quibus affirmat,

sententiam ponit : beatos dicit filios alienos, quorum dextera dextera iniquitatis, et os loquens vanitatem : propter promptuaria plena, eructantia ex hoc in illud, oves fetosas, boves crassas, et cætera, quæ ad incertum pertinent divitiarum, et pacis non pacis, et ineptæ lætitiæ, contra quam Sapientia Dei, Filius proprius, dextera Patris, os loquens veritatem, pronuntiat beatos fore pauperes, futuros reges regni æterni. Ac si diceret : Erratis, corrigendi estis ; beatitudinem quæritis, sed non est, ubi quæritis. Curritis, sed extra viam. Hæc est via, hac itur ad beatitudinem. Paupertas voluntaria propter me, ipsa est via : regnum cœlorum in me, ipsa est beatitudo. Multum curritis, sed male : quanto velocius, tanto longius a via. Paupertas via est, non beatitas. Per viam itur, ut perveniatur. Ne formidemus, fratres : audiamus pauperes pauperem, pauperibus paupertatem commendantem. Experto credendum est. Pauper natus, pauper vixit, pauper obiit. Mori quidem voluit, dives fieri noluit. Credamus itaque veritati de via ad vitam. Si aspera est, brevis est, et beatitudo æterna. Si arcta est, ad vitam ducit, in latitudinem educit. et statuet in loco spatioso pedes nostros. Sed ardua est, quippe sursum itur, ad cœlum tenditur. Ideo expeditos fore nos, operæ pretium est, et non onustos incedere. Quid volumus ? quærimus beatitudinem ? Ostendit veritas veram. Quærimus divitias ? Rex regna condonat, et reges facit. Irretivit homines pessima pestis curiositatis ; de facili constat, quod satis est, ad superflua sudatur. Excusant eos a cœlestibus nuptiis juga boum quinque (*Luc.* XIV), in quibus de paupertate sumitur plenitudo, de inopia satis, de extremitate primatus, de vilitate dignitas, de labore quies. Hoc mactavit boves Eliseus, ut expeditius sequeretur Eliam (*III Reg.* XIX) : et nos simili forma sequamur Christum. Pausandum est nobis, fratres, hodie hic, ut de secunda virtute die secundo secundum sermonem ordiamur, ab ipso adjuti Patris sermone, per quem, et propter quem loquimur ; qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO II.

IN EODEM FESTO II.

Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram (*Matth.* V). Curiositatis malum sequitur superbiæ vitium. Sapientia illa, quæ nec est de sursum, sed terrena, animalis, diabolica, zelo et contentione plena, villam emit, ut aliis præesse possit, et sibi litigium deesse non possit, beatitudinem sibi dominationem reputans. Hanc ergo sapientiam, fratres, vere diabolicam, et ipsius diaboli primogenitam prolem, quæ super astra cætera solium locare ambiebat, turbidam et turbantem simul cum turba relinquentes discipuli, audire digni sunt : *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Non ait, illam, vel illam, vel aliquam quantamlibet terræ portionem, sed terram. Quis unquam suo sudore, sua industria, suis pecuniis, suis pugnis, nisi partem terræ

A obtinuit ? Et hoc pauci potuerunt, multi non potuerunt : possidere autem quis potuit ? Quid opus est, diu laborando acquirere, quod necesse sit cito perdere ? Cœlum pauperibus, terra mitibus : quid relictum est contentiosis ? aut quid amplius volunt, qui divites fieri volunt ? Quibus non sufficit cœlum et terra, quid eis fiet ? *Filii hominum, usquequo gravi corde ? usquequo diligitis vanitatem, et quæritis mendacium ?* (*Psal.* IV.) Mentitur dignitatem, mentitur beatitudinem vanitas dominationis terrenæ. Cur in parte remanetis ? cur parum cupitis ? cur modicum ambitis ? Totum promittitur, via ostenditur ; paupertate itur, mansuetudine festinatur. Pauperi beatitudo cœli, mansueto beatitudo terræ debetur. Quid, rogo, miseris contentiosis
B restat, nisi miseria infernalis ? Quid facietis, divites ? quid, potentes ? Consultu opus est. Hinc pecunia, hinc mansuetudo. Instat prædo. Si pecuniam defenditis, perditis mansuetudinem ; si mansuetudinem tenetis, pecuniæ jacturam facitis. Timeo utrique lateri, ne simul prædo pecuniam, diabolus auferat patientiam. O nunquam fuisset pecunia ista, fratres mei charissimi, quæ diebus his malis cum mansuetudine possideri non potest, quæ in via a discipulis Jesu portari non potest ! Ideo fortassis quæ desursum est sapientia (*Jac.* III), primum quidem pudica, deinde pacifica, docuit neque sacculum, neque pecuniam portandam in via, cum nemine judicio contendere, auferenti plus dimittere, ablata
C non repetere, tenere mansuetudinem, quæ est via ad beatitudinem. Collaudans quosdam Paulus : *Libenter*, inquit, *suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes. Si quis devorat*, etc. (*II Cor.* II.) O Domine Jesu, quis credit hodie auditui nostro, et hæc via tua in vita sua cui revelata est ? O via nimis arcta, quam pauci incedunt per eam ! Hæc via tua in mari hoc magno fuit, et vestigia tua hodie non cognoscuntur. Hæc quam tuus Apostolus sapientiam nominat, summa est hodie insipientia, desidia, inertia. Heu me ! fratres, hæc quomodo ubique leguntur, et fere ubique negliguntur ! Carthusienses tamen aliquantum hæc auribus audiendi audiunt : qui ideo libenter habent parum, ne contendant multum. Pauca possident, ne in se mundum provocent. Grandimontani am-
D plius, qui nihil. Cantabit enim vacuus coram latrone mundi viator cœli Grandimontanus, et feliciter : nisi quod deferuntur, plerosque in via salutare. Ipsi viderint. Nostra quid refert alienum servum judicare ? Taceo de aliis, quorum manus sunt Esau, vox autem vox Jacob est ; et quorum manus contra omnes, et omnium contra ipsos. Beati autem mites tanta felicitate quanta facilitate possidebunt in æternitate terram viventium, dum nos audaces et strenui pro Deo contra præceptum vel consilium Dei pugnamus in tempore pro terra morientium. *Mansueti*, itaque, *hæreditabunt terram, et habitabunt in sæculum sæculi super eam* (*Psal.* XXXVI), id est faciem Dei, quæ sola et semper manet immota, quoquomodo cætera volvantur, sicut terra cæteris

elementis volventibus. Generatio etiam advenit, et generatio præterit, terra vero stat. Sequitur :

Beati, qui lugent. Poterant ista sufficere, fratres, ad corrigendos erroneos, nisi diabolica malignitas latius pateret, et cancrinum malum altius propiusque medullis irrepsisset. Latet adhuc Cerberus, et tertium caput concutit, prudentiam videlicet carnis, quæ inimica est Deo, quæ sibi soli sapit, cujus gloria in confusione, cujus domicilium ventus; quam qui inhabitat, Deo placere non potest. Quo mihi, inquit, cœlum et terra? quo divitiæ in malum dominorum suorum congregatæ? quo potentiæ timidæ semper et timendæ? Foris sunt omnia hæc; ego mei sollicita sum. *Anima, habes multa bona, epulare et bibe* (*Luc.* XII). *Quid amplius homini ex omni labore suo sub sole?* (*Eccli.* I.) *Manducemus et bibamus, cras enim moriemur* (*I Cor.* XV, 32). Stulte, thesaurizas, et ignoras cui dives habet nummos, sed non habet vitam. Vive, dum vivis. Cur teipsum ante tempus perdis? Lethargum pateris, oblitus es tui. Incipe teipsum agnoscere, teipsum diligere, teipsum possidere, tibi propitius fore, et beatus eris. Hic est ille, fratres, novissimus error, pejor prioribus, ille lacus miseriæ, illud lutum fæcis, illud gaudium, cujus extrema occupabit luctus; et fortassis sero, quando consolatio esse non poterit. Ideo miserabiliter sic errantes misericorditer revocat ad viam illa sublimis sapientia, cui placuit per stultitiam prædicationis salvos facere sibi credentes, dicens :

Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Ac si diceret : Ad gaudium via est luctus, ad consolationem desolatio, ad inveniendam animam perditio, ad possidendam abjectio, ad amandam odium, ad servandam contemptus. Si vis teipsum cognoscere, te possidere, intra ad teipsum, nec te quæsieris extra. Aliud tu, aliud tui, aliud circa te. Circa te mundus, tui corpus, tu ad imaginem et similitudinem Dei factus intus. Redi igitur, prævaricator ad cor. Foris pecus es, ad imaginem mundi : unde et minor mundus dicitur homo; intus homo ad imaginem Dei, unde potes deificari. Itaque in semetipsum homo reversus, sicut junior ille prodigus filius, ubi se invenit, nisi in regione longinqua, in regione dissimilitudinis, in terra aliena, ubi sedeat et fleat, dum recordetur patris et patriæ? Si porcos pascit, et esurit, nonne lugendi materiam in se reperit? Si multi mercenarii in domo patris sui abundant panibus, et ipse filius exsul et pauper frustra ventri siliquas quærit, nonne facile oculis lacrymas invenit? (*Luc.* XV.) O Adam, ubi es? Forte sub umbra adhuc, ut teipsum non videas, folia fatuitatis consuis, ut pudenda tegas : quæ foris sunt circa te, et quæ tui sunt videns; aperti enim tibi sunt oculi tales. Intus conspice, te vide; ibi sunt, quæ magis pudeant, quæ exteriora pudere te faciant. Redi intus, prævaricator, ad animam; vide et plange eam subjectam vanitati et iniquitati : et ne possit emergere, captivitati. Exi foras ad carnem : vide, et luge

A eam subjectam corruptioni, mortalitati, et ne possit exsurgere, infirmitati. Et ne longum faciam, dilectissimi, nemo intrans in semetipso, nemo seipsum agnoscens, nemo abyssum suæ miseriæ, suæ ignorantiæ, suæ difficultatis, suarum passionum, penetrans, suam conscientiam metiens, magis, ubi facile lugent homines, in alicujus propinqui sui funere afficitur ad lacrymas, compungitur ad luctum, movetur ad planctum, quam in ipsius sui, eo maxime propinquo, quo intimo. Cur alterius misereatur, qui sui non miseretur? Constat ergo, fratres, foris nos esse a nobis, retro quoque, et non ante, nostri demum vel oblitos, vel prorsus ignaros, quoties ridemus, jocamur, otiosis delectamur, pascimur fabulis, et verbis moventibus risum indulgemus,
B comessationibus et ebrietatibus crapulamur, cæterisque corporis mollitiis effluimus. Unde semper sobriæ sapientiæ curæ fuit, ad domum luctus, potius quam ad domum convivii invitare, hoc est in se, qui erat extra se, hominem revocare, dicens : *Beati qui lugent.* Et alibi :

Væ vobis, qui ridetis nunc (*Luc.* VI). Flevit, qui flere nos monet, risisse non legitur. Sororum lacrymæ resuscitationem fratris meruerunt. Sororum lacrymæ resuscitatorem flere fecerunt (*Joan.* XI), ut et tu te, flendo, resuscites. Eia, fratres, seria res agitur; virile est quod aggressi sumus. Elias eremum ingrediens puerum dimisit (*III Reg.* XIX). Nihil nobiscum puerile ducamus, nihil sequatur:
C maxime ad puerile aliquid nunquam revertamur. *Corpus*, ait Apostolus, *mortuum est propter peccatum : sed spiritus vivit propter justitiam* (*Rom.* VIII). Itaque quod vivit in nobis, ploret et oret, ut quandoque resurgat, quod jacet et fetet. *Infelix ego homo*, ait quidam lugens mortuum suum, *quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom.* VII.) Sed sequitur consolatio. *Gratia Dei per Jesum Christum.* O quanta cura fuit olim Patribus sanctis et prophetis, quibus omnia ferme in figura evenerunt, facere et pati, mortuos suos flere, solemnes dies luctus habere, in septem dies sæpe, propter temporis septimanam protrahere! et nos, quibus illi flebant, petulanti splene cachinnamus, et morimur, vel etiam olim mortui sumus et fetemus : nos negligimus et
D negligimur : nemo est, qui plangat dolorem suum antequam vadat, unde nemo revertitur : nemo, qui moveat benignum Jesum ad lacrymas. O sorores, quid facitis? Quid facis, activa, cur non laboras et ploras : quid contemplativa, cur non oras, et ploras? cur non ubique luctus ubique desolatio, et domi intus, et in platea foris, donec fremat Jesus, seque ipsum turbans dicat, non tam mortuo, quam morti : *Exi foras*, ut mortale hoc absorbeatur a vita. Denique, fratres, corrigamur aliquando doctrina sapientiæ cœlestis, et sive negotiosi, sive otiosi, miseri simus, et lugeamus. Ploremus coram Domino, qui benignus est ad ignoscendum, convertentes nos ad ipsum in jejunio, et fletu et planctu super nos ipsos, ut aliquando secundum multitudi-

nem dolorum in cordibus nostris, consolationes ejus lætificent animas nostras. Nam beati, qui lugent : non quia lugent, sed quia consolabuntur. Luctus enim via, consolatio beatitudo. Ecce quomodo correxit orbem, qui judicat populos in æquitate. Æquum quippe est benigno et sapienti Deo, et perversos corrigere, et correctos dirigere, et directos suscipere. Tria et tria, unum contra unum. Tria vocant a Deo ad mundum, tria revocant a mundo ad Deum. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut ambitio sæculi* (*I Joan.* II). Prima uxorem ducit, secunda boves probat, tertia villam emit (*Luc.* XIV). Luxuria, avaritia, superbia, carnalia et sæcularia desideria, et spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Hinc ergo turba relicta exeuntes, et in montem ascendentes discipuli, quasi de subterioribus ad superiora, de exterioribus ad interiora, de corporalibus ad spiritualia transilientes, audiunt : Beati pauperes, mites, compuncti, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, et terra, et ipsi : sufficientia, potentia, suavitas, regnum, potestas, pax : et hæc omnia intus, ubi simplex et lenis domi habitat, dum agrestis et hispidus silvestris venatur, ac primogeniti prærogativa supplantatur (*Gen.* XXV) : quam ad nos transtulit in multis fratribus primogenitus : qui cum Patre regnat unigenitus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO III.

IN EODEM FESTO III.

Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam (*Matth.* V). Fratres, liber Sapientiæ scriptus est intus et foris. Quasi foris loquitur, qui perversos corrigit; intus, qui conversos dirigit. Denique audiamus quatenus et quomodo dirigat eos qui beatitudinem nec in corpore, nec in corporeis, sed in virtute animi locant. Virtus siquidem est habitus animi bene instituti. Componendi ergo, et instituendi, ac etiam ordinandi apposita ratione ad id quod debent, et quomodo debent, sunt animi affectus, ut in virtutes proficere possint. Ipsi enim sunt, qui operi foris nomen imponunt : quique aut in vitia deficiunt, aut in virtutes proficiunt. Cum ergo prudenter, modeste, fortiter, et juste instituuntur, exsurgunt in virtutes, prudentiam, temperantiam, fortitudinem, et justitiam : quæ quasi cardines sive radices omnium dicuntur virtutum. Inter quas quoniam justitia quasi conum vel apicem quemdam, et summum fastigium tenere videtur, emphatice virtutis nomen possidet. Itaque beati, qui compendium eligentes, esuriunt et sitiunt justitiam. Sicut visum est quibusdam, ex omnium stellarum radiis sursum micantibus candore notabilem in cono firmamenti circulum creari, quem Galaxiam nominant : sic nimirum in spirituali firmamento ex omnium virtutum fulgore putatur exstare justitia : quam propterea æquabilitatem quamdam, et modum in rebus dicunt, certum denique finem ; quem ultra, citra nequit consistere rectum. Ipsa enim est, quæ omnia æquat, reddens unicuique quod suum est. Hanc lex naturæ continet, Scriptura præcipit, Evangelium complet, ne tantum non faciamus alteri, quod ab altero nolumus pati ; sed ut faciamus alteri, quodcunque volumus nobis fieri. Non igitur hinc avocandus, sed huc revocandus, et hac dirigendus, qui beatitudinem quærit, ne cum naturali remaneat, ut philosophus, vel justitiam legis astruat, ut Judæus : sed justitiæ fidei se subdat, ut Christianus : et humilis accusator sui sequatur ad bravium supernæ vocationis in Christo Jesu. Hic enim quod est vel esse potest justitiæ, ex parte est : ibi vero, quod perfectum est. In parte via, in perfecto beatitudinis plenitudo. Sequere ergo de parte in partem, tanquam de virtute in virtutem : donec apprehendas, in quo apprehensus es. Vide, ne unquam aufugiat justitia a manu, ab ore, a corde ; nam qui continens est justitiæ, apprehendet illam, plenam, perfectam, quietam : quam non jam cum exercitii labore contineat, sed quæ illum tanta facilitate, quanta felicitate conservet. Ideo *beati qui esuriunt et sitiunt justitiam.*

Primum, ait idem Magister, *quærite regnum Dei, et justitiam ejus* (*Matth.* VI). Ecce, quod quærere debes, o homo : ecce, quod quærit a te Deus tuus, ut quæras ab eo. Nam quid manducent, bibant, vestiant, gentes inquirunt. Scit Pater tuus cœlestis quod his omnibus indiges. In ipsum omnem sollicitudinem tuam projice, tibi laborem retine : ip i cura est de te, si tibi cura justitiæ non deest. Ipsam cura, ipsam quære super omnia, et propter ipsam omnia ; et ipsum Dei regnum propter ipsam, non ipsam propter ipsum : ne incipias iterum mercenarius esse, et cognoscens negotiationem, non intres in potentias Domini, tanquam qui non sis memor justitiæ ipsius solius. Cætera adjectiva sunt, tanquam non habentia substantiam, ideo nec quæsitu digna. *Cætera*, inquit, *adjicientur vobis* (*ibid.*). Quanti hodie, et quanto studio non quærenda quærunt, quærenda minus quærunt, ut si quis verbo Verbi credulus talium securus, altius justitiæ intendat, risui habeatur, ac ducatur contemptui ! Sed quid facimus de eo, quod non ait, *quærunt*, sed *esuriunt justitiam*, nisi ut intelligamus id esse justitiam animæ, quod cibum et potum carni ? Ipsa viaticum in itinere, juxta quod ex parte est : ipsa cœna in patria, ubi perfecta est, ipsa lac parvulis, ipsa esca viris. Unde illa Prophetæ exsecratio : *Sicut ablactatus super matre sua, ita retribues in animam meam* (*Psal.* CXXX). Beati ergo qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Tunc plena beatitas, quando plena satietas ; tunc plena plene satiabor, qua nunc in parte ex parte fruor. Nunc ad medicinam, tunc ad delectationem : nunc ad disciplinam, quæ in præsenti videtur habere aliquid difficultatis et mœroris, tunc ad gloriam, quando exercitatis per eam pacatissimum feret fructum ipsius justitiæ (*Hebr.* XII) ; ut hic quasi qui-

dam flos justitiæ sive omnis virtutis appareat, ibi plenitudo fructus carpatur. Sic sic ab inchoatione per profectum ad perfectum justitiæ dirigendi sunt, qui in virtute beatitudinem quærunt : cujus inchoatio quidem continet, nemini injuriam facere, profectus illatam patienter ferre, perfectio omnibus benefacere, si potest, si minus, velle. Unde sequitur :

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Non est tutum, etiam justo, cum justissimo contendere : non enim respondere ei poterit unum pro mille (*Job* IX). Stultum est, cum decem millibus occurrere ei qui venit contra se cum viginti (*Luc.* XIV). Ideo adhuc illo longe agente, operæ pretium est, legationem pacis mittere, quæ dicat : *Non intres in judicium cum servo tuo, Domine* (*Psal.* CXLII), etiam tuo testimonio justo, quem invenisti secundum cor tuum, quem oleo tuo sancto unxisti, *quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*ibid.*). Quæ est illa legatio pacis? Misericordia. Nam sola misericordia misericordiam consequetur. Ipsa est in capite justi corona aurea, expressa signo sanctitatis : ipsa, per quam justus salvabitur, ubi vix salvabitur : justitia enim sine misericordia crudelis est, non salvabitur. Ipsa est, quæ auditum malum non timebit, nec verbum asperum ; quando cadent a latere Dei mille, et decem millia a dextris, sine misericordia justi. Quinimo dabitur auditui ejus gaudium et lætitia, cum dicetur : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum* (*Matth.* XXV). Quare? *Esurivi, et dedistis mihi manducare* (*ibid.*), etc. Ac si diceret : Quia misericordiam fecistis, misericordiam consequemini. Beati itaque misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Intelligo hic quorumdam gemitus, et suspiria deprehendo. *Dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini* (*Psal.* IV). Væ nobis ! Sola misericordia misericordiam consequetur, dictum est, probatum est, verum est. Quid facimus ? secundum quod facimus, fiet nobis.

Quid itaque facere possumus esurienti, sitienti, nudo, vago, infirmo, incluso, qui omnia reliquimus, qui nihil habemus, quibus omne opus peculiare terribiliter interdicitur? Ubi demum illa misericordia, quæ sola laudabitur, salvabitur, recipietur? Hic est dolor, qui renovatus est in vobis; concaluit cor vestrum, novimus. Hic ignis exarsit in meditatione vestra. Sed vos obmutuistis, et humiliati estis, et propter taciturnitatis gravitatem, et silentii bonum quod est cultus justitiæ, siletis etiam a bonis. Loquamur ergo, quibus dispensatio credita est in lingua, non nostra, sed Domini : et notum faciamus hujus rei finem, ut sciatis quid vobis deest. Misericordiam et judicium cantat David Domino (*Psal.* C) ; sed judicium post misericordiam, alioqui flendum. Nam judicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam. Misericordiæ vero duæ sunt species, dare, et dimittere. Propter quod dicitur : *Date, et dabitur vobis ; dimittite, et dimit-*

A *temini* (*Luc.* VI). Et hæc proportionaliter. Unde est : *Dimitte nobis, sicut dimittimus* (*Matth.* VI). Et, *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis* (*Matth.* VII). Amplius. Utriusque speciei tripertita est divisio. Est enim misericordia in utraque magna, major, maxima : inchoans, adulta, robusta : mensura contra mensuram. Qui in nullo fuerit misericordiæ gradu, in nullo erit indulgentiæ loco. Primus itaque misericordiæ gradus dat de suis. Sic admonet Salvator : *Date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI). Secundus omnia sua, ut dicat : *Ecce nos reliquimus omnia, et quid erit nobis?* (*Matth.* X.) Tertius se, ut dicere possit : *Non solum impendam, sed et impendar pro animabus vestris* (*I Cor.* XII). Hac
B majorem dilectionem nemo habet : hæc retribuit Domino, quantum potest, accipiens calicem de manu Salvatoris, et de Domino confidens, ejus nomen invocat. Similiter vero habes et de alia specie ; nam et de debitis remittitur, et debita dimittuntur ; et qui se totum debet, quandoque manumittitur. Sed neque hæc tantum exterius, et in corporeis rebus fiunt ; nam et injuria donatur, et consilium datur, et oratio impenditur, et exemplum bonum monstratur, et disciplina irrogatur, et alia in utraque specie sexcenta : quandoque quidem contra voluntatem, sæpe ad utilitatem : sæpe enim præstantur invitis. Ubi est, rogo, quod timuistis? Si omnia reliquistis, ipsos etiam, qui misericordiam consequentur, judicabitis. Si quoti-
C die super omnem proprietatem quam reliquistis, vosmetipsos impenditis, ut nec corporis, nec voluntatis vobis arbitrium, vel libertatem servetis, dicentes : Abba Pater, non quod ego volo, sed quod tu vis : sedebitis super sedes duodecim, comparatione et auctoritate judicantes duodecim tribus Israel.

Igitur beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Ipsa quippe totius activæ disciplinæ summa merito montis hujus vertex locatur ; non enim est, quo pedes ultra gradiaris. Quod si delectat mutare fortitudinem, ut in contemplationem voles, assume pennas ut aquilæ : quod si tibi nimis est, dicito : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo et requiescam?* (*Psal.* LIV,
D 7.) Quid enim amplius homo inter homines in hac vita mortali, seu morte vitali, vel ad se, vel ad alterum potest, quam ut per voluntarium mammonæ iniquitatis contemptum in se modicus sit et solidus, per mansuetudinem aliis placidus et serenus, per compunctionem circumspectus ac devotus, per justitiam foris et in seipso totus teres atque rotundus, per misericordiam pluribus beneficus, omnibus benevolus : per amorem paupertatis mundum ridentem respuat, per mansuetudinem iratum contemnat, per compunctionis munus se recipiat, sectando justitiam Deo se subdat, per misericordiam proximum colligat : paupertatis amore modicis contentus, modestiæ tenore nulli infestus, compunctionis

ardore sibi intentus, justitiæ rigore Deo acceptus, misericordiæ dulcore omnibus omnia factus?

SERMO IV.

IN EODEM FESTO IV

Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* V). Appetitivum est omnibus, velle videre quod amant. Ideo post cætera sequitur congrue: *Beati mundo corde*, etc. Soli enim mundicordes Deum videbunt, et solo mundo corde videbitur Deus. Sed quid, rogo, fratres, tot, tandiu, et tantis egimus, si nondum cor mundavimus? Si mundavimus ad virtutem, mundandum est ad veritatem; si mundavimus ad diligendum, mundandum est ad videndum. Sanavimus quidem claudum, sed illuminandus est cæcus. Duo enim sunt pœnalia filiis Adam, ignorantia et difficultas, quarum altera oculos rationis claudit, altera quasi pedes animæ ligat affectum. Communes passiones Propheta deplorans: *Dereliquit me*, inquit, *virtus mea, et lumen oculorum meorum non est mecum* (*Psal.* XXXVII). Virtus in affectu formatur, vel potius affectus ipse in virtute formatur. Rationi quidem veritas monstratur, sed ad ipsam videndam ab ipsa illustratur. Dominus itaque dum oculos mentis ad videndam veritatem purgat, quasi cæcum illuminat. Unde et de munditia cordis sermo sequens texitur, non ut mundetur a vitiis, quæ perversi amoris, sive inordinati affectus nomine censentur, sed a phantasiis, quæ per corporeos sensus imbibuntur, et intus in imaginatione versantur, et tanquam nubeculæ interpositæ claritatem nobis solis occulunt, vel per ipsum solare corpus notius luminis fontem, ab ipso omnino remotæ, nobis intercludunt, vel ad minus acumen obtundunt. Sicut enim in hoc visibile cœlum si cui pervolandi facultas adforet, terra ei deserenda esset, et aquæ, quæ superiores esse feruntur quam terra: illæ etiam leviores, quæ mirabili arte suspenduntur, et nubes fiunt; sic nimirum qui ad pure incorporeum cernendum aciem mentis erigit, non solum omne corpus, vel corporis similitudinem, sed etiam cogitationum universam volubilitatem transcendat, necesse est. Quid miramini? Cum omnes has quas diximus nubes, vigilantia mentis et cordis puritate, silente, imo postmanente omni cogitatione, pertransieritis, apparebit tandem nubes clara, nubes lucida, non jam turbida, non densa, non jam ignorantiæ, sed sapientiæ nubes. Tenebræ enim sunt in lumine, et multo magis in multo lumine: quod ipsam lucem, cum ingreditur suam incomprehensibilitatem, suam inaccessibilitatem, in qua habitat, suam denique pacem, quæ exsuperat omnem sensum, suscipiat ab oculis nostris: ut deinceps revelatione potius quam contemplatione de ea quidquam discatis, sicut sancti apostoli a viris, qui astiterunt juxta illos in vestibus albis. (*Act.* I). Sicut etiam sursum versus quinquepertita quadam distinctione mundus iste visibilis gradatur, terra, aqua, aere, æthere, sive firmamento, ipso quoque cœlo supremo, quod empyreum dicitur: sic et animæ in mundo sui corporis peregrinanti quinque sunt ad sapientiam progressus: sensus, imaginatio, ratio, intellectus intelligentia. Sensu corpora percipit, imaginatione corporum similitudines, ratione corporum dimensiones, et similia, primum videlicet incorporeum: quod tamen ad subsistendum eget corpore, ac per hoc loco, et tempore. Intellectu super omne quod corpus est, vel corporis creatum spiritum, qui ad subsistendum non eget corpore, ac per hoc nec loco, sed sine tempore nequaquam possit, cum natura mutabilis sit. Intelligentia, quæ utcunque, et quantum naturæ creatæ, super quam solus est Creator, fas est, immediate cernit ipsum solum summe et pure incorporeum, quod nec corpore, ut sit, nec loco, ut alicubi, nec tempore, ut aliquando, eget.

Mundandum est itaque cor, et ab omni terra et aqua longe recedendum ut in serenitatem rationis evadat. Propter primum incorporeum discernendum in intellectus soliditatem surgat, ob secundum incorporeitatis genus intuendum in intelligentiæ igneum candorem ascendat, tanquam in montem Thabor, excelsum valde, ut tertium et invisibile videat incorporeum: sicque transfiguratum, sic glorificatum Jesum oculis cernat, vestimenta propter gloriam carnis, qualia non potest fullo facere super terram (*Marc.* IX): faciem vero ob incomprehensibilitatis, incorporeitatis, invisibilitatis simplicem formam, in qua Patri manet æqualis, non sustineat, imo in faciem suam ratio, intellectus et intelligentia cadant: Petrus, Jacobus, et Joannes Patrem audiant, non tamen videant; quod vero viderint vel audierint, descendentes nemini dicant. Multa enim, dilectissimi fratres, mira, suavia, jucunda, luce plenissima, vident, gustant, sentiunt, in oratione et contemplatione sua raptim, et quasi in excessu mentis, quæ sibi redditi nullatenus dicere possunt, imo et vix meminisse, viri spirituales, et qui per consuetudinem exercitatos habent sensus. Ecce a quibus, quatenus, ad quid mundandum est cor, ut quod sine omni corpore subsistens, sine qualitate decorum, sine tumore magnum, sine loco ubique, sine tempore semper, intueri possit: alioqui Deum omnino videre non poterit. Et ideo: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*; hic per speculum et in ænigmate, ibi, ut est. Hæc est illa formosa, et perspicax oculis, quam elegit ac concupivit sibi profugus ille, et exsul, pro qua servivit septem annis æstu ac gelu ustus, totumque tempus ei breve fuit, et leve, ob spem in qua exsultabat (*Gen.* XXIX). Hæc est, quæ ob simplicitatem interpretatur ovis, vel visum principium. Mihi obtingat, fratres, obsecro rei cujusque a statu, in quo cernitur, proprietatem, et differentias, naturam ac formam, causam, et essentiam meram investigare, donec ejus videam principium efficiens, formale, finale: id est unde sit, et quomodo, unde, et quare. Omnia enim in se na-

turam habeat, formam, usum ; numerum, mensu- A ram et pondus. Sed unde hæc, et quod horum principium, quæro, nec facile invenio . ob hoc libenter servio, et omnia fero. At propter patriæ morem supponitur mihi lippa et laboriosa, quam non quærebam. *Non est*, inquit Laban, *consuetudinis apud nos, ut junior nubat prior, aut marito tradatur* (*Gen.* XXIX). Hæc est affectio animæ, sive concupiscibilitas, de qua jam tot et tanta præfati sumus : quæ rationali sensui primum ducenda est, componenda, ordinanda, domi semper dimittenda, ut in fervore diei securus ipse occurrat angelis tribus, ut Abraham, Sara domi relicta (*Gen.* XVIII). Non enim, ut apertius loquamur, plene perfecteque spiritualis esse poterit, neque ad contemplationis otium idoneus accingi, aut tabernaculum securus egredi, qui B non illud prius evacuatum vitiis, id est omni amore perverso et inordinato, moribus bonis ornatum et compositum, virtutibus præditum et munitum reliquerit, ne si redierit spiritus adulter et immundus, insidians legitimo thoro, et invenerit domum scopis mundatam, et ornatam, sed virtutibus vacuam : irrumpat, vel irrepat, domum occupet, septem aliis satellitibus nequioribus se muniat, affectionem ipsam dominam domus corrumpat, et sint novissima spiritualis istius pejora prioribus, utpote qui spiritu cœperit, et carne consummetur, vel potius consumatur.

Itaque ut paucis absolvamus, discrete, sobrie, fortiter, et juste instituenda est affectio, ut sit in C ea habitus animi bene instituentis, qui virtus dicitur, et in charitatem formetur, ordineturque, sicut legitur : *Ordinavit in me charitatem* (*Cant.* II), sitque prius, qui spiritualis esse desiderat, affectione quam ratione, et conversatione quam meditatione. Pedibus nitatur ut surgat in volatum ; et quia semper volare non poterit, pedibus se recipiat, ne præceps ruat : hoc est ruat affectio, quæ domus et universæ supellectilis, totiusque curam familiæ gerit. Circa omnia sollicita est et turbatur, cunctis operibus, et membrorum motibus nomen officiumque imponit : si bona et ordinata, bonum et ordinatum, sin autem mala malum, perversa perversum, corrupta corruptum. Subdatur itaque sicut operatio voluntati, sic voluntas vel affectio rationi ; ratio D autem sapientiæ et verbo Dei. Ut sit vir sapiens, et revelata facie contempletur tanquam ipsius imago Deum : et non habeat velamen super caput, cum immediate soli subsit Deo. Mulier vero prudens, et non litigiosa, caput suum velet, viro subdita, cujus imago est : ut sit pax suæ domui, et benedici mereatur, et multiplicetur nimis, et jumenta etiam ejus non minorentur. Sint filii et filiæ, meditationum spiritualium fructus : familia virtutum multa nimis, oves quoque fetosæ suavium et simplicium morum, jumenta et boves corporalium exercitationum, et omnis domus a sapientibus et prudentibus ordinetur, ditetur et fecundetur : ad postremum vero servetur sicut scriptum est : *Ut operaretur et custodiret illud* (*Gen.* XXI) ; et sic sint in pace omnia, quæ possidet. Ipsi quoque dia posuerint fines suos pacem, id est inter virum et dominum suum, rationem, mentem et Deum, mulierem et virum suum : id est animæ affectionem et mentem rationalem : inter ipsam denique viraginem, et quæ suæ debetur dictioni, ut consequenter audire debeant : *Beati pacifici*, etc. Sed hoc, fratres, quod de hac extrema et suprema virtute dignabitur revelare Dominus virtutum, de alio exspectetis initio. Interim hodie pausemus in Christo. Amen.

SERMO V.

IN EODEM FESTO V.

Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur (*Matth.* v). Quid amplius quærit servus, nisi ut fiat filius? Imo quis hoc, fratres mei, vel opinari temuiter auderet, nisi hoc ipsa Dei benignitas et permitteret, et promitteret? Impii eramus, et propterea inimici, de salute nil tractantes, nil sperantes : et gratis venit, inopinatosque prævenit, qui vere prior dilexit nos, Christus, et pro impiis mortuus est. Hoc est quod admirans Apostolus, ait : *Ut quid Christus pro impiis mortuus est*, cum pro justo nemo velit mori? (*Rom.* v.) *Nam pro bono*, id est pro amico, et commodo sibi, *forsitan quis audeat mori* (*ibid.*), ut de Pylade et Oreste legitur : Sed nos inimici eramus, sicut sequitur : *Si, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis nunc*, etc. (*ibid.*). Quid est, *multo magis*? Revera, ut filiationem accipiamus per ipsum Filium; notate gradus, profectus distinguite. Inimici eramus, peccati servi, liberi justitiæ. *Liberavit nos* Filius, et vere liberi facti sumus a peccato, *et diabolo*, servi facti justitiæ. Et hic primus gradus est : quem desiderans quidam clamat : *O Domine, libera animam meam* (*Psal.* CXIV), ipsumque consecutus exsultat. O Domine, quia liberasti me, *ego servus tuus, et filius*, nondum dico, tuus, sed *ancillæ tuæ*. *Dirupisti vincula mea* (*Psal.* CXV), quibus me quasi quadrupedem strinxerat diabolus, ut nec exire, nec operari liberum esset, sicut scriptum est : *Exibit homo ad opus suum, et ad operationem suam* (*Psal.* CIII). Nunc pedem moveo, nunc manum aridam extendo, de perverso conversus, de inimico servus, ut benefaciam tibi prorsus inutilis, qui bonorum meorum non eges, et mihi tamen utilis, qui cum timore et tremore meam operor salutem. *Cum omnia*, inquit, *bene feceritis, dicite : Servi inutiles sumus*, etc. (*Luc.* XVII). Ecce qui facit mala, vel bona male, inimicus deputatur : qui omnia bene, nondum amicus, sed servus vocatur.

Itaque bene facere, opera virtutis exsequi, justitiæ et misericordiæ, ad servum pertinet; amicus vero interest secretis, novit consilia Unde secundo gradu audiunt olim de inimicis facti servi : *Jam non dicam vos servos, sed amicos meos*, etc. (*Joan.* XV.) Quid adhuc exspectamus? At ut de amicis tertio gradu fratres Christi, filii Dei, ac per hoc postremo hære-

des ipsius (nam qui filii, et hæredes), efficiamur, *Beati*, inquit, *pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*. Mundicordibus per speculationem nota facta sunt omnia, quæ audivit a Patre Filius; nam et ipsi propter pacificentiam filii vocabuntur. Quæ est ista, fratres dilectissimi, quæ est ista, rogo vos, per ipsam charitatem Christi, tam amanda, tam desideranda, tam chara pax, sive pacificentia, quæ super omnes virtutum gradus locatur, super omnia merita ponitur, omnium arcem obtinuit, omnium beatitudinum altissimam et maximam tribuit? Quæramus ab hominibus, quæramus a sanctis angelis, qui nobis, et nostris intersunt. Postulemus maxime, quoniam hac sapientia omnimodis indigemus, ab ipso qui dat abundanter, et non improperat. Quæramus orando, meditando, legendo, nunquam deficientes. Nam si quærentes quærimus, utique inveniemus, propter veritatem ipsam quam quærimus, quæ ait : *Quærite, invenietis* (*Luc.* XI). Hic est thesaurus in agro absconditus, hæc pretiosissima margarita studiosissime quærenda, charissime emenda, avarissime possidenda. Hic est mons montium, in quo solus Filius naturaliter est cum Patre. Sed ne solus sit hæres, dignatus est fratres adoptare. Quærendum ergo summopere est quidquid illud sit, unde effici fratres Christi, et filii Dei possimus : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Et ecce clamat unus de seraphim, in quo est plenitudo dilectionis, et ipsa fortasse quam quærimus. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I). Nunquid ait, quotquot viderunt eum? Mundicordes vident, sed pacifici recipiunt. Hic forsitan, imo revera hic est ager, ubi thesaurus est absconditus. *Quotquot*, inquit, *receperunt eum* (*Joan.* I). *Ego*, inquit, *veni in nomine Patris mei, et non recepistis me* (*Joan.* V). Quid est ergo recipere Verbum Dei? Miserum est, non videre Dei Verbum : miserrimum, videre, et non recipere. Quomodo, et ubi recipiendum est istud Verbum? Duæ sunt partes œconomiæ : operari et custodire. Unde de primo homine dictum est : *Ut operaretur, et custodiret illum* (*Gen.* III). Prima pertinet ad virum, secunda ad viraginem. Hujus est exire foris ad laborem suum (nam homo nascitur ad laborem), et quod acquisierit, domum portare. Illius est, domi manere, virum præstolari, ad ejus pendere reditum : quæ contulerat, usui parare, ut cum venerit, simul epulentur et bibant, et delectentur in lætitia. Multi multum laborant, et parum proficiunt : in sudore vultus sui congregant divitias, et mittunt in saccum pertusum : unde in terram cadunt, et perditum eunt.

Oportet hæc apertius dicere. An omnia intellexistis? Nostis satis, et jam superius audistis quis sit ille vir, de quo loqui intendimus : et quæ mulier, quis labor ejus, et quæ epulæ, et cætera quæ posita sunt. Multi enim et acumine ingenii, et vehementi applicatione animi, et vivacitate mentis, et ipsius rei assuetudine, profunda scrutantur, alta

A penetrant : ita ut quod notum est Dei, manifestum sit in illis, sempiterna etiam ejus virtus et divinitas, ut sint inexcusabiles. Sed quia non ipsam sapientiam propter ipsam quærunt, evanescunt in cogitationibus suis, et in vana gloria apud homines delectantur, et opinione, sive quæstu, etiam cum viderint, non recipiunt in affectione cordis, et dilectione, quæ venit a Patre : sed in desiderio animæ suæ attrahunt ventum, sectantesque vanitatem fiunt vani, et quod sursum acquisierunt, deorsum pessundant, omnem portionem pretiosæ substantiæ luxuriose fornicantes profligant. Ideoque cum legitimo thoro minime pacem habent : unde nec audire digni sunt : *Beati pacifici*, etc. Isti sunt, qui in sublime elati, semetipsos mirantur, deorsum intuen-
B tes vertiginem patiuntur, non habentes cui inhæreant, in præceps ruunt. Alto enim judicio miscetur eis spiritus vertiginis, et errare eos facit, sicut errat ebrius et vomens. Foris enim evomunt, unde intus vivere deberent. Obscuratur insipiens cor eorum, et jactantes sapientiam suam, stulti apparent, diligentes magis tenebras, quibus tenebrentur adhuc, quam lucem, qua fuerant illuminati. Unde, fratres, illa sancta et Deo vere devota mens, quæ introierat in sanctuarium Dei, et in novissimis intellexerat, sicut sanctus Jacob in principiis servierat, considerans quid sibi in cœlo esset repositum, seque increpans, quod quidquam super terram concupisset, defecta jam carne, cujus et corde, quo concu-
C pierat, ait : *Deus cordis mei*, meditatio videlicet, *et pars mea* (*Psal.* LXXII), quam exspecto, in quam intendo, in qua delector, ubi finem statuo, propter quod laboro, quod ordinatæ affectioni domum portem, unde cœnet mecum, et ego cum illa, Deus ipse. Ipse mihi meditatio, ipse mihi delectatio. Ipsum propter ipsum super me quæro. Ipso ab ipso intus me pasco. Ipse mihi ager in quo laboro, ipse mihi fructus pro quo laboro. Ipse mihi causa, ipse mihi effectus, ipse mihi principium, ipse mihi finis sine fine in æternum : *et pars mea*, inquit, *Deus in æternum* (*ibid.*). Quoniam qui elongant se a te, ne audiant te, aut si audierint, ne videant, vel si viderint, ne recipiant, sed te non propter te audiant, quærant, videant, prædicent, cum aliis rebus forni-
D cantes abs te, peribunt. Nam in occulto judicio tuo jam perdidisti omnes fornicantes abs te. Ideo, inquit, mihi adhærere Deo semper, ut ascendam per ipsum ad ipsum, et cum ascendero, ne cadam ab ipso, bonum est. Et quoniam nondum per speciem requiescimus, sed per spem ambulamus, ponere, inquit, in Domino Deo spem meam.

Ecce, fratres mei, quo in agro, quibus manibus, qua spe laborare habetis : qui non solum solitudinem loci, sed et spiritus introiistis; vel etiam Dei, ubi nonaginta novem oves reliquit. Ecce perceptos fructus quo referre debetis, ubi, et cum quo epulari et bibere, panem vitæ et intellectus, et aquam sapientiæ salutaris. Oportet enim vel laborantem agricolam de primitiis sui fructus percipere. *Quis*

enim plantavit vineam, et non bibit vinum ex ea? (*I Cor.* IX, 7.) Hoc semper et in omnibus attendentes, summopere curate, charissimi, ne in hoc secreto conjugio vestro vir vel otiosus torpeat, nec in alieno laboret, vel nisi legitimæ uxori quidquam acquirat, nec uxor in sibi subditis inconsulto viro vel modicum ordinet, quatenus si ordinem servare studetis, intus in proprio domicilio prius servetis: et sit omnis exercitatio corporalis, quæ ad modicum valet, subdita piæ affectioni, omnis affectio et voluntas rationi: mens vero rationalis Dei verbo, ut ab ejus magisterio nunquam discedat, sicut ibi audierit et viderit, sic inferius omnia judicet, temperet, ordinet. Discat ibi quod doceat, dicens: mea doctrina non est mea, sed ejus cui subjecta sum. Illi semper indefessa dilectione adhæreat, in illum prospicere delectet, dicens: *Mihi adhærere Deo bonum est* (*Psal.* LXXII): *nam qui adhæret Deo, unus spiritus est* (*I Cor.* VI, 17). Si enim qui adhæret carni illa evirata enervique voluptate, ubi spiritus ipse ferme totus caro efficitur, una fit caro, ut jam non sint duo, sed una caro, qui carnaliter adhærent: nonne merito qui masculo corde et mente virili, non minori quadam, sed castiore, sed puriore dilectione, se totum transfundens in Deum, de se sibi nihil retinens, nihil reservans, adhæret illi, exutus se, unus spiritus cum illo efficitur? An efficacior illa pestis ad nocendum, ad captivandum, ad deglutiendum, ad permutandum: quam ista virtus ad auxiliandum, ad liberandum, ad conglutinandum, ad immutandum? Ait omnipotens sermo, cui subest posse, cum velit: imo cujus idem posse et velle: *Volo, Pater, ut, sicut ego et tu unum sumus, ita et isti sint unum nobiscum* (*Joan.* XVII). O voluntas pia, voluntas Dei Deo digna, voluntas plena gratia, et charitate, voluntas plena veritate, quia veritatis! *Ut, sicut ego et tu unum sumus, ita et isti sint unum nobiscum.* Ecce quo provehitur servus, quo reconciliatur inimicus, ut fiat de inimico servus, de servo amicus, de amico filius, de filio hæres, de hærede unus, imo unum etiam cum ipsa hæreditate, ut sicut non poterit seipso privari, ita nec hæreditate, quæ Deus est ipse: et ideo *pars mea Deus*, inquit, *in æternum*. Ecce, *ut sunt unum nobiscum*. O unum unum! o unum unite unum! o unum prorsus necessarium! unum propter quod omnia mundi hujus dulcia relinquenda, amara sustinenda, inhonesta fugienda, et honesta amplectenda. Unum ad quod multipliciter curritur, in quo uniformiter statur, pausatur, delectatur. O si detur audacia verbis! o si conferre liceat turpia decoris, inhonesta castis, supremum spiritus carnis extremo! nunquam melius, nunquam proprius, nunquam expressius, hæc unio sancta, spiritualis, divina, in his tenebris monstratur, quam a simili, per ejus contrarium. Nihil enim veritate dissimilius, nihil comparatione similius. Sicut enim in carnalis commistionis articulo, ita spiritus totus in carnem transit, eviratus, sui impos, suorum immemor, sopitis curis et sollicitudinibus universis, ut nihil interim cogitet de pecunia avarus, de honore ambitiosus, de gloria vanus extra gaudeat, nec doleat, nec cupiat, nec metuat, dum ab hac una et sola sorbetur voluptate: sic nimirum, imo multo amplius, totus spiritus sobrie ebrius, fortiter enervis, in Deo omnia potens erit, in omnibus gaudebit, quando per plenissimam veritatem, virtutem, charitatem, ei adhærebit, qui in omnibus suis omnia erit. Ipsum intuebitur propter ipsum; ipsum amabit propter ipsum ut nihil aliud in omnibus delectet videre, quam ipsum, quem diligit: nihil aliud videre quam ipsum quem videt. Visione illuminabitur ad diligendum, dilectione inflammabitur ad visionem, ut dum semper ex altero in alterum juvatur, infinitæ felicitatis circuitum, in quem nunquam ambulabunt nisi pii, sequatur: eo dignus videre et cognoscere, quia diligit, eo desiderabundus diligere, quia cognoscit. Non enim potest videri, et non diligi, sed nec debet diligenti non ostendi. *Et ego*, inquit, *ostendam ei meipsum* (*Joan.* XIV).

Hæ sunt, dilectissimi, illæ alæ beatorum seraphim, quibus in Sedentem super solium semper volant (*Isai.* VI), in quem desiderant omnes angeli prospicere (*I Petr.* I), propter desiderium semper prospicientes, propter prospectum semper desiderantes. Ergo, fratres, ut aliquando dispendiosum sermonem claudamus, summam totius religionis, spiritualis maxime exercitii scopum, hæc pono. Nam sicut in cœlestium angelorum ordinibus cherubim et seraphim suprema noscuntur in suo cœlo, sic in nostro cœlo, id est in anima justi, in qua sapientia sedet, cum ibi iidem ordines gradusque possint, debeantque esse virtutum, tanquam suorum angelorum, ne nostrum cœlum sine angelis sit, cognitio et dilectio, tanquam cherubim et seraphim, archiam obtinent, hisque debent omnia virtutum agmina subdi et famulari. Quod, nisi vobis exciderit, aliquando a nobis audisse vos, meminisse potestis. Itaque ad nihil aliud, quæso, fratres mei, sudet labor vester, squaleat solitudo, vigilet intentio, sive corporalis exercitii, sive studii spiritualis, quam, ut vitiis expulsis, compositisque moribus, inductis virtutibus, quibus sobrie, et juste, et pie, tanquam boni activi, viventes in hoc sæculo, cor mundetis ad speculandum, accendatis ad amandum divinæ visionis beatam spem, in qua plena pacificentia conferet generosam filiationem Dei: quam nobis per Filium, in Spiritu sancto, præstare dignetur, qui vivit et regnat Deus, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

SERMO VI.

IN EODEM FESTO VI.

Videns Jesus turbas, ascendit in montem. Hodie, dilectissimi, cernere est cœlestem medicum alabastra pigmentaria reserantem, quæ secum veniens de sinu Patris attulit, ut illius vulnera curet qui

descendens a Jerusalem in Jericho, incidit in latrones. Descendens enim iste communis est Adam: qui quoniam sponte et stulte descendit, juste incidit in latrones. Poterat enim Adam in ea stare, in qua creatus erat, pace, si vellet, omnium rerum opulenta, omnis incursionis secura. Itaque non coactus cecidit, sed quia voluit descendere, et quia descendit, incidit in manus violentas; ut pateretur quod nollet; qui nihil pateretur, si stare voluisset. Latrones isti maligni sunt spiritus, corporis quoque nostri et spiritus multimodæ passiones: in quibus ipse saucius sic lamentatur. *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas!* (*Psal.* LXX.) quas equidem patitur invitus, sed juste meruit incidere in latrones, et per illos in dolores, qui, ut dictum est, volens descendit. Nullatenus enim in tam crudeles manus a pio Domino incidere permitteretur, nisi intimo et innato vitio, prius apud se is, ad quem fortitudinem suam custodire debuerat, ab ipso desereretur. Dum ergo deseruit, descendit, et quia descendit, desertus est ab eo qui mansit. Desertus ergo incidit in illius, cui permissus est, id est diaboli, manus, qui in nullo pepercit, sed spoliavit, plagavit, semivivum reliquit. Totus mortuus, semivivum reliquit, nam si semivivum, utique semimortuum. Sic est enim vita hominum mortalis, ut sit et mors vitalis: mors vero diaboli tota mortalis, nihil habens unde revocetur ad vitam, sicut vita angeli tota vitalis, nihil habens unde inclinetur ad mortem.

Homo itaque semivivus relinquitur: vivus, sed morti per se indeclinabilis; mortuus, sed adhuc medicina reparabilis. *Plagis*, inquit, *impositis* (*Luc.* x). Sed videamus, quibus: quas tamen sentiendo melius discutimus quam disserendo. Exceptis itaque infirmitatibus et plagis corporis, quæ multiplicatæ sunt super numerum, vulnera, quibus corruptum est genus humanum in primo a primo parente, genere septem sunt, specie multa, numero autem infinita. Septem enim sunt corruptiones nostræ generales et originales, ex quibus omnis generatio perversa, et viperea soboles nascitur vitiorum, sive peccatorum. Hæ sunt radices amaritudinis sursum pullulantes, fomites peccati, cubilia dæmonum, cunabula mortis. Prima igitur descendendo, numero et vitio, ordine et malignitate, superbia est. Superbia vero est amor propriæ excellentiæ. Ista est, quæ per rapinam, quantum in se est, Altissimo adæquatur; et dum operum suorum gloriam alteri dare dedignatur, ex hac primogenita proles nascitur invidia, omnis enim arrogans invidus sit necesse est. Invidia vero est odium felicitatis alienæ.

Hanc sequitur ira, id est animi perturbatio: cui enim invides, serenus esse non potes. Hæc si altius animo insederit, tristitiam parit; quæ perturbatum immoderatius absorbens, in desperationis voraginem mergit: ubi suscipiens eum avaritia, id est amor mundi, tanquam meliori spe destitutum, blande leniterque consolatur, et postea gulæ con-

A tradit, *Anima*, inquiens, *habes multa bona reposita in annos plurimos, epulare, et bibe* (*Luc.* XII). Quem gula deglutiens, per luxuriam egerit, ut de pretiosissimo homine fiat vilissimum stercus, impleaturque in eo, quod dicitur, *Qui nutriebantur croceis, amplexati sunt stercora*: et illud, *Computruerunt ut jumenta in stercore suo* (*Thren.* IV). Ecce quomodo comparatur homo qui honorem suum non intellexit, jumentis non solum insipientibus, sed etiam immundis, et similis factus est illis. Superbia spoliavit eum Deo, invidia proximo, ira seipso; tristitia in terram stravit, avaritia ligavit, gula voravit, luxuria stercoravit. Hæc sunt quæ militant adversus animam, quæ insidiantur miseræ. Latrones, qui viam descendentis obsident; in quorum manus

B incidit, qui descendit, caro, mundus, diabolus. De carne egestio et ingestio, luxuria et gula: de mundo avaritia et tristitia; de diabolo ira, invidia et superbia. Hæc sunt carnalia et sæcularia desideria, et spirituales nequitiæ in cœlestibus. Per superbiam angelus cecidit, per invidiam hominem dejecit, ira per Cain fratricidium primum fecit (*Gen.* III *et* IV), tristitia eumdem fratricidam primo desperavit, avaritia per ipsum desperatum terrenam civitatem prima fundavit; gula et luxuria, nam

Sine Cerere et Baccho [*Libero*] *friget Venus*,

(TERENT. *Eunuch.* act. 4, sc. 5, vers. 5.)

quia discretionis ordinem inter filios Dei et filias hominum turbavit, Deum ipsum, quod hominem

C fecerat, ad pœnitudinem compulit, diluvium intulit, hominem delevit. Talis enim qui est, ab homine deletus est, et in pecus mutatur; nisi quod hoc est natura, ipse fit vitio. Hæc sunt communis Adæ vulnera, corruptiones naturales vel originales, quia et in origine nobiscum nascuntur, et cum natura nobiscum oriuntur. Hic pater noster Amorrhæus, et mater nostra Cethæa dereliquerunt nos. Talis qui nascitur, semen est Chanaan, et non Juda. Talis qui nascitur, non est lotus aqua, nec sale salitus, nec pannis involutus, nec umbilicus ejus est præcisus. Non est enim qui faciat cum illo ullam misericordiam, quibus tales indigent. Ecce quales habuimus parentes in terra, de terra terrenos. Parentes non ante naturæ, quam culpæ, vel pœnæ.

D Parentes non prius vitæ quam mortis, hoc seminantes quod habentes; hoc donantes quod invenientes; hoc generantes quod existentes: et ubique qualis pater, talis filius. Et sicut ipsi de diversis metentes, sic diversa seminantes: de Deo naturam, de diabolo culpam. Unde et nos de utroque genus ducere necesse est, ut simus filii Dei et filii diaboli: de bono boni bene conditi, de malo mali male corrupti: hinc habentes naturam, unde aliquid sumus, hinc trahentes culpam, qua nihil effecti sumus. Et hoc est omne opus diaboli, nihil nostrum: quod venit solvere Filius Dei, et liberare, salvareque aliquid nostrum. Suum enim venit reparare, alienum destruere, suum sibi religare, unde religio dicitur; alienum solvere, suum denique

ab alieno, et alienum a suo, tanquam pretiosum a vili, separare. *Si separaveris*, ait Propheta, *pretiosum a vili, quasi os meum eris* (*Jer.* xv). Os igitur Patris, Christus ejus. A

Itaque audiamus, quatenus ad id munitus, paratusque advenerit. *Egredietur*, inquit Isaias, *virga de radice Jesse;* nam de fronde non posset, *et flos de radice ejus ascendet* (*Isai.* ii). Jam sperare incipio; nam flos spes fructus intelligitur. *Et requiescet super eum spiritus Domini.* O quam bonus fructus! Merito in Nazareth concipitur, et in Bethlehem nascitur spiritus sapientiæ, et intellectus, etc. O anima virtutum fecunda, gratiarum plena! Septem propter septem: et septem contra septem. Septem gratiæ in Christo, septem concupiscentiæ in Adam, Septem plagæ, septem medicinæ: ubique unum B contra unum. In Adam hinc natura, hinc culpa: simul tamen natura et culpa. Sicut enim in uno fonte, diversis tamen venis, si simul scaturirent vinum et aqua, non posset hauriri, nisi vinum aquatum, et aqua vinata: sic, o filii Adam, vinum nostrum mistum est aqua, ut simul oriatur et culpa naturalis, et natura culpabilis: ut non prius sitis boni a bono, per naturam, quam mali a malo, per culpam: simulque gignatur, sicut de homine homo, ita de peccatore peccator: nec sine culpa mala ulla in nobis natura bona sit: nec culpa mala nisi in natura bona esse possit. Itaque tria in nobis, fratres, considerate; vel vos in tribus attendite: concupiscentia carnali, sensu animali, mente rationali. C Hæc sunt in uno cujusque paradiso, vir, mulier, serpens. Concupiscentia prurit, delectatur animalitas, consentit voluntas rationalis; et peccatum perficitur, et a semetipso peccator foras ejicitur. Hoc, fratres, adhuc hodie agitur ab homine in homine, cum peccat. Tentatur enim a concupiscentia sua aliqua illarum septem; delectatur sensus animalis, et concipitur peccatum: consentit voluntas rationalis, et parturitur: peccatum autem cum consummatum fuerit, id est per plenum voluntatis consensum natum, occidit utrumque parentem, et sic operatur mortem. Quacunque enim die vetitum comederint, morte morientur. *Tentatur*, ait apostolus (*Jac.* i), *unusquisque a concupiscentia sua abstractus, et illectus; concupiscentia cum conceperit,* D per delectationem videlicet, *parit peccatum. Peccatum autem cum consummatum fuerit* per consensum, *parit mortem* consentienti, et delectanti, viro scilicet ac mulieri. Hæc est illa generatio prava atque perversa, tota de radice amaritudinis sursum germinans, de vipereo venenatoque semine tota, et jugiter scatens: sine quo nec concipitur, nec nascitur, nec vivit, nec moritur filius Adam. Unde et in sorde concipitur, in dolore nascitur, in labore vivit, nec sine periculo moritur. Hinc ergo necessaria erat medicina; male habens hic opus habebat medico.

Veniat itaque Samaritanus, vinum afferat compunctionis, et oleum consolationis, vinum pœnitentiæ, oleum indulgentiæ. Intret medicus ad ægrotum, imo intret in ægrotum: totum suscipiat quod est naturæ, totum ejiciat quod est culpæ, totum quod expedit, sufferat pœnæ, totum inferat, quod est gratiæ; ut tandem adjuta natura per gratiam, quod sola non poterat, vincat concupiscentiam. Væ enim soli; nam si ceciderit, non est qui sublevet eum (*Eccle.* iv). Cum ergo Dominus introivit in hominem, necessario homo induit Deum. Quotquot enim baptizati estis, Christum induistis; quotquot Christum induistis, Adam exuistis, ut deforis jam oppugnet concupiscentia, intus adjuvet gratia, sitque gratia per hanc regenerationem naturalis, sicut culpa per generationem originalis. Intus fulgeat novitate veritatis imago Dei: foris squaleat vetus adhuc similitudo carnis peccati. Itaque hinc concupiscentia, hinc gratia; natura vero jam media prurit, tentat ac suggerit concupiscentia: si delectatur natura, concipit; si consentit, parit; si parit, moritur: non enim nascitur viperea proles, nisi parente disrupta. Suggerit etiam gratia, et hortatur naturam, præfert consilium, offert auxilium; si delectatur natura, concipit; si consentit, virtutem parit: virtus autem parta beatitudinem parit: ut jam audire debeat, *Beati pauperes spiritu*, etc. (*Matth.* v). Paupertas spiritus virtus est, regnum cœlorum beatitudo: hæc proles, illa parens. Gratia, unde per delectationem natura concipit, quæ per consensum hanc virtutem parit, spiritus est timoris. *A timore*, inquit, *tuo concepimus et parturivimus spiritum salutis* (*Isai.* xxvi). Et initium ascendendi ad sapientiam, timor Domini.

Sunt itaque charismata, sive gratiæ, sive dona Spiritus generalia, et per Christum jam originalia, septem genere, specie multa, numero infinita: quarum singulæ suas gignunt et formant in anima ejus per consensum, quem prius creant, virtutes, quæ suas differentes merentur beatitudines; ut ubique et in omnibus donum, quod gratia dicitur, quia gratis datur, sit ex Deo, virtusque et meritum ex dono; præmium, quod est beatitudo, pro merito, et Deus ipse in præmio. Ex Deo igitur omne donum, ex Dei dono omne meritum, pro merito præmium, et Deus ipsum: ut ex ipso, et per ipsum, et in ipso sint omnia. Gratia est, quæ prævenit, ut velimus; quæ adjuvat, ne frustra velimus; quæ suscipit, quia non frustra voluimus. Sunt itaque gratiæ septem contra corruptiones septem: ex quibus virtutes et beatitudines septem, contra peccata septem, et eorum pœnas septem; et omnes generales, et singulæ singulis oppositæ. Sunt adhuc in oratione Dominica petitiones septem, singulæ singulas gratias expetentes. Nam qui petit accipit, et qui accipit vincit; ut in septem septenis sit expeditio militiæ Christianæ, dum in hoc septem dierum circulo vivitur super terram. Quomodo autem alia ex aliis nascantur, et contraria contrariis opponantur, vestræ, fratres, meditationi reservamus comparare. Nihil enim vel hic, vel in futuro,

bonum, malum, miserum, beatum, quod non hinc vel inde nascatur, et sub hac generalitate non claudatur. Verumtamen in assignatione et distinctione peccatorum languemus inopia nominum, sicut ex vitiis nascuntur; et plurima eisdem, cum res diversæ sint, confundimus vocabulis; de differentiis vero pœnarum etiam multo amplius. Benedictus vero Deus, qui in meliori parte ditiores nos effecit, per Jesum Christum Dominum nostrum.

SERMO VII.

IN DOMINICA INFRA OCTAVAS EPIPHANIÆ I.

Cum factus esset Jesus annorum duodecim, etc. (*Joan.* II). Quid in pueritia sua Dominus Jesus ante baptismi tempus egerit, parum canonica lectione, et si rite recordor, solum istud edocemur. Ideoque magis mirandum quid sibi velit, et quærendum quare solum sit. Nihil enim eum tanto, id est toto vitæ suæ curriculo egisse otiosumque vixisse, dementiæ est opinari. Quidquid tamen fecerit, quomodo fecerit, præsenti æstimo lectione doceri, id est sapienter et benigne. Denario etenim sapientia, et binario charitas notissime designatur. Superfluit aperta probare. Ideo et apostoli sancti, mundi lucernæ sapientiæ fulgore lucentes, et charitatis fervore ardentes, sub hoc numero sufficiunt. Hoc ergo designatur hac vice, sic eum omnia fecisse alia vice. Nam quod de illius infantia sacra Evangelia pandunt, quid ei vel de eo factum sit, quam quid fecerit, magis continet. *Secundum consuetudinem*, etc. Ad officium pertinet, si non vis scandalum facere, aut pati, eorum sequi mores, inter quos habitas, maxime non improbandos: alioqui aut gentem mutare, aut mores sequi. Sequi etiam, et obedire puerum parentibus, disciplinæ est. Remansisse autem post parentes, certi est sacramenti et suavis mysterii. Abeunt diem unum sine Jesu, sed illum, cujus non est infans sine sorde super terram. Jesus autem sanctus et a peccatoribus s egregatus, velut de sanctitate sanctus, non sanctificatus conceptus. iter hujus diei minime fecit. Parentibus igitur descendentibus, remansit Jesus solus. Omnes enim declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est, qui faciat bonum', usque ad hunc solum. Iste nunquam declinavit, ideo cum aliis nec descendit: semper utilis ille fuit: bonum solum ipse fecit. Sed unde descenderunt, et ubi reliquerunt eum parentes ejus? Certe ab Jerusalem, ab illa nimirum, unde descendit stultus ille, et miser, qui incidit in latrones. O Adam, utinam in tua pace et visione, ubi a conditrice gratia positus eras, remansisses, et non nunc extra viam prope Jericho, cæci et mendici sederemus filii tui omnes nos!

Secuti sumus, fratres, filii patrem naturali necessitate, sequimur quotidie culpabili voluntate. Nemo stat. Nemo manet. Nemo in eo quod accepit, vel creatus est, nisi solus Jesus, remanet. Descendimus, labimur, capite deorsum ruimus: et nisi ad hunc solum, qui remansit, rediissemus, paulominus habitasset jam in inferno anima nostra. Si autem dixerimus conturbati et conteriti, quia sine Deo ambulamus in hoc mundo, male motus est pes noster, et correcto gressu repedemus ad Jesum; procul dubio misericordia ejus adjuvabit nos, ut eum invenire, saltem post triduum, discessionis per culpam, reversionis per pœnitentiam, inquisitionis per diligentiam, possimus. Templum vero, sive Jerusalem, natura est rationalis instituta, creata videlicet, ut videret Deum, qui est pax vera, et templum fieret, ubi habitaret. Hoc ascendimus primo motu, de non esse venientes ad esse, de nihilo ad aliquid. Hinc revertimur per culpam, declinantes ab esse ad non esse, de aliquo ad nihil. Nam si peccatum nihil est, utique non est; ac per hoc qui ad peccatum se inclinat, ad nihil et non esse repedat. De terra quoque sumptus homo per naturam, superelevatus per conditricem gratiam, in ipsam redit per culpam. Unde ei dicitur: *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III). Inde revertitur per pœnitentiam, sed si Jesum invenerit, fructuosam. Jesus vero solus in eo quod factus est mansit, ideoque a templo non descendit, nisi quod supra sapientia et ætate profecit (*Luc.* II), infra vere omnino non defecit. Nunquam sancta ejus et medicinalis caro per intemperantiam inæqualitatem incurrit, nunquam per pollutionem in corruptionem descendit. De Spiritu sancto et Virgine concepta, sancta et virgo nata est, vixit, mortemque sustinuit. Benedicta autem illa anima carni unita, quæ carni non adhæsit (sicut Adam luget, *Adhæsit pavimento anima mea* [*Psal.* CXVIII]), carnem lege naturalis affectus amare potuit: carni concupiscentiæ visco agglutinari non potuit. Bona a bono creata, et bonæ carni similiter a bono creatæ unita, ita bonum conditionis utrique bonæ servavit, ut de non esse venientes ad esse (quoniam creaturæ sunt) retro nunquam respicerent, in anteriora multum proficerent. Quis enim gloriabitur castum se habere cor? Quis in nubibus æquabitur Domino Jesu, similis erit Deo in filiis Dei? Baptista Joannes nubes erat, nubes erat et Jeremias: ambo sancti nati, sed ambo sanctificati: *Priusquam*, inquit, *exires de ventre*, *sanctificavi te* (*Jer.* I). Ambo sancti nati, sed nunquid sancti concepti? Ubi ergo, et unde sanctificati? Quod si sanctificati, utique quandoque polluti. Et hoc ubi, et unde? Sed ad hæc quis tam idoneus? Carnem bonam bonus creat, animam bonam bonus infundit, sic tamen utramque malam, utramque corruptam invenio, ut utraque sanctificatione indigeat, et neutra sit prius bona, quam mala; sana, quam corrupta, ne corruptio non jam originalis, sed actualis convincatur.

Neutra igitur vel ad instans in statu permanet conditionis, quo vocatur ad esse, sed per vitium originis redit ad non esse, eum incipit esse, ut mirabiliter et miserabiliter non prius inchoet esse quam non esse; venire, quam redire; ascendere, quam descendere, nec incipiat miserabiliter anima

prius vitam dare, quam mortem dare, ut sit et caro A mortificans, a quo vivificatur; et anima vivificans, a quo mortificatur. Hic occurrunt lugubres illæ nuptiæ septem viræ et toties homicidæ filiæ Raguelis, quam Tobias filius Tobiæ sine periculo ducere potuit, qui dæmone fortiorem angelum comitem, imo ducem, habuit (*Tob.* VIII). Tobias et Tobias, pater et filius, vetus et novus, cæcus et videns : Adam et Adam, primus et secundus, pater et filius, vetus et novus, cæcus et videns, homo et hominis filius. Sed de homine vel filio hominis aliquando secundum carnem, aliquando secundum animam, aliquando secundum utrumque sermo conficitur. Nunc ergo hic Tobias animam significat filii hominis, Sara vero communiter carnem hominis, angelus autem dux et comes Tobiæ Dominum Dei Verbum, quam B animæ quam semel suscepit, sapienter ducatum præstitit, fideliter comitatum, fortiter auxilium, prudenter consilium. Septem vero viri morti magis quam mulieri conjugati, universas animas, præter Christi animam, quæ non prius carni quam morti unitæ sunt, propter carnem tamen morti unitæ, et propter mortem a carne separatæ. Dæmon suffocans, naturalis illa originalisque concupiscentia datur intelligi : quæ de domo Raguelis et cubiculo Saræ, nisi fortior supervenerit, minime ejicitur.

Superveniente itaque fortiore Verbi virtute fortis ejicitur, fugatur, ligatur, vasa ejus, id est naturalia, quæ captiva tenebantur, diripiuntur. Ducitur captiva captivitas, thalamus purgatur; liberatur domus, Sara sine periculo ducitur, pater miratur, C mysterium agnoscit, angelo gratias agit, epulas parat, vicinia invitat. Plena sunt hæc mysteriis, redundant sacramentis. Angelus dum Tobiæ nuptias celebrat, abscedit, ut verus homo nascendo, vagiendo, sugendo, non fando, tanquam sponsus Tobias appareat. Post tempus vero non vacuus, neque sine chirographo pretiosi depositi redit, ut in aliquibus idem ipse, qui homo est, Deus innotescat. Frustra ergo quæritur die illo discessionis et oblivionis puer Jesus inter cognatos et notos. In templo dimittitur, in Jerusalem remanet; invenitur in templo a revertente et quærente. O beata anima, quæ nunquam obliviscitur, nec dimittit puerum Jesum! magis beata, quæ semper meditatur grandem D Jesum, maxime beata, quæ contemplari semper potest immensum Jesum. *Crevit*, ait Scriptura, Abrahæ filius, qui interpretatur *risus, donec fieret magnus valde* (*Gen.* XXVI). Crescat in te Dei Filius, frater, qui jam formatus est in te, donec fiat tibi immensus, et ex te tibi risus, ac exsultatio, et gaudium plenum, quod nemo tollet a te. Quod si oblitus fueris aliquando, vel incurate dimiseris, a memoria ejus incipe, ut ad præsentiam venias. Memoria fugat oblivionem, adducit pœnitudinem, pœnitudo facit conversionem, conversio corrigit discessionem, ut quantum discesseras, revertaris, sicut clamat Videns : *Redite, sicut in profundum recesseratis* (*Isa.* XXXI). Frustra tamen reverteris a via tua mala, ubi sine Jesu ambulabas, si non conversus quæris. Nam diligentia inquisitionis lætitiam meretur inventionis. *Si quæritis*, inquit Isaias, *quærite* (*Isa.* XXI), diligenter videlicet, et invenietis. *Et invenerunt eum in templo*, etc. Sed nobis hic silendum est, ut ad modicum quod restat laboris diurni surgamus. Fortassis et ibi invenietur Jesus. Nam et foris a Sara repertus est Isaac, id est risus : quem vobis foris et intus præstet invenire, ipse qui vivit, et regnat Deus in sæcula sæculorum, Amen.

SERMO VIII.

IN EODEM FESTO II.

Eia, fratres, jam fatigati paululum respiremus, utque reparatiores ad laborem resurgamus, modicum, hesterni obsonii, quod reservavimus, gustemus. *Et invenerunt eum*, inquit, *in templo inter doctores et sapientes, interrogantem, et mirabantur super prudentia et responsis ejus* (*Luc.* II). Ad officium pertinet ut ætate junior audiat et interroget; non est contra officium ut junior interrogatus respondeat. Sed ad seriem primæ expositionis redeamus : et in his, sicut beatus ait Hieronymus, nota Christum virum ab utero, imo, sicut ait Jeremias, in utero, *Faciet*, inquit, *Dominus novum super terram : mulier circumdabit virum* in utero (*Jer.* XXXI), Maria Christum. Virilis enim animus, sapiens, fortis, et magnus, in infantili, infirmo, et modico corpusculo erat. Neque enim in aliis corporibus humanis qualitates sive quantitates corporum animæ sequuntur, ut deformibus deformes, et formosis formosæ, aut magnis magnæ, et brevibus breves contineantur. Longe hæc ab animæ natura, quæ divinam habet imaginem, absunt : quæ secundum qualitatem nec alba, nec nigra, nec alterius coloris; et secundum quantitatem nec longa, nec lata, nec localiter hic vel ibi : cui per se secundum motum nil sursum vel deorsum, ante vel retro, dextrorsum vel sinistrorsum sit, quo feratur. Corporeæ enim sunt naturæ hujusmodi vel quantitates, vel qualitates, vel dimensiones, vel motus; anima vero rationalis pure spiritus est, habens supra se naturam solam divinam, quæ et ipsa spiritus est : cujus ista gerit imaginem, non æquat essentiam. Est tamen anima et qualis, et quanta, moveturque : alias alba ac nigra, longa, lata, et alta, sursum habens aliquid ac deorsum, ante et retro, dextrorsum, sinistrorsum; sed omnia illa suo modo, nec sequitur corpus in talibus. Formosam et claram facit sapientia, deformem et obscuram ignorantia, candidam, levem hilaremque bona conscientia, pullam, gravem, ac mœstam mala, longam fides, latam charitas, altam spes, timor contractam, arctam avaritia, pusillanimitas parvam. Hic virtus, alias vitium : ante habet quod inquirit; retro, quod non meminit; sursum, quod non capit; deorsum, quod despicit; dextrorsum, quod delectat; sinistrorsum, quod molestat.

In his ergo omnibus puer Jesus animum habet virilem, prudenter, temperanter, fortiter; et juste a

socia ac magistra divinitate institutum, ubique A sciens reprobare malum, et eligere bonum, propter edulium lactis ac butyri. Miremur ergo et nos super sapientia et responsis ejus. Solus enim id ætatis infans sic virtutes sapuit, sic vitiis respondere potuit. *Fili, quid fecisti nobis sic?* Imo mater, quid fecisti filio tuo sic? Esto, Joseph oblivisci potuit, qui non genuit : tu quomodo oblita es filii uteri tui? *Nunquid*, ait propheta, *oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui?* (*Isa.* XLIX.) Quod si alia potuit, certe tu non debuisti. Quid? toto die illo tenebroso et obscuro Deum non orasti, de Deo non cogitasti, Dei nec meministi? Quis hoc credidit? Certe is ipse est. Sed fortasse Patrem orasti, Filii immemor. Sed hoc quis facere potest, cum in nomine Patris Filius B cognominetur? Præterea qui Filium non habet, nec Patrem habet. An fortasse sacramenti conscia, mysterium loqueris? *Fili, quid fecisti nobis sic* : admirative legendum, potius quam interrogative, aut increpative, crediderim. Admiratio enim habet investigationem, investigatio autem meretur cognitionem. Admiratur enim, quod tamen non ignorat; sed sua admiratione ad investigandum te invitat, dicens cum pondere et admiratione : O fili, quid fecisti nobis doctrinæ et eruditionis sic, id est nobis abeuntibus, hic remanendo? Vel si interrogative legeris, nil de sententia deperit. Sed dicit aliquis : Oblivionis non decet arguere matrem Jesu; non enim est oblita filium, sed existimabat eum esse in C comitatu aliorum, quem propterea non videbat. Esto, ne contentiosi videamur : quem tamen incuria nescivit, diligentia invenit, ut et tu monearis omnino diligenter inquirere, dolens omnino quod per incuriam perdidisti. *Ego*, inquit, *et pater tuus dolentes quærebamus te*. Cui ait Jesus : *Nesciebatis quod in his quæ Patris mei sunt oportet me esse?* Ecce ubi habet quæri Filius, utique in his quæ Patris sunt. Ecce ubi non vult nesciri Filius esse se. Ideo cuidam eum inter mortuos quærenti dictum est : *Noli me tangere*, *nondum* in corde tuo *ascendi ad Patrem* (*Joan.* XX), nondum in his quæ Patris mei sunt me quæris : nondum in his quæ ejus sunt, qui omnia sua est, scis me esse oportere : tanquam non ipsum, sed ipsius, nec tamen aliud ab D ipso. Excepta tamen hac unitate naturæ, et naturali unitate Patris et Filii, a qua non recessit nec Pater, nec Filius : etiam in sua minoratione non recessit Filius a Patre, dum in ejus semper mansit obedientia et voluntate. Unde et quosdam increpans ait : *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri facitis* (*Joan.* VIII). Ac si diceret : In his quæ patris vestri sunt manetis, et estis.

Sunt itaque filiorum Adam patres tres : Deus, homo, diabolus. Deus propter naturam, homo propter speciem, diabolus propter malitiam. In his ergo quæ hominis sunt, esse habent necessitate; in his quæ Dei, bona voluntate; in his quæ diaboli, malignitate. Si naturam, in qua bonus a bono bene, et ad bonum creatus es, diligis, custodis, et ad id ad quod facta est, dirigis, in his quæ Dei patris tui sunt manes, nec a Jerusalem recedis; et super prudentia ac responsis, quibus mille tentationibus carnis, mundi, diaboli, respondes, quæ te argute et valde callide, dum tentant, interrogant, mirari facis ipsos spiritus nequam, qui tentatores tui sunt. Quod si honorem conditionis tuæ naturæ non intelligis, quæ facta es pulchra inter mulieres, et abis post vestigia gregum, incipiens assimilari jumentis insipientibus; si etiam ipsum bonum, quod in te est, malitia a maligno concepta infeceris, ut sis superbia tumidus, invidia tabidus, ira turbulentus, tristitia dejectus, anxius avaritia, gula avidus, luxuria immundus : in his quæ patris tui sunt diaboli, manifeste esse convinceris. In his autem, quæ hominis patris sunt, propter animale adhuc corpus, necessitatem essendi, vel potius transeundi habentes, victum et vestitum tantum quæramus : nec nos tentatio apprehendat, nisi humana, quominus his velimus esse contenti. Diabolica namque tentatione trahuntur qui divites fieri volunt, inciduntque in ejus laqueos, et tentationes alias post alias, atque in alias multas, ut merito audire debeant a Dei Filio : *Vos ex patre diabolo estis* (*Joan.* VIII); eisque conveniat quæ ubique vera est regula : Qualis pater, talis filius, de diabolo diabolus. *Nonne*, inquit, *duodecim vos elegi, et unus ex vobis diabolus est?* (*Joan.* VI.) De Deo Deus. *Ego dixi: Dii estis.* De homine homo. Homo igitur relinquens diabolica, ne in eis unquam sit per humana, sine quibus esse nequit, transeat ad divina, in quibus solis bene ei erit : fugiat diabolum cum omnibus suis; redeat ad hominem, et sit contentus suis : ascendat ad Deum, ac ditetur in suis. Verumtamen cæci sunt filii diaboli omnes; excæcavit enim eos malitia sua, ut, cum divites sint, pauperes se putent. Quod naturæ animalis corporis sat est, in promptu esse non vident, nec divinam vocem audiunt, quæ promittit, Deum timentibus nihil defuturum, quia etiam surdi sunt, et ideo semper ad superflua sudant. Vos autem dilectissimi, in doctorem vobis cœlitus indultum intendite : qui hominem, non solum ut sanaret, sed ut erudiret, assumpsit, diabolo exuit, Deo induit. Ejus sequimini vitæ modum, qui pauper natus est, pauper vixit, pauper obiit. Quia in hoc est fiducia, si sicut ille fuit, sic et nos simus in hoc mundo, et sicut ille ambulavit, ita ambulet, qui dicit se in illo manere. Qui spiritu timoris ita humilis fuit, ut cum Deus esset, hominibus subderetur, *Et erat*, inquit, *subditus illis* (*Luc.* II) : ita spiritu pietatis mitis, ut suis injuriis non turbaretur : quas duas virtutes ita in se maxime commendavit, ut diceret : *Discite a me quia mitis sum, et humilis corde* (*Matth.* XI). Spiritu scientiæ ita compassibilis ac humanus, ut videns inimicam civitatem, fleverit super eam ; et qui mansuetus ab inimicis turbari non poterat, super amicum affectuosius seipsum turbaret, spiritu

fremeret, ac fleret. Ita spiritu fortitudinis amans justitiam, ut propter eam usque ad mortem nemini tacendo parceret, sicut sæpius repetit, *Væ vobis, Scribæ, et Pharisæi*, etc. (*Matth.* XXIII). Ita spiritu consilii misericors, ut nec sibi parceret, sed, qua non est major charitas, animam suam daret redemptionem pro multis. Ita spiritu intellectus corde mundus, ut omni creatura excellentius sancta sua anima Deum, cui erat unita, cerneret. Spiritu sapientiæ ita pacificus, ut in se pacificaret omnes Deo; et cum esset unigenitus per naturam Filius, hac adhæsionis unione foret in multis fratribus primogenitus. Hic ergo, hic fratres mei, unus sit vobis magister Christus, hic etiam liber vobis scriptus intus et foris: de hoc hunc legite, ipsum de ipso discite; de ipso exemplari ipsum in exemplum cordium vestrorum intus, et corporum foris transcribite: qualiter vixerit, in vita vestra aliis legendum offerte. Propter quod dicitur: *Glorificate et portate Deum in corpore vestro* (*I Cor.* VI). Quod ipse præstare dignetur omnibus nobis. Amen.

SERMO IX.

IN DOMINICA I POST OCTAVAS EPIPHANIÆ I.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, etc. (*Luc.* II). Cogitantem me, fratres, de his nuptiis, fateor, magis delectat interius mysterium, quam exterius tam magnum miraculum. Istud enim fidem ædificat, illud superædificat. Istud infidelibus signum, illud fidelibus sacramentum. Utrumque tamen utile, utrumque magnum, utrumque divinum. Liber Sapientiæ scriptus est intus et foris, ut ingredientes ac egredientes pascua inveniant. Foris historia, intus tropologia. Primus liber Sapientiæ totus scriptus intus, in quo beati, quibus datum est videre et legere, ubi simul et semel Pater omnia scripsit ab æterno, unde omnia quasi transcripta sunt, quæ in secundo libro, id est in mente rationali legi possunt. Est igitur primus liber ipsum Dei Verbum, ipsa Sapientia; secundus mens creata, et ipse totus scriptus intus. Ibi simul omnia, hic similitudo omnium; in isto si quidem imago illius. Sicut autem in omni corpore omnis corporis forma latet, et si sit qui revelare norit, facile invenit: sic in mente rationali ad imaginem totalis sapientiæ facta, omnis sapientiæ forma continetur, ut non esset ei necesse foris addiscere, nisi intus caligaret. His duobus libris sancti angeli, qui non senuerunt, ut caligarent oculi eorum, contenti, speculatione sui et Dei, quasi vespere et mane, diem suum perficiunt. Sequitur vero liber tertius, corporea videlicet et visibilis creatura, etiam ipse scriptus intus ac foris; ut per ea quæ facta sunt intellecta, ea quæ fecit sapientia conspiciatur: liber obscurus, qui caligantes oculos nimio candore non reverberet, quasi ut solem videant, lucerna egent. Verumtamen quoniam sicut vetus ille peccator intus cæcus plangit, comprehenderunt eum iniquitates suæ, ut videre non posset oculis intelligentiæ intus Deum, nec oculo intellectus suam ipsius mentem; turbaretur autem oculus rationis a furore concupiscentiæ, ut sicut nihil intus cernere, ita modicum foris discernere posset: scriptus est a sapientia per misericordiam, id est digito Dei, liber quartus ad aurem. Unde ei dictum est cæco a vidente: *Qui cæcus, nisi servus meus Israel?* (*Isai.* XLII.) qui videre non potes, nisi ad concupiscendum: saltem audi ab altero foris quod videre debueras intus. *Dominus Deus tuus Deus unus est* (*Exod.* XX). Amplius autem, quoniam et ad hanc tubam cæcus obsurduit, ut, contempto uno vero Deo, post multa falsa dæmonia fornicaretur; cæcus et surdus sequens, velut bos ad victimam: et, sicut ipsa improperat Sapientia, *Moyses dedit vobis legem, et nemo ex vobis facit legem* (*Joan.* VII), scriptus est ei liber quintus, ad manum tractabilis, factaque est ipsa sapientia palpabilis, ut in omnibus justificetur sapientia a filiis suis, et vincat, cum judicatur. Verbum enim caro factum est, et habitavit in nobis. *Quod audivimus*, inquit Apostolus, *et vidimus, et manus nostræ tractaverunt, de verbo vitæ*, etc. (*I Joan.* I). Quid ultra debuit facere, et non fecit? Ipsum, fratres mei, verum Verbum caro factum, ipse Dominus Jesus, ipse unus magister noster Christus, etiam nobis liber fit. Ipsum hominem ideo gessit, ut quomodo gerendus esset, edoceret. Ipsum sanctum Verbum, quod beati oculi apostolorum viderunt in carne, manu tractaverunt, hodie est nobiscum, visibile in littera, in sacramento tractabile. Si autem in carne recessit, sed littera mansit. Nam ut compleretur, quod prædixit Videns: *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, et faciam non avolare ultra doctorem tuum a te* (*Isai.* XXX), sextum nobis librum, id est sanctum Evangelium benignus indulsit, ut sit quasi visibilis Verbi præsens corpus, sancti Evangelii textus.

Videamus itaque quid in hac sexti libri lectione per hoc exterius miraculorum locutum sit nobis exterius Dei Verbum; nam ipsum opus Verbi verbum est. Videamus eum in opere ejus, tanquam in corpore ejus; ipsum etenim opus, quoddam velamen est. Sunt igitur, quod ad præsens occurrit, nuptiarum tres differentiæ. Prima exterior, secunda interior, tertia superior. Prima extra, secunda intus, tertia intima. Prima inter homines, secunda in hominibus, tertia super homines. Prima inter carnem et carnem, secunda inter carnem et spiritum, tertia inter spiritum et Deum. Prima de diversis facit unum, ut jam non sint, inquit, *duo, sed una caro* (*Matth.* XIX). Secunda de contrariis magis unum; nam anima rationalis et caro contrariæ naturæ, sed una persona. Tertia de incomparabilibus maxime unum; nam qui adhæret Deo, unus spiritus est. In primis caro adhærens carni, una efficitur caro; in secundis caro adhærens spiritui, vel spiritus carni; nec una caro, nec unus spiritus, sed unus efficitur homo; in tertiis spiritus adhærens Deo, unum efficitur cum ipso, et quod est

ipse. Unde ad Patrem pro fratribus Filius sic loquitur: *Volo, Pater, ut, sicut ego et tu unum sumus, ita et isti sint unum nobiscum* (*Joan.* XVII). O unum ante omnia, unum super omnia, unum post omnia, unum a quo omnia, unum propter quod omnia! Valde unum, ubi duo in carne una jam non duo, sed caro una; magis unum, ubi duo in homine uno jam non duo, sed persona una; maxime unum, ubi in Deo adhærens illi spiritus jam non duo, sed unum. Primum igitur unum generat ad esse, secundum specificat in esse, tertium perpetuat et glorificat ipsum esse. In primo initiatur homo, in secundo formatur, in tertio consummatur. In primo enim fit, in secundo subsistit, ad tertium naturaliter tendit; propter quod primo fit, et secundo subsistit. Ab hominibus fit homo ad Deum. Sed ut pervenire possit aliquando per gratiam quo semper tendit per naturam, factæ sunt quædam mysteriales nuptiæ inter secundas et tertias: a primis longe remotæ, Verbi scilicet et carnis, Christi et Ecclesiæ. Longe ab anima Deus aberat, sed sine Deo bene ei esse non poterat, nec legitime fecundari. *Peccata nostra*, ait prophetes, *prohibuerunt bonum*, id est Deum *a nobis, et diviserunt inter nos et Deum*, tanquam inter mulierem et virum (*Jer.* V). Unde et subintravit mœchus et oppressor, de quo concepit dolorem, et peperit iniquitatem. Inventus est ergo, non a nobis, sed a Deo nobis, qui manum poneret in ambobus; utrumque in se conjungens, tertium excludens, coangustans stratum, ita ut adulter decidat; et abbrevians pallium, ut duos operire non possit. Abstulit igitur medium parietem peccati, per quem adulter irrepserat, et fecit utraque unum; reconcilians in semetipso mulierem viro, hominem Deo: inimicitias vero veteres tollens de medio, cruci affixit.

Hoc est, dilectissimi, sacramentum Mediatoris, qui, ut congrue intercederet, de utroque subsistit; ut sufficienter, id est totum toti reconciliaret, totum attulit quod Dei est; totum assumpsit quod est hominis, ut fideliter compleret, tertii nihil admicuit. Nihil enim est, nisi Deus et homo, sed hoc totum. Per ipsum ergo solum mulier quæ dimissa a viro fornicata est cum amatoribus multis, accessum habet, et licentiam supra legem, per gratiam revertendi ad virum. Sicut olim per prophetam præmissum est: *Tu autem*, inquit, *fornicata es cum amatoribus multis; et tamen revertere ad me*, *dicit Dominus* (*Jer.* III). Hæ sunt, quas mysteriales diximus nuptias, post secundas et tertias confœderandas, inter secundas et tertias jam collocandas, ut videlicet primæ sint carnis et carnis, secundæ spiritus et carnis, tertiæ Verbi et hominis, quartæ Dei et mentis. Primæ historiales, secundæ morales, tertiæ allegoricæ, quartæ anagogicæ. Per primas Jesus nec venit, nec transitum fecit, quia nec per eas genitus, nec per eas generans; sed vocatus venit ad eas, quas præsentia sui conse-

A crans, virtuteque mirabili contra calumniatores nuptiarum defendens: maxime in quibus erat, et propter quas venerat, mystice significabat: in secundis etenim et tertiis jam erat, in carne et anima et verbo, tribus substantiis, duabus naturis, una persona Deus et homo. Propter quartas venerat: quas etiam jam in se omnibus hominibus excellentius habebat. Nulla etenim, quam illa sancta anima, humilius Deo obedivit, plenius se subdidit, firmius adhæsit. Homo in sua dualitate divisus, et sine Deo; Deus in sua trinitate trinus, et sine homine, quia ibi, nisi dualitas, nihil erat, non fuit qui duellum sedaret; quia ibi sola Trinitas erat, non fuit qui pacem turbaret. Ibi in trinitate quartus non admittitur, ne pax turbetur, hic in nostra

B dualitate tertius non invenitur, ut duellum sedetur. Ibi a Trinitate nullus dimittitur, ne per dualitatem duellum inchoetur; hic nisi tertius intercesserit, duellum non finietur. Opus erat, fratres mei, ut cernitis, magno consilio, quo cœlum gloriam suæ pacis non perderet, et misera terra pacem aliquando inveniret. Missus est itaque, non tamen dimissus magni consilii et fortis auxilii angelus, de tribus tertius in Trinitate filius, in cujus salutifero ortu, nec cœlestia turbata, sed terrena ad pacem vocata: multitudo millium angelorum hymnizat dicens, *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax* (*Luc.* II). O magnum et admirabile consilium, ut in Deo æterna trinitas non minuatur, et in homine nova

C Trinitas oriatur, per quam a naturali et intestina pugna ad inexpertam et imperturbabilem pacem ascendatur! O magnum et vere divinum consilium, quod sic omnia temperavit, ut in hominem veniens Deus necessariam faceret trinitatem, et in Deum migrans homo, superfluam non faceret quaternitatem! Ideo nimirum, ut diximus, quia una persona Dei Filius et hominis filius in tribus substantiis et duabus subsistit naturis: in æterna Trinitate divina, Pater, Filius, Spiritus sanctus, unus Deus. In nova hominis trinitate, caro, anima, verbum, unus homo. Ibi tres personæ, una substantia: hic tres substantiæ, una persona. Ibi naturalis unitas, diversitas personalis. Ibi totæ tres personæ coæternæ et coæquales; hic totæ tres sub-

D stantiæ diversæ et inæquales. Ibi tandem nihil majus et minus: hic gradatim ascendendo et descendendo, aliud alio majus et minus; ut et tu per gradus ascendas de minori semper ad majus, de carne ad Spiritum, de spiritu ad Deum; de secundis nuptiis, in quas venisti per primas, per mediatrices tertias, et in ter scalares, ascendas ad quartas. De Adam qui per concupiscentiam generatus carnaliter, ad Christum qui per gratiam spiritualiter regenerat; et per ipsum ad Patrem, qui regeneratum tanquam Filium feliciter hæredat; de vetustate per novitatem ad æternitatem. De vanitate per veritatem ad virtutem, de devio per viam ad vitam. Meminisse debetis, dilectissimi, in zelo transmigrationis fieri has nuptias ad quas vocati

turam habent, formam, usum ; numerum, mensuram et pondus. Sed unde hæc, et quod horum principium, quæro, nec facile invenio . ob hoc libenter servio, et omnia fero. At propter patriæ morem supponitur mihi lippa et laboriosa, quam non quærebam. *Non est*, inquit Laban, *consuetudinis apud nos, ut junior nubat prior, aut marito tradatur* (*Gen.* XXIX). Hæc est affectio animæ, sive concupiscibilitas, de qua jam tot et tanta præfati sumus : quæ rationali sensui primum ducenda est, componenda, ordinanda, domi semper dimittenda, ut in fervore diei securus ipse occurrat angelis tribus, ut Abraham, Sara domi relicta (*Gen.* XVIII). Non enim, ut apertius loquamur, plene perfecteque spiritualis esse poterit, neque ad contemplationis otium idoneus accingi, aut tabernaculum securus egredi, qui non illud prius evacuatum vitiis, id est omni amore perverso et inordinato, moribus bonis ornatum et compositum, virtutibus præditum et munitum reliquerit, ne si redierit spiritus adulter et immundus, insidians legitimo thoro, et invenerit domum scopis mundatam, et ornatam, sed virtutibus vacuam : irrumpat, vel irrepat, domum occupet, septem aliis satellitibus nequioribus se muniat, affectionem ipsam dominam domus corrumpat, et sint novissima spiritualis istius pejora prioribus, utpote qui spiritu cœperit, et carne consummetur, vel potius consumatur.

Itaque ut paucis absolvamus, discrete, sobrie, fortiter, et juste instituenda est affectio, ut sit in ea habitus animi bene instituentis, qui virtus dicitur, et in charitatem formetur, ordineturque, sicut legitur : *Ordinavit in me charitatem* (*Cant.* II), sitque prius, qui spiritualis esse desiderat, affectione quam ratione, et conversatione quam meditatione. Pedibus nitatur ut surgat in volatum ; et quia semper volare non poterit, pedibus se recipiat, ne præceps ruat : hoc est ruat affectio, quæ domus et universæ supellectilis, totiusque curam familiæ gerit. Circa omnia sollicita est et turbatur, cunctis operibus, et membrorum motibus nomen officiumque imponit : si bona et ordinata, bonum et ordinatum, sin autem mala malum, perversa perversum, corrupta corruptum. Subdatur itaque sicut operatio voluntati, sic voluntas vel affectio rationi ; ratio autem sapientiæ et verbo Dei. Ut sit vir sapiens, et revelata facie contempletur tanquam ipsius imago Deum : et non habeat velamen super caput, cum immediate soli subsit Deo. Mulier vero prudens, et non litigiosa, caput suum velet, viro subdita, cujus imago est : ut sit pax suæ domui, et benedici mereatur, et multiplicetur nimis, et jumenta etiam ejus non minorentur. Sint filii et filiæ, meditationum spiritualium fructus : familia virtutum multa nimis, oves quoque fetosæ suavium et simplicium morum, jumenta et boves corporalium exercitationum, et omnis domus a sapientibus et prudentibus ordinetur, ditetur et fecundetur : ad postremum vero servetur sicut scriptum est : *Ut operaretur et custodiret illud* (*Gen.* III) ; et sic sint in pace omnia, quæ possident. Ipsi quoque dum posuerint fines suos pacem, id est inter virum et dominum suum, rationem, mentem et Deum, mulierem et virum suum : id est animæ affectionem et mentem rationalem : inter ipsam denique viraginem, et quæ suæ debetur dictioni, ut consequenter audire debeant : *Beati pacifici*, etc. Sed hoc, fratres, quod de hac extrema et suprema virtute dignabitur revelare Dominus virtutum, de alio exspectetis initio. Interim hodie pausemus in Christo. Amen.

SERMO V.

IN EODEM FESTO V.

Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur (*Matth.* V). Quid amplius quærit servus, nisi ut fiat filius? Imo quis hoc, fratres mei, vel opinari tenuiter auderet, nisi hoc ipsa Dei benignitas et permitteret, et promitteret? Impii eramus, et propterea inimici, de salute nil tractantes, nil sperantes : et gratis venit, inopinatosque prævenit, qui vere prior dilexit nos, Christus, et pro impiis mortuus est. Hoc est quod admirans Apostolus, ait : *Ut quid Christus pro impiis mortuus est*, cum pro justo nemo velit mori? (*Rom.* V.) *Nam pro bono*, id est pro amico, et commodo sibi, *forsitan quis audeat mori* (*ibid.*), ut de Pylade et Oreste legitur : Sed nos inimici eramus, sicut sequitur : *Si, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis nunc*, etc. (*ibid.*). Quid est, *multo magis?* Revera, ut filiationem accipiamus per ipsum Filium; notate gradus, profectus distinguite. Inimici eramus, peccati servi, liberi justitiæ. Liberavit nos Filius, et vere liberi facti sumus a peccato, et diabolo, servi facti justitiæ. Et hic primus gradus est : quem desiderans quidam clamat : *O Domine, libera animam meam* (*Psal.* CXIV), ipsumque consecutus exsultat. O Domine, quia liberasti me, *ego servus tuus, et filius*, nondum dico, tuus, sed *ancillæ tuæ. Dirupisti vincula mea* (*Psal.* CXV), quibus me quasi quadrupedem strinxerat diabolus, ut nec exire, nec operari liberum esset, sicut scriptum est : *Exibit homo ad opus suum, et ad operationem suam* (*Psal.* CIII). Nunc pedem moveo, nunc manum aridam extendo, de perverso conversus, de inimico servus, ut benefaciam tibi prorsus inutilis, qui bonorum meorum non eges, et mihi tamen utilis, qui cum timore et tremore meam operor salutem. *Cum omnia*, inquit, *bene feceritis, dicite : Servi inutiles sumus*, etc. (*Luc.* XVII). Ecce qui facit mala, vel bona male, inimicus deputatur : qui omnia bene, nondum amicus, sed servus vocatur.

Itaque bene facere, opera virtutis exsequi, justitiæ et misericordiæ, ad servum pertinet; amicus vero interest secretis, novit consilia Unde secundo gradu audiunt olim de inimicis facti servi : *Jam non dicam vos servos, sed amicos meos*, etc. (*Joan.* XV.) Quid adhuc exspectamus? At ut de amicis tertio gradu fratres Christi, filii Dei, ac per hoc postremo hære-

des ipsius (nam qui filii, et hæredes), efficiamur, *Beati*, inquit, *pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Mundicordibus per speculationem nota facta sunt omnia, quæ audivit a Patre Filius; nam et ipsi propter pacificentiam filii vocabuntur. Quæ est ista, fratres dilectissimi, quæ est ista, rogo vos, per ipsam charitatem Christi, tam amanda, tam desideranda, tam chara pax, sive pacificentia, quæ super omnes virtutum gradus locatur, super omnia merita ponitur, omnium arcem obtinuit, omnium beatitudinum altissimam et maximam tribuit? Quæramus ab hominibus, quæramus a sanctis angelis, qui nobis, et nostris intersunt. Postulemus maxime, quoniam hac sapientia omnimodis indigemus, ab ipso qui dat abundanter, et non improperat. Quæramus orando, meditando, legendo, nunquam deficientes. Nam si quærentes quærimus, utique inveniemus, propter veritatem ipsam quam quærimus, quæ ait : *Quærite, invenietis* (*Luc.* XI). Hic est thesaurus in agro absconditus, hæc pretiosissima margarita studiosissime quærenda, charissime emenda, avarissime possidenda. Hic est mons montium, in quo solus Filius naturaliter est cum Patre. Sed ne solus sit hæres, dignatus est fratres adoptare. Quærendum ergo summopere est quidquid illud sit, unde effici fratres Christi, et filii Dei possimus : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Et ecce clamat unus de seraphim, in quo est plenitudo dilectionis, et ipsa fortasse quam quærimus. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I). Nunquid ait, quotquot viderunt eum? Mundicordes vident, sed pacifici recipiunt. Hic forsitan, imo revera hic est ager, ubi thesaurus est absconditus. *Quotquot*, inquit, *receperunt eum* (*Joan.* I). *Ego*, inquit, *veni in nomine Patris mei, et non recepistis me* (*Joan.* V). Quid est ergo recipere Verbum Dei? Miserum est, non videre Dei Verbum : miserrimum, videre, et non recipere. Quomodo, et ubi recipiendum est istud Verbum? Duæ sunt partes œconomiæ : operari et custodire. Unde de primo homine dictum est : *Ut operaretur, et custodiret illum* (*Gen.* III). Prima pertinet ad virum, secunda ad viraginem. Hujus est exire foris ad laborem suum (nam homo nascitur ad laborem), et quod acquisierit, domum portare. Illius est, domi manere, virum præstolari, ad ejus pendere reditum : quæ contulerat, usui parare, ut cum venerit, simul epulentur et bibant, et delectentur in lætitia. Multi multum laborant, et parum proficiunt : in sudore vultus sui congregant divitias, et mittunt in saccum pertusum : unde in terram cadunt, et perditum eunt.

Oportet hæc apertius dicere. An omnia intellexistis? Nostis satis, et jam superius audistis quis sit ille vir, de quo loqui intendimus : et quæ mulier, quis labor ejus, et quæ epulæ, et cætera quæ posita sunt. Multi enim et acumine ingenii, et vehementi applicatione animi, et vivacitate mentis, et ipsius rei assuetudine, profunda scrutantur, alta

A penetrant : ita ut quod notum est Dei, manifestum sit in illis, sempiterna etiam ejus virtus et divinitas, ut sint inexcusabiles. Sed quia non ipsam sapientiam propter ipsam quærunt, evanescunt in cogitationibus suis, et in vana gloria apud homines delectantur, et opinione, sive quæstu, etiam cum viderint, non recipiunt in affectione cordis, et dilectione, quæ venit a Patre : sed in desiderio animæ suæ attrahunt ventum, sectantesque vanitatem fiunt vani, et quod sursum acquisierunt, deorsum pessundant, omnem portionem pretiosæ substantiæ luxuriose fornicantes profligant. Ideoque cum legitimo thoro minime pacem habent : unde nec audire digni sunt : *Beati pacifici*, etc. Isti sunt, qui in sublime elati, semetipsos mirantur, deorsum intuen-

B tes vertiginem patiuntur, non habentes cui inhæreant, in præceps ruunt. Alto enim judicio miscetur eis spiritus vertiginis, et errare eos facit, sicut errat ebrius et vomens. Foris enim evomunt, unde intus vivere deberent. Obscuratur insipiens cor eorum, et jactantes sapientiam suam, stulti apparent, diligentes magis tenebras, quibus tenebrentur adhuc, quam lucem, qua fuerant illuminati. Unde, fratres, illa sancta et Deo vere devota mens, quæ introierat in sanctuarium Dei, et in novissimis intellexerat, sicut sanctus Jacob in principiis servierat, considerans quid sibi in cœlo esset repositum, seque increpans, quod quidquam super terram concupisset, defecta jam carne, cujus et corde, quo concu-

C pierat, ait : *Deus cordis mei*, meditatio videlicet, *et pars mea* (*Psal.* LXXII), quam exspecto, in quam intendo, in qua delector, ubi finem statuo, propter quod laboro, quod ordinatæ affectioni domum portem, unde cœnet mecum, et ego cum illa, Deus ipse. Ipse mihi meditatio, ipse mihi delectatio. Ipsum propter ipsum super me quæro. Ipso ab ipso intus me pasco. Ipse mihi ager in quo laboro, ipse mihi fructus pro quo laboro. Ipse mihi causa, ipse mihi effectus, ipse mihi principium, ipse mihi finis sine fine in æternum : *et pars mea*, inquit, *Deus in æternum* (*ibid.*). Quoniam qui elongant se a te, ne audiant te, aut si audierint, ne videant, vel si viderint, ne recipiant, sed te non propter te audiant, quærant, videant, prædicent, cum aliis rebus forni-

D cantes abs te, peribunt. Nam in occulto judicio tuo jam perdidisti omnes fornicantes abs te. Ideo, inquit, mihi adhærere Deo semper, ut ascendam per ipsum ad ipsum, et cum ascendero, ne cadam ab ipso, bonum est. Et quoniam nondum per speciem requiescimus, sed per spem ambulamus, ponere, inquit, in Domino Deo spem meam.

Ecce, fratres mei, quo in agro, quibus manibus, qua spe laborare habetis : qui non solum solitudinem loci, sed et spiritus introiistis; vel etiam Dei, ubi nonaginta novem oves reliquit. Ecce perceptos fructus quo referre debetis, ubi, et cum quo epulari et bibere, panem vitæ et intellectus, et aquam sapientiæ salutaris. Oportet enim vel laborantem agricolam de primitiis sui fructus percipere. *Quis*

enim plantavit vineam, et non bibit vinum ex ea? A (*I Cor.* IX, 7.) Hoc semper et in omnibus attendentes, summopere curate, charissimi, ne in hoc secreto conjugio vestro vir vel otiosus torpeat, nec in alieno laboret, vel nisi legitimæ uxori quidquam acquirat, nec uxor in sibi subditis inconsulto viro vel modicum ordinet, quatenus si ordinem servare studetis, intus in proprio domicilio prius servetis : et sit omnis exercitatio corporalis, quæ ad modicum valet, subdita piæ affectioni, omnis affectio et voluntas rationi : mens vero rationalis Dei verbo, ut ab ejus magisterio nunquam discedat, sicut ibi audierit et viderit, sic inferius omnia judicet, temperet, ordinet. Discat ibi quod doceat, dicens : mea doctrina non est mea, sed ejus cui subjecta sum. Illi semper indefessa dilectione adhæreat, in illum prospicere B delectet, dicens : *Mihi adhærere Deo bonum est* (*Psal.* LXXII) : *nam qui adhæret Deo, unus spiritus est* (*I Cor.* VI, 17). Si enim qui adhæret carni illa evirata enervique voluptate, ubi spiritus ipse fermo totus caro efficitur, una fit caro, ut jam non sint duo, sed una caro, qui carnaliter adhærent : nonne merito qui masculo corde et mente virili, non minori quadam, sed castiore, sed puriore dilectione, se totum transfundens in Deum, de se sibi nihil retinens, nihil reservans, adhæret illi, exutus se, unus spiritus cum illo efficitur? An efficacior illa pestis ad nocendum, ad captivandum, ad deglutiendum, ad permutandum : quam ista virtus ad auxiliandum, ad liberandum, ad conglutinandum, ad C immutandum? Ait omnipotens sermo, cui subest posse, cum velit : imo cujus idem posse et velle : *Volo, Pater, ut, sicut ego et tu unum sumus, ita et isti sint unum nobiscum* (*Joan.* XVII). O voluntas pia, voluntas Dei Deo digna, voluntas plena gratia, et charitate, voluntas plena veritate, quia veritatis! *Ut, sicut ego et tu unum sumus, ita et isti sint unum nobiscum.* Ecce quo provehitur servus, quo reconciliatur inimicus, ut fiat de inimico servus, de servo amicus, de amico filius, de filio hæres, de hærede unus, imo unum etiam cum ipsa hæreditate, ut sicut non poterit seipso privari, ita nec hæreditate, quæ Deus est ipse : et ideo *pars mea Deus*, inquit, *in æternum*. Ecce, *ut sunt unum nobiscum*. O unum unum! o unum unite unum! o D unum prorsus necessarium! unum propter quod omnia mundi hujus dulcia relinquenda, amara sustinenda, inhonesta fugienda, et honesta amplectenda. Unum ad quod multipliciter curritur, in quo uniformiter statur, pausatur, delectatur. O si detur audacia verbis! o si conferre liceat turpia decoris, inhonesta castis, supremum spiritus carnis extremo! nunquam melius, nunquam proprius, nunquam expressius, hæc unio sancta, spiritualis, divina, in his tenebris monstratur, quam a simili, per ejus contrarium. Nihil enim veritate dissimilius, nihil comparatione similius. Sicut enim in carnalis commistionis articulo, ita spiritus totus in carnem transit, eviratus, sui impos, suorum immemor, sopitis curis et sollicitudinibus universis, ut nihil interim cogitet de pecunia avarus, de honore ambitiosus, de gloria vanus extra gaudeat, nec doleat, nec cupiat, nec metuat, dum ab hac una et sola sorbetur voluptate : sic nimirum, imo multo amplius, totus spiritus sobrie ebrius, fortiter enervis, in Deo omnia potens erit, in omnibus gaudebit, quando per plenissimam veritatem, virtutem, charitatem, ei adhærebit, qui in omnibus suis omnia erit. Ipsum intuebitur propter ipsum; ipsum amabit propter ipsum ut nihil aliud in omnibus delectet videre, quam ipsum, quem diligit : nihil aliud videre quam ipsum quem videt. Visione illuminabitur ad diligendum, dilectione inflammabitur ad visionem, ut dum semper ex altero in alterum juvatur, infinitæ felicitatis circuitum, in quem nunquam ambulabunt nisi pii, sequatur : eo dignus videre et cognoscere, quia diligit, eo desiderabundus diligere, quia cognoscit. Non enim potest videri, et non diligi, sed nec debet diligenti non ostendi. *Et ego*, inquit, *ostendam ei meipsum* (*Joan.* XIV).

Hæ sunt, dilectissimi, illæ alæ beatorum seraphim, quibus in Sedentem super solium semper volant (*Isai.* VI), in quem desiderant omnes angeli prospicere (*I Petr.* I), propter desiderium semper prospicientes, propter prospectum semper desiderantes. Ergo, fratres, ut aliquando dispendiosum sermonem claudamus, summam totius religionis, spiritualis maxime exercitii scopum, hæc pono. Nam sicut in cœlestium angelorum ordinibus cherubim et seraphim suprema noscuntur in suo cœlo, sic in nostro cœlo, id est in anima justi, in qua sapientia sedet, cum ibi iidem ordines gradusque possint, debeantque esse virtutum, tanquam suorum angelorum, ne nostrum cœlum sine angelis sit, cognitio et dilectio, tanquam cherubim et seraphim, archiam obtinent, hisque debent omnia virtutum agmina subdi et famulari. Quod, nisi vobis exciderit, aliquando a nobis audisse vos, meminisse potestis. Itaque ad nihil aliud, quæso, fratres mei, sudet labor vester, squaleat solitudo, vigilet intentio, sive corporalis exercitii, sive studii spiritualis, quam, ut vitiis expulsis, compositisque moribus, inductis virtutibus, quibus sobrie, et juste, et pie, tanquam boni activi, viventes in hoc sæculo, cor mundetis ad speculandum, accendatis ad amandum divinæ visionis beatam spem, in qua plena pacificentia conferet generosam filiationem Dei : quam nobis per Filium, in Spiritu sancto, præstare dignetur, qui vivit et regnat Deus, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

SERMO VI.

IN EODEM FESTO VI.

Videns Jesus turbas, ascendit in montem. Hodie, dilectissimi, cernere est cœlestem medicum alabastra pigmentaria reserantem, quæ secum veniens de sinu Patris attulit, ut illius vulnera curet qui

descendens a Jerusalem in Jericho, incidit in latrones. Descendens enim iste communis est Adam: qui quoniam sponte et stulte descendit, juste incidit in latrones. Poterat enim Adam in ea stare, in qua creatus erat, pace, si vellet, omnium rerum opulenta, omnis incursionis secura. Itaque non coactus cecidit, sed quia voluit descendere, et quia descendit, incidit in manus violentas; ut pateretur quod nollet; qui nihil pateretur, si stare voluisset. Latrones isti maligni sunt spiritus, corporis quoque nostri et spiritus multimodæ passiones: in quibus ipse saucius sic lamentatur. *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas!* (*Psal.* LXX.) quas equidem patitur invitus, sed juste meruit incidere in latrones, et per illos in dolores, qui, ut dictum est, volens descendit. Nullatenus enim in tam crudeles manus a pio Domino incidere permitteretur, nisi intimo et innato vitio, prius apud se is, ad quem fortitudinem suam custodire debuerat, ab ipso desereretur. Dum ergo deseruit, descendit, et quia descendit, desertus est ab eo qui mansit. Desertus ergo incidit in illius, cui permissus est, id est diaboli, manus, qui in nullo pepercit, sed spoliavit, plagavit, semivivum reliquit. Totus mortuus, semivivum reliquit, nam si semivivum, utique semimortuum. Sic est enim vita hominum mortalis, ut sit et mors vitalis: mors vero diaboli tota mortalis, nihil habens unde revocetur ad vitam, sicut vita angeli tota vitalis, nihil habens unde inclinetur ad mortem.

Homo itaque semivivus relinquitur: vivus, sed morti per se indeclinabilis; mortuus, sed adhuc medicina reparabilis. *Plagis*, inquit, *impositis* (*Luc.* X). Sed videamus, quibus: quas tamen sentiendo melius discutimus quam disserendo. Exceptis itaque infirmitatibus et plagis corporis, quæ multiplicatæ sunt super numerum, vulnera, quibus corruptum est genus humanum in primo a primo parente, genere septem sunt, specie multa, numero autem infinita. Septem enim sunt corruptiones nostræ generales et originales, ex quibus omnis generatio perversa, et viperea soboles nascitur vitiorum, sive peccatorum. Hæ sunt radices amaritudinis sursum pullulantes, fomites peccati, cubilia dæmonum, cunabula mortis. Prima igitur descendendo, numero et vitio, ordine et malignitate, superbia est. Superbia vero est amor propriæ excellentiæ. Ista est, quæ per rapinam, quantum in se est, Altissimo adæquatur; et dum operum suorum gloriam alteri dare dedignatur, ex hac primogenita proles nascitur invidia, omnis enim arrogans invidus sit necesse est. Invidia vero est odium felicitatis alienæ.

Hanc sequitur ira, id est animi perturbatio: cui enim invides, serenus esse non potes. Hæc si altius animo insederit, tristitiam parit; quæ perturbatum immoderatius absorbens, in desperationis voraginem mergit: ubi suscipiens eum avaritia, id est amor mundi, tanquam meliori spe destitutum, blande leniterque consolatur, et postea gulæ con-

A tradit, *Anima*, inquiens, *habes multa bona reposita in annos plurimos, epulare, et bibe* (*Luc.* XII). Quem gula deglutiens, per luxuriam egerit, ut de pretiosissimo homine fiat vilissimum stercus, impleaturque in eo, quod dicitur, *Qui nutriebantur croceis, amplexati sunt stercora*: et illud, *Computruerunt ut jumenta in stercore suo* (*Thren.* IV). Ecce quomodo comparatur homo qui honorem suum non intellexit, jumentis non solum insipientibus, sed etiam immundis, et similis factus est illis. Superbia spoliavit eum Deo, invidia proximo, ira seipso; tristitia in terram stravit, avaritia ligavit, gula voravit, luxuria stercoravit. Hæc sunt quæ militant adversus animam, quæ insidiantur miseræ. Latrones, qui viam descendentis obsident; in quorum manus

B incidit, qui descendit, caro, mundus, diabolus. De carne egestio et ingestio, luxuria et gula: de mundo avaritia et tristitia; de diabolo ira, invidia et superbia. Hæc sunt carnalia et sæcularia desideria, et spirituales nequitiæ in cœlestibus. Per superbiam angelus cecidit, per invidiam hominem dejecit, ira per Cain fratricidium primum fecit (*Gen.* III *et* IV), tristitia eumdem fratricidam primo desperavit, avaritia per ipsum desperatum terrenam civitatem prima fundavit; gula et luxuria, nam

Sine Cerere et Baccho [*Libero*] *friget Venus*,

(TERENT. *Eunuch.* act. 4, sc. 5, vers. 5.)

quia discretionis ordinem inter filios Dei et filias hominum turbavit, Deum ipsum, quod hominem

C fecerat, ad pœnitudinem compulit, diluvium intulit, hominem delevit. Talis enim qui est, ab homine deletus est, et in pecus mutatur; nisi quod hoc est natura, ipse fit vitio. Hæc sunt communis Adæ vulnera, corruptiones naturales vel originales, quia et in origine nobiscum nascuntur, et cum natura nobiscum oriuntur. Hic pater noster Amorrhæus, et mater nostra Cethæa dereliquerunt nos. Talis qui nascitur, semen est Chanaan, et non Juda. Talis qui nascitur, non est lotus aqua, nec sale salitus, nec pannis involutus, nec umbilicus ejus est præcisus. Non est enim qui faciat cum illo ullam misericordiam, quibus tales indigent. Ecce quales habuimus parentes in terra, de terra terrenos. Parentes non ante naturæ, quam culpæ, vel pœnæ.

D Parentes non prius vitæ quam mortis, hoc seminantes quod habentes; hoc donantes quod invenientes; hoc generantes quod existentes: et ubique qualis pater, talis filius. Et sicut ipsi de diversis metentes, sic diversa seminantes: de Deo naturam, de diabolo culpam. Unde et nos de utroque genus ducere necesse est, ut simus filii Dei et filii diaboli: de bono boni bene conditi, de malo mali male corrupti: hinc habentes naturam, unde aliquid sumus, hinc trahentes culpam, qua nihil effecti sumus. Et hoc est omne opus diaboli, nihil nostrum: quod venit solvere Filius Dei, et liberare, salvareque aliquid nostrum. Suum enim venit reparare, alienum destruere, suum sibi religare, unde religio dicitur; alienum solvere, suum denique

ab alieno, et alienum a suo, tanquam pretiosum a vili, separare. *Si separaveris*, ait Propheta, *pretiosum a vili, quasi os meum eris* (*Jer.* xv). Os igitur Patris, Christus ejus.

Itaque audiamus, quatenus ad id munitus, paratusque advenerit. *Egredietur*, inquit Isaias, *virga de radice Jesse;* nam de fronde non posset, *et flos de radice ejus ascendet* (*Isai.* II). Jam sperare incipio; nam flos spes fructus intelligitur. *Et requiescet super eum spiritus Domini.* O quam bonus fructus! Merito in Nazareth concipitur, et in Bethlehem nascitur spiritus sapientiæ, et intellectus, etc. O anima virtutum fecunda, gratiarum plena! Septem propter septem: et septem contra septem. Septem gratiæ in Christo, septem concupiscentiæ in Adam, Septem plagæ, septem medicinæ: ubique unum contra unum. In Adam hinc natura, hinc culpa: simul tamen natura et culpa. Sicut enim in uno fonte, diversis tamen venis, si simul scaturirent vinum et aqua, non posset hauriri, nisi vinum aquatum, et aqua vinata: sic, o filii Adam, vinum nostrum mistum est aqua, ut simul oriatur et culpa naturalis, et natura culpabilis: ut non prius sitis boni a bono, per naturam, quam mali a malo, per culpam: simulque gignatur, sicut de homine homo, ita de peccatore peccator: nec sine culpa mala ulla in nobis natura bona sit: nec culpa mala nisi in natura bona esse possit. Itaque tria in nobis, fratres, considerate; vel vos in tribus attendite: concupiscentia carnali, sensu animali, mente rationali. Hæc sunt in uno cujusque paradiso, vir, mulier, serpens. Concupiscentia prurit, delectatur animalitas, consentit voluntas rationalis; et peccatum perficitur, et a semetipso peccator foras ejicitur. Hoc, fratres, adhuc hodie agitur ab homine in homine, cum peccat. Tentatur enim a concupiscentia sua aliqua illarum septem; delectatur sensus animalis, et concipitur peccatum: consentit voluntas rationalis, et parturitur: peccatum autem cum consummatum fuerit, id est per plenum voluntatis consensum natum, occidit utrumque parentem, et sic operatur mortem. Quacunque enim die vetitum comederint, morte morientur. *Tentatur*, ait apostolus (*Jac.* I), *unusquisque a concupiscentia sua abstractus, et illectus; concupiscentia cum conceperit*, per delectationem videlicet, *parit peccatum. Peccatum autem cum consummatum fuerit* per consensum, *parit mortem* consentienti, et delectanti, viro scilicet ac mulieri. Hæc est illa generatio prava atque perversa, tota de radice amaritudinis sursum germinans, de vipereo venenatoque semine tota, et jugiter scatens: sine quo nec concipitur, nec nascitur, nec vivit, nec moritur filius Adam. Unde et in sorde concipitur, in dolore nascitur, in labore vivit, nec sine periculo moritur. Hinc ergo necessaria erat medicina; male habens hic opus habebat medico.

Veniat itaque Samaritanus, vinum afferat compunctionis, et oleum consolationis, vinum pœni-

A tentiæ, oleum indulgentiæ. Intret medicus ad ægrotum, imo intret in ægrotum: totum suscipiat quod est naturæ, totum ejiciat quod est culpæ, totum quod expedit, sufferat pœnæ, totum inferat, quod est gratiæ; ut tandem adjuta natura per gratiam, quod sola non poterat, vincat concupiscentiam. Væ enim soli; nam si ceciderit, non est qui sublevet eum (*Eccle.* IV). Cum ergo Dominus introivit in hominem, necessario homo induit Deum. Quotquot enim baptizati estis, Christum induistis; quotquot Christum induistis, Adam exuistis, ut deforis jam oppugnet concupiscentia, intus adjuvet gratia, sitque gratia per hanc regenerationem naturalis, sicut culpa per generationem originalis. Intus fulgeat novitate veritatis imago Dei: foris squaleat vetus adhuc similitudo carnis peccati. Itaque hinc concupiscentia, hinc gratia; natura vero jam media prurit, tentat ac suggerit concupiscentia: si delectatur natura, concipit; si consentit, parit; si parit, moritur: non enim nascitur viperea proles, nisi parente disrupta. Suggerit etiam gratia, et hortatur naturam, præfert consilium, offert auxilium; si delectatur natura, concipit; si consentit, virtutem parit: virtus autem parta beatitudinem parit: ut jam audire debeat, *Beati pauperes spiritu*, etc. (*Matth.* V). Paupertas spiritus virtus est, regnum cœlorum beatitudo: hæc proles, illa parens. Gratia, unde per delectationem natura concipit, quæ per consensum hanc virtutem parit, spiritus est timoris. *A timore*, inquit, *tuo concepimus et parturivimus spiritum salutis* (*Isai.* XXVI). Et initium ascendendi ad sapientiam, timor Domini.

Sunt itaque charismata, sive gratiæ, sive dona Spiritus generalia, et per Christum jam originalia, septem genere, specie multa, numero infinita: quarum singulæ suas gignunt et formant in anima ejus per consensum, quem prius creant, virtutes, quæ suas differentes merentur beatitudines; ut ubique et in omnibus donum, quod gratia dicitur, quia gratis datur, sit ex Deo, virtusque et meritum ex dono; præmium, quod est beatitudo, pro merito, et Deus ipse in præmio. Ex Deo igitur omne donum, ex Dei dono omne meritum, pro merito præmium, et Deus ipsum: ut ex ipso, et per ipsum, et in ipso sint omnia. Gratia est, quæ prævenit, ut velimus; quæ adjuvat, ne frustra velimus; quæ suscipit, quia non frustra voluimus. Sunt itaque gratiæ septem contra corruptiones septem: ex quibus virtutes et beatitudines septem, contra peccata septem, et eorum pœnas septem; et omnes generales, et singulæ singulis oppositæ. Sunt adhuc in oratione Dominica petitiones septem, singulæ singulas gratias expetentes. Nam qui petit accipit, et qui accipit vincit; ut in septem septenis sit expeditio militiæ Christianæ, dum in hoc septem dierum circulo vivitur super terram. Quomodo autem alia ex aliis nascantur, et contraria contrariis opponantur, vestræ, fratres, meditationi reservamus comparare. Nihil enim vel hic, vel in futuro,

bonum, malum, miserum, beatum, quod non hinc vel inde nascatur, et sub hac generalitate non claudatur. Verumtamen in assignatione et distinctione peccatorum languemus inopia nominum, sicut ex vitiis nascuntur; et plurima eisdem, cum res diversæ sint, confundimus vocabulis; de differentiis vero pœnarum etiam multo amplius. Benedictus vero Deus, qui in meliori parte ditiores nos effecit, per Jesum Christum Dominum nostrum.

SERMO VII.

IN DOMINICA INFRA OCTAVAS EPIPHANIÆ I.

Cum factus esset Jesus annorum duodecim, etc. (*Joan.* II). Quid in pueritia sua Dominus Jesus ante baptismi tempus egerit, parum canonica lectione, et si rite recordor, solum istud edocemur. Ideoque magis mirandum quid sibi velit, et quærendum quare solum sit. Nihil enim eum tanto, id est toto vitæ suæ curriculo egisse otiosumque vixisse, dementiæ est opinari. Quidquid tamen fecerit, quomodo fecerit, præsenti æstimo lectione doceri, id est sapienter et benigne. Denario etenim sapientia, et binario charitas notissime designatur. Superfluit aperta probare. Ideo et apostoli sancti, mundi lucernæ sapientiæ fulgore lucentes, et charitatis fervore ardentes, sub hoc numero sufficiunt. Hoc ergo designatur hac vice, sic eum omnia fecisse alia vice. Nam quod de illius infantia sacra Evangelia pandunt, quid ei vel de eo factum sit, quam quid fecerit, magis continet. *Secundum consuetudinem*, etc. Ad officium pertinet, si non vis scandalum facere, aut pati, eorum sequi mores, inter quos habitas, maxime non improbandos: alioqui aut gentem mutare, aut mores sequi. Sequi etiam, et obedire puerum parentibus, disciplinæ est. Remansisse autem post parentes, certi est sacramenti et suavis mysterii. Abeunt diem unum sine Jesu, sed illum, cujus non est infans sine sorde super terram. Jesus autem sanctus et a peccatoribus segregatus, velut de sanctitate sanctus, non sanctificatus conceptus. iter hujus diei minime fecit. Parentibus igitur descendentibus, remansit Jesus solus. Omnes enim declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est, qui faciat bonum, usque ad hunc solum. Iste nunquam declinavit, ideo cum aliis nec descendit: semper utilis ille fuit: bonum solum ipse fecit. Sed unde descenderunt, et ubi reliquerunt eum parentes ejus? Certe ab Jerusalem, ab illa nimirum, unde descendit stultus ille, et miser, qui incidit in latrones. O Adam, utinam in tua pace et visione, ubi a conditrice gratia positus eras, remansisses, et non nunc extra viam prope Jericho, cæci et mendici sederemus filii tui omnes nos!

Secuti sumus, fratres, filii patrem naturali necessitate, sequimur quotidie culpabili voluntate. Nemo stat. Nemo manet. Nemo in eo quod accepit, vel creatus est, nisi solus Jesus, remanet. Descendimus, labimur, capite deorsum ruimus: et nisi ad hunc solum, qui remansit, rediissemus, paulominus habitasset jam in inferno anima nostra. Si autem dixerimus conturbati et conterriti, quia sine Deo ambulamus in hoc mundo, male motus est pes noster, et correcto gressu repedemus ad Jesum; procul dubio misericordia ejus adjuvabit nos, ut eum invenire, saltem post triduum, discessionis per culpam, reversionis per pœnitentiam, inquisitionis per diligentiam, possimus. Templum vero, sive Jerusalem, natura est rationalis instituta, creata videlicet, ut videret Deum, qui est pax vera, et templum fieret, ubi habitaret. Hoc ascendimus primo motu, de non esse venientes ad esse, de nihilo ad aliquid. Hinc revertimur per culpam, declinantes ab esse ad non esse, de aliquo ad nihil. Nam si peccatum nihil est, utique non est; ac per hoc qui ad peccatum se inclinat, ad nihil et non esse repedat. De terra quoque sumptus homo per naturam, superelevatus per conditricem gratiam, in ipsam redit per culpam. Unde ei dicitur: *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III). Inde revertitur per pœnitentiam, sed si Jesum invenerit, fructuosam. Jesus vero solus in eo quod factus est mansit, ideoque a templo non descendit, nisi quod supra sapientia et ætate profecit (*Luc.* II), infra vere omnino non defecit. Nunquam sancta ejus et medicinalis caro per intemperantiam inæqualitatem incurrit, nunquam per pollutionem in corruptionem descendit. De Spiritu sancto et Virgine concepta, sancta et virgo nata est, vixit, mortemque sustinuit. Benedicta autem illa anima carni unita, quæ carni non adhæsit (sicut Adam luget, *Adhæsit pavimento anima mea* [*Psal.* CXVIII]), carnem lege naturalis affectus amare potuit: carni concupiscentiæ visco agglutinari non potuit. Bona a bono creata, et bonæ carni similiter a bono creatæ unita, ita bonum conditionis utrique bonæ servavit, ut de non esse venientes ad esse (quoniam creaturæ sunt) retro nunquam respicerent, in anteriora multum proficerent. Quis enim gloriabitur castum se habere cor? Quis in nubibus æquabitur Domino Jesu, similis erit Deo in filiis Dei? Baptista Joannes nubes erat, nubes erat et Jeremias: ambo sancti nati, sed ambo sanctificati: *Priusquam*, inquit, *exires de ventre*, *sanctificavi te* (*Jer.* I). Ambo sancti nati, sed nunquid sancti concepti? Ubi ergo, et unde sanctificati? Quod si sanctificati, utique quandoque polluti. Et hoc ubi, et unde? Sed ad hæc quis tam idoneus? Carnem bonam bonus creat, animam bonam bonus infundit, sic tamen utramque malam, utramque corruptam invenio, ut utraque sanctificatione indigeat, et neutra sit prius bona, quam mala; sana, quam corrupta, ne corruptio non jam originalis, sed actualis convincatur.

Neutra igitur vel ad instans in statu permanet conditionis, quo vocatur ad esse, sed per vitium originis redit ad non esse, eum incipit esse, ut mirabiliter et miserabiliter non prius inchoet esse quam non esse; venire, quam redire; ascendere, quam descendere, nec incipiat miserabiliter anima

prius vitam dare, quam mortem dare, ut sit et caro mortificans, a quo vivificatur; et anima vivificans, a quo mortificatur. Hic occurrunt lugubres illæ nuptiæ septem viræ et toties homicidæ filiæ Raguelis, quam Tobias filius Tobiæ sine periculo ducere potuit, qui dæmone fortiorem angelum comitem, imo ducem, habuit (*Tob.* VIII). Tobias et Tobias, pater et filius, vetus et novus, cæcus et videns: Adam et Adam, primus et secundus, pater et filius, vetus et novus, cæcus et videns, homo et hominis filius. Sed de homine vel filio hominis aliquando secundum carnem, aliquando secundum animam, aliquando secundum utrumque sermo conficitur. Nunc ergo hic Tobias animam significat filii hominis, Sara vero communiter carnem hominis, angelus autem dux et comes Tobiæ Dominum Dei Verbum, quam animæ quam semel suscepit, sapienter ducatum præstitit, fideliter comitatum, fortiter auxilium, prudenter consilium. Septem vero viri morti magis quam mulieri conjugati, universas animas, præter Christi animam, quæ non prius carni quam morti unitæ sunt, propter carnem tamen morti unitæ, et propter mortem a carne separatæ. Dæmon suffocans, naturalis illa originalisque concupiscentia datur intelligi: quæ de domo Raguelis et cubiculo Saræ, nisi fortior supervenerit, minime ejicitur.

Superveniente itaque fortiore Verbi virtute fortis ejicitur, fugatur, ligatur, vasa ejus, id est naturalia, quæ captiva tenebantur, diripiuntur. Ducitur captiva captivitas, thalamus purgatur; liberatur domus, Sara sine periculo ducitur, pater miratur, mysterium agnoscit, angelo gratias agit, epulas parat, vicinia invitat. Plena sunt hæc mysteriis, redundant sacramentis. Angelus dum Tobiæ nuptias celebrat, abscedit, ut verus homo nascendo, vagiendo, sugendo, non fando, tanquam sponsus Tobias appareat. Post tempus vero non vacuus, neque sine chirographo pretiosi depositi redit, ut in aliquibus idem ipse, qui homo est, Deus innotescat. Frustra ergo quæritur die illo discessionis et oblivionis puer Jesus inter cognatos et notos. In templo dimittitur, in Jerusalem remanet; invenitur in templo a revertente et quærente. O beata anima, quæ nunquam obliviscitur, nec dimittit puerum Jesum! magis beata, quæ semper meditatur grandem Jesum, maxime beata, quæ contemplari semper potest immensum Jesum. *Crevit*, ait Scriptura, Abrahæ filius, qui interpretatur *risus*, *donec fieret magnus valde* (*Gen.* XXVI). Crescat in te Dei Filius, frater, qui jam formatus est in te, donec fiat tibi immensus, et ex te tibi risus, ac exsultatio, et gaudium plenum, quod nemo tollet a te. Quod si oblitus fueris aliquando, vel incurate dimiseris, a memoria ejus incipe, ut ad præsentiam venias. Memoria fugat oblivionem, adducit pœnitudinem, pœnitudo facit conversionem, conversio corrigit discessionem, ut quantum discesseras, revertaris, sicut ... mat Videns: *Redite, sicut in profundum recesse...* (*Isa.* XXXI). Frustra tamen reverteris a via tua mala, ubi sine Jesu ambulabas, si non conversus quæris. Nam diligentia inquisitionis lætitiam meretur inventionis. *Si quæritis*, inquit Isaias, *quærite* (*Isa.* XXI), diligenter videlicet, et invenietis. *Et invenerunt eum in templo*, etc. Sed nobis hic silendum est, ut ad modicum quod restat laboris diurni surgamus. Fortassis et ibi invenietur Jesus. Nam et foris a Sara repertus est Isaac, id est risus: quem vobis foris et intus præstet invenire, ipse qui vivit, et regnat Deus in sæcula sæculorum, Amen.

SERMO VIII.

IN EODEM FESTO II.

Eia, fratres, jam fatigati paululum respiremus, utque reparatiores ad laborem resurgamus, modicum, hesterni obsonii, quod reservavimus, gustemus. *Et invenerunt eum*, inquit, *in templo inter doctores et sapientes, interrogantem, et mirabantur super prudentia et responsis ejus* (*Luc.* II). Ad officium pertinet ut ætate junior audiat et interroget; non est contra officium ut junior interrogatus respondeat. Sed ad seriem primæ expositionis redeamus: et in his, sicut beatus ait Hieronymus, nota Christum virum ab utero, imo, sicut ait Jeremias, in utero, *Faciet*, inquit, *Dominus novum super terram: mulier circumdabit virum* in utero (*Jer.* XXXI), Maria Christum. Virilis enim animus, sapiens, fortis, et magnus, in infantili, infirmo, et modico corpusculo erat. Neque enim in aliis corporibus humanis qualitates sive quantitates corporum animæ sequuntur, ut deformibus deformes, et formosis formosæ, aut magnis magnæ, et brevibus breves contineantur. Longe hæc ab animæ natura, quæ divinam habet imaginem, absunt: quæ secundum qualitatem nec alba, nec nigra, nec alterius coloris; et secundum quantitatem nec longa, nec lata, nec localiter hic vel ibi: cui per se secundum motum nil sursum vel deorsum, ante vel retro, dextrorsum vel sinistrorsum sit, quo feratur. Corporeæ enim sunt naturæ hujusmodi vel quantitates, vel qualitates, vel dimensiones, vel motus; anima vero rationalis pure spiritus est, habens supra se naturam solam divinam, quæ et ipsa spiritus est: cujus ista gerit imaginem, non æquat essentiam. Est tamen anima et qualis, et quanta, moveturque: alias alba ac nigra, longa, lata, et alta, sursum habens aliquid ac deorsum, ante et retro, dextrorsum, sinistrorsum; sed omnia illa suo modo, nec sequitur corpus in talibus. Formosam et claram facit sapientia, deformem et obscuram ignorantia, candidam, levem hilaremque bona conscientia, pullam, gravem, ac mœstam mala, longam fides, latam charitas, altam spes, timor contractam, arctam avaritia, pusillanimitas parvam. Hic virtus, alias vitium: ante habet quod inquirit; retro, quod non meminit; sursum, quod non capit; deorsum, quod despicit; dextrorsum, quod delectat; sinistrorsum, quod molestat.

In his ergo omnibus puer Jesus animum habet virilem, prudenter, temperanter, fortiter; et juste a

socia ac magistra divinitate institutum, ubique A sciens reprobare malum, et eligere bonum, propter edulium lactis ac butyri. Miremur ergo et nos super sapientia et responsis ejus. Solus enim id ætatis infans sic virtutes sapuit, sic vitiis respondere potuit. *Fili, quid fecisti nobis sic?* Imo mater, quid fecisti filio tuo sic? Esto, Joseph oblivisci potuit, qui non genuit : tu quomodo oblita es filii uteri tui? *Nunquid*, ait propheta, *oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui?* (*Isa.* XLIX.) Quod si alia potuit, certe tu non debuisti. Quid? toto die illo tenebroso et obscuro Deum non orasti, de Deo non cogitasti, Dei nec meministi? Quis hoc credidit? Certe is ipse est. Sed fortasse Patrem orasti, Filii immemor. Sed hoc quis facere potest, cum in nomine Patris Filius B cognominetur? Præterea qui Filium non habet, nec Patrem habet. An fortasse sacramenti conscia, mysterium loqueris? *Fili, quid fecisti nobis sic*: admirative legendum, potius quam interrogative, aut increpative, crediderim. Admiratio enim habet investigationem, investigatio autem meretur cognitionem. Admiratur enim, quod tamen non ignorat; sed sua admiratione ad investigandum te invitat, dicens cum pondere et admiratione : O fili, quid fecisti nobis doctrinæ et eruditionis sic, id est nobis abeuntibus, hic remanendo? Vel si interrogative legeris, nil de sententia deperit. Sed dicit aliquis : Oblivionis non decet arguere matrem Jesu; non enim est oblita filium, sed existimabat eum esse in C comitatu aliorum, quem propterea non videbat. Esto, ne contentiosi videamur : quem tamen incuria nescivit, diligentia invenit, ut et tu monearis omnino diligenter inquirere, dolens omnino quod per incuriam perdidisti. *Ego*, inquit, *et pater tuus dolentes quærebamus te.* Cui ait Jesus : *Nesciebatis quod in his quæ Patris mei sunt oportet me esse?* Ecce ubi habet quæri Filius, utique in his quæ Patris sunt. Ecce ubi non vult nesciri Filius esse se. Ideo cuidam eum inter mortuos quærenti dictum est : *Noli me tangere*, *nondum* in corde tuo *ascendi ad Patrem* (*Joan.* XX), nondum in his quæ Patris mei sunt me quæris : nondum in his quæ ejus sunt, qui omnia sua est, scis me esse oportere : tanquam non ipsum, sed ipsius, nec tamen aliud ab D ipso. Excepta tamen hac unitate naturæ, et naturali unitate Patris et Filii, a qua non recessit nec Pater, nec Filius : etiam in sua minoratione non recessit Filius a Patre, dum in ejus semper mansit obedientia et voluntate. Unde et quosdam increpans ait : *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri facitis* (*Joan.* VIII). Ac si diceret : In his quæ patris vestri sunt manetis, et estis.

Sunt itaque filiorum Adam patres tres : Deus, homo, diabolus. Deus propter naturam, homo propter speciem, diabolus propter malitiam. In his ergo quæ hominis sunt, esse habent necessitate; in his quæ Dei, bona voluntate; in his quæ diaboli, malignitate. Si naturam, in qua bonus a bono bene, et ad bonum creatus es, diligis, custodis, et ad id ad quod facta est, dirigis, in his quæ Dei patris tui sunt manes, nec a Jerusalem recedis; et super prudentia ac responsis, quibus mille tentationibus carnis, mundi, diaboli, respondes, quæ te argute et valde cavillose, dum tentant, interrogant, mirari facis ipsos spiritus nequam, qui tentatores tui sunt. Quod si honorem conditionis tuæ naturæ non intelligis, quæ facta es pulchra inter mulieres, et abis post vestigia gregum, incipiens assimilari jumentis insipientibus; si etiam ipsum bonum, quod in te est, malitia a maligno concepta infeceris, ut sis superbia tumidus, invidia tabidus, ira turbulentus, tristitia dejectus, anxius avaritia, gula avidus, luxuria immundus : in his quæ patris tui sunt diaboli, manifeste esse convinceris. In his autem, quæ hominis patris sunt, propter animale adhuc corpus, necessitatem essendi, vel potius transeundi habentes, victum et vestitum tantum quæramus : nec nos tentatio apprehendat, nisi humana, quominus his velimus esse contenti. Diabolica namque tentatione trahuntur qui divites fieri volunt, inciduntque in ejus laqueos, et tentationes alias post alias, atque in alias multas, ut merito audire debeant a Dei Filio : *Vos ex patre diabolo estis* (*Joan.* VIII); eisque conveniat quæ ubique vera est regula : Qualis pater, talis filius, de diabolo diabolus. *Nonne*, inquit, *duodecim vos elegi, et unus ex vobis diabolus est?* (*Joan.* VI.) De Deo Deus. *Ego dixi: Dii estis.* De homine homo. Homo igitur relinquens diabolica, ne in eis unquam sit per humana, sine quibus esse nequit, transeat ad divina, in quibus solis bene ei erit : fugiat diabolum cum omnibus suis; redeat ad hominem, et sit contentus suis : ascendat ad Deum, ac ditetur in suis. Verumtamen cæci sunt filii diaboli omnes; excæcavit enim eos malitia sua, ut, cum divites sint, pauperes se putent. Quod naturæ animalis corporis sat est, in promptu esse non vident, nec divinam vocem audiunt, quæ promittit, Deum timentibus nihil defuturum, quia etiam surdi sunt, et ideo semper ad superflua sudant. Vos autem dilectissimi, in doctorem vobis cœlitus indultum intendite : qui hominem, non solum ut sanaret, sed ut erudiret, assumpsit, diabolo exuit, Deo induit. Ejus sequimini vitæ modum, qui pauper natus est, pauper vixit, pauper obiit. Quia in hoc est fiducia, si sicut ille fuit, sic et nos simus in hoc mundo, et sicut ille ambulavit, ita ambulet, qui dicit se in illo manere. Qui spiritu timoris ita humilis fuit, ut cum Deus esset, hominibus subderetur, *Et erat*, inquit, *subditus illis* (*Luc.* II) : ita spiritu pietatis mitis, ut suis injuriis non turbaretur : quas duas virtutes ita in se maxime commendavit, ut diceret : *Discite a me quia mitis sum, et humilis corde* (*Matth.* XI). Spiritu scientiæ ita compassibilis ac humanus, ut videns inimicam civitatem, fleverit super eam; et qui mansuetus ab inimicis turbari non poterat, super amicum affectuosius seipsum turbaret, spiritu

fremeret, ac fleret. Ita spiritu fortitudinis amans justitiam, ut propter eam usque ad mortem nemini tacendo parceret, sicut sæpius repetit, *Væ vobis, Scribæ, et Pharisæi*, etc. (*Matth.* XXIII). Ita spiritu consilii misericors, ut nec sibi parceret, sed, qua non est major charitas, animam suam daret redemptionem pro multis. Ita spiritu intellectus corde mundus, ut omni creatura excellentius sancta sua anima Deum, cui erat unita, cerneret. Spiritu sapientiæ ita pacificus, ut in se pacificaret omnes Deo; et cum esset unigenitus per naturam Filius, hac adhæsionis unione foret in multis fratribus primogenitus. Hic ergo, hic fratres mei, unus sit vobis magister Christus, hic etiam liber vobis scriptus intus et foris : de hoc hunc legite, ipsum de ipso discite; de ipso exemplari ipsum in exemplum cordium vestrorum intus, et corporum foris transcribite : qualiter vixerit, in vita vestra aliis legendum offerte. Propter quod dicitur : *Glorificate et portate Deum in corpore vestro* (*I Cor.* VI). Quod ipse præstare dignetur omnibus nobis. Amen.

SERMO IX.

IN DOMINICA I POST OCTAVAS EPIPHANIÆ I.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, etc. (*Luc.* II). Cogitantem me, fratres, de his nuptiis, fateor, magis delectat interius mysterium, quam exterius tam magnum miraculum. Istud enim fidem ædificat, illud superædificat. Istud infidelibus signum, illud fidelibus sacramentum. Utrumque tamen utile, utrumque magnum, utrumque divinum. Liber Sapientiæ scriptus est intus et foris, ut ingredientes ac egredientes pascua inveniant. Foris historia, intus tropologia. Primus liber Sapientiæ totus scriptus intus. in quo beati, quibus datum est videre et legere, ubi simul et semel Pater omnia scripsit ab æterno, unde omnia quasi transcripta sunt, quæ in secundo libro, id est in mente rationali legi possunt. Est igitur primus liber ipsum Dei Verbum, ipsa Sapientia; secundus mens creata, et ipse totus scriptus intus. Ibi simul omnia, hic similitudo omnium; in isto si quidem imago illius. Sicut autem in omni corpore omnis corporis forma latet, et si sit qui revelare norit, facile invenit : sic in mente rationali ad imaginem totalis sapientiæ facta, omnis sapientiæ forma continetur, ut non esset ei necesse foris addiscere, nisi intus caligaret. His duobus libris sancti angeli, qui non senuerunt, ut caligarent oculi eorum, contenti, speculatione sui et Dei, quasi vespere et mane, diem suum perficiunt. Sequitur vero liber tertius, corporea videlicet et visibilis creatura, etiam ipse scriptus intus ac foris; ut per ea quæ facta sunt intellecta, ea quæ fecit sapientia conspiciatur : liber obscurus, qui caligantes oculos nimio candore non reverberet, quasi ut solem videant, lucerna egent. Verumtamen quoniam sicut vetus ille peccator intus cæcus plangit, comprehenderunt eum iniquitates suæ, ut videre non posset oculis intelligentiæ intus Deum, nec oculo intellectus suam ipsius mentem; turbaretur autem oculus rationis a furore concupiscentiæ, ut sicut nihil intus cernere, ita modicum foris discernere posset : scriptus est a sapientia per misericordiam, id est digito Dei, liber quartus ad aurem. Unde ei dictum est cæco a vidente : *Qui cæcus, nisi servus meus Israel?* (*Isai.* XLII.) qui videre non potes, nisi ad concupiscendum : saltem audi ab altero foris quod videre debueras intus. *Dominus Deus tuus Deus unus est* (*Exod.* XX). Amplius autem, quoniam et ad hanc tubam cæcus obsurduit, ut, contempto uno vero Deo, post multa falsa dæmonia fornicaretur; cæcus et surdus sequens, velut bos ad victimam : et, sicut ipsa improperat Sapientia, *Moyses dedit vobis legem, et nemo ex vobis facit legem* (*Joan.* VII), scriptus est ei liber quintus, ad manum tractabilis, factaque est ipsa sapientia palpabilis, ut in omnibus justificetur sapientia a filiis suis, et vincat, cum judicatur. Verbum enim caro factum est, et habitavit in nobis. *Quod audivimus*, inquit Apostolus, *et vidimus*, *et manus nostræ tractaverunt*, *de verbo vitæ*, etc. (*I Joan.* I). Quid ultra debuit facere, et non fecit? Ipsum, fratres mei, verum Verbum caro factum, ipse Dominus Jesus, ipse unus magister noster Christus, etiam nobis liber fit. Ipsum hominem ideo gessit, ut quomodo gerendus esset, edoceret. Ipsum sanctum Verbum, quod beati oculi apostolorum viderunt in carne, manu tractaverunt, hodie est nobiscum, visibile in littera, in sacramento tractabile. Si autem in carne recessit, sed littera mansit. Nam ut compleretur, quod prædixit Videns : *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, et faciam non avolare ultra doctorem tuum a te* (*Isai.* XXX), sextum nobis librum, id est sanctum Evangelium benignus indulsit, ut sit quasi visibilis Verbi præsens corpus, sancti Evangelii textus.

Videamus itaque quid in hac sexti libri lectione per hoc exterius miraculorum locutum sit nobis exterius Dei Verbum; nam ipsum opus Verbi verbum est. Videamus eum in opere ejus, tanquam in corpore ejus; ipsum etenim opus, quoddam velamen est. Sunt igitur, quod ad præsens occurrit, nuptiarum tres differentiæ. Prima exterior, secunda interior, tertia superior. Prima extra, secunda intus, tertia intima. Prima inter homines, secunda in hominibus, tertia super homines. Prima inter carnem et carnem, secunda inter carnem et spiritum, tertia inter spiritum et Deum. Prima de diversis facit unum, ut jam non sint, inquit, *duo, sed una caro* (*Matth.* XIX). Secunda de contrariis magis unum; nam anima rationalis et caro contrariæ naturæ, sed una persona. Tertia de incomparabilibus maxime unum; nam qui adhæret Deo, unus spiritus est. In primis caro adhærens carni, una efficitur caro; in secundis caro adhærens spiritui, vel spiritus carni; nec una caro, nec unus spiritus, sed unus efficitur homo; in tertiis spiritus adhærens Deo, unum efficitur cum ipso, et quod est

ipse. Unde ad Patrem pro fratribus Filius sic loquitur: *Volo, Pater, ut, sicut ego et tu unum sumus, ita et isti sint unum nobiscum* (*Joan.* XVII). O unum ante omnia, unum super omnia, unum post omnia, unum a quo omnia, unum propter quod omnia! Valde unum, ubi duo in carne una jam non duo, sed caro una; magis unum, ubi duo in homine uno jam non duo, sed persona una; maxime unum, ubi in Deo adhærens illi spiritus jam non duo, sed unum. Primum igitur unum generat ad esse, secundum specificat in esse, tertium perpetuat et glorificat ipsum esse. In primo initiatur homo, in secundo formatur, in tertio consummatur. In primo enim fit, in secundo subsistit, ad tertium naturaliter tendit; propter quod primo fit, et secundo subsistit. Ab hominibus fit homo ad Deum. B Sed ut pervenire possit aliquando per gratiam quo semper tendit per naturam, factæ sunt quædam mysteriales nuptiæ inter secundas et tertias: a primis longe remotæ, Verbi scilicet et carnis, Christi et Ecclesiæ. Longe ab anima Deus aberat, sed sine Deo bene ei esse non poterat, nec legitime fecundari. *Peccata nostra*, ait prophetes, *prohibuerunt bonum*, id est Deum *a nobis, et diviserunt inter nos et Deum*, tanquam inter mulierem et virum (*Jer.* V). Unde et subintravit mœchus et oppressor, de quo concepit dolorem, et peperit iniquitatem. Inventus est ergo, non a nobis, sed a Deo nobis, qui manum poneret in ambobus; utrumque in se conjungens, tertium excludens, coangustans stra- C tum, ita ut adulter decidat; et abbrevians pallium, ut duos operire non possit. Abstulit igitur medium parietem peccati, per quem adulter irrepserat, et fecit utraque unum; reconcilians in semetipso mulierem viro, hominem Deo: inimicitias vero veteres tollens de medio, cruci affixit.

Hoc est, dilectissimi, sacramentum Mediatoris, qui, ut congrue intercederet, de utroque subsistit; ut sufficienter, id est totum toti reconciliaret, totum attulit quod Dei est; totum assumpsit quod est hominis, ut fideliter compleret, tertii nihil admiscuit. Nihil enim est, nisi Deus et homo, sed hoc totum. Per ipsum ergo solum mulier quæ dimissa D a viro fornicata est cum amatoribus multis, accessum habet, et licentiam supra legem, per gratiam revertendi ad virum. Sicut olim per prophetam præmissum est: *Tu autem*, inquit, *fornicata es cum amatoribus multis; et tamen revertere ad me*, *dicit Dominus* (*Jer.* III). Hæ sunt, quas mysteriales diximus nuptias, post secundas et tertias confœderandas, inter secundas et tertias jam collocandas, ut videlicet primæ sint carnis et carnis, secundæ spiritus et carnis, tertiæ Verbi et hominis, quartæ Dei et mentis. Primæ historiales, secundæ morales, tertiæ allegoricæ, quartæ anagogicæ. Per primas Jesus nec venit, nec transitum fecit, quia nec per eas genitus, nec per eas generans; sed vocatus venit ad eas, quas præsentia sui conse-

A crans, virtuteque mirabili contra calumniatores nuptiarum defendens: maxime in quibus erat, et propter quas venerat, mystice significabat: in secundis etenim et tertiis jam erat, in carne et anima et verbo, tribus substantiis, duabus naturis, una persona Deus et homo. Propter quartas venerat: quas etiam jam in se omnibus hominibus excellentius habebat. Nulla etenim, quam illa sancta anima, humilius Deo obedivit, plenius se subdidit, firmius adhæsit. Homo in sua dualitate divisus, et sine Deo; Deus in sua trinitate trinus, et sine homine; quia ibi, nisi dualitas, nihil erat, non fuit qui duellum sedaret; quia ibi sola Trinitas erat, non fuit qui pacem turbaret. Ibi in trinitate quartus non admittitur, ne pax turbetur, hic in nostra dualitate tertius non invenitur, ut duellum sedetur. Ibi a Trinitate nullus dimittitur, ne per dualitatem duellum inchoetur; hic nisi tertius intercesserit, duellum non finietur. Opus erat, fratres mei, ut cernitis, magno consilio, quo cœlum gloriam suæ pacis non perderet, et misera terra pacem aliquando inveniret. Missus est itaque, non tamen dimissus magni consilii et fortis auxilii angelus, de tribus tertius in Trinitate filius, in cujus salutifero ortu, nec cœlestia turbata, sed terrena ad pacem vocata: multitudo millium angelorum hymnizat dicens, *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax* (*Luc.* II). O magnum et admirabile consilium, ut in Deo æterna trinitas non minuatur, et in homine nova Trinitas oriatur, per quam a naturali et intestina pugna ad inexpertam et imperturbabilem pacem ascendatur! O magnum et vere divinum consilium, quod sic omnia temperavit, ut in hominem veniens Deus necessariam faceret trinitatem, et in Deum migrans homo, superfluam non faceret quaternitatem! Ideo nimirum, ut diximus, quia una persona Dei Filius et hominis filius in tribus substantiis et duabus subsistit naturis: in æterna Trinitate divina, Pater, Filius, Spiritus sanctus, unus Deus. In nova hominis trinitate, caro, anima, verbum, unus homo. Ibi tres personæ, una substantia: hic tres substantiæ, una persona. Ibi naturalis unitas, diversitas personalis. Ibi totæ tres personæ coæternæ et coæquales; hic totæ tres substantiæ diversæ et inæquales. Ibi tandem nihil majus et minus: hic gradatim ascendendo et descendendo, aliud alio majus et minus; ut et tu per gradus ascendas de minori semper ad majus, de carne ad Spiritum, de spiritu ad Deum; de secundis nuptiis, in quas venisti per primas, per mediatrices tertias, et in ter scalares, ascendas ad quartas. De Adam qui per concupiscentiam generatus carnaliter, ad Christum qui per gratiam spiritualiter regenerat; et per ipsum ad Patrem, qui regeneratum tanquam Filium feliciter hæredat; de vetustate per novitatem ad æternitatem. De vanitate per veritatem ad virtutem, de devio per viam ad vitam. Meminisse debetis, dilectissimi, in zelo transmigrationis fieri has nuptias ad quas vocati

estis cum Jesu, si discipuli ejus estis. *Vocatus est*, inquit, *Jesus et discipuli ejus, ad nuptias* (*Joan.* II). Sed dum detinuimus sermone diem, hora fere præteriit, ut sine difficultate pensum laboris manuum jam solvere non possimus. Ideo accelerandum est modo, ut cum serotino labore, modicum quod restat sermonis tanquam cum pane hordeaceo buccellam piscis gustemus, præstante nobis verbum Domino Jesu Christo Dei Verbo. Amen.

SERMO X.

IN EODEM FESTO II

Vocatus est Jesus et discipuli ejus ad nuptias (*Joan.* II). Quoniam ut diximus in zelo transmigrationis factæ sunt nuptiæ istæ, dici etiam a nobis debuit quod supra audistis, id est unde, qua et quo nobis migrandum sit, ut unde cecidimus illuc revertamur, et ubi cecidimus ibi innitamur, ut inde surgamus. Migrandum vero quasi pedibus duobus, sensu et affectu. Altero de littera ad spiritum, altero de vitio ad virtutem. Quinimo et transmigrandum, frater; ut semper de sensu in sensum, et de virtute in virtutem migres, usque dum perfecta cognitione cernas quem diligit anima tua : et quasi quibusdam brachiis plenæ dilectionis amplectaris, quem cernis : et propter cognitionem exsultabundus et admirans dicas : *Talis est dilectus meus* (*Cant.* V), et propter dilectionem subjungas : *Et ipse est amicus meus;* et illud : *Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi; inter ubera mea commorabitur* (*Cant.* VI). Hæc est via transmigrationis, quam non tepide, non trepide, non tarde, sed dilatato corde cum zelo et fervore, inenarrabili dulcedine percurras, et quo feret impetus spiritus, semper rapiatis. Attende quo zelo transmigravit, infra se Dei Filius, quoniam supra non potuit : usque ad te, quia nec infra debuit : et totum pro te, ut ad has nuptias perveniret. Hoc ergo in vobis sentite, fratres, quod et in Christo Jesu, quærentes et intelligentes, unde, quare, et quousque exinanivit semetipsum a forma Dei ad similitudinem carnis peccati. Sed quare? Non utique timore damni, nec cupiditate lucri, sed solum sola dilectione nostri; ut nos gradu contra gradum non timore pœnæ, ut servi; nec cupiditate regni, ut mercenarii, sed sola dilectione Dei, ut filii, exeamus, et migremus a fovea peccati : in quam descendere non potuit, nec debuit; et occurramus ei in similitudinem carnis peccati, ut ibi misericordia et veritas obvient sibi, justitia et pax osculentur. Transmigremus ad formam Dei a fovea peccati, per similitudinem carnis peccati, ad Dominum a peccato per pœnitentiam, ubique nos sensu et virtute adimplentes, usque ad plenam, ut diximus, cognitionem, id est sapientiam; et plenam dilectionem, id est charitatem, tanquam ad supremos angelo cherubim et seraphim sicut ipse exinanivit se usque ad stultitiam et infirmitatem. Placuit enim illi per stultitiam prædicationis, et infirmitatem

A passionis, salvos facere credentes, tanquam inebriare ad nuptias bibentes. Ipsa enim stultitia sive infirmitas, fortasse aqua est, quam tamen in vinum, id est in sapientiam virtutemque convertit; dum quod stultum est Dei, sapientius invenitur hominibus; et quod infirmum, fortius agnoscitur (*I Cor.* I). Non potuit, inquit, mundus per sapientiam, quoniam ei vinum defecerat, cognoscere Deum : ideo placuit ei per stultitiam, id est per aquam potare convivas : quam tamen prius convertit in vinum, id est in sapientiam mutavit.

Vinum, inquit, optimum; et vere. In cujus comparatione ac laude reprehenditur primum, id est sapientia sæculi hujus, quam stultam fecit sapientia Dei; sapientia videlicet philosophorum, quæ in

B semetipsa defecit. Diminutæ sunt enim veritates a filiis hominum : unde et vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum, magister ad discipulum. Absoluti sunt juncti petræ, id est Christo, philosophi gentium. Ubi sapiens, ubi scriba, ubi inquisitor hujus sæculi? Comprehensi sunt sapientes in astutia sua : turbati sunt, et moti sunt, sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est, potatumque vinum defecit. Bonum etiam tibi est, frater, ac utile, ut tuum tibi vinum deficiat, nec sequaris tuum sensum. Vasa tua faciat Jesus primum aqua repleri : quam postea tibi in vinum vertat. Audi doctorem gentium, audi de ministris unum, qui sciunt, unde sit, et quo modo factum sit bonum vinum. *Si quis*, inquit, *videtur inter vos*

C *sapiens esse*, id est vinum habere, evacuetur bene, ut impleatur optime, id est *stultus fiat, ut sit sapiens* (*I Cor.* III); evacuetur arrogantia, quia *qui se existimat scire, nondum novit quomodo oporteat eum scire* (*I Cor.* VIII). Imo væ illis, qui sapientes sunt in oculis suis. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Impleatur aqua, id est cognoscat fatuitatem et infirmitatem suam; et sic sibi, quod est, appareat, ut quod nondum est, citius fiat. Aquam recipiat, ut vinum bibat; a se, id est a suo sensu, et propria voluntate deficiat, ut in sapientia et charitate per virtutem obedientiæ proficiat. In hunc sensum, fratres, dictum intelligimus : *Auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum re-*

D *vertentur* (*Psal.* CIII), ut qui ibi pulvis, hic aqua : quod ibi suus spiritus, hic vinum prius : quod ibi spiritus Dei, hic vinum Christi. *Emitte*, inquit, *spiritum tuum (ibid.)*, quasi porrige vinum tuum, et in novum hominem creabuntur : quasi inebriabuntur. *Et erat mater Jesu ibi;* utique quæ filio suo suggessit, suggerendo intercessit. Obtinuit miraculum, nec ignoravit mysterium. Nam cum respondit filius : *Quid mihi et tibi, mulier;* ac si diceret : De virtutibus mihi et Patri, de infirmitatibus mihi et matri : totum intelligens, ministros præmonet, ut obediant in omnibus, quæ dixerit Jesus. Multi sapientes sæculi hujus de anima et Deo per multa tractantes, de creatione ejus ab ipso, de purgatione ipsius per eum, de beatitudine ejus in ipso, defe-

cerunt scrutantes scrutinio, utpote qui sine Jesu paranymphi esse præsumpserant, quasi Jesum ad nuptias non vocabant, et ideo a veritate longe errabant. *Habitare*, inquit Apostolus, *Christum per fidem in cordibus vestris* (*Ephes.* III). Sed unde nobis hic Jesus, id est hæc fides, et quæ mater ejus, quæ eam nobis peperit? quæ præcesserunt merita? Redeamus ad Apostolum : audiamus discipulum, qui mysterialibus nuptiis altissime interfuit. *Gratia*, inquit, *salvati estis per fidem* (*Ephes.* II).

Hæc est igitur mater, quæ parit intus in cordibus nostris Jesum; gratia, quæ prævenit indignum; profundum, quod non videtur; unde omnis nascitur et surgit longitudo, latitudo, et altitudo, quæ videtur. Huic quasi respondet justitia : *Quid mihi et tibi, mulier*, id est pia, et affectuosa, et charitate plena? Obaudit tamen misericordiæ. Quod totum paucis complexus Apostolus, ait : *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos; ea secundum suam misericordiam salvos nos fecit* (*Tit.* III). Erat ergo mater gratia ibi, per quam fides creatur, quæ prima est virtutum, et excitatur ad operationem per dilectionem : ne sit otiosus justus, et non credant in eum discipuli. Sed quinam isti discipuli, qui sequuntur Jesum, nisi virtute aliæ, quæ sequuntur fidem, quæ obediunt fidei, sine qua nihil valent? Speciem habere possunt, veritatem sine fide habere non possunt. Sine fide enim impossibile est eas placere Deo : imo omne quod ex fide non est, peccatum est. Sex autem hydriæ duræ et frigidæ, quid sibi volunt? Talia fortassis erant hominum opera. Nam senarius operationem, sicut septenarius requiem ab opere, et octonarius resurrectionem post opus omne significat. Latriæ ergo gentium, quibus dæmones honorabant, et traditiones Judæorum, quibus se purificabant, infatuatæ sunt a fide, tanquam aqua repletæ, dum in illis inutilis et insipida vanitas deprehensa, et in hac utilis sapidaque inventa est veritas. Ita enim docendi se habet officium, ut prius de insipientia repellat perversos, deinde ad sapientiam erudiat conversos. Audi hoc totum in Apostolo. *Circumcisio*, inquit, *nihil est* (*I Cor.* VII), ac si diceret, aqua est, *et præputium nihil* (*ibid.*).

His duobus verbis omnem latriam gentium, ritusque carnales Judæorum complectens, et aqua, id est inutilitate ac stultitia replens, tandem in vinum mutavit, dicens : *Sed observatio mandatorum Dei*. Sub hoc typo carnale Sabbatum solvit Jesus, et discipuli non lotis manibus manducant (*Matth.* XV), omnia ad sensum spiritualem trahentes, et aquam in vinum vertentes. Unde et Petrus interrogans quæ sit parabola, audit : *Nunquid et vos sine intellectu estis?* (*ibid.*) Capiunt hydriæ metictas binas vel ternas, dum ethnici in sacris suis physicum et ethnicum sensum interpretantes, et nos in Judaicis litteris super historiam, ac moralem, etiam allegoricum, et quandoque anagogicum intellectum rimamur. Sapiens ille Salomon omnium rerum sermonumque prolixitatem quasi in angustissimum vini cadum coarctans, ait consonans Paulo : *Deum time, et mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo* (*Eccle.* XII). Nam et ipse timor fortassis est aqua. Qui enim a præsumptione sua deficit, facile stultitiam ac infirmitatem suam agnoscens, timere incipit, et ad sapientiam proficit; nam initium sapientiæ timor Domini. Sapientia vero charitatem perficit : quæ timorem foras mittit, et aquam in vinum vertit. Timor autem duplex, sive triplex intelligitur, dum a gloria propter culpam timemus incidere in pœnam. Potest item pœnitentia ab operibus mortuis (nam senarius opera significat) jure aqua accipi, sicut regnum Dei vinum. Unde initium prædicationis Jesu, tanquam initium signorum ejus, fuit : *Agite pœnitentiam; appropinquavit enim regnum cœlorum* (*Matth.* IV). Pœnitentia quoque ipsa duplex, triplexve notatur, id est contritione cordis, confessione oris, et, si licet, satisfactione operis. Ministri, qui implent peccatorem vel cognitione sui, vel timore Dei, vel pœnitudine mali, angeli, apostoli, prædicatores accipiuntur, qui sacramenti conscii, ubi, et quando Jesus jubet, hauriunt, et cui jubet, deferunt. *Ut gustavit architriclinus*, etc. Erubescant qui primi sedent, et postremi bibunt. Eis debet offerri, ut prægustent ac probent. Sed priori vino crapulati, adhuc conquiniscunt, spiritualium magistri electi, negotiatores sæcularium effecti. Euntes pene ad interiora deserti, oves non minant, sed cogunt; sibi nequam, aliis propitii; sua corpora, aliorum animas curantes, digni, de quibus dicatur : *Quæ dicunt, facite; quæ faciunt, nolite facere* (*Matth.* XXIII). Ita, fratres mei, de congregatione, ubi sæcularia tractat, aliena curat, mihi visum est, dum ad ordinem subditos cogit, quasi conspexerim formosi corporis hominem capite deorsum gradientem. Utinam de alieno servo judicando os aliquando supprimamus, quod omnino forsitan continuisse expedisset. Triclinii iste princeps a nobis liberum hominis arbitrium intelligitur, cui fides primum offertur, cui soli de contemptu vel obedientia judicium est cum Deo, quod toti animæ præsidet : quæ triplex est, propter rationabilitatem, irascibilitatem, et concupiscibilitatem.

SERMO XI.

IN DOMINICA III POST EPIPHANIAM I.

Cum descendisset Jesus de monte, etc. (*Matth.* VIII.) Cœlum mons est, terra vallis. Deus mons est, homo vallis. Forma Dei mons est, et forma servi vallis. Cum ergo descendisset de cœlo in terram Deus in forma Dei, exinanitus est in formam servi, et habitu inventus ut homo. Sequi cum jam non poterant turbæ, quæ eum exspectabant : quæ sine ipso quo vadit ipse, ire non poterant. Quo tamen eos ducit? Primum quidem ad sanandum leprosum, quod fortassis ipsi erant, et nesciebant. Prima ægroti incommoditas est sanitatem non habere; secunda, infirmitatem nescire; tertia, medicinam

non quærere; quarta, oblatam negligere. Ideo sapiens medicus, et benignus Deus eo ducit, ubi docet, ubi occurrat vir videns infirmitatem suam, ac ob hoc quærens sanitatem, confitens potestatem, deprecans voluntatem, quatenus ex eo quod foris turba conspicit, erudiatur, et videntem infirmum infirmior cæcus sequatur. Dicit Apostolus : *Abrahæ factas promissiones, et semini ejus ; ideo et Christum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum ; gentes autem super misericordia honorare Deum* (*Rom.* xv). Ego igitur in turba, quæ exspectat ac sequitur; et leproso, qui occurrit ac mundatur, has duas gentes intelligo : circumcisionem videlicet, quæ exspectans corporalem præsentiam prius vidit, et præputium, quod beneficium et gratiam, post occurrens, prædicationi apostolorum facile credens, lepram veraciter confitens, medicum humiliter deprecans, prius accipere meruit. Nondum enim de sequente turba quemquam sanaverat. Sed quid est quod sequitur turba? Sicut observabant eum Pharisæi, sed ut reprehenderent, interrogabant, non ut discerent, sed ut caperent in sermone; quærebant, non ut servarent, sed ut perderent : sic nimirum circumcisio sequebatur, non ut assequeretur, sed ut persequeretur, non ut apprehenderet, sed ut deprehenderet. Nam qui ex ea peccata retegentes, majestatem adorantes, bonitatem postulantes, ei occurrerunt, leproso huic mystice adnumerantur. Sicut olim ad æmulationem gentibus, unius Dei cultum circumcisio præferebat, sic postea ad divinæ Trinitatis fidem provocandis Judæis gentilitas præposita est, quod et hodie cernere est, fiuntque novissimi primi, et primi novissimi, magistri discipuli, discipuli magistri ; qui non videbant vident; qui videbant, cæci facti sunt.

Quod quærebat Israel, non est consecutus, imo persecutus : electio consecuta est. Regiones ejus coram eo alieni quotidie devorant, et deserta litteræ in ubertatem spiritualis intelligentiæ versa advenæ comedunt. Ablatum est ab iis regnum Dei, et datum genti facienti fructum ejus. Coram male sanis bene infirmus sanatur, agnoscensque peccatum suum dicit prius, ut justificetur. Justus enim imprimis accusator est sui, id est in principio justificationis suæ accusat se, id est accusando incipit esse justus. Prima enim pars justitiæ peccatoris est delicti accusatio, secunda correctio, tertia observatio. *Et ero*, inquit, *immaculatus cum eo, et observabo me ab iniquitate mea* (*Psal.* xvii). Ideo veniens leprosus, prius dicit : *Domine, si vis, potes me mundare* (*Matth.* viii). Duo confitetur, suam immunditiam, Domini potentiam; tertium implorat, id est beneficentiam. Laudans invocat Dominum, ideo a lepra sanus dimittitur. Laudans potentiam, invocat gratiam : quæ duabus primis confessionibus, id est delicti et laudis, omnino deesse non potest. Omnis enim qui sic invocat nomen Domini, salvus erit, et audiet : *Volo, mundare*. Unde beatus
A propheta. *Laudans*, inquit, *invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero* (*Psal.* xvii). Tactus a Jesu, mundatur; sed ne mundum se dicat, a mundatore prohibetur; donec sacerdoti se ostenderit, munusque legale obtulerit. Quid sibi fratres, volunt ista? A Christo mundatus poterit Christi laudes tacere? Laudavit potentiam inexpertus, gratiam tacebit expertus? A Christo mundatus, sacerdote indiget fortassis immundo, aut otiosa (quod absit!) præcipit, aut mysteria loquitur. Duo sunt, quæ soli Deo conveniunt : honor confessionis, et potestas remissionis. Exhibenda est a nobis illi confessio; exspectanda ab illo nobis remissio. Solius enim Dei est, peccata dimittere : et ideo illi confitendum est. Sed cum desponsasset sibi infirmam omnipo-
B tens, humilem excelsus, ancillam fecit reginam : quæ retro erat sub pedibus, assumpsit ad latus. De latere enim ejus exiit, unde eam sibi subarrhavit. Et sicut Patris omnia, Filii sunt; et quæ Filii, Patris : cum sint naturaliter unum : sic omnia sua dedit sponsus sponsæ, et omnia sponsæ communicavit sibi sponsus : quam cum semetipso et Patre fecit etiam unum. *Volo*, inquit Filius Patri, pro sponsa interpellans, *ut, sicut ego et tu unum sumus, ita et isti unum sint nobiscum* (*Psal.* vi).

Sponsus itaque cum Patre unum, cum Sponsa unus quod in Sponsa reperit alienum, abstulit, affigens cruci, ubi peccata ejus pertulit super lignum, abstulitque per lignum. Quod naturale ac proprium, assumpsit et induit; quod ipsius sui proprium ac divinum,
C contulit. Abstulit enim diabolicum, assumpsit humanum, contulit divinum, ut omnia Sponsæ sint Sponsi ; propter quod dicat : qui peccatum non fecit, nec in ejus ore inventus est dolus : *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum*, etc. (*Matth.* viii), ut qui ejus habet infirmitatem, habeat et planctum, sintque omnia Sponsi Sponsæ. Unde honor confessionis, et potestas remissionis : propter quod dici debeat : *Vade, ostende te sacerdoti* (*Luc.* v). Neque enim minus sunt solius Christi, si Ecclesiæ; sed non sunt totius Christi, si non Ecclesiæ : sicut nec minus solius Dei, si Christi, sed nec totius, ut ita dixerim, Dei, si non Christi. Nemini ergo dicat sanatum se peccator, cum intus gemuerit, ubi solus, sed non totus Christus dimittit : si ostendere
D se sacerdoti, cui dispensatio credita est remissionis, et ob hoc honor debetur confessionis, contempserit : nam si non dixerit, lepra redit; immundiorque jam merito dicitur, a quo mundator contemnitur : qui sub hac conditione mundavit, ut mundum se leprosus nullo modo diceret, nisi sacerdoti se ostenderet, et munus offerret. Sicut enim dimissa non dimittenti redeunt, sic condonata intus foris confiteri contemnenti nihil prosunt. Sicut qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum : sic qui contemnit Sponsam, inhonorat Sponsum, qui suscepit illam : et qui Sponsum, id est Filium contemnit, utique et Patrem contemnit, ac Spiritum sanctum offendit : sine quo nec Pater, nec Fi-

lius, nec Ecclesia peccata dimittit. Habet suas sibi A regulas misericordia omnipotens, secundum quas donat et condonat. *Date*, inquit, *et dabitur vobis* (*Luc.* VI); alioqui et quod datum habetis, auferetur a vobis. Similiter *dimittite, et dimittemini* (*ibid.*) : alioqui dimissa vobis cum ira repetentur a vobis usque ad novissimum quadrantem. Juxta has regulas etiam non immerito accipitur. *Ecce sanus factus es; jam noli amplius peccare, ne deterius tibi contingat* (*Joan.* V). Et illud : *Nec ego te condemnabo : jam amplius noli peccare* (*Joan.* VIII). Istud quoque, quod versatur in manibus, *Volo, mundare : vade, ostende te sacerdoti*, etc. (*Luc.* V), ut quod sæpe dicitur, etiam ubi non dicitur, semper subintelligatur.

Nihil ergo potest Ecclesia sine Christo dimittere : nihil vult Christus sine Ecclesia dimittere. Nihil potest Ecclesia, nisi pœnitenti, id est quem Christus tetigit, dimittere; nihil vult Christus Ecclesiam contemnenti dimissum servare. Omnia per se potest Christus omnipotens, id est baptizare, Eucharistiam consecrare, ordinare, peccata dimittere, et similia : sed nihil vult humilis et fidelis Sponsus sine Sponsa. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Ego dico, sacramentum hoc magnum in Christo, et in Ecclesia. Noli caput turturis prorsus abrumpere, noli caput corpori detruncare. Non enim decollari voluit Christus, sed cruce extendi, distendi, suspendi, ut ima, summa, media, copularet. Noli ergo caput corpori subtrahere, ut nusquam sit C totus Christus : neque enim totus Christus sine Ecclesia usquam, sicut tota Ecclesia sine Christo nusquam. Totus enim et integer Christus, caput et corpus : propter quod dicit : *Nemo ascendit in cœlum, nisi Filius hominis, qui est in cœlo* (*Joan.* III). Iste est solus homo, qui peccata dimittit : qui prius tangit intus, ut operetur pœnitentiam cordis : postea mittit sacerdoti foris, ad confessionem oris : Sacerdos autem ad Deum, ut offerat munus satisfactionis. Tria enim hæc perfectam faciunt munditiam : contritio cordis, confessio oris, satisfactio operis, ut ante non liceat cuiquam dicere se mundatum. Sed video, fratres, exspectationi vestræ non satisfecisse me : qui moralem sensum, quo superædificemini fundamento, in quo positi estis avidius bi- D bitis. Geremus ergo vobis, pro facultate nobis indulta morem; sed fateor, contra nostrum morem, quem ubique mysteria magis delectant. Verumtamen, quoniam non est in sermone regnum Dei, surgamus ad laborem, qui restat hodie omnino complendus. Non enim ideo debemus vacare sermoni, ne laboremus, sed ideo aliquando temperare a labore, ut verbo Dei vacemus. Quoniam autem non sola caro, vel solus spiritus est homo, nec omnino spiritalis adhuc in spiritu vivificante, nec in solo pane, propter quem laboramus, nec in solo verbo, cui vacamus, vivere valet totus, dum adhuc ex parte vivit pecus, et ex parte angelus, donec, tota animali similitudine absumpta, æqualis fiat angelis Dei, per Christum Dominum nostrum. Amen.

SERMO XII.

IN EADEM DOMINICA III.

Cum descendisset Jesus de monte, etc. (*Matth.* VIII). Meminisse debetis, fratres, ex hoc loco illum, ubi Dominus Jesus videns turbas, ascendit in montem; quatenus spiritualibus spiritualia comparantes, in spiritu semper ascendatis : sicut beatus hortatur Apostolus : *Si spiritu vivitis, spiritu et ambulate* (*Galat.* V). Hoc enim ordo exigit, ratio exposcit, nos fere nusquam tacemus, ut qui vult esse vere spiritualis, prius sit vita, moribus, virtutibus, ut esse possit aliquando meditatione, sensu, doctrina; prius sit affectione, quam ratione. Ideo ait : *Si spiritu vivitis, spiritu et ambulate.* In montem ergo B sequuntur discipuli alacres, prompti, spiritu ferventes; descendentem inde et gravis turba præstolatur. Dominus meus Jesus omnium Salvator, omnibus omnia sic efficitur, ut humilibus humilior, excelsis superior ubique inveniatur, sic se inclinans, ut in adulterio deprehensam animam, et a dæmonibus accusatam liberet, quatenus digito scribat in terra, ipse digito Dei formatus, terra de terra, propter terram (*Joan.* VIII) : sic se erigens, ut ascendat etiam super Cherubim, et bis volet super pennas ventorum, universorum videlicet supergrediens virtutes justorum et contemplationes angelorum. Quis enim in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo in filiis Dei? Ipsum itaque et vallem in quam descendit et planum per quod cum turba graditur, montem, in quem ascendit quandoque cum omnibus discipulis, quandoque cum paucis, quandoque solus orare Patrem, intelligo. Ipse denique totum quod Deus est existens, totum quod homo permanens : nec supra se potest ascendere, ne Deum excedat : nec infra se debet descendere, ne jumentum fiat.

Ipse igitur sancta et sublimis scala quam dormiens peregrinus vidit (nam incola fortassis et vigilans minime videret) ad Deum a terra erecta, vel ad terram a Deo porrecta : quando vult per se in se, quocum nunc pauci, nunc plures, nunc hominum nemo sequi potest, ascendit; quando autem vult, ad communem turbam, ut quod capere possit, loquatur, se cohibet. Aliquando cum publicanis et peccatoribus manducat, ut homo vorax, et vini potator vocetur (*Matth.* XI). Aliquando etiam infirmos tangit, ut sanet, et non solum dicat : *Volo, mundare*. Beata, fratres charissimi, anima, quæ Dominum Jesum per omnia sequi potest, currens post odorem unguentorum suorum, quocunque ierit, sursum ascendens otio contemplationis, vacans et videns, quoniam ipse est Deus; deorsum descendens officio charitatis, ipsum sequens ad subjectionem servitutis, ad amorem paupertatis, ad patientiam famis et sitis, fatigationis, operationis, plorationis, orationis, compassionis denique, et passionis : qui venit obedire usque ad mortem, et ministrare, non ministrari; et dare, non aurum, non

argentum, sed consilium et auxilium multis, et animam pro multis. O beata Pauli anima! cui dicere fuit, Jesum per omnia sequenti : *Sive mente excedimus, Deo; sive sobrii simus, vobis* (*I Cor.* v) : cui esse cum Christo, multo magis optimum (bonum est enim ibi esse), manere tamen in carcere carnis, charitate fraternitatis non recusavit.

Hæc sit igitur vobis vitæ forma, fratres, hæc sanctæ conversationis vera est disciplina, cogitatione et aviditate in illa æterna patria conversari cum Christo; in hac ærumnosa peregrinatione nullum charitatis officium recusare pro Christo, sursum sequendo Dominum Christum ad Patrem in otio meditatione attenuari, simplificari, uniri, deorsum sequendo Christum ad fratrem actione distendi, multifariam dividi, omnibus omnia fieri; nihil vilipendere cujus Christus causa, nihil cari quod pro Christo non est; unum sitire, uni vacare (ubi Christus unus est), omnibus velle servire (ubi Christus multiplex est). Audi quam recte divisit qui se totum recte obtulit : *Sitivit in te anima mea. Quam multipliciter tibi caro mea* (*Psal.* LXII). Anima, inquit, uniformiter, caro multipliciter; anima uniformiter ad unum, caro multipliciter, unum. Id est multa propter unum. Anima sursum, caro deorsum, ut totus homo totum Christum sequatur, et de toto serviat toti. Totus enim Christus Deus et homo, totus homo anima rationalis et caro. Visitet anima contemplatione veritatis supra se speciem suam, visitet caro officio charitatis speciem suam juxta se, et neutra peccabit in se. *Visitans*, inquit Scriptura, *speciem tuam non peccabis* (*Job* v).

Si ergo videt caro etiam speciem suam per infirmitatem infra se, non abhorreat, non refugiat ab obsequela; et tactu pietatis non resiliat. Nunquam enim melius videre merebitur anima per veritatem speciem suam supra se, quam si se inclinet caro per charitatem ad suam speciem infra se. Ideo divina sapientia medicina simul et doctrina, quod solo verbo potuit, leprosum tactu curare maluit, ut tu, non quam facilius, sed quam effectuosius possis, beneficium impendas; opus pietatis impleas, nihil abhorreas, illum semper attendas, propter quem facias. Ille etenim semper pulcher est, semper mundus, semper honestus, semper dignus in omni persona, loco, opere. *Volo*, inquit *mundare*. Quid dicturi sumus, fratres, de his qui plus possunt quam volunt bene operari, cum quotidie querelas vestras et gemitus et suspiria audiamus; quod nec sursum, nec deorsum, nec ad patrem, nec ad fratrem, nec ad unum, nec ad multa, quantum vultis, potestis? *Si vis*, inquit, *potes me mundare*. Vere, dilectissimi, omnia potest Omnipotens, cui subest posse, cum velit; velle autem cum possit, non semper simul est. Multa etenim, quæ non vult, potest; qui tamen nihil invitus potest. Ideo nemo confitens lepram de potentia dubitat : sed quia non omnia vult, quæ potest; qui potest omnia, quæcunque vult, voluntatem exorat, potentiam adorat. Deo ergo seorsum ratio est voluntatis et potentiæ. Nos tamen, dum leprosum, quia potest, vult sanare, dicens : *Volo*, quem posse fatetur, ecce, *Mundare*, instruit, ne unquam a bono, quod possumus torpeamus : sed sicut ait Apostolus, *dum tempus habemus, bonum operemur ad omnes, non deficientes, tempore enim suo metemus* (*Galat.* VI). Est enim tempus seminandi et tempus metendi. Operare itaque, frater, bonum, dum potes, quod potes, cuicunque potes. Veniet enim nox, quando nec tibi nec alii, etiam si velis, poteris. Si hic dum dies est nobis, cum possis, miserum valde est non posse cum velis, sed malignum nolle, cum possis. Ideo et merito auferetur ab altero posse, cum nolit, ut quandoque nec possit nec velit, aut frustra velit cum non possit : et dabitur alteri, ut subsit posse cum velit : quando Deus in nobis perficiet plenum posse pro bona voluntate, qui nunc operatus est velle pro sua voluntate : qui prius pro sola gratia dat, quod postea juste remunerat. Itaque qui facile solo verbo potuit, dum tactu curavit, affectum docuit Dei sapientia et virtus, faciens et docens, lepram et ignorantiam fugans, Jesus Christus : qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus. Amen.

SERMO XIII.

IN DOMINICA IV POST EPIPHANIAM I.

Ascendente Jesu in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus (*Matth.* VIII). Nunc ascendentem, fratres, et nunc descendentem legimus Dominum Jesum, ipsumque totum attendentes, miramur, quo ascendat, qui Deus est altissimus, vel quo descendat hominum humillimus. Supra Deum non valet, infra hominem non debet : alterum enim impossibile, alterum indignum. Quod si materialiter de bonis tantum et totum intelligitur; mirum est, quo eat homo iste, vel unde redeat, qui ubique semper est : et cui unquam nihil abest. Quo ergo vadit, jam est; et unde redit, minime deest. Sed hæc majestatis sunt, et divinæ naturæ : quæramus autem quod sit humanitatis et gratiæ. Navicula ergo Ecclesiam signat : quæ adhuc mundi hujus mare magnum et spatiosum manibus navigat. Sed quomodo in eam potius non descendit quam ascendit? Exinanivit enim semetipsum, formam servi accipiens (*Philipp.* II) : in qua, vel per quam intravit in Ecclesiam, et in eam, vel super eam descendit, tanquam super corpus caput. Verumtamen duo sunt in quibus omnis congregationis et familiæ, privatæ quoque domus administratio et officium ordinatur; scilicet subjectio, et prælatio. Præesse autem minime quemquam decet, qui subesse non didicit præcipere, qui non obedivit. Inclinans itaque se sublimis illa majestas, cui natura est, ante omnia esse, omnibus imperare proprium : a qua omnis ordo est, et universa potestas, ut hominis sumeret naturam, gereret officium; penderet debitum sibi indebitum, quidquid non rapuit, solvit : sic in omnibus ordini morem gessit, ut in operibus, quæ mira fecit, nihil mirabilius ad miraculum, nihil

clarius ad documentum sit ipsa sua sancta conversatione, qua inter homines homo vixit. Hinc est quod expaventi venerando Baptistæ, clamantique : *Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me?* respondit : *Sine modo* (*Matth.* III), id est adhuc exspecta, noli ordinem turbare : ita enim, id est ordinem sequentes, et ab humilitate inchoantes, *decet nos implere omnem justitiam.*

In his enim, quos supra diximus, gradibus, omnis officii justitia tenetur, exercetur, impletur, id est subjectione, et prælatione. Præcedit ordine, et obedit subjectione, neque unquam ad prælationem accedit sua præsumptione, sed alterius ordinata vocatione. Ait enim beatus Apostolus : *Nemo sibi sumit honorem, sed vocatus a Deo, tanquam Aaron* (*Hebr.* v). Unde et Dominus Jesus, primo officii gradu subjectus cum populo, inter populum venit ad baptismum, nec ascendere ad secundum, id est prælationis officium sua assumptione voluit, sed electus et constitutus a Deo : sicut beatus ad Hebræos scribens Apostolus asseverat, attestante illi Patre, ac promovente, ac dicente : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (*Matth.* III) tempore et officio subjectionis. Ipsum amodo audite, qui obaudire didicit. Qui hucusque siluit, amodo loquatur. Loqui enim decet eum qui silere novit. Ipse Doctor audiatur, qui quod doceat, audivit. Dignus est præesse, qui non dedignatus est subesse. Audiat aliquando, *Amice, ascende superius* (*Luc.* XIV), qui triginta annis novissimo loco recubuit. Hæc pro eo quod dictus est Jesus ascendisse in naviculam. Sequitur:

Secuti sunt eum discipuli ejus. Quisnam discipulorum non est hanc magistri formam secutus? quis sibi sumpsit honorem? quis se fecit apostolum, quis evangelistam? Quis prædicavit, nisi missus? *Quosdam*, inquit, *dedit apostolos, alios evangelistas*, etc. (*Ephes.* IV.) Hinc est quod audiunt *Nescitis, quid petatis* (*Matth.* XX). Sequuntur, fratres, hodieque discipuli, infra recumbentes, donec vocentur superius : nam qui se ingerunt, et sibi sumunt honorem, non ejus discipuli sunt, nec eum sequuntur; nec mittuntur ab eo, sed ante eum veniunt, qui ambitione acti suam vocationem præveniunt, et ideo fures et latrones ab ipso nominati sunt. Quid, rogo, insulsius ab homine petitur, aut præsumitur, aut affectatur, quam ut unus omnibus, solus multis præponatur? Quid aliud dixit insipiens angelus, in corde suo dicens : *Ascendam super altitudinem nubium, et super astra cœli*, id est angelos compares, *locabo solium meum?* (*Isai.* XIV.) Id ergo affectans animus, utique aut superbit, aut insanit. Nam si in oculis suis sapientiorem et digniorem cæteris seipsum judicat, superbit, et semet de se excæcavit. Quomodo enim non cæcus erit, qui se grossum et inflatum in oculis suis gerit? Semper enim superbia mentem, sicut oculum macula, ubi nascitur, excæcat. Hinc ergo est quod nemo superbus superbum se credat, nec agnoscere se queat, cum videre se omnino non valeat. Sin autem minus idoneum se credens, tamen affectat, nonne manifeste insanit? Sequitur :

Et factus est motus magnus in mari. Ventus contrarius aquilo est, ventus urens, a quo panditur omne malum : quem increpans illa quæ ejus furorem præsenserat, ait : *Surge, Aquilo, veni, Auster, et perfla hortum meum, ut fluant aromata illius* (*Cant.* IV). Ventus itaque contrarius, diabolus est, et Satanas qui conturbat profundum maris, id est filios sæculi hujus suscitat et crebris perturbationum impulsionibus Ecclesiæ naufragium intentat, ita ut in fortitudine ejus etiam montes conturbet, propter tribulationes, quæ invenerunt eos nimis. Sed ubi, rogo, est illa virtus, quam secuti sunt in navim : de qua præsumentes dicebant : *Non timebimus, dum turbabitur terra, et transferentur montes in cor maris?* (*Psal.* XLV.) Ecce jam sonuerunt, et turbatæ sunt aquæ eorum, id est montium marinorum. Et certe conturbati sunt montes Ecclesiæ, montes naviculæ, in fortitudine et rabie procellæ. Quare conturbantur? quare timent? Utique quia dormit virtus et securitas eorum. Quomodo non regnaret timor, ubi fortitudo dormit? Vigilet itaque ventus, dum dormit Christus. Vigilet maris rabies, dum dormit Christi fides. Vigilet denique timor, dum dormit Christi virtus ut tandem timidi, et modicæ sopitæque fidei ad eum refugiant, ad quem fortitudinem suam custodisse debuerant, ne timerent, dicantque : *Deus refugium nostrum et virtus, adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis* (*ibid.*). Salva nos vigilans, quo dormiente perimus. Prima discipulorum industria esset, non sivisse obdormire magistrum, secunda vel excitare dormientem. Id virtus, hoc refugium; id fervoris, illud timoris. Vigilantem studium servat, dormientem necessitas excitat. Felix tamen necessitas, quæ cogit ad virtutem! Prima siquidem est virtus fortitudo, ne quis timeat : secunda consilium et auxilium quærere, ne pereat.

Itaque, fratres, quotiescunque in nos persecutio sævit, exemplo sanctorum apostolorum confugiamus ad Christum. Excitemus fidem Christi in nobis; et memoriam passionis ipsius, tanquam dormitionis : nam et ipsam forsan non incongrue dormitio ista significat. Qui in nobis infirmi et timidi sumus, aut male audaces : in ipso exemplum patientiæ invenimus, ab ipso virtutem sustinentiæ recipiemus, formam constantiæ discemus, sine quo nihil unquam poterimus, et in quo omnia potentes erimus, sicut beatus ait Apostolus : *Omnia possum in eo, qui me confortat* (*Philip.* IV). Palpebræ ejus interrogant nos; claudit oculos, furit mare, sæva sunt omnia et dura. Ne frangamur, aperit oculos, quieta sunt omnia, prospera navigatio, ne extollamur, secura sunt omnia, pax undique, ne acediemur, in adversis speremus prospera, in prosperis formidemus adversa. Omnia enim transmutantur, et vicissitudinem habent. Sapientis igitur est, in

adversis minus, et in prosperis magis timere; in neutro autem acediari aut dormitare; ne in altero desperet, aut in altero evanescat. Unde, fratres, inter metum et spem positi, vigilem servemus in nobis fidem Domini nostri Jesu Christi. Amen.

SERMO XIV.

IN EODEM FESTO II.

Et cum obdormisset, factus est motus magnus (*Matth.* VIII). Quid, dilectissimi, nisi corpore dormiens, operatus est Dominus, unde discipulos quasi corde dormientes excitaret? Dormiens enim operata est virtus, producens ventos de thesauris suis, et omnino silens et dormiens locutum est Verbum, docens periculum, si magistrum silere, torpere, dormire siverint. Sapientia quidem in otio, sed non in otiositate discitur. Nihil enim illo otio negotiosius, illa vacatione operosius; ubi sapientia discitur, ubi Dei Verbum interrogatur, et auditur. Laborabat Martha, vacabat Maria (*Luc.* X), non languebat: languebat vero Lazarus, de languore mortem, de morte fetorem incurrens (*Joan.* XI). O quanti hodie ab utilitate operis foris quieti, intus desides et acediosi, necessariorum securi, fabulis et cogitationibus, quæ sunt sine intellectu intenti, Marthæ sollicitudinem perdiderunt, et Mariæ devotionem minime repererunt! Unde et in Bethania, id est obedientiæ domo, desidiæ languorem incurrerunt. O miseri! qui præsente virtute infirmi, præsente sapientia stulti, luce cæci, Verbo muti, apposito pane vitæ et intellectus, fame tabescunt de qualibus scriptum est: *Omnem escam abominata est anima eorum, et appropinquaverunt usque ad portas mortis* (*Psal.* CVI). Et sicut ibi languentem dicit Dominus in mortem venire, ut inde suscitaretur: ita hic quasi languentibus, vel tales significantibus apostolis voluit ipse dormire, ut a periclitantibus saltem excitaretur. Foris ergo obdormivit, a quo tales quasi intus jam dormierant. Quod intus erant, foris eis ostendit. Sed quoniam suavis ac subtilis in eis non capiebat eruditio, foris durius admonentur. Fiunt igitur mirabiles elationes maris, ut appareat mirabilis in altis Dominus. Tempestate dormiens erudit male securos, qui experrectus tranquillitate docet bene turbatos. Credite mihi, fratres, utrumque est sancti illius Verbi verbum, tempestas et tranquillitas: et quod dormit, et quod vigilat. Dormiens quippe tempestatis verbo detestatur acediam: quam fluctuatio cogitationum sequitur, quasi interna quædam ac intolerabilis procella: qui excitatus et vigilans mentis vigilantiam fervoremque spiritus tranquillitatis sermone commendat.

Itaque summopere vigilandum est nobis, fratres mei; eoque attentius, quo remotiorem eremum elegimus ne unquam interioris nostri hominis, cui exterior tanquam mare est, navicula verbum Dei dormiat, quod in se nunquam dormit, aut dormitat. Vigilare nobis non potest otiosus Christus; et, ut breviter dictum sit, semper aut rogari vult aliquid,

A aut interrogari; aut certe dum loquitur ipse, audiri. Nam si dum loquitur, frater, dormire cœperis illi, illico dormit et ipse tibi. Sed væ tibi, si ille dormierit tibi! Vigilat ventus, vigilat mare, vigilat tempestas, et cogitationum fluctus, milleque tentationum æstus tibi, si solus dormierit ille tibi. Ideo orans, cum Propheta dicito illi: *Illumina, Domine, oculos meos, ne unquam obdormiam in morte* (*Psal.* XII). Enimvero nisi illi dormire prius cœperis, semper tibi pervigil erit. Petrus non potuit una hora vigilare cum Christo, et ideo potuit ter negare Christum. Dormierat enim, cum illi Dominus diceret: *Vigilate, et orate, ne intretis in tentationem* (*Matth.* XXVI), tanquam animi tempestatem. Ubi sunt, qui super libros suos in claustris conquini-

B scunt, ad lectiones in oratoriis stertunt, vel ad vivam vocem sermonum in capitulis dormiunt? In his omnibus Verbum Dei loquitur, et negligitur. Magister Dominus loquitur, et homo discipulus dormit. Tria sunt, lectio, meditatio et oratio. Lectione vel sermone, qui et ipse quædam lectio est, loquitur tibi Deus: propter quod dicit: *Qui habet aures audiendi audiat* (*Luc.* VIII). Meditatione interrogas ipsum; oratione rogas. Propter quod dicit: *Petite, et accipietis; pulsate, et aperietur vobis* (*Luc.* XI). Petit autem oratio, meditatio pulsat. Noverunt quod dico, qui studio spirituali exercitatos habent pro consuetudine sensus. Talia enim animalis homo non percipit, etsi spiritalis sit vita. Est enim, quod semper

C vobis replico, ac meminisse vos volo, quis animalis sensu, et spiritalis vita, sicut est alius vita animalis, at sensu spiritalis. Tertius vero vita et sensu animalis: quartus autem utroque spiritalis. In his itaque tribus, id est lectione, meditatione, oratione, omnis est exercitatio duntaxat sensus spiritualis, et quædam conversatio mente in cœlestibus; ubi sicut Moyses in monte loquatur, audiat, et confabuletur Deo, velut proximo suo, sed solo sensu. Est enim et vitæ sua quædam seorsum ad Dominum appropinquatio. Unde: *Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis* (*Jac.* IV). Quidam ergo, ut diximus, prope sunt sensu, longe vita; alii prope vita, longe sensu; alii utroque longe; alii utroque prope Prope igitur sensu, propior vita, proximus fit utro-

D que.

Vigilemus itaque, fratres, et plurimum contra acidiæ pestem, quam immatura securitate parere solet, ut in perfectioribus quidem bonæ conscientiæ quasi jam vitiis subactis securi accubent, cum non sit, qui exterreat; in imperfectioribus vero corporalium necessitudinum, utpote quibus, aliis cuncta providentibus, de facili omnia constant. Hinc est, dilectissimi, quod sancti Patres, quorum ardua et arcta nos homines onusti ac dilatati, ne dicam incrassati, vel impinguati, ausi sumus attentare vestigia, quasi utriusque parietis, spiritalis ædificii lapidem angularem paupertatem locarunt, bifariam dividentes eam, et ad utrumque latus derivantes, id est paupertatem sensus et spiritus, quatenus qui

in utroque tenuem se viderit, utrobique circumspectus et sollicitus in neutro deses esse possit.

Èapropter, dilectissimi, et vos in hanc semotam, aridam, ac squalentem induximus solitudinem; callide quidem, ubi humiles esse potestis, divites non potestis. In hanc, inquam, solitudinem, ut in mari longe jacentem, cum orbe terrarum nihil fere commune habentem, quatenus ab omni sæculari, et fere humano solatio destituti, prorsus sileatis a mundo, quibus, præter modicam hanc insulam, omnium terrarum ultimam jam nusquam est mundus. O Domine, elongans fugi, et fugiens elongavi, ita ut ulterius quo fugiam ac elongem, omnino nesciam, tu scis. Olim desiderabundus fugæ, et sitiens solitudinis, in hanc demum appuli eremum, B vastam adeo, ac semotam: quo mihi ex quasi conjuratis ad hanc expeditionem nonnulli defecerunt, paucissimi secuti sunt: quibus etiam est horrori ipse horror solitudinis, quod et mihi, fateor, quandoque non deest. Superaccrevit etiam, Domine, super solitudinem solitudo, silentium super silentium. Nam ut tibi soli disertiores, et assuetiores simus, a nobis invicem silere cogimur. Sed et nostra, dilectissimi, plurimum interest, cum gratiarum actione et laude attendere misericordiam Dei, super quam speravimus, factam super nos: quæ nobis sua dignatione hoc exsilium nostrum sic temperavit ut orare, meditari, legere, liberum sit, laborare autem necessarium; ut non desit quod tribuamus necessitatem patienti, corpori videlicet C adhuc animali. In sudore etenim vultus nostri, potius quam mercenariorum, sive boum, debemus pane nostro vesci.

Itaque, fratres, concaptivi mei, et confugitivi mei, sicut ait propheta: *Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, et ne detis silentium ei* (*Isai.* LXII). Vigilate ei, ne vobis ille dormiat. Ego autem semper ad te, Domine, clamabo; tu autem, Deus meus, ne sileas a me, nequando taceas a me, et assimiler periclitantibus in mari; meditatione pulsatus aperi, interrogatus responde, oratus exaudi. Quod utique benignissime facies, abundeque: nisi tu loquens ab auditu nostro fueris aversatus. Auditus audis, exauditus exaudis: qui autem avertit aurem suam, D ne audiat legem tuam, hujus oratio erit exsecrabilis. Loquere ergo, Domine, quia audit servus tuus, et loquenti responde: neuter, dum uterque navigat, dormiat. Nam si dormis mihi servo tuo, mare non dormit, memoria mundi non dormit. Fluctus æstusque cogitationum non dormit, si dormis. Si tibi dormio, caro mihi non dormit. Itaque, Domine, refugium meum tandem, qui virtus prius esse poteras, ne te fugerem, singultibus meis, et gemitibus cordis, ipsaque necessitate mea, quæ nunquam silet, excitatus evigila. Surge, impera ventis, et mari; salvum me fac a pusillanimitate spiritus et tempestate, ut fiat foris et intus tranquillitas magna; videantque homines et angeli, quibus spectaculum facti sumus, et cum admiratione A dicant: *Qualis est hic, quia mare et venti obediunt ei?* Quod procul dubio, fratres, nobis fiet, si obedierimus ei qui vivit et regnat Deus in sæcula.

SERMO XV.

IN EODEM FESTO III.

Ascendente Jesu in naviculam, etc. (*Matth.* VIII).

O curiositates hominum, et rerum fragilium audax præsumptio! Quid visum est primum miseris mortalibus, ut quasi propriis terrarum angustati limitibus, æquora pervadant; fragili ligno animas suas concredentes? En præ oculis mare est; navicula, ut cernitis, fratres, jactatur fluctibus. Quid, rogo, miseris illis navigantibus inter vitam mortemque discriminat, nisi lignum, ut diximus, fragile, et hoc ipsum tenue? Sed sedeamus paululum, et consideremus hoc altius, ac ut moris nobis est, exteriora visa ad interiorem eruditionem trahamus. Jam fessi sumus, et horæ aliquid superest. Credite mihi, fratres, ut comparemus mare hoc mundo huic, mihi non videntur periculosius esse in mari quos cernitis, quam omnes homines in mundo, vel in carne. Nam ipsa caro nostra non incongrue mare dici potest. Ipsis saltem inter flatilem vitalemque aerem, et crassam lethalemque salsuginem, nonnihil tamen, licet tenue, fragile, infidum, interjacet; nobis vero inter animam et carnem omnino nihil intercedit: neque inter carnem et mundum quidquam dividit. Unde ex quo venimus in carnem hanc corruptibilem, utique venimus in mortem: non prius in ipsa concepti, quam ab ipsius voragine suscepti: non prius in vitam inducti quam in mortem submersi, non prius homines quam peccatores, non prius nati quam naufragi. Ex quo in mundum venimus, illico de mundo immundi fuimus. Sed dum in carne sumus, Deo placere non possumus; dum de mundo sumus, de regno Christi esse non valemus. Hoc naufragium præsensit beatus Propheta. Unde et fortiter clamat: *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me* (*Psal.* LXVIII). Sed dicitis: Itane omnes animæ in carne submersæ et periclitatæ sunt, universæque in mundum venientes naufragium tulerunt? Utique. Nam et hoc generali illo famosoque diluvio optime significatum habemus, ubi abyssus sicut vestimentum amictus terræ, ubi super montes universos stabant aquæ, ita ut nusquam omnino appareret arida (*Gen.* VII). Quod enim ibi per lignum paucæ animæ vitæ servatæ sunt, sicut et hic in navicula cernitis, vitalis ligni typus est, seu vivificæ crucis Christi, cujus unius objectu ac munimine pauci electi salvantur; multis vocatis, pluribus non vocatis pessumdatis.

Solo igitur et solido fidei ligno nobis inter vitam et mortem dividitur. Ipsam ergo crucem, naviculam libenter acceperim, in quam Salvator ascendit, ubi mortem a nobis, vel nos a morte discrevit: a mundo, carne, et diabolo, abstraxit, separavit, liberavit. *Ascendit*, inquit. Non invitus, non tractus, sed volens. Ascendit, voluntarie sacrificavit Patri, sacrifi-

cium et sacerdos, ipse oblatus quia voluit. Animam quando, quomodo, et quandiu voluit, posuit, qui ad propositum sibi certamen cum gaudio cucurrit. Ubi sunt murmuratores et queruli, trepidi, tepidi, tardi, et quos trahere, ac impellere necesse est, ad crucem passionemque Ordinis ac pœnitentiæ, cui adjurati sunt, et addicti? *Secuti sunt*, inquit, *eum discipuli ejus* (*Matth.* VIII). Decet enim discipulos magistrum sequi, servos dominum, patrem filios. Omnes enim quotquot volunt pie vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. Et si desit externus persecutor, crucifigendus est a discipulis Jesu homo suus exterior cum vitiis et concupiscentiis; interior quoque patibulo obedientiæ Jesu configendus, ut in omnibus omnino dicat patri spirituali humilis discipulus: Abba pater, non quod ego volo, sed quod tu vis. Et si caro infirma gravetur, turbetur anima, tristis incipiat pavere et tædere; spiritus tamen semper promptus sit, cui soli judicium est cum Deo, ut reprimat inferiora, et obedire faciat sibi, dum ipse obedit superiori. Ego hanc disciplinam professionis vestræ, et abditam eremum non immerito crucem dixerim : ubi sicut vos solitudo separat ab aliis, sic disciplina obedientiæ a vobis ipsis : quibus nihil, quod libet, licet; quibus nec substantiæ, nec corporis proprietas, nec operis, nec quietis libertas. Quid est hoc, obsecro, nisi quibusdam obedientiæ clavis alienæ jussionis rigori affigi pro Christo, crucifigi cum Christo? Jam vero quid sibi voluerit dormitio Christi in navicula, ex his quæ dicta sunt sponte occurrit. Dormire quippe in navi, in cruce est mori, juxta illud : *Ego dormivi, et soporatus sum* (*Psal.* III). Quis enim tanta facilitate, seu potestate, quando vult, aut vigilans obdormit, aut dormiens evigilat, sicut Dominus quando voluit, animam posuit, et quando voluit, iterum sumpsit? Sed ipso dormiente mare effertur ventis eruptum, et discipuli turbati naufragium timent; quo moriente exsultant et insultant Judæi dæmoniis acti; discipuli vero ferme desperant, metu subacti. Hæc in Evangelio notissima, notanda potius quam tractanda credidimus. Nam evigilatio Christi, tanquam de mortuis resurrectio, quam tranquillitatem in cordibus apostolorum primum, et postea in universa Ecclesia, subacto jam mundo, et ejus principe religato, effecerit, qui non miratur cum gaudio, is in suo stupore cum dolore mirabilis et mirandus existit.

Consideremus ergo, fratres, quantus sit iste, et quam tutum sit pro ipso ac cum ipso navigare, eique compati, ac commori, ut ea quæ desunt passionum ejus compleamus in nobis, membris videlicet ejus. Necesse est enim, omnino omnia membra compati, ubi patitur caput : totumque Christum pati, et passione consummari, et sic intrare in gloriam suam. Unde qui non compatitur, omnino non conregnabit. Cui venti et mare obediunt, quo nisi permittente, quasi obdormiente, nec interior, nec exterior, nec superior, nec inferior tentatio potest quidquam : quo increpante nequidquam. Sicut enim sacer continet Psalmus : *Dixit, et stetit spiritus procellæ; et exaltati sunt fluctus ejus : ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos*, etc. *Et statuit procellam ejus in auram, et siluerunt fluctus ejus* (*Psal.* CVI). Fidelis est enim, et non patietur suos tentari supra quam possunt ferre; sed facit cum tentatione proventum, ut si crescit tentatio, crescat virtus patientiæ, ac per hoc crescat corona, quam sola percipit perseverantia. Ideo, fratres, quotiescunque tentatio vos apprehendit, sive infirmitatis, sive paupertatis, sive durioris disciplinæ, aut prolongatioris incolatus, tædii etiam tam remotæ solitudinis, et profundi silentii, sive cujuscunque generis, quæ prorsus innumerabilia sunt, legendo, meditando, orando, excitemus nobis Christum dormientem. In exemplum crucis et passionis ipsius pro nobis intendamus, tanquam morsi a serpente repente deorsum contemplemur serpentem pendentem sursum (*Num.* XXI). Nam sicut ait beatus apostolus Petrus : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus* (*I Petr.* II). Hinc enim, dilectissimi, sumemus non solum exemplum, ut sequamur; sed et antidotum, ne moriamur; non solum animationem ad tolerantiam, sed et gratiam ad perseverantiam; non solum formam ad pugnam, sed et virtutem ad victoriam. Hic illa prudens et simplex columba nidificat in foraminibus petræ, in cavernis maceriæ. Hic turtur invenit sibi nidum, ubi ponat pullos suos, altaria tua, Domine virtutum : de quibus tam suavis odor myrrhæ et thuris ascendit, sicut scriptum est : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies* (*Psal.* L). Quod non ignorans ait quædam, quo iret, et qua iret, sciens : *Ibo mihi ad montem myrrhæ, et ad collem thuris* (*Cant.* IV). Fatigata enim in se, et ad seipsam conturbata anima, memor esse cœpit Domini Jesu, id est salutaris vultus sui, non de summo cœlo, quo ascendit ad claritatem, quam habuit, priusquam mundus fieret, apud Patrem; sed de terra Jordanis, id est ascensionis, et Hermoniim monte modico, ubi abyssus abyssum invocat, id est mortificatio nostra Christi Domini mortem, passionem passio, patientiam quoque patientia in exemplum sibi et auxilium vocat. In hunc quoque montem myrrhæ posuerat, quos sic alloquitur Paulus : *Mortificati estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (*Coloss.* III). Itaque Salvatoris nostri memores, maximeque passionis, et patientiæ ipsius, ubi maximam suam erga nos charitatem ostendit, formamque prætendit, infatigabiles simus, et stemus immobiles ad omnia tentamentorum genera, socii passionum pro ipso, ut simus et gloriæ, præstante hoc nobis eodem ipso, sine quo nihil possumus, et in quo omnia possumus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per infinita sæcula. Amen.

SERMO XVI.

IN DOMINICA SEPTUAGESIMÆ I.

Simile est regnum cœlorum homini patrifamil., etc. (*Matth.* xx). Vere, dilectissimi, multiformis est, cum sit tamen simplicissima Dei sapientia, et cum sit uniformiter una, multipliciter tamen multiplex invenitur. *Pertransibunt*, inquit propheta, *plurimi, et multiplex erit scientia* (*Dan.* xii). Ipsa nimirum est, quæ jure dicitur fons hortorum, et puteus aquarum viventium (*Cant.* iv); fons, ob inexhaustam jugitatem; puteus, ob incomprehensibilem profunditatem. Et hoc aquarum viventium, id est sensuum semper scatentium. Unde eadem parabola, vel etiam quæ evidens videtur Scriptura, ab aliis et aliis aliter atque aliter recte exponitur ac disseritur, neque tamen ab ullis funditus exhauritur, quasi totum quod inde dici potest sic dixerit prior, ut præter hoc quid dicat, nequeat invenire posterior. Quidquid enim dici de aliqua re sapienter ac veraciter potest aliquo modo, totum in æterna sapientia et veritate simul et semper omnimodis ab æterno est. Quare cum per aliquem loquitur Spiritus, qui profunda Dei non investigando, sed continendo scrutatur, de quo dictum est : *Qui continet omnia, scientiam habet vocis* (*Sap.* i), omnia quidem, quæ voce illa aliquatenus veraciter ac utiliter dici possunt, simul sentit, intelligit, intendit, eo per quem loquitur, quandoque ab ipso intellectu vacuo, quandoque uno sensu contento, nonnunquam pluribus simul illustrato, nunquam tamen omnibus repleto. Unde possibile factu sæpe est, in eadem Scriptura dissentientes, vel diversa sentientes, Spiritui sancto posse optime convenire, vel consentire, dum a fide veritatis, et ædificatione charitatis, ac subversione cupiditatis, quibus omnis oculus Scripturæ sanctæ invigilat, constiterit non dissentire. Nam et unusquilibet de eodem aliter atque aliter, alias atque alias, nec tamen alio atque alio spiritu sentit, dum utrobique, ut dictum est, veritati charitatique consentit. Neque enim veritas asserenda est contra charitatem : aut charitas tenenda est contra veritatem. Hæc ideo quasi in præfatiuncula paucis perstrinximus, ne cum secus ac alias audistis, aut penes alios legistis, aliqua nos audere noveritis, quispiam suspicetur, vel vetera nos prorsus ignorare, vel agnita temnere, vel novis propriisque inaniter gaudere. Attendenda magis ubique diligenti auditori erit ratio dicti ex causa dicendi. Non enim sancti Evangelii lectiones tam suscepimus exponere, quam accepta abinde occasione ad ædificationem fratrum, et nostram, aliquid pro tempore, loco et personis dicere, quem non sinitis vobiscum silere. Hortatur tamen Apostolus, ne ullam Dei gratiam in vacuum accipiamus (*II Cor.* vi), imo et David, ne ipsam animam, dicens : *Qui non accepit in vanum animam suam* (*Psal.* xxiii), id est intellectum rationalem. Apud Evangelium quoque omne talentum duplicatum reposcitur (*Matth.* A xxv). Filius etiam promissionis et paternos puteos coluit, ac sibi novos effodit.

Salva igitur cum debita veneratione sententia, quæ fideliter et congrue vineam istam universalem ponit Ecclesiam, ubi vitis Christus, Christiani palmites, Pater agricola, et paterfamilias, dies totum tempus, vel vita hominis, horæ mundi vel hominis singularis ætates, forum ipsius mundi cupido, ac curiosa negotiatio apte intelligitur : ego animam meam et non solum, sed etiam corpus, ac utrumque simul, id est totum me, vineam quamdam mihi non negligendam intelligo, sed fodiendam, atque exercendam, uti ne peregrinis germinibus alienisque radicibus conculcetur, aut propriis et nativis offuscetur vitulaminibus, putandam, ne silvescat; B purgandam, ut fructum plus afferat, sepiendam omnino, ne direptioni pateat his qui prætergrediuntur viam, maxime autem propter aprum de silva, et singularem ferum, ne exterminet eam; et, ut paucis dicam, summa diligentia excolendam, ne generosa propago vitis electæ degeneret, et in vitem alienam, quæ nec Deum nec homines lætificet, aut forsan utrumque contristet, convertatur; summa vigilantia custodiendam, ne res plurimum elaborata, diuque exspectata, vel clancularia subreptione, ab his qui devorant pauperem in abscondito deteratur, vel inopinata vastatione repente dispereat. Unde primo homini de paradiso, velut de vinea quadam sua, dictum est : *Ut operaretur, et custodiret illum* (*Gen.* ii). Verumtamen sicut tempus C ipsum luce ac tenebris, id est die ac nocte interpolatur, sic vita ipsa hominis temporalis, aliquando in tenebris etiam meridiano sole, aliquando in luce media nocte : et sicut non de die noctem, sed de tenebris dixit Deus lucem splendescere, ita in tenebris nascitur filius hujus sæculi, qui filius dicitur noctis et tenebrarum : et non nisi de tenebris nascitur, qui filius lucis et diei ab Apostolo dicitur : *Omnes*, inquit, *estis filii lucis et diei, et non noctis, neque tenebrarum* (*I Thess.* v). Et iterum : *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* v). Filius autem lucis dicitur lux, et filius tenebrarum tenebræ; nam ubique qualis pater, talis filius. Est igitur infidelitas nox, et fides dies : pecca- D tum nox, virtus dies. Ignorantia tenebræ, sapientia lux ; odium tenebræ, charitas lux. Diabolus tenebræ, Deus lux; Adam tenebræ, Christus lux. Mala denique conscientia, et peccati delectatio nox, et profundæ tenebræ : bona conscientia, et amor virtutis serena lux. Carnalis sensus sive vita tenebræ : spiritalis autem sensus et vita dies.

Est igitur in his quæ diximus, nox, in qua, sicut Salvator loquitur, nemo potest operari (*Joan.* ix). Quisquis enim male operatur, nocte quidem non tam operatur, quam patitur; omnis enim actio mala naturæ bonæ quædam passio est. Qui enim bono, quod naturaliter est, vel habet, abutitur, dum seipsum corrumpit, ipse corrumpitur, et dum corruptionem agit, ipsam patitur. Noctis igitur passio-

nes sunt, et tenebrarum, non operationes; diei vero lucisque operationes tantum. Unde sanctorum martyrum pro Christo passiones gesta potius dici solent, et victoriæ, mortes natalitia. Nihil enim operosius eo opere, quod incorruptionem impassibilitatemque operatur. Nihil operosius quam fortis animi constantia, uno simul ictu carnem, mundum, diabolum, sævientes blandientesque calcare. Patet igitur quam subtilis ac veridica semper sit illa veritatis assertio, nocte neminem operari posse, die tantum posse. *Me*, inquit, *oportet operari, donec dies est : veniet nox, in qua nemo poterit operari* (*ibid.*). Hoc tamen de illa nocte congrue accipitur, post quam etiam nemo poterit operari, sed semper in sempiternum solum pati. Apud inferos enim sola semper nox, et semper passio, apud superos in æterna die æterna et sola laudis atque gratiarum actio. Unde beatus psallit Propheta : *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII). Prima itaque nox est, de qua potest dies splendescere et opus sequi, tametsi non possit in ea fieri. Secunda vero nox perpetes tenebræ est, ita ut in ea nemo possit operari quia tenebræ; nemo post eam, quia perpetuæ. Non enim opus est, aut ratio, aut consilium apud inferos : quo properant filii lucis hujus, et tenebrarum illarum. Eapropter, dilectissimi, dum tempus, id est diem habemus (non hominis, sicut ait propheta: *Diem hominis non desideravi, tu scis* (*Jer.* XVII), quam hic, et beatus Job exsecratione multa, ut scitis, devovit) bonum operemur ad omnes, incipientes tamen a nobis ipsis. Nam qui sibi nequam, cui bonus? *Miserere*, inquit, *animæ tuæ, placens Deo* (*Eccli.* XXX). Qui suam vineam negligit, quomodo colet alienam? Nocte non poteramus : ecce lux gratis venit in mundum, et prævenit mundum. Nocte nati sumus, nocte educati . sed ex sputo desuper, et luto desubtus : sputo de capite, luto sub pede. Illiniti aperti sunt oculi cæci nati. Nox generalis præcessit, in qua omnes peccaverunt, sed vero illucescente sole abscessit, et tenebræ disparuerunt, ut qui ante operari non poterant, modo excusationem minime habeant, si in die operari detrectent. Si enim, ait ipsa dies, *non venissem, et locutus eis non fuissem*, id est eis non luxissem, *peccatum non haberent : nunc autem excusationem de peccato non habent* (*Joan.* XV). Quisquis accepta gratia non utitur, in die vacat, et de otiositate jure increpatur. *Posuisti*, ait Propheta, *tenebras, et facta est nox*, in qua nemo potest operari : *in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ*, contra quas sepienda, ac custodienda est vinea. *Catuli leonum rugientes, ut rapiant* (*Psal.* CIII) : propter quos exire homo ad operationem non poterat. Sed ecce ortus est sol, et lucens super terram, facit diem, ut exeat homo, qui desiit esse jumentum, ad opus suum mane, id est præveniente gratia anticipatus; et ad operationem suam sudet usque ad vesperam. Quacunque enim hora inceperit laborare, usque ad vesperam opus exigitur; nec ante vesperam merces solvitur. Perseverantia enim boni operis postrema venit, et prima accipit.

Est igitur, ut, quoniam hora præteriit, brevi dicamus : Aversio a Deo, sive sensus rationalis a veritate, sive vitæ a charitate, nox, in qua nemo valens est operari; conversio vero ad Deum per investigationem et imitationem, dies, qua exit homo ad opus suum, id est ad cognoscendum ac diligendum Deum, et delectandum in ipsius cognitione et dilectione. Propter hæc enim factus est homo ad imaginem et similitudinem Dei, ac per hæc reficitur reformaturque ad easdem, per sensum ad imaginem, per vitam ad similitudinem. Verumtamen factus ad imaginem et similitudinem, reficitur ad similitudinem et imaginem propter conformitatem vitæ reformandus ad participium naturæ. Ut cognoscat verum Deum, æterna est vita, sed ut toto corde diligat, æterna est via. Charitas ergo via, veritas vita, charitas similitudo, veritas imago, charitas meritum, veritas præmium; charitate itur, veritate statur. Unde qui mane oriebatur (*Isai.* XIV), sed usque ad vesperam non finiebatur, Lucifer, in veritate non stetit (*Joan.* VIII); quia a charitate exorbitavit. Quoniam autem charitas nunquam excidit, cum ad veritatem pervenerit charitas, non finitur; sed veritate charitatis, et in charitate veritatis, sicut feliciter, ita semper vivitur.

Itaque dilectissimi, exeunti de nocte peccati, et carnalis conversationis, ad hanc operationem suam, prima illuminatione gratiæ, tanquam primo mane conversionis suæ ad Deum, occurrit homini sua conscientia; et qualiter vixit, dum male vixit, videt; qualis in tenebris fuit, in luce cernit. Itaque ipsa prima in vineam missa, dum se accusans, diligenter omnia recolit, universa ad memoriam reducit, procul dubio humiliter se inclinans, in altum fodit : omnisque injustitiæ radices excidens, utique ad justitiam se colere incipit. Justus enim imprimis accusator est sui (*Prov.* XVIII). Verumtamen sicut se convertens ad Deum, de præteritis se graviter accusat, ita necesse est ut secundum qualitatem, quantitatem, et causam operis, omnia subtiliter dijudicet, et districte examinet, quatenus accusantem conscientiam, et in vinea ipsa accusatione laborantem, subsequatur ratio oblata subtiliter dijudicans, et ipsam dolor et contritio cordis excrucians. Itaque in interno nostro quodam capitulo conscientia accuset, ratio judicet, dolor excruciet, quatenus dum nos ipsos accusamus, judicamus, damnamus; a Domino absolvamur, et non cum hoc mundo condemnemur. Sequitur itaque contritionem cordis confessio oris, et ipsam ad extremum emendatio operis : quæ etsi ultima operetur, prima tamen remuneratur; sine qua confessio oris flatilis, contritio cordis vaporalis, judicium rationis in condemnationem et accusatio conscientiæ in testimonium. Irrisor enim est non pœnitens, qui commissa deflet, et deflenda committit. Quamobrem

eum emendatione operis omnia prosunt, laboris mercedem percipiunt : sine ipsa vero obsunt, et in justæ condemnationis testimonium veniunt. Est adhuc, quod de his horis ac vinitoribus aliter, et fortasse altius dici possit, sed, ut diximus, hora præventi, id ipsum quod audistis, potius tangendo perstrinximus, quam eloquendo tractavimus. Unde alio initio fraternitati vestræ dicendum servare maluimus, quod inde orantibus vobis donare dignabitur ipsa Dei Sapientia, Patris Verbum, Christus Dominus qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat. Amen.

SERMO XVII.

IN EODEM FESTO II.

De die ista, dilectissimi, quæ mane tertia, sexta, nona undecima et vespera in evangelica parabola distinguitur ad laborem laborisque mercedem (*Matth.* XX), quod heri diximus, nequaquam hodie permutamus, videlicet conversionem ad Deum sensu et affectu diem accipi, sicut aversionem noctem, qua nemo potest operari. Sunt enim in hominibus sensus et appetitus, secundum quos animalia dicuntur, nec a bestiis ulla per hos eminentia secernuntur : quibus tamen si supponitur ratio, ut utrique principetur, existent quidem simul sensu et affectu animalia, ac mente rationali, mortalitateque pœnali, homines necessario post peccatum, ac pro peccato morituri : qui ante peccatum, et sine peccato poterant non mori. In quibus ergo sensus vel affectus rationem nondum sequitur, sed reluctatur, et ut, proh pudor! in nonnullis obtingit, ipsa contra ipsam ratione abutitur : hi nimirum, quamlibet astuti, callidi, sensati, gratiosi, placidive, nondum tamen homines sunt : aut si ob rationem dicendi homines asseruntur, utique quia capite deorsum gradiuntur, non tam homines quam de hominibus monstra esse convincuntur. *Os*, inquit poeta (OVID. *Met.* l. I, vers. 84), *homini sublime dedit.* In talibus, dilectissimi, aliquando reluctatur quidem, sed tamen superatur, ac trahitur captiva, quæ sola est ratio. Væ enim soli, quia si ceciderit, non est qui sublevet eum. Aliquando vero sponte enervis, effracta, et evirata sequitur, succumbit, ac omni spurcitiæ libenter se contradit. Primi ergo mali, secundi pessimi : utrique noctis et tenebrarum filii, sed alii noctem suam amant, alii diem desiderant, alii nihil habentes hominis, alii parum, alii soluti, alii vincti. Utrique in tenebris sunt, in tenebris ambulant, bestiis silvæ, id est carnalibus passionibus, ac sæcularibus desideriis : et catulis leonum, id est spiritualibus nequitiis in cœlestibus nocturna præda effecti, sicut scriptum est : *Posuisti tenebras, et facta est nox; in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ, catuli leonum*, etc. (*Psal.* CIII). Dum igitur ad seipsum advertitur homo, sive ad suum sensum, sive ad voluntatem, sive etiam ad rationem, licet eo usque profecerit, ut jumentum exuens, hominem induat : utique nec noctem evadit, nec in diem vadit. *Ad meipsum*, ait Videns,

A *conturbata est anima mea : propterea memor* cœpit esse Dei tanquam diei (*Psal.* XXXIX). Deus enim totus lux est, et in eo solo tenebræ non sunt ullæ. Nam sancti angeli etsi in ipso mane inveniant, in se tamen vespere offendunt : quibus vespere sui, et mane Dei, perficitur dies unus, seu primus. In se ergo solus Deus diem invenit : qui dum menti rationali præveniente gratia illucere incipit, ei mane facit; et inter tenebras ac lucem dividit.

Est itaque spiritualis diei antelucanum mane gratia, quæ rationem prævenit, et a se ad Deum convertit; ac de tenebris ignorantiæ, vel ut dictum est, impotentiæ, seu etiam malitiæ, in diem sapientiæ, virtutis ac justitiæ, id est Christi Domini, inducit. Verumtamen ego non æstimo, unum tantum
B debere dici Christi diem; nam et ipse plures commemorat, dicens : *Abraham pater vester exsultavit, ut videret dies meos : et vidit, et gavisus est* (*Joan.* VIII). Est enim dies timoris, dies amoris, dies gaudii, dies laboris dies quietis, dies exsultationis. *Exsultemus*, inquit Propheta, *et lætemur in die, quam fecit Dominus* (*Psal.* CXVII). Dies crucis, dies sepulcri, dies resurrectionis. *Vivificabit nos*, inquit, *post duos dies, in die tertia suscitabit nos* (*Ose.* VI). Dies sexta, qua perficitur omne opus; Sabbatum, quo quiescitur ab omni opere : Dominica, qua resurgitur ad novum gaudium, et diem solemnem in condensis, usque ad cornu altaris, id est gloriam passionis, fructum laboris, sublimita-
C tem crucis. O beata anima! quæ adhuc terrena habitatione depressa, potuit esse in spiritu in Dominica die, et audire post se vocem (*Apoc.* I), quam utinam ante me vel longe audierim! Sed nos interim, dilectissimi, hunc spiritus impetum cohibentes, ac nosipsos nobisipsis metientes, redeamus ad diem timoris, diem tædii et pavoris, ut contædere ac compavere incipiamus Christo; et in die laboris, sudorisque sui, collaborare, et consudare, compati quoque, ac concrucifigi. Omnia enim in die certaminis sui Dominus Jesus veraciter sustinuit pro nobis; et sustinenda mysterialiter configuravit nobis. Exeunti igitur de tenebris et umbra mortis, id est de aversione a Deo, et perversione ad mundum, sive ad seipsum, ut convertatur ad Deum,
D tanquam de occipiti ad ancipitem, primo occurrit præteritorum malorum memoria, futurorum timor, factorum tædium et patiendorum pavor. Incipit enim quod male vixit recolere, ac timere, ne pejus moriatur; et invenitur primus laborator in vinea, seipsam accusans conscientia. Et hæc est prima pœnitentis gratia, et conversionis hora; memoria vero quod revocat, cordi offert, id est affectui : affectus enim in corde, sicut sensus in capite, sedem habere putatur. Sensus vero rationalis in tribus existere dignoscitur, ingenio videlicet, ratione, memoria : quæ in animalium capite distinctis, ordinatisque cellulis, ancipite, sincipite, occipite vigere et exercere propria creduntur officia. Redeunti ergo sensui a retro ad ante, sicut ait Apostolus, quæ

retro sunt oblitus, in anteriora extendens se (*Philipp.* III), primo occurrit, ut dictum est, memoria præteritorum; et incipit videre, in quibus fuit, dum male fuit. Affectus quoque, sive affectio, duplex intelligitur. Duobus enim modis cor afficitur ad omnia, quæ ei ab illis tribus offeruntur, scilicet amore, vel odio : ex quibus propter tempus, cujus mutabilitatem sequitur, cor mutabile, ac temporaliter variabile, illi nominati et noti quatuor oriuntur affectus, virtutum aut vitiorum omnium fundamenta, et materies communis, atque, ut sic dictum sit, virtutum aut vitiorum omnium elementa. De quibus alumnum consolans philosophia, sic cecinit :

Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemque fugato,
Nec dolor adsit.
Nubila mens est,
Vinctaque frenis
Hæc ubi regnant.

(Boetius, *De consol. philos.* l. I, met. 7, v. 25-31.)

Itaque secundum præsens, præteritum, et futurum, de amore gaudium et spes, de odio timor et dolor oriuntur. Porro ipsa amor ac odium de concupiscibilitate et irascibilitate fluunt; quatenus sicut caput tricameratum, ita cor bicameratum inveniatur : ipsaque tota anima in sensu affectuque naturali perfectione consummata, concupiscibilis, rationabilis, irascibilis existat. Unde prævaricatori redeunti ad cor irascibilitas occurrit prima, quæ abeunti fuit ultima : et in tota anima pars tertia existit. Unde haud incongrue hora tertia secunda gratia in vineam mittitur, ut quæcunque per memoriam conscientia rationabiliter accusat, omnia secundum qualitatem et quantitatem per irascibilitatem compunctio, seu dolor internus excruciet, quatenus omne quod olim per delectationem dulce sapiebat in vita, per compunctionem amarum sit in memoria, sicut scriptum est : *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ* (*Isa.* XXXVIII). Itaque recogitatio primum operatur, postea amaritudo. Mane recogitatio, hora tertia amaritudo. Miserum est, ac stultum, peccata oblivisci; miserius, sine pœnitentia cordis reminisci; miserrimum per retractationem in eis delectari. Hora autem sexta, quia ad senarium pertinet opus, operatur ipsa affectio bona : affectus enim operi nomen imponit, et a fructu operis recognoscitur qualitas intentionis. Interiorem quippe habitum, ut ait poeta, deprehendas ab exteriori. Mutata ergo affectio cordis necessario permutat exercitium corporis. Utitur enim motus cordis tanquam dominus motu sui corporis, tanquam sibi subjecto mancipio. Unde sicut ab arbitrio motus corporis, sic a judicio per se alienus existit. Soli enim cordis motui de obedientia vel inobedientia, de virtute sive vitio, judicium merito est, cui soli libertas arbitrii a Deo est. Sicut igitur aversus a Deo, condelectans malo, exhibuit membra corporis sui servire, cui serviebat ipse,

A id est immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem : sic conversus ad Deum exhibet eadem servire justitiæ ad sanctificationem.

Sexta igitur hora tertia gratia in vineam mittitur, exercitatio corporalis, quatenus sicut dolor interiorem, ita labor exteriorem hominem excolat, abstinentia castigans, operatione fatigans, vigiliis attenuans. Homo enim cum de tenebris carnis ad lucem mundi egreditur, nascitur quidem ad laborem, sed incipit a dolore; et simili forma qui de tenebris carnalitatis ad spiritualitatis lucem egreditur, a dolore quidem orditur, et ad laborem oritur, sicut scriptum est : *Homo nascitur ad laborem* (*Job* V). Verumtamen quod sequitur, *et avis ad volatum*, B huic quam teximus seriei optime consonat. Avis enim nomine ipsa ratio mentis recte intelligitur : quæ bestiis, tanquam gressilibus animalibus excellit, et angelis connaturalis existit. Unde nona hora quarta gratia in vineam mittitur, dum super activam vitam, quæ inferioris animæ exercitio agitur, ad inquirendum Deum pennis lectionis, meditationis, orationis, erigitur, et ad amandum dirigitur. Quare sicut nona hora ratio, sic undecima delectatio in vineam mittitur. Quid enim post activam vitam, nisi speculativa restat, quæ visione Dei, et delectatione consummatur? Verum quoniam in hac ærumnosa peregrinatione, ubi omnia ex parte sunt, nihilque invenitur perfectum, neutra consummatur, nec illa ad denarium, nec ista ad duodenarium C pervenisse monstratur. Delectatio itaque venit posterius, laborat minus, sed accipit prius. *In via*, inquit, *mandatorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis* (*Psal.* CXVIII).

Quidquid ergo in exercitiis et defatigationibus nostris dulcedinis, delectationis ac suavitatis sentimus, quasi de mercede laboris procul dubio gustamus, quoniam quidem antequam in disciplina Domini delectari, et eam diligere incipiamus, omnia sub pondere diei et æstus vix tolerantur, vix portantur; in dolore et angaria sub timore et murmure, tædio afficiunt et acedia. Cum vero hora undecima quinta gratia disciplinæ associatur charitas, et laboribus affectio bona, quæ facit in omnibus delectari et jucundari, fit per eam omne onus D leve, et jugum suave, et incipit quidam timoris et laboris, tædii ac tristitiæ occasus; amoris vero ac suavitatis, fervoris et hilaritatis ortus primi diei vespera, et mane secundi, id est delectatio quædam, ac dilatatio cordis, et interna quædam exsultatio et exhilaratio mentis : quam procul dubio nemo novit, nisi qui accipit : initium perfectionis, quod terminat inchoationem; initium plenitudinis, evacuans quod ex parte est : initium denique perfectæ charitatis, quæ foras mittit timorem, tollit laborem, abstergit dolorem. Itaque cum jam diu laboraverit memoria, irascibilitas et exercitatio corporalis portaverint pondus diei et æstus, rationabilitas quoque postremum sudaverit, concupiscibilitas veniens extrema, arripiens prima laborem terminat, merce-

dem inchoat, omnibus dum minus laborat, minuit laborem, dum prima recipit, recipere facit : dumque ipsa quiescit, ad quietem omnia trahit. Ideo spiritus in Deo delectans, animam suam, quam prius tædentem, paventem, tristem, sollicitam, turbatam, laborantemque in exercitatione sua senserat, sic alloquitur : *Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi, quia eripuit animam meam de morte*, id est de peccato : *oculos meos a lacu*, id est de dolore præteriti peccati : *pedes meos a lapsu* (*Psal.* cxiv), id est de timore futuri. Qui igitur in omnibus quæ agit et patitur, delectatur, in nullo prorsus vexatur, in nullo laborat, in nullo gravatur, ita ut jam sub jugo levi, et onere suavi, vere, tanquam operis mercedem, animæ suæ invenit requiem, sicut promittens Salvator ait : *Et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* xi) : et sic in sancta conversatione ex bona consuetudine inenarrabili dulcedine dilatato corde, viam mandatorum Dei exsultabundus ac laudans, percurrit die secundo, id est charitatis, quæ foras mittit timorem : qui primo die, timoris scilicet, pondere premebatur et æstu in vineæ cultura : ad quam arctam viam invenit, per angustam portam intravit, ac intus duram intractabilemque terram effodit. Cum vero ad hanc magnam multitudinem dulcedinis Dei, quam abscondit timentibus, revelavit autem diligentibus, pervenerimus : nihil durum, nihil asperum, nihil grave nobis erit quod pro Christo esse constiterit. Sed quia ubique dulcedinem ac delectationem sentiemus, hoc solum murmurabimus, quia parum erit omne quod agimus, libenter autem et ferventer ad arctiora nos accingemus exercitia studiorum, ut ubique majorem prægustemus suavitatem delectationum. Ipsa quoque peccatorum recordatio non agetur ad timoris compunctionem, sed accendet ad gratiarum actionem. Tales ergo die tædii et laboris, die sexto operationis, die passionis et crucis contristantur in exercitatione sua, dumque adhuc viventes crucifiguntur cum Christo; sed in die pacis ac quietis, die tranquillitatis et silentii, die sepulturæ, et sabbati, quasi peccatis ac mundo mortui, in semetipsis consepeliuntur et conquiescunt Christo, quatenus die tertia, die exsultationis et salutis, die solemnitatis et lætitiæ, die resurrectionis et gloriæ, die tandem Dominica, die octava, ac novæ lucis prima, sicut Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris ; ita et isti conresuscitati, in novitate vitæ ambulent : spiritu viventes, et spiritu ambulantes. Amen.

SERMO XVIII.

IN SEXAGESIMA.

Exiit, qui seminat, etc. (*Luc.* viii.) Inter quietæ et amabilis paupertatis nostræ copiosas inopias, librorum, et maxime commentariorum, ut cernitis, penuria sumus opimi. Nam sicut exsultans quis laudabiliter dixit : « Evangelium dedi propter Evangelium, » ita nos libros reliquimus propter libros. Edocti enim a libris sanctis sanctæ solitudinis vir-

A tutem, quietis fructum, paupertatis gratiam, non solum ut olim, de domo et cognatione carnali egressi, quinimo plurium sanctorum fratrum ac domus spiritualis patris quasi obliti, sicut cæteræ plenitudinis, sic numerosæ codicum varietatis, et totius orbis ac generis fere humani jacturam facientes, in hanc semotam, et inclusam Oceano insulam nudi ac naufragi, nudam nudi Christi crucem amplexi, pauci evasimus. Itaque quia nos silere non sinitis, ac pro lectione, vivæ vocis nostræ frequentiam exigitis, in cæteris sancti Evangelii lectionibus non communes ubique explanationes sequentes, liberius quod pro tempore, loco, negotio, personis, congruere opinamur, exponimus; nec enim a summi Scribæ, id est digiti Dei sensu absonat expo-
B sitio, quæ Scripturæ excludit ænigmata, ut in auditoribus regnum destruat cupiditatis, charitatis autem ædificet; in hac autem lectione ab hac licentiosa libertate ablegamur, dum is qui proponit exponit. Semen est ergo verbum Dei, sator Filius hominis, sed ipse Dei Verbum : unde semen et sator idem : quare ipse se seminat. Solus ipse est, qui seipsum digne seminare, id est prædicare potest. *Non*, inquit egregius prædicator, *prædicamus nos, sed Jesum* (*II Cor.* iv). Timeo ne sit hodie qui seipsum prædicet, sibi, de Jesu loquendo, nomen facere cupiat ; suam gloriam, aliena loquendo, quærat, aut quæstum ; se extra se jaciens in ventum seminet, ut vacuus intus remaneat, nec foris se colli-
C gat, præferens veritatem, inferens vanitatem, propinans antidotum, bibat ipse venenum ; de humilitate quo melius disputet, pejus superbiat ; paupertatem prædicet, affectans divitias, contemptum mundi cupidus, misericordiam avarus, subjectionem ambitiosus. Sanctum Patris Verbum quod est loquitur, quod docet agit : de quo scriptum est : *Quæ cœpit Jesus facere et docere* (*Act.* i) : ac per hoc sator iste se seminat exemplo vitæ, et verbo doctrinæ, dicens : *Discite a me*, quod videtis in me, *quia mitis sum, et humilis corde* (*Matth.* xi). Sed unde exiit, ut seminet ? Exiit unde non abscessit ; venit quo non accessit. Exiit de sinu Patris Verbum, venit in uterum Virginis, indeque exiens caro factum venit in mundum, tanquam sator in agrum,
D Filius hominis. Solent qui seminant de occultis horreis semen extrahere, bajulos quosdam cophinos, unde seminent, replere, et ita ad serendum exire in agrum. Exiens ergo semen istud et sator de occulto et ininvestigabili, ubi plenitudo habitat, horreo divinitatis, generante Virgine missus est in cophinum carnis : unde se seminat de se, semen, sator, et cophinus ipse. *Sed dum seminat*, etc. (*Luc.* viii). Prudens iste agricola terræ suæ differentiam novit, at terram indifferenter serit, et quasi inscius cari seminis jacturam facit industrius. Quid sibi vult istud ? An differenter seminat ? Sunt enim plures sationes verbi, alia interior, alia exterior ; alia ad aures carnis, alia ad aures cordis, alia denique foris ad aures verbo doctrinæ, alia ad ocu-

los exemplo vitæ, alia ad cor intus inspiratione gratiæ.

In his itaque tribus perfectio erat magisterii cœlestis in Christo. In cœlo enim cathedram habet, qui corda docet. Discipuli Moysi Scribæ et Pharisæi dicunt, sed non faciunt, auribus, non oculis seminantes: discipulorum vero Christi superabundat justitia : dicunt enim, et faciunt, auribus oculisque seminantes. Unus magister Christus foris seminat vita et voce : intus juvat dono gratiæ. Itaque in agro non indifferenter seminat, licet semen verbi foris communiter spargat. *Spiritus*, inquit, *ubi vult, spirat, et vocem ejus audis*, etc. (*Joan.* III.) Vocem indifferenter foris audis; sed qua causa, qua ratione, qua gratia, qua discretione ab occultoque consilio Dei veniat, et ad illum vel illum vox communiter foris facta intus specialiter vadat, nescis. Est igitur auditorum verbi quadripartita differentia. Alii cor habentes conculcatum ac induratum, prædicationem aure foris audiunt, sed hanc in corde non recipiunt : quibus secus viam, non in via credulitatis vel obedientiæ verba cadunt. *Non enim omnium est fides* (*II Thess.* III), *nec omnes obediunt Evangelio* (*Rom.* X). Inter aurem enim et cor dæmon volitans, quod per unam aurem intrat, per alteram extrahit, ne ad cor descendat. Cum enim prædicator assurgit, ut foris loquatur, assurgit diabolus, ut intus obloquatur, aut falsum esse suggerens, aut pervertens quod dicitur, aut dimicans a quo dicitur, aut somno, aut aliis cogitationibus aggravans illum, cui dicitur. Alii facilitatem obedientiæ habentes, sed virtute carentes constantiæ, ut filii Ephrem intendentes arcum, convertuntur in die belli, cito compuncti, citius arefacti, temporales et leves, non habentes altam radicem charitatis : tempore pacis credunt, tempore tentationis recedunt, dum nil intus prurit, cœlibes : dum nil foris sævit, fortes : si nemo molescat, mansueti : si cuncta succedunt, devoti : quibus illud convenit : *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei* (*Psal.* XLVIII). Vere filii Adam, ut qualis pater, tales filii : qui cousque stetit, donec cadendi habuit occasionem; stetit, donec leviter pulsatus ruit. Sicut primi nimis duri, sic hi nimis molles : illi obstinati, hi pusillanimes; illi non recipiunt verbum, hi non retinent. Tertii retinent, non tamen sibi ad fructum, sed contra se in testimonium: terra sub veteri maledictione squalida, et inculta, spinas ac tribulos germinans : contra quos clamat propheta : *Novate vobis novale, et nolite serere super spinas* (*Jer.* IV). Primos obdurat malitia, secundos resolvit cordis inopia, tertios coarctat avaritia, sollicitudo vastat, opprimunt curæ, suffocant divitiæ, evirant voluptates, crapula et ebrietas gravant, ut in manu ebrii pro frumento spinæ ortæ eam pungant ac lacerent.

Quis hodie, allegante hoc ipso Dei Verbo, ipsa Veritate exponente, interpretante divina Sapientia, quæ omnium novit naturam et vim, divitias spinas putat, quis eas ut spinas amplecti respuit? Dei Verbo

A credite, divitiæ spinæ sunt, quas qui amplectitur, sicut fasciculum spinarum, quanto arctius sibi astringit, tanto acrius se pungit. Sed stulti dum sub sentibus esse delicias putant, veris ac intimis punctionibus lacerantur, dum falsis ac brevibus delectationibus eluduntur. Quando ab his spinis, ut cibo gehennæ homines deterremus, acclamant omnes spinas vere esse divitias, nec tamen eas deserunt : nos felices, quasi jam evaserimus, laudant ac beatificant, se accusant, et mundo quem diligunt maledicunt, serviunt ac detrahunt, fenum portant et murmurant; non possessores, sed possessi a mundo, imo sub ipso constrati et obruti; sicut ignivomus ille sub montium mole gigas, surgere nequeunt : in quibus regnante hujus mundi amore,

B charitas Patris, ut verbo rusticano utamur, profundam micam non habet, quæ sola semen Filii ad fructum recipit. Gratias agamus agricolæ Patri, qui semini Filii per Spiritum sanctum fecit nos idoneos, ignem charitatis diffundens in cordibus nostris, quo spinis exustis terra nostra excocta tricenum, sexagenum, vel etiam centenum fructum fert in patientia. Obedientia enim verbi semen suscipit, patientia fructificat, perseverantia metit. Et sicut de agonistis ait Apostolus : *Omnes currunt, sed unus accipit bravium* (*I Cor.* XIX); sic et de virtutibus dicere est. Omnes ad regnum Dei currunt, sed una capit bravium. Currit mundi contemptus, paupertas, eleemosyna, abstinentia, obedientia, pa-

C tientia : sola perseverantia coronatur. Nam *qui perseveraverit usque in finem, salvus erit* (*Matth.* X): et Dominus fines terræ judicat; nam media sicut initia discussionem non habent; nec incipere, sed perficere pro virtute habetur. Itaque obedientiam commendat patientia, hanc coronat perseverantia.

SERMO XIX.

IN EODEM FESTO II.

Exiit qui seminat seminare semen suum (*Luc.* VIII). Exiit quidem de utero Virginis Filius hominis, et semetipsum, id est Dei Verbum seminavit in auribus hominum voce, in oculis exemplo, in cordibus gratia. Sed dum seminat, auditorum quatuor inveniuntur differentiæ. Primi audiunt, sed credere non

D sinuntur, ut bene agant, a maligno, cui se manciparunt : cui servi addicti, quasi ab eo victi, venundati sunt, ut male agant. Secundi audiunt, et cum gaudio, id est facile, recipiunt; sed eadem levitate tacti, tentationis æstu rejiciunt, et abortivum faciunt : qualibus convenit illud Jeremiæ : *Periit fides, et ablata est de ore eorum* (*Jer.* VII). Tertii vero ore confitentes, factis suffocant. Quarti corde credunt ad justitiam, et ore confitentur ad salutem. Sed altius intuenti liquet hunc satorem, nec hinc prius exiisse, nec hic prius sevisse, nec nunc prius has agri differentias reperisse. *Exivi*, inquit, *a Patre, et veni in mundum* (*Joan.* XVI), utique, sed per uterum. Unde nec prius exivit de homine, nec prius sevit in hominibus. Neque enim ad homines prius locutus

est Deus; sed usque ad angelos. *Semel*, inquit, *locutus est Deus, et secundo non repetit illud* (*Job* XXXIII). Quærimus, dignumque quæsitu est : pietatis, non curiositatis; devotionis, non præsumptionis, cui locutus est semel, quod repetere non potest, nec aliud præ illo loqui Deus, qui omnia potest.

Itaque, fratres mei, quædam Deo devota mens, et amoris impatiens, quæsivit in lecto, quæsivit extra lectum in civitate, quæsivit per vicos, quæsivit per plateas dilectum suum, et omnino invenire non potuit, donec vigiles, id est angelos, qui nunquam dormiunt, pertransisset. Cum autem pertransisset omnem angelicæ naturæ celsitudinem, tunc primum invenit, inventum tenuit, nec dimisit. O beata anima! quæ tam studiose quæsivit, feliciter invenit, fortiter tenuit, sapienter servavit. Quid agimus, fratres? Nonne ad omnem spiritualem exercitationem hæc pauca, sed non parva sufficere debent : quæsivit, invenit; tenuit, nec dimisit? Quid aliud agendum, vel amplius restat? Quæsivit illa perspicax oculis, et deivida aquila, istud quod quærimus, primum et unum Verbum, ac emenso toto, quod de non esse venit ad esse, in principio reperit quod esse non cœpit : *In principio*, inquiens, *erat Verbum* (*Joan.* I). Sed quo modo in principio, quod esse non potest sine principio? Omne enim quod verbum est, sine omni principio esse nequaquam potest. Alicujus enim verbum esse necesse est, omne quod verbum est, et a dicente, ut verbum sit, ipsum exire, liquidum est. Exivit ergo Verbum ab eo, cujus est verbum : sed quomodo, quando, quale, et a quo exivit primum verbum? quis enim prius, quomodo, et cui locutus est? Sed ut hæc plenius indagemus, paulo altius a communi et consueto sermone ordiendum est. Itaque ante omnia, ut aliqua, quæcunque sunt, aliquomodo sint, omnino necesse est, ut simpliciter sint. Nam quod nullo modo est, omnino nihil est : quod autem non est, nullomodo prorsus est, et nihil est. Essentia igitur mera in omnibus compositione prima, resolutione postrema occurrit. Ante eam etenim nihil invenitur, quod subjaceat formis, nec post eam quidquam, formis ab ea intellectu abstractis. Dividit enim intellectus, quod non dividit effectus : et cui accedere aliquid ad statum, ut illud sit, ei et decedere potest, ne illud sit. Sed et ipsa forma, quæ accedere materiæ, ac decedere potest, si non est, etiam nihil est. Quidquid igitur est, accepta essendi forma est, atque subsistit, ut hoc vel aliud esse, id est aliqua teneri specie possit. Omne enim quod est, ideo est, quia unum numero est, unde possit postmodum mensura discerni, ac pondere locari. Numero enim, mensura, ac pondere, omnia omnino concludi non negat, nisi qui omnia ignorat. Ideo primum de omni re investigare occurrit, cum ipsa sit, quid sit, postea qualis sit, tertio ad quid sit, id est de natura, forma et usu. Unde etiam talium studiosi, non quidem ipsi fecerunt, sed tres

A naturaliter disciplinas esse, invenerunt : in quibus sufficienter omnis sapientiæ studium versari cognoverunt, videlicet physicam, logicam, ethicam, id est naturalem, rationalem, moralem. Naturalem itaque primum sequentes, quæramus quid esse poterit, omne quod esse constiterit. Omne igitur quod existit, aut per se existit, aut alio eget ut existere queat.

Itaque Deum, quo nihil dignius, inquirentes, quidquid melius digniusque occurrit, libenter sequamur, donec ad dignissimum, et quo melius esse nihil possit, saltem ratione perveniamus, affectione autem teneamus, diligentia custodiamus.

Relicto igitur, quod per se non subsistit, sed alii adjacet, ut existere queat (unde adjacens, sive accidens

B jure nominatur) rem per se existentem tractemus. Verumtamen ad hoc opus est secunda, quam diximus, disciplina, ut qualiter per se res subsistere quælibet possit, discernatur. Subsistere itaque dicitur res natura vel actu, ratione vel re. Verbi gratia, ut homo subsistat ratione, sive natura, præter animal rationale mortale, nil quæritur : hoc enim totum esse hominis est, et ut homo subsistat, nihil superponitur, ut autem sapiens sit, necne, hujus vel illius moduli, pater an filius, albus aut niger, sedeat aut non, hic vel alibi sit, et quando agat vel patiatur, armatus sit, sive inermis, minime quæritur ad hominem esse, sine qualibet tamen constat neminem esse, id est re actuque subsistere. Sub-

C sistit itaque homo per se, ut sit homo, et subsistit per se quilibet homo, ut sit aliquis homo. Quare utrumque substantia dicitur, et quod ratione subsistit homo, et quod actu subsistit aliquis homo. Sed hoc quod actu subsistere noscitur, proprie, principaliter, et maxime substantia dicitur : unde prima substantia nominatur. Quod autem ratione tantum et intellectu, secundario quidem subsistit, secundæ substantiæ nomen obtinuit. Est itaque omnis substantia, id est res per se existens aut prima, aut secunda. Sed differt, quia prima quidem subsistit per se, et in se, secunda vero per se, sed non in se. Non invenitur enim secunda existere nisi in prima. Secunda ergo ratione tantum, sive natura, sive intellectu abstrahenter : prima autem

D ratione simul et re, natura et actu, intellectu et statu. Unde verior ac melior substantia dicitur, quæ ratione simul et re, numero una subsistit : quam quæ ratione tantum et intellectu, quasi communis et confusa, suspensaque intelligitur. Nusquam enim invenitur existere homo, qui non sit aliquis homo. Sed neque existit aliquis hic vel ille homo, si non omnino homo. Sicut ergo non subsistit secunda substantia, nisi in prima : sic nec prima nisi de secunda. Ratione enim præest secunda, ut esse possit prima; actu autem subsistit prima, ne nusquam, ac per hoc, nihil sit secunda. Nullus est enim homo, si omnino non sit homo : sed nec usquam est homo, si nullus est homo. Similiter autem his et de ipsa substantia. Nam si ipsa sub-

stantia non est, nec ista, nec illa substantia erit. Sed tamen cum ipsa sit, nisi in ista vel ista esse non poterit.

Substantia igitur omnibus per se existentibus, id est substantiis, ratione et causa, natura, et quasi materia præjacet, ut non solum sint, quod est essentiæ, sed ut sint quod sunt, id est substantiæ. Ipsa tamen talis, id est communis omnibus et generalis, nusquam subsistit. Et cum ante se, nihil habeat, tanquam materiam, unde sit; sub se tamen continet sine quibus, et nisi in quibus subsistere nusquam possit. Occurrit itaque generaliter concludere, omnem substantiam esse primam, vel secundam; et omnem quidem secundam per se existere, sed in se nullam : omnemque primam per se existere, sed a se nullam : ideo imperfectam utramque et indigam, cum huic desit, in se existere; et illi de se; illa egeat ante se, unde sit; ista post se ubi et unde sit. Sed ecce, dilectissimi, (fateor, nescio qua impatientia præexsultat animus) ex earum imperfectione quæ solæ ac totæ substantiæ sunt, interlucere incipit quasi quædam, si dici potest, supersubstantia, quæ per se, in se, et ex se, omnino ratione ac re, natura actu, intellectu, et statu subsistit : cui nihil præest, ut sit aliquid, nihil subest, ne sit nihil; nihil supra, ut inde sit; nihil infra, nisi in quo subsistere non possit; nihil ante ad naturam, nihil post ad statum, nihil extra ad formam. Quod si ita verum est, nec vano eluditur animus phantasmate, longe illud omni substantia melius est. Quare substantia nec prima nec secunda mihi nullatenus colenda erit cum melius aliquid, etsi fortasse non sit, sed certe cogitari possit. Accidens vero, ut diximus, omni substantia posterius est : ac per hoc cum nisi in substantia esse non possit, sine ea necesse est, ut nihil sit. Itaque si non est substantia, non est accidens; sed si non est accidens, quod novem prædicamenta complectitur, nulla omnino erit secunda, per quam specificentur a superioribus inferiores substantiæ, et per quam descendant in primas substantias secundæ. Quare si nulla sit forma, nulla subsistet actu prima substantia. Quod si nulla subsistit prima, nulla omnino erit secunda, quæ subsistere non habet, nisi in prima. Nihil ergo convincitur esse substantia, si nihil sit accidens; sed nec sine substantia accidens quidquam, nec sine accidenti substantia usquam. Nam qualis abstrahenter intelligitur secunda substantia, nusquam in se est, et actu nihil est; sed confuse concipitur animo, et suspenditur intellectu, donec adventantibus formis quasi vestiatur, et in aliqua prima re actuque statuatur : quæ tamen prima nulla omnino erit, si forma non fuerit; sed nec forma, nisi ipsa sit.

Itaque utrumque, id est subjectum et accidens, sive substantia et forma, per se sine altero consideratum, manifeste invenitur nihil et inane, ut ex duobus nihilis, id est materia per se, et forma per se, constet tertium esse non nisi nihil, id est omne compositum; sicut manifeste ait propheta, de homine generaliter loquens : *Omnes*, inquit, *gentes quasi non sint, sic sunt coram eo*, videlicet qui vere est, ac per se, et in se, non in alio ante se, vel supra se : *et quasi nihil et inane reputatæ sunt* (*Isa.* XL), tanquam de nihilo et inani. Ergo, qui se existimat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.

Taceamus itaque aliquid quærere, cum nihil simus; quærere quod vere est, cum vere omnino non simus. Ad omnium enim differentiam dictum est : *Ego sum qui sum* (*Exod.* III), ut dicere possit omne quod id non est : Ego sum qui non sum : aut non sum qui sum. Eia quo profecimus, fratres? Aliquid quærentes, invenimus nihil. Deum quærentes, nosmetipsos perdidimus. Cum enim tenuissima rimula interlucere cœpit de nonnihilo aliquid, magno jam nobis lumine claruit, quam de nihilo nihil simus. Domine, vere in lumine tuo videbimus lumen tuum, et tenebras nostras. Sed hic, dilectissimi, pausandum est nobis hodie, cum labore et sermone fatigati simus. Utrumque enim panem in sudore vultus nostri vescimur, dum peregrinamur a domo illa, ubi est in voce exsultationis et confessionis sonus epulantis, ad quam nos perducat, propter quem etiam in hac insula et eremo ab universo ferme terrarum orbe exsulamus.

SERMO XX.

IN EODEM FESTO III.

Heri, dilectissimi, quærentes Deum, ut scitis, nosipsos dum perdidimus, invenimus. Congrue quidem, quasi qui infra et extra nos cecidimus, intus per nos ad ipsum redeamus. Tenui et arcto cancello perfuso divinæ faciei lumine reverberati, in facies nostras cecidimus, id est ab æstimatione nostri supra quod sumus, in agnitione ipsius quod sumus. Postremo investigantes quid sit Deus, quid non sit, reperimus. Circumeuntes per vicos et plateas, id est omnes substantiæ rationales, realesque status, in ipsis ipsum non invenimus, cujus aliquid non est natura, et res naturæ : qui non aliter per abstrahentiam mente concipitur, quam re subsistit. Quare nihil omnium est, aut potius omnia nihil sunt; ipso solo nec nihil, neque de nihilo existente. Quærendus est ergo, ut cernitis, supra omnia, quæ de nihilo nihil sunt, is qui nec aliquid omnium, nec omnino nihil est. Sed quo ituri sumus, Domine Deus noster, extra universitatem? quibus volaturi pennis supra omnem corpoream incorpoream-que substantiam, homines carne onusti, peccatisque graves, ut quæramus te, quibus nihil satis, nihil jucundum esse poterit extra te? Domine, ecce omnia reliquimus pro te, et si invenimus gratiam coram te, ostende nobis desiderabilem et amabilem ipsum te. Renuit omnem consolationem anima nostra; sola memoria tui, et exercitatione tali delectamur : et ecce defecit spiritus noster, quia nondum vidit te. Si neque corporea, neque incorporea

substantia es, quid es? Videamus itaque, ne forte sit incorporea substantia, sicut vigiles, quos tamen pertransivit illa, quæ diligenter quæsivit, feliciter invenit. Substantia igitur, quæ generalissima mente concipitur, primum et sufficienter dividitur in corpoream ac incorpoream substantiam. Omnis enim substantia talis vel talis sit, necesse est : et quæ talis non est, nec substantia est. Sed substantiæ proprie proprium, et quod par illi sit, est susceptibilitas contrariorum. Unde ipsa susceptibilitas contrariorum regula parium dicitur, de quocunque substantia ipsa. Unde et hæc et illa, sicut substantia est, ita et contrariorum susceptiva. Hinc est quod non solum per divisa ac disparata quælibet, quinimo et per contraria mutabilis sit. Unde secundum aliam disciplinam substantia dicta est elementorum, omniumque mutationum fundamentum, per omnia mutabilis, et cunctis substans, nunquam sibi constans.

Nos autem quærebamus non permutabile fundamentum accidentium, sed incommutabilem Patrem luminum : penes quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio : quem liquet nec incorpoream proprie posse substantiam dici : quem nefas sit susceptivum contrariorum profiteri. Profecto enim quod incommutabile est, commutabili melius esse manifestum est. Quod autem incommutabile est, ut ex superioribus claret, nec substantia, nec in substantia, sed supra omnem substantiam fatendum, ac supersubstantia merito nominandum. Nam hanc divisionem, ut dicatur substantia alia mutabilis, alia immutabilis, substantia ipsa omnino non recipit, cum ei susceptibile esse contrariorum proprium sit, et de immutabili id dici nequaquam possit. Sed nec dividitur in inferiora superius; cum mutabilem substantiam ipsa substantia non excedat, sed idem prorsus sit : et eadem generalitate cunctas contineat substantias, et sustineat formas. Itaque incommutabilis quæ dicitur substantia, substantiæ nullatenus supponitur, sed dignitate præponitur, ac naturæ contrarietate opponitur et efficientia supponitur. Sicut illa omnibus subest, sic et ista omnibus superest. Illa in omnibus et per omnia mutabilis; ista extra omnia, ac super omnia commutabilis. Illa in sola mentis conceptione abstracta intelligitur, et in rebus suæ naturæ existit; ista in se nulla mente comprehensibilis veraciter existit, non habens superius naturam, in qua concipiatur, et inferius rem naturæ, in qua statuatur : quippe quod est unum, simplex, ac stabile est : quod omnino in omnibus inveniri non potest. Unde et super omnia est : quod unum, super materiam, quod simplex, super materiatum; quod immobile, super omne creatum. Sicut enim omne creatum per motum de non esse venit ad esse : ita et variabile est per esse, ac vergere potest ad non esse. Tu autem, Domine Deus meus, idem es, qui simplex es, et anni tui non deficient, qui immutabilis es : atque ex his æternus esse comprehensus es. Eia, fratres, quia volantes fatigati sumus, pedibus nos recipiamus, descendentes ad id quod superest diurni laboris, alternantes hominem ad laborem, et avem ad volatum : utrobique edocti et adjuti ab ipso, qui in se utrumque exhibuit, Jesu Christo Domino nostro, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit per omnia sæcula. Amen.

SERMO XXI.

IN EODEM FESTO IV.

Quærentes, dilectissimi, Dominum nostrum, de quo scriptum est : *Quærite faciem ejus semper* (*Psal.* CV), propter quem quærendum, dum inveniri potest, omne fere humanum genus, et nos ipsos libenter perdidimus, pridie circuivimus vicos et plateas, heri vigiles civitatis paululum pertransivimus (*Cantic.* III). Unde super omnem materiam et formam ac simplicis naturæ incorpoream substantiam, ex ipsius oppositione materiæ reperimus unum simplex et immobile : quo si nihil melius non solum est, sed nec esse potest, Deus utique noster est. Quæramus itaque hodie, non adhuc inter omnia, sed jam super omnia, discutientes quod invenimus, utrum optimum sit, non solum omnium quæ sunt, sed, ut diximus, quæ esse possunt. Primum ergo occurrit, nec proficere posse, nec deficere ullo genere, quod immutabile est. Unde ab eo, quod est, nec majus, nec minus, nec aliud, nec aliter esse potest : ideoque quidquid jam est, semper id fore, necesse est. Secundo, quia simplex est, quod habet, hoc est. Impossibile enim est, quod vere simplex est, sive ad naturam, sive ad formam, sive ad proprietatem, aliud habere quam ipsum est. Tertio cum unum sit, ante se non potest habere, unde sit. Unum enim ante omnia necesse est esse. Impossibile enim est multa esse, si non sit unum : imo et plura esse, nisi ab uno, æque impossibile. Quare unum ante omnia, et ab uno omnia, et omnium principium, omnino unum. Unum ergo ante omnia, simplex post omnia, incommutabile est super omnia. Ab unitate pluralitas omnium, a simplicitate diversitas universorum, ab incommutabilitate omnis mutabilitas. Ab uno omne multipliciter numerosum, a simplici omne numerose compositum, ab immobili omne quocunque genere motum. Sicut enim omnis motus surgit ab immobili, sic omne compositum a simplici. Et quid rogo, fratres mei, quorum gestientia corda perspicio, melius esse potest quam quod scrutationibus revelante gratia jam claret; id est aliquid ante omnia, unde omnia : post quod nihil, et supra quod nihil; principium, unde omnia ducuntur ad esse; finis continens omnia, ne recidant ad non esse; æternitas movens et regens omnia per esse? Universitatis creator, moderator et sustentator; incommutabile principium, pro quo servivit dilectus a Deo Jacob annis septem : hoc enim Rachel interpretatur ac significat : principium, ubi beatus ille theologus piscatus est hoc, quod quærimus, sanctum Dei Verbum,

principium, qui omnia sua est, et aliter aut aliud esse nequaquam potest. An hoc es tu, Domine Deus meus, quem quæsivi inter omnia, et inveni super omnia; nec omnium aliquid, nec omnino nihil; nec medium inter omnia et nihil, ubi Plato materiam posuit, sed unde ipsa materia mira operatione fluxit?

Duo ostendisti nobis, Domine, servis tuis, quod sis et quid non sis; æstuamusque ad tertium, id est scire quid sis. Vere cui apponis scientiam, apponis et dolorem (*Eccle.* I). Majori enim æstu concutimur scire quid sis, quia nec quod sis, nec quid non sis latere aut fallere potest. O utinam nesciremus, quid non es, et aliquo delectabili phantasmate illu lerenur pro te: aut potius sciremus quid es, et veraciter ac suaviter amplecteremur te. Sed ostende nobis, Domine, ipsum te, qui, ut scis, nihil hodie desideramus, nisi te, nec amamus, nisi te, propter te: qui mente totum, et corpore fere totum mundum fugimus, ut expediti quæreremus te. Sed quoniam nondum satiare sitim meam potis sum videndo te, indignationem saltem spiritus mei evomam in insipientem, qui blasphemavit in te. Dixisti enim, o insipiens, in corde tuo, extra cor tuum ipse: *Non est Deus* (*Psal.* XIII), quod tamen nec dicere potuisses, si is quem negas, non esset, sine quo nihil esse posset. Si ergo es ipse qui dixisti: procul dubio et is de quo dixisti. Quidquid enim est, aut principium est, aut de principio esse, necesse est. Quare si de principio es, necessario est principium, unde es: aut si principium ipse es, tunc quod esse negas, es. Item quidquid est, aut simplex, aut compositum est, id est ex simplici esse, necesse est. Quare aut non es, aut horum alterum es. Similiter quidquid est, aut immobile est, aut de immobili est ei, utcunque moveri; omnis enim motus surgit ab immobili. Quare si aliquid est, aut unum et simplex, et immobile est; aut ex his esse, necesse est. Quod si omnino nihil omnium est, ipse tamen Deus est: a quo fore potest, quidquid esse possibile est. Ei enim adsunt, non solum quæ sunt, sed quæcunque esse possunt: qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Præterea, o excors et insipiens, qui negando affirmas hoc ipsum quod negas; si verum est, quod affirmasti, vere mentitus es in caput tuum. Nam si hoc est verum, aliquid est verum; et si nunquam Deus fuit, hoc semper verum fuit. Quod si hoc semper fuit verum, ab æterno aliquid fuit verum. Unde et ab æterno veritas fuit, quia hoc verum fuit. Quare ante omnia saltem hoc unum fuit, cum nihil adhuc esse, verum fuit. Quod si compositum fuit, utique et mutabile: et si mutabile, temporale. Quare et ab æterno tempus fuit, quo quid insipientius dici potest?

Attamen id ad propositionem insipientis sequi necesse est, si unum illud, quod ab æterno esse negari non potest, compositum est. Sin autem simplex, et immutabile. Hoc ipsum quod superius invenisse nos exsultabamus, ipse dum negat, affirmat; dum destruit, astruit. Credite mihi, fratres, imo certis et necessariis connexionibus credite: nemo potest negare Deum esse, quin inde sit consequens ipsum esse. Neque hoc ex propositionum vi, vel sermonum inferentia, sed ipsius natura. Nam si aliquid est, consequenter et ipse est. Et si nihil est, sicut fuit, antequam fieret, id quod aliquid est, ipse tamen est, a quo fieri potest id omne quod nondum est. Nihil enim a seipso fieri potest, cum seipso prius et posterius nihil esse possit. Nihil itaque mihi constat verius esse quam quod insipiens dixit non esse sine quo nihil potest esse, et a quo omnia habent esse, solum, unum, simplex et immutabile, fons numeri, mensuræ et ponderis in quibus subsistunt omnia quæ sunt, suo modo singula, propter numerum ab uno, specie aliqua contenta propter mensuram a simplici, ordinata propter pondus ab immobili. Singula enim quæ sunt, ideo sunt, quia unum numero sunt, et in sui compositione mensuram habent, ne speciem sui generis excedant, et ad aliquam similitudinem sui ponderis motu feruntur, ut pacem habeant. Eia, fratres, quia pertransivimus, invenimus, et facti sumus Idithun, id est transilientes eos usque ad eum, id est plures usque ad unum. Hic est igitur, quem quærebamus, teneamus eum, nec dimittamus; et interrogemus eum de seipso instanter, et importune. Vim pati se patitur, vinci vult, et nisi victus minime benedicit: et cum omnino se velit teneri, quærit dimitti. *Dimitte me*, inquit, *aurora est* (*Gen.* XXXII).

Teneamus ergo, fratres, sensu, teneamus affectu, teneamus conscientia, teneamus vita, teneamus ipsum propter ipsum, delectantes in ipso, et conformantes nos ipsi, ut a multis collecti ad unum, uniamur uni, et in simplo simplificati, immobiles stemus, quantum possumus cum immobili, in idipsum dormientes, quiescentesque in pace, quam nesciunt qui a fructu frumenti, vini, et olei, non Dei, sed sui multiplicati, id est multis distracti, intenti, distenti, turbati sunt. Sicut enim qui per foramen arctum subtilis acus grossum et multifidum in capite filum impingere cupit, quantum valet summis digitis, illud intorquet et simplificat, sic qui in hoc quod agimus, sapientiæ studium animum figit, nisi ab omni sollicitudine, et curiositate, et ambitione, et voluntate carnali cor revocet, et disciplina torqueat, summa studiorum vigilantia acuat, semetipsum decipit et frustra laborat. Nam, sicut ait Dei Verbum, *facilius est camelum introire per foramen acus quam divitem ingredi in regnum Dei* (*Matth.* XIX). Quid enim est illud regnum, nisi inspicere Deum, et delectari in ipso? Hoc quomodo possunt, qui alias ab eo habent cogitationes, delectationes et consolationes? *Væ vobis*, inquit, *divites, qui habetis hic consolationem vestram* (*Luc.* VI). Pauperum vero spiritu id est voluntate, dicitur esse regnum cœlorum (*Matth.* VI). Veruntamen, fratres mei, sicut ægrotis paratur esca desiderata, et diu quæsita: et quam

ipsi norunt bonam esse, optimeque præparatam, cum gustare debent, desunt eis vires et appetitus obtunditur, sapor languet, eo quod palatum insipidum est : ita et nobis propter peccatum adhuc infirmis, minus sapit otium olim optatum, et quies quæsita diu, solitudo loci, desolatio mundi, meditatio, oratio, lectio, ipsum Dei verbum : quod, cum sanati fuerimus, solum sapidum sentiemus, labor omnis tolletur, nullum erit fastidium, sed refectio plena, facilis, et læta. Non ergo refugiamus, non abominemur animæ nostræ vitalem escam : ipsa consuetudo sancta conducibilem eam faciet, et sapidam, suavemque, ut sola delectet, si sola capitur ; adjuvante per omnia gratia et charitate Dei infirmitatem nostram, per Jesum Christum Dominum nostrum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus. Amen.

SERMO XXII.

IN EODEM FESTO V.

Quoniam, fratres mei, librorum languentes inopia, de nobis pro lectione vocem vivam exigitis, dicere aliquid necessitas incumbit. Sæpius ergo conati inquirere quid sit, quod quærimus, sæpe relabimur : investigatores enim majestatis, reprimimur a gloria. Altiora nobis quærimus, sed si pie, bene. Habemus itaque ex superioribus omnia nihil esse ; nec tamen aliquid esse, nec intra aliquid et nihil, medium esse : sed super omnia, non abstractione intelligi, sed vere et proprie Deum esse ; et ab eo omnia esse, et nisi ab ipso, aliquid esse non posse. Ipsum autem, et si nulla sint, semper tamen esse, a quo possunt omnia venire ad esse. Restat igitur solum inquirere quid ipse sit, qui jam se unum, simplicem, immobilem, dignanter ostendit. Omne quod simplex vere est, quod habet, hoc ipsum esse necesse est. Quærendum ergo est quid habeat, si forte per hoc quid sit innotescat. Et ne per multa vagemur, quæro si rationem et affectionem habet ; quæ si non habet, non videtur optimum ; si habet, summum. Ratio enim et affectio in subjecto aliquo sunt, et sine subjecto esse non possunt. Quare si eas habens, id ipsum est, sine subjecto esse nequaquam potest ; et jam ipsa substantia inferius est. Quid dicemus, fratres ? omnino aut habet aut non habet, et omne quod habet est. Alioqui de diversis est, et nec unum, nec simplex, nec immobile est. Quod si ratio et affectio, virtusve aut sapientia est, quæ quidem est, si eas habet : ubi est, quod supra tanto labore confecimus, videlicet ipsum nihil esse eorum quæ sunt, sed super omnia, et ab ipso omnia ? Quod si verum est, ab ipso sunt hæc ut alia. Si ergo hæc habet, quomodo summum ? si non habet, quomodo optimum ? Væ nobis ! defecimus scrutantes scrutinio. Putabam me totum tenere : totum perdidi. Utinam litteras nescissem ! Vere tenebræ sunt in lumine, et multo magis in multo lumine. Dominus quidem lux est, et in eo tenebræ nullæ sunt ; sed ab ejus inaccessibili luce tenebræ in nobis fiunt. Duo etenim sunt, quæ tenebras gignunt, inopia videlicet et superabundantia lucis. *Averte*, inquit ipse fons lucis, *oculos tuos a me, quoniam ipsi me avolare fecerunt* (*Cant.* IX). O Domine, quoniam hucusque illuminasti lucernam meam, illumina, obsecro, et has tenebras meas.

Si dixerimus, fratres, quod sæpe legimus, et indubitanter credimus, id est quod Deus sua sit sapientia, sua ratio, sua virtus, sua justitia, facile quidem dictu est, sed intellectu difficile. Quid est Deus, si justitia est ; aut quid est justitia, si Deus est ? Aut ipse erit infra substantiam, aut ipsa supra qualitatem. Illud indignum, istud impossibile. Fortassis autem, sicut ipse unitas est, non numerus, neque quantitas, sed fons numeri et origo ; et sicut simplicitas non qualitas, neque species, sed principium et origo speciei, sive mensuræ ; immobilitas quoque non motus, neque pondus, quod motu fertur, sed principium motus et ponderis : sic nimirum non sapientia, neque species qualitatis, aut genus est disciplinæ, sed fons et origo sapientiæ, sic et justitiæ, ac virtutis et hujusmodi ; ut non sapientia, nec aliquid talium dici debeat ; sicut nec numerus, nec mensura, nec pondus : sed principium, fons, et efficiens causa creaturarum omnium super omnia. Dicitur tamen numerus sine numero, mensura sine mensura, pondus sine pondere ; ut et dici possit sapientia sine qualitate, justitia et virtus sine affectu et habitu animi. Quod tamen dici melius credimus, si supersapientia, superjustitia, et sic de cæteris dicatur, sicut et supersubstantia : non tamen ut dicatur quid sit, sed ne omnino taceatur, aut si, cum omnium nihil sit, omnium remotione ponatur, de quo negationes magis veræ sunt. Proprius enim de illo omnia negamus, quam omnium aliquid affirmamus. Unde quantum ad divinæ theologiæ suæ proprietatem, sicut nec substantiam, sic nec sapientiam habet, aut est ; quantum vero ad inopiam et angustias rationabilis theologiæ nostræ, dicitur hoc et illud. Quantum autem ad symbolicam, et quodammodo sensualem theologiam, dicitur etiam cœlum et terra, sol, ignis, leo, bos, avis, lignum, lapis, aurum ; et eo liberius omnia per similitudinem, aut naturæ, aut officii, aut usus ; quo nihil omnium per proprietatem. Quare sicut metaphorice dicitur cœlum, et talia, ita dicitur substantia, sapientia, et similia ; eo tropo, cui contrarius est is qui dicitur hyperbole. Ille enim supergreditur veritatem, et excedit fidem : iste non pertingit ad veritatem, nec accedit ad proprietatem. Dicimus enim quod possumus, qui de ineffabili fari volumus, de quo nihil proprie dici potest ; tacere, aut mutuatis uti verbis, necesse est.

Videtis, fratres, quantas patimur angustias, quanta languemus verborum inopia, cupientes de indicibili aliquid proprie dicere, docere de incomprehensibili. Totum equidem, ut non solum credatis aliis, sed ut intelligatis ipsi haud posse intelligi quid sit Deus, aut comprehendi. Sed neque

A hoc, dilectissimi, nostra infirmitate, aut hebetudine vel obtusitate, sed sua ipsius virtute et subtilitate. Unde sancta illa, et sublimia, et pennata seraphim alis quæ volatum significant contemplationis, visa sunt velare faciem ejus et pedes, quatenus non velet eis principium et finem sua ignorantia, sed Dei incomprehensibilis supersapientia. Sicut enim nihil videndo tenebras invisibiles videmus, et inaudibile silentium nihil audiendo audimus : sic nimirum superabundantem et intolerabilem lucem non videndo nec tolerando, videmus invisibilem, non quidem cæci, sed a lumine superati. Vere, Domine, exercitatus sum ad quærendum te; et defecit, non a te, sed in te spiritus meus. Concupiscit et deficit anima mea in atria tua; deficit spiritus, intuendo B quem concupiscit; deficit et liquefit anima, delectando in eo quem conspicit. Attamen ex delectatione animatus, semper et recens, avidusque ad intuendum, et ex intuitu adjutus ad delectandum; quasi duabus mediis alis in te feror, in quem desiderant angeli prospicere. Unde, cum sim cinis et pulvis, quoniam semel cœpi, adhuc interrogabo te, de te, unum sermonem, id est, cum sis fons et origo prædictorum. Quomodo hoc es? Hoc ideo, fratres, quærendum putamus, quoniam hæc dissimiliter accipi posse, haud ignoramus. Est enim principium et origo fluminis fons; sed ejusdem naturæ, et eadem aqua, quæ fluit, agnoscitur cum illa, unde fluit. Similiter principium arboris radix, et omnis speciei principium, suum genus. Est etiam C principium germinis semen, seminis seminarium, seminarii elementa, elementorum ipsa, quæ dicitur, silva, seu hyle primordialis : ac in his omnibus, et quæ hujusmodi sunt, naturale principium speculantes, ubi quasi de capite corpus, vel similia de similibus, aut de naturalibus causis causata, quasi natura producit, superattendimus omnem opificem sui operis esse principium. Verumtamen alius prævenit et excellit ipsam naturam; alius vero solum imitatur eam. Et is quidem semper aliquid de aliquo ordiens, naturæ imaginem in aliquo opere non excedit : verbi gratia de auro nonnisi aureum, de lapide lapideum, de ligno ligneum operari aut facere potis est; quia imitator tantum D naturæ est. In cujuscunque autem opere, cum tria semper inveniantur necessario, materia, forma et causa, id est unde, qualiter et quare fiat, annumerato ipso, a quo fit, id est opifice : quatuor occurrunt necessario diversa principia, materiale, formale, finale et efficiens. Qui vero aliquid sumere de nihilo, aut sumptum in nihilum vertere, aut in diversam speciem aliquid demutare, sine additamento augere, sine demptione minuere potens est, manifeste ante naturam, et supra naturam opifex, etiam auctor naturæ est, et ab omni quod operatur, necessario dissimilis naturæ est. Cum igitur tot modis, quot in præsentiarum occurrit, dici principium, aut fons, sive origo possit, is qui cæteris dignior, et sublimior excellentiorque modus est, summo, et omnium excellentissimo Deo convenire, quis ambigat?

Est itaque unitas non numerus, sed principium numeri, nec finale, nec formale, nec materiale, nec naturale secundum seminales rerum causas, aut similium proportionem, aut corporis unitatem, sed omnino efficiens, a quo sit, et sine quo omnino esse non possit, alterius naturæ, dissimilis essentiæ. Una cum sit omnis numerus, plura. Simplex, cum sit ille compositus : incommutabilis, cum sit ille partibilis. Vere in se existens, dans tamen aliis dissimilem existentiam. Non enim binarius, cum numerus sit, et ab unitate habeat esse, quod est, idem quod unitas ipsa existit; nec tamen in binario nisi unitas veraciter existit. Quid enim est binarius, nisi bis unus, vel unitas? Sed neque sicut pars in toto, ita unitas in binario; sed sicut efficiens principium ejus sine quo esse non potest. Ubi autem binarius, si non sit unitas? Quod autem alicubi dicitur unitas pars binarii, aut simplex compositi, aut tempus ævi; consideranda est ratio dicti ex causa dicendi : alioqui si unitas pars est altera binarii, quæ erit altera? Quod si altera unitas, tunc duæ erunt unitates; si autem duæ, prorsus nulla. Unitas enim ante omnia existens, omnium est principium : esse autem duo omnium principia, impossibile est. Nam si paria sunt, neutrum erit alterius principium, ac per hoc nec omnium, nec ante omnia, nec unum vere et proprie. Non est igitur unitas, nisi una, et ipsa seipsa unitate una. Est itaque, ut diximus, binarius verus bis unus, et non duo uni, vel unitates duæ : et omnis numerus tot, quoties unus : nisi quis a rebus numeratis, et adjacenti qua numerantur quantitate, ad hanc quam dicimus numeri unitatem se attollere minus idoneus sit. Non est igitur in numeris, quod vere existat, et vere debeat numeri existentia dici, nisi unitas, quæ non est numerus, nec pars numeri, nec ejusdem naturæ, efficiens tamen numerum : existens ante numerum, sine qua numerus non existat, et in qua vere existat, eo quod in se eam existentem habeat. Similiter autem huic de simplici et composito, immobili quoque ac mobili. Non enim duo simplicia aut immobilia ulla ratio patitur, quorum alterum post omnia continens a nihilo, alterum super omnia regens et movens ad aliquid. Sunt itaque tria, unum, simplex, immutabile; ac ipsa tria simul unum, similiter simplex, et æque immutabile : quæ sola, imo quod solum et unum in omnibus vere existit, non subsistit : quod si se subtraxerit, nihil est jam, quod in omnibus vel assistit, vel insistit. Quæ cum in se vane ac inaniter omnia existant, sicut ait Sapiens : *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas* (*Eccle.* I), in ipso viva et æterna, imo æternitas ac vita existunt, sicut ait beatus apostolus : *Quod factum est in ipso vita erat* (*Joan.* I). In ipso itaque omnia, sed ibi quod ipse : ipse hic et in omnibus, omnium essentia, non quidem mutabilis, secundum quam vanitas sunt, quæ

nec essentia, sed imago ad vestigium quoddam essentiæ est; sed ea, ubi omnia veritas sunt et vita, simul, semel, semper; fons videlicet, efficiensque principium essentiæ, sapientiæ, justitiæ, ac similium; ea habens, ea existens, non qualia sunt in rebus; sed unde sunt, et sine quibus esse non possunt, quæ in rebus sunt, cujus aliquod prætendunt investiganti vestigium; ut per ea quæ facta pulchra et bona, pulcherrimus, optimusque intellectu conspiciatur, a quo facta sunt, qui vivit et regnat Deus. Amen.

SERMO XXIII.

IN EODEM FESTO VI.

Verum est, fratres, veritatis promissum: *Pulsate*, inquit, *et aperietur vobis* (*Luc.* XI). Pulsavimus et apertum est, ut cernitis, ostium grande et evidens, quo patenter apparuit, unum, quod Deum dicimus, ante omnia esse, sine omnibus esse posse, sine quo nihil, et ex quo totum: quomodo ex ipso, et qualiter in omnibus ipse, quæ verius ac prius in ipso quam in seipsis, in quo omnia ab æterno, quæ facta sunt in tempore, ut ait quis de illo philosophus:

... Pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens.....
(BOET. *De consol. philosoph.* metr. 9, vers. 9, 10.)

Et alius: *Fecit quæ futura sunt* (*Isai.* XLI). Et: *Qui vivit in æternum creavit omnia simul* (*Eccli.* XVIII). Nunc ergo, dilectissimi, concepta de Dei benignitate audacia, non demus ei silentium: propter quem silemus a mundo, et ab invicem. Clamemus ad ipsum, neque sileat ipse, ne taceat a nobis, et assimilemur descendentibus a solio excelso et elevato, ubi Dominum vidimus, in lacum ignorantiæ, atque oblivionis, sicut stultus ille, qui considerato vultu nativitatis suæ in speculo, oblitus est, qualis fuit (*Jac.* I). Nihil enim hic ostendit aut revelat de se Deus, ut visum sufficiat, seu delectet, sed ut ad inquirendum accendat: nihil, ut hic satiet, sed ut ad sitiendum excitet: *Satiabor*, inquit, *cum apparuerit gloria tua* (*Psal.* XVI). Interim vero: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum* (*Psal.* XLI). Cui ergo sufficit quod jam vidit, eo idipsum perdit, quod amplius non inquirit. Quæramus ergo, de ejus sancta mente, qua mundum ante mundum gerit, ubi fecit quæ futura erant, ubi creavit omnia simul. Sed si habet mentem, quomodo hoc non est ipse, qui omnia sua est? Nam et de hominibus placuit philosopho dicere: *Mens cujusque is ipse est.* Et de mente quidem hominis constat dictum: *Fecit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam* (*Gen.* I), si tamen habet mentem, sine qua nec sapientiam, nec justitiam habere posset. Duo quidem occurrunt, ipsum esse, et aliquid habere: ipsum esse, et ipsius aliquid, quod tamen de se sit, et hoc quod ipse. Et ecce nescio quo miro modo ratiocinatio invenit in vere uno vere duo; id est quod est, et quod ejus; quod est de nullo, et quod de ipso. Et ipsa duo unum, quia quod habet, hoc est: ipsumque unum duo, quia nihil de seipso esse potest, nec seipsum habere, nec suiipsius esse dici potest, aut convenit. Convincitur ergo in hac beata ac ineffabili, quam invenimus, unitate, superadmirabili dualitate, quæ tamen non recedit ab unitate, esse aliquid de aliquo, alterum de altero; duo quidem, sed unum: unum, sed duo; principium, et de principio, et hoc ipsum principium idem, qui est ante omnia; mens, in qua omnia, nec tamen duo principia, quoniam quod habet hoc est, Pater et proles: quod de nullo sit, ac nisi de aliquo esse non possit. Quod enim de nullo est, et de quo aliquid semper est, quid convenientius quam pater, mutuato vocabulo, dici potest ejus, quod de illo est? quod vero de illo, non incongrue etiam, si non alia præjudicet ratio, prolem ejus dicere est.

Exstante itaque uno simplici ac immobili, quod duo tamen manifestum est esse, cum sit et habeat, quod sit ejus. nec tamen nisi unum cum eo quod habet, hoc sit, nec nisi de se habeat, quod in se habet, et apud se, quidquid ibi incomprehensibili veritate occurrit, de nullo esse Patrem dicimus. Quidquid de illo solo, qui de nullo est, et Pater dicitur, quia de illo aliquid tanquam proles ejus est, filium nuncupamus: alterum in proprietate, quia ejus de ipso, in ipso, et apud ipsum: idem in unitate essentiæ cum ipso, quia omnia quæ habet, est, qui omnia sua est: et quod ipsius de ipso est, aliud quam ipse esse, nullomodo potest, qui omnino simplex ac indivisibilis est. Non enim simplex dividitur, ut unum sit duo; nec unum geminatur, nec unum cœpit habere quod ante non habuerit, nec immutabile desinere esse quod semper fuit. Semper enim et ante omnia unum, et de nullo, ac semper in eodem aliquid de aliquo; ut semper sit Pater, et sempiternus ejus de eo solo Filius. Nunquam autem qui de nullo, is de aliquo, nec qui de aliquo, is de nullo; ne unquam sit aut pater suus filius, aut filius pater suus. Semper qui de nullo, et qui de illo, ejus in illo unum ac idem, simplex, æternum, ut sit Pater et proles una natura, essentia eadem, cæteraque similia. Itaque æternitas Pater, de æternitate Filius æternitas: principium Pater, de principio principium Filius: sic de potentia, sapientia, et similibus: quæ juxta rationalem quam diximus nostram theologiam multa sunt, in summa vero et divina ineffabiliter unus, ut cum omnia hæc habeat, unus tamen habeat unicum, in quo simul, semel, semper, omnia unum, quæ in se inaniter multa computantur, et veraciter nulla inveniuntur. Ad symbolicam quoque theologiam descendentes, eamdem sequimur semitam veritatis, ut cum dicitur Verbum, imago, splendor, character, figura, candor, brachium, manus, dextera; ubique intelligatur aliquid alicujus, et in omnibus unum unius, ejusdem essentiæ, proprietatis divisæ.

Itaque quod ad rem pertinet, unde progressi

sumus, quare Verbum dicatur, investigemus. Sunt itaque menti rationalis tria exercitia; propter præsentia, præterita, et futura, ex tribus ejus naturalibus potentiis, ratione, memoria, ingenio. Ingenium exquirit incognita, ratio judicat inventa, memoria recondit dijudicata, et offert adhuc dijudicanda. Ingenium ergo quæ adinvenit, rationi adducit, memoria quod abscondit reducit, ratio vero tanquam præsentibus superfertur, et quasi in ore cordis semper aut masticat quod dentes ingenii carpunt, aut ruminat quod venter memoriæ repræsentat. Quod enim percepimus, et scientiam jam vocamus, aut in ore cordis nobis est, ut inde nobiscum quasi præsentialiter loquamur, id est cogitemus, vel, si proprius dici potest, meditemur, id est præsens intus speculemur, et inde prius tractemus, ut hoc ipsum, quod modo loquimur, quod utique prius est verbum cordis quam oris, aut in ventre memoriæ occultatur etiam a nobis. Non enim omne quod scimus semper occurrit nobis, nec semper versatur in intuitu scientis omne quod scit. Verumtamen temporaliter, et per partes, a memoria tanquam reconditum abstrahitur, et in ore cordis præsens formatur verbum, quod foris in ore carnis agit strepitum.

Quamobrem, sicut ex dictis liquet, quia Deo nihil futurum, nihil præteritum, sed totum quod est, vel utcunque fore potest, quoquoversum varietur aut variari possit, in ictu intuentis præsens simul et semel et semper est, nihil de memoria cogitatio referat, imo nec cogitatio nec memoria ibi locum habeat, unde nihil eat, quo nihil redeat, nihil de ingenio studium afferat, imo neutrum ibi ullum locum babeat, ubi nihil deerat; merito ei omnia tanquam superpræsentia, et immobiliter æterna in verbo esse dicuntur, et ratione mentis, quæ simul, semel et semper secum tractet, sibi loquatur. Non enim quod est, aut fuit, aut erit, loquitur tantum, sed et quidquid esse potest, quomodocunque, et undècunque, qualiter, ad quid et quare sit quod est, et quare non sit quod non est. Sed neque per partes, ut hoc prius, id posterius, penes quem nulla est vicissitudo, sed uno simplici, æterno fixoque intuitu, simul, imo si dici potest, super simul, neque sæpius hoc, tanquam finitum, reperit; infinitum enim sit, necesse est, quod infinito æquale est. Neque aliud super hoc, aut hoc dimisso, loqui potest, quia hic quidquid est, vel quoquomodo esse possibile est, eum ineffabiliter effari, manifestum est. Unde nec aliud, nec aliter, nec idem secundo dici ulla ratione potest, ubi nihil præterit vetus, nihil oritur novum, totum manet æternum: ubi nulla transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio; et ita sicut simul, ita et semel; et quia nunquam super omnia, ac in se omnia non videt, hoc etiam et semper. Non enim prius fuit, et postea se vidit, aut insipiens sapientiam adinvenit, qua saperet; aut otiosus cogitare cœpit, quid faceret; aut quod

(6) Hic sermo in agro habitus est inter laborandum.

A semel cogitavit, et sibi intus dixit, postea mutavit immutabilis, aut terminavit infinitus, quod sicut incipere non potuit, ita nec finire. Cujus intus consilium non inchoat et transit, sed nascitur, et totum permanet in æternum; et cogitationes cordis ejus perfectæ, sed non finitæ, nec inceptæ, nec transactæ, in generatione et generationem. Ibi enim nihil inceptum, nihil finitum, sed totum infinitum, nec tamen imperfectum; nihil præteritum, nihil futurum, sed totum præsens; sed nec hoc proprie. Nam si dicimus, loquitur Deus, aut cogitat, nondum videtur perfectum verbum, sive cogitatio, ut adhuc totum locutus sit, vel præcogitarit. Et si dicimus, locutus est, videtur transactum, quasi jam sileat: si autem loquatur, futurum videtur, ac si B nondum cœperit. Unde manifestum est, cum de Dei ineffabilis super natura aut verbo loqui cogimur, qui silere non sinimur; sicut nullum excogitari potest nomen, exprimens de quo dicitur: sic nec verbum, proprie significans id, de quo recte dicitur. Sed ecce sequentes ipsum Verbum lucernam factum pedibus nostris, tenentesque quocunque ierit, quaqua transierit, et quocunque se verterit, nec quaqua transierit, et quocunque se verterit, nec dimittentes quocunque penetraverit, et introierit, tandem introduxit nos in domum patris sui, et in cubiculum genitricis (*Cant.* III), id est ingenitæ paternæ essentiæ, sapientiæ, et potentiæ. Pater enim de essentia sua Filium genuit. Nos quoque C introduximus Verbum, quoniam sic ibi scriptum est: In domum matris nostræ. Nam dum ortum hujus sancti seminis, id est Verbi Dei indagavimus, nostrum profecto invenimus; non quidem aliunde, sed aliter inde. Nam cum de uno omnia conditione temporali et initio, solus hic ab eodem generatione naturali et æterna sine initio. Coruscante ergo lucerna, ut diximus, et lumen faciente pedibus nostris, quod proposuimus quærere, ex parte invenimus, et hoc nonnisi ex parte locuti sumus: et fortassis pars nostri nonnisi ex parte quod locuti sumus intellexit: scilicet unde ortum sit Verbum, quomodo, quando, et quale: id est quis locutus sit prius, quid, cui, quomodo, et quando. Verumtamen in his omnibus nondum seminatum foris Verbum, D sed quod foris seri possit, inventum. Itaque de alio initio quæramus, ubi, quare, quomodo et quando seminatum est: postulantes ipsum sancti et secreti Verbi satorem, ut horum nobis dignetur intellectum serere. Amen.

SERMO XXIV.

IN EODEM FESTO VII.

(6) Modo in nobis, dilectissimi, cernere est, quo modo totus homo in sudore vultus sui vescitur pane suo. Vere enim transverberans carnem, pervenit usque ad animam gladius. Ecce succidentes nobis novale, ne super spinas seminemus (*Jer.* IV), sudore defluimus, urente nos desuper sole meridiano. Itaque ob terrenum semen nimis fatigati, sub patulæ, quam prope cernitis, ilicis tegmine paulisper sedi-

nemus : ubi non sine interno quodam sudore divini nobis verbi semen excutiamus, molamus, conspergamus, coquamus, edamus, ne jejuni deficiamus. Hodiernus nobis panis primus erit investigare quare exiit, qui exiit seminare semen suum. Intus enim timeri non poterat defectus, ut foris quæreretur profectus. Et sicut minui non potest unum, sic nec multiplicari infinitum, nec decrescere simplex, nec augeri immensum, nec immobile moveri. Unde alium apponendum panem cernitis, scilicet quando exire potest, qui moveri non potest. Fratres, antequam sensibilis iste mundus fieret, nihil omnino minus erat, quam nunc est, imo infinite amplius, quam in hac sensibilitate existat. Totum enim, quod in exemplo patet, prodiisse de exemplari necesse est : sed totum quod est in exemplari, in exemplum venisse, nondum verum est. Ibi enim non solum quæ facta sunt, sed quæcunque fieri possunt, pulchrius et verius existunt, ubi non mutabilia et vana, sed veritas et vita sunt. Postremus enim rerum finis, sensilis iste status est : sicut supremus ille archetypus de quibus scriptum est : *Attingens a fine usque ad finem fortiter, et suaviter omnia disponens* (*Sap.* VII). Ilex ista cujus hic refrigeramur beneficio, pulchrius et mirabilius tota fuit in modica glande, quam nunc existat in tam grandi robore : peragensque circuitum suum iterum consummatur in glande. De glande enim ceu de puncto circumducta linea radicis, roboris, frondis, folii, floris, itidem ad glandem occurrit. Ipsa quoque modicum semen tanti roboris pulchrius in seminario matris telluris, et mirabilius tota consistit. Sed et ipsum in elementis, et in ipsa materia ; ipsa vero materia cum cæteris universis, modis omnibus excellentius et verius in mente divina. In robore ergo actualiter ilex subsistit, in glande feminaliter, in terra originaliter, in elementis causaliter, in materia possibiliter, in Deo potentialiter : in aliis mutabiliter ac mortaliter, in Deo immortaliter.

Cum igitur in Deo sint omnia, non solum potentia, qua fiant, sed etiam præscientia, imo præsenti sapientia : quid sibi voluit magnus ille gentium theologus, ut diceret elatum ingenti gaudio Deum, cum mundum perfecisset ? Nunquid novi aliquid foris vidit, quod intus non præviderat ? nunquid in exemplo pulchrum aliquid, quod non esset pulchrius in exemplari ; in arte quam in opere ? Unde si gaudere oportebat, intus erat altior gaudendi occasio. Nec tamen tantum philosophum, Plato quippe erat, id pueriliter dixisse crediderim, cum simile aliquid noster Moyses theologizarit. *Vidit*, inquit, *Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona* (*Gen.* I). Quasi intus aut lucidiora non vidisset, aut meliora non approbasset. An fortasse peracto opere, uterque theologus in operis fine finalem causam operis subtiliter insinuarit, ille gaudium, is bonitatem ? Quantum putamus gaudium, quantam delectationem, jucunditatem intus habeat, in tanta et

A de tanta majestate potentiæ, et luce potentiæ : ubi omnem pulchritudinem, omnem rationem, omnem ordinem, omnem causam, omnem effectum, in se, ac super omnia se conspicit ? Quare ergo foris concupivit utique incomparabiliter minus decora ? Fortasse ob ipsum ineffabile ac incomprehensibile gaudium et delectationem. Sed ecce interlucere incipit, in hac incomprehensibili, una, et simplici immobilitate, nescio quid tertium ; quod nec de nullo, nec de uno tantum esse possit. Si enim intus de hac sua luce, et cum ea gaudet ac delectatur, gaudium illud ac delectationem de utroque procedere manifestum est : de illo scilicet, qui gaudet, et de illo de quo, et cum quo gaudet. Utrumque enim principium constat esse gaudii, quod hujus de illo est. Verum B quoniam is qui gaudet, cum eo de quo gaudet, et in quo delectatur, unum esse, superius constitit, quidquid habet unum, hoc idipsum esse : est utique cum gaudio suo unum : quippe in quo incidere nihil potest alienum, nihil incipere novum, nihil interire antiquum : sed totum permanet æternum, cum tamen inventum sit jam trinum. Porro de quo gaudet, amat, et in quo delectatur, diligit. Unde dilectio de utroque est in utroque, sed idem ipsum cum utroque. Quoniam ergo in hac adoranda unitate quidquid de nullo esse occurrit, Patrem appellamus ; quidquid autem de uno solo, Filium dicimus ; restat ut quidquid de duobus esse in eo invenitur, utriusque dicatur : nec tamen Filius, ne confusio nascatur ; sed Spiritus sanctus, ut C proprietas discernatur, et amborum suavitas, dilectio, pax ac delectatio intelligatur, et hoc totum unum esse firmiter teneatur, ne ab unitate propter Trinitatem recedatur.

Exsultans itaque, et gaudens in sua luce lux vera, quid eguit nostris tenebris, ut videret foris obscurum, quod intus habebat tam lucidum ? Nam si lux erat, lucens utique erat. Quid enim est aliud lucere quam lucem de se gignere ? Sed quam lucem de se gignit lux, dum lucet, nisi quod ipsa est quæ lucet ? Nunquid lux et lucens duas luces significant ? Verumtamen nec indifferenter eamdem. Lux enim solam lucis essentiam significat ; lucens vero de luce lucem esse declarat : nec tamen aliam de alia, D sed aliter eamdem significat, ut alia sit proprietas, non alia lucis veritas. Lucere vere quid est, nisi lucem præbere ? Nec aliam equidem, quam ipsam, quæ lucet de luce. Lux tamen cum existat lux, minime lucem præbet, si non lucet ; lucere autem si non sit lux, omnino non valet. Lucere ergo de luce est, et de utroque lucem est præbere. Cum ergo dicitur solum hoc, lucem videlicet præbere, subintelligitur, et quasi aliquomodo consignificatur, lucere, et lucem esse ; cum autem dicitur lucere, subintelligitur similiter in eo, lucem esse, unde fulgeat, et quod lucendo illuminet, ac lucem præbeat. Cum vero lux tantum dicitur, subintelligitur quoque quod lucendo, id est lucem de se gignendo lucem præbeat, ac illuminet. Verum hi intellectus

non tam ex proprietate vocum, seu differentiarum, quas exprimunt ipsæ, quam ex rei quam significant, id est lucis, natura indifferenti, sive una consignificantur et cohabentur cuncti in singulis, singuli in cunctis. Una enim lucis natura, tres proprietates tribus illis vocibus designantur. Eia, fratres, quia Rachel parere non potuit, ancillam supposuit (*Gen.* xxx). Nam cum de luce illa inaccessibili nequivimus proprie dicere quid vere est, imaginaria usi contemplatione, per similitudinem diximus, quod longe dissimiliter simile est. Cum ergo existat lux, et de se lucem gignat, qua videatur ipsa lux, ac de sua natura præbeat se visibilem, ut ejus dono naturali videatur per ipsam ipsa : nonne hoc in luce maxime, eamque potissimum maxime amabilem facit, quod donabilis, capabilis ac fruibilis ipsa est ? Quo mihi omne quod potens est, forte, sapiens, justum, bonum : si communicabile non est, si participari non potest ? Id ergo in luce diligi maxime facit lucem, quod per fulgorem præbet se visibilem et fruibilem, etsi non sit, quod videat, vel ea utatur : hæc tamen est natura lucis, et, quantum in se est, semper largitur. Unde in ea de ea naturaliter donum quoddam est, quod lucet ; lucere autem habet ex eo quod lux est. Itaque omnis usus ejus in munere est ; et ex ipso causa, qua chara habetur ac diligitur.

Sit ergo dilectio ex usu, usus ex munere, munus ex specie, sive imagine naturali, id est nativo fulgore vel candore ; munus vero et imago a lucis æternitate, id est ab ipso lucis esse sive essentia : quæ essentia in ipsa inaccessibili luce, quam ut quimus, effigiamus, in hac corporea luce, penitus de nullo est, ac fulgori et illuminationi initium est. Hoc ergo Deus meus, illuminatio mea, in te maxime diligo, unde te diligere queo, et scire ac participare valeo, id est naturale donum tuum, scilicet quia naturaliter donabilis es, capabilis ac fruibilis. Hoc enim quoties aliquid te postulo, attendo, id est Spiritum tuum sanctum, bonitatem naturalem, ac gratuitam largitatem, non accidentalem, aut temporalem, aliquo meo affectu, vel opere excitatam ; sed æternam, immutabilem, qua semper talis es. Sed quoniam in te, qui Trinitas sancta es, Deus meus, lux vera, munus hoc lucis non a seipso est, nobis totum ab ipso est, quibus datum est, quod aliqua ex parte eo fruimur ; sed a specie ac fulgore, tanquam paternalis lucis prole, et per ipsam ab ipsa paterna luce. Nam de luce quia lucet, munus est lucis, et usus ex munere. Sub una veneratione, indifferenti charitate, in te diligimus Spiritum sanctum, in quo etiam Filium, per quem et Patrem, a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum (*Jac.* I). Pater enim in nomine Filii, id est per Filium, dat Spiritum ; Filius a Patre dat Spiritum ; Spiritus a Patre et Filio dat seipsum. Nihil enim datur, cui nihil debetur, nisi gratis, id est dono. Sed nec debitori dimittitur, nec male merito bonum redditur, nisi dono magno, majori,

A maximo : adeo totum datur aut dimittitur in Spiritu sancto : verum ipse cum omni usu ejus per Filium, per quem in Spiritu omnia donantur aut condonantur a Patre, principali quodammodo, ac fontali bonitate, ex quo.... Itaque, fratres, Trinitati Deo de hac sua luce et illuminatione gratias agentes, de cætero rogemus Patrem per Filium in Spiritu sancto, revelari nobis, quare voluerit foris exire, cui intus nihil deerat, foris adesse nihil poterat : et seminare, quod nec intus deficere servatum, nec foris multiplicari satum. Sed hic hodie fatigati pausemus, cras de alio dicturi initio, quod dare dignabitur dator et datum æternum, Spiritus sanctus : cui honor et imperium in perpetuum. Amen.

B

SERMO XXV.

IN EODEM FESTO VIII.

Indagantibus nobis, dilectissimi, causam universitatis finalem, primum occurrit, nec necessitate omnipotentem, nec cupiditate omnia habentem, nec curiositate sapientiam, nec vanitate veritatem aliquid facere potuisse; sed gratuita voluntate, et quodam propriæ largitatis munere; neque de novo concepisse animo, sed ab æterno in mente et voluntate habuisse, quod tandem opere compleret. Cum enim talis sit naturæ, quæ capi aliquatenus et participari possit, et in se de se jugi, stabili et ineffabili gaudio exsultet, pertinuit non solum ad naturalem bonitatem, verum etiam ad ipsius gaudii naturam, velle habere tanti et tam jucundi boni participem. C Neque sicut in nobis sæpe, curiositatis aut jactantiæ vitium est, internum gaudium non posse non communicare alteri; et quanto est majus, tanto minus posse celare : sed ipsius largitatis est gratia, et bonitatis natura, lætitiæ quoque gratuitum ac naturale bonum, velle sese in plures effundere, aut infundere, et in sui participium gratis colligere. Nam et largitas nunquam potest esse avara, nec bonitas invida, nec charitas otiosa; nec lætitia quærit esse occulta, vel solitaria. Fecit itaque, quando voluit, quæ velle nunquam cœpit, indivisa Trinitas indivise naturam sui capacem, suæ delectationis, jucunditatis, pacis et gaudii participio habilem, mentem rationalem videlicet ad imaginem suam de nihilo. D Quia nonnisi nihil erat, de quo primum aliquid faceret gratuita, sicut dictum est, largitate, et non naturæ suæ, ut nonnulli dixerunt, necessitate, quasi vacare non posset, sed naturali bonitate, tantum quia vellet. Felix tamen natura, quæ cogit benefacere : quæ enim naturali bonitate cogitur benefacere, quid nisi gratis, et libens facit? Fuit ergo naturalis bonitas causa operis, et interna mentis delectatio : operis dico rationalis spiritus, et ipse, naturæ corporeæ omnis. Universa enim corporea natura spiritui servit rationali ad eruditionem, et quodammodo suum loquitur principium, et nihil est sine voce. Ideo ergo factus est spiritus rationalis, ut gaudeat et condelectetur Deo de Deo, et de omnibus in ipso solo. Rationalis quidem factus, ut

ipsum Deum in se et in omnibus investiget; concupiscibilis, ut solum diligat ac desideret; irascibilis, ut cuncta huic contemplationi et delectationi adversantia reprobet, sicut scriptum est, *ut sciat*, videlicet per rationalitatem, *reprobare* per irascibilitatem *malum et eligere* per concupiscibilitatem *bonum* (*Isai.* VII).

Solum ergo et summum spiritus creati rationalis bonum est, et finis naturalis, rationalis et moralis studii, sive exercitii, id propter quod factus est, contemplari videlicet et delectari in Deo. Via autem ad hanc mansionem, investigare et imitari, inquirere, et desiderare, inquirendo desiderare, et desiderando inquirere. Solum vero ejus peccatum et malum, ab hac conversione ad Deum, et investigatione, et desiderio aversio, ut eo concepto B aliud quæratur et ametur. Eia, fratres, quid per multa currimus, et anxie quærimus, quod difficile invenimus? Breve est quod satis est: prope, quod perfectum. Gaudium est, amor est, delectatio, suavitas, visio, lux, claritas. Quod exigit a nobis Deus, ad quod fecit nos Deus. Ordo et religio est vera id facere propter quod facti sumus. Contemplemur id quo nihil pulchrius, delectemur in eo quod nihil dulcius; irascamur omnino ista impedientibus. Omne exercitium nostrum tam laboris quam quietis, tam sermonis quam silentii, huc referamus. Quod enim huc non refertur, neque propter hoc fit a nobis, propter quod facti sumus a Deo, ut eadem sit operis illius et nostri causa atque intentio; nec C virtus est, nec remunerabile est. Ibi enim et inde, et id erit factorum nostrorum remuneratio, ubi, et unde, et quod, ut fieremus, fuit muneratio. Id nobis principium ac finis: finale principium, et principalis finis. Principium perfectum, propter finem; finis infinitus, propter juge principium. Quod enim ubi incipit, semper finit; ubi finit, semper incipit: nec profectu carere, nec defectum potest incurrere. In omni habitu, in omni loco, in omni persona, *religio munda et immaculata apud Deum et Patrem, hæc est*, sola hæc sectanda, et propter hæc *immaculatum se custodire ab hoc sæculo* (*Jac.* I). Sed quoniam actu difficile est in sæculo conversari, et ab eo non contaminari, etiam propter hoc fugiendum a sæculo. Verumtamen ab hoc tam suavi et ama- D bili contemplationis otio, quo exercenda est omnis vis rationis, quo infigendus omnis nisus affectionis, quoniam sola inculpabiliter, vel etiam laudabiliter retardat rationabilis dilectio ac prospectio proximi, interposuisse creditur apostolus superioris sententiæ tenori, visitare pupillos et viduas in tribulatione sua (*ibid.*). Itaque omnis nostra, si vera est, disciplina, contemplationi ac delectationi, sive dilectioni semper insudet, aut solius Dei libero otio, aut proximi ordinato negotio. Sola enim proximi ordinata charitate suscepta sollicitudo, ab hac contemplationis jugitate et vigilantia excusabiliter, quandoque et utiliter animum inclinat. Nam quod corporalis exercitationis labori indulgemus, ut non desit,

A unde tribuamus necessitatem patienti, ipsi videlicet corpori adhuc animali, a proximi charitate non usquequaque alienum opinamur. Quid enim proximius animo suo ipsius corpore, quod non solum diligere debet, sed odire non valet? Ipsum ergo quoniam anima adhuc vivens, et necdum spiritus vivificans, de se solo vivificare non sufficit, providere sibi rationabili ordine habet, unde juvetur extrinsecus, ad id quod per se minus plene valet intrinsecus. Debitor enim carni est spiritus, ut eam vivificet, non ut secundum eam vivat. Omnis ergo cura, aut delectatio, quæ in solo Deo non est, excepta, ut dictum est, charitate proximi propter Deum, superflua est, et adulterina; et a causa, quare homines sumus, aliena: aversa a proposito Dei ad nos, et officii nostri ad ipsum.

Videte itaque, fratres, quanto fervore spiritus, et infatigabili nisu opus est, nos, relegatis cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, a qualibus recedit Spiritus sanctus disciplinæ, effugiens fictum (*Sap.* I), intendere in illud Deificum lumen, quod ad veritatem illustrat, et ad charitatem inflammat: qui ut id liberius, licentiusque possitis, etiam animalis corporis sollicitudines alteri superposuistis. Quibus si labor interdicitur, sollicitudo tollitur, cura interdicitur. Sollicitudo etenim necessario turbat, sicut scriptum est: *Sollicita es, et turbaris erga plurima* (*Luc.* X): cura vero gravat. Unde est illud Domini: *Ne graventur corda vestra crapula et ebrietate, et curis hujus sæculi* (*Luc.* XXI). Sollicitudo male sustollit, cura pejus deprimit, acedia pessime dissolvit. Mens enim in otio acediosa fructum actionis perdit, et contemplationis lucem minime invenit. Porro depressa curis, in altum se nequaquam erigit, turbata serena esse nequit. Cor enim quod tranquillum non est, serenum esse nullatenus potest; sin autem serenum, nec perlucidum. Cor vero contemplantis perlucere oportet, tanquam speculum, aut aquam limpidissimam et quietam, ut in ipso, ac per ipsum, sicut in speculo, per speculum, videat mens suam ad imaginem Dei imaginem. Ad hoc ergo cor mundandum est Deum speculari cupientis, non solum a noxiis ac superfluis, sed etiam necessariis curis; et excitandum lectione, meditatione, oratione. Beati enim mundicordes, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* V): quod ipse nobis præstare dignetur. Amen.

SERMO XXVI.

IN EODEM FESTO IX.

Naturali dono communicabilis gaudii sui facta a Deo mens rationalis, sicut prima et sola ejus suscipit imaginem, ita potest cognitionem et amorem. Facta est enim capax capabilis Divinitatis per rationem et voluntatem, id est intelligendi et amandi facultatem, tanquam per vasa quædam, ac instrumenta naturalis conditionis, quæ sicut primum gratiæ donum creat, ut sint; sic secundum replet, ne vacua sint, aut male plena. Male autem plena sunt, aut erroneo sensu, aut perverso amore per-

fusa: Deo vero solo, a quo, et ad quem creata sunt, bene repleri possunt, sed totum capere non possunt. *Major est* enim *Deus*, ait apostolus, *corde nostro, et novit omnia* (*I Joan.* III). Post ipsum vero spiritu rationali creato sicut nihil prius, sic nec majus. Unde etiamsi alio infundi potest, repleri tamen omnino non potest. Eapropter qui præter Deum solum aliud cupit spiritus, quo plus bibit, plus sitit; et cupiditatis, sive pecuniæ, sive laudis, sive potentiæ, et similium, dum extra Deum sufficientiam quærit, saturari nequit; majus est enim ipse, quam omne quod imbibit. Ipse ergo sicut vas, cui se sapientia et virtus Dei, ut cognitione ac charitate ipsius perfundat, infundit: ita est et ager, ubi se sapientia eadem, ac virtus seminat, quatenus de tali semine cognitionis lux, ac dilectionis fervor exsurgat. Prima igitur gratia, qui nondum erat ager, suscipiendo semini, ac multiplicando idoneus creatur, id est naturalis, ut diximus, facultas intelligendi et diligendi: ex quibus liberum constat in mente rationali arbitrium. Secunda vero gratia in ipsum liberi arbitrii agrum semen verbi jam spargitur: sic enim prius, quæ ardere possit, lucerna componitur; postmodum unde succendatur, ignis apponitur. Seminatur itaque hoc in agro verbi semen secundum agri naturam intus et foris: foris autem de Creatore loquitur rationali menti, verbumque facit doctrinæ omnis exterior creatura; intus vero ipsius intima rationalis natura: et super utrumque nonnunquam altius loquitur divinitus inspirata gratia. Semper tamen, sicut oculus carnis cum habeat ex natura facultatem videndi, et audiendi auris, nunquam consequitur per se ex se visionis ac auditus effectum, nisi beneficio lucis, et soni externi; sic nec spiritus rationalis, cum sit ex primo dono creatricis gratiæ habilis ad videndum Deificum lumen, nisi radio lucis superioris illustratus, nullatenus consequi poterit illius visionis effectum. Sicut enim solem non videt oculus, nisi in lumine solis, sic verum et divinum solem ac lumen, nonnisi in ejus lumine mens videre poterit. *In lumine tuo*, inquit Propheta, *videbimus lumen* (*Psal.* XXXV). Quare sicut de sole exit, unde sol ipse videri possit, et sine quo non possit, nec tamen solem deserit quod de illo exit, illumque ostendit, ita manens in Deo Verbum, quod exit ab eo, mentem irradiat, ut primo omnium ipsam lucis coruscationem, sine qua nihil videret, videat; ipsum quoque, unde non deserens, nec deserta, coruscat. Sicut enim lucem, quæ de sole fulget, prius videt oculus carnis, et in ipsa cætera videt, ipsumque radium sursum sequens, videt solem ipsum, unde exit, unde micat radius, qui ipsum illustrat, tanquam proprio dono, ac naturali beneficio: sic de illa inaccessibili luce exit fulgor, quem primo omnium mens videt, sine quo nihil videret; sursumque rapit, ut unde exit demonstret, suæque originis frontem revelet: quod tamen minime faceret, nisi inde exiret.

Ideo igitur inde exit, ut illuminet, ideo illuminat,

A quia exit, ut aliud sit ei naturale beneficium, aliud naturale principium; utrumque autem ab uno lucis fonte, unde lucet, ut illuminet, et unde illuminat, quia lucet; nec tamen prius lux est, postea lucet, tertioque illuminat: sed simul quia lux est, quoniam lux est, lucendo, quantum in se est, semper illuminat, nec tamen statim aliquid illuminatur. Sicut enim oculus, qui videre possit, si in hujus solis lumine crearetur, statim a præsentis solis radio sine ulla sui permutatione illustraretur, ac sine aliquo solis vitio vel vicissitudine obscurari casu, vel prorsus excæcari posset illico, ut pene et indifferens circa tempus esset, creari, illuminari, obscurari: sic a lumine in lumine, quod ubique semper erat, creata mens quæ non erat, ab ejus B præsentia statim perfunditur, nec in ipso novum aliquid exoritur, et sine ejus aliqua obumbratione in lucifuga spiritu statim obtenebratur. Sic nimirum vultus ad solem conversus illustratur, et immobili permanente sole aversus obscuratur. Exiens ergo sator lucis ac Verbi, lux ipsa et Verbum, primum semen de sinu Patris seminavit gratis, id est dono Spiritus sancti, in angelicæ naturæ agrum, dum ei intus per naturalem rationem *illuxit*, et quasi præcepto naturæ instruxit. Sed dum seminat, in quibusdam cecidit semen secus viam. Via enim, per quam venit ad creaturam beneficium Creatoris, charitas ac dilectio ejus sola est, et gratuita: via autem per quam rationalis creaturæ obsequium C ascendit ad Creatorem, similiter charitas et dilectio ejus est sola, ac debita. Cum ergo, ut dictum est, in angelis prius seminasset, aliis cum gratiarum actione ad Deum se a se convertentibus, humilitatis radicem deorsum mittentibus, ac obedientiæ fructum sursum facientibus, sicut scriptum est: *Quod salvatum fuerit de Juda, mittet radicem deorsum, et faciet fructum sursum* (*Isai.* XXXVII), alii ad seipsos conversi, evanuerunt in cogitationibus suis, et reputantes se sapientes, stulti facti sunt. Obscuratum est enim insipiens cor eorum tanquam aversorum a luce. Non enim eum a quo illuminati sunt, vel a quo tanquam ager sati, sicut decuit, glorificaverunt; sed seipsos efferentes, genuerunt de se cogitationes superbas, vanas et elatas, lucis, quia hu- D militatis, prædones, genitrices mentes conculcantes, rapientes beatum semen de corde, ne fructum charitatis de radice humilitatis ferrent in obedientia. Tales sunt qui in veritate nec ad horam quidem steterunt: quibus, ut diximus, circa tempus ferme indifferens fuit, creari, illuminari, excæcari. Excæcavit enim eos sua malitia, quos creatrix illuminavit gratia.

In his ergo sapiens sator semen periisse non nesciit, nec tamen seminare adhuc messis avidus destitit. *Sed dum seminat, aliud cecidit supra petram* (*Luc.* VIII). Petrosa ista terra humana est in Adam natura: quæ seipsam in David experta, jamque sui gnara, ait ad Dominum. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi* (*Psal.* CXLII). Hanc secunda satione

Dei Verbum seminavit, dum eam non solum intus munere rationalis animæ, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, sed etiam foris præcepto disciplinæ illustravit, dicens : *De ligno scientiæ boni et mali ne comedas* (*Genes.* II). Primo ergo seminavit in cœlo, secundo in paradiso. Hic igitur cum gaudio suscepit verbum, et ad horam stetit ; sed cum de seducta muliere tentationis æstus efferbuit, male suasæ ac prius suadenti pessime consensit : et obediens voci mulieris plusquam Dei, sicut in radice humilitatis ab humore charitatis jam intus exaruit, sic ab exterioris obedientiæ virore cito emarcuit. Adjecit autem tertio seminator Deus seminare per Moysen in deserto ; sed dum seminat, aliud cecidit super spinas. Judæi namque in observantiis mandatorum et præmiis observationum, sola semper temporalia ac terrena attendentes, dum carnalibus solum inhiant, omnem spiritualis intelligentiæ fructum in lege suffocant. Verumtamen quia, sicut dicitur, *labor improbus omnia vincit* (VIRG., *Georg.* lib. IV, vers. 145), etiam adhuc quanto per se, ac post per apostolos, sator iste Dei Filius factus hominis filius, semen suum seipsum seminare adjecit in mundo, ubi reliquiæ Israel, ac plenitudo gentium, tanquam terra bona, cum gladio susceperunt verbum ; et fecerunt fructum, in solis et algoris patientia. Primum ergo seminatum est in cœlo, secundo in paradiso, tertio in deserto, quarto in orbe universo : *Ite*, inquit, *in orbem universum*, *et prædicate evangelium omni creaturæ* (*Marc.* XVI). Primo in angelis, secundo in primis hominibus, tertio in Judæis, quarto in gentibus. Primo præcepto naturæ, secundo præcepto disciplinæ, tertio mandato litteræ, quarto Evangelio gratiæ. Primo verbum in ratione, secundo in voce, tertio in charactere, quarto in carne. *Verbum*, inquit, *caro factum est*, *et habitavit in nobis* (*Joan.* I). Primo rationi totum intus, secundo foris auribus, tertio etiam oculis, quarto simul et manibus. *Quod audivimus*, inquit, *et vidimus*, *et manus nostræ tractaverunt de Verbo vitæ* (*I Joan.* I). Sic ergo per totum mundi tempus ista agri inventa est distinctio, et auditorum differentia, sic nimirum cum ipsum Verbum per semetipsum præsens seipsum loqueretur in carne. Sed et hodie cum nos vel alii semen ejusdem Verbi communiter spargimus, inveniuntur in auditoribus alii respuentes, alii rejicientes, alii suffocantes, alii fructificantes, in patientia : quod et angelus in constantia, ac homo primus in sola potuit obedientia. Primi ergo non concipiunt, secundi abortivum faciunt, tertii fetum vivum opprimunt, quarti cum pietate ac diligentia materna nutriunt. Quod interna sua sui satione nobis præstet Christus Dominus noster. Amen.

SERMO XXVII.

IN DOMINICA QUINQUAGESIMÆ I.

Ecce ascendimus Jerosolymam, *et Filius hominis tradetur*, etc. (*Luc.* XVIII). Fratres, prosperum iter faciat nobis Deus salutarium nostrorum. Ecce enim et nos ascendimus Jerosolymam. Ideo enim in hanc insulam omnium terrarum ultimam, postquam, ut ait propheta (*Isai.* XVIII), non est alia, modicam, et in mari magno occultatam descendimus, ut Jerosolymam ascendamus. Verumtamen non in eam, quæ terrena est, et servit cum filiis suis ; sed in cœlestem, quæ sursum libera est, mater omnium nostrum, ubi nemo servit, sed reges sunt universi. Tota enim illa cum filiis suis regibus, et sponso Rege, Regis Filio, Regina regnat in æternum. Sicut enim alites ut se in aera pennis subrigant, profundius omni corpore solo ubi resident, se imprimunt ; hominum quoque ac ferarum eadem est ars naturæ, sive natura artis, aut potius ars naturalis, ut in sublime salire cupientes, humilius terræ quasi toto subsidentes corpore incurventur, ita et nos cœlum affectantes, a communi orbe declinavimus : hiantes ad plenitudinem, divitias projecimus ; ad honores ambientes, tanquam purgamenta hujus mundi abjecti sumus : qui in mundo aliquid videbamur, in congregatione quoque fratrum nonnihil reputati, ut vere aliquid esse possimus, ecce ad nihilum redacti sumus. Quæ enim jam, ne dicam æstimatio, sed vel memoria nostri in mundo? Mundo namque oblivioni dati, tanquam mortui ab ejus corde utinam et non ejus penitus obliviscamur, ac moriatur ipse in cordibus nostris a cordibus nostris ! quatenus sicut loco, sic animo possit quisque dicere : Mihi mundus mortuus est, et ego mundo. Utinam, quæ retro sunt, sicut manibus deserentes, ita cordibus obliviscentes, in anteriora nos cogitatione tota et aviditate extendamus, arietum more retroacti, in ea quæ ante sunt, fortius efferamur ! Nimirum arduum est quo ascendere molimur ; arctum quoque quod penetrare attentamus : ideo expeditos nos esse concedet et subtiles. In altum enim repere onustum, ac per angusta intrare inflatum, difficile. Non inflare hominem divitias, nec onerare curas, nec gravare crapulas, divini potest esse miraculi, humanæ autem infirmitati impossibile, Deo vero omnia possibilia. Ideo ergo sequitur :

Et Filius hominis tradetur gentibus ad illudendum et crucifigendum. Vetus autem homo noster veteris hominis filius, cum novo filio hominis crucifixus est aliquando, sicut beatus ait Apostolus : *Vetus homo noster simul crucifixus est* cum illo (*Rom.* VI). Unde adhuc oportet, dilectissimi, ut in singulis nobis, dum sexta Sabbati adhuc agitur, crucifigatur. Ego enim cum sim corpore et anima personaliter unus homo, in me tamen duos, et duorum invenio filios : veterem ac novum, terrenum et cœlestem, hominis filium, et Dei Filium ; hominem hominis filium generatione carnali, ubi quod natum est ex carne, caro est ; et Deum, Dei Filium generatione spiritali, ubi quod natum est ex spiritu, spiritus est, aut de Deo Deus, juxta quod dedit potestatem hominibus filios Dei fieri. Regenerati enim de Spiritu sancto, et virgine matre, quæ est Ecclesia, quid nisi miro, novo ac divino modo nascimur,

mirabiliter de veteribus novi, de peccatoribus justi, de carnalibus spirituales effecti, de hominibus Dii, quales non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sumus? Sicut enim æternus Deus factus homo novus, non de nihilo, neque de alieno, sed de homine vetere, nec tamen ab homine, sed de Spiritu sancto et virgine Maria, absque omni peccato apparuit hominis filius, ita veteris hominis vetus filius, nec ipse de nihilo, neque de alieno, sed de vetere homine seipso, nec ab homine, sed de eodem Spiritu, et virgine matre Ecclesia, in remissionem omnium peccatorum renascitur Dei filius. Verum hic intus latet in nobis, sicut in ipso latuit; foris vero patet in nobis imago terrena terreni, vetus veteris, in veritate carnis peccati, sicut et in illo patuit, sed in similitudine carnis peccati. Conceptionem enim ac nativitatem, quam pro nobis, de nobis, et in nobis accepit, contulit et nobis, quatenus similiter concepti ac nati, similiter vivamus, moriamur et resurgamus. Qui enim dicit se in illo manere, debet sicut ille ambulavit, ipse ambulare. Ascendit ergo Jerosolymam, ut filius hominis qui foris apparebat, traderetur, flagellaretur, crucifigeretur, et a Filio Dei, qui intus latebat, die tertia suscitaretur; homine tamen hominis filio, et Deo Dei Filio existente personaliter uno: hoc tamen natura, illo gratia; hoc prius, illo posterius.

Itaque, cum et ego, ut dictum est, sim personaliter unus homo, et natura filius hominis, cujus foris apparet imago; gratia vero Dei, Filius Dei Deus in interiori imagine et similitudine, non abs re dixi superius unum me esse et geminum, ac in me uno homine duos duorum filios contineri. Sic Abraham duos in una domo filios habuit, unum de ancilla, et unum de libera (*Galat.* IV): illum priorem, istum posteriorem. Prius enim semper, quod animale est, deinde quod spirituale. Et sicut ibi, juxta Apostolum (*ibid.*), major persequebatur minorem (Sara autem ludentem filium ancillæ cum filio suo vidit, non persequentem [*Gen.* XXI]), sic in me hodie. Major minorem, id est prior posteriorem, exterior interiorem, animalis spiritualem, Ismael Isaac, filius ancillæ filium liberæ, filius hominis Filium Dei persequitur, sed ludendo, sed blandiendo, sed demulcendo, ad turpes ac illicitos, sibique indebitos, ac indecentes usus alliciendo. Sic enim pugnat et concupiscit caro adversus spiritum, non expellendo a se, sed attrahendo ad se: non abjiciendo, sed alliciendo: *Tentatur*, ait Jacobus Apostolus, *unusquisque a concupiscentia sua abstractus et illectus* (*Jac.* I). Hæc sunt illa fraudulenta inimici oscula, longe pejora quam amici jurgia, aut verbera. Filius ergo hominis in me odit Filium Dei, ac persequitur, id est caro spiritum, blandimentis et delinimentis lethiferis, juxta quod: *Inimici hominis domestici ejus* (*Matth.* X). Filius vero Dei, qui sum ego, in me novus in vetere, diligit eum, cum quo rixatur, filium scilicet hominis, quem verberat, ut emendet; flagellat, ut castiget; tradit, ut liberet; quia si Filius Dei liberaverit, hominis filius vere liber erit; et si flagellat, recipit; si arguit, diligit; tandem passioni, mortique contradit, sed ut a passibilitate ac mortalitate die tertia resuscitet. In cunctis absque misericordia ad mortem usque persequitur, flagellis et clavis, lancea ac spinis, colaphis et sputis, opprobriis ac contumeliis, omnibus tamen non lethiferis, sed salutiferis; non ex odio, sed ex amore, ex pietate, ex consultu, donec penitus occidat, fiatque quod ait Sara: *Ejice ancillam, et filium ejus* (*Gen.* XXI; *Gal.* IV): ut solus filius liberæ promissionis, et gratiæ tanquam Dei Filius regnet in domo paterna, et sit Deus omnia in omnibus pace plena. Ad hujus igitur pacis visionem in nobis, hoc enim signat Jerosolyma, ascendentibus nobis, dilectissimi, tradendus est Filius hominis, homo scilicet noster exterior ab interiore, ac non sine aliqua seductione gentibus alienis, id est disciplinis et districtionibus regularibus, abstinentiæ ac vigiliis, cineri ac cilicio, laboribus et silentio, paupertati, vilitati, ac omnino alieno imperio, ut ab his flagelletur et crucifigatur, donec funditus a proprio sensu et voluntate, ac veteris vitæ consuetudine occidatur; quatenus peccato mortuus, justitiæ vivat in nobis cum Filio Dei, id est ut nos ipsi penitus peccato per pœnitentiam mortui, ac novæ vitæ resuscitati, justitiæ vivamus.

Itaque, dilectissimi, crudeles ac duri nobis ipsis simus, sed exterioribus, ne crudelem ac durum offendamus judicem, interioribus et exterioribus. *Si nos*, inquit, *ipsos accusamus* (*I Cor.* XI) veraciter, judicamus districte, condemnamus dure, non timebimus alium accusatorem: nec alium offendemus judicem, nec alium sustinebimus tortorem. Quid quærimus delicias, aut quietem? In cruce sumus, in mundo fuimus. In inferno sumus, sed misericordiæ, non iræ; in cœlo erimus. In mundo peccavimus, hic punimur, ibi pausabimus: illic in deliciis, hic in pœnis; ibi in gloria, illic in sorde; hic in purgatione, ibi in requie. Quid quærimus? Suavem infernum? Quare ergo suavem et delectabilem reliquimus mundum? Abbas noster pater sit animarum, tortor corporum. Pater fit Filii Dei in nobis et nutritor, pædagogus et tutor, quanto tempore parvulus est, qui hæres futurus est, et qui in domo mansurus est in æternum; filii autem hominis sit flagellator, proditor, seductor, exspoliator, ac tandem crucifixor et sepultor. Quod si ipse fuerit nobis negligens, nos sumus nobis abbates, filii hominis homicidæ, at Filii Dei nutritores, ut crescat, et fiat magnus valde, sicut de Isaac legitur, et sicut ait Apostolus: *Donec formetur Christus in nobis*, *et occurramus in virum perfectum*, *in mensuram ætatis plenitudinis Christi* (*Gal.* IV): qui vivit, etc.

SERMO XXVIII.

IN EODEM FESTO II.

Prædicente Domino Jesu passionem suam discipulis suis, et resurrectionem secreto, sicut se-

quitur, ipsi verbum non intellexerunt. Et fortasse sub hoc mysterio secreto locutus est eis, quia quod loquitur secretum est ab eis. *Erat*, inquit, *verbum absconditum ab eis, et ipsi nihil horum intellexerunt* (*Luc.* XVIII). Ego quoque eorum quæ de crucifixione filii hominis in me hesterna die tam prolixe dixi, utique nihil intelligo, quid sibi velit omnis exercitatio mea et continuus labor, ignoro; quem habitura sint finem nescio; quid portendant, quo vocentur nomine ante eum qui bonorum nostrorum non indiget, non intelligo. Sæpe enim quod altum est apud homines, abominabile est apud Deum. Merita quidem nostra significativa præmiorum esse non ambigimus, et omnia quæ agimus, quasi voces quasdam esse propheticas, et prænuntias eorum quæ ventura sunt super nos, præmiorum aut suppliciorum. Reddetur enim *unicuique secundum opera sua* (*Apoc.* XXII). Et : *Oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque, prout gessit in corpore* (*II Cor.* V). Videns tamen publicanos et meretrices ingredi in regnum Dei, et excludi prophetas ac virgines, mirabiliumque signorum effectores, eos quoque qui portaverunt pondus diei et æstus, nihil majus accipere his qui una hora fecerunt, et id posterius, fateor, haud intelligere me, in omnibus quæ ago, quid agam, et cum omnia bona fecerim, et sustinuerim mala, nescire, utrum amore dignus sim, vel odio (*Eccle.* IX). O verbum valde secretum, nimis absconditum! quod nec taceri potest, nec sciri. Opera verba sunt; omnia clamant, et nihil est sine voce : sed adhuc quis sit finis sermonis, nec audivimus. Ideo quid sibi velint universa, quid portendent non intelligimus. De fine sermonis sententia pendet; omnis oratio ad finem usque suspenditur, fini acclamatur, fini respondetur, de fine judicatur, ante finem pendula sunt omnia, et nusquam locantur. Ante finem possunt prave dicta corrigi, prætermissa suppleri, superflua resecari, bene dicta depravari. Finis omnia concludit, omnia locat, omnia perficit, ut ante finem quid sit aliquid, nisi temere diffiniatur. Sic omnia incerta reservantur in posterum : quocunque vero ceciderit arbor, sive ad dexteram, sive ad sinistram, ibi erit; sive ad austrum, sive ad aquilonem (*Eccle.* XI), ibi locus ejus ante Dominum, cui nihil præteritum, nihil futurum. Omne quod vivimus, punctum est, aut momentum; omne quod agimus tam diverse, tam variabiliter, opus unum, cujus finem exspectat Dominus et judicat. *Dominus*, inquit, *judicabit fines terræ* (*I Reg.* II). Principia et media mobilia sunt, loco vaga, ac per hoc a judicio libera; finis omnia locat, in quo omnia locantur. Qui usque in finem perseveraverit, salvus erit. Multorum enim diu multumque elaboratæ justitiæ, ob dissimilem finem in oblivionem erunt. Tales, quia non peregerunt, nihil egerunt; aut potius quod peregerunt, et non finierunt, id solum egerunt; cætera vero inchoata, non acta, quia reliquerunt, relinqui meruerunt. Ita omne quod natum est ex Deo non peccat (*I Joan.* III), quia non perpeccat. Sic spiritus Domini a die unctionis David et deinceps, ab eo non discessit (*I Reg.* XVI), quia rediit, quia finem tenuit. Dominus quoque pro Petro rogavit, ne deficeret fides ejus, cui juxta hunc sensum loquens, ait : *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII). Vides quod fides apostoli, quæ adeo defecit, ut ad ancillæ vocem ter negaret nosse se quem triennio secutus est, minime defecisse dicitur, quia ad eum aliquando conversus, non perdefecit ab ea. Propter hæc omnia ac similia, dixi non intelligere me id ipsum quod ago de me, aut patior in me; sed esse omnino omnia mea abscondita a me. Rogandus es ergo, bone Jesu, ut coram nobis certum aliquod ac indubitabile signum facias, quo de dubiis certos reddas, sicut coram discipulis mente adhuc cæcis corpore cæcum illuminasti, ut per id quod in præsenti mirum cernerent, de dubiis indubitanter futurum crederent, quod audirent.

Cum, inquit, *appropinquasset Jesus Jericho, cæcus quidam sedebat secus viam*, etc. Jericho, ut dicunt, luna interpretatur. Cum ergo appropinquasset videns lunæ, appropinquavit cæcus soli : ille tenebris, nam et luna nonnullas tenebras habet; iste soli, qui totus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ; ille defectui, iste profectui; ille mutabilitati, iste stabilitati; ac, ut ita dictum sit, ille insipientiæ, iste sapientiæ. Ut luna enim insipiens mutatur, sapiens vero sicut sol permanet (*Eccli.* XXVII). Et ut paucis absolvamus, quantum in Domino Jesu exinanitus est Deus Dei Filius, ut homo fieret, tantum exaltatus est homo hominis filius, ut Deus fieret. Cum enim tempus ante tempora præfinitum hujus sanctæ ac salutaris Incarnationis appropinquasset, stans vidensque Divinitas cæcam et sedentem in tenebris humanitatem, ab angelis sanctis jussit sibi adduci, et de semetipso illuminavit ne animo cæca ac iners, extra viam de inopia mendicaret : imo luminosa ac fortis, in ipsa via de plenitudine luminis illuminantis, ea corporaliter exsultans, laudaret et glorificaret Deum, ad hoc tandem reducta, ad quod olim facta. Verum quoniam opera Salvatoris sicut facta pro nobis ad redemptionem, sic scripta nobis credimus ad eruditionem; facta ad medicinam, scripta ad doctrinam : *Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt* (*Rom.* XV) : superioris expositionis tenorem sequentes, invenire est, unumquemque nostrum simul videntem et cæcum, euntem et jacentem juxta quod combinatos ac geminos nos præhabitus sermo ostendit. Mater enim nostra Cethea, cum in consilium impiorum, id est propriæ concupiscentiæ, ac sibili serpentis abiit, patrem nostrum Amorrhæum extra viam jecit. Deum enim voci mulieris obedivit, plusquam Dei, viam nimirum perdidit, id est, ipsam obedientiam, qua sola in veritate itur ad vitam.

Nos igitur utriusque portio substantiæ, abinde et cum matre semper male viximus, et cum patre pe-

jus jacuimus; male in via videntes ac pergentes, pejus extra viam jacentes et mendicantes. Attamen cum Jericho videns appropinquat, cæcus ad lumen respirat. Quid multa? Cum interior homo noster per inobedientiam superioris Dei et obedientiam inferioris mulieris est excæcatus ad intelligentiam, exterior est illuminatus ad concupiscentiam; cum autem exterior infirmatur a concupiscentia, et ejus appropinquat defectui, interior convalescit ad intelligentiam, ac ejus adducitur profectui. Interior vero quodammodo vir est, et imago Dei; exterior autem mulier ac imago viri. Ante peccatum quidem non dicuntur aperti oculi amborum (*Gen.* III), sed solus vir vidit quid vocaret universa, tanquam spiritualis dijudicans omnia. Exterior vero animalis est, etiam ante peccatum, et nec Creatoris habet visionem, nec creaturæ discretionem, sicut interior, qui oculo intelligentiæ Creatorem contemplatur, oculo rationis creaturam examinat: quorum alterum inobedientiæ trabe exstinctum, alterum festuca obedientiæ turbatum, furibundus et cæcus extra viam jacens ac mendicans sic plangit: *Comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem* (*Psal.* XXXIX). Et alibi: *Turbatus est a furore oculus meus* (*Psal.* VI). Et quasi quæreres, quare jaceret, et non saltem cæcus iret, ait: *Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum* (*Psal.* XXXVII). Quod autem post peccatum dicuntur oculi aperti amborum, quid est, nisi quod cum exteriore per ambitionem et curiositatem, et delectationem, interior extrahitur, factus cum carne carnalis, cum animali animalis, cæcus ad Deum, perspicax ad mundum, obtusus ad scientiam, acutus ad concupiscentiam? Qui suos perdidit vir, mulieris tantum oculis coutitur. Proh pudor! Facta est mulier caput viri, dux mariti femina. Sic sapientis oculi in capite ejus (*Eccle.* II): sic oculi viri stulti in capite mulieris ejus (*Prov.* XVII), ac per ipsam in finibus terræ. Exterior enim homo noster hominis tantum filius, de terra est, et de terra loquitur, terrenus terrena tractat ac meditatur, in terrenis delectatur; ea videns, ea sapiens, in quibus, et de quibus oriundus. Interior vero quod olim poterat de Creatore suis oculis cernere, pedibus adire, manu capere, nunc cæcus ac debilis sedens mendicat, videlicet veritatis cognitionem a creatura, dum per ea quæ facta sunt factorem inquirit, proprii studii quasi clamore ac doctore, dum foris quærit a magistro quod intus gerit inscriptum a Deo; nec ante poterit luci veritatis accedere, nisi a tenebris vanitatis abscesserit: nec hujus adventare profectui, nisi illius appropinquaverit defectui. Luna enim, quod Jericho interpretatur, pro defectu interioris hominis concupiscentiæ non incongrue ponitur. Quando ergo et quantum homo exterior a concupiscentia sua, qua concupiscit adversus spiritum, deficit, tunc ac tantum interior in concupiscentia sua adversus carnem proficit, et quando caro tenebris suæ lucis appro-

A pinquat, spiritus ad illuminationem tenebrarum suarum approximat; quod tamen impossibile factu est, nisi intercesserit, qui illum abducat, istum autem adducat, juxta quod orans Psalmista clamat ad Patrem: *Emitte lucem tuam, et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua* (*Psal.* XLII). Quo nos perducat lux et veritas Christus, qui vivit et regnat Deus. Amen.

SERMO XXIX.

IN EODEM FESTO III.

Deus Dei Filius, dilectissimi, lux et veritas, Jesus Christus, emissus a Patre, inter rebelles et adversus alterutrum concupiscentes, carnem ac spiritum, medius intercessit; solvensque veteres inimi-
B citias, tandem in semetipso pacem reformavit. Neque hoc quanta facilitate Omnipotens potuit, sed quanta charitate et patientia benignissimum decuit, et quanta eruditione hebetudo nostra indiguit. Quod enim sæpe jam diximus, Deus non solum ut redimeret, sed ut erudiret, hominem suscepit. Totum ergo hominem, id est carnem de carne Adam, ob quem se Filium hominis crebro nuncupat, et spiritum rationalem suscipiendo, simul semelque sanctificavit; diu vero, ac per omnes fere ætates, quomodo gerendus esset, gerendo edocuit. Itaque dum ipso Dei Filio, id est Patris Verbo agente et deducente, Filius hominis, id est caro, sive homo noster exterior, defectui concupiscentiarum suarum
C appropinquat; desideratæ luci ipso adducente spiritum approximat. Nonne ipse in seipso Filium hominis, id est carnem de homine sumptam, jejuniis et eremi squalore, fame et siti, labore et fatigatione, vigiliis et disciplinis, fatigavit, attenuavit, exsiccavit fortiter: quam postea vinculis et flagris, sputis et colaphis, spinis et clavis, et impiorum manibus exposuit crudeliter, sicut scriptum est: *Terra tradita est in manus impiorum?* (*Job* IX.) Ut ergo Jerusalem Filius hominis ascendat, deducente Dei Filio, Jericho appropinquat, ipsoque adduci jubente cæcus ad lumen repedat (*Luc.* XVIII); quia ut caro ad pacem sui spiritus proficiat, necesse est ut per Dei gratiam a sua carnalitate deficiat, et ut spiritus rationalis ad intelligentiæ lumen redeat, necesse
D est deficiente carnalitate, eadem adducente gratia, ad Dei Verbum haud segnis accedat, sicut scriptum est: *Accedite ad eum, et illuminamini* (*Psal.* XXXIII). Utrumque nobis, dilectissimi, sicut impossibile est, sic Dei Filio factu facile. Quid enim nos nisi tenebræ et vanitas: ipse autem lux et veritas? Nisi ergo in nobis sit et operetur Dei Filius, nec a malo deficimus, nec ad bonum proficimus, nec a vanitate cadimus, nec ad veritatem surgimus. Verumtamen sicut in illo Dei Filius natura carnem et animam suscepit, gratia alteram a concupiscentia excæcans, et alterum ad sapientiam illuminans, cum sit a Patre naturaliter unus, sumpta tamen nostra dualitate effectus, quodammodo substantiis trinus, naturis geminus, persona permanens unus: ita, frater,

cum sis persona unus, natura geminus, perceptione gratiæ effectus es, et tu tuo modo trinus, secundum quod dictum est : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I).

Sicut ergo ille hominis filius Dei Filius, ita et tu Dei Filius hominis filius. Quare sicut in illo Dei Filius hominis filium gessit ac rexit, deduxit et adduxit : ita in nobis noster Dei Filius nostrum hominis filium gerat, regat, ducat, et adducat, partim ad defectum, partim ad profectum ; ad defectum carnalium ac terrenorum, ad profectum spiritalium ac cœlestium. Et sicut ipse quasi charitatem suam ad nos insinuans, quod gratia factus est pro nobis, se sæpius nominat, id est filium hominis, ita et nos quod facti sumus ab illo, id est Filii Dei, nova scilicet creatura in Christo Jesu, secundum quod voluntarie genuit nos verbo veritatis, semper cum gratiarum actione attendentes, filios Dei nos cum reverentia nominemus, dedignantes esse vel dici, quod carnaliter nati sumus, id est filii hominum. Tales enim per Prophetam Spiritus sanctus increpans, dicit : *Filii hominum, usquequo gravi corde* (*Psal.* IV). Et alibi per prophetam exprobrat : *Filia matris tuæ tu es, et soror sororum tuarum tu es* (*Ezech.* XVI). Ego fateor me jam hic advenam et peregrinum, toto videlicet hoc mundo, tanquam qui de eo oriundus minime sim ; nec hominis, sed Dei Filium, in hominis specie et similitudine latitantem : haud amodo filium patris mei ac matris meæ, vel fratrem fratrum meorum, licet dicant, affirment, ac pejerent me suum esse ; testes si producant, stigmata quoque in cute et carne præmonstrent, ego mihi conscius unde sim, instanter nego, plane inficior, allegans me non esse quem autumant, falli eos similitudine ; et extendens manus in vos dico, hi sunt mihi fratres ; simul omnes pupilli sumus, et orphani ; non habemus patrem in terris ; pater enim noster cœlestis est, et mater Virgo. Inde sumus indigenæ, advenæ vero hic, et peregrini, sicut omnes patres nostri. Nos nequaquam sumus de terra terreni, sed de cœlo cœlestes, induti tamen sacco terreno, pro quo et terreni putati, donec possimus dicere patri nostro : *Concidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia* (*Psal.* XXIX). Ego quod sum, video ; quibus involutus pannis, discerno. Quare ? nisi quia coram me illuminatus est cæcus ; coram me factum est signum præsentis gratiæ, quod confirmat ad fidem futuræ gloriæ ? Scriptum est enim : *Gratiam et gloriam dabit Dominus* (*Psal.* LXXXIII). Alterum signum est, meritum alterum. Cui gratiam hanc dedit, illi gloriam procul dubio dabit. Quem illuminavit ad fidem, suscitabit ad speciem. Per hoc quod video, credo quod nondum intelligo. Dum de quali qualis factus sum attendo, qualem futurum promittit, spero.

Itaque non hominum merita, sed Dei dona attendens, ex perceptis promissa, ex magnis majora, ex miris mirabiliora conjicio ; sicut beatus se consolans Psalmista ait : *Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi* (*Psal.* CXIV). Et alibi : *Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi* (*Psal.*, LVI). Non in jejuniis meis, et traditionibus hominum, aut habitu pharisaico, nec in ulla justitia operum, aut operibus justitiæ, quæ facio, certum mihi signum justitiæ constituo ; sed in justitia fidei, quæ gratis prævenit et illuminat quos salvat. Multi enim me profundius peccatores gratis a gratia sumuntur ; et altius justi a justitia juste abjiciuntur. Justitia autem operum semper vana, opus vero justitiæ sæpe fallax ; justitia quæ est ex fide Christi Jesu neminem fefellit. Ipsam pono ut signaculum super cor meum, ipsam super brachium meum ; ipsam intelligo factam mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur. Itaque qui illuminatio mea, is et salus mea ; ipsum sequar ad ipsum, laudans et glorificans Deum in ipso. Etsi mille tentationum aut perturbationum genera increpant, ut taceam, fortiter clamabo, clamansque reclamantium clamorem superabo, donec ipsum Jesum transeuntem figam, et prætereuntem sistam. Sicut enim, ut præhabiti sermonis tenorem exsequamur, cum Dei Filio, et eodem hominis filio Domino Jesu diversa ex diversis comitabantur viam peregrinationis suæ, id est alia ex carne, alia ex spiritu, alia ex Verbo ; alia ex humanitate, alia ex divinitate, alia ex infirmitate, alia ex virtute : sic utique et in nobis facile cernere est et impossibile non sentire. Hoc in experientiæ libro certius sentimus, quam ex prædicatoris voce addiscimus.

Discretione tamen, fratres, rationabili operæ pretium est et vigilantia sensus dijudicare, unde omnia nobis oriantur in nobis, quæ sint cogitationum affectuumque originis desideriorum ac voluntatum, suggestionum quoque ac delectationum radices. Sicut ergo opera virtutis et miraculorum signa eum comitabantur, quasi attestantia Jesum esse, qui transitum faceret, pluresque ad credendum in eum excitarent, de quibus scriptum est : *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis* (*Psal.* XCII) ; et ipse dicit : *Opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me* (*Joan.* V) ; et e regione passiones infirmitatis, quæ increpabant, ut a fide ejus homines deterrerent, nec Deum crederent, quem humana pati conspicerent : quæ utraque brevi complexus, missis a Joanne respondit : *Renuntiate Joanni quæ audistis, et vidistis. Cæci vident, claudi ambulant*, etc. (*Matth.* XI). Ac deinde : *Beatus est qui non fuerit scandalizatus in me* (*ibid.*). Flagella enim et sputa, crux et sepulcrum scandalum movebant. Ita et in me, dilectissimi, quædam attestantia saluti, quædam retrahentia, quædam acclamantia, quædam reclamantia in omni via vitæ meæ mecum traho, neque sine his comitibus usquam vado. Visitor diluculo, et subito, probor ; assumor, et statim deseror ; erigor, et statim dejicior, sicut qui per montana graditur, et planum iter non invenit. Quandoque lætabundus et laudans, nimia luce perfusus, ac mira affectus dul-

cedine, ineffabili quadam spe inopinatæ salutis exsulto : omnia acclamant, omnia bonum testimonium perhibent, ita ut dubitationi, ac si apprehenderim jam, non sit locus ; quandoque pavebundus et plangens, tenebris obvolutus, et amaritudine plenus, tanta tædii et acediæ confusione tabesco, ut omnia a meliori spe increpent et tacere cogant. Væ misero homini, qui nec Deo pro voto insistere, nec sibi pro proposito valet consistere ! Ego, fateor, nunquam mihi consto, inter spem et timorem usque permolor, utriusque in me radices et seminaria gesto ; uterque sursum pullulat, et in interioribus meis ramos extendit. De gratia Dei in me habeo quod semper sperem, de me habeo in me utique quod usque timeam. Nunc totum quod spero teneo, nunc omne quod tenueram perdo, et rursum post tenebras lucem spero. Ascendo usque ad cœlos, et descendo usque ad abyssos, anima mea in talibus vicissitudinibus tabescit. Turbor et moveor sicut ebrius, et omnis sapientia mea devoratur (*Psal.* CVI). Verumtamen sicut sacer Psalmus consequenter habet, et evangelicus iste cæcus docet, solum mihi restat improbitatem vincere, et multo magis clamare ad Dominum Jesum, cum tribulor, donec de necessitatibus istis educat me, et statuat procellam hanc in auram, ac silere faciat fluctus ejus, quos induxit super me, lætantemque, quia siluerunt, deducat in portum voluntatis et desiderii mei (*ibid.*) : qui hodie in extremo terræ angulo, et mari circumfuso latitans, ipso teste solum ipsum desidero, cum Patre et Spiritu sancto unum verum ac bonum Deum, et Dominum universitatis : cui honor, et gloria, laus et potestas, decus et imperium, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXX.

IN DOMINICA I QUADRAGESIMÆ I.

Ductus est Jesus in desertum a spiritu, etc. (*Matth.* IV). Dominus meus Christus Jesus omnia agit aut ductus, aut missus, aut vocatus, aut jussus : a semetipso autem nihil. Missus venit in mundum, ductus vadit in desertum, vocatus surrexit a mortuis, sicut scriptum est : *Exsurge, gloria mea, exsurge psalterium et cithara* (*Psal.* CVII). Ad passionem vero properat spontaneus et volens, sicut prædixerat propheta : *Oblatus est, quia voluit* (*Isai.* LIII), factus tamen in hoc ipso obediens Patri usque ad mortem. Doctor enim et exemplar obedientiæ extra eam quæ sola in veritate via est ad vitam, nec agere, nec pati quidquam voluit. Ductus est ergo a spiritu in desertum, vel, ut alius ait, *agebatur a spiritu in desertum* (*Luc.* IV). Quotquot spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei. Is autem sicut specialius et dignius filius, sic differentius et excellentius præ cæteris agitur aut ducitur in desertum. *Plenus*, inquit, *Spiritu sancto regressus est a Jordane* (*Luc.* III); et eodem illico actus in desertum. Cæteris ad mensuram datur spiritus, et juxta eamdem mensuram aguntur ad omnia ; iste plenitudinem accepit, in quem complacuit plenitudinem divinitatis habitare corporaliter : ideo potentius et plenius agitur ad omnia jussa Patris complenda. *Regressus*, inquit, *a Jordane, agebatur in desertum.* Antehac de regressione Domini Jesu non memini me verbum audisse. Jordanis, ut ferunt, *descensus eorum* interpretatur. A Jordane ergo venit, et inde regreditur, qui in mundum descendit ; et hinc revertens iterum relinquit mundum, et vadit ad Patrem. Propterea qui ascendere cupit ac regredi, unde non descendit, sed cecidit, veniat ad Jordanem, veniat ad descensum, veniat ad humilitatem : qui solus locus est ad ascensionem. Omnis enim qui se humiliat, exaltabitur. *Surgite*, inquit Psalmista, *postquam sederitis* (*Psal.* CXXVI). Ibi Spiritum sanctum inveniet, qui requiescet super humilem, et mansuetum ac trementem ad verba Domini, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, qua mundum contemnant, sæculum fugiant, diabolum vincant, turbas declinent, ubi colloquia prava corrumpunt bonos mores ; desertum petant, ac secreta loca, ubi Deo vacent : ubi sicut pullus hirundinis sic clament ad eum, et sicut columba meditentur de ipso ; ubi respondens ipse loquetur ad cor eorum, juxta prophetam dicentem : *Ducam eam in solitudinem, et ibi loquar ad cor ejus* (*Ose.* II). Ita Dominus noster Jesus Christus mitis et humilis corde, postquam ad id humilitatis descendit, ac mansuetudinis, ut se baptizandum supponeret manibus inferioris, illico ad gradum meruit ascendere prælationis, attestante voce paterna : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi* propter humilitatem et obedientiam *bene complacui :* unde eum jure promoveo, ac cæteris præfero ; amodo ergo *ipsum audite.* Spiritus quoque sanctus super humilem et mansuetum, tanquam in proprium ac familiare templum visibiliter descendit, quo plenus regressus a Jordane, ducitur in desertum.

Ergo a Jordane incipiens regredi, unde egressus venerat, primum iter assumpta prælationis dignitate et prædicationis auctoritate, solus agit in desertum, ubi qui aliis prædicaturus erat, ante seipsum probet, quod alios docturus ipse compleat ; carnem, mundum, diabolum, contra quos dimicare suos erat hortaturus, prius ipse debellet. Stultum etenim est, inexpertum, et Christianæ militiæ rudem, eo alios ad bella trudere, quo nec ipse præcessit, nec subsequi audet ; ad conflictum hortari, qui in acie non stetit, aut prius fugit ; affectare docere quæ prius ipse non fecit, imo quæ necdum facere cœpit ; doctoris subire gradum, et ignorare officium, alligare tandem onera gravia et importabilia, ac imponere humeris aliorum, qui digito nolit ea tangere. Doctor autem et ductor noster Jesus Christus ea docet quæ facit, sicut Scriptum est : *Quæ cœpit facere et docere* (*Act.* I). Id prædicat quod est, *Discite*, inquiens, *a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI). Eo aciem cogit, quo prius ipse vicit. *Confidite*, inquit, *ego vici mundum* (*Joan.* XVI). Primo etenim hoc congressu solus cum

solo in solitudine dimicans, communem ac singularem humani generis hostem secreto superavit, superando, debilitavit, ac suis debiliorem atque facile superabilem reddidit et enervem : quem secundo congressu, publica mundi hujus arena, spectantibus angelis et hominibus, humiliavit, stravit, et vulneravit, sicut scriptum est : *Tu humiliasti sicut vulneratum superbum* (*Psal.* LXXXVIII); prostratum vero ligavit, et arma ejus tulit et vasa diripuit. Alligans enim fortior fortem, per suos in mundum, per se in infernum intravit, et vasa ejus diripuit, et ad sui ministerium jure transtulit (*Luc.* XI). Hic blandientem, et quasi famæ suæ pie consulentem, et opinioni suffragantem, ac paupertatem miserantem, sapienter respuit; quem postea sævientem patienter sustinuit, fortiter vicit. Hic ergo sapientia sanctorum, ibi patientia et virtus; utrumque enim docere venit et dare Christus Dei virtus, et Dei sapientia, in utroque tentatus, in utroque probatus inventus. Sapientiam ergo fraudulentus prius attentat; transfigurans se in angelum lucis, et spiritum consilii.

Dic, inquit, *ut lapides isti panes fiant*, ne fame tabescas in solitudine jejunus, et qui virtute superfluitatem et delicias calcasti, solo pane extremæ saltem necessitati sero subvenias. Sed quia primo morsu ubi carnis teneritudinem crediderat, in ossis soliditatem dentem elisit, revocato serpens aculeo, a calcaneo pedis ad superiora se erigit, quæ molliora credit et duriora offendit. Unde et assumens eum, statuit in sublime, sed ut præcipitaret in profundum. Ac si diceret : Sublimis quidem et altus es, qui carnis concupiscentiam virtute abstinentiæ conculcasti. Deo places, et ei prope es, qui carnem excessisti : non debes amodo ignotus esse et vilis. Quare manifesta teipsum hominibus. Videant te volantem, qui attrito pondere carnis levis es, qui vincens quod ex carne natus es caro, jam natus ex spiritu spiritus es; et ex Deo natus es Dei Filius. Mitte ergo te deorsum, ut serviant tibi angeli, qui virtutis acquisivisti merito, quod dono gratiæ habent. Unde et servire tibi debent, et in manibus portare te, ne offendas ad lapidem pedem tuum. Hic est ille basiliscus, rex serpentum, qui solo visu interficit, qui quod aspis halitu non occidit, solo inficit aspectu : ideoque post tentationem concupiscentiæ carnis, id est aspidis, tentamentum concupiscentiæ oculorum exerit rex serpentum. Verumtamen athleta et propugnator noster, sicut postmodum leonis rabiem conculcavit fortiter, ita et nunc serpentinum virus declinat sapienter, ambulans super aspidem et basiliscum gressibus sobrietatis ac humilitatis. Draconem quoque magnum ambitionis sæculi, ac superbiæ vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo, conculcat, dum omnia regna mundi et gloriam ejus sibi oblata amore paupertatis exsufflat. Ecce qualis qualiter qualem vincit. Sapientia vincit astutiam, abstinentia gulam, humilitate inanem gloriam, paupertate sæculi ambitionem. Veniens ad sapientiam, abstemium, humilem, pauperem, princeps hujus mundi, nihil in eo reperit sui, nihil rapere potuit non sui. A quo ejaculatis omnibus æstutiæ suæ telis recessit ad tempus, id est usque ad horam passionis, ubi Agnum leo aggreditur; sed crudelitas mansuetudine vincitur. Tentatur virtus a sævitia, sicut hic sapientia ab astutia. Sed virtute patientiæ vincit leonem, qui providentiæ circumspectione vicit draconem. Virtus enim omnium maxima patientia est : in qua possessio est animarum, etiam cum corporum fit jactura in manibus persequentium; in qua terram bonam omnem fructum ferre Veritas testatur. De qua Apostolus : *Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem* (*Hebr.* X). Ipsa est, ut beatus ait Jacobus, quæ perfectum opus habet. Ipsa ergo bifariam dividitur, id est in temperantiam et fortitudinem, et animum quem possidet in prosperitate et adversitate, tam contra illecebrosos carnis pruritus, ac internorum vitiorum scaturigines, quam contra exteriores sæculi luxurias ac sævitias, sobrium facit et fortem. Quod nobis conferre dignetur ad compatiendum cum ipso, pro ipso, qui in ea passus est pro nobis, Christus Jesus, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXXI.

IN EODEM FESTO II.

Ductus est Jesus in desertum a spiritu, ut tentaretur a diabolo (*Matth.* IV). Hæc Quadragesima, dilectissimi, Domini ac Salvatoris nostri Quadragesimis Moysi et Eliæ prophetata, vel etiam totidem annorum peregrinatione patrum in deserto, nequaquam a mysterio et salutari aliquo sacramento jejuna ac sterilis credi debet. Verum, fratres, difficile est, et nostræ parvitatis sensum excedit, tot gradibus rationabilis abstinentiæ profectum distinguere, et ascendenti de Ægypto ad terram promissionis, id est de hoc mundo ad Patrem, tot in sui spiritus olim deserto, dum carnem inhabitaret iste ascensor, virtutum mansiones assignare, quibus elongetur carni, ut appropinquet Deo, sicut scriptum est : *Ascensiones disposuit in corde suo in valle lacrymarum, in loco quem posuit* (*Psal.* LXXXIII). In quadragenario tamen quoniam decuplatur quaternarius, aut quadruplicatur denarius, ex illis modo nobis intimatur, ut quandiu temporales hic sumus, et in corpore quod corrumpitur et aggravat animam aggravati, peregrinamur a mensa ac delectabili refectione Domini, corpora nostra castigemus, ac subjiciamus servituti legis Dei, ac tempora induciarum ad emendationem indulta nequaquam perdamus negligentia, aut iis abutamur in superbia; sed expendamus tempus, et exerceamus corpus in observantia et obedientia mandatorum Dei, corde autem in lege ejus meditantes die ac nocte. Ubi autem adversatur ipsa concupiscentiis nostris, concordemus cum ea, dum adhuc sumus in via, ne post

viam tradat nos tanquam rebelles Judici, Judex A tortori (*Matth.* v). Torqueamus ergo nos ipsos, dilectissimi, in lege, ne torqueamur a lege. Abstineamus ab his quæ adversantur legi, ac jejunemus, ne adversariam sentiamus legem, præsertim quando judicabit, cui nunc adversamur, dum consulit. Hoc est enim jejunium quod elegit Dominus, abstinere ab omni malo, non solum foris ab opere, sed intus a perversa voluntate. Foris quidem alii nocetur, intus sibi. Nemo enim non prius sibi quam alteri nocet. Alterius per tunicam tuum corpus perforas. Plus tibi mater cupiditas nocet, quam alteri quæ de illa nascitur filia rapina vel furtum; plus tibi mali affert invidia, quam boni aufert derogatio tua, cui per invidiam detrahis. Perfectum etenim, et quale B Deus elegit, jejunium est, non affligere hominem animam suam per diem, et torquere quasi circulum caput suum, et omnes debitores suos avare repetere, et ad litem et contentionem jejunare, sed abstinere ab omni malo, ac insistere omni bono; non facere malum alteri quod sibi nolit fieri: et id facere boni quod sibi cupit, quasi denarium legis quadruplicare per Evangelium, et quaternarium Evangelii decuplare per legem. In lege enim perfectio Evangelii olim delitescebat, sicut nunc legis imperfectio in Evangelio patescit. Lex autem operis, Evangelium malæ voluntatis jejunium indicit, gustum punit. Hinc concionator noster in Evangelio : *Audistis*, inquit, *quia dictum est antiquis : Non occides. Ego autem dico vobis, non irasci*, et cætera secundum hunc modum (*Matth.* v). C Sequitur : *Et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus.* Non enim coram et in luce jejunabat, et clam edebat in tenebris; sed qualis in aperto, talis in abscondito; qualis in facie, talis in corde. Sequitur :

Postea esuriit. Quantum voluit, jejunavit Deus, et quando voluit, esuriit homo : et tunc accessit ad eum tentator. Quare non ante? Quia non audebat, aut non oportebat. Fortem astute timuit, infirmum opportune invasit. Omnis enim tentationis humanæ triplex est origo; aliquando tota intus, et de nostro; aliquando tota intus, et de alieno; aliquando autem intus et foris, et de nostro et de alieno. Non enim omnis tentatio a diabolo est, nec ejus solum suggestione peccatur. Tentamur autem et concupiscentiis nostris abstracti et illecti, nihil suadente, D aut fortassis ignorante diabolo. Concupiscentia vero duplex est; altera, qua caro concupiscit adversus spiritum; altera, qua concupiscit spiritus adversus Deum. Et hæc utraque mala est. Præterea est et concupiscentia, qua concupiscit spiritus adversus carnem, ut eam refrænet a vitiis, ac subjuget rationi; et alia, quæ concupiscit in Deum, ut eum apprehendat, eoque fruatur. Hinc enim scriptum est : *Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini* (*Psal.* LXXXIII). Et hæc utraque bona. Concupiscentia igitur quæ mala est, nonnunquam sine diabolo oritur; sed ortæ, ut crescat, libenter auxiliatur. Bona autem omnis et a Dei gratia prævenitur ad ortum, et juvatur ad profectum, et consummatur ad perfectum. Quare, quæ bona est concupiscentia, etsi tota intus agi potest, tota de nostro esse non potest. Tentatio igitur, quæ tota de nostro intus est, aut ex necessitate oritur animalis corporis, aut ex prurientis infirmitate corruptionis, aut ex recursu pravæ consuetudinis, aut ex insolentia gratiæ et virtutis. Cum ergo callidus tentator, et malignus insidiator, aliquando scintillæ fomitem quolibet siguo deprehendit, plurima festinatione, summa diligentia paleas undique cogit, concupiscentiæ quas comperit aptas, quatenus si prævalet, de scintilla flammam excutiat, ac domum pectoris nostri de nostro et suo exurat, sicut scriptum est : *Incenderunt igne sanctuarium tuum in terra* (*Psal.* LXXIII). Dominus autem Jesus in Deo confirmatus contra peccatum ex utero, sicut scriptum est : *In te confirmatus sum ex utero* (*Psal.* LXX) : carne tamen animalis adhuc, sicut homo ante peccatum : infirmus vero, ut filius hominis, propter patris peccatum : sola ea quando voluit, et quantum voluit, passione potuit, quæ ex necessitate, vel infirmitate animalis corporis descendit. Cum enim tres sint humanæ mutabilitatis status, ante peccatum, prope peccatum, post peccatum; de unoquoque verus doctor et medicus aliquid in se exhibere voluit; ut quid fuimus, quid sumus, doctor admoneret; quid erimus, medicus exhiberet.

Itaque animalis de primo cibum desiderare potuit et potum; infirmus de secundo tristitiam, tædium, pavorem, mortemque subire; confirmatus de tertio, nullam vel in cogitatione titillationem de proprio, vel suggestionem malam de alieno admittere. Unde omnis illa tentatio de pinnaculo et monte, exterior, et de alieno fuit; prima de proprio nonnihil habere videtur, ubi tanquam serpens insidiatus est calcaneo. Verumtamen quoniam naturalem, et ob id inculpabilem esuriem, illa suggestio sicut non creavit, ita nec auxit, nec aliquo modo movere potuit, omnis illa, ut beatus ait Gregorius (7), diabolica tentatio foris fuit : quam tamen intus humana præcessit. Cum ergo post longa et stupenda jejunia esuriem aliquo exteriori signo deprehendit, diu suspensus ac stupens, demum opportunitatem nactus, accedere ad eum tentator præsumpsit. Videte ergo, dilectissimi, quam sobrios operæ pretium habemus esse, et vigiles, sicut beatus admonet apostolorum princeps (*I Petr.* v), contra adversarium nostrum diabolum, qui tanta diligentia circuit, tanta vigilantia scrutatur omnem conversationem nostram, vitæ modum, necessitates, infirmitates corporum et morum, subitos ac varios eventuum casus, ipsasque naturæ nostræ complexiones : sicubi de nobis in nos aditum invenire poterit, et materiam, occasionemque tentandi. Quare minus sol-

(7) Greg. hom 16 in Evangelia.

liciti sumus, fratres, occasiones salutis quærere in alterutrum, ut ubi magis necessarium viderimus, magis invicem subveniamus, et alterutrum onera fraterna portemus? Hoc enim admonens beatus Apostolus, ait: *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Gal.* VI). Et alibi: *Supportantes*, inquit, *invicem in charitate* (*Ephes.* IV). Ipsa nimirum lex Christi est: Quod in fratre meo aut ex necessitate, aut ex infirmitate corporis, sive morum incorrigibile cerno, quare non porto patienter, consolor libenter, sicut scriptum est: *Pueri eorum in humeris portabuntur, et super genua consolabuntur?* (*Isai.* LXVI.) An quia illa mihi deest, quæ omnia suffert, quæ patiens est ut portet; benigna ut amet? Hæc utique lex Christi est, qui vere languores nostros tulit passione, et dolores portavit compassione, amans quos portavit, portans quos amavit. Qui autem fratrem in necessitate aggreditur, qui infirmitati ejus cujuscunque generis insidiatur, legi diaboli se procul dubio subdit, et eam implet. Compatientes itaque invicem simus, et fraternitatis amatores, infirmitatum portatores, vitiorum insectatores, maxime qui pauci propter arduioris propositi disciplinam, in hanc abditam solitudinem et semotam ab orbe communi insulam, evasimus. Omnis enim disciplina, quæ charitatem Dei, et ob ipsum proximi charitatem sectatur sincerius, quibuscunque observantiis vel habitu vivat, a Deo plus acceptatur. Ipsa enim est charitas, propter quam fieri vel non fieri, mutari vel non mutari omnia debent. Ipsa enim et principium quare, et finis ad quem dirigi omnia decet. Nihil enim fit culpabiliter, quod pro ea et secundum eam fit veraciter. Quod nobis ipse præstare dignetur qui, sine quo placere non possumus, et sine hac omnino non possumus: qui vivit et regnat Deus per immortalia sæcula. Amen.

SERMO XXXII.

IN EODEM FESTO III.

Ductus est Jesus in desertum a spiritu, etc. (*Matth.* IV). Dum in carne fuimus, fratres, ubi nemo Deo placere potest, quæ carnis erant sapiebamus, et in carnalibus delectabamur, loquentes et tractantes carnalia: inde et toti, id est cogitatione, delectatione, sermone et operatione, carnem deserto spiritu, et mente rationali inhabitabamus. Cum autem fortioris spiritus ducatu præventi, interiora nostra penetrantes, in neglectum olim et desertum a Deo, ab angelis, ab ipsis nobis, ipsum spiritum nostrum introivimus, compescentes nos et jejunium indicentes concupiscentiis ac desideriis carnalibus, statim invidiam fecimus malo, quod habitat in nobis, id est in carne nostra. Scitis enim cum Apostolo, quod non habitat in nobis, hoc est in carne nostra, bonum (*Rom.* VII). Leviathan nobis suscitavimus, a quo passi sumus insidias novi eremitæ, solitarii fore sperantes, et quiete securi, callidum tentatorem, ac malignum insidiatorem offendimus (*Job* III). Unde illud Sapientis memoria frequentare compulsi sumus: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in timore, et præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* II). *Et accedens tentator dixit ei: Dic ut lapides isti panes fiant.* Quid delicti foret aut de lapide panem facere, aut esurientem comedere? Sed periculosum est hosti credere, etiam vera dicenti, aut suadenti utilia; qui ob hoc vera præfert, ut inferat falsa; commoda monet, ut ad incommoda pertrahat; consulentis induit habitum, ut occultius serpat; in angelum lucis se transformat, ut facilius fallat. Præterea viri spirituales, qui de cognatione carnis et sanguinis egressi, obliti populum suum et domum carnis, solitudinem spiritus ingressi sunt, nequaquam statim ad omnem necessitatem carnis acquiescunt et sanguinis: qualibus parum est omnem superfluitatem abscindere, nisi etiam necessitatem circumcidant. Et quod funditus animali ac infirmo corpori inficiari non audent, sero tamen ac parcius, non sine typho ac murmure tandem indulgent. Qui quoties esurit statim reficit, quid sit jejunium, omnino nescit; cujus virtus ac meritum cum esurie tantum incipit. Non enim non manducare jejunare est, sicut post saturitatem edere superfluum est, ita ante esuriem otiosum, cum esurie vero licitum; post esuriem strenuum, eoque strenuius, quo longius. Similiter autem huic de somno, ac cæteris animalis et infirmi corporis necessitatibus: contra quas ad Dominum clamat spiritualis quidam in urbibus eremita, in regio solio pauper. *De necessitatibus*, inquit, *meis erue me* (*Psal.* XXIV).

Est et aliud sacratius, altiusque jejunium, quod sui spiritus solitudinem ingressis non solum caute ac diligenter observandum, sed per continuos quadraginta dies et noctes, id est omne hujus vitæ tempus, tam in prosperitate quam in adversitate, tam in prælatione quam in subjectione, tam in contemplatione quam in actione protelandum est, id est, ab omni mundi hujus immundi consolatione ac delectatione, in quibus curiositas est, ac voluptas, et superbia vitæ abstinere; intus autem, ubi malignus spiritus videre non potest, reficiantur meditatione spiritali, ne omnino jejuni deficiant, et delectatione, quæ in solo Deo est, ac voluptate bonæ operationis propter ipsum. Impossibile namque est in hac duntaxat umbra mortis, aut imagine vitæ antequam perveniatur ad vitam omnino tenebrosam et opertam mortis caligine, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, nulla consolatione foveri, nulla delectatione teneri animam, etsi ipsam minime teneat anima. Sicut enim suis feruntur corpora quæque ponderibus, ita spiritus suis delectationibus locantur. In corpore enim universitatis creaturæ Dei, ubi singula tanquam cujusdam corporis membra sunt, solus spiritus rationalis, tanquam totius oculus corporis, lucem Creatoris percipere et delectatione participare, ac frui potest; et in ejus luce de cunctis membris, quasi obscuris, et in ejus comparatione tenebrosis dijudicare. Sicut enim lux mundi sensibilis ignis est, et lux corporis

humani oculus, sic maximi corporis, ac speciosissimi compositique universitatis, spiritus, ut diximus, rationalis lucida portio, scilicet oculus est. Verumtamen sicut oculus, cum sit instrumentum habile ad videndum creatus, tanquam lucerna minor, ad imaginem quodammodo, ac similitudinem majoris, id est mundanæ lucis, minime tamen per se tanquam a se videre sufficit, nisi præveniatur ac perfundatur ab eo, cujus gerit imaginem : sic nec spiritus rationalis maxima lux creata, nisi ad imaginem suæ superioris et increatæ, summæque lucis factus esset, præ cæteris sui corporis membris, minime vidisset. Sed neque ex se, neque per se, quod vult videre prævalet, nisi cum præsto ei fuerit, et quantum cum illustraverit suum superius, cujus ipse gerit imaginem, in cujus lumine potest videre lumen. *In lumine tuo*, inquit, *videbimus lumen* (*Psal.* xxxv).

Cæteris ergo universitatis membris pro naturæ differentis captu Creatorem participantibus, sine cujus quolibet participio nihil omnino esse possent, aliis ad essentiam ac speciem tantum, aliis ad quamlibet vitam, aliis ad sensum, aliis ad imaginationem, solus spiritus rationalis, selecta præ omnibus prærogativa naturæ ipsum ad cognitionem ac delectationem de ipso in ipso participare per rationem et affectionem potest, et ad ipsum per hæc duo fruendum ab ipso est creatus, solus capax capabilis divinitatis, ac naturali largitate communicabilis, donabilis et fruibilis. Semper enim summa lux micans, ac per hoc illuminans, quantum in se est, tandem, quando voluit, ad imaginem sui, quod illuminari ab ipso posset, creavit, solum videlicet spiritum rationalem, cujus hoc solum debet esse negotium, ad quod ipsum constat esse creatum; illud ejus votum, quod de illo Dei constat esse propositum; solus ejus pastus, sola refectio ipsius, in ipso et in omnibus ab ipso delectatio. Ab omni autem delectatione carnis, ac sensuum curiositate, et ambitione sæculi, propter ipsum semper abstinendum : quæ sunt capita draconis a Domino Jesu in hoc deserto confracta, dati in escam iis qui cum Christo jejunare noluit, populis videlicet nigris, qui sicut Æthiops pellem suam mutare nesciunt. *Tu*, inquit, *confregisti capita draconis, dedisti eum escam populis Æthiopum* (*Psal.* LXXIII). Cæterum sicut mundi hujus, magni videlicet animalis, fecit Deus duo magna luminaria, minoris videlicet mundi, parvi scilicet animalis binos oculorum orbes : sic nimirum maximi corporis universitatis oculum combinavit, angelum videlicet et mentem humanam instituens, naturæ quidem unius, sed alterius conditionis ac sortis. Illos enim in splendore veritatis semper fulgidos, ac delectationis suavitate jucundos nulla unquam tetigit peregrinæ delectationis esuries, nullus ad eos tentator accessit : ubi centum nonaginta novem oves in deserto suo pascunt et cubant in herbis semper virentibus, in pascuis pinguibus in montibus Israel, et non est, qui exterreat.

A Nos autem miseri, vagi, ac profugi, qui erravimus sicut ovis illa quæ perierat, quam venit quærere pastor bonus, et in sacris humeris repertam imposuit, ut reportet ad angelorum gregem, fiatque sicut unus pastor, sic unum ovile, propria imbecillitate intus deficimus ad malam esuriem, alienaque suggestione foris invitamur ad pejorem refectionem. Obliti comedere panem nostrum, esurimus alienum.

Cum ergo acediosos ac tepidos nos videt, qui semper invidet, qui semper insidiatur, quasi interioris defectus signum colligens, accedit, et unde reficiamur, ostendit. Quod immittere minime poterat, innatum fovere et augere festinat, qui ad fortem, constantem, ferventem, appropinquare non
B audet; sed a longe observat, ad acediosum et vacantem fabulis intus, id est cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, a qualibus Spiritus sanctus recedit, malignus accedit; non irruit, non infringit, sed leviter, et quasi modeste ne perterreat, sub specie consulentis accedit. Dicit ergo : *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant*. Non autem quod Filius Dei talis erat, sed quod tales ejus illa esuries figurare poterat. O lapidanda malignitas! quæ lapide refici suades Filium Dei. Homines cum sint mali, norunt bona data dare filiis suis; et petenti panem Filio suo Pater cœlestis lapidem daret? aut petenti piscem scorpionem, aut pro ovo serpentem? Torpentem spiritum a desiderio et meditatione cœ-
C lestium, tanquam a pane angelorum ad lapidem frigidum, siccum et durum invitat, id est ad amorem et delectationem terrenorum, ut si illam consolationem perdidit, ab ista excipiatur et a diabolo decipiatur, qui in semet prius defecisse comprobatur. Sine omni enim, ut supra diximus, consolatione minime subsistere anima potest. Consolatio vero illi refectio et panis est. Si autem de mundo et carne, utique de lapide. Ad hanc ergo tentator mentem invitat, quam a delectatione Dei languere considerat. Unde in ordine vitiorum acediam avaritia sequitur, quia cadenti de cœlo mundus iste blanditur. Cujus consolationem vere spiritualis beati David mens detestans ait : A mundo, et ab omnibus quæ sunt in mundo, id est concupiscentia carnis
D et oculorum et ambitione sæculi, *renuit consolari anima mea*. Quid ergo? Absque delectationis consolatione poteris existere? minime. Sed *memor fui Dei et delectatus sum* : et quia otiositas inimica est animæ, de ipso meditando *exercitatus sum, et defecit* non ab ipso in mundo vel in me ipso, sed a me et omni mundo in ipso solo *spiritus meus* (*Psal.* LXXVI). Ita quidem et Dominus meus Jesus in deserto nec otiosus nec vanis intentus meditans in lege Domini die ac nocte, omni tentationi de Scripturis sanctis occurrit. Licet enim mille artifex ob innumera quæ exerit tentamentorum genera malignus iste dicatur, fidenter tamen dico, omni adinventioni ejus de Scriptura sancta facile posse convenienterque concludi. Absit enim ut malitia sa-

pientiam vincat, et possit ipsa conficere venenum, cujus hæc non contineat antidotum!

Itaque, dilectissimi, exemplo Domini Salvatoris ipsum in deserto non solum loci, sed et spiritus, vel etiam aliquando Dei, ipsum nostrum spiritum excedentes, cum angelis secuti, meditemur jugiter in lege ipsius, sive scripta foris littera, sive intus in nobis natura, sive in mundi hujus figura, sive in ipsa Dei sapientia, quæ lex est æterna et lex legum dici potest. Hic etenim pane vitæ et intellectus cibabimur; et aqua sapientiæ salutaris potabimur, ut interna delectatione refecti et saturi, lapideum diaboli panem foris contemnamus. Exaltationem quoque mundi quam sequitur ruina (nam ante ruinam exaltatur cor) et deorsum mittit, fastidiamus. Omnem sæculi affluentiam et gloriam, quæ cadenti promittitur, stantes et sursum erecti cum promissore, ex concupiscentia et cogitatione cordis nostri exsufflemus, dicentes : *Vade, Satana.* Satanas enim est, id est adversarius nobis omnis motus, qui ad casum invitat : *Si cadens*, inquit, *adoraveris me.* Stemus potius, dilectissimi, in atriis Jerusalem pedibus nostris et sine dubio lætantes ibimus in domo Domini iisdem ipsis, ubi omnis participatio erit in idipsum, quod erit omnia in omnibus quo nos omnes perducere dignetur, sine quo pervenire nemo eo potest, qui nos sua tentatione ad standum confirmavit, cum tentatorem sua victoria infirmavit, Jesus Christus, cui cum Patre et Spiritu sancto honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXXIII.

IN DOMIN. II QUADRAGESIMÆ I.

Egressus Jesus, secessit in partes Tyri et Sidonis (*Matth.* XV). Est quidem, dilectissimi, secundum quod Verbum est Patris sempiternum, et non transitorium aut finitum, Domini Jesu æternus quidam egressus ab ipso Patre, et æterna mansio in Patre, æternusque regressus ad Patrem. Unde enim oritur, eo refertur, ibique manet. Sicut non desinens, quando inde natus procedit, sic nec adveniens, cum eo relatus quasi redit, ubi semper manet ac mansit. Verumtamen huic ineffabilis nativitatis incomprehensibili egressui hominum neminem occurrere sufficere credimus. Sanctis vero angelis sicut felicior, ita facilior copia, cum tamen fuerint a finibus suis egressi, id est seipsos supergressi. Sed quid altiora nobis, et quæ prorsus ignoramus, attentamus, immaturo fortasse desiderio sicut plumescentes in nido pulli, inæquales adhuc alas ad volatum movent, quæ vexari quidem possunt, subrigere corporis pondus non sufficiunt? Est ergo præter hunc egressum æternum naturæ, egressus quidam temporalis et gratiæ, quando *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I), quando exivit a Patre venitque in mundum; quando cum in forma Dei esset, quasi patriæ suæ fines egrediens, exinanivit semetipsum : ut in forma servi, ac similitudine carnis peccati, tanquam in partibus Tyri et Sidonis, inveniri possit; sed ab his qui fines etiam

A suos egressi, in eisdem ei partibus occurrunt. Venit ergo Dei Filius liber, ut liberare posset in formam servi ac similitudinem carnis peccati, sed non ipsam servitutem aut veritatem carnis peccati. Venit ad peccatores, sed ad peccatum non introivit, venit ad infirmum, sed ad infirmitatis causam non devenit; venit ad pœnam, sed non pervenit ad culpam; venit denique Salvator de primo statu liber a peccato, de secundo infirmus, propter peccatum; de tertio fortis contra peccatum. Si quis ergo sub peccato servus, pro peccato infirmus, contra peccatum debilis, ab eo salvari desiderat, exeat a peccato suo pœnitendo, occurrat credendo, clamet post eum orando. Vadit enim semper, qui in via peccatorum non stetit. Veniat captivus ad eum qui

B liber est, eoque liberare potest; infirmus ad eum, qui ex his quæ in infirmitate passus est, compati novit; debilis ad eum, qui verbo virtutis suæ purgationem peccatorum faciens, salvare potest in perpetuum.

Egrediatur itaque mulier Chananæa a finibus suis interioribus, ac in exterioribus partibus regionis suæ occurrat sponte venienti de propriis finibus suis misericorditer egresso medico, et in alienis benigne occurrenti ægroto; a quo manens in propriis omnino adiri non posset. Ipse enim, tanquam beatus Deus, justus et fortis, sursum erat, quo homini infelici ascendere fas non erat. Sed nec injusto ante justum apparere tutum, vel ad for-

C titudinis habitaculum alius alium mittere poterat, ubi nemo non ægrotabat. Fecit itaque pius quod pietatem decuit, pervenit ad peccatores, sed ad peccata non debuit, nec potuit. Venit ad avaros, sed non ad avaritiam; ad cupidos, sed non ad cupiditatem; ad luxuriosos, sed non ad luxuriam : denique ad vitiosos misericorditer venit, sed ad vitia misere non pervenit. Exeamus ergo, exeamus singuli, unusquisque de loco iniquitatis suæ : exeamus de medio Babylonis, et in finibus ejus occurramus Deo Salvatori nostro, sicut admonet propheta : *Paratus esto, Israel, in occursum Domini, quoniam venit* (*Amos* IV). Exeamus de fovea peccati, in similitudinem carnis peccati. Exeamus de voluntate peccati in pœnitentiam peccati : ibi nam-

D que Christum inveniemus. Ipse namque peccati pœnitentiam egit, quod omnino non egit. Ibi salvabit, qui pœnitentes salvat; qui odio habet peccatores, et miseretur pœnitentibus. Sed dicitis : Si exierimus de peccato, quid opus habemus medico; vel quis per se potest exire de peccato? Verum maximum peccatum est amor peccati, maxima iniquitas peccandi voluntas. Noli ergo peccare, etsi nondum possis non peccare. Peccatum odi, et de peccato existi. Peccatum odisti, et Christo ubi est occurristi : qui non vult peccari, sed odit peccatum, ae odienti, quia cum illo facit, donat interim reatum, donec omnimode auferat etiam ab actu peccatum. Sed et hoc dicitis multum esse ad vos, atque homini sine Dei gratia impossibile, ut peccatum

odire possit, ac desiderare justitiam, ut peccare no- A lit et pœnitere velit. Confiteantur ergo Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum, quoniam qui gratis in partes Tyri ac Sidonis manifeste secessit, ubi mulier occurrere poterat, gratia de intimis suis mulierem, ut occurreret, occulte extraxit, quam Filius foris manifeste suscepit. Mulier ergo ista Ecclesiam ab æterno prædestinatam, in tempore vocatam ac justificatam, post tempora magnificandam, significat, quæ pro filia sua, id est singulis electis jugiter orat : quæ tamen nec facile, nec statim exauditur, nec ab exauditione demum vacua repellitur. Omnia tempus habent, et ordinem, quando et modum quo eveniant præstolantur. Sed, ut video, moralem expositionem magis acceptatis, et quid moraliter dici debeat mulier ista, vel B ejus filia, olim exspectatis.

Mulier igitur quælibet anima intelligitur a Deo preventa, ut peccatum odiat, desideret justitiam : cui tamen deest facultas, ut non id ea facilitate possit, qua facilitate cupit : cui velle bonum adjacet, posse autem perficere non invenit ; quæ non bonum quod cupit, sed malum quod odit, illud facit. Ideoque pro filia sua rogat, id est libertate naturali, quæ difficultate opprimitur. Cumque quasi sana qua bonum et justum amat, sit voluntas, captiva tamen sub peccato, ne id possit, tenetur facultas. Unde et quasi ab Apostolo edocta exclamat : Infelix ego mulier, quis liberabit hanc filiam meam de corpore mortis hujus, id est de oppressione dæmonis hujus? Istud enim est dæmonium, de quo C ait Apostolus : *Scio quod non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum* (*Rom.* VII). Volenti enim facere bonum malum adjacet, dæmonium videlicet durum ac dirum : a quo filia mulieris hujus male vexatur. Sed quia nihil est, quod eam salvare possit, nisi gratia Dei, et hoc per Jesum Christum, ideo constanter clamat : *Jesu Fili David*, *miserere mei* (*Matth.* XV). David enim *manu fortis* interpretatur. Forti enim auxilio opus est, ut tam forte dæmonium expellatur. Ego, dilectissimi, meam rem hic agi prævideo, neque aliam invenire mihi facile est, quæ mea magis intersit. Præventus enim gratis a gratia Dei, non solum a peccatis, et omni occasione peccandi, verum etiam, ut cernere est, ab omni ferme homi- D num societate ac mundo communi, in hanc abditam, aridamque eremum contrito corde secessi, quatenus præteritas delectationes, vanas frivolasque curiositates, præsentibus in me ariditatibus, inediis et desolationibus puniam, ac de cætero subducta materia et occasione similium, facilius et liberius quæ retro sunt obliviscens in anteriora me extendam. Attamen filia hæc mea tam male ab hoc dæmonio vexatur, et facultas adimplendi bonum, quod bene volo, quod desidero, quod proposui, ob quod fugi, et elongavi me ab hominibus, tanta difficultate premitur, ut nec mater, quæ sana esse videbatur, possit esse quieta vel secura; nec in eam intendere, quæ sani desiderii est, id est in contemplatione tranquillæ sophiæ ; sed sollicitudo omnis, timorque matris circa filiam sit, ne tantis malis tabescat, materque una deficiat, et ambæ perditum eant. O Domine Jesu, a facie frigoris tui quis sustinebit? Quare vel otiosa incursio fatigat hominem, qui seria sola et æterna bona desiderat : quare immunda mundi memoria unquam retrahit mentem, quam amor cœli a mundo semel extraxit? Quare non licet, ut libet, libere te sequi, ei qui nihil quærit, nisi te? O Domine, salvum me fac a pusillanimitate spiritus et tempestate, id est propriis eremi dæmoniis. Timeo enim, ne per pusillanimitatem recidat voluntas, nisi a difficultatis tempestate liberetur facultas. O Domine, manu fortis, omnipotens Jesu, qui rationem meam ab ignorantiæ dæmone solvisti, et voluntatem a concupiscentiæ peste eruisti, a difficultate hac libera facultatem meam, ut cum sanctis angelis tuis, quibus subest posse, cum velint, potentes simus virtute, qui devoti sumus voluntate, facientes verbum tuum ad audiendam vocem sermonum tuorum. Verumtamen quoniam laboravi clamans, ut raucæ factæ sint fauces meæ, et ipse non respondit mihi verbum ; vos fratres pii et sancti, ac exauditione digni discipuli ejus, facite pro me Verbo verbum, qui clamo etiam post vos, et per vos ad ipsum, a quo solo venire potest auxilium : qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus ante sæcula, et nunc et semper. Amen.

SERMO XXXIV.

IN EODEM FESTO II.

Dicunt et discipuli : Dimitte eam, quia clamat post nos (*Matth.* XV). Eia, fratres, fatigati sumus opere manuum : sed pausemus modicum, dum respondeam quæstioni fratris hujus, de fine sermonis hesterni, quod Dominus dare dignabitur. Miratur enim quid sibi velit quod, Domino non respondente mulieri, discipuli pietate moti rogarint pro ea, quasi magis sint pii et misericordes Domino suo, qui fons pietatis est, et sufficere debet discipulo, si sit sicut magister ejus. Sed quid scis, frater, utrum pietate permoti an tædio victi, id egerint, quorum hæc verba noscuntur : *Dimitte eam, quia clamat post nos?* Sed esto, speremus de eis meliora, et viciniora pietati. Quis tamen nostrum est, qui non velit omnem hominem salvari, et neminem omnino in inferno damnari? At quidem Deus, quo utique meliores non sumus, id ea facilitate qua voluntate posset, si vellet. Item, cum videmus pauperem algere hieme, vel esurie tabescere æstate, visceribus quidem pietatis affluimus, sed non habentes unde illius inopiam propulsemus, saltem profunde gemimus : Deus autem, qui dives est in omnibus, si pius est, quomodo negligit, et qui de facili potest, quare non subvenit? Nulla est creaturæ ad Creatorem comparatio, nulla est nostræ pietatis aut voluntatis ratio ad divinam. Sæpe enim facit suos pie velle, quod ipse magis pie non vult. Sæpe etiam permittit non suos impie velle, quod pie vult ; sæpe

autem et suos pie velle, quod pie vult, et non suos impie nolle, quod pie non vult. Verum, ut de discipulorum prece plenius disseramus, paulo altius, ut dicitur, ordiendum est.

Beata electio quæ consequitur, quod Israel sectabatur, et non est assecutus. Sicut scitis, unum corpus dicitur, cujus Christus Dei electus caput est : unde et quique sub hoc tam sancto capite hujus corporis membra dicuntur. Corpus autem unum, sicut caput unum, membra vero multa. Hoc autem totum ratione similitudinis humani corporis, quod caput sursum habet, et staturam erectam. Animalia enim, quæ bestiæ dicuntur, in ventrem prona sunt; quibus caput, pedes, et venter una deorsum vergunt, ac in unum tendunt naturaliter. Deus vero homini os sublime dedit. Unde quidam :

Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.
(Ovid., *Met.*, l. I, vers. 85, 86.)

Unde a physicis arbor eversa homo dicitur, qui quasi radicem caput habet sursum, et frondes, id est membra, ramosque, tanquam membrorum articulos deorsum mittit. Caput autem unum est, unde membrorum multiplicitas sentit, ac motum habet. Summi quoque verticis rotunditas una est, unde combinantur oculi, aures, nares, labia, mammæ, brachia, latera, nates, coxæ, genua, tibiæ, pedes. Ubi autem terram tangit, id est pede ac manu, quinus efficitur, multiplex in imo, unus in summo : quinus terram versus, ubi terrenus; unus cœlum versus, ubi cœlestis. Porro unum est necessarium, circa plurima sollicitudo et turbatio. Simili compositione in hoc mystico corpore, sub uno capite Christo, et una radice (nam et ipse sicut unus homo, qui clamat a finibus terræ, sic una arbor, quæ dat fructum suum in tempore suo), membra multa sunt; alia aliis superiora, capitique viciniora; alia inferiora, ac remotiora a capite, eoque multipliciora, ac terræ magis innitentia. Verumtamen, sicut de sola vita radicis in totum arboris corpus viror, et vigor, vitaque procedit, sic de solo Christi et Dei nostri sancto Spiritu totum Ecclesiæ corpus vivit, sentit, movetur. Et sicut vita radicis non pertinet nisi ad suam arborem, et ad eam totam : ita spiritus Christi, quantum ad hoc pertinet sacramentum, ad solum suum corpus pertingit, et ad ipsum totum, quatenus totum vivat, ac moveatur de ipso, non nisi in ipso. Sicut etiam cum una sit in hominis corpore anima, tota ubique per essentiam, differenter tamen per virtutem et operationem, similiter in Ecclesia unus in omnibus spiritus, differenter tamen operatione, officio, et gratia. Sicut etiam in hominis corpore non se membra posuerunt, nec elegerunt numerum, locum, officium, ita nec in Christi corpore quis se posuit, nec locum, nec officium elegit, nec numerum diffinivit. Sicut ergo in hominis corpore, cum differentis actus sint membra, invicem tamen speciosissima necessitate

A se indigeant, et officiosissima sibi charitate subveniant; sic et in Christi corpore, cum necessarii sibi sint singuli, et sicut nemo superfluit, sic nullus sibi per se sufficit, ut qui plus, non abundet, qui minus, non minoretur, sed omnes sibi sese in charitate communicent. Sicut etiam in hominis corpore inferiora stupidiora, ac duriora membra, superiora teneriora et magis vitalia portant, a quibus tamen vitam ac virtutem accipiunt : ita in Christi corpore animales et activi spirituales contemplativos in necessitatibus corporis sustentare habent; a quibus longe meliora, id est spiritualia accipiunt. Hinc enim beatus ait Apostolus : *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si carnalia vestra metamus?* (*I Cor.* IX.) Nec oculus per terram gradi, nec
B pes illuminare corpus potest : corpori tamen utrumque necessarium est, etsi non utrumque per unum membrum potest.

Itaque, qui omnia potest Deus, cum per se posset omnibus sufficere, ac quod vellet efficere, vult tamen pro officio charitatis fraternæ, in corpore suo locum necessitatis existere, et humilitatis causam, quatenus frater fratrem adjuvans sit sicut civitas fortis et munita. Juvant igitur inferiora membra superioria, ac juvantur ab ipsis, similiter et paria, atque invicem omnino omnia. Et qui omnibus prædestinavit hic temporalem necessitudinem non deesse, et in futuro beatitudinem adesse, differenter ac suo modo : ipse etiam prædestinavit differen-
C tiam, ac modum, et quid cuique conferret; et qui per se hic sustentare, ac ibi consummare potest universos, prædestinavit, quantum, quomodo, quando, ubi, et per quos singula singulis provenirent. Non enim ipse mundum fecit, et alii regendum contradidit. Sed neque fortuitu in eo quid contingit. Ipse qui fecit, regit : sine cujus voluntate neque folium ab arbore defluit, neque passer super terram cadit. Qui ergo prædestinavit in cœlo suis vitam, his prædestinavit ipse in mundo viam; qui prædestinavit ibi præmium, is prædestinavit hic meritum; qui daturus est ibi gloriam, ipse dat hic gratiam. Non enim ille promittit, et alius facit : imo quod prædestinavit, ut fieret, ipse facit, ut fiat; et qui prædestinavit illic gradum, ipse prædestina-
D vit modum, quo pertingatur ad ipsum. Nec tamen, ut quidam delirant, si Deus prædestinavit huic vitam, quomodocunque hic vixerit, ac quidquid egerit, pertinget ad ipsam. Sed qui prædestinavit huic vitam, prædestinavit quoque, ut sic vivat, quod pertingat ad ipsam, id est ut sua ipsius, non tamen ab ipso, tali aut tali justitia, aut alterius fide vel oratione, aut sicut ipse novit unicuique distribuere : qui quod prædestinavit, ipse facit; et quod præparavit, ubi simul ac semel omnia statuit, quando vult, sicut præparavit, tribuit. Sed dicitis : Si Deus unicuique suorum sicut prædestinavit salutem, sic prædestinavit modum perveniendi ad ipsam, tunc non potest secus ac vivit, vivere, qui prædestinatus est sic vivere, et quem facit Deus

sic vivere; sicut nec perire potest, qui salvari prædestinatus est. Vere, nam et perire potest, qui prædestinatus est. Sic enim salvari potest, ac perire potest. Perire etenim potest, etiam qui non peribit; et aliter vivere potest, qui aliter non vivet. Haud enim prædestinavit Deus talem non posse perire, qui cum sit liberi arbitrii, in alterutrum flecti potest : nec aliter ac vivit, posse vivere; sed simpliciter sic vivere, et non perire. Valde namque diversa sunt, non perire, et non posse perire. Alterum ergo prædestinavit, alterum minime, qui tamen utrumque donavit. Nam posse perire, naturæ est nostræ; non perire, suæ est misericordiæ : perire autem nostræ erit culpæ ac justitiæ suæ. Unde qui prædestinatus est, perire potest per mutabilitatem naturæ; sed non peribit, propter prædestinationem gratiæ. Generatio cœlestis servat eum : qui si omnino perire non posset, servatione opus non haberet.

Prædestinatum est ergo, ne pereat, qui perire potest, et utique non peribit cum perire possit, quia prædestinatus est. Hoc enim impossibile est prædestinatum hunc esse, et perire : necesse est enim ut si prædestinatus est, non pereat, ne prædestinatio fallat, non ut perire non queat, cum hoc prædestinatio certo non contineat. Itaque, qui prædestinavit filiæ liberationem, ipse propter ipsam matris prædestinavit orationem et per apostolos impetrationem. Unde ut efficeretur, quod futurum erat, et aliter fiendum non erat, quod tamen aliter fieri poterat, nec superflua invenitur matris sollicitudo, nec Domini quasi dissimulatio, nec discipulorum pia oratio. Imo, sicut modus, quo fieret, quod sic fiendum erat, (8) omnia apparent necessaria; nec ut oriretur per ipsum in Dei dispositione verbum novum, sed ut consilium compleretur æternum. Qui autem aut negare, aut aliter præstare potuit, hoc sic maluit, quatenus in uno pluribus conferret; filiæ videlicet donum sanitatis, matri debitum pietatis, discipulis officium charitatis : et qui foris non respondit mulieri verbum, intus in muliere simul et apostolis operabatur ipse Patris Verbum. Et qui justa ac occulta ratione filiam tradiderat Satanæ in vexationem carnis, quasi accepta inde occasione, juxta quod omnia bonis cooperantur in bonum, matri ac discipulis creavit meritum virtutis. Nam *qui suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior* (*I Tim.* v). Hoc pro matre et filia. Pro discipulis autem ac matre. *Qui viderit aliquem in necessitate positum, et clauserit viscera sua ab eo, non est charitas Patris in eo* (*I Joan.* III). Dum igitur istis meritum acquiritur, et filia tandem sanitati redditur, solus dæmon est, cui a Domino illuditur, sicut scriptum est : *Draco iste, quam formasti ad illudendum ei* (*Psal.* CIII). Si enim hoc provenire inde præscisset, puellam vexare utique noluisset, nisi A quod eum sicut excæcavit, ita et obduravit malitia.

Patet itaque pietas Dei nostri, quæ utique merita nobis quasi extorquet a nobis, dum foris occasionem operis parat, et intus affectum creat. Dum enim quod foris præcipit, nobiscum intus, ut faciamus, facit, sicut dicitur : *Non ego, sed gratia Dei mecum* (*I Cor.* XV), quid nisi nobis merita creat, quibus ipse præmia retribuat? In eo nimirum quod facit sine nobis, non invenit, unde retribuat nobis : tametsi quod facit, fiat pro nobis. In quo licet non interveniat meritum, patet tamen commodum. Quod vero sine illo facimus, semper meretur supplicium, cum non possit esse nisi malum. Sine illo quidem actio nulla fieri potest, nec tamen nisi bonum per
B illum fieri manifestum est. Sicut autem per aliquem sæpe facit bonum, quod ipsi nequaquam prodest, ita et per illum facit nonnunquam quis, quod ipsi meritum ad præmium pertingens non est. Illa ergo sola comparant meritum pertingens ad æternitatis præmium, quæ nobiscum perseveranter facit Deus, et ut cum illo faciamus, facit. Quorum omnium tanquam fundamentum prima est fides, quam utique non sine nobis creat in nobis. Nemo enim credit invitus. Omnipotens et benignus Deus suaviter nos intus cogit, et quo vult, sine violentia volentes trahit, dividens inter nos in nobis, ut quod nolumus, libenter velimus; et quod volumus, potenter nolimus. Demus igitur, dilectissimi, libenter totum
C Deo, quandoquidem nihil nostrum est, sicut beatus ait Cyprianus (lib. *De Orat. Dom.*). Ipse enim, attestante propheta, *omnia opera nostra operatus est nobis* (*Isa.* XXVI); sicut operatus est nos, et non ipsi nos. Sed nec sic operatur nos, aut nostra, ut homo artifex, qui cum perfecerit operis quidpiam ab operando cessat, ac permanente opere in aliud intendit. Imo sicut anima operatur vitam in corpore, vel æqualitas sanitatem, aut sol diem, aut exterior lux in oculo visionem. Haud enim hæc ita operantur, ut remanente opere discedant, aut discedentibus ipsis opera maneant; sed sic, ut cum perfecerint, semper faciant; et cum non fecerint, ac se subtraxerint, nusquam sit omne quod fecerint. Ita etiam Deus in omnibus, quæ operatus est
D ut sint, assidue continueque operatur, ne non sint, juxta quod ipsa, per quam omnia fiunt, Veritas ait : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (*Joan.* v). Sicut enim ab essentia habet esse omne quod est, ita subducta essentia omnino non potest esse quidquid ea est. Si autem sine essentia, nec ipsa essentia esse potest; quomodo sine ipsa erit quidquid ab ipsa est? Omnia igitur ut sint, semper esse egent; ipse autem solus sibi sufficiens est, qui omnia sua est, et alio a se non eget.

Ejus itaque sempiterna ac incommutabili essentia, id est ipso qui est semper operante (9), sunt quæcunque sunt, tantum, tunc ac tandiu, quantum

(8) Videtur aliquid deesse.

(9) Deus est, *Qui est* (*Exod.* III).

quando, et quandiu ipse id operatur. Ejus æterna sapientia, id est ipso qui est, quo sapiens est, semper operante, sapiunt, quicunque sapientes sunt, tantum, tunc, tandiu et taliter, quantum, quando, quandiu, et qualiter ipse id operatur. Ejus æterna bonitate ac charitate, id est ipso qui est, quo bonus est, semper operante, boni sunt, qui bonum diligunt, tantum, tunc, tandiu et taliter, quantum, quando, quandiu, et qualiter ipse id operatur. Similiter autem his de virtute, et omnibus, quæcunque omnino aliquid sunt, quia sine illo sicut factum est nihil (*Joan.* I), sic sine illo factum manet nihil; aut super hoc quod ab illo accepit, nihil omnino proficere poterit. Quis enim habeat quod ab illo non accepit? Quis sine illo facere quid poterit? Deficere autem per se possunt, quæ ab illo mutabilis natura facta sunt, ipso tamen permittente, qui, sicut omnia agit volens, sic nihil permittit invitus; sicut sine ratione nihil agit, sic sine causa nihil permittit; cujus judicia sæpe occulta, semper justa. Operante itaque creatrice essentia, et illuminante sapientia, inflammante charitate, ac corroborante virtute, creatur in nobis essentia, sapientia, charitas, virtus, ut simus, sciamus, velimus, possimus.

Hæc igitur omnia per ipsam charitatem nostram, a sua qua nos diligit Deus, in nobis formatam, ad ipsum conversa, bonos nos interim ac religiosos hic efficiunt. Cum autem se plene converterit ad nos, nosque perfecte rapiet ad se, utique efficient beatos, ubi pro æterno, quod ipse in æternum faciet, merito, æternum solvet, quod ipse est, præmium. Semper enim merebitur diligi plene, perfecteque, qui semper sic diliget. Interim autem qui plus diligit, plus diligitur, quia, qui plus diligunt, plus diligit. Ipse enim prius nos, ut diligamus, diligit, et cuique sicut partitur mensuram fidei, sic et dilectionis, sic sapientiæ, sic virtutis; penes se utique habens id, juxta quod partitur, gomor. Sola tamen supradictorum, id est essentiæ, sapientiæ, charitatis, virtutis, charitas videtur hic comparare præmium; cætera vero, nec tamen sine illa, quæ nunquam excidit, spectare magis creduntur ad præmium. Semper enim esse, perfecte sapere, plene posse, et in his charitatis suavitate delectari, quid nisi beatæ vitæ est præmium? Videlicet cujus est bene vivere meritum. Bene autem, nisi charitate, qua Deus amatur, haud vivitur. Ipsa autem non nisi tunc et tantum, quando et quantum a charitate, qua nos prædiligit Deus, creatur et formatur in nobis, haberi potest a nobis. Ipsum ergo Deum Patrem per Filium in Spiritu sancto, totis et intimis ac indeficientibus cordium affectibus, ab ipso ad hoc ipsum præventi rogemus, totum ei tribuentes, ut per suam charitatem creando diffundat, et diffundendo creet in nobis eam charitatem, quæ super omnia diligat Deum Trinitatem, et propter ipsum proximum: in quibus consistit omne meritum, quod pertingat ad æternitatis præmium: quod ipse præstet. Amen.

SERMO XXXV.

IN EODEM FESTO III.

Oportebat, charissimi, hodierno sudore hesterni nos laboris recompensare dispendium. Prolixior enim sermo hesternus, sicut scitis, horam nobis laboris quasi furatus est. Ait quidam: Detinuit sermone diem; sed nobis sermone detentis elapsus est dies. Unde, quia fere jam nihil superest horæ, et plenum laboris pensum solvimus, fere nihil dicamus. *Non sum missus nisi ad oves*, ait Dominus, *quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* XV). Breviter dici potest quia et hora brevis est: quibus promissus, illis missus. *Abrahæ*, inquit, *dictæ sunt promissiones et semini ejus* (*Gal.* III). Temporaliter facta promissio tempore solvitur suo, et Judæis ex Judæis, sicut scriptum est: *Quoniam ex Judæis salus est* (*Joan.* IV). Ipsis enim de ipsis natus in carne Christus missus in fine temporis, quibus promissus ab initio temporis, ante omnia tempora prædestinatus. Judæis et gentibus prædestinatus, de solis Judæis ex proximo in carne natus, secundum carnalem nativitatem illis exhibitus, quibus per temporalem vocem promissus. Verumtamen, si altius elevata mente verborum mysterium contemplari delectat, nequaquam nobis per gratiam verbi, cujus ipsa sunt verba, deesse poterunt. Scriptum est enim: *Cum elevarentur animalia de terra, elevabantur pariter et rotæ, sequentes ea* (*Ezech.* I). Facile enim verba per Spiritum sanctum edita ad sensum spiritalem sequentur. Israel ergo, quoniam *vir videns Deum* interpretatur, mens rationalis recte accipitur. Domus itaque Israel illas continere mentes recte intelligitur, quarum numerus divina prædestinatione ad ipsum videndum ab æterno certus præscitur. Igitur, nonaginta novem ovibus hujus domus in monte visionis et dilectionis proprii pastoris, id est Verbi Dei late spatiantibus et absque terrore cubantibus in pascuis pinguibus herbarum semper virentium, descendit pius pastor a Patre, cum venit tempus miserendi, misericorditer missus in tempore; sed in æternæ prædestinationis verbo, ubi simul et semel omnia locutus est Deus ab æterno promissus, unam quærere quæ perierat; illi in tempore missus, illi ab æterno promissus; illi natus, illi datus, cui ab æterno prædestinatus. Ista est una ex Judæis et gentibus, in Judæis et gentibus. Una mysterialiter, multa personaliter. Multa per carnem naturaliter, una per gratiam spiritualiter. Ovis denique una et plures. Propter quod qui unam venit quærere, quæ perierat; missus est ad oves, quæ perierunt domus Israel. Non ad hœdos, sed ad oves: utique ad solas, et ad omnes. Nam, sicut angeli refugæ, tanquam hœdi ab ovibus, id est a sanctis angelis olim exierunt, sed non erant ex eis: ita et ex his ovibus quæ erraverant, multæ exierunt, sed non erant ex eis. Ovibus quidem per conditionem par natura, et propter inobedientiam

similis corruptela ; sed prædestinatis specialis est gratia. *Sine pœnitentia*, ait Apostolus, *sunt dona et vocatio Dei* (*Rom.* XI).

Manet igitur in ovibus suis, id est angelis et hominibus domus Israel, quantum ad pastoris pertinet prædestinationem et notitiam, numero integra, et electionis charactere immobilis, habens fundamentum hoc : *Novit Dominus qui sunt ejus* (*II Tim.* II), et custodiam fidelem, et fortem : generatio enim cœlestis servat eos. Nemo autem alienorum hac in sorte jungere se poterit illis. Cæterum alii eis ad sacramentorum pascua aut non aggregantur, aut certe super numerum multiplicantur. Quod autem suum novit pastor iste, non est, qui ei de manu possit eruere. Cogi nimirum non valet potentia, nec falli sapientia, nec abjicere charitas. Unde et fidenter loquitur, dicens : *Omne quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo* (*Joan.* VI). Item : *Quos dedisti mihi non perdidi ex eis quemquam* (*Joan.* XVIII). Profundo tamen et inscrutabili judicio ad tempus de suis cum non suis hic misceri et errare permittit, qui in montibus alias a commixtione alienarum servavit. Ad has igitur segregandas et colligendas æterna prædestinatione promissus, nova incarnatione missus dicit : *Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* XV). Missus est itaque tanquam illusis veritas, errantibus via, mortuis vita, fatuis sapientia, infirmis medicina, captivis redemptio, famelicis refectio ; et in omnibus his missus ad oves, quæ perierunt, ne perirent, domus Israel. Missus denique, tanquam anima in corpus mortuum, ut ejus adventu calefacta reviviscerent membra, fieretque in veteribus membris nova vita, in carnalibus membris vita spiritualis, in terrenis membris vita cœlestis, resurrectione videlicet prima. Unde dicitur : *Amen amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent* (*Joan.* V). Hinc etiam de ovibus dicitur : *Vocem meam audient, et alienum non sequentur* (*Joan.* X). Aut fortasse magis proprie dici poterit missus, tanquam in corpus truncum et absque capite caput desuper immissum, unde sensum et motum acciperet : quod ipsum quasi de corde ; quod primum omnium creatur in corpore, vitalem spiritum aliquatenus habeat, quod tamen sine capitis beneficio nec illu-
A minari ad sensum, nec moveri ad virtutem ullatenus potuit. Sicut enim asseverant talium curiosi, vitalis spiritus in animalis corde nascitur, et inde in totum corpus vita diffunditur ; sensus autem de anteriori parte capitis, et motus de posteriori. Quasi ergo in homine, qui semivivus relictus est, qui et ipse est ovis, quæ perierat, vitalis inerat spiritus de statu primæ conditionis, id est voluntas rationalis, aut libertas naturalis : quæ a Christo Dei sapientia et virtute illuminari posset ad sensum, et moveri ad virtutem.

Missus est itaque Christus sua ipsius prædicatione prius sensificans ad fidem : et sui Spiritus missione postea movens ad virtutem. *Sedete*, inquit, *in civitate, donec induamini virtute ex alto* (*Luc.*
B XXIV). Ex ipso enim est naturæ rationali, vel rationi naturali, ad operationem bonam, sensus et motus, veritas et virtus. Fides interim, spes, et charitas, sine quibus desipere et languere, illudi phantasiis potuit, ac insaniis falsis oblectari : sine ipso etenim non nisi nihil facere potuit, qui ad oves missus, eis dixit : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV). Sine ipso sola erat, et solum cadere poterat libertas naturalis, cui dicitur : *Væ soli : quia, cum ceciderit, non est qui sublevet eum* (*Eccle.* IV). Missus est ergo pastor pius, qui quod confractum erat solidaret, et quod debile confortaret. Confractum autem et debile liberum hominis erat arbitrium : quod olim supra se nitens, infra se ruit, et se ferre non
C valens, se in se a se oppressit ac confregit : confractum autem a se, ac per hoc debilitatum in se, surgere non potuit per se. Consolidatum tandem, et confortatum per fidem et charitatem ipsius Christi, ac per hoc fetatum, quoniam nondum omnino pingue et validum, donec simul cum nonaginta novem in pascuis pinguibus collocetur, in ulnis portat. *In sinu suo*, inquit, *levabit agnos, fetas ipse portabit* (*Isai.* XL). Missus est itaque propter hæc omnia, et alia, quæ multipliciter dici possunt multa ad oves quæ perierunt, quantum ad vitæ suæ modum, et erroris meritum, domus Israel. Exhibita est tandem ab æterno præparata gratia, multifarie rebus et verbis olim præfigurata ; ne perirent, quos electio perire non sinit, et naturalis
D libertas salvare nequit (10). Sed dum hæc, quasi secreta, secreto et familiariter discipulis respondit,

(10) Sententia, quam hic docet Isaac, de electione ac reprobatione ante prævisa opera, fuit olim, et est adhuc multorum : quædam tamen indubitata adducenda sunt, quæ opus nostræ salutis in potestate nostra statuunt. Primum, vult Deus omnes salvos (*I Tim.* II), neminemque, id est ne unum quidem, perire (*II Petr.* III), antecedente scilicet voluntate, et quantum in se est. Nullum ergo illa antecedente voluntate a salute exclusit, sive positive, sive negative. Christus item pro omnibus mortuus est, etiam pro iis qui pereunt (*II Cor.* V ; *II Petr.* II ; *Rom.* XIV) : ut apostoli tradunt, pontificesque adversus Jansenium definiunt. Ad quid autem passus esset pro iis, quos Deus salvos non vellet ? Quid eis profuisset ejus passio ? Quod si se a salute excludunt, sibi imputent, non Deo. Item Deus invitat homines ad salutem, quam in eorum potestate esse dicit : *Ante hominem vita et mors, bonum et malum : quod placuerit, dabitur ei* (*Eccli.* XV). Item : *Venite ad me, omnes* (*Matth.* XI). *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* (*Matth.* XIX). Illuderetur ei his verbis, qui non posset ad cœlum pervenire. At impossibilis est salus ei, qui non fuit illa antecedenti electione comprehensus. Quomodo enim non vocatus irrumperet in cœtum beatorum, non invitatus ad nuptias Agni veniret : ordinem a Deo constitutum mutaret ? Audi S. Augustinum (Aug. lib. 83 *Quæstionum*). « Ad cœnam, quam Dominus in Evangelio dicit præparatam, nec omnes qui vocati sunt, venire voluerunt... qui noluerunt venire, debent sibi tribuere, quoniam, ut venirent vocati in eorum erat libera voluntate. » Non ergo

festinans mulier advenit, et adoravit: quem et nos adoremus et ut nos ad sequentia illuminare dignetur, exoremus, cum Patre et Spiritu sancto vivum et verum Deum. Amen

SERMO XXXVI.

IN EODEM FESTO IV.

Non est bonum sumere panem filiorum et dare canibus (*Matth.* xv). Sicut hesterno sermone tractavimus, sine pœnitentia sunt dona et vocatio Dei, unde quod ad ejus incommutabilem prædestinationis pertinet veritatem, qui semel filii, nunquam non filii; nec unquam filii, qui semel non filii. Quantum vero ad opera justitiæ, sive justitiam operum, et de non filiis filii, et de filiis non filii vicissim fiunt. Qui autem vere filii, et qui non filii, penes Patrem verum, *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obrumbratio* (*Jac.* I): et numerus et ratio est. Novit enim quid in unigenito suo, incommutabili Verbo, semel ipsum perfectum, et simul et semper gignendo dixit, et dicendo genuit: ubi simul et semel omnia statuit. Quorum quidem sic nihil omnino præterire poterit, quomodo nec ipse falli potuit, qui non tam futura prævidit quæ faceret, quam præfecit futura quæ facta videret. Non enim ideo fecit, quia futura erant, aut fieri debuerant, quæcunque fecit; sed ideo futura erant fierique debuerant, quia is ea facere debuit. Unde nec futura erant nisi quæ voluit, et hæc quia voluit: qui sicut velle quod vult nunquam cœpit; sic nolendo ipsum terminare non poterit, aut volendo quod non vult, mutare quod voluit, aut de recenti consilio superaddito primæ voluntati, quod antea noluit. Consilium enim ejus in æternum manet, et cogitationes cordis ejus in generatione et generationem. Omnipotens autem potest omnia, sed veritas seipsam negare non potest, nec sapientiam fugere potuit, quod postea reminisci debuisset; nec charitas agere perperam, quod postmodum correxisset. Sicut igitur quod factum videtur, non quia fieri debuit effecit, sed quia præfecit, fieri debuit: sic nimirum quod bonum esse dicitur, non tam quia bonum est, id facit et diligit: quam ideo bonum est, quia id facit ipse et diligit. Ab ipso etenim tanquam ab efficienti principio, fieri, et bonitatem habere necesse est, quidquid in rebus factum et bonum est. Hinc est quod exsultans in spiritu, qui perfecte novit Patrem Filius, eique de operatione sua confitens ait: *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (*Matth.* XI). Cujus operationis quasi causam assignans, subintulit: *Ita, Pater, quoniam sic placitum fuit ante te* (*ibid.*).

Credamus, fratres mei, credamus obsecro, servi Filio de Patre suo: Pater enim omnia quæ facit Filio ostendit, et sine ipso nihil omnino facit: imo per ipsum omnia facit, qui cum factore Patre a Patre eadem, et similiter omnia factor Filius facit. *Ita*, inquit, *Pater, quia sic fuit placitum ante te*. Hæc est tota principaliter factorum omnium ratio: hæc primaria et principalis eventuum causa. Post hanc, sub hanc causam primam, et maximam, suboriri ab hac plurimæ possunt diversorum effectuum diversæ causæ. Qui autem ante hanc causarum causam aliam ipsius causam quærit, hic ultra, ut dicitur, Deum ratiocinando pergit. Quod ergo placitum est ante Patrem, hoc bonum, et non nisi bonum, et solum hoc in rebus bonum; et ideo bonum, quia placitum: non ideo illi postea placitum, quia prius in se, aut a se, aut per se bonum. Quod autem non placitum, non bonum, et non nisi non bonum, et solum id non bonum: ac ideo non bonum, quia non placitum. Bonum igitur, et solum, et totum, quod ei bene placitum, et ideo bonum, quia illi bene placitum. Quoniam ergo, dilectissimi, quomodo qui bonorum nostrorum non eget, bona quæ facere putamur acceptet, prorsus ignoramus, utrum in omnibus digni simus amore, vel odio, cum tanto tremore et exspectatione dubitamus: quæ si tamen bona esse, quia illi grata, nosse aliquomodo poterimus: quibus tamen utilia, quibus profutura, quibus bona esse debeant, nobis, an aliis fortasse, quomodo scimus? Alto enim et occulto judicio, qui stultus est, servit sapienti, stultus autem ut luna mutatur; et qui diu crescendo profecit, subito decrescendo deficit. Sapiens vero ut sol permanet, et qui perseveraverit, sine dubio salvus erit: et non solum aliis, sed et sibi laboravit. Et quod fecit non simpliciter bonum, quia placitum; aut extraneis tantum, sed sibi bonum, quia in hoc Deo placuit. Nonnunquam enim in conspectu superni Judicis placitum est quod ab aliquo fit, nec tamen in hoc ipso placet ille, qui facit, neque semper quod simpliciter est bonum, id universaliter bonum: non enim omne quod bonum est, omnibus bonum est. Quare nec mulieri dictum est: Non est bonum canibus tolli panem filiorum et dari illis, sed simpliciter: *Non est bonum sumere panem filiorum, et dare canibus*. Siquidem tam bonum esset canibus, si id fieret quam filiis malum. Similiter non omne quod malum, omnibus malum; sed simpliciter malum, quod non est Deo placitum, sicut simpliciter bonum, quod bene placitum.

Non est ergo bonum, id est placitum Deo, sumere gratiam prædestinatorum, panemque cœle-

exclusi a cœna cœlesti antecedenti Dei decreto. Idem alibi (serm. *de Symb.*) inducit Christum judicem, reprobos sic alloquentem: « Pro vobis hoc latus apertum est, et noluistis intrare. » S. Prosper (Prosp. *in respons. ad cap. Gallor.*, cap. 3.) ait reprobos ideo non fuisse prædestinatos, quia futuri mali ex voluntaria prævaricatione præsciti sunt. Idem (Id., in 7 *Sentent.* sub fine): « Quia hoc, scilicet malum, ipsos voluntaria acturos defectione prævidit, ideo in prædestinationis sorte illos non habuit. » Mitto alia innumera. Quæ in contrarium proferuntur, in tractatu De prædestinatione solvuntur.

stem, eum duntaxat qui non potest communicari alienis, sed est eis quasi fons proprius, et dare non prædestinatis et ab æterno reprobis, sed in tempore malis; nec tamen ideo malis, quia reprobis; nec utique ideo prius reprobis, quia postea malis: juste tamen tunc reprobatis, quando voluntate aut opere malis. Sic tamen, si fieri posset, istis id esset bonum, quomodo illis malum. Unde manifestum est, non omne bonum omnibus esse bonum; esse autem aliquid alicui malum, sed sua perversitate: nec omne malum omnibus malum: esse quidem aliquid alicui bonum, sed divina bonitate. Nec omne quod alicui bonum, simpliciter bonum esse, sicut nec omne quod alicui malum, statim malum. Sunt etenim bona bonis bona, sicut mala malis mala. Et sunt bona malis mala; sicut mala bonis bona. Nec tamen unquam mala bona, aut bona mala. Sunt et fortasse bona bonis mala, sicut et mala malis bona. Simpliciter autem semper bonum, quod Deo placitum, et ex eo bonum, qui per se, et in se, et non alio a se semper ipsum summum bonum, sicut scriptum est: *Nemo bonus, nisi unus Deus* (*Marc.* x). Simpliciter autem non bonum quod illi non placitum, cujus placitum non ex alio bono bonum, sed est idipsum bonum. Unde necessario, quod illi non convenit, a bono disconvenit, ac per hoc malum fit. Eia, fratres, in tanta rerum multiplicitate, et vicissitudinum varietate, qua nec sibi ipsa multiplicitas constare permittitur (nequaquam enim bona ipsa vel mala omnibus semper uniformiter mala vel bona dignoscuntur). videte quomodo et quantum oporteat nos dubios semper fore et timoratos, circumspectos ac sollicitos, ne quæ desideramus tanquam bona, sint nobis mala; aut quæ hodie bona, cras mala; aut quæ cavemus ac fugimus, quasi mala, sint nobis bona; et quæ hodie mala, cras bona.

Videte quoque, quoniam non solum quid agamus, verum etiam quid oremus aut optemus, sicut oportet, nescimus (*Rom.* VIII). Ad hæc tamen, Spiritum qui scrutatur, non inquirendo, sed penetrando profunda Dei, et scit omnem voluntatem et beneplacitum Patris, secundum quod postulat pro sanctis, postulemus semper juvare infirmitatem nostram, ut non quod volumus, quia volumus; sed quod vult Pater, quia vult Pater; solum, et semper velimus, potius exspectantes ab eo quid velit, et illud amantes, quam definientes quid ipsi velimus; et id desiderantes, dicentes ei, a suo Verbo edocti: *Fiat voluntas tua in cœlo et in terra* (*Matth.* VI). Et illud: *Non quod ego volo, sed quod tu vis* (*Matth.* XXVI). Cui beatus Pater Augustinus in Confessionibus suis religiose loquens ait: « Optimus minister tuus est, qui non intuetur a te audire, quod vult: sed hoc potius velle, quod a te audierit. » Sed dicitis, quod vult quare oramus, quando etiam nobis non orantibus fiet? Imo, quod non vult, quare orabitis, cum vobis, non dico orantibus, sed præcordia orando rumpentibus, nullatenus fiet? Si ta- A men nudiustertianus sermo non excidisset, nequaquam præsens vos ista quæstiuncula conturbare potuisset. Plurima etenim vult, quæ nisi per orationem tamen dare non vult. Nihil vero, quod non vult fieri, potest aliquomodo omnino obtineri. Nec tamen semper stulte, vel impie rogamus, quod non vult; nec semper pie aut sapienter, quod vult. Sed de his superius copiose dixisse nos, meminisse debetis. Verumtamen, quoniam ejus velle sæpe nescimus, id semper orare debemus, quod pietati magis concordare videbimus. Nec tamen absolute, sed, sicut ipsius Sapientiæ formam habemus, quæ ait ad Patrem: *Si possibile est*, vel, *si vis, transeat a me calix iste* (*ibid.*), et similiter ubique dicentes: *Abba, Pater, non quod volo, sed quod tu vis* (*Marc.* XIV). Nam qui B novit, Deum aliquid velle, si vult eum postea idem nolle, quomodo erit pium? Imo Deum omnino incommutabilem pro nostra adimplenda voluntate velle mutare, quomodo erit pium? Imo Deum omnino incommutabilem pro nostra adimplenda voluntate velle mutare, quomodo non erit sacrilegum? Ego omnino talem Deum nolo, quem a verbi sui veritate meus mihi mutet affectus, sed cujus mea verbi mei vanitate commutet effectus, non qui inchoet propter me, quod hucusque noluit, velle; sed qui me propter seipsum faciat, quod semper voluit, velle. Doctor et Dominus meus Jesus Christus, verus Deus, verus sacerdos, verum sacrificium, qui se sibi et Patri et Spiritui sancto pro nobis hostiam C et oblationem effecit, non nisi quod Pater voluit, et pro quibus ipse Pater voluit, Patrem oravit, dicens: *Pater sancte, serva eos quos dedisti mihi de mundo* (*Joan.* XVII). Ii sunt, dilectissimi, pro quibus adhuc assistens vultui Patris, interpellat, sempiternum habens sacerdotium, qui non prohibetur morte permanere, sempiternum offerens sacrificium. Non enim vocem aut voluntatem mutavit, ut pro aliis hic rogasset, et pro aliis ibi interpellet. Huic tanquam summo sacerdoti, sanctorum ibi chorus, locum quasi supplens idiotæ, super hac oratione respondet: *Amen*, nihil ei contrarium, vel ab eo diversum sentientes aut volentes; quippe quem ibi nec obscurat ignorantia, nec confundit affectus. In ejus etenim sancta luce, sicut veraciter quid velle de- D beant, sancti vident, sic in ipsius virtute fortiter quod debere se vident valent. Quibus, charissimi, pro parvitate nostra concordantes omne quod facit Deus amemus, quod vult quia vult velimus, nihil de corde nostro nobis retinentes, ad omnia, *Amen* et *Deo gratias* respondeamus omnium actori et rectori Deo: cui honor et potestas in omnibus, et super omnia in æternum et ultra. Amen.

SERMO XXXVII.

IN EODEM FESTO V.

Non est bonum sumere panem filiorum, et dare canibus (*Matth.* XV). Hodie, dilectissimi, adjuvante nos Deo probi fuimus. Horæ enim adhuc aliquid superest, et ecce jam diurni laboris pensum plene solvimus. Unde ad id quod hesterno sermone minus

persolvimus, accingier nunc operæ pretium est. Sicut igitur cursim tetigimus, in sacro eloquio aliter secundum prædestinationis veritatem, et aliter secundum vitæ qualitatem filii dicuntur. Aliter quoque super filios hominum sæpe judicium est divinum secundum ipsius consilii propositum, aliter secundum operationis humanæ meritum. Nam secundum opus justitiæ, aut justitiam operis, de malo fit bonus, et de bono malus; de filio canis, et de cane filius. Hebræi enim propter legislationem et testamentum, ac promissa Dei ad illos, communia quoque sacramenta et obedientiam mandatorum, olim filii appellati sunt: e contrario sine his universi gentiles canes. At, ubi ex eis filii a prædestinatione alieni, mentiti Deo in vetustatem reversi sunt, et claudicaverunt a semitis patrum suorum, qui proposito filii erant, sicut ablatum est ab eis regnum Dei ac translatum ad gentes, ita et nomen. Unde consequenter psallitur: *Deus qui das vindictas mihi, et subdis populos sub me. Propterea confitebor tibi in nationibus, Domine* (*Psal.* XVII). Sicut ergo qui prius canes, nunc filii; sic qui ante filii, postmodum canes appellati sunt. *Circumdederunt me*, inquit, *canes multi*, etc. (*Psal.* XXI). Nec solum canes, sed etiam serpentes sicut scriptum est: *Acuerunt linguas suas, sicut serpentes* (*Psal.* CXXXIX). Quinimo ad cumulum ignominiæ dicti aliquando filii Dei, audiunt a vero, naturali, et unico filio Dei, qui utique Patrem singulariter novit, et fratres suos ex nomine cunctos, *Vos ex patre diabolo estis* (*Joan.* VIII). Quoniam tamen tempus est omni rei sub sole, et ab illo quasi puncto, ubi omnia simul sunt, legitimo tractu ordinis linea universitatis educitur, ut non simul ac confuse, sed suo singula ordine fluant, non est bonum etiam, id quod fiendum est, fieri, nisi quando et quomodo oporteat fieri. Unde Moyses de Amorrhæis, culpis suis exigentibus expellendis, sed necdum ad debitam plenitudinem perventis, ait: *Nondum completa sunt peccata Amorrhæorum* (*Gen.* XV). Ideo quidem nondum poterant expelli, ut introducerentur filii Israel. Sed nec in Ægypto exspectare debebant Hebræi, cum Ægyptiorum peccata jam matura essent ad ultionem. Unde in deserto annis quadraginta vagati sunt. Simile huic et illud est quod de quibusdam ait Apostolus: *Ut compleant peccata sua semper* (*I Thess.* II). Et illud: *Qui in sordibus est, sordescat adhuc* (*Apoc.* XXII); ac e contrario: *Qui justus est, justificetur adhuc* (*ibid.*).

Nihil ergo temere, nihil casu, nihil confuse, nihil sine ratione, nihil sine causa, quantum ad superni Rectoris moderamen attingit, in rerum omnium varietate contingit. Tollendus quidem erat panis a generatione perversa, ac infidelibus filiis, et donandus canibus, qui circuirent civitatem; sed nondum erat bonum, quia nondum erat faciendum. Nondum occisores prophetarum Dominum prophetarum occiderant, nondum sibi caput præmortua membra absciderant, quatenus ab eis vita et sensus prorsus aufugeret, nondum ab eis Spiritus aufugiens cen-

A turionem repleverat, ut palam exclamaret: *vere Filius Dei erat iste homo* (*Matth.* XXVII). Nondum igitur tempus erat, ut audirent: *Vobis oportebat primum prædicari regnum Dei, sed quoniam indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes* (*Act.* XIII). Antea quidem minæ, abhinc effectus. Ideo non fuit antea bonum, quia postea suo tempore fuit bonum, sumere videlicet panem filiorum et dare canibus. Hoc fortasse per Spiritum intus illustrata mulier novit, videlicet quod per Christum, cui loquebatur, Judæorum filiatio ad gentes foret transferenda. Unde fidei devotione ac desiderio rei impatiens instat, et sacramentum ante tempus revelat, dicens: *Etiam, Domine; nam et catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* B Hinc est, quod audit: *O mulier, magna est fides tua;* quæ desiderio fermentata, angustum pectus superexcrescens, intra secreti sui claustra se minime cohibet. Hinc Isaias femineum pectus virili continentia vincens, clamat: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi* (*Isai.* XXIV). Et utique juxta historiæ fidem legitima utitur parabola dicens: *Nam et catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Christus enim, dum Scripturarum panem filiis, docendo, ac sanitates operando fregit; etiam ante passionem nonnullæ beneficiorum micæ ad canes defluxerunt; et, ne longe petamus exemplum, ad hanc ipsam, quam in labio linguæ versamus, Chananæam, ejusque filiam. Ipsi enim dicitur, *Fiat,* C *sicut petisti*, quia magna est videlicet fides tua, qua petisti. Qui enim potest omnia credere, potest omnia impetrare: *Omnia enim possibilia sunt credenti* (*Marc.* X). Ideo sæpius non impetramus, quia in postulatione hæsitamus. Fidei etenim satis magnæ nihil est nimis magnum. Comparata quippe grano sinapis etiam montes transfert. Fides tamen, quod in præsenti occurrit, quatuor modis dicitur magna, scilicet scientia, aut fiducia, aut devotione, aut constantia. Prima est, quæ illuminata facie mentis magna est, ac potens reddere rationem omni poscenti de ea quæ in nobis est spe, et ad destruendam omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Christi.

Hæc in B. Paulo apostolo excellentissime claruit, D de qua etiam sic loquitur: *Si habuero omnem scientiam, et noverim mysteria omnia*, etc. (*I Cor.* XIII). Secunda potens est magna, non tantum in sermone et scientia, sed etiam in virtute, secundum quam signa ac prodigia facile fiunt. De hac etiam idem Apostolus sic ait: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam* (*ibid.*). De hac etiam alibi: *Alii datur fides in eodem spiritu* (*I Cor.* XII). Et Jacobus: *Nihil*, inquit, *hæsitans in fide* (*Jac.* I). Tertia magna est et potens, ad compunctionem et lacrymas, ad totius mundi hujus fastidium, et desiderium faciei Dei. Secundum hanc suspirans Propheta ait: *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei! Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte* (*Psal.* XLI). Et alibi: *Tibi dixit cor meum: Exquisivit te fa-*

cies mea ; faciem tuam, Domine, requiram (*Psal.* xxvi). Ista est, quæ in silentio monachorum suavi susurro ore ad os loquitur ad Dominum, tanquam vir ad proximum suum. Unde os eorum sanctum est, et labia munda, propter sermonem Domini, quem frequentant. Propter cujus munditiæ desiderium elongantes se de medio populorum immunda labia habentium, fugerunt omnia mundi hujus oblectamenta, ac mundi manent in solitudine. Quarta potest et magna tam sævientem quam blandientem fortiter et constanter vincere mundum. De hac beatus Joannes ait : *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra* (*I Joan.* v). Prima vincit mundum ratiocinando, secunda mira faciendo, tertia fugiendo, quarta debellando. Verumtamen, juxta quam speciem mulieris hujus fides dicta sit magna, ipse novit, qui quod foris laudavit, intus formavit. Nos autem credimus, propter quod ipse locutus est, qui nec falli, nec fallere potest. Cæterum, si ad altiora libet sursum revocare sermonem, ut intelligantur filii sancti angeli, spiritusque justorum, qui ad mensam Verbi Dei admissi, in voce exsultationis et confessionis epulantur in conspectu Dei, et delectantur in lætitia, ebrii jam ab ubertate domus ipsius, ante cujus fores nos adhuc mendicantes ac exspectantes excubamus : ego simpliciter quid inde nonnunquam mihi mecum ab altiore speculatione, imaginariæ devotioni dimissus effigiari soleam, vulgari sermone breviter narro. Esto igitur Dominus meus Jesus Christus, tanquam paterfamilias in domo sua januis clausis, cum amicis et pueris suis epulatur, et exsultat in opulentia ac securitate, sicut dicitur : *Noli mihi molestus esse : ecce ego et pueri mei mecum sunt in cubili* (*Luc.* xi).

Nos autem qui adhuc peregrinamur a Domino, utpote ad convivantium divitum fores, ut assolet, turba pauper ac vilis, infirma et famelica passim excubamus, clamamus nominatim Dominum et Dominam, et si quos convivantium novimus, appellamus ; frigus ac famem quæ patimur, ut ad pietatem flectamus, commemoramus ; singulas quoque incommoditates, prout differenter patimur, cæcitatis videlicet, claudicationis, ariditatis, contractionis, paralysis, aut lepræ aut aliarum mille, minime reticemus ; invicem quoque nosipsos, ut fortius clamemus, monemus ; impatientia sæpe victi, surditatis eos, qui intus sunt, arguimus, dum sibi indulgentius est, aliorum eos securos accusamus ; pauperum egestates aut non curantes, aut ignorantes, inexpertos, aut immemores, criminamur. Quid multa ? Patientium impatientiam, qui pacem intus habent, multa patientia patiuntur, donec tempus et hora legitima venerit, ut erogentur reliquiæ, aut intromittantur ad plenam refectionem nonnulli. Sic quibusdam divitibus facere quotidie moris est, nisi forte alicujus nimium improbi protervia tædio affectus, et non eo quod amicus ejus sit, paterfamilias selectim ei quidpiam transmiserit ; sicut scriptum est : *Surget, et dabit ei quotquot habet ne-*

A *cessarios* (*Luc.* xi). Sed neque hoc sileo, quia dum foris mendicantes ac excubantes præstolantur pauperes, sæpe nonnulli, ut mollius, aut honoratius, aut calidius sedeant, ab aditu se elongant ; imo quandoque pro vilibus stramentis, aut quibusque quisquiliis, sive paleis, aut hujusmodi, quod nudis pedibus supponant, dire dureque contendunt, et percutiunt pugno impie, ita ut ad aures patrisfamilias ac simul accumbentium clamor ascendat, et bilem moveat, cum mendicantibus aut verecundiam, aut fortasse contemptum afferat. Quid aliud est, rogo, religiosorum, maxime monachorum hodie contentio, æmulatio, et provocatio, pro terris, pro nemoribus, pro pascuis, pro pecudibus : quibus nec terræ hominibus, nec homines terris, nec pa-
B scua pecudibus, nec pascuis pecora sufficere possunt ? Utique in auribus meis sunt hæc, dicit Dominus exercituum. Nam quod in oculis hominum viluerit religionis nomen et opinio propter hæc, qui nescit, nihil scit.

Præterea timendum est, ne, cum venerit Dominus, ut aliis interim aliquid eroget, alios vero semel introducat, isti ad contentiones ac judicia sua longe absint, aut post contentiones ac judicia periculosius adsint, ad ultionem potius quam ad refectionem apparentes. Nam quod dicunt se in hujusmodi causam Dei agere, et pro amore Dei contra omne consilium Dei fratrem pro festuca infestare, sic est frivolum, sicut a perfectionis professione alienum.
C Pro se enim litigant, et suas causas, etsi nesciant, agunt. Nam quod omnium est, Dei est. Nonne Dei erit frater, et Ecclesiæ ipsius, si illi dimittis, qui religiosus est, ut tu, quemadmodum si illi extorseris id pro quo cum eo contendis ? Tantine est apud Deum uni Ecclesiæ vel monasterio auferre quod alteri conferas, ut ejus debeat tua talis causa dici ? Quare non etiam Dei causa est, quam ille defendit, ne hac perdat Deus, quod lucrabitur illac, cum Deus utrobique possideat, cujus est orbis, et plenitudo ejus ; nec possit hinc lucrari quod inde non perdat ? Nonne manifestum est quod pro se homines litigant, ut paleas propriis pedibus aut conservent, aut acquirant ? Ubi præcepit Deus litem et contentionem : aut ubi consuluit, aut edocuit, aut
D indulsit ? Sed permisit, inquiunt. Utique adulterium, homicidium et cætera mala bonus bene permisit, sed malus male fecit. Sed ad supradicta revertamur, unusquisque enim onus suum portabit, et pro se reddet rationem Deo. Sicut ergo cum erogaverit, aut intromiserit pro arbitrio suo, qui nulli debuit, ac gratis tribuit, quibus voluit paterfamilias, qui minus accepit, magis murmurat : ita et in nobis, dum minus fratre suo quisque se humiliter putat habere gratiæ, quasi pie contra patremfamilias, sicut illi evangelici vinitores (*Matth.* xx), murmurat, æmulatur absque invidia charismata majora ac meliora, bono zelo zelans alterius fratris, aut in humilitate, aut in obedientia, aut in charitate, aut in oratione conversationem. Qui autem in no-

vissimis omnino nihil consequentur, more eorum, qui hodie trutanni appellantur, et hac consuetudine optime dignoscuntur, blasphemantes abibunt, sicque æterni delicti rei, justas in æternum pœnas dabunt. Si quis vero subtilior, ac cæteris magis improbus et anxius (talis enim omnia vincit), per cancellos aut rimulam aliquam se jungere poterit, is sub mensa dominorum suorum defluentes micas prælibare habilis erit, ligurire quoque ac lambere nonnulla, quibus sicut adipe et pinguedine repleatur anima ejus. Cum tamen talis penes nos magnitudine et dignitate rarus, aut forte singularis jure habeatur, ibi tamen non homini, non saltem cani, aut catulo, sed catello comparatur. Qui enim minimus est in regno cœlorum, major est illo. Hinc David domus illius non solum familiaris, sed et thalami paranymphus, se non solum canem, sed et pulicem cum timore nominat (*I Reg.* XXIV et XXVI). Sed neque talis propter improbitatem tantum, aut humilitatem, catello comparatur; verum etiam propter irrationabilitatem, pusillanimitatem ac mutabilitatem. Brutum quippe, ac mutum, et irrationabilem, ac vilem, parvulumque se agnoscit, quantumvis inter mortales aut sapiat, aut valeat, quisquis ad veram sapientiam, et dignitatem, ac magnitudinem ingredi potis fuit. Ille veraciter quam sint infirma fortia nostra cognoscit, qui supra se ad divina irrepere potuit, qui tamen adhuc de terrena fatuitate insipidum palatum gerens, nec plene gustare potest, quæ ibi dulcia sunt, sicut nec propter oculorum lippitudinem intueri, quæ lucida: quæ tamen audierit, aut senserit, sibi redditus eloqui minime valebit. Ineffabilia etenim sunt talia, et quæ non licet homini loqui. Sibi autem redditus, homo adhuc est, qui ad talia raptus interim plus homine est. Hinc magnus ille fidei pater, et obedientiæ exemplar Abraham, post visionem cœlestium, cinerem se ac pulverem nominat (*Gen.* XVIII). Hinc Moyses post visionem rubi elinguem se et impeditioris linguæ agnoscit (*Exod.* III). Daniel quoque ægrotat, ac diu languet (*Daniel.* X). Ezechiel in faciem cadit, et erectore opus habet, ut super pedes stare possit (*Ezech.* II); Joannes apostolus ac evangelista timet, et magnus ille theologus quasi mortuus ad pedes Jesu, quem plurimum diligit, cadit (*Apoc.* I); Petrus et Jacobus, ac idem Joannes, ad vocem de nube ruunt in terram, ac velut ebrii aut amentes, quid loquantur, ignorant (*Matth.* XVII). Nos itaque, qui ab hac subtilitate et improbitate, sapientissima irrationabilitate, fortissimo languore, sublimique casu, longe adhuc sumus, cum pace et patientia, communique conversatione, præstolemur communem eleemosynam: clamantes ad Dominum, ac sanctos ejus, ut nos aliquando introducant, nec interim jejunos a gratia dimittant Domini Jesu.

SERMO XXXVIII.

IN DOMINICA III QUADRAGESIMÆ I

Erat Jesus ejiciens dæmonium, et illud erat mutum (*Luc.* XI). Facile erat, dilectissimi a Domino Jesu Christo dæmonium ejici, sine cujus permissione ac licentia non poterat in quemquam ingredi. Nihil enim est in omni multiplicitate naturæ, quod non per eum Pater, sicut creavit, sic et regat. Quando ergo quare, et quomodo voluit, ingredi permisit: quando et quomodo voluit ejecit. Qui ergo ibi corporali præsentia erat ejiciens dæmonium, is antea, ac postea, hodieque, sicubi fit, divina potentia per quos vult, aut angelos aut homines, eosdemque aut bonos aut malos, quomodo vult seu oratione, seu adjuratione, seu incantatione, seu herbis ac lapidibus, aut aliis aliisque modis dæmones ejicit. Ejus nimirum est omnis potestas in cœlo et in terra, quam secundum divinitatem a Patre semper habuit, secundum humanitatem aliquando accepit: *Data est mihi*, ait, *omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* XXVIII). Hæc autem ut ubique ac semper veraciter crederetur, loco quodam et semel manifeste edocuit. Discipulis suis dederat potestatem super omnia dæmonia, et tamen attulit ad illos quidam filium suum dæmoniacum, quem curare, absente Jesu, non poterant. Quomodo ergo potestatem super omnia dæmonia habebant, si super illum non habebant, aut si habebant, quare non ejiciebant? Hoc nimirum quod prædiximus, corporalis ejus hic absentia figurabat, ac discipulorum impotentia: quod absque divinæ ejus potentiæ præsentia, et cooperationis gratia nusquam aliquod ejici poterat. Unde, illis quærentibus quare non possent illud ejicere, respondit: *Propter incredulitatem vestram* (*Matth.* XVII). Hoc enim aut nondum sciebant, aut sicut oportet non credebant. Hinc est etiam quod alibi, quasi nonnihil sibi arrogantes ad se revocat, dicens: *Nolite in hoc gloriari, quod spiritus vobis subjiciuntur*, etc. *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem* (*Luc.* X). Hæc ideo præmisimus, ne quis sibi arrogare audeat quidpiam, aut in eo quod accepit stulte gloriari. Deus est enim, qui operatur omnia in omnibus, misericorditer ejiciens mala et inferens bona, juste aliquando auferens bona ac inferens mala. Erat ergo Jesus, et usque hodie est ejiciens dæmonium. Roget, dilectissimi, pro se quisque benignum Jesum, et hoc assidue, ut suum a se penitus ejiciat, aut interim reprimat dæmonium. Nam, cum omnia nobis infesta sint dæmonia, et de damno nostro lætentur, cum id aut egerint aut actum rescierint, et plurima circa plurimos tanquam vaga et accidentalia, ut decipiant, sæpe opera ingerant: unumquemque tamen familiarem habere dæmonem, qui circa eum apprime curiosus sit, qui eum ubique in omnibus observet, quem ignorare monachum omnino non oportet, Scriptura non tacet. Ego enim meum optime scire me, et cognoscere arbitror. Nihil mihi notius, quia nihil mihi noxius. Nihil familiarius, quia nihil frequentius. Quæ et cujusmodi tentatio me sæpius et acrius urgeat, haud ignoro. In qua etiam parte facilius la-

boro scio. Unde et exclamare me oportet, virum videntem infirmitatem meam, et agnoscentem hostem meum : Domine Jesu, qui solus potens es, *eripe inopem de manu fortiorum ejus, egenum et pauperem a diripientibus eum* (*Psal.* XXXIV). Eripe pauperem, et egenum de manu peccatoris libera. Eripe me de manu peccatoris et de manu contra legem agentis et iniqui.

Cum enim, dilectissimi, hæc et his similia psallo, utique secreto contra illum psalmum dirigo : *Et illud*, inquit, *erat mutum*. Meum mihi loquacissimum est : et de mundi hujus gloria, decore, ac deliciis, longissimas ac mendosissimas fabulas texit, de illis et illis mille suspiciones susurrat, mira promittit, mira minatur ; multa me posse quæ non possum, multa non posse quæ possum, millies mentitur ; mira de me bona et mala dici dicit ; nunc de scientia mea, nunc de religione, nunc de moribus, nunc de genere, nunc de gratia, nunc de eloquentia, nunc de elegantia, multa mecum concionatur. Quid multa ? Ita sibi sæpe aures meas avellit et occupat, ut nec legere, vel audire legentem, mihi vacuum sit. Unde et mihi loquens, penitus mutum efficit, stupidum reddit ac surdum. Et hinc forsan mutus dicitur spiritus malignus, qui non cessat mala loqui, quia quos invadit, mutos efficit a laude Dei, ac propriis officiis linguæ rationalis : *Si quis loquitur*, ait apostolus Petrus, *quasi sermones Dei* (*II Petr.* IV). Hoc igitur officium rationalis linguæ agnosco. Nam loqui verba vana, vel mendacii, verba contentionis, aut perditionis, verba detractionis aut jactantiæ, cupiditatis et luxuriæ, aut etiam quamlibet scurrilitatem, quæ ad rem non pertinet : in quibus universis lingua foris clamans et garrula in auribus hominum, aut intus dæmonis sui familiari colloquio, muta tamen est Deo, sicut scriptum est : *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die* (*Psal.* XXXI). Tribus igitur modis loquitur lingua sermones Dei : dum Deum laudat, et se coram ipso accusat, ac proximum ædificat. Qui autem ab his tacet, mutus est, quantumlibet clamet : O Domine Jesu, ejice dæmonium meum, et aperi labia mea ad humilem peccatorum meorum confessionem, ut os meum digne annuntiet laudem tuam, alioqui non erit decora laus in ore peccatoris : *Confessionem*, inquit, *et decorem induisti* (*Psal.* CIII). Confessio enim decorat, decor laudat. Quod si peccator, id est celans peccata, improbus laudare præsumo, statim dicit mihi Deus : *Quare tu*, id est talis *enarras justitias meas*, qui taces injustitias tuas *et assumis testamentum meum per os tuum* (*Psal.* LI), non confessione mundatum ?

Ore autem confessio fit ad salutem ? (*Rom.* X.) Confessio igitur mundat os, et contritio cor. *Tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meos retrorsum* (*Psal.* XLIX). In sermonibus Dei præcedit peccatorum confessio ; sine qua nec decora est, quæ sequi debet laudatio, nec idonea proximi ædificatio. Qui enim Deum ordinate laudare desiderat,

A primo ei de apertione oris ad laudem gratias agit. Confessio enim os aperit, sicut obstinatio claudit. Qui vero proximum erudire cupit, nonne eum ad pœnitentiam et confessionem prius instruit ? Sic enim prædicationes suas inchoarunt Sapientia, et Sapientiæ præco, dicentes : *Pœnitentiam agite : appropinquabit enim regnum Dei. Et omnis populus*, inquit, *exibat ad Joannem, et baptizabantur ab ipso, confitentes peccata sua* (*Matth.* III). Apostoli quoque Petri tale invenitur fuisse consilium : *Agite pœnitentiam , et baptizetur unusquisque vestrum* (*Act.* II). Jacobi autem edictum est : *Confitemini alterutrum peccata vestra* (*Jac.* V).

Hic ergo, quem diximus, ordo est sermonum Dei. Quod si abscondens tanquam aurum peccata
B tua, et putrescendo generent in te vulnera, et prævaricans ordinem sermonum Dei, ad ejus laudes prorumpis, audis, ut dictum est : *Quare enarras justitias meas, et assumis testamentum meum purum per os tuum* impurum ? (*Psal.* LI.) Si vero ad docendum proximum, arguit te Apostolus, dicens : *Qui alios doces, teipsum non doces : qui prædicas*, confitendum, non confiteris, *qui prædicas, non furandum* confessionem, *furaris ?* (*Rom.* II.) Proinde, frater, aut ab omnibus bonis tace, sicut dæmonibus jussit Jesus, ut tacerent ab ejus laude et prædicatione ; aut omnia mala confitere, ut digne admittaris ad laudem et prædicationem. Os tuum abundavit malitia, abundet justitia. Princi-
C pium vero justitiæ peccatoris, confessio peccati, sicut scriptum est : *Justus imprimis accusator est sui* (*Prov.* XVIII) : secundo laudator Dei, tertio doctor proximi. Prima itaque pars justitiæ est confessio. *Et lingua tua concinnabat dolos* (*Psal.* XLIX). Eos igitur fateatur sine dolo, si vult exire de peccato, sicut scriptum est : *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus* (*Psal.* XXXI). Si tu tibi imputes, non imputat tibi Deus. Si accusas et retegis, remittit ipse ac tegit. *Beati* vero, *quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* (*Psal.* XXXI). *Sedens adversus fratrem tuum loquebaris* (*Psal.* XLIX). Sede ante patrem tuum, adversus teipsum confitere. *Adversus filium matris tuæ*, Ecclesiæ, *ponebas scandalum*
D (*ibid.*) : adversus filium matris tuæ carnalis, id est teipsum, pone scandalum, verecundiam ac judicium, quia hæc fratri tuo fecisti. Alioqui qui modo tacet et auscultat, exspectans, ut dicas prius, et justificeris, ac præoccupes faciem ejus in confessione, arguet te in extremis, ac dicet : *Existimasti inique quod ero tui similis* (*ibid.*) ; tacuisti, tacui. Sed nunquid semper tacebo ? Nequaquam *ero tibi similis*, neque si tacueris, neque si dixeris. Nam si tacueris, non tacebo ; si dixeris, non dicam ; si operueris, denudabo ; si nudaveris, operiam ; si accusaveris, excusabo ; si excusaveris, accusabo. Non ergo ero tibi similis, quia, si liberaveris, condemnabo, si condemnaveris, liberabo.

Hæc est, dilectissimi, in confessionis humilitate

utilitas, ut Judicem habeat excusatorem, ultorem habeat indultorem. Quæ agnoscens callida fraudulentia, cum per delectationem peccati in consensum animi semel irrepserit, statim super se ostium oris claudere tentat; et ne per confessionem aliquando extrahi valeat, cupiditatis, timoris ac pudoris vinculo linguam ligat. Hæc enim tria sunt, quæ confessionem impediunt. Sed, tu Domine Jesu, qui aperis, et nemo claudit, qui in hoc apparuisti, ut solvas opera diaboli, ejice a me servo tuo omnem delectationem peccati, ut corde contrito pœniteam; meliori cupiditate, fortiori timore, prudentiori pudore solve mihi vinculum linguæ, ut confitendo loquar olim mutus, sic ut admirentur turbæ, non solum hominum, sed et angelorum ac etiam dæmonum. *Spectaculum* enim *facti sumus mundo* huic, *angelis, et hominibus, bonis ac malis* (*I Cor.* IV). Fac ergo eos admirari super sermone servi tui, non solum oris, sed operis : nam etiam opera verba sunt. Loquatur, obsecro, humilitatem servi tui, sublimitatem tui, utilitatem proximi : et hæc omnia ore, corde, opere. Non erubescat confiteri uni in aure, ne confutetur coram multis in facie. Ne timeat quasi perditus perdere, quod non potest non perdi; ne perdat, quod in æternum potest custodiri. Non vereatur quasi vilis, decidere a spe, quæ sæpe fallit, ne vere decidat a re, quæ semper reficit. Nec tam stulti sunt, aut mali, quos præfecisti nobis, Domine, sapiens et bone, ut aut nesciant, aut negligant compati infirmitatibus nostris. Sed, dum a stulto et muto opprimimur, stulte nimirum ac male de prudentibus et bonis suspicamur. Ideo ejice a nobis spiritum hunc pessimum ac mutum, tu Domine, qui es Patris Verbum, ut per virtutis ac veritatis verbum recipiamus laudis et confessionis verbum : qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXXIX.

IN EODEM FESTO II.

In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia (*Luc.* XI). Sicut videtis, charissimi, urget nos malitia diei, ut non possimus pro more sermonem extendere. *Sufficit*, ait Salvator, *diei malitia sua* (*Matth.* VI). Sed his temporibus periculosis non sufficit dies malitiæ suæ; dies enim mali sunt. Habent ergo, dilectissimi proprium hoc pessimi mores, et afflati invidia, ut alterius laudem, dum possint, dissimulent, dum autem evidentia superati, non possunt, aut minuant, aut pervertant. Hinc est quod exsultante turba, præ devotione, et admirante de operibus Christi, Scribæ ac Pharisæi semper aut dissimulant quod verum sciunt, aut minuunt quod magnum, aut pervertunt quod bonum. Quodam enim loco dissimulantes, dicunt multorum ac mirabilium signorum effectori : *Quod tu signum facis, ut credamus tibi?* (*Joan.* VI.) Hic autem quod impudenter negare nequeant, maligne decerpunt, quærentes signum de cœlo ac si istud terrenum ac

A vile sit; et pervertunt, dicentes : *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Hæc est illa, dilectissimi, in spiritum blasphemia, quæ quos semel occupat, æterni reatus vinculo ligat. Non quod negetur pœnitenti, si dignos pœnitentiæ fructus fecerit, omnia dimitti; sed quod deprimente tantæ malignitatis mole, nullatenus ad condignam pœnitentiam respirare valeat, cui indulgentia fieri debeat. Alto enim justoque Dei judicio, qui manifeste intelligens gratiam Dei, et operationem Spiritus sancti in fratre suo, cum negare non possit, stimulatus invidia pervertere et calumniari non veretur, et ascribere impudenter maligno spiritui quod veraciter novit esse Spiritus sancti; ita ab ipso spiritu gratiæ, cui contumeliam facit deseritur, ut obscu-
B rante eum et excæcante propria malitia, nunquam pœnitere velit, ut veniam consequi possit. Quid enim gravius, quam ut ob invidiam fratris, quem præcipitur ut seipsum diligere, quis bonitatem Dei, quam supra se debet amare, blasphemare præsumat, et majestati contumeliam facere, dum homini cupit derogare? Omni igitur custodia, fratres mei, corda nostra custodiamus ab hac malitiæ peste, id est odio felicitatis alienæ, quam si diligimus, diligendo et nostram facimus. Hæc est illa viperea mater, quæ mortem peperit mundo. *Invidia enim diaboli mors introivit in orbem terrarum* (*Sap.* II). Ipse nimirum, sicut primus superbus, sic et primus invidus : qui sicut de seipso genuit arrogantiam,
C sic simul cum ipsa et de ipsa genuit invidentiam. Haud enim fuit arrogans et postea invidus, sed omnino simul, quia arrogans invidus, arrogans autem nemo non invidus. Invidum ergo arrogantem esse necesse est, alterum consequens, alterum necessarium, utrumque verum. Arrogantia vero appetitus est propriæ gloriæ, invidia odium alienæ. Est præterea alia, quæ dici potest animalis, et terrena arrogantia, cupido scilicet rerum temporalium, quæ sui generis sibi parit filiam, id est invidiam carnalem, aut sæcularem; nam qualis mater, talis et filia : prædictæ autem parens et proles, spirituales sunt nequitiæ in cœlestibus.

Itaque, dilectissimi, qui omni cupit carere invidia, omni se privet arrogantia. Nihil enim est in
D omni vitiorum generatione prava atque perversa, quod sic adversetur charitati Dei et proximi, quemadmodum utriusque generis arrogantia et invidentia. Unde sicut hæc summum virtutum, sic et illæ profundum vitiorum. Verumtamen, sicut scriptum est, sapientia semper vincit malitiam (*Sap.* VII). Sed, sicut charitas patiendo, charitas enim patiens est, et omnia suffert; sic sapientia ratiocinando : nam et ipsa Verbum est. Sed, quoniam Dominus Jesus utrumque substantialiter, id est charitas ac sapientia est, calumniam patienter audit, et calumniam sapienter concludit, juxta prolatam olim de ipso prophetiam : *Salvos faciet filios pauperum, et humiliabit calumniatorem* (*Psal.* LXXI). A dæmone quippe pauperem oppressum salvavit, et calumnian-

tem Pharisæum acutissime confutavit, dicens : A *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur.* Ac si diceret : Ego propter hoc veni, ut destruam ab hominibus regnum diaboli, et ædificem in hominibus regnum Dei. Si autem ut ab hominibus Satanas Satanam ejiciat, effeci, procul dubio propositum obtinui. Divisus enim in semetipso est adversarius, divisionem autem sequetur desolatio : unde ejus regnum in se divisum necessario desolabitur, desolatum vero dissipabitur, ac ruet. Sicut enim concordia et consilio minima crescunt, sic discordia ac desolatione maxima deteruntur. Ideo ait : Veniens in mundum, inter dæmones ipsos, inter carnem et spiritum, dæmones quoque ac homines, et ex ipsis hominibus inter filios tenebrarum ac filios lucis, non misi pacem, sed gladium (*Matth.* x). Et Paulus B Pharisæos et Sadducæos contra se perniciter unitos sapienter a seipsis divisit : ut quorum concordia facile perire poterat, divisione evaderet. Caput ergo victoriæ est, adversum se conspiratorum separare concordiam; ac discordiam immittere hostibus, summa prudentia. Cæterum mentitam esse malitiam, probat dicens :

Si in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri, scilicet apostoli ex Judæis, *in quo ejiciunt?* Si ego principem habeo : ipsi quem habent, qui similiter dæmonia ejiciunt? Non enim sicut plura in homine uno possunt esse dæmonia, ita et unum in pluribus. *Ideo ipsi judices vestri erunt* veraces, qui de semetipsis nunc sciunt, vos accusatores esse mendaces. C Itaque, si Satanas Satanam ejicit, non potest stare regnum ejus; sed oportet illud cedere regno Dei, quod prædico. Sin autem non in Beelzebub, sed *in digito Dei ejicio dæmonia*, tunc omnino *pervenit in vos regnum Dei.* Ante me quidem stare non poterit, quod divisum est, regnum diaboli, sicut ante me ac meos nec ipsi diaboli. Igitur, sive sicut mentimini, sive sicut verum est, ejicio dæmonia, victus est utique Satanas, vincenturque qui de ejus sunt regno, et qui contra me cum illo ab unitate ac veritate dispergunt; vincent autem, qui mecum sunt, et mecum ad unitatem ac charitatem colligunt. Siquidem regnum diaboli cupiditas est, quæ destruetur : at regnum Dei charitas, quæ nunquam cadit. Si ergo adeo fortis sum, ut principer etiam principi D dæmoniorum, ita ut ad meum imperium in suos sæviat, et proprium regnum, ac domesticam familiam dissipet; vos qui estis, qui resistere præsumitis? Quod autem eum vicerit, ac in eum potestatem habeat, sic probat : *Cum fortis armatus*, etc. Ac si diceret : Si princeps ille ob peccati infirmitatem in homines in peccato natos fortis antea, in pace ac subjectione quieta suos possedit, ego autem absque omni peccato conceptus, natus, conversatus, ac per hoc dæmone et homine fortior, superveniens, oppressorem alligavi, ac ditioni meæ subjugavi, oppressum liberavi; nec solum diripui, sed sicut dicitis, ut meo præcepto ipse ejiciat, effeci : quare vos dæmoniis obstinatiores resistere conamini? Videtis, dilectissimi, sapientes in astutia sua comprehendi, a sapientia malitiam manifeste vinci; et quoquo se vertat perversitas, assertionibus veritatis includi. Nos vero benignum Jesum humili supplicatione postulemus, ut dignetur a nobis omne genus dæmoniorum ejicere, linguam ab omni impedimento confessionis solvere, voluntatem quoque et affectionem ab omni mundi hujus concupiscentia, rationem ab omni ignorantia, libertatem ab omni difficultate, ut velimus, sciamus, ac valeamus cum illo semper hic esse, et cum illo colligere, donec ab ipso ad ipsum tandem colligamur, atque ad Patres nostros; quorum Regulas ac Instituta sequentes, profecto ab eis filii agnoscemur, ac colligemur ad communem omnium Patrem Deum, qui cognoscetur tunc a minimo usque ad maximum, revelante eum universis Unigenito suo : qui cum eo et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XL.

IN DIE PASCHÆ.

Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite (*Coloss.* III). Vere, dilectissimi, ut beatus ait Gregorius, conclusit Dei pietas nostram duritiam, quin etiam omnem pietatem exsuperavit humanam. Magnum quippe pietatis ac humani fœderis vinculum inter virum ac mulierem. Siquidem propter hanc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt jam non duo, sed una caro. Hanc tamen manifeste mira circa nos divina clementia tam mirabiliter quam misericorditer evincit. Propter quod continet Scriptura : *Si mulier dimiserit virum suum, et recedens duxerit alium, nunquid revertetur ad eum ultra? Nunquid non contaminata et polluta erit mulier talis? Non revertetur, quia fornicata est, et polluta, et hoc fortasse semel. Tu autem*, sequitur Scriptura, ad animam sub Judææ specie loquens, *Fornicata es cum amatoribus multis, et tamen revertere ad me, dicit Dominus* (*Jer.* III). Evangelium quoque ob solam fornicationem separandos conjuges patitur. Dei pietas, post mille fornicationes corporis et animæ, aversas flebiliter revocat, quasi post tergum clamans, revertentes leniter amplectitur, ac osculo oris sui sancti suaviter osculatur; manentes vero introducit in cellam vinariam, ubi ab ubertate domus suæ inebrientur; inebriatas, et a carnis sensu præ vini fortitudine alienatas introducit in cubiculum, ubi lævam ponens sub capite illius, dextra eam amplexatur; ubi ipsa carne dormiens, sed corde vigilans, dicat : *Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi : inter ubera mea commorabitur* (*Cant.* I). Est etiam secundum humanæ pietatis fœdus inter parentem ac prolem, quod nihilominus excellit ea quæ Dei est ad animam rationalem, pura, gratuita, ac præveniens pietas, teste Scriptura, quæ dicit : *Si potest mulier oblivisci infantem uteri sui, ut non misereatur filio uteri sui* (*Isa.* XLIX) : quod est utique tam crudele, tam inhumanum, tam bestiale, ut

etiam furiarum excedat duritiam, sicut scriptum est : *Sed et lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos. Etsi illa poterit oblivisci, ego tamen non obliviscar tui, dicit Dominus* (*Thren.* IV). Nos quidem eum, nos, heu miseri! aut facile obliviscimur, aut superbe contemnimus; ipse vero ea sua pietate, quæ est ipse, obliviscentium sui pie meminit, et contemnentium sedulus existit, non rogantium curam gerit. Sicut enim cum nemo adhuc esset, nemo rogavit, nemo mereri potuit, ut crearetur : sic cum omnes sub peccato male essent, nemo mereri potuit, nemo exaudiri debuit, ut redimeretur. Quis hoc unquam vel rogavit, vel excogitare præsumpsit, ut Filium suum Deus traderet, ne servus malus et nequam periret? Tertium denique, eoque fortissimum, quo est humanæ dilectionis vinculum, inter corpus et animam; nemo enim potest seipsum ulla ratione non amare. Unde et moderanda, magis quam præcipienda, divinis litteris visa est ista in homine suiipsius dilectio.

Hoc ergo supereminens et superabundans divina miseratio in semetipso vinculum, ne quid excellentissimæ charitati, qua *nemo majorem habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (*Joan.* XV), deforet, tam fortiter quam misericorditer pro nobis rupit. *Pater*, inquit, *si possibile est, transeat a me calix iste. Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis* (*Matth.* XXVI). Quid magis, rogo, exinanire se potuit Deus, quam ut homo fieret; homo, quam ut moreretur, Deus Dominus, quam ut servus efficeretur; servus, quam ut turpiter moreretur? *Turpi*, inquit, *morte condemnemus eum* (*Sap.* II). Innocens inter iniquos reputatus est; pius traditus est in manus impiorum; tradidit tamen gratis in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est. Passus est ergo impia pius ab impiis, operatus pia. Quæ tam mira pietas, nisi quod divina, nisi fortasse eo mirabilior, quo divinior, qui facit mirabilia solus, utique præ omnibus mirabilis ipse solus? Quid multa? Nescire me fateor, utrum magis minusve dicenda sit mira quam divina. Quid enim mirum, si Deus piissimus; et quomodo, ut sic dicatur, non mitissimum, quod erga inimicos et impios tam pius est? Quod totum similiter admirans Apostolus, ait : *Cum adhuc iniqui essemus, ut quid pro impiis mortuus est?* (*Rom.* V.) Immensam tamen pietatem decuit, mira pietatis dedisse indicia. Christi ergo mors et resurrectio, quæ pro nostra morte et resurrectione actæ sunt, sicut scriptum est : *Traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram* (*Rom.* IV), nisi simplæ esse non possunt : nostra vero mors sicut dupla, ita et dupla resurrectione eget. Mors itaque prima est animæ, quando propter inobedientiæ malum a vita sua Deo deseritur : quam absorbet per resurrectionem vita, qua jussus ex fide vivit. Manente enim corpore mortuo propter peccatum, vivit tamen spiritus propter justificationem, cum se per obeditionem subdit Deo, sicut scriptum est : *Nonne Deo subjecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum* (*Psal.* LXI). Sicut enim cum recedit a Deo, recedit a vita, et incidit in mortem primam, ita cum accedit ad Deum, accedit ad vitam, et invenit resurrectionem primam. *Beati*, inquit Apostolus Joannes, *qui partem habent in resurrectione prima ; non enim lædet eos mors secunda* (*Apoc.* II), id est corporis, quia non mittet eos ad mortem tertiam, quæ est animæ simul et corporis æterna : quin potius juvabit liberans, et educens e corporis carcere, donec redeant ad id quod seminatum est animale, et resurget spirituale, ad corpus configuratum corpori claritatis Christi, quæ est resurrectio secunda, regenerans totum simul hominem ad vitam. Dilecta autem illa, et benedicta Salvatoris anima, quæ venit solvere, quæ non rapuit, quamvis propter alienum peccatum infirma, contra proprium tamen confirmata, sicut scriptum est : *In te confirmatus sum ex utero* (*Psal.* LXX); sicut in peccati mortem nequivit cadere, ita nec de peccato in justitiæ vitam resurgere. Semel enim verbo vitæ unita, sicut personali unione, ita et justitiæ dilectione insolubiliter adhæsit, præ omnibus exsultans, et dicens : *Mihi adhærere Deo bonum est* (*Psal.* LXXII). Et illud : *Qui adhæret Deo, unus spiritus est* (*I Cor.* VI).

In Christo igitur, qui ex anima rationali, et carne humana subsistit, homo, et ex Deo et homine subsistit Christus, quasi quædam ligamina duo sunt, et habitus diversi. Habitus enim alter est divinitatis et humanitatis, vinciens Christi, secundum quod Mediator est Dei et hominum, essentiam, prorsus insolubilis; qui nec mortem nec resurrectionem admittit. Nunquam enim semel assumpta a divinitate humanitas divortium passa est, nec repudii libellum accepit; sed manet sacramentum hujus benedicti connubii, venerabilium quoque nuptiarum et immaculati thori magnum et æternum; habens auctoritatem et munimen hoc : *Quod Deus conjunxit, homo non separet* (*Matth.* XIX). Habitus autem carnis et animæ, solam ligans humanitatem, nullo quidem peccati sui stipendio solutionem meruit; attamen, ut nos solutus a funibus peccatorum, qui nos circumplexi erant, absolveret, et religatus a Deo, a quo soluti eramus, religaret, mirabili sacramenti ratione, et mortem offendit, et resurrectionem invenit; habens a divina miseratione et patientia promissionem hanc : *Solvite templum hoc, et in triduo reædificabo illud* (*Joan.* II). Vos, solvite, ego reædificabo. Ego, qui ædificavi vestrum, reædificabo meum. Vos, qui solutionem meruistis vestri, solvite meum. Solvite non merito iniquitatis meæ, nec imperio potestatis vestræ, sed positione voluntatis meæ. *Nemo enim tollit animam meam a me; sed ego*, cum volo, *pono eam, et iterum*, cum volo, *sumo eam* (*Joan.* X). Ipse nimirum se suscitare potuit, qui sola carne mortuus vixit. Itaque secundum hunc habitum solum, et potuit, et voluit mori, et resurgere Christus; in quo, sicut dictum est, et divi-

nitati humanitas inseparabilis personali copula adhæsit, et a delectatione et amore Verbi nullo peregrino amore anima ad punctum abscessit. Vixit itaque mortuus, qui obiit vivus : in uno eodemque tempore vivus et mortuus. Vixit ex virtute humanitas cum divinitate : vixit ex charitate cum Dei Verbo anima rationalis. Mortua est sola separatione animæ caro; et ejus receptione sola resurrexit.

Si ergo, dilectissimi, consurrexistis in anima interim sola cum Christo resurgente in carne sola, *quæ sursum sunt quærite*, intentione et desiderio animæ, *ubi Christus est in dextera Dei sedens*, etiam corpore (*Coloss.* III, 1). Multi enim, quæ sursum sunt, quærunt deorsum, quales sunt, qui dignitatem et gratiam, sufficientiam et delectationem quærunt in terrenis. Isti sunt, qui statuerunt oculos suos declinare in terram, quærentes summa in imis. Alii autem quæ deorsum sunt, quærunt sursum; id est in virtute vanam gloriam, in sapientia jactantiam, in veritate curiositatem, ad extremum in studio spirituali, et habitu religioso emolumentum aliquod temporale, vel laudis, vel dignitatis, vel pecuniæ, vel licentiosæ libertatis. Alii, quæ deorsum sunt, quærunt deorsum, terrena videlicet in terrenis, et in carnalibus carnalia; qui omnes omnino quæ super terram sunt sapiunt, et non quæ sursum. Alii vero quæ sursum sunt quærunt sursum, id est in veris vera, in spiritualibus spiritualia, in cœlestibus cœlestia, et in divinis divina, sapientes quæ Dei sunt, et in novitate vitæ ambulantes, complantati similitudini mortis Christi, dum peccato et carni et mundo mortui sunt, configurati resurrectioni Christi, dum alienati a prioris corruptelæ, et sensualitatis vita, in carne quodammodo supra carnem degunt, consedentes quoque cum eo in cœlestibus, dum eorum requies et conversatio in cœlis est, et conregnantes illi, dum omnia sua ad spiritualem profectum deservire compellunt. Præterea, qui cœlestem remunerationem quærunt in actibus terrenis, profecto laudabiliter summa quærunt in imis, sicut reprehensibiliter ima in summis, qui terrenum in spiritualibus. Minus quidem ab his reprehensibiliter agunt, qui ima quærunt in imis; omnium vero laudabilius, qui summa in summis, quæ est, dilectissimi, professio, et propositum nostrum. Quod in nobis adimplere dignetur is, cujus resurrectionem colimus et imitamur, quoad possumus : sine quo nihil, et in quo omnia possumus, Christus Dominus : qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XLI.

IN EODEM FESTO II.

Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te (*Psal.* II). Quæritis, charissimi, quare beatus Paulus, cum de resurrectione loqueretur, hujus versiculi testimonio usus sit : quippe
A qui magis natali quam resurrectioni congruere videtur. Nos autem ipsam resurrectionem natale dicere non dubitamus, maxime quia a Salvatore eam dici regenerationem non ignoramus. Si enim regeneratio dicitur resurrectio prima, quæ est animæ, cur non regeneratio dicetur et secunda, quæ est corporis? Resurrectio itaque Christi cum non possit esse nisi una, resurrectionum tamen nostrarum, quæ duæ sunt, primam significat, teste eodem Apostolo ubi ait : *Quemadmodum Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus* (*Rom.* VI). Secundam initiat, unde et dicitur primitiæ dormientium Christus. Sunt itaque hominum tres quodammodo nativitates, duæ resurrectiones. Nascimur enim homines de hominibus
B per homines carnaliter, caro de carne : quæ nativitas ubi resurrectio dicatur, non occurrit. Renascimur de Deo dii per spiritum spiritualiter, ubi quod nascitur de spiritu, spiritus est; et hæc est resurrectio prima, nativitas secunda : regenerabimur autem de corruptis incorruptibiles, de mortuis immortales, de terræ pulvere in cœlestem qualitatem : quæ est nativitas tertia, resurrectio secunda. Primam nativitatem ignoravit Christus, secundam suscepit de Virgine, tertiam de sepulcro. Quales enim renascimur de fonte, talis natus est Christus ex Virgine : qualis regeneratus est Christus de tumulo, tales renascemur in futuro. Et hic est status, ad quem factus est homo : nec antea erit
C homo consummatus, donec perficiatur in eo, ad quod fuit inchoatus. Tunc enim generatus proprie dicetur, cum fuerit pergeneratus; tunc factus, quando completus. Interim vero duabus primis nativitatibus generatur et fit, qui in tertia tantum generatus est, et factus. Unde in die resurrectionis suæ congrue ac subtiliter dicitur genitus Christus, tanquam in die perfectionis et consummationis suæ pergenitus. Unde et ipse dicit : *Hodie et cras sanitates perficio, et tertia die consummor* (*Luc.* XIII).

Sicut igitur primo homini, antequam nasceretur, præparaverat Deus, unde sustentaretur : sic secundo, antequam renasceretur, præformavit, quo pasceretur. Ideo ante resurrectionem suam unicam,
D quæ figura est nostræ primæ, et exemplum secundæ, die videlicet calicis, panem et vinum vertit in sacramentum corporis sui et sanguinis. Sicut enim de vetere homine novum hominem creavit, ita et de veteris cibo veteri novo homini escam novam transformavit. *Ecce*, inquit, *nova facio omnia* (*Apoc.* XXI). Nova creatura, nova esca; nova vita, nova nativitas; nova mors, nova resurrectio. Sicut enim primum homo factus in animam viventem necesse habet alimonia, ne cadat a vita, sed per eam sustentetur, et crescat, ac corroboretur in ea, non ut aliam vitam sumat per alimoniam, sed ne pereat ab ipsa per indigentiam : sola enim anima vitam dare potest, sed sola retinere non potest. Sic et nova creatura in Christo, antequam perficiatur se-

cum la resurrectione in spiritum vivificantem, post primam regenerationem opus habet alimonia, qua vivat in ea, et crescat, ac corroboretur, qua regenerata est vita, non ut post baptismi gratiam, aliam sumat vitam, sed ne per indigentiam perdat acceptam. Ad eamdem enim vitam regeneramur et pascimur sacramentis diversis, in qua tamen non perficimur, donec tertio nascamur in spiritum vivificantem, in quem natus est, sive factus de sepulcro Christus, sicut ait Apostolus : *Secundus homo factus est in spiritum vivificantem* (*I Cor.* xv). Tunc enim immediate ac sufficienter vivet de anima sola caro tota ; immediate ac perfecte de Deo solo anima tota, ubi nec caro indiga erit alimentis, nec anima sacramentis. Tunc vere, secure et plene audituri sunt, quotquot filii Dei sunt · *Filius meus es tu*, quia *ego hodie genui te*, quia pergenui te. In principio inchoavi, ubi dictum est : *Fecit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam* (*Genes.* I). In medio reparavi : unde dictum est : *In medio annorum vivifica illud* (*Habac.* III). In tertio consummavi, unde dictum est hic : *Ego hodie genui te.* Hodie talem te genui in statu tertio, propter quem te creavi in primo, et vivificavi in secundo. Primo creavi in animam viventem, secundo reformavi in Spiritum vivificantem, tertio consummavi in Spiritum vivificantem, qui carnem vivificet sine alimento, et ipse de facie mea vivat sine sacramento. Hæc est gratia, hic fructus resurrectionis secundæ, in qua partem nemo habebit, qui non fuerit particeps primæ : particeps vero esse non poterit resurrectionis, nisi qui fuerit mortis : mortis quoque esse non poterit, qui non fuerit passionis. Si ergo compatimur, et commorimur, conresurgemus, et conregnabimus. Quod ipse præstare dignetur, qui vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XLII.

SERMO IN ASCENSIONE DOMINI.

Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo (*Joan.* III). Hæc sunt, fratres mei, illa cœlestia ad credendum difficilia, ad intelligendum difficiliora, ad explicandum difficillima. *Si terrena,* inquit cœlicus Magister, *dixi vobis, et non creditis; quomodo si cœlestia dixero vobis, credetis?* Cœlestis cœlestia subtiliter loquitur; et terrenus terrena tarde credit; et qui magister potest esse carnalium, cœlesti disciplinatui non sufficit. Nobis vero, dilectissimi, quibus olim conversatio in cœlis est, cœlestia non debent esse incognita. Ignominiosum, quippe nimis est, ea ignorare in quibus habitas; stultum autem, habitare ubi ignoras. Filium igitur hominis familiari humiliatione seipsum designat. Solus enim Dei Filius de cœlo descendit, propria tam voluntate, quam potestate : unde diabolus pulsus cecidit, bonus angelus prælatæ potestati parens ad tempus recedit. Sed quomodo Filius hominis inde A descendit, ubi nullus hominum unquam fuit? Nunquid Filius hominis non homo? Tametsi non filius hominis omnis homo, omnis tamen filius hominis homo. Quomodo ergo Filius hominis inde descendit, ubi nec natus est, nec adhuc ascendit? An fortasse sic natus est in cœlo filius hominis, quemadmodum Dei Filius in terra : sic ubique corporalis filius hominis, quomodo alicubi illocalis Filius Dei ; sic temporalis æternus, quomodo æternus temporalis? Sed esto, quæ mira sunt, ideo mira sunt, quia unus idemque ante se et post se, prior ac posterior seipso : minor quoque et major, factus a se, factor sui, servus ac Dominus ; unus idemque est Deus et homo : una persona, duæ naturæ ; vel potius in duabus naturis tres substantiæ. B Secundum hominem ascendit Deus, qui secundum Deum descendit homo. Filius hominis, qui secundum Dei Filium simul est in cœlo, et in terra, omnino ubique, ac veraciter nusquam, Deus homo, totum hoc exigit personalis unionis admirabilis ratio ; ac cœlestis cœlestibus cœlestia, tanquam spiritualibus spiritualia, vel etiam divinis divina comparans, hæc omnia dijudicat. Verumtamen, quæ utilitas descensionis Filii Dei, si singularitas est ascensionis ejusdem filii hominis, aut ubi nos positurus est, qui postpositis omnibus eum arctius sequimur? Qui infernum fugimus, mundum contemnimus, quo ituri sumus, si in cœlum non ascendimus? In cœlum vero nemo ascendit, nisi qui de C cœlo descendit?

Itaque aut, inde descendimus, et adhuc ibi sumus, et Filius ille hominis ibi sumus ; aut nequaquam eo ascendemus, et ubi volumus, esse non possumus : et sic certe miserabiliores omnibus hominibus facti sumus. Verumtamen, dilectissimi, vim verborum, et libertatem spiritus in eloquio divino attendentibus facile occurrit, Filium hominis aut Filium Dei, aut Verbum Patris, aut Christum, aut si quo simili sermone designatur is, qui ista loquitur cœlestia, non simplicem habere rationem, nec secundum uniformem acceptionem pronuntiari. Dicitur enim Christus aliquando ipsa simplex natura quæ nec cœpit, nec desinit, nec mutari, aut moveri potest; quæ de solo Patre cum Patre, in D Patre : nec ipse qui Pater, nec aliud quam Pater, semper est : juxta quod loquens ipse Judæis dicit : *Principium qui et loquor vobis* (*Joan.* VIII). Et alibi : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X). Ipse etenim Filius Dei et homo sic sunt unus, non unum, quemadmodum ipse et Pater unum, non unus. Hic duæ naturæ, una persona, ibi duæ personæ, natura una. Similiter quoque : *Antequam Abraham fieret ego sum* (*Joan.* VIII); et alia sexcenta, quæ nisi propter hunc sensum vera esse non possunt, et ad proprietatem superioris naturæ pertinent, licet indifferenter de ipso, qui superior, ut diximus, et inferior est seipso, pronuntientur. E regione autem his ipsis nonnunquam designatur, quæ nisi pro inferiori natura pronuntiari veraciter nequaquam possunt de persona

utpote minoratio paulominus ab angelis, et nativitas temporalis et similia. Nonnulla quoque pro anima sola, et nonnulla pro carne sola; aliqua autem pro utraque simul, id est humanitate tota, sed sola dicuntur; aliqua vero pro tota simul Christi persona, id est divinitate simul et humanitate, ut cum mediator ab Apostolo dicitur Dei et hominum, homo Christus Jesus: Mediator siquidem nisi ex utroque inter utrumque esse non potest. Sed in his omnibus quid emolumenti miseris hominibus, si sic descendit de cœlo hominis illius divinitas, ut cum illa sola ascendat Dei illius humanitas? Unde et cogimur aliam adhuc ex his quæ posita sunt, elicere intelligentiam, ubi Christi, vel Filii hominis nuncupatione non solum totus, aut pro parte, vel partibus, Christus, sicut supra positum est, intelligatur: ipse denique de cœlo olim increpans persecutorem, ait: *Saule, Saule, quid me persequeris?* (*Act.* IX.) qui dicturus est aliquando: *Infirmus fui, et visitastis me* (*Matth.* XXV). Et hæc qua ratione, nisi propter unitatem sponsi et sponsæ, vel capitis et corporis? Sicuti unius hominis caput et corpus, ipse unus homo, sic Filius ille Virginis, et electa ejus membra, ipse unus homo et unus hominis filius. Totus, inquit Scriptura, et integer Christus caput et corpus, siquidem omnia simul membra unum corpus, quod cum suo capite unus hominis filius, qui cum Dei Filio unus Dei Filius, qui et ipse cum Deo unus Deus. Ergo et totum corpus cum capite hominis filius et Dei Filius, et Deus. Unde est et illud: *Volo, Pater, ut sicut ego et tu unum sumus, ita et isti unum sint nobiscum* (*Joan.* XVII).

Itaque secundum hunc in Scripturis sensum celebrem, nec sine capite corpus, nec sine corpore caput; nec sine Deo caput et corpus totus Christus. Caput siquidem mulieris vir, caput viri Christus, caput Christi Deus. Caput igitur, mediante viro, mulieris Christus; caput viri, mediante Christo, Deus. Caput ergo mulieris, viri, et Christi, Deus. Itaque et omnia cum Deo unus Deus; sed Filius Dei cum Deo naturaliter, et cum ipso Filius hominis personaliter, cum quo suum corpus sacramentaliter. Solus itaque descendit de cœlo Filius hominis propter divinitatem, sed non totus, propter humanitatem, qui solus et totus ascendit, propter capitis ac corporis unitatem. Nemo ergo ascendit, nisi ille solus et totus, qui descendit solus, et non totus. Si quando pauper pascitur, Christus pascitur, quomodo quando pauper ascendit, Christus non ascendit? *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* (*Matth.* XIX). Sacramentum hoc parvum est in viro, et femina, magnum autem in Christo et in Ecclesia. Quomodo ergo, si loqui posset pes meus, sicut lingua, hoc diceret, quod dicit lingua: Ego videlicet sum Isaac, sic fidelia et rationabilia Christi membra dicere se veraciter possunt hoc, quod est ipse, etiam Dei Filium, ac Deum. Sed quod ipse natura, hoc ipsa consortio; quod ipse plenitudine, hoc ipsa participatione; denique quod Dei Filius generatione,

A hoc ejus membra non solum constitutione, ut Moyses deus Pharaonis (*Exod.* VII), aut tantum nuncupatione, ut dii multi, et domini multi (*I Cor.* VIII), sed adoptione, sicut scriptum est: *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater* (*Rom.* VIII). Juxta quem spiritum dedit eis potestatem filios Dei fieri, ut selectim doceantur ab eo qui primogenitus est in multis fratribus, dicere: *Pater noster, qui es in cœlis* (*Matth.* VI). Et alibi: *Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, etc.* (*Joan.* XX). Cum enim omnium sit communis Pater et Deus conditione, noster tamen specialis est gratuita adoptione, qui et ipsius Unigeniti singulari generatione.

Generatio itaque sui, nativitas Christi, secundum B quod a principio Dei Filius est, et secundum quod in fine Filius est hominis, et in mysterio caput et corpus unus Christus est, trina quodam modo intelligatur, necesse est. Prima igitur de Patre sine matre, secunda de matre sine patre, tertia secundum substantiam nec de patre nec de matre, secundum vero sacramentum de Deo Patre per Spiritum sanctum, et de Ecclesia virgine matre. Quo enim spiritu de utero Virginis natus est hominis Filius caput nostrum, eo renascimur de fonte baptismatis, filii Dei, corpus suum. Et sicut ille absque omni peccato, sic et nos in remissionem omnium peccatorum. Sicut enim totius corporis omnia peccata super lignum in corpore carnis portavit, sic spirituali corpori, ut nullum ei peccatum imputetur, C per regenerationis gratiam donavit, sicut scriptum est: *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum* (*Psal.* XXXI). Beatus iste vir Christus procul dubio est, qui secundum quod caput Christi Deus est, peccata remittit: cui, secundum quod caput corporis homo unus est, nihil remittitur; secundum vero quod capitis corpus plures, nihil imputatur. Justus in seipso, et justificans seipsum ipse. Solus Salvator, solus salvatus; solus ascendens, solus descendens; qui dona cum Patre tribuit, quæ in hominibus ipse accepit. *Accepisti*, inquit, *dona in hominibus* (*Psal.* LXVII); qui in corpore suo super lignum pertulit, quod de corpore suo per aquam abstulit. Iterum per lignum et aquam salvans, D Agnus Dei, qui tollit quæ pertulit peccata mundi; sacerdos et sacrificium, et Deus, qui se sibi offerens, se per se sibi, sicut Patri, et Spiritui sancto, reconciliavit. Prima ergo nativitas æterna, ubi nascitur de Deo Deus; qualis Pater, talis Filius. Secunda temporalis, et brevis, ubi nascitur de homine homo; qualis mater, talis filius. Tertia temporalis et longa, ubi quod nascitur de spiritu spiritus est; sicut quod nascitur de Deo Deus est, et quod nascitur de carne caro est. Ista ergo Christi nativitas, vel vita, vel mors, vel resurrectio, vel ascensio, inchoata quidem, sed necdum completa est. Cum primo justo inchoatur, et cum extremo consummatur; per omne vero medium actitatur, sicut eleganter ait quis: *Sub Noe, sub David, sub*

Christo sacra fuere. Hinc et Apostolus : *Omnes sub Moyse baptizati sunt in nube et in mari; et eamdem escam spiritualem manducaverunt, et eumdem potum spiritualem biberunt* (*I Cor.* x).

Hæc sunt ergo illa terrena, sed tamen spiritualia, quæ terrenus ideo non credit, quia carnaliter sapit, spiritualiter autem examinantur; et ideo illi stultitia est, ut nasci possit homo, cum sit senex. Eleganter in antiquis illis litteris, quarum ille magister fuit, qui nova non credidit, hæc ipsa nativitas commendatur. Nam sicut asseverant qui talium curiosi sunt, tres sunt naturaliter et ad vitam nascentium differentes modi, id est aut præeuntium pedibus, junctis ad latera brachiis; aut præeunte capite brachiis similiter dispositis, aut certe brachiis super præcedens ipsum caput cancellatis. Sanctus vero Jacob, ut ejus singulari nativitate supra naturam auctor naturæ aliquid significaret, extenso præ capite brachio prioris plantam manu complectens egreditur. Quid igitur hoc in loco Jacob, nisi Christum significat, nequaquam secundum propriam singulariter personam, sed secundum hoc, quod unus et totus Christus est caput et corpus? Quid brachium ante caput exortum, nisi priorem electorum populum, ante Salvatoris temporalem nativitatem ipsius gratia præventum; quinque mundi ætatibus, tanquam manus digitis prius sæculum complectentem; aut etiam quinque libris legis carnalem populum constringentem; reliquum autem corpus plenitudinem gentium cum paucis ex Israel credentibus, per utrumque latus compaginatur; caput vero medium nascitur; cui tamen jam nato quod ante egressum fuerat brachium, suo cum reliquis membris subordinatur loco, ut ipse agnoscatur totius Ecclesiæ caput, cui *data est omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* xxviii); cui etiam *omne genu flectitur*, habenti *nomen quod est super omne nomen?* (*Philipp.* ii.) *Non enim est aliud nomen datum hominibus sub cœlo, in quo nos oporteat salvari* (*Act.* iv). Cujus diem sicut Abraham, ita et cæteri priores sancti exsultaverunt, ut viderent; viderunt, et gavisi sunt (*Joan.* viii); quem et nos, dilectissimi, in suæ claritatis regno obtingat videre, cum Patre et Spiritu sancto. Amen.

SERMO XLIII.

IN DIE PENTECOSTES I.

Spiritus sanctus, dilectissimi, hodie datur de cœlis; qui idem ab eodem, et iisdem datus est olim in terris. Et ideo quærendum videtur quare hoc ille fecit, a quo sine rationabili causa nihil fieri potuit. Verumtamen is qui simul et semel plenitudinem illius, de quo conceptus est, Spiritus sancti accepit; quibus et quando, et quantum voluit, distribuit. Unde Apostolus : *Unicuique nostrum data est gratia, secundum mensuram donationis Christi* (*Ephes.* iv). Qui ergo, ut sic dictum sit, mensuravit, nec in persona, nec in tempore, nec in quantitate erravit, nec in plenitudine aut potestatis, aut virtutis aut gloriæ sibi quemquam coæquavit. *Quis,* A inquit, *in nubibus æquabitur Domino? aut similis erit*, secundum æqualitatem, *Deo in filiis Dei?* (*Psal.* lxxxviii.) Quis adoptatus æquabitur naturali? quis multorum unico? quis posteriorum primogenito? quis renatorum de gratia, nato de substantia? quis de profundissimis tenebris erutorum, nato in luce inaccessibili? Non enim sicut alii de tenebris nascendo vocatus est ad lucem; sed de luce lux natus sponte nascendo venit ad tenebras. Sicut scriptum est, lux luxit in tenebris, *tenebræ* vero *eam non comprehenderunt* (*Joan.* i). Nam qui comprehenderunt, illuminati sunt et tenebræ non remanserunt. Fuerunt enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino; *tenebræ* autem *erant super* omnem *faciem abyssi, et Spiritus Domini ferebatur* B *super aquas* (*Gen.* i); et non mergebatur in aquis, neque suffocabatur; sed continebat ab aquis aquas, et fovebat et fecundabat eas. Similiter autem super omnium hominum corda tenebræ erant ignorantiæ rerum bonarum, et torpore difficultatis rerum agendarum premebantur, mobili fluxu vagæ concupiscentiæ fluctuantia, quousque a Christo per spiritum illuminarentur ad scientiam, sicut ait : *Ipse inducet vos in omnem veritatem* (*Joan.* xvi), inflammarentur et fecundarentur ad virtutem. Unde est : *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto* (*Luc.* xxiv), solverentur et liquefluerent tanquam aquæ vivæ salientes in vitam æternam sicut scriptum est : *Emittet verbum suum et liquefaciet ea,* C *flabit spiritus ejus et fluent aquæ* (*Psal.* xlvii).

Datus est itaque spiritus idem de altiori de cœlo ad virtutem, qui antea datus est in inferiora, dandus quandoque ex altissimis ad altissima. Datus ad potestatem in terra, ubi adhuc regnant principatus et potestates; datur hodie ad virtutem de cœlo, quia non restat colluctandum *adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus et potestates, adversus rectores tenebrarum harum, adversus spiritualia nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes.* vi); dandus demum post resurrectionem corporum, *cum tradiderit Filius regnum Deo et Patri : cum evacuabitur omnis principatus et potestas, eritque Deus omnia in omnibus* (*I Cor.* xxiv), ad gloriam et pacem, et D jucunditatem, et lætitiam, et securitatem, sicut scriptum est : *Auferes spiritum eorum et deficient; et in pulverem suum revertentur. Emitte spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ. Sit gloria Domini in sæculum, lætabitur Dominus in operibus suis* (*Psal.* ciii). Hoc est donum spiritus principalis ad confirmationem, post omnem infirmitatem : quem postulans Propheta ait : *Spiritu principali confirma me* (*Psal.* l), qui jam acceperat Spiritum sanctum ad justificationem, et spiritum rectum, ad conversionem. Spiritu enim recto dirigimur ad Deum : Spiritu sancto adhæremus illi : Spiritu principali non discedimus ab illo. Spiritu recto corrigimur a malo : Spiritu sancto corroboramur ad bonum : Spiritu principali confirmamur in illo. Spiritu recto declinamus a malo; Spiritu sancto

facimus bonum : Spiritu principali inhabitamus in sæculum sæculi. In terra igitur datur ad potestatem, de cœlo ad virtutem ; de præsentia Patris ad confirmationem. De potestate dicitur, quia insufflavit in eis, dicens : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remissa sunt eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* (*Joan.* xx). Et alibi : *Dedit eis potestatem super omnia dæmonia, et ut languores curarent* (*Luc.* ix). Est ergo potestas in tribus, id est in ejiciendis dæmonibus, in curandis languoribus, in dimittendis peccatis : quarto quoque in conferendis gratiis. Quæ omnia, cum magna sint, et divinæ potestatis opera, sicut scriptum est : *Opera, quæ ego facio*, facietis, *et majora horum* facietis (*Joan.* xiv) : tamen quodammodo exterius sunt, et exterius operantur, et communia esse possunt filiis et non filiis; fictis et veris. Talia enim et Judas cum aliis apostolis creditur egisse; et in judicio plurimi dicent : *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo signa fecimus :* qui tamen audituri sunt verbum asperum : *Discedite a me, nescio vos* (*Matth.* vii).

Benedictus autem Deus, qui dedit potestatem talem hominibus, sed virtute opus erat, ut qui potens est in aliis, fortis sit in seipso. Quæ utilitas, quamvis magna potestas, per exorcismi gratiam ab aliis dæmonem ejicere; et per superbiam, aut invidiam, aut iram, aut tristitiam, sive acediam, aut avaritiam, aut ingluviem, aut luxuriam, in se habitantem dæmonem habere, aut etiam pluribus per plurima vitia plenum esse ? Quid prodest, aliis posse peccata dimittere, et ipsum non posse peccato resistere, aut de peccato exire? *Infirmatur*, ait Apostolus, *quis vestrum ? Inducat super se presbyteros Ecclesiæ, et orabunt pro infirmo* (*Jac.* v), cum sint fortassis ipsi infirmiores, aut infirmitate digniores : *et revelabitur ab infirmitate :* maxime ab illa, quam peccatum induxit, sicut de indigne communicantibus Apostolus ait : *Propterea in vobis multi imbecilles, et dormiunt multi* (*I Cor.* xi). *Et si in peccatis sit, dimittentur ei* (*Jac.* v) : et ab his sæpissime, qui peccatis onusti incedunt, ac sibi dimittere non possunt. Servus peccati dimittit peccatum : quam gloriosus in potestate, tam ignominiosus in infirmitate. *Medice*, inquit, *cura teipsum* (*Luc.* iv). Qui prædicas, non furandum, quare furaris ? Qui alios doces, doce teipsum. Sed ut hoc possit, qui potens est ; et fortis sit in seipso, qui potens est in aliis, opus est ope de cœlo, ac superindui virtute ex alto, qui potestatem accepit in uno, sicut scriptum est : *Dominus fortis, et potens, Dominus potens in prælio* (*Psal.* xxiii). Gloriose potens ad imperandum dæmoniis, sed utiliter fortis ad resistendum vitiis. Petrus ex potestate miracula fecit, sed ex infirmitate ad ancillulæ vocem enerviter negavit. Hanc potestatem in Salvatore mirati Judæi dicunt : *Dic nobis, in qua potestate hæc facis* (*Matth.* xxi). Hanc potestatem in apostolis videns Simon ille Magus, audire meruit : *Pecunia tua tecum sit in perditionem* (*Act.* viii). Non enim virtutem, qua for-

A tis esset contra malitiam in corde ; sed potestatem æmulatus est, qua gloriosus appareret in opere. Nonnulli hodie, ut plurimorum pace loquamur, contra Apostoli consilium, dicentis : *Æmulamini charismata meliora* (*I Cor.* xii), præferentis nimirum ea quæ virtutis sunt potestati, æmulantur magis minora, et minus majora ; vel de accepta potestate in immensum gloriantes, et non acceptam perverse ambientes, potestatis avidi, virtutis securi, quærentes amplius esse sublimes quam humiles, præesse quam prodesse, posse quam esse. Ad hanc etenim potestatem pertinere dignoscuntur, quæ a sacerdotibus vel præsulibus aut prælatis fiunt, benedictiones, consecrationes, ordinationes, exorcisationes, et manuum impositiones ; prælationes, prædicatio-
B nes, baptisationes, absolutiones, excommunicationes quoque, et maxime maxima potestas eucharistiæ confectionis.

In his ergo omnibus summopere tria attendenda putamus ; ad quid, quales, quare accedant, ne aut humanum videlicet putetur, quod divinum est ; aut præsumant superbi, avari, immundi, quod humilium et sanctorum est ; aut, ut brevi absolvatur, corrigendi, quod correctorum esse dignoscitur, aut in spiritualibus et cœlestibus terrenum quippiam, aut carnale meditentur. Hactenus autem de potestate diximus, pro qua de abutentibus ea dictum est : *Potentes potenter patientur tormenta, et fortioribus fortior instat cruciatus* (*Sap.* vi). Et alibi : *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles* (*Luc.* i).
C Virtute vero quæ ad animi custodiam datur, nemo abutitur. Virtus vero tota in veritate charitatis et in charitate veritatis consistit, tantum ex veritate illuminans ad cognoscendum, quantum ex charitate inflammans ad diligendum. Sicut enim sine charitate scientia inflat, sic sine scientia charitas oberrat. Unde Veritas in Evangelio : *Cum hæc*, inquit, *fecerint vobis, arbitrabuntur se obsequium præstare Deo* (*Joan.* xvi). In Apostolo quoque consimiles lugens charitas ait : *Testimonium perhibeo illis, quod zelum Dei habent, sed non secundum scientiam* (*Rom.* x). Scientia ergo, sed sine charitate, inflat : charitas vero, sed cum scientia, ædificat. Sed cum discipuli consummata induerentur hodie virtute ex alto, da-
D tus est eis in ignis charitate et ardore Spiritus de cœlo, inducens ex claritate in omnem veritatem ; conflagrans ex ardore in omnem charitatem. Exaruit ergo tanquam testa de molli luto virtus eorum ; emicuit tanquam lucerna pedibus nostris virtus eorum. Hinc est etenim quod qui in passione sua Dominum paulo ante taciti et timidi omnes, aut deseruerunt, aut negaverunt, modo diserti et fervidi dicunt : *Non possumus non loqui quæ audivimus et vidimus. Vos ipsi*, inquiunt, *judicate, utrum obedire magis oporteat Deo, an hominibus* (*Act.* v). O qui homines, sicut homines paulo ante timebatis, unde tam subita vobis fortitudo, ut homines jam super homines amodo non timeatis ? Qui paulo ante propter metum Judæorum angusta et obscura recludebamini

domo, quomodo nunc cum tanta fiducia palam estis A loquentes in templo? Vere sicut scriptum est: *Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem* (*Isai.* XL).

Hæc est ergo, charissimi, hæc est mutatio dexteræ Excelsi. Spiritus enim Domini ornavit hodie cœlos, et obstetricante manu ejus eductus est coluber tortuosus (*Job* XXVI). Tortuosus coluber primis parentibus et parricidis nostris, qui ante nos occiderunt quam genuerunt, tortitudinum omnium seminaria inflixit. Eductus est ergo cum tortitudinibus suis coluber tortuosus, quia princeps hujus mundi ejectus est foras: et jam ad discipulos veniens, in eis etiam non habet quidquam. Totum enim Spiritus replevit orbem terrarum; et qui scientiam habet vocis, linguas ad omne genus verbi informat (*Sap.* I). Hinc est quod et totam domum replevit, et linguæ figuram detulit, spiritus qui ratione præfata in igne venit. Nunc ergo judicium est mundi, sicut fuit olim cœli. Sicut enim tunc projecto Leviathan, victo serpente tortuoso, purgatum est cœlum, et spiritus Domini, id est charitas Dei, replevit et ornavit cœlos, id est angelos in charitate confirmatos: ita et nunc judicato mundo, ac ejecto cum tortitudinibus suis diabolo, purgantur cœli, qui enarrant gloriam Dei; et charitate Dei diffusa per Spiritum sanctum in cordibus eorum, replentur, ornantur, confirmantur, adeo ut foras mittatur timor, et cum fiducia loquantur verbum Dei. Tortitudines enim et anfractus serpentum sunt, timere non timenda, non timere timenda. Hoc veneno infectus distabuit usque ad trinam negationem Petrus. Similiter amare non amanda, et non amare amanda. Hoc quoque Judas peccavit, tradens sanguinem justum injuste. Hæc sunt ergo omnium tortitudinum ac vitiorum origines ac fontes malorum: quos cum charitas exsiccat, totum replet, totum possidet; et omnia continens, in omnem scientiam veritatis inducit. Spiritus enim Domini hodie replevit orbem terrarum: qui totus reprobato mundo in maligno posito, in solis illis seminaliter exstitit, quos hodie Spiritus replevit. De his enim scriptum est: *Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur* (*Psal.* XCII). Firmatur enim virtute ex alto de adventu Paracleti, ne commoveatur timore aut amore, ut peccare velit, qui confirmabitur adhuc de præsentia vultus paterni, ut nulla occasione peccare possit. Nunc autem totum replet charitas, omnia continet virtus, cuncta veritas illustrat per scientiam. Tunc vero erit omnia in omnibus unus Deus, fons indeficiens charitatis, virtutis ac veritatis.

Virtus ergo, quam charitas inflammat, et veritas illuminat, prudens, sobria, patiens ac justa est. Per prudentiam vitat temeritates, præsumptiones novitatum, fraudulenta consilia, et falsi nominis scientiam, astutias Satanæ, ac circumventiones malignantium. Et, ut breviter dictum sit, draconem conculcat et Satanam transfigurantem se in angelum lucis sub pedibus suis conterit velociter. Per sobrietatem concupiscentiam refrenat, ac internarum scaturiginum æstus refrigerat, ambulans super aspidem et basiliscum, dum per abstinentiam incentores voluptatis effugit, et paupertatis amore, avaritiæ ministros eludit. Per patientiam vero efficitur ut neminem jam timeat; a timore inimicorum, qui occidunt corpus, et postea non habent quid faciant, eripitur; ludibria et verbera experta, insuper et vincula, et carceres, lapidationes, sectiones, ac omnium generum crudeliter exquisitas mortes fortiter exsuperat, leonem conculcans, et omnem diabolicæ adinventionis rabiem, tam pusillanimitatis videlicet spiritum, quam tempestatis, magnanimitate triumphans (*Hebr.* XI). Per justitiam vero omnibus æquitatem custodit, nullius personam accipit, quibus B potest benefacit, omnibus bene cupit, sapientibus et insipientibus debitum solvit, omnes sicut se diligit, domesticorum maxime curam gerit. Et qui per cætera dæmones vicit, per justitiam angelis interim similis existit, donec tertio dono sancti Spiritus æqualis esse possit. Ecce, dilectissimi, quales, et quam fortes hodie fecit Spiritus secundo dono de alto, qui potentes fecit dono primo in imo, et facturus est tertio gloriosos in summo. Eia, dilectissimi, de potestate ac virtute, quod Dominus dedit, eo scrupulosius, quo minus habemus, disputavimus! De gloria vero, cum gloriosi erimus, eo erit facilis disputatio, quo felix possessio: quam nobis præstare dignetur Spiritus sanctus, qui cum Patre et C Filio vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XLIV.

IN EODEM FESTO II.

Comedite, amici mei; et bibite et inebriamini, charissimi (*Cant.* V). De more post messes celebrantur vindemiæ; et sacramentis cœlestibus deservire noscuntur temporum dispositiones. Facies quoque creaturæ illuminatur, ad faciem Creatoris contuendam. *A creatura etenim mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur invisibilia Dei* (*Rom.* I). Servit ergo mundus iste visibilis domino suo, id est homini, ad sustentationem; servit quoque ad eruditionem. Pascit, erudit, sustinet et docet bonus servus, si malum dominum non habet. Do- D ctrina Dei foris in creatura; imago Dei intus in anima; et inter hæc duo magna luminaria, luminare majus et luminare minus, quæ præsunt diei ac nocti, quasi sine luce, tota die et nocte cæcus manu palpat. Stultus et miser, cujus oculi in finibus terræ, ut non nisi tenebras videat, totum mundum cogit ventri et dorso deservire: qui nescit, quare factus sit mundus. Existimat autem tam magnum mundum fecisse Deum, ob tam modicum ventrem. O quam pessimus ignis ventris! qui tanta consumit, et iterum dicit: *Affer, affer* (*Prov.* XXX). Quosdam, proh dolor! ad deditionem tantam venter compulit, ut colatur ab eis, tanquam sit Deus; et pro ejus imperio contemnatur is, qui verus est Deus. Tales, dilectissimi, dum ipsi sedent comedere

et bibere, et surgunt postea ludere, luget Apostolus, A
dicens : *Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi : quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum* (*Philipp.* III). Tales cum audiunt ex Scripturis divinis, quod modo proposuimus : *Comedite, amici; et bibite et inebriamini, charissimi;* ac his similia, præter usitatos sapores et consueta salsamenta, nihil eis sapere potest. Usus enim reddit magistrum, et consuetudo est altera natura. Tales cum talium a nobis, et ab aliis arguuntur : Quare, inquiunt, fecit ea Dominus, nisi ut uteremur illis? Ergone omnium omnis usus in ore? Vere ergo omnis labor hominis in ore ejus.

Nos autem, dilectissimi, quorum spiritus est Deus, sicut in rebus factis intelligibilia, sic et in B
verbis carnalibus spiritualia conspiciamus, maxime hodie Spiritu misso de cœlo, ad spiritualia rimanda juvandos nos diffidere non debemus. Superiori igitur solemnitate Paschali panem nostrum de cœlo messuimus ; collectus est enim et excussus, dum captus ac flagellatus, multis quoque quæstionibus et exquisitionibus inter Judæos ac gentiles permolitus, igne tandem passionis, et clibano crucis excoctus *panis, qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo* (*Joan.* VI). Hunc comedite, amici : quem præparaverunt inimici. Nam sicut alibi scriptum est : *Qui stultus est, serviet sapienti* (*Prov.* XI). Alii laboraverunt, in labores eorum introite. Comedite ergo, amici, et ideo comedite, ut sitis amici : qui C
enim contemnit comedere, nequaquam amicus poterit existere. Comedit angelus, tanquam civis ac domesticus, ore pleno, ac in voce exsultationis et laudis ex adipe frumenti satiatur. Comedat peregrinus et pauper homo pro suo modulo cum furfure florem, ne saltem non recreatus tali viatico, deficiat ab itinere inchoato. *Si dimisero*, inquit, *eos* omnino *jejunos, deficient in via : a longe enim venerunt* (*Marc.* VIII), et sustinuerunt triduo, propter Trinitatis fidem. Infidelibus enim non credit Jesus seipsum.

Hodie igitur quasi post talem messem similes celebrantur vindemiæ. Post quinquaginta enim dies a sancto Pascha Spiritus ille paracletus, in quo est omnis ab opere malo, et in opere bono, ac super D
omne opus in tranquillitate et pace, Sanctorum sabbatismus, de plenitudine vitis veræ, cujus Pater agricola est, copiose in discipulorum corda influxit : quorum mentium purgatissimas ac religatissimas a Dei Filio apothecas vino forti et lucido replevit. Spiritus etenim Domini a Patre et Filio missus, replevit orbem terrarum, totumque sibi sua fortitudine vindicans, memoriam, sensum, voluntatem, continuit omnia ; eumque more vini fortissimi a semetipso prorsus alienans, scientiam, quam habuit vocis, edocuit, ita ut sobrie sobrius non suo moveretur, regeretur, loqueretur sensu et spiritu, sed vini calore, odore, ac virtute omnia fierent. Merito ergo Judæi musto madere deputant quos Spiritus repleverat (*Act.* II). Inebriati quippe erant, sed ab ubertate domus Dei. Domus nimirum Patris Filius, et domus Filii Pater. *Nescitis*, inquit, *quod Pater in me est, et ego in Patre?* (*Joan.* XIV.) Ubertas vero, ac plenitudo utriusque Spiritus sanctus; torrens quoque voluptatis eorum, unde potati isti erant, et inebriati, in Patre et Filio fons indeficiens ubertatis, pro discipulis torrens voluptatis, et ab illis torrens inundans gloriæ gentium. Spiritus, qui nec vinum, nec aqua est proprietate, utrumque dicitur similitudine; vinum, quia inebriat fervore charitatis; aqua, quia refrigerat ab æstu cupiditatis. Hanc desiderans aquam Propheta, ait : *Remitte mihi, ut refrigerer, priusquam abeam* (*Psal.* XXXIX). Ad hanc invitabat, qui stans clamabat : *Si quis sitit, veniat ad me et bibat, et flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII). *Hoc*, inquit Evangelista, dixit *de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*. Ecce, quia non bibunt hoc vinum, sive hanc aquam, nisi credentes in eum, sicut non comedunt illum panem, nisi qui triduo sustinent eum : sustineamus et comedamus; credamus et bibamus; comedamus, ut amici efficiamur; bibamus, ut charitate charissimi facti inebriemur. Charitas etenim sicut vinum miscetur, maxime ubi sapientia mensam ponit, vinum miscet, et ad convivium parvulos vocat. Sola namque invitatur humilitas ad convivium sapientiæ, ubi panis est veritas, vinum charitas; charitas quoque velut aqua effunditur, ubi ad ablutionem conceditur. Hic ordo nimirum congruus est, ut accessurus ad mensam, prius manus lavet. *Lavamini*, inquit, *mundi estote* (*Isai.* I). Et alibi : *Si laverit Dominus sordem filiarum Sion, in spiritu judicii et spiritu ardoris* (*Isai.* IV). Hoc desiderans Propheta, orat : *Amplius lava me, Domine, ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me* (*Psal.* L). Et alibi : *Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine* (*Psal.* XXV).

Altare Domini mensa est, unde manducamus et bibimus carnem Christi, qui vere est cibus, et sanguinem ejus, qui vere est potus. Baptismus abluit, altare pascit; sed sine charitate, quæ fructus est, neutrum proficit. Charitas ergo totum efficit, sine qua non valet quidquid fit. Charitas ergo est aqua, quæ lavat; vinum, quod inebriat. Lavat a vitiis, inebriat virtutibus. Lavat inquinatos amore hujus mundi, inebriat mundatos amore Dei. Lavat sordidatos amore sui, inebriat purgatos amore proximi. Charitas autem Spiritus est, quia Spiritus est charitas. Itaque veritas cibat, charitas potat, virtus corroborat. Veritas Filius, charitas Spiritus, Pater virtus. Per veritatem et charitatem, quæ ad nos propter nos missæ sunt, perveniemus ad virtutem, quando ad Patrem. Pater autem omnimodam collaturus est satietatem, sicut scriptum est : *Satiabor, cum apparuerit gloria tua* (*Psal.* XVII). Satietas autem illa mirifica de vultu Patris perfectum robur conferet, omnem esuriei et sitis passionem auferet,

sicut scriptum est : *Non esurient, neque sitient amplius* (*Apoc.* VII). Omne oblectamentum æternum illud convivium sine fastidio dabit, et sine passione desiderabit. Tunc ibi edemus et bibemus, sicut hic promittit, qui non fallit, Filius, cum ipso super mensam suam in regno Patris sui, in sublimi illo altari, in conspectu divinæ majestatis; veritate lucidi, charitate fervidi, virtute validi. Interim ergo de hujus altaris inferioris participatione gustemus cum Christo, quod pro nobis ipse gustavit, sedentes ad mensam divitis, qui pro nobis factus est pauper, præparemus similia, ut ejus paupertate ditemur, et cum ipso fruamur divitiis, cujus paupertatem non refugimus. Hic comedentes ac bibentes frumentum electorum, et vinum germinans virgines, ipsumque ad nos invitantes, ut, sicut scriptum est, introeat ad nos, ac cœnet nobiscum. Sed quoniam nos tepidi sumus, ac talem convivam aut facile obliviscimur, aut contemnimus invitare, ecce ad ostium stat, et pulsat : et si quis aperit ei, intrat ac cœnat cum eo. Aperiamus illi, dilectissimi, et de inopia nostra ejus libenter ac devote reficiamus abundantiam, ut aliquando repleamur bonis domus suæ, ipso præstante, qui vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XLV.

IN EODEM FESTO III.

Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (*Rom.* V). Parum erat, dilectissimi, ut Dei Filius nobis daretur, sicut scriptum est : *Parvulus natus est nobis, filius datus est nobis* (*Isai.* IX), nisi etiam Spiritus sanctus nobis donaretur. An et ipse Pater aliquando nobis donabitur, ut qui nihil sumus, totum accipiamus; et qui totam humanitatem perdidimus, tota divinitate donemur? Quis audivit talia? Cæci eramus, nata est in tenebris lux, quæ nos illuminaret. Et hæc est Christi pro nobis, de nobis, in nobis nativitas : quam accepit pro nobis, contulit etiam nobis; et hic est Christi pro nobis baptismus, quasi alia quædam nativitas, qua nasceremur in illo, qui natus erat in nobis : et sicut ille in nobis, sic etiam nos in illo : ille per Spiritum sanctum hominis filius de Maria virgine, nos per eumdem Spiritum Dei filii de Ecclesia virgine. Servi mali eramus sub peccato, ipse bene servivit pro nobis, obediens Patri in justitia, obedientia sua solvens debitum obsequii nostri. Et hæc est vita Christi pro nobis. Filii mortis eramus pro peccato; stipendia enim peccati mors : ipse moriens pro nobis, expiavit piaculum reatus nostri : et hæc est mors Christi pro nobis. Ecce, dilectissimi, omnia vobis, quorum nativitas fuit immunda, vita perversa, mors periculosa, jam per gratiam Christi commutata sunt in melius, sicut habet psalmi titulus : *Pro his qui commutabuntur* (*Psal.* XLIV). Nativitas enim jam sancta, sicut scriptum est : *Quod nascetur ex te sanctum* (*Luc.* I), vita justa : *Justus*, inquit, *meus ex fide vivit* (*Hebr.* X), mors victoria : *Deo autem gratias, qui dedit nobis* A *victoriam, per Dominum nostrum Jesum Christum* (*I Cor.* XV). Quid ergo, obsecro. si tanta nobis superioribus solemnitatibus gratiarum collatio constat, opus erat hujus hodiernæ celebritatis indulgentia? Quid deerat perfecte reconciliatis, quod addi debuisset? Qui Filium nobis donavit : *Quomodo cum illo non omnia nobis donavit?* (*Rom.* VIII.) Nonne, sive Paulus, sive Cephas, sive Apollo, omnia nostra sunt, si nos Christi? Excepto quod mundus iste visibilis cum omnibus elementis suis, elementa ipsa cum omni plenitudine et ornatu suo nobis serviunt, *nonne angeli omnes administratorii sunt spiritus, in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis?* (*Hebr.* I.) Parum est hoc. Deus, Dei Filius, et ipse homo, *hominis filius,* B *non venit ministrari* a nobis, *sed ministrare* nobis, ac dilectam *animam suam* ponere, quam dedit *redemptionem pro multis* (*Matth.* XX). Quis unquam vidit similia? Dominus noster ubique est minister noster. Pro nobis nascitur, pro nobis vivit, pro nobis moritur, pro nobis resurgit, pro nobis ascendit, sicut scriptum est : *Si quo minus dixissem vobis: Vado parare vobis locum* (*Joan.* XIV). Quibus locum aufert in mundo, locum parat in cœlo, pro nobis iterum veniet e cœlo : *Veniam*, inquit, *iterum ad vos, et accipiam vos ad meipsum* (*ibid.*). Vere qui fecit nos, omnia facit propter nos : quare et nos non omnia propter ipsum?

Sed ecce iterum, quid opus erat hac solemnitate? Quid ultra hæc faciet alius Paracletus? Injuriam C fecimus Deo; sed sicut vulgo dicitur, rectum ei fecimus, caput querelæ solvimus, vadiumque, ut dicitur, pro forisfacto dedimus, abstulimus ei hominem, reddidimus ei meliorem, rapuimus servum, solvimus Filium. Quid amplius? Causam inivimus, querelam audivimus, convicti sumus, pro judicio cuncta restituimus. Nonne hæc sufficere possunt? Utique : sed ad redemptionem, non ad gratiam; ad justitiam, non ad amicitiam. Ecce justus de præterito : quid faciet de futuro, qui septies cadit in die? Cujus ab adolescentia sensus proni sunt in malum, quis servabit eum in bono : aut si ceciderit, quis levabit eum? Væ soli : si ceciderit, non est qui sublevet eum. Audeo dicere, sine Spiritu solus est Christus. Nam sine Spiritu Christum solum habens, D solus est. Non enim sine causa post Christum mittitur Spiritus : *Expedit*, inquit, *vobis ut ego vadam, alioquin, Paracletus non veniet* (*Joan.* XVI). Dicamus simpliciter, maxime propter simplices et illitteratos fratres, qui supra sermonem trivii loquentes non intelligunt. Potens quisquam rationem ponit cum servo suo. Accusatum de damno sibi illato convincit, convictum tenet, arguit, suffocat, donec reddat novissimum quadrantem, et de injuria pœnam judiciariam det. Quid ergo? Dimittitur, dicitur ei : *Vade, et jam amplius noli peccare, ne deterius tibi contingat* (*Joan.* V). Liber es; sed si incideris in manus meas, non sic evades : *Horrendum est enim incidere in manus Domini* (*Hebr.* X). Sed quis poterit ab occasionibus Domini sui se servus custodi-

re? Quomodo poterit durare, si in omnibus vult eum dominus suus observare, si nihil donare, si omnia imputare? Infelix servus, cui dominus suus imputat omne peccatum. Ideo qui sapiens est servus, postquam domino suo omnia restituit, de cætero ejus gratiam quærit, et amorem de reliquo, et bonam pacem de futuro, ne velit adversus eum occasiones quærere, accusatorem facile recipere, et post omnia osculum, quasi charitatis et pacis signaculum, non prætermittit.

Hæc est, dilectissimi, præsentis diei gratia. Convicti sumus de rapina, et quod solvere non potuimus, solvit pro nobis Christus. Facti sumus liberi, sed nondum amici; evasimus de præterito, sed securi non fuimus de futuro, et quis iterum adversus justitiam ejus stare poterit, si charitas ejus nihil remittit: quis eum celare poterit, si charitas non operit? Hoc totum quod tam prolixe tractamus, considerans propheta David, paucis absolvit: *Ante faciem*, inquit, *frigoris ejus*, id est ante rigorem inflexibilis justitiæ ejus cuncta observantis ac imputantis, *quis sustinebit? Emittet*, inquit, *verbum suum*, id est Christum, *et liquefaciet*, id est solvet *ea*. Christus enim omnia solvit, qui opera diaboli solvere venit: *Flabit*, inquit, *spiritus ejus* (*Apoc.* CXL), sicut hodie, cum factus est de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus (*Act.* II), id est venti, vehementis: et quæ solutæ erant aquæ per Verbum, fluent sine impedimento in vitam æternam. Datur itaque per Spiritum sanctum gratia post justitiam; et servus qui dimissus est liber per Filium, efficitur hodie amicus per Spiritum. Hodie post justitiam de injuria acceptam, osculatur Dominus servum, imo amicus amicum osculo oris sui. Si enim Filius os Patris recte intelligitur, recte Spiritus osculum oris dicitur. Osculum ergo signaculum est in posterum dilectionis et charitatis. *Charitas* enim *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Charitas omnia operit, nihil imputat, omnia portat, omnia excusat, omnia condonat. Septies in die cadit per seipsum justificatus per Christum; septies in die erigitur per Spiritum.

Itaque hodie dedit nobis Deus per Christum interpellantem pro nobis charitatem et amorem suum, ut sicut per Christum, in quo *Deus* ipse *erat, reconciliavit sibi Deus mundum* (*II Cor.* V), non reputans ei præterita delicta, sic et per Spiritum, in quo etiam erat, confœderavit sibi reconciliatum, non imputans ei futura. Unde et scriptum est: *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum* (*Psal.* XXXI). Per Christum omnia condonat; per Spiritum nulla imputat. Et fortassis non omnibus, quibus omnia condonat, nihil imputat. Christus itaque mediator quodammodo ad justitiam, Spiritus ad amicitiam; Christus ad veritatem, Spiritus ad charitatem; Christus ad remissionem, Spiritus ad conservationem; Christus ad indulgentiam, Spiritus ad perseverantiam; Christus ad absolutionem, Spiritus ad colligationem. Omnia tamen Christus, et

A omnia Spiritus indivise operantur. Omnia enim Pater, et Filius et Spiritus sanctus, simul ac similiter operantur: qui sine confusione sunt unum, et sine divisione tres. Filius tamen quodammodo quasi propriam a Patre habet legationem, a quo solo mittitur: Spiritus quoque quasi suam ab utroque. Filius ergo quasi iratum placat Patrem, et inimicitias solvit, Spiritus quasi justum temperat, quodammodo mitigat, et ad amicitias nectit. Inter iniquitatem rei, et æquitatem Judicis, Filius reconciliator et advocatus intercedit, infirmitatem reconciliari ac majestatem placari: Spiritus delinitor et Paracletus intervenit. Sicut enim aer iste fomentum quoddam, et quasi balneum est rerum viventium, ex ipso ac sub ipso contemperans eis intoB lerabilem superioris elementi æstum suæ naturæ suavitate, et gratia: sic et Spiritus sanctus super spirituales superfertur aquas, medius quodammodo inter earum torporem, ac supremæ æquitatis rigorem, protegens eas et confovens, ac fecundans sua charitate et gratia, ne prorsus absumantur, ac terra siccitate fatiscat.

Quod considerans Propheta, ait: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi* (*Psal.* CLXII); tibi videlicet cœlo et igni consumenti. *Velociter exaudi me, Domine*, immittendo Spiritum tuum, *quia defecit spiritus meus* (*ibid.*). Et quia aeri spiritus assimilatur, charitas diffundi per Spiritum dicitur. Terra nimirum proprie deorsum jacet, ignis acuitur sursum, aqua laC bitur, aer diffunditur: quod etiam in odoribus facile dignoscitur. Dicunt etiam cœlum esse volubile, et tanta velocitate ipsum, quod aplanos dicitur, circumferri ab oriente per occasum in orientem, ut suo intolerabili impetu cuncta inferiora citissime subvertisset, nisi opificis providentia septem stellarum, quas planetas vocant, obvio cursu, id est ab occidente per orientem in occidentem tardaretur; quatenus sicut aer ab æstu, sic planetæ ab impetu firmamenti inferioribus munimini sint et tutelæ. Quod totum huic assertioni facile congruit; et a creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta hic conspici possunt. Septiformis etenim Spiritus sancti gratia, qua nobis consulit, et paraclesin præstat, obvio quodammodo motu, illam divinæ velocitatis stabili D motu simul cuncta lustrantis et examinantis æquitatem contemperat; et ne cum servis suis, qui non possunt respondere ei unum pro mille, in cujus conspectu non justificabitur omnis vivens, nec mundi sunt cœli, et qui in angelis suis reperit pravitatem, in judicium statim intret, retardat. Sola enim Dei benignitas, quæ nobis septempliciter superfertur, ejus nobis severitatem temperat, majestatem inclinat, ultionem tardat; et dum se sibi, qui tam bonus est quam magnus, tam pius, quam fortis, quodammodo objicit, peccator pœnitendi spatium invenit, sicut ait Apostolus: *An ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* (*Rom.* II.) Hanc bonitatem et magnitudinem simul considerans Propheta, ait: *Magnus Dominus, et*

laudabilis nimis in civitate Dei nostri (*Psal.* XLII). Ex bonitate enim laudabilis et amabilis Deus; quantum ex magnitudine et severitate terribilis. Qui considerat sine bonitate severitatem desperat; qui sine severitate bonitatem, e contrario in spe peccat. Ideo sicut ait Apostolus, *considera bonitatem et severitatem Dei, severitatem in his qui pereunt, bonitatem in te, si permanseris in bonitate, alioquin et tu excideris* (*Rom.* XI). Vestræ, fratres, exercitationi, qui debetis ex paucis plura colligere, et ex summatim tactis vel perstrictis magna elicere, relinquimus planetarum numero et ordini, spirituum gratias conferre; quatenus sicut a luna ad Saturnum gradatim ascenditur; sic a spiritu timoris inchoantes, qui multam habet cum ipsa luna similitudinem, quæ et infirma et gelida naturaliter est, et nocti præsidet, humoribus dominatur, et ex alio lumen mutuat; adusque spiritum sapientiæ, qui in senibus est, et maturos facit, gravesque et cœlo proximos, conferendo ascendatis. Aderit ipse spiritus intellectus, ne a veritate aberretis, et consilii, ne alio vanitate revocemini, et fortitudinis ne propria infirmitate fatigemini; quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre et Filio, de Patre et Filio, in Patre et Filio, unus est vivus, et verus, omnipotens Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XLVI.

IN NATIVITATE SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ I.

Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista (*Matth.* XI). Testimonium illud, dilectissimi, Domini et Salvatoris nostri de baptista suo Joanne, adeo nos de excellentia gloriæ ejus certos efficit, ut non dubitemus eum nemine inferiorem, etsi non, ut quidam putant, omnibus superiorem, nemini quidem, secundum hanc veritatis attestationem, est in regno Dei secundus; nec tamen, quantum hæc auctoritas habet, omnium primus. Si non habet majorem, quis eum negare audeat, tametsi nec affirmare præsumat, non etiam habere æqualem? Nam quod nonnulli verbo adhærentes, quod dixit, *Surrexit*, de prioribus illo sanctis tantummodo intelligunt, neminem fuisse majorem, non de futuris; sicut novum, sic et frivolum credimus. Nemo enim sanctorum sic exposuit, nec Ecclesia Christi hucusque audivit. Beato tamen Ambrosio (*in hym.*) se muniunt, qui in ejus laude sic cecinit: « Major prophetis, et minor angelis. » O utinam addidisset, *solis*. Nec tamen dixit apostolis, sed Angelis. Sed nec, inquiunt, apostolis, sed prophetis simpliciter major, et simpliciter angelis minor. Nihil igitur agit exemplum, quod litem litteræ solvit. Plurima ergo laude extollitur, qui inter natos mulierum nemini supponitur. Nam dum in hoc corruptibili agitur, quod animam cœlesti desiderio jam levem, et quodammodo evolare gestientem gravat; ubi terrena inhabitatio sensum, ab uno quod necessarium est, ad multa quæ conturbant, quæ

A sollicitant, et eo sollicitant, quo turbant, deprimit; etiam jam maximus mortalium minor est minimo angelorum. Unde et de eodem Joanne dicitur: *Qui minor est in regno cœlorum, major est illo.* Cum autem e corporea mole, et carnis carcere cæco, lucida et libera anima superas evadet ad auras; haud inficiamur, plurimos sanctorum multa millia angelorum transvolare. Beatus tamen, quem nobis opponunt, Ambrosius, quod dictum est: *Qui minor est in regno cœlorum, major est illo*, pro nobis faciens, sic exponit. « Qui minor est, in oculis suis videlicet, id est humilior in regno cœlorum, hoc est Ecclesia præsenti, major secundum eumdem intellectum est Joanne. » Quod si omnium est Joannes humillimus, omnium utique est etiam sublimissimus. Omnis enim qui se humiliat exaltabitur: et quantum se humiliat, tantum se exaltabit. Minimus ergo omnium, maximus est universorum: et quo quisque major est minimorum, eo minor est maximo. Præterea nativitas ista eo plus cæteris sanctorum natalibus colitur, quod sacramentalis et figurativa esse dignoscitur. Sicut enim prædicatione, et baptisatione, et conversatione vitæ, et qualitate mortis et miraculo nativitatis, vox Verbum præcinit, præcursor Dominum præcucurrit, propheta venturum prædicavit, plusquam propheta presentem monstravit, angelus quem evangelizaverat designavit, neque hoc tantum vivis in mundo, verum etiam mortuis in inferno.

B

C Natus ergo contra naturam, eum præfiguravit, qui nasciturus erat supra naturam. Hic contra naturæ solitum; ille supra naturæ debitum; hic mirabiliter, ille singulariter. Hujus rarum exstiterat antea exemplum, illius omnino nullum. Elizabeth sterilitas Mariæ virginitatem figuravit. Hinc gravida sterilitas; hinc fecunda virginitas. Unum edidit anus, propter unum, quem peperit virgo. Pater Joannis supra ætatem vetulus, pater Christi in omni ætate nullus. Sicut enim silentium genealogiæ Melchisedech in Scripturis, ineffabilitatem generationis Christi præsignat (*Gen.* XIV; *Hebr.* V), sic et Zachariæ senectus, in Christo paternæ generationis defectum notat. Hic ergo genuit vetus; ibi nullus. Hic dono gratiæ genuit, qui natura, nec gratia quisquam genuit, ubi dator gratiæ, qui exactor

D naturæ, solus totum effecit. Sic nimirum decuit, ut in figura ubique minus, et in veritate ubique magis inveniretur. Mane enim et vespere corporibus suis longiores sunt umbræ, meridie autem breviores. Mane prophetia, vespere memoria, meridie Christi præsentia. Ideo et Christo crescente Joannem minui oportebat, Christumque morte exaltari, ac Joannem capite minui; Christum crescente die nasci, Joannem decrescente. Præterea conjugium Zachariæ et Elizabeth, unde per naturam nullus, per gratiam tantus generatur: quod Joannem quidem parit, et Christum promittit; aliud quoddam, ac secretius in hominibus conjugium mystice signat. Sicut enim exterius inter

virum et mulierem notum istud ac usitatum est A matrimonium, inter carnem et carnem, quod nihil generat super carnem: sic interius in homine ac muliere aliud exstat inter carnem ac spiritum, generans in carne per spiritum. Adhuc quoque intimius tertium in ipsa hominis ac mulieris anima rationali invenitur, totum in spiritu, quod liberum arbitrium dicitur: ubi ratio est Zacharias, Elisabeth voluntas. Liberum enim arbitrium quid aliud est quam libera cum ratione voluntas? Ex ratione arbitrium, ex voluntate liberum.

Ratio itaque non solum tanquam vir regere debet cordis affectum, ac omnem corporis et animæ motum; sed tanquam Domini sacerdos ad sancta sanctorum penetrare, ac revelata facie speculari, quod fas non est populis: et præstolantibus foris sen- B suum et imaginationum turbis, intus revelatione erudiri. Voluntas vero animi, sive cordis affectus, debet obedire rationi, et tanquam mulier subdita esse viro; ac sine ejus complacito nihil in subditis audere, nihil in extraneis præsumere; de viro tantum fecundari, adulterinos omnino horrere amplexus. Composita quippe interior domus tua est, si inconsulta ratione nihil præsumat affectus. Affectus quidem operi nomen imponit, ut secundum ipsum dicatur opus bonum, aut pravum; affectum ratio jure regit, sicut vir uxorem, ut secundum rationem dicatur affectus lucidus aut tenebrosus, legitimus aut illegitimus. Qui enim sapientes sunt, ut malum faciant, inordinatam habent conscientiam, ubi ratio C servit et dominatur affectus; præit voluntas, ratio sequitur; utiturque ratione contra rationem cordis concupiscentia. Haud ita Zacharias iste, et uxor ejus Elisabeth. *Erant enim ambo justi, et processerant in diebus suis* (*Luc.* I), sed sine fetu, sed sine fructu. Ideo quippe magis sine fetu, quia in diebus suis: ideo magis steriles, quia senes. Novitas quippe, vel nova, vel innovata, fructificat. Novitas nova in Virgine Christum parit, renovata in sterili parit Joannem. Justi tamen erant, quia ordinati et compositi erant; sed fecundi per se esse non poterant, quia de vetustate veteris Adæ adhuc veteres erant. In philosophis olim et sapientibus hujus sæculi, composita esse poterat et ordinata interioris hominis domus; ubi nec confuse familia domesticorum D motuum perstreperet, nec irruptio peregrinorum turparet, nec mulier procax virum impeteret, aut blanda deciperet; sed fecunda æternitati, et quæ salutis præconem ederet, esse omnino non poterat. Liberum enim arbitrium sine quo nemo salvatur, in plurimis plurimum valet; sed ad salutem absque Dei gratia in omnibus nihil valet. Gratiam et gloriam dabit Dominus, quia Joannem sequitur Christus. Datur autem libero arbitrio, quia solum salvatur; sed ideo datur, quia sine gratia non salvatur. Liberum arbitrium suscipit gratiam, gratia præcurrit salutem. Liberum arbitrium nec quando vult, nec qualem vult, suscipit gratiam, nec Zacharias, quando vult, aut qualem vult, generat prolem. Zacharias et Elisabeth nihil, etiam multum conati, per se gignunt, quia ratio et voluntas in hominibus, etiam multo conatu, sine gratia nihil proficiunt.

Visitat ergo quos vult, quando vult, et quomodo vult Deus per gratiam, id est gratis dat gratiam, quæ prius promittat sanctæ conversationis spe, et postmodum exhibeat beatæ visionis re salutem. Ideo et Joannes quibus voluit, et quando voluit, et quomodo voluit Deus, exhibitus est, et nascendo ac vivendo præcucurrit et promisit Jesum, ac tandem digito ostendit. De Zacharia quidem et Elisabeth, nec per naturam suam, sed Dei operatione Joannes generatur: nec nisi de libertate arbitrii consensus bonus, nec sua tamen efficacia, sed munificentia Dei procreatur. Elisabeth domi est, aut forte foris præstolatur cum populo, dum Zacharias ad sancta sanctorum ingressus angelum cernit (*ibid.*). Et Sara domi exspectat, dum in fervore diei Abraham angelis occurrit (*Gen.* XVIII). Populus quoque universus deorsum præstolatur, dum Moyses solus ad Dominum in montem ascendit (*Exod.* XIX et XXIV). Sed ad hæc quis tam idoneus? Ubique viri, ubique sacerdotes, ubique prælati, *relictis* uxoribus ac turbis, ad cœlestia et sublimia soli aut ingrediuntur, aut occurrunt, aut ascendunt; sed in sancta sanctorum unus tantum angelus, nec sine timore multo conspicitur: in fervore autem diei, et in aeris libertate, et spatioso campo tribus cum fiducia et alacrite occurritur. In monte quidem cum Deo, tanquam a viro cum proximo suo, a Moyse sermo contexitur. Taceo quod etiam relictis discipulis Jesus ipse solus ascendit in montem loqui ad Patrem (*Matth.* XIV). Si autem ista voluerimus prosequi, nec nos poterimus sufficere sermoni, nec hora, ut scitis, sermocinanti. Ideo, quod ad præsentem solemnitatem attinet, de Zacharia pauca persolvamus. Jecimus enim hic quædam quasi fundamenta meditationis, et occasionem dedimus sapienti, ut sapientior fiat.

Itaque Zacharias Angelum videt, et timet; promittentem audit, et diffidit: ideo silentio mulctatur usque ad tempus promissionis solutæ. Ratio namque humana, cum de sacramentis cœlestibus, et sponsionibus divinis ea audit, quæ non comprehendit, miratur et hæsitat; ac quomodo fieri possit, investigat. Sed quoniam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quod præparavit Deus diligentibus se, etiamsi credat, muta usque ad visionem exstat: et tunc cum apparuerit quid erimus (*filii* enim *Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus* [*I Joan.* III]), exsultatione exsultabit modo inenarrabili, dicens, *Benedictus Dominus Deus Israel: quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ* (*Luc.* I). Interim autem ratio fide gignit, quod eloqui nequit, voluntas charitate concipit, quod oculo nondum cernit; longanimitate spes in utero mentis bajulat, quod videre desiderat, primitias Spiritus. *Fructus* enim *spiritus charitas est* (*Gal.* V). In utero habens ingemiscit Elisabeth,

et parturit usque ad revelationem gloriæ filiorum Dei. *Mulier* quidem *cum parit, tristitiam habet; cum autem peperit* gaudio gaudet (*Joan.* XVI), et in nativitate talis pueri multi gaudebunt. Gaudebunt interioris et exterioris hominis simul omnia: congloriabuntur et conglorificabuntur. Interim ex parte cognoscit, et ex parte prophetat Zacharias; cum autem venerit quod perfectum est, tunc cognoscet, sicut et cognitus est; solveturque vinculum linguæ, et replebitur os ejus jubilo, ad benedicendum Deum pro gratia, quæ nunc occulte agit in natura: quæ tunc manifesta erit et cognita. Omnes enim a minimo usque ad maximum cognoscent gratiam et veritatem Dei in die illa pleni gratia et veritate, exsultatione et laude. Quod in nobis adimplere dignetur ipsa Dei gratia, ut in manifestatione ejus gaudeamus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XLVII.

IN EODEM FESTO II.

Qui habet sponsam sponsus est, amicus autem sponsi stat, et audit, et gaudio gaudet, propter vocem sponsi (*Joan.* III). Aliorum, dilectissimi, sanctorum aut abstinentiæ, aut sollicitudines, aut opera misericordiæ, aut virtutes signorum, aut hujusmodi, quæ ad faciem sunt, sanctimoniæ, eorum testimonio valent; in nonnullos autem Domini et Salvatoris promulgatur auctoritas: qualiter de beato Petro apostolo dicitur: *Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi; sed Pater meus, qui est in cœlis. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI). De coapostolo quoque ejus Paulo: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus et filiis Israel* (*Act.* IX). In beatum vero Joannem plurima et prophetarum oracula, et ipsius per seipsam Veritatis testimonia coacervantur. Beatus etenim propheta Isaias de eo sic ait: *Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini*, etc. (*Isai.* XL). Cui beatus evangelista Marcus in Evangelii sui exordio concinit. Jeremias quoque: *Priusquam te formarem in utero, novi te; et antequam exires de ventre sanctificavi te; et prophetam in gentibus dedi te* (*Jer.* I). Sed nec hoc beatus evangelista Lucas prætermisit. Ipsa autem veritas, quæ nec fallere, nec falli potuit, de eo sic ait: *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista* (*Matth.* II). Et alibi: *Quid existis in desertum videre? Prophetam? Etiam dico vobis, et plusquam prophetam. Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam*, etc. (*ibid.*). Alias quoque: *Ipse erat lucerna ardens, et lucens* (*Joan.* V). Unde et David: *Paravi lucernam Christo meo* (*Psal.* CXXXI). Beatum itaque Joannem nascendi miraculum, et vitæ singularitas, et qualitas mortis, Prophetarum quoque, ut diximus, oracula, ac ipsius veritatis testimonia, Ecclesiæ Christi commendarunt.

Mecum ergo reputans, et conferens in corde meo hæc et his similia, de beato Joanne sublimium testimonia sublimia, et ipsius de seipso responsa humilia, liquido colligo quod virtus in infirmitate perficitur; et eo quisque maximus a veritate appellatur, quo a semetipso minimus æstimatur. *Quanto*, ait Sapientia, *magnus es, humilia te in omnibus* (*Eccli.* III); et utique quanto humiliaveris te, tanto major eris in omnibus. O bona humilitas! Excelsus quidem Dominus, sed humilia respicit. O humilitas Deo amabilis! *Respexit*, inquit, *humilitatem ancillæ suæ* (*Luc.* I). Spiritus quoque sanctus non requiescit, nisi super humilem et mansuetum et trementem verba Dei. Ideo beatus iste Joannes est, ac eo beatior, quo humilior: eoque humilior, quo beatior. Cum tanti ab hominibus pro verbo doctrinæ, et districtione vitæ haberetur, ut Christus putaretur, elegit, ut beatus ait Gregorius, per humilitatem solide subsistere in se, quam per vanitatem opinionis vanæ inaniter rapi super se. Non enim sicut pulvis erat, quem projicit ventus a facie terræ. Quamvis autem vanitantium vento in cœlum usque raperetur, humilis tamen et gravis terræ adhærebat; illius sententiæ memor: *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III). Ubi sunt, qui de nihilo inflantur, et de modico multum tument, eo vaniores, quo inaniores? Quid habes, in comparatione Joannis, qui plus Joanne gloriaris? aut si habes, quid habes, quod non accepisti? Aut quod accepisti, quare per inanem gloriam inflando, temetipsum evacuasti? Non enim qui inflatus est, plenus veraciter, sed inaniter tumidus est. Ergo Joannem audiamus, quanto majorem, tanto humiliora loquentem. *Non sum*, inquit, *Christus, non sum Elias, non sum propheta*. Præco sum: *Vox clamantis sum in deserto; Parate viam Domino. Venit fortior me post me: cujus non sum dignus, procumbens solvere corrigiam calceamenti*. Et cum multum augeretur ab instantibus, in spiritu veritatis, et cordis puritate exsultans, quod supra posuimus, ait:

Qui habet sponsam, sponsus est. Ac si diceret: Nec sponsam habeo, nec sponsus dici debeo. *Amicus autem sponsi stat, et gaudio gaudet propter vocem sponsi*. Hoc etenim, si scire vultis, sum; et hoc facio: et ideo sum, quia facio, et ideo facio, quia sum. Sponsus, ut scitis, Christus est, sponsa Christi Ecclesia. Sponsus Verbum Dei est, sponsa anima fidelis. Sponsa igitur, sicut habet adolescentulas et amicas, sic et sponsus paranymphos et amicos: de quibus ad sponsam loquens, ait: *Fac nos audire vocem tuam; amici auscultant* (*Cant.* VIII). Amicus ergo stat, et auscultat, et audit vocem, non solum sponsi, sed et sponsæ. Non enim potest sponsam contemnere, qui sponsum voluerit audire; aut utrumque audiet, aut utrumque contemnet. Nemo potest alteri sine altero amicus existere. *Quod Deus conjunxit, homo non separet* (*Matth.* XIX). *Qui vos*, inquit, *audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit. Qui vero me audit, audit eum qui misit me* (*Luc.* X). Ecce per Christum quomodo juncti sumus Deo: caput mulieris vir,

caput viri Christus, caput Christi Deus. Itaque si A sponsi cupimus esse amici, per ipsum Dei audiamus sponsam, et obaudiamus his, per quos loquitur ac jubet sponsa, id est prælatis et præpositis nostris. Nos enim qui subjecti sumus eis, tanquam mulier simpliciter sumus : ordo autem prælatorum quasi vir noster, qui nos regere, instruere, pascere, fecundare, ac in omnibus et ad omnia disponere debet. Caput quoque nostrum est, et ipsius Christus, et ipsius Deus. Unde per præpositos nostros subditi sumus, adhærentesque Christo ac Deo. Amicus ergo sponsi stat et audit ; sponsus vero sedet ac docet. Magistrorum est siquidem loqui et jubere, audire autem et obedire discipulis convenit, et cum hilaritate, quoniam *hilarem datorem diligit Deus* (*II Cor.* IX), et cum gaudio, sicut hic amicus sponsi B audit, et gaudet ; et hoc propter vocem sponsi. Multi ad multa quæ audiunt gaudent, sed non propter vocem sponsi. Multi ad multa quæ jubentur libenter obediunt ; et non propter vocem sponsi. Cum enim quod volunt audiunt, gaudent propter seipsos, et in hoc jam receperunt mercedem suam. Et cum jubentur quod desiderabant, libenter obediunt, sed propriis concupiscentiis ; nec habent quid a sponso exspectent. Quod enim propter ipsum non fit, ab ipso remunerabile non erit. Itaque vox sponsæ omnis est institutio ecclesiastica ; quam qui dijudicat aut contemnit, amicus sponsæ esse non poterit. Vox sponsæ sermo est et præcepta Præpositorum : quæ qui contemnit aut negligit, C ad inimicitias erumpit ; aut si tepide, tarde, cum rancore cordis et oris murmure perficit, necdum ad amicitias pervenit ; nec enim gaudet propter vocem sponsæ. Sponsus Verbum Dei est ; vox ejus omnis eventus. Quidquid enim in tempore fit, ab æterno simul in Dei Verbo fuit. Nobis vero liber, ubi angeli cernunt et legunt, clausus est : et solum in exteriori legimus et discimus, quæ in interiori continentur. Quod enim foris contigisse cernimus, intus dispositum fuisse cognoscimus. Omnia enim sic fiunt, ut facit aut permittit, sine cujus dispositione nihil fit. Eventus ergo rei foris est vox Verbi : ad quam non murmurat, qui quod intus dispositum est, amat. Omnia vero quæ contingunt, a bono disposita sunt, ac suo modo bene fiunt, ac propterea D a bonis amanda sunt.

Summa ergo omnis religionis et obedientiæ est amare quod amat Deus, quia id amat Deus ; odisse quod odit Deus, quia id odit Deus ; velle quod vult Deus, quia id vult Deus ; nolle quod non vult Deus. Hæc autem omnia cum in rebus foris addiscimus, quasi per vocem Dei voluntatem audimus ; et si amici sponsi esse volumus, etiamsi propter aliud in aliquibus dolemus, tamen propter vocem quæ nobis loquitur voluntatem sponsi, gaudeamus. Bonus est, inquit amicus quidam Sponsi, etiam de temporali incommodo suo, sermo Domini. Dominus est ; quod bonum est in oculis suis faciat. Utique cum malo mali servi bonus est sermo boni Domini. Si malum male perdit, justus est ; et omne justum bonum est : et quicunque non amat justitiam, malus est, et hoc ipsum etiam bonum est. Si malo pie parcit, pius est, et omne pium bonum est ; et qui pietatem non amat impius est : et hoc ipsum etiam pium est. Si bonum bene remunerat, justus est ; si probat, et castigat, benignus est : et qui utrumque non amat, malignus est, et hoc ipsum juste benignum est, ac benigne justum est. Hæ sunt omnes viæ Domini, misericordia videlicet et veritas, per quas inter filios hominum graditur, occidendo et vivificando, percutiendo ac sanando, elevando ac deprimendo, dando et auferendo, terrendo ac blandiendo ; nihilque fortuitu, aut ipso ignorante, aut nolente, aut non curante contingit : sed omnia bene per tempus regit, sicut ante tempora bene omnia disposuit : et in omnibus propter ejus dispositionem ac voluntatem gaudio gaudet, qui ab eo in nullo dissidet. Ea demum amicitia vera est, cum amico propter amicum idem velle, et idem nolle.

Amicus ergo sponsi assistit sponso, ac audit, obedire paratus ad omnia ; et gaudio gaudet in omnibus, propter vocem sponsi, quamvis propter aliud contristetur in plurimis. Hoc enim etiam habet vox sponsi ; nam ipse sponsus aliquando irascitur, contristatur, lacrymatur, ac dolet : in quibus tamen omnibus propter eum cujus est Verbum gaudet, qui cum gaudio propositum sibi certamen currit. Ubi sunt, qui contra rerum eventum murmurant, ac in Deum blasphemant : qui ipsius ordinationem non amant ? Nonne si a Deo est, bene est, et si bene est, quid murmuras ? Non possum, inquit, damnum meum, aut amici mei amare jacturam. Sed neque Dei debes odire justitiam, aut disciplinam. Utique nec Deus cujusquam diligit jacturam. Charitas enim non gaudet super iniquitate, sed suam amat veritatem, et tuam punit iniquitatem. Charitas autem congaudet veritati, cui si non congaudes, sine charitate es ; ac per hoc sine Deo, et cum diabolo, qui odit justitiam, quæ ipsius condemnat malitiam. Hoc etenim est perpetuum ejus peccatum, quod perpetuum meretur supplicium. Itaque in bonis quæ agit Deus, diligamus, dilectissimi, ipsum opus totum, quoniam a bono bonum est, ac bene fit et ad bonum. In malis autem, quæ permittit bonus, etiam bene, et ad bonum diligamus, non malitiam quam odit Deus, sed causam quare permittit Deus. Permissio siquidem Creatoris est, malitia creaturæ. Hæc est, charissimi, pax bona, et tranquillitas cordis, stare in æquanimitate, et audire cum reverentia omnia quæ fiunt sub cœlo, ac in omnibus benedicere omnia disponenti, nolle mutari quæ bene fiunt, ac decori universitatis concinunt, salva in omnibus charitate, quæ ut dictum est, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Quod in nobis operari dignetur, qui vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XLVIII.

IN EODEM FESTO III.

Paravi lucernam Christo meo, etc. (*Psal.* CXXXI). Olim, dilectissimi, cernimus vos plus solito tepidos, et quasi acediosos factos ad audiendum : unde et nos tepidiores ac imbecilliores, fateor, facti sumus ad loquendum. Attentio namque discipuli diligentiam adhibet doctori ; et quo devotius quisque auditur, eo studiosius loquitur. Sed querimini, nos stylum nescitis qua ratione mutasse ; et qui subtiliter solebamus aut invenire prorsus nova, aut eleganter innovare vetera , nunc communia tantum terimus, ac sermone trivii trita replicamus. Quomodo, inquiunt vestrum nonnulli, demersus est homo iste ? quomodo obscuratum est aurum intelligentiæ suæ, mutatus est color optimus eloquentiæ suæ ? Qui solebat mirabiliter mira dicere, singulariter inaudita excogitare, obscura luculenter diffinire, involuta distincte dividere, divisa patenter exemplis declarare, quomodo nunc omnia confundit, omnia permiscet, omnia ubique tangit, et nihil ad exspectatum usque finem perducit ? Quomodo vinum ejus mixtum est aqua, argentum versum est in scoriam ? Quomodo nunc aut silet, aut loquitur ? Ecce silebimus, sed vobis ; loquemur, sed non vobis. Curiosi auditores omnes vos estis : et ideo permutavimus dicendi modum, quia vos non posuistis curiositati vestræ modum. Nova tantum captatis : at unde nova jugiter cudimus ? Antiqua, et quæ inveniri possunt in Scripturis, exsufflatis. Et quare libros transcribimus ? Si dicimus quod ante nos dictum sit, vel scriptum inveniri possit, nauseam vobis aut bilem movet, non quia non sit verum, bonum ac congruum, sed quia non est omnino novum. Si dicimus quod dixit Augustinus, quod Ambrosius, quod alicubi legitur, statim ad libros curritur : quod dictum est, alteri ab altero ostenditur scriptum, et hac sola causa ab utroque fastiditur. Ego ergo fateor, in causa vobis ex parte sum hujus insolentiæ. Ita enim vos in talibus educavimus, ad talia assuefecimus, ut alium præter nos vix audire possetis ; nec nos jam in aliis audire curaretis.

Quare igitur et nos, aut ante curiosi talia sectando fuimus, aut modo usitata relinquendo leves facti sumus ? Utriusque rei ratio in promptu est. Emerserunt olim quidam, quorum nomina taceo, spectabilis ingenii homines, et exercitationis miræ, qui Scripturas sanctas non quidem ut hæretici pervertentes, sed earum legitimum sensum ad manum minus habentes, ad sua studia elegantissime accommodarunt, et de authenticis litteris non sine multorum admiratione, et plurima morum ædificatione, suavissime, ut omnium pace loquamur, nugati sunt. Nihil autem contra fidem et veritatem, omnia ad utilitatem et honestatem vitæ et morum mirabili novitate, ut scitis, et nos deseruisse querimini, attraxerunt, et (quod mirabile dictu est) inopia sensus sensatissimi facti A sunt. Hos ergo secuti sumus, quia eos sequebatur mundus ; omnis mundus abibat post eos, et æstimatione hominum nunquam sic locuti sunt homines. Qui sic non loquebatur irridebatur, contemnebatur, deserebatur. Ne igitur aut invidia obloqui, aut inopia ingenii non sic loqui putaremur, animum appulimus : et, ut scitis, non omnibus in hujusmodi inferiores fuimus ; neque enim mihi cornea fibra est, ait poeta. Verum nunc dicimus quod ab initio conceperamus, sed ne, ut diximus, aut invidiæ, aut inscitiæ notaremur, utentes tempore nunc usque suppressimus. Instabunt igitur tempora periculosa, et intrabunt subversores veritatis, Scripturarum dicta suis sensibus accommodantes, quibus hæc nostra licentiosa libertas fore poterit B perniciosa auctoritas. Quare non deserent novitatis suæ gratia Patrum veteres expositiones, si id ante eos consuevit Ecclesia ? Quomodo objicietur eis, Sic et sic exposuit Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Gregorius ? Nonne inquient : Si sic aliis licuit, nobis quare non licebit? Nonne sicut ab istis ipsi audivimus, et illi dicturi sunt? Ubi Spiritus Domini, ibi libertas : non sumus addicti jurare in verba magistri ? Hujus simile, eademque ferme tempestate, cujusdam novæ militiæ obortum est monstrum novum, cujus, ut lepide ait quidam, Ordo de quinto Evangelio est, ut lanceis ac fustibus incredulos cogat ad fidem ; et eos qui Christi nomen non habent, licenter exspoliet, ac religiose trucidet : siqui autem de eo in depopulatione talium C ceciderint, Christi martyres nuncupent. Nonne et isti futuro illi perditionis filio contra Christianos crudelitatis suæ auctoritatem nutriunt ? Quomodo objicietur ei Christi mansuetudo, patientia, ac forma prædicandi ? Quare non faciet libenter, quod factum reperit licenter? Quomodo non dicet : Qualia fecit Ecclesia, talia facite illi? Quid igitur? Et hos cum aliis damnamus ? Neutros damnamus, sed in hoc non laudamus, nec quia fortasse omnino sunt mala, quæ agunt : sed quia fore malorum occasiones queunt. Nam (quod miserabile est) omnia fere mala de rebus bonis inoleverunt ; ac virtutes vitia nutriunt, et ab alumnis suis jam grandiusculis effetatæ absorbentur.

D Plurima igitur, dilectissimi, cautela opus est, ac circumspectione. Omnia enim sive bona, sive mala ventura, ante se habent quasi matrices quasdam causas, quare veniant, ac præparatores quosdam et quasi nuntios modos quomodo proveniant, ac signa quædam sui adventus, quando evenire debeant : *Parasti*, inquit, *cibum illorum, quoniam ita est præparatio ejus* (*Psal.* LXIV). Et id quod posuimus : *Paravi lucernam Christo meo* (*Psal.* CXXXI). Nihil enim frustra, nihil confusum, nihil subitum : multa tamen mortalibus sunt occulta, alia manifesta. Unde apostoli de secundi adventus causa et modo edocti, de signis autem solliciti, dicunt : *Dic nobis quando hæc fient, et quod signum adventus tui* (*Matth.* XXIV). Adventus itaque Christi in car-

nem causa, est humana miseria; præparatio, virginitas conjugata Mariæ; signum, stella de cœlo, emanatio olei de terra. Adventus Christi ad baptismum causa, humana ad Deum conjunctio; præparatio, baptismus Joannis. Venienti enim luci præparabatur lucerna, ut multi in tenebris educati, assuescerent ex modico lumine magnum intueri. Dicitur ergo, cum de Joanne prophetatur voce Patris : *Illuc producam cornu David* (*Psal.* CXXXI), id est gloriam illius populi, cujus rex erat David, producam usque ad lucernam, quam paravi Christo meo. Nam sicut ait ipse Christus : *Lex et prophetia*, in quibus erat gloria populi illius, *usque ad Joannem* (*Matth.* XI) : quem etiam ipse lucernam dicit ardentem et lucentem, *super ipsum*, id est Christum, cui paratur lucerna, *efflorebit sanctificatio mea* (*Psal.* CXXXI). Ipse etenim solus sanctitatis flos et fructus, sanctus sanctorum; sanctus et sanctificans ipse; natus sanctus, generans sanctos. *Inimicos ejus*, id est lucernæ, tanquam nimia lux, *induam confusione*, quia neglexerunt lucernæ assuescere, ut possent lumen sustinere. Duo etenim sunt, quæ oculum a visione confundunt : nulla lux, et subita magna lux. Sed audiamus ex ipso Evangelio, quatenus per Christum confuderit Pater inimicos Joannis, Christi et Patris. Cum interrogassent Pharisæi Jesum, de potestate ejus, mirantes, invidentes, indignantes respondit : *Et ego interrogo vos unum sermonem : quem si dixeritis mihi, et ego dicam vobis, in qua potestate hæc facio* (*Marc.* XI). Si enim suscipitis lucernam, ostendo vobis lucem. *Baptismus Joannis de cœlo erat, an ex hominibus?* Et illi confusi, quos Deus sprevit, quia spreverunt lucernam ejus : quoniam veritatem fateri nolunt, et mentiri de lucerna temere non audent, recte mentiuntur in caput suum, ac mentitur iniquitas sibi. Nam dicunt : *Nescimus*. Si enim dixissent (quod verum erat) : *De cœlo*, objiceretur eis quare ei non crederent, de luce attestanti. Sin autem dixissent : Ex hominibus, incidissent in manus turbæ, quæ eum, quod vere erat, sicut prophetam habebant. Modicum istud, de tanta vobis hodie solemnitate locuti (in superiori quippe apologia horam impendimus), id dilectionem vestram exoratam simul et admonitam cupimus in fine, quatenus ut ait propheta, interrogetis de semitis antiquis, quæ sit via bona, et sanctorum pedibus trita, ambuletisque in ea. Curiositas enim mater est omnis vanitatis (*Jer.* VI). Veritas omnis solida, nec solum antiqua, sed æterna. Præterea cum simplicibus sermocinatio nostra, maxime in his diebus solemnibus, cum laicorum turba undique cogitur. Non deerit forsan familiarior collatio, ubi vobiscum poterimus altius aliquid, ac subtilius perscrutari. Sermones vero isti solemnes, simplicibus simplices sunt, et pedestri sermone effusi, propter eos, qui nondum assumpserunt pennas, sed pedites sequuntur ambulantem Jesum, cui cum Patre et Spiritu sancto, A gloria et imperium in omnia sæcula sæculorum. Amen

SERMO XLIX.

IN NATALI APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

Hi sunt viri misericordiæ, quorum justitiæ oblivionem non acceperunt, etc. (*Eccli.* XLIV.) Natale, dilectissimi, colitur apostolorum Petri et Pauli : et satis congrue dicitur mors talis natale, quæ gignit ad vitam. Unde et nativitas, qua nati sumus ad mortem, mors convenientius diceretur quam natale. Incipimus enim mori, quando nascimur; et vivere, quando morimur. Unde sicut vita ista dicitur mortalis, sic mors illa dici deberet vitalis. Quandiu ergo hic vivimus, morimur; et quando B vita defungimur, simul et morte privamur. Odibilis vita, quæ sine morte esse non potest; optabilis mors, quæ vitæ falsitatem terminat, et inchoat veritatem. Res mirabilis, vita mortem confert, mors vitam. Vita natalis est mortis, mors vitæ. Sicut facula igne succensa, consumit, a quo consumpta est, ignem, sic vita ista ab initio morte succensa, ipsam tandem ab eadem consumpta consumit, vel sicut vapor ignis semel immissus stipulæ, ipsam vorando semetipsum consumit, ita mors quæ cum vita seminatur ac concipitur, ipsam necando, se quoque simul interimit. Vapor enim est vita præsens, et fumus ad modicum parens. Quæ vero postea est vita, sola est, ac sine mortis consortio vita : unde et vitalis in posterum existit. Hæc est C ergo mortalis, illa vitalis. Præterea quod ad præsentem attinet statum, vita ista mortem gignit, et mors ipsa vitam interimit. Secundum hanc : *Visi sunt sapientes oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace* (*Sap.* III); ubi morte jam hic mortua sine ejus conflictu vivitur sola vita. *Justorum*, inquit, *animæ in manu Dei sunt; et non tanget illos tormentum malitiæ* (*ibid.*), tentatio Satanæ : quæ hic quidem, dum cum morte confligitur, neminem non tangit; sed sanctos non frangit. Ibi autem sicut non franget, ita nec tanget; avulsi enim sunt ab eo plus jactu lapidis : unde ad eos usque lapidem non mittet balista malitiæ. Ecce quo perveniunt sancti ab hac mortali vita, per hanc vitalem D mortem, ad vitam videlicet vitalem in manu vitæ viventis. Sed quare perveniunt? Quia misericordes sunt, sibi prius, et secundum hanc regulam proximo : *Miserere*, inquit, *animæ tuæ, placens Deo* (*Eccli.* XXX) : ac subveniens utique proximo. *Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* V) : judicium vero sine misericordia immisericordibus. Qua enim mensura mensi fuerint, remetientur eis.

Viri itaque misericordiæ sunt in misericordia viriles. Tres etenim sunt misericordium differentiæ. Primi de suis subveniunt, non ut ipsis sit tribulatio, et aliis remissio, sed ut de eorum abundantia aliorum suppleatur inopia, ubi cum intentione animi metitur veritas de quanto, potius quam quan-

tum tribuatur. Hi sunt, qui capillis capitis sui Jesu pedes tergunt, accepti ex eo quod habent, non ex eo quod non habent, usque ad calicem aquæ frigidæ, vel bonam tantum voluntatem : quæ sola satis sufficit, si aliud non invenit. Secundi omnia sua distribuunt ; et de cætero sicut in commune acquirunt, sic in commune expendunt : ubi nihil suum dicunt, sed omnibus omnia pro ratione ac necessitate communia existunt, ubi qui plus, non abundavit; et qui minus, non minoravit. Et hic metitur veritas potius quid habere nolint, quam quid relinquere potuerint. Omnia enim relinquunt, qui nihil habere volunt; et quantum quisque non cupit, tantum relinquit; omnibus omnino omnia dimittit qui nemini quidquam impedit. Hi sunt, qui centuplum accipient, et vitam æternam possidebunt. Tertii vero non solum omnia impendunt; sed ipsi superimpenduntur, ac semetipsos dedunt in periculum carceris, proscriptionis et mortis, ut alios a periculo revocent animarum : sui supra modum prodigi, aliorum cupidi. Et hos metitur veritas secundum charitatem, qua nemo majorem habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Isti ergo in misericordia viriles, sunt viri misericordiæ, et in misericordia summi. Tales sunt gloriosi isti principes cœli, terræque ministri : quorum hodie post longas inedias in fame et siti, in frigore et nuditate, ac durissimos labores et pericula, victoriosissimæ mortes celebrantur. De quibus bene sequitur. *Quorum justitiæ oblivione non acceperunt* (*Eccli.* XLIV). Oblivionem non acceperunt justitiæ, quia non sunt obliti misericordiæ; et quantum memores exstiterunt misericordiæ, tantum non accipient oblivionem justitiæ. Quorumdam enim iniquitates in oblivionem veniunt, et justitiæ eorum tantum recordatur Dominus, et quorumdam justitiæ in oblivionem veniunt, et eorum iniquitatum tantum recordatur Dominus. Sed eorum recordatur justitiæ, qui non sunt obliti misericordiæ; et eorum recordatur injustitiæ, qui non meminerunt misericordiæ. Soli enim misericordes misericordem invenient Deum ; et quos misericordia non commendabit, justitia condemnabit. *Cum semine eorum permanent bona* (*ibid.*). Cum hominibus hic nec bona nec mala permanent, sed vicissim et quasi cæcis casibus perfundunt bonos ac malos ; in futuro vero cum bonis bona sola, cum malis sola mala permanebunt. Hinc dictum est : *Cum semine eorum*, potius quam, cum illis ; sicut et alibi : *Anima ejus in bonis demorabitur* (*Psal.* XXIV), nec amplius vicissim permutabitur : *Et semen ejus*, quod colligetur novum de veteri, *hæreditabit terram*, id est corpus immortale, quod amodo non perdet. *Seminatur*, inquit, *animale, sed surget spirituale* (*I Cor.* XV), de veteri semente novum semen, de mortali immortale, de corruptibili incorruptibile; et cum ipso quod permanere poterit, permanebunt bona. *Hæreditas sancta nepotes eorum* (*Eccli.* XLIV). Filii filiorum fructus operum. Opera peribunt, fructus permanebunt immobiles, et hæreditate sancta, id est firma et æterna possidebuntur. *Dicite*, inquit, *justo*, cujus justitiæ oblivionem non acceperunt, quoniam misericordiam non deseruerunt, *quoniam bene*. Et quare bene? *Quia fructus adinventionum suarum comedet* (*Isa.* III). Labores etenim manuum suarum manducabit, et bene ei erit. *Impio autem væ in malum; retributio enim manuum suarum fiet illi* (*ibid.*). Sicut rapuit, sic rapietur. *Væ qui prædaris; nonne prædaberis?* (*Isa.* XXXIII.) Et sicut percussit, sic percutietur ; sicut clausit manum suam mendico, sic claudetur ipsi mendicanti. Hæreditas ergo avari, nepotes illius, maligna erit illi. Hæreditas avari spelunca hyenæ fiet illi. Hæreditas avari, qui mori non potest, ignis inexstinguibilis illi. Misericordibus autem funes ceciderunt in præclaris : etenim hæreditas eorum præclara erit illis : ad quam nos perducere dignetur misericors et benignus Jesus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO L.

IN EODEM FESTO II.

Nolumus vos, charissimi, conversationis vestræ formulam et vitæ auctoritatem prorsus ignorare. Multi namque alienæ vitæ curiosi, et suæ mortis securi, simpliciores quos reperiunt, inanibus quæstiunculis fatigant, et serpentina voce ad primam parentem assumpta. Quare, inquiunt, præceptum est vobis sic laborare, sic abstinere, sic hominibus obedire, sic ab hominibus silere, sic seorsum conventicula cogere, sic communem vitam hominum spernere? O! aut otiosa, aut maliciosa curiositas! *Quare*, inquit diabolus ad Evam, *præcepit vobis Deus, ne comederetis ex ligno scientiæ boni et mali?* (*Gen.* III.) Simplicem mulierculæ sensum astuta malignitas tali cavillatione pertusum irrepsit; et cum nesciret tenera simplicitas divinæ jussionis rationem reddere, non valuit callidæ persuasionis allegationem refellere. Ideo, dilectissimi, sicut beatus ait apostolus Petrus, paratos vos cupimus, et edoctos omni poscenti vos rationem reddere, de ea quæ in vobis est conversatione et obedientia (*I Petr.* III). Olim vero, nisi vobis excidit, de re ista verbum vobis fecimus; sed quia in hoc apostolorum Natali, undique fratrum numerus solito copiosior affluxit, repetere nobis haud erit pigrum, quod vobis credimus necessarium. Itaque quod manibus laborantes terram operamur, forma est protoparentis Adæ, non quidem in paradiso peccantis, sed extra pœnitentis. In paradisi namque otio, et rerum omnium opulentia, oborta est culpa, quæ Dominum irritavit. Extra paradisum suscepta est pœna, quæ servum juste mulctavit. Melior igitur pœna in exsilio, quam culpa in paradiso. Ideo ergo quia peccatores et filii peccatoris secundum carnem adhuc sumus, in carne sententiam damnatæ carnis non respuimus : et in sudore vultus nostri pane nostro vescimur. Ne autem totus labor hominis sit

in ore ejus, manibus nostris operosius laboramus, ut sit, unde tribuamus necessitatem patienti. Quare cum silentio? Quia in multiloquio non effugietur peccatum, quia hoc admonuit Apostolus, quia ante Apostolum propheta dixit : *Obmutui, et humiliatus sum et silui* etiam, *a bonis : et dolor meus renovatus est* (*Psal.* XXXVIII). Nihil magis extra se cor hominis effundit, quam multiloquium; nihil citius incurrit vaniloquium, aut stultiloquium, aut etiam turpiloquium, quam multiloquium. Ideo propter multiloquium fugiendum, silemus etiam a bonis, ne detur occasio malis.

. . . . . . *Tectus magis æstuat ignis.*
(OVID. *Met.* l. IV, vers. 64.)

Unde motus animi, si verbositate foras non effunditur, jugi rotatu, sicut flamma ignis, intus circumvolvitur; omniaque interioris conscientiæ perlustrans, ea offendit de quibus ei dolor compunctionis salubriter renovatur. Cor quoque quia foris non evaporat, intus concalescens ex igne compunctionis urente, ignem creat lucentem, quem in meditatione sursum dirigit. *In meditatione*, inquit, *mea exardescet ignis* (*Psal.* XXXVIII). Sic fit ut qui silere foris hominibus didicit, ipsi Deo intus loqui incipiat. *Locutus sum*, inquit, *in lingua mea : Notum fac mihi, Domine, finem meum* (*Ibid.*).

Præsentium contemptor, et quæ retro sunt oblitus, de fine interrogat : ecce quare cum silentio. In obedientia autem quare? Istud *Quare* primum adinvenit diabolus. Diabolus enim obedientiæ præceptum primus discutere cœpit : *Quare*, inquit, *præcepit vobis Deus, non comedere de ligno scientiæ boni et mali?* (*Gen.* III.) Antehac homo simplex simpliciter obedierat, non tam propter præcepti rationem, quam ob præcipientis auctoritatem. Sicut enim fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum, sic obedientia a virtute humilitatis evacuatur, cum ei ratio præcepti astipulatur. Vis tamen audire, quare ad alienum aut laboramus, aut pausamus arbitrium et imperium? Quia in hoc nimirum imitatores sumus Christi, sicut filii charissimi; et ambulamus in dilectione, qua dilexit nos, qui ad omnia factus est obediens propter nos, non solum ad remedium, sed ad exemplum, ut quemadmodum ille fuit, sic et nos simus in hoc mundo. In hoc enim, ut beatus ait Joannes, est fiducia. Factus est ergo obediens per omnia, non solum Patri usque ad mortem, sed Mariæ et Joseph, usque ad prælationem. Cum enim paterna vocatione dicente : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit : ipsum audite* (*Matth.* XVII), ad prælationem vocaretur, tunc primum cœpit aliis præesse, qui diu didicerat aliis subesse; cœpit jubere, qui didicit obedire. Præterea recompensatio iusta videtur, ut qui in paradiso dedignatus est regnare dominus sub Domino, in exsilio jam serviat servus sub conservo. Conditio enim naturæ statuit hominem sub Domino : transgressio obedientiæ subjugavit eum inimico; reconciliatio vero gratiæ supposuit fratri conservo. Natura subdidit eum Deo, culpa diabolo, reconciliatio vero homini amico. Et quare, inquis, in abstinentia ciborum, quos creavit Deus ad hominum usus? Et hoc audi breviter. Quia illicitis licenter, et licitis illicenter aliquando usi sumus; illicitis modo nunquam, licitis parcius utimur. Quia

. . . *sine Cerere et Baccho* [*Libero*] *friget Venus*,
(TERENT. *Eun.*, act. 4, sc. 5, v. 6.)

carnisque superbiam potus cibique parcitas terit, etiam a concessis temperamus. Omnia quidem licent, sed non omnia expediunt. Paulus castigat corpus suum, et in servitutem redigit, et quomodo voratores carnium, ac vini, in quo est luxuria, potatores, de castitate sibi blandiuntur? Utique non invenitur in terra suaviter viventium; et nos mollibus induti, et in pluma defossi, totam stertimus noctem. Vis audire jejunii virtutem? Dirissimum dæmoniorum genus non ejicitur, nisi in jejunio et oratione. Salvator quoque cum diabolo jejunus confligit in deserto (*Matth.* IV). Audi etiam breviter unius abstinentiæ fructum triplicem : *Qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris et præmia* (*Præfat. miss.*). Ecce abstinentiæ nostræ ratio. Sed dicis : Si tanta est in cibo ac veste ariditas et districtio, quare in laboribus tanta est corporis exercitatio, tanta in acquirendis rebus negotiatio? Quoniam qui multum laborat, et multum acquirit, ut multum vescatur, ventri suo tantum servit, et illi soli negotiatur : ideoque ut sit, unde tribuatur necessitatem patienti, ut alii possint in labores nostros, aut nobiscum, aut post nos introire. Quare seorsum ab hominibus? quia colloquia mala corrumpunt bonos mores. Et quare plures simul? quia nondum sufficimus ad solitudinem, et, ut si ceciderit quis, habeat sublevantem se : item frater fratrem adjuvans, exaltabitur, sicut civitas munita et fortis : denique quia bonum est et jucundum, habitare fratres in unum (*Psal.* CXXXII). Quod ergo manibus operantes, in sudore vultus nostri vescimur pane nostro, forma est pœnitentis Adæ; quod super hoc familiam habemus, et pecora, Patriarcharum est imago. Patres enim nostri, ut ait quis, pastores ovium fuerunt.

Itaque de labore proprio ac familiæ, et nutrimento pecorum vitam transigere, sicut non est a rectitudine devium, sic non est auctoritate vacuum. Quid igitur negotiantur quidam, et mendicant, stipantes nundinas, curias frequentantes? Breviter respondeo : *Quod amplius est, a malo est* (*Matth.* V). Nuper tamen duplex religiosorum genus emersit : et quod retro sæcula nescierunt, hæc ferventia nostra tempora pepererunt. Sicut enim eorum, qui trutanni dicuntur, duo sunt genera (alii enim circumeunt et perambulant terram, mendicantes ubique, multis et miris modis simulationum et dissimulationum falsi ac fallentes; alii vero in triviis, et in ingressibus templorum tabernacula figunt, omni astu simulationis ac dolositatis priores exsu-

perantes), sic religiosorum nonnulli sub obtentu sanctitatis, fictis verbis de mundo, cui mortui sunt, vivacissime negotiantur : omnia penetrantes, omnia pererrantes, nihil intentatum relinquunt, a quibus mundus vim patitur, et violenti diripiunt illum; quatenus etsi non ex eo quod amici sunt homines, ex improbitate tamen surgunt, et donant plusquam tres panes. Isti vero sicut semper mendicantes, ita et semper manduci : quippe quod de facili eis constat, facile profligantes. Alii vero opulentam captantes viciniam, prope refertas urbes et oppida populosa nemusculis se immergunt, fossatis cingunt, et summopere caventes ab hominibus, arte mirifica quo se arctius occulunt, carius se vendunt. Manibus modicum laborant, omnino nihil nutriunt, alienis semper manibus inhiantes, nihil respuunt. Evangelicæ volucres, quæ nec serunt, nec metunt, nec in horrea congregant, et pater cœlestis pascit eas. Pascit quidem, dilectissimi, Dominus aves, sed tamen hominibus importunæ sunt, quorum laboribus insidiantur.

Ideo magis attendamus ad illam nobilem veritatis sententiam, qua dicitur : *Beatius magis esse dare quam accipere* (*Act.* xx), et, cum multo sudore laboremus, quod cum multa charitate donemus. Nutriamus etiam diligenter quod tribuamus libenter. De nostro potius quam de alieno ædificemus Deo templum, et servitoribus ejus congruum habitaculum, magis semper exsultantes et gratias agentes, cum dederimus, quam cum acceperimus; alios quoque cum susceperimus, quam cum ab aliis suscepti fuerimus, sicut scriptum est : *Date eleemosynam, et omnia munda erunt vobis* (*Luc.* xvii). Et alibi : *Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam* (*Isa.* lviii). Ita et patres nostri hospitalitatis gratiam sectantes etiam angelos hospitio excipere meruerunt. Quod autem castimoniam professi, absque conjugibus et liberis, etiam absque proprietate in commune vivimus; uni omnes obedientes, et ab eo, prout cuique necessarium est, omnia exspectantes, beatorum apostolorum, et ipsius in Jerusalem primitivæ Ecclesiæ proculdubio forma est; quibus cum communione substantiæ, erat etiam cor unum, et anima una; quorum inæstimabilis fervor de camino in Jerusalem a Spiritu sancto, die sancto Pentecostes succenso, sicut scriptum est : *Cujus ignis in Sion, et caminus in Jerusalem* (*Isa.* xxxi), longo temporis tractu refrigescente charitate, et abundante iniquitate, de die in diem evaporatus, adhuc in hujusmodi cœnobiis tenuiter fumat, et exstincti fere incendii nonnulla quasi vestigia indicat, et magnorum carbonum minutias quasdam monstrat. Hæc sunt hodie, charissimi, *sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis* (*Psal.* cxix, 4); quas apposuimus vobis *ad linguam dolosam* (*ibid.*, 3): quæ in omnibus, quare hoc et hoc facimus, labiis iniquis, et lingua dolosa quæritant; et quare facti sint ipsi, non curant. Ita non præsumptiones novitatum secutus, super fundamentum apostolorum et pro-

A phetarum ædificatus est Ordo noster : cujus ædificatio, toto ferme terrarum orbe sicut est dies hæc constructa, crevit in templum sanctum in Domino, in quo et vos loco et tempore vestro coædificamini in habitaculum Dei, in Spiritu sancto, ipso operante qui omnia operatur in omnibus Deus : cui est honor et gloria, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LI.

IN ASSUMPTIONE BEATÆ MARIÆ.

In omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor, etc. (*Eccli.* xxiv). De hodierna solemnitate, id est beatæ semper Virginis Assumptione, quid proprie dici queat, difficile invenitur. Patrum namque inclusi limitibus, quos prætergredi prohi-
B bitum est, nihil aliud definire audemus, nisi quod hodierna die, (sive cum corpore, sive sine corpore, nescio, Deus scit), non ad tempus rapta, nec ad tertium tantum cœlum, si plures sunt cœli; sed ad perpetuam et felicem mansionem, ad summum cœlorum cœlum assumpta sit. Assumpta quidem ab eo qui de ea carnem sumpsit in terris, cui soli eam subordinaret in cœlis. Post ipsum etenim ventris sui fructum sic eam credimus ordinatam in cœlis, et locatam, vel si nondum adhuc surrexit, locandam, ut proxime post illius dilectam animam, et ipsius anima disponatur ad sapientiam; et post illius corpus, ipsius quoque corpus ad gloriam. Ipsa ergo jure in generationibus justorum prima residet : quæ primogenitum omnium proprie gene-
C ravit. Ipse quippe primogenitus est in multis fratribus, qui cum esset natura unicus, gratia conciliavit sibi plures, qui cum eo sint unus. *Dedit* enim *potestatem filios Dei fieri*, his qui recipiunt eum (*Joan.* i). O amabilis et admirabilis potestas! O si liceret, et potis esset pauper et ignobilis, locupletem et generosum sibi pro voluntate eligere genitorem; quis non curreret, quis non festinaret ad reges et principes hominum? Et quidem filii Dei fieri possunt, quotquot volunt. Et quare hoc, rogo, nisi quia Filius Dei, fieri pauperis filius voluit, ut sua paupertate multos ditaret? Sed et hoc quis faceret Filius Regis et divitis, ut gratis semetipsum exinaniret; et fieret ipse propter alios filius egeni
D et ignobilis? Factus autem egenus, quomodo posset alios ditare? factus ignobilis, quomodo nobilitare? Manens igitur nobilis nollet descendere, factus ignobilis non posset sublimare. Dei vero charitas incomparabilis, et potestas inæstimabilis, quasi et hoc sicut voluit, potuit. Sicut enim, quod stultum est Dei, et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus; sic quod egenum est Dei, locupletius est hominibus; et quod ignobile est Dei, nobilius est hominibus. Factus igitur filius pauperis, multos fecit filios divitis; factus filius ancillæ, multos fecit filios nobilis; factus denique hominis filius, multos fecit Dei filios. Multos igitur conciliavit sibi, ut dictum est, sua charitate, et potestate unicus: qui cum carnali generatione in seipsis sint plures, di-

vina tamen regeneratione cum ipso sunt unus. Unus enim totus ac solus Christi caput et corpus: unus autem is unius Dei in cœlis, et unius matris in terris; et multi filii, et unus filius. Sicut namque caput ac membra, unus filius, et plures filii, sic Maria et Ecclesia una mater, et plures; una virgo, et plures. Utraque mater, utraque virgo; utraque de eodem Spiritu sine libidine concipit; utraque Deo Patri sine peccato prolem fundit. Illa absque omni peccato corpori caput peperit; ista in omnium peccatorum remissione capiti corpus edidit. Utraque Christi mater, sed neutra sine altera totum parit. Unde in Scripturis divinitus inspiratis, quod de virgine matre Ecclesia universaliter, hoc de virgine Maria singulariter; et quod de virgine matre Maria specialiter, id de Virgine matre Ecclesia generaliter jure intelligitur, et cum de alterutra sermo texitur, fere permistim et indifferenter de utraque sententia intelligitur. Unaquæque etiam fidelis anima, Verbi Dei sponsa, Christi mater, filia, et soror, virgo et fecunda suapte ratione intelligitur. Dicitur ergo universaliter pro Ecclesia, et specialiter pro Maria, singulariter quoque pro fideli anima, ab ipsa Dei sapientia, quod Patris est Verbum.

In omnibus requiem quæsivi, etc. Ubique et in omnibus divina sapientia est, quæ a fine usque ad finem, id est ab omnium principio ad usque omnium finem, attingens, sua ubique pressit vestigia, quibus investigari et inveniri possit; sed in solis mentibus sua imagine et similitudine præditis requiescit ac jocundatur, aut laborat et molestatur: Unde de quibusdam conqueritur dicens: *Laboravi sustinens* (*Isa.* I), et alibi: *Quia molesti estis et Deo meo* (*Isa.* VII). De aliis quidem cum quibus pausat ac requiescit, dicit: *Noli mihi molestus esse, ecce pueri mei mecum sunt in cubili* (*Luc.* XI). Sicut enim similia de similitudine in consimilibus naturaliter magis gaudent; sic de similitudine in consimilibus inventa plures naturaliter dolent. Quomodo ergo sic falli potuit sapientia, ut in omnibus mentibus videlicet requiem quæreret, quam in paucis aut omnino nullis plene inveniret? Sed quod mirabilius est, eo usque incrassata est et impinguata, quæ de subtilitate cerebri Jovis nata est illa Minerva, ut in arbore etiam ficus fructum quæreret (et fortasse non in tempore fructus) et non inveniret? tempus est enim omni rei sub cœlo; nam super cœlum sicut nec temporalis, ita nec tempus. In solis ergo sapientibus requiescit sapientia. *Thesaurus desiderabilis*, ait Sapiens de sapientia loquens, *requiescit in ore sapientis* (*Prov.* XXI): stulto autem gravis est et contraria, et ideo odit eam, ac substantiam quam cum patre et fratre posset domi habere quietam et opimam, in regione longinqua profugus, luxuriose vivendo profligat. Sapientem autem non solum facit rerum cognitio, sed bonarum electio, et malarum reprobatio. Hinc etenim de butyri et mellis alumno rite dicitur: *Ut sciat reprobare ma-*

A *lum, et eligere bonum* (*Isa.* VII). Tale siquidem rationalis animæ triclinium, ubi habitaret et requiesceret, ædificavit sibi sapientia, id est rationale, irascibile, concupiscibile, quatenus per rationem discerneret inter amicum et inimicum, inter virum et mœchum; et per irascibilitatem utrarumque hostem puta rationis et concupiscentiæ, aut non admitteret, aut incaute admissum zelo forti ejiceret; per concupiscibilitatem solum amicum et legitimum virum et desideraret, admitteret, diligeretque, et ei soli secum requiem præstaret.

De ratione igitur scientia oritur, de irascibilitate reprobatio, de concupiscibilitate electio. Sapiens ergo qui scit per rationem bona et mala, et reprobat oditque per zelum omnia mala; eligit autem,
B amatque per concupiscibilitatem sola bona, sapientiæ in se domum ædificat, et requiem præstat. Thalamum quoque collocat, aut cubile parat, ubi secretius delicietur et pauset, juxta quod studiosiorem, et ferventiorem, et affectuosiorem in istis se exhibet. In omnibus igitur jure requiem quærit, qui omnes in quibus requiescere posset, tales creavit. Sed in omnibus requiem minime invenit, quoniam non omnis in eo quod acceperat, *permansit*. Ipse autem quod commendarat, quare non repeteret? quod exhibuerat, quare non exigeret? ubi seminarat, quare non meteret? Sic nimirum Adam, quem ante peccatum in paradisi claritate et luce posuerat, post peccatum ibidem quæsivit; quem
C cum ibi minime reperisset, fugerat enim propter peccatum ad latebras, clamore persecutus ait: *Adam, ubi es?* (*Gen.* III.) Ac si diceret: Ubi te posui, non es; et ubi es, non te posui. Non sequor ad tenebras, non sequor ad umbram, quem *in luce* et claritate dimisi. Sed quid facimus, fratres? utique omne commissum nec simpliciter, sed cum fenore quia multiplicandum tradidit; omne quod donavit, sapientia juste exigit, et quod posuit quærit. Lascivia quidem cum meretricibus luxuriose vivendo totum profligavit: infirmata in paupertate virtus nostra, quod consumptum est, simpliciter et sine lucro reportare nequit. Procul dubio quos justitia veraciter accusat, judicium districte condemnat, nisi sola misericordia misericorditer intercedat.
D Justitia totam exigit, malitia totum absumpsit, infirmitas nihil restituit, judicium nihil remittit. Veniat igitur, et interveniat misericordia, obviam justitiæ, quoniam tempus miserendi, juxta quod tempus et tempus omni rei sub cœlo, ut prosequens apprehendat Adam errantem, sicut ovem pereuntem in deserto: quem persecuta olim justitia deprehendit sub arbore latitantem in paradiso. Veniat prope usque ad tenebras et umbram mortis misericordia, quærere, quod perierat, quia in luce manens justitia in umbra absconsum perditum a longe per clamorem increpat, *Adam, ubi es?* Ubi est miseria, veniat misericordia, quia ubi est injustitia, venire non potest justitia. Veniat denique ipsa sapientia præparare misericordiæ solium,

quæ olim ædificavit justitiæ domum. *In misericordia*, inquit, *præparabitur tibi solium* (*Isa.* XVI). In justitia namque in sanctis angelis paravit sibi sapientia solium excelsum, in hominibus vero in misericordia elevatum: unde et Isaias justum et misericordem Dominum sedentem contemplatur super solium excelsum et elevatum.

Veniat ergo misericordia, et de vetusta ac ruinosa domo ventis et pluviis patula, volucribus cœli ac bestiis silvæ exposita; in qua homo habitare non audet, et Filius hominis non quiescit, novum sibi arte nova renovet habitaculum, ubi Filius hominis caput reclinet, et interim paululum pauset, sicut scriptum est: *Dormite jam, et requiescite*; et continuo: *Surgite, eamus hinc* (*Matth.* XVI). Modica enim et brevis hic est requies sanctorum, labor vero magnus ac fere continuus. Veniat tandem ad vetustum æternus, et ut veterem renovet innovans omnia, quodammodo ipse inveterascat, et sicut arte nova ac inaudita, inclinata est æterna majestas, ut in nos novi capitis altitudo totum corpus innovans superveniret; obscurata quodammodo et obumbrata lux, ut cæcis et antiquis tenebris nova lux oriretur: sic quodammodo æternitas inveterata est, ut inde veteribus novitas nasceretur; et sicut sua exinanitione vacuum replevit, sua paupertate egenum ditavit, sua stultitia fatuum erudivit, sua infirmitate debilem roboravit, sua captivitate captivum redemit, suis vinculis ligatum solvit, sua denique morte mortuum vivificavit: sic sua vetustate veterem innovavit. Ubique enim quod minus est Deo, majus est hominibus. Nonne igitur per vetustatem Dominus novam de vetere hæreditatem, in qua moraretur; et tabernaculum, ubi requiesceret, arte nova renovavit: qui in omnibus ante requiem quæsivit, et nusquam invenit? Unde et sequitur: *Et in hæreditate Domini morabor.* Hæreditas enim Domini, universaliter Ecclesia, specialiter Maria, singulariter quæque fidelis anima. In tabernaculo uteri Mariæ moratus est Christus novem mensibus; in tabernaculo fidei Ecclesiæ usque ad consummationem sæculi, in cognitione et dilectione fidelis animæ in sæcula sæculorum morabitur. Unde sequitur:

Tunc præcepit, et dixit mihi Creator omnium, etc. (*Eccli.* XXIV.) Vox ipsius hæreditatis. Cum enim ubique, sicut dictum est, requiem quæsivisset, et nusquam invenisset; tunc sequestravit sibi populum Judæorum in hæreditatem, cui per Moysen præcepit et dixit, id est præcepta dictavit. Et qui creavit hac secunda creatione Synagogam matrem Ecclesiæ, requievit in tabernaculo suo, id est in tabernaculo fœderis; in Ecclesia autem similiter nunc in sacramento sui corporis. Cum etiam per omnes mulieres, de qua nasceretur, quasi quæsisset, selectim assumpsit sibi Mariam; unde et benedicta dicitur in mulieribus: et tunc per Spiritum sanctum intus præcepit illi de contemptu commistionis carnalis, de amore virginitatis, et per archangelum Gabrielem dixit ei

A foris, quod Christum conciperet de Spiritu sancto, quem jam intus habebat. Et postea qui creaverat eam novam creaturam in seipso, requievit in utero suo Christus. Unicuique etiam fideli animæ ad salutem prædestinatæ quando vult, et quomodo vult, et intus per propriam rationem, qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, et per inspirationem gratiæ, qua pluviam voluntariam segregat hæreditati suæ, et foris per doctrinam et creaturam, ubi quæ per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, præcipit et dicit Sapientia; et quæ sic creat et format eam in Christo Jesu in operibus bonis, requiescit in conscientia ipsius. *Et dixit mihi: In Jacob inhabita, et in Israel hæreditare* (*Eccli.* XXIV). Vox Patris ad sapientiam Christum.
B Sapientia habitat in Jacob, hæreditatur in Israel; sed in solis et in omnibus electis Patris sui mittit radices. Omnis enim plantatio, quam non plantavit Pater cœlestis, quantumvis crescat, quantumvis floreat, tandem eradicabitur. Neque enim Filii est dare regnum, nisi quibus paratum est a Patre (*Matth.* XX). Non igitur ubicunque sapientia habitat, hæreditatur; nec ubicunque hæreditatur, mittit radices. Cadent enim ab hæreditate mille, et de habitaculo decem millia; ad electos vero non approximabit ruina: generatio enim cœlestis tanquam radix fortissima conservat eos. Vel, si placet, in activis habitat, qui, supplantatis vitiis, bonis desudant in operibus; et in contemplativis jam quasi hæreditatur, qui bonam partem elegerunt, quæ non
C auferetur ab eis. In utrisque vero electis mittit radices sapientia, quæ contra omnem impetum et vim vextorum servaverat utrosque. Et secundum hunc modum cæteræ distinctiones, ordinibus licet permutatis, facile currunt. Verumtamen in Ecclesia actio et contemplatio duæ vitæ, in Maria circa Christum duo plenissima officia: in singulis nobis utilissimæ permutationes et vicissitudines necessariæ. Quod enim caret alterna requie, interim durabile non est. Quod et in nobis adimplere dignetur per intercessionem beatæ Mariæ Christus: qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LII.

IN EODEM FESTO II.

D *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* (*Cant.* VIII.) Ferme in principio epithalamii hujus apparet nescio quæ mirabilis, quasi in deserto jacens, ardens et fumans, ignem in se retinens occultum, fumum sursum dirigens manifestum, tanquam virgulam, odoriferum quoque, tanquam ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii: de qua dicitur: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi?* (*Cant.* III.) In progressu vero alia quædam, aut fortasse propter profectum virtutis eadem, *quæ* jam *consurgens progreditur*, nec tota statim clara aut lucida, sed *quasi aurora* (*Cant.* VI), quæ de confinio noctis diescit in claram lucem.

Pulchra quoque *ut luna*, quæ tota non est pulchra; *electa* etiam *ut sol* (*Cant.* VI), qui licet totus lucidus, non tamen totus placidus. Fulget enim et torret, et quantum quidem ex fulgore placet, tantum quandoque ex fervore nocet. Sunt enim aliqua in rerum naturis, quæ lucem solis eligunt, sed calorem refugiunt; et nonnulla quæ calore foventur, luce autem offenduntur; quibus calor amicus, splendor contrarius; splendor amicus, calor contrarius. *Terribilis* tandem, *ut castrorum acies ordinata* (*ibid.*), sed nondum pacata. Acies quidem ordinata esse potest, sed dum acies est, secura et omnino pacifica, vel pacata esse nequaquam potest. Circa finem vero tertia cæteris mirabilior et excellentior apprime, nec jacens et fumans per desertum, nec consurgens et progrediens de deserto, apparet; sed virtute multa et alacritate mira ascendens de deserto, tota non dico circumdata aut plena deliciis, sed superabundans et affluens, præ nimia teneritudine seipsam non sustinens, sicut Esther illa regina ascendens de triclinio feminarum in palatium regis Assueri (*Esther* XV), innixa et incumbens super dilectum suum. Et hæc fortasse est ista regina mundi, quæ hodie de hoc mundo et sæculo nequam eripitur; quæ in præsentis Ecclesiæ triclinio super conjuges et viduas cum virginibus tota et ornata, et his omnibus amplius. Quia etsi multæ filiæ congregaverunt divitias, ista supergressa est universas. Hodie rogatura pro populo ingreditur ad regem Filium, et sponsum suum : cujus faciem majestatis nec mater ipsa tolerat, nisi et rex in signum clementiæ auream virgam porrexerit. Nisi enim divinam ac immensam majestatem connaturalis et coæqualis contemperaverit bonitas, intolerabilis et inaccessibilis est omni creaturæ. Ante hanc quippe prophetæ corruunt, et cum ab ipsa per clementiam tandem eriguntur, diu languent et marcescunt; virtutes quoque cœlorum in fine movebuntur, et trement. Securius tamen omnibus mater ad filium ingreditur; nec tam quia sola genuit, quam quia singulariter dilexit. *Innixa*, inquit, non super filium, sed *super dilectum*. Potest enim filius esse, vel frater, vel pater, vel sponsus, vel quilibet hujusmodi, et non diligi; dilectus autem omnino non potest esse, et non diligi.

Ascendit igitur hodie Maria de mundi hujus deserto; non sine admiratione cœlestium virtutum, quæ tale aliquid antehac non viderunt, ut supra earum omnium choros et sedes de hoc mundo aliquis evolaret ac resideret. Unde et dictum est : *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens?* Deliciæ sunt virtutum fructus, quæ dum pullulant, aut florent, aut immaturos adhuc fructus formant, habent aliquid amaritudinis, et difficultatis, et mœroris; sed exercitatis ad extremum per eas pacatissimum ac suavissimum ferent justitiæ fructum. Sicut enim tempore maturitatis, rejectis corticibus, apertis testis, ad nuclei tandem suavi-

A tatem ac dulcedinem pervenitur; et quod diu elaboratum est, cum suavitate et lætitia carpitur, sic nimirum post hanc vitam exercitiis virtutum omnimodis evacuatis, in ipsis solis et puris et nudis deliciabimur. In quibus quoniam in hac vita beata Virgo Maria plus omnibus floruit (unde merito in Nazareth de ipso Spiritu sancto immediate concepit), in illa cœlesti sede, tanquam in domo panis, abundantius omnibus deliciis affluit, innixa ubique super dilectum, quem felicius fide et dilectione, corde quam carne gestavit. Unde et dictum est : *Quinimo, beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud* (*Luc.* XI). Interim autem donec metat myrrham suam maturam sponsus cum aromatibus suis, frequenti visitatione descendat in hortum

B nucum, ut inspiciat si florent vineæ, et germinan mala Punica. Præterea, charissimi, in nobis ipsis per profectum spiritualis conversationis ascensiones hujusmodi non incongrue quotidie deprehenduntur, juxta quod scriptum est : *Ascensiones in corde suo disposuit*, etc. (*Psal.* LXXXIII.) Et alibi : *Qui nos conregnare fecit, et consedere secum in cœlestibus* (*Ephes.* II). Est igitur animæ rationalis sicut mystica quædam mors, sic nativitas, resurrectio, ascensio et regnum; et omnia ferme celebrantur intus mysterialiter, quæ foris aguntur historialiter. Moritur ergo anima Deo per inobedientiam, et nascitur diabolo et mundo. Unde est : *Maledictus vir, qui nuntiavit patri meo, dicens : Natus est tibi puer masculus* (*Jer.*

C XX). Malum est ut nascatur filia diabolo, pejus ut nascatur masculus. Moritur quoque anima diabolo; et nascitur Deo per pœnitentiam.

Primus itaque motus est in peccatis mortui ad vitam contritio cordis : quæ dum jugi præcedentium malorum inspectione compungitur, et dolore accenditur; quasi quemdam intus gehennæ ignem creat, qui sursum per confessionem oris fumat. Et quoniam sicut contritio cordis absque confessione oris non sufficit, sic confessio oris sine emendatione operis non proficit. Apponuntur aromata, ut fumum bene redolere faciant, et confitentem peccata sua, operum suavi redolentia correctum cunctis ostendant, maxime autem myrrhæ et thuris; quia omnium dæmoniorum dirissimum genus jejunio et

D oratione facile ejicitur : universi etiam pulveris pigmentarii, quia post compunctionem cordis et confessionem oris, carnis quoque afflictionem, et puram ad Dominum orationem, negligi non oportet eleemosynarum largitatem; quæ tanquam pulvis de terrena substantia, quæ necessitati superfluit, minutatim dispergitur. *Dispersit*, inquit, *dedit pauperibus* (*Psal.* CXI). Et quid sequitur? *Justitia ejus manet in sæculum sæculi*. Ergo talem conversationem pœnitentis sequitur justitia, de valle lacrymarum consurgens, et progrediens videlicet aurora. *Date*, ait Salvator, *eleemosynam et omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI). Verumtamen ea est eleemosyna ordinata, quæ seipsam minime præterit, quæ sibimet prius meminit, sicut scriptum est : *Miserere*

animæ tuæ placens Deo (*Eccli.* xxx). Itaque, frater, per contritionem, confessionem, mortificationem, et orationem, tui et Dei optime memineris; per eleemosynam vero, proximi pie recorderis; et per pœnitentiæ gratiam cuncta restauras, qui per transgressionis offensam te, ac Deum, et proximum profligaras; quemque compunctio de mortuis ad vitam in vulva concepit, confessio edidit; cui abstinentia umbilicum præcidit, ratio lavit, eleemosyna sale salivit, justitia tandem mundum suscipit, et virtutum pannis involvit, vestitumque de tenebris ad lumen trahit. Fumus namque odoris quidpiam habere potest, sed splendoris nihil potest : aurora vero aliquid habet lucis, quæ primus est ad gloriam justitiæ progressus; luna autem fere tota lucet. Sol quidem tenebrarum nihil habet, acies autem ordinata etiam terret. Ita quippe primus est justitiæ gradus, in semetipso per innocentiam justitiæ lumen habere; secundus, per operationem bonam, aliis ut ipsum sequantur lucem præbere; tertius, justitiæ zelo in lucidos, ut plus luceant, fervere; quartus sua incomparabili luce, et intolerabili quadam majestate terribilem apparere.

Verumtamen vix innocentia hic plena possidetur, et vera, quæ nec sibi nec cuiquam nocet; nec operatio absque omni fuco facile splendet; zelusque sine omni impetu difficile fervet; ordinataque congeries auctoritate pacifica rarissime terret. Unde necesse fuit apparere adhuc tertiam, quæ tota deliciis affluat, neminem sicut sol urat per diem, aut ut luna per noctem, id est aut operatione aut increpatione scandalizet; cunctos sua mansuetudine et venustate demulceat, et placet : de quali scriptum est : *Et invenit gratiam in conspectu omnis carnis. Magnificavit eum in conspectu inimicorum, et in verbis suis monstra placavit* (*Eccli.* XLII, XLV). Vidimus tamen hominem, habentem utique aliquid super hominem : de cujus operatione aut increpatione cum aliqui perusti contra absentem murmurassent, tanto placore simul et terrore divina ei quædam amanda majestas et reverenda charitas rutilabat in vultu; et in labiis tanta erat gratia diffusa, ut in ejus aspectu illico deliniti, semetipsos quod eum reprehendissent, reprehenderent; ipsius omnia amarent, laudarent, prædicarent. Cujus sancta anima deliciis vere affluebat, sicut in ejus scripturis facile est dignoscere; et maxime in his quæ in Canticis canticorum scripsit. Sanctum namque Bernardum abbatem Clarævallis loquimur. Ergo quibus erat absens, sol et luna et acies erat terribilis, præsens perfundebat, quibus ipse semper affluebat, deliciis : ita cunctis et amore terribilis et terrore amabilis, ut nemo in ejus verbo vel disciplina, ulla pusillanimitate deficeret, aut impatientia ureretur, aut tabesceret invidia. Hic igitur, dilectissimi, est in hac vita supremus justitiæ gradus. Primus etenim est innocentia, quæ nemini malum facit. Secundus munificentia, quæ quibus potest bene facit, omnibus autem bene cupit, quibus valet benefica, omnibus benevola. Sicut enim eleemosyna peccatoris peccata redimit, sic misericordia justi ipsum ad majorem justitiam excolit, ut qui justus est justificetur adhuc (*Apoc.* XXII) : peccatoris autem avaritia eum deorsum semper mergit, ut qui in sordibus est sordescat adhuc (*ibid.*). Tertius zelus, ubi paranymphus amore sponsi fervens, sponsam ab amore tepere non sinit. Quartus auctoritas, quæ absque alia potestate, sola virtutis gratia et sanctimoniæ fama venerabilis cunctis existit. Quintus charitas, quæ super omnia omnibus gratiosa et amabilis existit; speciosa per profectum justitiæ, et suavis per summum in deliciis suis. Sicut ista sancta Dei Genitrix in vita sua, et amplius hodie in morte sua, quæ ad Filium suum hodie ascendit, ubi pro nobis orare dignetur ipsum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LIII.

IN EODEM FESTO III.

Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me (*Psal.* LXXII). Tria dixit, *tenuit, deduxit, suscepit.* Tenuit, ne caderet; deduxit, ne erraret; suscepit, ne deficeret. Tenuit igitur ad statum, deduxit ad profectum, suscepit ad perfectum. Sed quis, quem tenuit; et quomodo deduxit, aut suscepit? Tenuit, inquit, dexteram, deduxit in voluntate; suscepit in claritate. Tenuit in fide, deduxit in spe, suscepit in re. Vox interim est fidelis animæ ereptæ de laqueo venantium; quæ laqueo contrito liberata est, et assumpta gratias agit liberatori suo, donec simul omnis Ecclesia in fine hæc psallat, considerans ubi jacuerit et qualis, qua transierit et quomodo, ubi locata sit et a quo, quo demersa fuerit et quare. Horum siquidem omnium contemplatio ei valebit, ac semper ad gratiarum actiones de novo instaurabit. His etenim articulis omnis Scriptura divina distinguitur, maximeque psalterium; quod additis duobus, id est unde primum in casum venerit, et qualiter, decachordum plenissime invenitur. *In psalterio*, inquit, *decem chordarum psallite ei* (*Psal.* XXXII). Dicat ergo, et altius psallat Virgo Mater Maria, quæ supergressa est universas, gratias agens filio carnis suæ, fratri gratiæ suæ, secundum quod est primogenitus in multis fratribus; patri naturæ suæ, domino vitæ suæ, redemptori animæ suæ, tentori tandem status sui, ductori profectus sui, susceptori hodie spiritus sui : dicat : *Tenuisti manum dexteram meam.* Sinistra manus vita carnis, et prosperitas ipsius. Hanc quodammodo dimisit, qui eam paupertati, dolori, infirmitati, morti exposuit; sed ubique dexteram tenuit, qui in omnibus animam servavit, patientiam dedit, meritum auxit. Quorumdam sinistram Dominus tenet ac dextram dimittit, quorumdam dexteram tenet et sinistram dimittit; quorumdam utramque dimittit, paucorum omnino utramque tenet. *Tenuit* ergo, inquit, *dexteram meam.* Ubi sunt qui de sinistra conquerun-

tur? Mater Christi de sola dextra gloriatur, et pro suavitate et abundantia gloriæ, in qua suscepta est, etiam quæ passa est inter lucra enumerat. Experimento enim jam didicit, quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Talis quidam patrum judex inventus est, qui utraque manu in prælio Domini utebatur pro dextera : unde ambidexter dictus est (*Judic.* III). Talis et apostolus Paulus, qui ubique et in omnibus institutus est, qui scit abundare et penuriam pati, qui gloriatur in tribulationibus et infirmitatibus libenter, qui per infamiam et bonam famam, per gloriam et ignobilitatem medius incedit (*Philipp.* IV; *Rom.* V; *II Cor.* VI). Joannes quoque Baptista, non ut arundo flexibilis, vento circumfertur favoris, vel vituperii, et ipso attestante ad Judæos, medius eorum stat, quem ipsi nesciunt, id est Jesus. Virtutes enim mediæ sunt, sicut ait etiam gentilis :

Virtus est medium vitiorum, utrinque reductum;
(HORAT. *Epist.*, l. I, ep. 18, v. 9.)

quas nesciunt, qui prosperitatibus tument, et adversitatibus tabescunt.

Et in voluntate tua deduxisti me. Tua, inquit, non mea. Nec in voluntate sua deducta est Maria ; et in Evangelio docentur apostoli orare Patrem, *Fiat voluntas tua* (*Matth.* VI). Et nescio qui stulti, et maxime, qui propria voluntate abdicata, professi sunt obedientiam hominibus, pro sua voluntate quotidie litigant, et in multis contra Deum murmurant, et ejus ordinationi repugnant, dum potestati quæ est ab ipso rebellant, sui dispositores esse cupientes. Sic et sic, inquiunt, faciemus ; et tunc hoc, et tunc illud ; et quod adhuc dementius est, alios omnes docere volunt, et ad suam voluntatem omnia actitari. Sic et sic, inquiunt, facere deberent. Cumque secus aliquid fit, murmurant, detrahunt, judicant, et condemnant. Ecce quo demersi sunt, qui ad alienum imperium omnia facere debent, et ab aliis deduci contemnunt; sibi ductores, sui præcipitatores. *In voluntate*, inquit, *tua deduxisti me.* Homo procax, et in voluntate sua obstinatus, jure ab omnibus vituperatur ; et tamen hac sola occasione omnis controversia nascitur, omnis lis et contentio gignitur. Ideo enim quisque contendit, quia quod sibi videtur, et placet, et vult, contra alium qui aliud vult, defendit. Et hoc inter homines aliquando nonnullam potest vel justitiam vel excusationem habere, contra Deum vero sola impietas est omnis inobedientia. Huic etenim omnium Auctori, Rectori et Judici omnes subjici debent humili voluntate ; quod etiam si nolunt, faciunt servili necessitate. *In voluntate* igitur *tua deduxisti me*, pie dicit, qui pie obedivit, qui pie gratias agit ei, qui eum utiliter deduxit. Tenet enim Dominus electos suos fortiter, deducit utiliter, suscipit feliciter. *Et cum gloria*, inquit, *suscepisti me.* Suscipit ad requiem, qui in labore servierat. Suscipit in cœlis, a quo suscipitur in terris. *Ego*, inquit, *diligentes me diligo* (*Prov.* VIII), et suscipientes me suscipio. *Qui autem con-*

A *temnunt me, erunt ignobiles* (*I Reg.* II); et qui non suscipiunt me, erunt exsecrabiles. Suscipit ergo hodie illam matrem in cœlis, quæ illum suscepit filium in terris ; et quæ suscepit illum in utero, suscipitur ab illo in regno. Et quid multa? Unusquisque sicut suscipit, sic suscipietur ; et sicut abjicit, sic abjicietur. Ista ergo sicut singulariter suscepit, sic est singulariter suscepta. Martha suscepit in domo, ista in utero. Martha nescio quem cibum exteriorem ministravit ; ista lacte suo proprium fetum pavit. Nescio quæ induit eum veste, ista induit eum carne. Mariæ Magdalenæ dimissa sunt multa, quoniam dilexit multum ; isti donata sunt plurima, quoniam dilexit plurimum ; et plurimum diligit, quia plurimum suscepit.

B Dilectioni itaque dimittitur debitum, et donatur indebitum ; et utroque crescit dilectio, et ex dilectione comparatur utrumque. Dilectio itaque hostia peccatorum, dilectio præmium beatorum. Verumtamen ut diligi possit a nobis Deus, prius in nobis creat Deus, ea videlicet dilectione, qua nos prævenit, ut eum diligamus. Unde beatus ille discipulus, quem diligebat Jesus : *Non quasi*, inquit, *dilexerimus eum* prius, *sed quoniam ipse prior dilexit nos* (*I Joan.* IV). Præveniens itaque dilectio dexteram nostram apprehendit et tenet : *Misericordia*, inquit, *ejus præveniet me* (*Psal.* LVIII). Dilectio vero adjuvans deducit ; *Et misericordia tua*, inquit, *ejus adjuvabat me* (*Psal.* XCIII). Dilectio autem subsequens

C suscipit ; *Et misericordia*, inquit, *ejus subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ* (*Psal.* XXII). Prima dilectio inimicum reconciliat, secunda amicum justificat, tertia filium glorificat. Nam quos prædestinavit, hos vocavit ; et quos vocavit, hos justificavit ; et quos justificavit, hos et magnificavit. Itaque dilectio et antequam aliquid essemus, prædestinavit nobis, in quo semper beati essemus, et quos prædestinavit, hos in voluntate sua apprehendit, tenet et deducit per omnia, faciens in nobis omnia. Deus est enim qui operatur in nobis et velle et posse, pro bona voluntate, donec suscipiat nos in gloria, quam nobis impetret Virgo Mater a Filio suo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

D

SERMO LIV.

IN NATIVITATE BEATÆ MARIÆ.

Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus (*Psal.* CX). In principio, dilectissimi, mirabiliter fecit Deus hunc, in quo habitamus, de nihilo mundum ; in fine vero mirabilius de ipso inveterato et decrepito facit novum. Sicut enim in Testamento veteri novum Testamentum continebatur, cujus primum fuit umbra et ipsum corpus ; primum figura, et ipsum veritas ; sic et in populo veteri populus novus, et in homine veteri homo novus, et in ipso mundo vetere mundus novus, et ubique quod mirabiliter dictum vel factum est, mirabilius in sacramento recapitulatur, et commemoratur. A capite ergo cuncta revolvuntur.

Omnia enim priora posteriorum sunt figuræ, quæ nunc suis incipiunt revelari temporibus; et hæc ipsa involucra quædam sunt, et exemplaria futurorum. Et sicut ista prioribus magis vera et manifesta, sic et istis illa futura, ut semper in imagine et quadam vanitate pertranseat universa vanitas, omnis homo vivens, donec ad nudam, et manifestam, et stabilem veritatis faciem perveniat. Unde scriptum est de consummato et perfecto: *Ideo stabilita sunt bona illius in Domino* (*Eccli.* XXXI). Et alibi: *Donec stabiliat, et ponat Jerusalem laudem in terra* (*Isa.* LXII). Salvator quoque discipulis promittit ostendere eis in futuro seipsum. Moyses autem ante tempus id postulans minime impetravit. *Si inveni*, inquit, *gratiam coram te*, *ostende mihi teipsum* (*Exod.* XXXIV). In principio igitur primi mundi creavit Deus cœlum et terram; in principio secundi mundi creavit terram et cœlum, et de terra cœlum. Maria namque, cujus hodie recolitur nativitas, secundum carnis originem de terra terrena est, et ipsa terra: de ipsa vero fit fructus ventris ejus de cœlo cœlestis, et ipse cœlum. Et sicut ibi elementa quatuor, ex quibus universitas corporalis componitur, historialiter creantur, ordinantur, ornantur: ita hic mysterialiter sponsus et sponsa, tanquam cœlum et terra, subjecti ac prælati; vel contemplativi et activi, creantur, ordinantur, ornantur. Et sicut ibi stella a stella differt in claritate, ita hic alius lucet sermone sapientiæ, ut præsit diei; alius scientia, ut præsit nocti.

Alii quoque gratias habent minores, in ministerium signorum ac temporum, suoque loco et dono fulgent in firmamento novo, quod non commovebitur. Sed fortiter dividit inter aquas superiores et inferiores; ne ruptis cataractis commisceantur, et diluvium faciant. Habet enim mundus diluvium suum, de quo scriptum est: *Dominus diluvium inhabitare facit; et sedebit Dominus rex in æternum* (*Psal.* XXIII). Ibi factus est die sexto (*Gen.* II) homo ad imaginem et similitudinem Dei; hic Deus fit ætate sexta ad imaginem et similitudinem hominis. Ibi de terra fit homo; hic de Maria fit Deus. Ibi de terra adhuc incorrupta et Virgine homo rectus, et ipse virgo; hic de Maria semper incorrupta ac virgine Deus justus, et ipse faciens virgines. Ibi de viri latere mulier sine muliere creata est; hic de mulieris utero sine viro vir generatur. Ibi de dormientis costa femina in adjutorium ædificatur; hic de Christi latere morientis sponsa consecratur. Ibi pro costa caro suppletur; hic pro virtute quæ datur, infirmitas suscipitur. Ibi duo in carne una; hic jam non duo, sed unus in spiritu uno. Ibi propter uxorem relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit illi; hic sacramentum hoc magnum apparet in Christo et in Ecclesia (*Ephes.* V); quia quasi Patrem reliquit et matrem, dum a Patre descendit, et Synagogam deseruit, ut Ecclesiæ gentium adhæreret. Ibi homo creatus in paradiso ponitur voluptatis; hic homo renovatus in Ecclesia ponitur spiritualium deliciarum opulenta, et omnigeno gratiarum flore decorata, virtutum fructu suavi, ut operetur ibi homo cum timore et tremore salutem suam, custodiatque semper circumspecte, quod acquisivit a creante, sicut scriptum est: *Qui se existimat stare, videat ne cadat* (*I Cor.* X).

Et quid multa? Omnia, quæ ibi actualiter facta narrantur in illo actuali ac sensibili mundo, hodie recapitulari incipiunt in hoc mystico ac spirituali mundo, et memoriam facere incipit Deus omnium quæ fecit, renovans universa, ac sublevans, sicut scriptum est: *Ecce nova facio omnia* (*Apoc.* XXI). Et: *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum* (*Joan.* XII). Ideo quippe sursum in aere mori voluit, suspensus a terra, ut hominem terrenum ad spiritualem statum elevaret; donec ad extremum ad cœlum eum sustolleret et in cœlesti qualitate perficeret. Natus nimirum in terra, in aere moritur, et in cœlum ascendit, quia primum hominem in mundo suo terreno fecit terrenum, secundum in suo mundo spirituali spiritualem, tertium in suo mundo cœlesti cœlestem facturus. Primus mundus historicus, cujus conditionem ac gubernationem narrat Vetus Testamentum. Secundus moralis, et allegoricus, cujus conditionem et gubernationem narrat Evangelium. Tertius anagogicus, id est sursum ductivus, cujus statum nemo scit, nisi qui accipit. Vetus quippe Testamentum creationem narrat primi mundi, et portentat operationem secundi. Novum vero Testamentum primi reconciliationem annuntiat, quæ est creatio secundi; et pollicetur, quem præsignat, statum tertii: *Vespere*, inquit, *et mane, et meridie, narrabo et annuntiabo: et exaudiet vocem meam* (*Psal.* LIV). Vespere moritur homo terrenus ac vetus in mundo veteri, videntibus filiis vetustatis; mane resurgit homo novus, et apparet in mundo novo filiis novitatis; meridie ascendit in cœlum cœlestis, et apparet in conspectu paternæ majestatis, sanctis angelis mirantibus, ac dicentibus: *Quis est iste, qui venit de Edom*, etc. (*Isa.* LXIII.) Ubi exauditur pro sua reverentia, interpellans pro nobis: propter quod scriptum est: *Exaudiet vocem meam.* Locatus igitur, et regnans in tertio mundo, orat Patrem pro his quos extrahit de primo mundo, et ponit interim in secundo, sicut scriptum est: *Non rogo pro mundo, sed pro his quos dedisti mihi de mundo* (*Joan.* XVII). Sic enim creatus est homo extra paradisum, ac postmodum positus in paradiso, deinde ponendus in cœlo. Sed eum per culpam inobedientiæ recessit a Deo, per justitiam vindictæ recessit a mente caro; et projecta est ipsa de paradiso, et sic agit totus homo in exsilio. Neque enim in tali corpore creata, vel posita est anima, nec in tali mundo corpus.

Anima igitur peregrinatur in tali corpore, et corpus in tali mundo. Ordinatus quippe, ac naturalis status hominis erat, cum spiritus Deo, caro spiritui, mundus carni subjectus fuerat, et in ipso spiritu affectio carni subjacuerat. Et hic erat primus

naturalis mundus, aureum Saturni sæculum, aureaque catena poetæ. Quam cum inobedientia rupisset inter spiritum et Deum, concupiscentia inter carnem et spiritum, ac demum maledictio inter operationem carnis et mundum : apparuit subito exordinata quædam rerum facies, quæ chaos, tenebræ, et abyssus merito dicta est : unde extractum se memoravit, qui per gratiam nova in Christo creatura in novo mundo positus, psallit: *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas, et conversus vivificasti me, et de abyssis terræ reduxi-* A *sti me* (*Psal.* LXX). Homo enim sumptus de terra per naturam, supra locatus per gratiam, infra cecidit per culpam. Nunc enim gratias agens quis dicit : *Eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fæcis* (*Psal.* XXXIX). Primo enim creatus de limo, secundo creatur de luto, et extrahitur de lacu, qui de terra creatus, in profundum cecidit, ac fundum non invenit. Abyssus enim sine fundo profunditas est : *Infixus sum*, inquit, *in limo profundi, et non est substantia* (*Psal.* LXVIII).

Desunt nonnulla.

ISAAC DE STELLA

EPISTOLA AD QUEMDAM FAMILIAREM SUUM

DE ANIMA

Dilecto suo ALCHERO frater ISAAC, se, et quod sibi.

Cogis me, dilectissime, scire quod nescio; et quod nondum didici docere. Vis enim a nobis edoceri de anima, sed neque id quod in divinis Litteris didicimus, id est qualis fuerit ante peccatum, aut sit sub peccato, aut futura post peccatum; sed de ejus essentia et viribus, quomodo sit in corpore, vel quomodo exeat, et cætera quæ non scimus, nec nescire nos sinis, utque verum fateamur, id ipsum quod a nobis in collatione audisti, ob quod animaris aliquid amplius sperare, dum attentantes obtemperare precibus tuis, in id intendimus, a nobis elabitur, evolat, et quodammodo evanescit. Unde et in hoc ipso discimus animam nostram cum divina natura plurimam gerere similitudinem, quæ improbum scrutatorem sui reprimit dicens : *Averte oculos tuos a me, quoniam ipsi me avolare fecerunt* (*Cant.* VI). Tria itaque sunt, corpus, anima et Deus. Sed horum me fateor ignorare essentiam, minusque quid corpus, quam quid anima ; et quid anima, quam quid sit Deus, intelligere. Sed hoc fortasse miraberis, et esto. Verumtamen in hoc corpore quod corrumpitur, aggravatur anima ; ubi et terrena inhabitatio sensum in ima deprimit, et terreni artus moribundaque membra vim hebetant depressam agentis animæ. Prædictorum itaque trium, primum occurrit ipsum corpus quod necesse est obscurum ab eo obscurata non nisi obscure videat, quanto autem ab hoc tenebroso fumo altius evaporarit, limpidius utique videbit. Unde et animam ipsam, quanto intellectus superior et purior est sensu, clarius ac certius videre quam corpus, necesse est, et ipsum Deum, quam animam, quanto intelligentia præstat intellectui. Omnis enim essen- B tiæ veritas in Deo est. In anima quidem aliqua ejus apparet imago ; in corpore vero vix illius invenitur vestigium. Deus vero solus vere simplex est, corpus autem omne vere compositum, anima utriusque respectu utrumque dici potest. Aut si aliquod corpus simplex, anima utique simplicior, quæ omni corpore superior : Deus vero simplicissimus, qui et summus.

Hinc est ergo quod Deus omnia quæ habet, hæc est, qui omnia sua est. Corpus vero *nihil* eorum quæ habet, esse potest, quod nihil omnino suorum est : anima autem tanquam inter has naturas media, medie temperata est, ut et quædam suorum sit, et inde simplex ; et quædam omnino non sit, et inde non vere simplex inveniatur. Ut autem ad C certi aliquid ligemus sententiam, Deus nec qualitatem, nec quantitatem habet. Nam cum dicitur qualis, aut quantus, non aliud quam quid sit, de eo prædicatur. Corpus vero utrumque habens, neutrum est. Anima nec quantitatem habet, quia non est corpus ; nec qualitate caret, quia non est Deus. Habere tamen quantitatem, si usquam dicitur, sive partes, ratione potius similitudinis, quam veritate compositionis intelligendum est. Habet enim vires sive potentias naturales, secundum quas virtuales seu potentiales dicitur habere partes, sicut sunt ingenium, ratio, memoria ; quæ si veræ sunt animæ partes secundum quantitatem, et animas eas esse necesse est ; et quot habebit partes, ex tot animabus constare eam verum erit. Omnis enim pars D ejusdem naturæ invenitur cum suo toto. Omnis quippe pars corporis corpus est. Unde et omnem partem animæ, si quantitativas habet partes, animam esse aliam, necessario convincitur. Cum igitur animæ sint partes, et connaturales quidem, in-

genium, ratio, memoria, et hujusmodi, nec sint quantitativæ, necesse est, cum eæ sint idem quod ipsa, eadem videlicet natura, eadem essentia, eadem omnino anima. Non enim ratio et anima duæ sunt essentiæ, sed una. Proprietates quidem diversæ, sed essentia una. Nempe secundum proprietatem, sicut ait beatus Augustinus, aliud est anima, et aliud est ratio; et tamen in anima est ratio, et una est anima. Sed aliud agit anima, aliud ratio. Anima vivit; ratio sapit. Et cum unum sint, sola tamen anima suscipit vitam; sola ratio suscipit sapientiam. Videre itaque est, quomodo in hac parte fulgeat imago deitatis in anima, ut cum pluralitas in ea sit proprietatum naturalium, una tamen sint natura, et cum nulla earum sit altera, nulla tamen aliud sit quam altera.

Est igitur anima rationalis, concupiscibilis, irascibilis, quasi quædam sua trinitas; et hoc totum, et nihil amplius, aut minus: et tota hæc trinitas, quædam animæ unitas, et ipsa anima. Habet igitur anima naturalia, et ipsa omnia est: et ob hoc simplex est. Habet accidentia, et ipsa non est, propter quod omnino simplex non est. Non enim est anima sua prudentia, sua temperantia, sua fortitudo, sua justitia. Suæ igitur vires est, et suæ virtutes non est. Sedere enim nos oportet in civitate, donec induamur, et induantur vires nostræ ex alto. Vires etenim susceptivæ sunt donorum, quæ habitu virtutes fiunt. Porro sicut in igne nativus calor est, qui appropinquantes calefacit, creans in eis accidentalem calorem, ex ea natura qua calere possunt; et naturalis lux illuminans accedentes, ex ea videlicet natura, qua illuminari possunt: sic in divina natura naturale donum ac beneficium est fontale, illuminans et accendens, tanquam sapientiam et justitiam in eis, qui accedunt creans, in ea videlicet parte, qua accendi et illuminari possunt. Unde est: *Accedite, et illuminamini* (*Psal.* XXXIII). Et illud: *Appropinquate mihi, et ego appropinquabo vobis* (*Jac.* IV). Et illud: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* V). Attende tamen, quod vires nonnunquam indifferenter virtutes dicuntur, secundum quod in Evangelio talenta donantur, secundum propriam uniuscujusque virtutem (*Matth.* XXV). A viribus tamen virtuosi denominantur, ut a virtute licet indirecte studiosi. Neque enim omnium omnes vires gratia sua replet, qui unicuique, prout vult, distribuit; sed aliorum alias, et alias aliorum; beatiores autem pluribus, si tamen melioribus abundant, sicut ait Apostolus: *Æmulamini charismata meliora* (*I Cor.* XII). Dominus autem Jesus, cujus omnes animæ vires indutæ sunt virtute ex alto, plenus dicitur Spiritu sancto (*Luc.* IV), plenusque gratiæ et veritatis, fortasse solus, de cujus plenitudine accepimus. Sunt igitur corporis et naturalia et accidentalia; sed nihil horum corpus. Dei vero nec naturalia, nec accidentalia, sed totum, et solum et sem-

A per quidquid Dei est, unus Deus est; anima vero naturalia, quæ non aliud esse possunt quam ipsa anima, et accidentalia quæ nihil aliud esse possunt quam ipsa anima. Quod si putari debet, Dei quoque esse aliqua naturalia, quoniam Pater naturalem habet Filium, et ille naturalem Patrem, et uterque naturalem ille paternitatem, et ille filiationem; in hoc tamen differt communiter ab utroque, id est corpore et anima, quod accidentalia nulla habet: a corpore vero quod naturalia sua est; ab anima autem, quod omnia sua est, excepto quod altera persona ad alteram relative dicitur. Anima quidem omnia sua nullatenus est; nec sola relatione aut proprietate ab accidentalibus suis differt, sed oppositione essentiæ.

B Posita ergo in medio anima, aliquam cum utroque habere debet convenientiam, et cum summo in suo superiori, et cum imo in suo inferiori. Habet namque, ut dictum est, anima, secundum proprietates, imum, medium, summum, quamvis secundum essentiam omnia sint unum. Tota namque animæ essentia in his tribus plena et perfecta continetur, id est in rationabilitate, concupiscibilitate et irascibilitate. Unde propheta volens in Christo ostendere plenam ac perfectam animam adfuturam humanam, ait: *Ut sciat reprobare malum, et eligere bonum* (*Isa.* VII). Sicut et de veritate corporis præmisit: *Butyrum et mel comedet*, ut si diceret: Laborem (multo siquidem labore et fatigatione, crebrisque tunsionibus de lacte butyrum elicitur), et quie-
C tem (mel etenim gratis dulce est) veraciter in carne experietur, quatenus experientia sciat, per rationalitatem, eligere per concupiscibilitatem bonum, id est mel, et reprobare per irascibilitatem malum, id est butyrum. Hinc et nos, quos de seipso secundum se erudit, ut sequentes ipsum perveniamus ad ipsum, crebris tribulationibus pascit, et nonnullis consolationibus lenit, quatenus ex his quæ patimur amara, discamus fugere amariora; et ex his quæ prælibamus dulcia, desiderare dulciora. Itaque per rationabilitatem habilis naturæ est anima illuminari ad aliquid, vel infra se, vel etiam in se, et juxta se cognoscendum, per concupiscibilitatem vero et irascibilitatem affici ad aliquid appetendum vel fugien-
D dum, amandum vel odiendum. De rationabilitate igitur omnis oritur animæ sensus; de aliis omnis affectus. Affectus vero quadripertitus esse dignoscitur, dum de eo quod diligimus, aut inpræsentiarum gaudemus, aut futurum speramus, aut de eo quod odimus, jam dolemus, aut dolendum timemus, ac per hoc de concupiscibilitate gaudium et spes, de irascibilitate vero dolor et metus oriuntur. Qui quidem quatuor affectus animæ omnium sunt vitiorum aut virtutum quasi quædam elementa, et communis materies. Affectus etenim omni operi nomen imponit. Et quoniam virtus est habitus animi bene instituti, instituendi, et componendi ordinandique sunt apposita ratione ad id quod debent et quomodo debent animi affectus, ut in virtutes pro-

fieere possint : alioquin in vitia facile deficient. Cum igitur prudenter, modeste, fortiter et juste amor et odium instituuntur, in virtutes exsurgunt, prudentiam, temperantiam, fortitudinem et justitiam, quæ quasi radices, sive cardines omnium omnino dicuntur esse virtutum. Nam, ut beatus ait Augustinus, id quod quadripertita virtus dicitur, ex amoris vario quodam affectu formatur, ut temperantia sit amor Deo se integrum servans et incorruptum; fortitudo amor propter Deum facile omnia perferens; justitia amor tantum Deo serviens, et ob hoc subjectis omnibus bene imperans; prudentia amor ea quæ juvant in Deum bene discernens ab his quæ ab ipso impediunt. Proinde, ut dictum est, de concupiscibilitate et irascibilitate omnis oritur animi motus, quo afficitur ad aliquid supra se, vel infra se, in se, vel juxta se eligendum aut reprobandum, amandum vel odiendum. De concupiscibilitate igitur propensio, titillatio, delectatio, dilectio, de irascibilitate vero venit zelus, ira, indignatio, odium. Quæ omnia si bene, si ordinate, si plene in anima instituuntur, per odium mundi et sui proficit in amorem proximi et Dei, in temporalium et inferiorum contemptum, æternorum ac superiorum desiderium. Sed ista jam de affectu tacta potius quam dicta sufficiant. Sensus vero de rationabilitate exsurgens, propter tempus præsens, præteritum et futurum variatur, aut varie nominatur, ratio, memoria, ingenium. Ingenium vero ea vis animæ dicitur, sive intentio, qua se extendit et excitat ad incognitorum inventionem. Ingenium ergo exquirit incognita, ratio judicat inventa, memoria recondit judicata, et offert adhuc dijudicanda. Ingenium igitur quæ adinvenit ad rationem adducit, memoria quod abscondit reducit, ratio vero tanquam præsentibus superfertur, et quasi in ore cordis semper aut masticat quod dentes ingenii carpunt; aut ruminat quod venter memoriæ repræsentat. Non enim omne quod scimus, semper occurrit, nec versatur semper in intuitu scientis omne quod scitur. Verumtamen temporaliter et per partes a memoria tanquam reconditum abstrahitur, et in ore cordis præsens formatur verbum, quod foris in ore carnis agit strepitum. Hinc etiam est quod quia Deo nihil futurum, nihil præteritum, omnia in ictu intuentis præsentialiter simul et semel et semper sunt omnia tanquam præsentia, et immobiliter æterna ei in verbo esse dicuntur, ut logo, id est ratione mentis, quæ simul et semel et semper secum tractet, sibi loquatur. Unde omnis ejus de omnibus sensus, nec memoria, nec ingenium, sed verbum dicitur. Verumtamen ratio, memoria, ingenium, secundum exercitium tria, secundum essentiam unum sunt in anima, et quod ipsa. Sed sicut propter tempus varia sunt exercitia, sensus qui in ipsa anima est unus, et quod ipsa, ita et propter ea ad quæ cognoscenda exeritur et intendit, multiplex dicitur, et multipliciter nuncupatur.

Dicitur ergo sensus corporeus, imaginatio, ratio, intellectus, intelligentia. Hæc tamen omnia in anima, non aliud sunt quam anima. Aliæ et aliæ inter se proprietates propter varia exercitia, sed una essentia rationalis, et una anima. Sicut enim vita animæ qua vivit, non quomodo vivit, nihil aliud est quam anima vivens, sic et quilibet sensus animæ quo discit, non quo docetur, nihil aliud, quam ipsa sentiens, nec voluntas animæ, quantum ad facultatem pertinet, aliud esse potest quam ipsa volens. Sicut ergo sursum versus quinquepertita quadam distinctione mundus iste visibilis gradatur, terra, aqua, aere, æthere, sive firmamento, ipso quoque cœlo supremo, quod empyreum vocatur; sic et animæ in mundo sui corporis peregrinanti quinque sunt ad sapientiam progressus : sensus, imaginatio, ratio, intellectus, intelligentia. Quinque etenim progressionibus rationabilitas exercetur ad sapientiam, sicut ipse affectus, seu voluntas quatuor ad charitatem, quatenus in novem istis progressibus anima in semetipsa proficiens, sensu et affectu quasi internis quibusdam pedibus, quæ spiritu vivit, spiritu ambulet, usque ad cherubim et seraphim, id est plenitudinem scientiæ, et *rogum* charitatis, habeatque in se per exercitium virtutes, quarum per naturam habet facultates, quatenus sicut cœlum dicitur, quoniam sedes est sapientiæ, sic et suis in se quasi cœlestibus et ornetur ordinibus, et ordinetur virtutibus. Facile autem vacanti erit, hos progressus nominibus et ordinibus comparare angelorum.

Sensu igitur corpora percipit, imaginatione corporum similitudines, ratione vero corporum dimensiones, et similia; insuper primum videlicet incorporeum ad subsistendum tamen indigum corpore, ac per hoc loco et tempore. Intellectu quidem fertur super omne quod corpus est, vel corporis, vel ullo modo corporeum; percipitque spiritum creatum, qui ad subsistendum non eget corpore, ac per hoc nec loco, licet sine tempore esse minime possit, cum naturæ mutabilis sit. Intelligentia denique utcunque, et quantum naturæ fas est, cernit ipsum solum summe et pure incorporeum; quod nec corpore ut sit, nec loco ut alicubi, nec tempore ut aliquando, eget. Sensus igitur terræ comparatur; corpus etenim non transcendit; corpus autem omne pro terra habendum est. Est igitur semper ea vis animæ, qua rerum corporearum corporeas formas sibi repræsentat. Qui corporeus cum sit, non est tamen corpus; atque ideo corporeus dicitur, quia corpus, ut dictum est, non transcendit; vel quia corporeis exercetur instrumentis. Unde et ob numerum instrumentorum quinquepertitus dicitur, cum sit tamen intus non nisi unus. Sicut enim in lutere aqua recepta, per plurima foramina radios emittit varios, et pro qualitate et positione foraminum difformes, cum tamen intus una sit, et uniformis, sic sensus interior unus et uniformis, pro qualitate et positione instrumentorum variatur, et ad diversa viget. Intus enim nec solum in phanta-

stico animæ, quod est infimum spiritus; verum etiam in spiritu pecorum, qui est supremum corporis, visus, auditus, olfactus, gustus et tactus, simul sunt; qui in instrumentis, ut dictum est, diversis diversa agunt. Ignis enim micat in oculis, qui et positione, igni, et compositione, congruunt luci; aer vero subtilis, purus, ignique contiguus, sonat in auribus, positione congruentibus aeri, compositione sonoritati. Cætera in cæteris patent; nam crassus iste et fumosus quodammodo aer odoribus fetoribusve affectus naribus, et aqua palato sapit. Terra solidatur in tactu, maxime tamen pedum et manuum, quibus magis terram tractamus. Cæterum quoniam corpus animale maxime terrena materies est, ubique in eo viget tactus, ubi spiritus.

De sensu ergo oritur imaginatio, et secundum ejus diversitates ipsius quoque variatio. Imaginatio autem ea vis animæ est, quæ rerum corporearum percipit formas, sed absentes. Sensus vera corpora per præsentes ipsorum qualitates veras percipit, varie, ut dictum est, varias: imaginatio vero ipsorum verorum tantum similitudines et imagines, unde imaginatio nominatur: quæ cum non sint vera corpora, nec veræ corporum qualitates, elongatio quædam et evaporatio a corporeis est imaginatio, nec tamen ad incorporeum perventio, extremi spiritus corporei conatus, sed non ad incorporeum perventus. Impossibile etenim est, quod corpus est, in spiritum attenuari, vel quod spiritus est, in corpus incrassari. Omne enim quod natum ex carne, semper per naturam et essentiam caro est; et quod natum est ex spiritu, similiter spiritus est. Sunt tamen utriusque quædam similia, corporis videlicet supremum, et spiritus infimum, in quibus sine naturarum confusione, personali tamen unione, facile necti possunt. Similia enim gaudent similibus, et facile cohærent annexione, quæ non resiliunt dissimilitudine. Itaque quod vere spiritus est, et non corpus, et caro quæ vere corpus est, et non spiritus, facile et convenienter uniuntur in suis extremitatibus, id est in phantastico animæ; quod fere corpus est, et sensualitate carnis, quæ fere spiritus est. Sicut enim supremum animæ, id est intelligentia, sive mens, de qua prius dicitur, imaginem et similitudinem sui gerit superioris, id est Dei, unde et ejus susceptiva fore potuit, et ad unitionem personalem etiam, quando ipse voluit, absque ulla demutatione naturæ fuit assumpta; sic et supremum carnis, id est sensualitas, gerens similitudinem animæ, cur ad personalem unionem ejus non suscipiat essentiam? Nonne in sensu memoria pecudis quædam est imago rationabilitatis, et in appetitu, voluntatis; et in his quæ refugit, reprobationis?

Spiritus igitur corporeus, qui utique vere est corpus, et sensu naturali inter multa discernit, et concupiscibilitatis vi eligit, et irascibilitatis natura reprobat. Verumtamen cum hæc in mentibus non A desint, quæ supra corporei naturam omnino nihil habere putantur, rationali tamen animæ compositione sui, humani corporis habitaculum mage congruit, quasi rationabilibus et harmonicis ejus motibus seu numeris summi Citharistæ plectro obtemperatum, et consonum, sicut scriptum est: *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem* (*Prov.* IX). Sententia etenim ista licet anagogice mentis rationalis, quæ habitatio et domus divinitatis dicitur, naturalem tangit creationem, allegorice autem Ecclesiæ spiritualem ædificationem; historialiter tamen, et quasi in fundamento, capitis humani, quod sedes est animæ, et domus quodammodo rationis, intimat compagem. Caput siquidem (quod ipse melius nosti, qui in physica eminnes) B sex ossibus compaginatum, septem columnis colli sustentatur. De compositione igitur corporis humani si nobis epistolam scribere non fueris dedignatus, forsan auctore Deo a nobis aliquod rescriptum recipies, quomodo illud instrumentum operationis et delectationis anima libenter suscipiat, sollicita custodiat, invita dimittat, dimissum desiderabunda exspectet et in recepto gratulabunda exsultet, sicut est apud Joannem citharœdorum citharizantium in citharis suis (*Apoc.* XIV). Interim vero prosequemur incœptum; et de corpore quidem et anima, contrariis, ut dixisti, naturis, quando conveniant, et simul esse possint, hæc dicta sufficiant. Per duas etenim medietates convenientissimas C facile et firme duæ dissidentes extremitates necti possunt: quod in magni, ut quidam dicunt, animalis, id est mundi hujus fabrica cernere facile est. Convenientissima autem media sunt animæ et carnis, juxta quod dictum est, et multiplicius assignari possent, sensualitas carnis, quæ maxime ignis, et phantasticum spiritus, quod igneus vigor dicitur. Quidam de animabus loquens, ait:

Igneus est illis vigor, et cœlestis origo.
(VIRG., *Æneid.* l. VI, vers. 729.)

Hic fortasse dicet aliquis: Si per sensualitatem illam, quæ spiritus est corporeus, inest anima corpori, quare post ipsius discessum eo spiritu, qui utique vita est, non vivit corpus? Ad quod dicimus: Dum illius sensualitatis integritas et temperantia D congruens vivificationi manserit, nunquam recedere animam: cum autem distemperata et disrupta, invitam recedere: secum omnia sua ferre, sensum videlicet, imaginationem, rationem, intellectum, intelligentiam, concupiscibilitatem, irascibilitatem; et ex his secundum merita affici ad delectationem, sive ad dolorem. Corpus autem organum, quod prius integrum contemperatum, ac dispositum erat, ut melos musicæ in se contineret, et tactum resonaret, nunc confractum et inutile e regione jacere. Periisse quidem organum, sed non periisse melos sive cantum, nisi tantum sonum cantum putaveris. Nec enim quæ corpus non est, localis esse potest, nec localiter accedere, inhabitare, vel recedere. Sed sicut in organo musicæ seu antiphonario folio can-

tus inest melos musicæ, dum chordæ, seu notulæ congrue dispositæ sunt; cum autem disponuntur, accedit; cum confunduntur, discedit, ita et animæ est ratio cum suo corpore. Et si quæris, ubi sit anima post corpus, quæro, ubi sit cantus post folium, aut post sonum : ubi sit sensus post verbum : ubi sententia post versum, ubi numerus post numeratum. Pone quatuor lapillos, et tres, et sunt septem. Aufer illos, nonne tria et quatuor sunt septem? Numerabilia ergo vel numerata, si placet, quasi corpus quoddam sunt numeri, et sententiæ versus; sensus vero sermo, et cantilenæ modulatio vocis : quibus omnibus quasi corporibus tenentur incorporea, interdum autem accedunt, interdum recedunt. Sed dices istam similitudinem magis convenire Deo, qui pure et omnino incorporeus est, qui in omnibus in semetipso est, quam animæ. At esto. Ego autem, ut præfatus sum, certius aliquid philosophari queo de Deo quam de anima; et de anima quidem quam de corpore, et facilius. Anima tamen imaginem habet et similitudinem Divinitatis: unde et natura similis sit omnino necesse est.

Deus ergo ubique est in semetipso, anima autem ubicunque est, quodammodo in semetipsa est. Ac per hoc ibi est anima post corpus, ubi erat agens in corpore; ibi Deus est modo, ubi fuit, antequam mundum faceret, ubi etiam foret, si mundus esse desineret. Deus autem infinitus et incircumscriptus est : ideoque cum sit in seipso, ubique esse dicitur. Anima autem neutrum : et ideo cum sit in semetipsa, finita ac circumscripta esse dignoscitur. Neutrum tamen loco, sed naturalibus potentiis et viribus. Potentiæ autem ejus naturales, et vires, idem sunt quod ipsa. Essentia ergo finita est et circumscripta, unde et cum alibi esse dicitur, alias esse negatur, est quatenus potest supra quod nihil potest. Deus autem omnipotens est. Invisibilis itaque et illocalis anima manet, ac videtur in corpore per corpus, sicut sensus in littera manens videtur per litteram, et omnino invisibilis Deus est, attamen in omni creatura per creaturam ipsam videtur ab his, qui oculos videndi habent; videbitur autem plenius ac perfectius oculis spiritualibus ac novis in cœlo novo, et terra nova. Universitas etenim creaturæ quasi corpus est Divinitatis, singulæ autem quasi singula membra. Sicut vero Deus in toto, et in singulis totus, sed in semetipso; sic anima in toto suo corpore, et in singulis membris in semetipsa tota. Deus autem veraciter, anima vero ad similitudinem illius veritatis. Cum igitur anima, prout dictum est, incorporea sit, ac per hoc illocalis, ea tamen parte, qua dicta est fere corporea, ferme quoque localis invenitur. Hinc ergo sicut sensu circa corpora, sic imaginatione circa corporum similitudines versatur anima, ac locorum; et in eis sive vigilans, sive dormiens, sive alienata sensibus ad horam, sive prorsus obruta; sive per se, sive per operationem alterius spiritus boni aut mali, agere aliquid aut pati sibi videtur. Neque quantum ad sensum attinet, supra corpus, neque per imaginationem supra corporeas similitudines unquam, sive in corpore, sive extra corpus, transcendere poterit, quippe quæ has vires non nisi ad hæc exercitia suscepit.

His igitur nunc Deum supra se, nunc angelum juxta se, nunc seipsam in se, nunc corporum etiam incorporeas formas sub se, aut videt, aut videbit. Superest ergo ratio, tertius, ut dictum est, animæ ad sapientiam progressus. Ratio itaque ea vis animæ est, quæ rerum corporearum incorporeas percipit formas. Abstrahit enim a corpore quæ fundantur in corpore; non actione, sed consideratione, et cum videat ea actu non subsistere, nisi in corpore, percipit tamen ea corpus non esse. Nempe natura ipsa corporis secundum quam omne corpus corpus est, utique nullum corpus est. Nusquam tamen subsistit extra corpus, nec invenitur natura corporis, nisi in corpore; quæ tamen invenitur corpus non esse, nec corporis similitudo. Unde nec sensu, nec imaginatione percipitur. Percipit itaque ratio quod nec sensus, nec imaginatio, rerum videlicet corporearum naturas, formas, differentias, propria accidentia; omnia incorporea, sed non extra corpora, *nisi* ratione subsistentia. Non enim inveniuntur secundæ substantiæ subsistere, nisi in primis, quanto minus, quorum est esse, in subjecto aliquo esse. Habemus igitur quæ superius primum incorporeum jure diximus, quæ cum non sint corpus, dici necdum possunt spiritus, quia nimirum ablatis in quibus sunt, in semetipsis nullatenus subsistunt. Corpore enim egent, ut sint, ac per hoc loco, ut alicubi, et tempore, ut quandoque. Nam, ut dictum est, hujusmodi non subsistunt, nisi in aliis, licet *alia ab illis*. Secundæ enim substantiæ sunt in primis, sed primæ a secundis.

Sunt ergo rerum, circa quas percipiendas versantur et vigent, sensus, imaginatio, ratio, status diversi, realis videlicet et rationalis : seu naturalis, ut quidam malunt, et doctrinalis. Unde duæ illæ disciplinæ nominatæ dignoscuntur, naturalis videlicet et mathematica. Mathesis vero doctrina dicitur, eo quod rationalis rerum status nec sensus nescit, nec opinatur imaginatio : in ratione et doctrina potius quam in actu totus subsistit. Circa naturales ergo rerum corporearum status sensus et imaginatio vigent, sed absque ratione non satis valent; ad rationalem vero non ascendunt, sed infra remanentes, eum ascendenti rationi quasi a longe ostendunt. Deducere nimirum rationem ipsam aliquatenus possunt, sed usque ad rerum corporearum incorporeas formas comitari eum non possunt. Supereminet autem adhuc ea disciplina, quam theologiam vocant, eo quod de divinis ratiocinetur; ad quam simili proportione juvari ratio valet, sed pervenire nequaquam valet. Habet etenim metas suas, et propriis finibus limitatur. Sicut ergo sol de subterraneis emergens, aquarum et paludum nebulosa quadam fumositate languens, prius rubet potius quam lucet, deinde in libertatem purioris aeris, cal-

catis nebulis evadens, serenior splendet, sic nimirum anima de sola animatione carnis in sensus surgens, et per ipsam, et post ipsam imaginationem, phantasiis corporum adhuc decolorata languens, in liquidum rationis evoluta tandem assurgit, et emicat. Rationem vero superat intellectus, ordine et virtute, sicut aerem firmamentum, tam ab omni obtusitate terræ, quam ab aquæ fluiditate, aut humiditate aeris liberrimum. Sensus enim obtusus et gravis, sicut terra, deorsum jacet; quem ut aqua imaginatio circumfluitat; aeris vero subtilitati ratio comparatur, inferiora omnia circumplectens et penetrans, et in abstractionis quodam pendulo prospiciens. Firmamenti quidem soliditati intellectus conferendus est, qui et ipse spiritualium naturarum realem statum pervidet. Empyreo autem soli igneo, acutissimo et subtilissimo, conferenda videtur intelligentia. Intellectus igitur ea vis animæ est, quæ rerum vere incorporearum percipit formas. Vere incorporeum dicimus, quod corpore non eget ut sit; ac per hoc nec loco, ut alicubi, quamvis non sit omnino incorporeum pure, et non possit esse sine tempore. Pure autem incorporeum est simplex, quod sibi omnimodis sufficiens est.

Sensu itaque, ut dictum est, anima corpus percipit, imaginatione fere corpus; ratione fere incorporeum. Intellectu vere incorporeum, intelligentia pure incorporeum, quod nec corpore eget, ut sit; nec loco, ut alicubi sit; nec tempore, ut aliquando; nec causa, ut alicunde, nec forma, ut aliquid; nec aliquo genere subjecti, in quo subsistat, vel cui assistat, vel insistat; sed, ut dictum est, quod sibi omnimodis sufficiens est, quod seipso est, et ad ipsum est. Est igitur pure et vere incorporei quædam imago et similitudo, vere et non pure incorporeum, et illius, id quod diximus, pene incorporeum; et ipsius, id quod diximus, pene corpus. Ipsi quoque supremum corpus, id est ignis, quadam similitudine jungitur, et igni aer, aeri aqua, aquæ terra. Hac igitur quasi aurea catena poetæ, vel ima dependent a summis, vel erecta scala prophetæ ascenditur ad summa de imis. Sicut igitur ordinem rerum attingit a fine usque ad finem, id est a summo ad imum, sapientia fortiter, ab archetypo quoque trahens in proprios status, ut sint quod sunt, et disponit omnia suaviter (*Sap.* VII), moderans ac regens per esse, quæ protrahit de non esse ad esse, sic et anima illius sapientiæ imago, si non degeneret, eam ubique libenter sequitur, admirans et amans, investigans et laudans in omnibus, et potentiam protrahentem omnia de non esse ad esse, et sapientiam disponentem omnia per esse, et bonitatem continentem omnia, ne recidant ad non esse; sicut Psaltes exsultat: *Quoniam delectasti me in factura tua, Domine; et in operibus manuum tuarum exsultabo. Quam magnificata sunt opera tua, Domine! nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ* (*Psal.* XCII). Et alibi: *Meditabor in omnibus operibus tuis, et in adinventionibus tuis exsultabo* (*Psal.* LXXVI). Opera sunt conditionis, et adinventiones regiminis. Et alibi: *Mirabilia opera tua, Domine, et anima mea cognoscet nimis* (*Psal.* CXXXVIII).

Habet itaque anima unde investiget et cognoscat. Ad totalis enim sapientiæ similitudinem facta, omnium in se similitudinem gerit. Unde et a philosopho definita est omnium similitudo. Sensu igitur corpora, quod sæpe dictum est, investigat et cognoscit; imaginatione corporum similitudines; ratione corporum dimensiones, similitudines dissimilium, et dissimilitudines similium; intellectu commutabilem spiritum; intelligentia incommutabilem Deum. Habens itaque in se anima vires, quibus investiget omnia, et per eas existens omnibus similis, cum sit una, terræ videlicet per sensum, aquæ per imaginationem, aeri per rationem, firmamento per intellectum, cœlo cœlorum per intelligentiam, vel metallis atque lapidibus per essentiam, herbis et arboribus per vitam, animabus per sensum et imaginationem, hominibus per rationem, angelis per intellectum, Deo per intelligentiam, opifici suo cum gratia et laude psallit, clamans: *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, et non potero ad eam* (*Psal.* CXXXVIII). Ideo dicitur hæc scientia confortata ab anima, ut ad eam valere non possit, quasi, ipsa infirmata est ab ea, quam intueri et habere debuerat. Unde et alibi lamentatur et luget: *Comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui, ut viderem* (*Psal.* XXXIX). Et alibi: *Lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum* (*Psal.* XXXVII). Et alibi: *Turbatus est a furore oculus meus* (*Psal.* VI).

Illuminatis igitur tantummodo oculis concupiscentiæ et apertis, viri videlicet, id est spiritus, ad curiositatem et carnis, id est mulieris, ad voluptatem; oculus sensus et imaginationis turbatus est, ut obscurius videat; rationis, ut vix videat; intellectus et intelligentiæ, ut fere nihil videat. Quis enim seipsum vidit? quis agnovit? Sic dico imaginem et similitudinem Dei, ad imaginem et similitudinem Dei? Qui similium alterum novit, utrumque vidit; et qui alterutrum non novit, neutrum novit. Itaque anima, quæ per se debuit Deum noscere supra se, perdidit seipsam noscere in se, et angelum juxta se. Ut ergo intellectu angeli vigent, se invicem et animas nostras vident, a quibus tamen mutuo in sua natura videri non possunt, quia infirmata est anima, et non potest ad eos videndos oculum aperire. Unde cum se volunt hominibus ostendere, aut per assumptum corpus sensui famulantur foris, aut imaginationi per corporeas similitudines intus. Cum autem sensus et imaginatio vigeant in naturalibus, ratio vero in mathematicis, intelligentia in theologicis; intellectus propriam haud constituit disciplinam. Natura etenim incorporea, cujus incorporeas percipit formas, media, ut dictum est, inter corpus et Deum collocatur. Habet enim naturalia, quæ est; nunc ab ea per abstrahentiam aliter percipi possunt. Habet accidentia, quæ abstracta, et in sui natura

considerata, altius evolant; et intelligentia ipsa, A qua Deus videtur, indigent. Virtutes enim naturales in suo summo et fonte naturali essentia consideratæ, omnes imum et summum sunt, et omnium principium et naturarum natura, et essentia essentiarum. Unde et partim intellectus cedit in naturalem disciplinam, partim in theologicam. Quid enim est aliud essentia justitiæ, quam Deus, cujus participatio virtus dicitur, et quot sunt participationum varietates, tot justitiæ singularitates? Verumtamen una est essentialis justitia, non qualitas, non accidens animæ, in seipsa subsistens, participata a spiritibus participatione ipsius justi, cujus participationes supremum justitiæ sunt, et illæ accidentales. Capabilis enim omnibus Deus, et participabilis naturali suo munere, et usu ex munere. Ab omnibus B participatur ad essentiam, et secundum illam ad idoneam speciem, ac secundum utramque ad congruum usum. Omnia enim sunt: quod videlicet esse est in omni re primum et principium. Nam quod non est, nihil omnino est; et cum sit, aliqua specie, vel imagine, vel forma tenetur, per quam ab omni alia re discernitur; et aliquid in se muneris naturaliter habet. Nihil enim pro nihilo. Quæ videlicet tria omni subsistenti insunt quasi quædam vestigia summæ essentiæ, et imaginis ac muneris, id est Patris, et Filii, ac Spiritus sancti. Æternitas quippe est in Patre, species in imagine, usus in munere.

Cum igitur capabilis divinitatis capax sit, juxta C quod dictum est, quidquid numero, mensura ac pondere subsistit, gradatim tamen et differenter ab animatis per animationem, sensibilitatem ac rationabilitatem, ad ejus imaginem et similitudinem, quæ in eminentiori animæ parte fulget, ascenditur: quæ quidem anima, sicut Deus capabilis omnibus, sic est capax omnium; ac persæpe nominata, quæ de rationabilitate ipsius oriuntur, ad cognitionem, per concupiscibilitatem vero ad dilectionem universitatis capax invenitur. Quæcunque ergo aliquo sensu percipit, protinus in concupiscibilitatis quasi salsamentum intingit, ut illi sapiat, et quasi per saporem placeat, aut displiceat. Sunt igitur in anima, et sunt id quod anima, naturalis sensus cognoscens omnia, ac dijudicans inter omnia, et naturalis affe- D ctus, per quem suo ordine et gradu diligat omnia. Verumtamen facultates, et quasi instrumenta cognoscendi ac diligendi, habet ex natura; cognitionem tamen veritatis, ac dilectionis ordinem nequaquam habet, nisi ex gratia. Facta enim a Deo mens rationalis, sicut prima ac sola ejus suscipit imaginem, ita potest cognitionem et amorem. Vasa ergo, quæ creatrix gratia format, ut sint, adjutrix gratia replet, ne vacua sint. Nempe sicut oculus carnis cum ex natura habeat facultatem videndi, et auris audiendi, nunquam consequitur per se visionem oculus, vel auditum auris, nisi beneficio exterioris lucis et soni; sic et spiritus rationalis ex dono creationis habilis ad cognoscendum verum ac diligendum bonum, nisi radio lucis interioris perfusus et calore succensus, nunquam consequitur sapientiæ seu charitatis effectum. Sicut enim solem non videt oculus, nisi in lumine solis, sic verum ac divinum lumen videre non poterit intelligentia, nisi in ipsius lumine. *In lumine*, inquit Prophetes, *tuo videbimus lumen* (*Psal.* xxxv). Quare sicut de sole exit, unde videri possit, nec tamen solem deserit, sed in illo manet, quod de illo exiens illum ostendit; ita manens in Deo lux quæ exit ab eo, mentem irradiat, ut primum ipsam coruscationem lucis, sine qua nihil videtur, videat, et in ipsa cætera videat: hincque ad ipsum lucis fontem intelligentiam ascendens, ipsam per ipsius lucem inveniat, et cernat.

Itaque sicut in imaginationem de subtus phantasiæ surgunt, ita in intelligentiam desuper theophaniæ descendunt. Sicut autem corpori suo anima non sufficit sola ad vitam, sic nec sibi sola ad sapientiam. Juvatur ergo sensus exterius, imaginatio inferius, ratio vero ex prima gratia inferius, juxta quod illuminatur omnis homo veniens in hunc mundum; intellectus autem et intelligentia superius. Intelligentia ergo ea vis animæ est, quæ immediate supponitur Deo, sicut phantasticum animæ supponitur corpori; vel sicut sensualitas carnis supponitur infimo animæ. Verumtamen in Deo, cui cognoscendo proxima est intelligentia, cum proprietates inveniantur diversæ, nihil tamen inferius, nihil inæquale. Nemo tamen novit Patrem nisi per Filium, et in Spiritu sancto. Omnia Pater facit, donat et condonat per Filium in Spiritu sancto. Unde si totæ tres personæ coæternæ sibi sunt et coæquales in illa ineffabili sua natura, creaturæ tamen quodam modo quasi propior esse videtur Spiritus sanctus, quippe qui de utroque, munus est utriusque. Nobis autem omnis divinitatis usus ex munere. Est enim in Deo munus naturale, quo ipse donabilis ac fruibilis est omni, ut superius dictum est, naturæ. Sicut enim lux corporea, quia lux est, naturaliter lucet, id est lucem gignit ingenita (lux enim essentem tantum ac ingenitam lucem significat), lucet vero exeuntem et genitam; et quia lucet, illuminat, id est lucem præbet: ita lux in Deo lux est, in quo tenebræ non sunt ullæ. Imo ipse lux est inaccessibilis, nisi cui ipse naturali dono, id est illuminatione, accesserit. Et quia lux est, utique lucet, id est splendorem emittit de se; et quia lux lucet, ac de se splendorem emittit, lucem præbet et illuminat. Lux ergo splendorem emittens de se, sed non amittens, a se illuminat intelligentiam ad agnitionem veritatis: et ignis de se, quem retinet, emittens calorem, inflammat affectum ad amorem virtutis. Itaque licet indifferens sit natura coæqualis Trinitatis, tamen sicut ad nos a Patre per Filium et Spiritum sanctum, vel in Spiritu sancto, divina descendunt juxta quod dicitur: *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* xxviii): ita per Spiritum

sanctum ad Filium, et per Filium ad Patrem humana ascendunt. Ideo namque abeunte Filio mittitur paracletus Spiritus, qui corpus capiti uniat, id est Christo, et ipse Deo, sicut scriptum est : *Caput mulieris vir, viri Christus, Christi Deus* (*I Cor.* XI). Spiritus igitur regit, consolatur, erudit et perducit Ecclesiam ad Christum, quam ipse simul sine macula et ruga offeret regnum Deo et Patri. Quod in nobis adimplere dignetur gloriosa Trinitas.

Hæc tibi, frater, inter innumeras angustias, ne A non obediremus, scripsimus. Venerunt enim hoc anno super regiones nostras mala pestilentiæ et famis, qualia omnia retro sæcula, ut putatur, non viderunt : quorum quidem præterito anno signa vidimus, et notavimus, scientes omnis rei eventus causas habere, unde proveniant; et præparationes, quomodo; et signa, quando; et finales commoditates, quare contingant : nihil enim a sapientia fit, nisi sapienter; et a summo bono, nisi bonum, et bene, et ad bonum. Vale, et ora pro nobis, diligens nos, quia nos te diligimus.

EJUSDEM ISAAC
EPISTOLA
AD JOANNEM EPISCOPUM PICTAVIENSEM
DE OFFICIO MISSÆ.

Domino et Patri in Christo, JOANNI, Dei gratia B Pictavorum episcopo, frater ISAAC abbas Stellæ, salutem, obsequium, obedientiam.

Ecce, quod diu multumque postulando impetrare non potuit vestra humilitas, imperando cito extorsit auctoritas. Cogit enim nos, ex occasione collationis (qua utique pœnitet nos sic leviter effudisse), stylo alligare, quomodo in sacrum canonem, dum sacrosancta celebramus, intendimus. Rem quidem difficilem, et fortasse inexplicabilem. Nihil humano corde fugacius, nihil curiosius, quare et id tam morose in uno tenere nimis arduum, et in unum uniformiter sæpe intendere, sed hoc ex vitio curiositatis. Unde consulens infirmitati nostræ gratia divina, antiqua capitula, tota sensuum novitate sæpe C perfundit, qui cum subito effulserint, supra omnem humanum modum miramur, ubi nunc latitaverunt, unde tam subito emerserint. Ex ipsa vero admiratione dilatatur cor, sicut scriptum est, et ob ipsam dilatationem adimpletur devotione, dilectione, delectatione juxta Psalmistam : *Dilata os tuum, et implebo illud* (*Psal.* LXXX). Nonnunquam vero luce clarius visa, et super mel et favum dulcius gustata novitas suavitatis, dum per eadem transimus, absconditur, juxta illud : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* (*Psal.* XXX) id est ut timeant te : ipsa enim absconsio timorem gignit horribilem, horror dolorem, dolor gemitus, suspiria et internos conquestus inenarrabiles, ita ut nihil minus lugeamus amisisse D nos vetera quam gaudeamus invenisse nova : sicque utraque vicissitudine, ac si per utramque molam confracti, comminuti, permoliti, in similaginem sacrificii Dei transimus : ipsamque utroque genere lacrymarum, id est compunctionis et devotionis commiscentes, et in clibano cordis contriti et humiliati coquentes, nosmetipsos panes propositionis efficimus, quos primo omnium offeramus. Quoniam ergo, serenissime Pater, nos nobis ipsis minime constamus, sed spiritus ubi vult, et quod vult, spirat, et nescimus unde veniat, aut quo vadat; et non potest homo a semetipso accipere quidquam, nec pro voto id ab alio, nisi datum fuerit desuper, humilitati postulationis vestræ sapientius hucusque siluimus, quam imperio auctoritatis vestræ adhuc loqui possumus. Sed fortasse non quid nobis rorem cœli desuper, aut quomodo nubes pluant, quæritur, sed quomodo aperiatur terra, et germinet Salvatorem; quæstio est, non quomodo prospiciat justitia de cœlo, sed quomodo oriatur veritas de terra; non quomodo intendat in nos Deus, sed quomodo intendamus in ipsum.

Nos itaque, ut simpliciter fateamur, singulis capitellis sigillatim, prout gratia nobis datur, intendimus; et dum ea quasi ubera de cœlo plena per labia sumimus, intente lactemus, ex ore infantis et lactentis perficientes laudes, quas valemus. Unde licet ibi plurima et diverso modo dicantur, et fiant; nos tamen sub trina actione fere universa concludimus. Tres enim distinguuntur in sacro canone principales actiones, quibus quasi tria deserviunt altaria, quibus quasi trinus assistit sacrifex, cum quodammodo tribus sacrificiis. Et est fortasse hoc exemplar, quod ostensum est Moysi in monte, juxta quod umbram conderet futurorum, id est tabernaculum in deserto. Vidit in alto quod faceret in imo, in monte didicit quod faceret in plano, sursum tandem didicit quod doceret deorsum, didicit a Deo,

quod doceret homines. Juxta hanc formam et Apostolus loquitur : *Ego*, inquit, *et quod accepi, tradidi vobis* (*I Cor.* II). O bone Pater, attende tibi ipsi, quanti hodie tradunt, quod nec a Deo, nec ab Apostolo acceperunt! Traditiones hodiernæ fere omnes turpi lucro deserviunt; pœna quæ pro commisso irrogatur, fere omnis pecuniaria est : beneficium quod quasi gratis impenditur, fere omne et si pretium ante non taxat, obsequium postea sperat. Gravidæ sunt hodie gratiæ nostræ, sub prætextu virginis prægnantem nuptui tradimus. Hanc simulationem nec docuit Moyses, nec docuit Paulus. Non est hæc figura de monte. Tabernaculum igitur de monte, id est tabernaculum Dei cum hominibus, sic compositum est, ut in atrio altare habeat æneum, ubi animalia sacrificantur; intus autem in tabernaculo aliud aureum, quod dicitur altare incensi, ubi thymiama ponitur, et thus, et cætera, quæ concremata odoriferum fumum redoleant; post quod quasi in intimo et supremo positum est propitiatorium, quod non solum sanctum. sed Sancta sanctorum dicitur.

Inter propitiatorium ergo et altare aureum, velum panditur; quod in passione Christi scissum est, ut pateret propitiatorium, id est corpus Christi : quod etiam sub hoc mysterio nudum cruci affixum est. Inter altare aureum et æneum paries quidem tabernaculi in eremo, et murus dividit in templo; de quo peccator per pœnitentiam tendens ad justitiam, sic loquitur : *Et in Deo meo transgrediar murum* (*Psal.* XVII). Primum enim altare cor contritum et humiliatum significat : in quo dum quod quasi jumentum viximus, et irrationabiles actus per pœnitentiam mactamus, quid nisi animalia diversorum generum Deo sacrificamus? Talia etenim animalia in conversione peccatoris, qui per peccatum quidem foris est, et nisi per condignam pœnitentiam non intrat ad justitiam, mactat cordis compunctio, excoriat oris confessio, in frusta concidit dijudicatio; comburit autem condigna afflictio. Æneum quidem est, obscurum videlicet et sonorum, quia collocatur pœnitens in semetipso in obscuris, dum anxiatur in semetipso spiritus ejus, et cor conturbatur, et de profundis fortiter clamet opus est, ut audiatur ejus vox in excelsis. Sic enim in Deo suo transgredi poterit murum, qui inter culpam et justitiam dividit, quoniam sacrificium acceptum Deo spiritus contribulatus, qui cor contritum et humiliatum non despicit; sed in vero altari quod intus et aureum est, cor significat per pœnitentiam purgatum, testimonio bonæ conscientiæ rutilans et clarum. Similiter quod devotio offert sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta; dum non adhuc sua commissa deplorat; sed jam in divinis exsultat, non jam de commissione criminum gemit, sed de collatione virtutum gratias agit. Tertium vero, quod melius propitiatorium quam altare dicitur, ubi non angeli quandoque, et quibusdam, et quicunque apparent; sed semper et alis expansis propitiatorium obumbrantibus, ipsum, et cherubim cor significat super nebula phantasmatum, exaltatum; sicut dicitur : *Accedet homo ad cor altum* (*Psal.* LXIII), cujus conversatio in cœlis est, non solum desiderio et spe, sed jugi, quantum homini fas est, contemplatione, quæ retrorsum sunt, sive bona, sive mala, oblitum, in anteriora se semper extendens, sequens ad bravium supernæ vocationis, in quod desiderat et delectatur cum angelis prospicere.

Primum igitur sacrificium pœnitentiæ, quam super cor contritum spiritus rectus offert, id est compunctio; secundum justitiæ, quam super cor mundum offert Spiritus sanctus, id est devotio; tertium vero intelligentiæ, quam super cor altum offert spiritus principalis, id est contemplatio. Compunctio enim perversos corrigit, devotio correptos dirigit, contemplatio autem directos erigit, et cum angelis conversari facit. Cor contritum in præteritis malis cruciatur; cor mundum in præsentibus donis delectatur; cor autem altum præmia æterna contemplatur. Pœnitentia separat a diabolo, justitia conjungit Deo, intelligentia vero delectatur in ipso. Hæc est compositio tabernaculi Dei, non tam cum hominibus, quam in hominibus, cujus imago quomodo in sacro canone fulgeat, in promptu est, ubi distincte prius sacrificium offertur servitutis, postmodum libertatis, tertio unitatis. Ad hoc enim per divina sacramenta a servitute diaboli per Filium liberamur, ut ipsi Patrifamilias cum Filio uniamur. Sic nempe pro servis Filius loquitur Patri : *Volo, Pater, ut sicut ego et tu unum sumus, ita et isti sint unum nobiscum* (*Joan.* XVII). Omnis ergo actio sacramentorum cœlestium huic fini deservire dignoscitur, ut sine fine uni Deo per Christum uniti, in Christo delectemur. Ideo unus panis, unum corpus multi sumus; sed non multa capita habemus, sed unum, et cujus caput Deus; quatenus multi per unum, et in uno, uniti, unus cum eo spiritus efficiamur : cum sapientia de sapientia sapientes, cum vita de vita viventes, cum virtute de virtute potentes, cum charitate de charitate ferventes, cum justitia recti, et cum lætitia de lætitia semper læti. Sed proprie de extrema actione hoc gestiens prælibavit nimium avida devotio.

Cunctis igitur rite dispositis, quæ ad primam actionem pertinent, præmissis quibusdam orationibus seu postulationibus cum incenso arietum, id est suffragiis apostolorum ac martyrum, accedit visibilis sacerdos, et adhuc quasi qui natus est de carne caro, ad offerendas visibiles hostias, et de terra terrenas; et hoc super altare visibile et materiale, materiali oleo visibiliter consecratum. Et hæc omnia quasi adhuc foris aguntur, dum quæ fiunt, et quomodo fiunt foris conspiciuntur : unde et ad servum, qui non manet in domo in æternum, pertinere noscuntur. Quamobrem et servitutis oblatio dicuntur, sicut dicitur : *Hanc oblationem servitutis nostræ* (*can. miss.*), et oblationem servitutis panem

et vinum recte nominat; nam cum homo de terra sumptus per naturam, super terram dominus constitueretur per gratiam ab auctore naturæ et datore gratiæ, recedens per culpam infra terram damnatus est per justitiam. Unde cui terra famularetur gratis fertilis ad suavitatem, nunc multis et miris obsequiis delinita, laboribus et sudoribus plurimum miseris ac miserandis exculta, vix largitur ad necessitatem, sicut scriptum est: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo* (*Gen.* III). Quoniam ergo in victualibus, sine quibus vita animalis non transigitur, principalia sunt panis et vinum, apte per ea virtus vitæ animalis dum offeruntur, offertur. Præcipua quippe illius portio sunt, et totum figurant. Itaque quid amplius potest servus qui reconciliari appetit Domino suo, quam de penuria sua totum victum suum offerre, et sic totam vitam suam mactare? Sic igitur in prima actione, dum in pane et vino totum victum suum offert, totum quod animaliter vivit, occidit; vitam enim occidit qui victum ei subtrahit. Hinc est quod sapienter dicitur: *Ad mensam magnam sedisti; diligenter attende quod apponitur tibi. Fige cultrum in gutture tuo, sciens quoniam talia oportet præparare* (*Prov.* XXIII). Mensa magna est altare Domini; ille nobis apponitur ibi ad refectionem, qui corpus et animam suam posuit pro nobis ad redemptionem. Attendendum est quod talia oportet etiam illi præparare, id est pro illo nostrum simul et similiter corpus et animam ponere. Sic enim per spiritum consilii ipse sibi respondit Propheta: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris*, etc. (*Psal.* XV.) Formam vero attende, quam subtiliter et eleganter expressit, dicens: *Fige cultrum in gutture tuo.* Cultrum quippe abstinentiæ et inediæ quasi in gutture figimus, dum qui totum victum nostrum Deo obtulimus, de eo postmodum parce et timide quasi de altari Dei ad necessitatem sumimus. Nam qui altari deserviunt, ordinavit Dominus de altari vivere. Alioquin si post oblationem talem iterum diliciose et luxuriose, quasi de nostro absumimus, totum quod offerimus, auferimus; et de rapina jam pejus vivimus. Nam sic jam non Domino, sed nobis vivimus et morimur; et sive sic vivimus, sive sic morimur, jam non Domini, sed nostri, imo nec nostri, sed diaboli sumus. Ideo, vir bone et prudens, diligenter attende, nostrum esse altare, de quo non licet edere iis qui tabernaculo corporis sui deserviunt; sed sicut corpus polluitur voluptate, ita anima vanitate, et spiritus ambitione fœdatur.

Ista sunt nimirum capita draconis quem dedit Dominus escam populis Æthiopum; iste calix dæmoniorum quem simul bibere cum calice Domini non convenit. Nulla enim conventio Christi ad Belial. Nunquid si mundus es corpore, statim mundus spiritu? Imo mundus corpore, mundior sit anima, et spiritu mundissimus; quatenus castitate, puritate, humilitate totus mundus non indigeat nisi ut pedes lavet. Ecce in quid intendimus, dum

A primam oblationem offerimus; ecce quid esse contendimus, dum in ista intendimus, ista cogitamus, dum ista tractamus foris verbo et lingua, intus quantum possumus opere et veritate. Verumtamen altioris opus est consilii. Totum quod potest in hac actione servus facit, sed in toto non satisfacit, non potest amplius aliquid, sed hoc totum non sufficit; occidere se potest, sed non vivificare potest; itaque oratione se erigit, et ad eum qui omnia potest se convertit, dicens: *Quam oblationem, tu Deus, in omnibus, benedictam, ascriptam, ratam acceptabilemque facere digneris, ut corpus et sanguis nobis fiat* (*can. miss.*). Ac si dicat: Domine, feci quod potui; supple quod non potui; et in fide nihil hæsitans accedit ad actionem secundam, dicens: *Qui*
B *pridie quam pateretur*, etc. (*ibid.*), et ad verba illa potentia et efficientia, sicut scriptum est: *Dabit voci suæ vocem virtutis* (*Psal.* LXVII); dicit enim et facit: verbum et virtus: *Hoc est corpus meum* (*can. miss.*).

Fit igitur super omnem rationem humanam, divina virtute, humana sollicitudine, de vetere cibo veteris hominis, novus cibus homini novo. Habens ergo novus sacerdos, non jam vetus Melchisedech, neque natus caro de carne, non de sudore suo, neque de terra, cui misere et multiplicate servit; sed novus Jesus natus de Spiritu spiritus, de donis ac datis divinis, de cœlo cœlestem hostiam carnis et sanguinis offert, dicens, non ut prius timide, ne-
C que hostiam servitutis, sed cum exsultatione et lætitia: *Præclaræ majestatis tuæ, hostiam puram*, et purificantem, *sanctam*, et sanctificantem, *immaculatam*, et immaculatos efficientem, id est *panem sanctum*, nec temporalis, nec animalis, sed spiritualis, *et æternæ vitæ, et calicem*, qui in perpetuum satiare et salvare potest; et ideo, *salutis perpetuæ* (*ibid.*). Amplius autem, quia caro et sanguis non prodest quidquam, secundum verbum, quia spiritus et vita sunt, altius adhuc aliquid expetit, cui donec per corpus in cœlo Deo uniatur, et per humanitatem divinitati conjungatur, nihil sufficit, quippe qui scalam sibi erexit, ascendere utique satagit. Unde et per hanc oblationem accingit se ad orationem, dicens: *Supra quæ propitio*, etc. (*ibid.*),
D et quasi per gradus ipsius scalæ ascendens, commemorat munus Abel pueri, sacrificium Abrahæ, oblationem Melchisedech sacerdotis, qui elegantem speciem expressit in pane et vino; sicut Abraham veritatem in filio, et Abel innocentiæ munus in agno.

Hac itaque oratione fretus, cum fiducia accedit ad actionem tertiam. Sed quoniam ad illud summum sublime altare in conspectu divinæ majestatis, ubi summus et perpetuus Sacerdos assistit vultui Patris, nondum ut vult, valet ascendere: nam et hoc dum se visibilis sacerdos infra visibile altare inclinat, et surgens osculatur, significat: rogat per manus angeli, invisibilis videlicet sui ministri, eo sacrificium suum perferri, et corpori Christi in

cœlo uniri, quatenus sicut per ipsum quod hoc inspicit, panis et vini de primo altari sumimus, et in veritate carnis et sanguinis de secundo ultra velum in cœlo benedictione olim semini Abrahæ promissa, et gratia Mariæ allata, virtuti sacramenti ipsius communicet, id est summo capiti per spiritum uniatur. Caput enim Christi Deus. Ecce, Pater serenissime, quomodo sicut in præfatione commonetur, *sursum corda*, sursum verba, sursum opera. Prima namque oblatio separat a mundo, secunda conjungit Christo, tertia unit Deo. Prima mortificat, secunda vivificat, tertia deificat. In prima actione passio, in secunda resurrectio, in tertia glorificatio. Unde et dicitur : *Memores beatæ passionis, necnon et ab inferis resurrectionis*, etc. (*can. miss.*), primus quasi foris in atrio vitam animalem, secundus intus et in templo sensum rationalem, tertius ultra velum et in cœlo jam ipsam fidem. Sicut enim super animalem sensum ratio, et super rationem fides; ita super fidem visio. Quod enim videt quis quid sperat? Sic carnalis fit spiritalis, et spiritalis cœlestis, aut divinus; servus fit liber, et regnat cum Patre Filius, inimicus amicus, et hæres. O sacerdos Christi, insiste dum assistis! ista dum facis, fias veri servi tui pie memor, qui vestræ paternæ in omni oratione et sacrificio reminiscimur!

Sed ecce dum delectabat nos ista vobis scribere, tum pro materia, tum pro persona, ne epistolarem modum excederemus, procuravit vester Hugo de Calviniaco, qui subito impetu in nostros irruens, de conversis aliquos propria manu diu dure verberavit; de familia quosdam... injuriam... personam absentem contumeliis, et minas multas et inhonestas. De bobus octo rapuit, et, ut putamus, jam vendidit; et adhuc manus ejus extenta. Super tecta jam loquitur quod in me de omnibus Anglis ulciscetur. Utinam aut Anglus non fuissem, aut, ubi exsulo, Anglos nunquam vidissem!

ALCHERI
CLARÆVALLENSIS MONACHI
LIBER
DE SPIRITU ET ANIMA.

(Exstat in Appendice ad tom. VI Operum S. Augustini. Vide *Patrologiæ* t. XL, col. 779.)

EJUSDEM
LIBER DE DILIGENDO DEO.

(Vide ubi supra, col. 847.)

PETRI DE ROYA
EPISTOLA
AD C. NOVIOMENSIS ECCLESIÆ DECANUM.

(Vide *Patrologiæ* tom. CLXXXII, inter epistolas S. Bernardi, sub num. 41.)

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

—

FINIS TOMI CENTESIMI NONAGESIMI QUARTI.

Ex Typis MIGNE, au Petit-Montrouge.